UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

S VI. 27.
34

Th. 1426a.

Ex legato Celmi Principis Ferdinandi Epis. Paderb. et Monast. 1683

# JOANNIS PIERII VALERIANI BELLUNENSIS HIEROGLYPHICA,

SIVE

## DE SACRIS ÆGYPTIORUM ALIARUMQUE GENTIUM LITERIS,

*Commentariorum Libri LVIII.*

*duobus aliis ab eruditissimo viro annexis.*

Accesserunt loco auctarii, HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, ex veteribus & recentioribus auctoribus descripta, & in sex libros ordine alphabetico digesta; HORAPOLLINIS item HIEROGLYPHICORUM LIBRI DUO ex postrema Davidis Hœschelii correctione. Præterea ejusdem PIERII DECLAMATIUNCULA PRO BARBIS SACERDOTUM; De INFELICITATE LITERATORUM LIBRI DUO; denique ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM Sermones quatuor.

*Editio ad novissimas Germaniæ composita, quibus & annotationes ad marginem atque necessarias Indices debet.*

Collegij Societatis Jesu Paderb.




*FRANCOFURTI AD MOENUM,*

Sumptibus CHRISTIANI KIRCHNERI,

Typis WENDELINI MOEWALDI,

ANNO M DC LXXIIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN






Obscura sub nocte notæ, quas dædala finxit
Ægyptus, tacitæ delituere diu.
Deniq; depulsis patuere arcana tenebris,
Claraq; Pieriâ symbola luce nitent.

Pieridum, cæcas errorum abstergere nubes
Et studiis animos irradiare, fuit.
Id porro Musis donarit Apollo, suopte
Donat ab ingenio lumina Pierius.

Georg. Rotinus.

Leip. C. Hochberger sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIRIS

*GENEROSISSIMIS, ANTIQUITATE GENERIS, NOBILITATE, LONGOQUE RERUM METALLICARUM ÆQUE AC OMNIUM SCIENTIARUM USU ET EXPERIENTIA SPECTATISSIMIS DOMINIS,*

# DN. ABRAHAMO

## à Schönberg/

SERENISS. ELECT. SAXON. A CONSILIIS, ÆRARII, REIQUE METALLICÆ, AC QUÆSTURARUM FREIBERGÆ ET GRILLENBURG

PRÆFECTO GRAVISSIMO,

NEC NON

# DN. ADAMO FRIDERICO à Schönberg/

Hæreditario in Wingendorff / Wiesebornichen/Ober-Schöna und Hänichen/

*Patronis, Fautoribus, humili subjectione, omni honoris & observantiæ cultu & vultu ætatem devenerandis*

Salutem

&

officia paratissima

cum

omnigena felicitate.

GRæci, *Viri Generoſiſſimi*, obſervatu dignum conſvêre, quando quis opus aliquod luci exponere animum haberet: *frontiſpicium ut præprimis apponat opere incipiente præfulgidum:* Operi jam præſenti Generoſiſſimi Viri tale frontiſpicium præponendum neceſſitatis cenſeo: *Jo. Pierii Valeriani de Hieroglyphicis Ægyptiacis* Operi, Materia utilis admodum jucunda pariter ac neceſſaria, ſpecialibus artibus & ſcientiis, addictis Theologiæ nempe, Eloquentiæ, Poëticæ, &c. cultoribus, ac univerſalibus Doctrinis. Quod licêt hactenus variæ editiones viſæ ſunt, partimque in Germania, Colonis, Franckfurto, Baſiliæ, &c. partim extra Germaniam, Romæ, in Gallia &c. ſæpius typis deſcriptæ, adeò avidè tamen ſuſceptæ fuêre, ut exemplaria brevi temporis ſpatio non ſolùm omninò ſint diſtracta, ſed & undique crebrò perquirantur, & nova editio ſollicitè urgeatur. Ideoque perquirentibus, & ſollicitantibus diutiùs deeſſe nolui, hancque editionem non modò auctiorem, ſed & inſuper cum Effigie ipſius Autoris Jo. Pierii Valeriani, quâ cæteræ editiones careant, cum verſiculis quibusdam è Muſeo Hiſtorico Joan. Imperial. depromptis adornari operam dedi, nihilque, quod ad operis hujus limatiſſimi perfectionem aliquid conferre potuit, licêt non ſine ſumptibus, procurare intermiſi. Idcircò Ex conſilio Viror. quorund. Clariſſim. emptorumque cupiditate motus, ſumptus non parvos, de novo hocce locupletiſſimo opere edendo impendere, & recudi curare, ſine dubio, deſiderium emptorum tam avidorum adimplebit. Præſertim cum propter bellum jam ubique ingruens bibliis Ariæmontani edendis remora injecta eſt, antequam videam, quorſum tempora hæcce graviora prorſus ruinam minantia, declinent, quæ editio jam præter impenſos non leves adhuc ſuſcipiendos requirit ſumtus. Frontiſpicium igitur *Viri Generoſiſſ.* clarius, nobilius, generoſius & adeò præfulgidum nullum huic operi invenire potui, quàm ut Nomina V. perſtrenua præſcribam. Permittite igitur Viri Gener. ut Strenuitatis veſtræ Fulgor, has operas illuſtret, & Nomina Veſtra, quorum ſplendor ubique veneratur, huic Operi præfixa frontiſpicium ejus reddant præfulgidum. Accipite hoc in devinctiſſimæ gratitudinis beneficiorum favorisque memoriam, ſereno vultu, humiliſſimè rogans, ut diutiùs veſter in me accedat favor, cujus, annis abhinc retrò aliquot, indicia maxima in me collocaſtis, quodque ad momentum hoc usque expertus ſum hactenus, & non poſſum non reponere reciprocum; tamen hoc ulteriori favore fretus, confido, hanc meam gratitudinem benevolo animo ac mente iri ſuſceptam, D.O.M. beneficiorum in me uberrimè translatorum largus ſit remunerator, faxit, ut Nominis & familiæ nobiliſſimæ incrementa plus ultra excurrant, Vobisque, *Viri Generoſiſſimi,* Me Debitorem humiliſſimum ulterius commendatum habeatis. Vivite, florete, vigete.

Generoſiſſimarum Veſtrarum
maximeque ſtrenuarum
Dignitatum

Datum Lipſiæ. Pr. Kal. Mart.
1678.

*Obſervantiſſimus*
C. KIRCHNER.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD

novissimæ hujus editionis Anno 1678.

# BENEVOLUM LECTOREM

## Præfatio.

Elmatisimum hoc variâq; refertum eruditione Hieroglyphicorum Joan. Pierii Valeriani opus ita cupidos emptores invenit semper, ut diversis temporibus pariter ac locis, (Italorum enim exemplum Germani quoque nostri cum Gallis imitati sunt,) recudi id oportuerit. Quæ & causa fuit, ut cùm, licet toties renatum, desiderari tamen in Bibliopoliis animadverteretur, de editione hâc novâ svadentibus eruditis cogitaretur. Neque verò negari potest, insignem ejus usum esse non modò humaniorum literarum, sed sublimium quoque Facultatum, atque in his vel præcipuè sacræ Theologiæ Studiosis. Imò verò, si ultimam scrutamur Hieroglyphicorum, qualia penes Ægyptios fuerunt, originem, sacræ potissimùm scientiæ causâ excogitatum hunc symbolicæ doctrinæ modum fuisse, vel solum Hieroglyphicorum vocabulum argumento sit nobis: ut omittam, quod constat, hunc veluti thesaurum à sacerdotibus olim & inventum fuisse, & custoditum. Equidem haud iverim inficias, toto cœlo dissidere nostram religionem, qui Christiani sumus, ab illâ, quam superstitione falsorumq; numinum cultu plenissimam professi sunt illi veteres Ægyptii: sed vicissim plurimum quoque interest inter hæc Pierii nostri, & illa gentis idololatricæ hieroglyphica. Noster, etiam ubi superstitiosas imagines detegit, nihil tamen minus quàm Magistrum se præbet aut approbatorem perversitatis Ægyptiæ: id autem præterea dat operam ut Christiano Lectori divinarumque cupido literarum labores accommodet suos. Itaque non pauca sacræ scripturæ loca illustrare studet, quæ & peculiarem indicem visa sunt mereri. Nimirum ipsi quoque Spiritui Sancto libuit interdum symbolis, parabolis, similitudinibus uti: sed idem hâc in re longè aliâ viâ processit, quàm apud profanam nationem spiritus nequam. Nimirum hic ut in caliginem secum divinctos sibi abriperet, tenebras amavit; unde hieroglyphicas illas literas haut immeritò Latinis ignorabiles Ammianus appellavit Marcellinus. At verò spiritui Sancto placuit tam aperta passim, tamque perspicua loquendi ratio, ut intelligi, etiam ubi symbolis utitur, vel à puero possit. Quid clarius illo Regii Psaltis: Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Deus, *Psalm. 42.* unde natum Pierio nostro libri VII. caput 7. Talium, ut ita loquar, hieroglyphicorum fœcunda in sacro codice messis est, quam metere profectò non eruditis modò, verùm & plebejis animabus jucundùm, facilè, proficuum est. Ut adeò sperare liceat, Pierii hos libros, utpote hujusmodi penore instructissimos, illis etiam, qui concionandi officio funguntur, admodùm fore opportunos. Jam ut de toto editionis hujus consilio accuratiùs constet Erudito Lectori, sciat is velim, secutos esse nos Francofurtensem, quæ seculi hujus anno prodiit quarto decimo, & ita secutos, ut pagina paginæ exquisitè respondeat. Faciendum enim omninò videbatur, ut emptoris, parceremus sumptibus, qui haud paulò minores ita futuri sunt, quàm fuissent, si componere nos ad exemplum voluissemus codicum majoris formæ, literarumq; grandiorum,

qualis Lugdunensis anni 1626. Atque hoc exemplum præiverat nobis Coloniensis illa anni 1631. Nam & hæc Francofurtensi exactè quadrat; uberior illâ tamen, dum Pierii quoque libros de infelicitate literatorum duos, Bellunensium item Antiquitatum sermones quatuor adjunxit. Quam quidem ubertatem transferre hinc & in nostram voluimus. Vicissim resecuimus Pierii poemata, quæ plerasque editiones occupasse videntur hanc (si quid augurari licet) maximè ob causam, quòd qui eas procurarent primi, quidquid Pierianorum opusculorum indagare ipsi potuissent, horum nihil omittendum putarent sibi. Nos verò dandam operam potiùs arbitrati sumus, ut adhiberetur in volumine obliqui satis excrescente selectus aliquis. Atque ut, qui frugalem cœnam parcâ impensâ parari sibi cupiunt in diversorio, bellaria, delicata illa quidem, sed sumptuosa magis quàm necessaria, non affectant: ita nec peccaturos nos credidimus, si hæc Pierii bellaria (quis enim sic non appellet poemata, præcipuè quibus amatoria subinde quædam miscentur?) emptori, fortasse nec appetenti, haud apponeremus; quæ præsertim deprehensa forent paginarum esse non paucissimarum. Quod si quis tamen maximè desiderat nosse, qualis Pierio Poetica vena fuerit, is restringere desiderium hoc poterit legendâ ejus in obitum Hippolyti & Alexandri Mediceorum naniâ, quâ librum Hieroglyphicorum XLIV. claudit; legendo item urbis patriæ Genethliaco, quod in fine extat Bellunensium. Atque hæc duo carmina, jam sic semel oblata Lectori, cur Francofurtensis & Coloniensis editiones in Poematibus pag. 94. & 82. repeterent, causa non fuit. Porrò illa in habendo selectu quam professi sumus circumspectio nos eò etiam impulit, ut curam abjiceremus Hieroglyphicorum & Medicorum emblematum Ludovici Casanovæ, quæ Pierianis editio Lugdunensis adjecerat. Non plura quidem duodecim ea sunt, (unde δωδεκαχόρδου vocabulum titulo affixum,) quibus insuper emblema emblematum præmittitur: sed commentariis exposita prolixis admodum, & in quibus, si ea seponas, quibus autor de industriâ videtur Medicinæ studiosis prodesse voluisse, reperias occupata jam à Pierio non pauca. Omninò autem servandus esse modus aliquis videbatur in iis quæ ad Hieroglyphicorum expositionem Pierianam addi possunt. Nam si aliorum de hoc genere omnia coacervamus, nunquam futurus est finis. Neque enim solus memorari Casanova hic meretur, sed alii plures, maximè Athanasius Kircherus, cujus Oedipus Ægyptiacus, hoc est universalis Hieroglyphicæ veterum doctrinæ, temporum injuriâ abolitæ, instauratio Romæ prodiit seculi præsentis anno quinquagesimo secundo. Satis ergò, speramus, habebit benevolus Lector, ubi ea, quæ Francofurtensis & Coloniensis editiones repræsentant Hieroglyphica Pierianis adjecta, eadem nostræ huic haudquaquam deesse animadvertet. Sunt autem illa duorum Autorum. Quorum quidem neutrius nomen expressit Francofurtensis Codex quem secuti sumus: sed eruditissimum tamen illum virum, qui Pierii libros LVIII. duobus aliis auxit, Cœlium esse Augustinum Curionem docuit nos, (ut alios testes omittamus,) Basileensis editio anni 1567. id quod nequaquam dissimulandum hic esse censuimus. Alterius eruditi, cujus Collectaneorum sex libros etiam in hâc nostrâ repetimus, nec aliunde rescisci nomen hactenus, nec à nobis ipsi divinare potuimus. Cæterùm & illud operæ pretium nobis visum fuit, ut effigies Pierii Valeriani, (quâ carent alioqui duæ toties nominatæ quas imitati sumus,) in hac nostra conspueretur, & quidem è regione tituli generalis: cui versiculos Georgii Rotini subjungendos putavimus, depromptos è Museo Historico Joannis Imperialis. Hæc ita sunt, de quibus admonendum putavimus, quicunque oculos esset in hanc nostram editionem conjecturus. Vale, Lector optime, nostroq; labori fave. Lipsiæ d. 26. Februar. Ann. 1678.

ILLU-

# *ILLUSTRISSIMO*
# COSMO MEDICI, FLORENTINORUM DUCI, HETRURIÆQUE PRINCIPI, HEROI INCOMPARABILI,

## *JOANNES PIERIUS VALERIANUS,*

*S. P. D.*

*Cum mecum reputo, COSME Princeps Illustrissime, reputo autem sæpissimè, quanta fuerit & genii & ingenii felicitas in laudatissimæ vitæ tuæ, negotiorumque electionibus, cùm omnes te unanimi totius patriæ tuæ consensu, in tam tenera ætate, ditioni amplissimæ præponerent, & in hanc celsam honoris sedem extollerent, tum certè quoniam modo tantam rerum molem in hac temporum perturbatione ferre ac sustinere posses, sane quàm pro eo ac debui, solicitus esse cœpi. Verùm cùm actionis administrationisque tuæ progressum, & quam vitæ rationem complexus es, considero, gaudio planè maximo ita perfundor ac exulto, ut etiam planè videam te Fortunæ locum illum, singulari omnium benevolentia & summa Virtutis existimatione non solùm tueri potuisse, sed etiam eam virtutis opinionem de te concitavisse, ut vel maximis regnis gubernandis te dignum præbueris. Nam qui fructus à bono veroque Principe soleat expectari vel maximus, hujusce jam non adumbratam imaginem, sed luculentam expressamque formam nobis exhibuisti: atque ut insigne commodum subditis tuis adferre posses, inprimis operam dedisti, ut tanquam agrum melioribus ferendis segetibus destinatum, lolio zizaniave, sic Rempublicam tuam labe vitiisque contagiosis perpurgares, dum corruptores coërces, externas divini nominis contumelias, blasphemias, perjuria, & id genus extrema scelera pro virili, jureque tuo prohibes, emendas, tollis, ac punis: nihilque magis è tua dignitate: nec rem Deo (hujus enim minister & est, & dicitur bonus quivis Princeps) gratiorem, nec civibus tuis salubriorem existimasti, quàm si ad hujuscemodi honestatis ac pietatis scopum & metam in curriculo tuo gnaviter & strenuè contendas: pro quo etiam labore & indefesso studio certò novisti tibi divinitùs immortale præmium esse propositum, cùm tam glorioси conatus & cursus dux & magister Christus prolixè polliceatur illis rerum omnium felicissi-*

mos successus, qui Religionem puriorem ardenter amant, & ornare sedulò contendunt. Quamobrem COSME Princeps ornatissimè, fas mihi sit quæso, meo quodam more & singulari quadam erga te gentemque vestram pietate, liberiùs quædam usurpare & adferre, quæ ex officio prætermittere non possum, teque exhortari, & admonere vel jam currentem (ut dici solet) incitare potiùs, ut quem hactenùs animum ad publica juvanda commoda attulisti, eum non deponas, sed tibi etiam atque etiam vigilandum, ac pro Republica consilio & labore excubandum existimes, studiaque omnia, cognitiones & curas in iis rebus ponendas, quibus clavum tanti dominii in maximis fluctibus tenere, & amplas ditiones tuas, in summis rerum difficultatibus tueri ac gubernare possis. Hoc ipsum facilè totum assequeris, si Deum verum in Christo verè, ut facis, agnoscens, summa fide & servantia colas, ames, venereris, & gloriæ sanctissimi nominis ejus, doctrinæ cœlesti, Ecclesiæ tranquillitati amplificandæ, conservandæque dies noctesque studeas: in Domino, ad quod es adhibitus; publicam, ut hactenus fecisti, salutem quæras, subditorum incolumitatem cures & tuearis, honestam disciplinam instituas, vel jam institutam conserves, florentem ditionem legibus, justitia, concordia stabilire pergas. Magnum, inquies, est hoc & arduum munus, molestiarumque plenum, & quod non nisi ab iis præstari potest, quibus divinitus peculiare donum concessum est: mihi autem homini satis alto perfruenti otio hæc perscribere longè faciliùs, quàm invenire quenquam qui ad hunc scopum propriùs collimet. Rectè sanè, sed quorsum hæc? Ut te ipsum, clarissime Princeps, respicias, teque eum esse firmè credas, in quem Deus Optimus Maximus immensa sua benignitate, tam ampla conferre voluit beneficia, unumque constituere Ducem, ac veluti pastorem, magnis & latè dissitis populis, ut eos commodè, prudenterque regendo pascendoque, in hoc tuo principatu idea quædam sanctæ Reipublicæ eluceres. Ideoque duos præclaros tibi comites addere voluisti, Justitiam & Religionem: quarum alterutra fortunas, vitam & dignitatem civium & populorum conservas & contines: altera, ad veram salutem, veramque fœlicitatem omnes convocas, proprio laudabilique exemplo tantùm non adducis. Respice igitur, COSME Princeps, munus tibi assignatum à Deo, talentumque tam liberaliter tibi impertitum, ac cœleste tuum illud nomen non sine divino numine ideò tibi obvenisse, ut (quod olim de Sparta proverbium jactatum est) quam nactus es Hetruriam, eam excolas, & omni virtutum genere exornes. In primis autem, ut decet veræ virtutis amatorem, artes quibus doctrinæ liberales continentur, studio, liberalitate, & officiis tuis complectaris: insunt enim in artibus illis fontes & causæ sapientiæ, virtutum, legum, & honestæ disciplinæ, quæ omnia quam principatui & provinciis tuis necessaria sint, unus omnium Principum optimè novisti, qui nullis sumptibus, laboribus nullis pepercisti, ut præstantiores ingenuarum artium Doctores Gymnasiis præficerentur, juventutemq; liberaliter institueret. Et si quis tandem inveniatur, qui ab egregia aliqua virtute commendationem ducit, hunc tua benevolentia dignum judicas, ac benigne complecteris, authoritate defendis, foves, & dignis præmiis ornas, ut jam nemo mirari debeat, probos homines & doctissimos quosque certatim ingenii sui partus libenter illi commendare, cujus vel nominis splendore gratiam & ornamentum scriptis conciliant suis. Quam quidem ob rem nec mihi, qui annos permultos in vestra sum clientela, committendum putavi, ut, cùm multi eam voluptatem, quam incredibilem ex ista magna dignitate animis suis perciperent, scriptis declararent, vellentque te hunc summum honorem ex tuo merito splendore dintissimè admini-

*ministrare, ego unus in tanta omnium lætitia tacerem, nec scripto testificaver commune omnium nostrùm gaudium ex eo potissimum natum esse, quod te unum in hac durioris temporis propugnatione divinitus delectum videmus, qui literas, literatosque viros singulari benignitate foves, atque illustras, ac adversus intolerandam inscitiam, & immanem barbariem defendis. Ut igitur hujusce perceptæ meæ lætitiæ aliquam significationem darem, commentarios satis multos diversorum amicorum, quibus id denegare nec potui nec debui, rogatus de sacris Ægyptiorum literis hoc tempore in unum veluti corpus constrictos in tuo nomine apparere volui: in quibus vel describendis, vel tractandis magnam operam & sedulum studium nos posuisse, boni omnes, qui nostra legere dignabuntur, facilè intelligent. Quam verò feliciter id à nobis tentatum sit, aliorum judicium erit: labores certè incredibiles sustinuimus, dum earum rerum explicationem adferre studuimus, quæ naturæ obscuritate varietateque involutæ, multisque obstructæ difficultatibus, plurimorum, vel insigniter eruditorum hominum ingenia exercere detinereque potuerint, ut etiam æquiorem mihi fore Lectorem sperem, ubi viderit me primum tanta rerum varietate, magnitudine ac difficultate, maximo studio, maximaque animi contentione in hoc argumento elaborare voluisse, & honesto exemplo multorum studia excitare. Quanquam hoc loco extiterunt, qui in ipso operis vestibulo à tam laborioso me deterrere ita studuerunt incœpto, ut etiam, vel arrogantiæ vel imprudentiæ nota & crimine me verberarint, quod unus è multis exstimarem aliquam absolutam explicationem me nunc tandem huic tam obscuro argumento adferre, & tam immensam rerum abditarum seriem ex Ægyptiorum sacerdotum arcanis eruere posse confiderem. Quin potiùs rei difficultate ob oculos versata, inexhausti operis laborem declinandum consuerunt, præsertim cum in hujusmodi enodandis non pauci ex Græcis & Latinis barbarisque scriptoribus omne studium & operam sine fruge consumpserint, quod opus tale rerum atque artium omnium propemodum rationem naturamque comprehendat. Præterea vetustis earum litterarum monumentis, partim temporum, partim hominum incuria deperditis, ea dicebant scriptorum inopia laborandum esse, ut si ætas, si ingenium, alia pleraque adessent, vix tamen ad exitum perducere concederetur tantæ molis argumentum, quod idem adeò sit ex hominum memoria sublatum, vel potius abolitum, ut nulli unquam usui sit hæc elucubratio futura, cùm præsertim hoc ipso tempore, nullus quantumlibet profunda eruditione sit, qui vel obeliscos, qui Romæ aut alibi adhuc visuntur, vel admirandam illam Bembi mensam intelligat, aut interpretari possit: vanumque esse, ingenium in eo pertinaciùs intendere, quod te numquam omnino speres assecuturum. His ego responsum volo, me non esse nescium plurima ex his unà cum Ægyptiorum regno, doctrina, institutione, ac ferè omni eorum nomine ita esse abolita, ut si vel ipse revivisat Heraiscus, qui fertur olim omnia sacerdotum eorum monumenta, literasque mysticas uno statim obtutu intellexisse, rerumque simul interpretationem confecisse, jam nunc laboret incassum, siquid tale aggrediatur. Sed esto, non posse me, non posse alium quempiam totum hoc sacrum perlustrare, idcircone præclaro & laborioso incœpto desistendum, quod uni omnia præstare negatum sit? Idcircone veterum numismata & statuas artificiosius elaboratas, quas tanto studio perquirimus, tanta diligentia effodimus, tanto sumptu resarcire curamus, quacunque fuerint vel nare, vel pede, vel alio quopiam membro mutilæ, in fornacalem ignem ad-usum calcis conjiciemus? quomodo enim nobis vel voluptati, vel admirationi esse poterunt, si non undecunque perfectæ fuerint, quando nihil isti*

dignum putant, pretiosum nihil, nisi quod est absolutissimum? Age igitur, COSME, si horum sententiam probas, monumenta aliquot dum vetera tum recentia ex amœnissimis tuis ædibus abjice, statuas illas mira Michaelis Angeli Bonaroti industria fabrefactas, è divi Laurentii templo eliminandas cura: nam & illis aliquid deest, & hæ extremam artificis desiderant manum, ut de his tantùm loquamur, quos in nostra commentationis serie duces libenter suscipimus. Plinium habere domi nemo velit, professus enim se naturalis aut mundi historiæ libros editurum, non omnia novit, non omnia conquisivit, in orbis descriptione multa prætermisit, montes aliquot non recensuit, flumina pleraque non commemoravit, urbes tunc celebres non agnovit omnes, quadrupedum, piscium, avium stirpium, ac aliarum quarundam vim ac proprietatem parum accurate proposuit? Quid Plutarchum, quid Ælianum, quid Athenæum, quid Pausaniam memorem, cùm horum nemo omnia, quæ in suscepto argumento dici potuissent, dixerit? Quid Paulum Jovium, cujus tanta in scribenda historia laus est, ut eandem plerisque veterum eripuerit, & cum vel primis parem habeat? Hujusne incomparabilis viri scripta rejiciemus, quòd in ea temporum serie aliquot annorum historia concisior sit? Id existimo nemo, nisi prorsus humanarum rerum imperitus, approbaverit. Tu certè, COSME Princeps, domestico idipsum improbas exemplo, qui quanto potes studio, quicquid reparari potest, instauras: & quorum virtutes vel imitaris, vel etiam excellis, eorum etiam imagines vel opera studiosè requiris. Sed ne in hoc multus sim, harum commentationum labor nulli rei magis mihi videtur assimilandus, quàm illi de quo dixi statuarum effodiendarum & instaurandarum studio: ut enim illæ utcumque mutilæ, gratæ esse solent, sic nostra hæc (nisi me instituti operis fallat amor) etsi non omnia complectentur, habitura tamen spero aliquid, quod sese humana ingenia oblectare possint. Nihil igitur mihi cum illo sit,

Qui quòd desperent invicti membra Glyconis
Nodosa corpus nolint prohibere chiragra.

Novimus humanarum virium terminos circumscriptos, & aliquid esse prodire tenus, si non datur ultra. Quamobrem quis tandem iniquiore in eum erit animo, qui mortalium ingenia, industria & laboribus suis quocunque modo vel delectare vel juvare conetur: Nam de præsentis argumenti vel oblectatione, vel utilitate, quam earum rerum explicatio & cognitio affert, si velim pro dignitate dicere, nullus unquam exitus reperietur. Quòd si unicuique rei non exigua nobilitas ex antiquitate comparatur, scriptorum opinio est, literas has, quibus unde usi sunt Ægypti, tunc primùm excogitatas, cùm veteres illi ante diluvium viri, qui rerum cœlestium rationem primi mortalium indagasse traduntur, duas diversa materia columnas constituerunt, lateritiam unam, alteram lapideam, in quibus totum de consummatione mundi, arcanum exscriberent: sunt enim qui descriptionem hujusmodi, animalium cæterarumque rerum figuris constitisse astruerent, in quibus tamen Philosophi, Poëtæ, Historici, divinarum etiam disciplinarum sententias delitescere viderunt. Constantissima enim fama celebratum fuit, sacerdotes illos Ægyptios omnem naturæ obscuritatem adeò manifestè sibi cognitam professos, ut eandem quasi per manus traditam, disciplinam hæreditariam possiderent. Hac ipsa præclara fama commotus admirandus ille Pythagoras, Ægyptum sibi adeundam lustrandamque putavit, ac ab iisdem ibi

sacer-

*sacerdotibus talia cepit arcanarum rerum documenta, ut non abs re de illo passim dictum sit:*

Mente Deos adiit, & quæ natura negavit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

*Tantaque hujus viri fuit admiratio, ut Crotoniatæ & Metapontini (apud quos etiam è vita decessisse fertur) ex ejus domo templum facerent, ac veluti numen colerent. Quid Plato, ut ingenii doctrinæque Princeps, & Philosophorum Deus & haberetur & vocaretur, nonne id Ægyptiacæ peregrinationi debet referre acceptum? Nonne Moses ipse, quem Pharaonis filia adoptavit, regioque modo, peritis Ægyptiorum adhibitis præceptoribus educavit ac erudivit, magni sapientisque nomine honoratus est? Sed ne in conquirendis multis laborare videar, cùm hac hieroglyphica instituendi ratione similitudinem habere comperio divinas nostrorum literas, ita omnia mystico quodam sensu scripta quæcumque Moses, quæ David, quæ Prophetæ reliqui cœlesti Spiritu afflati protulerunt. In nova verò lege novoque instrumento cùm Assertor noster ait:* Aperiam in parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar, *quid aliud sibi voluit, quàm hieroglyphicè sermonem faciam, & allegoricè vetusta rerum proferam monumenta? Et illud:* Jesus in parabolis loquebatur ad turbas, *nonne sermones suos arcano quasi velamine quodam contegebat? Pari modo videmus Apostolos ab usitato loquendi more recessisse, ut sacra de Deo dicta à cæteris scriptis, sicut merita dignitate, ita & forma quadam discernerentur, ne cœlestium mysteriorum majestas passim & indiscretè pateseeret, sanctumque Canibus, & Margarita Porcis exponerentur. Demetrius certè Phalereus apud Philadelphum Alexandriæ Regem, plerisque audientibus affirmavit, non licuisse Græcis Hebraicam historiam attingere, quin illustrium scriptorum quosdam eam rem tractare ausos, adversa mentis valetudine & languore corporis tamdiu conflictatos, donec ab incœpto destitissent, tamquam id arcanum profanis esse gentibus manifesta ira Numinis interdictum. Ad quod ipsum si nunc multi respicerent, modestius aliquanto se gererent. Vides enim quæ de humana divinaque disciplina vetustas illa sub rerum verborumque quorundam involucris occultaverat, & quòd peritissimi quique inter se hoc veluti ænigmatum genere uti consueverunt. Mihi igitur vitio verti non debet, si omnem operam & studium ad harum rerum explicationem contulerim, quas tanto in pretio à præstantissimis quibusque semper habitas novimus. Angelo Politiano, Petro Crinito, Philippo Beroaldo summa laudi datum, quòd primi unum vel alterum ex his locum interpretati sint. Mihi igitur ut idem attentem cur negetur? Et si ii non sum, qui cum illis ausim eruditione contendere (fuerunt enim ex iis quos æquus amavit Jupiter) si quid tamen non intermissus labor, & in evolvendis remotioribus libris perseverantia valent, non unum jam aut alterum locum, sed & multa volumina de arcanis hujusmodi, aliqua posteritatis gratulatione me conscripsisse grati, ni fallor, profitebuntur, ac oblectationem & utilitatem ab harum rerum tractatione non disjunxisse. Maximas certè commoditates & utilitates consequemur, si ex multis expertibusque rationis animantibus exempla sumere voluerimus, & virtutum, quas sequamur, & vitiorum, quæ fugiamus. Nec deerit occasio recte sentientibus, qui accommodatè ad religionem nostram hæc retulerint & exposuerint. Nec etiam arborum & herbarum consideratio nobis otiosa*



*est, cùm*

*est, cùm B. Paulus, & antè eum David ex rerum creatarum cognitione, Dei magnitudinem & dignitatem intelligi tradant. Quæ cum ita sint, quis nostrum tam torpescenti ac terrenis facibus immerso erit animo, qui se non innumeris obstrictum à Deo beneficiis fateatur, cùm se hominem creatum videat, & omnia quæ cœlo, aëre, aqua terraque continentur, hominis causa generata esse, seque non solùm rerum cœlestium contemplatorem esse, verum etiam eorum omnium quæ universum complexu suo continet, Dominum esse conditum? Hæc si ita suis viribus & animo expenderentur, atque oculis quotidie cernuntur, mirabilem excitarent in nobis erga Deum amorem. Verùm jam tempus, ut quæ, conjunctissimis efflagitantibus amicis, commentariis singulis comprehensa sint, uno veluti obtutu spectanda, exhibeam: quos quidem commentarios, optimè Princeps, ad te mitto, ut quibus possim officiis meam in te fidem, perpetuamque observantiam declarem, vehementer etiam atque etiam rogans, ut hos ipsos ad te venientes, id est, munusculum Pierii tui, quo se præstantem virtutem tuam memoria sempiterna colere velle declarat, ne asperneris, librosque ipsos unà cum authore tuendos conservandosque suscipias. A Leone animantium omnium præstantissimo fortissimoque auspicandum putavi, in quem cùm oculos attentiùs conjecissem, statim ardentissimus ille animi tui vigor affulsit: quare nemini convenientiùs quàm uni tibi eum etiam peculiariter dedicari posse judicavi: neque ad id faciendum in primis incitavit, quòd in tua civitate, quæ semper fuit Leonum altrix, magna spes afferebatur, ut Leo meus nuper ablactatus, educationis incrementa opiparè esset apud te consecuturus. Multò enim indiget cibo, nec quemquam hodie novi, qui liberaliùs ac libentiùs uno te sit impensam, hanc, quæ tua est humanitas, facturus, cùm præsertim largissima tibi sit earum rerum copia, quibus Leo meus pascendus est: mox verò ubi vires adeptus idoneas fuerit, tuorum literatorum ope curaque saginatus, nulla nostra verecundia theatris exhibitus, spectaculo quovis publico, felicissimis tui nominis auspiciis, emittatur. Vale.*

AM-

*AMPLISSIMO VIRO*

# DN. NICOLAO DE LANGES,

## EJUSDEM LOCI, LAVALLII &c.

DOMINO, PRÆSIDIQUE INTEGERRIMO,
LITERARUMQUE PATRONO SINGULARI,

## *JOANN. PISEV.*

*Arver. S. P. precatur.*

QUOD erat mihi optandum maximè, ut aliquando à te ſummis beneficiis cumulatus, quoniam nullam prorſus gratiam referre poſſem, tibi ſaltem debere apud omnes ingenuè profitendi aliqua non vulgaris occaſio daretur, nunc datam ablatamque majorem in modum lætarer, niſi magnitudo tuorum erga me meritorum ingenium ita meum obruere viſa ſunt, ut ne potuerim unquam ulla meditatione parem verborum copiam excogitare: nec aliud occurrat, niſi animum memorem & gratum polliceri, precarique perpetuò, ut ſuperi cumulate referant gratiam optimè merito, quòd mihi ob fortunæ tenuitatem omninò non licet. Certè, quemadmodum qui ſunt ære alieno obſtricti, nec habent unde ſolvant, verſuram facientes aliunde mutuò ſumunt pecunias ut creditoribus uſuras præſtent, ſortemque procraſtinentur, atque ita creditoribus auferendo diem, fidem ſuam tueantur: ita ipſe ex locupletiſſimo, pretioſiſſimo, inexhauſtoque PIERII VALERIANI theſauro, hoc eſt, ex eruditiſſimi vel potiùs omniſcii viri Commentariis Hieroglyphicon, omniumque elegantium & reconditarum ſcientiarum monumentis fructus aliquot depromere mihi neceſſe fuit, æs alienum alieno ære diſſolvendo. Peropportunè autem accidit ex animi ſententia, ut Bibliopola (qui nunquam labori, nec ſumptibus pepercit, quò vulgares libri, qui ex ipſius taberna prodirent libraria caſtigatiſſimè politiſſimeque in vulgus exirent) me ante paucos menſes adiens obtulit P. VALERIANI Hieroglyphica (quæ ſtatuerat typis excudere quàm elegantiſſimè ac emendatiſſimè fieri poſſet) prælegenda, caſtigandaque, & innumeris mendis repurganda, quibus audierat ſcatere. Accepi conditionem, haud invitus, non tam ſatisfaciendi omnibus ſpe, quàm progrediendi quantum poſſumus, voluntate. Multa tamen à nobis emendata additionibusque forte non infrugiferis aucta (non auſim dicere illuſtrata) & locupletata, maculis infinitis quæ Typographorum incuria vel temporum injuria irrepſerant, conati ſumus

mus restituere. Quid facerem ? neque verò cuipiam dubium esse debet, quin author ubi primùm commentarios suos edere decrevisset, eidem emendatissimè in publicum exissent : ut qui in iisdem elucubrandis, ornandis ac expoliendis ferè xx. annos impendisset, ut ipse alicubi testatur, atque singulos singulis Principibus, Cardinalibus, plurimisque eosdem nobilitate, doctrina, ingenio, omnibusque virtutibus ornatissimis viris donare deliberasset, ut illis nihil perfectius, quoad ejus fieri potuit, esset : unde non vulgarem ab ipsis gratiam retulit : cujus rei testis locupletissimus Ægidius Cardinalis Viterbiensis appositissimè rescribens PIERIO VALERIANO, Ægypti gloriam ipsum instaurare eodem tempore, quo Solymus Turcarum Imperator accessisset, videlicet Sultanorum rebus profligatis à Mamelucliis Tabulas, signa, marmora, & quidquid ibi splendoris erat, delebat, ac dissipiebat : ipsique PIERIO gratulatur quòd se divinis lucubrationibus tot etiam hujus ætatis luminibus insereret, quibus Diis comitibus, sapientiæ veteris, divinæ eruditionis, arcanarum sacrarumque literarum monumenta reponeret, ignota mortalibus arcana erueret, lucem canæ doctrinæ post tot sæcula ab inferis revocaret, & alia quæ idem Cardinalis rectissimè disertissimeque disserit. Argumenti enim luculentissimi varietas, reconditiorisque literaturæ, lectionem fecit perjucundam, optabilem,utilissimamque,in quo se noster PIERIUS totius antiquitatis scientissimum commonstravit : in Geometricis, Arithmeticis, Astrologicis, Musicis, Geographicisque exercitatissimum esse ostendit, atque omnes numeros doctrinarum & scientiarum expleviſſe. Comprehendit siquidem materia Hieroglyphica rerum atque artium propemodum omnium rationem,naturamque : hinc fragmentorum marmoreorum, obeliscorum, veterumque numismatum cognitio pendet. Scriptorum autem est opinio, tunc primùm excogitata, cùm veteres illi ante diluvium viri, qui rerum cœlestium rationem primi mortalium indagasse perhibentur, duas diversæ materiæ columnas erexêre, lateritiam unam, alteram lapideam, in quibus, ut noster PIERIUS autumat, totum de consummatione mundi arcanum exscriberent, descriptione videlicet animalium, arborum cæterarumque rerum figuris : in quibus tamen Philosophi, Poëtæ, Historici, divinarum etiam scripturarum sententias delitescere viderant. Sic Sacerdotes illi Ægyptii naturæ obscuritatem sibi perviam, quasi per manus traditam disciplinam hæreditariam possiderent, quarum rerum fama commoti Plato, Pythagoras, primariique alii Philosophi Ægyptum sibi adeundam lustrandamque putarunt. Quid ? quòd Hieroglyphica, instituendi ratione, similitudinem prorsus habere videntur cùm divinis nostrorum literis, ita omnia mystico quodam sensu scripta, quæcunque Prophetæ cœlesti spiritu afflati protulêre : quinimò in novo instrumento Assertor noster ( ut verba Pierii usurpem ) ait : *Aperiam os meum in parabolis & in ænigmate antiqua loquar.* Nunquid idem redemptor noster in parabolis loquebatur ad turbas ? nonne sermones suos arcanos quasi velamine contegebat ? Inde se vitem, patrem, agricolam & vinitorem, piosque palmites asserebat : quandoquidem nil aliud est Hieroglyphicè loqui, quàm divinarum humanarumque rerum naturam aperire. Non autem (ut audeo affirmare) à pluribus sæculis liber plausibilior, utilior, omnique doctrina magis refertus evulgatus

tus est his Hieroglyphicis, quibus tot dierum noctiumque sudores, tot inabditisimis rebus eruendis, lucique dandis conatus impendit Pierius. At verò quoniam idem liber innumeras propè inscriptiones, easque non præteritas, tum ducta, sculpta, cusa, incisa, & marmore celata signa, numismata veterum, aliaque infinita ingeniorum atque artium præclarisima mystica & jucundisima monumenta, tabulas, picturas, artificumque industrium opera continet, cui potiùs meritò consecrari lucubratiunculæ hæ nostræ quàm tibi (vir clarisimè) debent, qui tot venerandæ antiquitatis documenta domi habeas, ut etiam eruditi hortorum tuorum parietes (ut ita dicam) loquuntur: musæumque tuum tot operum haut vulgarium illustre quotidie ab exteris & peregrinis frequentetur, quod, primarii magni, intimique Consilii Regii Senatores, aliique togati à te humanisimè (more tuo) excepti, inspicientes admirabundi, se nunquam antea vidisse opera confessi sunt antiquisimi operis ex ære, auro, argento editi unà cum artificiosisimis egelmatibus, instructam. Nec præteribo tuam Bibliothecam voluminibus tum excusis, calamo exaratis refertisimam. Sunt quoque aliæ causæ cur laborem meum sub tuo nomine apponere volui, ac debui: quandoquidem hoc qualecunque à me profectum, domi tuæ natum est, tibique tuo jure debetur, quemadmodum Pierius noster hos 58. lib. distributos totidem literatorum nominibus insignierit viris totius Europæ amplisimis: allusione videlicet nominis, aliaque causa convenienti, congruentisimeque coaptata. Sic has meas vigiliolas tibi uni, qui mihi non instar 58. virorum, sed omnium do, sacro, consecro. Abs te autem peto, ut qua me benevolentia complecti soles, eadem munusculo huic præstes, quòd me consecuturum non diffido propter admirabilem tuorum morum svavitatem, summam humanitatem, singularem benignitatem, pietatem integerrimam, vitæ moderatione conspicuam, quæ neque horum morum, neque sunt, sed propria tua non commemoro, affabilitatem sermonis ad conciliandos omnium animos rem potentisimam. Nunc autem cùm nihil sit totius vitæ suæ curriculo clariùs atque illustriùs, ut qui 50. annis omnibus juridicis, magistratibus summis honorificè, & integerrimè perfunctus es, non committam, ut dum ea quæ in omnium oculis versata sunt, oratione amplificare studeo rebus clarisimis tenebras offundere videas, sed & optimè quoque tibi cesit, ac felicisimè huic provinciæ, quòd successorem dignaveris meritisimum, eruditisimum ac integerrimum cui lampade à te sibi tradita, summo cum suo honore, ac omnium satisfactione illustrat & clarificat, alioque honores quos primus sui ordinis adeptus est, tanquam magnifico in theatro, omnium maximo applausu perfunctus est. Reliquum est, ut quando hoc tribuisti humanitati tuæ, ut me plusquam septuagenarium, valetudinarium, omnique ferè auxilio destitutum benignisimè susceperis, tribuas idem constantiæ ut suscepto foveas. Laborabo interea, quoad ejus fieri poterit, ut nos tuo præsidio non indignos audias, & omnes cognoscant.

(C) D.O.M.

# D. O. M.

## ET ÆTERNÆ MEM. D. JOANN. PIERII VALERIANI EPIGRAMMA.

*Ante alios quos terra dedit, quos Itala virtus,*
*Æterno ſemper dignus honore coli eſt.*
*Nam ſanctæ ſeu mentis opes, ſeu candida puri,*
*Spectes ingenii lumina, primus erat.*

In ejuſdem obitum Epitaph.

*Docte jaces, tua fama viget, tua ſcripta leguntur:*
*Fœlix, qui potuit vivere poſt obitum.*

JOAN. GREGORIUS, Carnutus Pariſ.

AUTHO

# AUTHORIS VITA AB ANTONIO VERDERIO BREVITER ENARRATA.

IOANNES PIERIUS VALERIANUS, Belluni (quæ Marchiæ Tarvisinæ civitas est) patre in bellum profecto natus, amico fuit ab ineunte ætate erga literas animo: sed cùm annum ætatis suæ nonum vix implevisset, parente vita functo domesticarum rerum cura à literarum studio disturbatus potiùs est quàm aversus: eique exigua res domi cùm esset, matre & duabus sine dote superstitionibus sororibus, multarum tantùm solicitudinum per legitimam successionem possessor factus, Patritiis quibusdam Venetis servire per egestatem coactus est. Atque hæc de se ipse testatur omnia, quadam qua vitæ suæ calamitatem luget Elegia:

*Duriter eductus sum primò, dum pater absens*
*Horrida pro patriis finibus arma gerit:*
*Dumque ille Algurdi per culmina militat ardens,*
*Et subit horrendæ sæva pericla necis:*
*Aptus eram studiis. Studium mea sola voluptas:*
*Otia sed studiis nulla fuêre meis.*
*Vix bene finieram nonum tum parvulus annum,*
*Multiplicis cessit quum mihi cura domus.*
*Tractabamque puer non pauca negotia solus,*
*Dum pater Adriacas sæpè frequentat aquas.*
*Adde quòd invisis distentum litibus illum,*
*Illum mi rapuit mors inopina patrem.*

Et paulò post:

*A patruo demum Venetas accitus ad undas,*
*Vix menses nostro viximus ære decem.*
*Patritiis igitur servire coëgit egestas*
*Ærumnosa, bonis invida principiis.*

Et postea:

*At genitrix pauper, geminæ sine dote sorores,*
*Quas miseras frustrà spes fovet una mei,*
*Exposcunt à me fraterni præmia juris,*
*Sed chartas nullas, carmina nulla volunt.*

Ab Urbano demum Valerio patruo suo disciplinis liberali homine dignis institutus, eam eruditionem adeptus est quam quisque ex ejus operibus perspicere potest. Commilitonem habuit qui eodem præceptore usus est Leonem X. Pon. Max. qui erudiendus Urbano Bolzanio Bellunensi non sine delectu traditus est. Urbanus enim vir doctissimus, & literarum Græcarum peritissimus habitus est, in quibus perdiscendis opera Constantini Lascaris usus est, quem Byzantio rediens quò ab Andrea Grittæo postea Venetorum Principe perductus erat, Messanæ offende-

 rat,

rat, reversus in patriam cum se Venetiis recepisset, ibi magna auditorum frequentia Homerum interpretatus est, Institutionesque edidit in linguam Græcam. Ex hac vita functo Venetiis Pierius Valerianus noster præ foribus D. Nicolai magnæ, ut vocant, Domus hanc inscriptionem posuit:

URBANO BOLZANIO BELLUNENSI, MINORITANÆ FAMILIÆ SACERDOTI SUMMÆ INTEGRITATIS, ET INNOCENTIÆ, QUI GRÆCAS LITERAS EXTORRES IAMPRIDEM, ET PROCUL A TERRA ITALA EXULANTES NOBIS SUMMA TUM DOCENDI, TUM SCRIBENDI CURA PRINCEPS ASSERVIT:

PIERIUS VALERIANUS BOLZANIUS EX FRATRE NEPOS, INSTITUTIONIS EDUCATIONISQUE MEMOR POSUIT. VIXIT ANNOS LXXXI, MENSES III. DIES XII. IN VOLUNTARIA PAUPERTATE FELICISSIMUS, IN OMNES QUOAD POTUIT SEMPER OFFICIOSUS, NULLI UMQUAM INJURIUS. M. D. XLV. Mense Aprilis.

Meruit quoque Urbani Nepos Pierius cui Hippolytus Medices princeps Illustrissimus, Cardinalis posteà factus, erudiendus, monendusque traderetur. Hieronymum Donatum & Andream Grittæum Patritios Venetos summa sibi necessitudine devinxit: Baptistæ Egnatio, Marco Antonio Sabellico præceptori, Cælio Calcagnino, Joann. Manardo, Achilli Bocchio, Syncero Sannazario, Romulo Amasæo, Cornelio Musso, & Arnoldo Arlenio, plurimisque aliis viris magna doctrina & eruditione præditis familiaris fuit, ac Petrum Bembum quadam ad Urbanum patruum Epistola amicum suum speciatim appellat. Joannis Petri illi fuit peculiare nomen (ut ipsemet fatetur) priusquam M. Antonius Sabellicus id Venetiis in Pierium immutasset, illudque meritò fecisse videtur Sabellicus, eò quod Petrus Valerianus charus fuit Musis, quæ Pierides dictæ fuêre à Pieri Macedoniæ regione, Æmathia antè dicta. Hæc enim Musarum parens, domusque est, à nemore ita appellata, cui nomen est Pieris: quin & à Pieria Pierius deducitur, unde Pierium carmen dicimus. Virgilium collatis variis codicibus emendavit, cujus in hac re laborem commendat summoperè Ludovicus Vives sub finem libri tertii de tradendis disciplinis. Carminum libros aliquot, Hieroglyphica, sive de sacris Ægyptiorum literis commentarios, Sphæræ compendium, & pro sacerdotum barbis scripsit, cui libello videlicet barbarum defensioni Epistolam ad Andream Alciatum præfecit F. Minutius Calvus Romanus Typographus, qua Castigationum illius in Pandectas meminit, ac de fulminum significationibus, ut ipse testatur Hieroglyphicon lib. 43 Scripsisse fertur, & alia in quæ nondum incidi. Cùm Julius Cæsar Scaliger in Hypercritico omnes Poëtas notet: *Olim* inquit, *Pierii non pauca vidimus, quæ propter temporis longinquitatem nunc excidêre nobis: etiam nescio quid de Carpione & Catullo. Verùm earum scriptionum nihil extat apud nos in præsentia, fortè inter alias congeries, ejus Joathas repertus est à me. Quare de ipso aliquid dicendum etiam arbitror, quem equidem huic subjunxi: quod uterque longè abhorrebat à profanis atque impudicis argumentis. Ille vitia insectando, præmia bonis proponendo, hic exemplo divini illius viri qui pro Jesu nomine mortem cum vita commutare minimè dubitavit. Præsertim cum affixa Poëmati Epistola, & viri Christiani sapiat animum, & eadem dicat quæ Palingenius, sed talibus adornata numeris ac figuris orationis, ut non solùm sapiens, ut ille, sed etiam*

Poëta,

*Poëta, non versificator (quòd neglexit ille) appellari mereatur. In opere autem ipso cum materia tenuis est & jejuna, tum vulgaris. Quare vix capere potest Poëticæ corpus eloquentiæ. Ille autem contrà nititur multis conatibus obruere splendorem orationis, nihilque omittere quod cum simplici Christianaq; veritate inoffensum Poëtæ studium conjungere valeat.* Planè adverto Scaligerum hæc in illum eructasse ne ei innotatus abiret. Cæterùm Pierius postquam tot sui monumenta reliquisset, senio confectus Patavii diem supremum obiit, non sine luctu eruditorum totius Academiæ, & præcipuè Petri Carrarii, & Joann. Baptistæ Carrarii ejus amicorum, qui Tumulum quo reconditum fuit Pierii corpus in Basilica D. Antonii decorarunt hac inscriptione:

# PIERIO VALERIANO.

BELLUNENSI, POETÆ RHETORIQUE AMPLISSIMO, CUJUS PIA UMBRA NON POENITENDUM HIC TUMULUM SORTITA EST: NAM UT OPTABILIS IN PATRIA, ITA SPECIOSUS PATAVII SUPREMI OFFICII DECUS FATO AMISSUM, VIRTUTE RECUPERAVIT. PETRUS CARRARIUS, AC JOANNES BAPTISTA ROTA, PATAVINI UNANIMES GRATO HOSPITI POSU.

*Pieridas dum Pierius sectatur, & Orci*
*Nil timet insidias, hunc fera mors rapuit.*
*Illa necem, æternæ ostentant hæ munera vitæ.*
*Hinc medicus vitæ Pieriusque neci.*
*Abstulit hæc annos tristes: at præmia laudum*
*Atque Animam hæ servant, invida mors moritur.*

# AUTHORES QUORUM TESTIMONIUM IN HIS COMMENTARIIS USUS EST PIERIUS

Aqsinis Rethor.
Absyrtus.
Acron.
Ælianus.
Ægyptii sacerdotes.
Æneas Platonicus.
Æschilus.
Africanus in Georg.
Agriculturæ libri Constant. Imp. 1. scripti.
Albertus Magnus.
Alcinous Platonicus.
Alexander Aphrod.
D.Ambrosius.
Ammianus Marcell.
Anacreon. Teius.
Apollodorus.
Appollonius Rhodius.
Apollonii Rhodii interpres.
Appianus Alexandrinus.
Apulejus.
Aratus.
Arati interpres.
Aristophanes.
Aristophanis interpres.
Aristides Adrianus.
Aristoteles.
Arrianus.
Artemidorus.
Athanasius.
Athenæus.
D.Augustinus.
Ausonius Burdegelansis.
Averroes.
Basilius Magnus.
Beda Venerabilis.
D.Bernhardus.
Biblia sacra.
Boetius Severinus.
Callimachus.
Cassiodorus.
Catullus.
Cebes Thebanus.
Censorinus.
CharisiusSosipater.
D.Chrisostomus.
Cicero.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Pontifex.
Cleomodes.
Colomella.
Cornelius Celsus.
Cornelius Fronto.
Cornelius Tacitus.
Demetrius Triclinius.
Demetrius Phalereus.
Demosthenes.
Didymus.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnassæus.
Diogenianus.
Dion Coccejus historicus.
Dion Persensis Chrysostomus.
Dioscorides.
Ennius.
Erasmus Roterodamus.
Eucherius.
Eripides.
Eusebius.
Eustrathius.
Eutropius.
Festus Pompejus.
Flavius Vospiscus.
Florentinus de re Rustica.
Fortunatus.
Franciscus Petrarcha.
Fulgentius.
Galenus.
A.Gellius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Pont.
Gali Amberagel.
Haliabbes Arabs
Harpocration.
Heliodorus.
Heraclides Ponticus.
Hermes Astronomus.
Hermes Trismegistus.
Hermolaus Byzantius.
Herodotus.
Herodianus.
Hesiodus.
Hesiodi interpres.
Hesichius Hierosolymitanus.
Hesychius Grammaticus.
Hierocles.
D.Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus.
Homeri interpres.
Horatius
Horus Apollo.
Jacobus Zieglerus.
Jamblichus.
Joanues Picus Mirandulanus.

Joan-

Joannes Reuchlin Phorcenſis.
Joannes Scholaſticus.
Joannes Stobæus.
Joannes Scotus.
Joannes Grammaticus Zezes.
Joſephus.
Irenæus.
Iſaacius Zezes.
Julianus Capitolinus.
Julius Firmicus.
Julius Frontinus.
Julius Pollux.
Julius Nypſius.
Juſtinus Hiſtoricus.
Juvenalis.
Lactantius Firmianus.
Lactantius Statii interpres.
Lucas Minoritanus.
Lucianus.
Lucretius.
Lycophron.
Macrobius.
Manethon.
Martialis.
Martianus Capella.
Maximus Tyrius.
Michael Byzantius.
Muſonius.
Nicander.
Nicandri interpres.
Nicephorus.
Nonius Marcellus.
Numenius.
Oppianus.
Origenes Adamantius.
Orpheus.
Ovidius.
Pandectæ Juris.
Papinius Statius.
Paulus Diaconus.
Paulus Juriſconſultus.
Paulus Oroſius.
Pauſanias.
Petronius Arbiter.
Petrus Aponenſis.
Philo Judæus.
Philoſtratus.
Phocylides.
Phurnutus.
Pindarus.
Pindari interpres.
Plato.
Plautus.
Plinius in Naturalibus hiſtoriis.
Plinius junior.
Plotinus.
Plutarchus.
Pontius Paulinus.
Porphyrius Philoſophus.
Porphyrion Grammaticus.
Priſcianus Grammaticus.
Probus Valerius.
Probus Æmilius.
Proclus Lycius.
Procopius.
Propertius.
Prudentius.
Pſellus.
Ptolemæus Alexandrinus.
Quintilianus.
Quintus Curtius.
Quintus Calaber.
Ruffinus Aquilegienſis.
Salomon Trecenſis.
Seneca.
Servius Honoratus.
Sextius Medicus.
Sextus Aurelius hiſtoriographus.
Sibyllini libri.
Sidonius Apollinaris.
Silius Italicus
Solinus.
Sophocles.
Spartianus.
Speuſippus.
Stephanus de Gentibus.
Strabo.
Svetonius.
Simeon Antiochenus.
Syneſius.
Tertullianus.
Themiſtius.
Theocritus.
Theocriti interpres.
Theodorus Gaza.
Theon Arati interpres.
Theophilus Jureconſultus.
Theophylactus.
Theophraſtus.
Divus Thomas Aquinas.
Thucydides.
Tiberius Donatus.
Tibullus.
Titus Livius.
Trogus Pompejus.
Tryphon Grammaticus.
Valerius Flaccus.
Varro.
Vectius Baſſus.
Vegetius.
Veterum varia numiſmata.
Victorius Donatus.
Virgilius.
Vitruvius.
Ulpianus.
Xenophon.
Zenodotus.
Zezes.
Zoroaſtres.

*AUTHORUM QUORUM TESTIMONIIS IN HIEROGLYPHICIS USUS PIERII EST, FINIS.*

LOCO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# LOCORUM QUORUNDAM SACRÆ SCRIPTURÆ, QUÆ HIC PASSIM EXPONUNTUR, INDEX.


## GENESIS.

Cap. III. Insidiaberis calcaneo ejus 745.c
Eodem. Homo ipse tuum observabit caput, & tu illius calcaneum 436.a
6. Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt 709.a.d
9. Anima illius in sanguine est 256.a
23. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Hethior 180.d
35. Reges de lumbis tuis egrediuntur 412.a
46. In concupiscentia sua subnervaverunt 49.d

## EXODI.

Cap. XXVIII. Et fecerunt vestimentum poderem sub umbone, &c. 501.c
33. Posteriora mea videbis, faciem, &c. 266.a.b

## LEVITICI.

Cap. II. Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, &c. 370.c
2. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de similа 409.d
6. Quæcunque illa attigerit, sanctificabitur 426.a
8. Sacrificium pro sacerdotum consecratione, pellices manuum & dexterorum pedum, hostiæ sanguine oblinuntur 434.b.c
8. Azymorum calathus ab Aarone filiis ejus offerendus 470.a
11. Et quicunque morticinia eorum tetigerit, &c. 479.a.b
11. Ut adoretis Talpas & Vespertiliones 300.b
15. Vertantur in lapides donec pertranseat populus tuus Domine 620.c.d
17. Ubi monemur sanguinem non esse comedendum. 256.a
19. Manus ejus offerant hostiam Domino 422.d
21. Non radent caput, neque barbam 389.b
22. Si fractum, si cicatricem habeat 90.b
Si non poterit manus ejus invenire 431.a
23. Septem diebus comedetis azyma 444.d
23. Animam quæ peccaverit, offerre donum similam cum oleo 660.c.d
23. Panes duo primitiarum dicti ex duabus decimis similæ fermentatæ 470.a.b
23. Salices de torrente sumi præcipiuntur 655.d
27. Omnis æstimatio sicli, &c. 238.d
27. De consecratione, præsertim Aaronis 400.a
28. Ad imas tunicæ fimbrias aurea cur tintinnabula, malaque punica 596.a
Pontifex humeros primum præcingi jubetur, mox logium assumere 520.c

## DEUTERONOMII.

Cap. VIII. De Dipsade, ubi terrificam illam describit solitudinem 198.c
12. Ubi sanguinem hostiarum pro anima esse, monet Moses 255.d
17. Quique rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi Equos 50.b
21. Si mulierem quis ex hostico viderit, ut uxorem ducere concupiscat 337.d
23. Locum habebis extra castra, &c. gerens paxillum in baltheo 164.c
23. Pro mensura peccati erit & plagarũ modus 464.c
32. Comedit Jacob, & impletus est, & recalcitravit. 43.c
32. Funiculus hæreditatis suæ Israël 451.a
32. Sanguinem uvæ biberunt 668.b
33. Tauri decor ejus 43.c
33. Qui appropinquant pedibus ejus, de doctrina ejus, &c. 433.c
33. Et sanguinem uvæ biberunt meracissimum 668.b

## JUDICUM.

Cap. VI. Si ros in solo vellere fuerit, & rogo ut solum vellus siccum sit 477.c
5. Curvatis genibus biberunt 70.b


REGUM.

REGUM.

1. Reg. 5. Arca Domini juxta locata, noctu fractum, dissiliisse, maneq; deorsum &c. 390. d
1. Reg. 24. Canem mortuum persequeris. 94. c
1. Reg. 28. Mulierem quæ Pythonem habebat, sibi fisti cupit Saul. 177. c
2. Reg. 9. Ecquis ego sum servus tuus, &c. 64. c. 535. c.
2. Regum 22. Ascendit fumus de naribus ejus. 399. a
3. Reg 12. Minimus digitus meus compactior est lumbis patris mei 412. a
3. Reg. 1. Ponite filium meum Salomonem in Mulam. 148. c. d
4. Reg. 4. Mors in olla est. 651. d
4. Reg. 6. Elisæus vidit auxiliares equites in monte. 47. c. d

JOB.

C. III. Si non exventre matris meæ dux illis fui. 419. c
17. Manus Domini tetigit me. 426. d
38. De cujus utero egressa est glacies? 420. b. c
39. Quis demittit Asinum liberum? 143. d
30. Num derelinquet ova sua in terra, ut quæ pulvis, &c. de Herodio. 207. d
Numquid insapientia tua plumescit accipiter. ibid.
Struthio in terra relinquit ova sua, &c. 298. c. d

PSALMORUM.

Psal. 1. Tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. &c. 678. a
Hic arbori similis est ad aquæ rivum satæ. 759. c
7. Caligo sub pedibus ejus. 478. c
8. Videbo cœlos tuos. opera digitorum tuorum. 439. a
10. Palpebræ ejus interrogant filios hominum. 394. c
17. Deus posuit tenebris latibulum suum. 347. b. c.
18. Pes meus stetit in via recta. 434. b
20. Quoniam pones eos deorsum. 390. d
21. Ego sum vermis, & non homo. 94. b
21. Circumdederunt me Canes multi. 68. a
22. Circum dederunt me Vituli multi, Tauri pingues. &c. 43. b
26. Ne repellas me. 281. a. b
26. Delinquentis hominis brachium conteritur. 431. a
28. Dominus diluvium inhabitare facit. 481. d
29. Vox Domini quæ Cervos perficit. 86. c
31. Nolite fieri sicut Equus & Mulus. 50. c. 148. a
32. Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina. 695. a.
36. Homines & jumenta salvabis Domine. 117. d
38. Tabescere fecisti quasi aranea animam meam. 224. b
39. Ecce commensurabiles posuisti dies meos. 446. d
39. Servasti me ne deciderem in lacum. 482. b
40. In idumeam extendam calceamentum meum. 509. b
41. Abyssus abyssum invocat. 482. a
44. Eructavit cor meum verbum bonum. 407. a
44. Cum nobis aderas, inimicos nostros cornu petebamus. 43. a
49. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas. &c. 403. b
50. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. 758. d
57. Furor eorum par est anguium furori. 173. a
27. Alienati sunt peccatores ab utero, in eis secundum similitudinem. 174. a
58. Convertentur ad vesperam, & fame conficientur ut Canes. 64. b. c
50. Moab lebes spei meæ. 699. c
63. Tenuisti manum dexteram tuam. 428. c. d
63. Super oves pascuæ tua. 470. d
64. Quoniam calix in manu Domini. 701. a
65. Igne nos examinasti, &c. 586. d
66. Imposuisti homines super capita nostra. 434. b
67. Et virtus ejus in nubibus. 479. a
67. Congregatio Taurorum in vaccis populorum. 39. a. 43. c
97. Extimula feras ex arundineto. 711. c
68. Lingua canum tuorum hostium, &c. 59. a
69. Fiat mensa eorum in laqueum. 470. d
70. Quasi prodigium factus sum multis. 239. c
70. Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. 423. a
72. Pene effusi sunt gressus mei. 697. b
73 Mei pene moti sunt pedes. 433. a
73. Tu confringes caput Draconis in aquis. 184. c
77. Ego confirmavi columnas ejus. 928. a. b
77. Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. 668. c
77. Exacerbaverunt Altissimum in inaquoso. 476. a
77. Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis. 451. a
78. Deum exquisivi manibus meis nocte coram eo. 422. c
79. Exterminavit eam Aper de silva. 105 c
80. Vastavit vineam tuam, Domine, Sus silvestris. 102. b.
80. Manus ejus ad cophinum servierunt. 699. c. d
81. Educto de petra melle saturavit eos. 479. c
81. Et erit tempus eorum in seculum. 169. b
83. Invenit Turtur nidum, ubi poneret pullos suos. 267. b. c
83. Invenit sibi Passer domum. 249. c
83. Deus meus pone eos ut rotam. 490. d
90. Anni nostri quasi aranea reputantur. 324. b
91. Sicut

91. Sicut cedrus Libani multiplicabitur, Et confringet Deus cedros Libani. 638.c
92. Senectus mea in oleo pingui. 663.c
101. Factus sum sicut Nycticorax in domicilio. 247.c
102. Renovabitur ut Aquilæ juventus tua. 232.d
103. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam urentem. 745.a
104. Inter montes transibunt aquæ, potabunt eas omnes bestiæ agri. 479.b
103. Herodii domus dux eorum. 207.c
107. Deserta reddidit flumina, & aquarum fluxus in sitim transmutavit. 480.a
109. Ex utero ante luciferum genui te. 420.b
109. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. 425.c
113. Jordanis conversus retrorsum. 370.d
115. Calicem Salutaris accipiam. 701.a.b
115. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. 734.c
117. Labores manuum tuarum comedes. 430.b
124. Erepta anima nostra sicut Passer de laqueo, &c. 749.c
125. Sicut torrens in Austro. 480.c
126. Sicut sagittæ in manu potentis. 526.d
130. Impiorum concisæ cervices. 390.a
134. Educit nubes ab extremo terræ, fulgura vertit in pluviam. 553.b.c
136. In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra. 655.c
128. Semitam meam & funiculum meum investigasti. 451.a.b
146. Et pullis Corvorum invocantibus eum alimenta subministrat Deus. 280.a

PROVERBIORUM.

Cap. I. Fili mi, audi doctrinam patris, &c. 223.a
5. Non respicies ad mulierem meretricem: favus enim distillans, &c. 313.d
6. Vade ad Formicam ô piger, &c. 89.c
7. Donec transfigat sagitta jecur. 402.b. 90.c
7. Quasi bos ductus ad victimam. 38.d
30. Lepusculi plebs invalida 153.d
30. Effodiunt eum Corvi de torrente. 281.a
30. Lepusculus sapientibus sapientior. 155.c
30. Cervus amicitiæ, & gratiarum pullus fabulentur tecum. 86.d

ECCLESIASTES.

Cap. IX. Melior est Canis vivus, Leone mortuo. 63.d
21 Florebit amygdalus, & pingue fiet locusta, &c. 648.b
21. Et dissipetur capparis. 649.a

CANTICORUM.

Cap. I. & IV. Oculi tui Columbarum. 337.a
Cap. I. Osculetur me osculo oris sui. 738.d
2. Vox Turturis audita est in terra nostra. 268.a
2. Capite nobis Vulpes parvas, quæ demoliuntur vineas. 157.b
5. Frutruelis meus albus & rubicundus. 503.b
5. Similis es tu fratruelis meus damulæ, aut hinnulo Cervorum. 86.d
5. Comæ tuæ junctæ canalibus. 747.c
7. Statura tua similis facta est palmæ. 634.a

SAPIENTIÆ.

Ca. XII. Misisti antecessores exercitus tui vespas. 318.b
12. Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. 414.b.c

ECCLESIASTICI.

Cap. VI. Cavendum ne animos, veluti Taurus, extollamus. 43.b.c
10. Si momorderit Serpens in silentio. 177.b

ESAIÆ.

Cap. I. Caupones tui miscent vinum aquæ. 478.d
Quomodo facta est meretrix civitas fidelis. 153.d
2. Projiciet idola & cut adoraret Talpas & Vespertiliones. 160.b
Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem. 478.c
Mandatum est nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Soreth. ibid.
De Seraphim duabus, qui senis singuli alis prædili, &c. 377.c.
Erit cubile Draconum, & pascua Struthionum. 298.c
38. Sicut pullus Hirundinis, sic clamabo. 269.a.b
40. Quis mensus est pugillo aquas? 447.d
55. Venite, emite absque argento & absque commutatione vinum & lac. 315.b

HIEREMIÆ.

Cap. IV. Ventrem meum ventrem meum doleo. 420.b.c
5. Vos igitur non timebitis me, qui posui aream terminum maris. 424.a.b
8. Turtur & Hirundo & Ciconia custodierunt tempus adventus sui. 267.c
17. Clamavit Perdix, congregavit quæ non peperit. 294.c
48. Fugite ab occursu gladii, quem Columba vibrabit. 263.

EZECHIELIS.

Cap. XIII. Væ iis qui assuunt cervicalia sub omni cubito manuum. 448.c

26. Et catena circa collum tuum. 511.b
Et imposui tibi armillas circa manus tuas. 518.d. 519.a
17. Aquila grandis magnarum alarum. 235. b.c
32. Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campos implebis, &c. 575.b.c
34. Et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. 295.c
37. Aperiam sepulturas vestras, & educam vos de Babylone. 482.b
47. Joseph duplicem funiculum habet. 451.a

OSEÆ.

Cap. VII. Corda eorum sicut clibanus incaluerunt. 409.c.

MICHEÆ.

Cap. VII. Tu peccata nostra in profundum mare demerges. 367.b

ABACUC.

Cap. III. Quia ascendes super Equos tuos. 45.d. 47.d
3. Ubi dicit, in aquas salsas armentum à Deo inducendam. 476.c
3. Fluminum terra scindetur. 480.a
3. Venter meus turbatus est in me. 420.b
3. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 421.b
2. Boves non assistunt ad præsepia. 470.c.d

SOPHONIÆ.

Cap. I. Extendam manum meam super Judam, & super habitantes Israel. 426.d

ZACHARIÆ.

Cap. IX. Ecce Rex tuus veniet tibi. 141.a

MATTHÆI.

Cap. VI. Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. 746.d
6. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra. ibid. d
10. De calceamentis pedibus non inducendis interpretatio. 707. d
10. Qui non habuerit odio animam suam, perdet eam. 747.a
13. Simile est regnum cœlorũ reti misso in mare. 374.a
15. Non decet panem filiorum dare Canibus. 68.a
15. Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestrum? 478.a
17. De juvene lunatico, qui nonnunquam in ignem, nonnunquam in aquam, &c. 559.a
17. Si quis habeat fidem quantum est granum sinapis. 712.c.d
19. Facilig est camelũ per foramen acus intrare. 550.d
23 Camelum deglutiunt. & Culicem liquant. ibid.
24. Ubi fuerit cadaver, illic & Aquilæ congregabuntur. 233.a
24. Orate, ne fuga vestra fiat in hyeme vel sabbatho. 478.c.d
26. Tristis est anima mea usq; ad mortem. 247. a

MARCI.

Cap. X. Calix quem ego bibo. 701.a

LUCÆ.

Cap. XXIV. Pisces assos comest. 374.a

JOANNIS.

Cap. VIII. Ni lavero te, non habebis partem mecum. 745.c
12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. 734.a

ACT. APOST.

Cap. II. Dispertitæ linguæ tanquam ignis. 493.b.c
5. Illi autem ibant à conspectu concilii, quod digni habiti essent qui pro, &c. 464.a.b

D. PAULI AD ROM.

Cap. II. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. 407.a

AD CORINTH.

1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 690.c.d

AD COLOSS.

2. Coloss. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. 734. a

AD EPHES.

Cap. IV. Sol non occidat super iram vestram. 699. b

AD PHILIP.

Cap. I. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. 738.d
3. Cavete Canes, cavete malos operarios. 58.c
4. State in Domino. 70.b

AD HEBRÆOS.

Cap. VII. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obvius ei factus est Melchisedech. 412.a
11. Circumierunt in melotis. 677. d

APOCAL.

Cap. XVI. Et vidi de ore Draconis spiritus tres immundos in Ranarum similitudinem. 355. a
17. Aquæ quas vidisti, super quas meretrix illa sedet. 480. a.

INDICIS LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ FINIS.

# RERUM QUÆ SEXAGINTA HIS LIBRIS SEU COMMENTARIIS CONTINENTUR, ANALYTICUS INDEX.


LIB. I.
LEO.

MAgnanimitas pag. 1
Animi corporisque vires. 2
Robur.
Vigilantia custodiaque 3
Terrificus.
Dominator.
Summa calliditas ingenii. 4
Homo qui vel suam vel alienam ferocitatem edomuerit.
Furor indomitus. 5
Remedium in febrem nactus. 6
Super igne solicitus. 7
Religiosa formido. 8
Inundatio.
Semel tantum enixa 9
Clementia.
Castigatio. 10
Vindicta.
Regium Augurium.
Annus mensesque. 11
Crapula.
Meretrix.
Taciturnitas. 12
Cyziceni.
Herculanus leo.
Virtus. 13
Vires cedere Sapientiæ & Eloquentiæ. 13.14
Luna. 14
Sol
Terra.
Animi domitor. 15
Christus homo Deus.
Justitiæ cultus.
Natorum obsequium erga parentes. 16
Agricultura.
Mixta quid.
Ferocitate posita assumpta mansuetudo.
Amoris petulantia. 17
Oratoriæ tres partes,
Sacrorum initia.
Leones Tarvisini quid.
Sphynges quid.

LIB. II.
ELEPHAS.

SUis viribus pollens. 18
Rex. 19
Cæsar. 20
Africa.
Legio V.
Oriens.
Munificentia, 21
Temperantia.
Æquitas
Declinator insaniæ.
Vaniloquentia evitata. 22
Rex vilium affectator.
Meticulosus.
Longo tempore quid effectum. 23
Victus provisio,
Concordiæ discordiæque effectus.
Stupor. 24
Pietas.
Mansuetudo.
Ira lacessita. 25
RHINOCEROS.
Iracundia ex tarditate ferocior.
Rex potens imbecillioris artificio petitus. 26
Robustus.

LIB. III
TAURUS, BOS.

TEmperantia. 28
Modestia.
Petulantiæ frænum. 30
Obtutus amatorius.
Bonorum obsequium.
Proles mascula, & fœminea. 31
Auditus promptus.
Neptunus. 32
Fluvii. 33
Tonitrus.
Lætitia. 34
Annonæ felicitas & penuria.
Terra frugifera.
Opis imploratio.
Frugum opulentia. 35
Justitia.
Pecunia.
Vocalis prima. 36
Italia. 37
Civis oppressus à peregrino.
Opus & labor.
Fructus ex laboribus. 38
Absurda res.
Judæi.
Apostoli. 23.
Pastores Eccl.
Vitiosus.
Podagrosus. 24
A laboribus quies.


Buce-

Bucephali. 40
Jupiter.
Diana.
Pallas.
Bacchus. 41
Bithonis robur.
Velocitas negotiorum.
Diserta proles.
Occultum consilium. 42
Victoria.
Lucas Evangelista.
Mansuetudo.
Ferocitas evitanda. 43

LIB. IV.

EQUUS. 44

BEllum.
Pugnacitas.
Vespæ. 45
Celeritas.
Sol. 46
Humanæ vitæ lubricitas.
Fama.
Profugus.
Frænata ferocitas. 47
Imperium. 48
A laboribus quies.
Italia.
Mauritania. 49
Mauri feroces.
Eq. victoria.
Syracusani.
Tarentini.
Sagittarii Sen. Orientales. 50
Secundi Theodosiani.
Constantia.
Immoderatus impetus.
Nequitia in temperantiã versa.
Ratio & cupiditas. 51
Superbia, pertinacia, cespitatio, Insolentia.
Meretricia procacitas. 52
Profanus. 54
Authoritas.
Fabii contatoris virtutes. 55
Animi despensio.
Difficultas.
Ceres.
Quibus Diis equi sacri. 56

LIB. V.

CANIS. 57

SAcrarum literarum professor.
Propheta. 58
Custodia.
Dii lares. 59
Arbiter Geniusve. 60
Vespillo.
Gratus animus.
Memoria.
Fides.
Amicitia.
Philosophia communicata. 61
Anubis.
Orizon.
Diana.
Saturnus. 62
Princeps.
Miles.
Menapii. 63
Tertiodecimani.
Obsequium.
Adulator & scurra. 64
Fames.
Despicatus.
Fuga.
Cladis præsagium. 65
Victoriæ præsagium.
Impurus amator.
Lienis vitia.
Olfactus.
Risus. 66
Levitas in moribus.
Cultus canis.
Canes quibus diis sacri.
Impudentia.
Juniores petulantes.

LIB. VI.

CYNOCEPHALUS. 68

LUna. 69
Lunæ ortus.
Æquinoctia. 70
Quies. 71
Literæ.
Brutorum cultus apud Ægyptos.
Lunde. 72
Sacerdos.
Circumcisio.
Cordis aperta simplicitas. 73
Iracundia.
Arcana tegenda. 74
Ingenii acumen.
Divina in occulto.
Urinator.
Orbis terrarum. 75

SIMIA.

Hæres invisus.
Homo nihili ac nequam.
Vitiorum dissimulator. 76
Impudentia.
Petulantia.
Febris medela. 77
Sui admirator.

LIB. VII.

CERVUS. 78

AB adulatoribus pessundatus.
Præcipitantia. 80
Pravitas edomita.
Fugacitas. 81
Interquiescens.
Formido.
Vehemens appetentia. 82
Formido sublata. 83
Auditus & surditas.
Mulierosus.
Lasciviæ pœnitentia.
De repulsa pudor. 84
Armorum apparatus sine corde irritus.
Actæon. 85
Vivacitas.
Vir undecumque perfectus. 86
Ferocitas in timiditatem versa. 87.
Speciosæ fortunæ inconstantia.
Dignitas Sacrosancta.

LIB. VIII.

FORMICA 88

INvestigatio. 89
Providentia.

Labor indefessus. 89
Pietas.
Inæqualitas.
Opulentia.
Multitudo infesta.
Interitus. 91
Auditorum frequentia.
Inanis gloria.
Depopulatio.
Incolumitas.
Latebræ.
SCARABEUS.
Solis operum similitudo.
Mundus. 93
Generatio.
Unigenitus.
Deus in humano corpore.
Vir, paterve. 94
Bellator strenuus.
Sol.
Luna.
Mercurius.
Febris lethalis à sole.
Virtus enervata deliciis.
ECHINUS *terrestris*. 96
Opportunitatis captator.
Contra pericula munitus. 97
Procrastinationis damna.

LIB. IX.

SUS.

PErnicies. 98
Sensus maxime brutus.
Vaniloquentia. 99
Vis animi labefactata.
Sophistæ.
Alienus à bonis moribus.
Distinctio.
Cogitatio.
Profanus. 100
Nabuchodonosor.
Indocilitas.
Stupidi tardive. 101
Deliciæ luxuriosæ.
Ganea. 102
Ciborum varietate satiatur.
Salacitas & Æstas. 103
Annorum certus numerus. 105
Latro. 91
Impetus.
Æstas & hyems. 106
Venus.
Adonis. 91
Chaos.
Porci cultus. 107
Militaris ordo.
Jovii. 92
Honoriani.
Agricola.
Delirii piaculum. 108
Sacrificium. 93
Sacramentum.
Nuptialia. 109
Terra Junove. 94
Humana hostia.

95

LIB. X.

CAPRA. 112

AUdiendi promptitudo.
Consternatio multitudinis.
Pro vitibus sacrum.
Universa mundi machina. 113
Libido.
Febris. 114
Augusti Genesi.
Meretrix.
Nequitiæ facinorositas.
Diabolus. 115
Petulantia domita.
Adulteræ conjugis maritus. 116
ORYX.
Mathematicus.
Sobrietas. 117
OVIS.
Stultitia.
Doctor virtutis.
Innocentia. 118
Mansuetudo.
Opulentia.
Felicitas. 119
Muliebre officium.
Fœcunditas. 120
Pecunia.
Phthiriasis. 121
Discordia.
ARIES.
Ferocitas.
Bellum. 122
Rivalitas.
Venus.
Vetulipeta procus. 123
Salubritas.
Custodia.
Hammon.
Decussatio. 124
Principium anni.

LIB. XI.

LUPUS. 125

APollo. 126
Mars.
Raptor. 127
Improbitas meretricia.
Formidator inanium.
Indemnis fuga.
Tutus receptus. 128
Abortus.
Ab infortuniis potentior.
Impatiens famis. 129
Properantia.
Anceps consilii.
Veneficiorum amuletum.
Peregrinus. 130
Macedo. 131
Salii.
Augurium mortis.
Pestilentia.
Prosperitas.
HYÆNA.
Victus hostis.
Victor hostis.
Morum instabilitas. 132
Adversæ fortunæ domitor.
Larvarum lacessitor.
PANTHERA. 133
Speciosior atque validior à deteriore superatus.
Improbitas.
Dissimulator ingenii.
Ebriositas.

Morum

Morum varietas. 134
TIGRIS.
Sol.
Ferocia emollita.
Ultio.
Pernicitas. 135
Amor in filios.
Muficæ hoſtis.
LYNX.
Acutiſſimus obtutus. 136
URSUS.
Profectus cum ætate.
Ex inedia macies.
Mores occulti. 137
Virago.
Puellaris ætas.
Providentia.
Ira.
Imbecillus Princeps. 138
URUS.
Captivitatis impatiens.

LIB. XII.

ASINUS. 139
IGnarus hominum locorumque. 139
Petulantia. 140
Imprudentia.
Populus Judaicus. 141
A Deo & ſacris alienus.
Egregium principium cito deſtitutum. 142
Stoliditatis ludibrium.
Indocilitas.
Irriſio.
Sophiſtarum nugæ. 143
Adulatorum illecebræ.
Ignavia.
Eremita.
Mulier male morigera. 144
Prægnantiæ diſſimulatrix.
Solſtitium vel tempus annuum.
Vir frugi, uxor prodiga.
Paterfamiliâs. Parcus. Familia prodiga.
Bonum omen. 145
Vinitor.
Ochus rex.
Labor indefeſſus atque ſervilis.
MULUS. 147
Nothus.
Alienus ab amore.
Sterilitas.
Matronarum impudicitia. 148
Inexpectati eventus.
Voluptaria Venus. 149
Mutua officia.
CAMELUS.
Imperitus diſceptator.
Crura femoraque concidua. 150
Fortis.
Opulentus.
Zelotypia. 151
Reverentia in matres.
Tractabilitas.
Cibi potusque abſtinentia. 152

LIB. XIII.

LEPUS. 153
VIgilantia.
Auditus.
Effœminatio. 154
Trepidatio.
Venuſtas.
Fœcunditas. 155
Solitudinarius.
Contentio laudis.
Hiſpania. 156
Terjungi milites.
Valentianenſes.
VULPES.
Calliditas doloſa. 157
Mala cogitatio.
Magnus conatus cum dolo. 158
Ratiocinatio.
Munimentum.
FIBER.
Petulantiæ ſupplicium. 159
Atri feſtique dies.
TALPA.
Cæcitas.
Auditus è longinquo. 160
Præſagium.
MUSTELA. 160
Aruſpex.
Infortunium. 147
Virago.
MUS. 161
Detrimentum.
Optio.
Imbecillitas.
Amatoriæ deliciæ. 149
Intaminata munditia. 161
Argivi.
FELIS.
Imploratio. 163
Luna.
Ortus & obitus rerum. 164
Muliebris ſalacitas.
Diſſimulator turpitudinis.
Auguſtei.
Felices ſeniores. 165
Alpini.

LIB. XIV.

SERPENS. 1
MAchina. 166
Juventuti redditus. 168
Tempus.
Calamitas. 169
Mundi moles.
Annus.
Æolus.
BASILISCUS. 170
Æternitas.
Calumniis afflictus. 171
Oculi divum.
Spiritus.
Æoli pilæ.
Succeſſus voti.
Sacerdotium Sacroſanctum.
Oris vis.
Furor implacabilis.
Contumacia. 159
VIPERA 173
Uxor inimica marito.
Filii conſpirantes in matrem.
Abortus. 174
Vulnus amatorium.

Syrtes

Syrtes anguipedes 175
Faunus anguis. 176
Sensus à voluntate, mens à sensu decepta.
Sensus denique.
Malus dæmon. 177
Delectatio.
Libidinis antidotum. 178
Petulantiæ finis.
Voluptas maturè extincta.
Araxa meretrix. 179
Continentia.
Calliditas.

LIB. XV.

SERPENS. 11.180
IMperator.
Oscus. 181
Juno domina.
Juno conservatrix.
Orbis dominium.
Impp. duo.
Provinciæ princeps. 182
Rex optimus.
Rex tutelaris.
Heros.
Epaminondas. 183
Amplitudo nominis.
Dominium.
Asia. 184
Præfectus militum.
Cohortes.
Seniores Menapes. 185
Cortonenses.
Thaipsali.
Præfecti fabricæ.
Sagunnenses.
Bianenses.
Honoriani juniores.
Marcomani.
Curatii juniores. 186
Maurialites.
Fabricæ.
Defensores.
Sexta Parthica.
Anglevarii.
Cornuti.
Falconarii. 186
Vindices.
Sagittarii nervi.
Batavi. 187
Macromani juniores.
Macromani seniores.
Atecoti juniores
Excultatores.
Brachiati.
CADUCEUS.
Genesis. 188
Minæ paxque.
Terra.
Concordia.
Pax.
Felicitas. 189
Eloquentia.
Sapientia.
Vera disciplina.

LIB. XVI.

ÆSCULAPIUS. 190
HOspitalitatis jura. 191
Servator.
Salus.
Prudentia. 192
Pernicies.
Gigantes. 193
Horrificium.
Vastitas. 194
Volumen.
Trophonius.
Boreas.
SCORPIUS.
Hostium cædes mutua.
Doli fallaciæque.
Innocua pravitas. 195
Libido.
Terra.
Africa.
SALAMANDRA.
Ab igne circumfuso non offensus. 196
Constantia.
Amator.
Amoris nutrimentum.
Hirpi.
Corruptor omnium. 197
DISPAS.
Siticulosi tas. 198
Appetentia.
MEDUSA. 199
Terror.
Prudentia.
Stupor & admiratio.
Prudentia.
HYDRA. 200
Sophistæ.
Invidia.
Edomitum à virtute vitium.

LIB. XVII.

CICONIA. 203
PIetas.
Impietati prælata pietas. 204
MEROPS.
CUCUPHA.
Gratus Animus.
Vernum tempus.
Munimentum ab insidiis.
Medicina. 206
Vigiliæ speculationesque.
Militaris disciplina.
Hostis profligatus.
Irrisio. 207
Deus.
Animus divinis intentus.
Voluptatum & malorum affectuum dissipatio. 207
Animus ad humilia delapsus.
IBIS. 209
Ægyptus.
Cor.
Salubritas.
Malum ex bonis initiis subsecutum. 210
Inefficacia voti.
Vocalis prima.
DAGNIS. 211
Ebrietas.
GRUS.
Custodia.
Democratia.

Pru-

Prudentia. 212
Sublimium rerum indagator.
Perseverantissimi mores.
Ordinis observator.
Laboris tolerantia.
Feracitas.
Ver & Hyems.
MILVIUS.
Vernum tempus.
Locuples.
Rapacitas.
Navigatio.

LIB. XVIII.
VULTUR.
ANus.
Annorum centena. 216
Mater sive naturæ genus. 217
Miseratio. 218
Justitia. 219
Designatio.
Terminus.
Præsagitura.
Hæredipeta. 220
Funus.
Peregrinus.
Concupiscentia.
Livor. 221
Divina providentia.
Consummatio.
Pallas & Juno.
Ars & ingenium. 222
Ignis duplex. 223
Drachmæ duæ, sive cor. 224

LIB. XIX.
AQUILA.
RErum prosperitas.
Imperatoria majestas. 228
Apotheosis. 229
Rex pius & misericors. 230
Benignitas.
Relata gratia.
Convitiorum contemptor.
Paterna difficultas. 231
Solitudo regni.
Pernicios potentia.
Eruditus impurus.
Malus dæmon. 232
Princeps sibi tantum studens.
Præ fame moriens.
Juventus renovata.
Apostoli. 233
Ingenium velox.
Nilus.
Alta cogitatio. 234
Divus Joannes.
Statuta firmiter sedes. 235
Terrarum dominatio.
Aquilarum insignia quædam.
Terrarum umbilicus. 236
Lacedæmonii.
Clearchus. 215
Herculiani juniores. 215
Herculiani seniores. 216
Joviniani juniores & seniores. 217
Quartodecimani. 218 237

LIB. XX.
PHOENIX.
INstauratio. 238
Absentia diuturna. 239
Sol.
Præstantia.
PELECANUS.
Insipientia. 240
Pietas & amor in filios.
Miseratio. 241
Solitudo. 222
VULPANSER.
Filius.
NOCTUA.
Minerva.
Sapientia.
Vanæ sapientiæ studium. 226
Noctuarum numismata quædam. 243
Victoria.
Pecuniæ.
Mors.
Mutua hostium detrimenta. 244
Abstemius.
Patrocinium frustra imploratum 245.
Tyrannus.
Hypocrita.
Christi humilitas. 245
CORNIX. 246
Concordia.
Corona urbs.
Garrulitas.
Tabellarii fides. 247
Prosperitas vitæ.
Juvenilis sagacitas senili experientiæ præposita.
Inquietudo. 248
Hyems.
PASSER.
Annuum vitæ tempus.
Prolifica salubritas. 249
Sirenes.
Petulantia pernicios.
Eloquentia.

LIB. XXI.
ACCIPITER. 250
SOl.
Deus. 251
Sublimitas.
Humilitas.
Animus.
Mars & Venus. 252
Rapina.
Filiorum abdicatio.
Vita vitalis. 253
Ægritudine conflictatus.
Anima.
Prudentia. 254
Temperantia. 255
Fortitudo.
Justitia.
Sanguis.
Victoria gloriave. 256
Victoria perpetua. 257
Celeritas. 258
Aër.
Animus.
Sacerdotium.

LIB. XXII.
COLUMBA. 260
PErseverantis continentiæ vidua.

Correctio, 261
Illecebræ amatoriæ.
Charitas.
Aër. 262
Impius & ingratus.
Castitas. 263
Semiramis procacitas.
Regium auspicium.
A se minime iracundus. 264
Trepidatio.
Salubritas.
Medicina petita à Diis.
Animorum fœtura felicitas. 265
TURTUR. 266
Continentissima viduitas. 267
Pudicitia.
Providentia.
Saltatio.
Intellectus æthereus. 268
HIRUNDO.
Æqualitas.
Institutio.
Architectura.
Patrimonium.
Imploratio auxilii. 269
Amicus inutilis.
Vernum tempus.
Garrulitas.
Luctus & querimonia. 270
Peregrinatio. 271
Resipiscentia.

LIB. XXIII.

OLOR. 272

Senex musicus.
Poëta. 273
Municipibus suis injurius.
Animi candor. 274
Gloriæ calcar.
Musica.
Apollo fidicen.
Orpheus. 275
Navigatio secunda.
LUSCINIA.
Musica.
Germinatio. 276
Lucubrationes.

PSITTACUS.
Eloquentia.
PICA.
Garrulitas.
Simulatio.
LARUS.
Expectatione frustratus.
CEPPHUS.
Fatuus.
GRYPHS.
Apollo.
Nasones.
CORVUS.
Filiorum exhæredator.
Imbres.
Discordia militaris.
Emansor.
Ignominiosa repulsa.
Rhethor.
Apollo.
Sitis.
Impostura.

LIB. XXIV.

PAVO.

Juno.
Divitiarum turpitudo.
Divitiæ vicissitudinariæ.
Nox.
Dies.
Glorioſus.
Prodigus.
Concordia.
Fœminarum consecratio.
GALLINA.
Tribas.
Divitiarum flagellator.
Perditio rerum.
Fœcunditas.
Salubritas.
Securitas.
GALLUS.
Tiberii Imperatoris nequitia.
Puritas animi.
Apollo.
Excubiæ.
Prophetæ doctoresve.
Pugnacitas.
Persæ milites. 289
Suesani.
277 Victoria.
Vinearum incolumitas.
Impietas. 290
GALLINAGO.
278 Benevolus.
ANSER.
Custodia.
279 Silentium opportunum. 291
Improbitas.
Detrimentum.
Accusator inanis.
280 Suos tantum curans. 292
PERDIX.
Amator turpissimus.
281 Immoderata nequitia.
Præcox profectus 293
Reditus in viam.
282 Rei familiaris concordia.
Astutia in evitandis periculis vaferrima.
Contumeliosus. 294
Astutia prava.
COTURNIX.
283 Impuritas.
284 Perditissima malignitas. 295

LIB. XXV.

285 STRUTHIOCAMELUS. 297
Justitia.
Pinnæ in mœnibus.
Elementorum concordia. 298
Multivorus.
286 Hæreticus.
Hypocrita.
Insipientia.
VESPERTILIO. 299
Ab exilii fortuna in altum
287 evectus.
Officia mutua.
Nutricationis facultas.
Lucifuga.
Mora. 300
288 Justitia.
Securitas.
Impuræ mentis homo.

OTIS. 301
Imbecillus fortiori assurgens.
Nil altum sapiens.
Contumax.
ALCEDO.
Tranquillitas.
Justitia.
Consuetudinis raræ homo. 302
CURUCA.
Alieni filii pro suis educati.
CUCULUS.
Minima quaque de re timidus.
Transmutatus. 303
Pulicum defectus.
Juno.
Nuptiæ. 304
Vernum tempus.
CAPRICEPS.
Agelastos.
UPUPA.
Feracitatis præcognitio.
Ebrietatis remedium. 305
FLORUS.
Ferox à mansueto superatus.
SALUS.
Injuriarum ultio.
Necessitudinis aversator. 306
ARDEA.
Exanguis de nequitia redditus.
Tempestas.
CINNAMUS.
Aromatarius.
VELIA.
Studiosus otii.
ASIO. 307
Ignobilitas.
Mimus.
Cornuti.
JYNX.
Dicacitas.
Incantatio.
Vehemens cupiditas. 308
CAPRIMULGUS.
Pernicioſa consuetudo.
TURDUS.
Suis artibus elusus.
Surditas.
ERYTHACUS. 309
Solitudinarius.
CINCLUS.
Pauperrimus.
Cingani.
Advena.

LIB. XXVI

APIS.
POpulus regi suo obsequens. 310.
Rex.
Regnum. 311
Grata eloquentia.
Poëticæ amœnitas. 312
Futuri seculi beatitudo.
Dulcium appetitus.
Diuturnæ valetudinis prospe-
ritas. 313
Meretrix.
Exoticæ disciplinæ.
De vitæ dulcedine amarities. 314.
Fuga popularis.
Obortus in mœstitia lepos.
Prophetarum oracula.
Concordia. 315
Castitas.
Adulator.
Ultio.
Artificium.
Solstitium. 316
CULEX.
Acoris avidus.
Animi afflictio. 317
Dialectica.
COSSI.
Agmen.
FUCUS.
Alieni laboris fructus.
VESPA. 318
Pernicies summota.
Pugnacitas.
Imperfecti mores civiles.
Perturbator. 319
MUSCA.
Importunitas ac impudentia.
Pertinacia. 320
Res gesta cominus.
Indocilitas.
Cynici. 322
EPHEMERUS.
Unius diei vita.
CICADA.
Initiatus sacris 322
Dicacitatis Castigatio.
Vana garrulitas.
Nobilitas generis. 323
Musica.
ARANEUS. 324
Inane opus.
Pluvia.
Legum inæqualitas.
Dialectica.
TIPPULA. 325
Levitas.

LIB. XXVII.

DELPHINUS. 326
INcolumitas.
Taras.
Bacchus. 327
Apollo Delphicus.
Periculorum fuga.
Imperium maris.
Velocitas. 328
Cita navigatio.
Maturitas. 316
Amor in simpliciorem ætatem.
Gratus animus. 329
Nequitia.
Adulatorum infidelitas.
Gibberosi.
Impuri amoris satietas.
POLYPUS. 330
Rei familiaris acumulator.
Omnium abliguritor.
Victoria uti nescius 331
Tyrannus.
Moribus aliorum accommoda-
tus.
CHAMÆLEON. 332
Versipellis.

TARANDA. 333
Mentis attonitæ consternatio.
Poësis.
Discessio subita.
Amoris firmitas. 334
Hyemale solstitium.

LIB. XXVIII.

TESTUDO. 335
IN potentioris ditionem redactus. 336
Fortunarum contemptus.
Virginum custodia.
Munimentum.
Mors difficilis. 337
Segnities.
Mordacitas.
Peloponnesii.
CANCER.
Coi seu Chiorum Respub.
Spei frustrator.
Inconstantia. 338
Sophista.
Sophistarum oppressio.
Arcana revelata.
Inquilinus.
Magna incepta irrita. 339
PINNA.
Alienæ opis indigus.
Ab ineunte ætate libidinosus.
OSTREA.
Humanum genus.
LOCUSTA. 340
Seditiosus.
Temperantia.
Fames.
Pedes. 341
COCHLEA.
Terrennis addictus.
SEPIA.
Pulchra incœpta turpiter cedentia.
Thetis.
Simulationum involucris obtectus.
Mendacium. 342
Improbitas.
Literæ.
Viri amor in mulierem infidam.
Tempestas.
PURPURA.
Maledicus. 343
De gula multatus.
Uno exanimatus ictu.
Secessus.
ECHINUS.
Difficilis atque morosus.
Judiciorum severitas. 344
Navigatio tuta.
Macilentia.
Instauratio.
CONCHYLIUM.
Lachrymæ.

LIB. XXIX.

CROCODILUS. 345
DEus.
Ortus. 346
Occasus. 347
Tenebræ funestumve.
Pernicies.
Salacitas. 348
Furor.
Latrocinium.
Helluo.
Ab ignobili genere ad clar. evectus.
Invictus. 349
Ægyptus.
EQUUS FLUVIATILIS.
Impietas.
Pietas impietati præferenda.
Improbitas edomita. 350
Virtuti cedit improbitas.
Horæ.
PHOCAS. 351
Somniculosus.
Infortunii magni tutela.
Venator.
MURÆNA.
Alienigenarum procus.
Mores conjugis ferendi.
Adulterium.
Sævitia occulta. 352
ANGVILLA.
Sibi soli natus.
Memoria post obitum extincta.
Profanus.
Impatiens alieni cœli. 353
Fugientia sine spe sequi.
Spes certa re superambigua.
Per discordias civium locupletatus.
RANA.
Imperfectus.
Inverecundus. 354
Curiositas.
Longo post tempore progrediens.
Sophista.
Dæmones. 355
Poëtæ.
Silentium.
Rusticitas.

LIB. XXX.

TORPEDO. 356
MUltorum assertor.
REMORA. 357
Impedimentum.
Salus.
Pariundi facilitas.
ANTHIAS. 358
Securitas periculis libera. 359
Securitas otiosa.
CEPHALUS.
Jejunus.
Vitandi periculi solertia.
SCARUS. 360
Prudens captivitatis declinator
Ingluviosus.
MULLUS.
Diana Lucina.
SARGUS.
Alieni laboris fructus.
PASTINACA. 361
Parricidæ supplicium.
NEBRIAS.
Voracitas insatiabilis.
FUCA.
Rei domesticæ studiosus.
RAJA.
Captator.

SCOLO-

SCOLOPENDRA. 361
Animus à vitiis depurgatus.
PHOLIS. 362
Parto furens.
SQUATINA.
Faber lignarius.
CLUPEA.
Lunare corpus.
APUA.
Festinantia.
HIRUDO. 363
Sanguinarius.
Insatiabilitas.
LEPUS MARINUS.
Minima de causa exanimatus.
Damna mutua.
SPONGIA.
Bibaciſſimus. 364
Abolitus.
Mollities.
GLANIS.
Paterna diligentia in filiis educandis.
SILURUS.
THUNNUS. 365
Limi oculi.

LIB. XXXI.
PISCIS.
PRophanum. 366
Duæ mortalium conditiones.
urificatio. 367
Damnum & utilitas.
Silentium.
Humanæ vitæ conditio. 368
Odium.
Divinorum ab humanis separatio. 369
Nequitia. 370
Amicitia firma. 371
A musis & gratiis alienus.
Ganea. 372
Animæ. 373
Innocentia.
Dæmones improbi. 374
Gentes.
Ignorantia.
Aquæ.
Facelitis.
Decreto.

LIB. XXXII.
CAPUT. 377
PRincipium.
Divinitas.
Dominium. 378
Mundi moles.
Locupletatio. 379
Lucrum.
Salus.
Doctrina imperiove præstantes.
Prosperitas. 380
Divina providentia.
Musa.
Terror. 381
Adversarius.
Roma.
BICIPITIUM.
Custodia.
Dii manes.
Animadversio severa.
Prudentia. 382
Annus iniens.
Saturni beneficia.
Inconstantia.
Bene consultorum stabilitas. 383
TRICIPITIUM.
Gecyones.
Hispania.
Luna mensisve.
Auxiliares.
Sol. 384
Jupiter æquus.
Diana.
QUADRIFRONS.
Quatuor anni qualitates.
Jani IV. Filiæ. 385
Quinqueceps Manasses.
Septiceps.
Multiscius.
COMA.
Servitus. 386
Libertas.
Molles.
CAPUT SEMICRINITUM. 387
Osiridis peregrinatio.
Marium interitus.
Fœminarum interitus.
Solis viæ.
Senectus misera.
Jactura.
Superflua summota.
Virtutis decor. 388
CANITIES.
Senectus.
Deus Pater.
BARBA.
Vir. Virilitas.
Orta senescere. 389
Imperitia.
CERVIX. 390
Superbia.
Ferocitas.
Audacia.
Submissio.
DORSUM.
Fuga.
HUMERI. 391
Vires.

LIB. XXXIII.
OCULI.
JUstitia. 392
Moderator.
Solis vis. 393
Custos.
Deus.
Angeli. 394
Sermo.
Contemptor divûm.
Favor.
Cassus lumine.
Libidinosus. 395
Præstantia.
Vita morsque.
Meteora 396
Jovis prudentia.
Severitas. 367
Hilaritas.
Luctus.
Juno.

Numerosa proles. 397
Orbitas.
Securitas.
Cœcitas.
Æquum domininum. 398
Sapientia.

NASUS.

Sagacitas.
Mors. 399

AURES.

Servitus.
Longa servitus.
Amplitudo familiæ.
Lucrum.
Contemplatio.
Obedientia. 400
Contumax.
Calumniator.
Futurum opus, vel quid agendum. 401
Docilitas.
Indocilitas.

LINGUA.

Mercurius. 402
Disciplinæ.
Somnus.
Silentium. 403

GUSTUS.

OS ET DENTES. 404
Detrimentum.
Verecundia. 405
Amolitio.
Horoscopus.

LIB. XXXIV.

COR.

VIri probi sermo. 406
Consilium. 407
Vita.
Nili diluvium.
Ægyptus 408
Ardens oratio.
Cœlum.

CLIBANUS. 409
Conscientia igne examinata.
Sacrorum arcana.

SARTAGO. 410
Resipiscentia.

CRATICULA.

Pœnitentia
Ira.
Conditorium. 411
Concordia.

SPINA DORSI.

Titillatio.
Temperantia. 412

PUDENDA. 413
Magnanimitas.
Formidolosus & imbellis. 414
Innocentia crimen.
Erga parentes ingrati.
Cœli fœcunditas. 415
Mercurius, vel efficax sermo.
Inveterata nequitia.
Sermo inanis.
Proventus. 416
Continentia.
Venus verecunda.
Extincta libido.
Cœleste rerum omnium promptuarium. 417
Sol.

UMBILICUS.

Patria.
Medium. 418
Finis.
Castimonia & concupiscent. 419.

VENTER.

Principium.
Mare.
Insatiabilitas.
Humana delicta. 420

PELLIS.

Vexatio.
Mors. 421
Scorta
Castra, vel bellicus apparatus.

LIB. XXXV.

MANUS. 422

OPus.
Innocentia. 423
Authoritas.
Ignavia.
Furacitas.
Plausus. 424
Impedimentum.
Libertas.
Venus genetrix. 425.
Liberalitas.
Ver, Hyems, Sol.
Officia mutua. 426
Opem ferre.
Flagellum.
Pietas. 427
Supplex.
Captivitas.
Pacific r.
Restitutor.
Salutatio.
Adoratio. 428
Consensus.
Fœdus.
Fides.
Felicitas. 429
Judex. 430
Dei vis.
Proventus.
Vincula.
Spes irrita.
Ministerium.
Avaritia. 431
Sermo.
Dialectica. 432
Eloquentia.
Preces.

PEDES.

Irritum.
Vacillatio. 433
Fundamentum.
Purificator.
Dives avarus.
Servitus. 434
Triumphator.
Via.
Solstitium hyemale.
Voluptarii affectus.
Finis. 435
Iniquitas.
Aggressio.
Regressus.
Ignavia vel requies.

CALCANEUS. 436
Sententia præpostera.
Terminus.

GE-

GENUA.
Impedimentum.
Misericordia.
Humilitas. 437
Proclivis ad vitia.
Levati parientium labores.

LIB. XXXVI.
DIGITI, *seu de digitorum mensuris.* 438
ALmus Spiritus.
Prophetæ. 439
Meditatio vel ultio.
Lasciva mollities.
Societas.
Furiæ Orestæ. 440
*Pollex.* Pacificatio.
Favor.
Truculentia.
Robur.
Inutilis bello. 441
*Index.* Silentium.
Ex patientia voluptas.
*Medius.* Stochmachus. 442
Infamia.
Cor.
*Anularis.* Conjugium. 443
Vinculum.
Servitus.
Venia.
*Auricula.* Frequens iteratio. 444
Spiritus Sanctus.
Perfectio.
Humanæ vitæ cursus.
Dimensio.
Digiti mensura.
Uncia. 445
Sextans. 446
Palmus.
Doron.
Vitæ brevitas.
Dochme. 447
Spithame.
Deus.
Vita brevis.
Pes.
Cubitus. 448
Temperantia.
Delicfosus.
Gradus.
Passus. 449
Orgyia.
Ulna.
Decempeda.
Actus.
Jugerum.
Stadium.
Plethrum. 450
Diaulus.
Hippicum.
Milliarium.
Dolichus.
Parasanga.
Schœnus.
Hereditaria portio forsve. 451
Vitæ progressus.
Stathmus.

LIB. XXXVII.
DIGITI, *seu de digitorum numeris.* 452
NUmeri varii. 453
Unitas. 456
Centum.
II. Corpus, vel immunditia.
Ducenta.
III. Anima, densve. 457
CCC.
CCCLXV.
IV. CCCC.
V. Sensus. 458
Quingenta.
VI. Sexecnta.
VII. Septingenta.
Centurio. 459
Signum centurionis 7.
Deus.
Pallas.
VIII. Octingenta.
IX. Novies centena.
Multitudo.
Dena. 460
XI. XII. &c. 461
XVI. Voluptas.
Excessus. 462
XX. Vita.
Multitudo. 463
Duo millia.
XXX. Nuptiæ.
Terna millia.
XL. Ignominia. 464
Redemptio.
Quaterna millia. 465
L. Remissio, vel indulgentia.
Effœtus.
Plurimi.
Quina millia. 466
Viduitas.
Septuaginta septena millia. 467
Octoginta octona millia.
Adoratio.
Nonaginta novem millia.
Taciturnitas.

LIB. XXXVIII.
LITERÆ ÆGYPTIACÆ. 469
INstitutio.
Sacer scriba. 471
Perfectæ vir sapientiæ.
Terminus, metave.
Humanæ disciplinæ. 472
Divinæ disciplinæ.
Encyclopædia.
Dialectica. 473
Philosophia naturalis 474
Theologia.
Trias.
Meteora. 475
Mathematicæ artes.
Institutio.
Doctrina gentium. 476
Doctrina cœlestis.
Aquæ reliquæ.
*Nubes.* Prophetæ.
*Fontes.* Libri 479
*Fluvii.* Christus.
*Torrens.* Eloquentia. 480
Vis in dicendo vel agendo.
*Mare.* Perditio. 481
Hostilis impetus.
*Diluvium.* Ærumnæ.
*Abyssus.* Afflictiones graviss. 482

*Fossæ.*

*Fossa.* Calamitas ingens. 482
*Aquæ.* Clades & ærumna gravisſ.
*Limpidæ.* Doctrina perſpicua.
*Puteus.* Doctrina morum.

LIB. XXXIX.

ISIS. 484
Quadriennium.
Luna.
Materia & forma.
Principium. 485

CIRCULUS.
Æternum & perpetuum.
Deus.
Adoratio. 486
Perfectio.
Annus.
Poematis genus. 487
Contrarietas.
Sumptus publici & privati.
Figura Sphærica.
Æternitas.
Cœlum. 488
Fortuna.
Orbis terrarum. 489
Mutabilitas.

ROTA.
Deorum rotæ. 490
Inferorum rotæ.
Aqua Trajana.
Vitæ noſtræ progreſſus.
Theologia
Imperitorum præcipitium.

QUADRATUM. 491
Annus ſolaris.
Sapientia.
Mercurius.
Juris.
Vir probus.
Clari viri. 492
Muliebris ſtatura.
Roma vetus.

META. 493
Finis.

TRIANGULUS. 494
Trinitas rerum.

CUBUS.
Divinitas, Juſtitia. 495
Minerva.
Humanitas.
Morum diſſolutio.
Correctio.
*Scalenus.* Dæmonum natura. 496

LIB. XL.

PILEUS. 497
Nobilitas.
Libertas.
Liberatores patriæ. 498
Servilis improbitas
Theodoſiani primi, ſecundi, tertii
Triplex libertas.
Flamines. 499
Hippocrates.
Forma pilei.

INDUMENTA. 500
Romanus civis.
Civilis vir.
Pax.
Bellum.
Plebecula. 501
Ilithyia.
Poderes.
Pudicitia.
Albatæ. 502
Veſtales virgines.
Libertas.
Modeſtia.
Leges, vetus & nova.
Stola.
Baptiſmus.

VESTES ATRATÆ. 503
Socerdotes Ægyptii.
Ceres.
Falacralis flamen.
Ærumnoſus.
Mappa.
Paludamentum. 504
Rubicunda.
Læna.
Verſicoloris. 505
Lintea.
Fides lubrica.
Fidei creditum. 506
Prætexta.
Palmata & toga picta. 507
Pudor.
Manipularis.
Penula.
Zona.
Vincula jugalia. 508
Puerperium.
Temperantia.

PERA.
Hieremiæ cingulum.
Puritas. 508
Fatum.
Caſtimonia.
Profectus orationis.

CALCEUS.
Rerum progreſſus. 509

LIB. XLI.

BULLA. 510
Corde præſtandum.
Conſilium. 511
Veritas.
Invidiæ amuletum.
Glorioſus. 512
Humana fragilitas.

ANULUS.
Fides.
Cor.
Ignavia honorata. 513
Nobilitas.

DIADEMA.
Regia poteſtas.
Victoria. 514

TITULUS.
Sacerdos.
Regia claritas. 515
Pallas.
Proteus.
Veritas. 516
Inſignium cauſæ.
Animaliũ curandorum cauſa.
Leges.
Hilaritas. 517
Cornua. Muri.
Vires. 518

SCEPTRUM.
Regnum.

TORQUES, PHALERÆ.
Virtus ſolida. 519

Opera

Opera laudabilia.
ARMILLÆ.
ADAMAS.
Fortitudo.
Vir inexpugnabilis.
Litatio.
SAPPHIRUS.
Imperium, aut summum sacerdotium.
Cœlum decimum.
SMARAGDUS.
Virginitas.
JASPIS.
Gratia.
Venustas.
UNIONES.
Lachrymæ.
AMETHYTUS.
Sobrietas.
PECTEN.
Venus.
SPECULUM.
Exploratio.
Falsum.
Hymnus.

LIB. XLII.

ARMA.
Jus in armis.
Muliebris virtus.
Mars ultor.
Bellum indictum.
ARCUS, SAGITTÆ, PHARETRA.
Tumultus.
Solares radii.
Cor & consilium.
Vulnera amoris.
Amor.
Pœnitere
Cœlum.
Velocitas.
Contrarietas.
Fracta belli ferocia.
Persæ.
Pestilentia.
Damnatio
HASTA.
Sapientiæ vis.
Fama.
Hostis infensissimus.
Offensionis illatæ pœnitentia.
Summus honor.
Strenuus.
Bellum.
Summa Imperii.
Conjunctio maritalis.
Dii,
Dii penates.
Dii Tutelares.
FRAMEA.
Mors.
SCUTA, PELTÆ, ANCILIA.
Strenuus.
Salus.
Sapientia.
Armenica prima & secunda.
Menapii.
Vesontes.
Pavitatio.
Defensio.
Deditio.
Initium pugnæ.
Plausus.
Honores.
Lacones.
Messenii.
Morositas.
Signa equis impressa.
Nefastus.
Salii
GLADIUS.
Crudelitas.
Scelus.
Ochus Persarum rex.
Verba.
Periculosus.
Justitia.
Irritatio.
Nullius frugis opus.
Cæsar.
Pontifex.
Spiritus sibi redditus.
Mors.
Imperium.
SECURIS.
Lydiæ Rex.
Romani consules.
Animadversio.
Memoria duratura.
FALX.
Agricultura.
Castigatio.
SERRA.
Maledicentia.
Anceps pugna.
Subsidium.
GALEA.
Principia occulta.
Roma.
Thelesilla.
Pericles.
THORAX.
PUGIO. CASTRA.

LIB. XLIII.

SELLA *Seu sedes.*
PErennitas.
Æternitas.
Vesta.
Divus.
Securitas.
Congiarium.
Æditumus.
Consultatio.
Cessatio.
Opis imploratio.
Ædilis curulis.
CURRUS.
Triumphus.
Ampliator imperii.
Maritima victoria.
Imperium.
Nuptiæ.
Terra.
Batti navigatio.
Circenses.
Auriga cœlestis.
Divina majestas.
FULMEN.
Jupiter.
Fama longe lateque propagata.
Celeritas.

Eloquentiæ vis.
Clementia.

LIB. XLIV.

SOL.

DEus Opt. Max.
Unitas.
Veritas.
Christus.
Resipiscens.
Claritas.
Imperii Majestas summa.
Humana vita.
Annus.
Græci.
Pater, mater, liberi.
Prægnantia.

LUNA.

Natura humana.
Piorum cœtus.
Æternitas.
Mensis.
Ægyptus.
Sophistæ.
Insipientia.
Persæ.
Nobilitas.

STELLÆ.

Universi Deus
Pan.
Celebritas.
Prosperitas.
Fatum.
Sirius stella.
Spiritus cœlestes.
Tempus.
Exploratio.
Custodia.
Anima.
Morbus gravis.
Crepusculum.

LIB. XLV.

NAVIS.

ADventus, vel migratio.
Felicitas.
Salus.
Christianæ pietatis successus.
Sospitamentum.
Manifesta oppugnatio.
Occulta oppugnatio.
Lunæ vectatio.
Navigationis authores.
Victoria navalis.

ANCHORA.

Maturandum.
Tutela & refugium.
Stabilimentum.
Interpres.
Frænum.
Seleuci genus.
Possessio.

TEMO.

Regimen.
Fortuna.
Inconstantia.
Fortuna redux.

RETIA.

Silentium.
Persuasio.
Insidiæ.
Desolatio.

HAMUS.

Deceptio.

TRIDENS.

Aperta vis.

LIB. XLVI.

URNÆ NILI.

AGricultura.
Nilus.

LUCERNA.

Vita animusque
Animâ sponte non exturbandâ.
Liberorum propagatio.
Homo.
Vita divina.
Insigne augustale.
Doctores.
Splendor nominis.
Mortes duæ.
Pietas.
Perditio.
Bellum.
Signa militaria.
Umbræ.
Mulieris amor.
Lucubratio.

FACES.

Amor.
Amor mutuus.
Amatores mortui.
Nuptiæ.
Ceres.
Ilithyia.

THURIBULUM.

PHIALA.

Discordia.
Puritas.
Vesta.
Nuptialia, vel puritas maritalis.
Ærumnæ.
Necessitas.
Vita.
Conjugii commoda.
Majoris luminis violentia.
Numen.
Tentamentum.

FUMUS.

Ignis.
Perditio.
Solicitudines.
Bona voluntas per errorem offuscata.
Imperitia.

LIB. XLVII.

LYRA.

COncordia.
Judicium compositum.
Inæqualium concordia.
Bona disciplina.
Ratio.
Matrimonium concors.
Musica.
Pomponius Musa.
Amor.
Animus sedatus.
Humana vita.
Lyræ forma.

FISTULA.

Resipiscentia.
Adulatio.

TU-

TUBA. 595
Celebritas.
Erigendæ mentis signum.
TIBIÆ.
Sensus.
Sacrorum tempus.
TYMPANUM. 596
TINTINNABULUM.
LITERÆ SEPTEM.
Musa.
Musæ cum Apolline. 597
A.B.Γ.Δ. Pentalpha. 598. 599
Infinitum.
Principium & finis. 600
Fatum.
LIBER.
Antiquitas.

---

LIB. XLVIII.

INCUS.
DUrandum.
Terra & aqua. 602
MALLEUS. 603
Malorum irritamentum.
SISTRUM.
Rerum vicissitudo.
TRIDENS.
Mare.
Trœzenii.
Mantinea. 604
Legio vigesima.
ARATRUM.
Demolitio.
Agricultura.
FLAGELLUM. 605
Augustus mensis.
Imperium.
Tolerantia.
FRÆNUM. 606
Rex.
Temperantia.
Turbo puerilis.
Vehemens mentis agitatio.
COLUS ET FUSUS.
Fatum.
Nuptiæ. 607
Paulatim quid effectum.
Mors. 608

LAQVEUS.
Amor.
Venus.
Diana.
Diana strangulata.
Firmitas.
Junonius. 609
Fortitudo & Temperantia.
Minerva Arcadica.
Semen in utero.
Artificiosum opus. 610
Nequitia.
Venator.
Annona.
Dei occulti. 611
CATENA.
Aperta vis.
Vitia.
Conjugium. 612
JUGUM.
Par copula.
Subjugatio.
Servitus. 613
Leges.
Patientia.
Jupiter. 614
CLAVUS.
Sistere & firmare.
Sospitamentum.
Annus. 615
CUNEUS.
Dissolutio.
UNCUS.
PLUMBUM.
Hebetudo.
Iniquitas. 616
VECTIS.
Ars naturæ victrix.
CLAVIS.
Pudor.
Securitas.
Portunus. 617
Partus. 618

---

LIB. XLIX.

LAPIS.
PErpetuitas.
Firmitas fœderum. 619
Firma prosperitas.
Pietatis nostræ stabilitas.
Christus.
Pravarum cogitationum excussio. 620
Sensuum expers.
MOLA. 621
Humanæ vitæ commercia.
ARÆ. ÆDES. JANI.
Dei sapientia.
Pietas.
Profugium. 622
Miseratio.
XII. Jani Coloniæ. 623
Terra.
Mundus.
Dii omnes.
Janus.
Mensarii. 624
Pax, Bellum.
Providentia.
Salus. Juno. Divus.
Subdiales ædes.
Doricæ.
Corinthiacæ.
Jonicæ. 625
COLUMNÆ.
Terminus.
Gloriæ sublimitas.
Obelisci. 626
Heroës.
Christi victoria.
Pro patria occisi.
Claritas ex Poëtarum scriptis.
Telesilla.
Isocrates. 27
Apollo Agyieus. 628
Victoria de Persis.
Caryatarum opprobrium.
Bellum.
Securitas.
Firmitas.
Muliebres columnæ.
Virginales columnæ.
Calathus Cereris.
MUTULI.
Atlas. 629
PERPENDICULUM.
Ædificatio, vel Positum.

Rectus tenor. 629
CARDO.
Authoritas, vel rei summa.
Cardinales Sacerdotes.

LIB. L.
PALMA. 630
ANnus & mensis. 631
Temporis Diuturnitas.
Æqualitas.
Justitia. 632
Sol.
Victoria.
Judæa.
Jactura. 633
Nuptiæ.
Innocentia. 634
Piorum vita.
LAURUS. 635
Vaticinium. 636
Custodia.
Poëtica vis.
Authoritas Imp. & triumphalis honos.
Purgamentum. 637
Victoria.
Jurgiosus. 638
Remedium.
CEDRUS.
Excellens.
MYRTUS.
Genius & voluptas.
Venus. 639
Ovatio.
Hilaritas.
Arma bellica.
Amoris vulnera. 640
Ganymedes.
Papyrii victoria.

LIB. LI.
QVERCUS. 641
CIvium servator,
Amuletum. 642
Virtus.
Fortitudo.
Diuturnitas.
Imperium firmum.
Osiris. 643
Principatus
Feritas.
Obscœnitas.
Ira delinita.
HEDERA. 644
Nocumentum absconditum.
Bacchus.
Tenacitas.
Assertor.
Baccheia suppellex. 645
Poëta.
Vetustas. 646
Furor poëticus.
SMILAX.
Funestum. 647
AMIGDALA.
Juventus. 648
Senectus.
Continentiæ fructus.
NUX JUGLANS.
Nuptiæ.
CAPPARIS.

LIB. LII.
CUPRESSUS.
POllutus morte locus. 650
Sepulchra nobilitatis.
Mors.
Dis. 651
Juno.
Orpheus.
Pulchritudo sine fruge.
Perpetuitas.
PINUS.
Mors.
Isthmia. 652
Natura.
Cybele.
Æsculapius.
POPULUS.
Funus. 653
Tempus.
APIUM.
Nemeus victor.
Luctus.
MYRTUS. 654
SALIX.
Vinculum.
Castitas.
Sterilitas. 655
Otium.
Præmaturum incrementum.
MORUS. 656
Prudentia.
CAPRIFICUS.
Temperantia.
Juno.
LOTUS. 657
Ortus solis.
Vestalium initia.
Dei adventus.
Mundi moles plena Deo.

LIB. LIII.
OLEA. 658. 659
PAx. 659
Durities emollita.
Agricultura.
Felicitas. 660
Condonatio.
Eleemosyna. 661
Supplicatio.
Mansuetudo. 665
Æternitas.
Gymnasium.
Nitores.
Victoria. 663
Pinguedo.
Hilaritas.
Spes.
Frugalitas. 664
VITIS.
Lætitia.
Acerbitas. 665
Hilaritas.
Libertas. 666
Felicitas. 667
Labor.
Titillatio. 668
Sanguis.
Feracitas.
Piorum conventus. 669
FICUS.
Dulcedo.
Suavitas sublata.

Fatui-

Fatuitas. 671
Contemptibilis.
Bacchus Sycites.
Progreſſio.
Septentrio. 672
Genitale.
Delectatio.
Folia reliqua.
Alimonia. 673
Adulatoribus deditus.
Dulcedo veritatis.
Cyrenenſium pietas.

LIB. LIV.

MALUS, *arbor.* 674
AMor.
Amoris progreſſus.
Amor mutuus. 676
Amor perditus.
Iniquus amor.
Puellares ineptiæ. 677
Venus.
Nemeſis.
Sacrum Herculis.
Apollo.
Tres Herculis virtutes 678
Aſtra & Sol.
Veri amoris fructus.
PERSICUM MALUM. 679.
Acutus.
In alieno cœlo melior.
Silentium. 680
Cor.
Cædes multiplex.
Curæ variæ.
Bona cito labentia.
MALUM PUNICUM. 681.
Populoſitas.
Juno.
Pœni.
Multorum gentium ſocietas.
Nævus. 682
Simulator.
Vitium emendatum.
Amicitia.

LIB. LV.

ROSA.
IMbecillitas humana. 683
Bonum malo circumſpectum. 685.
Bonum de malo deligere, vel Bonum malo circumſeptum.
VEPRES.
Scelera.
Odium.
Aſperitas.
Perturbationes & anxietates.
Divitiarum curæ. 686
Gratia.
LILIUM. 688
Chriſtus. Angeli.
Pulchritudo. 689
Pudicitia.
Juno.
CARDUUS SCOLYMUS.
Imbecillitas humana. 690
Morbi.
AMARANTHUS.
Inoffenſa valetudo.
FERULA. 691
Caſtigatio ingenua.

LIB. LVI.

SPICA. 692.693
CEres.
Annona.
Africa.
Braccati milites.
Proventus. 694
Æſtas, & frugum inventor.
Meſſis.
Tempus.
Agricultura.
Fratres Arvales.
Sacerdotes Arvorum.
Pax.
Dianæ triclariæ ſacrum. 695
LOLIUM.
Pravi mores.
MILIUM.
Innumera.

MODIUS.
Frugum opulentia. 696
Aqua.
Canopus.
Non ceſſandum ignaviter.
Dialectica. 697
Animus.
Perſvaſibilitas. 698
Libidines.
Humani affectus.
Inanis animus. 699
Sermo.
Obliteranda mali memoria.
Ferenda majorum difficultas.
Servitia.
Amicitiæ conſervatio.
Concordia. 700
Clementia.
Liberalitas.
Ubertas.
Supplicium capitale. 701
Sapientia.
CORNUCOPIÆ.
Liberaliſſima benignitas.
Hilaritas. 702
Fortuna amatoria.
Pocula.
Clemens animus. 703
Artes & diſciplinæ inanes.
Vera fœcunditas.

LIB. LVII.

PAPYRUS. 705
PArvo contentus.
Victus.
Antiqua progenies. 707
Sacerdotium.
FABA. 708
Improfanabile Numen.
Funus luctuſve.
Nequitiæ frænum.
Negotia publica declinanda.
Caſtimonia. 709
CICER. 710
Cicero.
Incolumitas.
Aries.
Munificentia.

ARVNDO.
Literæ.
Sagittæ.
Resipiscens.
Fragilitas.
Calamitas.
Inanitas.
Mensura.
Surditas.
SINAPI.
Fœcunditas.
Intellectus efficacia.
Firmitas doctrinæ.
Expergefactio.
Sublimium appetitor.

LIB. LVIII.
CÆPE.
LUna.
Profana.
Lachrymæ.
Per inimicitias illustratus.
ALLIUM.
Militia.
RAPUM.
Sol.
FUNGUS.
Repente quid & insperato factũ.
Fatuitas.
CUCURBITA.
Spes inanes.
Salubritas.
PAPAVER.
Ceres.
Justitia.
Venus.
Amor.
Gentes.
Capita.
VERBENA.
Capita deorum.
Divi præcursoris caput.
Nova nupta.
FILIX.
Volatus.
Securitas.
Odia capitalia.
ABSYNTHIVM.
Salutifera castigatio.
Sacerdotium.
Sanitas.
HYSSOPVS.
Elutio.
ASPARAGVS.
Ex asperitates suavitas.
Cito confectum.
CAPPARIS.
MANDRAGORA.
Somniculosus.
Amatorium.
Lætitia.
BVLBI.
Nuptiæ.
CICVTA.
Castimonia.
Supplicium.
RVTA.
Castimonia.
CONIZA.
Abligurítor.
Amatæ rei desertor.
HELIOTROPIVM & SELENOTROPIUM.
Terrenorum cum cœlestibus temperatura.
LVPINVS.
Suis viribus pollens.
Horæ.
NICTERIVM.
BLITTUM.
Fatuus & insulsus.
BETA.
Mollities.
CAPILLUS VENERIS.
Ebriositas remedium.
APIASTRVM.
Populus lege coercitus.
BRASSICA.
Interturbata lætitia.

*HIEROGLYPHICORUM*
*Joannis Pier. Valer. Finis.*

ADDITAMENTI
LIB. I.
ENEPH, *Ægyptiorum Deus.*
Creator & creatio mundi.
PAN, *Arcadiæ Deus, vel* SATYRI, & FAUNI.
Universum, vel mundus.
Indigena vel nobilis.
Sermo.
MVNDVS.
Homo incurvus globum ferens.
SOL.
Juvenis in navi per Crocodilum vecta.
OSIRIS.
Solis & Lunæ conjunctio.
LVNA.
Homo accipitrina facie, &c.
PLVTO.
Occulta consilia.
Inferior vel minor potestas.
SILENVS.
Spiritualis motus.
VULCANUS.
Ignis.
HERCVLES.
Eloquentia.
Rationis cum appetitu pugna.
Ingenium vel intelligentiæ vis.
PROMETHEVS.
Artes & ingenium, vel artium inventores.
Grata accepti beneficii memoria.
Delicti pœna, vel ultio divina.
MERCVRIVS.
Oratio, vel eloquentia.
Velocior sensus, vel intellectus agens.
Firmitas & gravitas orationis.
Mercator, mercatura, lucrum.
Fur & Fallax.
Hydrargyron.
TALARIA.
Velocitas.
CADVCEVS.
Potestas & vis fati.
Concordia.
ARCVS.
Mundi machina.
ENDYMION.

Piorum

Piorum obitus.
PACIFICATOR. 739
FAVOR.
REPULSA.
FIDIUS. 740
SOMNUS.
HONOS & VIRTUS. 741
HECATE.
Luna.
PROSERPINA. 743
Seminum virtus & generatio.
DIONYSIUS.
Promiscua gignendi virtus plantarum.
JUNO. 744
Quatuor elementa.
Tempestatis mutatio & arcana.
Spes fallax.
EUROPA. 744
Animæ hominis in corpore status.
DIANA.
Rerum mutatio.
DIANÆ.
Animi pulchritudo & cœlestium bonorum copia.
PANDORA. 745
EVRIDICE.
Appetitus.
CYBELE. 746
Agricultura, victoria populorũ.
CHARITES.
GORGONES. 747
Animæ tres in homine.
VIRGO *capillis erectis, & abscissis.*
Hominis natura.
Imbecillitas & mors.
ASTRÆA. 748
Justitiæ pictura.

ADDITAMENTI
LIB. II.
SERPENS. 749
Anima & corpus.
CERBERVS.
Tres cœli regiones.
Triplex Dei potestas.
Tres naturales necessitates. 750
FELIS.
Libertatis appetentia.
VITULUS.
Concupiscendi vis.
CAPRICORNUS.
Mors, vel defunctorum animæ.
Secunda fortuna.
CANCER. 751
Ortus hominis, vel vita.
AQVILA.
Divini numinis præsentia.
CRATER *cœlestis.*
Oblivio.
LYRA.
Auditus.
ARCUS. 752
Acuti dolores.
NODUS.
Necessitas.
CATENA *aurea Homerica.*
Connexio rerum humanarum cum divinis.
Divinæ providentiæ vis.
Solis vis. 753
Sacrarum rerum cognitio.
Musæ earumque afflatus.
NUMERUS *quinarius & quaternarius.*
Mercurius & artium inventores.
PENTAGONUM.
Salus.
PYRAMIS. 754
Rerum natura, vel Materia prima.
Anima hominis.
Ignis. 755
CVBVS.
Terra.
OCTAEDRVM.
Aer.
ISOCAEDRVM. 756
Aqua.
VER.
ÆSTAS.
AVTVMNVS. 757
HYEMS.
PAPAVER.
Civitas.
IRIS *herba.*
Eloquentia.
HIACYNTHVS. 758
Sapientia.
NARCISSVS *flos.*
Corporis forma.
HYSSOPVS.
Expiatio peccatorum.
MYRTVS. 759
Gratia.
SALIX.
Hæreditas.
Corpora nostra.
CEDRVS. *sive* CITRUS.
Misericordia vel pietas.
PALMA.
Homo.
Judæa. 760

FINIS.

# INDEX ALPHABETICUS BIPERTITUS.

## PRIOR, CAPITUM TOTIUS OPERIS, QUÆ tum à Pierio Valeriano LVIII. Libris, tum ab Anonymo duobus postremis prolixe explicantur.


A.

Byssus. pag. 482
Absynthium. 720
Accipiter. 250
Adamas. 519
Ædes. 621
Æsculapius. 190 652
Æstas. 756
Alcedo. 301
Allium. 716
Amaranthus. 690
Amethystus. 522
Amygdala. 646
Anchora. 571
Ancilia. 531
Anguillæ. 345
Anser. 290
Anthias. 358
Anulus. 512
Apiastrum. 728
Apis. 309
Apium. 653
Apua. 362
Aquæ lympidæ. 482
Aquila. 226. 751
Aræ. 621
Araneus. 324
Arcus. 605
Ardea. 525. 752
Argus. 306
Aries. 738
Arma. 121
Armillæ. 523
Arundo. 514. 519
Asinus. 310
Asio. 139
Asparagus. 307
Astræa. 721
Aures. 748
Autumnus. 399

B.

Barba. 757
Basiliscus. 170
Beta. 727
Bicipitium. 381
Blittum. 727
Bos. 28
Brassica. 728
Bulbi. 723
Bulla. 509. 510

C.

Caduceus. 187. 737
Cæpe. 714
Calcaneus. 436
Calceus. 508
Camelus. 149
Cancer. 337. 751
Canis. 57
Canities. 388
Capillus Veneris. 727
Capparis. 648. 721
Capra. 109
Capriceps. 304
Capricornus. 750
Caprificus. 656
Caprimulgus. 308
Caput. 377
Caput semicrinitum. 387
Cardo. 629
Carduus Scolymus. 689
Castra. 540
Catena. 612
Catena aurea Homerica. 752
Cedrus. 637. 759
Cephalus. 359
Cepphus. 278
Cerberus. 749
Cervix. 390
Cervus. 78

de ejus Cornibus. 87
Chamæleon. 331. 332
Charites. 388 746
Cicada. 170 321
Cicer. 727 710
Ciconia. 381 203
Cicuta. 727 723
Cinctus. 28 309
Cinnamus. 728 306
Circulus. 723 485
Citrus. 509. 510 759
Clavis. 616
Clavus. 187. 737 614
Clibanus. 714 409
Clupea. 436 362
Cochlea. 508 341
Columba. 149 260
Columnæ. 337. 751 625
Colus. 57 607
Coma. 388 385
Conchylium. 727 344
Coniza. 648. 721 724
Cor. 109 406
Cornix. 304 245
Cornucopiæ. 750 701
Corvus. 656 279
Cossi. 308 317
Coturnix. 377 294
Crater cœlestis. 387 751
Craticula. 629 410
Crocodilus. 689 345
Cubus. 540 494. 755
Cuculus. 612 302
Cucupha. 752 205
Cucurbita. 637. 759 717
Culex. 359 317
Cuneus. 278 615
Cupressus. 749 649
Currus. 390 546
Curuca. 78 302


Cybele.

Cybele. 746
Cynocephalus. 68

D.

Dagnis. 211
Delphinus. 325.326
Dentes. 304
Diadema. 313
Diana. 744
Digiti. 438
Digitorum mensuræ & numeri. 438
Diluvium. 481.(452
Dionysius. 743
Dipsas. 197
Dorsum. 390

E.

Echynus. 343
Echinus terrestris. 96
Elephas. 18
Endymion. 738
Eneph. 730
Ephemerus. 321
Equus. 44
Equus fluviatilis. 349
Erythacus. 309
Europa. 744
Eurydice. 745

F.

Faba. 708
Faces. 583
Falx. 538
Fauni. 730
Favor. 739
Felis. 162.750
Ferula. 691
Fiber. 158
Ficus. 671
Fidius. 740
Fillx. 719
Fistula. 594
Flagellum. 606
Florus. 304
Fluvii. 479
Fontes. 479
Formica. 88
Fossa. 482
Framea. 530
Frænum. 606
Fuca. 361
Fucus. 317
Fulmen. 551
Fumus. 588
Fungus. 716
Fusus. 706

G.

Galea. 535
Gallina. 246
Gallinago. 290
Gallus. 287
Genua. 436
Gladius. 535
Glanis. 364
Gorgones. 747
Grus. 212
Gryphus. 278
Gustus. 403

H.

Hamus. 575
Hasta. 527
Hecate. 741
Hedera. 644
Heliotropium. 726
Hercules. 733
Hirudo. 363
Hirundo. 268
Honos. 741
Humeri. 391
Hyacinthus. 758
Hyæna. 131
Hydra. 200
Hyems. 757
Hyssopus. 721

I.

Ani. 621
Iaspis. 521
Ibis. 208
Ifocædrum. 755
Incus. 602
Indumenta. 500
Iris herba. 757
Isis. 483.484
Iugum. 613
Iuno. 743
Iynx. 307

L.

Laena. 504
Lapis. 617
Laqueus. 609
Larus. 277
Laurus. 638
Leo. 1
Lepus. 153
Lepus marinus. 363
Liber. 601
Lilium. 688
Lingua. 401
Literæ Ægyptiacæ. 468.469
Literæ septem. 596
Locusta. 340
Lolium. 695
Lotus. 617
Lucerna. 578
Luna. 558.732
Lupinus. 726
Lupus. 125
Luscinia. 278
Lynx. 136
Lyra. 590.752

M.

Malleus. 603
Malum Persicum. 679
Malum Punicum. 681
Malus arbor. 674
Mandragora. 722
Manus. 422
Mare. 481
Meduſa. 199
Mercurius. 736
Meta. 493
Milium. 695
Milvius. 213
Modius. 695
Mola. 721
Morus. 656
Mullus. 360
Mulus. 147
Mundus. 731
Murana. 351
Mus. 161
Muſca. 318
Muſtela. 160
Mutuli. 628
Myrtus. 638.654.759.

N.

Narcyſſus flos. 758
Naſus. 398
Navis. 568
Nebrias. 361

Nicteretum. 727
Nilus. 676
Noctua. 242
Nodus. 752
Nubes. 478
Numerus quaternarius & quinarius. 753
Nux juglans. 648

O.

Octaëdrum. 755
Oculi. 391
Olea. 959
Olor. 272
Oryx. 116
Os, oris. 404
Ostrea. 339
Osyris. 732
Otis. 301
Ovis. 117

P.

Pacificus. 739
Palma. 630. 759
Pan. 730
Pandora. 745
Panthera. 133
Papaver. 617.757
Papyrus. 705
Passer. 248
Pastinaca. 361
Pavo. 263
Pecten. 522
Pedes. 432
Pelecanus. 239
Pellis. 420
Peltæ. 531
Pentagonum. 753
Penula. 506
Pera. 507
Perdix. 292
Perpendiculum. 629
Phaleræ. 518
Pharetra. 525
Phiala. 584
Phocæ. 351
Pholis. 362
Phœnix. 237
Pica. 276
Pileus. 497
Pinna. 359
Pinus. 676
Plumbum. 242
Pluto. 752
Piscis. 478
Polypus. 753
Populus. 753
Prætexta. 648
Prometheus.
Proserpina.
Psittacus. 276
Pudenda. 413
Pugio. 540
Purpura. 342
Putei. 482
Pyramis. 754

Q.

Quadratum. 491
Quadrifrons. 384
Quercus. 741

R.

Raja. 361
Rana. 353
Rapum. 516
Remora. 357
Repulsa. 739
Retia. 574
Rhinoceros. 26
Rosa. 682.683
Rota. 489
Ruta. 724

S.

Sagittæ. 525
Salamandra. 195
Salix. 654.759
Salus. 305.357
Sapphirus. 520
Sargus. 360
Sartago. 410
Satyri. 730
Scarabeus. 92
Scarus. 360
Sceptrum. 518
Scolopendra. 361
Scorpius. 194
Scuta. 531
Securis. 537
Selenotropium. 726
Sella. 542
Sepia. 541
Serpens. 651 165.180.749
Serra. 615 538
Silenus. 732 732
Silurus. 365 364
Simia. 330 75
Sinapi. 652 712
Sistrum. 505 604
Smaragdus. 734 521
Smilax. 743 646
Sol. 276 554.731
Somnus. 413 640
Speculum. 540 523
Spica. 342 693
Spina dorsi. 482 411
Spongia. 754 363
Squatina. 362
Stellæ. 491 561
Struthiocamelus. 384 296.297
Sus. 741 98

T.

Talaria. 361 737
Talpa. 353 159
Taranda. 516 333
Taurus. 357 28
Temo. 739 573
Testudo. 574 335
Thorax. 26 339
Thunnus. 682.683 365
Thuribulum. 489 584
Tibia. 724 595
Tigris. 134
Tintinnabulum. 525 596
Tippula. 195 325
Titulus. 654.759 514
Torpedo. 305.357 356
Torques. 520 518
Torrens. 360 480
Triangulus. 410 494
Tricipitium. 730 383
Tridens. 92 575.604
Tuba. 360 595
Turdus. 518 308
Turtur. 361 266
Tympanum. 194 596

V.

Vellis. 531 616
Velia. 537 306
Venter. 726 419
Vepres. 542 685


Ver-

*Ver.* 756 *Vitis.* 664 *Vrus.* 138
*Verbena.* 719 *Vitulus.* 750 *Vulcanus.* 733
*Vespa.* 318 *Vmbilicus.* 417 *Vulpanser.* 241
*Vespertilio.* 299 *Vncus.* 615 *Vulpes.* 156
*Vestes atratæ.* 496.573 *Vniones.* 521 *Vultur.* 214.215
*Vipera.* 173 *Vpupa.* 304
*Virgo capillata & detonsa.* 747 *Vrnæ Nili.* 536 Z.
*Virtus.* 735 *Vrsus.* 136 *Zona.* 506

# INDEX ALPHABETICUS BIPERTITUS.

## POSTERIOR, RES PER HIEROGLYPHICA SIGNIficatas, atque tum à Pierio Valeriano, tum ab Anonymo, eruditè Libris LX. expositas continens.

A.

Abdicatio filiorum. 252
Abliguritor omnium. 330
Abolitus. 364
Abortus. 128.174
Abliguritor. 724
Absentia diuturna. 239
Abstemius. 244
Abstinentia cibi & potus. 152
Accommodatus morbum aliorum. 331
Accumulator rei familiaris. 330
Accusator inanis. 291
Acerbitas. 665
Acoris aviditas. 316
Actæon. 85
Actus. 449
Acumen ingenii. 74
Acutus. 679
Addictus rebus terrenis. 341
Admiratio. 199
Admirator sui. 77
Adonis. 106
Adoratio. 69.428.467.486
Advena. 309
Adventus. 568
Adventus Dei. 657
Adversarius. 381
Adulatio. 78.594
Adulator. 64.315
Adulatores. 143.329
Adulatoribus deditus. 673
Adulteræ maritus. 116
Adulterium. 351
Ædes subdiales. 624
Ædificatio. 619
Ædilis curulis. 544
Æditumus. 544
Æger. 258
Ægyptus. 349.408.558
Æoli pilæ. 172
Æolus. 169
Æqualitas. 268.631
Æquitas. 21
Aër. 258.262
Ærumna gravissima. 482
Ærumnæ. 481
Ærumnosus. 504
Æsculapius. 652
Æstas. 105.106.694
Ætas puellaris. 137
Ætas simplicior armata. 328
Æternitas. 170.487.543.558
Æternum. 485
Affectus humani. 698
Affectus mali dissipati. 207
Affectus voluptarii. 434
Afflictitio animi. 317
Afflictiones gravissimæ. 482
Africa. 20.195.692
Agelastus. 304
Aggressio. 435
Agitatio mentis. 607
Agmen. 317
Agricultura. 16.538.578.605.544.659.694.746.
Albatæ. 502
Alienus ab amore. 147
à bonis moribus. 100
à Deo & sacris. 141
à musis & gratiis. 371
Alimonia. 673
Alpini. 165
Amarities de vitæ dulcedine. 314
Amator. impur. 65
Amatores mortui. 583
Amatorium. 722
Amicitia. 60.371.682.718
Amicitiæ conservatio. 699
Amicus inutilis. 269
Amœnitas poeticæ. 312
Amolitio. 405
Amor. 526.592.609.674
Amor firmius. 334
Amor in filios. 135.240
iniquus. 676
in simpliciorem ætatem. 328

Amor mulieris. 582
Amor mutuus. 584. 674
Amor perditus. 676
Amor turpissimus. 292
Amoris impuri satietas. 329
Amoris nutrimentum. 196
petulantia. 17
progressus. 674
Amoris veri functio. 678
Amoris vulnera. 640
Ampliator imperii. 546
Amplitudo nominis. 183
Amuletum. 130. 642
Anceps consilii. 129
Ancilia. 532
Angli. 394. 618
Anglevarii. 186
Anima. 253. 457. 565
Anima & corpus. 749
Anima hominis. 754
Anima sponte non exturbanda. 579.
Animæ status in corpore humano. 744
Animæ. 373
Animæ defunctorum. 750
Animæ tres in homine. 747
Animadversio. 381. 538
Animalium curandorum causa. 516.
Animorum fortuna. 265
Animus. 251. 258. 579. 697.
Animus Candidus. 274
Clemens. 703
Delapsus ad humilia. 208
Divinis intentus. 207
Gratus. 60. 329. 205 329
Inanis. 699
Labefactatus. 100
Purus. 287. 361
Sedatus. 593
Animi Desponsio. 53
Domitor. 15
Vires. 2
Annona. 611. 692
Annonæ felicitas, & penuria. 34
Annus. 11. 169. 215. 486. 557. 615. 631.
Annus iniens. 382
Solaris. 491
Anni principium. 124
qualitates. 384
Annorum centena. 216
Certus numerus. 105
Antiquitas. 601
Anubis. 61
Anxietates. 685
Apparatus bellicus. 421
Appetentia. 82. 198
Appetitor sublimium. 713
Appetitus. 302. 745
Appetitus cum ratione pugnans 734.
Apollo. 126. 279. 288. 291. 677
Apollo Agyieus. 627
Delphicus. 327
Fidicen. 274
Apostoli. 58. 233
Apotheosis. 229
Aqua. 696
Aqua & terra. 606
Aqua Trajana. 490
Aqua. 374
Aquæ reliquæ. 478
Aquilarum insignia. 235
Araxa meretr. 179
Arbiter. 59
Arcana revelata. 338
Arcana sacrorum. 416
Arcana tegenda. 74
Architectura. 268
Argiei. 162
Aries. 710
Arma bellica. 639
Armenica prima & secunda. 531
Armorum apparatus irritus. 84
Aromatarius. 306
Ars & ingenium. 222
Ars naturæ victrix. 616
Artes. 734
Artes inanes. 703
Artes mathematicæ. 473
Artium inventores. 753
Artificium. 315
Aruspex. 160
Arvales fratres. 644
Asia. 183
Asperitas. 687
Assectator vilium. 22
Assertor. 644
Assertor multorum. 356
Astra & Sol. 678
Astutia prava. 294
Astutia in vitandis periculis 293.
Atecoti juniores. 187
Atlas. 628
Avaritia. 431
Audacia. 390
Audiendi promptitudo. 109
Auditorum frequentia. 91
Auditus. 83. 153. 751
Auditus promptus. 23
Auditus è longinquo. 160
Aversator necessitudinis. 306
Augurium mortis. 130
Augurium regium. 11
Augustei. 164
Augustus mensis. 606
Augusti genesis. 114
Avidus acoris. 316
Auriga cœlestis. 548
Auspicium regium. 263
Authores navigationis. 570
Authoritas. 54. 423
Authoritas imperatoria. 636
Auxiliares. 383
Auxilium imploratum. 269

B.

BAcchus. 41. 327. 644
Bacchus Sycites. 671
Baptismus. 503
Batavi. 187
Beatitudo futuri seculi. 312
Bellator imperitus. 331
Strenuus. 94
Bellum. 44. 122. 441. 500. 525 528. 581.
Beneficia Saturni. 328
Beneficii accepti grata recordatio. 734
Benevolus. 290
Benignitas. 231. 701
Bianenses. 185
Bibacissimus. 364
Bithonis robur. 41
Bona cœlestia. 744
Bona cito labentia. 680

Bonum malo circumseptum. 685
Boreas. 194
Braccati milites. 693
Brachiati. 187
Brutorum cultus apud Ægyptios unde. 72
Bucephali. 40

C.

Cæcitas. 159. 397
Cæcus. 394
Cædes multiplex. 680
mutua. 194
Cælum. 409. 488. 521. 526
alienum. 679
decimum. 521
Cæli regiones tres. 749
Cæsar. 19. 536
Calamitas. 169. 711
ingens. 482
Calathus Cereris. 628
Calliditas. 4. 179
dolosa. 157
Calumniator. 400
Calumniis afflictus. 171
Campus. 696
Candor animi. 274
Canis cultus. 66
Canes quibus diis sacri. ibid.
Capita. 718
deorum. 719
Captator. 96. 361
Captivitas. 427
declinata. 360
exosa. 138
Caput S. Joannis. 719
Cardinales Sacerdotes. 629
Caryatarum opprobr. 627
Castigatio. 10. 538
ingenua. 691
salutifera. 720
Castimonia. 419. 508. 709. 724
Castitas. 263. 315
Castra 421
Celebritas. 562
Celeritas. 45. 258. 523
Centum. 456
Centurio. 459
Ceres. 55. 503. 584. 692. 717
Cespitatio. 51
Cessandum haud ignaviter. 696
Cessatio. 544
Chaos. 106
Charitas. 261
Chiorum Respub. 337
Christus. 479. 555. 619. 688
Homo-Deus. 15
Christi humilitas. 245
victoria. 626
Ciborum varietas. 104
Cicero. 710
Cingani. 309
Cingulum Propheticum. 507
Circenses. 547
Circumcisio. 72
Civis à peregrino est oppressus. 37
Romanus. 500
Cives servati. 641
Civitas. 755
Cladis præsagium. 65
Clades gravissimæ. 482
Claritas. 556
regia. 215
ex poëtarum scriptis. 626
Clearchus. 236
Clementia. 10. 553. 700
Cœli fœcunditas. 415
Cœtus piorum. 558
Cogitatio. 100. alta. 234
Cogitatio mala. 157
Cogitationum pravarum excussio. 629
Cogitatio rerum Sacrarum. 753
Cohortes. 184
Coloniæ Jani. 623
Columnæ muliebres, & virginales. 628
Commercia vitæ humanæ. 621
Commoda conjugii. 587
Conatus magnus cum dolo. 158
Concordia. 188. 246. 285. 315. 411
590. 591. 700. 738.
elementorum. 598
rei familiaris. 293
Concordiæ effectus. 23
Concupiscentia. 220. 419. 750
Conditio nostra. 368
Conditiones duæ mortalium. ibid.
Conditorium. 411
Condonatio. 660
Confectum cito. 721
Conflictatus ægritudine. 253
Congiarium. 544
Conjugium. 443. 613
Conjugii commoda. 587
Conjugis mores ferendi. 351
Conjunctio maritalis. 529
Conscientia igne examinata. 409
Consecratio fœminarum. 285
Consensus 428
Consilium. 511. 407. 525
occultum. 42
Consilii anceps. 129
Consilia occulta 732
Constantia. 50. 196
Conservatio. 112
Consuetudo perniciosa. 308
rara. 302
Consulatio. 544
Consummatio. 221
Contemplatio. 399
Contemptibilis. 971
Contemptor divum. 394
convitiorum. 230
Contemptus fortunarum. 336
Contentus parvo. 707
Continentia. 179. 416
Continentiæ fructus. 648
Contrarietas. 487. 527
Contumacia. 172
Contumax. 301. 400
Contumelios us. 294
Conventus piorum. 669
Convitia contempta. 230
Copula maritalis. 246
par. 613
Cor. 209. 443. 512. 525. 680
seu, cordis pondus. 224
Cordis præstantia. 510
aperta simplicitas. 73
Corinthiacæ. 623
Cornua. 517
Cornuti. 186. 307



Corona

Corona urbs. 246
Corpus. 456
lunare. 362
Corporis forma. 758
vires. 2
Corpora noſtra. 759
Correctio. 261.495
Correptor omnium. 196
Corronacenſes. 585
Crapula. 11
Creator. 730
Crepuſculum. 565
Crudelitas. 535
Crura concidua. 150
Cubitus. 448
Cubus. 494
Cultus juſtitiæ. 25
Cupiditas. 51
Cupiditas vehemens. 308
Curæ divitiarum. 686
variæ. 680
Curans ſuos tantum. 292
Curatii juniores. 186
Curioſitas. 354
Curſus humanæ vitæ. 444
Cuſtodia. 358.123.290.381.564.636
virginum. 336.
Cuſtos. 393
Cybele. 652
Cynici. 320
Cyrenenſes. 572
Cyziceni. 12.321

D.

Dæmon malus. 176.232
Dæmones. 355.274
Dæmonum natura. 496
Damnum. 367
Damna mutua. 363
Damnatio. 527
Decem-peda. 449
Deceptio. 575
Declinator inſaniæ. 21
prudens captivitatis. 360
Decuſſatio. 124.a.l.7
Deditio. 533
Defenſio. 532
Defenſores. 177
Delectatio. 177.672
Deliciæ amatoriæ. 161
luxurioſæ. 103
Delicioſus. 448
Delictum punitum. 736
Delicta humana. 420
Delirii piaculum. 108
Democratia. 211
Demolitio. 605
Depopulatio. 91
Derceto. 374
Deſertor reiamatæ. 725
Deſignatio. 219
Deſolatic. 574
Detrimentum. 133.404.291
Deus. 182.251.345.395.447.457.485
in humano corpore. 94
Optimus, Maximus. 554.555
Pater. 388
univerſi. 561
Dei adventus. 657
Oculi. 171
poteſtas triplex. 749
præſentia. 751
Sapientia. 621
vis. 430
Deorum rotæ. 490
Diabolus. 115
Dialectica. 317.324.432.473.
Diana. 41.62.384
lucina. 360
ſtrangulata. 609
Dianæ triclariæ ſacrum. 695
Dicacitas. 307
caſtigata. 322
Diaulus. 450
Dies. 285
atri, & feſti. 159
Difficilis 343.a.
Difficultas. 55
majorum ferenda. 699
paterna. 231
Digiti menſura. 445
Dignitas ſacroſancta. 87
Dii. 529
manes. 371
omnes. 623
Domitor adverſæ fortunæ. 132
lares. 59
Dimenſio. 444
Dis. 651
Diſceſſio ſubita. 333
Diſceptator imperitus. 149
Diſciplina bona. 591
vera. 189
militaris. 206
Diſciplinæ. 402
Diſciplinæ divinæ & humanæ. 91
472.
exoticæ. 313
inanes. 703
Diſcordia. 121.585
Diſcordiæ effectus. 23
Diſcordia militaris. 280
Diſſimulator vitiorum. 76
Diſſimulator ingenii. 94
turpitudinis. 133
Diſſimulatrix prægnantiæ. 164
Diſſipatio poluptatum & affectuum malorum. 244
Diſſolutio. 207
Diſtinctio. 495.615
Dives avarus. 100
Divina ab humanis. 433
Divina in occulto. 359
Divinitas. 74
Divitiæ. 377.495
flagellatæ. 686
turpes, & inſtabiles. 286
Divus. 544.624
Diuturnitas. 284
Dochme. 642
Docilitas. 447
Doctor virtutis. 401
Doctores. 118
Doctrina cœleſtis & Ethnica. 288.580
476
Morum. 482
perſpicua. 482
Doctrinæ firmitas. 55
Dolores acuti. 713
Dominatio terrarum. 699
Dominator. 752
Dominium. 231
æquum. 4
orbis. 378
Domitor adverſæ fortunæ. 898
181
132

Doli-

Doli. 144
Dolichus. 450
Doli occulti. 612
Dorichæ. 624
Doron. 446
Drachmæ duæ. 224
Ducenta. 456
Culcedo. 670
veritatis. 673
vitæ amata 314
Dulcia. 312
Duo. 456
Duratio. 602
Durities emollita. 659

E.

EBrietas. 211
Ebrietatis remedium. 304
Ebriositas. 133
Ebriositatis remedium. 727
Effectus. 608
Effectum quid longo tempore. 22
Effæminatio. 153
Effætus. 465
Eleemosyna. 661
Elementa. 297
quatuor. 743
Eloquentia. 189. 249. 276. 452. 581. 553. 733. 736. 757. 311
Eloquentiæ tres partes. 17
Elusus suis artibus. 308
Elutio. 720
Emansor. 280
Encyclopædia. 472
Enixa semel tantum. 10
Epaminondas. 183
Equi, quibus diis sacri. 56
signati. 534
Equ. victoria. 49
Eremita. 143
Eruditus impurus. 132
Evectus ab ignobili genere, ad cl. 299. 348.
ex exilio in altum. 299
Eventus inexpectati. 148
Exanimatus uno ictu. 34. 343
minima de causa. 363
Exanguis de nequitia redditus. 306
Excellens. 638
Excessus. 462 305
Excubiæ. 288
Excultatores. 187 87
Expergefactio. 713
Experientia senilis sagacitati juvenili postposita. 247
Expers sensuum. 620
Expiatio peccatorum. 758
Explorario. 323. 564
Exhæredator filiorum. 279
Exul evectus. 299

F.

FAber lignarius. 362
Fabii cūctatoris virtutes. 54
Fabricæ. 186
Factum repentinum. 716. 721
Facilitas. 374
Falconarii. 186
Fallaciæ. 193
Fallax. 736
Falsum. 523
Fama. 46. 528
longe, lateque propagata. 551
Fames. 64. 340
Fame moriens. 232
grata. Familia prodiga. 144. ampl. 399
Fatum. 508. 562. 601. 607
Fati potestas. 737
Fatuitas. 671. 716
Fatuus. 278. 727
Faunus anguis. 146
Favor. 394. 440
Febris. 114. lethalis à sole. 95
Febris medela. 77
remedium. 7
Felicitas. 120. 189. 429. 660. 667
fœtura animorum. 265
Fœminarum interitus. 387
Femora concidua. 150
Feracitas. 213. 668
præcognita. 304
Feritas. 643
Ferocia belli fracta. 526
emollita. 135
Ferocitas. 122. 390
frænata, 47 87
posita. 16
Ferox superatus à mansueto. 462 305
Ferocitas in timiditatem versa. 288
vitanda. 43
Festinantia. 362
Fides. 60. 512. 429
lubrica. 505. tabellarii. 247
Fidei creditum. 505
Figura sphærica. 487
Filius. 241
Filii abdicati. 252
Filii alieni pro suis educati. 302
conspirantes in matrem. 173
diligérer educati à patre. 364
exhæredati. 279
parentibus obsequentes. 16
Finis. 418. 435. 493
& principium. 600
Firmare. 614
Firmitas. 609. 628
amoris. 334
fœderum. 618
& gravitas orationis. 736
Flagellator divitiarum. 286
Flagellum 426
Flamen fallacialis. 503
Flamines. 499
Fluvii. 33
Fœcunditas. 120. 155. 286. 712.
vera. 703. cœli. 415
Fœdera. 618
Fœdus. 429
Fœlicitas. 429
Fœminæ consecratæ. 285
Folia reliqua. 673
Fomidator inanium. 127
Forma. 531. & materia. 484
Formido. 81. sublata. 83
Formidolosus. 414
Formido religiosa. 8
Fortis. 150
Fortitudo. 255. 519. 610. 642
Fortuna. 488. 573
amatoria. 702. redux. 574
secunda. 750
Fortunæ speciosæ inconstantia. 47 87
adversæ domitor. 132

For-

Fortunæ contemptæ. 336
Fragilitas. 711. humana. 512
Fratres arbales. 694
Frenum. 572
Fructus alieni laboris. 317. 360
laborum. 38
Frugalitas. 664
Fruges. 696
Frugum opulentia. 35
Fruſtrator ſpei. 337
Fruſtratus expectatione. 277
Fuga. 64. 390. indemnis. 128
periculorum. 327
popularis. 314
Fugacitas. 81
Fugientia ſequi ſine ſpe. 353
Fundamentum. 433
Funeſtum 347. 647 236
Funus. 220. 653. 708
Fur. 736
Furacitas. 424
Furiæ Oreſteæ. 440
Furor. 348. indomitus. 6
implacabilis. 172
poëticus. 646

G.

GAnea. 702
Ganymedes.
Garrulitas. 246. 269. 277. 322
Generatio.
Geneſis.
Genitale.
Genius.
Gentes. 104. 372
multæ ſociatæ. 640
Generatio.
Genus humanum. 579. 747. 759
nobile.
Germinatio.
Gibberoſi.
Gigantes.
Gloria. 256. inanis. 93
ſublimis. 114. 187
Gloriæ calcar. 572
Glorioſus. 59. 638
Gradus. 374. 718
Græci. 681
Gratia. 521. 686. 759
relata. 230
Guloſus multatus. 343
Geryones. 383
Gymnaſium. 662

H.

HÆredipeta. 220
Hæreditas. 451. 759
Hæres inviſus. 75
Hæreticus. 298
Hammon. 123
Hebetudo. 615
Helluo. 348
Herculiani juniores, & ſeniores. 557
Herculis ſacrum. 677
virtutes. 678 139
Heroes. 626
Heros. 182
Hieremiæ cingulum. 507
Hilaritas. 397. 517. 639. 663. 565
Hippicum.
Hippocrates. 450
Hirpi 599
Hiſpania. 196
Homines. 156. 383
Homo. 339
accipitrina facie. 732
impuræ mentis. 300
incurvus, globum ferens. 731
nihili. 75
qui ſuam, vel alienam ferocitatem domuerit. 5
raræ conſuetudinis. 302
Honor ſummus. 528
Honores. 533
Honos triumphalis. 639
Horæ. 185
Horizon. 350. 727
Horoſcopus. 62
Horrificium. 405
Hoſpitalitatis jura. 393
Hoſtes mutuo cæſi. 191
Hoſtia humana. 194
Hoſtis infenſiſſimus. 209
muſicæ. 528
profligatus. 230
victor. 131. victus. 343
Hoſtium detrimenta mutua. 383
Humanitas. 662
Humilitas. 245. 251. 437
Hydrargyron. 737
Hyems. 106. 213. 248. 425
Hymnus. 220
Hypocrita. 451. 759

I.

JActura. 75
Jani coloniæ. XII. 298
quatuor filiæ. 123
Janus. 387. 633
Lejunus. 615
Ignarus hominum & locorum. 623
Ignavia. 348
honorata 385
Ignis 623
circumfuſus non lædens. 559
duplex. 588. 732. 755
Ignobilis evectus ad clarum genus. 565
Ignobilitas 196
Ignominia. 307
Ignorantia. 464
Ilythia. 374
Illecebræ adulatorum. 501
amatoriæ. 732
Illuſtratus per inimicitias. 300
Imbecillitas. 731
humana. 75
Imbecillus fortiori aſſurgens. 683. 690. 747
Imbellis. 5
Imbres. 302
Immunditia. 414
Impatiens captivitatis. 528
famis. 280
alieni ſoli. 533
Impedimentum. 357. 424. 436. 639
Imperator. 405
Imperatoris majeſtas. 393
Imperatores duo. 191
Imperfectus. 194
209


Impe-

mperitia. 589
Imperium. 48.520.537.547
firmum. 51
majestate summa conspicuũ. 556
maris. 327
Imperii ampliator. 546
summa. 528
Imploratio. 163
auxilii. 269. opis. 544
Imperiti. 490
Impetus. 105. hostilis. 48
immoderatus. 50
Impietas. 290.349
Impietati prælati pietas. 204.349
Impius & ingratus. 262
Importunitas. 319
Impostura. 282
Improbitas. 127.133.291.342
edomita. 350
meretricia. 127
servilis. 498
Impudentia. 67.76.104.319
Impudicitia. 148
Impuritas. 294
Inanitas. 711
Incantatio. 307
Incepta magna irrita. 339
pulchra turpiter cedentia. 341
Incolumitas. 92.326.710
vinearum. 289
Inconstantia. 338.382.573
Incrementum præmaturum. 655
Indagator sublimium. 212
Indigus opis alienæ. 339
Indigena. 731
Indocilitas. 102.320.401
Indulgentia. 465
Inæquales concordes. 591
Inæqualitas. 90
legum. 325
Ineptiæ puellares. 677
Inexpugnabilis. 519
Infamia 442
Inferorum rotæ. 490
Infidelitas adulatorum. 329
Infinitum. 600
Infortunium. 160
Infortunii magni tutela. 351
Ingenii acumen. 74
calliditas. 4
dissimulator. 133
Ingenium. 734. & ars. 222 236
velox. 233
Ingluviosus. 306
Ingrati erga parentes. 414
Ingratus. 262
Iniquitas. 435.615
Initiatus sacris. 322
Injuriæ vitæ. 305
Injurius suis municipibus. 273
Innocentia. 118.373.423.634
Innocentia crimen. 414
Innumera. 695
Inquietudo. 248
Inquilinus. 338
Insania declinata. 21
Insatiabilitas. 363. 419
Inscitia. 300
Insidia. 574
Insigne augustale. 580
Insignia. 515
aquilina. 235
Insipientia. 240.298.560
Insolentia 51
Instabilitas morum. 132. 419
Instauratio. 238.344
Institutio. 268. 469. 475
Insulsus. 727
Intellectus æthereus. 268
agens. 736
Intellectus efficacia. 712
Intelligentia. 734
Interitus. 91
Interitus marium & fœminarũ. 387
Interquiescens. 81
Interpres. 572
Inventores artium. 734
Inventor frugum. 694
Inverecundus. 354
Investigatio. 89
Invictus. 352
Invidia. 200
Invidiæ amuletum. 511
Inundatio. 9
Inutilis bello. 441
Joannes Evangelista. 234
Jonicæ. 624
Jovii. 107
Joviniani juniores & seniores. 133
Ira. 138. 410
delinita. 643
lacessita. 24
Iracundia. 26.73
Iracundiæ expers. 264
Irrisio. 142.207
Irritamentum malorum 603
Irritatio. 536
Irritum. 432
Isocrates. 627
Isthmia. 652
Italia. 37.48
Iteratio frequens. 444
Judæa. 633.760
Judæi. 38. 141
Judex 430
Judicia severa. 344
Judicium compositum 591
Jugerum. 449
Juniores petulantes. 67
Juno. 109. 284. 303. 397. 624. 651 656.681. 689
conservatrix. 181
& Pallas. 221
Junonius. 610
Jupiter. 40. 491.551.614
æquus. 384
Jurgiosus. 638
Jus in armis 524
Justitia. 36. 219. 355. 297. 392. 495 535.632.717
Justitiæ cultus. 15
picturæ. 748
Justitium. 300
Juvenis in navi per crocodilum vecta. 731
Juventus. 648
renovata. 232
Juventutis restitutio. 168

L.

Labor. 37.667
alienus suffuratus. 317.360
indefessus. 89
atque servilis. 145
toleratus. 212

Lacedæmonii. 236
Laceſſitor larvarum. 232
Lachrymæ. 344. 521. 715
Læna. 504
Lætitia. 34. 664. 723
interturbata. 728
Larvarum laceſſitor. 132
Laſciviæ pœnitentia. 83
Latebræ. 92
Latro. 105
Latrocinium. 348
Laudis contentio. 155
Leges. 503. 516. 613
Legum inæqualitas. 324
Legio V. 20. XX. 605
Leo Herculanus. 13
Leones Tarviſini. 16
Lepos obortus in mœſtitia. 314
Levitas. 325. in moribus. 66
Liberalitas. 425. 497. 700
Liberatores patriæ. 498
Liberorum propagatio. 579
Libertas. 386. 424. 503. 666
appetita. 750
triplex. 498
Libidines. 698
Libidinis antidotum. 178
Libidinoſus. 395
ab incunabilis. 319
Libido. 113. 195
extincta. 416
Libri. 479
Litatio. 520
Lienis vitia. 65
Lintea. 505
Literæ. 71. 342. 469. 710
Literarum ſacrarum profeſſ. 57
Livor. 221
Locuples. 213
Locupletatio. 379
Locupletatus per diſcordias civium. 353
Locus morte pollutus. 650
Lubricitas vitæ. 46
Lucas Evangeliſta. 42
Luciſuga. 299
Lucrum. 379. 399
Luctus. 290. 397. 653. 708
Lucubratio. 582
Lucubrationes. 276
Ludibrium ſtolidit. 141
Lumen majus violentum. 587
Luna. 14. 69. 95. 163. 383. 362.
484. 715. 741. vecta. 507
Lunæ ortus. 69
Lydiæ R. 537
Lyræ forma. 593

M.

Macedo. 130
Machina 166. mundi. 113
Macies ex inedia. 137
Macilentia. 344
Magnanimitas. 1. 413
Majeſtas divina. 228
imperatoria. 228
imperii. 556
Maledicentia. 538
Maledicus. 343
Malignitas perditiſſ. 295
Malorum irritamentum 603
Malum ex bonis initiis ſubſecutum. 209
Manaſſes quincuceps. 385
Manes. 381
Manipularis. 506
Manſuetudo. 24. 42. 118. 661
aſſumpta. 16
Manſuetus ferocem ſuperās. 305
Mantinea. 605
Mappa. 504
Marcomanni. 187
juniores & ſeniores. ibi.
Mare. 419. 481
Maris imperium. 327
Marium interitus. 387
Mars & Venus. 252
Mariti puritas. 586
Maritus adulteræ. 116
Mars. 126. ultor. 524
Mater. 217
Materia. 484. prima. 754
Mathematica. 475
Mathematicus. 116
Matrimonium concors. 592
Matronæ impudicæ. 148
Matrum reverentia. 151
Maturandum. 571
Maturitas. 328
Maurialites 186
Mauri feroces. 49
Mauritania. 49
Medicina. 208
petita à diis. 264
Meditatio. 439
Medium. 418
Maledicentia. 538
Melior in alieno cœlo. 679
Memoria. 60. duratura. 583
mali obliteranda. 699
poſt obitum extincta. 352
Menapes ſeniores. 185
Menapii. 63. 532
Mendacium. 342
Menſarii. 623
Mens à ſenſu decepta. 176
impura. 299
Menſes. 11
Menſis. 383. 560
Menſura. 711 digiti. 445
Mentis attoniti conſternatio. 333
erigendæ ſignum 595
Mercatura. 736
Mercurius. 95. 402. 415. 491. 753
Meretrix. 12. 114. 313
improba. 127
Meretricis procacitas. 52
Meſſenii. 534
Meſſis 694
Metas. 471
Meteora. 187. 396. 475
Meticuloſus. ibi.
Migratio. 568
Miles. 62
Milites braccati. 692
Perſæ. 289. Terjungi. 156
Militia. 586. 516
Militum præfectus. 116. 184
Miliarium. 524. 450
Mimus. 217. 307
Minæ. 754. 188
Minerva. 475. 495. 242
Arcadica. 116. 610
Miniſterium. 592. 430
Miſeratio. 148. 241. 622
Miſericordia. 151. 436. 759
Mixta. 571. 16
Moderator. 328. 392

Modestia. 30. 503
Molles. 378.386
Mollities. 364.727
lasciva. 439
Mora. 300
Morbi. 690
Morbus gravis. 565
Mordacitas. 337
Moriens præ fame. 232
Mores aliorum sequi. 331
civiles imperfecti. 318
conjugis ferendi 351
dissoluti. 495
instabiles. 132
occulti, 137
perseverantissimi. 212
pravi. 695
varii. 134
Morositas. 534
Mors. 243.395.399.421.530.537.
608.650.651
difficilis. 337
hominis. 747.751
piorum. 738
Mortalium duæ conditiones. 366
Mortes duæ. 581
Mortis augurium. 130
Motus spiritualis. 732
Mulier male morigera. 144
Mulier infida à viro amata. 342
Mulieris amor. 582
Mulierosus. 83
Mulierum officium. 120
Multiscius. 385
Multitudinis consternatio. 112
Multitudo. 459.463
infesta. 90
Multivolus. 298
Munditia intaminata. 162
Mundi moles. 169.378
creatio. 730
machina. 738
Mundus. 93.623
Mundi moles plena Deo. 657
Munificentia. 20. 719
Munimentum. 158. 336
ab insidiis. 205
Munitus contra pericula 97
Muri. 517
Musa. 380.596
Musæ cum Apolline. 597
earumque afflatus. 753
Musica. 274.275.323
exosa. 136
Musicus senex. 273
Musis ingratus. 371
Mutabilitas. 489

## N.

NAbuchodonosor. 102
Nævus. 682
Nasones. 279
Natura. 652
humana. 556
hominis. 747
rerum. 754
Naturæ genus. 217
Natus sibi soli. 352
Navigatio. 213
cita. 318
secunda. 275
Batti. 547
tuta. 344
Necessitas. 587.752
Necessitates naturales tres. 750
Nefastus. 534
Negotia publica declinanda 708
Negotiorum velocitas. 41
Nemesis. 677
Neptunus. 33
Nequam. 75
Nequitia. 287.329.370.611
immoderata. 292
inveterata. 415
versa in temperantiam. 50
Nequitiæ facinorositas. 114
frenum. 708
Nili diluvium. 407
Nilus. 233.578
Nitores. 662
Nobilis. 730
Nobilitas. 497.513
generis. 323
sepulta. 650
Noctuarum numismata. 243
Nocumentum absconditũ. 644
Nomen splendidum. 581
Notus. 141
Nox. 284
Nugæ sophisticæ. 143
Numen. 587
improfanabile. 708
Numeri varii. 453.466
Numerus certus annorum. 105
Nupta nova. 719
Nuptialia. 109.587
Nuptiæ. 304.547.584.608.648.
633.723
Nutricatio. 279
Nutrimentum amoris. 196

## O.

OBedientia. 400
Obelisci. 625
Obscœnitas. 643
Obsequium. 63
bonorum. 31
natorum erga parentes. 16
Observator ordinis. 212
Obitus rerum. 164
Oblivio. 751
Obtectus simulationum involucris. 341
Obtutus acutiss. 136
amatorius. 30
Ochus Persarum Rex. 535
Rex. 148
Occasus. 347
Occisi pro patria. 625
Oculi divum. 171. limi. 365
Odium. 368.685
Odia capitalia. 720
Offensio. 528
Offensus nullo modo à circumfuso igne. 196
Officium muliebre. 120
Officia mutua. 299.426
Olfactus. 65
Omen bonum. 145
Opem ferre. 426
Opera laudabilia. 518
Opis imploratio. 35.196
Opportunitatis captator. 161
Optio. 338
Oppressio sophistarum. 570

Opulentia. 90. 19
frugum. 35.696
Opulentus. 150
Opus. 37
inane. 324. 422
artificiosum. 610
infrugiferum. 536
futurum. 401
Oracula prophetica. 314
Oratio. 736. ardens. 405
firma & gravis. 736
Orationis profectus. 508
Oratoriæ tres partes. 17
Orbis dominium. 281
terrarum. 75. 489
Orbitas. 397
Ordo militaris. 107
observatus. 212
Orgyia. 449
Oriens. 20
Oris vis. 172
Orpheus. 275. 651
Ortus. 346
hominis. 751
rerum. 164
Orta senescunt. 389
Oscus. 181
Osiris. 643
Osiridis peregrinatio. 387
Otium. 306.655
Ovatio. 639

P.

PAcificatio. 440
Pacificator. 427
Pallas. 439. 459. 515
& Juno. 221
Palmata. 506
Palmus. 446
Paludamentum. 504
Pan. 561
Papyrius. 640
Parasanga. 450
Parcus. 144
Patientes sublevatæ. 437
Parricida. 360
Partes tres oratoriæ. 17
Partica sexta. 186
Parto fruens 362
Partus. 616. facilis. 357
Passus. 449
Pastores Ecclesiæ. 38
Pater. 94
diligens in filiis educādis. 364
Paterfamilias. 144
mater, liberi. 557
Patris difficultas. 231
Patientia. 613
Patientiæ fructus. 441
Patria. 417.626
Patrimonium. 268
Patrocinium frustra imploratum. 245
Pavitatio. 532
Pauperrimus. 309
Pax. 188. 500. 624. 659. 694
Pecunia. 36.121
Pecuniæ. 246
Pedes. 341
Peloponnesii. 337
Peltæ. 531
Penates. 529
Pentalpha. 598
Penula. 506
Perditio. 481.581.588
rerum. 286
Perfectio. 444. 486
Perfectus. 86
cum ætate. 136
Peregrinatio. 271
Osiridis. 387
Peregrinus. 138.220
Perennitas. 543
Pericles. 539
Periculum vitatum. 359
Periculorum. 327
munimentum. 97
Periculosus. 535
Pernicies. 99.192.347
summota. 318
Pernicitas. 135
Perpetuitas. 618.651
Perpetuum. 485
Persæ. 527
milites. 289
Persuasibilitas. 698
Persuasio. 574
Pertinacia. 51.320
Perturbationes. 685
Perturbator. 319
Pes. 448
Pessundatus ab adulatoribus. 78
Pestilentia. 131. 527
Petulantia. 76.140
amoris. 17
domita. 115
perniciosa. 249
Petulantiæ finis. 178
frænum. 30
supplicium. 159
Philosophia communicata. 61
naturalis. 474
Physica. Vide Theologia naturalis. 474
Phthiriasis. 121
Piaculum delirii. 108
Pietas. 23.41.90.203.427.581. 759
Cyrenensium. 673
impietati prælata. 204
præferenda. 349
Pietas in filios. 240
Pietatis Christianæ successus. 568
nostræ stabilitas. 618
Pii. 578
Pilei forma 590
Pinguedo. 663
Pinnæ in mœnibus. 297
Piorum conventus. 669
obitus. 738
vita. 634
Plantarum virtus. 743
Plausus. 533.424
Plebecula. 501
Plethrum. 450
Plurimi. 465
Pluvia. 324
Pocula. 702
Podagrosus. 39
Poderes. 501
Poëmatis genus. 487
Pœni. 681
Pœnitere. 526
Pœnitentia. 410
lasciviæ. 83
offensionis illatæ. 528
Poësis. 333.636
Poëta. 273. 647



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Poetæ. 355
Poetica. 312
Pollens viribus ſuis. 18.726
Pomponius Muſa. 592
Pontifex. 536
Populoſitas 681
Populus Judaicus. 141
lege coercitus. 728
obſequens. 310
Porci cultus. 107
Portunus. 616
Poſitum. 629
Poſſeſſio. 573
Potentia pernicioſa. 231
Potentior ab infortuniis 128
Poteſtas divina triplex. 749
Inferior. 732
regia. 513
Pernicioſa. 231
Pravitas edomita. 8
innocua. 195
Præcipitantia. 80
Præcipitium imperitorum 490
Præfectus militum. 184
Præfecti fabricæ. 185
Prægnans diſſimulatrix. 144
Prægnantia. ibid.
Præſagitura. 219
Præſagium. 160
Præſagia. 65
Præſentia Dei. 731
Præſtantes doctrina & imperio. 379.
Præſtantia. 239.395
Prætexta. 505
Princeps. 62. imbecillus. 137
provinciæ. 18
ſibi tantum ſtudens. 232
Principatus. 643
Principia occulta. 539
Principium. 377.419.485
egregium cito deſtitutum 142
& finis. 600
Procacitas. 263. meretricia. 52
Proclivis ad vitia. 437
Procraſtinationis damna. 97
Procus alienigenarum. 351
vetulipeta. 123
Prodigus. 285
Profana. 715
Profanus 54.64.101.352
Profectus cum ætate. 136
Profectus præcox. 293
Profeſſor ſacrarum literarum 57
Profugium. 622
Profugus. 46
Progenies antiqua. 707
Progrediens longo poſt tempore. 354
Progreſſio. 671
Progreſſus rerum. 509
Proles diſerta. 41
maſcula & fœmina. 31
numeroſa. 337
Promptitudo audiendi. 112
Promptuarium cœleſte rerum omnium. 417
Propagatio liberorum. 579
Properantia. 129
Prophanum. 366
Propheta. 58
Prophetæ. 288. 439.478
Proſperitas. 131.380.562
diuturnæ valetudinis. 313
firma. 318. rerum. 226
vitæ. 247
Proteus. 515
Proventus. 416.430.694
Providentia. 89.135.267.624
divina. 221.380.396
Providentiæ divinæ vis. 752
Provinciæ princeps. 182
Proviſio victus. 22
Prudentia. 254.192.199.254. 382.
Pudicitia. 501.689
Pudor. 506.617
de repulſa. 84
Puerperium. 507
Pugna anceps. 538
Pugnacitas. 44.288.318
Pugna inita. 533
ſpiritualis. 734
Pulchritudo. 689. animi. 744.
infrugifera. 631
Pulicum defectus. 303
Purgamentum. 637
Purificator. 433
Purificatio. 367
Puritas. 508. animi. 287
maritalis. 586

Q.

Quadriennium. 484
Qualitates quatuor anni. 384.
Quartodecimani. 237
Querimonia. 270
Quies à laboribus. 39.48.71
Quincuceps. 385

R.

Radii ſolares. 525
Rapacitas. 213
Rapina. 252
Raptor. 127
Ratio. 51.592
cum appetitu pugnans. 733
Ratiocinatio. 158
Receptus tutus. 128
Redactus in potentioris ditionem. 336
Redemptio. 464
Reditus in viam. 293
Refugium. 572
Regimen. 573
Regnum. 311.518
Regni ſolitudo. 231
Regreſſus. 435
Rei familiaris accumulator. 330
Remedium. 638
in febrem. 7
Remeſſio. 465
Repulſa ignominioſa. 281
pudorem incutit. 84
Requies. 435
Rerum ortus & obitus. 163
Res abſurda. 38
geſta cominus. 320
Res humanæ divinis connexæ. 752.
perditæ. 286
proſperæ. 226
Reſipiſcens. 556.711
Reſipiſcentia. 271.450.594
Reſtitutor. 427
Reverentia in matres. 151
Rex. 19.310.606.
Lydiæ. 537

optimus. 182
tutelaris. ibid.
pius & misericors. 230
potens imbecillioris arte peritus. 26
vilium aslectator 22
Rhetor. 281
Risus. 66
Rivalitas. 122
Robur. 2.440
Robustus. 26
Roma. 381.539
vetus. 492
Rota deorum & inferorum. 490
Rubicunda. 504
Rusticitas. 355

S.

SAcerdos. 72.514
Sacerdotes Ægyptii. 503
arvorum. 594
Sacerdotium. 258.707.720
sacrosanctum. 172
summum 520
Sacra. 595
Sacramentum. 108
Sacrificium. ibid.
Sacrorum arcana. 416
initia. 17
Sacrum pro vitibus. 112
Sævitia occulta. 352
Sagacitas. 398
juvenilis senili experientiæ præposita. 249
Sagittæ. 710
Sagittarii nervi. 186
sent. Orient. 49
Sagunenses. 185
Salacitas. 104.348
muliebris. 164
Salii. 120.534
Saltatio. 267.427
Salubritas. 123.209.264.187.617
prolifica. 249
Salus. 191.357.379.531.569.624.
Sanguinarius. 363
Sanguis. 255.668
Sanitas. 720
Sapiens sobrie. 301
Sapientia. 189.242.398.491.532.758
divina. 621
perfecta. 471
Sapientiæ vanæ studium. 242
Sapientiæ vis. 527
Satietas impuri amoris. 329
Satur ciborum varietate. 104
Saturnus. 62
Scelus. 535
Scelera. 658
Schænus. 450
Scorta. 421
Scriba sacer. 471
Scurra. 64
Secessus. 343
Secundi Theodosiani. 50
Securitas. 287.300.344.379. 644.616.627.719.
periculis libera. 359
otiosa. ibid.
Sedes firmiter statuta. 235
Seditiosus. 340
Segnities. 337
Seleuci genus. 572
Semen in utero. 610
Seminum virtus & generatio. 743.
Semiramis procax. 263
Senectus. 388.648
misera. 387
Senex musicus. 272
Seniores felices. 165
Sensus. 458.595
à voluptate deceptus. 176
maxime brutus. 99
velocior. 736
Sensus quinque. 176
Sententia præpostera. 436
Separatio divinorum ab humanis. 369
Septentrio. 572
Septiceps. 385
Sepulchra mobilium. 650
Sermo. 394.432.699.731
efficax. 415. inanis. ibid.
viri probi. 406
Servator. 191. civium. 641
Servitia. 352
Servitus. 386.399.434.443.631
longa. 399
Severitas. 397. judiciorum. 344
Sextans. 446
Silentium. 355.367.406.441.574. 688. opportunum. 292
Simulatio. 277
Simulator. 341.682
Signa equis impressa. 534
Signum erigendæ mentis. 595
Signa militaria. 582
Sistere. 614
Siticulosítas. 198
Sitis. 288
Sirenes. 249
Sirius stella. 563
Sobrietas. 117.522
Societas. 439
multorum. 681
Sol. 14.46.95.134.239.250.417. 425.632.678.716.
Solis & Lunæ conjunctio. 732
efficacia. 393.753
vitæ. 387
operum simulachrum. 92
ortus. 657
Solertia vitandi periculi. 359
Solicitus super igne. 8
Solicitudinarius. 155
Solitudo. 241. regni. 131
Solstitium. 144.316
hyemale. 334.507
Somnus. 402
Somniculosus. 351.722
Sophista. 338.354
Sophistæ. 143.200.560
Sophistarum oppressio. 338
Sors. 451
Sospitamentum. 570.614
Speciosior superatus à deteriore 133.
Speculationes. 206
Spes. 663. fallax. 743
certare super ambigua. 353
irrita. 430
Spei frustrator. 337
Spes inanes. 717
Sphynges. 17
Spiritus. 171
almus. 438
Sanctus. 444

sibi redditus. 636
Spiritus celestes. 563
Spithame. 447
Splendor nominis. 581
Stabilimentum. 571
Stabilitas bene consultorum. 382
Studium. 449
Stathmus. 451
Statuta mulieris. 492
Sterilitas. 147.655
Stola. 503
Stoliditas. 141
Stomachus. 442
Strenuus. 94.528.531
Studiosus otii. 306
rei domesticæ. 361
Studium vanæ sapientiæ. 242
Stultitia. 117
Stupidi. 103
Stupor. 23.199
Suavitas ex asperitate. 721
sublata. 670
Sublimitas. 251
Subjugatio. 613
Sublimitas gloriæ. 624
Sublimium appetitor. 713
Subsidium. 539
Successus veræ pietatis. 569
Suessani. 289
Summa rei. 689
Summissio. 390
Sumptus publici, & privati. 487
Suppellex baccheia. 645
Superbia. 51.390
summota. 387
Supplex. 427
Supplicatio. 661
Supplicium. 714
capitale. 701
parricidæ. 361
Surditas. 83.308.712
Syracusani. 49
Syrtes anguipedes. 175

T.

Tabellarius. 247
Taciturnitas. 12.467
Taras. 323
Tardi. 103
Tarentini. 49
Telesilla. 626
Temperautia. 21.28.25.340.412 448.507.610.656.
Temperantra terrenorum, & cœlestium. 726
Tempestas. 306.342
Tempestatis mutatio. 643
Tempus. 168.564.653.694.718
annuum. 144. diuturnum. 614
sacrorum. 595. vernum. 205
213.269. & 204. vitæ annuum.
248.
Tenacitas. 644
Tenebræ. 347
Tenor rectus. 629
Tentamentum. 588
Terminus. 219.436.471
Terrificus. 4 133.
Tertiodecimani. 63
Terjungi. 156
Terminus. 436.471.625
Terra. 14.109.188.195.547.613.755
& aqua. 603
Terra frugifera. 34
Terræ medium. 236
Terrarum dominatio. 235
Terror. 381
Thaipsali. 185
Thelesilla. 539
Theodosiani primi, secundi, tertii. 498
Theologia. 474.490
Thetis. 341
Tiberii Imp. nequitia. 287
Timidus nimium. 302
Titillatio. 411.668
Terror. 199.381
Toga picta. 506
Tolerantia. 606
laboris. 212
Tonitru. 34
Tractabilitas. 151
Tranquillitas. 301
Transmutatus. 303
Trepidatio. 154.264
Trias. 474
Tribas. 186
Trinitas rerum. 494
Triumphator. 434
Triumphus. 546
Troezenii. 604
Trophonius. 194
Truculentia. 440
Tumultus. 525
Turbo puerilis. 607
Turpitudo divitiarum. 284
Tutela. 571
Tutela magni infortunii. 35
Tutelares dii. 530
Tyrannus. 245.331

V.

Vacillatio 433
Valentinianenses. 156
Valetudo diuturna. 312
inoffensa. 690
Validior superatus à debiliore.
Vaniloquentia. 99
evitata. 21
Varietas morum. 134
Vastitas. 193
Vaticinium. 636
Ubertas. 700
Vectatio lunæ. 570
Velocitas. 328.526.737
negotiorum. 41
Venator. 351.611
Veneficia. 130
Venia. 443
Venus. 106.122.252.522.609.639.677.718. & Mars. 252
genitrix. 425
verecunda. 416
voluptuaria. 149
Venustas. 154.521
Ver. 205.212.269.304.425
Verba. 535
Verecundia. 405
Veritas. 511.515.555.680
dulcis. 573
Versicoloris 504
Versipellis. 332
Verecundia. 405
Vesontes. 532
Vespæ. 44
Vespillo. 60
Vesta. 543.586


Vesta-

Vestales virgines. 502
Vestalium initia. 657
Vetulipeta. 123
Vetustas. 646
Vexatio. 420
Via. 434
Viæ solis. 387
Vicissitudo divitiarum rerum. 284
Victor nemeus. 604
Victoria. 42.131.243.256.289. 514. 632. 637. 663. 653
Christi. 626
de Persis. 627
eq. 49. maritima. 546
navalis. 571
Papyrii. 640
perpetua. 257
populorum. 746
Victoriæ præsagium. 65
Victoria uti nescius. 331
Victus. 506. provisus. 22
Vidua continens. 261
Viduitas. 466
continentissima. 267
Vigilantia. 3. 153.
Vigiliæ. 206
Vincula. 430
jugalia. 507
Vinculum. 443. 654
Vindices. 186
Vindicta. 11
Vineæ. 289
Vinitor. 145
Violentia majoris luminis. 587
Vir. 94.388
Virago. 137
Vir amans mulierem infidã. 342
civilis. 500
frugi. 144
inexpugnabilis. 521
perfectæ sapientiæ. 471
probus. 491
probus loquens. 406
undecumque perfectus. 86
Vires. 391.518.
animi, & corporis. 1
cedunt sapientiæ & eloquentiæ. 13.14
Viribus suis pollens. 18
Virgines vestales. 502
Virginitas. 521
Virginum custodia. 336
Viri clari. 492
Virilitas. 388
Virtus. 13.642
delitiis enervata. 95
improbitatis magistra. 350
muliebris. 524
solida. 518
vitii domitrix. 200
Virtutes Herculis. 678
Virtutis decor. 388
doctor. 118
Vis animi labefactata. 100
aperta. 575.612
concupiscendi. 750
divina. 430
eloquentiæ. 553
in dicendo, vel agendo. 480
intelligentiæ. 734
poetica. 636
solis. 393
Vita. 395.407.579.587.751
divina. 580
diurna. 321
dulcis amara. 314
Vitæ brevitas. 446.447
humanæ lubricitas. 46
Vita humana. 444.556.593
Vitæ humanæ commercia. 621
conditio. 368
progressus. 451
nostræ progressus. 400
Vita piorum. 634
prospera. 247
vitalis. 353
Vitia. 612
Vitiorum dissimulator. 76
Vitiosus. 39
Vitium domitum. 200
emendatum. 682
Vivacitas. 85
Ulna. 449
Ultio. 135.315.349
divina. 736
injuriarum. 305
Umbilicus terrarum. 236
Umbræ. 582
Unica. 445
Unigenitus. 93
Unitas. 456.555
Universum. 730
Vocalis prima. 37. 210
Volatus. 719
Voluntas bona per errorem offuscata. 118. 589
Voluptates. 461.638
ex patientia. 445
mature extincta. 178
Voluptates. 553. 434
dissipatæ. 480. 207
Volumen. 734. 194
Voracitas insatiabilis. 636. 361
Vota. 393. 461
Voti inefficacia. 210
Voti successus. 580. 172
Urinator. 321. 74. 351
Utilitas. 314. 367
Vulnera amoris. 446.447. 526
Vulnus amatorium. 46. 174
Uxor inimica marito. 593. 173
prodiga. 621. 144


Z.


Zelotypia. 451. 151
Zona. 400. 506


FINIS.

JOAN.

# JOANNIS PIERII VALERII BELLUNENSIS HIEROGLYPHICA,

*Seu,*

# DE SACRIS ÆGYPTIORUM, ALIARUMQUE GENTIUM LITERIS COMMENTARII,

## LIBER I.

## DE IIS, QUÆ PER LEONEM SIGNIFICANTUR,

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

## AD COSMUM MEDICEM, FLORENTINORUM DUCEM.

### CAPUT PRIMUM.

A Multa quidem sunt, quæ de Leone tam Philosophi, quam Historici, nec non Aruspices disseruere: sed neque veriora, neque admiranda magis ab eorum ullo, quam ab Ægyptiis sacerdotibus & observata, & posteritati commendata sunt: ea scilicet extant, quæ viri illi, totius (ausim dicere) arcanorum naturæ conscii, super animalium ingeniis maxime omnium diligenter exploraverunt. Eam vero esse in Leone præstantiam norunt omnes, ut, vel singula ejus membra, non eorum tantum sacerdotum inventione, sed & gentium, ætatumque pene omnium consensu, mystici alicujus significati argumentum præbuerint. Tot sunt veterum monumenta, in quibus Leonina facies, variis hieroglyphicis expressa, nunc magnanimitatem, nunc animi corporisque vires, nunc Solem & terram, nunc natorum erga parentes obsequium, nunc animi domitorem significat; aliis mox picturis amoris petulantiam, Oratoriæ facultatis partem, vigilantiam, custodiam, terrificum hominem, dominatorem, Nili incrementum, clementiam, vindictam, & pleraque alia commonstrat. Nulla tamen naturæ vi admirabilior esse judicatur, quam ipsa, qua egregie pollet, magnanimitate. B Ab ea igitur primum omnium ordiemur, quam Ægyptii sacerdotes ea de causa per Leonem pictum intelligi volebant, quod inter quadrupedes nullum aliud animal præstare magis animo exploratum habuere. Eam præterea Leonis esse imaginem, ut magni & generosi animi simulacrum præ se ferat, ut in Physiognomorum observationibus invenitur. Caput enim magnum habet, pupillas ignitas, [a] faciem obrotundam, & ad radiorum similitudinem jubas undecumque diffusas, quibus colla armosque vestiat. Id enim Leonum genus animosius esse theatra Romana sæpius ostendere. Atque hæ quidem quo diffusæ magis, vulnerum, eo magis contemptum indicant. Eos Homerus ἠυγένειος appellat, de quibus dicitur: *Leonem non terreri larvis, neque à fabula excipi.* Quare [b] Diogenes, cum apud Xeniadem serviret, amicis volentibus eum redimere, negavit velle se: *Annescitis*, inquiens, *Leones non iis servire, à quibus aluntur, sed alitores potius servire Leonibus?* Pari magnanimitate Antigonus Demetrii filius, cum urgentibus hostibus olim retrocedere cogeretur, negabat se fuge-

*Leonis præstantia*

*De magnanimitate Leonis.*

[a] *Leoni præcipua generositas, tunc cum armos vestiunt juba*

[b] *Diogenis, & Antigoni apophthegmata.*

fugere, sed utilitatem à tergo sitam persequi. Hujusmodi vero faciem horride jubatam in morem hi- A
*Antonini numisma.* stricis irritatæ aspicias in Antonini numo: qualesque illi sunt, quos throno Solis Ægyptii subjecêre, affinitatem demonstrantes, quam cum ipso Deo jubarum imitatione habere viderentur. Nam degeneres, ac perinde pavidiores illi omnino sunt, qui crispioribus brevioribusq; sunt jubis. Neq; aliud
*Num. 23. 24* sibi vult divina lectio, cum Dei populum sicut catulum Leonis exurgere, & sicut Leonem exilire scribit. Quanta enim illa sunt indicia magni animi, cum quis crucem suam tollit, & Christum sequitur, cum Principum furias contemnit, cum ferocia, sævaque verbera aspernatur, cum cæsus deniq; gladiis, bidentis instar, nullam neque murmure, neque querimonia consternationem ostendit, cum vi-
*Apoc. 5. 5.* cto seculi terrore, spretisque corporis pœnis, igni, bestiis, tortoribusque traditur? despicit enim & contemnit omnia, quæ sunt in potestate mortalium, & imitatur eum, qui *Leo de tribu Juda* nuncupatur. Atque hic demum ille homo est impavidus, qualem dari sibi Democritus postulabat ad summi boni specimen, qui scilicet animum à terrore liberasset.

## ANIMI CORPORISQVE VIRES. Cap. II.

AJunt vero Admetum Leonem & Aprum junxisse, ex quo illum animi corporisque vires copulasse intelligendum est. Per Leonem enim animi vim, per Aprum, ut suo loco dictum invenies, robur corporis interpretantur. Addunt, eum eodem argumento Apollini atque Herculi acceptissimum fuisse, quos media sapientia & ingenitæ cujusdam virtutis indole sibi conciliasset.



B C

a *Pugnaces ac fremen-tes ut Leones, μάλη pugna, fremitus.* [a] Quinetiam Poëtæ feroces in bello viros μολέοντας vocare consueverunt.

## ROBUR. Cap. III.

EST & illud hieroglyphicum, per anteriora Leonis robur significare, propterea quod in eo animali membra [b] illa robustiora sunt: ab excellenti enim vi quadam uniuscujusque rei significata sua Ægyptii desumebant. Expressit robur hoc Lucretius Carus, cum ita scripsit:

b *Præsertim caput & pectus. ibid. Plin. lib. 8. cap. 38.*

*Principio genus acre Leonum sævaque secla*
*Tutata est Virtus.*

Neque alia de causa Leonem cœlo adscriptum multi prodidere, nisi quod Sol eo tempore, quo signum id permeat, maxime sit validus atque robustus: moxque degeneret in posteriora declinans. Quia vero, ut Pausanias ait, decet bellatorem hominem in conflictu adversus hostem, omni posthabita mansuetudine atque clementia, sævire: Lacedæmonii Martem Ὑγρεπτὴν appellavere, eoque spectare Homericum illud quod ait de Achille dictum, λέον δ' ὡς ἄγρῃ θοίδεν. Cujusmodi signum in Simandii Ægytiorum regis nominatissimi sepulchro spectari solitum authores tradunt, quem Leonis specie figuratum hostes in fugam vertere vidisses: ut ex eo & animum & robur & vigilantiam Regis
*Trajani numisma.* perspicere liceret. Videre vero est in Nervæ Trajani numo fortitudinem hanc ita figuratam, ut clava D leonino insideat capiti, per clavam, fortitudinem significari dictum est in Roboris commentario; per caput vero leoninum, animi generositatem interpretamur: utroque enim opus est, qui Ducis invicti nomen affectet sibi vendicare. Quod vero pertinet ad Leonis robur, tradunt authores Hyllum Herculis filium, eo quod viribus præstaret, Leonem Cytheronium cognominatum, quem cum Euchemus Arcas interfecisset, Rex à Megarensibus salutatus est, apud quos oraculum erat, eum sibi adsciscendum, qui Leonem interfecisset. Quod simile fuit Diocletiani facto, qui tunc se ad rerum summam perventurum acceperat ab oraculis quum primum Aprum interemisset: ob idq; cum plurimos confecisset Apros, queri per jocum solebat, se quotidie Apros interficere, nunquam autem Imperatorem declaratum iri, donec virum nomine Aprum jugulasset. In numo quodam pulcherrimo C.
*C. Publicii Q. F. numisma.* Publicii Q. F. cernere est fortitudinis simulachrum, quod Leonem suffocat clava à pedibus strata,

A ſtrata, phareta cum ſagittis anteposita. Hippothoon Poëta robur hoc leoninum pulcherrimo deſcripſit ſenariolo, quem apud Jo. Stobæum invenimus: γῆρας λέοντος κρεῖσσον ἀκμαίων νεβρῶν, cujuſmodi verba ſenex ille dicit apud Ariſtophanem, Veſpis, ἐγὼ τὸ μὸν νομίζω γῆρας εἶναι κρεῖττον ἢ πολλῶν κικίννους νεανιῶν. Leonis ſenectam, maxime florente hinnulorum juventute meliorem eſſe ſcribit Hippothoon; & ſenex ille Ariſtophanicus ſenectutem ſuam pubeſcenti multorum juvenum virtuti gloriabundus anteponit. Cicero vero in Officiis, vim non aliter Leoni peculiarem eſſe dicit, quam Vulpeculæ fraudem.

## VIGILANTIA CUSTODIAQUE. Cap. IV.



VErum enimvero, per Leonis caput Ægyptii ſacerdotes vigilantiam atque cuſtodiam oſtendebant. Cauſam addebant, quod ſolum hoc ex animalibus recurvos ungues habentibus, ſimulatque natum eſt, cer-
B nit, atque hinc Plutarchus ſolare animal Leonem haberi putat. Sane illi nomen παρὰ τὸ λάω [a] τὸ θεωρῶ, inditum ajunt etymologiarum indagatores. Somni præterea parciſſimi eſt, oculosque habet inter dormiendum ſplendeſcentes, ac quodammodo patefactos, quod in cuſtodiæ ſignum recepere: & ſane multi crediderunt Leones omnino inſomnes eſſe, quod Manethon Ægyptius in iis, quæ ſcripſit ad Herodotum tradit. Hujuſce rei argumentum nonnulli obſervavere, quod caudam aſſidue inter quieſcendum motat. Cæterum incredibile eſt, ut putat Ariſtoteles, animal ullum perpetua uti vigilia: ſed inde perſuaſi ſunt, qui talia ſe obſervaſſe profitentur, quod Leo magnos habet oculos, palpebrasque perexiguas, ut non oculum poſſit penitus obtegere, intuentique ſplendor ille ſeſe offert, qui plurimus emicat ab ejus pupilla: quare ſemper ſomni expers eſſe videatur.
C Quapropter ſignificanter admodum, non tantum Mycenarum [b] portis, ſed etiam reliquorum ædificiorum, præcipue vero fanorum valvis, ædiumque ſacrarum veſtibulis Leones, tanquam divinorum cuſtodes, ut eſt paſſim cernere, ſtatuebantur. Quique iis inſomnium attribuunt, inde eos Soli dedicatos autumant, eandem cum Leone conditionem habenti, quippe qui patenti igneoque oculo terram conſpectu perpetuo atque infatigabili tueatur. Cum vero conſtet, Alexandrum magnum præter alia, quæ in homine præclara fuerunt, vigilantiſſimum etiam fuiſſe, quod in exemplo à Grue ſumpto alibi diximus, non minor, etſi aliæ etiam hujus rei cauſæ eſſe poſſunt, eum in numis quibuſdam Leonino ſpolio caput indutum ſpectari, ab cujus altera facie ſimulachrum Jovis eſt ſedens, læva baculo innixus, dextera Aquilam prætendens, literæ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, nempe quod ab Hercule per Caranum primum Macedoniæ regem duceret genus: nam Hercules Nemæi Leonis ſpolio ubique inſignis conſpicitur: vel quod eximiæ magnitudinis Leonem ſpectante Spartanorum legato, ſtratuit. Quanquam non ſum neſcius, Philippum Regem poſt Olympiæ
D nuptias, per quietem ſibi viſum conjugis alvo inſignem infixiſſe bullam, cujus ſculptura Leonis imaginem haberet: quod & uxorem gravidam eſſe, & animoſum filium parituram, conjectores periti reſpondere. Hinc Alexander in matris honorem Leonis ſpolio maxime gaviſus eſt: & eadem de cauſa cum ſomnio monitus Aleandriam in Ægypto ædificaſſet, eam Leontopolim appellavit, quamvis ejus ſucceſſores Alexandriam à conditore ipſo maluerint vocitari. Quod vero pertinet ad Leonis ſomnum, Phyſiologos ait Adamantius hæc de catulo Leonis ſcribere, eum quippe ſimulac natus eſt, tribus diebus & tribus noctibus dormire, tum deinde patris rugitu tanquam tremefacto concuſſoque cubilis loco, catulum dormientem expergefieri: eoque trahit dictum illud à Jacobo in ſacra lectione: *Catulus Leonis Juda ad prædam (fili mi) aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?* Atque etiam illud ex ſecundo Balaamis reſponſo: *Recumbens ut Leo requieſcet, & quaſi Leæna, quam ſuſcitare quis audebit?* quod dubio procul ad Chriſti ſepulturam pertinet.

a *Video, ſpeculor, & contemplor.*

b *Sed & Fulgentius Gallum Mercurio attribuit, ob mercatorum vigilantiam Portis valviſque fanorum cur Leoninæ capita affigantur.*

*Alexandri numus.*

*Philippi Regis ſomnium.*

*Lenotopolis.*

*Gen. 49, 9.*

*Num. 23, 24.*

Sed enim intelligere etiam possumus dormisse eum sicut Leonem, ob splendescentes inter dormiendum oculos, ut scilicet divinitatem ipsam cum eo nihil quicquam sopitam intelligamus. Quod autem de oculis inter dormiendum splendescentibus à nobis additum est, ea de causa factum, ut aurem iis velleremus, qui viri alioqui doctrina magni atque pii, in eo tamen lapsi sunt, quod animam Christi putarunt per tempus illud, quo corpus ejus sepulchro conditum fuit, apud inferos passam, quod humana ipsa natura piorum hominum audire reformidat. Animadverte autem Origenis traductionem Latinam loco hoc, ut fere passim, valde corruptam esse.

## TERRIFICUS. Cap. V.

*Agamemnonis clypeus.*

ATQUE eo quidem signo quo robur & vigilantiam indicabant, eodem & terrificum hominem, qui reliquos aspectu solo consternaret, significabant: cujusmodi simulachrum in Agamemnonis clypeo fuisse, Pausanias testis est, ad formidinem aliis incutiendam. Quod quidem scutum in Olympiæ templo per aliquot tempora pependerit, inscriptione etiam adjecta:

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Quod ita reddere possumus:

*Terror hic est hominum, quique hunc gerit est Agamemnon.*

*a Plin. lib. 8. cap. 36. Leonis natura formidabilis.*

Est autem Leo ejus naturæ, ut etiam si ferum nihil moliatur, intuentes tamen terreat:[a] ea est in oculis ejus vis, ea majestas. Unde tam Græci quam Latini Poëtæ terrorem descripturi, comparationem ab hujusmodi animalis ferocia libentissime desumpsere. Merito itaque Chabrias, Athenienſium dux, vel, ut alii, Philippus Macedo, dicere solebat, formidabiliorem esse Cervorum exercitum duce Leone, quam Leonum duce Cervo. Atque tanta porro vis, tantusq; vigor animali alioqui robustissimo, ita in oculis consistere tota videtur, ut eorum vel minima offensione, supra quam credibile sit, debilitari videatur, levissimique amictus objectu pecude ignavior fiat, quod & in theatris sæpius Roma spectavit, & Lysimachi exemplo comprobatum est, quem Alexander[b] Magnus in idem claustrum cum ferociente Leone incluserat, ille vero hanc ingressus viam domita strangulataq; bellua, & Regi admirationi fuit, & vitæ consuluit suæ, meruitq; ut hujusmodi factum æterna numismatum memoria prorogaretur. Quin non in oculis tantum ejus, terror, verum etiam in rugitu constat: itaque Pindarus eum οὐρύβρομον, Olympiis, hoc est, *Late rugientem*, vocat, Agesidamo, ut in Vulpe diximus. Id vero fit tanta ferarum omnium trepidatione, ut (quod Ambrosius cum Basilio testatur) animantium multa, quæ vel ejus impetum per celeritatem evaserint, horrenda tamen ejus indignantis audita voce, veluti vi quadam perculsa atq; attonita consternentur, & plerumque ita deficiant præ metu perdita, ut nullo negotio capiantur. Quinetiam qui per somnium imaginatus fuerit habere se Leoninum caput,[c] Onirocritæ volunt eum in adversarios terribilem fore significari, nonnunquam vero & principatus & dominationes assecuturum. Ab hujusmodi vero rugitus magnitudine, Marcus, è quatuor Evangelistis unus, Leonis imagine, ut est à Daniele prævisus, ita in hodiernum usque diem hieroglyphice figuratur, quod ipso statim operis initio vocem in deserto clamantem ingenti ore tonat. Ita Eucherius.

*b Plin. ibid. & Plutarchus in Alexand. Lysimachi præclarum factum numismate testatum.*

*c Artemidorus lib. 1. cap. 39. Marci Evangelistæ imago hieroglyphica.*

## DOMINATOR. Cap. VI.

*Mulier Leonē pariens.*

SAne Basilius Leonem pro Dominatore animalium rationis expertium ponit: observatumque est in ostentis, ut si forte mulier aliqua Leonem pariat, fore ut ab externis gentibus vinceretur ea Respublica, in qua id contigisset: quod non in humano tantum genere, sed etiam in quocunque alio diversæ formæ animanti pollere tantundem comperias apud Aruspices. Observatum est in Cô insula, cum Ovis de grege Nicippi cujusdam privati hominis Leonem peperisset, non fuisse hujusce rei eventum irritum, arrepta inde ab eo dominatione. Hinc illa societas Leonina, quæ longe plura sibi assumit quam relinquat, de qua Arist. I C. ex Ulpiano Cassium respondisse refert: [d] *Societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret*, & hanc societatem Leoninam solitum appellare. L. ff. XVII. T. pro Socio. l. XIX. & Dion Chrysostomus sermone περὶ βασιλείας, Homerum ait sapienter Bovi æquiparasse Agamemnonem eo versu:

Ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων.

Minime vero vel Leoni vel Aquilæ similem dixit, propterea quod dominationis ea sunt exempla.

*Ovis Leonē pariens.*

*d Societas Leonina quæ.*

SUM-

## SUMMA CALLIDITAS INGENII. Cap. VII.

A NIhil vero gravabor antiquum in argumentum hujusmodi fabulam subjungere, quæ mortalibus utili admodum documento futura sit. Divulgata per orbem erat fama oraculi, quod ab Jove Ammone prodierat, Alexandrum Macedonem brevi ad se venturum, quem filium esse confitebatur suum: solicitari hinc ad obsequium terræ Reges, Principem ut sibi conciliarent inter se certare muneribus: præcipueque Ptolomæus Ægypti Rex, Dei sui filium veneraturus, magnam pecuniæ vim parat, quantum scilicet vectigalis uno die ex Nili ostiis & Memphiticæ urbis portoriis collegisset. Erant vero cujusque generis pecuniæ ex rebus omnibus hinc inde collectæ ad aliquot talentorum millia: id totum sine delectu xenii nomine ad Alexandrum deferri curat. Obtulerunt sponte veterinam operam, Mulus, Equus, Asinus, & Camelus, qui pecuniam cum fide convectandam suscepere. Hi vix biduum à Memphi progressi, facti sunt obviam Leoni, qui & ipse intellecto Herculis cultu, quem Macedo suscepisset, dum rebus studet suis, Regem salutaturus iter in Macedoniam tendebat. Data itaque & accepta hinc inde salute cum destinatum, ut fit, omnes iter enarrassent, adsciscitur comes Leo quasi custos atq; præsidiũ adversus latrocinantes affuturus. Hic de pecuniis certior factus, B habere dixit se quoque certam drachmarum summam, quas pro commeatu ferret, sed esse illas sibi plurimum incommodas, quod oneribus gestandis nequaquam assuetus esset, rogat itaque, ut si oneris additamentum, leve singulis futurum inter se dispertitum, suscipiant, magni hoc beneficii loco habiturus. Obsequuntur illi officiosissime, ac paucas admodũ illas Leonis drachmas inter se divisas in sacculos quisque suos admiscent, iterque mox continuant suum. Venerant in pigues Asiæ campos, cum Leo armentorum multitudine conspecta, dies aliquot ibi commorari è re sua fore designavit, simulataq; lassitudine aliquot dierum quiete sibi opus necesse dixit, quasq; deposuerat pecunias reposcit: adapertis confestim sacculis, ipsum quæ sua essent, sibi desumere licere inquiunt. Leo cum plerasque alias magno numero drachmas eadem nota signatas in unoquoque sacculo conspexisset, læto magnoque rugitu edito: *Drachmæ*, inquit, *meæ multas admodum drachmas singulæ peperere*, atque mox quotquot erant suis similes abstulit pro suis. Quid quod Hannonem [a] Carthaginensem præclarum virum, cujus meminit Plinius, in exilium actum ferunt, quia Leonem ferundis oneribus assuefecerat? argumento inde capto, ut Plutarchus ait ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμασι ad Trajanum, quod qui Leonem cicurare potuisset, ad longe majora etiam aspiraret.

*Fabula elegans.*

*a. Plin. 7. ibid.*

C

## HOMO QUI VEL SUAM, VEL ALIENAM FEROCITATEM EDOMUERIT. Cap. VIII.

EOdem ostento, mortalium triumphis, Leones junctos à M. Antonio, atque id quidem civili bello, generosos spiritus jugum subdituros, portendere. Id quod Cicero in Philippicis illi objicit, dum currum ejus Leonibus junctum, imperiosi hominis invidiam ostentare memorat. Et in Epistolis ad Atticum, qui augurium id formidabat, ait: *Tu Antonii Leones pertimescas, cave, nihil est illo homine jucundius*, & quæ sequuntur reliqua. Sane hominem, qui arte ingenio vel authoritate longe potentiorem se addicit sibi atque subjicit, per Leonem ab homine domitum intelligimus: quippe quod feræ alioqui ferocissimæ validissimæque impetum ferocitatemque sopire mollireque potuerit. Hac utitur comparatione Nazianzenus, ubi Basilium ait non modo sibi conciliasse prius Eusebium, sed in suam ita sententiam attraxisse, ut ejus consiliis & monitis in omnibus parere videretur. Notum ex Historiis quid Megarensibus acciderit, apud quos Cassius Leones, quos ædilibus ludis præparaverat, reliquisset. Cum vero civitas per Calenum caperetur, Megarenses ferarum carceres effregerunt, earum vinculis relaxatis, ut irruentibus hostibus objectæ, negotium eis tantisper facesserent, dum sibi per moram aliquam consulere possent: sed enim longe aliter evenit, quia Leones in cives ipsos truculenta sævitia conversi, tantam inermium stragem edidere, dum obvios quosq; adoriuntur, sternunt atque dilacerant, ut spectaculum id fuerit [b] vel ipsis hostibus perquam miserabile. Atque ut hujusmodi multa prætereamus, jam vero Pythagoricum præceptum est, animalia curuunguia (ita mihi liceat γαμψώνυχα interpretari) nutrienda non esse: quippe rapacitatem è civitate summovendam. Idem sentit Æschylus, cum Leonis catulum in Republica non alendum esse dicit his verbis:

*M. Antonii Leones.*

*Cassi Leones.*

*b Aristoph. in Ranis: & Val. Max. lib. 7. cap. de sapienter dictis.*

D

Οὐ χρὴ λέοντ' σκύμνον ἐν πόλῃ τρέφειν,
Μᾶλλον δὲ μὴν λέοντα μὴν πόλῃ τρέφειν,
Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

*Catulum Leonis alere in urbe non juvat,*
*Magis cavendum ne Leonem nutrias,*
*Quem qui educarit, ejus & mores ferat.*

Euripides vero nullo eos pacto censet admittendos, Pythagoræ præceptum secutus, in quo sapienter quidem Æschylus hæc super Alcibiade, impotentiores id genus homines non accipiendos: cæterum si accepti fuerint, æquo animo ferendos. At Euripides, ut Aristophanicus clamat Dionysius, Ranis, ingenue magis locutus, siquidem ut apud Homerum habetur:

Οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσι ὅρκια [a] πίστα.

a *Nullum firmum fœdus cum hominibus & leonibus.*

## FUROR INDOMITUS. Cap. IX.



IMmensum itaque furorem, quo quis impotentius exardescat, significare si collibuisset, Leonem effingebant catulos suos discerpentem, imo exossantem, ut Græcum vocabulum ἐξοστίζοντα interpretemur, non autem ἐκστίζοντα, cauda flagellantem (ut in vulgatis Hori exemplaribus lib. 2. cap. 38. bis positum exstat, quo quidem furore [b] correptum olim Herculem authores tradunt, eoque insaniæ provectum, ut non hospitis tantum filios enecarit, verum & in suos ipsius filios usque adeo fœvire solitum, ut eos interfecerit: quod non absimile est à pictura Leonis proprios catulos discerpentis. Sane Theocritus in Megara Herculis fœmina, de furore, quem is in liberos exercuerit hæc dicit:

b *Hinc Aristophanes:* ἡρακλῆς ἐς γὼ ἴχω. *Leonini furoris descriptio.*

Σχέτλιος, ὅς τοὔνεκα τοὺς πορευτοὺς ὀπύιλων
Ἑστίν ὑπὸ κηρῶν, ἢ ἐρινύος αἶνα βέλεμνα
Παῖδας ἐὸς κατέπεφνε, καὶ ἐκφίλον εἴλετο θυμόν,
Μαινόμενος κατ' οἶκον, ὁ δ' ἔμπλεος ἐσκεφόνοιο.
Τὼς μὲν ἐγὼ δύσλως ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι
Βαλλομένους ὑπὸ πατρί.

*Infelix, qui missilibus de munere Phœbi,*
*Sive ea Parcarum, vel Erynnios impia tela,*
*Gnatis ipse suis furiis agitatus ademit*
*Charum animam, ut domus ipsa cruore aspersa nataret.*
*Hos ego confossos manibus cecidisse paternis*
*Jussa oculis spectare meis, miserabile visu.*

Poetæ [c] quoque nostri Leonem iracundum notant, unde illud apud Horatium: [d] *Promethea insani Leonis vim stomacho apposuisse nostro*, cum de excandescentia loqueretur. Elegantissime quoque, neque non eruditissime Lucretius causam furoris istius perquirit, cujus carmina non injucunda quæ repetantur, ponere non piget:

c Ovid. Met lib. 4. *Armeniæ Tigres, iracundique Leones.* d Horat. 1. Carm.

*Sed calidi plus est illis, quibus acria corda* — *Pectora qui fremitu rumpant plerumq; gementes,*
*Iracundaq; mens facile effervescit in ira,* — *Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.*
*Quo genere in primis vis est violenta Leonum,*

Superius vero dixerat, cum de varietate animi loqueretur:

*Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,* — *Cum fervescit, & ex oculis micat acrius ardor.*

Ejus vero indicium excandescentiæ est, cum caudæ verberibus sese excitare visus fuerit, quod ita Hesiodus tangit in Herculis scuto:

—— Πλευρῇσιν καὶ ὤμοις
Οὐρῇ μαστιγόωντο τεθμῷ, οὐδέ τις αὐτὸν
Ἔτλη ὅτ' ἀντίος ἰδὼν χαλκὸν ἐλθεῖν, οὐδὲ μάχεσθαι.

Quem

A Quem Catullus secutus Galliambico super Atti dixit

*Age cæde terga cauda, tua verbera pateant,*
*Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.*

Et quæ ad furoris incitamentum & indicium sequuntur: nam & corrugare frontem pugnaturus cernitur, quod σκύζειν [a] Græci dixere: & superciliorum contractionem ἐπισκύνιον vocant. Index autem præcipuus est Leonini animi cauda, perinde ac Equorum aures, eaque proprie in Leone dicitur Alcea, [b] quod præcipuum in ea robur constet, vel quod incitamentum quoddam ad assumendas vires animumq; commovendum: initio irarum terram flagellant, increscente vero excandescentia terga etiam sua verberant, id ea de causa fieri putat Alexander Aphrodiseus, quod eorum anima vehementius moveatur, fitq; ultionis admodum appetens, cauda vero utatur veluti homines manu, qua illi se plerumq; inexcandescentia complodere solent: ita animalia hæc ira commota, cum id quod sese lædit ulcisci nequeunt, eo sibi modo solatium solent excogitare. Est itaq; furor Leoni familiaris, unde apud Maronem, [c] *Iræque Leonum*, legitur, & Ovidius: *Iram vultus habet*, de eisdem ait: quare

B Poetæ Leonem peculiariter feram dicunt, ita Callimachus:

Θηρὸς ἀερτάζων δέρμα κατωμάδιον.

Quod vero catulos ab eo exossari pingerent, causa est, quod medulla Leoni vel nulla, vel perexigua est, ut omnium animalium solidis omnino ossibus constare videantur, quasi inde accrescat furor: quod labor his confringendis sit mercede major, cum minimum id sit, quod suctui possit inservire. Sunt præterea ossa illi dura adeo, [d] ut ex eis collisis, ignis veluti ex silice excutiatur. Hinc animal est maxime febri obnoxium. Febrem vero nihil aliud esse, quam superantem totius corporis calorem Medicorum omnium consensu manifestum est. Febri denique nomen ab igne Græcum [e] πυρετὸς à fervore Latinum est: quo morbo Leones toto vitæ tempore cruciari feruntur, eaq; de causa Lucretius *triste Leonum seminium* appellavit. Sane proverbium hinc emanavit, [f] ἐγέλασεν ὁ λέων, quotiens rarum aliquod hilaritatis exemplum intuemur. Thucydidis id dictum est in Cylonio scelere subnotando, cum scilicet indoluisset demum Atheniensis populus, Cylonem per factiosissimas factiones quietum Reip. statum interturbare, & quasi post diuturnam mœstitiam ad hilaritatem demum re-

C spexisset, ut impetu in hominem facto, eum vel ad inviolabilis Deæ templum aufugientem persecuti sint plerique, distractumque inde magno totius civitatis gaudio trucidarint.

[a] σκύζειν *irritari.*
[b] ἀλκὴ *enim robur.*
[c] *Æneid. lib. 7.*
[d] *Definitio febris.*
[e] *Servius in Virgil.*
[f] *At potius Leonis rictus, quam risus.*

## REMEDIUM IN FEBREM NACTUS. Cap. X.



EO itaque incommodo vexantur Leones tametsi unus Albertus negat esse eos febriculosos, cui in Germania nato, alito atq; educato, ubi totum fere vitæ spatium consumpsit, utrum de Leone loquenti potior sit adhibenda fides, quam Ægyptiis inter Leones quodammodo genitis, cumque ipsis totum vitæ tempus versatis, alii viderint. Ego sane disciplinas eorum in hujusmodi re secutus compertum esse dicam Leonem febri correptum, [g] vel si ad furorem usque exæstuet, unius pastione Simiæ liberari.

D Quapropter Ægyptii Sacerdotes si febricitantem hominem & sibimet auxilia comparantem significare vellent, Leonis Simia vescentis hieroglyphicum ponere soliti sunt: tanta enim indignatione Simiam fert Leo, ut nullum animal avidius perdere desideret. Causa est animalis petulantia, Leonem indignissimis modis exagitantis. Nam simul ac vel arbore aliqua, vel ex alio tuto latentique loco nacto fuerit occasionem in Leonem insiliendi, pro magno habet negotio caudæ sese ejus applicare, natibusque affigere atq; ita quibuscunque potest ludubriis Regi suo illudere, quod impatienter ferat Leo, impotenter admodum in hujusmodi animal efferascit: quæ plenius in Cynocephali commentario discussimus. Sed ut mirari desina-

[g] *Plin. ibid.*

*Simiæ & Culicum in Leonem petulantia.*

desinamus animal adeo ignobile generosissimo omnium infestum esse, scimus etiam Culices in Leonum greges petulanter adeo ferocire, ut eos magna interdum clade ad internecionem adigant. Inter enim arundineta Mesopotamiæ Leones innumeri juxta fluminum ripas & fruteta vagantur, eo tempore quo hyemis clementia ibi molissima est, semper innocui: verum ubi per æstatem cœlum exarserit, regionibus iis æstu candefactis ambustisque propemodum, ipsi tam vapore sideris, quam multitudine culicum agitantur, quorum densissimis examinibus per eas terras omnia referta sunt: qui quidem ad splendorem oculorum, tanquam ad humidiora membra convolantes eos appetunt, palpebrarum libramentis mordicus insidentes. Hinc Leones cruciati diutius, aut fluminibus, ad quæ remedii causa confugiunt, absorbentur, aut amissis oculis immanius efferascunt: quod ni fieret, omnis ea quæ ad Orientem late diffunditur plaga, hujusmodi bestiis oppleretur. Id sibi compertum esse testatur Ammianus Marcellinus Rerum gestarum libro 18.

## SUPER IGNE SOLICITUS. Cap. XI.

ATque hoc quidem animal, quod ignem ingenitum, & in ipsis ossibus abstrusum gestat, ignem tamen præcipue formidat, adeo ut nihil æque vereatur, atque prætentas faces, quibus ad ferociam ejus domitandam nihil efficacius, quod & Homerus testatur eo carmine:

*Καιόμεναί τε δέται τὰς τετρεῖ ἐσσύμενός περ.*
*Ardentesque faces, quas quamvis sæviat, horret.*

Et Pindarus Nemeis: Πῦρ δὲ πανκρατὲς θρασυμαχᾶν τε λεόντων ὄνυχας ὀξυτάτους, ἀκμάν τε δεινοτάτων σχάσας ὀδόντων. In cujus trepidationis admirationem adducti Ægyptii sacerdotes, hominem super igne formidolose solicitum, & quasi vesanientem, ostendere si vellent, Leonis simulachrum, & faculam pingebant. Id nos vix autoribus credebamus antequam & Florentiæ, & demum Romæ Leones hac potissimum ratione domari conspiceremus. Simulacrum hoc in marmore cæsum Romæ vidi via Leoniana, quæ ad popularem ædem ducit, erutum frustum ex Augustorum mausoleo. Leo erat humi sessitans capite sublato, & in tergus verso: in transversum adsculpta erat fax pinea cum nuce in summo capulo, tæniaq; à face in Leonis tergus porrigebatur. Quamvis vero apud authores scriptum repererim, nihil aliud ex hieroglyphico hujusmodi significari, quam, uti dicebamus, eum qui super igne pavidus esset: si tamen liceat mihi sententiam his meam admiscere, rei istius interpretationem esse dixerim, edomitum furorem. Causam cur ita ignem expavescat Leo, Peripatetici eam afferunt, quod ejus animalis vis præcipua in oculis consistat: quippe oculos sicciores calidioresq; habent, ii maxime omnium ignem aversantur. In idem verò significatum adduci possit ilicis folium Leonino pedi subjectum: siquidem Magi ferunt Leonem iliceo folio calcato torpescere: eandemque vim esse folio scillæ traditum à Zoroastre, non illo inquam antiquo, sed qui post Plutarchum fuit.

*Simulacrum Romæ in via Leoniana.*

## RELIGIOSA FORMIDO. Cap. XII.



ET ne longius à Leonina formidine digrediamur Gallum [a] is identidem, & præcipue album, ut Ambrosius ait, à quo etiam Pythagoras abstinendum [b] jubet, mirum in modum perhorrescit; quod pro symbolo colendæ divinitatis accipi quidam prodidere. Siquidem Gallus, de quo Lucretius,

*Quem nequeunt rabidi constare Leones*
*Inque tueri, ita continuo meminere fugat.*

divinum quiddam præ se fert, uti latius in Commentario de volucre ea perscripto, disseruimus. Divinitatem vero omnis terrena potestas reformidat, ac reveretur. Leones porro cum Deum matri sint dedicati, Terræ ipsi addicti intelliguntur, & superius bonam Leonis partem, quippe quod à jubis est reliquum, terram præ se ferre dicebamus. Sed enim aliam hujus formidinis causam adducit Proclus libello de Magia, ait enim Gallum & Leonem præcipue solaria esse

*a Plinius ubi supra. Gallus cur Leoni formidabilis sit.*
*b Quod mensi sacer & horarum nuncius sit.*

A esse animalia: sed cur Gallum Leones vereantur, non posse nos à materia sensuve rationem assignare, sed à superni tantum ordinis contemplatione: qua scilicet, præsentia visve solaris virtutis magis Gallo infusa sit, quam Leoni concessa, quod ex eo conjectare videtur, quod exploratum omnibus est, applaudere illum hymnis surgenti Soli, quasique jubar ejus advocare, eo præsertim tempore, quo ex medio Antipodum cœlo digressus ad nos deflectitur. Affirmat etiam solares quosdam Angelos in Galli effigie nonnunquam apparuisse, qui cum in se sine forma sint, nobis tamen, qui sumus in certam effigiem informati, forma se præditos ea videndos exhibuere. Contra vero Dæmones nonnunquam Leonina fronte visos, qui objecto Gallo repente in auras evanuerint: quare solent, etiamnum diebus his superstitionis ejus studiosi, gallinaceum pullum in pelliciendis eis consilii causa præmactare. Ad hæc tradunt Græcorum nonnulli, qui doctrinam Ægyptiorum sequuntur, animam Cecropis, quem in Leonem transmutatum credebant, immolatis Gallis gallinaceis, characteribus quibusdam subscriptis evocari, seque illam eis ostendere: quod tamen esse ludibrium Æneius Euxitheus affirmat, Dæmonesque ita nos præstigiis fallere contendit. Quod vero Dæmones, qui

*Cecropis anima evocata.*

B Leonina fronte apparuerint, objecto evanescant Gallo, inde procedere dicit Proclus, quod in eodem ordine constituta, quæ inferiora sunt, superiora semper vereri coguntur. Quemadmodum plerique viri, dum virorum divinorum imagines intuentur, hoc ipso aspectu vereri solent aliquid turpe perpetrare. Lucretius vero ex sectæ suæ præceptis ait esse:

*—— Gallorum in corpore quædam*
*Semina, quæ cum sunt oculis immissa Leonum*
*Pupillas interfodiunt, acremque dolorem*
*Præbent, ut nequeant contra durare feroces.*

Mirum vero quod veteres observarunt, Leonem etiam herbam ita nuncupatam, quæ furculis sese circumplicando plurimum nocet, Gallum ita abhorrere, ut si puella adhuc intacta, menstrua tamen, nuda passis crinibus leguminum segetem circumeat, Gallum in manibus habens, exaresçat gramen id, prorsusque deficiat. Id qualecunque est, à Democrito tamen traditum est, ut asserit Sotion. Sed qui alienoires à superstitione sunt, arcanamque naturæ vim quandam contemplantur. Semina ajunt

C Galli sanguine contingi debere, hæcque ita fata ab Leone herba nulla postmodum injuria affici.

## INUNDATIO. Cap. XIII

INcrementum vero Nili, quem Num Ægyptiaca lingua nuncupant, quod apud nos significat, Novum atque recens, ostendere cum vellent, Leonis identidem hieroglyphicum faciebant: quippe cum Sol Herculei Leonis terga adit, Nili diluvium excitat, duplumque recentis aquæ Sole in eo signo commorante sæpius exundat; quæ vis aquæ per spatiosam Ægypti planiciem late diffusa, solum ea fertilitate gravidum reddit, qua non ipsi tantum indigenæ sibi alimenta colligunt, sed magnam orbis partem fame levant. Propter eam vero aquarum redundantiam, quam Leonis beneficio consequi se quotannis experiuntur, institutū est, & apud gentes omnes uno jam consensu receptum ut canales, tubique & siphones, qui aquam eructant, per terebrata foramina in Leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita, aquam immittant, quæ inde ex Leonis rictibus evomi videatur. Qua ratione autem capita ea Leonum in fimis præcipue constituenda sint, quoque ordine disponenda, atque, ut ea tantum quæ contra columnas fuerint, perterebrari debeant ad canalem usq; qui cœlestem

*Leonina capita aquas eructantia.*

D aquam ex tegulis excipit, reliquis inter hæc solidis, uti quæ cadit vis aquæ per tegulas in canalem ne dejiciatur per intercolumnia, neve transeuntes perfundat, sed ea tantū, quæ sunt contra columnas, ex ore ructus aquarum emittere debeat, Vitruvius late docet. Observaverat siquidem is, aquarū redundantiam per Leonem apud Ægyptios significari, atq; hoc in omnibus antiquorum ædificiis fieri passim viderat. Et ut semel dicam, fontes & aquarum tubi, qui ab aquæductibus quibuscunque prominebant, Leonis figuris ornabantur: ut qui fons admirabili opere Viterbii antiquam hanc disciplinam ostentat. Et ut alia dissimulem, Romæ in Area Lateranensi Leones duo sunt nigri lapidis ante æneam M. Aurelii statuam positi, qui dubio procul fontibus inserviebant. Indicia sunt ora perterebrata in adaperto rictu, & inferne foramina in guttur usq; immissa, & inter pedes pro pectore canaliculus excipiundæ aquæ dimittundæq; intercavatus. Tale aliquid observavi in agro Brixiano extra

*Leonum effigies in tubis.*

portam Orientalem ad secundum lapidem, ubi juxta viam, quæ tota magnis aquarum rivis atq; divortiis instructa est, Leo marmoreus antiquissimi operis, utris instar inflatus, rictum eodem modo ad aquarum effluvium patefaciebat. Sed neq; in iis tantum, quæ ad aquam evomendam pertinent, Leonum effigies apponi consueverunt: verum etiam propterea quod Leo, cœlestis ille, inquam, aperire claudereq; videtur aquarum cataractas. Atque in hæc usque tempora nunquam antiquata est veterum consuetudo, ut ostiorum clausuræ, claves, annulique foribus affixi, Leoninis rictibus ornentur, quod apud Ægyptios factitari solitum ait Theon in Arati Commentariis: quamvis quod ad ostia pertinet, ad eam de qua superius dictum est, custodiam potius respicere, quam ad aquarum fluctus, crediderim. Illud non omittam, quod Horus Apollo tradit, in supplicationibus pluvias exposcentibus, plerisque in locis Leonum ora vino prolui fuisse morem. Sed advertendum est vulgatos Hori codices hoc loco depravatos esse.

## SEMEL TANTUM ENIXA. Cap. XIV.

*Æsopi fabella.*

CUm vero persuasum haberent Ægyptii, Leænas semel tantum in vita parere, id quod cum Herodoto plerique alii prodidere: mulierem itidem, quæ unius tantum filii mater fuisset, per Leænam sculptam significare consueverunt. Et in hanc sententiam Æsopi fabula veteribus scriptoribus approbata. Cum Vulpes Leænæ fœcunditatem suam objiceret in generositatis commendationem, illam vero incesseret, quod & semel in vita, & unum tantum pareret: Leænam respondisse, se quidem semel & unum parere, sed eum Leonem. Hujus raritatis causam plerique reddere commenti sunt, eamque potissimum adinvenere, quod catuli in utero jam unguibus obortis matricem discindant, ediq; partum, ea unguium acie in enixu lacerata: vel quod una cum primo partu locos amittat, quam deliram esse fabulam [a] Aristoteles asseverat, easq; vel quinquies vita parere, quod exploraverit in terra Syria, demonstrat. Primum enim quinque, ac per annos singulos uno subinde pauciores, donec ad unicum, & mox ad sterilitatem declinaverint, in qua reliquum vitæ spatium degant. Alias magna ex parte geminos: quod per longam annorum seriem Florentiæ experimento compertum est: sed quum plurimum sex, nonnunquam etiam unum. Philostratus affirmari ait à rerum peritis, ter eas tota vita parere: primo quidem tres, mox duos, inde unum: visam tamen aliquando Leænam, quæ octo utero gestarit. Sed enim quam Philosophi rationem raritatis hujusce in pariendo conati sunt invenire, Basilius Magnus ad providentiam Dei refert, cujus imperio factum sit, ut animalium ea, quæ facile capi possent, longe essent cæteris fœcundiora: quocirca tam Lepores, quam Damæ, quam etiam Oves, fere sæpius & geminos pluresq; pariunt fœtus, ne genus deficiat feris iis, quæ sanguine gaudent, carnivoræq; sunt. At ea quibus pro cibatu cætera sunt, certum est longe minus fœcunda esse: quapropter ait, *Leonis vix unius Leæna mater evadit*, quæ quidem raritas pariundi, cum non alii animalium generi certius contingat, merito Ægyptii, quod in pluribus accidit observantes, semeliparam per Leænæ hieroglyphicum ostendebant.

[a] *Sic Plin. lib. 8. c. 16.*

## CLEMENTIA. Cap. XV.

PRæter hæc alia quoque super Leone hieroglyphica inveniuntur, quæ quoniam apud eos non reperi, qui literas hieroglyphicas interpretati sunt, sed potius observatione inventa mihi videntur, breviter attingam. Ex iis clementia est, per quæ Leonem [b] & substratum hominem, ita tamen ut Leo sit incolumis, significatur: propterea quod infestissime solicitatus ab homine Leo, dummodo sit intactus, non unguibus eum lacerat, nec ulla injuria afficit, sed quatit solum, atque ubi ita perterruerit, dimittit, quod ita Ovidius scribit:

[b] *Sic Plin. Leoni tantum ex feris clementia in supplices, prostratu parcit.*

*Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni.*

*Ibidem. Severi Pii Aug. numisma.*

Ad hujusmodi significatum non frustra vidimus in Severi Pii August. numo simulacrum mulieris, quod Leoni exporrecto insidet, manu quidem una hastam terræ affixam tenens, altera fulmen quasi abjiciens, non autem in jaculandi gestu, cum inscriptione hujusmodi, Indulgentia Aug. in Carneq; quidquam aliud legi potest.

## CASTIGATIO. Cap. XVI.

PRæter clementiam, inesse Leoni castigationis etiam judicium, ex eo didicimus, quod traditum ab Eudemo citat Ælianus, Leonem, Ursam, & Canem eodem contubernio à magistro quodam alitos

A alitos & educatos, sine ulla injuria aliquamdiu pacatissime conjunxisse, ac si domestica & ejusdem generis animalia fuissent: verum cum Ursa quodam impetu percita contubernalem Canem dilacerasset, commotum Leonem violati hospitii scelere, in Ursam prorusse, eaque pariter dilacerata meritas pro Cane pœnas exegisse.

## VINDICTA. Cap. XVII

LOnge vero diversum à superiori significato est, quod ulciscendi studium per Leonem telo confossum plerique pingere instituerunt. Vulneratus enim Leo observatione mira percussorem novit & in quantalibet multitudine unum appetit; &, si detur copia, fœdissime lacerat & discerpit. Ferunt Jubæ Maurorum regi præstantis animi juvenem fuisse comitem, dum per deserta Africæ, rerum suarum componendarum studio, rex cum exercitu proficisceretur, ex itinere vero Leonem obviam factum à juvene illo ipso sagitta percussum in sylvam recessisse, anno vero post cum Juba rebus ex voto compositis eadem copias traduceret, eundem illum Leonem observato juvene, à quo vulnus acceperat, unum illum è tam magno militum numero violentissimo cursu hostiliter aggressum,
B nulla vi cohiberi potuisse, quin correptum juvenem miserabiliter dilaceraret, nemineq; aliorum læso ultione ea contentum, decessisse. Pythagorici porro animam Cambysæ regis Ægypti in Leone se deprehendisse ajebant, unde illi animus imperii cupidissimus fuerit, & maxima quæque semper appetierit. Cæterum, hæc quoque potest assignari causa: quod illis temporibus, quibus claruit, neminem in ultionem eo magis propensum fuisse notum est, qui nunquam Ægyptios persequi odiis armisque, & omni vexationis incommodo affligere destitit, eis semper infensus, donec in omni Ægypto rerum potitus, sacris omnibus profanatis, populos totius regionis male tractando, defessus potius quam satiatus est. Facit ad hoc illud, quod visi Leonis ostentum, belli principium conjectores atque augures tradunt indicare, quod quidem eleganti trimetro apud Græcos [a] exprimitur.

[a] *Nempe à Suida recitat Eustm. Chil. 3 cent. 6. proverb. 58.*

Μέσσας ἰδεῖν δυσμενῶν ὄηλοῖ μάχας.
*Visæ Leonum imagines noctu indicant occidionem ab hostibus.*

## REGIUM AUGURIUM. Cap. XVIII.

C ALioqui Regibus augurium dare Leones soliti sunt, ut is qui Juliano Imperatori Gordiani tumulum cum exercitu prætergresso, sese obtulit, immanissimo corpore ejus aciem invasurus, à qua multiplici telorum ictu confossus est. Obitus enim Regis ex hoc portendebatur, inquit Ammianus. Verum antea Maximino Cæsari cum Narseo Persarum Rege jam congressuro, itidem Leo & Aper ingentes trucidati simul oblati sunt, tamen evenit, ut is ea fera admodum gente superata, incolumis & sine damno discesserit. Et Sandrocotus Indus obscuro genere, cum Alexandri furorē pedum pernicitate declinasset, fessusque somnum in sylva captaret, à lambente Leone sudorem sibi sensit abstergi, quoque pacto inde præfectis Alexandri oppressis, Indiæ regnum invaserit, à Trogo traditur.

## ANNUS MENSESQUE. Cap. XIX

ET quoniam incidimus in auguria non abs re fuerit commemorare, quod Leænæ, quæ catulos octo utero gestabat, à venatoribus in Mesopotamia cæsa exenterataque, quo tempore Apollonius Tyanæus ea iter faciebat, indicavit eo interpretante, annum unum & menses octo illum apud
D Barsanem Babyloniæ moraturum. Interrogantibusque comitibus, cur non potius annos IX. interpretaretur, cum ex passere & pullis octo à Serpente devoratis, apud [b] Homerum annos itidem novem Calchas intellexisset: *Editi jam illi fuerunt*, respondit Apollonius, *hi vero adhuc in utero nondum fœturam compleverunt: quare mensibus potius quam annis assimilantur.*

*Leæna cæsa in Mesopotamia quid.*

[b] *Iliad. β.*

## CRAPULA. Cap. XX.

SUnt enim qui hominem ad satietatem usque crapulatum, per Leonem frusta carnium depascentem indicari velint. Animal siquidem hoc cibo incontinenter admodum utitur, multaque devorat solida, sine ullo dissectu quæcunque potest, mox à saturitate nihil biduo aut triduo edit: quam scilicet voracitatem Juvenalis tangit, ubi *multa pascendum carne Leonem*, dixit: atq; inde fit, ut gravis illi ob cruditatē exhalet anima, quæ teterrimi semper odoris est. Quocirca nonnulli gravem

*Voracitas Leonis.*

animam significantes, Leonis os hians facere consueverunt. Hujus fœtoris ergo, Martialis videtur muliebre pudendum Leonem appellasse eo versu:

*Quare si pudor est Ligella, noli*
*Barbam vellere mortuo Leoni.*

Taxat enim eam, quæ cum vetula esset, pilos vellere pertentaret: & alii lupanar olidum dixere. Quanquam non desint, qui loci hujus interpretationem longius accersitam, ad Cenchrenas, quas Leones Nicander appellavit, referant: hujusmodi enim serpentis morsu sanguinem exorbent, & genitale: semen ex pretiosissima sanguinis decoctione fieri Medici consentiunt, unde dixit Juvenalis:

*Accipiat sane mercedem sanguinis.*

## MERETRIX. Cap. XXI.

SAne meretrices per Lænæ nomen intelligi, multis veterum sententiis & monumentis constat. Tale aliquid habes apud Aristoph. Lysistrate in juramento fœminarum, *Non stabo Læna in Tyrocnesti.* Hujusmodi petulantiæ causa Ezechiel Hierosolymam Lænam vocat, & Heliachim catulum ejus, qui ductus est in Ægyptum. Alium rursus catulum Joachim, quem in cavea, ut Septuaginta ediderunt, Nabuchodonosor Babylona traduxit. Michael Byzantius meretrices quasdam ex Megara Sphinges appellatas ait, quod humano capite mansuetudinem præ se ferrent, cæterum corpore reliquo Leonino, rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicaret.



*Sphinges Megaricæ.* Et Megaricæ Sphinges in opprobrium dici solitum de meretricibus, ob impuros scilicet mores Megarensium, quos veterum scriptores omnes damnant. Facit ad hanc rem veteris Poetæ senariolus admodum venustus:

ἶσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης.
*Par est Lænæ & fœminæ crudelitas.*

Sed & ante urbem Corinthum Veneris erat templum, juxtaque Laidis tumulus, cui Lænæ simulachrum appositum videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: quod nimirum petulantiam eam indicabat, qua præcipue lasciviunt arietes: de quibus loco suo diximus.

## TACITURNITAS. Cap. XXII.

LEænæ vero elinguis simulachrum ex ære, quod Athenienses statuere, Iphicratis opus, ex effigie quidem Lænæ, meretricis nomen, ex linguæ vero defectu, taciturnitatem ejus indicabat.

*Armodii & Aristogitonis factum celebre.* Cum enim Armodius & Aristogiton de liberanda à tyrannis patria consilium iniissent, conjuratio delata esset, comprehensam illi Lænam scortum eorum utrique admodum familiare, ad mortem usque tormentis variis excruciarunt, ea tamen constantissime omnia pertulit, nec quemquam prodidit, supra fœmineam imbecillitatem fortitudinis admirandæ memorandum exemplum: quam Athenienses, ut honoribus honestarent, ne scortum tamen celebrare viderentur, ejusdem nominis animal ob taciturnitatem elingue, erigendum decrevere. Constantissimum meretricis hujus exemplum citat Tertullianus, quo nostri animosiores fierent, cum levi adeo de causa repertæ sint vel mulieres, quæ tam forti animo pro amicorum salute non solum tormenta parvi fecerint intolerabilia, sed sponte suum ipsæ cruciatum auxerint. Nam hæc eadem, ut ille ait carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comestam in faciem tyranni sævientis expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset.

## CYZICENI. Cap. XXIII.

*Cyzicenorum pecunia.* SI quis vero incidat in monetam, quæ Leonis imaginem ex una parte habeat, ex altera vero Cybelem deorum matrem, sciat eam esse Cyzicenorum pecuniam, quæ celebris admodum est, ob id, quod

A quod pulcherrime ſculpti erant, & quod pro XXVIII. drachmis Atticis imputabantur, quæ ſumma ducales aureos duos reddit, & aliquantulũ plus: una enim argenti drachma Marcelli Veneti pondus æquat. Atque hi ſunt Cyziceni ſtateres, qui rem egregie factam indicabant.

Magorum porro ſuperſtitio conſiderata Leonis alacritate perniciosiſſimoque curſu, muſtelæ dentem Leonino corio adalligatum, ad pedum tumorem atque adeo imbecillitatem adhibere commenta eſt, id quod apud Lucianum Tychiades ridet, orta inter Cleodemum & Dinomachum medicos contentione, uno eorum Leoninum, altero Cervinum corium præferente, ut per incantamenta Eucrati laboranti amuletum aliquod apponerent. Controverſia vero omnis inter eos eſt, dum ille fomentum aliquod miſerabiliter implorat, utrum Cervus an Leo magis pedibus valeat, atque eorum uter alacriori feratur curſu. Merito igitur Virgilianus [a] Æneas, *tergum Getuli immane Leonis* dat Salio, velocitatis præmium, qui primam in ſtadio coronam meruerat, niſi dolo Niſi fuiſſet interturbatus.

[a] *En. lib. 5*

## HERCULANUS LEO QUID. CAP. XXIV.

B QVid vero ſibi velit Herculanus Leo, magis divulgatum eſt, quam ullo ſit opus commento latius declarare. Illud tamen non omiſerim, Herculem illum Ægyptium, qui cum Oſiride, ut Antiquitatum ſcriptores tradunt, Italiam ab amariſſimo Gigantum jugo liberavit; per Leonem intelligi, neque quemquam aliam. Plures enim Hercules fuiſſe, & Arrianus, & Diodorus hiſtorici prodidere: hunc autem omnium primum Leonis inſignia geſtaſſe tradunt. Cæterum Heraclitus Ponticus, ſuperatum ab Hercule Leonem ideo fingi dicit, quia Argivus ille, de quo Græci plurima ſcripſerunt, Hercules, furorem illum, quo ex atra bili plurimum laboravit, tandem edomuerit. Satis enim exploratum eſt ex iis, quæ antea dicta ſunt, animal id per ſemetipſum immoderatis animis excitari. Sunt tamen [b] qui per Herculem myſtice Solis lumen intelligant: Leo vero cum Soli dicatus ſit, manifeſtum eſt quid ſibi velit Hercules & Leo. Nam & hinc Jubari ſtellæ nomen, qui Phoſphorus eſt, quod ſplendor ejus in modum Leoninæ jubæ diffunditur.

[b] *Macrob. lib. Saturn lib. 1. c. 20.*

## VIRTUS. CAP. XXV.

C UTcumque vero Leoninum ſpolium virtutis hieroglyphicum eſt, eaque de cauſa Herculi dicatur, quem pro virtute veteres poſuere, ideoque Diogenes [c] conſpicatus quendam eo ornatu ſibi glorioſe placentem, exclamavit: *Ecquid virtutis indumentum vituperas?* Sed enim non Leonis tantum, verum alterius etiam animantis geſtare pellem, heroicum fuiſſe morem, didicimus ex Apollonii commentariis, ubi Poeta ſcribit:

*Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφ' ἔχετ' ὤμους.*

Et apud Virgilium [d] Evandrus:

*Demiſſa ab læva Pantheræ terga torquet.*

[c] *Apud D. Laertium in Diogene. Cynico. Diogenis dictum.*

[d] *Ænein. lib. 8. Antiochi numus*

VIRES CEDERE SAPIENTIÆ.



IN Antiochi numo videas Leonem quendam propemodum humi procumbentem, & ſupervolantem Noctuam, quod nonnulli veſpertinum crepuſculum indicare arbitrati ſunt: quippe cadente Sole, noctem, D quam per avem eam intelligi volunt, exurgere. Ego vero per hujuſmodi hieroglyphici figmentum ſignificare crediderim, vires cedere ſapientiæ. Nam per Leonem Robur, per Noctuam Minervam intelligi, ſuis locis commentaria hæc oſtendere. Ejuſdem argumenti eſſe puto Leonem in numo, cujus inſcriptio eſt, ΜΙΛΗΤΩΝ, qui anterioribus pedibus inclinat ad humum, ſuperne vero caduceus exporrigitur, ut ſcilicet id oſtendat, vires quantumlibet feroces, ſapientium eloquentiæ cedere. Numum vidi apud Maffæos Romæ. Quod vero ſignum Junonis Argis ſpectabatur palmite redimitum, ſubjecto pedibus ejus corio Leo-

nino, id habebat hieroglyphici, quod novercam utriusque privigni exuviis insultantem ostenderet. Callimachi id inventum tradunt, qui Junoni vitem induxit, Rem hujusmodi tangit Tertullianus.

VIRES CEDERE
ELOQUENTIÆ.



## LUNA. Cap. XXVI.

VIsebatur in Olympiæ templo Dianæ simulachrum alatum, dextera Pantheram, sinistra Leonem continens. Per alas volucrem Lunæ cursum interpretamur, quæ septem & viginti dierum spatio totum permeat signiferum, quem Sol vix annuo temporis spatio perlustrat: Panthera varietates ejus indicat, quas unoquoque mense XII. suis nominibus designatas alibi recensuimus. Leo Solis vim demonstrat, qua splendorem sibi comparat, ea tantum parte lucens, qua ejus radiis illustratur.

## SOL. Cap. XXVII.



TERRA.



*Veterum simulacra radiata.*

FIeri etiam solita erant apud veteres simulachra quædam radiata, ita tamen, ut unius simulachri radii omnes sursum versus tenderent, alterius ad inferiora demitterentur: atque ita conformata, vectanda Leonibus commendarentur. Sciendum autem ex Vectii commentatione, Solem & Terram ex eo figmento veteres intellexisse, quippe quos Assyrii Adad, & Adagartin vocabant: Adad quidem Solem, qui radiis deorsum inclinatis inferiora vivificat, mulcet, educat: omnium quippe terra nascentium author: Adagartin vero Terram, quæ conceptam à solaribus radiis virtutem eandem, quam, licet sursum versus, erigit. Ita veluti sponsa viri appetens, ut Platonicum dictum interim usurpemus, rerum omnium suarum stipata fœtu, sese habendam exporrigit. Sed enim ipsa Leonis effigies utrumque referre videtur hieroglyphicum: quippe quæ anterioribus partibus Solem exscribit, posterioribus vero Terram. Quod tamen Adagartin, pro Tellure positum putat Vectius Bassus in Commentario Germanici, qui Phænomena scripsit, ubi de Erigone agitur. *Virginem*, inquit, *dici Cererem arbitrati sunt plerique, spicarum quas tenet indicio: alii Adagartin malunt.* Sunt qui & fortunam, quoniam sine capite astris inseritur. Nigidio Figulo placet justitiã, vel æquitatẽ, quo

A quo nomine etiam Terram ipſam dici alibi comprobavimus, & Legiferam ubique Cererem apud Poëtas appellari comperias, ut ab juſtitiæ nuncupatione: neque hoc quidem alienum videatur, & cum Tellure juſtiſſima conſenſum habeat. Hinc apud Maronem proſpero terræ ſubjugandæ omine Æneia puppis: [a]

*Prima tenet roſtro Phrygios ſubjuncta Leones.*

Veluti etiam hominem inſidentem Leoni nonnunquam videas, quem is ſtimulo regat, quod eſſe ſui animi regem omnino videtur ſignificare: neque enim Æneium illud ad ſacra tantum patria refertur, quæ in Cybeles honorem fieri ſolita: neque ſolum reſpicit beneficium, quod, ut additum eſt, tuerit

B ---- *Ida* [b] *profugis gratiſſima Teucris.*

Subjiciuntur vero Leones Magnæ Deæ vehiculo, identidemque trahunt & currum Solis, atque tam varie à veteribus tradita, ad unum eundemque demum intellectum tendunt. Demum hæc duplex in Leone natura, qua quidem anterioribus partibus cœleſtia refert, poſterioribus vero terram, quæſtionem illam facile poteſt ſoluere, qua nonnulli mirantur, cur Leonis effigies in Divinis noſtrorum literis modo Chriſto, modo Dæmoni attribuatur: pro Chriſto quippe apud Prophetas non ſemel poſitus, ut ſupra diximus: pro maligno vero, Petrus epiſtola prima *rugientem Leonem* dixit: & David: *Libera à Leonibus animam meam*, clamat. Quibus reſponſum facio, anteriora, quæ ſunt Leonis, fortitudinis, & regiæ virtutis habere ſignificatum, atque ita pro Chriſto poni. Nam Irenæus ubi myſterium Dei in rebus ſtrenue gerendis, in dominando, in regendo vim & authoritatem oſtendi diſputat, Leonis imaginem ait id præmonſtraſſe, quæ uni ex quatuor Evangeliſtis fuerit attributa: inferiora autem, partem quippe terream, fugacitatis & inſidiarum...

C Caudam enim ſubter uterum cum fugit, ſubjicit, cauda ferit ex obliquo per inſidias quæ omnia dæmonem exſcribunt, quo nihil à bono fugacius, nihil in mortales inſidioſius.

## CHRISTUS HOMO DEUS. Cap. XXVIII.

DEnique, ut etiam aliter philoſophemur, cœleſtis eſt anteriore parte Leo: ideo admiranda Chriſti opera veram nobis ante oculos proponunt divinitatem. *Nemo enim, qui à Deo non ſit*, ait Nicodemus, *opera ea facere poſſit, quæ ipſe faciebat.* Poſteriore terram ſapere videtur: ea frigida eſt, inde ad minima quædam, Galli [c] quippe cantum, prætentam facem, objectum levis amictus, quin ad Simiam, & ilicis folia, atque etiam ſcillæ, Leo timidus eſt & ad fugam promptiſſimus. Et humanus Chriſtus mortem timet, perpetuæ non ignarus, quæ ſtatim ſubſecutura eſſet, immortalitatis; effugere cruciatum tentat, patremque orat, ut acerbiſſimus à ſe calix auferatur: & inde ita debilitatus, ut præ trepidatione genibus inſiſtere non poſſet. Quod ſi utraque natura in Chriſto eſt, Leo cum ſit ejuſmodi, recte in Divinis literis modo Deo, modo mortalibus accommodatur.

## JUSTITIÆ CULTUS. Cap. XXX.

EA vero præcipue de cauſa eorum ſententiam approbarim, qui ferociores quoque animos juſtitiæ ſeſe ſubjicere per hieroglyphicum hujuſmodi arbitrantur, quia nuper in Gavartiano agri Bellunenſis vico ſuburbano reperti ſunt magno numero numi, ab quorum una facie mulier corona inſignis longaque

induta

ANIMI DOMITOR.



a *Æn. l. 10.*

b *Æneid ib. Leonis duplex natura*

c *A Plinio lib. 8. c. 35*



induta palla sedet, manum ad ensis inversi capulum extendens, ita ut apex ipsius capuli volam impleat literæ circumscriptæ, JUSTITIA. Ab altera facie, eadem mulieris effigies pene nuda, amictu quidem toto inexporrectam retro dextram appenso, læva supra Leonis caput postremis pedibus residentis injecta: literæ adsculptæ sunt LEONIS HUMILITAS.

## NATORUM ERGA PARENTES OBSEQUIUM. CAP. XXXI.

LEones autem domitos & magnæ Deæ currui succedentes, Lucretius aliter interpretatur, qui velit figmentum id significare, liberos quantumlibet feroces, obsequentes esse debere parentibus: ait enim:

*Adjunxere feras, quo quamvis effera proles,*
*Officiis debet molliri victa parentum.*

Varro tamen in Cybeleio curru duo considerasse videtur, [a] Leonem utique terræ symbolum, uti paulo ante dicebamus: mox quia genus id animalium in longinquis, & à nobis remotissimis regionibus invenitur, nullam ait esse terræ partem tam remotam, quam coli subigique non oporteat: ita omnes, quæ vel hieroglyphica sunt, vel quoquo modo mystica, in suam quisque artem vel disciplinam, quam profitentur, trahunt. Diodorus autem, uti suus est mos, historias sibi confingit ex commodo suo, Leonesque ideo Cybeles currum trahere confictum ait, quod ab his ea educata fuerit. Utrum vero curru vehatur Dea, an sella sedeat, quantum ad significatum pertinet, parui refert: nam in Faustinæ numo Cybelem Turritam Leoninæ sellæ insidentem videas, quæ orbem intra manum & genu tenet: inscriptio est, MATRI MAGNÆ.

[a] *At Macrob. Statu. lib. 1. c. 21. Cybelem terram ait & Leonem Solem.*

*Faustinæ numus.*

AGRICULTURA.



## MIXTA QUID. CAP. XXXII.

QUod vero pluribus in antiquorum monumentis, præcipueque sepulchralibus cernere est, Leones aliquod animal apprehendisse, quippe vel Ovem, vel Taurum, vel Anguem, vel hujusmodi quidpiam, ex eo conjicere potes, sepulti animum aut naturam talem fuisse, cujusmodi est illud, quod apprehensum fuerit: quippe si Ovem, vel Agnum, ut in sepulchro quodam Romæ sub Æsculapii pronao habetur, intelligas hominem ferocitate demollita, mansuetudinem amplexatum: si Taurum, temperantiam: si Anguem, prudentiam, vel quid hujusmodi: prout animalis, quod detentum fuerit, significatum exiget, interpretaberis. Si vero hostiliter captum vel discerptum, ejus naturæ hostem male habitum. Nam in numo quodam argenteo Augusti Cæsaris validissimæ formæ Leonem videas qui servum superat dentibus in armos affixis: quod forte referri potest ad Actiacam victoriam, quam is Apollinis favore consecutus est, in qua, ut apud [b] Maronem:

*Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.*

pavorem enim ex Cervo loco suo significari diximus.

*Aug. Cæs. numus.*

[b] *Æneid. lib 8.*

FEROCITATE POSITA ASSUMPTA MANSUETUDO.



AMO-

## AMORIS PETULANTIA. CAP. XXXIII.

## ACTIACA VICTORIA.



b *Sic Lucretius. Prima Leo. postrema draco. media ipsa Chimæra. Amoris initia.*

QVæsierit hic aliquis, quid sibi velint Leonis anteriora, quæ in Chimæra fuisse traduntur, cujus figuram Homerus ita descripsit:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων μέσση δ' χίμαιρα.[b]

Eam autem amoris petulantiam, quæ fuerit à Bellerophonte coërcita, significare clari plerique authores volunt. Hujusmodi enim sunt amoris initia, qui primo statim insultu Leonina feritate nos aggredi videtur, dictumque est Epicharmi Comici,

B *Δομιτὰς ἔρως λεοντία δυσμάχᾳ θαλερᾷς.*
*Amoris mollitiem Leonis robore domitandam.*

Eoque respexisse videtur Horatius, cum de juvene perdito amore capto ait:

*Vix illigatum te triformi*
*Pegasus expediet Chimæra.*

Capra procacitatem atque lasciviam significat, cui animosus idem Heros fortier obstitit; Draco verò insultus, pugnamque adeo periculosam, quæ omnia ex peculiaribus Commentariis toto hoc opere suis quæque locis explicantur.

## TRES ORATORIÆ PARTES. CAP. XXXIV.

C NAzianzenus verò, nec non interpres Hesiodi, per Chimæram tres Rhethoricæ partes intelligunt: Judicialem quippe per Leonem, ob terrorem quem reis incutit: Demonstrativam per Capram, quod in eo genere dictio plurimum soleat lascivire: Deliberativam demum per Draconem, ob varietatem argumentorum, longioresque circumductus, & spiras quibus in persuadendo opus est. unde etiam monstri filia fingitur ab Hesiodo,[c] Echidna nomine, per quam ποικίλου ὕδωρ καὶ πολυειδὲς intelligi contendunt, quippe *mentem multis & variis prædium disciplinis.*

c *Ovid. lib. 3 fast.*

## SACRORUM INITIA. CAP. XXXV.

NEque prætereunda est Leonis facies illa, quæ omnium prima visa est Ezechieli, per quam ejus disciplinæ periti ajunt initiandorum sacrorum admonitionem nobis oblatam. Eam vero in primis visam, quod à Principum vita soleat totius populi consensus legem sibi constituere. Ad valvas igitur templorum, sustinendis modo postibus, modo hyperthyris, modo pronais locorum ubique Leones subjiciuntur: ut cum Maronis dicto, vel præcipuo potius summi Dei præcepto, Deos primum
E venerari meminerimus. Et nullam esse gentem tam efferam, neque animum tam indomitum, qui non possit religionis cicuratione beneficioque molliri, atque ita mitescere, ut nullum inde sit onus detrectaturus.

## LEONES TARVISINI QVID. CAP. XXXVI.

LEones duo pro foribus, ut fere passim insigniora templa habent, Taruisii sunt, quorum unus in pronao cathedralis Ecclesiæ à dextera Draconem alatum unguibus impactis comprimit: Draco autem retorto collo Leonis pectus admordet, significans, quod prava quidem cogitatio cor incessit, fortis vero animus eam actutum elidit: à læva autem Leo alter Leunculum apprehensum pectori subjicit suo, demonstrans, quod generosus quisque animus seipsum vincit.

## SPHINGES QVID. CAP. XXXVII.

QUas vero Sphingas humanicipites, reliquo corpore Leonino pro templis prostare locorum ubiq; [d] cernere est, sunt qui figmentum omnino hieroglyphicum interpretentur ea intelligentia,

d *Idq; antiquitus, ante valvas tem-*

ut humanam naturam præstare cæteris animantibus admoneamur. Nam alibi principatum ex capite intelligi disseruimus. Leonem autem brutorum omnium principem esse, manifestum est, qui humano subjectus imperio reliqua secum trahit. [a] In Divinis vero literis, imperium in bruta omnia homini datum legimus. Sphinga sane monstrum ex parte dimidia virginis formam præ se tulisse, figmento Græcorum tradit Adamantius. Alii interpretantur totius terræ dominium religioni cedere, cui ferocia quantumlibet animalia sese subjiciant, imperiumque suscipiant.

*plorii Ægyptiorum ex Clemente, Stromatum lib. 5. cujus rei significatio ibid. habetur.*

*a Genes. c. 1.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER II.

### DE IIS QUÆ PER ELEPHANTUM ET RHINOCEROTA SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD CLARISS. ET REVEREND. GUIDONEM ASCANIUM SFORTIAM, CARDIN. S. FLORÆ.

TERRESTRIUM *animalium hieroglyphica publico spectaculo emissurus, Leonem in primis, quippe eorum dominum, auspiciis inclitissimi Cosmi Medicei, Florentinorum Ducis exire procunvi, & quòd studium clarissimæ ejus civitatis semper fuit Leones publicè alere, & quodam Ægyptiorum more honorificè tueri, & quòd generosa eorum magnanimitas in ipso Duce laudabilibus tot effulget exemplis, ut non alii cuipiam argumentum hujusmodi dedicari deberetur. Sequebatur Elephas, animal quippe quo neque vastius neque portentosius natura rerum tulit, sed deformitatem bestiæ tot dotibus, ipsis q, tam præclaris insignivit, ut in omni vitæ tenore humanum genus (quod sanctius animal Poëtæ canunt) ab eo brutos non superatum, certè lacessitum esse videatur, aut pari conditione decertare. In eo autem excellit Elephas, quòd à se natura suggerente & morum & virtutum documenta præbeat: quòd homines nisi doceantur, vix assequi posse fateantur: sed multa sunt, quæ ab eo, tanquam à morum idea, homines desumere & imitari coacti fuerint. Est enim Elephas ingenita munificentia nobilis, temperantia insignis, æquitate summa conspicuus, præcipuus declinator insaniæ, vaniloquentiæ hostis, pietatis cultor, & ea celebris mansuetudine, ut alienam etiam crudelitatem abhorreat, contrà minùs validas feras pugnare dedignetur, in iram autem nunquam efferatur, nisi acerbitate iniqua, enormiq, aliqua injuria concitatus: denig, regalem & ipse animum, ne omnia hic accumulem, in omnibus referre videatur. Quæ quidem (Reverendiss. Domine) tibi, non ut te doceam: non enim Sus Minervam, ajunt, sed ut in memoriam redigantur, hoc Commentario enarrabuntur, exemplisq, citatis comprobabuntur. Nec ad quemquam ex vestro ordine hic Commentarius mitti potuit vel aptius, vel convenientius, quàm ad eum, qui humanitate, fide, pietate, & multarum virtutum, quæ supra ætatem in te conspiciuntur, commendatione longè clarissimus & esset, & haberetur. Vale.*

#### SUIS VIRIBUS POLLENS. CAP. I.

*Promuscis Elephantis arma omnia.*

UT igitur ab iis ordiamur, quæ super Elephanto Ægyptii tradiderunt, hominem in primis opulentum, suis quippe viribus pollentem, aliorum nihil indigum, qui dicere tuto possit, *In me est omnis spes mihi*, qui sibi conducentia olfactu quasi quodã enanciscatur, per animal hoc, imò per unã tantùm ejus promuscidem, hieroglyphicè significabant, in eam scilicet admirationem adducti, quòd talem, tantamq; habeat, ut ea una officiis ferè omnibus illi optimè sufficiat, ea vice manus utatur, unde etiam nomen habet, ea bibat, ea cibum ad os admoveat, eam rectori, cujus omnibus imperiis se præbet obsequentissimum, erigat, offeratque, sive is in cervicem animalis summam sustolli voluerit; sive

A sive ad terram descendere: quin arbores eadem prosternit, in acie tela de manibus dimicantium detrahit, equites ab equo deripit, pedites correptos quoquo libuerit projicit, & quoties immersus per aquas ingreditur, ea ipsa edita in sublime reflat atque respirat. Proprio itaque & eleganti vocabulo Lucret. hac de causa Elephantos *Anguimanos* dixit, quòd promuscidem ipsam instar Anguis quoquo versum flectat, reflectat, contrahat, porrigat, lubricet & incurvet. Sunt qui visos ætate nostra affirmarint gladium longitudine duorum cubitûm ad promuscidem alligatum gestantes, atrocissimas in bello cædes edidisse. Sanè quantum ad vires pertinet, nunquam se Cato apud Ciceronem ait, cùm adolescens esset, vires Tauri aut Elephanti desiderasse: quod dubio procul indicat, inter bruta, Tauros & Elephantos viribus alia omnia antecedere.

## REX. Cap. II.

ADhæc, Ægyptii Regem hominem per Elephanti simulacrum intelligebant, non ea tantùm de causa, quòd cùm gregatim semper ingrediantur, is qui maximus est natu gregem ducit, quòd
B in regibus eligendis multarum nationum & gentium mos fuit, ut id muneris senioribus demandaretur: unde apud Hebræos *Seniores*, apud Athenienses *Palæologi*, apud Romanos *Senatores* rerum habena moderari soliti sunt: verùm propterea quòd habet hoc animi regii peculiare, ut genua non flectat adeò notabiliter ut animalia reliqua, calcaneum verò leviter incurvet. Nam genua non flectere, dubio procul ostendit supplicabundum non esse, flectere verò calcaneum, humanitatem, qua maximè præditus est, indicat. Nam apud Philosophos morum institutores, [a] pes indicium est affectus illius qui humilioribus applicatur. Penes verò quem sit rerum potestas; decet quidem eum humanum esse, humanisq; rebus commoveri, genua verò flectere non oportere, manifestum est. Habitus & in ostentis Elephantus, regiæ sublimitatis signum, qui Aureliano, multò ante ejus imperium donatus est solusque tunc omnium privatus
C Elephanti dominus fuit. ut legere est apud Fl. Vopiscum. Nam & Scandrocotto Indo, homini humili genere nato, quem Alexander Magnus ob linguæ procacitatem interfici jusserat, pernici fuga elapso, cum mox latronibus contractis adversus Alexandri Præfectos bellum moliretur, Indiam ab eorum dominatione liberaturus, visendæ magnitudinis Elephantus ferus ultrò se obtulit, & velut domita mansuetudine eum in tergum sustulit: quod eum regem futurum portento fuit: nec fefellit eventus. Siquidem oppressis Alexandri præfectis, Indiæ sibi regnum asseruit, eaque authoritate polluit, ut Seleucus Alexandri successor in Perside cùm Indiam affectaret, regno illi relicto res cum eo componere sa-
D tis habuerit. Præterea scriptores rerum assiduum cum Serpentibus certamen gerere tradunt Elephantos: Serpentes autē inter alia significata loco suo dispositā terrarum orbem, provincias, & regiones pro vario picturæ gestu, significare ostendimus: eas verò qui domitari voluerit, viribus in primis esse præditum oportet, ab undare opibus, ut quæ bello necessaria sunt facile comparet, & cum ipsis provinciis arma semper exercere. Quapropter, ut mihi videtur, Natura ipsa rerum humanarum cognitionem hoc exemplo descripsit: quippe quæ Elephantum suis viribus optimè præmunierit, &



*Pes humilitatis indicium.*

CÆSAS.



quæ regem addeceant adjecerit ornamenta, moresque & virtutes etiam regias uni illi ante omnia bruta, ut paulò infra docebimus, elargita sit. Quòd verò pertinet ad provinciarum subjugationem, videre est in [b] C. Cæsaris numo Elephantum promuscide surrecta, adversus quem Serpens quasi concertaturus insurgit: in altero videas Serpentem ipsius Elephanti pedibus obtritum, in quo inscriptio est, CÆSAR. Potes ex illo, lacessitum bello, & ex hoc, confectum intelligere. Neque verò me fugit, Elephantum Maurorum lingua *Cæsar* appellari solitum, quod Spartianus in Ælio Vero tradit, primumque Cæsaris cognomine nuncupatum, qui Elephantum occiderat. Sed inepta hæc inscriptionis causa mihi videtur: crediderim autem potius ad munificentiam spectare qua Cæsar Elephantos exhibuerit.

*b C. Cæsarii numus.*

## AFRICA. Cap. III.

QUem verò Elephantum in [c] Q. C. Marii numo compereris, Idibus adjectis, hieroghyphicum id Africam provinciam ab eo domitam ditionemque imperii in Ægyptum usque propagatam, significare crediderim. [d] Elephanti porrò Pompeii Magni currum subiêre Africo triumpho: & in numo argenteo admodum pulchro [e] Scipionis Imper. inscriptio, cujus galea Elephantini capitis speciem habet, inferne aratrum, antè spica posita est: quæ omnia ad Africæ triumphum, & annonam indè largiter advectam spectant. inscriptio, Q. Metellus.

*c Q. C. Marii numus.*
*d Ac altero consulatu viginti Elephantos in circo pugnaturos produxit, Plin l 8 c. 7.*
*e Scipionis numus.*

## V. Legio Cap. IV.

IN militaribus verò signis, Elephanti legionis quintæ vexillis appingebantur: propterea quòd C. Cæsare adversus Lucium Scipionem civili bello decertantes ea legio negotium sibi contra Elephantos dari postulavit, reçq; stenuè gesta reliquæ victoriæ occasionem præbuit.

## Oriens Cap. V.

SEd Augusto currum ex quatuor Elephantis S. P. Q. Romanus in nummis decrevit, quòd, ut puto, spoliis Orientis onustus Imperatorium inde triumphum duxerit. Id honoris Tib. Cæsar post adeptum Imperium patri deferendum curavit, quod ipsa testatur inscriptio, quæ sic habet: Tib. Cæsar divi Aug. F. August. P. M. tr. po. xxiix. August. S. P. Q. R. Eundem honorem Claudius Aviæ Liviæ Circensi pompa, currum quippe Elephantorum Augustæo simílem decernendum curavit. Sed & D. Aug. Vespasiano currus ex quatuor Elephantis in numo est, cujus latus alterum inscriptionem habet ad reliquos honores tertii Consulatus: nam qui sua virtute ad Imperatorii fastigii culmen evectus erat, re in Oriente bene gesta, paribus cum Augusto honoribus honestandus fuit: ita Elephas junctus, provinciam patriam subjugatam hieroglyphicè significabit Est & [a] Philippi Imperatoris numus, in quo Elephantus videtur gradiens sub magistro, cum inscriptione, Æternitas Aug.

*D. Vespasiani numus.*
*a Philipp. Imp numus.*

## Munificentia. Cap. VI.

ESt autem inter virtutes regias illa, quæ solet ante alias populorum benevolentiam conciliare, munificentia. hac ostentanda magni principes Elephanto plurimum usi sunt. Hinc videas in Antonini Pii numo Elephantem promuscide in semicirculum sursum versus lunata, cujus inscriptio est, Munificentia Aug. Utque itidem in numo L. Septimii Severi Pertinacis Aug. Imper. vii. Elephans: ex promuscide in eundem modum curvata, cum eadem ipsa inscriptione, Munificentia Aug. S. C. Namque hoc eos spectaculis exhibitos ostendit: atque hic eorum Imperatorum intelligenda munificentia, qui eos modò in certamen commisêre, modò in saltationem, modò ut funes scanderent & inambularent, edidêre. Quod si ad eorum quoque animalium liberalitatem trahere volueris, sanè munificos hos & liberales invenias, sive ii [b] curatoribus suis, sive etiam [c] puellis, quarum amore se captos ostendêre, munera elargiri soliti sunt: quandam enim admirandam eorum in homines benevolentiam, gratumque in educatores animum scribit Ælianus, exemplo illius, qui pro domino multum diuq; pugnavit, eumque sagittis interfectum, promuscide sublatum ad præsepe suum asportavit.

*Antonini Pii & Severi Pertinacis numus.*
*b Strabo li. 15 Plin l 8 c. 5 Ælianus lib. 7. c. 47*

TEM-

## TEMPERANTIA. Cap. VII.

A SEd quid illud, quod etiam intemperantiæ significatum, aut ejus, qui servare modum in rebus norit, per Elephantum qui cibum caperet, exprimebant? Assuetus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largius opulentiusque apposueris, tantum assumit quantum quotidiana consuetudine pascere sit institutus. In Syria [a] cum domi quidam educaretur, magister accepta hordei mensura, dimidium singulis diebus intervertebat: cumque aliquando præsente domino totam illi mensuram apposuisset, simulatque animadvertit Elephantus duplicatam esse pabuli portionem, hordeum id in partes duas promuscide disgregavit, tam æquas, ac si vel modio quis dimensus esset, unaque magistro portione derelicta, consuetam sibi partem absumpsit: cujus facti meminit [b] Plutarchus.

[a] *A Plutarcho in libel lo quæ animalia aquatilia an terrestria &c*

[b] *Ibidem Plutarchus.*

## ÆQUITAS. Cap. VIII.



B NEque quidem exemplum aliud prætereundum, ex quo æquitatis etiam idem hoc animal servantissimum esse fateamur. Quidam mensuræ quæ magistro impendebatur, & lapillos, & pulverem immiscebat, quo de pondere aliquid fraudaret: animadvertit Elephas apud illum carnes elixari, accedensque cinerem è foco in ollam, paria facturus injecit.

## DECLINATOR INSANIÆ.

EST illud vere regium, insanos & dementens homines evitare. Quapropter Ægyptii hominem tali prudentia præditum, ut nihil sibi cum stultis & fatuis esse vellet, ostendere cum studerent, Elephantum & Caprum hieroglyphice ponere soliti sunt: ac de Capro quidem suo commentario quæ usui venerunt, perscripta sunt.

C Causam picturæ hujus esse dicunt, quod Elephantus inspecto Capro quamprimum fugit, tantum est inter eos naturæ morumque dissidium, ut virtus, vitium nullo possit pacto tolerare. Facit ad hoc etiam antiquissimum Mosaicæ legis institutum, quo principes ubi deliquerint, sacra facere admonentur ex Hirco, cum alioqui privati homines Capram vel agnum immolarent.

## VANILOQUENTIA EVITATA. Cap. IX.



CUm vero vaniloquum genus hominum Regi cuipiam despectui habitum, ac sedulo evitatum ostendere curassent, Elephantum & Porcum appingebant. Elephas enim Porci audito grunnitu, in fugas se proripit evestigio, non secus ac generosiores Equi, præsertim Scythici, Asinorum ruditum impotenter admodum

D exhorrescunt, quod exemplo Darii exploratum est. Nihil porro quicquam tam conveniens Regi, quam dicacitatem, vaniloquentiamque ab ædibus suis procul summovere: eamque inimicam sibi constituere, ut adagio receptum sit, *Fidem Regiam asseverando in iis, quæ omnino credi volumus attestari.* De Porcis autem, quos pice oblitos, & mox igne flammatos Megarenses in Antipatri Elephantos immiserint, eosque ita fugarint, in Porci ipsius commentario historia recitat.

## REX VILIUM ASSECTATOR. Cap. X



QUia vero cornua animalium nulli majora, neque speciosiora quam Elephanto, hac ipsa etiam de causa Regem ostendit, cornua enim, ut in Cervi commentario declaratum est, dignitatis & sublimium honorum significatum habent. Hominem igitur Ægyptii ampliori aliqua dignitate tituloque honestatum, qui tamen nulla vel majestatis, vel decori ratione habita, viliſſima quæq; sectaretur, sordesq; omnes perscrutaretur, significare si vellent, hieroglyphicum Elephanti qui mures venaretur, proponebant: indignus quidem tam vasta mole labor. Eademque nota inurendum facinus, quo Domitianum jam Imperatorem stylo muscas perfodientem derisum accepimus: vel patrem ejus Vespasianum [b] de lotio vectigal exigentem, quamquam ejus lucelli odor ei bonus videretur. Verum super hac re notum adagium, *Mures negligit Elephantus.* Ac ne quis cavilletur, Elephanti dentes insignes esse, non cornua, Pausanias omnino esse cornua contendit, tum aliquorum animalium exemplo: quibus aut in supercilio, aut in naribus cornua nascantur: tum quod per aliquot annorum periodos corrupta decidant, & nova subpullulent, igneque molliantur, quod in dentibus haudquaquam fit, & quod in cranio oriantur.

[a] *Suetonius in Domitiano. c. 3.*
[b] *Sueto. in Vespasiano. c. 16.*

## METICULOSUS. Cap. XI.

ESt & illud Regum fere omnium proprium, ut ipsi ad suam (quod ajunt) umbram expaveſcant: ita potentiæ comes additus est uniuscujusq; rei metus. Elephantum autem consternationis hieroglyphicum esse manifestum, si præsertim ii ad stagna limpidæ aquæ, unde sese tanquam in speculo contemplari queant, deducti pingatur, quam speciem supra modum reformidant aut certe abhorrent, & adversantur, eaque de causa turbidam omnino bibunt. Atqui hinc Indorum populi, apud quos magnus earum beluarum proventus est, si quos fluvios cum his tranare parent, illunes nubilesque noctes observare consueverunt.

## LONGO TEMPORE QUID EFFECTUM. Cap. XII

SUnt qui pullum Elephanti pingant, quippe cui nondum dentes enasci cœperint, si longo quid temporis intervallo factum significare voluerint: hunc enim utero gestari Theophrastus decennium scribit, quamquam [c] Aristoteles, Ælianus, & alii annos longe pauciores ponant. Utcunque sit, vulgatum inde dicterium est, *Citius Elephantos parere*, quotiens tarditatem negotii alicujus incessere voluerimus. De iis vero, quæ minime fieri posse speremus, Ennius dixit, *Prius locusta aperit Lucam Bovem.* Ita enim prius Romani vocaverunt Elephantos, quod à nostris in Lucania primum visi.

[c] *Citatur à Plin. in præfatione historiæ nat.*

## VICTUS PROVISIO. Cap. XIII.

ESt & illud apud horum celebre hieroglyphicum super Elephanto, ut hominem frugi, & de victus ratione maxime solicitum indicare vellent, Elephantum pingerent dentes suos terra condentem, Eum siquidem ajunt, simulac caducos dentes suos intellexerit, sponte evellere, & terra infodere. Verum ego crediderim potius *Vitæ suæ prospicientem*, quam *Victui* legendum, Philippumque ipsum deceptum aliqua forsitan Ægyptii vocabuli æquivocatione. Manifestum enim est ex receptorum authorum probatione, Elephantes dentes suos nonnunquam venatu allisos arboribus excutere, scientes se eorum causa peti, ut ita præda derelicta vitæ ipsi suæ prospiciant. Et ne indicio sint venatoribus, quotiens præ senecta deciderint, eos etiam tum humo concedunt. Unicuique tamen sit integrum quam maluerit sententiam sequi.

CON-

A

## CONCORDIÆ DISCORDIÆQUE EFFECTUS. Cap. XIV.

Huic vero significato subjiciemus illud, quod nonnulli Sallustii sententiam, quæ est, *Concordia res paruæ crescunt, discordia maxima dilabuntur*, novo commento pingere, non tamen infeliciter excogitarunt. In illo, Formica in Elephantum crescit oppositio caduceo: in hoc Elephantus in Formicam desinit, aqua & igni pro rebus maxime contrariis adjectis. Verum ex hujusmodi figmento si caduceum & aquam & ignem summoveas, perfectus etiam intellectus significari potest: quippe, qui minimorum æque ac maximorũ cognitionem sit optime consecutus, omniumq; unam quasi scientiam conjunxerit. Sed enim interpretamentum hoc perinde ac illud arbitrarium esse, non inficior. Sed dicet aliquis, Quorsum Elephantus ad Formicam? Plutarchus porro de Formica multa magnifice locutus, quod animal est omnium minimum, ita de maximo non dissimilia se dicturum profitetur.

## STUPOR. Cap. XV.

B Atque hic qui mentis tot exhibuit experimenta, *quo*, vel Cicerone id asserente, [a] libro de Natura Deorum 1. *beluarum nulla prudentior*, stuporis tamen notæ propter unam vastitatem nonnullis habitus fuit, ut legere ẽst apud Diogenianum: cui Philostratus etiam subscribere videtur, dum neque Elephanto, neque dentibus ejus quicquam esse cum lyra dixit, neque quidem cum peritis vi-
C ris: cujus hæc in Amphione verba sunt, quæ quidem ideo Græce ponere libuit, quia in impressis exemplaribus corrupta leguntur: ἐλέφας ὐδαμῦ τῆς λύρας ἅπτοι ἀνθρώποι εἰδότας, ἅτε αὐτῷ ϑηρ. ϱίῳ, ἀϑ' ὅτι τοῖς κέρασιν αὐτὰ χρήσοντας, quod perinde esset, atque illud quod de Asino fertur, *Nihil illi cum lyra.* Quin & Plautus in hanc sententiam: *Meus*, ait, *herus Elephanti corio tectus, non suo est, neque plus habet sapientiæ, quam lapis.* In quam sententiam Græci dicunt, [b] ἐλέφαντ' ἀλαφέρειος. Et Tertullianus eum Bestiam vocat insulsissimam, etsi aliquam in Divinis literis præ se ferat imaginem. Eucherius hominem eum signo hujus dicit indicari, qui magna & enormia scelera perpetrarit, citato ad hoc Salomonis loco: *Et adducebant ad Salomonem Simias & Elephantos.* Et tamen Indici, cum omnium sint ferociſſimi, adeo ut difficulter cicurari possint, ad instrumenti Musici pulsationem cantilenarumque modulationes animum intendunt, auresque ad audiendum arrigunt, atque hinc ita demulcentur, ut nullo alio commento efficacius comprimant ferocitatem. Sane tria Elephantorum genera authores ponunt, palustres, montanos, & campestres; Palustres omnino dementes levesque esse, montanos pravos & insidiosos, campestres mansuefieri facilius, & longe dociliores ajunt, quos nequaquam stupidos existimant illi, qui eos in theatris figurarum notas & mutationes varietatesque callere, multorum testimonio compertum asserunt. Romæ illud accidisse proditum est, cum eorum grex & saltationes, & orbium lubricationes edoceretur, indociliorem fuisse unum, qui cum à magistris increpatus & castigatus esset, noctu visus est ad umbram Lunæ institutionis documenta illa per semetipsum attentare, meditari, & exercere. Verum hæc non ita forte videantur admiranda, quæ fame magistra discere cogantur: illa potius admiremur, quæ faciunt, fieri nullis unquam legibus instituti, pro-
D bitate, prudentia & æquitate, nullis fere animantibus inferiores.



## PIETAS. Cap. XVI.

Quid quod sponte sua naturæ quadam sublimitate præditi, pietatem colunt, & religionem observant? Nova enim apparente Luna, sponte, ubi jure suo degunt, vivo se flumine purificant: si morbis infestantur, Deorum auxilium implorant, herbas cœlum versus jaciunt, earum internuncio eo preces allegante, qui quidem gestus excipiendus est ab

iis,

[a] *Philostra. lib. 2. de vita Apollonii. Elephas proximus homini prudentia & consilio.*

[b] *Ab Elephanto nil differt.*

iis, qui pietatem ex Elephanto picto exprimere voluerint. Iidem humanis proximi sensibus, sermonem patrium intelligunt, gloriam & honores ambiunt, ignominia notati, mortem infamæ vitæ præferunt, quam interdum, alia sibi consciscendæ mortis occasione negata, inedia finierunt. Quoties vero in theatris oppressi, amissa fugæ spe, vulgi misericordiam supplicarunt, & quadam sese lamentatione complorantes, totum caveæ consessum in lachrymas concitarunt?

## MANSVETUDO. Cap. XVII.



Cum tamen tanta ipsi sint æquitate, mansuetudineque ut crudelitatis alienæ ministerio fungi minime cogi possint, quod irrito olim Bocchi conatu apparuit, contra minus validas feras pugnare prorsus negant: cumque majoribus non nisi lacessiti; & in grege pecudum ambulantes, occurrentia manu dimovent, ne quid obterant imprudentes: tantaque illos imbecillioris hujus gregis tenet reverentia, ut vel feri ex Arietis conspectu mirifice cicurentur, lenesque atque tractabiles fiant, author Plutarchus Symposiacῶn XII. Quid quod aberrantem hominem in solitudine factum obviam non modo non trucidant, aut alia afficiunt injuria, sed clementer [a] & placide sese duces præbent, & viam illi commonstrant? Quod vero de sermone dicebamus, quem patrium intelligant, ac etiam certum eos inter se habere tradit [b] Oppianus, verum nonnisi à magistris suis intellectum. Jam illud ætati nostræ claro innotuit experimento, eos magistri suo dicto audientes esse, sive progrediendum, sive regrediendum sit: quem feriant, quibus abstineant, quos invadant, ubi temperandum iræ, ex ipsius magistri sermone cognoscere, ut non immerito confirmata sit opinio, *Hujusmodi esse quandam illi beluæ cum genere humano societatem*, ut M. Tullii [c] super ea re identidem usurpemus. Cum igitur Elephas justi & moderati imperii species quodammodo esse videatur, merito Regis nomen, tum ob virtutes, quas superius in eo recensuimus, tum ob hanc ipsam mansuetudinem, atque clementiam, adeptus est M. Antonius cognomento Philosophus, nihil quicquam esse dicebat, quod Imperatorem Romanum magis commendaret gentibus, quam clementiam, eaque de causa, neque quidem in rebelles suos sævitum voluit. Hæc Cæsarem Deorum adscripsit numero, hæc Augustum consecravit, hæc Pio cognomentum dedit: hac eadem de causa Senatus Roman. timore eo liberatus, quem ex Maximini Imper. immanitate contraxerat, clementissimis Impp. Maximo Balbino & Gordiano statuas cum Elephantis decrevit. Quamvis alia de causa Gordiano tertio quadrigæ Elephantorum decretæ sunt quippe, ut qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet. Sed qualis ea in animali bruto mansuetudo fuit, quam recitat Plutarchus? Romæ cum pueri quidam per lasciviam Elephanti promuscidem stylis pupugissent, iratus ille unum ex illis arripuit, eum in sublime jaculaturus, sublatoque ad hoc præ metu puerorum ingenti clamore, socii morituri vicem deplorantium, tanto omnium mœrore Elephas intellecto, arreptum puerum humi molliter depositi, satis habens metu illo puerilem audaciam castigasse.

[a] *Plin. l. 4. lib. 8.*

[b] *Elephanti inter se colloqui* ἐλέφαντες ἐν ἀλλήλοις λαλοῦσιν.

[c] *Epistola ad Marium.*

## IRA LACESSITA. Cap. XVIII.

Quamvis vero ita natura mansueti sint, in iras tamen acriter incitantur, perturbatique irritatione aliqua acerbiore, immaniter efferascunt. *Justus enim* (ut in Divinis habetur literis) *cum irascitur, pejor est*, eoq; casu tam hostilibus quam ductoribus suis pernicioſi sunt. Quam in eo animali naturam cum non ignoraret Annibal, eam in usum suum convertit: quippe cum in prælti fluminis transitum Elephantos compellere non posset, neque materiæ, qua naves conficeret, copiam haberet, ferocissimum Elephantum sub aure vulnerari jussit, percussoremq; transnatato statim flumine procurrere:



a *Cor duplex Elephanto.*

A currere: Elephas exasperatus ad persequendum sui doloris authorem, transivit amnem, & ita reliquis idem audendi exemplum fecit, ut Stratagematicõn libro primo apud Julium Frontinum habetur; idque in trajiciendo Rhodano factum Livius tradit, quamvis variatam actæ rei memoriam esse confiteatur. Sane Mauri [a] affirmant cor duplex Elephanto esse, altero quidem irasci, altero ad lenitatem induci, atque hoc illud, quod horum utrumque munus supra modum exequitur. Sane Elephas ad hæc usque tempora longa seculorum serie in Italia fabulosus habitus est, neque hominum quisquam adduci poterat tam deformem immanemque beluam, qualem quantamque in picturis aspiciebant, iis dotibus
B excellere, quibus apud rerum scriptores insignis habebatur. Nam quamvis trecentesimo ab hinc anno Fridericus II. Imperator Elephantem ad nos ex Idumæa transvexerit, & superiori ætate alter in Italia visus fuerit, nihil tamen præter corporis vastitatem, quod celebratione dignum censeretur, super illis memoriæ proditum extabat. Cæterum omnem historiæ antiquæ fidem adimplevit Hanno [b] Elephas, quem initio diximus ab Emanuele Lusitaniæ Rege, Indiæque triumphatore, Leoni X. Pontif. Max. dono missum, ac nos Romæ vidimus, Reverendiss. Domine, qui tanta ingenii, intelligentiæ atque docilitatis exempla præstitit ea ætatula (quadrimus enim huc advectus erat) ut non modo quæ à scriptoribus tradita fuerant credamus, verum authores ipsos in hoc animantium genus quasi invidos, elevasse plurima, quæ longe magnificentius illustranda fuerant, suspicio sit. Hinc factum, ut ad ejus significata, & eorum causas recensendas effusior accesserim, qui priusquam animal inspicerem, ne pro anilibus fabulis eorum bona pars acciperetur, veritus fuissem. Illud autem profiteri possumus, de reliquis animantibus quæcunque fidem excedere videantur, scriptorum authoritati nos acquiescere: super Elephanto vero quæcunque admiranda traduntur, nos in Hannone, vel paria, vel veteribus illis longe majora, oculata fide deprehendisse, cujus rei Romam ipsam frequentissimum totius orbis theatrum testem appellamus. Sed minime hoc dissimulandum, quod super ejusdem Hannonis ingenio Michael [c] Sylvius, Regis sui ad summum Pontificem orator, summæ ut nosti, vir integritatis, fideique sanctissimæ, atque alii narravere, remque multorum testimonio comprobavere. Cum destinasset Rex eum Romam Pontifici Maximo donum ire, navi quam inscenderet jam instructa parataque ad profectionem, nullo unquam pacto per aliquot dies fieri potuisse, ut Hanno vel duci se ad navim, vel si quo modo adductus fuisset, eam vellet inscendere, usque adeo aversabundus profectionem hujusmodi reformidabat. Cumque Rex super ea re sollicitus admodum esset, magnisq; pollicitationibus unumquemque invitaret, qui deducendi, asportandique Hannonis negotium suscepissent, neque quisquam nomen profiteretur suum, insusurratum est demum Regis auribus, ejus beluæ magistri dolo hæc fieri: quippe qui puellæ cujusdam amore perditus, ægre ferret se in tam longinquas regiones ablegari,
D proindeq; Hannoni persuasisset ne se abduci pateretur abvehendũ, quippe eum in loca sterilia, inamœna & barbara, ubi ludibrio contumeliisque omnibus tanquam hosticæ terræ animal afficeretur, neque victui neq; ornatui ejus vel necessaria, vel commoda suffectura: longum ad hæc iter & incommodum, & vastum maris æquor arandum, ut satius esset in qua tunc erat terra quamprimũ contrucidari, quam per tot viarum difficultates ad ærumnosissimam denique vitam pervenire. Rex hac re cognita, magistrum Hannonis ad se quamprimum accersiri jubet, secũ dolos ejus comperisse dicit: ageret itaque ut intra triduum Hanno in navim imponeretur, idque ni proprie fieret, interminatus est actutum se hominem extremo supplicio affecturum, ut aliis exemplo esset, qui mandatis Regiis fucum facere ausi essent. Hac [d] Regis asperitate territus Elephanti magister, cum nullam in cunctatione salutem intueretur, discipulam beluam aggreditur, docet se malevolorum quorundam fraude

b *Hanno Elephas.*

c *Simile fere exemplum Christoph. à Costain libello de Aromatibus.*

d *Recens & memorabilis historia.*



subor-

subornatum, qui & felicitati utriusque inviderent,& regi optimo male obtemperantes essent,longe autem secus rem habere,quam illi mentiti essent. Siquidem non immania & effera loca profecturi erant,sed ad urbem orbis terrarum dominam,amœno loco sitam, ubi rerum delitiarumq; omnium quotquot vel avidissimi cujusque cupiditate expeti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem,cui totus pene terrarum orbis assurgeret,apud quem is in deliciis habendus esset, & tanquam Lusciniæ pullus,lautitiarum blanditiarumque affluentia nutricandus: proinde bono animo esset,secumque primo quoque tempore lætus & alacer navem inscenderet, affuturos navigationi Deos cursum omnem incredibili felicitate persecuturos. Ita Hannonem ab eodem magistro in aliam sententiam deductum,ubi signa data sunt, ultro navem conscendisse, neque ulla unquam imperia toto itinere detractasse.

## DE RHINOCEROTE. Cap. XIX.

QUi Rhinocerota in Domitiani numis inspexere, quid id signum sibi velit, quæritare solent.Ego factum id ad Principis adulationem dixerim, qui animalia hujusmodi spectaculis obtulerit, cujusmodi munus illud fuit, quod à Valerio Martiale celebratur;

*Præstitit exhibitis tota tibi Cæsar arena,*
*Quæ non promisit prælia Rhinoceros.*
*O quam terribiles exarsit pronus in iras!*
*Quantus erat cornu,cui pila Taurus erat!*

## IRACUNDIA EX TARDITATE FEROCIOR. Cap. XX.

SUnt enim qui lentitudinem irascendi, ac nullum mox adhibitum modum excandescentiæ, per hujus animalis hieroglyphicum intelligant. Nam in eo conveniunt authores, magna id indigere irritatione, sed ubi iraſci cœperit, esse ferocissimum, quod & altero Martialis expressit Epigrammate:

*Sollicitant pavidi dum Rhinocerota magistri,*
*Seque diu magnæ colligit ira feræ:*
*Desperabantur promissa prælia Martis,*
*Sed tamen is rediit cognitus ante furor.*
*Namque gravem gemino cornu sit extulit Ursum,*
*Jactat ut impositas Taurus in astra pilas.*



## REX POTENS IMBECILLIORIS ARTIFICIO PETITUS. Cap. XXI.

SUnt qui volentes, potentem aliquem Regem imbecillioris alicujus artibus vexatum intelligere, Elephantem pingunt in certamen à Rhinocerote lacessitum. Nascitur hic siquidem natura hostis Elephanto, longitudine ei pene pari, sed cruribus multo brevioribus, colore buxeo, ut ait [a] Plinius. Cornu is ad saxa limato se pugnæ præparat: in dimicatione alvum maxime petit, quam esse molliorem intelligit, eaque perfossa, actutum superat Elephantum.

a *Lib. 8. cap. 20.*



## ROBUSTUS. Cap. XXII.

SAne fortem atque robustum Divinæ literæ, ut Eucherius tradit, per Rhinocerotis imaginem accipiunt, illudque Jobi ex Hebræo affertur. *Numquid vult Rhinoceros servire tibi? Terribilis*, ait is, *fera Rhinoceros,cui gemina in naribus cornua:* atque ita in [b] Domitiani nu-

b *Domitiani numo.*

mis

A mis obſervavimus, in quibus Rhinoceros ſpectatur nares gemino cornu inſignis, qualem celebrat Martialis. Præterea qui nuper allatus eſt ex India inferiori ad Luſitaniæ Regem, cujus imaginem ad Leonem X. Pont. M. transmiſſam vidimus, unum quidem in nare cornu habet, alterum ſuperne prorumpit, non adeo magnum; ſed prævalidum eſſe Luſitani omnes, qui animal viderunt, atteſtantur. At longe curioſius hoc videndum: in Divinis ſiquidem literis, μονοκέρωτα, & ῥινοκέρωτα, Unicornem ſcilicet & Naricornem pleriſq; locis confuſim acceptum fuiſſe nimirum à novis & veteribus Theologis, qui cum hiſtoriam ignorarent, duo hæc unum eundemq; eſſe crediderunt, ita ubique ab aliis Unicornem, ab aliis Naricornem uno eodemq; loco poſitum invenias. Id quod accidiſſe puto, quod, uti diximus, plerique horum idem eſſe animal arbitrati ſunt Rhinocerota & Monocerota: cum alioqui longe diverſa ſint, ſeparatimq; à Plinio utrumque poſitum, qui libro octavo, capite poſt vigeſimum primo, Monocerotem aſperrimam ait feram, reliquo corpore Equo ſimilem, capite cervino, pedibus Elephanto ſimilibus, cauda Apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duûm eminente. Quæ quidem deſcriptio eum ſignat, quem vulgus Halicornum vocat, quem ajunt B pudicitiæ ita amantem eſſe, ut non niſi puellæ virginis ope capi poſſit, quam venatores ibi ſtatuerint ſedentem, quo animal ad potum pabulatumve ſe conferre animadverterint. Accurrere enim Unicornem ad puellam hujuscemodi, inclinatumque caput in ejus gremium collocare, altiſſimoq; mox occupari ſomno, ſignoq; à venatoribus à puella dato approperare eos, & feram nullo negotio capere, atque hoc unius tantum cornu præmio, quod contra venena pollere prædicant: ramenta quippe ejus efficaciſſime ſanare, & toris ſtratis partem ejus impoſitam, ſi quid veneno vitiatum apponatur, ſudorem emittere. Rhinocerota vero eodem libro Plinius cap. XX. ponit, qui cornu non in fronte habeat, ſed in naribus, alterum eum à Dracone hoſtem genitum Elephanto, & quæ ſuperius allata ſunt de utriusque pugna. Sane alibi in Divinis literis Rhinocerota hieroglyphicum eſſe fortis & robuſti viri, uti ſuperius dictum, notat Eucherius, citato ex Jobo loco, *Numquid volet Rhinoceros ſervire tibi?* Et apud Balaam ſcriptum invenias; *Cujus fortitudo quaſi Rhinocerotis*, ut Latinæ pleræque omnes habent interpretationes, quamvis Sanctes *Unicornis*, reddiderit. Igitur ſi quid ariolandum, cum Pſalmo hoc vigeſimo primo comparatio referatur ad animalia robuſtiſſima & indomita, diviC numque auxilium contra eorum imperium atque vim imploretur, quippe ut Chaldæi & Arabes expoſuerunt, *Salva me à feroci fortiſſimo ſicut Leone à Rege potente, cujus potentia ſit ſicut Naricornis*, eamque plerique lectionem probent, non dubitarim aſſerere, hoc loco, *Rhinocerotis*, legendum. Ubi vero Pſalmo vigeſimo octavo mentio ſit amabilioris animalis, dicitur quippe Sarion apud Hebræos, quod Græci reddidere ἠγαπημένον, ὡς υἱὸς μονοκερώτων, Latini, verbum verbo reddentes, *Dilectus, quemadmodum filius Unicornium:* vetus etiam tranſlatio *Unicornium* habeat, nulli dubium eſſe crediderim, quin caſtigatior iſtius loci lectio ſit μονοκερώτων. Atque hæc, mi Domine, ſunt, quæ ſuper Elephanto, qui Rhinocerota ſecum traxit, colligere per occupationes licuit. Tu, qui ætatem omnem, horasque omnes aſſiduæ lectioni ſoles impendere, longè illuſtriora reconditioraque forſitan inveneris, quæ ſi ad manus meas pervenire non potuerunt, indulgendum eſt mihi: non enim ignarus es, quantum mihi Principum obſequia, negotiorumque perturbationes de ſtudiis literarum ſubtrahant, crebrisque me interpellationibus avocent. Quare tu, atque alii, qui vitæ meæ rationem inſpicitis, mihi eſto æquiores, præſertim cum admoneat Maro: Neminem eſſe qui poſſit omnia.

*Monocerotis ac Rhinocerotis deſcriptio, & ejus in divinis hieroglyphicum.*

*Job. 38. 12.*

*Nu. 23. 22.*

*Pſal. 28. 6.*

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER III.

## DE IIS QUÆ PER TAURUM, ET BUBULUM OMNE GENUS SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ERUDITISSIMUM LÆLIUM TAURELLUM, Illustriss. Cosmi Ducis Florentinorum Juri Præfectum.

*IN publica peccare commoda videar, doctissime Taurelle, si Tauri mei mugitus nescio quos Serenissimo Duci Cosmo meo, imo tuo, imo proborum omnium patrono, dedicare non erubuerim. Non quamvis non sim nescius eum studiosorum commodis applaudere, majorum suorum exemplo, qui omnes summam & eam aternam laudem comparavere, dum scilicet literas & virtutes, & bonos omnes mores in Italia, atq; adeo in ipsa clarissima civitate Florentia florere, & in honore esse, omni studio conatuque omni curavere: negotia tamen, quibus juvenis ornatissimus nunc in tanto rerum Italicarum motu & perturbatione detinetur, non permittunt, ut importunus eum accedam, tametsi sapientissime, & magna cum civium suorum commendatione omnia temperet, & moderetur, ita ut omnes curam studiumque senile in ætate tam viridi, admirentur. Quare Taurello potius amico benignissimo eum alendum curandumque dedi, cui cibus is, quo Taurus noster pascitur, sufficit abunde, ut cum opportunum fuerit, resque ipsa monuerit, suo tempore & loco Taurellus de Tauro, quæ in eo sunt laudabilia, atque magnæ etiam admirationis, proferat & natiocinetur, Principemque ingenio præstantem, quibus dotibus animal polleat; &, si dicere licet, quibus virtutibus insignis habeatur, interdum commonefaciat. Nam quæ homines recte laudabiliterq; faciunt, cum illi ad hæc agenda nati sint, & unusquisque ab animo suo, qui ratione pollet, possit exempla desumere: quia tamen dotes hæ ab humana natura dimanant, non utique adeo sunt in nobis admirandæ: sed quæ ferа faciunt animalia, quibus singuli fere singulis motus sunt impertiti, si ultra naturæ suæ fines provehantur, eo preciosiora judicantur, quo magis interdum humanum genus in certamen provocare comperiuntur: cujusmodi multa admiranda superElephanto proximo Commentario ad Reverendiss. Sfortiam commemoravimus, quibus non inferiora forsitan de Tauro vel Bovillo omni genere dicturi sumus.*

### TEMPERANTIA. Cap. I.

ADmirabilem quandam in Tauro continentiam cum animadvertissent Ægyptii Sacerdotes, temperantia præditum hominem, ab humanarum quippe rerum affectu non alienum, cæterum modestiæ servantissimum, significare si vellent, Taurum naturæ admodum robustæ ac validæ faciebant, cujusmodi speciem Philostratus Pasiphae descripsisse videtur, cum ductorem illum gregis, pugnacem, superbum exultantem, speciosum cornibus, colore niveo, lato gutture, cervice crassa, palearibus late longeque pendentibus, armis ad aspectum inhorrescentibus effingit: qualem quippe faciem habemus in nummo quodam argenteo, cujus inscriptio est, [a] M. L. THORIUS. Causam hujus hieroglyphici eam Philosophi tradunt, quod animal hoc sit calidissimum, atque inguine præcipue potens, ita ut uno tantum initu citra motum impleat efficacissime: quod si contingat, ut à naturali aberrarit loco, Vaccam ea in quam occurserit parte, qua præditus est inguinis firmitate, vulnerat, non secus ac si telo eam acuto impetiisset. Usque adeo vero semel illi promptuarium est, ut exectum Taurum implesse tradat Aristoteles, atq; hinc plerique veteres scriptores, viri pudenda Taurum appellavere, ut muliebria βεκάλιον. Animal tamen hoc in libidinem usque

[a] *M. L. Thorii numus.*

A usque adeo concitatum & furens, non sæpius quam bis die inscendit: à conceptu vero ipsius Vaccæ modestus castusque, nihil ulterius tentat. Hujus rei causam in Vacca multi ponunt, quæ Taurum propter rigorem genitalis nimiamque tentiginem, veluti Cervæ etiam, neque non Testudines faciunt, raro patiatur. Unde dixerit [a] Horatius de fugitiva puella:

[a] *In Epod. Carm. lib. 2 od. 5.*

*Nondum subacta ferre jugum valet,*
*Cervice: nondum munia comparis*
*Æquare, nec tauri ruentis*
*In venerem tolerare pondus.*

Sed enim spectandum hoc exemplum continentiæ habere causam in Tauro, manifestum est ex eo, quod sponte Taurus à conceptu, divortio quasi facto, secubat, ac, ut in Epiro maxime videre est, trium plerumque mensium spatio non apparet, sed errabundus, ut apud Virgilium [b] est, *Latus niveum molli fultus hyacintho, Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas*, &, quod ait [c] Aristoteles, ἀπιμαγελεῖ, quod non infeliciter quidã *Abarmenmtur* dixêre, hoc est seorsum à Vaccarum consortio, grege convictuq; pascitur. Quod dictum volui, ut unusquisque sciret quo gestu Taurus pingendus sit in continentiæ significatum. Ut vero ad verbum ἀπιμαγελεῖ, & ex historia ad proverbium revertamur, hæc eo spectant, ut impositum petulantiæ modum, & probatissimam ex ea pictura continentiam intelligamus: atque ita forte accipiendum illud apud Theocritum, [d] ἔβα κῆ ταῦρος ἀν' ὕλαν, *in sylvam abscessit Taurus*; sed hæc tamen, quia copiose & feliciter sunt eruditissimis plerisque viris, præsertim Erasmo [e] Roterodamo, tractata, nos non ulterius prosequemur. Neque vero me latet in Epiro Pyrrhicas [f] Boves fuisse miræ magnitudinis, quæ quia Veneris expertes essent, & omnino intactæ custodirentur, ἀταῦροι dicebantur: sed hoc illis hominum cura, non natura dabat. Eædem neq; jungebantur, ideoque *Injuges* dictæ, quod incontaminatæ pudicitiæ symbolum præ se ferrent. Minervæ in primis mactabantur, virginitatis, quæ jugum nesciat, indicium. Ex iis autem satis manifestum est, nos in libidinis temperantia dubio procul ab eo genere vinci, quod alioqui procacissimum, & in rivales pugnacissimum esse constat. Quare haudquaquam levi de causa cœlestis ille Taurus Veneri dedicatus, neque Venus temere à sapientissimis Poëtis Aurea vocitata est, quæ quidem synceram, castam & puram generandi cupiditatem cœlitus inspirat, non lascivias petulantiores, adulteria turpia, & impudicam humani generis contumeliam, quam voluptatibus dediti mortales, dum appetentius æquo per summam incontinentiam consectantur, cogi se vi siderum affirmare audent, quo suæ velum impudentiæ prætendant, cum tamen à cœlo nihil non undecumque sanctissimum emanare verissime dicat Plato. Sedenim si non ex civilis vitæ moribus, si non ex disciplinis, & sapientum præceptis, si non denique legum minis ad honestatem institui potuimus, age age, jam à brutis rectam vivendi rationem adipiscamur, & ingenium eorum secuti, nostræ opem feramus imbecillitati. Tali autem continentia fuisse præditum Drusum, fama canit, qui se uxori, quamdiu in expeditione Germanica fuit, conservavit. Et quod de Tauri secubitu dicebamus, Pescennium quoque Nigrum ferunt ignarum rei Venereæ fuisse, nisi quantum procreandis liberis impenderetur. Invenies hujusmodi exempla in historiis etiam recentioribus, ut de Pemone Bellunensi, quem Utinenses ob integritatem, justitiam, summamque prudentiam, Principem sibi delegêre. Neque sua in hoc fraudandum laude fœmineum genus, cum Zenobia illa Aureliani Imper. etiam hostis epistola commendetur, quæ Gallieno Rempub. negligenter administrante, imperium sibi comparavit. Eam ferunt cum semel concubuisset, expectatis menstruis se continere solitam, si prægnans esset; sin minus, potestatem quærendis liberis viro concessisse. Vulgo tamen apud Seras nefas est à conceptu fœminam adiri. Ejus continentiæ atque modestiæ causa, qua Boves, ita ut ostensum est, commendantur, Mycerinus Ægypti rex, Cleopis filius, filiam, quæ se suspenderat, quod stupratam sese à patre ferret indignissime, lignea Bove auro solido superinducto condidit. Et antiquissimis Hebræorum sacris offerre Vitulum, est carnis impotentiam perviciisse, ut Origenes in Levitico interpretatur. Exempla vero hujusmodi ea de causa nonnumquam interserimus, quia totus hic noster labor ad eorum usum susceptus est, qui pictura delectantur, ut præter Ægyptiaca, & alia pleraque mystica historiam etiam habeant, quam ad id quod elegerint argumentum accommodare possint.

[b] *Ecloga 6.*
[c] *Lib. 6. de natura animalium.*
[d] *In Idyllio Thyenicho.*
[e] *Chil. 1. Ce. 1 pro. 43.*
[f] *A Pyrrhi regis cura.*
*Venus cur Aurea dicta.*
*Hieroglyphicorum usus.*

## MODESTIA. Cap. II.

NEque alia de causa crediderim ego mulieres Elienses, cum Baccho, quem colebant, preces funderent orare solitas, ut βοείῳ ποδὶ, Taurino quippe pede, ad se veniret, nisi ut suam ita modestiam ostentarent: nihil enim minus fœminam decet quam præcipitantia, vel ardor audaciæ. Quare Dido a Virgiliana cum modesta inducitur, breviter, & vultum demissa profatur. Figurabant vero Græci Dionysium Tauri specie, quod eundem, & Osirim intelligebant, de cujus probitate atque justitia summisq; in humanum genus beneficiis, multa multis in locis hoc commentandi genere dicenda sunt. Porro Dionysius apud Argivos βουγὴς, quasi bovigenam, aut ex bovillo genere dicere vellent, cognominabatur. Quod vero superius dictum est, cœlestem Taurum pios & honestos atque legitimos amores afflare, non sum nescius Julium Maternum iis impudicitiam minari, qui Taurum habuerint in horoscopo: maluissem eum prolificum, aut fœcundum dicere, ne notam eam cœlo injussisset immerito. Hujus sane fertilitatis, & præsentaneæ feminis facultatis ergo institutum ajunt boni ominis causa, ut in condendis oppidis sulco illo primigenio imprimendo, Boves non castratus, & Vacca jungerentur, & cum sacrificabant circum mœnia, quinto quoque anno integra animalia mactabant. Sane Orpheus mensem μονοκέρωτα μόσχον appellat, unicornem quippe Vitulum. Et Eustathius Ἰλιάδ. α mensem ait Bovem dici: utpote qui sit generationis effector.

## PETULANTIÆ FRÆNUM. Cap. III.

ADhæc Niliaci illi sacrorum custodes, cum hominem à priori petulantia sibi modestius consulentem significare vellent, non simplici forma Taurum, sed Caprifico caput, colla armosque redimitum, pro istiusmodi virtutis hieroglyphico proponebant. Caprifico enim ea vis est, ut lascivientium Taurorum, & quantumvis ferocientium naturam usque adeo compescat, eorum collo circumdata, ut immobiles propemodum eos reddat: cujusmodi Taurum ab Hercule compressum domitumque mystico fabulamento Græcia confinxit, perinde ac reliqua etiam monstra superata, cessisse virtuti vitium hieroglyphice significant: tametsi non sum ignarus, quæ de Tauro Herculeo traduntur, referri à plerisque ad Acheloum amnem, cujus fabula, quia omnibus est scholis tritissima, mihi nunc est dissimulanda. Origenes Adamantius Taurorum immolationem, quæ in divini numinis tabernaculo fieri jussa est, per Hebræorum legem, significare dicit apud nos superbiæ tumorem & insolentiam esse mactandam. De vitulo vero in holocaustum offerendo, copiosissime scribitur ab eodem in Levitico homilia secunda.

*Taurus ab Hercule superatus.*



## OBTUTUS AMATORIUS. Cap. IV.

NEque tamen illud omitti debet, Obtutum amatorium, qui modestia servata fiat, ad Tauri oculos referri solitum à peritissimis. Unde illud, βλέπειν ταυρηδόν, quod tum in Platonis, tum in Xenophontis Conviviis, & Phædone, & alibi, eadem fere sententia positum animadvertas, tametsi nonnulli rem ad indignationis significatum retraxêre, torvumque tueri interpretantur: quo significato apud Aristophanem super Æschylo dictum, ἔβλεψε γὰρ ταυρηδὸν ὑγκύψας κάτω, *Aspexit igitur Tauricè ad humum lumina dejectus.* Hac enim facie iratus Æschylus inducitur ab Aristophane. Neque sum nescius torvitatem à Taurorum ferocia dictam, ut etymologiarum authores tradunt, qui torvitatem Tauri acerbitatem interpretantur. Huic longe dissimile est βοῶπις, quo quidem oculorum pulchritudo, atque gratia significatur. In iis tamen quos superius citavi, nimirum de amatorio obtu-

Aobtutu intelligitur, in quo modestia primas obtinet, isque plurimum fieri solet in obliquum, & id torvum est.

## BONORUM OBSEQUIUM. Cap. V.

ALia porro picturæ specie, hominem ea modestia præditum, ut facile eum queas à perperam factis avertere, indicare si vellent, Taurum genu dextero illigatum pingebant: hunc enim si dextero alligaveris genu, mansuetum & vincula consequentem invenies. Hoc cum Romæ Clementis VII. principatu Græculus quidam effecisset ducto sæpius ferocissimo Tauro per universam urbem, quem tenui admodum
B funiculo ita religarat à genu, peritissimi Magi nomen apud imperitos assecutus est. Edomitæ autem ferociæ hieroglyphicum apud Georg. Anselmum vidi, impressum numo Taurum cauda surrecta, capite cervino, anteriore crure lævo genu flexum, sub querno stipite, à quo laurea pendebat: ab altero latere caput Leonino spolio armatum. Inscriptio, Milo Croton.



*Taurus numo impressus.*

## PROLES MASCULA, PROLES FOEMINEA. Cap. VI.

ÆGyptii iidem Sacerdotes, ubi masculam prolem mysticè describere vellent, Taurum ab inscensione in dextram se partem demittentem figurabant: si vero fœmineum fœtum exprimere voluissent, eundem in lævam avertentem sepingebant. Compertum siquidem est, Taurum à conceptu
C discedentem si deflexerit in dextram, marem esse genitum, si ab læva abscesserit fœmineum esse fœtum. Adhæc Parmenides, fœtum tunc esse patri similem asserit, cum à dextera locorum parte editur, matri vero, cum ab læva. Hippocrates tradit sinistro teste obligato marem generari, dextro vero fœminam, tantique esse dextrarum sinistrarumque partium in maribus fœminisq; cognoscendis observationem, ut si mammarum prægnantis mulieris dextra flaccescat, macrave repente fiat, si gemellos paritura fuerat, marem abortum fieri dicant: si vero sinistra macrescat, fœminam deperdi. Quin & Onirocritæ hæc eadem intelligunt, cum imaginari dextra parte dentes amissos, marium consanguineorum obitum ariolantur, ex sinistra vero, fœminarum. In dextra autem parte uteri materni sæpius moveri mares, in læva vero fœminas constat. Albertus sibi compertum ait, mulierem quandam fœminas tantum parere solitam ea de causa, quod à conceptu semper in lævum latus decumberet, admonitam vero cœpisse in dextram conquiescere, ac solos deinde mares genuisse. Ne-
D que vero dissimulandum quod ad Ægyptiorum commentum facit, Septentrioni vim masculam inesse, quod neq; quidem Aristoteles dissimulavit: docet enim is, si masculos plures creari volumus, admissuræ tempore, dies siccos, & halitum Septentrionis eligendum esse: & contra eum ventum greges pascendum: sin vero fœminas generari velimus, Austri captandos flatus, & in eum pascua dirigenda, quod vis in eo vento muliebris insit. Africanus quoq; rem hanc tangit in Georg. Ait enim: *Si marem velis, Aquilone spirante admissuram faciendum; si fœminam, Austro.* Sedenim de levis dexterisq; mundi partibus magnum est inter authores dissidium. Una enim cum Ægyptiis dexteras mundi partes Solstitiales, sinistras Brumales intelligit Empedocles, de quo ita Galenus, ἐμπεδοκλῆς δὲ δεξιὰ εἶναι τὰ κατὰ τῶν θερινῶν, τροπικῶν, ἀριστερὰ δὲ τὰ κατὰ τῶν χειμερινῶν. Neq; desunt qui primas olim fœminas ad Ortũ & Meridiem terra genitas, mares vero ad Septentrionẽ & Occasum fabulentur. Plato tamẽ Aristotelesq; alia ratione orbẽ dividentes Orientales esse dextras, à quibus initiũ motꝰ, lævas autẽ occiduas, tradidêre, ut idẽ Galenus recitat, πυθαγόρας καὶ πλάτων καὶ ἀριστοτέλης δεξιὰ τοῦ κόσμου ἔφασαν εἶναι τὰ ἑῶα, ἀφ' ὧν ἀρχὴν εἶναι τῆς κινήσεως, ἀριστερὰ τὰ ἑσπέρια. Contra Varro Latinæ linguæ l. vi. cœlum

*Quæ dexteræ ac lævæ mundi partes.*

lum ait dici templum, ejus autem cœli partes quatuor constitui, sinistram ab Oriente, dexteram ab Occasu, anticam ad Meridiem, posticam ad Septentrionem. Cui Plinius subscribit dicens, errantia sidera contrarium mundo cursum agere, quippe lævum semper illo in dexteram præcipiti: quamvis Festus anticam eam cœli partem, quæ ad meridiem Sole illustratur, dexteram vocat, ita enim anticam interpretatur: posticam vero ad Septentrionem, sinistram. Alcinous in Græcorum monumentis adnotatum ait morem sacrificandi servatum diu, ut circumcurrerent aras, cursum auspicati ab lævo dextrorsum, Zodiaci quadã imagine, cujus motus sit mundo diversus ad exortum vergens: mox vero à dexteris lævorsum procurrerent, quo motu cœlum rotari manifestum. Contra Ægyptiorum positionem T. Livius libro ab Urbe condita primo, dexteras ad meridiem partes Augurum instituto, ad Septentrionem sinistras statutas ait. Ad hanc sententiam facit quod Psalmo apud Heb. 89. legitur, *Aquilonem & dextrum tu creasti*, quod nonnulli Austrum interpretantur, alii mare. Cum Hebræis vero consentiunt & Chaldæi, qui Austrum ponunt. Sedenim & Auster pro Mari non inepte accipitur, si sphæra recta statuatur polis ad finitorem inclinatis. Nam Ægyptii (quos Cleomedes, non postremi nominis author, secutus est) ipsam mundi totius figuram aliter descripsere, utpote qui Auroram esse caput, Borealia dextera, Australia sinistra constituere: maritimisque piscibus, tum ob alias causas, quas loco suo recensuimus, tum ob id præcipue abstinebant, quod Nilum à sinistra ortum, quippe fœminea fœcundaque parte, in dexteram quippe virilem sterilemque (ita enim erant eorum commenta) illapsum: quippe ubi mare sit, corrumpi dicerent. Nam de maris ipsius sterilitate suo loco diximus, atque ita dexteram oram, hoc est, maritimam, considerato Ægypti situ, perditionis symbolum statuebant. Neque hic dissimulandum, quod apud Eucherium, ubi de Aquilone loquitur, qui pro Dæmone accipiatur, invenies eum vocari Dexterum & ita ipsum quoque sibi Dexteri nomen adscisere. Nam & Hieronymus quartis Hebræorum castris Aquilonem dextrum appellari tradit, sed falsum ait nomen, cum de Dæmone ejus venti domino intelligatur, qui undecumque siniſter siniſtra omnia mortalibus suggerat appetenda. Causam tamen Eucherius super Dexteri nomine aliam ab hac arbitratur, quippe quod perperam agere volenti, dexter adsit obsecundando, suadendo, procliviter attrahendo. Nam illud palam est, ait, in Sacris literis diabolum gestare Aquilonis nomen, eaque locutione quicquid bonis conatibus adversatur accipi: is enim bonorum operum ardorem extinguit, atque omnia frigefacit, & ob id & infideles & impiii, contumaces (celeratiq; homines, eo notantur hieroglyphico. Unde illud, *ab Aquilone pandetur omne malum.* Et quia flatus vehemens quo frigidior, eo magis ignem in quem inciderit exsuscitat, dictum est, *ab Aquilone exardescent mala super terram.* Tetigere & Poëtæ nostri dexteras lævasque cœli partes. Sedenim Maro & Naso, nullius addicti jurare in verba magistri, eas non distinxere. Lucanus Ægyptiorum adhæsit factioni, & sententiam ipse suam declaravit eo loco,

*Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,*
*Umbras mirati nemorum non ire sinistras,*

hoc est, in Australes partes non porrigi. In hoc autem id interest, ubi quis universi statuat caput. quo super argumento plura dicere nostri non est instituti, quare ad ipsas rerum significationes revertamur.

## AUDITUS PROMPTUS. Cap. VII.

AUditu enim duo ex quadrupedum genere maxime pollent Cervus & Bos: quamvis, ut in Asino dictum, Aristophanis interpres Murem & asinum præferat: quod alii viderint. Sedenim Cervus, quamvis acerrimi sit auditus, tantisper tamen eo excellit, quandiu arrectas auriculas tenet, quas ubi demiserit, non solum non præstat auditu, verum etiam laborat surditate. In Tauro aures ad audiendum promptæ semper, atque eo præsertim tempore, quo fœmina prurita exagitata mugierit, quo non amplius quam per horas ad summum tres afficitur, eo tempusculi spatio nisi Taurus accesserit, naturam colligit, neque antea quam vigesimo post die mas à fœmina repetitur,

A tur, quod raro tamen accidit: quia Taurus quantumlibet longe abfuerit, accepta voce ſtatim accurrit. Eaque de cauſa Ægyptii Sacerdotes per auriculam Tauri pictam, auditum & obſequii ſedulitatem indicabant. Pari mode Juvenca quoque Tauro ſe morigeram præbet. Sane Vaccam Ægyptii Veneri dedicarunt, quam cœleſtem vocant, & Iſidis ſuæ frontem cornibus inſignitam oſtentabant: quippe ob obſequium quo ipſa quoque Tauro paret, ſimulac incitati ejus ad Venerem mugitum adierit. Licet vero ſingulis animantibus voces propriæ ad initium ſint, ut Suibus, & Capris, & Ovibus, nulli tamen gravior quam Bubus fœminis. In reliquis porro animalium generibus mares gravi-
B us ſonant quam fœminæ: in Bubus è contrario eſt, ait Ariſtoteles; nam Boum fœmina graviorem quam mas vocem habet.



## NEPTUNUS Cap. VIII.

AT cum mugitus pelagi Turino ſit non abſimilis, & ipſi Neptuno Tauros immolabant, & eum ab eodem mugitu μυκητὰν appellabant: quia idem Deus à ſacerdotibus nonnunquam ταυρόκρανος nuncupatus eſt. Quos vero Tauros Neptuno ſacros eſſe volebant, undecumque nigros deligi juſſerunt, ut ita pelagi colorem exhiberent. Atram enim, nigram, obſcuramve maris aquam dicere mos ubique eſt, unde etiam Aquilam, ab aquæ colore, quippe fuſco, dictam volunt, Deumque ipſum cærulicomum, & cæruleo indumento veſtitum paſſim invenimus. Adhæc pectus illi prævalidum, armique Taurorum in morem carnoſiores attribuuntur. Hinc in pulcherrimo Syracuſanorum nummo latum conſpicias portum, in cujus medio ea membrorum habitudine Taurus procumbit, Delphinis
C circum colludentibus. Qui vero ludi Taurii nuncupati fuerunt apud Romanos, haud quaquam Neptuno, ſed inferis diis inſtituti erant ad ſedandam peſtilentiam, quæ Tarquinio Superbo Rege in mulieres gravidas ſæviebat: inde ſcilicet ortam, quod caro Taurina populo divendita fuerat. De Neptuno vero, qui ταυρόκρανος ut apud Heſiodum in Scuto Herculis, vocaretur, alii dicunt propter undarum ſonum, quæ, uti dicebamus, Boum inſtar mugitant: alii, quia Neptunus Taurina induebatur galea, vel quia ita eum Bœotii vocitabant, à Tauri ſacrificio, quod illi erat inſtitutum, de quo Maro:

*Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.* *Æn. lib. 3.*

*Syracuſanorum nummus.*

*Ludi Taurii.*

## FLUVII. Cap. IX.

QUin & fluvios ipſos cornigeros, ταυροκέρωτας, hoc eſt, Tauricornes, vel ταυροκράνους, Tauricipites, ut luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, paſſim effingunt. Hinc Tibris Maroni,

D *Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum,* *Æneï lib 8.*
*Et gemina auratus Taurino cornua vultu* *Georg. li. 4.*
*Eridanus.*

Ut apud Ovidium in Metam. *Granico nata bicorni*, non ut vulgata habent exemplaria, *Gracili cognata Granico*. Sic Tauriformis Auſidus Horatio. Nam & Taurum à Perillo Phalaridi dono datum, Gelonis fluvii fuiſſe imaginem, apud Pindarum in Pythiis legas. Et Timæus Taurum eum, quamvis ita dictum ab Agrigentinis in mare projectum aſſerit, ne qua tam ſævi tyranni memoria ſupereſſet. Compluribuſque demum in locis flumina Taurina ſpecie fingi ſolita comperimus: ut Eurotas apud Lacedæmonios, Cephiſus apud Argivos, Aſopus apud Sicyonios & Philiaſios fuêre: quem tamen Athenienſes humana facie figurabant, cornibus tantum à fronte prominentibus, ſive propter mugitum,

*Lib. 4. Carminum.*

quem, uti dictum est, ciere flumina Taurorum instar videntur, & Taurorum instar atrocia sunt; ut Festus ait, sive quod cornua fluminibus ab flexuosis eorum lapsibus attribuuntur.

## TONITRUS. Cap. X.

Quod vero pertinet ad mugitum mythologi Philosophi abactas Geryonis Boves impulsu Herculis, tonitrus hieroglyphico significato intelligi debere autumant: quæ quidem sententia eorum est, qui Hesiodi Philosophiam interpretantur, ea scilicet de causa, quod Poëtæ plerumque tonitrus auditos Mugire dixerint. Abigi vero ab Hercule dicuntur, quia Solem per Herculem intelligebant. Solis igitur calor in nubes illapsus, earumque rigore coarctatus, simulac defractus nubibus erumpit, mugitus eos ciere consuevit.

## LÆTITIA. Cap. XI.

Late vero diffusum est hieroglyphicum illud, ut per Vituli signum lætitia significetur: unde etiam Vitulari verbum, hoc est, lætitiæ signum præbere, & exultando gestire, apud veteres Vitulantes, gaudentes, lætabundosq; dici comperias: ut non temere apud conjectores Hebræos legas, lascivientem currentemque Taurum per somnium imaginari, futuræ lætitiæ signum esse: addi verò lucri adventantis significatum si per hujusmodi quietem pascentes visi fuerint. Ejus verò lasciviæ causa Psalmographus clamat *circumdatum se à Vitulis multis, & à pinguibus Tauris obsessum.* *Psal. 22, 12.*

## ANNONÆ FELICITAS ET PENURIA. Cap. XII.

Quoniam vero & in somnia, & in id Bovis significatum incidimus, quo læta nobis omnia proponuntur, qua ratione quove modo Bovillum pecus annonæ feracitatem, atque itidem penuriam significet, ex Divinis nostrorum literis historiam repetere minime fuerit importunum. Satis enim constat, quemadmodū Josippus ille somniator Jacobi filius, ob invidiam fuerit à fratribus venumdatus, atque in Ægyptum abductus, ubi longam servierit servitutem, utque postmodum primas apud regem obtinuerit posteaquam nocturnam eam imaginem, quæ sese Pharaoni altius dormienti obtulerat, interpretatus est. Imaginatus enim erat ille septem Boves, pulchro, hilari & pingui aspectu, ab ripa Nili ad paludem aberrantes, quas septem aliæ deformi macie paluſtri eo loco emergentes exceptas conficerent. Mox verò existimabat septenas spicas cernere multa fruge conspicuas, & quæ jam secari poterant, totidem numero spicæ sterilitate insigni ex proximo occupare videbantur, (hoc verò visum secundo loco, quod ex Hetrusca disciplina in ostentis experitur, primò additum attestatum facit, ut etiam in Gedeonis vellere diximus.) Hic juvenis rerum prudentissimus, eximiā quandam septem annorum feracitatem ex eo portendi pollicitus est, quam optimæ illæ Boves cum frugiferis spicis inspectæ denunciarent, quippe quòd sit animal agrorum cultui præcipue idoneum, telluris felicitatem per eas interpretari oportere, cujus lætitiæ causa futura esset Nili inundatio, unde visæ essent illæ Boves emergere, idque per spicas, quæ hilari essent aspectu, manifestius significari: annorum quippe septem lætissimum proventum, cætera, quæ his adversa apparuissent, totidem annorum famem demonstrare, quæ ubertatem illam evestigio subsecutura esset. Est nimirum palus sterilitatis indicium, sterilisq; passim tum à Poëtis, tum ab Oratoribus appellatur. Cum autem interpretationem hujusmodi ei approbasset, Rex Josippi consilio fretus, non modò famem ab Ægypto depulit, sed finitimos etiam populos abunde saturavit. Ajunt itaque Ægytii, ejus beneficii memores, homini gratiam ita relatam voluisse, ut simulacrum Serapidis, cum modio in capite, cujus rei monumentum esse decreverint. Sedenim alibi de Serapi. Mirum autem memoratu est, quantum honoris vetustas iis attribuerit, qui humano victui vel industria, vel cura, vel ope privata consuluissent. Livius author est, auratam Bovem extra portam Trigeminam Minutio Auguri positam à populo collata stipe, quòd farris pretium intimis nundinis ad assem redegisset. Farre enim victitasse populum Rom. per ccc. annos ab Urbe condita, Verrius Flaccus prodidit.

*Pharaonis somnii interpretatio.*

*Serapidis simulacrū.*

## TERRA FRUGIFERA. Cap. XIII.

Apud Persas, barbara ceremonia, Bos fronte in Leoninam faciem conformata, ex antro cornibus arreptus educebatur, ad sacrificium, de quo Papinius:

*Indi-*

A *Indignata sequi torquentem cornua mitram.*



quippe cum Taurus plurimum terrenum animal sit, terræ & inferis potestatibus damnatum, Soli tamen ab ea gente dedicatus vim eam ostendere videbatur, quam Sol in universam terram exercet. Quod autem extraheretur ex antro, delitescere vim ejus in terræ visceribus indicabat, quam ut evocarent, & frugum feracitaci consulerent, sacrificii genus id instituerunt, de quo etiam in Leone. Neque quidem alia de causa Bovem quandam ab Argo tot luminibus prædito custoditam fabulantur, nisi ut terrã ipsam ostenderent noctu ab ipso cœlo tot stellarum luminibus insignito, non indiligenter observari, donec à Mercurio, quippe à Sole
B conficiatur, cujus oriente jubare, stellarum lumina passim extingui videantur. Quid autem aliud portendere visus est Bos ille arator, qui decusso jugo triclinium, in quo cœnabat Vespasianus, irrupit, ac fugatis ministris quasi repente defessus procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit, nisi terrarum orbem amarissimo Vitellianæ dominationis jugo pressum, opem à gente Flavia deposcere, quæ jam rerum esset potitura? Terram itaque Bos eo ostento præ se tulit.

## OPIS IMPLORATIO. Cap. XIV.

HÆc autem opis imploratio per Bovem facta, adducit in memoriam alteram Scytharum more, bovillo interveniente corio, factam: apud eos enim opis & auxilii imploratio fieri solebat mactato Bove, in corio cujus, qui opem sibi afferri ab amicis posceret, rejectis in tergum manibus sessitabat: qui verò auxilium pollicerentur, dextero pede corium calcabant præfati quantum præstare possent, quem morem late scribit Lucianus dialogo de amicitia, cui titulus *Toxaris*. Et quod ab hoc
C fertur de Homolottorum sacrificio, qui fœdera sancientes Bovem in minutissimas partes dissecabant, etiamnum durat, apud eosdem Scythas, qui oram inter Tanaim & Phasim accolunt, nunc Cercassios appellatos, eos non nulli Ziccos esse volunt: hi autem si gravem aliquam injuriam acceperint, imploraturi amicorum auxilium Bovem mactant, pelleque detracta & humi distenta, in eaque sedentes, carnibus Bovis in minutissima frustra divisis, partem unicuique advenienti porrigunt: quique accipiunt, ita se eo fœdere devinctos intelligunt, ut se, fortunasq; suas omnes parati sint exponere pro amici, qui viscerationem hanc fecerit, injuria vindicanda.

## FRUGUM OPULENTIA. Cap. XV.

QUi verò Boves juncti in numo Vespasiani jam Imperatoris & Cos. v. habentur, atque alii similiter jugati in C. Marii C. T. numo, nimirũ arationis partes procuratas, & rei frumentariæ commoda declarant: nam & apud conjectores, uti superius dictum, arantes Boves imaginari, lætissimam prænunciant frugem, & opulentam rerum fœlicitatem. Quin & nomen Bovi à nutriendo factum.
D βῶ quippe nutrio: labore enim suo in exercenda terra continuò nos pascit. Hinc Græci βούφαρον, felicem agriculturam vocant, quibus φάρος agricultura est, & Bovis etiam epitheton.

*Vespasiani & C. Marii C. T. numi.*

## JUSTITIA. Cap. XVI.

QUoniam verò ipsa frugum opulentia sæpe sub justitiæ vocabulum cadit, eaque de causa Gentes legiferam Cererem appellarunt: longe convenientius Divinæ literæ per Bovem eos intelligunt, qui justitiæ jugum trahunt, bonisque & frugalibus operibus laborem suum intendunt. De quibus Paulus citat illud ex Mose: *Non alligabis os Bovi trituranti*, quod & mox ita declarat: *Nunquid de Bobus cura est Deo? an propter nos utiq; dixit, quia debet in spe qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi?* Et Hierosolymit. Hesychius plerisq; Divinarũ literarum locis Bovẽ poni pro homine ait, qui

*1. Cor. 9. 9. Deut. 25. 4.*

qui justitiæ sit operibus intentus. idque est Bovem offerre in sacris, ut Ovem, à malis abstinere. Alibi vero Aaron Vitulum pro se & pro domo sua, tanquam justus, Hircum vero pro peccato jubetur immolare. Sed observat Hesychius memoria repetendum, in Levitico Pontificem, hoc est, Doctores prohiberi ad Arcam testimonii quocumque tempore ingredi, ne utique curiosius inquirant, quemadmodum verbum caro factum est, quomodo qui forma Dei erat, in forma Dei factus est, quomodo exinanivit semetipsum, & in cœlis mansit. Horum enim fides salutem affert, periculum inquisitio. Sed tunc demũ indulgetur, ut ingrediatur, cum pro peccato Arietem in holocaustum obtulerit, tunicam linteam induerit, femorabilibus linteis pudenda celarit, zona lintea succinctus fuerit, linteam cydarim imposuerit capiti, hoc est, quando Deo conciliatus erit, perpurgatus mentem, corpusq; nitidus, castus, justus, & intellectum divini muneris gratia, decoreq;, hoc est, sapientia redimitus.

## PECUNIA. Cap. XVII.

*Bovis effigies in numismate Athenienſ*

Athenienses autem quo frugali adeo labori gratiam referrent, Bovis effigiem numismatis honestarunt, id autem didrachmum erat, ut nono libro Pollux, unde proverbium, βῶς διὰ γλώσσης βέβηκε, *Per linguam Bos inambulat*: de iis qui accepta ab adversariis pecunia, mox prævaricati susceptas causas deseruere, uti fecisse Demosthenes fertur: qui etiam id sibi gloriæ vertit, quod ut taceret, plus accepisset, quam qui diu oraverat. Hinc apud Homerum & alios tot numero Boum pretium rebus præstitum invenias, ut illud Iliad, β, ἑκατόμβοιο ἕκας θ', quorum singuli scilicet flocci centum aureis numis æstimabantur. Id enim honoris Bovi veteres habuerunt, ob multas, quas ex eo consequimur utilitates, ut in aureorum numorum parte una Bovis effigies in altera principis facies cuderetur. Nam quod pecunia aliquando fuerit ex corio bubulo, eoq; spectare Didus mercaturam, asseverare non ausim, tametsi Tib. Donato commentũ placet: & Græcorum nonnulli ante Numam scorteas & ostracinas pecunias in usu fuisse dicunt, quod & Tranquillus literis mandavit, & illud fama tenet, asses ligneos & scorteos ab eodem Numa, qui postea ferrum admixto ære signarit, in congiario populo datos. Apud rerum scriptores invenias sæpe Imperatores exercituum rei pecuniariæ inopia scortea persoluisse stipendia, mox illatis pecuniis justum unicuique pretium restitutum. Præclara Venetiis est Michaëlium familia, quæ aureos insculptos clypeis gestat, quod illi honori, ut ajunt, datum: quia bello quod contra Saracenos pro Hierosolymis Balduino Rege susceptum fuerat, duce classis & Venetiarum Dominico Michaele deficiente stipendiorum commeatu, qui remigibus & sociis navalibus exolveretur, excogitaverit is corium signare minutioribus frustis idque pro stipendio, aliis pro argenteorum, aliis pro aureorum pretio numeratis, imperavit promulgatione solenni, ut pro certi pretii denariis à lixis & cauponibus, & cujusque mercis institoribus acciperentur, multa indicta recusantibus; ita occursum exercitus necessitati. Cumque domum reversus esset, publicam fidem persoluturus, convocatis omnibus qui pecunias scorteas eas haberent, totidem argenteas iis, aliis aureas repræsentavit. Sed numus hic scorteus, qui à Numa distributus, tesseræ potius vicem gessit, quam pecuniæ, temporarius enim fuit, Numum tamen scorteum, D. Hieronymus agnoscit. Nam quod de Bove pretii nomine pronunciato dicebamus, apud Homerum Hecatomben ἑννάβοιον institutam legimus: quod interpretes nonnulli novem Bovem pretio comparatam intelligunt. Erat in Draconis legibus irrogata multa quædam δεκάβοιον. In spectaculis, quæ Dei celebrabantur, præco prænunciare solitus erat, tot Boves datum iri, unde putarunt quidam Bovem Deliorum potius fuisse numum, quam Athenienſium. Cæterum Plutarchus Bovis figuram in numis cudere institutum à Theseo tradit, vel ob Taurum Marathonium, quem ipse edomuerit, vel ob Minois ducem, quem singulari certamine devicit, vel ut hoc honore Bobus præstito cives ad agriculturam alliceret. Sane Plutarchus, ut idem in Publicolæ vita, Bovis pretium centum obolis imputabatur, quamvis Pollux (ut superius dictum est) didrachmum tradat pecudis vero decem. Prius enim quam numorum usus esset, pecudibus atque jumentis plectebantur fontes. Quare bonis, pecudis, suisq; etiam signa plerumque in numis incisa sunt.

*Scortei numi.*

VOCA-

## VOCALIS PRIMA. Cap. XVIII.

A SEd ut ad rem noſtram revertamur, à Phœnicibus etiam eſt honos habitus Bovi, qui literarum, ut fama eſt, inventores, primæ vocalis nomine Bovem appellitabant, cum animal ſit humano uſui maxime neceſſarium. Quod vero neceſſarium eſt, uti dicit Heſiodus, neque ſecundum, neque tertium eſſe debet, ſed primum ilico: prima vero litera eſt A, quæ ſuapte natura ex imo barathri, nullius veluti reliquæ inſtrumenti indiga, ut puta linguæ, dentium aut labiorũ, libera pronunciatur, primaq; in infantibus articulata dignoſcitur. At & terra, cujus ſymbolum eſt Bos, prima omnium humanæ conſuluit infirmitati, prima alimenta ſubminiſtravit, prima rerum omnium uſus, utilitatem, ab ea poſcentibus, elargita eſt.

## ITALIA. Cap. XIX.

ROmani porro tantum honoris Bovi tribuerunt, ut Italiam ipſam olim ab Italis, nuncupatis Bobus, appellatam prædicent, quamvis Græcorum figmento, Eratoſthenisque inprimis confictum ſit, Italiam ab Italo rege dictam, qui Hermogeti ſucceſſerit. Non temere tamen Varro Boves cæ- *Italiæ etymon.*
B teris pecudibus honore præſtare, præſertim in Italia, & propter utilitatem, & propter cognomen exiſtimavit. Neque dedignati ſunt Romani, quod memorat Plutarchus, bubulci nomen in familias admittere, perinde ac etiam & Porcios, & Caprarios dici ſe alii non erubuerunt.

## CIVIS OPPRESSUS A PEREGRINO. Cap. XX.



VIſebatur olim in Argivorum foro Taurus à Lupo ſuperatus: hieroglyphicum id pugnam indicabat, quæ inter Danaum & Gelanorem de regno fuit. Horum ſiquidem animalium portento, dum comitia procraſtinabantur, oblato, victoreque Lupo, omnium ſuffragia ad Danaum declinarunt, quem, utpote externum, Lupum eſſe dicebant, cum Gelanor inter eos verſatus civilia eorum negotia tractaſſet: ideoq; civis, uti Bos hu-
C manæ conſuetudinis conſortia non reformidat, haberetur. Argivi itaque figuram eam rei momentum eſſe voluerunt, quod in Lupi commentario latius explicavimus. Antiquiſſimam porro legem fuiſſe, memoriæ proditum eſt, eum qui Bovem occidiſſet, non aliter capite damnari, quam ſi civem interfeciſſet. Unde apud Athenienſes Erechtheo imperante, cum ſacro quodam Bovem mactare neceſſe eſſet, ut ſacrum rite peragetur, ne qua legi fraus fieret: inſtitutum ut Popa, quem illi βȣφόνον appellabant, ſimul ac Bovem percuſſiſſet, relicta ad aram ſecuri, arrepta ſtatim fuga ſolum verteret, & ex Attica prorſus aufugeret: quod facinus ne impunitum relinqueretur, decretum ſit ſecurim ipſam in judicio ream conſtituere: ex quo illa judicandi quotannis conſuetudo poſtmodum inolevit. Apud priſcos etiam Romanos invenias capitale fuiſſe, ſi quis Bovem interemiſſet. *Athenienſium lex adverſus bovis percuſſorem.*

## OPUS ET LABOR. Cap. XXI.

D DE opere demum & labore hieroglyphica paſſim vulgata ſunt, deſcripta quidem cornua caputve Bovis, maris opus, fœminæ vero, laborem anxietatemque ſignificare, quamvis in impreſſis Hori codicibus βοὸς dictioutroq; lemmate deſideratur: ſcribendum enim eſt ex vetuſtis codicibus manuſcriptis, βοὸς ἄῤῥεν κέρας, & inferius, βοὸς θηλείας κέρας. Diſtinguuntur vero à cornuum ſpecie mas & fœmina, quippe quod marium & majora & tortuoſiora ſint, fœminarum vero & minora, & uno flexu conſpicua, cujusmodi fere ſunt novæ Lunæ cornua: ſed in hoc ſignificato nonnulli ſarcula, ligones, &, ſi Deo placet, raſtra etiam ad cornua religarunt. Sunt qui nulla maris fœminæque differentia, Bovillum caput exertum pelle, purgatumque carne, pro labore & tolerantia proponant. *Hori locus emendatus.*

## FRUCTUS EX LABORIBUS. Cap. XXII.

ET si fructum ex laboribus perceptum indicare velint, caput hujusmodi floribus & corollis redimitum faciant, corymbosque & serta hinc inde cornibus suspendant: cujusmodi fascia molem Æliam ambibat, ut frusta quædam, quæ adhuc integra operis parte permanserunt, ostendunt: sive id sacrificiorum, videlicet Tauroboli, aut quid hujusmodi, sit indicium, cum juxta vicissim & patina adsculpi soleat, quod præcipue in templorum parietibus, inter triglyphos ubiq; spectamus, eaque de causa capita illa coronata plurimum habentur: sive larga laborum præmia interpretari malimus, ut Romæ in eadam Adriani mole patina, munificentiam, Bovillo capite, labores, sive res fortiter gestas ostentantibus. Nam post vitæ præclaræ actæ cursus laboresq; superatos, apotheosis ipsa præmium Imperatoris familiis decernebatur, aut excitabantur mausolea, vel pyramides, vel columnæ, quæ ibi conditos supra mortales evectos gloria commonstrarent. Apud Petrum Molinum Romæ vidimus athenum Bovis caput antiquissimi operis scite factum & venuste, quod olim fuit ad trabis alicujus simam, aut mutilum, aut coronam, pro fultura accommodatum, eo omnino gestu factum, ut laborioso nixu aliquid sustentasse videatur: est enim caput gutturi appressum crispantibusq; palearibus conatus speciem ostentat, quod dubio procul ad tolerantiæ laborisque significatum referendum est. Memorabile sane veterum Germanorum institutum fuit, uxori ducendæ Boves junctos, frænatum Equum, & scutum cum framea gladioque mittere dotis nomine, ut uxor (ait Tacitus) venire se laborum periculorumq; sociam his incipientis matrimonii auspiciis admoneretur, idem in pace, idem in præliis passuram, ausuramque. Laborem enim junctii Boves, bellum paratus Equus, & data arma denunciabant. Apud authores Græcos invenias Bovem, quod terræ laboribus exercendis sit destinatus, γαῖον appellari. Apud Mathematicos Tauro ascendente genitos, laboriosos atque perpetuæ deditos servituti, propterea quod animal ad jugum præcipue natum est. Qua de causa Tyrii Carthaginem ædificare aggressis, intermissum opus est Bovillo capite adinvento, alioque urbis mœnia translata: videbatur enim ostentum id nil nisi laborem & anxietatem minitari, donec Equi mox adinvento capite, læti alacresq; belli signum excepere. Horum alterum Virgilius dissimulavit, qui fabulam scribebat, non historiam, rem tamen agnovisse visus, quod *bello genus intractabile* futurum dixit, sed *facilem victu per secula gentem*: quippe quæ vel jugum acceptura esset, vel fœno coercenda, quamvis non postremi nominis interpretes *facilem victu* interpretari malint, ad victum comparandum: qua in sententia Servius est.

*Germanorum olim mos in ducenda uxore.*

## ABSURDA RES. Cap. XXIII.

ATque ne à Bove & Equo longius discedamus, est illud ex horum alterutro hieroglyphicum: ut cum absurde & imperite factum quid ostendere voluerimus, Bovem cum clitella, vel Equum aratro adjunctum figuremus, quam quidem rem & absurdam sane, & ab cujuslibet ingenio vel virib. alienam provinciam innuere volumus: quod luculenter uno versu complexus est Horatius:

*Optat ephippia Bos piger, optat arare Caballus.*

Quod etiam Quintilianus ex Epistolis ad Atticum tangit, ubi lib. 5. inquit: *Non nostrum onus, Bos clitellas.* Dixit enim Cicero 5. ad Atticum lib. *Clitella bovi sunt impositæ, plane non est nostrum onus, sed feremus.* Sed ad nostra redeamus.

## JUDÆI. Cap. XXIV.

IN Divinis literis Judæi (ut sæpe dictum) hieroglyphice per Bovem intelliguntur. Nam Hierosolymitanus Hesychius Bovem eum accipit, qui mandata tantum legis simpliciter observat, utpote quod Bos sit laboris signum. Eucherius significationem ad omnes trahit, qui vitam laboribus exercent: & Mosaicum illud: *Non alligabis os Bovi trituranti,* interpretatur, ut neminem mercede sua fraudandum intelligat.

*Deut. 25. 4*
*1. Tim. 5. 18.*

## APOSTOLI PASTORES. Cap. XXV.

APostolos quoque per Boves accipit, qui suscepto Christi jugo universum terrarum orbem Evangelico vomere peraraverunt. Illud vero: *Quasi Bos ductus ad victimam,* quod pro vecorde nonnulli

*Prov. 7. 22.*

A nonnulli dictum accipiunt, de Domino omnino intelligit, qui pro salute nostra eam quasi stultitiam susceperit. Ante fores templi ad abluendas ingredientium manus lavacrum aheneum Boves duodecim sustinebant, qui quidem frontibus tantum extabant, terga & posteriora occultabant. Per Boves eo gestu hieroglyphice factos, Gregorius Pastores Ecclesiarum intelligit, quorum aperta & in propatulo proposita opera cernimus, sed quæ ipsi clam faciant sentiantve, Dei judicium, non nostrum esse debet: id enim ait sibi velle, quod eorum lateant posteriora.

## VITIOSUS. Cap. XXVI.

QUod vero pertinet ad Vaccam, per hieroglyphicum ejus Divinæ literæ, ut idem tradit Eucherius, hominem vitiis, quæ corporis sunt, plenum indicant, citato loco ex Psalmo: *inter Vaccas populorum*. Sed illud de Vaccis fœtis, quas Palæstini ad trahendam arcam Domini sine rectore junxerunt, Vitulis earum intra caulas domi detentis, ita interpretatur, fideles quidem intelligi, qui tametsi foris humanis affectibus torqueantur, illis alligati, à recto tamen itinere non declinent: quia arcam Domini portant, mandata quippe ejus menti firmiter insidentia. Et idem alibi ad Valerianum: *Tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, etiamsi affectus pignorum avocent, minime declinamus.* *Psal. 67. 31.*

B

## PODAGROSUS. Cap. XXVII.

SEd qui illud, quod ex Bovillo pede, podagrosum hominem significabant? Bos enim præcipue ungulis cum dolore articulorum laborat, quo quamvis non intereat, ungulas tamen interdum amittit, & pedes vehementer intumescunt: unde fictum ab Ægyptiis, Tauri cœlestis pedem extra regionem suam in Æthiopas exporrigi, quorum & pedes & articulos esse tumori egregie obnoxios exploratum est, & in Italiam transgressos, pauciſſimos invenias, qui non articulorum vitio laborent. *Tauri cœlestis figura.*

## A LABORIBUS QUIES. Cap. XXVIII.

C SOlutus porro Bos, & præsepi redditus, partam à laboribus quietem ostendit, quod antiquissimi Ægyptiorum hieroglyphicum Græci adagio prosecuti sunt, βὸς ἐπὶ φάτνῃ, *Bos ad præsepe*, dicentes, cum exautoratum hominem, & donatum jam rude, otioque tranquilliori vitæ restitutum significare voluerint: quia scilicet moris est ab laboribus Boves ad præsepe sistere, atque illis pabulum subministrare: quamquam sunt, qui proverbium ad melioris vitæ significatum detorqueant, & ingenium à labore proclive ad libidinem ex hoc intelligi contendant. Sane quidem Hebræi conjectores, cessationis & ignaviæ signum esse dicunt, cum quis dormientes Tauros videre se per somnium visus fuerit. Utcunque autem duodecim illi majores, qui regnum à Sabaco Ægyptiorum rege relictum sponte moderandum susceperе, ut oneri magis quam honori tantam regni curam sibi fuisse testarentur, in celebri illa pyramide quam commune collegarum omnium sepulcrum construxere, contignationem tecti, quæ uno constabat lapide, præsepibus adsculptis insignivere: ad quæ scilicet tot laboribus exantlatis, tot cujus abjectis & ablegatis, requieturi demum essent. Huic contrarium est, *Bos sub jugo*, de iis qui perpetuo labore fatigantur. Quod vero nos ab Jesu asserti in libertatem censemur, id ita intelligendum, Judæis impositum fuisse jugum, tanquam servis, ut quasi
D per vinculum ad præceptorum obedientiam traherentur, atque ita Deo servire discerent, & assuefierent. Præcepit enim lex: *Non mœchaberis. Non occides.* An vero nos, quia sumus liberi, mœchandi licentia abutemur, & sicariam sine metu faciemus? nequaquam, imo nobis neque quidem concupiscere, neque vel irasci præceptum est. Arctiora igitur sunt jugi nostri vincula? at non ita, si rem recte perpendamus. Nam lex imperatorie mandat, ne quid perperam agamus. Assertor noster præcidendas monet vitiorum causas, ut neque quidem facere quicquam præter jus & fas in animum inducamus. Hæc enim est vera libertas, cum nosmetipsi sponte abjicimus vitiorum jugum, cum libidinum ergastula confringimus, & è malarum cogitationum voraginibus emergentes, vinculis omnibus expediti, in synceritatis liberos campos evadimus, abstinemusque, non tamquam servi à flagitiis, metu flagri: sed tamquam ingenui, pie sancteque educati, sponte probi modestique filii, & *Vera libertas.*

lii, & quia patrem diligimus, omni studio, meditatione, conatuque monitis ejus ita obtemperare contendimus, ut ne cogitare quidem ullum velimus scelus. Boni enim qui sunt, nisi sponte boni sint, nullum ex bonitate sua præmium assequuntur. Nam Abraham, Enoch, Noe, & Patrum plerique alii, sine legis servitute Deo placuerunt. Lex vero tunc data est, cum servili contumacia non modo Mosi non audire, sed ipsius etiam Dei, qui videntes eos atque sentientes in libertatem ex Ægyptiorum oppressione asseruerat, mandata detractare pertinacissime cœperunt, & quæ plurima in hanc sententiam disputat Irenæus. Sed jam ad diversorum deorum, quos sub Bovilla imagine superstitio antiqua coluit, convertemur.

## BUCEPHALI. Cap. XXIX.

PRætereundum autem non est, etiamsi κῦ πάρεργον, Bovilli capitis notam Equi inustam, illis ex signo dedisse nomen apud Thessalos, quippe ut Bucephali appellarentur: ita enim Gens eos vocabat Equos ea nota insignitos, cujusmodi fuit nominatissimus ille Bucephalus, qui Alexandro Macedoni tam charus fuit. Falluntur autem, qui putant Equum eum à Bovillo capite, vel à cornibus, quibus animal id præditum fuisse dicitur, ita nuncupatum. Nam quod Equi nonnulli apud Thessalos Bucephali vocentur, ostendit Aristophanes ἀναρχύρῳ. Quantæ vero commendationis essent Equi Thessalici, vel Delphico probatur oraculo:

*Thessalicus præstat sonipes, mulierque Lacæna.*

& quæ prosequitur Strabo.

## JUPITER. Cap. XXX.

*Apis Ægyptius.*

NEque vero Græci tantum mutatum in Bovem Jovem confinxerunt, verum etiam Ægyptii Jovem illum suum, qui & Osiris, & Pater, & Justus, & Dux, & Rex, & Consultor in sacris eorum literis appellatur, per Bovem indicarunt, eumque Apim cognominaverunt. Quem quidem tanto prosecuti sunt cultu, ut ingentia super eo volumina scripta fuerint à plerisque, eoq; vanitatis progressum, ut eum Bove alioqui sterili genitum prædicarent. Bovem namque fulgure afflatam fieri gravidam, eoque conceptu Apim nasci persuasum habuere: de quo quidem cum nulla sit magis decantata fabula, consulto ego illam præteribo, si modo signo tantum, quibus insignitus esset, indica vero. Toto is corpore niger erat, in fronte candorem quadræ præ se ferebat, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos: qui vero multis locis sculptus visitur, Lunæ etiam speciem in latere gestat, ut in palatio quodam Romæ apud D. Marcelli ædem. Atque hic ille est Apis, quem Hebræi Mose in monte moram trahente, sibi Deum conflavere, eam secuti consuetudinem, quam in Ægypto esse conspexerant.

## DIANA. Cap. XXXI.

INvenies etiam Dianam, quam Tauri, Scytica gens, colunt, Taurionem appellari: Tauris enim eam opitulari putant. Eadem etiam ταυροπόλος dicitur, ut apud Apollodorum, & à cornuum figura ταυροπὸς, ταυρὼ vero apud Taurios. Cur vero ταυροπόλος vocaretur, varia est opinio; dicunt enim alii, ὅτι ὡς ταῦρος θύεται πάντα; alii quia Taurum à Neptuno in Hippolytum immissum, œstro affixo, per universam terram exagitaverit. Alii dicunt, Iphigeniam cum è Scythia in Africam aufugisset, Deæque simulacrum dicasset, ταυροπόλον Dianam appellatam, propterea quod è Tauris populis eò allata esset. Alii nomen ex historia ea desumptum putant, quod Nicander ait Taurum à Diana suppositum loco Iphigeniæ, cum eam in Aulide Græci essent immolaturi: quamvis Phanodemus Ursam eam fuisse dicat, plerique vero Cervam, tanta fuit in ea superstitione varietas & inconstantia.

## PALLAS. Cap. XXXII.

QUin & Pallas ταυροπόλα dicta, & apud Andrios ταυροπόλος. Nam cum Anthropius Taurum Agamemnoni & Menelao dedisset, jussit ut ubi Taurus è navi prosiliisset, ibi Minervæ simulacrum erigerent: ita enim numen conciliari posse prosperamque illis navigationem futuram. Accidit autem

A autem ut Taurus is in Andrum insulam exiliret: memores ergo præcepti, Reges statuam erigendam curavere, quæ postea id cognomenti Minervæ dederit.

## BACCHUS. Cap. XXXIII.

ET Bacchus, ut superius dictum est, in Tauri nuncupationem venit, quem ταυροφάγον, veteres appellavere: propterea quod, ut Sophocles author est, qui Dithyrambum vicisset, Bovem assequebatur præmium, veluti Tragicis olim Hircus debebatur. Aristophanes tamen nomen id in Cratini contumeliam detorquet, quasi ebrium insimularet. Apud Athenæum legere est, Bacchum Tauro & Pardali esse similem, ob ebriosorum violentiam: vinosam enim esse Pardalim, loco suo positum. Lycophron eum omnino Taurum vocat, poetæ Draconem Tauri patrem canunt, per illum Jovem, per hunc Bacchum intelligentes. Sed ut ad Apim revertamur, is in civitate Memphi Solis instar excipiebatur, & apud Heliopolim Taurus Soli sacer erat, quem Neriton appellabant. Illud vero fabulosum judico, quod Hermuti oppido tradunt fuisse Taurum, qui maculas per singulas diei ho-
B ras permutaret, de quo Macrobius. Verum hoc nihil ad hieroglyphica.

## BITHONIS ROBUR. Cap. XXXIV.

QUi vero Taurus humanis humeris gestatus Argis visebatur, Bithonis factum indicabat: qui suo fretus robore, dum Argivi Jovi sacrificarent, Taurum in humeros sustulisse fertur: summum enim vitium experimentum apud veteres erat Tauris robore præstare. Hinc Milo apud Theocritum celebratus, qui Taurum pede arreptũ ad amicam traxerit. Hinc Busiridis nomen, quod duos solus Boves quaqua vellet traheret. Fuit vero is Ægypti rex, quem Poetæ crudelitatis in humanum genus atrocissimæ notaverunt. In Seleuci autem numis & Taurus, & alibi tantum cornua spectan- *Seleuci*
tur: quippe quod Alexandro sacrificaturo, sylvestrem Taurum è vinculis elapsum ambabus tenuit. *numus.*
In ejus statuis videas nonnunquam cornua superaddita.

## PIETAS. Cap. XXXV.

C IN antiquis operibus juvenes duo subjecti jugo, currum trahere conspiciebantur, erant hi Bithon & Cleobis fratres. Hieroglyphicum id eorum indicat pietatem, qui matrem currui impositam ad Junonis templum vexerint. Historiam & Pausanias & alii tradidere.

## VELOCITAS NEGOTIORUM. Cap. XXXVI.

DUo vero Tauri inter se pugnare per nocturnam imaginem visi, negotiorum velocitatem præsagire dicuntur; ut Hebraicæ quædam somniorum interpretationes prodiderunt. Astronomi eum furiis agitandum dicunt, cui decimus octavus Tauri gradus nascenti affulserit, eaque de causa locum eum Tauris duobus sese cornu petentibus signatum veteres voluere.

## DISERTA PROLES. Cap. XXXVII.

D HEbræi vero juniores cornupetam Taurum per somnium imaginari, indicium esse dicunt disertissimæ prolis suscipiendæ: quo forte spectat Virgilianum illud, Taurum Pollioni pascendum.

*Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.*

propterea, quod nova ille carmina faciat, qui quidem sunt ingeniorum fœtus: κὺ πάρεργον & hoc addam (quamvis non sum nescius, quid Grammatici super locutione, quæ nova est, disputent) dici tamen posse Virgilium ad Pindaricum illud respexisse, quod Olympiis habetur Epharmosto:

αἶνος ἢ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

*Vinum quippe à vetustate commendare congruum esse, à novitate autem poëmata.* Flores enim pro recenti re positum ajunt interpretes.

## OCCULTUM CONSILIUM. Cap. XXXVIII.

*Signa militaria duo apud Romanos.*

APud Romanos signa militaria, alia Vocalia, alia Muta dicebantur. Vocalia, quæ Imperator Tribunis, Tribuni mox ordinibus dabant, ut scilicet aut noctu, aut in peragendis vigiliis, aut explorationibus obeundis, ac in ipsa quoque interdum acie, cum tumultu omnia confusa essent, ipsi se vicissim noscitarent. Muta, variis animalium figuris elaborata præferebantur, sed suum quæque significatum habebant: quippe, ut unum exempli causa ponam, Minotauri effigies tunc extollebatur, cum secreto & tacite rem gerendam admonebantur: ostendebat enim hieroglyphicum id, consilia ducum non minus occulta esse debere, quam fuerit Minotauri sedes, quippe Labyrinthus. Hinc ille sapiens videlicet eorum Imperator Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, percontantibus Tribunis quonam exercitum huc illuc agitaret: *Si putarem*, respondit, *tunicam meam meorum esse consiliorum conscium, eam actutum abscinderem, combureremq;*. Tutissimum enim (ait Vegetius) in expeditionibus creditur, facienda nesciri.

## VICTORIA. Cap. XXXIX.

MActatus autem Bos, quales ubique locorum conspiciuntur, victoriæ plurimum, partiq; triumphi signum erat: præsertim apud Romanos, unde Juvenalis hujusmodi significato,

—— *Duc in Capitolia magrum,* *Cretatumque Bovem.*

Id vero observatione dignum est, quod Spartiatæ in hoc sacrifici genere diversam à Romanis rationem secuti sunt. Num cum Romani, victoria per hostium sedes parta, Bovem sacrificare consuessent, cum vero sine pugna & sanguine rerum potiti essent, Ovem immolare: hi contra in victoria pacata Taurum sacrificabant: si vero pugnando vicissent, Gallum: quandoquidem ampliora magisque homine digna, quæ ratione atque prudentia, quam quæ vi atque corporis tantum fortitudine confecta essent, indicabant.

## LUCAS EVANGELISTA. Cap. XL.

*Bovis alati hieroglyphicum.*

ET quoniam multa sunt, quæ de pietatis nostræ institutis ad hanc faciunt doctrinam, quæ Christianorum conventus sanctionibus suis per imagines exprimenda concesserе, ea nequaquam dissimulanda sunt, cujusmodi ea est, quæ per alatum Bovem Lucam Evangelii scriptorem ostendit, sive propter eam ipsam Tauri continentiam atque temperantiam, de qua facta est superius mentio, cum Lucas ipse castissimus ab ineunte ætate, ut fertur, fuerit, omnemque vitam egerit incorruptus, immaculatus, sine uxore, sine liberis, in cœlibatu perseverans, nullum unquam Veneris usum noverit: sive propterea, quod per Vituli mysticum vultum, Christum nobis prædicat immolatum, quem David super altare prædicit imponendum, atq; mansuetudinem, quam præ se tulit Deus homo factus, testimonio suo literarū monumentis illustratam posteritati commendavit: sive quod à sacrificiis, vel à sacerdotio sumat, ut ait Eucherius, operis exordium. Ita enim scribit: *Fuit in diebus Herodis sacerdos nomine Zacharias:* quam interpretationem admittit etiam Irenæus.

## MANSVETUDO. Cap. XLI.

*Lib. 3.*

QUantum vero pertinet ad animalis istius manſuetudinem, Lucretius Poeta ita causas ejus reddidit:

*At natura Boum placido magis aëre vivit,* *Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris,*
*Nec nimis imi fax unquam subdita percit* *Inter utrosque sita est, Cervos, sævosq; Leones.*
*Fumida suffundens cæca caligine umbras:*

Paulo vero ante, cum de varietate animi loqueretur, manſuetudinem hanc in aereis corporibus esse contenderat: & quia causas reddiderat, cur Leo indignabundus esset, cur Cervus timidus, non immemor naturam humanam rerum omnium species amplexari, sic subdit:

*Sic hominum genus est, quamvis doctrina politos* *Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit*
*Naturæ*

A *Naturæ cujusque animi vestigia prima,*
*Nec radicitus evelli mala posse putandum est:*
*Quin proclivius hic iras decurrat ad acres,*
*Ille metu citius paulo tentetur, at ille*
*Tertius accipiat quædam clementius æquo:*
*Ing, aliis rebus multum differre necesse est*
*Naturas hominum varias, moresq; sequaces.*

Prout vero variis affectibus movetur homo, ad ejus animalis bruti naturam comparatur cui per eam sit assimilis: nam in brutis simplices plurimum sunt naturæ, ut initio diximus.

## FEROCITAS EVITANDA. Cap. XLII.

QUam diversum autem illud est, quod mansuetudinem ex Bove picto significantes, ferocitatem itidem & furibundam petulantiam per Taurum indicabant, ubi fœni fasciculum cornibus alligassent, recepta sunt hæc jam apud omnes, unde dixerit Horatius: *Fœnum habet in cornu, longe fuge.* *Fœnũ Tauri cornibus alligatum quid.*

B Psalmographus noster eodem utitur dicterio, dum Psalmo quadragesimo quarto dicit: *Cum nobis aderas, inimicos nostros cornu petebamus,* καρχίζομεν enim habet Græcus codex, proque valida & victrici pugna Theologi commentantur. Et 6. Ecclesiastici capite legas, *Cavendum ne animos, veluti Taurus, extollamus.* Quod vero attinet fœnum, id ideo factitari solitum ait Plutarchus, ut ferocitatem lasciviamq; ex nimia pabuli ubertate resultare admoneremur. Dicterium vero celebritatem accepisse à Sicinio quodam proditur, qui cum effusissima dicacitate omnes carperet, uni M. Crasso parcere compertus est: curq; uni illi parceret, interrogatus, fœnum eum in cornu gestare respondit. Sane Romanis mos fuit cornupetarum Boum cornua fœno circumligare, quo obviam prodeuntes admonerent ab illo cavendum. Eo figmento Hesiodus populivoros (liceat ita mihi δημοφάγους, Græcum vocabulum Latinum facere) nuncupavit, qui quidem divitiarum opulentia lascivientes reliquos impeterent, ac proculcarent. Est & tale aliquid apud Sophoclem, & Solonis ad hoc dictum haudquaquã aspernandum. Sed illud potius afferamus, quod Psalmo vigesimo secundo scriptum, *Circumdederunt me Vituli multi, Tauri pingues obsederunt me,* ubi interpretes per Vitulos plebeiam Judæorum

C multitudinem intelligunt, lascivientem quippe, solutamq; juventutem omni prorsus regula carentem: per Tauros vero, Pontifices, Scribas, & Seniores, propter ætatem nimirum, & prærogativam, qua cæteris antestabant, Pingues appellati: quia multis Dei donis ante alios omnes fruebantur. Nam & alibi Moses in hanc sententiam futura longe prævidens: *Comedit,* inquit, *Jacob, & impletus est, & recalcitravit dilectus: pinguedine & carne distentus est, & obductus, & dereliquit Deum factorem suum.* Eodem modo accipiunt Theologi dictum Psalmi sexagesimi octavi, *Taurorum congregationem,* Pontifices & Scribas & reliquos Judæorum Principes intelligendo, qui & temerarii, & cornupetæ essent Christumque & Apostolos ferociter incessuri forent. Minime vero loco hoc prætereundum est, quod Theologi nostri Mosis prædivinationem de Josippo, *Tauri decor ejus,* transferunt ad Christum: Taurus siquidem ob utramq; dispositionem, alius ferus, ut judex; alius mansuetus, ut assertor: qui generi humano salutem dedit, cujus cornua esset crucis extrema. Nam & de parte navis antenna, dictum invenimus, *Deut. 32. 15.* *Deut. 33. 17.*

*Cornua velaturum obvertimus antennarum.*

D Hac autem virtute crucis, & hoc more cornutus, ait Tertullianus, universas gentes etiamnum ventilat, per fidem auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per judicium, dejiciens de cœlo in terram. Ubi etiam de Simeone & Levi loquitur: *In concupiscentia sua subnervaverunt Taurum,* de Christo idemtidem intelligi volunt, cujus nervos sacerdotes præcipue clavis suffigendos curaverunt. *Ænti. lib. 3.* *Gen. 49. 6.*

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER IV.

## DE IIS QUÆ PER EQUUM SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD PETRUM VICTORIUM.

*CUperes, Petre Victori, ut ex amicis nonnulli intellexi, qua ratione modoque hieroglyphica Leonis, Elephanti, & id genus animalium plurimorum explicuisse me accepisti, quæ fuerint Equi quoque significata apud eosdem Ægyptios tibi describi. Verum scias, pauca ea esse, quæ super Equo Sacerdotes illi tradiderint, quippe qui animal uti profanum aspernabantur: neque enim Sacerdoti licebat equo vehi. Sed enim Græci, Latinique, neque non Hebræi; multa super eo scitu dignissima memoriæ prodiderunt, quæ hoc explicabimus Commentario. Præter enim id, quod obsequi tibi jucundissimum existimabam, invitavit me ad hujusmodi lucubrationem animalis ipsius dignitas, vigor, & naturæ ejus spectatissima quædam excellentia. Non enim ex eo genere est, quod parvi facere debeamus, cum tot ex Equo humano generi commoditates obveniant, sive domesticis, sive publicis sit usibus adhibendus. Sed frustra hic Equum laudare aggredior, cum super eo tam multa, & tam præclara toto passim commentario reperiantur, quæ qualiana m sint, hinc jam, ut instituimus, dicere incipiamus.*

### BELLUM. Cap. I.



PRimum vero omnium Equi hieroglyphicum est, belli signum esse, clarissimo Virgilii testimonio, dicentis,

Æneid. lib 3 *Bello armantur Equi, bellum hæc armenta minantur.*

Et Duellicam Equorum prolem Lucretius appellat. Idem hoc intellexisse Ægyptios didicimus ex Plutarcho, quod & in Leone tetigimus. Horum quippe post obitum apparuisse Osiridi, quem multarum rerum usum edocuerit, præcipueq; quod animal bello utilius esset sciscitanti, Equum ei negotio maxime commodum, respondisse. Cumque Osiris Leonem præstare arbitraretur, respondisse Horum: Posse quidem eum auxilio esse verum ubi semel fugam arripuisset, irrevocabilem abire: cum alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam ex inclinata jam acie rursum hostes aggredi, proque loco & tempore Fortunæ sese imperiis accommodare, idcircoque Equum omnibus his officiis omnino magis officiosum esse. Unde Xenophon 3. de Græcorum reditu: *Una*, ait, *Equites re præstant, quod in fuga certius est illis subsidium.* Aristoteles in Ethicis, virtutem in Equo eam præcipue laudat, qua sit ad currendum portandumque hominem idoneus, & ad invadendum expectandumque hominem hostem minime formidolosus. Galenus de Partibus; *Prævalidum*, ait, *animal esse, & generosum*, cum

Georg. lib 3 ἰσχυρὸν dicit, μήτε ἄθυμον. Hinc illud apud Maronem,

—— *Generosus pullus in arvis.*

### PUGNACITAS. Cap. II.

NEque temere Vespas ἱερογλυφικῶς ex Equino cadavere significari tradiderunt Ægyptii: imo non temere esse dixerunt, quod ex corrupto ejus cadavere vespæ progenerentur. Hoc enim tantum

A tantum apud Horum ſuper Equo reperias & pervulgatus aquod omnes fertur:

*Ἵπποι μὲν σφυκῶν γένεσις, ταῦροι δ' μελισσῶν.*
*Nam culices ab Equis, ſed Apes ab origine Tauri.*

VESPÆ.



Diligentes enim rerum naturalium obſervatores, ex Bovillo occipitis cerebro apes gigni tadidêre, ex Aſini cerebro crabones, uti ex Equo veſpas, atque ex humano cadavere ſerpentem Non tamen hic ſimpliciter veſpæ intelligendum, ſed quod per veſpam idemtidem ſoliti eſſent ſignificare, per cujus hieroglyphicum pugnacitatem & infeſtum adverſus hoſtes ingenium oſtendebat: de qua inter inſecta loco ſuo differuimus.

## CELERITAS. Cap. III.

B

ADhæc celeritatis indicium eſt. Equus quodque apud Lucretium, *Fortis Equi vis*, legitur, Marcellus *celeris* exponit, eoque ſpectare volunt Virgilianum illud, *Æn. lib. 11.*

*——— Quidnam egregium ſi fœmina forti Fidit equo?*

ubi Arunς Camillam equi pernicitate fretam: non virtute ſua ſtrenuam, incuſat. Multa vero inveniasapud rerum ſcriptores ſuper Equorum pernicitate: ſed id ego tantum memorabo, quod Alanis à Probo Imperatore devictis, Equus in præda repertus eſt, qui, ut captivi atteſtabantur, centum ad diem paſſuum millia decurreret, perque octo vel decem dies vigore minime fracto perduraret. Sedenim eam in militaribus Equis fugacitatem Imperator ipſe contempſit, repudiatumq; fugitivo militi potius quam forti convenire indicavit, Ἵππο Ἥβλω Nympham apud Heſiodum invenias, quod nomen ob velocitatem effictum autumant interpretes: vim quippe aquarum eam intelligentes, qua navigia curſu celerrimo rapiuntur. Quique Neptuno appinguntur Equi, pernicis ejuſdem curſus indices habentur, qui maritima ſit navigatione. Naves enim Equorum curruumque uſum affatim ſuggeC runt, unde & Equos, & currum Neptuno videmus attributos: nam is apud Maronem, *Æn. lib. 1.*

*Flectit Equos, curruq; volans dat lora ſecundo.*

Jam & proverbium à Cicerone uſurpatum eſt ſuper celeritate, tum Equis, tum velis, ad Quint. Frat. *Sic ego* (ait) *te ſæpe exitante curſu, corrigam tarditatem tuam tum Equis, tum velis.* De omni vero conatu adhibito, in Officiis ſic ait: *Cum his velis Equisq; decertandũ eſt.* Aſtronomi undecimo Virginis gradu Equum admovent ad hominis velocitatem indicandũ qui cum eo ſit gradu lucem auſpicatus. Appingebatur vero Neptuno Equus anteriore parte figura ſua poſteriore vero effigie piſcis, qui caudam in ſpira replicaret, quod veteres ſculpturæ paſſim, & plerique Gallieni numi palam faciunt, in quibus inſcriptio eſt, Neptuno cons. Aug. Nota præterea eſt fabula, in Deorum concilio pro impo- *Gallieni numi.*
nendo Athenis nomine, percuſſa à Neptuno petra exiliiſſe ferum Equum. Nam & interpres Pindari rem tangit hujuſmodi. Paſſim vero apud veteres Neptunus Equeſtris dictus. Ajunt inſuper, primo illi Equo, quem Neptunus protulit. Scyphio nomen fuiſſe, adeo ſibi concors in nugis toto Græcia ſemper fuit, ut nulla ſit tam abſurda fabula, quæ aliquo aſſertionis teſtimonio careat. Quodq; fictum
D à Poëtis eſt, Saturnum in Equum verſum, quem tunc etiam pernicitate inſignem canunt, uti Maro, *Georg. lib. 3.*

*——Pernix Saturnus, & altum*
*Pelion hinnitu fugiens implevit Equino:*

quidam ex Aſtronomis ad aſtri velocitatem figmentum referunt, cum ampliſſima cœli ſpatia diurno motu velociſſime tranſcurrat, ſi quanto diſtet intervallo, quamq; magno circuitu ſupra planetas reliquos feratur, conſideraverimus: quamvis altero motu, quem hi naturalẽ dicunt, tardiſſimus planetarum omnium videatur. Ab hujuſmodi pernicitate Abacuntis Prophetæ dictum, *Quia aſcendes* *Abac. c. 3.*
*ſuper Equos tuos*, Theologi de Apoſtolis prædictũ volunt, unde repentina ſalus eſſet omnibus piis pro- *Æn. lib. 5.*
ventura. Et unius ſane celeritatis ergo Virgilianus Æneas præmia proponit, *Equum inſignem phaleris,*

ei, qui pedum cursu primus metam attigerit. Et in numismatis, nunc Equus currens, nunc ipse Pegasus, aliis adjectis cusus, summa rem alacritate gestam ostendit.

## SOL. Cap. IV.

*Gallieni numisma & Q. Titi.*

ALias verò alatus Equus Soli etiam attribuitur. Nam in Gallieni numis alatus Equus est cum inscriptione, Soli cons. aug. In numo verò Q. titi in quo Pegasus, quasi non satis ex eo expressa esset celeritas, qua in obeundis Reipub. negotiis usus fuerat, barbato ejus capiti ex altero latere cuso additæ alæ, cujusmodi specie Mercurius in aliquot veterum monumentis conspicitur insignitus. Non desunt verò qui Pegasum in monetis etiam Corinthiorum fuisse tradant, quem Eubolus, Anchise, τὸν παλλάδ@ λῶλον appellarit. Porrò Pindarus Bellerophontem eo invectum Pegaso, frænum aureum dono à Pallade per somnium accepisse commemorat, unde postea infrænandorum Equorum usus ad posteros emanarit eoque, monumento voluerint Corinthii rei memoriam testatam esse. Maro autem noster fræna Lapitharum inventum tradit eo Georgicon loco,

*Lib. 3.*

*Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosq; dedêre*
*Impositi dorso, atq; Equidem docuêre sub armis*
*Insultare solo, & gressus glomerare superbos.*



## HUMANÆ VITÆ LUBRICITAS. Cap. V.

SUnt & qui Centauros in hoc eodem accipiant significato, quodque illi pube tenus humana forma, reliquum Equina fingantur, vitæ nostræ terminum pernici cursu occupari significare putent: propterea quòd mira lapsi lubricitate incauti semper arripimur. Nullus enim tam senex, qui se annum adhuc non speret superaturum. Sedenim Centauro alibi erit locus suus.

## FAMA. Cap. VI.

*Papyrii Cursoris & Hadriani numus.*

NOn sum verò nescius, authores esse, qui Pegasum, qualem quippe passim in Hadriani & L. Pap. Cursoris, & aliorum quorundam numis aspicimus, famæ potius quam celeritatis indicium esse contendant. Nascitur is ex Medusæ cæde: siquidem virtus cum terrorem amputaverit, famam generat. Terroris & admirationis hieroglyphicum esse Medusæ caput, ostendimus in Serpente, cum de Domitiani gestamine loqueremur. Fama autem ubi primum genita per hominum ora incipit volitare, Musarum excitat frontem in Parnaso: quippe quòd illustrium virorum præclara facinora, vatibus scribendi suggerunt argumentum. Quod vero in Papyrio à re ipsa etiam cognomento Cursoris honestato, ex Pegaso alacritatem & festinantiam hominis significari dixeramus, Capræ insuper fugacis spolium & fulmen & sagitta, quæ in eodem spectantur numo, ad nostrum faciunt intellectum.



## PROFUGUS. Cap. VII.

SEd quoniam esse video qui Persea quoque Pegaso invectum putent, examinandus est apud Hesiodum locus de Scuto Herculis, ἱππόβ@ πέρσευς à Poëta dictum, quo loco Commentatores ajunt, animadvertendum ἱππόπαν profugum significare, eamque esse glossographorum interpretationem. Avus enim Acrisius Persea domo expulit, quem minime moris est usquam Equidem inducere, sed talaribus à Mercurio acceptis præditum aera persulcare, de quo sic Ovid. Metam. lib. 4.

*----- Pennis ligat ille resumptis*
*Parte ab utraque pedes, telog; accingitur unco,*
*Et liquidum motis talaribus aëra findit.*

Unde

A Unde etiam Catullo Pinnipes appellatur. Eodem modo apud Homerum invenies ἱππότην Neſto- *Odyſſ. γ. verſ. 68.*
rem, pro Profugo, ut vetuſtiores Grammatici interpretantur, eo ἐκ βοιωτίας loco.

Τοῖσι δ' ἔπειτα μετέπειτα γενεὴ ἐπιόντα Νέστωρ.
*His inde Gerenius exul Neſtor ait.*

Talemque recitant fabulam: Herculem Pylo bellum intuliſſe, propterea quod Neleus eum à cæde Iphiti purgare recuſaſſet. Tum etiam propter filiorum ejus inſolentiam, qui cum duodecim eſſent, eo freti numero, præclara omnia ſibi pollicebantur. Diu vero bellum protractum, neque quamdiu Periclymenus, unus ex ipſius Nelei fiiiis, vixit, urbs unquam capi potuit: poſtea vero quam is mutatus in Apem Herculano currui explorator inſedit, ſummonente prodenteque Pallade extinctus eſt ab Hercule: capta itidem everſaque Pilos eſt, undecimque Neſtoris fratres interempti. Sedenim Neſtor prius emiſſus fuerat ad Gerenios, ubi educaretur, qui ſolus ſuperſtes in patriam inde reſtitutus eſt, & ab educationis loco Gerenius, ab effugio vero, quo ſalvatus eſt, ἱππότης nominatus.

B

## FRÆNATA FEROCITAS. Cap. VIII.

Vulgatiſſimum illud eſt argumentum, hominem feroci invictoque animo, imperio tamen & rationi obſequentem, hieroglyphicè per frænatum Equum ſignificari. Hinc Panætius apud Cic. Africanum ſolitum ait dicere, *Ut Equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus uti poſſint: ſic homines ſecundis rebus effrænatos ſibiq; præſidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere.* Animal nimirum ferox atque magnanimum, quod leges tamen ſubit, *nec frænum depulit ore*, ut ait Horatius, de Equo qui hominis opem imploravit, ſeq; frænari ſit paſſus. Et Maro: *Æneid. l. 3.*

*Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti*
*Quadrupedes, & fræna jugo concordia ferre.*

In hujuſmodi ſententiam eſt Scipionis dictum non incelebre. Quum Romani contra Antiochum *Plut. in ejus vita.*
jam in Aſiam trajeciſſent, isque legatos demum de pace miſiſſet ad Scipionem, reſpondit is: *Id prius*
C *factum oportuit, non poſtquam & frænum & ſeſſorem accepiſſet.* Sed illud quoq; animadvertendum eſt, de Carthaginis portento, quod murorum fundamenta fodientibus oblatum eſt, quippe, ut apud Maronem, *caput acris Equi*, hinc gentem fore bello egregiã præmonſtratum. Quod vero ſubjungit, *Facilem victu*, non de Bovillo capite, ut Servius, ſed de ipſo eodem Equino intelligendum: cujus oſtenti ea ſit interpretatio ut *facilem victu per ſecula gentẽ:* facilem, quæ tandem vinceretur, exponamus: hoc enim magis ad Virgilianam accidit ſententiam, quamvis in Tauri commentario Servianum intellectum illuſtrare conati ſimus. Conjectores vero, ut eo redeam, eos qui ſe caput Equinum, vel Caninum, vel Aſininum habere ſomniarunt, in ſervitutem vel id genus ærumnas dedendos eſſe ſuſpicantur. *Artemidor. l. 1. cap. 39.* Sunt enim tria hæc animalia ſervituti mirum in modum obnoxia. Addam & illud eorundem Onirocritarum interpretamentum, quo viſum ajunt in ſomnis Equum qui ſe portet, polliceri, ut amica amantis imperio facile ſit ſubjicienda, morigeraque in poſterum futura. Nam de pullo indomito pro puella adhuc intacta, Anacreontis carmina paulo inferius loco ſuo recitabuntur. In Divinis literis, ubi Eliſæus montem auxiliaribus Equitibus plenum per adapertos pueri oculos
D conſpexit, quoſque vates Abacus Domini Equos, & Equitatus nominat, animas intelligit Adamantius, quæ frænum diſciplinæ ſanctioris accipiunt, jugumque ſuavitatis, quæ ab ipſo Domino proficiſcitur, portant, ejuſq; ſpiritu regi patiuntur: *Beataſq;* illas appellat, *quæ dorſum curvavêre ſuũ:* ut dorſo verbum Dei ſeſſorem accipiant, cujus fræna patiantur, & quoquoverſum ille impulerit iter arripiant: ejusq; denique habenis moderati, non ex libidine ſua, ſed tanti ſeſſoris arbitrio flectantur, curſum ineant, & conſiſtant. Eucherius ſane inveniri ait in Divinis literis, Equum pro viro ſanctitate prædito poni, eoque ſpectare Abacuntis illud alibi dictum, *Qui aſcendis equos tuos.* Sane Græci *Abac. c. 3.*
Palladi nomen ab Equo domito inditum tradunt, &, uti ſupra diximus, apud Pindarum legas frænum Corinthi ab ea inventum, & Pelopi dono datum, & in Ilii captura *inſtar montis Equum* Græci *Æn. lib. 1.*

Palladi

Palladi dedicarunt. Hoc vero significat ferocitatem omnem doctrina molliri atque cicurari, quod ita luculenter Horatius expressit:

Epist. 1. *Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,*
*Si modo culturæ patientem commodet aurem.*

## IMPERIUM. Cap. IX.

Suetonius in C. I. Cæsare cap. 61. IN augurali vero disciplina per Equos Imperium significatum sæpe fuisse comperimus, ut qui apud C. Julium Cæsarem natus est humanis prope pedibus, ungulis scilicet in digitorum modum subsciss. Ei enim orbis terræ imperium portendi, Aruspices respondere, apud quem Equus hujusmodi esset editus. Eum itaq; Cæsar magna aluit cura, nec patientem sessoris alterius primus ascendit. Cujus etiam instar pro æde Veneris genetricis dedicavit: quamvis prodigia reliqua ita despectui semper habuerit, ut ab incœptu nunquam ullo, prodigiis quantumlibet adversis absterritus aut retardatus sit. Sed enim eadem animalis species, quæ imperium illi præsagiverat, eadem (inquam) & mortem præmonstravit. Siquidem Equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone consecraverat, ac vagos sine custode dimiserat, paulo antequam occisus esset, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimq; flere. Eo porro affectu Equi plerique in dominos sunt, ut eos interemptos lugeant, inquit Plinius, lachrimasq; interdum desiderio fundant. Unde non inscite de Pallante Virgilius.

Æn. lib. 11. *Post bellator Equus positis insignibus Æthon*
*It lachrymans, guttisq; humectat grandibus ora.*

Ad hujus imitationem non minori forsitan affectu alterius Equi amorem in dominum Sillius Italicus ita decantat:

*Agnovit sonipes, arrectisq; auribus aurem* / *Evolat, ac Domini consistit in ora jacentis:*
*Hinnitum effundens sternit tellure Vagesum,* / *Inde inclinatus collum, summissus, & armos,*
*Quem tunc captivo portabat in agmina dorso:* / *De more inflexis præbebat scandere terga*
*Hinc rapidũ glomerans cursum per lubrica pinguis* / *Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amori.*
*Sparte cruore soli, & mutilata cadavera cæde.*

Suetonius in Nerone cap. 46. Sed ut ad portenta revertamur, illud memoriæ proditum est, quemadmodum Nero asturconem, quo maxime delectabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem abiisse, per quietem videre visus, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros: ostento fuit quod illa Equi ferocitas in simiæ ludibrium arripuit, invadendi regni signum Equus. Nam ea qua natus est hora, Equus pullus in tegulas ascendit, atque ibi brevi temporis spatio commoratus, simul & decidit & expiravit. Quod quidem huic in Villa Martis genito, & ad bellica negotia nato, futuræ sublimitatis, quamvis brevi duraturæ, augurium fuit.

## A LABORIBUS QUIES. Cap. X.

QUid vero soluti pascentesque in Nervæ numis Equi sibi velint, cusæ ibidem literæ declarant in hunc scilicet modum: Vehiculatione Ital. remissa. quod nonnulli referunt ad argumentum illud, quod in Bove ad præsepe tractavimus. Sed accipiendum potius de tributo, quod Italia omnis in vehiculationes exoluebat, ut & Magistratuum sarcinæ, & exercituum, & alia hujusmodi publica transportarentur, quod tributi genus Nerva uti onerosum nimis Italiæ remiserit universæ, qua de sententia plura dicerem, nisi doctissimus plane vir Fab. Vigil. Spoletanus rem exactissime pertractasset.

## ITALIA. Cap. XI.

SUnt qui putent Equos in hoc numo Italiam significare, eoque adducuntur argumento, quòd in argenteo numo & aliquot æreis observatur caput Equi frænati cum inscriptione, Roma. Ab ejus occipitio sceptrum, in cujus summa parte caput itidem Equi videatur, ab altera parte Roma ipsa galeata, uti mos est. Alii numi sunt cum Equinis capitibus ab utraque parte singulis cum inscriptione, Roma. Sed enim cum Equum ipsum multifariam in Latinorum & Græcorum numis observa-

A ſervaverim,ne que Italiam, neque aliam quampiam provinciam, regionemve, aut civitatem ſignificare contenderim: ſed aut bellum, aut itinerationem,aut decurſionem,ut in Neronianis pleriſque: aut velocitatem, ut in Papyrianis, & alia, prout locis ſuis explicantur.

## MAURETANIA. Cap. XII.

NIſi qui (ſi videant in Hadriani numo Equum à pedite rectum cum inſcriptione, MAURETANIA, ita enim ſcriptum per E ſecunda ſyllaba) intelligere velint provinciam eam in dedicationem acceptam,vel quid hujuſmodi. Sane aliquot ex hujuſmodi numis una in parte caput habent Hadriani,ab altera Equum,quem mulier duobus armata jaculis ductat: quod nimirum indicat genus id bellandi,quo plurimum utitur ea provincia. *Hadriani numus.*

## MAURI FEROCES. Cap. XIII.

QUin poſterioribus etiam ſeculis militares quidam ordines, qui ſub Equitum Magiſtro militabant,dimidios rutili coloris Equos duos in alba parma, ſeſe quodammodo laceſſentes, orbe
B viridi,cujus luteus erat umbilicus,interpoſito, præferebant, iiq; MAURI FEROCES appellabantur, Quòd verò aliqui ex numis Italiam per Equum ſignificari crediderint, forte ſuſpicati ſunt ex eo numo qui Equum exultatem habet, flore quodam ſuperne ſito, ab cujus altero latere inſcriptio eſt, ROMANOR.

## EQ. VICTORIA. Cap. XIV.

CUr verò potius non putemus numum hunc in rei geſtæ monumentum eſſe cuſum? quia bello Punico, quod cum Hannibale geſtum eſt, cœperint aliquando Romani etiam Equis ſuperiores eſſe,cum prius robur eorum omne in legionibus conſiſteret: flos enim ille ſuperne additus principium atque ſpem bonæ frugis indicat.Sane Virgilius rem tantam haudquaquam reliquit indictam, cum de Marcelli laudibus ita cecinit: *Æn. lib. 6.*

*Hic rem Romanam magno trepidante tumultu*
*Siſtet, Equis ſternet Pœnos.*

C At in Cephalæniorum etiam numis Equus ſignari ſolitus eſt,cujus rei mentio apud Plutarchum. Apud Smyrnæos Fortunæ ſimulacrum fuit à Bupalo quodam probo ſane viro factum,in cujus capite pullus Equinus inſidebat, & Amaltheæ cornu manum implebat, de quo apud Pauſaniam in Meſſeniacis. *Cephalæniorum numus.*

## SYRACUSANI. Cap. XV.

VTebantur & Syracuſani Equi nota. Nam Athenienſibus illis, qui apud Syracuſas capti Niciana clade pro ſervis venière ſub haſta, frons Equi charactere inuſta eſt. In aliquot eorum numis Equus & ſeſſor habetur cum inſcriptione, ΙΕΡΩΝΟΣ: quod nimirum ejus in Equeſtri militia,ſed præcipuam in certaminibus gloriam oſtendit,quem ea de cauſa tot laudibus Pindarus Poëta immortalitati conſecravit. Aliæ quoque Reſpub. atq; alii plerique Principes Equi ſigno uſi ſunt, ut nihil denique privatum videam, quod ad Italiam ſpectet. *Hieronis numus.*

## TARENTINI. Cap. XVI.

D QUinetiam in numo, cujus inſcriptio ΤΑΡΑΣ, Eques etiam jaculator inſpicitur, ob Equeſtrem ſcilicet militiam, quam egregie Tarentini ſunt exercere ſoliti: unde apud Græcos, Tarentinos ordines invenias ex Equitibus hujuſmodi conſtitutos,& ταραντίζειν verbum,eo ſe militiæ genere exercere. *Numus Tarentinorum.*

## SAGITTARII SENIORES ORIENTALES. Cap. XVII.

EQui verò duo dimidiati coloris lutei, in cærulæo clypeo, quem ruber circulus ambibat, averſi proſilientes à centro, quod luteum in medio rubræ peltæ, pro umbilico appoſitum erat, ita ut

ab ipsa pelta trames coloris ejusdem ad rubrum usque ambitum protenderetur, ejus ordinis erat insigne, qui SAGITTARII SENIORES ORIENTALES appellabantur. Militabant ii sub magistro militum Præsentiali nuncupato.

## SECUNDI THEODOSIANI. CAP. XVIII.

LUteus etiam Equus erat in imo parmæ ferrugineæ colorationis, cujus umbilicus albus rubro continebatur circulo, quem alter coloris lutei circuibat. SECUNDORUM THEODOSIANORUM hic erat clypeus, qui sub eodem militum magistro stipendia faciebant. Hi nimirum Theodosii principatu in militiam allecti.

## CONSTANTIA. CAP. XIX.

ERat & alia legio, quæ rutilum Equum in cærulea parma gestabat, in medio viridis orbis constitutus, cui quadrupes toto inniti pectore videbatur. ea CONSTANTIA nuncupabatur, quæ sub magistro peditum merebat: Constantio quippe Principe instituta.

## IMMODERATUS IMPETUS. CAP. XX.

REs ipsa adhortari videtur, ut & historiæ sacræ mysterium, quantum ad Equum pertinet, revelem. Nam pro immoderato & rationis experte impetu Equum poni apud Legislatorem Mosem, ex eo manifestum est, quòd non designari principem Equorum educatorem dicit. quod ita capiendum est, ex Philonis sententia, ut ineptum eum ad principatum existimemus, qui voluptatibus cupiditatibusque & nequitiæ deditus stare loco nesciat, *& frœna ferox spumantia mandat.* Lex ipsa est Deut. c. 17. *Quique rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi Equos, nec reducet populum in Ægyptum: Equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini.* Nam qui talia mente concipit, effræno illi & feroci Equo similis est, de quo vulgatum adagium, *Secede Equinis à pedibus procul*, ab Equo, inquam illo, qui semper Ægyptum, hoc est, voluptatum & illecebrarum planitium appetit insultare: quocirca frænis cateniſq; compescendus est, nisi velimus in perniciem rapi, & nosmetipsos una cum fortunis dare præcipites. Nam, ut optime ait Euripides, *ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τ' ἀφρούνας πλῆθος δυσυχία, Infrænis oris, exlegisque dementiæ finû infortunium.* Sæpe autem in Divinis literis Equus aberrantem & vagum hominem indicat, qui sine ratione ulla feratur, ut, *Fallax Equus ad salutem*, & *Nolite fieri sicut Equus & Mulus, quibus non est intellectus.* Callidum verò Antisthenis dicterium, cum Plato vehementer laudaret Equum in pompa quadam Equestri hinnitu crebro ferocique excelsos spiritus præ se ferentem, is qui hominis jactantiam libenter incesſebat, *At tu*, inquit, *videris bonus Equus evasurus.* At Themistocles, cum mutatos ejus mores ex procacissimo in maximè temperantem plerique admirarentur: *Annon*, inquit ille, *videtis asperos & indomitos pullos in optimos Equos evadere?* Non imprudenter itaque Prudentius elationem animi describens ait:

*Virg. Æn. lib. 3.*

*Pl. 33. & 32.*

*In Psychomachia.*

*Fortè per effusas inflata Superbia turbas Infræni volitabat Equo,*

## NEQUITIA IN TEMPERATIAM VERSA. CAP. XXI.

QUod vero super Ægypti delitiis dictum, D. Ambrosius ex Apostoli dictatis, eo tempore ait Pascha celebrari quo Israelitici Ægyptum reliquêre, solennitatemq; eam, animarum transitum interpretari, à vitiis ad virtutem, à corporis affectibus ad animi constantiam atque sobrietatem, à malitiæ nequitiæq; fermento, ad veritatem & stabilem synceri propositi firmitatem: mollitiem quippe in Ægyptiis, & alia multa carpit Hadrianus, maximeque optare videtur, ut melius esset morata civitas, Alexandriam notans. Legitur in libris Sibyllinis, MILES ROMANE ÆGYPTUM CAVE. Quod licet de Pompejo Magno dictum interpretati sint multi, solicitique aliquando Romani fuerint ne Ptolomæum armis in regnum restituerint, hac religione deterriti: alia tamen, eaque longè verior ejus oraculi videtur interpretatio, præceptum scilicet de illis hoc velamento, ut quibus datum esset imperio populos regere, Ægyptum caverent, quippe delicias & mollitiem, eaque omnia quæ mox fortissimum id genus hominum ut primum lascivire cœpit, turpiter adeo effœminarunt, ut pessum

*Ægyti delitiæ.*

*Ut Cicero lib. 1. Epistolarum.*

A pessum penitus ierint Imperio in eos translato, quos ut omnium despicatissimos expuebant, & omni contumeliarum genere insectabantur. Sed quanto erat ominosior Ægyptus Pop. Romano, successum tanto prosperiorem Ægyptiis ex Romanorum adventu in regionem eam, oracula pollicebantur. Apud Memphim enim in aurea columna literis Ægyptiis scriptum erat, tum demum Ægyptum liberam fore, cum in ea venissent Romani fasces, eorumq; prætexta, quod apud Proclum Grammaticum se legisse testatur Pollio: nimirum qui virtutem & rerum disciplinam admittit, vitiis liberatur. Sed enim Romani pace jam terra mariq; parta, molles Ægyptiorum delicias suscepêre, illi, deliciis amoris, pristinam Romanorum virtutem industriamque sibi mox vendicavêre. Sed alio loco de fascibus dicendum erit. Quod verò facit ad rem, Adamantius ad dictum illud de Josippo, *Et totius Ægypti principatũ obtinet*, ita philosophatur: *Libidinem quippe calcavit, nequitiam evitavit, omnesq; corporis voluptates edomuit atq; frænavit. Hoc enim est totum Ægypti principatũ gerere.* Vide verò Chrysostomum oratione quam habuit in vigilia Epiphaniæ, de Ægypto multa in hanc sententiam disserentem. *Nempe Romanos.*

B

## RATIO ET CUPIDITAS.
### Cap. XXII.

Est tale aliquid apud Platonem in Phædro, qui rationem atque cupiditatem per dexterum & sinistrum bigarum Equos intelligendum proponit, improbique ac impuri ora lupatis frangenda ad cruoris usque illisum præcipit:

*Donec humi sonipes temeraria crura superbus*
*Imprimat, & tellus clunibus icta tremat:*
*Mox facili des lora manu, pariter quæ feratur*
*Obsequio parens mannus uterq; tuo.*

## SUPERBIA. PERTINACIA. CESPITATIO. INSOLENTIA.
### Cap. XXIII.

NAm & in Mosaico illo quadrupede vitia quatuor deprehendit Philo, quæ una cum sessore in mare projicienda deperdendaq; sint. Elatum in primis pedem illum, quem Superbiam illi vocavere, quam pes alter comitatur, qui secum trahit velocem ad vitæ perniciem proclivitatem, in quã
C frequenter admodum cespitat, cernuusq; canterii more in fossam lapsabundus corruit. Ex posticis pes alter, malæ perseverantiæ subsequentem pertinaciam ostendit: alter, perperam factorum exultationem, quæ omnia effrænum & exultantem Platonis Equum mira similitudine describunt. Jocose vero Tejus Anacreon, cum muliebrum fastum, arrogantemq: animum incesseret, puellam quandam Equino comparavit pullo, in quem nemo adhuc inscendisset, atque ita assultim nullo cohibita fræno temere vagaretur, cujus sententiæ versus hi superfuere: *Equi Mosaici vitia quatuor, ex Philone.*

Πῶλε θρηϊκίη τὲ δή με
Λοξὸν ὄμμασι βλέπουσα
Νηλέως φεύγεις; δοκέεις δὲ
Μηδὲν εἰδέναι σοφὸν. ἴσθι
Τοῖ καλῶς μὲν, ἄν τον τὲ χαλινόν
Ἐμβάλλοιμι ἡνίας ἔχων.
Στρέφοιμ' ἀμφὶ τέρματα δρόμου.
Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι,
Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις.
Δεξιὸν γὰρ ἱπποπείρην
Οὐχ ἕξεις ἐπεμβάτην.

Quos quidem utcumque potui, candore haudquaquam pari, Latinos feci:

D
*Pulle Treicia ecquid, ô me*
*Toruè luminibus petitum*
*Impiè fugis? videris*
*Nil quidem sapere: aperita*
*Pulchrè eris tibi, si lupatos*
*Illigavero, moxque habenas*
*Sumpsero, atque circumvertero*
*Metæ in ambitum, atq; finem.*
*At tu, amœna prata pascis,*
*Molle sed lascivienti,*
*Non erit magister usquam*
*Sessor, insultare qui te*
*In modum probe instruat.*

Ad hoc facit lepidissima Ode illa Horatiana de indomita Vitula:

*Nondum subacta ferre jugum valet*
*Cervice, nondum munia comparis*
*Æquare, nec Tauri ruentis*
*In vomerem tolerare pondus.* *Carm. lib. 22. od. 5.*

*Circa virentes est animus tuæ* *Ludere cum vitulis salicto*
*Campos juvencæ, nunc fluviis gravem* *Prægestientis.*
*Solantis æstum, nunc in udo*

Et altera, ubi hæc sunt super Equa:

*Quæ velut latis Equa trima campis* *Nuptiarum expers, & adhuc proterue*
*Ludit exultim metuitq; tangi* *Cruda marito.*

Quòd verò Anacreon mulierem Equini pulli cognomine vocitarit, facit idem Nicander, metaphoram eandem scite prosecutus: ubi de iis agit, quæ contra venenum utilia sunt, puellare quippe lac adhiberi commodum. Is enim Lac pulli, pro Lac puellare, Anacreontio vocabulo posuit, eo versu:

Θηλυτέρης πώλοιο χέας ὀπὸν ἄλλο τε νύμφας.

quod castigatius in manuscriptis codicibus νύμφης legitur. Fœminei quippe pulli lac. & si fieri possit virginis, viridissimo scilicet ætatis flore vigentis, balsamo (ut vulgata obiter corrigantur exemplaria, in quibus βλασύμοιο scriptum est) instillandum monuit. Hic interpretes non de Equini pulli lacte dictum volunt, sed de muliebri: quod Erasistrati authoritate confirmant, dicentis ὃν τῷ περὶ θανασίμων, utile esse lac muliebre.

## MERETRICIA PROCACITAS. Cap. XXIV.

DIomedis verò filiæ (illius inquam Thracii Regis insanissimi) libidinis furore famosissimæ, Equis, quæ adventantes devorarent, comparantur à Poëtis. Unde ortum proverbium tradunt authores Græci, Διομήδεος ἀνάγκη. Atque ita interpres Aristophanis ἐκκλησιαζούσαις interpretatur, quamquam Eustathius hospites à patre solitos interimi, & Equis in pabulum apponi tradit, fabulam scilicet secutus, quam à Poetis fictam uno omnium consensu repererat. Quo verò hæc eo accipi intellectu debere, quam ex clarissimis authoribus excerpsimus, unicuiq; magis constet, à peritis usurpatum invenias ἱππόβινον appellari hominem, qui sit libidini Venereisq; negotiis intemperanter deditus: quod nomen ab Equi natura deductum, ignorat nemo. Adde quòd ἱππόπερνον ad extremam dicimus contumeliam, cum supremam cujuspiam nequitiam, & immoderatam lasciviam exprobramus. In Divinis quoque literis dictum est in hanc sententiam, insanientes quosdam factos in fœminas, quòd unusquisque super uxorem proximi sui hinniebat. Equinam vates ille dedit homini vocem, ut Equinam in eo petulantiam argueret. Non enim est omnis homo, homo, diceret Adamantius, sed ea quis nequitia præditus, homo-equus est: ut homo in honore positus, nulla tamen præditus sapientia, homo-jumentum est: Jumentis enim insipientibus is perquam similis habetur: Et generatio Viperatum, de qua Dominus, homo-vipera appellari potest. Neque aliud quippiam hieroglyphicè per duplicem formam Centauri intelligi vult Maximus Tyrius, quàm voluptatis vinculum. Quotiescumque enim accidit, ut ferinæ partes tyrannidem in nobis occupent, ardorque cupiditatis nobilitatem animi corripiat, opprimat, servitioque addicat suo, propter turpitudinum obsequia homo in belluam vertitur. Ridicule verò faceteque admodum Aristophanes filium Xenophantæ, rusticorum morum hominem & furibundum in Nebulis, sub Centauri specie, repræsentari dicit. Ipsumq; Chironis nomen ex ea significatione, quod & deteriorem significat, joco ansam dedit, cum Centauros duos inter se pugnantes in tabula pessime pictos Diogenes conspexisset: interrogavit enim, uter eorum Chiron esset, visus de nomine quærere, cum sensu, uter pejor esset intelligeret. Et quoniam in Divinis literis, qui turpibus & immundis officiis detinentur, jumenta dicta sunt, pecoraque prona & ventri obedientia, fornicatores. Hierosolymitanus Hesychius Admissarios eos equos vocat, hieroglyphico admodum proprio. Idem Psalm. 31. *Nolite fieri sicut Equus & Mulus*, quod ita exponunt interpretes, *Nolite amore mulierum furere, sicut infrænes Equi*. Notum enim est, eos suam ad voluptates intemperantiam hinnitu subinde prodere, utpote qui omnino quid bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe sit prorsus ignorant. Sedenim meretriciam hanc petulantiam à tam multis per Equinæ imaginis hieroglyphicum indicatam, nemo Virgilio melus & plenius expressit, ubi Georg. lib. 3. ita canit:

*Voluptuosorum hieroglyphica.*

*Homo vipera.*

*Scili-*

A *Scilicet ante omnes furor est insignis Equarum,*
*Et mentem Venus ipsa dedit: quo tempore Glauci*
*Potniades malis membra absumpsere quadrigæ:*
*Illas ducit Amor trans Gargara, transq; sonantem*
*Ascanium, superant montes, & flumina tranant:*
*Continuoque, avidis ubi subdita flamma medullis,*
*Vere magis, quia vere redit calor ossibus, illæ*
*Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,*
*Exceptantq; leves auras, & sæpe sine ullis*
*Conjugiis vento gravidæ, mirabile dictu!*
*Saxa per & scopulos, & depressas convalles.*
*Diffugiunt, non Eure tuos, non Solis ad ortus:*
*In Boream Corumque, aut unde nigerrimus Auster*
*Nascitur, & pluvio contristat sidere cœlum.*
*Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt*
*Pastores, lentum distillat ab inguine virus:*
*Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,*
*Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba.*

*Ad hoc Pli. lib. 4. c. 11. & lib. 8. c. 41.*

Sed neque minor est Equorum furor, qui zelotypia etiam ita laborant, ut rivales acerrime castigent. Visum enim, ajunt, in Syria, ubi Sylvestrium Equarum armenta vulgo pascuntur, præire ducem, qui si junior aliquis libidinis causa Equam inscenderit eam initurus, ita indignetur, ut eum nulla interjecta mora persequatur, donec comprehensum verendis mordicus privet. In hoc autem animalium genere fœminæ maribus continentiores sunt. Absyrtus enim ait Equam, ubi se concepisse novit, marem ulterius non admittere. Neq; vero hoc loco prætereundum, quod & ad Hippomanis vim, & immodicam Equorum impotentiam & subitam in Venerem concitationem pertinet, venenum illud, quod sæpe malæ, uti dicebamus, legere novercæ, à furore, in quem agit Equos, appellatum, tanti esse roboris & efficaciæ, ut cum Phormis quidam Mænalius Equos duos à Dionysio Argivo fabrefactos in Olympia dicasset, abdito in eorum altero, ut Elei arbitrabantur, eo viru, ut autem alii, in liquatum metallum immixto, constiterit allectos ita esse Equos ad initum sui, ut non nisi flagellis amoveri potuerint. Historiam ponit Pausanias. Varia autem est antiquorum super Hippomane viru sententia. Nam Theocritus Hesiodum secutus, plantam esse videtur existimasse, qui Φαρμακευτρίᾳ dicat:

*Equi zelotypia laborant.*

*De Hippomane plene Arist. lib. 6. c. 11 de nat. animal.*

*De Hippomane varia opiniones.*

Ἱππόμανες Φυτόν ἐστι παρ' ἀρκάσι. Τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα, καὶ θοαὶ, ἵπποι.

Idque periti, diligentesq; agnoscunt viri. Ali Theocrito pertinaciter adversantur, neque plantam esse Hippomanes, neq; tale aliquid in Arcadia nasci asseverantes: idq; unum verissimum autumant, quod de caruncula, fici instar, in pulli fronte recens editi inhærente traditum est à Theophrasto. Agnoscit tamen & Cratevas plantam, eamque fructum habere fici sylvestris instar, folium vero fuscũ docet, quemadmodum papaver: quin & spinosum esse, idq; veneficiis amato, iis immixtum mirifice pollere: hinc nonnulli Φυτὸν illud Theocritianum pro Φῦμα, hoc est, tuberculum, fronti quippe hujusmodi pulli adnatum, interpretantur. Nam & Archilochus Φυτὸ, pro Φῦμα, posuit, atq; ita facile de caruncula posse intelligi. Sed enim quod Theocritus ait, id apud Arcadas inveniri, nimirum ad plantam referri debet: non enim dicendum, pullos in Arcadia tantum editos, Hippomanes in fronte gestare, quod omnibus fere accidit ubicunq; locorum genitis. De plantis vero verissimum est, alias alio loco nasci, vel pollere magis hoc quam illo loco provenientes: sed ambiguitas hæc omnis ex locutionis hujus, quæ est Hippomanes, æquivoco orta est, cum tria sint vocis hujus significata: unum virus illud, quod Equa in libidinem concitata emittere soleat è natura, de quo Maro:

D —— *Lentum ab inguine virus.*

*Georg. lib. 3.*

Idque tantus author, in re seria vero dici nomine Hippomanes autumat. Dixerat & Tibullus:

*Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,*
*Hippomanes cupidæ stillat ab inguine Equæ.*

Manifestum enim est ex horum descriptione, Hippomanes hic neq; pro planta, neque pro caruncula poni. In Arcadia autẽ esse plantam, etiam furoribus amatoriis damnatam, cur inficiari possit quispiã, non video, antiquis tot authoribus rem ipsam agnoscentibus. Inveniri demum carunculam, instar carinæ, in fronte pulli applicitam, quam mater nisi mordicus decepserit devoraveritq; ab amore curaq; educandi filii abalienetur, Theophrasto, Plinio, & aliis id tradentibus, de qua re idem Maro,

*Quæritur & nascentis Equi de fronte revulsus*
*Et matri præreptus amor.*

*Æneid. lib. 4.*

cau-

causam nullam video cur quispiam adversetur. Neque audiendi sunt, qui nihil aliud Hippomanes apud Maronem & Theocritum, addam & Tibullum, significare contendunt, scholiis in Dioscoridem, nisi furorem grandem (ut eorum verbis utar) & ubique adjectivi nominis modo poni, cum jam vocem eam trium esse rerum, quæ quidem & cerni, & manibus attrectari possunt, vocabulum substantivumq; verum indicaverimus. Neque tamen negamus, ἵππον locutionem pleris que nominibus applicatam, magnitudinem proceritatemq; significare, ut ἵππος ἔλινον, ἵππομάραθρον, & multa hujusmodi, quæ superfluum est enumerare: sed hæc non sunt tanti, ut negare possint Hippomanes veram esse in Arcadia plantam, cujus figuram, neque non vim amatoriis veneficiis peculiarem, Crateras apud Theocritum descripserit: neque carunculam auferant, quæ sit omnibus manifesta, neque destillationem amoveant, quæ Tibulli, Virgilii, Probi, Aristotelis denicq; ipsius authoritate continetur: In eandem enim furoris efficaciam conveniunt hæc tria, virus illud, planta Arcadica, & ficulneus ille tuber, à maleficis propinata. Hæc forte nos morosius prosecuti sumus, quam suscepti operis ratio postulasset: sed gravissimo viro, ætate nostra præstanti, qui tria hæc de rerum natura tollere conatur, respondendum fuit, si Veneti Poetæ nostri, si Romani, si Siculi dignitatem, in suo cujusque genere summorum, tueri concedatur.

## PROFANUS. Cap. XXV.

SAne quidem Ægyptii sacerdotes animal hoc alioqui tam generosum, tam utile, tam domesticum, repudiavere, ac per hieroglyphicũ ejus profanũ intelligi decrevere: cujus rei causam eam fuisse suspicior, quæ majores etiam nostros in Italia ab eo abstinere tam religiose jusserit, ut à sacrorũ flamine minime tangeretur, propterea quod damnatum inter venena fel habere proditum est. Alii rem simplicius interpretantes, dicunt inde factum, ne si longius digrederentur, fraus interdum ex negligentia fieret sacris. Ea enim de causa sacerdotum etiam nostrorum familiis data otia, ne profanis occupationibus, aut curis distraherentur, sed in precibus tantum Deo alligandis occupati essent, & laudes illi septies in die dicerent. Perseveravit autem in nostra usque tempora, ut primores Antistites Equo per urbem vehi, solennibus præsertim diebus, contra morem & decorum haberetur: præterquam uno maxime omnium festo die, quo novus Pontifex Maximus ad Lateranum deducitur: tunc enim in albis Equis omnes Præsules convehi moris est.

## AUTHORITAS. Cap. XXVI.

CUmque apud Romanos veteres dictatoria dignitas admodum sacrosancta esset, vetusta quadam lege, nefas Dictatori erat equitare. Causas alias atque alias memorat Plutarchus in vita Fabii: sive quod majores vires pedestribus inesse copiis arbitrarentur, propterea q; oportere Imperatorem in phalange permanere, neq; locum deserere: sive quod ejus principatus authoritas & magna esset, & quodammodo tyrannica in reliquarũ omnium rerum administratione, voluerint tamen in hoc Dictatorem inferiorem populo videri: Fabio tamen Maximo Dictatori designato, post cladem ad Thrasymenum acceptam, primum Equus concessus in tanto rerum discrimine, quo principatus magnitudo, ac moles ostenderetur, majorisq; apud omnes authoritatis haberetur. Est enim Equus animal omnino superbum, & equitare magnificum habetur. Unde Aristippus apud Horatium, cum Diogenis vilitatem argueret, splendidius multo esse dicit, *Equus ut me portet, alat Rex.* Id vero Diogenes ac pleriq; alii Philosopho minus dignum arbitrabantur. Quare Plato cum in Equum aliquando conscendisset, statim desiliit ad terram, se vereri dicens, μὴ ἱπποπυφία ληφθῇ, ne Equino quopiam fastu contaminaretur.

*Plutarchus in vita Fabii Max.*

## FABII CONTATORIS VITRUTES. Cap. XXVII.

SEd ut ad imagines nostras revertamur, in lapillo Onyce argumentum multiplex vidi artificiose admodum sculptum. Equino enim capite est, humana facie in pectus barbata gruinis pedibus, cauda pulli gallinacei, literæ sunt, Fab. Ex quo quidem figmento virtutes eas facile conjectas, quibus Fabius Contator insignis fuit. Nam principatum in bello, ex Equino capite: prudentiam, ex humano pectore barbato: providentiam & contationem, atque etiam speculationem, ex pedibus gruinis:

A gruinis: victoriam, ex pulli gallinacei cauda interpretamur: quorum omnium causæ in suis quæque Commentariis sunt explicatæ.

## ANIMI DESPONSIO. Cap. XXVIII.

NEque forte ingratum fuerit hieroglyphicum, quo desperatio, aut rei, quam quispiam aggressus fuerit, inauspicatus ingressus significetur, ubi quis Equum cespitantem, aut prioribus prolapsum pedibus appingeret, cum ipsa præsertim res, & proverbio, & auguriis veterum confirmetur. Nam quod ad proverbium attinet, quod fertur: *Rideo*, inquit Galba, *canteri*, Sisinnius Capito ita interpretatur, qui principio rei alicujus inchoatæ deficiunt animo. Nam cum Sulpitius Galba in provinciam exiens, ad portam ipsam canterium suum animadvertisset cecidisse: *Rideo*, inquit, *canteri te jam lapsum esse, cum tam longum iter iturus, vix id sis ingressus.* Ex ostentis vero unum sufficiat commemorasse, quod Flaminio Consuli feroci viro Aretii fertur obtigisse; cum is indigne ferens per mediam jam Italiam vagari Pœnum, atque obsistente nullo cædibus & incendiis omnia vastantem, ad
B ipsa Romana mœnia oppugnanda proficisci, signa ocyus convelli jussisset, cum primum in Equum insiliit, Equus repente corruit, Consulemque lapsum super caput effudit; inauspicati nimirum incœpti signum, quo paulo post ipse cum exercitu concidit, fœdissima ad Thrasymenum clade superatus.

## DIFFICULTAS. Cap. XXIX.

NEque indecenter inter picturas hujusmodi refertur Equus in fossam prolapsus, aut in voraginem aliquam demersus, ubi luti tenacitate pertinacissime detineatur, neque sese valeat expedire: si negotii alicujus difficultatem, aut incommodum exprimere voluerimus; quippe quod plurimum ita est canteriorum natura, quos oneribus comportandis addicimus: ut si aliquam in voraginem deciderint, tam ob onus, quo gravantur, quam ob lividæ paludis cœnum, in quo recumbunt, supra modum implicentur, unde ægre attolli queant. Hinc illud apud Livium à Jubellio Taurea Campano objectum, *Minime sis canterius in fossa*, cum longo certamine cum Claudio Asellio Rom. *Livius lib. 3. Decad. 3.*
C delassatus se subducere meditaretur, cujus rei non apparente ratione, ad dolos conversus hosti svasit, ut Equo dimisso in cavam viam descenderet, ubi secum pedes congressurus esset. Quod cum Romanis intrepide, nulla interposita cunctatione feciisset, Taurea ea jactato dicterio, admisso statim Equo profugit: quasi dicere voluerit, nolle se eo demittere, unde difficillima futura esset emersio.

## CERES. Cap. XXX.

SEd ut nihil quod ad Equi imaginem faciat, quantum industria consequi possumus, omittamus, fuisse legimus apud Phigalenses simulacrum Cereris in antro consecratum, habitu sedentis in petra, Equinis capite comaque, cætera muliebri simile: adnexis Draconum & ferarum plurium imaginibus, quæ circa caput illudebant, palla nigra ad talos demissa, in cujus manu una Delphinus, in altera Columba sustineretur. Sed enim quamvis hujusmodi simulacrum Cereris nonnulli fuisse dicant, ego tamen Veneris potius crediderim, nisi dicamus pabulum & opulentiam, quæ per Cererem significatur, incitamentum esse ad illecebras & petulentiam. Equinum enim caput non esse
D ab lascivia alienum, ex iis, quæ paulo ante diximus, manifestum est. Draconum spiras, amatorios nodos, voluptariasque implicationes significare super Serpente indicat commentarium. Delphinum amoris simulacrum esse tam ex historia, quam ex tot Veneris signis, quibus id genus, piscis admovetur, alibi comprobavimus. Columbam denique referre Venerem, suo capite disputatum est. Acquiescendum tamen Pausaniæ, Cererem eam esse dicenti. Sed enim, ut in sue disseruimus, eandem esse Cererem & Venerem Ptolemæi Assertoris tempore declaratum est. Cæterum potest hujusmodi picturæ species ipsius etiam rerum naturæ hieroglyphicum esse: Equinum quippe caput ob insitam animali pernicitatem, innuere velocissimos cœlestium orbium motus, Columbam tractus aerios, ut suo loco dictum est, Mare Delphinum, ut in numis passim, Anguium involucra, sinuosos omnium toto terrarum orbe lapsus, de quibus apud Platonem Socrates, ut in Serpente testatum

*Simulacrum Cereris, ejusq; declaratio.*

ſtatum fecimus. Feræ reliquæ vitas animantium omnes oſtendere videntur. Saxum, terræ firmam& ſtabilem ſedem, ſua ſe ſoliditate continentem ſignat. Antrum deniq; ac nigra palla, ea plurima, quæ de rerum cauſis & originibus minus adhuc comperta deliteſcunt, ut in ſimulacris Iſidis caput pedesque ex nigro lapide: de qua re dictum eſt alibi.

## QUIBUS DIIS EQUI SACRI. Cap. XXXI.

*Equus Martis ſacer Romanis.*

QUod vero Marti primum omnium ſacer Equus eſſet, ex eo conſtat, quod Decembris Idibus illi Equus, qui à dextra victor fuiſſet, immolabatur. Dextera enim maſculina cenſeri diximus in Tauro, & mares animos Marti paſſim videmus attributus, de quo latius in pudendis virilis interpretatione, neque non in Scarabeo. Sacrificii vero hujus cauſam nonnulli putant, ut Martem hoſtia, quæ illi plurimum eſſet accepta conciliarent. Nam & Pauſanias ait, Tyndarum raptæ filiæ injurias ulturum, cum Menelao marito procis aliis in locum unum convocatis, immolato prius Equo, ut bellum adverſus Trojanos ſuſciperent, juramento adegiſſe. Neque deſunt, qui ſacrum, quod Decembr. Idibus fieri ſolitum dicebamus, Octobri menſe factum autument: eaq; de cauſa Equum eum Octobrem itidem appellatum, fuiſſeque non levem Romæ de capite ejus contentionem inter Suburranenſes & Sacravienſes, ut id ſcilicet ii in Regiæ pariete, illi ad Turrim Maniliam affigerent. Utcunque vero, Equus panibus caput redimitum habens, Octobribus Idibus pro frugibus in campo Martio Mactabatur. Ideo vero Equum potius quam Bovem immolabant, quia Equus animal bello dicatum, ad frugum potius perniciem, quam auctum, ſpectare videbatur: Bos vero ad frugum proventem & commoditatem natus. Quin etiam authores ſunt, Equos à Romanis non ideo mactari ſolitos, ut Martem ſibi conciliarent, ſed ut ſupplicium ex eo ſummerent, per quem conſtat Trojam fuiſſe captam, unde ſe oriundos illi profitebantur. Sed enim perfrigida & jejuna admodum calumnia hæc mihi videtur in Romanum nomen: ut populus tot virtutibus inſignis, immeritum animal quotannis ita multarent, quique graviſſimas injurias hoſtibus ſæpe condonare ſoliti eſſent, uni huic immortali in Equos odio tam pertinaciter inhærerent. Lacedæmonii vero, ut Feſtus aſſerit, Equum ventis in monte Taygeto ſoliti ſunt immolare, eundemq; ibidem adolere, ut cinis ventorum flatu per fines quam latiſſime diſpargeretur. Cæterum Pauſanias Soli Equum in eo monte tradidit à Lacedæmoniis mactari ſolitum Perſarum more. Hinc Curioni Xenophon Equum donat, quem Soli ſacrificet, cum eam apud Perſas eſſe Solis victimam non ignoraret. Idem author eſt, apud Sauromatas Equos ad ſacra, & ad cibos ali: unde apud Epigrammatarium noſtrum;

*Venit ab epoto Sarmata paſtus Equo.*

*Nempe Martialem lib. 1. Epigram.*

Sarmatas enim Romani dicunt, quos Græci Sauromatas, ut Plinius libro quarto. Apud Stephanum diverſi ſunt populi, quamvis utraque gens Scythica. Apud Salentinos Jovi dicatus Equus, vivus in ignem conjiciebatur, perinde ac Rhodii quotannis quadrigas Soli conſecratas in mare jaciebant: quod vulgatum eſt eum tali vehiculo circumvehi mundum. Uti etiam in Illyrico, ea de cauſa, quod Tridentis ictu terra Equum excierit, quatuor Equos nono quoque anno marinis fluctibus habendos jaciebant. Apud Philoſtratum in Heroicis, legas pullum Equinum coloris albi, & fræni ſeſorisque adhuc ignarum, Soli ſacrificandum pro victoria aſſequenda, idque ſuaſu Palamedis pertertefactis aliquando Græcis, quod Solis deliquium, dum circumſident Trojam, inſpexiſſent. Has quasdam veluti phaleras Equo libuit addere, quas ſumptu noſtro comparatas ſi quis approbaret, iis uteretur: qui vero ornatum alium expetiverit, vel ex aliis quærat, vel impenſa ſibi comparet ſua.

A

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER V.

## DE IIS QUÆ PER CANEM SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD FLORIUM MARESIUM BELLUNENSEM.

B *Gli vero potius Canem meum, sacris quidem Ægyptiorum adytis educatum, sed mea huc advectum diligentia, dono dare debuerim, quam tibi, mi Flori jucundissime? Quotiescumq; enim ea considerabam, quæ sapientissimi illi viri per Canis hieroglyphica significari tradiderunt, dum divinæ mentis interpretem, dum sacerdotem, dum tutelares Deos, eo posito, subinnuebant, dum grati animi signum dum memoria & amicitiæ simulacrum, dum vatem, dum philosophum, ac ipsum literarum authorem Mercurium, fidem, obsequium, & plenq; alia per idem animal intelligebant: toties mihi tui, qui alumnus meus es, species offerebatur; cujus studium in disciplinis, integerrimos mores, insignem pietatem, liberrimi benevolentissimiq; animi candorem & sinceritatem, tam longa multorum annorum experientia perspexissem. Sed parum existimabam hac me cogitationis hilaritate perfusum, nisi rem ipsam scriptis etiam mandare studuissem, atq; ita longe affluentiori voluptate commemorando perfunderer. Hunc igitur ex omnium animantium grege delectum tibi dedicavi: non ut quæ Canis fuerint significata docere mihi consilium esset, sed ut sapius interscribendum relegendumq; obveniret, unde ego bonitatis tuæ frequentius memor, hac ipsa diuturnius jucunditate perfruerer. Reliquum est, ut ex benevolentissimo ejus ingenio*
C *meam erga te benevolentiam contemplere, perinde ac commendabiles ego mores tuos præclaris, quæ Cani attribuuntur, dotibus æquiparare soleo; quippe qui existimem, speremq; velut ille ad Heroum, deorumque simulacra contemplanda natura ipsa promptissimus invenitur, tu quoque, quod non ignaviter facis, Canem vitæ quoddam exemplar tibi sis propositurus. Verum age, jam ex ipso commentario Canis ipsius ingenium exploremus.*

### SACRARUM LITERARUM PROFESSOR. Cap. I.



*Ministri Verbi divini munus.*

IN primis autem rerum divinarum professorem per Canis effigiem interpretabantur: propterea quod eum, qui sacras literas professurus sit, id omnium plurimum meditari oportet, ut Canis instar assidue latret, hominum vitia numquam incesserе desistat, animum ferum gerat, nullius profani gratiam ineat, quod & Canes faciunt in eos, quos herilis non esse familiæ, vel
D visu, vel olfactu deprehenderint. Tales apud Hebræos habentur Elias, Hieremias, Ezechiel, Osee, ac plerique alii. Talis apud Græcos cumprimis Diogenes, cui Cynicus nomen, à Cane vulgo etiam dictitatum, & ab eo Cynica familia, perpetua vitæ austeritate celebris. Cui quidem haud multum absimilis altera per omnem pene orbem in nostram usq; diem propagata, quamquã ea sanctioribus apud nos institutis, & verioris disciplinæ professione, laudabilioreq; profanæ cujusque rei contemptu, sub eodem duplici panno, & perpetua pedum nuditate conspicua. Non defuerunt enim unoquoq; tempore, qui luxum & delicias aspernarentur, parvoq; & minimo contenti, cum vitam ipsi à vitiis liberam profiterentur, impuros omnes reprehensionibus arguerent, castigarentque. Atque huc deniq; progredi debet sa-

cerdos optimus, ut dum nullum flagitiosum hominem verbis incastig...um præterit, vel ipsam impudentiæ notam minime pertimescat.

## PROPHETA. Cap. II.

SAne propter increpandi libertatē Prophetam adsimilavimus Cani, eique latranti Hujus significati ratio alia apud Horum est: quia scilicet præter reliquorum animalium morem simulacris Deorum custodiendis Canes apponuntur, eaq; ipsi idemtidem intuendo videntur admirari, non secus ac Propheta meditationi deditus, omnem cogitationis suæ conatum dirigit in Deum. Sane fanorum antistites, sacrorumq; & oraculorum interpretes, Livius Adastro Prophetas vocat, de quibus ita:

*Cum capita viridi lauro velari impetrant*
*Prophetæ, sancta ita caste qui curant sacra.*

Animadvertendum est autem, omnem Canis usum aut à latratu, aut dentibus expeti. Ac de mordacitate quidem satis. Quod vero ad latratum sacit, non ignoremus esse os interpretē eorum, quæ mens in penetralibus meditatur: sane Propheta vates itidem est, perq; os ipsa mens eximis arcanisq; adytis oracula sua promulgat: frater enim mentis est os, mens vero verborum fons: atq; ita per os excogitata omnia, veluti fluenta de fonte profluunt. Sed enim, quia parum esset aliorum vitia damnare, deterrere, dilacerare, nisi ad rectā vivendi rationem omnia converterentur: ad ipsius (inquam) divinitatis contemplationem dirigerentur: cum Ægyptii sacerdotes animadvertissent Canem (uti ex fragmentis Hori dicebamus) præter aliorum animantium morem, ad simulacra Deorum aspectare, firmoq; ea lumine contueri, quasi Propheta idem facultari soleat meditationi tantum deditus, unde perarcana Dei penetralia referentur, atq; is hinc futurorum scientiam aucupetur, hieroglyphicum hujusmodi congruenter admodum excogitaruut, qui artem hanc divinandi, teste Tullio, putantur longinquitate temporum innumerabilibus pene seculis consecuti, & ab his acceptum crediderim, quod Thrasybulo cuidam inter Jamidas, ita ab Jamo, cujus meminit Pindarus, appellatos, celeberrimo, statua est Olympia posita per cujus humerum dextrum Mustela obreperet, & dissectus Canis exerto jecinore juxta jaceret. Quod vaticinii signum interpretor, cum nonnulli tradant Thrasybuli à Cane vaticinium excogitasse. Nam & Mustelæ cor linguæ jejunæ suppositum, fatidicam mentem excitare ferunt Magi. Pausanias tamen incompertum sibi esse profitetur, quis primus è Cane vaticinia desumpserit: tametsi Thrasybulum scripsit solum hoc aruspicinæ genere usum, ejusq; rei conjecturam ex statua, quam in Olympia illi positam commemoravimus, desumi. Ut vero ad Prophetam revertamur, Gregor. Pont. cum professores legum Sacerdotes appellari dicat, eosdem ait & Prophetas nonnunquam appellari consuetum esse, quod talem animum gerere debeant, qualem superius in Cane descripsimus: id quod à plerisq; minime præstari idem his verbis lamentatur: *Sæpe namque rectores in providi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt*, quia Lupo veniente fugiunt, *dum se silentio abscondunt*. Hos itaq; per Prophetam Esaiam Dominus increpat, *Canes mutos* eos appellans, *qui latrare nequeant*. Nec vero quis in vates & sacerdotes calumniæ ansam ex eo capiat, quod D. Paulus ait: *Cavete canes, cavete malos operarios*. Ambrosius de marinis eo loco intelligendum ait, quorum omnino munus tantum est, ut reliquum animantium genus deprædentur. Sed quam horrenda sunt quæ ad Esaiæ increpationem addidit Ezechiel: *Fili hominis*, ait, *speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaveris ei, neq; locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Quod quidem eo periculosius est, ait Hesychius, quod ignavia hæc pluribus est nocumento: sacerdos enim negligens, aut ipse peccans, aut non vindicans in peccatoribus, illicit eos qui rudes sunt ad similia, adeoque Legislator in Levitico, peccatum ipsius sacerdotis, *peccatum populi* appellavit.

*Prophetarū munus.*

*Cap. 56 10.*

*Phil 3.2.*

*Ezech. 3. 17. 18.*

## CUSTODIA. Cap. III.

ID quod etiam ex Ambrosii sententia ad excubias pro salute dominorum refertur, debereque nos ait is, promptuarium tenere verborum, ne quasi mutæ Canes commissam nobis fidei custodiam, quodam prævaricationis silentio deseruisse videamur. Hoc eodem significato Theologi accipiunt illud

illud ex sexagesimo octavo Psalmo: *Lingua Canum tuorum hostium intingetur sanguine*, ubi per Canes, Christi ædium sacrarum antistites interpretantur: hi siquidem parandi sunt in adversarios, qui gregibus insidias meditantur, ut Oves ab omni hostium injuria tutæ custodiantur. Quam propemodum sententiam secutus Plato libro de Republ. II. ubi militem civitatis custodem informat: *Naturam*, ait, *generosi adolescentis, qui ad disciplinam hujusmodi educetur, nihil differre à generosi Canis ingenio, utrumq; ipsorum sagacem esse oportere, mansuetum erga suos, adversus autem hostes immitem.* Nam ea generosi Canis natura, ut erga familiares & notos sit mitissimus, adversus vero alienos & ignotos ferocissimus, quos simulac viderit, ægre ferre se indicat, etiam si nihil quicquam mali sit ab eis perpessus, sufficereq; ad inimicitias satis habet, si qui recens venerit, non fuerit è domesticis. Non abs re igitur, qui D. Bernardi, viri de pietate Christiana optime meriti, vitam scribunt, matrem ejus ajunt prægnantem imaginatam in somniis esse, Catulum se candidum, dorso rutilum, & latrantem in utero gestare: unde illi à sapiente viro responsum, futuram eam optimi Catuli matrem, qui divinarum ædium custodiam susciperet, latratumq; assiduum contra profanos & impios exerceret. Hinc etiam canis comes & viator Angelum comitatur, quem Raphael in libro Prophetico non otiose sibi & Tobiæ filio adjungendum putavit.

*Plin. lib. 8. c. 40.*

*D. Bernardi matris somnium.*

*Tob. c. 4.*

## DII LARES. Cap. IV.



*Barbari in novo orbe. Plin. lib. 8. c. 40.*

EAdem ratione Canes apud Ethnicos Laribus præsides fuisse dicuntur, Deosque ipsos Romani ideo caninis pellibus induerant: quod sicuti Canes mites mansuetique sunt in domesticos, in alienos vero feri, formidolosique, ita & Lares, quibus totius familiæ cura credita esset, haberentur. Proditum sane memoriæ est Iliados Minervæ templum in Daulia fuisse, in quo Canes alerentur, qui Græcis tantum adventantibus se mites, mansuetos ac ludibundos offerrent: in barbaros vero feri, atroces ac indignabundi semper irruerent. Neque desunt hodie barbarorum nationes aliquot, quæ Canes hostium cadaveribus quoquo modo conquisitis alant, eosque in prælia mox ducant, quibus in hostem immissis fœdissimæ interdum stragis spectaculo perfruantur. Æsculapii simulacro, quod Epidauri fuit, à Thrasymede Pario Arignoti filio elaboratum, Canis adsculptus assistebat, cum Deus in throno sedens dextera baculum teneret, lævam supra Draconis caput porrigeret, cujus meminit Pausanias. Ejus argumenti eam ait historiam fuisse, quod Æsculapius in solitudine Titthei montis expositus ab avo Phlegya, cujus filiam Apollo clam compresserat, à Capella alitus, & à Cane custoditus fuerit.

*Æsculapii simulacrū.*

## ARBITER GENIUSVE. Cap. V.

SEd aliam Chrysippus rationem cur Lares Caninis tergoribus velarentur, attulisse dicitur: quippe quod ipsi genios præ se ferunt, qui custodiæ nostræ ideo tanquā arbitri sint delegati, ut improbe factorum dictorumq; pœnam à nobis exigant, sceleraque & impietatem omnem ulciscantur, quotiens humanitate posthabita in brutorum vitam declinaverimus, quam ipsi genii, non secus ac lagaciissimi Canes insequantur, & ad merita supplicia pertrahant. Hoc ipsum Censorinus, multis aliorum opinionibus allatis demum affirmat, esseq; genios ita assiduos nobis observatores appositos, ut ne puncto quidem temporis longius abscedant. Atque hi sunt, qui nos nonnunquam impellunt, sæpe revocant, prout nunc salutaria, nunc pernicioſa appetierimus Sed nostræ pietatis author, ne ab aliis hæc quæramus, Genios custodiæ nostræ appositos, & affirmavit, & Dei patris faciem eos quotidie contueri commovit. Merito itaq; Laribus (quando iidem & genii sunt, nos Angelos dicere maluimus) Canis, utpote tutelare animal, hieroglyphice dedicabatur. Sed non sine piaculo videor mihi præterire posse, quod apud veteres scriptores legi, Vulcani templum apud Etnam Siciliæ montem fuisse, cujus lucum incolerent Canes, qui caste pieque adeuntibus adblandirentur: impuros vero impollutosq; rem quasi divinitus præsagientes miserabiliter lacerarent.

*Lib. de die natali. c. 2.*

*Matth. 18*

*Vulcani templum.*

## VESPILLO. Cap. VI.

EX his itaque factum ut Ægyptii vespillonem sacrorumque tutelarem, ædituumq; libitinarium per Canis effigiem indicarent, observato firmo illo immobilique obtutu, quo animal id ipsa Deorum hominumque simulacra custodiæ suæ credita contemplatur. Nam cum apud Ægyptios cadavera vitro condita, non adipe suillo, ut nonnulli sunt interpretando decepti, in longum tempus asservarentur, erantq; & libitinarii quibus curæ erat ea custodire, eo spectare crediderim Canem apud Maffæos Romæ in pulcherrimi operis cippo humi jacentem, surrecto vero capite inscriptionem, quæ hujusmodi est, intuentem.

A

C. JULIO URBANO ET JULIÆ OPTATÆ CONTUBERNALI, ET C. JULIO URBANO PECULIARI FILIO

POST.  SUIS.

## GRATUS ANIMUS. Cap. VII.

NEque tamen ignoro esse aliquos, qui hujusmodi hieroglyphicum, quo scilicet Canis vel simulacrum aliquod, vel conditum cadaver intueretur, hominem beneficii accepti memorem significare contendant. Canis porro illos, qui de se benemeriti fuerint nunquam oblivioni tradit, cujus rei paulo post mirifica quædam exempla subjiciemus. B

## MEMORIA. Cap. VIII.

*Macrob. in Saturn. c. 20. sub fin.*

UNde & memoriæ simulacrum Canis est, quæ scilicet circa præterita versatur: & in prudentiæ tricipitio, id sibi vult caninum caput, cum Leoninum, intelligentiam, & præsentium considerationem: Lupi vero caput providentiam, ac perinde futura indicet, quod alibi diffusius explicavimus. Socrates quoque tunc per Canem jurat in Phædro, cum illam Lysiæ orationem memoriæ tradidisse firmiter arbitratur.

## FIDES. Cap. IX.

*C. Mamilii numus.*

IN Phædrone vero per Canem jurat, cum puta fidem & obsequium præstandum iis, qui rerum habenas in civitatibus moderantur. Sane C. Mamilii numus est, qui limitibus metandis S.C. præfectus C aliquandiu fuit, in quo Canis ei videtur allatrare, eo quippe significato, ut fidem præstandam in primis admoneatur is, qui negotio ejusmodi præficitur.

## AMICITIA. Cap. X

*Fidei in Cane exempla.*

EJus vero fidei ratione habita hieroglyphicum pro amicitia plerumq; Canis ponitur, in qua quidem primum fides expetitur ex Ciceronis & omnium sententia: mox animus, si usu veniat, ad promerendum promptissimus. Mirifice vero spectatur in Canibus illa officiosa adeo dominorum adulatio. At hic mihi temperare nequeo quin amoris & fidei exempla quædam commemorem, quæ in ipsis Canibus elucescere plerumq; comperiuntur. Nam Leuctricas puellas tres à Spartanis juvenibus quibusdam constupratas, mox occisas & in puteum dejectas indicio Canis Scedaso patri peregre advenienti, & latratu & cursitatione ad puteū fuisse proditas, nunc dissimulabo alia quædam majoris forsan admirationis repetiturus. Confosso enim intestinis bellis cive Romano, ajunt non potuisse quempiam caput ejus abscindere, usquequo Canem, qui dominum custodiebat, proque eo ferociter pugnabat, ab instantibus interemptum summotumque vidissent. Ambrosius refert, occiso Antiochiæ milite, Canem cadaveri comitem adstitisse, qui dum ejulatu mœsto rapti domini desiderium diu testaretur, ingentem hominum coronam ad fidelitatis spectaculum contraxerit, donec eo inspecto qui cædem patraverat, in eum insilierit: tamque diu prehensum continuerit, donec re patefacta, percussor sit in supplicium raptus. Illud vero præcipue est admiratione dignum, quod ab ÆlIano traditum est: Colophonium quendam una cum servo & Cane, mercatum in Joniam conscendisse ad urbem Theon, cumque servus, qui pecunias ferebat, naturæ satisfacturus aliquantulum à via deflexisset, loculo humi depositio immemorem abiisse, Canem ad ejus custodiam perstitisse, donec illi re infecta, quod pecuniæ non aderant, rediissent, Canemq; in eodem loco apud marsupium offendissent, D

A sent,qui quod absq; potu,ciboq; diu perseveraverat, ita reddito depositio expiraverit. Sed quid illud quod apud Plutarchum de Pyrrho fertur ? nempe eum aliquando factum obviam Cani, qui cadaver herile custodiebat,ubi triduum absque cibo permanserat: quod cumPyrrhus sepeliri jussisset, Canem sibi diligenter curandum imperaverit : evenit ut haud ita multo post Pyrrhus exercitum lustraret, assidebat regi Canis, tacitusque quiescebat, cum interim interfectores heri, nomina daturi præsto fuerunt,exiliit statimCanis ubi eos adesse vidit,magnoq; hostes latratu incessens adPyrrhum identidem respectabat, ut non illi solum,verum omnibus qui aderant facti suspicionem concitarit ingentem. Correpti igitur illi, minimisque quibusdam indiciis conquisiti,scelus confessi sunt, atque ita pœnas jussi pendere. Fuit & alter Pyrrhus ab rege illo,qui tantæ fidelitatisCanem habuit,ut cum mortuus & in rogo positus esset, subsecutus itidem Canis in pyram sese conjecerit, & concremari pertinacissime voluerit. Fuit & Polo histrioni apud Græcos celeberrimo Canis, qui post impositum rogo dominum, in easdem sponte se conjecerit flammas : & alius eodem quo saltator Theodorus sepulchro conditus fuerat, Catellus includi voluit. Jamque & Eupolidis Poëtæ comici Canis Au-
B geas nomine celebratur, qui mortuo sepultoque domino præ mœrore & ipse contabuit, erepti domini desiderio tandem extinctus.

## PHILOSOPHIA COMMUNICATA. Cap. XI.

*Cerberi mythologia.*

Hieroglyphicum & Cerberus argumentum habet: Græcorum enim nonnulli non incongrue forsan existimarunt, abstractum Herculis opera ex oscuris Erebi penetralibus tricipitem Cerberum, patefactam ab Heroe Philosopiam, quæ prius in arcanis delitescebat, indicare. Ea vero una cervice contenta, tribus distinguitur capitibus, quorum unum Rationi,Naturæ alterum, tertium Moribus inservit. Unde præter edomita tot monstra,Herculem ipsum ferunt sagittas in Junonem jaculatum, & Plutonem etiam telo, ut Homerus inquit, trisulco sauciasse. Philosophus enim vir, dum solerti indagine sublimia quæque pervestigat, nactus aliquid, captu dignum, mente veluti pennato quodam utitur telo, donec quicquid illud fuerit assequatur : Neque quidem locus ullus est, neque absessus tam remotus, tam abditus, tam inaccessus, quo non pervenerit Philosophia.
C Terræ siquidem hæc penetralia perscrutatur,quod est Plutonem ipsum telo impetere, atque etiam ferire,hoc inquam est rerum naturam enancisci, tot in orbe terrarū monstra domitat, ferinos quippe mores componit, & civilibus,honestis & utilibus legibus addicit : ut de Poeta Flaccus etiam ait:

*---- Pectus, præceptis format amicis,*
*Asperitatis & invidiæ corrector, & iræ.*

*Horat. lib. de art poet.*

Cœlum demum inscendit & inde quicquid rationi obnoxium esse potest aucupatur,cunctaque prospectat,& ad amussim omnia num recta sint,explorat. Herculis ad hæc clavam, qua heros is fuerit in domitandis monstris usus, Philosophiam, monstra vero animi vitia significare interpretatur in Floridis Apulejus. Atque,ut ad Cerberum revertar, sunt qui rem simpliciter accipiant,caninis eum capitibus effictum à Poetis, propterea quòd Tartareus custos habeatur. Historiam tamen Hecatæus Milesius super eo tradit,Serpentem in Tænaro fuisse, quem ea de causa Canem appellarint, quòd morsu esset admodum lethifero, hominesq; quos iciisset, statim interficeret, eumq; ab Hercule deductum ad Eurysthea. Sed hæc scriptorum semper fuit licentia, ut ex commodo quisque suo fabulas
D confingeret. Mihi autem magis arridet figmentum prius positum,qui tam præclaros viros tam erudite rem ipsam interpretari videam.

## ANUBIS. Cap. VII.

Addemus & Anubim Deum per Canis effigiem ab eisdem Ægyptiis figuratam : de quo veteres quidam historici prodidêre, una eum cum Osiride gigantes ex Italia pepulisse. Canino verò capite fuisse eum,eo commentum,quòd Isidis & Osiridis corpora custodierit, quod, uti dictum est superius,Canibus est admodum peculiare : eaque de causaCanem galeis insculpi morem esse,quod in veterum numis complusculis observavi.

## HORIZON. Cap. XIII.

SEdenim super Anubi Plutarchus longe eruditius rem perscrutatus, remotiora disciplinarum penetralia recludit, ac terminatorem in sphæra circulum per Anubin in fabulis, per Canem inscriptione sacra hieroglyphica significari tradit: quippe qui Nephthyn apud Ægyptios inferius hemisphærium esse contendit, Isin verò superius: lucidum hoc & diurnum, obscurum illud & nocturnum; utriusque verò participem Anubin, qui & interdiu & noctu visu pariter fruatur. Eandem enim vim apud Ægyptios Anubis habet, quam apud Græcos Hecate, cui supera & inferna dedicarunt. Nam cum triceps effingeretur Hecate, unum omnino caput Caninum, Equinũ alterum, humana verò figura tertium adscribebantur: quod tamen hispida & rusticana facie simulabat, cujus picturæ hieroglyphicive causam in Equo latius enarravimus.

DIANA.



## SATURNUS. Cap. XIV.

SUnt qui per Anubin Saturnum interpretentur, quòd omnia ex sese pariat: atque ita sit & lumnis, & tenebrarum particeps: quia materia obscura est, forma verò conspicua. Qui fabulas de iis, quæ rerum inito facta fuerint ab Oromaze, memorant, cœlo inquiunt & astris fabricatis custodem eum adhibitum, atque hinc Canis figmentum excogitatum.

## PRINCEPS. Cap. XV.

PRæter ea quæ jam posita sunt de Cane significata, sacerdotes iidem Ægyptii, si Principem aut Legislatorem significare vellent, Canis hieroglyphicum cum diademate, sive fascia, vel amiculo faciebant, reliqua corporis facie nuda: propterea quòd veluti *levisomna Canum*, ut cum Lucretio jocer, *fido cum pectore corda* in Deorum simulacris diligenter observandis detinentur: sic etiam Princeps, qui jura sit daturus, Regem qui anteacto tempore claruerit, nudum contemplari debet, quidque sibi velit ea fasciola, examinare: id quod omnium maximè Periclem Athenienſem factitare solitum perhibent. Quotiescumque enim is Magistratum aliquem inibat, ipsa honoris delati insignia, & unumquodque gestamen pro concione alloquebatur, quid ea sibi vellent, qualem virum poscerent percontabatur, seque mox ad personam quam induebat, strenue decenterque gerendam adhortabatur, tanta omnium admiratione, ut non immerito eum & tonitrus & fulgura ciere prædicarent, apesque mel in os ejus infantis conjeciſſe faterentur. Quod vero fascia regium sit insigne, ostendimus commentario de Gestaminibus reliquis. Atqui Ptoemphanes populi ex Africæ parte Canis non effigiem, pro Principe coluerunt, sed vivum ipsum pro rege sibi delegere, cujus motum observabant, ac ex eo quid faciundum, ubi standum, quo progrediendum, religiosissima quadam augurátione intelligebant.

*Pericles Magistratũ initurus quid faciebat.*



## MILES. Cap. XVI.

ABsque fascia verò Canis, copula tamen religatus, non incongruum est sacramento addicti militis hieroglyphicum copula scilicet obedientiæ juramentum præ se fert: Canis verò ipse militis officium, quod præcipuũ est, intentum esse ducis imperio, sive iter arripiendum, sive pugna ineunda sit, sive ubi receptui cani ceptum ad signa redire: quæ quidem obsequia à Canibus observari quoti-

A quotidie videmus. Quid vero illud, quod si inter se Canes rixentur, offeraturque fera æque illis invisa, facta statim inter se pace unanimiter in feram convertuntur? cujusmodi decet milites esse, qui tametsi inter se aliquando dissideant, adversus tamen communes hostes unanimiter præliantur, cujusmodi exemplum in L. Syllæ legionibus habemus, quæ cum pernicioſa seditione furerent, efferatis Imperator annunciari jussit hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, atque ita discussa seditio est, universus adversus hostes animum intendentibus. Et Scorilus (vel ut alii, Cocis, seu ut alii, Cocio) Dacarum Dux, cum dissociatum bellis civilibus pop. Roman. intellexisset, neque tamen fortunam tentandam arbitraretur, metuens ne externo bello pax inter cives conciliaretur, hortantibus suis, & acriter deposcentibus occasionem arripiendam, duos ille Canes in conspectu popularium commisit, iisque acerrime inter se pugnantibus, mox Lupum emisit, quem protinus Canes, omissa inter se ira, uno statim animo aggressi sunt: eoque exemplo Dux ipse continuit barbaros ne pugnam inceptarent, temerario impetu Romanis profuturo. At ea quoque generositas animi requiritur in strenuo milite, ne is, ut super Ænea Virgil. neque aversos dignetur sternere morte,

B nec imbecilles provocare bellatores aut armatus inermes, aut vir fœminas, puerosve. Comperta est hæc eadem in Canibus animi magnitudo, velut in eis, quos Albaniæ rex Alexandro Macedoni donо misit: nam cum ex duobus quos habebat unum huic dedisset, exploraturus Alexander animalis vigorem, jussit Ursos, mox Apros, & deinde Damas emitti: ille vero contemptu immobilis jacebat. Sed enim Alexander segnitie tanti corporis offensus, eum interimi jussit, quod ubi Regi nunciatum, alterum misit, addito, ne in parvas belluas experiri vellet. Imperator itaque Leonem primo, moxque Elephantum induxit, quos Canis statim stravit: cujus insignem pugnam Plinius accuratissime descripsit XL. octavi libri capite 12.

*Simile quid damnarat Q. Curtius lib. 9. de Sudracis & Mallis.*

## MENAPII. Cap. XVII.

MInime mirum igitur, quòd in canone provinciarum & militum, qui à Constantino usque ad Theodosium, Honorium, & inferiores plerosque alios, sub Imperatore Romano militabant, clypeus habebatur, in quo luteus Canis in alba parma, cujus medium pelta rubra occupabat, hic

C vero Canis inferne positus sub ipsa pelta pedibus sursum versis, erat is ejus ordinis insigne, qui Menapii dicti, sub magistro militum per Thracas stipendia faciebant.

## TERTIODECIMANI. Cap. XVIII.

CAnem eodem gestu inversum in altero clypeo vidi, sed qui cærulei coloris esset, parma identidem alba, cujus umbilicus aureus, quem ruber circulus ambibat, ab altero densioris luti cæruleo ipse quoque circumscriptus, insigne hoc erat Tertiodecimanorum, qui ejusdem militiæ ordo fuit sub eodem magistro militum.

## OBSEQUIUM. Cap. XIX.

ERat & illud hieroglyphicum, quòd Ægyptii Sacerdotes obsequium, & ad domini jussa nutumve regressum

D significare si vellent, Canem converso in dorsum capite pingebant. Nullum porrò animal Cane magis est dicto parens, quem abeuntem facillimo vociferatitu revoces: etiamsi sit jamiam capturus prædam, increpitus intermittat, jussus insequi provolet: eum denique quotiens erit libitum ultro citroq; verteris. Theologi nostri veteres dictum illud ex Ecclesiaste, *Melior est Canis vivus Leone mortuo*, ita interpretantur, ut obsequii istiusmodi rationem habuisse videatur: nam per Leonem mortuum, ait Eucherius, cacodæmonem intelligunt, de salute nihil ulterius sperandum est: non enim potest ad pœnitentiam redire. Per Canem autem vivum aberrantem quidem, & interdum contumacem hominem accipiunt, qui tametsi nonnunquam prævaricator fuerit



*Eccles. 9.*

fuerit & cervicosus, ad obsequium tamen & meliora reduci potest. Et, ut ad Canis morigerum admodum ingenium revertamur, libet ex Plutarcho memorabile obsequii facillimæque docilitatis exemplum in animali hujusmodi recitare, idq; in theatro Marcelli, spectatore Vespasiano, editum. Mimus eo quidam Canem introduxit omnibus fere saltationibus eruditum, qui cum ægritudinem postmodum simularet, panem Mimus porrigebat, eo detracto pharmacum propinavit, mox is trementi similis cruciari, distorqueri, capitisq; gravedine laborare visus, demum quasi mortuus concidere, seq; exporrigere, permittereque ut quoquoversum traheretur, huc & illuc abijceretur, uti fabulæ commentum exigebat. Opportune autem cum res poscceret, se tanquam è profundo aliquo somno concitatum, prosiliisse demum, & signa quædam veluti lætitiæ & exhilarationis edidisse, atque alia pleraq; magna omnium admiratione collusisse. Hæc author ille testatur, qui nihil unquam ineptè moliri deprehensus est. Sed quod pertinet ad obsequium erga dominum, habet hoc Canis commune cum Suibus, de quibus compertum, ait Plinius, furto abactos, agnita voce suarii, merso navigio inclinatione lateris unius, ad dominum remeasse.

*Memorabile Canis obsequium.*

## ADULATOR ET SCURRA. Cap. XX.

*Diogenis scomma in Alexandrū.*

SUnt qui adulatorem blandiloquum, & mordacem simul scurram, per Canis hieroglyphicum ostendant, quorum

*Alter in obsequium plus æquo pronus & alter*
*Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus:*

Diogenica hæc est interpretatio, ipsius de se testimonio. Nam is interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta Canis nomen vulgo sortitus esset: *Quia*, inquit, *dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.* Quin & conjectores, ut apud Hebræos legi, eum qui per nocturnam quietem imaginatus sit Canem videre, obtrectatoribus objectum fore præsagiunt. Alexander idem dum sibi lusum quærit, sportulam Diogeni ossium plenam dono misit. Accepit eam Cynicus, & superaddit: *Caninus hic quidem cibus, sed donum haudquaquam regium,*

*Ibidem D. Laertius.*

## FAMES. Cap. XXI.

CAninam quandam famem memorant, quam Græci βουλιμίαν appellavêre, nos *Esuritionem* dicere possumus: utcumque Davides hanc eruditissime tetigit Psalm. 58. ubi canit: *convertentur ad vesperam, & fame conficientur ut Canes, civitatem hac illac pervagantes*, cum futuram Judæorum mendicitatem præsagiret: nam & ipsum famis vocabulum frequenter pro mendicitate usurpatum invenias.

## DESPICATUS. Cap. XXII.

IN Sacris litteris plurimum invenias Canem pro re humili, abjecta & contemptibili positum, Quem sermonem ne quis Neapolitanorum tantum esse putet, de Mephibosteto Jonatæ filio legimus, cum insperatis à Davide beneficiis affectus esset, & continuo mensæ Regiæ sodalitio dignatus, dixisse eum, humilitatem professus suam: *Ecquis ego sum servus tuus, ut respiceret super Canem mortuum, cui ego sum similis?* Et David ipse, cum Regem suum Saulem se hostiliter insectantem in manibus solum habuisset, chlamydis regiæ oram præcidisse contentus, subsecutus eum clamavit: *Quem persequeris, Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris.*

*2. Sam. 9. 7.*

*1. Sam. 24, 15.*

## FUGA. Cap. XXIII.

QUod si fugam notare voluerimus, Canem identidem, sed subjecta inter crura cauda, figurabimus. Hieroglyphici causam, nemo eorum quos in hoc argumento sequimur, explicavit. Figmentum ego à re ipsa dubio procul sumptum crediderim, vulgato in hæc tempora proverbio, ut eum qui animum despondeat, vel ab incepto propter ignaviam perculsus meticulose desistat subjicere eum inter crura caudam, subjiciamus. Quotiens enim Canes fugam arripiunt, præ metu abacti, caudam inter crura subjiciunt. Quod cum insigniter etiam Lupo observatum sit, Maro elegantissime rem ipsam descripsit, ut suo loco dictum est.

*Etiamnum Gallico.*

*Æn. lib. 11.*

CLA-

A

## CLADIS PRÆSAGIUM. Cap. XXIV.

IN Aruſpicina memoriæ proditum eſt, hujuſmodi geſtum caudæ utero ſubjectæ, in victimis quæ adolerentur, futuræ cladis præſagium dediſſe: obtorta vero ſi foret cauda, bellorum difficultatem portendere, ut apud Didymum legere eſt.

## VICTORIÆ PRÆSAGIUM. Cap. XXV.

ALiter autem curſum perciti, ſeu prædam inſequantur, ſeu temere laſciviant, ſurrectam, aut exporrectam caudam habere ſolent: cujuſmodi effigies eſt in numo C. Poſthumi, in quo cernere eſt currentem Canem cauda ita uti dicebamus, ſurſum verſus incurvata, quod quidem in hoſtiis crematis obſervatum ex aruſpicum diſciplina futuræ victoriæ portentum erat. Sedenim numo eo currentem Canem, celeritatem ſignificare conjicimus ex jaculo, quod eſt inferne ſitum: unde rem properanter confectam, victoriamve cito partam, ſi ſequamur Aruſpices, id indicabit. *C Poſthumi numus.*

B

## IMPURUS AMATOR. Cap. XXVI.

SUnt etiam qui ſatis impuros amatores exprimant per ſimulachrum Canis, non ea tantum de cauſa, quòd κύων, ut Euſtathius interpretatur, ἀπὸ τοῦ κύω, quod amare eſt, deducatur, ſed quòd Lepores avidiori quodam affectu conſectetur, quorum ſignificatum inter nequitias improbriores repoſuimus. Neque quidem Ovidius ſignate magis Apollinis affectum incomparabilem exprimere potuiſſet, quam luculentiſſima ea, quam ponit comparatione, his verſibus decantata, *Metamor. lib. 1.*

*Ut Canis in vacuo, Leporem cum Gallicus arvo*
*Morſibus eripitur, tangentiaq; ora relinquit.*
*Vidit, & hic prædam pedibus petit, illi ſalutem*
*Sic Deus & Virgo eſt, hic ſpe celer, illa timore:*
*Alter inhæſuro ſimilis jamjamq; tenere*
*Qui tamen inſequitur pennis adjutus Amoris*
*Sperat, & extenſo ſtringit veſtigia roſtro:*
*Ocyor eſt, requiemq; negat.*
*Alter in ambiguo eſt, an ſit comprenſus, & ipſis*

## LIENIS VITIA. Cap. XXVII.

C HOminem qui aliquo ſplenis vitio affectus ægrè habeat, quæque in univerſum ad lienem attinent, Ægyptii Sacerdotes per Canis hieroglyphicum ſignificabant. Gracilimum enim ac tenuiſſimum lienem Canis habet, quòd vel mors, vel rabies eum invaſerit, à ſplene eſt, quinetiam illi ipſi qui correptum rabie Canem medicare voluerint, morbum contrahunt, ac ſplenetica plurimum ea labe affecti pereunt: & qui Canem eo morbo laborantem diſſecuerit, ea afflatus exhalatione, contagionis vim efficaciſſimam experietur. Urina quoque rabioſi Canis quomodocumque calcata nocet, maxime ulcus aliquod habentibus. Quin hujus lotii, etiam non rabidi, tam pernicioſa vis eſt, ut ſi quis in id ſuum conjecerit, ad generationem pigrior torpore lumborum fieri dicatur. Proinde rabido Cani contagioſum adeò virus ineſt, ut omnia rabiant, quæ momorderit, excepto homine, Nam quæ illi accidit ex hujuſmodi contagione lues, mania eſt, ut eruditiſſimi hac ætate viri diſputant: nam & Feſto rabies proprie morbus caninus eſt. Quod verò ſcribit Ariſtot. Canes ipſos interire morbo hoc, & quæ morſa ſunt, πλὴν ἀνθρώπου, nonnulli clari quidem viri περὶ legunt, ut celerius, quam homo, intereant, exponant. Sedenim ut ea miſſa faciam, quæ hominibus à rabioſo Cane *Rabioſi Canis virus contagioſum.*

D morſis accidiſſe longo poſt tempore Albertus & Avicenna prodidere, legi apud Plutarch. rabiem in homine non fuiſſe cognitam diſcretamve ab aliis morbis Ariſtotelis tempeſtate, neque inde uſque ad Aſclepiadem cuipiam innotuiſſe. Ceterum hæc ipſi viderint clariſſimi viri, qui rem enucleandam ſuſcepere. Illud ego ſuper hoc addam, uniuſcujuſque Canis morſum tam pernicioſum eſſe, ut ferant, eum qui ſemel fuerit à Cane læſus, peſtilenti contagione Gallinarum incubitus, pecorum fœtus, & abortus interventu ſuo vitiare, ejuſque introitu alterius vulnera aggravari,

## OLFACTUS. Cap. XXVIII.

SEd ut ad Canis ſignificata redeamus, olfactum Ægyptii ſacerdotes per id animal inter alia ſignificabant: nempe eum qui, quod prius latuiſſet indagine ſua deprehendere, ex hujuſmodi hiero-

phico intelligebant. Satis enim constat olfactum esse Cani præcipuum, de cujus sagicitate (eam enim præcipue Canibus attribuit Cicero, à sagire, quod acutè sentire est, deductum asserit) plurima passim videntur exempla. Dominum enim qui vel diutissimè abfuerit agnoscunt olfactu solo, & ignotum quoque si repente veniat. Scrutantur venatu in vestigia atque persequuntur, contantem ad feram inquisitorem loro retrahentes, etiam si aquam ea transilierit, & abditissimo quovis loco sese occultaverit. Illud sane quotidianum in Canibus, præcipue Gallicis, ut quem prius numum alicui eorum ostenderis, abducique mox è conspectu Canem jusseris; ac sub aliquo tapete vel stragulo numum eum abdideris, introductus mox Canis ac numum inquirere jussus olfactu solo fretus rem tibi quamprimum deprehendat, latebrasque ubi numus erat absconditus, & latratu, & exultatione significet.

*Canis sagacitas. Eadē Plin. lib. 8. c. 40.*

## RISUS. Cap. XXIX.

Quia vero Canis circa lienem ea quæ supra memoravimus patitur, totaque animalis vita inde pendere videtur, factum est ut Ægyptii Sacerdotes quæ super risu considerarent, per Canem identidem explicarent. Rarissimum enim vel difficillimum esse risum iis qui splene laborant, Medici tradunt, & ea est Canis prærogativa ut is à venatoribus maxime expetatur, qui faciem magis, ut vulgo ajunt, melancholicam præ se ferat: signum enim id esse bonitatis ajunt, pernicioresque, & in cursu perseverantiores, qui tales sunt, esse prædicant, Apud Avicennam legas lienem ea ad se recipere & attrahere, quæ sanguinem benignum, clarum, copiosum & lucidum reddant, quem inde risus & hilaritatis causam authores esse putant: quippe quod ex ita affecto sanguine spirituum excitetur multitudo, claritasque animam exhilaret. Sed enim hoc utcumque habeat, conjectores etiam, ut apud Artemidorum legere est, ex plene in somnis viso & risum, & voluptates augurantur. Canibus verò cum lien & tenuis, & vitio maxime obnoxius sit, necesse itidem est eos hoc hilaritatis affectu aut nihil, aut parum moveri. Ab iis vero quæ vel absunt, aut supra modum adsunt animali cuipiam, Ægyptii significationes suas comminiscebatur. Accidere vero facile potest, ut alicujus hominis memoris natura hujusmodi sit indicanda, ut in M. Crasso, qui ob id Agelastos vocitatus, ut in C. Lælio, & in Socrate, quos eodem semper vultu eademque fronte fuisse, proditum est.

*Medicorum super risu opinio.*

## LEVITAS IN MORIBUS. Cap. XXX.

Verum habet suum & risus ipse significatum. Interpres enim Apollonii risum levitatis signum esse dicis, unde sapienter Isocrates, importunum risum minime amandum esse monuerit.

## CULTUS CANIS. Cap. XXXI.

Sane aliæ quoque nationes, quanti animal id facerent, multis exemplis testatum reliquêre. Et Cyrum prædicant, Cyrum illum, inquam, omni laude majorem à cane nutritrum suorum omnium asseveratione, sive studiose conficta fabula fuerit, quo venerabilior haberetur. Quippe apud Romanos etiam in magno fuêre cultu, licet à Capitolii proditione eos in crucem rapere sit cœptum. Annuo enim supplicio inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furcas arbores sambucea figebantur, quod eorum negligentia jactura ea facta videretur. Alioqui genito mane Catulo, res divina hostiarum vice fieri solita, adeo puros eos ad cibum existimabant, adeoque numinibus placandis idoneos, fuisseque olim celebriores epulas catulina appositas, nostrorum scriptorum testimonio satis exploratum, & apud Plautum etiam factam hujus rei mentionem invenias, Saturione.

*Cyrus à Cane nutritus.*

## QUIBUS DIIS CANES SACRI. Cap. XXXII.

Quibus vero Numinibus Canes donarentur, dicere non pigeat. Siquidem Romani eos Geneliæ, Græci Proserpinæ mactabant: vulgo vero Lupercalibus, quæ Romani in Panos Lycæi venerationem celebrabant, Canem immolabant; quoniam natura ipsa Lupis Canes adversarentur. Alii cœtum hoc in Romuli gratiam factitari tradunt, uti constans fama est eum à lupa nutritum. Sacra tamen hæc primum ab Evandro instituta nonnulli asserunt, Maroniano præcipue versu freti,

Evan-

A *Evander gelida monstrat sub rupe Lupercal,*
*Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.* Æn. lib. 8.

Cæterum apud Argivos Cyoniæ Deæ propter partus facilitatem sacri erant. Sed animadvertendum est plerisque locis Cyoniæ vocabulum corruptum esse scriptorum negligentia, qui Iyoniam fecêre: vel quod arbitrati sunt à solvendi partum facilitate vocabulum corformatum. Apud Lacedæmonios Marti Canis propter audaciam & invadendi promptitudinem offerebatur: eorum enim ephebi inter se certaturi, priusquam certamen inirent, Canis catulum illi Deo, utpote fortissimo, victimam ex cicuribus validissimam offerre se arbitrabantur. Ex aliis Græcis nemo, ut Paulanias ait, præter Colophonios, talibus sunt operati: hi enim Catellam nigram Triviæ sacrificabant. Et Caribus mos fuit Canem immolare, unde καρχὸν θῦμα. Erant & Canaria apud Romanos auspicia, quibus apud Catulariam portam rutilæ Canes, non procul scilicet à rubro colore, sacrificabantur, ut ait Attejus Capito, cum pro frugibus contra uredines atque sævitiam Caniculæ sideris faciebant. *Canaria quid.*

De sacrificio hujusmodi Ovid. Fastorum 4.

B *Pro Cane sidereo Canis hic imponitur aris,*
*Et quare fiat nil nisi nomen habet.*

Plerique tamen ideo factum dicunt, ut flavescentes fruges ad maturitatem perducerentur. Sidus enim Caniculæ frugibus est admodum inimicum. Non ignoramus autem Thracas cum alibi, tum Præcipuè in Zerintho Samothraciæ antro, nihil fere libentius immolare, & epulari solitos, quam Canem, memorabili Euripidis nece, qui propter mactatum ab eo Canem, (ut nonnulli ajunt,) ab Archelai Canibus interceptus, miserrime laceratus est. Quamvis alii dicant Aridei Macedonis, & Crateri Thessali invidorum opera, quod gratia plurimum polleret apud regem, Canes eas immissas fuisse, corrupto pecunia Lysimacho, earum curatore.

## IMPRUDENTIA. Cap. XXXIII.

NAm id quoque Canis est significatum, eaque de causa apud Homerum Helena se Canem accusat: quod abominanda tot malorum causa atq; author fuerit, ita Hectorem allocuta δᾶερ
C ἐμοῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυόεσσαν. Apud eundem Agamemnon quoque accusatus ab Achille κυνὸς ὄμματ' ἔχειν. Nam, ut apud Pollucem legimus, Canis oculum habere dicitur is, qui nimio plus impudens est, cui si etiam importunitatem adjeceris, Homeri ejusdem κυνόμυιαν feceris pro impudentissimo, Muscæ scilicet & canis ingenio copulato. Cynomyjam Euthymius sylvestris Muscæ genus agnoscit, quod inter cætera Muscarum genera est impudentissimum, de qua Psalm. 77. quamquam super hæc alibi. Hanc Catullus impudentiam expressit, ubi Acmen codicillos reddere pernegantem, Canem censet appellandam. Et Mathematici impudentem litigatorem ostensuri, duobus Zodiaci locis canino capite hominem statuunt; secundo quippe Arietis gradu, & Capricorni XVII. Sed nos hic de ea loquimur impudentia, qua quis fretus, projustitia vel pietate audeat u-



numquemque vel ex potentioribus hominem erroris admonere, vel impu-
D ritatis arguere, dummodo spes profectus affulgeat, nec importuna temeritatis in vitium prolabatur.

## PETULANTES JUNIORES. Cap. XXXIV.

NOn præteribo hic militarem ordinem eorum, qui Petulantes juniores appellabantur, sub magistro militum per Illyricum: ii enim, ut assumptum nomen hieroglyphica pictura testarentur Canem luteum in rubra parma præferebant, in cujus medio orbis erat coloris lutei Canis, superne pedibus, quoad fieri poterat, exporrectis. Sane quidem, ut veterum quorumdam est interpretatio, in Divinis literis Romani milites, qui Pilato præsidi adsistebant, Canes vocitan- *Pilati Canes,*

tur, uti Psalm. 22. *Circumdederunt me Canes multi*, quippe qui secundum legem immundi censerentur, atque admodum etiam impudentes essent, conspuendo sacrosanctam Domini faciem, caput ejus arundine percutiendo, coronam spineam affigendo, & omni opprobrii genere cœli Regem deludendo, uti ejus ministerii mortales penes omnes. Eoq; Theologi trahunt Domini dictum in Evangelio: *Non decere sumptum de filiorum manibus panem dare Canibus.* Quæ quidem notæ si à Canino genere elui possent, nihil ferè inter animalia rationis expertia Cane venerabilius haberetur, ut qui non civitates modo sibi honori positas habuerint: quod ab Alexandro Magno factum esse, amissa Cane Pertha nomine, Theopompus ait, verum etiam longe majora præconia monumentaq; secundum Ægyptios ritus omnino meruisse videantur.

*Matth. 7, 6.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER VI.

## DE IIS QUÆ PER CYNOCEPHALUM, SIMIAM, ET ID GENUS RELIQUA SIGNIFICANTUR.

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD CÆLIUM CALCAGNINUM.

*IUCUNDISSIMUM illud hospitium, quod mihi apud te per duas continuas hebdomadas Fermriæ fuit, effecit, ut ea omnia incommoda, quæ perpessus eram jacturasq; omnes, quas in tanta rerum conversione feceram, inciperem oblivisci. Nam cum tu me Romana clade perterrefactum, neque non Florentinæ urbis, atque adeò totius Italiæ turbationes & motus fugientem, otii tandem cupidum in patriam meme recipere festinantem, jungere iter jussisses, & apud te dies aliquot commorari, invitatis quotidie viris literatura præstantibus, magnam mœrori meo consolationem adhibuisti, suavissimisq; illorum sermonibus ægritudinis totius acerbitatem delinivisti: præcipuè verò eruditissimo Manardo illo tuo sapius vocato. Ea demum fuit utriusq; humanitas, ut numquam apud quempiam alias hilarius acceptum me meminerim: ita uterq; vestris me lucubrationibus certatim oblectare contendebatis: tu, dum remotissima quæq; profundissimæ eruditionis arcana, apud authores veteres delitescentia, è tenebris eruebas; ille dum Medicinæ Philosophiæ quæ loca plenq;, abstrusosq; sensus, & longa annorum serie ad hunc usq; diem ignorata, multis ægritudinibus remedia luci dare adnitebatur. Hinc factum, ut ego à vobis tali refectus cibo, cum primum ad Ægyptiaca mea Commentaria datus est reditus, vestræ memor liberalitatis, qui me nullo laborum vestrorum fructu fraudare voluistis, statim cogitarim amicitiam tam honesta de causa olim vobiscum initam, aliquo testimonio comprobare. Atque ita Cynocephali Ægyptiaci Commentarium (id enim ob varietatem ipsam præcipuè placuit) nomini tuo nuncupavi. Argumentum quidem, nisi me studiorum meorum ratio fallit, fortè non indignum, quod tu tantæ vir eruditionis evolvas, quo in legendo, tametsi nihil tibi lectionum omnium helluoni novum occurrerit, saltem, ut meæ erga te benevolentiæ signum sit atque monumentum, opto.*

### CAP. I.

NAm Cynocephali, quem Latinè *Canicipitem* interpretabimur, hieroglyphica, tum multa sunt, tum eo nullum apud Ægyptios sanctius animal, neque sacratius fuit. Eadem pene forma est, qua

A qua caudata Simia, & propter eam similitudinem ipse quoq; *Cercopithecus* appellatur. Sed enim no- *Cynocepha li descri- ptio.*
ster is corporatura major, validior, efferatiorq; est faciei caninæ similior, unde & nomen apud Græcos accepit: quamvis multa in hoc genere sunt quæ humanã potius faciem, quam caninam referunt, facileq; apud nos mira mansuescunt cicuratione. Cynocephalorum, de quibus hic agimus, lacte & Numidæ & Menismi vivunt, armentis ex eo genere comparatis, maribus præter sobolis causam interemptis: quod ideo dictum volui, ne quis Cynocephalũ hunc, de quo dicturi sumus, accipiat, ut multi perperam, pro genere illo hominum, quod & Megasthenes, & pleriq; alii prodidere, capitibus esse caninis, pro voce latratum edere, ferarum pellibus velari, anguibus venatu & aucupio vesci. Nam, ut optime nostri, agrestes homines hujusmodi Pausanias ab Euphemo quodam ex Caria oriundo, visos tradit in insulis Oceani, quo tempestate delatus fuerit, quum in Italiam navigaret.

## LUNA. Cap. II.

B Cumprimis autem Cynocephalus Lunæ erat hieroglyphicum: propterea quod animal id pari quodam afficitur consensu cum Lunæ coitu. Nam ipsa eadem hora qua Luna, nullo illuminata candore Soli conjuncta transit, nobisq; videtur penitus evanuisse: Cynocephalus mas ipse quoque visu deficere comperitur, neque interim cibum capit, sed humi procumbens ægre habet, quasi Lunæ raptum ingemiscat. Fœmina vero præter id quod ea quoque luminibus capitur, & cum mari pari afficitur ægritudine, sanguinem insuper egerit è natura. Quapropter alebantur in templis Cynocephali, ob id potissimum, ut Solis & Lunæ coitus exploratissime deprehenderetur. Hinc Cornelius tradit Simias tristes Luna cava: nam affectus idem omnino in id genus omne diffunditur, quamquam in Cynocephalis & major & exploratior est.



*Visus defectus in Cynocephalo.*

C

## Lunæ ortus. Cap. III.

APud eosdem Ægyptios sacerdotes Cynocephalus stans Lunæ ortum significabat, atque ad eam speciem addebant, ut manus in cœlum sublatas haberet, & diadema Regium capite gestaret; propterea quod, ut dicebamus, Cynocephalus valde solicitus est super ortu Lunæ, qua cava angore afficiatur, prorsusq; cæcutiat. Simul ac ea cæperit illucescere, & ipse visus particeps fieri, quasi Deo agat eo gestu gratias & sacerdotii ornatu quodam instructus indeptam utrique lucem gratuletur, eo quo diximus hieroglyphico figuratur. Ideo vero stantem pingi voluere, quod stare conveniat adoranti, quem morem fuisse etiam apud Romanos indicat Val. Martialis in Epigram.

ADORATIO.



*Cynocephalus erectus, adorationis hieroglyphicum.*

D *Multis dum precibus Jovem salutat,*
*Stans summos resupinus usq; in ungues* *Aethon.*

Porro adorandæ novæ Lunæ morem, & manus in prece sustollendi, Horatius attigit Ode illa:

*Cœlo supinas si tuleris manus,* *Si thure placarit, & horna* *Carm. lib. 3. Od. 23.*
*Nascente Luna rustica Phidile,* *Fruge Lares, avidaque porca.*

Quinetiam Virgil statum & sublatas in cœlum manus esse adorationis indicium ostendit: ubi Anchisen inducit observato augurali portento illo, quo flamma caput Ascanii corripuerat, mollesque comas tactu innoxia lambere visa fuerat: is namque,

—— *Oculos ad sidera lætus*
*Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit.* *Æneid. lib 3*

Et cum mox in atteſtationem intonuiſſet,&delapſa cœlo ſtella per umbras facem ducens multa cum luce curriſſet,ſignaretque vias,tum longo limite ſulcus lucem daret, & late circum loca.

*Ibidem.* *Sulphure fumarent, genitor ſe tollit in auras,*
*Affaturque Deos, & ſanctum ſidus adorat.*

Status porro Philoni inconvertibilis mentis indicium eſt,ac ſeſeDeo applicantis,qui nulla præditus vacillitate ſtabilis firmusque permanens, ut cuncta moveantur author eſt. Videre eſt in argenteo quodam numo,quem bene literatus adoleſcensProſperPublicolaSancrucius mihiRomæ videndum dedit, hujus argumenti ſimulacrum cum inſcriptione, VOT. PUB. quæ ſuſcepta ſunt in gratiam IMP. CÆS. TRAJANI HADRIANI AUG. Proditum autem eſt,ſtantes Jovi ſacrificaſſe, votaque & preces allegaſſe, ſed cum Opi rem ſacram faciebant,illique ſupplicabant,votave concipiebant, ſedentes id facere ſolitos: eo ſcilicet ſigno eam eſſe terram matrem indicantes. Sed enim Pythagoras proprio dogmate adoraturos ſedere jubet,quamvis Plutarch.uſurpatum à Numa dici, hinc ut colligamus,vota rata firmaque eſſe debere. Quod vero ad ſtatum pertinet, magiſter noſter Paulus Apoſtolus toties ſtandum admonet,dum dicit: *State ergo, nec velitis iterum ſummittere vos jugo ſervitutis, & illi ſemper inhærere.* Atq; alibi: *State converſi ad Dominũ.* Et alibi: *Quoniam tunc vivimus, ſi ſtatis ad Dominum converſi.* Et in Gedeonis militia exauthorantur illi, qui ad aquam ducti flexere genua & in terram procidere: qui vero ſtantes accepta in manum aqua eam lambere obſervati ſunt,ad pugnam delecti rem fortiter geſſerunt.Quinetiam in Nicæno Concilio ſtatutum legas,ut die Dominica,& diebus Pentecoſtes,ſtantes ad orationem Domino vota reddamus: alia vero ratione ab ipſo Reſurrectionis Dominicæ die usque ad certos dies,de quibus dicere noſtri non eſt inſtituti: nam toto anno plures eſſent colligendi, idque importunum videretur. De ſuſtollendis vero manibus loco ſuo,in Manuum Commentario,plura.

*Adoranti cur ſtare conveniat.*

*Galat.5.1. Phil 4.1. 2.Theſſ.3.8.*

## ÆQUINOCTIA. CAP. IV.

ÆQuinoctium utrumque Ægyptii ſacerdotes ἱερογλυφικῶς ſcribere ſi vellent, Cynocephalum ſedentem effingebant, cauſam eam ſecuti, quod animal id utriusque æquinoctii tempore duodecies,per horas quippe diei ſingulas,ac duabus itidem noctibus ejusmodi,potus excrementa profundit: unde abſurde factum, ut ſedentem Cynocephalum in fontium apicibus ſtatuant, quaſi jugum & perennem aquam ex eo ſibi conciliari arbitrentur. Ad hæc, in ipſis temporum carnibusCynocephalus duodecies,horis quippe ſingulis quanto poteſt argutiore ululatu vorciferatur.Etenim horarum obſervandarum ratio Clepſydris prius excogitata eſt,quarum præcipuus uſus in urbe Achanta trans Nilum fuit: ubi inter alia vas admodũ ingens erat, in quod ſingulis diebus ſacerdotes ſinguli numero trecenti & ſexaginta, ad anni ſcilicet rationem, qui apud eos habebatur, ſubductis intercalaribus quinq;,de quibus inVulture ſatis dictum eſt,aquam ex Nilo deferebant, quæ ſuo emiſſa cavo per ejus generis horologiũ horas indicaret: inventum eſt poſtea tum vocis, tum ſonori tympani ſignificatione,moreCynocephali,eas diſcernere.Mos autem,uti dictum eſt nuper,erat apud Ægyptios,ut in horologiis aqueisCynocephalũ adſculperent,ex pene cujus fuſtum aqua deſtillaret,ea adhibita diligentia,ut quantum ſatis eſſet immitteretur,neve cavum nimis arctum, neq; nimis patens eſſet,hoc nimis celerem effuſionem,illo ſtragulationem ſæpius efficiente. Ex iis vero, quæ ſupra poſita ſunt,datur intelligi,quodnam ſit animantium id genus,quod nullo expreſſo nomine VictorinusRhetor memorat eo loco, ubi M.Tullius in Rhetoricis temporis finitionem quærit. Ait enim is,Trismegiſtum, quum in Ægypto eſſet, ſacrum quoddam animal Serapidi dicatum duodecies toto die urinam facere obſervaſſe, idque pari ſemper interpoſito tempore: unde ipſe diem per duodecim horas dimenſum eſſe conjecerit, exindeque hunc horarum numerum conſtitum: quamquam ſunt qui velint ex cœli dimenſione,quæ ſecundum muſicam rationem in duodecim partes diviſa fertur, horas itidem duodecim adinventas. Aſtronomi enim diem & noctem, quotquot alteruter horarum noſtrarum fuerit,in horas ipſi ſuas XII. ſingulos partiuntur. Aquam porro majores noſtri, quantum per totum diem ſufficeret, exceperunt tenuiſſimo cavo diffluentem,eaque in duodecim partes diviſa,ex partibus horarum numerum ſtatuerunt.

*Uſus Clepſydrarum ubi primum.*

QUIES

A

## QUIES. Cap. V.

QUantum vero pertinet ad ſeſſum, ſeſſus, ut Jamblichus ad Prophyrium ſcribit, quietis indicium eſſe videtur, de quo plura inter arbores diſſeruimus, ubi Deum in loco ſedentem ab antiquis, idque ex Naſamonum inſtituto, pingi ſolitum, & qua cauſa declaravimus. In æquinoctiis vero illa utriusque temporis æque dimenſi paritas, quietis cujusdam indicium haberi poteſt, cum nihil ſubſultet, quod alterutram partem inquietet; utraque vero firma ſtabilisque in æquilibrio conquieſcat.

## LITERÆ. Cap. VI.

LIteras quoque per Cynocephali ſimulacrum intelige-



*Plin. lib. 8. c. 54.*

bant Ægyptii: quia quoddam eorum genus eas callere exiſtimabant, ſeque illis ob literarum cognitionem cognatos eſſe. Simulac enim Cynocephalus in templum in-

B ductus erat, eorum ritu educandus colendusque, ſacerdos illi albiolum, calamum & ſepiam apponebat, exploraturus an ex genere eſſet quod in cultum recipi deberet: quippe ſi quid ſcribendo cognationem ſuam approbaſſet, ea de cauſa Mercurio ſacer erat, qui literarum omnium author habebatur. Ex quo jam credere poſſumus, Simiam olim latrunculis ludere didiciſſe, & Elephantum literarum Græcarum doctum in pulvere ſcriptitaſſe, Muremque, quod pro comperto Albertus ponit, in conviviis candela diſcumbentibus prætenta, daduchi miniſterium præſtitiſſe. Mira hæc fortaſſe videantur iis, qui ſententiam Anaxagoræ probant, animalia omnia ab homine rationem habere duntaxat activam, paſſivam autem, ut ita dicam, & tanquam mentem quamque mentis interpretem dicunt, numquam ha-

C bere. Sed enim & Pythagoras & Plato aſſerere videntur rationis participes animas eſſe, ut eorum animantium, quæ vulgo rationis expertia vocentur, tametſi ratione non utantur, tum propter incongruam ineptamque corporum compaginem, tum vero quod diſſerendi facultate careant, ut in Simiis, & id genus aliis humani cujuscunque fere operis imitatricibus eſt cernere. Quinimo Diogenes his etiam intelligentiæ aerisque participatum impertit, quæ ut magis minusve ſint humanæ figuræ ſimilia, ita magis minusve intelligant. Econverſo autem, ut apud Ariſtotelem & Phyſiognomos alios habetur, ita mores in humana perpendimus natura, prout effigies, ipſaque corporis ſpecies ad brutorum aliquod refertur: utpote Aſinina labia craſſa quippe prominentiaque, tarditatem & ſtuporem ingenii, Caninas maxillas iracundiam ſimul & fidelitatem, hiſpidam anguſtamque frontem, quippe Suillam, impuritatem morum, indocilitatemque hominis indicare: atque ita fere ſingulis in articulis, ingenium noſtrum ad brutorum ſimilitudinem explorari. Pari igitur ratione Cynocephali, Simiarumque genus omne, quorum bona pars mira quadam ſimilitudine faciem humanam, pedes autem & manus omnino referunt humano itidem ſenſui & ope-

D rationi, artibusque propinquiora ſunt, & propemodum intelligere nobiſcum pariter judicantur. Non præteribo hic, quod ad hanc pertinet ſimilitudinem, quod Galenus in aggreſſionibus Anatomicis ait, ſe multas Simias & Cynocephalos diſſecaſſe, ſi humani corporis copia non affuiſſet, miramque in iis ſimilitudinem cum humano corpore deprehendiſſe: quare Ennius recte admodum ſcribit:

*Mus in convivio.*

*Per brutorum aliqua, hominum mores ſignificantur.*

*Simia quam ſimilis bruti ſſima beſtia nobis.*

Sed eſto ſimilitudo hæc ingenii cauſa: Quid hi ſuper Elephante dicturi ſunt, quo quid brutum magis, & ab humana figura diverſius? Ei tamen beluæ eſſe quandam cum genere humano ſocietatem, M. Tullius in Epiſtolis, ex confirmata hominum opinione, non negat.

*Epiſtola ad Marium.*

UNDE

## UNDE BRUTORUM CULTUS APUD ÆGYPTIOS. Cap. VII.

ALi vero colique animalia, quæ rationis expertia dictamus, sunt qui ab Iside tradant institutum, quæ honorem hunc conjugi, eidemque fratri Osiridi præstandum induxerit, magna agrorum parte sacrificulis adjudicata: moremque fuisse initio, ut quæ quisque vellet animalia in hunc usum aleret, quibus vita functis, tamquam Osiris occubuisset, luctum instaurabant. Cæterum postea delectum habitum, & Cynocephalo in primis honorem attributum propter excellentem quandam, ut rerum periti asserunt animalis istius naturam humano propemodum generi proximam: ut vero profani putant, quippe qui rerum historias ex vulgo mutantur, factum ajunt, propterea quod Osiris hujusmodi Satyrorum genere sit plurimum delectatus, ut nostro etiam tempore vanissimi plerique faciunt. At Romanis etiam id nequitiæ genus in usu fuit. Quare nebulonem Vedium luxuriæ carpit Cicero, quod sibi obviam factus cum duobus essedis & rheda equis juncta & lectica, quodq; in essedo haberet Cynocephalum, neq; deessent etiam Onagri: quare nunquam hominem nequiorem autumat se vidisse. Quin vero & Satyros appellatos constat. Magna horum vis in subsolanis Indorum montibus, quæ Cartadulorum dicitur regio, humana propemodum effigie, tamq; quadrupedes quam recte currentes, tantæ pernicitatis incursu, ut propter velocitatem non nisi senes aut ægri capiantur. Atque hinc ridiculum illud Alexandri Magni militibus obvenit, qui loco quodam per Indiam facientes iter, Cercopithecos adeo multos insignique magnitudine conspicati, qui ad exercitus similitudinem, quem inferne sub signis progredi observabant, ordines & ipsi servare videbantur, in eos velut in hostes montium juga insidentes impetum fecerent, suique erroris admoniti à locorum peritis, non sine rubore arma inhibuerunt.

*Vedius à Cicerone cur reprehensus.*

*Meminit Q. Curtius.*

## SACERDOS. Cap. VIII.



SEd ut ad hieroglyphica redeamus, sacerdotem etiam hieroglyphice per Cynocephalum Ægyptii significabant, propterea quod ajunt animal id neque piscе, neque pane ex piscibus confecto vesci, quali Oritæ plurimum utuntur. Indorum ea gens, qui nullum alium cibum novere, quos unguibus dissectos sole torrent, atque inde panem ex his faciunt, ut Clytarchus memoriæ prodidit. Veluti tres apud Babylonios familiæ olim fuere, quæ nullo alio cibo victitabant, quam piscibus arefactis & pistillo tusis, ac demum in offas coactis, veluti pane: cujusmodi religio in Christianæ quoque pietatis collegia quædam emanavit, quæ perpetuam carnium abstinentiam sibi constituerunt, quod tamen apud eos honestiori de causa & longe majoribus argumentis institutum. Externi tamen sacerdotes & piscе, & hujusmodi etiam pane vescebantur, quo Ægyptii tantum abstinebant, piscemque hi demum omnem, ut Commentario suo dictum, religiose admodum abhorrebant, eaque potissimum de causa, tanto Cynocephalum cultu prosequebantur, in quo suæ religionis timorem observarent.

*Carnium abstinentia*

## CIRCUMCISIO. Cap. IX.

CUmque circumcisionis ritum Ægyptii suscepissent, animadvertissentque Canicipites hos circumcisos nasci, rati, non temere sed divinitus ei animantium generi id obtigisse, majori eos habuere venerationi, unam eandemque cognationem cum illis omnino profitentes. Circumcidere vero antiquissimum fuisse Ægyptiorum institutum, ab eisque ritum sumpsisse Judæos, Diodorus fabulatur, quem secuti scriptores quidam alii, proprium hoc, & vetus Ægyptiorum arbitrati sunt, quem morem Colchi, ut pote Ægyptiorum coloni, neque non Hebræi apud eos educati, postea tenuerint. Sed eorum hæc est fabula, qui Divinarum literarum historiam tam longa annorum serie apud populos nationesque omnes receptam, obscure conati sunt, cui tamen & Strabo & Cornelius

*Circumcisionis Ægyptorum antiquus mos.*

A lius Tacitus subscribunt, qui circumcidere genitalia Judæorum institutum asseverant. Sed enim qui veterum monumenta studiosus perscrutantur, Abrahamum norunt signum populo suo dedisse circumcisionem, qua sui ab Ægyptiis distinguerentur. Non igitur, diceret Irenæus, ad similitudinem Cynocephali circumcidebant Ægyptii, sed ab Hebræis ritum hunc Ægyptiorum natio magna ex parte suscepit, quæ virum illum per annos multos in Ægypto degentem, & de divinis assidue differentem admirata est, pluribus & veteribus & novis scriptoribus id asserentibus. Sed fac nihil horum inveniri, validius id mihi argumentum est, quod ex historia desumitur, mutilandorum genitalium legem antiquis temporibus popularem apud Ægyptios non fuisse, cujus rei Pharaonis filiam testem appello locupletissimam, quæ cum in ripa profluentis fluvii Mosem comperisset, evestigio circumcisum agnovit, & fœtum gentis Hebraicæ nuncupavit. Quod si circumcidendi mos Ægyptiorum itidem fuisset, quinam ex hoc signo in cognitionem eam devenire potuerit? Ex quo illud etiam suspicari licet, non omnium Ægyptiorum institutum fuisse mutilationem hujusmodi, sed sacerdotum tantum, ut à prophanis secernerentur, quod apud Hebræos semper populariter observatum est. Notum
B illud est, Judæos olim contra Hadrianum movisse bellum, qui, ne mutilarentur genitalia, vetare voluerit.

## CORDIS APERTA SIMPLICITAS. Cap. X.

DE mysterii autem ratione, varia traduntur ab authoribus pene omnibus, sed præcipue quidem nihil præter obscœnorum munditiam ea re quæsitum existimant. Alii figuram eam fuisse ajunt, sed quam ne ipsi quidem Hebræi satis intellexerint. Non desunt, qui id insigne ob eam causam genti inditum putent, quo numerosa illa progenies cœlitus Abrahamo promissa, à cæteris esset gentibus discreta. Antiqui omnes Theologi, ex hoc circumcidendi cordis figuram & typum asserunt, quod ea pars, quæ circumciditur, similitudinem quandam habeat cordis: jussisse vero Deum ut ea nudaretur, quo ostenderet, aperto & simplici corde oportere nos vivere, utpote, quæ in ea corporis parte, quæ omnium fere gentium ritu pudoreque velari solet, instituta sit: quia secretioris illius circumcisionis, quæ in corde fieri debet, indicium fuit. *Circumcisi enim sumus*, inquit Apostolus, *circumcisione non ma-*
C *nufacta*. Nam & Prophetæ idemtidem clamant: *Circumcidite duritiem cordis vestri*. Declamant super hoc Lactantius, Eucherius, Irenæus, Græci Latinique omnes. *Nam illa*, inquiunt, *carnis mutilatio in Judæis, nisi significaret cordis circumcisionem, careret utiq; ratione: quia si Deus id vellet tantum, à principio sic hominem formasset, ut præputium non haberet*. Quæ vero super hac re multa admodum magister noster Paulus senserit, cum sint quotidie in piorum manibus, & publice recitentur, supervacaneum ea repetere judicavi: idq; sat fuerit monuisse, Originem Adamantium super hoc legendum epist. ad Romanos cap. 2. lib. 2. & alibi passim, ita tamen ne Chrysost. Basilium, & ex nostris neminem prætereamus.

*Circumcisionis mystica significatio.*

## IRACUNDIA. Cap. XI.

ADhæc Ægyptii sacerdotes iracundiam per Cynocephalum indicabant. Est enim Cynocephalus ante omnia animalia iracundus, indignabundusque, de quo id dici potest, quo de Pane Theocritus,

Καὶ οἱ ἀεὶ δεμνῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ καθῆται. quasi dicamus,
D *Semper acerba illi pro naribus assidet ira.*

Nam omnino & Panes, & Satyros, & Sphingas, & Simias, & Cynocephalos idem propemodum genus, diversis tamen inter se distinctum speciebus, authores ponunt. Nascuntur vero Sphiges apud Troglodytas Æthiopes, forma haud ei dissimili qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis, monstro similes, sunt etiam paulo pinguiores: naturam habent in cicurationem admodum proclivem, pluribus exercitiis disciplinisque aptam. Albertus quoque inter Simiarum genera Sphingem agnoscit, insignem duabus in maxilla maculis nigricantibus, cauda coloris itidem subnigri & oblonga. Harum ego unam Veronæ cum essem, vidi, mammis illis & glabris & candidis, à pecto-
re propendentibus: circumducebat eam circulator quidam Gallus, ex ignotis antea insulis recens advectam. Ostentabat idem cuniculos nostris quadruplo majores, mira quippe corporis obesitate

*Spinx.*

*Cuniculi ex ignotis insulis.*

distentos,& quod, nisi quis viderit, credere vix queat, præditos quaternis singulos genitalibus, humanorum digitorum instar & similitudine cohærentibus. Ipsa vero Sphinx toto erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus, dorso hispido supra modum, fusco & oblongo admodum pilo, eoque densissimo. Rector lævum brachium, quo catenam, cui erat alligata, regebat, ferrea manica obarmatum habebat, dextra baculum gerebat, quem in faciem animalis idemtidē prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat, multamque hinc à spectatoribus stipem aucupabatur.

## ARCANA TEGENDA. Cap. XII.

POrro Sphinges in Ægyptiorum templis hieroglyphice admonent, mystica dogmata, præceptaque & institutiones sacras, per ænigmatum nodos à profana procul multitudine inviolata custodiri debere, & in arcanis tantum tractari: cujus ergo taciturnitatis effigie, hujus tabellas & literas signare diu delectatus est Octavianus Augustus, quam postea repudiavit usus inde, felicis ominis causa, Alexandri imagine.

*Suet. in ejus vita c. 50.*

## INGENII ACUMEN. Cap. XIII.

EA vero hastæ Palladiæ cuspidi subjecta, ut in ea Minervæ statua, quam Athenis olim fuisse erectam ait Plinius ostendit nihil tam abditum & reconditum esse, quod ingenii acumine exeri & palam proferri non possit: ita quidem Sphinges. At qui Cynocephali vocantur, corpore sunt deformi, ferum omnino, uti diximus initio, atque indomitum animal, quod nulla ratione modoq; sævit, supercilio aspectuque sunt horrido & truci, ut genuinam, qua de supra dicebamus, bilem ex facie possis agnoscere,

## DIVINA IN OCCULTO. Cap. XIV.

*Sileni quid*

ADdentur & Sileni Cynocephalo: sunt enim & hi, ut Pausanias attestatur, ex Satyrorum grege, quos cum ætatis jam provectioris esse cœperint, Silenos appellare consueverunt, quorum hieroglyphicum erat, divinitatem in re quapiam delitescere. Erant enim Sileni, ut ex Platonici Alcibiadis dicto colligimus, imagunculæ quædam sectiles, ita concinnatæ, ut deduci & explicari possent, quæ ubi clausæ erant, nihil aliud quam ridiculam & monstrosam quandam tibicinis speciem ostentabant: ubi vero aperiebantur, venerabile numen aliquod exerebant. Hinc Alcibiades Symposio, Socratem Silenis similem esse dicit, quod is longe alius esset, interius intuenti, quam summo habitu videretur. Unde etiam Σιλωὶ ἀλκιβιάδου dici solet, de re quæ prima fronte vilis ridicula videatur, interius tamen ac propius contemplanti sit admirabilis.



## URINATOR. Cap. XV.

SEdenim, ne reliqua Cynocephali significata prætereamus, per simulacrum ejus urinatorem etiam intelligebant, quandoquidem animalia reliqua inter natandum abhorrescere, rugisque strigosa fieri perhibentur: unus Cynocephalus, ut apud Horum est, in quemcunq; locum tranare perrexerit, nullo vel squaloris vel horroris indicio fertur enatare, cujus quidem nationis facilitas una cum literarū peritia, quæ potissimum in Cynocephalo discernuntur, eam animali conciliant laudem, quæ doctis & experientibꝰ viris tribuebatur, ut scilicet & literas & natare didicissent: contra vero ignavos & nullo negotio idoneos, nulliusq; disciplinæ aut exercitii participes, Athenienses dicere solebant, μήτε νεῖν μήτε γράμματα, neque quidem natare, neq; literas, cujus proverbii mentionem facit in legibus Plato, atq; etiam Aristides in Apologia quadam. Quod vero hæc liberalia essent studia, apud Tranquillum legimus, Octavianum Augustum nepotes suos & literas & natare, aliaq; rudimenta

A ta per se plerumque docuisse. Jam & de Caligula ad ejus ignominiam dictum, quod admodum docilis ad cætera, natare nescierit. Porro urinator non est simpliciter positum, sed eum significat qui profunda quæque perveſtiget, unde locos apud scriptores perdifficiles, Delio natatore dicimus: egregie enim Delii natandi peritia celebrantur.

## ORBIS TERRARUM. Cap. XVI.

PEr idem animal orbem terrarum ἱερογλυφικῶς Ægyptii significabant. Nam cum duas & sexaginta primarias terræ habitabilis regiones ponerent, quas & Hali Amberagel in tractatu ultimo Astrologiæ memorat, observarunt magna in id genus animalium cura adhibita, partes totidem in Cynocephalo moriente, quæ quotidie singulæ perirent, mox & secundo & sexagesimo die quod reliquum esset corporis interiret. Erat vero apud eos sacerdotes summa religio, ut quicunque singulis diebus intermortuus esset, articulus præsecaretur, riteq; unguentis more suo obunctus sepeliretur. Quod vero mos fuerit Ægyptiorum unguento plurimo cadavera inungendi, duravit etiam apud Christianos diutissime mos hic, quod ex Tertulliano conjectari possumus, ita dicente: *Si Arabiæ quæ-*
B *runtur, sciant Sabæi pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis prostigari, quam Diis fumigandis.* Sed ut ad orbis partitionem revertamur: Deus excelsus, diceret Clemens, penes quem rerum omnium potestas est, in septuaginta & duas partes divisit totius terræ nationes, eisque principes Angelos præfecit, mox Christus Apostolos totidem, antequam pateretur, per omnem terrarum orbem dimisit, qui Evangelium prædicarent. Astrologi, suam quandam secuti commoditatem, sexagenis tantum partibus orbem divisere, de quibus ita Proclus in Sphæra: *Sed nec intervalla circulorum in toto orbe à se invicem stata sunt: verum pro sphærarum descriptione ad hunc modum dispensari solent. Divisio in LX. partes meridiano quovis circulo, Septentrionalis circulus à polo sexagesimarum partium quinq; intervallo notatur, Æquator ab utroq; tropico sexagesimis quaternis distat.* Reliqua ex Jacobo Zieglero hujus doctrinæ peritissimo cognoscere poteris, cujus tu eruditionem admiratus, cum principem is neminem virum in Italia, atque adeo in ipsa urbe Roma reperisset, à quo susciperetur, tu ipse mi Cœli; hominem & probum, & literatum, uti Anacharsin Solon, complexus in contubernium tuum admisisti, & ut doctrinam suam posteritati communicare posset, per ea, quæ illi præstas commoda, effecisti.

*Mundi divisio.*

*Ægyptiorũ mos, ungendi cadavera.*

C

## DE SIMIA. Cap. XVII.

JAm vero quædam super Simia conquiramus, quæ super id traditur, quod iidem sacerdotes, ubi hæreditatem in invisos collatam significare voluissent, hieroglyphicum Simiæ quæ parvulam pone Simiolam duceret, facere consueverunt: cujus argumenti causam eam apud Horum legas, quod duas ipsa simiolas uno partu perfert. Sed enim earum alteram magis diligit, alteram ita negligit, ut eam etiam odio prosequi videatur. Quam vero curandam suscipit, morose adeo complectitur, & ante se comprehensam gestat, ostentat omnibus, tractarique gaudet, gratulationem intelligens, ut ma-
D gna ex parte fœtum ipsa suum, cui tanto affectu favere videbatur, attrectando enocet: mox alterum quem negligere cœperat, educare cogatur, in eum omni mox conversa cura.

HÆRES INVISUS.



## HOMO NIHILI AC NEQUAM. Cap. XVIII.

VUlgatissimum vero illud est, & omnium scriptorum ætatumque testimonio receptum, Simiam pro despicatissimo & maxime nequam homine haberi, ut pro Ctesiphonte Demosthenes, Æschinem tragicam esse Simiam dicit, quod personatus quodammodo verborum gravitate videretur, cum alioqui pessimus atque nequissimus civis esset. Et Dion historicus de obtrectatoribus, *Quos ego*, ait, *non pluris facio, quam ut dici solet, Simias.* Apud Cicer. in Epistolis, Simiam invenias

*Idem Philostratus in Aristide.*

pro nihili homine positum. Quodq; historiis Græcis memoriæ mandatum est, Simiæ, quam Rex Molossorum in deliciis habebat, improbitas minime prætereunda. Illa enim, cum Spartiatæ oraculum ab Jove Dodonæo petivissent de victoria scisscitantes, legatiq; vas illud in quo inerant sortes collocavissent, urnam evertit, sortesq; dissipavit. Negant vero Historici, ut Cicero de Divinatione refert Lacedæmoniis ullum unquam ostentum hoc tristius accidisse: nam quæ proposita erat oraculo sacerdos, dixisse fertur: *De salute Lacedemoniis esse, non de victoria cogitandum.* Neque vero Plautus inepte Simiam bestiam, nunc nihili vocat, nunc nequissimam, in Milite, ac Pseudolo & in Rudente, pro lenone in somniorum conjectatione ponit, quando lenonibus nihil est scelestius neque perditius, ingrato dubio procul & invisо mortalibus genere, *quodq; est*, ut ipse dicit, *Deorum odium atq; hominum*:

## VITIORUM DISSIMULATOR. Cap. XIX.

ADhæc, hominem sua dissimulantem vitia, turpitudinemque domesticam occultantem, notare si vellent Ægyptii, Simiam micturientem faciebant: ipsa enim est ea verecundia prædita, ut quotiescunque lotium fecerit, excrementum illud (quod etiam in fæce reliqua feles faciunt) effossa obruat terra, aut alia quapiam re superingesta omnino occultet. Sed quoniam impressi codices in damno sunt, quantum ad Simiæ nomen, quæ sit castior lectio, in Fele, hoc est, in Æluro disputatur.

## IMPUDENTIA. Cap. XX.

MIhi quidem longe significantius per Simiam impudentia videtur ostendi posse, quam hujusmodi verecundia. Ea siquidem partibus iis, quas verecundia occultari jubet, assidua sessione depilatis, natibusq; ita tupiter denudatis, improbum exhibet spectaculum, & ejus generis mares, præcipueque Cercopitheci, natura procaciter excitata, frequenti quantumlibet spectatorum theatro, satis cum impudentia pudendi tractatione lasciviunt, eorum instar fatuorum quos nunc Ægyptii, ut omnibus ad Nilum locis palam est, Maurique & Turcæ omnes simul ac talia perpetrare conspexerint, magnopere venerantur, summaq; innocentia & simplicitate præditos arbitrantur remq; putant admodū piam se facere, si cumulatim in



hos stipem contulerint. Sed utcumq; illa, Pithecusæ insulæ, quod ad hanc facit morum pravitatem, notæ sunt in Tyrrheno mari, quibus nomen inditum à Simiis, in quas Candulus & Antlantus, ut apud Harpocrationem ex Æschylii Sardiani jambis legitur, fratres, omnium ea ætate profligatissimi impostores à Jove transformati sunt, cum adversus eum quoque fallaciarum machinas admonuissent. De quibus ita Ovid. in Fabulis:

*Metamor. lib. 14.*

*Inarimem, Prochytamque legit, viridique locatas*
*Colle Pithecusas habitantum nomine dictas:*
*Quippe Deûm genitor fraudem & perjuria quondam*
*Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ,*
*In deforme viros animal mutavit, ut iidem*
*Dissimiles homini possent similesque videri.*

*Therſitis insolentia notatur.*

Sane quidem petulantiam quis hoc scriptionis genere significaturus, nullo commodius animali utetur, quam simia: cujus improbitate considerata, Plato in Civitate sua Therſitem ait, illum omnium qui ad Ilium venere turpissimum, tantæque impudentiæ monstrum, ut Achillem Agamemnoni exprobrare nihil veritus fuerit, seq; heroibus ingerere temerarius asseverit, in Simiam commutatum esse imitariq; adhuc hominum facta, non re, sed specie ipsa mutata: quod etiam Q. Calaber Paralipomenis tangit. Nam si cum inter homines ageret, tam perditæ fuit insolentiæ, ut ne Regibus quidem Imperatoribusq; ipsis quicquam parceret minime mirum, si, postquam in bruta transivit, eundem animi tenorem servat, importunitatemq; omnem adversus Leonem ipsum, ferarum omnium

regem

A regem, excercet. Sane Lycophron Terſitem ipſum πηλεΐμοροφον appellat, & vulgo genus hominum hujuſmodi ſimiis ſolemus æquiparare. Ac in eam improbitatem ita nos aliquando luſimus ſermone ad Leonem X. P. M.

*Denique ſic petulans generoſo infenſa Leoni*
*Simiæ, quæ natibus, caudæq; & clunibus hujus,*
*Tantùm animi eſt paruis, affixa procacibus auſis,*
*Hoc tam magnum animal vexatque agitatque, nec ullam*
*Eſſe moram patitur, Muſca importunior: aptæ*
*Illa feros vitare ungues & dentis acumen,*
*Lubrica dum fidit ſaltu, levibuſq; lacertis,*
*Deq; ſuo quærit ſibi tot ludibria Rege.*

## FEBRIS MEDELA. Cap. XXI.

B Reliquum hic erat, ut ex eorumdem ſacerdotum dictatis remedium febris ex Leone Simiam veſcente ſignificari ſubjiceremus, ſed ſuper hoc ſatis in Leone.

## SUI ADMIRATOR. Cap. XXII.

Quo ſit in prolem ſuam affectu Simia, paulo ante diximus. Hinc autem aliud oritur hieroglyphicum. Fuerunt enim qui Suffenos Catullianos per fœtam Simiam aptè ſignificari poſſe contenderent, qui ſcilicet ſine rivali dicta factave ſua unice amant & venerantur. Generoſum Pindari dictum, qui genus hoc hominum philautia, hoc eſt, cœco amore ſui perditum irridens, adulatores non aliter viros probos & amicos videri ait inſipientibus, quam Simiæ pulchræ pueris indicantur. Ait enim in Pythiis καλόν τοι πίθηκον παισὶ, *Bella quidem Simiola eſt pueris.* Nam & Horatius adulatorem in obſequium plus æquo pronum, ita ad divitis nutum mutari ſcribit, *Ut credas mimum partes agitare ſecundas.* Simia verò mimum exſcribit, quòd una omnium maxime atq; efficaciſſimè quæcumque fieri viderit imitatur. De philautia Syneſius, vir literatiſſimus, cum epiſtolas accuratius à C ſe ſcriptas aliquando colligeret, vereri ſe dixit, ne quod Simiis accidit, eveniat ſibi: illæ enim, ait, cum natos animalium omnium turpiſſimos periant, putant ipſæ tamen eos eſſe omnium formoſiſſimos. Atque utinam, mi Cœli, non itidem & ego fallar, qui tantum vigiliarum hieroglyphicis his indagandis impenderim, tantum laborum conſcribendis exhauſerim, ut quod nunc huminum eſt ingenium, poſteaquam me ſtudioſorum animos oblectare exiſtimavero, ludibrio ſim. Quid enim, inquient, ad nos literatum Ægyptiarum fabulæ, cum nunquam ſatis temporis per ætatem etiam longiſſimam ſuperſit, ut vel Latina vel Græca diſcere quis poſſit? quanto ſatius fuerat quatuor hos & viginti annos, qui contexendis ſex circiter & quinquaginta hujus argumenti commentariis periere, vel eloquentiæ, vel traducendis authoribus Græcorum optimis impendiſſe: aut, ſi *frigidus obſtaret circum præcordia ſanguis*, mihi potius latenter inſtituiſſe vivere, ne per continuam genii defraudationem corpus affligerem, unde diuturnas graviſſimasq; tot ægritudines contraherem, neq; tamen hinc ullam apud potentiorum quemquam gratiam mihi compararem? Vera hæc, non inficior, dicturi D ſunt. Sed quid agerem? Suus cuiq; attributus eſt error. Si quid tamen fuerit quod vel tibi, vel tribus amicis aliis non uſquequaque diſplicuerit, ſatis me conſecutum arbitratus: habeant ſibi ſua regna Reges, reſpondebo, meamque judicio trium circiter amicorum induſtriam approbari uſq; adeo æſtimabo, ut pro laboribus tantis ingentem mihi mercedem cumulatiſſimè perſolutam, ratio-
bus meis ſim nulla contatione relaturus. Vale, meque Manardo, more tamen illo tuo, plurimum commenda.

*Gentroſum Pindari dictum.*

*Plerius Annos in hi. Hieroglyph. contexendis impendit.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER VII.

## DE IIS QUÆ PER CERVUM SIGNIFICANTUR.

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD MAGNIFICUM ACHILLEM BOCCHIUM BONONIENSEM.

SINGULARIS illa mentis integritas, summaque Eruditio tua (Achilles Bocchi nobilissime) nostraq; amicitiæ firmitas, perpetuaq; constantia jubent, ut quantum in me est, tui memoriam nullo unquam tempore apud me desiturum assidue celebrē: sive nos conjunxerit olim studiorum similitudo, sive fortunæ quædam paritas (quod eodem tempore pari militia tibi Bononiæ, mihi Romæ easdem disciplinas profiteri contigerit) eorumdemque amicorum, quos diu coluimus, patrocinio protegi. Nullæ tamen te amandi causæ majores extiterunt, quam congressus illi perjucundi, perutiles, & in primis mihi salutiferi, cum tristissimo illo meo, Italiæque totius tempore recens Florentiæ cum Mediceis meis ejectus, Bononiæ te superiori æstate conveni. In tanta enim rerum mearum omnium jactura facta neminem habui, qui sapientioribus sermonibus mœrorem, miserias, calamitatesq; meas molliret allevaretq; magis, quam amicissimæ officiosissimæque consolationes tuæ: in te prudenter per totius vetustatis exempla, perque ea quæ ætate nostra conspexeramus, de humanarum rerum vicissitudinibus differentem audire plurimum juvabat. Accedebat huc, tua illa verborum bonitas, mira vultus, hilaritas, & festiva semper omnio, quæ me ita deliniri sentiebam, ut ad ærumnas meas mitigandas nihil accidere posset utilius, nihil accommodatius. Tecum itaque totos illos dies esse, tecum ambulare, tecum sedere nunquam desiti, donec maximam ejus, quæ me tum oppresserat, anxietatis partem à cervicibus meis excussisse mihi visus es, ægritudinisque illius feritatem non parum mitigasse. Postea vero quam acerbitas illa temporum in mitiorem versa est, fortunam, elapsus è custodia Pontifex, patriæ Medicei, Romæ nos restituti, mihiq; res satis belle succesſere, factum est, ut me tot jam laborum difficultatumq; nihil omnino pœniteret. Hippolyti enim mei liberalitate sum egere vetitus, liberiusque mihi otium indultum est. Unde datus est ad literarum studia reditus, & deserta diu Musæ repetitæ. In his autem ea prima fuit cura, ut quæ tractasse me olim nosti hieroglyphica, diutius in situ esse minime permitterem. Accinxi me itaque ad poliendum eo tunc consilio, ut si niveus doctorum amicorum calculus accessisset, modo hoc, modo illud Commentarium emitterem. Quod ut commodius fieri posset, eruditissimis viris amicis meis libellos singulos singulis inscripsi: ut ipsi non magis mea, quam sua causa, quod corrigendum existimassent, accuratius emendare quodammodo cogerentur. Ex his Cervus tibi dedicandus fuit, propterea quod sermones illi, quos calamitoso meo illo tempore tecum fuisse repetebam, argumentum id præcipuè habuisse memini, ut tot invectas multis ab hinc annis in plerosq; Principes calamitates, quales & quantas Europa ferè tota vidimus, eorum delirio derivatas inde procedere querebamur, quòd id hominum genus amicos synceriores veridicosque propemodum fastidiret, plurimumque adulatores subdolosque parasitos unicè adamaret. Præcipuum vero Cervi esse hieroglyphicum apud Ægyptios, ut si hanc judicii captivitatem indicare vellent, Cervum fistula allectum pingerent: ut si quæ hujusmodi tendicula parerentur, haberet scitus homo quod sibi proponeret præcipuè fugiendum.

---

### AB ADULATORIBUS PESSUNDATUS. CAP. I.

ÆGyptii hominem dolo ab adulatoribus circumventum ea pictura significabant. Quod vero Cervo insitum natura sit pastorali fistula, vel suavi aliquo modulantium concentu demulceri,

A ceri, tantaque hinc affici voluptate, ut immemor ſui nullo prorſus negotio capiatur, vel injecto alicunde telo, quod propter animi abalienationem adeſſe tunc minime ſuſpicatur, eveſtigio transfodiatur: atq; ita fiat adblandientium præda, aliquod ludibrio ſuo convivium exhilaraturus: quemadmodum cum pernicie ſua ridiculi fiunt, qui lenociniis iſtiuſmodi ſe offerunt capiendos: ut recte mihi Antiſthenes Philoſophus dixiſſe videatur, *Longe ſatius eſſe in Corvos, quam in adulatores incidere.* *Di Tu Antiſthenis Laertius in ejus vitæ*



Hæc jam tunc in congreſſu illo Bononienſi dicta, puto meminiſti, cum tu, ut ſemper ſoles docte aliquid declamare, ſubjeciſti: Sapientiſſime quidem Antiſthenes, qui ut juventutem ſuam (nam ea potiſſimum ætas huic obnoxia eſt incommodo) ab Archilocheæ Vulpis calliditate liberaret, utili omnibus documento futurus, Corvos ajebat non tam hominibus obeſſe, quam adulatores. Corvi ſiquidem corporis tantum oculos effodiunt,
B quos ne utiles quidem non poſtremi ominis Philoſophi exiſtimaverunt: alii vt contemplationis impedimentum neſcio quod, ſponte effoſſos, abjecerunt. Adulatores vero mentis, quæ noſtri divina pars eſt, oculos eruunt, intellectum ſcilicet atq; judicium, quibus tantum reliquis præſtamus animantibus, obtenebrant: quibus ita perditis evenire neceſſe eſt, ut nihil fiat humanitati reliquum, Idem etiam dictitabat, Meretrices bona omnia amatoribus ſuis comprecari, præter unam mentem atque prudentiam: ita adulatores iis quos aſſectantur, omnia felicia ominari, præterquam ſapere, ac ſeipſos noſcere. Addidiſti etiam illud, quod Criſippus Paſſienus dicere ſolebat, non eſſe claudendum oſtium adulationi, ſed aperiendum: veluti ſolet amicæ, quæ ſi fores impulit, grata eſt: ſi effregit, gratior: prodeſſe enim is hoc arbitrabatur, ut homo inde qualis eſſe debeat, admoneretur. Reſpondi ego: Argute quidem Paſſienus opinabatur, ſed pauciſſimi, quos ardentiſſima virtus
C undecumque munierit, hoc aſſequi potuerunt, reliquis plerisque omnibus, ob humanæ naturæ imbecillitatem periculum imminet, nec ſi ad hæc aures pateſecerint, tanquam Vituli inter Lupos circumveniantur, ut Crateris Cynici ſententia declaravit. Contra vero ſapienter illi vitam inſtituerunt, qui non ad oſtentationem vivunt, non populares aures captant, ſed ſibi rerum ſuarum conſcii, rationem ipſam, veram vivendi ducem, ſibi propoſuerunt. Quare cum veritas ſemetipſum noſcere doceat, impediat adulatio, illa virtutis viam, hæc vitiorum ſemitam collaudet; illa bonis, hæc malis parere compellat: rejiciatur à nobis penitus adulator, more Philoſophi Timonis, qui Demeam aſſentatorem ligone percuſſit. Nullum enim animantium genus aſſentatoribus, ait Plutarch. pernicioſum magis, nullum quod citius juventutem in præcipitium agat, nullum quod facilius fortunas, honores, vitam denique ipſam radicitus evertat. Ideoq; Diogenes interrogatus, quæ beſtia morſum haberet nocentiſſimum: *Si de feris*, inquit, *interrogas, obtrector; ſi de cicuribus, adulor.* Nam veluti aucupes blandulo quodam ſtridore & mellita vocula ſimplices aviculas, aut viſco implicant, aut in
D pedicas injiciunt: ita pellicit homines adulatio, & mox in omne ſcelus impellit, eoq; impulſos & involutos, in vitam demum calamitoſam trahit, perq; caput & pedes in profundiſſimam ærumnarum voraginem demergit. Recte itaq; dicere ſolebat Ariſtonymus: *Ligna dum ignem nutriunt, ab ipſo conſumi: divitias, dum adulatores alunt, ab eis labefactari.* Excepiſti tu: Recte quidem, mi Pieri, nam in memoriam illud mihi revocaſti, quod & Phavorinus Philoſophus Actæonis fabulam à ſuis canibus, quos alebat, devorati, ad adulatorum trahit eventum, quorum finis & intentio eſt totum abſumere, ſi poſſint, dominum. Quod cum ita ſit, Antiſthenes ſive Diogenes Cynicus cum ligone ſuo ſummo opere commendandi ſunt, qui, quod in vita pernicioſiſſimum eſſet animadvertentes, urbaniſſimo dicterio alter, caſtigatione alter, homines ad morum integritatem & prudentiam natos, admonere voluerint, ne peſſima paraſitorum contage labefactati, per imprudentiam in tam proclivia vitæ diſcrimina peſſum raperentur, omniumque ignominiæ, contumeliis atque ludibriis expoſiti, eorum

quibus

quibus se suaque omnia crediderant, proditione perderentur. Subsecutus ego sum: At ne Cervum tantum Musicæ capi lenocinio persuasum habeamus, Equos etiam, ferocia alioqui animalia, eadem affici suavitate, Persica ex historia compertum, magno eorum detrimento, qui bellatores eos effeminatis cantilenis & modulis assuefeciscent. Murænas quoq; & Trissas, piscium genera, evocari concentu & tintinnabulis, exploratum est vulgò: quamvis Murænas genituræ tantum tempora, utpote quæ Serpentium sequi sibila feruntur, quibus eas admiscerí tradunt. Jam & Otus, cui nomen inter aves ab auribus est, tanquam cantaminibus circumventus modulamine afficitur, humerosque jactare, saltitare, & nutare vertice, quasi modulos teneat aspicitur: sed nulli horum Musica est exitio veluti Cervis, quapropter hinc potius Ægyptii hieroglyphicum suum desumere voluerunt. Sane quo minus mirum sit, Cervum Musicæ modulos intelligere, apud Ælianum legitur eum Indicæ vocis callere sonum, sermonemque percipere, neque alium quempiam ita facile: quamvis Ptolomæo Philadelpho Cervus fuerit, qui Græcum idioma prorsus intellexerit. At jam satis super Cervi Musica evagati, reliqua nunc ejus animalis significata subjungamus.

## PRÆCIPITANTIA. Cap. II.

PErcito quempiam ingenio, temereq; ac nulla ratione sese moventem (ut plerumque furores sunt qui Panici vocantur: quippe cum nulla urgente causa quis infugam se proripiat, negotiumve, quod præ manibus erat, statim abjiciat, incœptumque deserat) Ægyptii per Cervum & Viperam appictam intelligebant. Pugna enim huic est cum Serpente, cujus etiam cavernas instigat, nariumque spiritu extrahit renitentem, ut luculenter his versibus Lucretius:

*Vipera Cervo inimica: Lib. 6.*

*Naribus alipedes ut Cervi sæpe putantur* *Ducere de latebris Serpentia sæcla ferarum*

Ideo singulare abigendis Serpentibus remedium, Cervini cornu suffitus, ut apud Nicandrum legitur. Idem ipse tamen tam acer anguium hostis, qui tanto eos conatu perquirit simulac ex improviso Viperam conspexerit, in pedes se repente proripit, ac fugit: ingenita scilicet naturæ discordia concitus, quæ illi accidit, ut idem Poëta refert:

*Propter dissimilem naturam, dissimiles q; Multa meant inimica per aures, multa per ipsas*
*Texturas inter sese, primas q; figuras, Insinuant nares infesta atq; aspera tactu.*

*Artemid. l. 2, c. 13.* Sane conjectores etiam tradunt, eum qui per nocturnam quietem imaginatus fuerit videre se Cervum quempiam instantem tergo, longeque sequentem, futurum ut qui tale somnium viderit, ea sit formidaturus, ex quibus nulla sit offensio subsecutura, ac proinde frustra timet.

## PRAVITAS EDOMITA. Cap. III.



*Vipera humana.* SIquid verò ad vetera significata addere conceda tur, cum Vipera sit profligatissimis tota vita sceleribus inquinatissima, alia mariti, alia matris parricidio polluta, venenumque ejus atrocissimum, quod omnem, ut ajunt, exuperat medicinam: apte mihi fecisse videbitur, si quis vel Regem, vel Magistrum, vel Judicem quempiam in scelera vindicem sese acerrimum exhibentem, per Cervum & extractam è cavernis Viperam, quam mordicus apprehenderit, figuravit. Eodem etiam hieroglyphico virum intelligemus, qui morum impuritatem corrigat, scelera eluat, pravitatem emendet, & quod idem ait Poëta,

*Veridicis hominum perpurget pectora dictis,*
*Et finem statuat cupidinis atque timoris,*
*Exponatque bonum summum, quo tendimus omnes:*
*Quale sit, atque viam commonstret tramite parvo,*
*Qua possimus ad id recto contendere cursu,*
*Quidve mali immineat rebus mortalibus olim.*

Hoc

A Hoc enim est maleficum Serpentem, qui clam insidiis excubat, è latebris extrahere, extractumque interficere, interfectum denique devorare.

## FUGACITAS. Cap. IV.

Fugitivumdubio procul hieroglyphice notare qui vellent, currentem Cervum describebant. Ea verofugacitas Cervo natura insita. Hinc Lucretius: *Et fuga Cervis A patribus datur, & patrius pavor incitat artus.* Quam vero pedum alacritatem in Achille fuisse authores tradunt, ut ποδάρκης, καὶ πόδας ὠκὺς passim ab Homero vocitetur, sunt qui autument inde partum, quod ejux infantia sub Chirone fuerit Cervorum medullis plurimum enutrita. Porro illum assecutum esse Cervos absque Canibus, & retium insidiis, Pindarus in Nemeis canit: *Achilles quare sic dictus.*

Κτείνοντ' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν, δυλιῶν θ' ἑρκέων.

Nam de agilitate Cervi superfluum est verba facere, cum scriptis omnium in primis celebretur, præcipue vero κατ' ἐξοχὴν quandam, Laconum chorus, Aristophanica Lysistrate dicat, saltandum pedibus est tanquam Cervus aliquis. Sed quod de Achillis nutrimento & nomine positum est, Nazian-
B zenus Achillem dictum ait, quod sine cibo fuerit educatus: χυλὸς enim cibus & succus est: ille vero crudis tantum ferarum artubus pasci fuerit assuetus. Sed & quod de Chironis institutione circumfertur, mirum ab Homero nusquam hujus rei mentionem fieri, cum tamen Apollonius, & qui post Homerum fuerunt Poëtæ plerique omnes educatum Achillem à Chirone tradant. Addam hic Telephum Herculis & Auges filium, quem Alæus Auges pater in Panthium montem exposuerat, à Cerva educatum esse, ut apud Lycophronis interpretem habetur, quod & nomen ipsum ostdendere videtur: Cervi quippe nutricatum significat.

## INTERQUIESCENS. Cap. V.

Quamvis autem cursum pernicissimum Ægyptii ex Cervi currentis specie intelligi monuissent, quia tamen is requiem inter currendum aliquam facit, consistensque manet, dum qui sequitur appropinquet, tum fugam item arripit, factum est, ut hominem aliquam laboribus suis requiem interponentem significare si vellent, currentem quidem Cervum pingerent, sed retro spectantem,
C cum in solius tantum fugacitatis significato caput surrectum statuerent, ut cornua per dorsum demissa residerent. Ideo vero Cervus dum fugit interquiescere cogitur, quod tenui imbecilloque est intestino, quod leviter etiam percussum rumpi possit, cute adhuc integra permanente. Denique imbecillum adeo animal est Cervus, ut tactus ab aspalatho (ea est spinæ species) emoriatur. Verum hoc & alia de causa, & alio etiam potest modo pingi, quippe si tres pluresve Cervos natantes feceris capitibus alterius clunibus impositis, atque eorum primum avertentem se quasi ad postremum locum: quo quidem officio mutuo se adjuvant, cum ex Sicilio transferant in Calabriam per æstatem, pabuli gratia: idque plurimum juxta urbem Rhegium, qui propterea quod onus capitis super aquas exstantis haud facilè sustinent, inter natandum singuli super anterioris lumbos caput imponunt: dux vero cum defessus est ad ultimum transit locum, atque ita mox alius atque alius labore cum quiete communicato, incolumes transeunt. Si cui tamen quod superius positum est hieroglyphicum magis placuerit, res in medio posita est. *Cervus cur inter currendum quiescat.*

## FORMIDO. Cap. VI.

D

Stuporem præter hæc, formidinemque per Cervum & puniceas pennas prætentas significari omnibus innotuit, tam ex iis, qui Animalium historias conscripsere, quam ex Virgiliano carmine, qui Turnum attonito quodam pavore perculsum Cervo æquiparat *punicæ septo formidine pennæ.* Libet vero loco hoc de pennis ad Cervorum formidinem excogitatis historiã enarrare, quæ non tantum Virgilii carmen explicabit, verum etiam hieroglyphico huic argumento plurimum afferet claritatis. Narrabat mihi Jo. Antonius Pollio Geloum Princeps, Pontificii contubernii mihi socius, stare adhuc in Sicilia hanc venationis antiquæ rationem, quæ sic fieri soleat. Nobiles ubi renunciatũ fuerit Cervorum greges usquam oberrare, alter alterum invitantes propere conveniunt, afferuntq; secum Scorpionem aut arcum singuli, & fasciculũ virgarum, quæ omnes ferrea cuspide præpilatæ sint: *Virgil lib. 5. Georg.* *Cervorum venationis antiquæ ratio.*

quarum caput alterũ in summo perforatum est, funiculo perpetuo per virgas singulas ea transmisso longitudo earum ad pedes quatuor, vel circa. Cum ad locum pervenere ubi Cervos congregatos norunt, late diffusi equites peditesque modum agri, quanto satis est ambitu, circumsistunt, stationemque unusquisque suam per intervalla certa suscipiunt. Hic fascem quisque suum explicat, primaque virga ad finitimi ultimam alligata, reliquas per decempedæ, circiter intervallum singulas terræ affigit: idem alter, idem alii faciunt, donec Cervos undecumque concluserē. Virgis ita dispositis pennarum punicearum, quas in hunc usum magno numero fucatas habent, fasciculos licio suspensos ad traductum per virgas funiculum hic & illic alligant, qui aura vel levissima impulsi varia jactatione moventur. Stationarii mox in proxima se quisque abdunt virgulta, sagittisque intentis expectant taciti. Liciorum hoc sepum ingreditur eques tantum unus cum odoriferis Canibus, iisque non admodum magnis. Hunc venationis magistrum vocant. Is ubi gregem nactus est, sensim accedit, latratuque Catulorum tantum fretus, agmen incipit agitare: illi conferti omnes una fugam capessunt, at cum ad licia pennasq; illas pensiles pervenere, subito pavefacti ulterius progredi non audent, sed illarum motum & fulgorem declinantes ad lævam non procul flectunt, & rutilantes fasciculos illos prospectantes, tanquã muro inclusi circumaguntur: subsequitur magister, nomine quemque vocans ex stationariis, prout unicuiq; fit proximus: atq; huic primum vel secundum, illi tertium aut quintum aut septimum ex libidine sua telo excipiendum destinat, futurum sagittario dedecori & ignominiæ, nisi oblatum à magistro fauciarit, vel si alium quempiam quam nuncupatum appetierit. Magister ita agmen tamdiu circumagit quasi per pomœria progressus, donec ita præda omnis per omnium vices concidat exanimata. Hæ sunt itaq; pennæ illæ, quarum formidine attoniti stupidive facti Cervi, abalienato prorsus animo consternantur. Has enim non aliter pavet, quam Elephanti colorem album, Tauri phœniceum ac rubicundum, Tigres tympanorum sonitum, Ursi Leonesve mappam, amiculumve in caput injectum, de quo locis suis Sed quod ad Cervum pertinet, dant hoc nonnulli animalis stoliditati, ingenitoque cuidam stupori, qui ei de re qualibet oriatur. Natura omnino sunt hi meticulosi, quia frigidiusculi. Philosophi enim animalia eo omnia formidine magis laborare tradunt, quo frigidiora sunt, idque quotidiano comprobatur experimento. Cervos vero esse frigidos, lacryma dulcis argumento est, quæ salsuginosa est Apris, qui magna pollent caliditate. Hinc fit, ut ille fugiat, hic hostem adoriatur, proque viribus injuriam ulcisci pertentet. Sed cur non Lucretii Latini Philosophi, eaque de causa mihi sæpius citandi, luculenta super hoc carmina recitemus?

*Quare Cervi sint meticulosi.*

*De rerum natura, l. 3.*

*At ventosa magis Cervorum frigida mens est,*
*Et gelidas citius par viscera concitat auras,*
*Quæ tremulum faciunt membris existere motum.*

Atque idem superius dixerat:

*Est & frigida multa comes formidinis aura,*
*Quæ ciet horrorem membris, & concitat artus.*

*Carm. lib. 1. Od. 15.* Hujus rei doctrinam secutus Horatius ait:

*Quem tu Cervus uti vallis in altera*
*Visum parte Lupum, graminis immemor*
*Sublimi fugies mollis anhelitu.*

Et Græci ἔλαφον ἄνδρα omnino dixerunt, pro maxime formidolosō. Et Cleonymum taxat Aristophanes timidissimum hominem, quem Nebulæ per figuram Cervi referebant. Sedenim quod de animalis frigiditate Philosophi dixerunt, longe aliter apud Euthymium inveni, ut in subjecto habetur hieroglyphico.

## VEHEMENS APPETENTIA.

### Cap. VII.

VEhementissimi enim desiderii signum esse Cervum ad aquæ fontem adspectantem, Divinæ indicant literæ, dum ita canunt; *Quemadmodum sitibunda Cerva inhiat ad aquarum rivos, ita anhelat anima mea ad te, Deus.* Cerva enim suapte natura ita calida est, ajunt sacri Interpretes, ut frigidissimis reptilium carnibus mirifice relevetur; ideoque eas avidius appetit, quibus absumptis natu-

A naturali illo calore κατὰ τὴν ἀντιπάθειαν magis ac magis concitato, ſtudioſiſſime gelida fontium fluenta perquirat,

## FORMIDO SUBLATA. Cap. VIII.

QUod autem Herculem Cervum enecantem multa artificum opera proponunt, ſumptum ex Poëtarum fabulis argumentum, in quo tamen hieroglyphicus deliteſcit intellectus, pavorem è mortalium vita ſublatum ex eo ſignificari tradit Heraclitus, qui pleraque fabularum figmenta in hieroglyphicum hunc modum interpretatus eſt. Sed quantum ad timiditatem pertinet, cum affectus hujuſmodi in ſervis præcipue deprehendatur, utpote qui ſeorſum ab ingenua liberalitate ſint vel educati, vel inſtituti, mos apud Comicos in primis inolevit, ut fugitivi, quod omnino timidorum eſt, Cervi appellarentur. Ejus timoris ergo Achilles apud Homerum ignaviam objicit Agamemnoni, dum cervino eum corde præditum objurgat. Pomp. Feſtus ſervos fugitivos unius tantum literæ mutatione Cervos nuncupari ſolitos tradit. Sedenim, ut eo vocitarentur nomine, non ipſa tantum fugacitas in cauſa fuit, verum etiam hiſtoria. Ajunt enim Servium Tullum ædem in Aventino Dianæ B ſacraſſe, diemque inſtituiſſe Idibus Auguſti, quo die ipſe ſerva natus eſſet: mos vero erat, ut Deæ ara ex cornibus fieret, cæſorumque Cervorum capita valuis & parietibus affigerentur, ipſumq; Dianæ ſimulacrum, ut in pleriſque numis habetur, cum Cervo affingeretur, quod animalia ea in ejus eſſe tutela dicerentur. Ab utriuſque igitur rei ſimilitudine, & ſcurrili propemodum in regem loco, ſervi fugitivi Cervi cœpti ſunt appellari. Adddam id, animalia ea Cervos quaſi geruos dictos, quod cornua geſtant uſque adeo grandia. Nam & Ceres quaſi Geres à gerendis frugibus dicta, ut Etymologici putant. Illud vero ſervile identidem eſt, quod onus tam magnum Cervi gerunt capite, quoniam ponderum geſtatio ſit ſervorum propria.

*Homerus Iliad. lib. 1.*

## AUDITUS ET SURDITAS. Cvp. IX.

SUrrectas auriculas Cervi, auditus acris ſignificatum eſſe, oſtendit illud, quod ὠσὶν ἐστῶσι proverbium fertur, quod *arrectis auribus*, Maro, & *arrigere aures* Terentius interpretatur. Contra vero pro ſurditate eaſdem demiſſas pingere moris eſt: quia tunc Cervi acutiſſime audiunt, cum ſurrectas aures protendere: cum vero eas demiſere, vix proximum excipiunt ſonum. Nam cum audi C tus, ut placet Empedocli, fiat illiſi ſpiritus in claviculatam aurium partem introrſus adnexam, quam tintinabuli vicem præbere dicit, utpote celſo loco ſitam, pulſuique obviam, accidit ut negato per hujuſmodi aurium depreſſionem ingreſſu, ſurditas obveniat neceſſario. Alia quædam Medici comminiſcuntur, ſed quæ nihil ad rem noſtram attinent: hoc ſiquidem ſignificatum ex geſtu deſumitur auris, quæ cum ſurrigitur, pateſit: cum vero demittitur, auditum obturat. Nam & Ariſtoteles Cervos ait, cum aures demiſerint, facile capi, quod inſidias non ſenſerint: cum vero eas intenderint, facile inſidiarum admoneri.

*Æn lib. 1. Terentius in Andria. Quomodo fiat auditus & ſurditas. Ariſtoteles lib. 9. de nat. animalium.*

## MULIEROSUS. Cap. X.

SI qui vero mulieroſum hominem, & multarum concubitum appetentem notare vellent, Cervum exporrecto genitali pingebant. Is ſiquidem cum urgente jam Venere coitum appetit, non in una tantum immoratur, ſed mutat, brevique interpoſito tempore aliam atque aliam ſuperegreditur. Ajunt vero Cervorum coitum non eſſe ſtatarium, ut reliquorum animalium, ſed Cervam ſimulac marem accepit, identidem currere, applicitumque Cervum & rem nihiloſecus peragentem dorſo D vectare: illum duobus tantum pedibus terræ innixum pertinaciter ſubſequi, nec niſi re peracta deſilire.

## LASCIVIÆ POENITENTIA. Cap. XI.

ILlud ſpectandæ probitatis exemplum eſt, quod volentes hominem propter propriam petulantiam, qua lapſus fuerit, pudore affectum ingenuo ſignificare, Cervum in ſcrobe deliteſcentem oſtentabant. Is enim cum fœminam implerit, ſeparatur per ſe ipſe, & propter libidinis graveolentiam ſolitarius ſcrobes fodit: fœtent enim ut Hirci, facies quoque eorum nigreſcit aſpergine, ut Hircorum. Degunt igitur hac deſtinatione quouſque imber accidat, ablutique inde paſcua repetunt,

*Cervus cur & quando latitet.*

## DE REPULSA PUDOR. CAP. XII.



ALia itidem de causa latitare Cervum cum observassent antiqui, hominem, qui vel candidatus turpem esset repulsam passus, vel partam dignitatem amisisset. Vatiniana aliqua affectus ignominia: & propterea tanto perfusum pudore, ut in frequentiora loca prodire non audeat, ostendere si vellent, Cervum marem sine cornibus inter virgulta fruticesve abditum pingere soliti sunt. Cornua enim mares tantum habent, quibus amissis tamdiu præ pudore latent, quoad altera renasci cœperint. Alii dicunt, non præ pudore fieri hoc à Cervo, sed narura duce, quod se latebrarum præsidio tutari velit, qui se armis privatum cernat: veluti sepia atramento fuso suæ consulit incolumitati, ne capiatur, & polypus coloris mutatione venatores fallit. Quod vero plerique Historiæ animalium scriptores fœminas è Cervis sine cornibus esse tradunt, longe diversum est ab eo, quod Olympiis ponit Pindarus, ode quæ Theroni scribitur εἰς θεοξένια. Ita enim ibi: χρυσόκερον ἔλαφον θήλειαν ἄξονθ' ἄν ποτὲ ταϋγέτα ἀντιθεῖσ' ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν ἱρὰν quo loco interpres introductam ait à Poëtis cornutam Cervam, cujusmodi ea fuit, quæ Telephum lactavit: Positum hoc idem ab Anacreonte, sed à Zenodoto correctum, ob vulgatam historiam, quod in eo genere fœminæ cornua non habeant: nam quod scripserat Anacreon, ἄγαν ὡς οἰάτε νεβρὸν νεοθηλεα γαλαθηνὸν, ὥς' ἐν ὕλαις κεροέσσης ἀπειφθεὶς ἀπὸ μητρὸς ἐπ]οήθη: pro locutione κεροέσσης, quod cornigeræ significat, Zenodotus, is emunctæ naris censor ἐρθέσσης reposuit, hoc est, desideratæ vel amabilis. Subjungit interpres, inventas tamen aliquando, nec incongruum esse, aliquas habere cornua: quemadmodum in Elephantis, de quibus tradunt Æthiopicos & Lybicos tam mares quam fœminas habere dentes, cum tamen in India, ut observavit Amytianus, hujus generis fœminæ sine dentibus esse conspiciantur.

## ARMORUM APPARATUS SINE CORDE IRRITUS. CAP. XIII.

*D. Laertius in ejus vita. Antisthenis & Chabriæ dictum egregium.*

EXcogitarunt etiam juniores hieroglyphica quædam argumenta, quæ passim referre, utut deposcere locus videbatur, haudquaquam puduit, cujusmodi hoc est, quo apparatum bellicum frustratorium & inanem esse, nisi præsens ardensque adsit animus, per Cervum magnis insurgentem cornibus significari posuerunt. Naturam enim inquiunt, Cervo, animali admodum degeneri, cornua magnitudinis adeo spectandæ ac asperitatis horrificæ contribuisse, quo argumentum esset, eos qui audacia & fiducia ipsi præditi non essent, frustra ullum armorum apparatum, & instrumenta bellica comparare. Dicere solebat Antisthenes, bona omnia à Diis hostibus optanda præter unam fortitudinem: illa enim quotquot essent, non esse possidentium, sed eorum, qui armis præstarent, & viribus pollerent. Nam nisi ad opes & potentiam præsens acerque animus adjiciatur, facile vel ipsa infringitur fortitudo. Hinc egregium illud Chabriæ Atheniensium ducis dictum, quod & Philippus usurpare solitus, formidabiliorem esse Cervorum exercitum Leone duce, quam Leonum duce Cervo. Tantum is animorum vigori, quo Dux ipse polleret, tribuebat, idque multis stratagematum exemplis apud rerum scriptores passim verum esse comperitur. In hanc sententiā Demades Philippo, qui contra Athenienses superior evaserat, adulaturus, ἔγνως ἄν' ἔφη, ὦ βασιλεῦ, τὴν τῆς πόλεως δύναμιν, εἰ ἀθηναίων μὲν φίλιππος, μακεδόνων δὲ χάρης ἐστρατήγει. *Nosses* inquit, *o Rex civitatis robur si Atheniensium Philippus, Macedonū vero Chares exercitui præfuisset.* Chares enim dux fuerat Atheniensium. Non omittendum hic, quod Tertullianus nosse ait se Christiani gregis pastores aliquos in pace Leones, in prælio Cervos: quod quidem vir ad martyrii cruciatus impavidus & paratissimus, ad ineptias tollendas ferventissimus, neque animos pusillos, neque ignaviam quorumdam ferre poterat.

*In Apologetico.*

ACTÆ-

## ACTÆON. Cap. XIV.

A



FRivola vero mihi videtur Anaximenis interpretatio ſuper Actæonis fabula, de qua ſuperius mentionem fecimus, qui converſus ideo dicatur in Cervum, & à canibus ſuis dilaceratus, quod periculis, quæ venando ſubierat demum conſideratis, ætate jam ingraveſcente timidior factus, in cervum transformari ſit viſus: cumque Canes nihilo ſecius aleret patrimonium conſumpſiſſe, idque à Canibus laceratum eſſe ſignificare, potius hiſtoria, non fabulæ cujusquam figmentum, invento huic dederit argumentum. Actæonem enim & Cippum cornutos editos, Plinius author eſt. Quin apud Max. Tyrium legas, apud Corinthios, Bacchiadarum facinus in Actæone

*Plin lib. 11. c. 37.*

B Dorico adoleſcente diſcerpendo admiſſum, Bœotio illi aſſimilatum, in quo Actæon à veris eſt Canibus laceratus. Quod vero Homerus ait, Diana per juga montium errantem gaudere telis, & Capreis, ac fugacibus Cervis delectari, ſunt qui ad Actæonis fabulam convertant: ſunt qui vetuſtam Philoſophiam ſecuti, ſagittas eas, quæ Cervum aſſequuntur, hieroglyphice ſolares radios indicare velint, quorum ſcilicet repercuſſu, cornua ipſa proloci, ubi Luna eſt, conditione, & appereant, & obducantur. Nam & Lucretius tela hæc ita interpretatur:

*Lib. 1. De nat. rer.*

*Non radii Solis, neque lucida tela diei.*

Dianam autem Capreis & Cervis tantum gaudere, Homerus, dicit, Leonibus autem minime: nempe quia circa Taygeta aut Erymanthum eam venari dicit, ubi Leones non habentur. Elei ſane Dianam ἐλαφιαῖαν vocant, ut apud Pauſaniam eſt, quamvis aliter alii nomen interpretantur. Videas tamen paſſim Dianæ ſimulacro Cervum ut plurimum in venatum objici, qualem præcipue ſpeciem in Ha-

C driani numo cernere eſt, cum inſcriptione, ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ. In aliis quoque ejusdem Hadriani Dianæ itidem Epheſiæ ſimulacrum geminis duum Cervorum inter ſe averſorum clunibus inſidere conſpicias, atque aliter in aliis. Et Cerva eſt in multis Galieni numis cum inſcriptione, DIANÆ CONS. AUG. Ea enim ambitione fuit, ingenio vir alioquin impuriſſimo, ut Deos omnes ad ſui cuſtodiam & conſervationem occupatos eſſe jactaret. Hinc feras fere omnes, quotquot numinibus dicavit antiquitas, numis ſuis eadem inſcriptione cudendas curavit: quorum vis magna paucis ante annis in agro Bellunenſi reperta eſt. Neque tamen Dianæ tantum, verum etiam Milanioni, & Atalantæ heroibus Cervus dedicabatur, quorum ſimulachra cum hinnulo in Olympia fuiſſe Pauſanias teſtatur. Quod vero ajunt Iphigeniam cum jamjam ad aras patris juſſu mactanda conſtitiſſet, in Cervam demutatam, ac ipſius Dianæ numine in Tauricam regionem aſportatam, Nicander in Taurum ait, Phœodimus in Urſam, atque ita omnia variant in Græcorum fabulis, à quibus longe diverſa leguntur apud Lycophronem & ejus interpretes.

## VIVACITAS. Cap. XV.

D VIvacitatem ex picto Cervo ſignificari, quod Ægyptiorum commentum eſt, magis exploratum arbitror quam ulla ſit opus commentatione perquirere. Datum enim illi eſt à natura, ut quam diutiſſime vivat. Verum cum id ſacerdotes oſtendere volebant, cornua maxime ramoſa faciebant, ſiquidem unoquoque anno ramus horum cornibus adjicitur: ſed ut nonnulli obſervarunt, non ultra ſex annos ab eo tempore ſimilia reviviſcere, neque ætatem in dediſcerni poſſe, ſed ex dentibus, quos tunc cum grandævus eſt, aut paucos, aut nullos habeat. Sedenim experimento compertum eſt, cornua ſeneſcentium aſperiora quotannis fieri enormioraque, pluribusque tuberculis & mucronibus horrida, quo magis in ſenium vergant. Animadvertendum autem in manuſcriptis Hori codicibus antiquis, πολυχρόνια σημαίνῃ ſcriptum, non πολυχρόνιον ut in impreſſis habetur, quod *multa tempora*, interpretandũ eſſet. Sed parvi hoc momenti. Agathoclea Syracuſanorum tyrannum

*Cervi ætas unde dignoſcatur. Auctor Ælianus, nec abſimile exemplum in Chronicis Francorum tempore Caroli ſeptimi.*

ferunt Cervum venando interfeciſſe, circa cujus collum torquis erat aheneus, ſuperinducta jam pelle tectus, in quo hujusmodi legebatur inſcriptio, ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΙ: quem Princeps ipſe magna veneratione ſuſceptum Dianæ ſtatim conſecravit, diutiſſimeque apud Peucetios Italiæ populos in percelebri Dianæ templo, cujus meminit Ariſtoteles, torquis ille conſpicuus fuit. Superare vero eos trecentos annos multi prodidere, pleriq; plures, plerique pauciores: quod quidem utcumq; ſe habeat, receptiſſimum eſt eos eſſe vivaciſſimos, & vivacitatis elogio paſſim à Latinis Græcisque ſcriptoribus appellatos,

## VIR UNDECUNQUE PERFECTUS. Cap. XVI.



SEd jam tempus eſt, ut ruminationis ſignificatum exequamur, ſi prius tamen locum apud Plinium expenderimus, ubi de Cervi ruminatione loquitur, quem ſylveſtrium tunc ruminare, cum à nobis aluntur, dicere videtur: quaſi cicuratio ſit ruminationis cauſa. Sedenim, uti reor, vel aliquid deeſt, vel, quo adduci non poſſum, Ariſtotelem non expreſſit, qui eo probat argumento Cervos ruminare, quia idem faciunt alti à nobis. Ait enim: *Ex feris ea tantum ruminare novimus, quæ aliquando cum hominibus degunt, ut Cervus: hunc enim ruminare manifeſtum eſt.* Hujus vero rei ſignificatum eſt è Divinis literis interpretandum: ex quibus animalia, quæ ruminant, & ungulas biſidas habent, profana non eſſe diſcimus, quod quidem eo velamento ſubinnuit, eum qui ſacris ſit initiandus, pietatis meditatione, neque non doctrina, judicioque præſtare oportere. Biſida ſiquidem ungula diſcernendi doctrinam, & ſingulorum indicat examinationem, quam per ipſas rerum diſtinctiones aſſequimur, ut rectum ab indirecto, lepram à non lepra diſcernere poſſimus: ruminatio vero, ut ſæpe dictum, pietatem & divinarum rerum meditationem oſtendit: horum qui altera careat, tanquam ineptus rejiciendus. *Alterius ſiquidem Alter poſcit opem res & conjurat amice*, diceret Horatius, de quo tamen ſignificato in Porco latius ex Philone. Eoque forſitan ſpectat dictum illud ex 29. Pſalm. ut apud Græcos eſt, Φωνὴ κυρίου καταρτίζουσα ἐλάφους, *Vox Domini quæ Cervos perficit*, vel, ut alii, *Præparat*. Significat vero, καταρτίζειν, inſtruere aliquem ad negotium quod exequendum ſuſceperit. Vox igitur Domini, quæ Cervos, hoc eſt, viros non indignos qui admittantur ad ſacra inſtruit, & ad certam vitæ rationem inducit, ea eſt, quæ per Prophetarum vaticinia, per Evangelicam inſtitutionem, per Apoſtolorum prædicationes, per Doctorum optimorum interpretationes, nobis innotuit. Adamantius, cujus ſententiam Euthymius mihi ſequi videtur, eo rem trahit: ut eos viros Dominus ad profectum ſapientiæ ducat, qui Serpentes ſint aſſidue perſecuturi (qui ſermo mere eſt hieroglyphicus) hoc eſt, bellum cum cum hæreticis, & falſorum dogmatum authoribus geſturi, diabolique tentamenta conatusque ejus omnes exuperaturi, quo debellato certamine triumphabundi mox cantare valeant ex altero ſupra quadrageſimum Pſalmo: *Quemadmodum anhelat Cervus ad fontes aquarum, ita ſitibundus ſit animus meus ad te Deus. Sitivit, inquam, animus meus Deum, cum qui fortis eſt, qui vivit.* His vero Cervis montes excelſi pervii, ſublimitas quippe cœleſtis illuceſcit, ſupremæque doctrinæ faſtigium, quod nubes omnes exuperat, quo ſimulac mortalium inſidiis appetuntur, aut Canum latratibus exagitantur, tuto confugiant, & ſine perturbatione ſoſpitentur. Ubi vero in Divinis ipſis literis, in Proverb. quippe Salomonis legitur, *Cervus amicitiæ & gratiarum pullus fabuletur tecum*, hieroglyphice quidam, ait Eucher. ita interpretantur, ut Cervum amicitiæ accipiendum putent, Chriſtum, totius dilectionis & charitatis magiſtrum: nam & alibi, & præcipue in Cantico, Chriſtus ex Cervi imagine deſcribitur, ut eo loco: *Similis es tu, fratruelis meus, damulæ aut hinnulo Cervorum.* Gratiarum vero pullum, quem accipiamus, niſi columbinum, ac perinde S. Spiritum, qui ſit omnium gratiarum, quippe ut veteres vocabulum uſurpant, χαρισμάτων diſtributor? Admonemur

*Vox Domini quid.*

*Proverb. 5. 29.*

*Cant. c. 8. Columbinus pullus.*

ergo

A ergo per Salomonis præceptionem, ut ſemper Chriſti, vel Spiritus ſancti ſolatia requiramus. Sed antequam cornuum Cervinorum genera prætereamus, id obſervandum, è Cervorum genere, qui cornibus latis ſunt, Tragelaphos, ut tradit Eucher. Divinis literis nuncupari. Animadverti interdum è ſummis fraxini arboris ramis naſci quid ad hujusmodi cornuum ſimilitudinem, ſurculo quippe aliquo detruncato, mox gummi de cortice exundante, qui in eam mox ſpeciem Virgiliani viſci more creſcat, & vario flexu modo in ſpiram, modo inſtar acanthi, flexibus anguineis incuruetur: id quicquid ſit lignum omnino eſt, atque admodum ſolidum, ſed forma lata ſtrijsque multiplicibus loricata.

## FEROCITAS IN TIMIDITATEM VERSA.
### Cap. XVII.

SEd quoniam in Tragelaphum incidimus (qui nomen id adeptus eſt à cornibus, quæ propter latitudinem & ſtrias hujusmodi hircinis admodum ſimilia ſunt, ramoſa tamen, ſed non in acutum tendentia) quid de Hippocervo dicemus, quem noſtra vidit ætas, anteriore parte Equũ, poſteriore Cervum ſeſſoris & ephippii patientem, ingreſſu tamen incommodo, utpote qui modo aſſultu, inſeſta
B modo ſuccuſſatione ſeſſorem conquaſſaret? Miſit hunc dono Fridericus I. Mantuæ Dux Franciſco Galliarum Regi, ſalutis noſtræ anno XXXIV. ſupra M. D. Quod ſi quid hujusmodi pingere voluerimus, non incongruum erit animalis hujus hieroglyphicum, ferocem impetu primo hominem ſignificare, qui mox in pavidum veſtigio degeneret, & in fugacitatem elabatur.

## DE CORNIBUS.
## SPECIOSÆ FORTUNÆ INCONSTANTIA.
### Cap. XVIII.

QUoniam vero Cervus ad Lunæ ſimilitudinem cornua nunc amittit, nunc reparat (nam & ſideri cornua & decidere & ſuccreſcere videntur) hieroglyphicũ nonnulli ponunt Cervi cornua, ſi quempiam ab ignobilitate modo ad honores evectum, modo ab honoribus ad ignobilitatem redactum aſſiduo fortunæ rotatu, varioque eventu, ſignificare voluerint. Solis enim animaC lium cornua recidivaque annis omnibus Ariſtoteles Achaicis Cervis hoc ait accidere: eosque, ut ſupra dictum, præ pudore tamdiu latitare, & loca difficilia acceſſu petere, donec alia renaſcantur, quamvis caſtratis ajunt, neque decidere, neque ſi prius deciderint, renaſci. Toto vero opere cornua dignitatis, potentiæ, fortitudinis, authoritatis, & imperii indicia eſſe commonſtrantur.

## SACROSANCTA DIGNITAS. Cap. XIX.

HInc aliud naſcitur hieroglyphicum, ut ſacroſancta dignitas ex unoquoque cornu ſignificetur, quod antiquiſſima omnis veterum indicat diſciplina. Honoris enim, uti dicebamus, & potentiæ ſignum tam apud Gentiles, quam apud Chriſtianæ pietatis cultores, quique eos præceſſerunt Hebræos, habita ſunt cornua. In Divinis ſiquidem libris cornu paſſim pro Regia dignitate poſitum reperimus, complexaq; ſimilitudine quadam inter ſe, cornu, radium, & coronam. Inde Moſes cornibus inſignis effingitur, cujus facies divini Solis lumine correpta, radiis quibusdam igneis promicare videbatur: adeo ut Iſraeliticus populus cum ſplendorem eum ferre non poſſet, oculis ad obtutũ cæD cutientibꝰ, ab eo ut velata facie verba faceret ſtudioſiſſime contenderunt. Eadem porro dictio apud Hebræos & cornu & coronam denotat. Unde ſæpius apud Latinos in literis Divinis cornu pro Corona poſitum legimus, paſſimq; ex inſtituto veteri coronæ regiæ radiorum referunt ſimilitudinem: ut non temere olim inſtitutũ ſit eas Apollineo capite duodecim pretioſis lapillis confici, qui ſplendore ſuo promicantes caput univerſum radiis illuſtrarent. Totidem autem radiis coronas regias conſtare, tum ex numis veterum, monumentisq; aliis vel ære fuſis, vel marmore inciſis, tum ex Virgiliano carmine videmus, ubi Latinus fœdera certaminis inter Æneam & Turnum ſancturus, ſic ait:

*Cornu ſacrũ ſignificationes.*

*Virgil. Æneid. lib. 9.*

*Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum*
*Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,*
*Solis avi ſpecimen.*

Signã-

Significarunt & in portentis cornua dignitatem,ut purpurea illa,cum quibus Bos albus olim natus, Albino Clodio tum primum in lucem edito : Imperatoriam enim illi dignitatem portendisse persuasum est. Quæ quidem ille jam grandis cum Tribunus effectus esset, in templo Apollinis Cumani suspendit, sortesque illis has eduxit :

*Virgil. Æn. Lib. 6.*

*Hic rem Romanam magno trepidante tumultu*
*Sistet, Equis sternet Pœnos, Gallumq; rebellem.*

Sed hæc verbosius forte quam par erat explicuimus,nulla tuarum occupationum ratione habita,mi Bocchi. Sed nosti Cervi Cornua esse insigniter ramosa, quæpe τὸ παστάλιον pro cœnaculis ad parietes affigantur, in quorum scilicet ramos hospites domesticiq: omnes, annulos, sudaria,pileos, & id genus multa soleant appendere,cum se vel cœnaturi,vel accubaturi, volunt expeditos. Hinc tot ea fuerunt,quæ Cervinis cornibus applicata reperisti.Quæ quidem si tuæ non respondent expectationi,quid ego veniam à te deprecer, qui maxime omnium unus nosti occupationes meas ? Pro summa vero eruditione tua dabis operam,ut Cervus meus & torquibus aureis,&insignioribus aliis monilibus adornetur: unde aliquod eo sanctissimæ amicitiæ nostræ monumentum posteritati relinquatur.

---

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER VIII.

## DE IIS QUÆ PER FORMICAM, ET SCARABÆUM, ET ECHINUM SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD ROMULUM AMASÆUM.

*Quod maxime omnium animalium duo, te Formica scilicet & Scarabeus (quorum vitæ alterum negotiosæ, ejus alterum quæ in naturæ Deorumq; contemplatione versetur, hieroglyphica sunt) in admirationem traxerint,minime mirum est,eruditissime Romule,cum & veteres Philosophi omnes in certamen commiserint, utrum brutum,humanum, an divinum etiam eorum esset ingenium altercantes,& an ea vera sint, quæ lib. de Nat. Deo. apud Ciceronem legimus, in Formica non modo sensum,verum etiam mentem rationemque atq; memoriam esse.Pythagorici enim,ut optime nosti,animam omnem,quæ sensibus & memoria sit prædita, rationis identidem atque etiam orationis esse participem asseverant : neq; interioris tantum,verum etiam exterioris,qua uniuscujusq; generis animalia,quantum necesse habeant, inter se mutuo loquantur : Minime vero mirum esse, eorum quæ Bruta vocamus, verba non discerni à nobis, Italis videlicet aut Græcis, cum barborum etiam multorum verba minime discernamus, qui utrum loquantur an vociferentur, distincte satis non sane possumus intelligere. Quanquam proditum est, fuisse etiam apud antiquos, qui sermonem animalium omnium intelligerent, inter quos Melampum & Tiresiam præcipue memorant, & multorum scriptis celebratum Apollonium Tyaneum, quem referunt in amicorum cœtu & audisse & intellexisse Hirundinem aliis nunciare Asinum prope urbem onustum tritico cecidisse, triticumq; humi diffusum. Philostratus ubi historiam istiusmodi narrat.Passerem fuisse scribit, quem ita loquentem Apollonius intellexit. Utcunq; vero calluisse & cum avium & brutorum id genus linguas, uno omnes consensu tradunt. Sed enim parum hoc mihi videtur, quod, ut alia missa faciamus, Formicæ Scarabæive inter se loquantur, cum alia in his spectemus, quæ prudentiam, quæ pietatem, quæ legum observantiam, quæ agendarum intelligendarumq; rerum, quæ vel Philosophis interdum negotium facessere consuerint, notitiam præ se ferant, quod multis humanæ*

*Brutorum sermo à nonnullis intellectus.*

A *mana vitæ commoditatibus illa ipsa quotacunq; animalia nobis documento fuerint, & vivendi propemodum rationem indicarint. Sed næ ego ineptus, qui super his ad Romulum Amasæum eruditissimum eloquentissimumq; virum differam. Sed enim dabis hoc amicitiæ nostræ, ut etiam liceat ineptire: deq; iis sermonem facere, quæ tu decies in anno longe disertius & eruditius è suggestu publico docere soleas. Nostram vero hanc diligentiam non est, ut obscuram quispiam existimet, quod in tam tenui muremur insecto, cum in eo tam magna naturæ miracula delitescant: quæ cum Ægyptii sacerdotes diligenter contemplati essent, hæc per Formicam suis hieroglyphicis adscripram significari voluerunt.*

## INVESTIGATIO. Cap. I.

DIligentissimam in primis investigationem, solertiamque in iis comparandis, quæ ad usum vitæ facerent, per hujus animalis hieroglyphicum ostendebant. Formica siquidem ea quoque deprehendit, quæ quisquam accuratissime occultaverit, pari cum Sole diligentia, qui quotidie omnia terrarum opera visitatione sua collustrat: quapropter in Isth-
B mo Soli Formica immolari solita.

## PROVIDENTIA. Cap. II

MOx & providentiam demonstrabant quia memor hyemis cibaria comparat & recondit, & cellas promptuarias facit, semina interim ne nascantur morsu secat, abrosaque condit, ne rursus in fruges exeant è terra, atque inutilia inde sibi ad usum alimenti fiant. Quin etiam si ea imbre madefacta senserit, profert atque exsiccat, idque eo tantum tempore, cum tranquillum atque serenum cœlum præsenserit. Quamobrem nunquam ex nubibus imbrem effluxisse conspexeris, cum à Formicis expositum est frumentum: quod supra humanæ intelligentiæ captum esse negarit nemo, nisi paucissimos commemorare velimus, ea insignes præsagitura: uti Democritum fuisse memorant, quem tradunt jussisse fratri, cœlo admodum sereno, ut quam rapidissime posset messem omnem sub tecta inferret, atque effusissimum paulo post diluvium subsecutum. Adhæc, hanc prudentiam, sive cœlestium cognitionem Formicæ adscribit Ælianus, ut cum nonum à Lunæ coitu diem inauspicatum
C norit, nunquam eo die de latebris exeat. Sed ut ad asservandæ frugis providentiam revertamur, ea si homini largius, aut pari saltem cum Formicis portione concessa esset, Phalaris Agrigentinorum tyrannus loca quædam in Sicilia munitissima tam parvo negotio minime cepisset. Is enim simulato cum oppidanis fœdere, frumenta quæ residuo habere se dicebat, apud eos deposuit: deinde data opera, ut cameræ tectorum, in quibus ea condebantur, rescissæ pluviam reciperent, frumentaque ita computrescerent, illos fiducia additi commeatus proprio tritico abusos, primo æstatis initio aggressus, inopia compulit ad deditionem. Quod ut exemplo nobis sit, sacræ etiam literæ adhortantur, quæ pigros desidesq; admonent, ut ad formicam se conferant, atque illa prudentiores fieri contendant. Salomon Formicam, minimum terræ animal, sapientiorem sapientibus asseverat: propterea quod *Prov. 6.* sibi præparat in messe cibum. Deus vero, ut arbitratur Adamantius, industriam hanc vel quasi providentiæ similitudinem Formicis dedit, ut aliis ratione utentibus perspicuum esset exemplar, quo Formicarum opera contemplantes, ad res gerendas ipsi quoque aggrederentur, usui necessaria compararent, & parta discerent asservare.

*Summa Formicæ providentia.*

D

## LABOR INDEFESSUS. Cap. III.

ADhæc laboris perseverantiam ex Formica picta significabant: nam ea non interdiu solum verum etiam noctibus laborem exercet. Quanta vero diligentia eandem semper itat viam, neque unquam aberrat à loco, in quo quicquam reposuerit? quanto nixu semina, quæ præ pondere gestare non possit, pedibus protrudit? quam officiose aliæ fessis succedunt, opemque afferunt? ut merito sit exemplum nobis magni Formica laboris, quæ argutam longe argutius Cicadam eluserit, cum illi, ut in Fabulis est, respondit. *Æstate quæ cantavero, hyeme salta.* Æneas Platonicus in Theophrasto, ubi differit Euziteus, eorum opinionem refellit, qui defunctorũ animas ajunt id genus animalium sectari, cujus vitam, dum in humanis essent, imitabantur, ad diligentissimam hanc investigationem, solicitosque labores Formicam accommodat, quam, si ita esset, Ulysses post obitum assectari cogeretur,

qui nobis ab Homero exemplar datus est, in quo quid virtus, & quid patientia posset, intueremur, idemq; laboriosus omnium Poetarum celebratione decantatur. Plato autem in Phœdone tradit, eorum animas, qui popularem civilemq; virtutem absque Philosophia, consuetudine exercitationeq; freti, exercuerint, in Formicas abire post obitum. Nam & ea quæ de Myrmidonibus narratur fabula, Theagenes eo quod super Ægina scribit opere, quem scriptorem Pindaricus interpres citat, Æginetas ait, olim in subterraneis speluncis habitasse, quamq; excavabant terram in cultum arborum egerere solitos, mox fructus congestos introferre: unde à Formicarum similitudine nomen illis Myrmidonum accesserit. Sedenim de Myrmidonibus priscorum fabula est, ne Græci unquam nugari desinant, Jovem in Formicam mutatum Eurymedusam Archelai filiam compressisse, unde Myrmidon genitus ejus gentis caput.

*Fabula Myrmidonum, Lib. 2. & Zezes historia 133. septimæ chiliadis.*

## PIETAS. Cap. IV.

*Mutua formicarum officia.*

REcte autem & pietatem, quæque mutuo mortales mortalibus officia debent, per Formicam expresseris, si commeare eas in formicarium spectes, Formicæ alterius cadaver inferentes: prodire ex cavo aliquas, factasq; obviam quasi consternatas retrocedere, bis idem terq; factitare, alias demum vermiculos ab inferiori loco, utpote redemptionis præmia, quibus cadaver redimant, convectare: alias vero tentare, si quæ dissectæ fuerint, ut partes committant, & cohærere faciant, impellere etiam, ut quæ nihil intermittant, quo explorent, an per se demum redire queant. Quod si quis, ut Æliano teste Cleanthes inquit, animalia hæc rationis expertia contenderet, sola hujus rei contemplatio admiratione errorem emendare potest. Quantum vero pertinet ad victus convectationem, Petrarcha noster maluisset hæc de Ape potius, quam de Formica dici, ne furacitati adeo favere videremur. Nam & in fabulis est, formicas, quæ nunc sunt, homines aliquando fuisse agrestes, eodem ferme ingenio, quo reliqui fere omnes rustici damnantur, furaces scilicet & raptores, qui licet in id genus animalia fuerint transmutati, prist'num tamen convectandi prædas, & rapto vivendi morem obtinuerunt. Animadvertendus vero locus est Levitici cap. XXII. *Si fractum, si cicatricem habens:* ubi Septuaginta pro *Si fractum, Si formiculosum* reposuere, per quem loquendi modum hieroglyphicum scilicet interpretes eum intelligi volunt, qui cogitationem omnem in terrena & secularia negotia conferat, neq; pensi habeat quicquam nisi ut cibo potuq; saturetur: quandoquidem hæc formicarum vita, ut quæ ventri apta sint & commoda undecunq; contrahant congregentque, ut notat Hesychius, illudq; Salomonis de quo superius, *Vade ad Formicam, opiger, & vias ejus considera*, ita intelligit, nempe, quia pigrum ignavumque ad negotia provocabat, non ut qualia Formica facit, rapto scilicet vivendo, faceret, sed ut laborem, diligentiam, providentiamq; ejus in rectis operibus æmularetur.

## INÆQUALITAS. Cap. V.

*Morum dissimilitudo.*

SUnt qui collegas impares, aut inæqualitatem in moribus, in dignitatibus, in censu, & in omni denique vitæ colore significantes, Camelum & Formicam pingant, laboriosum utrumque animal, sed facie magnitudine, reliquoq; ingenio magnopere inter se dissident, ut nullis comparationis terminis circumscribi valeant. Apud Ægyptios, fateor, hieroglyphicum hoc non haberi, sed usitatissimi proverbii citatio, *μύρμηξ ἢ κάμηλος*, ne prætereatur, monet.

*Lucianus 1. epist. Satur.*

## OPULENTIA. Cap. VI.

ILlud exploratum satis, opulentiam per Formicas significari, non tam apud Ægyptios, quam etiam apud Aruspices, sive de nostratibus, sive de Indicis intelligamus: quarum hæ quidem victui necessaria oppido congerunt, Indicæ aurum, & pretiosam supellectilem accumulant: ut non immerito Formicaria bona de affluenti divitiarum copia dicantur, quam augures iis portendi asseverant, apud quos illæ rem congerant: veluti Midæ illi Phrygi, cum puer esset, dormienti Formicæ in os tritici grana congessere, ex quo ditissimum hunc fore ita prædictum est, ut evenit.

## MULTITUDO INFESTA. Cap. VII.

*Fatales Formicæ.*

ALioqui Formicæ, infestæ multitudinis signum apud Aruspices fuere, ut quæ Neroni mortis appropinquantis præsagium attulerunt, qui sibi visus est per somnum pennatarum Fomicarum multitudine oppleri. Nam & paulo post concitata in eum multitudo, mortem accelerare compulit. Ferales etiam fuere Tiberio, quæ Serpentem ab eo in deliciis habitum adhuc viventem corrosere:

nam

A namAruſpices cavendum ſibi eſſe à multitudine reſponderunt. Sunt qui inauſpicatas eſſe putent,ob colorem, qui omnino feralis eſt, quanquam in Pephno inſula Laconiæ Formicæ candicant.

## INTERITUS. Cap. VIII.

IN univerſum autem conjectores ideo Formicas indicium eſſe mortis aſſeverant, quod terræ ſiliæ ſint,& ſubterraneis cavis habitent, quo identidem mortuorum cadavera inferuntur. *Artemidorus lib. 3. cap. 6.*

## AUDITORUM FREQUENTIA. Cap. IX.

AT ſolis literarum profeſſoribus lætum eſt,exOnirocritarum diſciplina,Formicas in aures obambulantes imaginari: ſiquidem ajunt puerorum multitudinem hinc ſignificari, quæ ad audiendũ cumulato numero ſit adventura,unde Martialis in optatiſſima Grammatici commoda iocatus ait: *Artemidorus lib. 2. cap. 26.*

*Sic te frequens audiunt capillati.*

## INANIS GLORIA. Cap. X.

PRobatiſſimi ſapientiſſimique morum ſcriptores quidam κενοδοξίαν per Formicæ hieroglyphicum expreſſere. Inanem noſtri gloriam dicunt, qua nos ipſos ſupra modum & meritum æſtimamus,
B tacitique nobis applaudimus. Latet enim plurimum hoc vitium in abditis animi receſſibus, cogitationisque deliciis paſcitur & educatur. Formica vero in cavernis ſeſe libenter continet,nec niſi neceſſitatis cauſa prodit in propatulum: cum ſcilicet aut ſpeculatum,aut prædatum properat,vel congeſtas opes curat,de quarum ſolicitudine ſuperius ſatis dictum. Habet vero hoc Formica cum κενοδοξίᾳ ſimillimum,quod laboribus & fructibus inſidiatur perinde ac inſidioſa peſtis, hæc quicquid præclare egerimus,& quascunq; adoreas acquiſiverimus,labefactare furtim aggreditur: illa in opes jam partas,hæc in virtutes & partam jam exiſtimationem populabunda. Fecimus quid in bello fortiter,fors & corona donati ſumus? ſurrepit hæc clanculum,& ſolia decerpit ſingula,dum noſtra nos facinora narramus,& glorioſum militem,ut in comœdiarum fabulis eſt,imitamur.Prudenter aliquid cavimus,id quicquid eſt Cenodoxia vitiat,& gloriando mutat in imprudentiam. Beneficio aliquem affecimus, deſtruit illud gloriatio, efficitq; ut de quo benemeriti fuerimus, maleficio ſe à nobis affectum putet: operamque ita & oleum perdamus. Plurimum temporis in jejuniis,in vigiliis, in oratio- *κενοδοξίας incommoda.*
nibus,in continentia,in animi corporisque moderatione,ſine ulla mentis averſione conſumpſimus,
C advenit Cenodoxia,quæ fructum omnem,quem per labores tot collegeramus, rapidiſſime depopulatur.Ingenioſe,docte & accurate aliquid conſcripſimus? ſed dum nos ipſi illud efferimus,& aut noſtros nos non apparere labores ingemiſcimus,aut eorum venditione moleſta gloriam affectamus, Cenodoxia illa,illa inquam ſtatim obſcurat,quæ alioquin futura erant illuſtria: proque ingenio,ſtoliditatem; pro doctrina,imperitiam; pro ſtudio, negligentiam objectat. Danda itaque eſt opera,ut laudabilia quidem faciamus ex quibus gloria ſponte naſcatur,ſed cum eam viſi fuerimus acquiſiviſſe,negligemus potius quam efflagitemus: ita enim cumulatior,& corollariis etiam aucta ultro percita ſubſequitur. Siquidem: *Virtus ipſa ſibi pretium eſt,nihil indiga laudis,*
diceret Claudianus; eam tamen vel invitam honor & commendatio comitatur.

## DEPOPULATIO. Cap. XI.

SEd ut ad Ægyptios revertamur, agrorum vaſtationem & infrequentia facta loca, quæ populoſa prius fuerant, per formicam & Origani faſciculum ſacerdotes illi ſignificabant: per Formicam, uti ſuperius declaratum eſt, hieroglyphicum populi, quod paſſim jam habetur: per Origanum,ſoli- *Origanum. ejusq; virtutes.*
D tudinem ejus intelligentes. Ea ſiquidem herba loco appoſita, qua Formicæ meant,modico vel ſalis, vel ſulfuris pulviſculo ſimul inſperſo,efficit ut iter deſerant,ſuisque relictis cavernis alio migrent. Nam & Sotionis in agricultura præceptum eſt, Origanũ ſylveſtre frumenti acervis circumſpargere, ne Formicæ grana depopulentur.Sed ſi actutum eas tollere quis velit,experimento compertum eſt, facilius ſummoveri poſſe,ſi captas aliquot combuſſeris,& cinerem in cavum injeceris:in agro vero ſi candefactum ferrum in ceſpitem ubi nidificant impegeris. Eſt vero Origanum herba vulgo etiam *Athenæus lib. 3.*
nota Romæ,& aliis Italiæ locis,Latine Cunila bubula appellatur,quam utpote præcipue ſuam Ligu- *Eadem omnino referuntur infra lib. 58.*
res littorales *Cornabulam* vocant,putri,ut proverbio fertur aptiſſimam ſalſamento. Cæterum cum permultæ ejus ſpecies ab authoribus referantur,eademq; variis cognomentis appelletur,ſatis fuerit atteſtari Cunilam bubulam eſſe, quæ ὀρίγανον Græce dicitur, quam à Teſtudine, cum ea Viperam ederit,

ederit, ad incolumitatem carpi dicit Aristoteles, & ab eo Plutarchus. Apud Plinium legas, contra Ser-
*Idem lib. 30. infra* pentes privatim, quæ Cunila bubula appellatur: apud Aristotelem, Ciconiæ cum vulnus acceperint (eas enim cum Serpentibus assidue dimicare cognitum) Origanum plagæ imponunt. Theodorus Gaza vir accuratissimus, ubicumque sit Origanum interpretandum, Cunilam reddit: quorum fuerunt testimonia adducenda, quia nonnulli Cunilam bubulam eandem & Origanũ esse, pertinaciter negant. Addam illud, cum inter tres præcipuas Origani species Onites connumeretur doctissimos ætate nostra viros de hac non parum dubitare, eamq; sibi incognitam ingenue profiteri. Nostri Bellunenses speciem quandam Origani, caule, foliis, & floribus grandioribus vulgo apud nos provenientem, Pulegium asininum vocant (unde putarim Onitis vocabulum, utpote quod ὄνος τῶ ὄνῳ, qui Asinus est, commodissime deduci posse, apud nos ita Latine interpretatum) ea vero herba nimirum
*Gillæ. Alii & P. Atani virtutes.* Cunila est. Ne vero cuipiam mirum adeo videatur inesse vim ejusmodi gramini tam vulgari, ut Formicas fuget, Ambrosius herbam quandam memorat Gillam appellatam, cujus folia turtur nidis suis excluso fœtu superjacere soleat, eoque pacto pullos ab Luporum incursu deprædationeque tutari. Lupus enim folium hujusmodi usque ad fugam abhorret. Leopardus vero Allium ita sibi sentit abominabile, atque contrarium, ut si quis eo locum, ubi ille moretur, confricuerit, exilire cogatur, & aufugere. Ælianus primo de naturis animalium scribit, Noctuas à Ciconiis suo nido procul summoveri, Platani eo foliis importatis, quorum contactum Noctuæ ferre nequeant, ex eo in torporem illabentes, Ciconiasque ita pullorum suorum incolumitati prospicere, quibus assidue Noctuæ inimicabiliter insidiantur: de quarum alitum inimicitiis suo loco dictum est. Neque vero Ciconiæ tantum, Turturesve aut Testudines medelam sibi nanciscuntur naturæ ductu, verum etiam & Canes, & Sues, & ex animalibus pleraque alia. Canes quidem, cum fellis vitio laborant, gramen illud suum decerpunt. Sues, si cephalalgia crucientur, fluviales Cancros investigant. Mustelæ rutam, si quando colubrum comederint, carpunt. Angues marathro lippientes oculos depurgant. Hujusce rei quænam sit causa, non otiose quæritur à quibusdam: quippe cum animalia neque didicerint ab aliis, neque quidem doceri potuerint, cur ita norint quæ suis sint ægritudinibus utilia: quæ nos aliis disputanda in medio relinquemus, iis jam contenti, quæ ad veterum picturas declarandas facere videbuntur.

## INCOLUMITAS. Cap. XII.

FELICITER mihi quidam videntur excogitasse, ut si hominem graviore aliquo morbo confectum, minime tamen rei cujuspiam ope incolumitati redditum significare vellent, ursam lingua in Formicas exporrecta hieroglyphice pingerent. Ursam enim ferunt Formicarum esu, quas lingua illexerit, ac mox potu adhibito deglutierit, morbi opem sibi comparare: quod eo præcipue tempore facit cum primum è specu prodit, ubi jejuna hyemarit. Nam Aron in primis agreste pascitur (eam Dracontii speciem Medici ponunt) cujus acerbitas intestinum inedia concretum laxat: quod si nullam attulerit opem, Formicis eo modo devoratis, incolumitati pristinæ restituitur.

## LATEBRÆ. Cap. XIII.

DE latebris vero, in quibus aliquis se contineat, per Vespertilionis alam, & Formicam indicatis, inter reliqua Vespertilionis significata diximus.

## DE SCARABEO. Cap. XIV.

AC de Formica quidem hæc dicta sufficiant. Quod vero pertinet ad Scarabeum, Appion ille Grammaticus, quem Cymbalum mundi Tiberius est appellitare solitus, rideri à plerisque visus, quod curiosa nimium interpretatione, Solis operum similitudinem vermiculo tam exiguo, tam bruto inesse collegerit, ad excusandos gentis suæ ritus: quæ pilularem Scarabeum magna ex Ægypti parte inter numina coluerit, quem reliqui etiam in fabulis tanta veneratione prosecuti sunt, ut scribere non dubitarint, quemadmodum Scarabeus inexorabilem se vel ad Jovis preces opposuerit, qui multis ab eo verbis contendebat, ut cum Aquila rediret in gratiam, coactumque Jovem ipsum alia ratione tantæ ire obviam inimicitiæ. Cæterum si

quæ

A quæ de Scarabeo traduntur vera sunt, vera autem ut credamus esse, non ipsius Appionis tantum authoritas, verum & Aristotelis, & Plutarchi, & aliorum scriptorum excellentium consensus efficit, imo ut nihil hi scripserint, quæ passim nosmetipsi quantum fieri potuit oculata fide perspicere potuimus, non verum asseverare, pervicacis esse ingenii. Tam igitur super operibus ejus admiranda cum sint, tantum abest ut vel Appion, vel Ægyptii alii sacerdotes, qui signate adeo rem interpretati sunt, ridendi videantur, ut merita potius, hoc est, magna & ingenti laude fraudandum minime sit eorum inventum.

## MUNDUS. Cap. XV.

*Mundi Scarabei motu per Scarabeum.*

CUr enim quis Ægyptios sacerdotes irrideat, quod mundi speciem, motusque ipsos per Scarabeum significari tradiderint, non satis video, si pilulas illas, in quibus seminium ex sese primum habuerint, ac in vermiculos primum, mox in certam effigiem conformati fuerint, ad mundi ipsius imaginem & rationem fieri compertum est. Scarabeus enim certo anni tempore bubulum excrementum nactus, materiam eam sibi suscipit elaborandam, quod primo statim Pacis suæ versu mor-
B det Aristophanes, εἶρ' ἀγε μαζαν ὡς τάχιστα καυθέρω. Quo loco maxam Poeta pro Excremento posuit utcumque primum ex ea pilulas conficit, ut jam mundi ipsius formam initio imitentur, mox eas ab ortu occasum versus posticis impellens pedibus, non intermissa rotatine, protrudit, ipse interim aversus ortum spectat: quasi de industria id det operā, ut cœli ipsius exemplar intuendo imaginem ejus exprimere conetur. Quid vero illud, quod inter trudendum à Subsolano in Africum fertur, quasi astrorum cursui fieri obviam contendat, qui quidem proprio motu ab Africo ad Subsolanum est? Neque me præterit, esse qui non bovillum, sed asinum excrementum ad hoc opus deligi autumant: & ab eo inter volutandū genitale semen simo superfundi comminiscuntur, unde materies ipsa concipiat. Addunt etiam, ut historia sit verisimilior, nomen ipsum convenire, quod Canthon asinus sit, unde Cantharus infectum id denominetur. Sed hæc varietas ad nos nihil: cum de pila sermo sit, ex simo Scarabeus informet, atque mox in aquas volutando protrudat.

## GENERATIO. Cap. XVI.

*Scarabei ortus & generatio.*

C PRoximum huic significatum est, rerum procreationem atque principium, ex ejusdem animalis imagine significari. Siquidem ex aquis in lucem prodeunt Scarabei, veluti rerum omnium generationem ab aquis esse Philosophi non postremæ authoritatis autumant, Homerum quippe secuti, qui totiens Oceanum rerum Parentem omnium appellat. Nam ea quis quotidie non teneatur, scandere aquas in cœlum, diceret Plinius, easdemque cadentes omnium terra nascentium esse causam, fruges inde gigni, arbores fruticesque vivere, vitalem etiam herbis animam elargiri, omnes denique terræ vires aquarum esse beneficia? Quod vero Scarabeos diximus ex aquis primū lucem auspicari, ex historia cognoscere est: quod scilicet simul ac pilæ illæ ex simo fabricatæ sunt, Scarabeus terram infodit, ubi eas per dies octo & viginti sepultas occulat, quot itidem diebus Luna duodecim Zodiaci signa perambularit, atque hæc hyeme potissimum rigente fiunt. Dumque ita pilæ terra coopertæ confoventur, animantur primum in vermiculos, inde paulatim in genus informantur, simo tamen uti folliculo quodam inclusi, nono autem & vigesimo die pater è nido prodit, pilulas egerit, & singulas, uti dicebamus, protrudendo in aquam provolvit: utpote qui diem eum Solis & Lunæ coitum conciliare non ignorat, ac perinde mundi ipsius generationem quandam assimilare, orbe inde
D Lunæ novæ oriri incipiente. Pilæ autem in aquis mollitæ primum, atque haud ita multo post adapertæ cum fuerint, informati jam excluduntur Scarabei, & nigrum it campis agmen. Quod si Formica tanto hominum consensu providæ titulum consecuta est, quod in convectandis asseruandisq; prædis admodum sedula esse videatur, quos honores habendos Scarebo excogitabunt mortales, qui non humanarum tantum rerum peritos eos, verum & cœlestium, & divinarum propemodum non ignaros intueantur? Certe non immerito καυλάξει σοφώτερος proverbium celebratur, ab iis qui singularem in eo vermiculo sapientiam animadvertunt.

## UNIGENITUS. Cap. XVII.

QUod vero apud Ægyptios legitur, Unigenitum hieroglyphice per Scarabei figuram significari, non eo tantum modo accipiendum, quo quempiam unicum filium Unigenitum appellare con-

fuevimus, sed ea etiam de causa, quod ab uno tantum genus agnoscat: imo quod solus ipse sibimet seminium fuerit: singuli enim ex pilulis singulis procreati, nequaquam habent ad quod genus referant suum, sed absque ulla propagine, nulla maris genitura, nullo fœminæ conceptu, vermium sponte nascentium Instar, in eam speciem prodierunt.

## DEUS IN HUMANO CORPORE Cap. XVIII.

EXigere videtur locus is, ut quo æquiores Ægyptiis simus, Deum optimum maximum humano corpore assumpto, Scarabei similitudinem subiisse, Theologorum dictis odendamus: neque vero quisquam indignum facinus clamitet, Deum ipsum, omni admiratione majorem, infecto omnium vilissimo, teterrimo, putidissimoq; assimilari, qui legerit apud D. Augustinum Soliloquiis, de admiranda Christi humanitate dictum: *Bonus ille Scarabeus meus, non ea tantum de causa, quod Unigenitus, quod ipsemet sui author, mortalium speciem induerit: sed quod in hac face nostra sese volutarit, & ex ipsa nasci homo voluerit.* Neque veritus est probus ille Theologus, pietatis & integritatis columen, dum in nitidissimo Dei fulgore contemplando, hominisq; ex opposita parte cloacalem quendam putorem expendendo, subturpiculam locutionis quodammodo stomachosæ nauseam, delicatiori cuipiam hibitam derisui, qui satis exploratum haberet, Deum se Vermem etiam per Prophetam appellasse, proindeque eos qui tanti mysterii cognitionem assequerentur, ac perinde stercorariam Scarabei procreationem ex historia callerent, dictum utroque pollice probaturos. Quod vero ad Psalmographi dictum pertinet, *Ego sum Vermis, & non homo*, fuere nonnulli, qui pro *sum Vermis, sum Scarabeus*, traduxere, quasi diceret, *Contemptissima res ego sum.* Euthymius ita ex Christi persona humiliare sese Davidem ait, qui alioqui & Propheta erat & Rex, alibiq; se *Canem mortuum* appellare, ut libro Regum legitur. Qui vero putant dictum hoc propter humanam Christi generationem, quæ absque ulla viri conjunctione fuit, id nobis indicare videntur, quod quemadmodum Vermis è pluvia nascitur desuper in terram veniente, ita & Christus superno sancti Spiritus in Virginem adventu generatus est: quam ob causam Christus Vermis dicitur. Reliqua videris apud Adamantium concione in Lucam quartadecima, quam de Domini circuncisione conscripsit. Porro Augustini dictum eo quoq; deduci potest, quod assertor noster ait: *Ego sum Vermis, & non homo:* quia scilicet ex mare & fœmina homo nasci solet, ego vero non ex masculo & fœmina secundum ritum humanum, atq; naturam, sed in exemplum Vermis natus sum, cujus non ex aliunde semen, sed in ipsis in quibus coalescit corporibus, est origo. Clementis Recognitionum opus circumfertur qualecunque, non vocabulis tantum vitiatum, verum sententiis etiam depravatum: in quo quidem multa à malignis ingeniis institutionis nostræ ludibrium inculcata sunt. Sed hæc corrigere alterius fuerit censura, illud hoc loco tantum attingam, quod circa 6. lib. finem scriptum est: *Nos ut Cantharі libenter volveremur in fœcere*, ubi is qui glossemata quædam adscripsit, non *Cantharі*, sed *ut Cantherii* legendum putat, ratus nimirum Campanum proverbium ad hoc facere, *Cantherius in fossa.* In epistolis vero bonus ille vir quisquis censor fuerit, sed non satis eruditus, audacter *Cantherii* fecit, cum *Cantharі* dubio procul sit legitima lectio, ex hac ipsa quam retulimus historia naturali desumpta. Sed ne quid quod ad Vermem facere succurrat, prætereamus, is pravæ nonnunquam cogitationis inquietudinem hieroglyphice significat, quod Eucherius ad Esaiæ dictum trahit, *Vermis eorum non morietur.*

*Christus cur Scarabeus dictus, & Vermis.*

*Psal. 22, 6.*

*Quod refertur à T. Livio Decad 3. l. 3.*

*Cap. 66. 24.*

## VIR PATERVE. Cap. XIX.

CUm vero ita nascatur Scarabeus, ut nullo fœminæ beneficio progignatur, solaque patris cura, labore & diligentia vitam auspicetur (non enim fœmineum est inter eos genus) hinc fit, ut Ægyptii sacerdotes Patrem significaturi, Scarabei prætulerint imaginem: & ubicunque maris officium, masculamque vim exprimi voluerint, non alio magis uterentur hieroglyphico: nam veluti pro maris & fœminei sexus symbolo Vulturem pingebant, quod illa absque patris ope procrearetur, uti commentario suo disputatum est, ita virum ob similem, quam attulimus, causam, per insectum hujusmodi intelligi voluerunt.

## STRENUUS BELLATOR. Cap. XX.

ET quoniam bellatorum animi ea maxime ratione commendatur, si viriles fuerint, virorumque sit bella gerere, Maronis Homeriq; præcipue authoritate, illi ipsi sacerdotes masculam virtutem atque

*Virgil. lib. 1. Æneid. Iliad. lib. 7.*

A atque ferociam per Scarabeum expreſſere: cujus imaginem annulis inſculptam milites geſtaſſe, tradit Ælianus, de quo plura apud Plutarchum libro de Iſide & Oſiride. Erat & ſignum Romanorum militum, Scarabeus, quo virilem animum præſtare ſe debere admonerentur, neq; muliebriter quicquam meditari facereve, eaque de cauſa dictum ab Horatio:

*De Arte Poëtica. Æn. lib. 11.*

*Tyrtæuſq; mares animos in Martia bella Verſibus exacuit.*

CONTRA vero & Phrygas & ἀχαΐδας, in effœminationis opprobrium Virgilius & Homerus, uterque ſues appellavit: quod nihil ſaperent maſculum, ſed muliebri torpore ignaviaque eeſſarent.

## SOL. CAP. XXI.

CUm vero plures ſint Sarabeorum ſpecies, trium Ægyptii meminere, quarum unam αἰλυρόμορφον appellatur: quæ ſc. Felis faciem mira refert ſimilitudine, eſtque radiis quibuſdam inſignita, eaq; de cauſa Solis hieroglyphicum formam hanc eſſe voluerunt. Ajunt vero αἴλυρον, qui apud Latinos nunc Cati, nunc Felis nomine receptus eſt, oculorum pupillarumque uſum cum Solis curſu, ἀνλαπαθεία quadam commutare: quippe quæ & noctu & ingruente matutino tempore vegeti-

*Plin. lib 30. cap. 11.*

B ores fiunt, & acutius cernunt, ad ortum uſque jubaris, inde ſenſim incipiunt hebetari meridiem verſus: atque ita quo magis ad occaſum declinat Sol, eo minus obſcuriores fieri. Adhæc Scarabeo digituli ſunt uuicuique triginta, totidemq; ſunt menſis dies, quibus Sol ortu continuo gradatim per ſingula ſigna curſum peragit ſuum.

## LUNA. CAP. XXII.

ALtera ſpecies bicornis eſt, ideoq; ταυροειδὴς appellata, Tauri quippe inſignis facie. Hæc Lunæ ſubjicitur: propterea quod cœleſtem Taurum Ægyptii Lunæ exaltationem commentati ſunt. Gigni hos ex Vermibus, Ariſtoteles, qui lignis aridis innaſcuntur, aſſerit. Primum enim Vermes ipſis immobiles fiunt, mox diſrupto putamine in Scarabeorum genus exit. Cæterum Plinius genus hoc cui Tauri cognomen cornicula dedere, terreſtre putat, eos idcirco alii terræ Pediculos vocant. Lucanos appellat Nigidius, quibus cornua prælonga, biſulcis dentata forcipibus, in cacumine cum libuit ad morſum coëuntibus, quales inſtantium remediis ex cervice ſuſpenduntur, eos in Veneta re-

*Plin. ibid.*

C gione Gramphos, quaſi Ceramphos, hoc eſt, bicornes appellamus. Cornicula ea non tantum collo ſuſpenſa ad quartanas, quibus id remdii applicat Plinius, verum etiam in frigidiuſcula lavatione unarinatoribus ad nervorum ſtuporem, qui plerumque fit in aquis, amuletum creditur: nam & id incommodi vulgo Gramphum vocitamus.

*Gallice, la grampe.*

## MERCURIUS. CAP. XXIII.

ERat & ſua hieroglyphico Mercurii ſpecies dedicata; quippe unicornis, & ab reliquis forma admodum diſſimilis. Neque ſum neſcius, quendam etiam eſſe parvum admodum Scarabeum frumenta erodentem, qui Cantharis appellatur, oritur is ex erucis fici, piri, & pini: fiunt enim ex his omnibus Vermes: cæterum hi poſtmodum more Muſcarum coëunt. Ridiculam Metrodorus Sceptius obſervationem ponit, noſtro etiam tempore haudquaquam abolitam in frumentis oleribuſque ab earum injuria ſoſpitandis, quod in Cappadocia inventum prodit, ob multitudinem Cantharidum, menſtruas quippe mulieres ire per media arva, hortoſve, retectis (ſit verbo venia) ſupra clunes, veſtibus, erucaſque ita, ac Vermiculos, Scarabeoſque, ac noxia alia decidere. Alibi ſervatur ut nudis pedibus eant, capillo cinctuque diſſoluto, verſu eo pronunciato, Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ὑμᾶς διώκει, *Faceſſite Cantharides, Lupus agreſtis vos inſequitur.* Cavendum vero ne id oriente Sole faciant,

*Metrodori Scepſii ridicula obſervatio.*

D ſementem enim tunc areſcere proditum eſt.

## LETHALIS A SOLE FEBRIS. CAP. XXIV.

ADhæc Ægyptii hominem lethali febre extinctum, quam ſub dio ſolares radios, perpetiendo contraxerit, ſignificare ſi vellent, Scarabeum cœcum effingebant: oculos quippe vel acu, vel alia levi cuſpide transfoſſum, ita, ut exoculatus omnino videretur. Ajunt enim ſolares radios Scarabeo inimicos eſſe, quibus ſi vehementius impetatur, accidere, ut ſtatim obcœcetur: ſimulac vero cœcus effectus fuerit, brevi etiam commori.

## VIRTUS ENERVATA DELICIIS. CAP. XXV.

ATque hic tam egregius bellatorum ductor, tam alienus à mollitie eſt, ut cum primum venereas roſas olfecerit, emoriatur, quaſi virtutem quantumvis maſculam illecebris enervari documen-

cumento sit, quod quidem vel ab Aristotele traditum, ansam dat hieroglyphico non insulso: si, puta, quis velit Hannibalem durum Capuæ desidentem, effœminatum pingere, scutum illi cum Scarabei signo tribuat, oras vero clypei rosarum sertis ambiat, aut quid hujusmodi. Sunt etiam in hominum genere permulti, qui rosarum halitum ferre non possunt, atque in iis pretii quantivis viri. Nam cum Romæ essem, vidi Oliverium Caraffam magnæ celebritatis Cardinalem, qui rosarum tempore quotannis secedere cogebatur, seque intra suos, quos in Quirinali habebat, hortos claudere, custodiis ad ostia dispositis, ne quis aut salutantium, aut amicorum officii gratia ingredientium rosam inferret. Et in Romana nobilitate insignis vir Petrus Melinus, ingenio, eruditione, & loco nobilis rosarum odore plurimum offendebatur. Atque hæc de Scarabæo, quæ memoria complecti potui, succurrerunt, plura omnino scripturus, nisi Commentarium, quod eo super olim paraveram Vulturi adjunctum, ex clarissimi viri Alberti Pii Carporum Comitis scrinio surreptum, & à nescio quo bibliotapho, vel fuco potius, in Germaniam asportatum, adhuc desiderarem.

*Rosarum halitus nonnullis gravis.*

## DE ECHINO TERRESTRI. Cap. XXVI.

ECHinum Ægyptii, quod hactenus legerim, literis suis non inseruere, multa tamen super eo significata Græci Latinique excogitarunt, quæ admiratione ingenii propemodum cum iis, quæ Formica super & Scarabeo diximus, conferri possint: atque ea quidem ad humanæ vitæ commoda, utili exemplo futura: cujusmodi illud est, quod in primis commemoratu dignum existimavi.

## OPPORTUNITATIS CAPTATOR. Cap. XXVII.

*Tempori & occasioni inserbientem. Echini terrestris tantio magna.*

HOminem quippe temporum omnium conditioni sese accommodantem per id animal significari, & quod ait Phocylides, καιρῷ λατρεύοντα. Novit siquidem Echinus (de terrestri nunc loquor, nam de marino inter pisces alibi agetur) cubilia sua Aquilonum & Austrorum mutatione commutare. Duas enim cubilibus fenestras facit, alteram Notum versus, Boream versus alteram, quaque parte ventum futurum præcognoscit, fenestram obturat, alteram recludit: sin intra tectum alatur, ad parietem discedit. Quod Cyzici quidam cum observasset, consecutus opinionem est apud omnes, ut ventos qui spiraturi essent, ex se ipse præcalleret: quod alii Byzantii evenisse tradunt, forte quod tunc rerum summa apud Byzantinos esset. Sed ubicumq; illud acciderit, satis nobis est id ab Echino fieri, quod documento nobis est, præcavere quantum fieri possit, ne imminens nos occupet calamitas; ea si vicerit, ne adversus prævalentis fortunæ impetum reluctabundi frustra fatigari velimus: flectendam vero viam velis, cum obniti contra non detur, quoque trahit fortuna, iter intendendum. Non enim est, ut idem inquit Phocylides, in ventum reflandum. Quin potius tales simus, ut quo nos cumque rapit tempestas, æquo animo deferamur, atque, ut optime Virgilius monet, si quo Italiam contingere cœlo nequeamus, quia scilicet:



*Æn. lib. 5.*

*Mutati transversa fremunt, & vesperè ab atro*
*Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër,*
*Nec nos obniti contra, nec tendere tantum*
*Sufficimus, superat quoniam fortuna, sequamur,*
*Quoq; vocat vertamus iter.*

*Prov. 37. 26.*

Atque hoc illud esse crediderim, quod in Echino tanti facere videtur Archilochus, dum super animalis hujus prudentia ita scribit:

Hæc

A Πολλ' οἶ δ' ἀλώπηξ, ἐχῖνος ἓν μέγα.
*Multa quidem Vulpes, magnum unum novit Echinus.*
Vel ut numerum reddamus,
*Scit multa Vulpes, unum Echinus, at magnum*
Sane Salomon Erinacium inter animalia terræ minima, quæ sapientibus sapientiora sunt, nominat, ut Septuaginta edidere. Nam Leporem vulgata editio ponit.

## CONTRA PERICULA MUNITUS.
### Cap. XXVIII.

ILlud quoque super Echino significatum ponunt, ut per hieroglyphicum ejus, hominem ab insidiis & periculis ac cujuscunque fortunæ casibus tutum ostentent. Siquidem is simul atque ferarum se impetentium odorem latratumve senserit, in orbem sese colligit, rostro pedibusq; intrinsecus, testudinis more contractis, tergore omni pilæ instar conglobato, spinisque, quibus undecunque munitus est,
B ad incolumitatem erectis otiatur, contactum suum omnibus formidabilem reddens. Ad hæc autem respexisse videtur Horatius Poëta, cum se ita contra fortunæ impetum præparatum scribit, ut sua involutus virtute tutus ab ejus injuria fiat. Ita enim inquit:



*ib. 2. Car. ùs finem.*

*Fortuna sævo læta negotio, &*
*Ludum insolentem ludere pertinax,*
*Transmutat incertos honores,*
*Nunc mihi, nunc alii benigna.*
*Laudo manentem: si celeres quatit*
*Pennas, resigno quæ dedit, & mea*
*Virtute me involvo, probamq;*
*Pauperiem sine dote quæro.*

## C PROCRASTINATIONIS DAMNA.
### Cap. XXIX.

ATque hoc tam prudens alioqui animal in opportunitate captanda, & periculis evitandis ingenio & natura præmunitus, damni tamen alicujus, ob procrastinationem ingruentis, hieroglyphicum est, si illi fœtus adjicitur suus. Id enim malum ex contatione majus effectum ostendit, propterea quod alvo stimulata quamdiu potest partum differt, quo fit, ut fœtus magis inolescens, majorem postmodum in pariundo dolorem afferat. Duo ejus genera omnino sunt, maritimum & terrestre, utrique nomen apud Græcos ἐχῖνος. Terrestris, de quo jam diximus o
D mnibus innotuit sub Erinacii nomine. Hujus quoque species duæ sunt, Suilla, & Canina, quæ quidem rictu & pedibus aut Suillis aut Caninis similibus distinguuntur.



*Aristot. de partibus animal. lib. 4. c. 5. Plin. lib. 9. cap. 31. Echini terrestris species duæ.*

De Suillis Eucherius: Erinacei chœrogrilli nuncupantur, magnitudine prope mediocrium Cuniculorum, qui de cavernis petrarum procedentes, gregatim in eremo, quæ est contra Mare mortuum, pabulantur, qui de cavernis petrarum procedentes, gregatim in eremo, quæ est contra Mare mortuum, pabulantur, qui & Echini dicuntur, ita spinoso defenduntur tegmine, ut nec contingi quidem possint. Par huic cum Formica solertia comparando victu, qui poma aculeis affixa congerat in cavernam: infamis tantum est invidiæ nota quod cum optime norit se propter cutem præcipue peti, cujus usus poliendis velleribus inservit, simulac in periculum se adactum videt, urina sua emissa tergus omne conspergit: sibi conscius id inde putrescere, aculeosque sponte mox decidere.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER IX.

## DE IIS QUÆ PER SUEM SIGNIFICANTUR.

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD FABIUM VIGILEM SPOTETANUM.

*Palæmonis dictum de M. Varrone.*

PALÆMONEM *olim ajunt magni nominis Grammaticum, incomparabilem M. Varronis eruditionem admiratum, literarum eum Porcum appellasse, tanta sibi interea earum prærogativa adrogata, ut Virgilium dicere jam tum de se præsagisse, cum cecinit:*

Audiat hæc tantum vel qui venit ecce Palæmon.

*unum se quippe futurum, qui de scriptoribus judicaturus esset, cujus ferulæ atq; censuræ omnes veterum & juniorem lucubrationes subjici deberent, natas secum literas, secum interituras summa vanitate jactaret. Hic est Rhemmius Palæmon patria Vicentinus, cujus monumentum hodie in Sumano monte agri Vincentino imminente, cum epitaphio ostenditur: ubi rus ei fuisse verisimile est, cum alias etiam agricolationis & vineti studiosissimum fuisse, & C. Plinius ostendat. Sed ea fuerit ductus gloria, certe dictum illud hominis de Varrone non à Grammatico, qui literarum tyrocinia doceret: non ab insano aut inepto viro quopiam effusum, sed ut divinitus potius editum accipimus: nam & olitor sepe non contemnenda protulit. Nos quippe Varronem non ea de causa literarum Porcum vel à Palæmone, vel ab alio appellatum asserimus, quod scripta ejus sint ulla in parte lutulenta, vel ex hara producta: sed quia nihil sit Varrone ipso neque lautius, neq; copiosius, neq; magnificentius, qui tam multa, tam varia, tam pretium conscripserit, magnæ studiosis omnibus utilitati futura, nisi acerbissima temporum clades thesauros eos posteris invidisset: quare his omnium consensione vir doctissimus, ac omnium disciplinarum parens, totius prædicatione vetustatis habitus. Quod vero doctrina ejus Porco æquiparata sit, ea est causa, quod nullum animal à Sue, pluribus magisq; variis condimentis aptum, quod nihil ea carne parabilius, & omnium epularum usui magis expositum, quinquaginta prope saporibus ex eo, ut veteres observarunt, excogitatis, ut non alio ex animali copiosior, neque lautior humano victui materia suppeditetur: perinde ac multa & varia Varronis scripta argumentum nullum intactum reliquere, splendidissimoq; rerum omnium apparatu uniuscujusq; animi famem explevere. Hæc igitur cum super Varrone ipso meditarer, forte accidit, ut scripta quædam mea recognoscerem, quæ scilicet olim ad ἱερογλυφικῶν interpretationem elucubraverum, eaq; inter amicos dividerem, mei erga se vel observantiæ testimonium. Prorupit ex his ecce Porcus Ægyptius, quem aufugere tentantem tum postico arreptum pede comprehendissem, cui dono convenienter hunc mitterem cœpi circumspicere. Varronem quippe aliquem deposcebam: hic mihi tu Fabi Vigil occurristi mortalium eruditissime, cui merito hanc condimentorum lautitiem & συμβολικὴν ὕψος ποικιλίαν, quam de Porco memorant, uti Varroni congruam, ita tuæ perquam similem opulentiæ dedicarem. Nam tu quoque nullum dicendi genus, argumentum nullum, nullam arcanæ quantumlibet doctrinæ partem intactam reliquisti, quæ de divinis humanisq; studiis, de rerum natura, de moribus, de ratione dicendi, de quacunq; demum re, vel dici, vel excogitari possunt, tuo illo magno ingenio, felicissimaq; memoria complexus es: ut vix alterum ætate nostra conspiciam, quem Varroni illi literatissimo conferre possim. Quare Porcum hunc meum tibi deberi merito judicavi, cujus immolatione sanctissimum amicitiæ fœdus tam pie semper inter nos cultum & observatum, qua tua est animi sinceritas, spero me perpetuo confirmasse.*

*A Plin. lib. 8. c. 51.*

PER-

A

## PERNICIES. CAP. I.

AEgyptii Sacerdotes, ut odium, quo fuille genus omne perſequebantur, literis teſtatum ſuis relinquerent, pernicioſum hominem Suis hieroglyphico ſignificari inſtituerunt. Eſt enim natura animal admodum vitioſa, pruritu impotens, Luna maxime deficiente: conſtatque pariter eorum corpora vitiari, qui lac ejus biberint, lepraque & putida ſcabie contaminari. Quinetiam frequens Suillæ carnis eſitatio aciem obtundit ingenii. *Diogenis jocus in athletas.* Unde jocum Diogenes excepit in athletas, de quibus interrogabat quidam, cur icti non ſentirent: *Quia*, reſpondit ille, *Suillis ac Bubulis carnibus educati ſunt*, ad animum ſcilicet vertens quod alter de corpore quæſierat. Hujuſmodi enim cibi quamvis corpus obdurent, mentis tamen acumen hebetant. Adhæc maleficum eſt etiam monſtrum: quia ſatis cladem non exiguam infert, damnoſamque facit pauperiem, dum teneriorem ſegetem non depaſcit modo, ſed & fœde proculcat, & roſtro eruit. *Prima Ceres aëdita ſanguine porcæ.* *Ouid. 2. Faſt.* Unde primum hoc animal Cereri ſacrificatum Poëtæ teſtantur, & fabulæ exortæ ſunt de Cromyonia

B Sue Apri Calydonii matre, uno ex Theſei laboribus. Itaque Salaminii lege ſtatuerunt, ut eorum Suum dentes attererentur, qui ſegetibus cladem aliquam intuliſſent, de quo publice ſtatutum eſt apud Bellunenſes meos. *Bellunenſium ſtatutum.*

## SENSUS MAXIME BRUTUS. CAP. II.

PRæcipua vero fuit apud Ægyptios de Sue ſignificato, ut per ejus ſimulacrum intellectu myſtico, ſenſum materiæ penitus affixum, atque illi præcipue coalitum indicarent: quod licet in animantium omnium, nedum in omni brutorum genere conſpiciatur, neſcio quo pacto tamen longe magis brutum in Sue plurimum apparere, unicuiq; manifeſtum eſt, Hic vero ſenſus rationi plerunq; ſeſe conſtituit adverſarium, non aliter quã materiæ ratione habita, corpus animæ tam multis in negotiis reluctatur, de quo præclara Platonis in Phædone ſententia, *De Sue intellectus myſticus.* *Plin. libr. 8. cap. 5.* *Cicero de finibus l. 5.* τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιοτάτην εἶναι ψυχήν, τῷ δὲ ἀνθρωπίνῳ καὶ θνητῷ, καὶ ἀνοήτῳ, καὶ πολυειδεῖ, καὶ διαλύτῳ, καὶ μηδέποτε κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον ἂν εἶναι σῶμα. *Animam quidẽ per quam ſimillimam eſſe parti ei, quæ divina eſt, & immortalis, & intelligibilis, & uniformis, & inſolubilis, & eodem ſemper modo circa eadem habeat: corpus vero idemtidem ſimillimũ humano, & mortali & incognito, & multiformi atq; diſſolubili, & quod nunquam circa eodem habeat modo.* Ex argumentis autem hujuſmodi, quicquid apud Philoſophos altercationis eſt in explorandis naturæ ſecretis, emanavit: aliis rationẽ rerum, aliis ſenſum præferentibus, eam illis incorruptibilẽ perinde ac animam eſſe aſſerentibus his hunc cogitationi, veluti & ipſos corporis affectus propinquiorem eſſe concertantibus. Quare minime mirum eſt Ægyptios, & qui diſciplinam eorum ſecuti ſunt, in contemplandis iis potiſſimũ quæ à corporibus diſſeparata viderentur, occupatos, Porcum quippe animal ſenſui tantum deditum aſpernatos eſſe: quippe qui corpus identidem ſuummet, ut in Papyro commonſtravimus, minimi faciebant, ejuſq; alendi curandique negotium perexiguum ſuſcipiebant, ſenſui, quem falli in unoquoq; animantium facillime poſſe ſuſpicabantur, parciſſime fidem adhibebant. Contra vero Ariſtoteles, quiq; eum ſequuti ſunt, ſenſum ita ſunt admirati, ut eum cogitationibus omnibus prætuliſſe videantur. Sed noſtra nos ſignificata proſequamur.

D

## VANILOQUENTIA. CAP. III.

AEgyptii autem Sacerdotes, ut apud Horum eſt, ſi vaniloquentiam hieroglyphice ſignificare vellent, & Suem & averſum Elephantum ſculpere conſuerunt: idq; perinde erat, ac ſi rationem à brutali ſenſu averſam oſtendere voluiſſent. Nam cum Elephanti ſignificata Commentario ſuo conſcriberemus, eum in omni fere virtutis numero, ſi de brutis hoc dicere liceat, rationis propemodum participem inveniebamus. Huic Sus opponitur, qui antipathiæ ipſius cogente vi, uſque adeo eſt Elephanto inviſus, ut ab eo nullo poſſit concilio tolerari, ſed quumprimum auditus fuerit ejus grunnitus, fugam Elephas arripere cogatur. Nota hiſtoria eſt, quemadmodum Megarenſes ab Antipatro afflicti, cum ad manifeſtum exitium premerentur utereturq; ille Elephantorum robore, excogitarint Porcos pice oblitos, & injecto mox igne flammatos in Elephantorum gregem immittere: quo facto validiſſimũ Regis conatum negotio minimo irritũ reddidere, victoria per ingenium ſibi comparata. *Sus Elephanto inviſus.* *Plin. lib 8. cap. 9.*

## VIS ANIMI LABEFACTATA. Cap. IV.

ANimosum alioqui hominem, qui tamen improvisa aliqua specie sit exterritus, per Porcum & fugientem Leonem exprimere quorundam inventum fuit. Ajunt enim Leonem Suis congressum declinare, visumque aliquando cum Suem aggrederetur, ut setis horrentem aspexit, aufugisse. Sedenim hoc Leoni haudquaquam accidit ob naturæ dissidentiam, ut Elephanto, sed ob horrificam Suis indignati speciem, quam cogebatur exhorrescere.

## SOPHISTÆ. Cap. V.



ET ut, quod initio dicere cœperamus, prosequamur, sacerdotes illi cum nihil æque abhorrerent, quam inanes sophistarum nugas, & cavillosas verborum argutias, argumentorumque decipulas in naturæ viribus indagandis, ejusmodi notæ hominem per Suis hieroglyphicum significabant. Eodem intellectu apud Hebræos suilla abstinere præceptum ait Philo, admonitosq; nos ea divina lege, ut sophistas evitaremus, per evitabilem hujusmodi animalis impuritatem: illi enim acutissimis tantum accuratissimisque rerum distinctionibus, quod per bifidam animalis ungulam interpretantur, quasi luto inhæsitantes, ita illis adhæresunt, ut inde nunquam avelli possint, sed ad extremam usque senectutem ibidem computresunt: nam & Porci nihil illustre, nihil purum, nihil limpidum amant sed turbida tantum, spissa, sordida, & fæculenta sectantur, inque his præcipuam statuunt voluptatem.

*Suille abstinebant Hebræi.*

*Hinc Horatius 1. epist. Amica luto sus.*

## A BONIS MORIBUS ALIENUS. Cap. VI.

PEr Porcum itaque inhæsitantem luto, vel ut Cratetis intellectum sequar, rosas conculcantem dispergentemque, à bonis honestisque moribus alienum hominem indicabant. Nam cum Divinæ passim literæ rosas, & odorata omnia ponant pro vitæ morumq; synceritate, Susque ita rosas aspernetur, ut de iis, qui siniſtro, pravo, maleficoque sunt ingenio dicatur, aptissimum excogitatum est hieroglyphicum, ὗς ἁλὰ ῥόδων, quo proverbio Cratetem usum ajunt opusculo, quod γειτονας vocavit. Quin vivere in Arabia Suillum genus ullo genere posse negant, quippe cum ea regio sit odoramentorum altrix, à boni cujusque odoris hoste merito declinatur, & ut luculentissime Lucretius:



*Denique amaricinum fugitat Sus, & timet omne*
*Unguentum: nam setigeris subus acre venenum est,*
*Quod nos interdum tanquam recreare videtur.*
*At contra nobis cœnum teterrima cum sit*
*Spurcities, eadem subus hæc tam munda videtur,*
*Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.*

*Et D. Petrus in epist. Sus in volutabro. Prov. Sus per nasum.*

*Auctor Eudemus.*

*De rer. nat. lib. 6.*

Eodem spectat quod Assertor noster, *Nolite*, inquit, *margaritas vestras ante Porcos projicere*, eos qui scelerũ tantum fœtoribus illuvieq; delectantur per Porcos intelligens, putorem quippe omnem tanquam odorem suavissimum expetentes. Nam quod ad lutum pertinet, Ciceronis scomma est, actione in Verrẽ VI. *Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatũ totius corporis vestigiis invenimus?*

*Ciceronis scomma in Verrem.*

## DISTINCTIO. Cap. VII.

ADhæc sciendum, ungulam bifidam in Sacris literis electionis & distinctionis symbolum esse: quod apertius dicunt, cum oportere Sacerdotem monent, ut lepram à non lepra sciat internoscere, scelerum quippe differentias: justum ab injusto, & à curvo rectum, Horat. Poëta diceret.

## COGITATIO. Cap. VIII.

RUminatio autem, ut in Cervo dictum est, memoriam & cogitationem indicat. Utroque autem horum opus est, si recto & sapienti judicio esse volumus: præstandum quippe discernendi acumi-

A acumine: unde aureum illud Pythagoræ præceptum, De rebus divinis absque lumine ne loquare, hoc est, dandam esse operam disciplinis, quæ veritatis lumen subministrent, si sacra tractare voleris. Sed parum id profuerit nisi & memoria, judicium, bonæque mentis accesserit examinatio. Hinc exploditur Sus, qui licet ungula fissa, minime tamen ruminat. Tales ii sunt, quanto hodie numero, Dii boni, qui, licet recti pravique cognitionem optime callere videantur, cœno tamen voluptati, cum doctrinam ipsi suam ad rectam vivendi rationem minime dirigant, optime, ut Menander ait, periti prava sectantur. Divinarum enim literarum doctrina, ut cum Origene loquamur, non solum Sacramentorum debet scientiam continere, verum etiam mores, gestaq; informare discentium. Plerique alii quoque dixerunt, ruminare esse devovere se ad legis meditationem: fissam vero ungulam habere, inter mundum & immundum distinguere: hoc quidem literarum & præceptionum peritiam habere illud, vero meditationem esse, & divinæ providentiæ, qua recte omnia dispensat, in omnibus cogitationem, quam veteres Prophetæ *Eructationem*, ut nostri reddunt, appellavere; ut, *Eructavit cor meum verbum bonum:* quamcunque enim virtutem à vitio seligeremus imitandam, *Ruminare, Fissam ungulam habere.*

B eam continua repetitione mandere, & in habitum assuefacere debemus. Seligere vero, est dividere literam à spiritu, & quædam secundum historiam solam edocere, quædam secundum contemplationem, quædam vero secundum utrumq; intelligere. Nam qui præstare hoc idoneus est, ille mundus: qui vero unius tantum partis est particeps, immundus. Hæc Hesychius. Neq; dissimulanda est Irenæi meditatio super hoc loco, qui cum proxime fuerit ad Apostolorum tempora, multa divinæ illius synceritatis interpretamenta percepit; cujusmodi hoc posito ex lege: *Quæcunq; ex animalibus duplicem ungulam habent, & ruminant, munda esse: quæcunq; autem aut neutrum, aut alterum tantum horum habent, ut immunda segregari.* Per mundos is eos intelligit, qui ea, quæ de Patre & Filio tradita sunt, ab Ecclesia firmiter credunt, & in utroq; requiescunt: utpote quæ sit eorum firmitas, quæ duplici sunt ungula, & insuper Dei traditones die noctuq; meditantur, cogitationes suas bonis operibus accommodantes, quæ quidem præcipua est ruminantium virtus. Immunda autem, quæ neque in Deum fidem habent, neque traditiones ejus meditantur, cujusmodi sunt, qui vocantur Ethnici, idololatræ, abominationibusq; dediti, nil syncerum, nil laudabile sapientes. Ex eorum autem numero, qui qui-

C dem ruminant, ungulam vero duplicem non habent, Judæi sunt in primis quibus quidem mandata Dei plurimum in ore sunt, sed neque Patrem & Filium agnoscunt, neque sensum à litera distinguere sunt idonei. Alii demum duplicem ungulam habent, non tamen ruminant, quo in numero sunt Hæretici, qui sacras semper literas evolvunt, argutasq; rerum finitiones perveștigant, & quicquid vel inepte vel impie sentiunt, aliquo semper divinarum Scripturarum dicto corroborare contendunt: ea tamen nesciunt, aut nolunt ad veri sensus examinationem convertere: ad justitiam, ad bonos mores dirigere, quæ legerunt. Nam bona eorum pars & Patrem & Filium agnoscere, colere, & toto mentis affectu venerari profitentur: quid tamen aut Pater aut filius statuerit, ne minimũ quidem meminisse volunt. Et ne longe exempla repetamus, cuinam hominũ generi magis in ore est Jesus Christus, quam iis, qui hodie concordiam unanimitatemq; totius Christianismi, quam unam sibi Jesus Christus Dei Filius à nobis omnibus deposcit, aversantur, & eam admittere Cane pejus & Angue vitant? Hinc tot piorum cædes, templorum profanationes, incestus, adulteria promiscua, sacrorum censuum direptiones, conciliandi se Deo contumacia, promissæ divinitus expiationis abnegatio, sacrorum

D fere omnium irrisio, & omnium quæcunque dictu factuq; abominanda sunt, profligatissima expeditio. Quod non nostri modo Prophetæ prævidere, sed maro ipse non nostri generis vates, divinasse videtur, cum hæc scribit oracula:

*Georg. lib. 1*

*Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,*
*Vicinæ ruptis inter se legibus urbes*
*Arma ferunt, sævit toto Mars impius orbe*
*Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ,*
*Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens*
*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

## PROFANUS. Cap. IX.

MErito igitur per Porci simulacrum Ægyptii profanum intelligebant, Susque tantæ apud Ægyptios abominationis erat, ut si quis eum vel incuria tetigisset, cum ipsis statim vestibus ad fluvium lotum abiret, subulcique nullum omnino templum ingrederentur, connubioque aliorum

*Ab Herodoto lib. 2.*

prohiberentur. Scythæ quoq; Sues adeo contemnebant, ut ne alere quidem eos in regione sua vellent. Apud Romanos, Flamen Dialis Porcum tangere sine piaculo non poterat. Quid, quod religioni, & pietati, etiam nostris fuit Pontificibus, ne de Sue cognomentum profiterentur? atque ob eam causam institutum, ut Romanus Pontifex, quamprimum designatus est, honestum aliquod sibi nomen assumat, more hoc à Sergio cœpto, cui cum nomen à rictu Porci esset incuria parentis inditum, ne vox ea cederet in religionis ludibrium, Sergium se vocari jussit. Neque vero fum nescius ex Ægyptiorum cognatione solos Panselenos suilla in cibum usos, propterea quod ajunt, Typhona cum Suem insectaretur, ligneum sepulchrum apud Panselenon offendisse, in quo Osiridis cadaver vitro conditum uti gentis mos ejus erat, asservabatur, atq; eo provectum odio, quod illi adversus Osirim peculiare fuit, membra eruta discerpsisse, mox in rei tam nefandæ memoriam Panselenos populos ex Sue convivia instituisse: quasi liceret jam sepulcro eo tam fœde profanato, in profligatissimum quodque prævaricationis & contumaciæ genus prorumpere.

*Panseleni cur Suilla usi in cibum.*

## NABUCHODONOSOR. Cap. X.

INvenies in Divinis literis Nabuchodonosora, quem ναυοχοδονόσορ Geographus Strabo appellat, Suis nomine vocitatum Psalmo LXXX. *Vastavit vineam tuam Domine Sus sylvestris*: Idque ea de causa quod in voluptatum luto volutaretur, & quia omni spurcitiæ genere immundus esset: quamquam loco hoc nonnulli Salmanaserem potius intelligi volunt. Nos autem per Suem, uti superius ex Hesychio dictum est, eum accipimus, qui quidem habet scientiam divinorum, sed ea non recte utitur, utpote quam incongruis polluat facinoribus, vitæ turpi atque immundæ deditus, de quo Petrus: *Præstaret hù justitiæ viam non cognovisse, quam ea cognita retro reverti, sancta sibi tradita disciplina ignaviter derelicta*: quandoquidem his vere accidit proverbium, *Canis ad vomitum suum reversus, &, Sus lota in volutabro cœni*. Omnes denicp qui vel immunditiæ, vel gulæ vel reliquæ incuriæ semetipsos dedunt, Porcorum & Canum vitam desumpsisse lex intelligit, inquit Irenæus. Quin & idipsum nomen ὗς opprobrii cujusdam indicium facit: nam vocalem ipsam υ, Cajus Julius Romanus, ubi de præpositionibus differit, ad vituperationis pathos exprimendum idoneam esse dicitet Hermetis ἐν τῷ κευφίῳ λόγῳ, testimonio, additam postea fuisse F literam, nostrosq; Fu dixisse, mox Fufe, hodie passim Fy, cum putoris aliquid perhorrescimus. Facit ad hoc Psalmographi testimonium, *Saturati sunt porcina*, quam lectionem Eucherius ita agnovit, ut hieroglyphicum etiam jus interpretaretur, Judæos quippe arcanis Divinæ legis prius instructos abstinuisse profanis, porcina mox fua, id est, privatorum dogmatum immunditia, quam eis & Christus objectat, faturatos: dumque negant Christum, eandem impietatē dicit etiam ad suos posteros transmisisse. Gloria illa Interlinearis vulgo dicta, minime quidē contemnenda, immunditiem hanc attingit, & pro reliquiis quas reliquerunt parvulis suis, addit: *Dixerunt enim: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. Animadverte tamen in Hebraico scriptum esse, *Beni*, quod filios significat, non porcinam. Sedenim ne ab hieroglyphicis nostris avocemur, argumentum hoc de humanis hostiis à Judaico populo immolatis, commodiori loco, in ipso calce operis, ubi multa hujusmodi repetentur, sine ullius forte molestia percurremus.

*Voluptuosi per Suem significati.*

*Increpatio in Judæos.*

## INDOCILITAS. Cap. XI.

FUerunt sane plerique veterum, qui per hieroglyphicum Suis, indocilitatem intelligi voluere: nam apud physiognomos Suilla frons, brevis quippe & hispida, capillis sursum versus erectis, indocilitatis indicium est manifestissimum: est enim animal maxime brutum Sus, nullumque animalium magis indocile, cum reliquæ omnes pecudes aliquid habeant, in quibus dum vivunt, usus, vel industria, vel frugalitas prosit. Suillum autem pecus nihil afferat utilitatis, nisi mortuum tantum: quamquam Spartanorum inventum fuerit Porcos in pugnam instruere, & ad bellandum idoneos reddere: Porcorum enim marium ludicra certamina, perinde ac etiam Coturnicum, in eorum Phœbeo pueri faciebat, illis ad hunc morem educatis instructisque magno rei bene gerendæ augurio iis præsumpto, quorum Porci vicissent. Ejus tamen indocilitatis ergo Marsyas, qui Apollinem in Musicæ certamen provocavit, suillam fertur caudam postmodum habuisse: quippe quod temerarius ejus conatus turpiter illi ob imperitiam cesserit. Et Philostratus Arcadas Rudes appellat, & Suibus similes, tum ob alia multa, tum quod arborum fructibus, uti Sues plurimum turgeant, sintque, ut ait

*Sus inutilis dum vivit.*

A ait Horatius, *fruges consumere nati.* Eadem ratione ex hara productum, non schola ait M. Tullius in Pisonem, indoctum & illiteratum significare volens, quod allatum fuerat. Quin & Hippocratis Coi, Medici illius clarissimi filii, ob indocilitatem & incomptos mores, à Comicis proscissi, Suem sapere ferebantur, non secus ac Varronem ipsum, tantæ verum eruditionis, Palæmon Vicentinos Grammaticorum dicacissimus, literarum Porcum vocitabat: ipse enim hunc literatum quidem, sed sine delectu, intelligi voluit, quod omnia dum sciri expediret, in fascem conjiceret majore curiositate, quam judicio: nihil satis pensi aut constituti habens, quid aut quantum diceret. Quanquam, ut initio diximus, Palæonis dictum, in Varronis laudem, ob doctrinæ copiam & varietatem, qui lautissimus ac suavissimus fuerit animorum pastus modestiæ causa proposuerimus intelligendum. Cessit denique res in proverbium, ut cum imperitissimum quemque eruditissimo cuipiam sese conferre viderimus, *Sus minervam*, dicamus, quod ita Theocritus expressit, ὗς ὑπ' ἀθηναίαν ἔρχεν ἤρεσε. Et eodem fere intellectu quo Asinus ad lyram, σάλπιγγ' ὗς ἤκουσε. Subjiciamus & illud ὗς σκώμασιν, de iis qui faciunt quid inepte admodum & imperite: nam illud, *Sus Minervam*, Festus Pompejus exponit, cum is *Epistola 1. Proverbium.*

B id docet alterum, cujus ipse est insscius. Atque utinam, mi Fabi, proverbium in me non intorqueatur, qui de his ad te scribere sim aggressus, & pleraq; etiam alia argumenti hujuscemodi commentaria ad aliorum institutionem elucubrarim. Quid (dicent nasuti plerique viri) sibi vult aulicus vir iste cum Commentariis de sacris Ægyptiorum literis? quasi non satis sit ad multarum rerum elegantem declarationem Tullius, ad eruditionem Plinius & Plutarchus, ad scientiam Plato vel Aristoteles, totque alii Græci atque Latini scriptores, qui nihil intactum reliquerunt, quibus legendis ætas nulla, quantumvis longa, sufficiat. Sed quid agerem, si quando mihi temporis aliquid ab officiis vacuum relinquebatur? Luderemne aleâ? aut latrunculis? aut alio quopiam insaniendi modo? At nunquam ita otiosus fui, ut ullum mihi ludi genus placere potuerit. Venaretur (addent) confabularetur, aut quid aliud civile faceret, quo ipse sibi non invisus esset, & nulli molestus viveret, neque nugis obtundere cogitaret. Atqui hæc mihi alea cordi semper & pila fuit, hæc venatio, hæc confabulatio mea: invitum neminem ad lectionẽ traho, mihi ipse lusi, invidia nulla sit, si unusquisque sua noverit ire via.

C

## STUPIDI TARDIVE. Cap. XII.

PArì cum Arcadibus ratione Bœotios, quod ventri & gulæ supra modum dediti essent, crassaque hinc Minerva præditi mentis tarditate laborarent, Porco cognominatos ajunt authores non ignobiles, Achæus, Eubulus, Mnesimachus, & Alexis: unde adagium ὗς Βοιωτία. Et apud Pindarum & Cratinum constat Bœotios Sues aliquando nuncupatos: propterea quod Hyantes, qui expulsi fuerunt à Cadmo, eam olim regionem incoluerint, sumpta inde cavillandi causa, ut pro Hyantibus ὗας, hoc est, Sues eos populos appellarent. Sed & alii quoque, gentem eam voracitati deditam attestantur. Porro Pindarus Olympiis fugere se ait Suem Bœotium, probrum scilicet stupidi & stolidi, quod insictum erat sui generis hominibus.



*Sus Bœotica.*

D

## LUXURIOSÆ DELICIÆ. Cap. XIII.

PErvetustum autem fuit apud hieroglyphicos Ægypti sacerdotes, delicias, victus luxum, & lasciviam ex Porci simulacro significare. Argumento est columna in æde Thebis Ægyptiis olim erecta, in qua plurimæ in Menin regem execrationes descriptæ erant, qui primus omnium Ægyptios à parsimonia ad luxuriam, à modestia ad intemperantiam, à virtute ad effœminationem illexit, quapropter simulacrum ejus Porcum esse voluerunt. Merito itaq; Rhadamantus apud Claudianum hujusmodi genus hominum petulans, ingluviosum, & vorax, in Sues condendos damnat eo loco: *Menis voluptas notata.*

*At qui desidia semper vinoq; gravatus,*
*Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu,*
*Hunc Suis immundæ pingues detrudit in artus.*

At



*In Comment.* At Xenophon Socratem ait in conviviis, ad quæ non nisi coactus accedebat, temperate semper atque parcissime cibum cepisse, jocoque dicere solitum, Circen multis hujusmodi appositis homines in Sues convertisse, Ulyssem vero mutari minime potuisse, quod Mercurii memor esset, qui Consilium ei dederat, tum suamet parsimonia & abstinentia uteretur. Tale aliquid apud Musonium libro de Victu legas. Plotinus quoque cum animal hoc maxime voluptarium agnosceret, ubi disserit, de Palingenesia, in id eos reverti dicit, qui vitam omnem in libidinibus & voluptatibus egerint. Epicurus, qui felicitatem in hujusmodi vita posuit, scite notatur ab Horatio, qui sectatores ejus cognomento Porcorum nominavit in Epistolis:

*Lib. 1. epist. 4. ad Alb. Tibub.*

*Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,*
*Cum ridere voles, Epicuri de grege Porcum.*

## GANEA. Cap. XIV.

*Caro Porci delicata Valde. Var. lib. 2. de re rustica.* SAne quantum ad ejus animalis carnem pertinet, delicatam cœnam apud Arcadas Hecatæus, ut apud Athenæum legere est, ex Maza & suilla carnè describit. Verrius ait, à Suilla vesci carnibus cœptum, quod animal id nullius esset utilitatis. Nam ut Varro animam illi pro sale datam asserebat, ne putresceret, ait Chrysippus, nihil porro Sus habet præter escam, nullumque animal pluribus & diversioribus condimentis idoneum, ut non temere T. Quintius Romanorum Imperator (sunt qui T. Flaminium ponant) dum apud Chalcidensem hospitem divertisset, variaque sibi apposita fercula observasset, admiratus fuerit unde ei solstitiali tempore tam varia, & tam multa venatio contigisset: *Atqui*, inquit, *hospes omnes istiusmodi dapes ex Sue domestico fuerunt.* Tum (quod addidisse non pigeat) prompte Quintius, & acute: *Talis est*, inquit, *ædepol Antiochi exercitus, cataphracti alii, alii velites, alii hastati aut legionarii phalange compositi, verum omnes Syri sunt.* Porro nihil, uti supra dicebamus, ea carne parabilius, & omnium epularum usui magis expositum: nam quinquaginta prope sapores ex eo, teste Plinio, excogitatos supra memoravimus, neque alio ex animali numerosiorem ganeæ materiam suppeditari. Hinc apud Comicos, lurcones, parasiti, ganeonesque servi, suillam semper sibi deposcunt, pernam, glandem, sumen, callum, penitam offulam, & similia. Et servus ille Plautinus cum se solum domi ac sine arbitrio relictum iri speraret, *Quanta*, inquit, *pernis pestis erit, quanta lumbis!* Galenus porro Suillam carnem cæteris laudabiliorem facit. Averroes quoq; Porcinam carnem, ex Avicennæ placitis, cæteris præferendam asseverat: veluti hominibus natura cognatiorem, & humanum suillumque sanguinem in omnibus exactam habere similitudinem, perinde ac etiam carnis eandem esse rationem, optimi quique Medici scriptis prodidere.

*Lib. 8. c. 51.*

## CIBORUM VARIETATE SATUR. Cap. XV.

APud aliquos invenio, hominem ciborum varietati deditum per pascentem Suem significari: facile enim is unicuique assuescit cibo, neque suis parcit fœtibus, neque ab humanæ carnis esu refugit: Os enim porci vulgus proverbio appellat quasi rotundum, & quod nullo escæ genere abstineat, omnia voret, omnia aviditate deglutiat, nihil quantumvis putre atque impurum horrescat. Ita deniq; animalia hæc gaudent pabuli mutatione & copia, implenturque carne, & obesiores facti mirifice opimantur ipsa cibi varietate, cujusmodi mensam Plato Syracusanam, vocat, καὶ σικελικὴν ποικιλίαν ὄψου, epistola quadam ad Dionis amicos nominavit. Unde etiam Horatius inter delicias eas, quas Ode prima libri tertii recenset, Siculas etiam dapes ponit, cujusmodi distentum ingluvie Dionysium minorem Aristoteles refert in Politicis, quem nonnunquam ad nonagesimum usque diem ebrium perseverasse tradunt. Neque absimilem huic Heliogabalum Lampridius incessit, qui nunquam minoris quam centum sestertiis cœnarit. Unde centenarias cœnas, Septimus Florens, Apologetico, vituperat; cum alioqui centenariæ cœnæ à centum assibus ex ære dictæ sint, ut Grammatici veteres interpretantur. Sed de sestertiis alibi.

*Os Porci cur ita Vulgo dicatur.*

*Plato lib. 3. de Republ.*

SALA-

## SALACITAS ET ÆSTAS. Cap. XVI.

A Est & salacitatis signum ipsa Sus, *qua pecude*, ait Cicero, *nihil genuit natura fœcundius*, neque aliam ejus improbitatis causam afferunt, quam & multiplicem & assiduam voracitatem: cum longe aliter evenire in agrestibus videamus, quippe qui semel, & eodem fere omnes die, ut Plutarchus ait, æstate scilicet incipiente fœtum edant, unde vulgatum est dicterium, *Non expectandum ulterius pluviam, cum Sus peperit.* Itaque nonnulli Suem hanc pro æstate ponunt, de quo quidam versus vulgatus à Plurarcho recitatus:

Μηκέτι νυκτὸς ὗειν ἦκεν τέκῃ ἀγελοτέρα σῦς.

Domesticæ vero & sæpius, & quocunque tempore pariunt, propter eam quam diximus pabulorum ubertatem, quæ genituræ redundantiã plantis etiam, nedum animalibus affatim subministrat. Eandem in homine salacitatis causam tradit Empedocles. Hinc ait etiam Eurip. ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' ὐ, *vult crapulatum Cypris, haud famelicum:* quod ab Achæo sumptum, qui multo ante dixerat, πεινῶσι γὰρ ἡ κύπρις πόκρα, *amans Cypris est esurientibus.* Nostri dixerunt. *Sine Cerere & Bacho friget Venus.* Sane quidem Ægyptii mortuorum ventres eximere, & in sole discindere soliti sunt: ut qui scelerum omnium causa essent, atque ita vel expiarent, vel uti de impulsore pœnas sumere viderentur. Huic vero salacitati congrue videtur illud, quod χοιροπωλεῖν verbum à Porco finxere, quod corpus prostituere, quæstuique exponere significaret. Apud Aristophanem χοῖρον, id est, Porcum, pro muliebri natura positum invenies, ac nostri identidem Porcum, virgineum inguen blando & jocoso vocabulo appellavere. Idem subare dicunt nequitiæ verbum, quo in Epodis utitur Horatius ad rem impudicam translatum, quod est perdite impudenterq; & brutorum more commisceri.

*Terentius in Eunucho.*

*Od. 12.*

## ANNORUM CERTUS NUMERUS. Cap. XVII.

*Porca portentosa.*

In portentis vero Porcellos supra mammarum numerum editos, tot annorum esse significatores volunt, quot numero nati sunt: ideoq; Porcam eam, quæ Lavinii triginta capitum fœtum peperit, portendisse volunt, xxx. annos illis exigendos fuisse, priusquam Lavinienses oppidum Albam conderent: parere enim oportet Porcos quot mammas habent, ut observat Varro: si minus pariant fructuariam idoneam non esse; si plures, portentum. Ejus autem Suis quæ fuerit Æneæ portento, ac C Porcorum vestigia, suis adhuc temporibus apparuisse affirmat Varro. Idem, quod eorum simulacra ahena in publico loco statuta erant, & corpus matris sacerdotibus, quasi in salsura fuerit, ostentabatur. Ita nullo unquam tempore defuerunt, qui sub divini cultus velamento, hujusmodi aliquo invento rudes inspicientium mentes per superstitionem modo hanc, modo illam deludere cogitarint.

## LATRO. Cap. XVIII.

*Sus Cromyonia.*

Neque quidem prætereunda Sus est tot antiquis scriptoribus celebrata, quam Cromyoniam nuncupatam, ut prædictum est, Theseus dicitur sustulisse: cujus rei meminit Plutarchus & Strabo. Sunt qui fabulose, ut ejusmodi pleraque, certamen id à Græcis confictum putent: fuisse vero hanc mulierem, quæ latrociniis regionem omnem infestarent, nonnulli prodidere. Sunt qui Aprum Psalmo 80. *Exterminavit eam Aper de silva*, pro caco dæmone intelligant. Sunt qui Vespasianum prænostratum velint, qui Judæos bello afflixit, quodque sequitur: *Singularis ferus depastus est eam*, Titum hunc esse ajunt ejus filium, qui assumpto ad Imperium patre, profectoq; Romam solus remansit, Hierosolymamq; oppugnatione consumpsit; & ita Eucherius accipiendum censet.

## IMPETUS. Cap. XIX.

*Hinc Mar. lib. 19. Apri pugnacitas.*

Quod vero illud, quod omnium Poetarum consensu, impetus & bellica ferocitas per Suem, verum eam agrestem, indicatur? Ferocem enim bellatorem si velint insigniori aliquo vocabulo honestare, Apro eum similem dicunt. Apud Aristophanem, in Lysistrate, mulierum chorus, *Si per Deas*, inquit, *hodie me commoveris, solvam ego Suem meum.* Et eadem comœdia, Laconũ chorus minatur se cum Leonida tanquam Apros irruiturum. Nam pugnacitas usq; adeo illi propria est, ut provocatus, à venatore minime fugiat, sed ultro pugnam capessat, & in ostentata tela nihil veritus irruat: unde in proverbiũ cessit, cum de audacibus aut nimium promptis loquimur, ad nos venire per hastam, ut sylvestrem Suem. Romani nostri, ut sæpius animadverti, venatores eos ignominia notant qui feruente jam venatione Apro conspecto, illum non illico provocaverint: atque hinc de eo, qui

sibi rixas contentionesve quæritat, ὗν ὀρίνειν dicitur. Harum rerum causa extremæ Germanorum gentes, Æstyi appellatæ, pro armis formas Aprorum olim gestare solitæ, una cum Matris deorum insigni, qua superstitione etiam inter hostes sese, tutos arbitrabantur. Apri porro vim & fulmineum illud robur admiratur Oppianus, quandoquidem in venatione oppressus, tandem cum occubuerit dentes usque adeo ignitos præ se ferat, ut setæ de collo adhuc trepidantibus avulsæ, dentibusque admotæ, quasi prunis ardentibus applicitæ concrispentur, sique propius adhærescant, concrementur. Sane Canes si tunc temporis ejus dentes attigerint, attacti cutem perpetuis stigmatibus inuruntur. Tantam hunc tamen belluæ istius ferocitatem & impetum (ut κατὰ πάρεργον hoc dicam) facile declinari posse docet Democritus, qui eos ab Apris impeti negat, qui Cancri ungulas ac pedes alligatos gestarint. Quod vero Aprum hunc Unitestem Homerus dixit, haudquaquam hujusmodi coitus raritatem, ut aliqui putant, indicat, sed historiam ipsam, quam verissimam esse dicit Aristoteles: plerumq; enim inter pascendum eo quo defertur impetu truncis & stipitibus acutis testes atterit, ut vix unus interdum relinquatur incolumis.

*Huc spectat illud Horatii.*

*Aut cum Tonantis, &c. 4. Car. Ode 2.*

## ÆSTAS ET HYEMS. Cap. XX.

ÆSTATEM per fœtum Suem significari tam ex historia, quam ex vulgato dicterio docuimus. Nunc cur Aper hyemale tempus hieroglyphica imagine significaret, referendum. Hyemis utique facies hispida est, aspera & horrida, hispidus, asper & horridus est Aper. Humida, lutosa, pruinosaque hiems est, humidis, lutosis, pruinosisque locis Aper delectatur, quibus dum fruitur, oblascivire sibi maxime omnium videtur. Adde quod hyemali fructu, quippe glande, pascitur. Adonin ab Apro confectum, mythologi prodidere, quem Venus luget insolabiliter: id quid sibi velit operæ pretium fuerit explicare. Adonin mysteriorum interpretes Solem esse autumant, Hemisphæria duo statuunt Astronomi, lucis unum, tenebrarum alterum. Fines describunt in Zodiaco, hemisphærii superioris ab Arietis puncto primo ad Virginem usq; permeatam: inferioris à Libra ad extremos usq; Pisces. In superioribus autẽ his signis major lucis participatio, in inferioribus longiores tenebræ. Incolit elegans Venus superius hemisphærium, lutulenta Sus inferius. Cum igitur Sol nobis excipi videtur à tenebris, Adonis ipse conficitur, hinc reliquum est, ut Venus luctu & mœrore contabescat: quæ luce quam amabat privata, lugubrem quodammodo pallam induere cogatur. Hinc idem apud Ægyptios longæ quæsitus Osiris, & Cereris tandem inventus diligentia.

*Adonis ab Apro confecti hieroglyphica explicatio.*

## VENUS. Cap. XXI.

DIu vero apud Ptolemæum cognomento Assertorem, disputatum ferunt à peritissimis viris de Plutone, declaratumque demum est, eundem esse & Osirim & Plutonem. Cererem autem eandem ac Venerem haberi, cui cum nitor & munditia sit cordi, merito sibi proponit Suem semper abominabilem, animal, uti manifestum, spurcissimum, quod in Adonis elegantiam usque adeo sævire gestiat. Sane apud Sicyonios, cum victimarum omnium femora Veneri adoleri solita essent, unius tantum Suis ob hujus facti memoriam, femora non adurebantur. Quoniam vero Venerem hic eam ponimus quam Cœlitem appellat Plato, quæ pura, nitida, lucis ac splendoris studiosa est, non humilẽ vulgaremque quæ sua conscia turpitudinis in antro secudebat, fornicibus & arborum umbris septa minime absurdum est, quod ex veteribus nonnulli tradidere suillum genus adeo invisum Veneri, quod immundissimi sunt Sues ex omni mansueto pecore, uti superius ostensum est.

## ADONIS. Cap. XXII.

*Hyemis figura.*

QUA demum effigie ostentaretur Adonis iste in hyemalis temporis hieroglyphicum, recitare non pigeat. Simulacrum enim ejus in Libano monte olim tali habitu visebatur, obnupto scilicet capite, specie tristi, faciem manu læva, dextra amictum sustinente, in quem lacrymæ confluere videbantur: quæ omnia speciem hyemis describunt.

## CHAOS. Cap. XXIII

*Sues tenebrarum symbolum.*

ET quoniam ita sunt mortalium ingenia, ut quod ab uno aliquo scriptore sit excogitatum, aut memoriæ mandatum, nunquam alii desint qui priorum industriam labefactare conentur, sunt qui tradant Ægyptos non ea de causa suillo generi pepercisse, quod impurum id esse decrevissent, sed veneratio[illegible] animal id tenebrarum symbolum haberetur: cumq; illi tenebras longe anti-

A antiquiores luce prædicarent, cujuſmodi quippe erat illud quod dixere Chaos inanis, bruta, & ſtupens materia, formæ expers, ac tenebrarum omnium conceptaculum, eaque de cauſa Porcum tenebrarum & cœcitatis ſimulacrum eſſe profiterentur, quod oculos ita ſuperne obumbratos ſupercilii prominentia ſortitus eſt, ut cœlum tot luminibus inſigne, tot lampadibus illuſtre, nunquam intueatur, cernuus vero ſemper humum deſpiciat, terram inquam ipſam, & noctis & totius obſcuritatis parentem unice contempletur, congrua admodum viſa eſt ſimilitudo, & vera ſympathia: ut, qui tanto cultu tenebras proſequerentur, animal averſam à luce itentidem admirarentur: nam ea quoque de cauſa Crocodilum, ut loco ſuo dictum videbis, pro Deo coluerunt. Porro Alexander Aphrodiſeus Suem ait pronum adeo, ciboque deditum, ut ſi forte ſurſum aſpicere cogatur, protinus ſtupore perculſus ſileat ob inſolentiam. Addunt hepar ejus imminui cava Luna, atque conſenſum cum ea quendam habere, Lunæ vero ſunt pulla omnia dedicata.

## PORCI CULTUS. Cap. XXIV.

B Quinimo adjiciuut, non Ægyptios tantum id honoris Porco habitum voluiſſe, verum alias etiam gentes Porcum inter numina collocaſſe. In Creta enim ſacra erat Sus, quod creditum ſit animal hoc naſcenti Jovi mammam ſummiſſe, puerique vagitum, ne audiretur à quopiam grunnitu perviciſſe: licet hoc Amaltheæ Capræ aſſignent plurimi, uſque adeo nullum apud vetuſtatem illam totius imperitam veritatis, tam impudens mendacium erat, quod vanitas eorum temporum non admitteret, & religioſiſſime approbaret.

## MILITARIS ORDO. Cap. XXV.

Porcum ſane Romani inter ſigna militaria non ſunt admittere dedignati: quæ quintum continebant locum, & inſtructæ aciei rationem figuramve quandam, *Porcinam frontem* appellabant.

## JOVII. Cap. XXVI.

In geſtaminibus vero militaribus Romanorum quæſierit forte aliquis, quid ſibi velit Sus coloris rufi, habitu quodam ſedenti, poſitis quippe clunibus, ac reliquo corpore ſurrecto, quæ ſpectatur in cæruleo clypeo, cujus margine ruber ambit circulus. Inſigne hoc erat eorum ordinum, qui Jovii appellabantur, Diocletiani principatu, & ſub illuſtri viro, Magiſtro peditum nuncupato, militabant. *Sus rufi coloris quid.*

C

## HONORIANI. Cap. XXVII.

In eadem igitur Romana militia præferebatur albus clypeus, cujus aureus erat umbilicus à luteo circulo circumſcriptus. Circulo innitebantur dimidiati Porci duo coloris praſini, alter alterum inſpectante. Inſigne hoc erat eorum militum, qui Honoriani vocati ſunt, ab Honorio principe inſtituti, hique ſub Magiſtro equitum ſtipendia facibant.

## AGRICOLA. Cap. XXVIII.

Sed ut ad Ægytios redeamus, ſunt qui aliam etiam affirment cauſam, cur animal hoc Ægyptii voluerint eſſe inviolabile: nempe quod apud eos Porci agricolationis uſum præſtarent, frumentariamque rem alicubi ſolis eorum operis adjuvarent. Nam qui, ut Eudoxus ait, propinquiorem Nilo regionem accolunt, quæ ſatis mollis & irrigua eſt, nullo aratri, raſtrive aut ſarculi uſu freti, ſuillibus tantum veſtigiis terram ſubigunt: exundante ſcilicet Nilo remolleſcit terra, cumque redierit in alveum, ſementem faciunt, inde Porcos abigentes oculunt & terræ mandant, dum illi & rictu terram ſubvertunt, & ſparſa per agrum ſemina pedibus occulcant. Sane Latini utiliſſimum ſatis ſulcum Porcam appellavere, rarũ eum ſcilicet, qui deducitur aquæ derivandæ gratia: quippe ut aquam frumentis nocere prohibeat. Inde veteres porcare pro prohibere uſurpaverunt, quamvis Varro elatam terram inter duos ſulcos ideo Porcam vocari dicit, quod ea ſeges frumentum porricit. Sic cum Diis exta dabant Porricere dicebant. Quoniam autem mirifice inter ſe congruunt hieroglyphica cum ſacrificiorum ritibus, quod utraque iiſdem cauſis plurimum inniti videantur (nam uti paulo ante poſitum eſt, hieroglyphicum vaniloquentiæ per Porcum, quem Elephantus averſetur, in ſacrificiis identidẽ immolatur Porcus, ab laborantibus delirio verborum, atque etiam inſania, quod terrenis præcipue ſenſibus addictus applicitusque eſt, ſponteque & voluptuoſe admodum inhæſitat luto, laſciviæ turpitudinumq; ſimulacrum habetur: idem in ſacrificiis Majæ, & Diis terrenis offertur, & ita demum in pleriſq; aliis hieroglyphicis, idem conſenſus eſt) non incongruam rem me facturum exiſtimavi, ſi de

D *Porca utiliſſimus ſulcus.*

Porcorum immolatione plenius quædam apposuissem, ab eo autem quod super delirio nuper atti- A geramus, incipiam.

## DELIBRII PIACULUM. Cap. XXIX.



IMmolari siquidem Porcum ab laborantibus insania, verborumque delirio, multiscius Plautus indicat Menæchmis:

*Nunc ipsi naturæ Deo mihi respondeas*
*Adolescens, quibus hic pretiis Porci veneunt,*
*Sacres, synceri nummum unum en à me accipe,*
*Jube te piari de mea pecunia:*
*Nam ego quidem insanum esse te certo scio.*

In eandem sententiam Horatius Sermonibus:

*Immolet ecquis Hic Porcum Laribus?*

quod is insania minime laborare videretur, qui dives, neque perjurus, neque sordidus haberetur.

## SACRIFICIUM. Cap. XXX.



SEd tamen multis porro mysteriis Porcus sacrificari solitus, ut animalium soli Sues θύειν καὶ τὸ θύειν, quod immolare est, meruerint appellari: Latine sacres teneri adhuc: & in veteri comœdia Sues mysterici nuncupantur, eaque laudatissima erat hostia, si quis inventus esset Porcus, qui solidas ungulas, non divisas haberet. Quod ne cui mirum videatur, sciendum est, ex Aristotele, in Macedonia Æmatheolicas Sues unguibus esse solidis.

## SACRAMENTUM. Cap. XXXI.

*Porcus in juramentis adhibitus.*

PEr Porcum sane jurare Agamemnonem apud Homerum legimus. Et pugiles certamen inituros juxta Horcii Jovis statuam in Elide mactato Porco jurare solitos, sine fraude sese comparasse, tradit Pausanias. Quinetiam judices præfectosque certaminum eodem sacro, & apud eandem statuam jurasse tradit. Nulli vero Porcum illum, per quem illi jurassent edere licuisse; quare Talthibius Homericus Porcum, quem Agamemnon pro juramento statuerat, arreptum in mare præcipitem dedit. Addemus & illud, Censores Romanos completo quinquennio lustrari solitos, sacrificia de Sue, Ove, Tauro facientes, quæ unica dictione SOLITAURILIA vocabantur, ut obiter apud Pædianum in Divinationem corrigas, quod duabus locutionibus dissitum legitur in vulgatis codicibus, *Soli Taurilia*. Cereri autem Porcus, uti dictum, in primis mactabatur, sive quod pastu segetum & dissipatione, magnas arvis inferat clades, ut apud Ovidium,

2. *Fast.*

*—— Prima putatur*
*Hostia Sus meruisse mori, quia semina vostro*
*Eruerit pando, spemq; interceperit anni.*

sive conciliandæ fœcunditatis gratia, cum animal sit (ut id identidem repetamus) fœturæ admodum D prolificæ: Adhiberi sane sacrificio Cereali Porcam auream & argenteam nuncupatam, ait Atteius Capito: quæ etsi numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam. Propudiatus vero Porcus dictus est, idem asserit Capito, sacrificio gentis Claudiæ velut pulpamentum & exolutio omnis recontractæ religionis est. Sed ut ad fœdus revertamur, Porco etiam cæso sacra fieri solita, quotiens inter populos confecto bello, vel pax fieret, vel fœdera confirmarentur. Sed quod Virgilius fœminino genere, *Cæsa jungebat fœdera Porca*, dixerit, Quædam (ait Quintilianus) non tam ratione quam sensu judicantur: ut illud, *Cæsa jungebat fœdera Porca* fecit elegans fictio nominis: quod si fecisset Porco, vile erat. Quod vero Servius ait falso dictum à Virgilio, Porca, quod ad hoc sacrificii genus Porcus adhiberetur, Tranquillus in vita Claudii, cum Regi-

bus

A bus fœdus in foro icit, *Porca cæsa*, inquit, tametsi Livius quoque Porcum statuit. Sedenim apud Festum invenies, hæc Porcus in sacrorum Pontificialium libris scriptum esse. Porcam autem dicit Veranius, quæ familiæ purgandæ causa Cereri itidem solita est immolari, quod pars quædam ejus sacrificii fieret in conspectu ejus mortui, cujus funus instituebatur. Extant autem etiam hodie sacrificiorum hujusmodi vestigia Romano solo: nam veteri quodam instituto in defuncti memoriam corbes suillæ carnis atq; etiam bubulæ in frustra concisæ ostiatim circumferunt, singulisq; ædibus frustum carnis unum impendunt, quiq; lautiorem hanc faciunt viscerationem, Panem & vini sextarium abjiciunt. *Capite 25*

## NUPTIALIA. Cap. XXXII.

QUINETIAM nuptiarum initiis, antiquis Regibus Porcorum mactare mos erat. Et potentiores quique viri in Hetruria nuptialibus conviviis, novæ nuptæ maritique Diis tutelaribus Porcum immolabant; quod etiam prisci Latini & Græci in Italia factitabant. Unde is qui sponsam ducturus cum omnia apparasset, & spe sponsæ frustratus esset, exclamavit: *Mos antiquus in nuptiarum initiis.*

B *ἀπώλολέν γ' ὗς, καὶ τάλαντον, καὶ γάμος*
*Periit quidem Sus, & talentum, & nuptiæ.*

Hysteria sane festa erant, quibus Sus Veneri mactabatur, Argis instituta, cujus rei meminit Callimachus: quanquam apud Sicyonios omne animalium genus Veneri, ut alibi diximus, præter unum Suem sacrificari solitum invenias. Aristoph. *Sed Veneri Porcus non sacrificatur.* Causam superius exposuimus. *Ab Emsmo Chil. 4. cent. 1. Prover. 14.*

## TERRA JUNOVE. Cap. XXXIII.

MACTABATUR etiam Majæ, sed prægnans, quæ omnino terra est, &, ut ait Cornelius Labeo, nomen illi à magnitudine inditum: quæ etiam in sacris Magna mater, & Opis vocabatur, cui sceptrum etiam in sinistra manu addebatur, quod eam Junonis potentiam habere putabant. Quanquam sunt qui Majam eandem Proserpinam interpretantur, ideoque illi Porca fieri, Suemque mori meruisse, quia semina, uti distum est, pando eruerit rostro. Proserpinam vero esse vim segetum & frugum omnium per hyemem terræ abditam, per mitius vero tempus in superiori apertaque regione C commorantem, mythologi docuere. Majæ autē Porcus sacer erat: quo illi cum alio quopiam nullo quam cum terra quicquam commune esse manifestius intelligamus, sitque denique, ut Flaccus ait, *amica luto sus*, victimæ enim numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolabantur, qua in sententia Virgilius dixit: *Majæ Deæ Porcus sacer.* *Epipist. 2.* *Georg. l. 2.*

*Et in verubus torrebimus exta colurnis.*

in antipharmacum scilicet: ut hostia nocens eo itidem virgulto coquatur, quod vitibus nocet: nam ea de causa præceptum ab eodem fuerat, ne inter vites corylus sereretur, quanquam Festus colurnum hastile ex corno arbore mavult esse, quam ex corylo: contra vero Sosipater Charisius colurnum barbarismum esse literarum transmutatione dicit, cum sit Corylus arbor, ita enim apud eum scribitur.

## HUMANA HOSTIA. Cap. XXXIV.

RELIQUUM est, ut de humanis hostiis loquamur, quando constat Porcos id beneficii humano generi contulisse, ut pro nobis, in hujusmodi sacrum ipsi succederent. Nam scelera illa mactan- D dorum hominum ubique fere locorum admissa, minime fabulosum habetur: manifestum siquidem est hujusmodi fuisse sacrificium Taurice Dianæ, quod receptorum authorum fide testatissimum videmus. Neque quidem Scythæ solum hæc perpetravere facinora, quos propter ingenitā barbaris ipsis feritatem id fecisse minime mirum videtur: sed & Ægyptii antiquitus tales Junoni hostias immolarunt. Romani quoque ipsi Jovem, quem Latialem vocabant, humanis hostiis coluere. Jam Sicinius Dentatus multis certaminibus illustris, primus apud Romanos hoc sacrum Marti fecit. Sedenim alios quoque fuisse dicit Athanasius, qui postquam à bello victores rediissent, captivos per centurias dividerent, deque singulis unum desumentes, eum Marti jugularent. Hinc Virgilian. Æneas Pallantis satis Manibus facturus: *Hominum, ut & Porci mactatio usitata.* *Ut Pomponii Melæ lib. 2. c. 1. Val. Flacci arg. lib. 2. Juven. Sat. 15.*

*—— Sulmone creatos*
*Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens;* *Æneid. lib. 10.*

*Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,*
*Captivosque rogi præfundat sanguine flammas.*

*Saturni colossus adheneus.* Diodorus aheneum Saturni colossum apud Carthaginem fuisse memorat, cujus brachia porrecta in gyrum erant, quippe ad eum pervenire adolescentes sacrificandi causa cogebantur, in foveam ignis incidebant: hacque sacrificii crudelitate diutissime prolem ipsi suam mactaverunt Deo, qui & filios suos devorasse perhibetur: mox cum aliquando scelus abhoruissent, servitia in hunc usum emere instituerunt. Subsecuta inde pestis est, mox obsidio gravissima, quare illi Saturnum sibi succensere rati, trencentos impuberes ingenuos sacrificarunt, quamvis, ut in Lucernæ hieroglyphicis meminimus, nonnulli ducentos tantum ponunt. Galli etiam morem hunc sacrificandorum juvenum in Saturni cultum (D. Augustino teste) susceperunt. Phœnices quoque atque Cretenses eo & ipsi profecti sunt insaniæ, ut filiorum sacrificiis Saturnum sibi placari arbitrarentur, ne inhumanitatis istius nota novi Heliogabalo inuratur, qui humanas hostias libenter immolavit, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, ut major esset utrique parenti dolor. Neque temere Appion & Julianus Apostata, & alii Hebræos carpunt, quod humanis hostiis abusi sint, cum in ore omnium versetur Jepthæ Galaaditarum principis detestabile facinus, qui contra Ammonitas profecturus vovit, si victor reverteretur, illum Deo se immolatorum quicunque primus de suæ domus foribus egressus occurrisset sibi: accidit vero ut reex voto confecta revertenti filia sua unigenita, cum tympanis & choris gratulabunda occurreret prima, qua conspecta scissis sibi vestimentis infelicitatem suam, & luctuosam filiæ calamitatem miserabiliter deploravit, neque tamen impio abstinuit sacrificio, cum generosa virgo viriliter instaret, ne pater voti reus fraudaret Deum, duum tantùm mēsium implorata mora, qua in montibus virginitatem suam defleret: quo elapso tempore ad patrem magno animo rediit, seque obtulit sacrificandam. Sed id impie Julianus & Appion faciunt, quod Judæos omnes in unum eundemque ordinem redigunt, atque adeo Christianorum quoque instituta, detortis præpostere horum exemplis, maligne admodum insectantur, contumacium & à divino præcepto prævaricantium moribus innixi, quos neque nos unquam imitati sumus, nec ab ullo unquam pio suscepti: idque dissimulant illi quod à regio Psalmographo tam acriter improbatur, ubi Psal. 6. supra 100. clamat, prævaricatores quosdam à vera pietate abalienatos eo dementiæ prolapsos, ut & filios & filias suas cacodœmonibus mactare non exhorruerint: & ut rem magis exacerbaret, indignationemque suam exaggeraret, ejusdem statim rei repetitione facta, innoxium ait filiorum suorum sanguinem ab eis effusum, & Chananæorum simulacris oblatum, terra fœdissime polluta, quæ scelus tantum, & usque adeo impium, execrari videretur. Quin & Chrysostomus oratione contra Judæos tertia, objicit eis, quod filios & filias suas dæmoniis immolarint. Negat hoc Adamantius contra Julianum, sed de sacrificio piorum, Deo rite facientium loquitur, non esse eos Judæos intelligens, quia legitimis Judeorum sacris recesserunt. Chrysostomus prævaricatores taxat, quia demoniis ea faciebant. Et tamen hodie sunt inter Judæos, qui cum non possint Christianæ severitatis metu homines immolare, qua ratione tamen humano sanguine sacra faciant excogitatur: eo, quippe à thermis, à cucurbitulariis quovis pretio promercati: ita eo in vitreum aliquod vas infuso, & ad ardentes carbones admoto exciendis dæmonibus abutuntur, quos appellarint, quoad sanguis ille deferbuerit, ad mandata adsistentibus, & ad omnia, quæ iis sciscitati fuerint respondentibus. Sed ut hæc non à Judæis Domini, sed à malis & rebellibus factitata prætereamus, Porcumq; nostrum jam rude donaturi honesta etiam missione pro meritis ornemus, quid ab eo beneficii consecuti fuerimus confitendum. Siquidem Diophantes Lacedæmonius, qui de sacris Deorum opus admodum curiosum elucravit, Porcum ait loco hominis immolari cœptum ab Athenienſibus: nam prius, uti dictum est qui centum homines cæcidisset, Marti hominem faciebat. Magna igitur suillo pecori gratia debetur, cujus immolatione vita sit humano generi condonata.

*Judic. c. 12.*

*Sacra à Judæis hodie facta quomodo.*

JOAN-

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER X.

## DE IIS QUÆ PER GREGALIA QUÆDAM SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD LACTANTIUM PTOLEMÆUM NOBILEM SENENSEM.

GREGALIUM *nonnullorum significationes ex Ægyptiorum Aditis erutas, super quibus multa, literatissime Lactanti, apud egregie probum virum Hieronymum Mandolum Picolomineum cœnantes in amœnissimis ejus hortis, locuti fueramus, ut in commentarium redigerem suasisti: quod argumenti raritas lectionem hanc faceret non injucundam, & ut addebas, etiam optabilem, quod super his Græci pauca admodum dixissent, Latini vero pene omnes hujusmodi scientiam propemodum ignorassent: minime quidem hi atque illi tacituri, vel rem adeo doctam in tenebris & situ computrescere permissuri, hæ si disciplinæ tunc cognitæ fuissent. Quota enim ea portio est, quam vel Tacitus, vel Ammianus, vel Macrobius, & si qui alii talia curarunt, vixprimis libatam labiis attigerunt? Suasu igitur incitatus tuo, quæcunque hic & illic comperissem, & ex veterum præcipue numis potius quam ex libris didicissem, in usum tantum asservabam meum, quod Principes, quos colimus, hujusmodi antiquitatum cognitione delectari plurimum animadverterem, ut scilicet pro re, quæ nasci posset, interdum haberem quod super his non inepte neque imperite dici videretur: quædam enim omnino hujus generis esse mihi persvadebam Postea vero quam & tu, & Bartholomæus Carolus Picolmineus, neque non Marius Bandinus sodales tui, tam emuncta naris viri, quig, una cœnabant, egregie ipsi quoq, literati, industriam, studiumq, hoc quale cunque meum commendare cœpistis, tuq, præclara tot, quæ scitu jucunda in veterum numis observata, explicasses, essentq, omnes eo in argumento facti attentiores, facile impetrasti, imo, ut verius loquar, perpulisti, ne istiusmodi rei curam, quæ omnium literatorum ingenia videretur oblectatum, desererem. Ajebas enim Latinos hac scilicet in re Græcis inferiores esse, quod præter Marcum illum Varronem, & nostrum Plinium, vixq, alterum ab eo, neglexisse quodammodo visi fuerint eruditionem, quam Græci tam veteres quam juniores tanto studio amplexi sint, ut ne levissima quidem contempserint, & ita res tam publicas quam privatas minutissime perquisierint, easq, memoriæ commendare nequaquam erubuerint, ut nihil in protritis, curtisq; etiam scrutis præterierint, cujus aliquam non habuerint rationem: hinc magnâ antiquitatis tam in verbis quam in rebus cognitionem, ad nostram usque ætatem pervenisse. Fuisse nostros severiores, & sublimium tantum meteriarum amatores, accidereque hinc, ut eorum multa, quæ ad ritus, ad mores, ad rem domesticam ad negotii quotidiani usum faciunt, per nostrorum incuriam incognita nobis sint: per Græcorum vero diligentiam, quitam Latinorum quam suorum res perquirentes nostræ obviam ierint negligentiæ, plurima noverimus, quorum neminem eorum, qui nunc eruditi habentur, pœnitere possit: & quæ plurima in hanc sententiam disseruisti. In hac igitur studium cum quantum per occupationes meas licebat, avidius incubuissem, multa conscripsi commentaria, quæ tamen emendare non potui, quod principium virorum, quibus addictus enim negotia quæ tractabam, incœptum opus sæpius interrupere, cogitationesq, meas alio omnes avertere. Et quia te in primis impulsore factum hoc est, necesse quoque tibi fuerit horum partem recognoscere, polire, castigareque: ne vel ego tibi frustra paruerim, vel tu, vir admodum gnavus, rem nihili consuluisse videaris. Quæ tibi obvenerunt, ea sunt, de quibus sermo tunc noster fuit; cum vir rarissimus Franciscus Randinus Archiepiscopus vester numismata in agro suo nuper inventa magno numero, in mensam nostram jussisset effundi, in quorum bona parte Hirci, Oves, Aristes signati erant: traxere hæc reliquum regegm, ut una viderentur caula possent commode coerceri.*

DE

## DE CAPRA. CAP. I.

ESto igitur prima de Capra consideratio, quoniam ea vago lascivoque admodum ingenio prædita, & vorandi aviditate hac illac cursitans, locoque stare nescia, è grege prima omnium prodiit,

## AUDIENDI PROMPTITUDO. CAP. II.

*A Plin. lib. 8. c. 50.* HOminem auditu præpollentem Ægyptii hieroglyphice significare si vellent, Capram ponere soliti sunt, quam per aures perinde atque per nares spiritum & emittere, & vicissim recipere una cum Ægyptiis tam Archelaus quam Alcmæon authores gravissimi prodidere : quamvis opinionem hanc maxime reprobat Aristoteles, humanamque diligentiam id nulla adhuc dissectione deprehendisse, aut sensu aliquo evidenriore conjicere potuisse, firmiter asseverat : Ægyptiis tamen commentum placet.

## CONSTERNATIO MULTITUDINIS. CAP. III.

*Caprarum grex attonitus. Plin. ibid.*



SUnt qui multitudinem uniuscujusque casu consternatam obstupefactamque indicare volentes, Capram villo à mento dependente comprehensam pingant. Accidit enim, ut si earum unam ex grege aruncq eo apprehenderis, cæteræ stent veluti stupidæ, suos in illam unam oculos conjicientes. Sunt vero qui loco hoc modo Eryngium, modo Moly, vel Origanum etiam quærant : quem caulem si Ovis Capellave pascendo avulserit, & in sublimi conspicuum erexerit, grex reliquus abjecta pabuli cura attonitus reddatur : neque prius pabuli memor fiat, quam caulis ille à pastoribus ab ore pecudis abstractus abjiciatur. Cujus fabulæ authores etiam citant Aristotelem & Plutarchum. Nos Hieroglyphicum de apprehensa Capræ barba, quam Opilius Aurelius Spirillum vocari dicit, aruncum Plinius ex Naturali historia desumpsimus.

## PRO VITIBUS SACRUM. CAP. IV.

*In Corinthiacis. Præsertim vitibus ex Plin. ibid.*

QUid autem sibi vellet hieroglyphicum aheneæ Capræ inauratæ, quam Philiasii tanto cultu prosequebantur, ut illi etiam preces allegarent, Pausanias declarat. Quippe cum manifestum sit, sydus, quam Capram appellant, exortu suo vitibus nocere, id honoris ei habitum voluere, quod, ne id accideret, ea potissimum ratione caveri posse judicarunt. Animal porro id cum sit ex domesticis omnibus damnosissimum, lege in Acropolin Athenis adire prohibitum, morsu noxio universa germina abrodens, &, ut more Jurisconsultorum, ac prætorii edicti loquar, pauperiem faciens Aliis Bacho Caprum ob hoc mactare maluerunt : ut pestia quæ morsu pestilenti vitibus maxime nocet, immolata, Deum vitibus conciliaret. Nam & Ascolia sacra, de quibus Virgil. *Unctos saliere per utres*, ea de causa Baccho sunt instituta : quia utres ex hircinis caprinisque pellibus fieri consuerunt. Quoniam vero Caper vitem abrodens eam veluti veneficio vitiat, excogitatum est in Bacchi gratiam id in utres ludibrium, ut scilicet eos flatu tumefactos per humum disponerent, superque eos saltationibus lascivirent, unde lubricitate pellis suopte pingui delibutæ pingues identidem fallerentur, præcipitesque saltatores, sine ullo tamen incommodo, conciderent, effusumque omnium risum excitarent. Eadem antipathiæ causa dictum à Virgilio autumant :

*Lib. 2. Geor. Ibid. lib. 2.*

*Et in verubus torrebimus extæ colurnis.*

*Georg. lib. 2.* Corylos enim vitibus vicinitate sua nocere, experimento compertum est : quamvis Festus colurna hastilia ex corno abore facta potius, quam ex Corylo velit. Contra vero inventum est ex tam pestilente in vites animali maximam capere utilitatem, ejusque beneficio augeri vindemiam : siquidem apud Africanum legas, cornua Caprarum numero tria circum arborem, cui vitis maritata sit in terram affigi, acumine deorsum immisso, ore cornum supra terram paululum extante, ut pluvia, velut in

A in vas influere posſit, id factum uberrimæ fertilitatis in vitibus auxilium esse. Nihilo secius, ut idem Africanus author est, non morsus tantum vitem lædit, verum pulmo etiam ejus contra vini vim arma capit si assetur, & ebriosa cuipiam in cibum detur: efficit enim ut vapor ille, qui temulentiam inducit, retundatur, inaniterq; diffletur & evanescat. Quin etiam hircinus adeps, quo falx putatoria obuncta fuerit, ne pediculi in vite generetur, prohibet, ab eodem proditum Africano.

## UNIVERSA MUNDI MACHINA. CAP. V.



*Pan mundi hieroglyphicum.*

HIeroglyphicum erat & Panis signum, ex quo tota mundi machina intelligebatur: capripes enim erat, humana reliquum effigie. Inferior ea pars terram hirtam & hispidam ostendebat, humana vero lævitas atque mollites, tranquillum & defæcatum æthera, mundi ipsius ducem. Huic insuper illa in Nymphas procacitas attributa, & numquam satiata libido: mundus
B siquidem assidue rerum species progenerat, & humore plurimum utitur, materia quippe generationi in primis & apta & commoda. Quare simulacrum Panos tam sylvis & agris, quam hortis & fontibus & puteis ut tutelaris apponebatur. Commentitium verò est, quod Pana nonnulli ita dictum arbitrantur, quia Penelopes & totius turbæ procorum filius fuerit, qua in sententia Theocritiana est apostrophe ad Penelopem, Syringe, Θοὴν πάντες ἰθωντῆρα, quem quidem Epimenides ex Jove & Callistone genitum asserit, poematibus: gemellos enim fuisse Pana & Arcada. Sed Aristippus in Arcadico, Jovis & Nymphæ Æneidos prolem agnoscit. At qui veterum fabulas speciem quandam esse Philosophiæ autumant, delitescentem in illis doctrinam ita solent explicare, ut Pana ideo dici velint, quod, uti monueramus, simulacrum ejus universi naturam exprimat: forma enim ejus quascumq; tuemur accommodata est. Cornua siquidem & Solis & Lunæ similitudinem esse perhibent. Nam alibi cum de Moyse loqueremur, radiatam ejus faciem pro cornuta à nonnullis acceptam ea de causa docuimus, quod
C apud Hebræos radius & cornu sint univoca. Pantheræ pellem, stellarum, ut Probus arbitratur, ut quidam alii, simulacrum esse terræ, quæ mira sit varietate conspicua: inferioris partis villos omnium terra nascentium imaginem haberi. Fistulam, spirantium in orbe toto ventorum imitationem: Caprinam faciem, repentinas procellarum turbationes, quæque toto aëre sunt mutationes, indicare. Jam per femora hirta, sylvosa loca, per crurum exilitatem, montium abrupta figurari. Sunt qui falcem etiam manu prætentam illi attribuunt, quod dubio procul labores, quos operibus mortales impendunt, indicaret. De Hirco autem qui Alexandri Macedonis apud Danielem indicium fuerit alio loco dictum. Hic illud potius ponam quod Eucherius tradit, ex Capræ symbolo justos intelligi ex Gentibus præcipuè venientes, eoque spectare Salomonis dictum: *Capillatura tua sicut grex Caprarũ, quæ revelatæ sunt ex Galaad*, sumpta scilicet inde similitudine, quòd Capræ de sublimi cibum petunt, veluti pii quæ superne sunt ad animi cibum investigant. *Cant. c. 4.*

## LIBIDO. CAP VI.

D CAprinum adhæc genus in Chimæra: Capra enim & Chimæra idem: quippe in nequitia Bellerophontis virtute domita, medium tenet, quod libidinis affectum notat, ea videlicet de causa quod hujus generis animal in libidinem & procacitatem sit immodicum, hœdosque petulcos eadem ratione dictos à Virgilio legimus. Deque Satyris idemtidem capripedibus eadem omnium consensu feruntur, non posse quidem eos libidine satiari. Minime vero fabulosum esse de Satyris commentum, ostendit Plinius, qui illos in Subsolanis Indorum montibus inveniri tradit, humana effigie animal perniciſſimum, ut propter velocitatem nisi senes, aut ægri capi nequeant. Sed & Pausanias hæc de illis audisse se profitetur, Euphemum quendam probatæ fidei virum, aliquando sibi narrasse, cum in Hispaniam navigaret, adversa tempestate se in exteriorem Oceanum esse delatum, postque multorum dierum navigationem, ad insulas quasdam desertas perveniſſe, quas ho-

*Georg. l. 4. Plin. lib. 7. cap. 2. De Satyris historia ex Pausania.*

mines ferino trucique aspectu sylvestres inhabitabant, corporibus hirtis, pilorum colore subruso, caudis equina pene majoribus præditi, qui posteaquam nautas illuc advectos inspexissent, ocyus omnes ad extremum littus accurrere, vocem quidem nullam, sed stridorem quendam informem & inarticulatum emittentes, in fœminas autem quæ navi illa casu vectabantur, eos adeo furiosus invasisse, ut ægrè ab injuria etiam cæsi flagris abigi summoverique potuerint, Veritos vero nautas ne quid indignum paterentur, inhibita navi procul in anchoris stetisse, barbaram vero quandam mulierem, quam secum habebant, in littus exposuisse, in quam omnes petulantissime debacchantes per omnia corporis cava libidinem exercuerint easque Satyrorum insulas à navigantibus appellari, Euphemus idem asserebat.

## FEBRIS. Cap. VII.

SUnt qui febrem ex Capræ simulacro significent: propterea quod animal ideo semper incommodo laboret: hinc anima illi semper ardentior, ita ut attacta pastu exurere videatur. Vehementem vero in quocumque animali calorem, febrem esse, tum Aristoteles, tum alii prodidere. Ea autem de causa in ejus venditione dominus sanitatem præstare minime cogitur, tantum verò sufficere, si eam eo die bibisse comedisseque profiteatur Florentinus, author admodum celebris, qui inter multa quæ reliquit literarum monumenta, etiam de re rustica non incuriose conscripsit, ita semper febricitare Capras ait, ut si quando deficiat febris, intereant.

## AUGUSTI GENESIS. Cap. VIII.

*Sueton. in Augusto c. 94. hæc ad verbum. Augusti numus.*

IN numis quibusdam argenteis Capricorni cœlestis signum hieroglyphice cusum aspicias, indicat id, ut ex Tranquillo didici, Augusti genesin. Nam cum Theagenes Mathematicus, ad quem in secessu Apolloniæ una cum Agrippa comite accesserat, genituram ejus inspexisset, exiliisset que & adorasset eum, tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut schema suum vulgaverit, numumque illum argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. Numum hunc attrectavi, in quo Capricorni signum est in piscem desinens, quod sphæram intra priores pedes positam evolvere videtur, ab altera parte Augusti caput.

## MERETRIX. Cap. IX.

VT vero redeamus ad Capram, ea cum pestilenti morsu præcipuè noceat, ingenii meretricii, convenienti admodum hieroglyphico, symbolum habetur, ab ore quippe cujus damnatos mortalibus inferuntur: nam veluti germina præcipue Capra pervestigat, quæ depascitur avidissime, ita meretrix cupida est in primis adolescentioris ætatis, utpote quæ ob imperitiam magis idonea sit ut facillime decipiatur. Unde non illepide Nico Attica meretrix αἶξ, id est, Capra cognominata est, quoniam mercatorem adolescentem Thallum, qui in Atticam carias & mel Hymettium empturus advenerat, obligurisset, θαλλὸς autem germen est: quem lusum haud injucunde Machon ita explicat,

*Nico Attica meretrix.*

ἐπεκαλεῖτο δ' αἶξ, ὅτι τὸ μέλαν
κατέφαγ' ἐρασὴν ποτε θαλλόν.

quod nos ita reddidimus:

*Nico olim meretrix fuerat, mox Capra vocata*
*Est, quòd amatorem eximium cognomine Thallum*
*Fortiter absumpsit.*

Neque aliam ob causam Capræ lumbi sacrificiis offerri apud Hebræos prohibebatur, nisi quia necesse erat lumbum esse immaculatum, vel, ut alii, integrum, seu ut alii, perfectum. Capra vero cum pro delinquente ponatur, immaculatos lumbos habere non potest.

## NEQUITIÆ FACINOROSITAS. Cap. X

MErito itaque viri libidinosi probra & impudica facinora notare si vellent Ægyptii Sacerdotes, Hircum potius, quam Taurum pro hieroglyphico fingere instituerunt. Taurus enim licet

A licet inguine sit præcipuè validus, & in re Venera perpetranda promptissimus, non tamen inscendit quoad anniculus fiat, neque quidem juvenca recentior quam annicula Venerem patitur, nisi ostento: Hircus vero septima posteaquam natus est die, ut apud Ælianum est, alii septima dixerunt hebdomata, rem Veneram aggreditur; improle tamen & infœcundum semen ejiciens, veluti Tauri quoque usque ad bimatum: licet alioqui non nisi quadrimos eos generationem implere nonnulli contendant. Sed enim Hircus celerius porro quam quodvis aliud animal inscendit, rectèq; ab Horatio libidinosus appellatur, cujus fœcunditatis gratia inter Deos insipienti seculo annumeratus aliquando est, perinde ac Panes & Satyri. Is quippe apud Ægyptios Mendesio civitate multarum & formosarum puellarum collegio curabatur, sacro incluſus fano, cui selectiores Capras non intelligenter educabant: author est Plutarchus. Et Veneris simulacrum, quæ Hirco insideret, Pausanias observavit, non alia de causa puto, quam ob hujusmodi petulantiam. Et Mathematici mulierem nudam, quæ Hircum humero gestet, vigesimo secundo gradui Virginis adscripsere, ex eo impudicitiam ejus significaturi, qui gradu eo oriente natus esset. Huic generi brutorum similis fuit Helio- *Tauri & Hirci Venerea libido coparatur.*

B gabalus, qui mulieres numquam iteravit præter uxorem: ille, ut Alexander Severus ait, non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus. Jam vero Sacræ literæ dum Hircos Hœdosque immolandos monent, nequitiam omnemque libidinem jugulandam indicant, ut interpretatur Adamantius: cujusmodi etiam interpretamentum habes apud Cyrillum, perinde ac etiam reliqua Levitico contenta, ut facile iis accedam, qui opus id adscribunt Adamantio. Hœdi autem fere passim in Divinis literis hieroglyphicè pro perditis & nequam hominibus libidinis & aliorum scelerum facinoribus inquinatis designantur: idque manifestissime cognoscitur ex eo, quod Dominus noster consummationem seculi, ut ait Hesychius, narraturus, ovibus à dextera statutis, pollicicus est eis justorum benedictionem; in hos autem sinistra segregatos, dira illa omnia, quæ in profligatissimum quemque decernuntur, comminatus est. Ita vero pro sceleribus Hircus ponitur, ut in Divinis literis statuatur ante aras Hircus vivens, sacerdosque utraque manu super caput ejus imposita confiteatur universas populi iniquitates, delicta admissaque prave & impotenter, omniaque in ejus caput increpans aggerat, mox per hominem certum in inviam desertamque solitudinem emissum *Auctor Lampridius.*

C deportari jubeat. Illud etiam addunt ad causam, quod asperum gerit pilorum indumentum: asperum interpretantur peccato refertum, atque ita mortale genus omne mysticè per Hircum accipitur, quia nihil est peccato asperius, diceret Hesychius. Sedenim quod de Capro emissario tetigimus, sunt qui eum signum esse velint profugarum legionum, quæ à Deo defecerunt quæq; in fœditatem & horrorem damnatæ in omne seculum, ceciderunt.

## DIABOLUS. Cap. XI.

ADAMANTIUS itaque Hircum ait Diaboli symbolum esse, ubi ita interpretatur: *Cum verò ad martyrium duceris, Hircum obtulisti, quia scilicet authorem peccati Diabolum jugulasti.* Hinc vulgo receptum, ut malo Dæmoni cornua passim attribuantur. Nequitiam porro per Dæmonem intelligi, in humanicipite Serpente loco suo declaratum est. Jam hirsuta apud Esaiam inuenias genera Dæmonum, hos nonnulli etiam doctissimorum, Incubonos vel Satyros, aut quosdam sylvestres homines putaverunt. Maximus Tyrius, ubi Midæ fabulam scribit, qui Satyrum per insidias ce- *Hircus Diaboli symbolum.*

D perit, à quo omnia fieri aurea impetrasset, *Satyrum*, inquit, *ebriosum Dæmonem, infuso in frontem mero, captum esse.*

## PETULANTIA DOMITA. Cap. XII.

GRÆCI autem Poetæ Caprum ab Hercule domitum ea de causa finxerunt, quod is cum procaci lasciviâ homines ipsos antecelleret, domitus à virtute, impositum petulantiæ modum, extinctosque libidinis æstus, suppressosque procacitatis impetus demonstraret. Nam ejus nequitiæ vir fuit, ut triginta una nocte mulieres aliquando feratur iniisse: & ut apud Athenæum est, idem septem diebus quinquaginta filiabus Thestii virginitatem imminuit. Illud de Proculo, qui Probi tempore tyrannidem invasit, vel ex epistola sua manifestum est, qua se nocte una captivas decem ex Sarmatia constuprasse gloriatur, seque inter fortes annumerari affectat, dum mollitiem suam ma- *Herculis Proculiq; libido.*

xime commemorando manifestat. Quod vero Junioni Capras immolare primus Hercules instituerit, id ea de causa factum, quod alterius hostiæ sibi facta copia non fuerit, cum ei Deæ sacrificare vellet, propterea quod sibi adversus Hippocoonta pugnanti adversa non esset, quæ res tangitur à Pausania libro 3. At Lacedæmonii Dianæ cognomento Corythaliæ sacrum in agris facientes, non nisi Caprarum carnes in opsonium adhibebant, neque aliud animal præter id hujusmodi sacris immolari fas erat. Apud Xenophontem legas, Athenienses, quo tempore Persæ cum ingentibus copiis Athenas deleturi in eorum fines invaserant, Dianæ votum feciſſe, tot ille se Capras immolaturos, quot hostes occidissent.

## ADULTERÆ CONJUGIS MARITUS. Cap. XIII.

*Sumptum videtur ex Odyss. lib. 1.*

NEque illud inventum adeo novum est, ut nullam sapiat antiquitatem, quod hodie vulgo Caprum eum appellamus, qui conjugem habeat adulteram: erat enim & hoc apud veteres hieroglyphicum, atque illud insuper adagium ferebatur in spurios, si de patre quispiam quæritaret, ut ἐ μητρὸς ὡς αὖξ respondèrent *Matris quippe, uti Capra, itidem*, utpote qui de patre incertum ferret, propterea quod Capellis nullum ducem pastores constituunt, ait Aristot. veluti suos Ovibus Arietes, suos Bubus Tauros, & ita plerisque aliis. Caprarum siquidem natura instabilis, lubrica, atq; mobilis admodum est, quare Hœdus in Caprilibus à matre tantum dignosci potest. Merito itaque vir, de cujus liberis uxor tantum possit internoscere, Hircus appellatur, & ἱερογλυφικῶς per Hircum figurabatur. Nam & Catullus in hanc sententiam, *Putere cæteros Hircos*, dixit. Quod vero sunt non illiterati viri, qui dicterium inde sumptum putant quod Hirci suas fœmellas iniri facile patiuntur, etiamsi coram spectaverint, ut quem notat Juvenalis cum dixit:

*Doctus & ad calices vigilanti stertere naso:*

aliter traditum ab Æliano legimus, qui sentire Hircos rivalitatis affectum testatur exemplo Grathis pastoris Calabri cujus dormientis cerebrum Caper cornibus in eum incitatis eliserit, propterea quod deprehensus esset ab eo cum Capella quam amabat Venerea copula misceri: de quo Probus Georgicῶν primo, sed, uti dictum fuit, copiosius Ælianus. Rusticum enim & imperitum id genus hominum hac plurimum nequitia famosum invenias, unde jocus apud Theocritum:

Αἰπόλ' ὄκκ' ἐσορῇ τὰς μηκάδας, οἷα βατεῦντ', *Æpolus inscendi videat si quando Capellas,*
Τάκε' ἐφ' ἁλμοῖς, ὅτι ἐ τράγος ἄνεν ἔγενθε. *Liquitur obtutu, quod non Caper ipse creatus.*

*Beccum Vocabuli antiqui etymon.*

Quod vero vulgo Beccum ejusmodi notæ hominem appellant, quippe cui conjunx sit adultera, atque etiamnum animal hoc ita vocitent, antiquissimam esse dictionem, in Græcorum habetur commentariis. Apud historicos enim legere est: Psalmetichum Ægypti Regem Phrygiorum antiquitatem, de qua magna inter Phrygas & Ægyptios contentio fuerat, in Ægyptiacis pueris humano omni consortio inhibito educatis, eo argumento deprehendisse, quod ex suapte Bec pronunciarent, quæ vox proprie Caprarum & Hircorum est, eoque vocabulo Phryges panem appellarent. Rostrum vero avium plerisque nunc Italiæ locis, olim vero tota Gallia Beccum nuncupabatur, & beccare passim pro mordere decerpereve dicitur. Quasi vero fuerint primitus homines à Capris enutriti, naturaq; ipsa vocem enunciare docuerit, quæ ad alimoniam magis necessaria videretur, id honoris Phrygibus adjudicatum, ut antiquissimi omnium haberentur. Quaque ratione balantes Oves, & latrantes Canes appellamus, eadem illi beccos Hircos vocavere.

## DE ORYGE. Cap. XIV.

*Observatio Mathematica Ægyptiorum de Oryge.*

INnter minores Ægyptiis greges Oryx est, quem nonnulli Caprarum adscribunt generi. Hunc ex omnibus animalibus solum adverso pilo esse authores tradunt.

## MATHEMATICUS. Cap. XV.

PEr hoc animal pictum aut sculptum, Mathematicum hominem hieroglyphicè intelligebant: siquidem Ægyptii, cum Sothen astrum illud suum, quam nos Caniculam appellamus, magno cultu

A cultu prosequeremur, idque die, quo præcipue oriretur, soliciti admodum essent animadverterunt, Orygem sideris ejus ortum sentire, atq; etiam clamore edito significare, quasi vel ortum nunciet, vel salvere jubeat. Sedenim eo tempore quo astrum illud oritur, ajunt Capras omnes, quotquot Ægyptus habet conversas ad ortum prospectare, peractamq; ita revolutionē cum fide fieri exploratam, consentireq; in id Mathematicorum supputationes. Quinetiam, ut nonnulli alii tradunt, Oryx stat contra, contueturq; stellam, ac, veluti numen adesse sentiat, procumbit adorabundus: quare primas illi partes in hujusmodi significato tribuere, cum συμπαθεια tam insignis cum eo sidere animal moveret, & ea viderent ab eo deprehensa, quæ longa mortalium studia non nisi multarum ætatum successu & observationibus per manus traditis, consequi potuere: cœli motu præsertim assidue variante, quadamque veluti trepidatione vacillante.

## SOBRIETAS. Cap. XVI.

HAbet & id temperaturæ cum Sirio, quod velut ille *sitim semper affert mortalibus* (ut Maro dixit) *ægris*, hic assiduam, imo perpetuam sitim præfert, & ex natura loci potu omnino caret. Quare vi- *Æneid. lib. 10.*
B rum perpetuo sitientem, imo dixerim ego maxime sobrium, per hujus animalis effigiem significabant: quin & remedia sitientibus ex eo comparabant, liquore quodam in ejus corpore haustus saluberrimi reperto.

## DE OVE. Cap. XVII.

OVis nunc persequar significata, verum ea non tam ab Ægyptiis, quam ab Hebræis & Græcis authoribus desumpta, quibus nonnulla etiam addemus à Romanis accepta: trahet vero secum hæc dictio Agnum simul & Arietem.

## STULTITIA. Cap. XVIII.

IN primis autem significatum illud super Ove comperi ut ex ejus simulacro stultitia significaretur: nam usurpatione vulgi Ovis cognomento insipientes appellantur, in quos adagium etiam fer-
C tur, προβατίου βίον ζῆν. De socordia vero stoliditateque animalis illud in ore omnium, προβάτου ὕπνος, *Instar Ovis*, Latini dicunt, quod more Ovium Græci. Et Aristophanes, Vespis, ad hujusmodi stoliditatem respiciens, considére ait ovillum pecus in concilio. Quare Accius in somniis ponit ovillum fœtum in Tarquinium concitatum, tanto vero impetu arietantem, ut Regem solo prosternat, quod Brutum indicabat, quem Tarquinius hebetem æque ac pecus esse putabat, nomine etiam ex re, quæ simulabatur indito, cum tamen is pectus egregie sapientia munitum gereret. Sed & Fabius Maximus, quod ab ineunte ætate aliquanto hebetior videretur, quietemque & taciturnitatem adamaret, neque ad capessendas disciplinas promptitudine aut docilitate ulla præditus esse judicaretur, magnamq; de se torporis & insipientiæ suspicionem apud domesticos concitasset, Oviculæ cognomento appellatus est. Porro autem in sacris,



*Ovium mores.*

D cunque per imprudentiam peccavimus, corrigere jubemur, ut admonet Cyrillus: sed longe plenius Origenes. Hinc χρυσόμηλον appellavit Diogenes virum quendam indoctum, sed splendide vestitum. Nam & proverbium illud, uti superius, *Oviles mores*, de iis qui minimum ingenio valent dictum invenias. Divinæ etiam literæ plerisq; locis homines divinæ institutionis expertes, indocilesque nunc Oves, nunc pecora nuncupant, quod in contemplationis sublimitatem suspicere nequeunt: sed cum soli sint voluptati dediti, ea imitantur animalia, quæ, ut Græci est nominis etymologia, natura prona atque ventri obedientia finxit. De hujusmodi genere hominum quod recte olim instituendum esset, dictum ajunt, *Homines & pecora salvabis, Domine.* Nam quod Dominus præcipit, eum qui voluntaria dona offert, de Bubus vel de Ovibus offerre, ex utroque Jumento similem designans hominem, qui nihil acuminis neq; ad virtutem, neq; ad militiam haberet: sed tra-

*Vellus aureum.*

*Ovis in sacris hieroglyphicum. Psal. 36.*

heretur ab alio, uti Boves, & Oves, quæ animalia sunt insigniter mansueta, eos qui manu trahunt facile sequentia: ideoq; non omnium hæc munera, sed Judæorum tantum esse videbantur: propterea quod illis, tametsi virtutis nihil operarentur, sufficiebat tamen nihil iniq; agere. Atque huc Davidis cum illud citat Hesychius: *Homines & Jumenta salvos facies, Domine.* Neq; sum nescius, pastores Ovium apud Ægyptios ignominiæ cujusdam nota, & pene prophanos habitos, quo nomine Appion, ut apud Josephum est, Israeliticos populos appellitabat: atq; ipsi hoc in historia sacra dissimulant. Sed ut simplicitatẽ illam vivendi, quæ colligitur tam ex nostra, quam ex antiqua gentium pene omnium memoria, prætereamus (certatim enim scriptores omnes primum hoc humanæ vitæ institutum laudibus omnibus ad cœlum ferunt) est & mystica interpretatio, qua Ægyptii posteriores ii, qui à priscis illis longe desciverant, non pastores ipsos, sed pastorum significatum odio prosecuti deprehenduntur. Nam qui corporis incitationibus, ejusq; voluptatibus indulgere sibi permiserit, dubio procul hos, qui recta moneant, quadam velut execratione declinabit. Atq; id denique erat in causa, ut abolitis jam antiquioribus illis priscorum sacerdotum institutionibus, qui papyro victitabant, qui castimoniam & synceram animi puritatem amplectebantur, recentiores mox ex otio & opulentia ad delicias & illecebras prolapsi, in quas cursu effusissimo ferebantur, cœperint pastores hujusmodi pariter aspernari & abominationi etiam habere: utpote qui, ait Horatius, nil vellent ab iis audire, nil discere, nil quod ægros levare posset, fidis offenderentur medicis, amicis irascerentur, si quando eos funesta veterni suffocatione arcere properarent. Sic & Cainus pastorem fratrem, hominem quippe pietati addictum, ferre non potuit, cum ipse terrenis tantum affectibus mancipatus esset. Sic passim etiam nunc probi modestiq; viri à potentioribus ignominiose accipiuntur, scelesti, impostores, parasiti, & ambubaiarum collegia in honore sunt, & quæcumque appetierint commoda consequuntur, atque ita demum.

*Deus creaturarum conservator.*

*Potores, bibuli, media de nocte Falerni*
*Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis*
*Nocturnos jures te formidare vapores.*

## DOCTOR VIRTUTIS. Cap. XIX.

UT vero ad pastores nostros revertamur, pastorem Ovium Ambrosius interpretari videtur discep-
ptatorem rationis, doctoremq; virtutis. Et ubi scriptum, *filios Arietum Domino offerendos*, Principes Ecclesiarum exponit Eucherius: & Oves intelligit eos, qui simplici, vera, puraq; fide pietatem hanc nostram amplectuntur: de quibus Christus, *Oves meæ vocem meam audiunt*, & ad Petrum: *Pasce Agnos meos.* Quo super exclamat Salomon; *Pasce animas pecorum tuorum*: de quibus scriptum est, *Arietes duos in primitiarum sacrificio ad septem Agnos immaculatos anniculos, & vitulum unum de armento adjici debere.* Præclara quippe mandata diceret Hesychius, & virtutes quas sequi alias velut Oves oportet, ad primam illam oblationem applicandas. Quod vero Aaron pontificalibus jam ornamentis instructus Arietem obtulit in holocaustum, per Arietem, Theologi, ut idem Hesychius, Christum intelligunt immolatum: ille enim ducatum præbere Ovibus euntibus in pascua, & adegressum ingressumq; à caulis & in caulas solet: sicut & Christus dux perfectæ conversationis est, à quo videlicet ea sumpsit exordium, atque ideo intrare & exire Ovibus præcipiebat.

*Aries oblatus quid.*

## INNOCENTIA. Cap. XX.

ANte alia autem tam Ovis quam Agnus hieroglyphicum est innocentiæ. Hinc illud apud Cyprianum sapientissime scriptum libro de Livore: *Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. Oves nominat, ut innocentia Christiana Ovibus æquetur: Agnos vocat, ut Agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur.*

## MANSVETUDO. Cap. XXI.

ET imbellem, purum, simplicem, ac egregie mansuetum hominem, eundemque immaculatum, ac pectore candidissimo præditum hieroglyphice significare qui volunt, Agnum pingere consueverunt: id enim mansuetissimum ejus ingenium exposcere videtur. Nam & ipso vocabulo ἀγνὸν puritatem castitatemq; significat. Et antiqui sacrificuli augurescq; Maximam hostiam ovili pecoris appella-

pella-

A pellabant,non ab amplitudine corporis sed ab animo placidiore. Comprobant etiam hoc sacræ literæ,& nostri Servatoris insigne: Agnus,ab omni Christianorum antiquitate summa exceptus veneratione: de quo fertur illud à priscis vatib. dictitatum, TANQUAM AGNUS. Nam ut Agnum coram tõdente obmutuisse, Agnum patibulo applicitum anniversaria nobis commiseratio & ploratus redintegrat. Et præcursor ille Deo plenus, Agnum hunc intento digito commonstravit. Hoc vero picturæ genus cum synodo sexta jam antiquatũ esse percepissem, neq; satis mihi faceret Latina traductio, ad Græca me contuli exemplaria in quibus rem ita traditã inueni: Ἐν τισὶ τῶν σπλῶν εἰκόνων γραφῆς ἀμνὸς δακτύλῳ δεικνύμενος ὑπὸ ἐγκαράξεως, ὡς εἰς τύπον παρελήφθη τὸ χάρισμα τὸ ἀληθινόν, ἢ μᾶλλον νόμῳ προφαίνων ἀμνὸν Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν. Τὰς δὲ παλαιὰς τύπους καὶ τὰς σκιὰς, ὡς τὸ ἀληθείας σύμβολα παραδεδομένα καταπαύομεν, τὸ χάρμα προσιμῶμεν, ὡς τὴν ἀλήθειαν ὡς πλήρωμα νόμου ταύτῃ ὑποδεχόμενοι. ὡς ἂν ἔν τε τέλειον κατὰ τὰς χορηγίας τὰς ἀπάντων ὄψεσιν ὑποδράμῃ, τὸ τὰ αἴρουσα τὰ ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀμνὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ τὸ ἀνθρώπινον χαρακτῆρα, καὶ ἐν ταῖς εἰκόσι δοκοῦν ἀνὰ μέσον τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ ἀναγκαῖον ὁρίζομεν, δι' αὐτὸν τὸ τῆς ταπεινώσεως καὶ Θεοῦ λόγου καταινοῦντες, καὶ προσμένομεν τὸν ἐν σαρκὶ πολιτείας· καὶ τὸ πάθος ὑπὲρ καὶ τοῦ σωτηρίου θανάτου χειραγωγούμενοι, καὶ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως δόξαν ἐπιλυτρώσεως. Id est *in quibusdam venerandarum imaginum picturis Agno digito præcursoris indicatus delineatur, qui receptg est in effigiem doni illius optatissimi, quo genus humanum Deus Opt. Max. honestavit: cui Gratiæ nomen ab excellentia quadam indidimus. Ille enim sub eo velamento verum Agnum, ad quem dicta nostrorum veterum respexere, Christum Deum nostrum ostentat. Nos vero figuras, & descriptiones veterum, prout sunt veritatis notæ, præfigurationes q; Ecclesia concessa, honorifice atq; libenter amplectentes, gratissimum tamen donum illud à Deo nobis liberaliter erogatum præferimus, ipsam rei veritatem, ut quæ illa veterũ dicta jam adimpleverit admittentes. Ut igitur quod perfectum atq; absolutum est in picturationibus etiam, quæ omnium oculis objiciuntur, describatur, Agnum, qui peccata mundi tollit,* CHRISTUM *Deum nostrum humana post hac effigie, pro antiquo Agno pingendum esse decernimus: quippe qui per hujusmodi figuram, humilitatem verbi illius quod à Deo processit, intelligamus: memores q; simus, eum nostri corporis exuvias suscepisse, ac perinde cruciatibus affectum morte nobis salutifera decessisse, mundumq; inde redemptum esse, manu* C *quasi prævia doceamur.* Quid vero super his Latinus interpres, quid Doctores asserant, alii viderint. Decret. de consecratione, distinct. 3. can. *sextam sanctam Synodum.* Traducere enim mihi religio fuit, cum illa jam sint ab Ecclesia recepta. Quin & Ovem pro masuetudine poni passim videas, præcipue vero in Evangelica, uti dictum, disciplina, ubi Oves & Hœdis segregandæ prædicuntur. Vitam siquidẽ illi peragunt intaminatam, qui masuetudinem amplectuntur, & ab eo, qui mitis est, & humilis corde, suscipiunt morum rationem, paratique sunt tanquam Oves ad jugulationem, si sit opus, trahi, ut Dominum imitentur. Sane Ovem Hesychius hominem præ se ferre tradit in Divinis literis, qui simplex admodum sit, neminiq; noceat, & à perperam factis abstineat: de quo plura alibi. Hœdi vero petulci sunt atque erratici, qui prærupta quæque rupium, & loca præcipitiis exposita consectantur.

*Θεὸν ἢ τὸν Agnus mystice.*

## OPULENTIA.

APud alios historiæ sacræ scriptores, Ovis est proventus etiam & feracitatis indicium, cui Græcæ dictionis vox ipsa etiam favere videtur. Nam ut pleriq; interpretantur, πρόβατον, quasi πρόβασις D appellatur, quod rerum earum opulentiam significat quæ ad victum faciunt. Sed ut in ovibus persistamus (latum enim est τὸ πρόβατον vocabulum) ubi Hesiodus ait, μαρναμένους μήλων ἕνεκ' οἰοπόλοιο interpretes ajunt μήλων ἕνεκα, de imperio & opibus debere intelligi: propterea quod Principes olim pastoralem vitam agere soliti sunt. Sane veteres in tanto Oves honore habuere, ut ex iis tantum opes fieri existimarent, & pecuniam & peculium inde dicta Jurisconsulti tradunt, ideoque fictum Oves lanam olim auream habuisse. Hinc cum Hercules ex Africana victoria nihil præter Oves abegisset, aurea mala secum asportasse dictus est. μῆλον enim dicitur Ovis, & ea locutione pomum usurpatur. Sunt enim qui scribant, in illis hortis, qui Hesperidũ fuisse dicuntur, oleastros tantum progerminari: alii autem cotonea ibi latissime provenire tradunt, eaque à colore aurea nuncupata. Nam quæ in manu Herculis poma tria statuuntur in antiquissimis ex ære statuis, cotonea sunt, de quorum significationibus loco suo inter arbores disseruimus.

*Herculis aurea mala.*

FELICI-

## FELICITAS. Cap. XXIII.

Eclog. 4. IN Hetrusca disciplina observatum invenio, felicitatem ex Ove portendi: præsertim si Ovis insolito colore fuerit, quod mihi Virgilius optime tetigisse videtur, ubi dicit:

*Ipse sed in pratis Aries jam suave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera fuco.*

De quo legitur apud Hetruscos: *Purpureo aureove colore Ovis si aspersa fuerit, Principi ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniem propagat in claritate, lætioremq; efficit.* Ex quo nata inter greges Atrei aurea Agna, principium discordiarum illi ac Thyesti fuit, fratre scilicet invidia fraternæ felicitatis exulcerato. Unde illa citantur à Cicerone ex antiqua tragœdia Atreo, de Nat. Deor. III.

*Aurea Agna Atrei.*

*Addo huc quod mihi portento cœlestium pater*
*Prodigium misit regni stabilimen mei,*
*Agnum inter pecudes aurea clarum coma.*

Auream enim Agnam Thyesti puero natam, & Pausanias & Plato meminere: animalque id ex lapide impositum ejus tumulo, ejusdem rei monumentum, Pausanias idem attestatur. Esto autem hoc apud historicos. Sed felicia illa portendi ex eventis comprobatum, tunc præcipue cum Agnus natus esset vellere in fronte purpureo in villa Antonini cujusdam plebeii viri, eo die atque hora, qua Geta, Antoninus inde nuncupatus, Mediolani natus est. Verum is, in cujus ædibus Agnus editus fuerat, cum Imperium Antonino ex hoc portendi audisset ab Aruspice, de se dictum putans, ne fatum propalaretur agnum statim occidit, quod omen fuit Getam, qui & Antoninus vocabatur, ut subsecutum est, ab Antonino fratre necandum esse, quod apud Ælium Spartianum, & alios habetur: usque adeo authores ea etiam quæ nihil attinent, in usum adsciscunt suum. Eædem Oves Diadumeno nascenti Imperium portendere, cum in agris patris Oves purpureæ duodecim natæ essent, quarum una tantum varia fuerat. Et Mathematici, quos tamen hic ridet Ambrosius, eum ad eroganda multa idoneum, atque itidem ad acquirendū dicunt, qui invadente in horoscopum Ariete fuerit in lucem editus. Nam hoc animal & vellus absq; ullo dolore molestiave deponit, & à natura facile rursum eodem vestitur.

*Asinam Ove mutandam præceptum.*

In eamdē fere sententiam Ambrosius interpretatur divinam legem, ubi Asinam Ove mutandam in sacrificiis instituta Dei jubent. Asina quidem Animal laboriosum, Ovis vero frugi, & non parvi proventus. Fructu igitur mutandum esse laborem, dicit Dominus, id sub hoc verborum velamento subinuens, quod uniuscujusq; laborioſi operis finis ad fructum respicere debeat. Neque tamen ignoro esse, qui simpliciter intelligi velint præceptum hoc, ea de causa, quod Asina sit immunda, ideoque in Ovem, quæ munda est, commutandam. Sunt qui hoc verborum involucro dicant, laborem & industriam omnem affectu simplici commendandam, per Ovem simplicitatem tantum, ut etiam superius dictum est, accipientes. Qui vero profundius rem exquirere sibi videntur, liberandam ajunt animam ab iis quæ fructum non habent, cujusmodi ea sunt, quæ solo sensu percipiuntur, cum fructus per Ovem omnino exprimatur, per Asinam vero sensus ipsi materiæ simpliciter appliciti.

## MULIEBRE OFFICIUM. Cap. XXIV.

*Nova nupta in pelle lanata quid.*

QUod vero novam nuptam veteres in pelle lanata considere jubebant, vetustum referre morem videtur, quod id vestimenti olim usui fuerit. Sed illud magis verisimile, quod hoc gestu adductas, se ad præstandam lanificii operam marito pollicere viderentur. Nam ad hæc usq; tempora plerisque Italiæ locis, postero quam nova nupta mariti domum ingressa est die, illi è geniali thalamo mane prodeunti obviam propinqui fiunt, colum, fusum & lanam, acum & forficem, rutabulum, pensiculum, quodcq; cuique in promptu fuerit instrumentum, omneque vas domesticum offerentes: quo ea muliebris haud ignara officii, se non ad delicias & voluptates, sed ad faciendam lanam, & alia quæ frugi sint curanda, venisse reminiscatur.

## FOECUNDITAS. Cap. XXV.

SAne quidem Junoni regnorum & opulentiæ præsidi, partuumq; sospitatrici, Oves ambiguæ, hoc est, ut Bebius Macer ait, cum duobus Agnis altrinsecus alligatis sacrificabantur à matronis, quæ gemellos peperissent. At Siconii graves Oves Diis benevolis & fortunatis, quas ipsi εὐμένιδας Athenienses σεμνὰς vocabant, felicitandæ rei domesticæ causa immolare consueverunt. Herculis quoque divitiarum & proventus Deo, Ovis ramis quatuor impositā pro Bove, qui se sacris surripuerat, sitasse

A litasse perhibetur: unde ipse Melon,&Mellus appellatus,quod Latine diceretur Ovillus.In Pomi vero commentario plura super hoc narrabuntur.

## PECUNIA. Cap. XXVI.

ADhæc, licet Ovidius & alii non imperite dixerint, Pecuniam à pecudibus appellatam, quod peculium,uti superius ostensum, olim omne à gregum numero censebatur, eaque de causa Maronius Corydon divitias ostentaturus suas dixerit,

*Mille meæ Siculis errant in montibus Agnæ:* *Eclog. 2.*

Illud tamen satis constat æs prius nota pecudum signatum à Servio Romanorum Rege; unde Varro etiam, ut apud Marcellum est, *Unam Ovem multam dictam*, ait, cum citatus neque respondit, neque excitatus est. Unum vero virili genere dixit: sive quod numum intelligeret,sive ad imitationem Homeri. Ab hoc Marcelli loco fragmentum est etiam in antiquissimo,quem Romæ vidi, codice.In commentariis tamen sacrorum Pontificalium crebro lectum ajunt, hic Ovis, & hæc Agnus,ac Porcus: quæ,inquit Festus,non ut vitia,sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere. Ex quibus omnibus liquido apparet,non inepte Pecudem pro divitiarum hieroglyphico accipiendam. *Ovis masculino genere.*

B

## PHTHIRIASIS. Cap. XXVII.

SUnt qui hominem pediculositate confectum significare si velint, ovillam illi pellem inducant, quam Lupi caput impactis dentis dilaceret: siquidem Ovium quas Lupus occiderit pelles, ac vellera,& facta ex his vestis,longe quam cætera aptiora sunt ad pediculos procreandos. Quod cum sit tum ab Aristotele,tum ab aliis receptum,quæsiere multi causam,illudq; cupediariorũ experimento deprehenderunt, carnes hujusmodi quæ lupinis dentibus laceratæ fuerint, dulciores esse: quod tactum ab Horatio volunt,ubi inter ea,quæ jucundiora deliciis regiis enumerat,Hœdum etiam ereptum Lupo recenset,quod ego tamen ad frugalitatem potius retulerim,utpote qui eo loco parsimoniam in primis laudet,hisq; tantum carnibus fruatur,quæ aut inemptæ sint,aut nisi absumantur perituræ. Vel ex eo magis jucundum,quia qui semel amissus erat,sit receptus. Sed utcumq; illi,sane dulcedinis huius causam esse dicunt caliditatem,& igneam prope vim,quæ sit in anima Lupi,utpote quæ ossa vel durissima in utero liquefaciat,ariditate,permollita,evenireque inde ut carnes facilius atque celerius putrescant,si morsu fuerint hujusmodi vitiatæ: lanasque idemtidem contaminatas, contagionem illam etiam in vestibus pertinaciter perservare. Cæterum sunt qui judicent hoc non à calore,vel putredine provenire, sed ab asperitate potius, &, ut Medicorum utar vocabulo, Vellicativa quadam vi, quæ carnem scabritie interterat, pruritumq; suscitet: unde postmodum humanæ cutis humore corrupto,pediculi suboriantur absurdumque esse dicunt, asserere vim illam à Lupi spiritu, morsuve usq; adeo in vellera diffundi,quæ totiens abluantur,solentur,depurgentur, inungantur, defæcentur,ac propemodum excoquantur.Referunt vero venatores,& caupones,animalia quæ ictu uno procubuerint,uno,ut ita dicam,spiritu suffocata,solidiora, minusq; putrefactioni obnoxia reddi. Quare Homerus rerum omnium doctrina insignis,sive coria,sive lora,commendet, Bovis ea dicit esse ἐφικταμένοιο, ictu quippe valido mactati.Itaq; eorum,quæ neq; morbo,neque senecta pereunt,sed jugulatione, coria validiora sunt, nervosioraque. At quæ pluribus conficiantur plagis,difficulterq; aut contanter exagitata delassataq; perimantur,præsertimque si ferro saucientur, facile putrescere,neque in alterum diem asservari posse. Eorum autem, quæ tam lenta exanimentur morte, contaminatam vim & in pelles, & in vellera,quin & in ungues penetrare: præcipue autem si mordentur à feris,ungues etiam ipsos obnigrescere,sanguine,humore & medullis etiam ipsis præ timore & cruciatu contaminatis, indiciumq; id tabis esse. Quare minime mirum, si contagio huiusmodi etiam in vellera diffluat,coriaque tentet & omnia denique computrescere compellat. Atque hinc pediculositatis significatum. *Vestes ex vellere Ovium à Lupis occisarum cur aptiores ad pediculos progignendos. Carminum lib. 4. Od. 1.* *Homerus omniscius.*

C

D

## DISCORDIA. Cap. XXVIII.

DIscordiam vero & mores maxime dissimiles Ægyptii Poetæque omnes significare cum volunt hieroglyphice,Lupum & Agnum,aut Ovem ponunt. Unde apud Horat. legas,

*Lupis & Agnis quanta sortito obtigit,* *Tecum mihi discordia est.*

*Ex o Od. 4. Metamor. lib. 1.* Et de maxime inter se discrepantibus Ovidius ait,

*Nat Lupus inter Oves.*

*Lupi & Ovis antipathia.* Ajunt vero eam esse antipathiæ vim, ut plerumque Agni recenter nati, neque ullius animalis extra caulas effigiem intuiti, audito repente Luporum ululatu exanimescant, subitarioq; eo perculsi metu, mortui concidant. Qinetiam periti rerum prædicant, horum animalium inanima etiam in eadem naturæ dissensione perseverare. Ovillas enim fides si aliis ex lupino intestino factis fidibus associentur, & absonas & præ metu mutas permanere. Idē de tympanis ex ovilla pelle & lupina factis accidere tradit Oppianus: simulac enim pulsantur, ovillum mutum esse, lupinum solum exaudiri.



## DE ARIETE. Cap. XXIX.

*Aries natura ferox.* SEd quantum in Agno mansuetudinis superius agnoscebamus, tantum in Ariete ferocitatis experimur: simul enim ac cornua accreverunt, pugnacissimi fiunt, neque se tantum in suo genere lacessunt, incursantesque invicem arietant, verum & homines impetunt, in bellumque provocant. Unde etiam dicterium celebratur, κριὸς ἀσελγοκερέως: qua forte de causa Marti cœlestis Aries dedicatus: & si qua Planetis in humano corpore vis, fel à Marte regi dicitur: in eo vero sedes iracundiæ, & bilis. Et Adamantius immolatos apud Hebræos Arietes, apud nos iracundiam jugulari debere, putat intelligendum.

FEROCITAS.



## BELLUM. Cap. XXX.

SIve igitur pugnacitas hæc in causa fuerit, sive sanctius institituti homines, cum aliqua affecti essent injuria, ultionis procurationem non à se, utpote qui ex mansueto & innocuo essent genere procreati, proficisci, sed ab hostium improbitate atque injustita, indicare, testatumque facere vellent, indicturi cuipiam bellum, Arietem per Fœcialem præmittebant, quem in hostium fines immitteret: vel honestā ita causam suam ostensuri, quod non nisi provocati bellum gerere cogerentur: vel, quod alii malunt, ut hostilem agrum suæ jam prædæ expositum indicarent. Utcunq; sit, *Aries*, ut ait Hesychius, *vexilli nostri, hoc est Crucis, hieroglyphicum est, Crux vero redemptionis: Aries ille*, inquam, *qui pro Isaaco in holocaustum oblatus est, in virgulto Sabech, ut Septuaginta ediderunt, à cornibus religatus.* Sabech vero Remissio interpretatur, quia Crucem, quæ remissionis virgultum fuit præmonstrabat.

## RIVALITAS. Cap. XXXI

SUnt, qui rivalitatem hieroglyphice per Arietes duos cornibus se invicem lacessentes significari dicant, quandoquidem in ejusmodi concertationem amoris causa ferri eos perhibent: quippe qui offensionem intelligant sibi fieri, si quas amant Oves, ab aliis saliri conspexerint, quod Hirci plurimum negligentes, fusque deque ferre solent.



## VENUS. Cap. XXXII.

*Aries libidinis hieroglyphicum.* IN hujusmodi vero Venerei affectus hieroglyphicum Aries multis est veterum monumentis impositus. Nam qui ante Corinthi urbem intra priores pedes Leænæ, quæ Laidis tumulo imposita

A posita erat, visebatur, libidinem nimirum ejus meretricis indicabat. Erat & apud Eleos in templo Veneris simulacrum ejus insidens Arieti, Scopæ, ut Pausanias ait, opus, eique cognomen erat πανδήμιον, quod arietinæ procacitati videtur convenire.



## VETULIPETA PROCUS. Cap. XXXIII.

NAm quantum ad Arietis libidinem attinet, per eum ita in nequitiam concitatum, hominem, qui vetularum concubitum assectaretur, nonnulli notandnm censuere: quod is primum vetustiores fœminas inire consueverit, quarum facta copia novellas minime persequatur.

## SALUBRITAS. Cap. XXXIV.

*Mercurius cum Aries quid.*

MErcurium autem ajunt apud Tanagræos cum Ariete humeris insidente solitum effingi, eumque κριοφόρον Pausanias ait appellatum. Erat id partæ salubritatis hieroglyphicum, quan-
B doquidem Mercurius expiatione Arietis, quem circum urbem gestaverit, pestilentiam, quæ Tanagras invaserat, sustulisse dicitur: in cujus facti memoriam, die ejus festo pulcherrimus quispiam ex Tanagræa juventute delectus, Arietem humeris impositum frequentissima totius civitatis pompa, circum mœnia gestare consueverat.



## CUSTODIA. Cap. XXXV.

APud Corinthios vero Ænæum Mercurii simulacrum visebatur, cui Aries adsistebat. Causam fuisse Pausanias dicit, quod Mercurium maxime omnium deorum custodire greges, proventusq; ex eis augere persuasum sit. Sedenim cum ita Mercurio facundiæ Deo præsidi Aries apponatur, maximumq; humanæ vitæ præsidium sit oratio, ut comici Græci dicterium est, minime mirum, si Isocratis Rhetoris sepulcro Aries triginta cubitorum adsculptus fuit, in quo Siren cubitorum septem insideret: nam ea quoq; orationis
C suavitatem indicabat. Et ferunt Astrologi, Mercurium in Ariete collocatum, orationis promptitudinem, & ex tempore dicendi facultatem dare. Sed ne ab Isocratis sepulcro discedamus, prope etiam mensa apposita, quæ Poetas haberet ac ejusdem præceptores, in quibus & Gorgias astronomicam sphæram inspectabat, & Isocrates ipse omnifariæ doctrinæ hauriendæ cupidus adsistebat.

## HAMMON. Cap. XXXVI.

IN Saloninæ numo Aries est cum inscriptione, Hammoni Cons. Aug. Animal enim hoc in veterum sculpturis frequentissimum habetur, præcipueq; Hammonem Deum, specie illa sua reciprocicorni (ut Laberii dictum usurpem) significabat. Hunc vulgus Jovem, Ægyptii Solem esse contendebant: cornuaq; radios ostentare, de quibus alibi locupletius. Spectare tamen est in Gallieni numo Arietem inscriptione addita, Jovi Con. Aug. Hammonem vero veteres salutis Deum, uti Latini Jovem à juvando dictum, interpretabantur, exq; arietino capite eundem Deum, qui omnium saluti prospiceret, ἱερογλυφικῶς intelligebant. Hecatæus Abderita Ægyptios ait Hammonis voce usos, cum se invicem salute præposita compellarent, allocutoriamq; esse vocem, qua boni ominis causa Deum in-
D primis ita venerarentur. Isq; mos in plerisq; nostræ pietatis collegiis observatur, ut quicumq; pulsaverit, non prius ad colloquium admittatur, quàm ad Virginis Deiparæ salutationem responderit. Cumq; veterum mos esset, in mortuorum conditoriis bene defunctis ominari, eos Diis manb. commendabant: alii columnas, quæ sepulcris erigebantur, inscriptionis hujusmodi loco, arietinis capitibus hinc inde adsculptis insignibant, corymbis intermedio propendentibus, qui foliorũ & fructuum varietate lascivirent. Sed quod ad Hammonem attinet scriptores rerum parvula quædam cornua in utroq; tempore eum habuisse ferunt. Qui vero penitiorem doctrinam perscrutati sunt, propriũ id Jovis nomen apud Ægyptios fuisse tradunt. Alii dicunt arietinum caput ideo Hamonis esse signũ, quod is Ægypti rex, præclaris admodũ rebus à se gestis, in galea usus sit arietini capitis insigni. Ajunt & cum Herculi illi vetustissimo ad eũ visendi studio profecto se olim ostentaret arietino capite, quẽ macta-

*Gallieni numus. De cujus oraculo à Gell. lib 3. c. 3.*

*Hammon arietino capite.*

verat, vertici suo impositio,& pelle ea villosa circumdatum,alia pelle amictum Heroen admisisse. Et Saporis Regis gestamen celebrat Ammianus,Aureo capitis aretini figmento elaboratum. Quod & insigne militiæ, & quasi sodalitatis cujusdam suæ, recentissima memoria Carolus fortissimus Burgundionum Dux,Caroli V. Imperatoris avus adscivit,aureum Arietis caput singulis pro gestamine imponendo, & Arietini capitis cognomento sodalitatem vocando, eam Tottionis aurei vulgo appellarunt,quod ea locutio caput arietinum lingua patria designaret.

*L'ordre de la toison d'or.*

## DEGUSTATIO. Cap. XXXVII.

*De Ariete signo cœlesti.*

SEd ut hæc, quamvis ad vetustatis imaginem, usumq; facta,missa faciamus, appellat nos Aries ille toto cœlo conspicuus, qui rerum temporumq; divisionem, æquasque utrorumque portiones ostentat: uniformem toto anno diei noctisq; partitionem,auctum & decrementum æquilibrio semper appensum.Cur vero Aries huic sit dispensationi præfectus,ea affertur causa: quod proprium illi esse ajunt ab æquinoctio verno super dextrum latus incubare, veluti Sol quoque ad Septemtriionales,quippe dexteras ut Ægyptii statuunt,mundi regiones deflectit: ab Autumnali vero æquinoctio sinistro incubat lateri,veluti etiam Sol in lævam declinare, & Australia signa occupare conspicitur. Pari propemodum ratione malorum semina ipsis fructibus inclusa, brumali die spontaneo motu converti in contrarias partes observatum: quippe quæ peracto jam omni maturitatis numero,natura opifice,quæ rerum omnium altrix est,retro cedere,& ad radicem,ad propaginem,ad specierum earundem progenerationem tendere videantur.

## PRINCIPIUM ANNI. Cap. XXXVIII.

APud Astronomos Aries pro Anni principio capitur, & eo notatur hieroglyphico, variaque est ingeniorum sedulitas istius rei rationem afferre conantium: Hebræis præsertim nonnullis Libram potius caput afferentibus,quod par fuerit omnia perfecta,& seminibus fœta summo ab opifice creari,eo vero tempore fruges omnes maxime maturuisse. Quod vero Aries inde locum occupaverit,ex lege factum ad illius temporis solennitatem celebrandam,quo liberati sunt ex Ægypto.Sed quod ajunt tunc temporis nonnulli, quo mundus est genitus, Arietem cœli medium tenuisse: in mundi quippe vertice constitisse, quisnam id potuerit conjectare non video, cum in sphærica cœli figura neque vertex, neque imum, nequa ortus, neque occasus,qui eodem temporis articulo sint, iidem eodem momento gentibus omnibus dari potuerit.Nam nisi omnibus ea ratio gentibus inserviat,admittenda non est. Solem vero qui dicat in hoc vel illo signo fuisse,nemo non intelligat. Astronomi quidem fuisse in Ariete volunt, & Virgilii doctrina non parvam his authoritatem adjungit,dum ita super verni temporis amœnitate canit:

*Georg.lib.2.*

*Non alios prima crescentis origine mundi*
*Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem*
*Crediderim: ver illud erat,ver magnus habebat*
*Orbis, & hybernis parcebat flatibus Euri,*
*Cum primum lucem pecudes hausere virumque*
*Terrea progenies duris caput extulit arvis,*
*Immissæque feræ silvis, & sidera cœlo:*
*Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,*
*Si non tanta quies iret,frigusq; caloremq;*
*Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.*

Quod vero Commentarii hujus finem Virgiliani carminis amœnitate condire quæsierim,optime Lactanti, non inepte me feciisse arbitror, qui te forte gregalium rusticitate, styloque modoque pastorali, virum tam elegantem, offensum & delassatum suspicabar. Tu quicquid id fuerit,ut omnia amicorum soles, boni consule,& Pierium virtuti doctrinæque tuæ deditissimum, ut facis, ama.

JOAN.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XI.

## DE IIS QUÆ PER LUPUM, HIÆNAM LYNCEM, URSUM, PANTHERAM, TIGRIM, ET URUM SIGNIFICANTUR.

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD PROSPERUM SANCTACRUCIUM NOBILEM ROMANUM.

NEscio *quo tuo fato acciderit (optime lepidissimeq; Prosper) ut qui mortalium es jucundissimus in truculentissimas omnium feras incideris. Tibi enim ludis meis Ægyptiacis, quos propediem istic Patavii sum commissurus, ducli sorte obtigêre, Lupus, Hyæna, Lynx, Ursus, Panthera, Tigris, & demum Urus, cum quibus tibi sit, quantum animis viribusq; valeas, congrediendum. Has omnes vel captivas facias, vel cicures, vel forte etiam devores necesse est, lege ita sodalitia, cosmogeriis comitiis decernente mandanteque, exceptione, quæcunq; possit excogitari, summota penitus. Scio, adhæc, firmissimi licet animi juvenis, totus es commotus, qui à bestiarum venatione pastuq; semper abhorrueris. Nolim tamen putes edictum in te factum acerbi quicquam, aut æquum justumve minus continere: quod ea potius de causa decretum est, quia novæ indomitæque feræ cicurandæ cum essent, neminem habuimus, quem in hujusmodi negotio tibi præferendum existimaremus. Tanta enim est vultus animiq; alacritas tui, ut facile speremus, simulac in theatrum descenderis, illæque furorem, feritatem, rabiem, aut sævitiam quæq; suam in te concitarint, futurum, ut tu sola Gelasini tui hilaritate omnes actutum mansuefacias, & simulac semel arriseris, adblanditusve fueris, ad pedes tibi omnes evestigio procubituras. Vidimus enim sæpius homines quavis bellua ferociores, quos tu, uti tuus est mos, dicto aliquo salso, aut liberiore aliqua admonitione tactos, castigatosq; contra te irritatos, simulac furore perciti, & impotentes irruerint in te minabundi, ad solam vultus tui jucunditatem veluti aliquæ incantatione perculsos substitisse, consternatosq; animi omnem statim indignationem amisisse, sponteq; tibi sese dedere, & quibuscumque rebus gratificari possent, obsequium polliceri. Quare cum velut Orpheus lyra, moduliq; tu solo illa comitate fretus tua, feracitatem omnium mitiges, furoremq; delinias, age nulla jam contatione exhibitas à me feras aggredere, victoriam ex illis omnino reportaturus: quia in Ægyptiorum fanis alitæ atq; educatæ literas mihi videntur didicisse. Proinde facile erit juveni literatissimo eas quoquo volueris trahere, & ad omne obsequium paratissimas efficere, id quod jam in Lupo, qui prodiit primus, experiri potes.*

---

## DE LUPO. Cap. I.

PERinique mihi facere videntur, cui Ægyptios solos de brutorum cultu derisui habent, atque convitiis & cavillationibus etiam persequuntur, cum nationes fere omnes eadem fuerint superstitione aliquando contaminatæ, præsertimq; tota Græcia, quæ maxime omnium sapientiam ipsam aluisse prædicatur, Romanaq; respublica, apud quã cæremoniæ primas semper partes obtinuere. Græci enim Lupum in honorem Apollinis venerabantur, in Martis atq; adeo Romuli Remique venerationem Romani. Alias etiam belluas afferre possem, quæ apud hos & alios, divinos sibi honores ascivere. Sed quoniam de Lupo dicere propositum est, quod ad eum attinet præcipue prosequemur.

## APOLLO. Cap. II.

*Virg. Æn. li. 9. ubi etiam Lupus dicitur Martio. Lupus Apollini dicatus.*

Fuit autem, uti dictum, fera hæc plerisque locis Apollinis memoriæ dedicata, ejusque simulacri ea asseritur causa, quod oculorum acie potens adeo sit, ut noctis tenebras evincat, acutissimo quippe polleat visu, intempestaque nocte etiamsi Luna sileat, clarissimè tamen intueatur, & in prædis invadendis post nocturnam famen antelucanum tempus observet, à Sole autem totum est lucis beneficium. Utraque vero de causa, & quod potens lumine esset, & quod ante lucem prodiret ad prædam, Lycopolitana Thebaidos in Ægypto civitas hieroglyphicum Lupi forma Apollini dedicavit, eique in Lupi specie sacra faciebat: tantoque apud eos cives cultu habitus est, ut cum Lupum tamquam Deum venerarentur, soli ex Ægyptiis Ovibus vescerentur. Hinc ipsum Solem Homerus λυκηγενέτην vocat, non ea quidem causa, quod in Lyca genitus credatur (nam fabula hæc, ut Heraclides Ponticus asseruerat, recens admodum est, neque temporibus Homeri adhuc cuiquã innotuerat) sed veluti diem ἠεροφοίτην, propterea quod ἠὴρ, hoc est, diluculum generet, ita Solem λυκηγενῆ dixit, quod matutini splendores author ipse sit, vel potius quod Lycabanta progeneret, hoc est, annum, cui nomen, ut nonnullis placet, à Luporum similitudine quadam inditum: illi siquidem auctos imbribus fluvios tranaturi, caudas mordicus invicem apprehendunt, longoque ordine seriatim aquis immerguntur, tutoque transmeant, id quod Sol ipse in animalibus Signiferi prætereundis facere videtur, dum continuata quadam serie finem unius, alterius principium facit. Sane aliquot in signis Apollinis Lupos adsculptos videas, de quo diximus in Ancilibus. Colebatur & apud Athenienses in Apollinis gratiam Lupus; quique fortè animal id interfeciſſet, lege damnationis promulgata parare jubetur, quæ ei funerando forent necessaria: ut ita magistratus quod sui juris esset officium executi viderentur, & religione Respublica solveretur. Eam hujusce cultus nonnulli causam memorant, quod Latona prægnans per 12. dies in Lupum transmutata, Delon se contulerit, ubi illi facultas pariundi fuit: quapropter Lupæ certa anni dimensione omnes intra dierum 12. spatium pariunt, quod Philostephanus tradidit Commentariis, de quo inferius latius.

*Macro. idē Saturn. l. 1. cap. 17.*

*Hom. Iliad. lib. 4.*

*Athenis Lupi sepeliebantur.*



## MARS. Cap. III.

*Lupus Martio dicatus.*

Marti idem dedicatus, sive, ut est in fabulis, propter Romuli Remique educatum, quod deridet Festus, qui velit non à ruma, sed à virtutum magnitudine utrique fratum inditum nomen, quod ῥώμη, notum apud Græcos vocabulum, fortitudinem significet, ut inde scilicet ii nomen adepti sint, veluti ἀπὸ τῆς ἀλκῆς Alcides sive propter ipsam voracitatem, quæ in bello crudivora est; inde in Sacris etiam literis legas, *Gladius meus devorabit carnes.* Hinc & Mavorti nomen, ut nonnulli arbitrati sunt, quasi mares vorantem dicere voluissent: bellatores enim mares esse debere, & mares dici, alibi ostensum. *Martios* porro Lupos Virgilius, *Martiales* Horatius vocat. Et apud Plautum eos in tutela Martis cognoscit Strabax adolescens, ita profatus: *Fuit edepol Mars meo patruus patri: nam Oves illius haud procul absunt à Lupis.* Græci sane Poëtæ λυκόφρονας vocant strenuos bellatores: validi enim omnino sunt Lupi, & in fallendis hostibus astutissimi, Robur vero eorum plurimum in armis est, ut apud eundem Plautum:

*Lupina audacia præditos.*

*Hesychius.*

*Quasi Lupus ab armis valeo, clunes infractos fero.*

Ob

A Ob astutiam vero Pindarus adversus inimicos comparare se unumquemque monet λύκοιο δίκαν, more Lupi: ad id scilicet respicieris, quod Lupus tortuosis ambagibus vestigia perplexa ponit modo hac, modo illac procurrens, ut non facile, qua te parte sit invasurus, aspicias.

## RAPTOR. Cap. IV.

*Militem natura. Et hieroglyphicum.*

BEllicosis vero viris plerisque omnibus is natura mos insitus, ut convectare juvet prædas, & vivere rapto, id quod etiam inter præcipua virtutum suarum præconia, magnificè atque gloriose admodum recensere solent. Unde furacem & raptorem hominem per Lupum ostendi, multi aptum & congruens existimarunt hieroglyphicum: quod quidem minime alienum est à veterum disciplina, eorum maximè Philosophorum consensu, qui palingenesiam posuere, ut remotiorem doctrinam illam, quam ab Ægyptiis acceperant, novo commento hujusmodi fabularum involucris occultarent. Illi enim hominem, qui semper promptus & paratus fuisset ad rapinas, post obitum in Lupum abire tradiderunt, ut in Phædone Socrates: quæ tamen dictata Porphyrius & Jamblichus
B non sunt passi diutius in tenebris latitare: sed quid ea sibi vellent, latissimè omnia pandere curæ pretium habuere. Hos secutus Poëta Claudianus, prædones ait, ab Rhadamantho Lupis objici solitos: ridiculeque, ut assolet Aristoph. Simonem bonorum publicorum depeculatorem exprimi per Lupum à Nebulis jocatur. Et Lupi nomen in Divinis literis, ut observarunt Theologi, non secus ac Vulpeculæ, semper in mali cujuspiam significatum accipitur. Ac cacodæmon est interdum Lupus, plerumque tamen raptor in Evangel. *Intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.* Quod vero Jacob ait, *Benjamin Lupus rapax, mane capiet prædam, vespere autem reddet*, de Pauli conversione dictum & Eucherius & alii plerique putant.

*Matt. 7. 15.*

*Gen. 49. 27.*

## Improbitas meretricia. Cap. V.

ET qui meretriciam improbitatem per Lupæ simulacrum significari contendunt, hieroglyphicum nimirum id à rapacitate desumptum autumant. Notum enim, meretrices Lupas appellari, & inde Lupanaria dici. Ea de causa Messalina, flagitio-
C sum Imperatoriæ majestatis dedecus, Lycisca nomen mentiri delectabatur, de qua Satyricus Poëta:



*Juvenalis.*

*Tunc nudo papillis.*
*Constitit auratis nomen mentita Lyciscæ.*

Cicero in Miloniana, *Clodius semper secum scorta, semper Lupas ducebat.*

## Formidator inanium. Cap. VI.

ATque hoc tam bellicosum, tam noctivagum animal, minima quadam re, lapidis quippe alicujus audito tantum strepitu, terreri solet. Unde Sacerdotes Ægyptii, si quem vanis rumoribus & inanis rei formidine consternatum indicare vellent, hieroglyphicum ex Lupo & saxi telo aliquo prope adscito facere
D consuerunt: ita enim est eorum ingenium, ut qui neque ferrum evitent, neque fustem tremiscant, lapidem tantum impendio perhorrescant, cujus ictum adeo pernicioşum sentiunt, ut qua parte tacti fuerint, computrescant, vermibus quam ocyssime redditis. Quinetiam reperti sunt, qui vel duorum concussu lapidum strepidum cientes, ferocissimos à se Lupos abegerint. Nobis pueris narrare solebat Laurentius pater, homo minime vanus aut fabulosus, cum is ex Noricis Alpibus in Bellunensem agrum descenderet, via plurimum scrupulosa, sibi nocte prævento ad quintum ab urbe lapidem repente tres Lupos visendæ magnitudinis apparuisse, quos cum qua ratione summoveret secum agitaret, id sibi divinitus incidisse menti, ut dejecto in terram retinaculo, quo per noctem



*Lupi trepidatio ex lapidum crepitu.*

*Patris l. Pierii factum.*

Equus

Equus ad præsepe religabatur, altero capite manu comprehenso, id cœperit pone trahere, quod quidem annulis fibulisque aliquot ferreis præditum, cum ingentem per viam strepitum cieret, saxeosq; scrupulos quotquot incursando offendisset excitaret, perterrefacti repente Lupi, quasi vis magna canum incubuisset, præpropere fugam arripuerunt. Non præmittam super hac Lupi trepidatione, hominem à Lupo prævisum subito consternari, & vocem amittere, quod non ex Virgilio tantum, sed & ex Platone in Politicis habetur, atque ita vice versa, si homo prius Lupum viderit, eum eadem pati.

*Plato lib. 1. de Rep. & Theocritus in Idyllio ξ.*

## INDEMNIS FUGA. Cap. VII.

*De hoc veneno Plin. lib. 8. c. 22.*

HOminem in hostes illapsum, qui parva admodum jactura evasisset, ostendere si constituissent, Lupum extrema cauda glabrum facere consueverant: is enim agitatus à venatoribus, quasi conscius sibi amatorium virus exiguo ejus inesse villo, ne captus humanæ omnino satisfaciat voluntati, cum abjicit, ajunt enim non idem pollere, nisi viventi direptum,

## TUTUS RECEPTUS. Cap. VIII.



EUm vero qui vel prædatum, vel in aciem progessus, mojore incumbente vi quam sustinere se posse confideret, se nulla accepta clade in tutum recepisset, indicare si vellent, currentem Lupum, cauda præcipuè sub uterum immissa reductaque, proponebant. Summa enim Lupo calliditas in periculis declinandis, primumq; illi studium fuga sibi consulere, seq; sospitem sylvis reddere, unde λύκος πρὸ τῆς βοῆς σπεύδει, habetur in adagiis. Reducere vero caudam sub uterum, præcipuum est signum pavitantis. Quod cum Maro noster non ignoraret, ingenium ejus descripsit his versibus, quos recitare non pigeat.

*Adagium.*

*Æneid. l. 12.*

*Ac velut ille priusqnam tela inimica sequantur,*
*Continuo in montes sese avius abdidit altos*
*Occiso pastore Lupus magnoq; juvenco,*
*Conscius audacis facti, caudamq; remulcens*
*Subjecit pavitantem utero, sylvasq; petivit.*

## ABORTUS. Cap. IX.

*Lupi cum Equa dissidentia.*

SAcerdotes iidem Ægyptii si mulierem abortientem indicare vellent, picturam eam instituerant, qua Lupus ab Equa calcibus impeteretur, vel aliquo modo calcaretur: propterea quod persuasum habebatur, ita ea inter se natura dissidere animalia, ut prægans Equa, si Lupum tetigisset, statim abortum faceret, neq; hoc effici de tactu solum, verum etiam si vestigium tantum illius pressisset, tantam inesse Lupo veneficii vim, ut omnino abortiret.

## AB INFORTUNIIS POTENTIOR. Cap. X.

*Equi & Lupi dissensio.*

LOnge vero diversum illud, quod hominem ex infortuniis calamitatibusq; beatiorem, potentioremque factum significare si vellent, Equum, in cujus clunes Lupus morsum infixisset, effingere consuerunt: ferunt enim Equos, quibus dimicatio cum Lupis fuerit, præstantiores reddi. Eos Græci λυκοσπάδας, nos volsilupos dicere possumus: non ea quidem de causa, quam nonnulli commenti sunt, ita eos, à frænatis Lupis, utpote animosis & ferocibus appellatos, sed quia multorum experimento compertum est, pullos qui cum Lupo certarint, evaserintque in bonos & velocipedes mox evadere: hujusmodi enim eventus Equos & animosiores & perniciores reddi: imo quia & animosi & agiles fuerint, effugerunt: factoque ita in feris periculo solemus eos approbare, idque omnium consensu receptum. Qui tamen ab injuria ita ferox evadit, longè ignavior fit naturæ secreto quodam, si, ut Pamphilus lib. Rerum naturalium tradit: Lupi vestigium calcarit: tunc enim ait, eum cruribus obtorpescere. Quinetiam tanta est illi cum Equo naturæ dissensio, ut eum quamcumlibet ferocem & generosum, vel mortuus & terra conditus absterreat; inventique sunt hodie qui

A qui omnivolam Pricipum quorumdam impotentiam eluſuri, cum Equum haberent inſigniorem, quem loci dominus ſibi depoſcebat, admoniti ſunt Lupinum inteſtinum in via qua producendus erat Equus, clanculum ſepelire, eaque mox Equus in Principis conſpectum eductus, ſimulac inteſtini odorem ſenſit, nullà umquam agitatione, nulliſque ſtimulis impelli potuit ut ea tranſiret: atque ita vel ſternacis, vel indomiti, vel renitentis accepta nota, repudiatus à Principe, priori domino ſuo reſtictus eſt. Addam & hoc naturæ miraculum: Equis torminum doloribus cruciatis nullum præſentius eſſe remedium, quàm inteſtini lupini cinctus, quem Romæ in uſum hujuſmodi aſſervari apud pleroſque comperi. Quod vero de conſternatione dicebamus, non ſunt nova hæc commenta, ut terriculamenta infodi ſoleant, quæ vel hoc, vel illud animal inſigniter abhorreat. Nam apud veteres quoque viguit hæc ſuperſtitio, ut eo loco, qua iter acturi ſunt Equi, in foſſa aliqua his terrorem incutiant, & ab incœpto curſu aliorſum avertant, vel conſternati ulterius progredi recuſent. Porrò Amphionem Thebanum memorant Pelopi quædam tradidiſſe, ut ob iter ſepelirentur, quibus non Oenomai modo Equi perterrefacti ſint, verum omnes quotquot illac in poſterum curſum arripuere, extitiſſeq; loco nomen Taraxippo, de re inditum.

## IMPATIENS FAMIS. Cap. XI.

*Ibidem Plì lib. 8. c. 22*

IIdem hominem famis impatientem exprimere ſi curaſſent, Lupum vel hianti ore, vel terram mordicus apprehendentem hieroglyphicè figurabant. Lupus enim cum prædæ inhiat, rictu latè diducto currit, alioqui ſi prædæ copia non fuerit, peculiare habet, eſuriens terram devorare. Sunt tamen qui non hoc ad ſaturitatem à Lupo fieri contendant, ſed ut jumentum aliquod invaſurus gravior & ponderoſior factus, prædam citius defatiget, cui ſtatim, qui mos eſt illi, ſe dentibus appenderit, quæ quidem eſt Alberti opinio. Sed quoniam ita in Luporum ingenium incidimus, non injucundum relatu fuerit quod apud eundem authorem de Lupi cujuſdam induſtria pro comperto ponitur: hunc ſcilicet cum animadvertiſſet ſylveſtrem quamdam Suem cum numeroſo fœtu ad locum avena ſatum itare, pabuli gratia, offendiſſetque proſtratum arboris truncum ramis etiamnum proſtantibus, arrepto in os ligno librarum circiter XL. ſuper truncum efferri ſaltu aſſueviſſe, ac in ramos repere, mox adveniente cum prole Porca, unum curſu rapido de porcellis arripit, in arborem feſtinanter ſcandit, ibiq; toto conſiſtens rapto potitur, & in matris conſpectu fruſtra adgrunienti & ſævientis filium depaſcitur.

*Lupi inſtria.*

## PROPERANTIA. Cap. XII.

CElerius quid maturatum per Lupi catulum ſignificari ſemel tantum reperi: Lupam enim intra XII parere dies fabulantur Ægyptii. Sed enim Philoſtephani ſuper hoc verba, ut locum ſuperius tactum ampliemus, quantum mihi videtur, non recte accepta ſunt. qui libro, cui Commentaria nomen fecit, dicere videtur, XII. eſſe certos anni dies quibus Lupæ omnes pariant. Ariſtoteles ſane, quod fœtum XII. tantum geſtent dies, eſſe inexploratum ſibi profitetur: perinde ac illud etiam, quod ajunt, eas ſemel tantum in vita parere.

## ANCEPS CONSILII. Cap. XIII.

D VUlgatum autem & adagiis & hieroglyphicis illud eſt, hominem qui Lupum auribus teneat, ſignificare quempiam in eo ſtatu, quo negotium aliquod neque relinquere, neque exequi tuto poſſit. Nam res proverbio confirmata, & fertur in primis, Tiberiique præcipuè uſurpatione dictum repetitum. Et Phormione Terentius, Antiphonem dicere confingit auribus ſe tenere Lupum: neque quomodo dimitteret eum à ſe invenire poſſe, neque qua ratione retineret, ſcire. Et cauſa ejus ambiguitatis ſponte ſatis manifeſta eſt, quam hic repetere mihi minime neceſſarium videtur.



*Aurib. Lupum tenere quid.*

*Suetonius in Tiberio.*

## VENEFICIORUM AMULETUM. Cap. XIV.

ILlud potius referam, hominem tutum à veneficiis per Lupi rostrum significari: quod persuasum est id si portis præfixum fuerit, veneficia ei non obesse familiæ, quæ ædes illas inhabitet. Hæc vero veneficiorum commemoratio adducit in memoriam mihi, homines in Lupos transformari minime olim fabulosum habitum. De Demarcho enim Olympionica, qui demutatus in Lupum, decimo post anno rursum faciem receperit humanam, apud Pausaniam legere est, & apud Plinium: peculiareque id Arcadibus fuisse, ut trans paludem quamdam provecti, in Lupos abirent, & si per novennium humanas carnes abstinuissent, decimo post anno eodem reverti, unde transuecti fuerant, ac in homines redire, decem annorum addito senio. D. etiam Augustinus de Civitate Dei, Varronem ait hæc de Arcadibus memoriæ tradidisse.

*Plin. lib. 8. cap. 22.*

## PEREGRINUS. Cap. XV.

CIvem ex Bove, animali quippe domestico, nobiscum alito atque educato significari loco suo diximus. Ex Lupo autem peregrinum intelligi, historia eadem ostendit. Danaus enim cum in Argivos movisset, peteretque Gelanorem expelli, qui tunc Argis imperabat, Lupum & Taurum pugnantes conspicatus, se Lupi vice statuens, quinam foret pugnæ exitus operiebatur. Lupo vero victoria petito, ædem Apollini Lycio vovit: atque ita rerum potitus est, cum facile civibus persuasum esset, Deos victorem Danaum per portentum ejusmodi designare, quod Gelanor inter eos educatus esset, hic vero peregrinus foris advenisset, itaque in Imperium ascitus expulso Gelanore eaque de causa in Argivo foro Lupi & Tauri invicem pugnantium effigies ex ære quam diutissime permanserunt, quas Pyrrhus Epirotarum rex inspectas exhorruit, domestici admonitus oraculi tunc instare sibi fatalem diem, cum Lupum & Taurum pugnantes aspexisset. Quantum vero pertinet ad portentum, eadem sentiunt Pausanias & Plutarchus, Gelanorem per Bovem, Danaum per Lupum acceptos: sed in re gesta referenda in diversa abeunt, quod Plutarchus Danao portentum oblatum scribit, Pausanias civibus animadversum, civilique contentione de Imperio certatum, dilatisque in alterum diem comitiis, mane monstrum id accidisse, populique judicium fuisse, ut Danaus in regnum admitteretur, Gelanor profugus solum verteret.

*Pyrrhi Regis prodigium.*

## MACEDO. Cap. XVI.

MAcedonem Herculis comitem, qui sub Osiride militavit, ea de causa per Lupum sculptum intelligi, Diodorus asserit, quod is Lupi gestamine delectaretur. Jam & Romani veteres Lupum inter militaria signa statuere.

## SALII. Cap. XVII.

*Saliorum insigne.*

IN recentiorum vero Impp. Theodosii, Honorii, & quorumdam aliorum domestico canone, quo legiones ordinesq; totius eorum militiæ recensentur, Saliorum quoq; habetur insingne qui eo appellati nomine, sub militum Præsentiali nuncupato, militabant: parma quippe, cujus aureus erat umbilicus, quem ruber ambibat circulus, hunc alius latior violacei coloris admodum diluti, in summo cujus rosa erat, à medio Lupi hinc inde dimidii duo, qui ad florem superne positum spectabant, mox parma rubro margine claudebatur. Minime vero mirum, si qui Saliorum sibi nomen adsumserant, Martis etiam animalia in gestaminibus habere voluerunt.

## AUGURIUM MORTIS. Cap. XVIII.

*Lupi aliquando portentosi.*

IN aruspicina sanè invenias Lupum mortis auspicia fecisse: Maximino enim Imperatori, viro & Thraci & bellicosissimo, exitium portenderunt Lupi circiter quingenti simul ingressi urbem: in quam ipse se receperat, cum in Italiam adversus Maximum & Balbinum profectus est. Et coloniam quam C. Gracchus instaurata Carthagine, quam Junoniam appellaverat, deduxisse fertur, infelicem futuram Aruspices dixere: propterea quod Lupi bis metas ibi positas subito incursu subverterant, infaustum hujusmodi ostentum esse asseverantes. Et ea Judæorum clade quam sub Hadriano passi sunt, Lupi & Hyænæ per urbes passim irruentes ululabant.

PESTI-

## PESTILENTIA. CAP. XIX.

APud Philostratum Lupus futuræ pestilentiæ signum est, ubi Palamedes, propterea quod Lupi ex Ida frequentes in pueros qui castris ministrabant, impetum fecerant, suadet Apollini Lycio sacrificandum, qui feras eas suismet sagittis interficeret, ac simul imminentis pestilentiæ calamitas summoveretur. Apud Sicyonios templum erat olim Apollini Lycio dicatum ea de causa, quod ferunt aliquando Lupos ita eorum gregibus infestos ut nullum possent ex re pecuaria fructum percipere: quare consulto Deo responsum acceperunt, ex ligno quodam arido, quod humi jacebat, corticem detrahendum, eumque admixtum carnibus feris exponendum, quas cum illi gustassent, interne-
B cione periere. Sed & apud Trœcenios Dianæ Lyceæ templum fuit ab Hippolyto dicatum, inde, ut Pausanias putat, expulsis Lupis.



*Palamedes cur Apollini Lycio sacrificandum suaserit.*

## PROSPERITAS. CAP. XX.

FElicioribus vero auspiciis Lupa geminos Marte satos educat. Trogo enim commentum placet, ea de causa Romulum & Remum Martis filios dictos, quod nutricem Lupam habuerint: propterea quod Lupa in Martis tutela esset, hinc antiqua Romæ tot extant monumenta, in quibus Romulus & Remus parvi atque lactentes lupinis uberibus inhiant. Eadem in somnis uberibus suis Severum alit in Imperii futuri præsagium. Neque prætereundum quod Geloni Syracusano adhuc puero, & in scholis rudimenta prima discenti, Lupus auxilio fuerit, ut imminenti vitæ periculo subduceretur. Nam cum & præceptor ejus, & frequentes discipuli in ludo literario essent, visendæ magnitudinis Lupus irrupit, Gelonisque tabulis morsu arreptis ire foras properabat. Gelon haudquaquam territus, ne tabellis privaretur, eas manu non segniter tenens Lupum sequebatur: postea vero quam foras processere, gymnasium repente corruit, magistratumque & condiscipulos oppressit,
C Gelon incolumis evasit.

*Lupæ & Lupi auxilii memorandum.*

---

## HYÆNA. CAP. XXI.

ERam pene Hyænam præteriturus, authorum offensus perplexitate, tam diversa super ea tradentium, ut parum cognita esse animalia suspicarer: sed quoniam non ei legi addictus sum ut animalium historiam perscribam, sed quæ tantum ad Ægyptiorum commenta faciant perquiram, cujusmodi ea sint, ex iis quæ collegimus, intelliges.

## VICTUS HOSTIS. CAP. XXII.

HIeroglyphicum Hyænæ præcipuum erat, contentionem, ut apud Ægyptios Sacerdotes reperi, significare. Quod si victum hostem intelligi voluissent, eum à dextro latere statuebant; si ad dexteram conversa cum venatore pugnam inierit, eam semper esse potiorem. Nam cum flecti nisi
D circumactu totius corporis nequeat, spina continua per collum & dorsum totum porrecta, prægressi hominis vestigia occupare conatur: quod si successerit, quasi magica quadam vi, quæ in ejus tantum dextera corporis parte pollet, alienari mente circumventum hominem, & si Equo insideat, decidere: atque ita omnino victum interfici.

*A Plin. lib. 28. c. 8.*

## VICTOR HOSTIS. CAP. XXIII.

SIn victorem hostem significare vellent, animal idem cum venatore ab læva congressum effingebant, quod divulgatum est Hyænam si non ab læva hostem occuparit, nihil ea magica vi pollere: ipsam verò quasi attonitam deficere, ac nullo pene negotio capi. Sedenim quæsierit aliquis, si pingenda sit Hyæna animal orbi nostro incognitum, qua figura sit. Tradunt eam magnitudine & co-

*Ibidem Plin.*

*Hyæna descriptio, à Plin. lib. 8 cap. 30.*

loreLupi præditam, hirsutiorē tamen, acie in utraq; oris parte perpetua, oculo vario, & colores mutante, nullis gingivis, dente continuo, equina juba per collum & dorsum totum setis durioribus inhorrescente: neque imaginarium esse animal, ut plerique suspicantur, de quo gravissimi tot authores permulta quam diligentissime disseruerunt, quæ nisi ex visu iis cognita fuissent, haudquaquam puto eos in re vana usque adeo laboraturos.

## MORUM INSTABILITAS. Cap. XXIV.

INstabilem vero quempiam, nihil quippe in eodem vitæ tenore ac modo quem sibi proposuisset, perseverantem, sed alias quidem probum, fortem, audacemq: tam animi quam corporis sui domitorem, alias vero improbū invalidū miserumque, & ad cupiditates omnes impotentem, significare si vellent, Hyænam itidem hieroglyphicè proponere consuerunt: huic siquidem animali utramque inesse naturam, & alternis annis esse marem, alternis fœminam fieri Ægypti præcipuè prodiderunt, & Ægyptios secuti plerique alii. Cæterum Aristoteles commentitium hoc esse profitetur vulgoque persuasum eas annua vice sexum permutare: quia captæ aliquot (perquam rarò autē capiuntur, præsertim fœminæ) tenellæ adhuc sine genitalibus fuerint. Mares enim impendio timent libidinis æmulos, & ideo gravidas custodiunt, morsuq; prolem masculam ubi detur occasio castrant. Licet non sum nescius traditum à gravissimis authoribus, habere quid Hyænā sub cauda positum figura simile genitalis fœminæ, sed sine ullo meatu, sub quo meatus excrementorum sit, virile verò similiter atque in Lupis & Canibus habetur. Fœmina etiam præter suum illud, simile ut mas habet sub cauda sine ullo meatu, à quo excrementorum meatus est; sub eo genitale verum habet. Id ita esse contendit Aristoteles, qui difficulter unicuiq; Naturæ miraculo videtur assentiri. Sed miror in hoc tam veteres quam recentiores authores diversos ab Aristotele tam constanter ire: quod ab iis temere fieri haudquaquam adduci possum, cum præsertim Ælian. Histor. hujusmodi scriptor diligentissimus tradat, τὴν ὑαῖναν τότε μὲν ἄῤῥενα εἰθεάσαιο, τὴν αὐτὴν εἰς νέωτα ὄψει θῆλυν, εἰ δὲ θῆλυν νῦν, μετὰ ταῦτα ἄῤῥενα. κοινωνοῦσι δὲ ἀφροδίτης ἑκατέρας, καὶ γαμοῦσί τε καὶ γαμοῦνται, ἀνὰ ἔτος πᾶν ἀμείβουσι τὸ γένος. *Hyænam si quando quis marem inspexerit, eandem mox fœminam videbit, sin modo fœminam, postea marem aspiciet. Promiscuè verò coitualterutræ conjunguntur ineuntque & ineuntur, per annum unum sexus vicissitudinem alternantes.* Qui quidem author, eum Aristotele longè posterior fuerit, id scriptis credere minime ausus esset, nisi aut compertum ipse, aut fide dignorum testimonio certum habuisset. Accedit & Tertulliani scriptoris & doctissimi & diligentissimi authoritas, qui ita scribit, *Hyænam, si observes sexus annalis est, marem & fœminam alternat.*

## ADVERSÆ FORTUNÆ DOMITOR. Cap. XXV.

ADversas vero calamitates, & infortunia toto vitæ cursu intrepide superantem hominem insignire si vellent, Hyænæ corium indutum eum pingere solebant: quippe quod ex Magorum superstitionibus persuasum est, qui corium id induerit, aut aliquid ex eo secum habuerit, quaqua eum vel per medios hostes penetraturum, neque futurum quenquam qui illi injuriam inferre ausit. usque adeo hinc ejus incolumitati cautum esse, ut jam credi possit, eos qui linguam Hyænæ sub pede habeant, quod idem Magi perhibent, à Canibus minime tanquam Scipiones alteros latrari.

*Plinius lib. 28. cap. 8.*

## LARVARUM LACESSITOR. Cap. XXVI.

*Hyænæ hieroglyphicū à Latinis sumptum.*

HÆc ab Ægyptiis Sacerdotibus super Hyæna tradita sunt. Unum addidere Latini, ac pulcherrimum quidem hieroglyphicum, ut si hominem larvas, ut ita dicam, incessentem, neque defunctorum manes quiescere permittentem, maledicta quippe & accusationes in mortuos ingerentem comminiscentemque notare vellent, Hyænam in sepulcretis monumentum aliquod effodientē faciant: cum satis exploratum sit ab uno hoc animali sepulchra erui inquisitione cadaverum, quod sit humanæ carnis avidissima. Julius Capitolinus eas Belbos appellatas ait in vita Gordiani tertii, decemque tunc temporis fuisse in urbe Roma profitetur. Visu vero tunc est illa dentis unius perpetua series, qua prædita est Hyæna: id quod ne mirum adeo sit, in quibusdam etiā hominibus aliquando specta-

A spectatum. Nam Prusiæ regis filius unum tantum os habuit dentium loco, obque id Nonodos appellatus. Ita & Pyrrhus rex Epirotarum. Porphyrius eo commentario, quod de abstinendo ab esu carnium conscripsit, ab indis ait Hyænam hanc Crocutam vocitari: sed Crocutam autores diversam ab Hyæna ponunt. Reliquum est de antipathia quæ intercedit Hyænæ cum Panthera, dicere, qualeque inde factum sit hieroplyphicum: quocirca & hoc, & alia ejus significata memorabimus.

## DE PANTHERA.
## SPECIOR ATQUE VALIDIOR A DETERIORE SUPERATUS.
### Cap. XXVII.

*Panthera & Hyænæ antipathia.*

QUam tetrum animal Hyæna sit, quamque aspectu fœdum, ex iis, quæ superius allata sunt, constare unicuiq; potest. Longe vero diversa est Panthera, qua nulla pene fera est villorum varietate speciosior, vehementior nulla, nulla impetuosior: vis tamen occulta quædam Hyænæ Panthe-
B ram exuperat. Quare cum sacerdotes Ægyptii superatum ab inferioribus, vel à deterioribus hominem intelligi vellent, duo tergora, Pantheræ unum, Hyænæ alterum commitebant, assuebantque: siquidem compertum est, tanta inter se repugnantia ea dissentire, ut si simul assuantur, vel etiam contraria suspendantur, Pantheræ pili decidant, Hyænæ vero nullo detrimento afficiantur, quæ quidem tanto esse Pantheris metu dicitur, ut occupatæ ab ea, tanta animum consternatione despondeant, ut ne resistere quidem conentur. Hinc autem commentum putarim, pilos cujuscumque generis & inutiles, maxime palpebras, auferri medicamento quodam ex Hyænæ corde in cinerem concremato, & cerebro ejus illito. Præstant hoc etiam, quod Hyænæ tergus in Pantheræ pilos efficit, Aquilarum pennæ, quæ admixtas reliquarum alitum pennas devorant.

*Plin. lib. 8. cap. 3.*

### IMPROBITAS. Cap. XXVIII.

*Panthera cur sic dicta.*

INsatiabilem autem hominem & omnium appetitorem, per Pantheram significari ea de causa fertur, quod nullum non animal ea venatur, unde illi nomen: nam Panthera Græcum omnino vocabulum agnoscit Varro, quod ab omnifaria feritate, adde etiam venatione, deducitur, sive quod o-
C mnium pene ferarum coloribus variegata spectetur: nam & hæ atque Tigres maxime omnium animalium varietate insignes perhibentur. Sane inter Pantheras, Pardalin fœminam, Pardum marem plerique agnoscunt. Aristophanes hujus non immemor improbitatis, Pardali notam inurit impudentiæ, cum neque ignem neq; Pardalin æque impudentes ait atque fœmina est: quippe quæ omnia corripiat atque consumat.

### DISSIMULATOR INGENII. Cap. XXIX.

PRæterea hominem Ægyptii suorum vitiorum dissimulatorem, quique pravum, quo præditus esset, ingenium ita occultaret, ne vel à domesticis deprehendi posset. Pantheræ simulacro notabant. Ferunt enim ejus odore mire solicitari quadrupedes, sed capitis torvitate terreri: quod ipsa docente natura satis intelligens, occultato eo, ac odoris tantum facta copia invitatas corripit: atque hæc
D est ejus in venando solertia: quamvis Plinius animalium nullum odoratum putat, nisi credamus, ait, de Pantheris quicquid dictum est. Sentiunt tamen cum Ægyptiis Aristoteles & Plutarchus, qui plurima dicunt animalia magno studio Pantheram sectari odore ejus delectata: quod, nisi Plinius odorem pro suaveolentia capit, nonnihil admirationis afferre potest, cum ferarum & omnium dubio procul animantium odor quotidiana mortalium experientia Canibus innotescat. Quin Equi odore tantum Cameli percepto, in fugam verti perhibentur. Recitata est loco suo historia, quemadmodum Cyrus adversus numerosissimum Crœsi equitatum dimicaturus, Camelos contra instruxerit, quorum odore consternati Equi, fugam ruptis ordinibus corripuerint. Crœsi conatum ita frustrati.

### EBRIOSITAS. Cap. XXX.

QUod autem odore usque adeo intensa Panthera polleat, eam Philosophi causam arbitrantur, quod maxima prædita sit caliditate, indeq; odorem illum excitari: cumque ita cum vino con-

*Venatorum vario in Panthere capiendis.*

sensum quendam habere videatur, Baccho ea olim fertur dedicata. Sed quoniam sunt qui per eam ebriositatem intelligant, hieroglyphicum à re ipsa desumptum ego crediderim: sunt enim Pantheræ vini admodum avidæ, & à venatoribus ebriæ plerumque capiuntur, fontibus quo potatum eunt, suavissimo perveteri potentique vino medicatis, tanta copia, ut fonticuli aquula longe superetur: exiliores enim ad hoc fontes dedita opera pervestigant. Interdum ne rem perditum eant, & simul operam eludant, si latebrarum commoditatem juxta fontem nacti fuerint, perforatas arundines intra terram modicum defossas in fontem uno immittunt capite, altero in locum ubi delitescunt, adducto, observatoque animalis adventu, per utrem ad hoc paratum statim tubo vinum infundunt, quod vinum veluti vena de fronte prosiliens, meracitate sua magis illectat, remque celerius maturat, illis plerumque antea, quam sitim expleverint, procidentibus. Vidimus sane numum antiquissimum ex ære, quod apud Maffæos habetur, in quo Liberi caput juvenile hedera redimitum, ab altera vero facie Panthera & Thyrsus pulcherrimo opere cusi sunt. Et in Gallieni plerisque Pantheræ nota est cum inscriptione LIBERO P. CONS. AUG. Sunt qui Tigrin esse contendant, de qua paulo infra dicemus.

## MORUM VARIETAS. CAP. XXXI.

QUoniam vero Panthera variis est maculis colorata, plerique morum varietatem per ejus pellem ostendere instituerunt. Nam & earum genus varie ab authoribus appellatum, proque Pantheris Variarum nomen apud Latinos receptum. Quare animadvertendus est apud Pædianum locus, ubi *Vercias* pro *Varias* hactenus fere passim lectum est: de Pantheris enim illic loquitur. Eædem & Africanæ simpliciter vocabantur, quod in Africa frequens admodum est earum genus: fuitque vetus Senatusconsultum, ne liceret Africanas in Italiam advehere, Cn. Aufidii tribuni plebis rogatione mox derogatum. Sane Claudius Cæsar in spectaculis, ut apud Tranquillum est, exhibuit Africanas, conficiente turma equitum Prætorianorum. Quantum vero pertinet ad colorum varietatem, jocose dictum apud Plautum in Epidico, ubi Thesprio varie se valuisse dicit, cui respondent Epidicus, *Caprigenum & Pantherinum genus sibi non placere*: in quo quidem non coloris tantum varietate sensus est, ut Interpretum bona pars opinatur, sed ab ipsius Capræ natura sumptum, quæ fere semper febricitat. Quod vero spectat ad Pantheram, varietas morum non ex vario ejus colore tantum intelligitur, sed quod & vehemens est, & ad impetus propensa, & pernix, corporeque ad agitationem perquam idoneo. Unde per eam in Divinis literis varii animorum motus indicantur, de qua Hieremias: *Nunquid Æthiops pellem suam immutavit, & suam Pardus varietatem?* quod non solum, inquit Ambrosius, de figura, sed etiam de mobilitate furoris accipitur: eo quod Indorum populus & atri homines Æthiopum genus, ad fidei pietatisque candorem invitati, tenebrosis terræ cavernis insueti, inquietisque ac mobilibus mentis atque animi mutationibus decolorati, boni propositi gratiam tenere non possint, neque ad emendationem correctionemve ullam remeare, qui ferinam semel induerit immanitatem. Eucherius pro dæmone accipit, qui subdolus & varius sit in humano genere pervertendo.

*Africana Panthera.*

## DE TIGRIDE. CAP. XXXII.

APud Ægyptios Tigridem non inveni, apud Græcos & Latinos frequentissime: de qua significata illa præcipue celebrantur, quæ ad immanitatem, ad sævitiam, ad ultionem, ad pernicitatem, ad amorem erga filios pertinent: quin etiam apud aliquot gentes divini cultus particeps judicata.

## SOL. CAP. XXXIII.

SOlis enim simulacrum esse perhibebatur. Sed Sol & Bacchus idem numen habitum, ut vetus Græcorum habet Theologia, eaque apud Indos in honorem Solis culta. Indi siquidem clunes ejus tantum mensis inferebant, cæteris partibus ob Solis reverentiam abstinebant. Idque ea de causa, quod hoc animal simulac ortum est, priores pedes attollere fertur versus exorientem Solem, quem adorandi morem Maro videtur expressisse, cum 12. Æneidos scripsit:

*Tigris, cur in honorem Solis culta apud Indos.*

Illi

A *Illi ad surgentem conversi lumina Solem*
*Dant fruges manibus salsas.*

Ita in veteribus habetur exemplaribus.

## FEROCIA EMOLLITA. Cap. XXXIV.

*Hyrcanæ admorunt ubera Tigres Virg. lib. 4. Æn. Hinc Ovidium de Bacchо loquentem lib. 3. Met. Tigrides currui Bacchi junctæ, quid. Virg. in Bucol. Daphnis & Armenias curru subjungere Tigres.*



QUod vero pertinet ad ferociam per animalis istiusmodi effigiem descriptam, indomitos & efferatos animos indicamus. Et Poetæ cum hominis cujuspiam immanitatem egregie notare volunt, Hyrcanas illas Tigrides huic ubera prædicant admovisse: Et quæ Bacchi currui junguntur, ut plerique authores sunt, indicant moderatum vini usum ferocientis animi sævitiam demulcere. Ita Polyphemus apud Homerum omnem exuperans crudelitatem, Maroneo delinitus vino, Ulyssi mollius adblanditur. Et heroes illi Trojani apud Homerum eundem, qui laudi-
B bus arguitur vini vinosus, ferocitatem sæpe, æstuantisque bile cordis acerbitatem vino deliniere: hominique valde irato apud Plautum propinandum edicitur, ut ille vino bilem diluat. Naturæ enim consentaneum, cibo potuque rigato corpore, ab eo discuti tristitiam. Quare Zeno Cittieus interrogatus, cur, cum Philosophus esset, & natura severus, in convivio tamen hilarior videretur: *Atqui*, inquit ille, *Lupinum suapte est natura amarum, dulcescit tamen aqua maceratum.* Atque hoc illud est, quod Armenias curru subjungere Tigres, Bacchi Orgiis institutum.

## ULTIO. Cap. XXXV.

*Nota historia de Tigridis amore erga suos*



ULtionem significare qui volunt, Tigridem & Equum ab ea dilaceratum pingunt. Nota est historia, quemadmodum ejus venator, fœtus recens editos observat, ad quos, cum mater pabulatum abierit, auferendos pernicissimo fertur Equo, surreptis-
C que catulis, qui sunt semper numerosi, in cursum fertur quanto potest citatissimum: reversa Tigris ubi nidum vacuum reperit, velocissimo cursu totam circumlustrat regionem, donec fugientem venatorem deprehenderit, in quem omnem convertit impetum: ille statim unum è catulis projicit, suscipit hunc Tigris mordicus, & retroversa in nidum refert, alacri mox cursu eadem vestigia repetit, exiguoque temporis intervallo venatorem agreditur: ille rursus alterum catulum abjicit, cursuque numquam intermisso navem versus provolat. Suscipitur hic quoque, & rapidissima velocitate reportatur, idque & tertio, & interdum quarto fit, donec venator conscensa navi vix duobus & nonnunquam uno tantum catulo ablato aufugiat, Equo relicto, in quem illa postea quam frustra toto littore frendens desæviit, omnem convertit ultionis sævitiam, totumque discerpit, & miserabiles socii furti pœnas pendere compellit. Apud Jobum, ut in Hebræo *Cap. 47. 11.*
esse dicit Eucherius, Tigris perit; eo quod non fuerit prædam assecuta: quod de fœminea arro-
D gantia dictum volunt.

## PERNICITAS. Cap. XXXVI.

JAm pernicitas significatum ex iis quæ supra dicta sunt, desumitur, cum citatissimum Equum ter & pluries assequatur, cursu retrorsum repetito.

## AMOR IN FILIOS. Cap. XXXVII.

ITa etiam charitas pietasque, & affectus in filios summus, ex eadem historia consideratur: mox & ultionis studium, cum in relictum Equum tanta ferocitate sæviat.

MUSI-

## MUSICÆ HOSTIS. CAP. XXXVIII.



SUnt qui Musis aversum ingenium omnemque Musicæ lepiditatem odio prosequentem, per Tigrim & tympanum pingant. Ajunt enim eam ita tympani sonum exhorrescere, ut eo audito miserabiliter insaniat, eoque furoris provehatur, ut semetipsam dentibus impetat, visceraque ipsa sua fœde dilaceret atque discerpat.

## DE LYNCE. CAP. XXXIX.

*Lynx quid.*

LYncem in Luporum genere plerique recensuerunt, eique Cervario cognomentum indidere. Sunt qui Lynces esse quas Græci θῶας vocant, arbitrentur. Sed enim θῶες ex hyæna & Lupo mixto genere nascuntur. Utcumque vero authores varient, Lyncem Plinius animal esse peregrinum & in Æthiopia frequens ait: Cervarios autem Lupos Septemtrionalibus regionibus frequentissimos esse constat. Sed parum me moverat eandem speciem pluribus orbis locis inveniri: nam quæ vidimus in Cervario Lupo, ea in Lynce idemtidem reperiuntur, acutissimus quippe obtutus, macularum in pelle varietas: unde apud Maronem, *Maculosæ tegmine Lyncis*, & quod omnium manifestissimum est signum, Lyncurius lapis ex concreta ejus animalis urina.

*Æneid. lib. 1*

## ACUTISSIMUS OBTUTUS. CAP. XL.

*Plin. id asserit lib. 8. c. 38. Sed hoc Dioscorides & Matthæolus fabulosum putant, lib. 2. c. 7.*

NOnnulli igitur, cum Lyncem omnium quadrupedum clarissime cernere considerassent, hominem, qui visu maxime polleret, significaturi, animal id hieroglyphicum posuere. Sane multi eas affirmant convexa etiam montium visu penetrare: neq; defuere Philosophi, qui fieri posse hoc commentati sunt ex imagine, quæ certo ab terra spatio summo in aere pendeat, quam Lynx, utpote quæ sit oculo admodum defæcato, intueatur. Cujus rei exemplum experimur, dejectum in cavum aliquod vas numo, quem, tametsi longe recesserimus, simulac vas aqua expletum fuerit, intuemur, fundo etiam ipsius vasis in aquæ superficie se ostentante: quippe rerum earum radiis in aquæ summum sese exporrigentibus, ea ibi species redditur, quæ aqua inde subducta, vasculi curvitate intercipitur, ac ne videri possit præpeditur. Ab hac Lynce, Lynceos oculos appellatos, quibus cernendi vis acutissima sit, plerique putant. Unde magnæ vir eruditionis Franc. Petrarcha, pætos illos oculos quos lyricis totiens laudibus extollit, Cervarios appellavit, ad id scilicet alludens, quod Lyncem ætas nostra Lupum cervariũ arbitratur. Alii oculos lynceos à Lynceo Idæ fratre Argonauta dictos autumant, qui ea quoque quæ sub terra condita essent spectare ferebatur. Poetæ plerique penetrante per lignum acie ab eo inspectum, atque ita conjecto in arborem pilo confossum intersectumque scribit. Fuit & alter Lynceus, qui Carthaginensium classem à Lilybæo Siciliæ promontori portu Carthaginis exeuntem prospectare, & numerum cum fide recensere solitus, scriptorum testimonio fertur, de quo Horatius:

*Lyncei oculi unde.*

*Epist. lib. 1. epist. 1.*

*Non possis oculo quantum contendere Lynceus.*

## DE URSO. CAP. XLI.

SEd jam appellat Ursus, non injucunda fortasse, nisi oculi jam defessi sunt, spectacula præbiturus.

## PROFECTUS CUM ÆTATE. CAP. XLII.

HOminem originis principio deformem, mox formosum effectum, sive cujus vita ineunte ætate dissolutior fuerit, nullaque ratione moderata, cum ætate tamen modus & disciplina sanctior accreverit, Ægyptii sacerdotes intelligere cum vellent, Ursam fœtam pro hieroglyphico ponere consueverunt. Compertum siquidem est, Ursam fœtum edere sine oculis, sine pilis, cruribusque propemodum & membris aliis indiscretum, informem denique carnem: Catto minorem, majorem Mure,

*Ursæ fœtus qualis.*

A Mure, de qua ungues tantum promineant, cætera sanguis concretus esse videatur: quem postea pectori & femoribus apprimendo fovet eodem incubitu quo volucres ova, paulatimque ita conformat & lingua subinde lambendo perfectum reddit. Utitur hoc exemplo Ambrosius ad nos cohortandos, ne prolem nostram, quantum ad animi rationem pertinet, instar Ursini partus initio editam, ita informem coalescere patiamur, sed disciplinarum linguis lambendo curemus, ut ad humanam, quippe rationis participem, effigiem conformetur. Nam de lingua, quæ significet eloquentiam, alio differuimus Commentario.

## EX INEDIA MACIES. Cap. XLIII.

*Mores occulti.*

ADDUNT hominem inedia confectum intelligi per Ursam in specu latitantem, & ore pedes lambentem, cujus quidem pigerrima est natura, solitaria, latebrosa, commercii societatisque cujuslibet evitatrix, quod esse mores eos significat, qui soleant in imo mentis recessu delitescere: atq; itidem corpus simile sortita est, grave, compactū, indistinctū, prægelidæ feræ, quæ spelæis inprimis gaudet, accommodatum, unde φωλάδες ἄρκτοι dicuntur à Thocrito. Nam, ut Theophrastus & Sostratus ajunt, Ursi primum antra habitationibus commoda ostenderunt: hi siquidem tempore dierum circiter XI, licet longe plures alii ponant, quibus in recessu aliquo delitescunt, priorum pedum suctu vivere, ac nihil edere perhibentur: cui rei documentum habetur, captum per id tempus intestino inani esse, atque ita id connivere, ut adductū prope cohæreat. Id vero libenter ab eo fieri tradit Ælianus cum se præpinguem senserit, ac pleniore corpore gravatum, quo pinguedine concocta fiat agilior. Apud Eustachium legas Athenienses aliquando famis ultione multatos, indignata Diana, quod Ursam, quæ in Munychio ejus sacello nata esset, interfecissent, ut ita per inediam affligerentur, qui animal inediæ patientissimum sustulissent. *Ursæ natura qualis.*

## VIRAGO. Cap. XLIV.

MULIEREM præstantem animis, non molli, sed virili vigore præditam, pleriq; significare dum volunt, Ursam pingunt, Pantheram alii: sunt enim hæ ex omnibus animalibus, maribus ferociores animosioresq;, cum in cæteris fœminæ sint omnino molliores; Plutarchus tamen non Ursam, sed Leænam ponit in hoc albo cum Panthera, ubi rationem inesse brutis disputat. Cæterum in eodē genere fœminas omnes æqua cum maribus fortitudine pollere contendit. Quare Menæchmus etiam apud Plautum, uxorem quam timet Leænam vocat, dum leoninum cavum intelligit ædes in quibus illa habitat: Ursorum autem sævitia nobilitatæ sunt, Lucania, Umbria Britannia. Nam ex Britannia velut ex altero terrarum orbe, longa & periculosa navigatione, ut tunc videbatur temporis advecti Ursi ad populi Rom. spectacula, maximæ fuerunt admirationi.

C

## PUELLARIS ÆTAS. Cap. XLV.

QUIA vero suapte natura Ursæ cohibent se intra frutices vel spelæa, nisi quantum pabulationis gratia prodire coguntur: isq; mos plurimum in recte institutis civitatibus observatur, ut innuptæ puellæ domi clausæ custodiantur, non absurde nonnulli commenti sunt, puellas Ursæ simulacro referre: nam & hoc quoque sapit antiquitatem. Siquidē apud Euripidem Hypsipile, & apud Aristoph. Lemniis, ac Lysistrate, puellas apud Athenienses olim Ursas vocari solitas legimus, & apud Pollucem ἀρκτεύεσθαι verbum invenias, quod Latine sonat in Ursas abire. Id vero erat, cum puellæ, antequam nuptiarum tempus appeterent, pudicitiæ causa Dianæ consecrabantur. *Puellæ olim Ursæ dictæ & quare.*

D

## PROVIDENTIA. Cap. XLVI.

NEQUE illud dissimulandum, licet ab Ægyptiis minime traditum, quod per recedentem in cavum Ursam, nonnulli providentiam significari volunt. Ursa enim, ut apud Ælianum legas, ita provida est, ut saluti suæ consultura, cum se in cavum recipit ad peculiarem inediam, ne per vestigia deprehendi possit, tantum illi natura calliditatis indulsit, aversis vestigiis irrepat retro: eo scilicet modo quo traxit Aventinas Cacus in antra boves, atque ea specie venatores fallat, cum egressa inde videatur, non autem ingressa. *Ursæ calliditas.*

## IRA. Cap. XLVII.

NEque defuere, qui per Ursi simulacrum iram immanem intelligi voluerint, quod id animal immodicis soleat animis excitari, & in omnem truculentiam efferri: unde apud Claudianum legas, Rhadamanthum solere Ursis ingerere truculentos. Sane Mathematici iracundum eum futurum dicentes, qui sub primo & vigesimo Tauri gradu nascitur, Ursum ibi statuunt, retro spectantem, hoc est, ad ea quæ facta sunt indignantem. Hinc Martialis lib. VI.

*—— Rabido nec perditus ore,*
*Fumantem nasum vivi tentaveris Ursi,*
*Sit placidus licet, & lambat digitosque manusque.*

*Ursa etymon.* Ira enim, ut Theocritus, ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Quin ab irritatione nomen olim Ursis impositum: Ur enim Hebraica lingua incitationem ad iram significat, & Ur Madianitarum Rex ab Israelitis occidione cæsus, significat, ut Adamantius interpretatur, affectum hujusmodi ab iis qui Deum sequuntur debere protinꝰ abscindi. Alii nequaquam Abscindendum censent, sed veluti subsidio paratum diligenter asservandum: ut cum res postularit, adversos nosmetipsos, pro iis, quæ inutiliter turpiterve gesserimus, irascamur, quam solam animi perturbationem etiam Epictetus sapienti cedit. Hæc enim justa & necessaria iracundia est, ut nostri censent, qua unusquisq; in iis quibus erravit, aut perperam gessit, indignatur, & semetipsum incusat. Ex qua quidem indignatione ignis quidam in nobis accenditur, qui velut in agrum sterilem immissus, consumptis excoctisq; voluptatis pessimæ radicibus, bono divinarum institutionum semini glebam præparat fœcundiorem. Atque hic ille ignis est, quem se Assertor noster profitetur in terram immissurum, atque ut succendatur, non indiligentem operam daturum. Alibi vero indignatio, ferociaq; ursina in Divinis literis indicium fuit Hierosolymitani excidii, ut Eucherus interpretatur 4. Reg. Nam cum Elisæus ascenderet in Bethel, scandenti semitam obviam facti sunt pueri parvuli de civitate egressi, qui illudebant ei dicentes: *Ascende Calve, ascende Calve*. Quos Elisæus indignitate rei commotus, in Dei nomine devovit, continuoq; Ursi duo de saltu proximo prodierunt, qui ex eis duos & quadraginta pueros laceraverunt. Id sub figura tunc gestum, Imperatores duos præmonstrabat Vespasianum & Titum Romanorum Principes, qui post duos & quadraginta annos ab ascensu Domini, captis Hierosolymis, tantam Judæorum desolationem fecere, ut deletum penitus sit eorum regnum.

*Hierosolymitani excidii figura. 2. Reg. 2.*

## IMBECILLUS PRINCEPS. Cap. XLVIII.

*Ad verbum à Plinio lib. 8. c. 50.* CIvitatem ab imbecillo rectam Principe significare qui volunt, Ursi caput pingunt: invalidissimum enim est Urso caput, quod contra Leoni fortissimum. Ajuntque Ursos alvearia non mellis pabulive ullius gratia incessere, apesque irritare, sed salutis ergo, ut scilicet apum aculeis ora vulnerati, sanguineq; ita emisso, gravedini qua plurimum laborant, remedium comparent. Venatores nostri ajunt, si major aliqua vis, quam superare desperet, Ursu incubuerit, eum sibi conscium imbecillitatis, qua caput ejus laborat, si fugiens ad præruptam aliquam rupem pervenerit, manus supra caput tollere, iisque pectinatim firmiter complicatis, reliquo conglobato corpore præcipitem se dare, atque capturam evadere,

---

## DE URO. Cap. XLIX.

NOn innotuit Ægyptiis Urus bos Germanica, sed ante feras alias egregie sylvestris.

## CAPTIVITATIS IMPATIENS. Cap. L.

PEr quem eum, qui sibi mortem consciscat, ne in manus hostium concidat, nonnulli congruenter hieroglyphicum proposuerunt. Est enim Urus ejusmodi, qui propter ferocitatem vel numquam, vel difficulter capi potest: quod si eo inciderit: unde desperet posse evadere, semetipsum præ ira suffocat, usque adeo genitum ad libertatem putat, qua denique nihil unicuique animantium generi optabilius esse videatur.

JOAN-

A

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIRER XII.

## DE IIS QUÆ PER ASINUM, MULUM, ET CAMELUM SIGNIFICANTUR.

### Ex ſacris Ægyptiorum Literis.

### AD PETRUM CURSIUM ROMANUM CIVEM.

B *NE forte Commentaria ea, Petre Curſi lepidiſſime, quæ multa adeo nudiustertius Cytorio in jugo tuo, ubi bona pars Academiæ cœnabamus, à veteribus tam Ægyptiis, quam Græcis, atque etiam Latinis ſuper Aſini ſignificationis tradita commemorarentur, curæ pretium fore duxi, quantum ſolicitudine præſtare potui, primo quoque tempore pleniori obſequio tibi ſatisfacere. Videbaris enim illa, quod facile animadverti, attentioribus admodum auribus haurire & avidiuſcule, ut ita dicam, deglutire: ſed vix adduci poteras, ſcriptores illos veteres in Aſino perſcrutando fuiſſe adeo curioſos: & quoniam umbra etiam ejus in vaniſſimi negotii proverbium ceſſerat, reliquum etiam corpus parvipendendum exiſtimabas. Collegi igitur tam ea, quæ tum memoriter diſſerueram, quam quæ alias ſparſim à me fuerunt ea re ſuper adnotata, eorum citatis teſtimoniis, qui talia memoriæ prodidere, ubi tantum res depoſcere videbatur: nam minus omnia tunc ex tempore dicere aggreſſo ſuccurrebant. Quare tunc non pauca prætermiſſa ſunt, quæ recitata longe majori tibi admirationi futura fuerant, quæ quidem nunc qualitercumq; à me conſcripta ſint, benigne accipias velim. Et ſi minus tibi lucubratio ipſa ſatisfecerit, ut quæ nimium properata non ita omnia complecti potuerit, voluntatem tamen animumq; meum exiſtimes, quantum in me fuit, tibi amico tam veteri, tam probo, ſatis plurimum facere ſtuduiſſe:*

C *non enim recens mea erga doctrinam & ingenium tuum benevolentia, firmaque atque conſtans amicitia, quæ ab ipſo primum die, quo Romam diu potria caritarus applicui, cœpta, mirificum in dies accepit incrementum: acceſſit & tam unanime concorsque contubernium, conviclusque per annos aliquot jucundiſſimus. Ita ego pluribus atque iis non levibus de cauſis tibi ſemper conjunctiſſimus, ſcripta cogitationesque meas communicare tecum maxime conveniens exiſtimavi quod optimi integerrimique amici, qualis es tu, ut meliores evadamus in cauſa ſunt, ſi quid admoneant, vel, ut alacriores ad lucubrandum accedamus efficiunt, ſi probent. Sed enim quid oneris gerat Aſinus inſpiciamus.*

### IGNARUS HOMINUMQUE LORUMQUE. CAP. I.



*Homo Aſelliceps quid denotaret. Idem uſurpatur à Gallis, Italis, Hiſpanis.*

CUmprimis autem rerum omnium ignarum per Aſelli cipitem hominem ab Ægyptiis ſacerdotibus ſignificari, & Horus & pleriq; alii prodidere, eamq; imperitiam in eo
D præcipue notari volebant, qua plurimum ex ſolitaria accidit educatione: quippe cum quis tamquam Aglaus alter, inter privatos parietes ſemper alitus & educatus, pedem è domo, vel è patria numquam tuliſſet foras, oportere ſcilicet hunc parum experientem eſſe, & officiorum hoſpitalium inſcium. Iſrael itaque diu apud Ægyptios educatus, & hieroglyphicōn optime peritus, cum Iſacharem filium ſuum Aſinum appellaſſet, intra terminos eum occubiturum dixit. Non enim longius peregrinari ſolent Aſini, ut Equi, & Muli, ſed intra provinciam, in qua nati ſunt,

plurimum contineri. Addidere etiam proverbium in imperitos, *Asinus ad lyram:* quod non admodum absimile est ab Horatiano illo, *ut qui narraret Asello fabellam surdo*, hoc est, obstupefacto, quique nullum ex ea re sensum perciperet. Ideoque Cicero in Pisonem: *Quid nunc te, Asine, literas doceam, non opus est verbis, sed fustibus.* Adeo enim subjecti addictique fustibus sunt Asini, ut vulgus passim verbera plagasque flagris inflictas, Asiniatas vocitet. Hanc sane mentis tarditatem Scipio apud Numantiam ita C. Metello exprobravit, ut diceret, *si quintũ pareret mater ejus, Asinum fuisse parituram.* Quin & Junius Bassus homo dicacissimus, vulgo Asinus appellatus, ob stuporem ridiculosque mores. Ob hujusmodi ludibrium, & ignaviæ contemptum, qui pilæ ludo victus esset, Asinus appellabatur: qui vero vicisset, Rex; quem morem tangit Plato, in Theæteto, & lib. 9. Pollux. Ad hoc respexit etiam Horatius, cum epistola ad Mœcenatem scribit: *At pueri ludentes, Rex eris, ajunt si recte facies.* Contra vero quod ad peregrinationem attinet, Ulyssem, quem Homerus ea præcipue de causa sapientem effectum putat, quod is

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

*Ulyssis nomen unde.*

quique, ut ait Horatius, *Quid virtus & quid sapientia possit, utile nobis propositum est exemplar:* nomen ipsum inquam Ulyssem etymologice quidam haudquaquã ignobiles scriptores interpretantur ὁλωὸν ξένον, omnium quippe hospitem: nam Æoles, quod alii verterunt ὀδυσσεύς, λ, literam quam amant, incolumem retinuerunt, eosque Latini secuti sunt, Ulyssem enunciantes. Neque tamen sum nescius, Icarium ejus patrem aliam nominis afferre causam, Odyssea, quæ nihil quicquam est nunc ad commemorandum necessaria. Asinus porro in fabulis pro imperitissima persona ponitur, & in argumento fatuitatis atq; dementiæ semper habetur, in quem demum, ut Plotinus innuere videtur, ille redit, qui sensus expers, brutalem & stolidam vitam vixerit. Quocirca Ulysses apud Gryllum Plutarchum, cum bruta reliqua ratione aliqua uti fateatur, Asinum tantum ac pecudem ab omni rationis usu semotos reperit. Neque quidem inficiatur Gryllus, sed plures inter homines ejusmodi ingenio præditos confidenter asseverat. Hujus non immemor stoliditatis Ovidius, Midam, quod sententia sua rusticam Panos cantilenam divinæ Apollinis modulationi præferendam judicaverit, ea pœna multatum à Deo finxit, ut quæ judicio peccaverant humanæ aures, in Asini auriculas demutarentur. Interpres tamen Aristophanis, Pluto, ut hæc quoq; repetamus, tres memorat causas cur Midas Asinis auribus fuisse prædicetur, sive quod acutissimi esset auditus, cuiusmodi sunt Asini, quos præter Mures cæteris animantibus auditu præstare tradunt: ita enim interpres ille, quisquis is est, scribit, ἢ ἐπεὶ οὖν μᾶλλον τῶν ἄλλων ζώων ἀκούει πλὼ μυός. Hinc Apuleianus Asinus de se ait: *Recreabar quod auribus grandissimis præditus cuncta longule etiam dissita sentiebam:* sive quod Phrygiæ pagum incoleret, cui nomen ὄνυ ὦτα, *Auriculæ asininæ*, sive quod exploratoribus accuratissime sit usus, delatoribusque plurimum delectaretur: unde illud de principibus fertur, *Regum aures innumeræ.*

## PETULANTIA. Cap. II.

IMmodicam vero petulantiam luxuriam per animal hoc in Divinis literis notari, indicio est, quod celeber ille Propheta ait: *Quorum carnes sunt, ut carnes Asinorum.* Et Plato dum antiquorum figmenta sequitur, ne sacratioris illius doctrinæ, quam apud Ægyptios perceperat, arcana propagaret, hæ non incuriose tractavit, ac de aliis quidem animalibus passim multa, de Asino vero hoc præcipue dixit, disputante apud Phædonem Socrate: *Homines, qui fœdis concupiscentiis manus dedissent, ventriq; dediti per inertiam atq; lasciviam ingloriam inutilemq; egissent vitam, neque quicquam pensi prodorisve habuissent, in Asinos post obitum dejici.*

## IMPUDENTIA. Cap. III.

*Cur per Asinum impudentia significetur.*

SUnt enim qui per Asinum impudentiam ea de causa significari velint, quod Asinus sua tantum commoda destinatissimo quodam animo prosequatur, & modo suæ morem gerat voluntati nihil pensi habeat, castigationes contemnat, verbera etiam nihili faciat. Id in Asino vitium ita notat Xenophon, ut de se V. de Græcorum reditu, dicat: *Eo inquam tempore, si quem injuriæ ullo genere lacessivi, non possum non confiteri, vel Asinis me, qui esse dicuntur omnium quadrupedum inverecundissimi, inverecundiorem fuisse.* Quod vero Josippus cor Asini, & Canis impudentiam, objicit Appioni, hac eadem sententia in uno stoliditatem & imperitiam, in altero maledicentiam incessit.

POPU-

A

## POPULUS JUDAICUS. Cap. IV.

*Judæi Asino comparati.*

ET populus Judaicus, utpote qui sublimioris doctrinæ, quæ in Divinis eorum literis delitescit, intellectum minimè percipiunt, simplicitatemque scriptorum tantum prosequuntur, ob hujusmodi stuporem & imperitiam Asinæ assimilatur, quam Christus posthabuerit incenso ejus pullo, qui factus est ea doctrina dignus, quam ille nos docuit. Asina enim illa, ut Græci Theologi deprehendere, populi prioris symbolum fuit, quæ scripti onus pertulerit: est enim animal ad onera tantum & labores genitum, ut Eucherius dicit, super quam Apostoli vestimenta sua injecere, hoc est, veterem hominem exuere. Pullus vero, de quo Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvator ipse pauper sedens super pullum Asinæ*, propter pristinam imperitiam, juniorem indicabat populum, Asinæ quidem filium, ut Evangelistæ cum plerisque aliis reddidere, nonnulli filium subjugalis posuere, animalis quippe, quod operibus & officiis servilibus omnibus subjicitur: plerique Gentilium nationem appellarunt, quæ Christum insidentem tulit, promissamque à Prophetis & lege salutem minime despexit: *Agnovit enim Asinus præsepe Domini sui.* Hoc porro citato Eucherius: *Per Asellum*, ait, *quem* B *insedit Dominus, simplicitas fidelium exprimitur: plebs scilicet quæ Dei notitiam non habebat, quam Christus regendo & præsidendo, ad Hierusalem, hoc est, ad pacis conspectum, adduxit.*

Capit. 9.

## A DEO ET SACRIS ALIENUS. Cap. V.

*Ægyptiorũ odium in Asinum.*



ASinum porro Ægyptii adeo impurum existimabant, ut animal etiam dæmoniacum arbitrarentur, propter quandam cum eo similitudinem. Quo vero ostenderent eum admoveri sacris minime debere, hominem cum cespite positis in terram genibus affingebant, cum ense ad mactationem parato, sed manibus post terga religatum: inde Asinum apponebant, eventum rei nimirum fore irritum indicantes. Oderant autem id animal Ægyptii, non propter imperitiam & ineptias tantum, & C contumeliosam ejus naturam, verum propter colorem etiam ex albo nigroque confucatum, quem à Deorum sacrificiis alienum abominabantur. Erat vero apud eos mos, ut Asinum ludibriis omnibus incesserent, luto cespitibusque passim impetitum, contis etiam stimularent, quaque se locus offerret opportunus, præcipitem agerent. Unde proverbium in contemptibiles despicatissimosque homines emanarit, *Asinus Ægyptius.* Apud Hyperboreos tamen institutas dicit Pindarus κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας, illi enim Apollini Asinos mactabant. Nam ut apud Callimachum legere est,

Τέρπουσι λιπαροὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.
*Exhilarant pingues Phœbum epulæ ex Asino.*

Citat Apollodorum etiam Clemens Stromatis, de hujusmodi sacrificio. Gaudere vero Apollinem D vitæ arbitrum, eorum jugulatione dicunt, propter assultus, quos indicio vivacitatis in cæde faciunt, difficulterque occidi soleant magnis quantumlibet ictibus percussi. Quantum vero pertinet ad impuritatem, apud alios uni Priapo sacer habebatur, ob verendi scilicet enormitatem, qua supra modum prædita sunt Asini: atque inde sunt ad generandum admodum segnes, compertumque est omnes alios ea genitalis productione conspicuos ad generationem ineptos esse, quod in emissione per eam longitudinem semen transmeans & hebetetur, & frigidius fiat. Neque vero nostro tantum tempore viri hujusmodi Asinorum instar habentur, sed olim etiam, ut gratissimus ille Imperatori Commodo, qui de pene ultra animalium modum prominente *Onos* appellatus est, eaque de causa ditatus, & Herculis sacerdotio præpositus. Tacebo Heliogabili emissarios, in hujusmodi genus monstrorum conquisitionem: tacebo nostrorum etiam temporum opprobria.

*Asinus cur Priapo dicatus.*

## EGREGIUM PRINCIPIUM CITO DESTITUTUM.
### Cap. VI.

NEque absurdum est significatum illud, quod ex vulgi proverbio desumptum est, cum præclare venusteque aliquid inchoatum cito deseritur, currentem Asinum pingere. In ore enim omnium est, Asini succussationem parum admodum procedere. Sane legas apud Ælianum, Asinos, eos præcipuè qui sunt in Mauritania, citatissimo gradu cursum inchoare, parvoque confecto itinere cito deficere, unde necesse sit eos ad Equos alligatos resti attrahere. Hinc Trigæus Aristophanicus suum illum scarabeum Asinum appellat: monens scilicet, ne cursu nimium pernici viam auspicetur, sed paulatim & sensim volet, ut labori sufficere possit, quod longe secius accidit in Indicis, qui quidem, ut idem Ælianus author est, cum iter arripiunt, tardius incedunt, paulatimque progrediendo feruntur incitatius, rapidissimeque gradiuntur.

## STOLIDITATIS LUDIBRIUM. Cap. VII.

TOt autem ea sunt quæ de Asinorum stoliditate traduntur, ut subinde sit ad eam redeundum, quam si apertius Ægyptii describere voluissent, animal omnium maxime docile deligebant, Simiarum quippe gregem inter quas Asinum vel saltare, vel tibiis canere, vel etiam disceptare fingebant: rem quidem tam dictu quam spectatu ridiculam, sed quæ in secessu pondus habeat.

## INDOCILITAS. Cap. VIII.

*Serm. lib. 1. Sat. 1.*

ALiter frænatum Asinum in hujusmodi significatum proponebant, quippe quod animal sit minus idoneum ad discendum. Unde Horatius,

*Infœlix operam perdas, ut si quis asellum*
*In campum doceat parentem currere frænis.*

Unde etiam Mathematici eum qui ortu suo sextumdecimum Leonis gradum sortitus sit, indocilem futurum præsagientes, frænatum Asinum tunc oriri fingunt: irritam eo modo institutionem futuram indicantes. Est Apud Platonem Legum III. juxta finem, proverbium, *Ab Asino excuti*, de iis qui gravia & magna vel difficilia professi, ab incœpto turpiter desistunt. Sedenim miror, unde Grammaticus quidam adductus sit, ut Platonis proverbium hoc ita sit interpretatus. ut de iis dictum voluerit, qui relictis voluptatibus & inquinamentis quibuslibet voluptificis & belluinis (hæc enim ejus verba sunt) ad meliorem mentem regrediuntur, cui quid aliud respondeam, quam ut ipsius Platonis verba subjiciam? τίνος δὲ τοῦ τοῦθ' ἡμῖν αὖ χάριν ἐλέχθη, δεῖν φαίνεται ἐμοίγε, οἷόνπερ ἵππον τὸν λόγον ἑκάστοτε ἀναλμβάνειν, καὶ μὴ καθάπερ ἀχάλινον κεκτημένον τὸ στόμαβία ἀπὸ τοῦ λόγου φερόμενον κατὰ τὴν παρουμίαν, ἀπό τινος ὄνου πεσεῖν. *Cujus vero rei gratia hæc dixerimus, mihi ostendendum est, oratioq; ipsa tamquam Equus hinc atq; inde coërcenda, ne effrænum veluti os nacta, ipsoq; dicendi impetu provecta, ut proverbium est, ab Asino quopiam excidat.* Sed cum is & hic, & alibi sæpe cadat ab Asino, in luto hominem hæsitare permittamus, neque tollere rursum fractum crure Planum procuremus. Id vero eo magis indignè ferendum, quod testimonium sibi accersit ex Evangelica lectione, quam supra citavimus, ubi Servator noster Asinæ pullum obequitat, neque intelligit longe aliud esse, invectari Asello in urbm Hierosolymam, aliud ab Asino excuti, vel mente alienari. nam & jocus ex locutionis enunciatæ ambiguo resultat, cum ἀπὸ ὄνου etiam ἀπὸ νοῦ sonare videatur,

*Proverbium ex Platone.*



## IRRISIO. Cap. IX.

*Persii Diogenisq; dicterium.*

UT vero reliqua prosequamur: est irrisionis indicium Asinus, propterea quod rictu labiisque late diductis, dentibusque deformiter denudatis irridere videatur. Quin & qui aliquem deludunt, appressa ad aures manu asininas auriculas imitantur, unde Persianum illud in hujusmodi derisionem, *Auriculas Asini quis non habet?* Sane Diogenes cum ei quidam dicere, *Multi te derident: Et illos*, inquit, *fortassis Asini.* Altero subjiciente, *Sed illi non curant Asinos, At neq; ego illos*, inquit:

SOPHI-

A

## SOPHISTARUM NUGÆ. Cap. X.

SILENTIO prætereire non possum, Sophistas nostros, cum Asino illo suo tam fœdo, tam spurco, tam abominabili, quem ita in deliciis habent, ut sine Asino nihil meditentur, nihil moliantur, nihil aggrediantur. Nulla umquam tam gravis, neque tam seria res in consultatione ponitur, ut non ipsi Asino super agendum censeant: sedenim iis optimè res cum Asino, qui περὶ ὄνου σκιᾶς, disciplinam omnem suam ostentant, ac omnium ignari, quodq; pejus est, indociles, de re nihili semper altercantur. Ad horum porro similitudinem Democritus Judæos ponit, qui in ordinariis, ut inscriptio est, historiis, eos tradit aureum asini caput adorare consuesse, singulisque septennarii spatiis alienigenã semper hominem insidiis exceptum, in conventibus suis membratim discerpsisse, quod & Plutarchus Cheronæus Symposiacis quæstionibus, & Cornelius Tacitus historiis memoriæ prodidere: quã uti manifestissimam calumniam, ab Appione olim excogitatam, & Josephus constantissimè refellit, & Adamantius contra Celsum acriter redarguit. Nostra tamen tempora Symeonem puerulum Tridenti videre, quem blanditiis illectum, & in synagogam perductum, Judæi socialiter eo sacrificii genere trucidarunt, stylis per universum corpus infixis, unde sanguinis quisq; guttam vivis artubus exhaurirent. Testis ara facti, quæ quotannis ibidem à piis inuisitur.

B

## ADULATORUM ILLECEBRÆ. Cap. XI.

ERAT verò illud ad bonos mores excogitatum hieroglyphicum, quod veluti majores nostri servos ebrios, lingua pedibusque titubantes in liberorum conspectum ad vitii ludibrium, producebant, quo ipsi diligentius caverent, ne in hujusmodi turpitudinem inciderent: ita Sacerdotes Ægyptii asinum inter flores & ungenta statuebant, quorum nihil ad sensum ejus pertineret, ex hoc scilicet perniciem, quæ potentioribus præcipuè assentatorum machinis insidiatur, indicantes: cum inde risui & ludibriis omnium exponantur, qui enormes adulatorum assentationes aucupantur. Plerique enim, magni alioqui viri, à Musis & Gratiis alieniissimi, omniq; turpitudinis genere spurcissimi, coram tamen & dignitatis, & eruditionis, & temperamentiæ nomine non solum commendari patiuntur, verum etiam nisi facias, indignantur.

*Asinum inter flores, quid.*

C

## IGNAVIA. Cap. XII.

APUD multos asini significatum est ignavia, quæ quidem cum sit omnibus nota, superfluum est eam latius explicare. Ex hac tamen nota Palæstini asini excipiendi sunt qui Equos ipsos pernicitate provocare dicuntur: traditum ab Adamantio: Et apud Euphratem Xenophon, primo de Cyri minoris expeditione, inventos ait asinos, qui Equos cursu facile superarent. Nam cum ad eos equites proximè accessissent, cursum illi arripiebant, cumque longius profecti essent, interim restitabant, atque ita sæpius iterata fuga equites fallebant. Et Saracoras legi asinos non ad onera comportanda, sed ad gerendum bellum adornare. Apud Pollucem sane legas περὶ ὄνου inter alia significata interiorẽ dici molam, ita à tarditate cessioneve, quæ asino propria est, appellavam. Et populos quosdam memorat Xenophon, qui non alia victitant industria vel arte, quam fodiendis τοῖς ὄνοις, hoc est lapidibus iis, qui ad onos fabricandos idonei sunt. Et in sacris nostrorum literis, ubi vulgatã interpretatio habet, opus esse, ut mola asinaria suspendatur, ὀνικὸς tantum apud Græcos legitur. Denique ne rem tam apertã multis inferciambus ambagius, Catullus id ipsum intelligit, cum super Æmylio quodam impurissimo dicit: *Et non pistrino traditur, atq; asino*; Ne legamus *atq; Asinus*; hoc est: *perinde ac Asinus*, ut erudituli quidã putant: neve interpretemur lectionem, *atq; asino*, ad concitandum scilicet circa molam Asinum, ut nonnulli ex commentatoribus exponunt. Sed ut ad Asininam ignaviã revertamur, hanc intelligebat Antisthenes, cum Athenienssium judiciũ in creandis magistratibus notatu-rus, suadebat eis, ut Asinos ad agriculturam deligerent, quos cum illi negarent idoneos ad rationem; *Atqui*, inquit ille, *non satis vobis est Magistratum elegisse sive aptus sive ineptus vir ille sit ad gerendum?*

*Pernicitas quorũdam Asinorum.*

*Diogenis Antisthenis ex D. Laertio in ejus vita.*

D

## EREMITA. Cap. XIII.

SED quoniam de Onagro facta est superius mentio, haud inimè prætereundum est quod Divinæ literæ per Onagrum Eremitas intelligunt, qui à popularibus turbis secedentes, in solitudinariis & ab hominum vestigio semotis locis vitam degunt, uni Deo tantum dediti, quod tradit Eucher. de quib. dixerit Jobes, *Quis dimittet Onagrum liberum?* sed quia sequitur, *Et vincula ejus quis solvit?* de Judæis quidam dictum volunt, quorum præcepta vinculis comparantur.

*Cap 39. 5.*

MU-

## MULIER MALE MORIGERA. Cap. XIV.

SUnt qui mulierem conceptum evitantem, aut virum admittere nolentem per Asinam, & fustem inhærentem tergo, designent: ea enim semen à coitu rejicit, nisi interpelletur, quamobrem statim post coitum necesse est eam verberari agitarique, & ingnaviam qua prædita est solitudine castigari. Quinetiam mares ipsos fustibus salire cogunt, unde vulgo mos est, viros minimè officiosos, Asinos appellare. Quid vero illud, quod hujusmodi pertinacia demortui etiam spoliis inhærescit? ungula siquidem asininæ viventem partum enecant, mirificeque maturant: quare Medici abortibus evocandis, nec aliter, eas in suffitum adhibere consueverunt.



## PRÆGNANTIÆ DISSIMULATRIX. Cap. XV.

*Asina in occulto pariens.*

MUliebrem ad hæc prægnatiam occultantem notare cum volunt, parientem Asinam pingunt. Observatum enim est, id eam impendio cavere, ne vel in conspectu hominum, vel in luce pariat: quare ducenda est in tenebras, cum excludendi tempus advenerit.

## SOLSTITIUM VEL TEMPUS ANNUUM. Cap. XVI.

*Plin. lib. 8. cap. 43.*

PUllus vero Asinæ nunc Solstitium, nunc tempus annuum indicat, quod eo tempore plurimum & pariant, & admittantur, ut eorum seminis frigiditas cœli calore adjuvetur, & frigoris impatiens animal eo nascatur tempore, quod ejus imbecillitati sit idoneum: annum enim integrum omnino gestant.

## VIR FRUGI. UXOR PRODIGA. Cap. XVII.

MInime prætereundum est illud, quod insignium pictorum & sculptorum etiam opere nobilitatum est, ut cum virum in re cumulanda solicitum, neque assiduos quantumlibet labores declinantem, uxorem verò prodigam, & ad omnia perdenda dissipandaque intentam hieroglyphicè significare vellent, hominemque sparti funiculum torquentem, illam vero Aselli effigie assidentem à tergo, & opus quantumcumque fieret abrodentem, effingebant. Sunt qui Polygnoti opus id fuisse dicant, meminere vero & Pausanias & Plinius, ac mox Romæ tum in Capitolio, tum in Vaticanis hortis insculptum marmore observatum. Hinc quid sibi velit Propertianus versus, admonemur,



*Asellus funem abrodens, quid.*

*Prop. lib. 4. Eleg.*

*Dignior obliquo funem qui torqueat ocno,*
*Æternumq; tuam poscat asselle famem.*

Illud κατὰ πάρεργον addam quod Pausanias ponit, Asellam, non Asellum marem in pictura spectatum, quæ funem abroderet. Plutarchus commentario περὶ τῆς εὐθυμίας, apud inferos argumentum pictum ait, sed Asinum non nominat.

## PATERFAM. PARCUS. FAMILIA PRODIGA Cap. XVIII.

DIodorus Asinorum imaginem istiusmodi apud Ægyptios ostentari tradit: Asinum quippe unum longioris funis nodos complicare, ac alios à tergo clanculum dissolvere uno porro eodemque

demque argumento cum superiori, quod nonnulli Jonicum figmentum putant, cæterum pictorum & sculptorum ingenio variatum. Alterum tamen hoc patremfamilias frugi, familiam vero prodigam & perditam ostendit: nimirum enim nodum plicare, significat congerere, accumulare, rem facere: dissoluere vero, destruere, disperdere atque prodigere. Sane apud Plin ubi opera Aristolai Pausiæ filii recensentur, inter alia est piger qui appellatur Ocnos spartum torquens, quod asellus abrodit: quamquam hoc eo significato accipi potest, ut ignavorum opera excipi à pernici intelligamus. *Plin. lib 35. cap. 11.*

## BONUM OMEN. Cap. XIX.

*Simulacrũ Asini ab Augusto di catũ, quid.*

Quod vero simulacrum & Asini & Asinarii æneum est ab Augusto dicatum, utriusq; nomen in causa fuit, quod ab his ipse victoriæ præsagium cepit, cum apud Actium ei in aciem descendenti facti obviam essent, agasonig; nomen Eutycho esse, bestiæ vero Niconi intellexisset: quid enim non bene ominaretur victoriæ nomen bonæ fortunæ junctum? Sed habuit augurium hoc aliquid quod movere posset, cum tam speciosa essent nomina: quid autem in illo fuerit, mirum est, quod B C. Mario apud Fanniam Minturnis custodiæ credito, Asinus, qui ruditu quodam ingenti vociferatus fuerat, in domum ejus à fonte cursu rapido profectus, sperandæ salutis maritimo itinere augurium dedit. Jam & in aguruli si quis ægrotet, vidisse Asinum qui à lapsu se sustulerit, indicat eum convaliturum, in ominibus dicente quopiam, *Viden' ut Asinus sese erexerit:* decumbentem indicat surrecturum.

## VINITOR. Cap. XX.

*Asini officia.*

Ne tamen animalis istius stuporem, segnitiem & ruditatem usquequaq; deludamus, grati animi opus fecerimus, si qua nos parte juverit, exposuerimus, & illi pro merito gratias habuerimus. Siquidem vineas colere non alio nos doctore didicisse, nonnulli tradunt, quam Asino, quando is putandarum vitium & author & præmonstrator fuerit. Nam abroso ab eo vitis palmite, vindemiam inde feraciorem provenisse observatum est: idque summa secuti diligentia mortales, latiorem sibi quotannis proventum compararunt. Ejus rei monumentum Naupliæ spectabatur, ubi lapideus Asinus grata posteritatis memoria dedicatus fuerat. C Huc illud addam, quod is neq; mortuus quidem officium facere desistit: siquidem Vadimonius compertum ait, calvariam ejus in hortorum medio depositam, ad loci fertilitatem facere.

## OCHUS REX. Cap. XXI.

Ochum autem Persarum regem ἱερογλυφικῶς, per Asini simulacrum in primis Ægyptii notavere, qui cum maxima intercedebant odia, ut fieri solet, inter eos qui de imperio, deq; libertate dimicant. Hic est Ochus ille avaritia in primis famosus, adeo ut urbem eandem intrare numquam voluerit, ne aureos, qui singuli singulis mulieribus ex lege Cyri debebantur, erogaret. Unum miror, apud Tertullianum Cyrum eumdem Ochum dici, hunc inquam quem Ægyptii sceleratum pollututumq; Asinum cognomento vocitabant, in quos ille, ut Dion scripsit, hæc est retorquere solitus, *Asinus profecto vestrum devorabit Bovem, Apinq, ita postmodum mactavit, Asinisq, eos imaginem auream compulit adorare, quo nihil illi umquam ignominiosius accepere.* Falsum verò illud est, & ab omni D veritate alienum, quod Cornelius Tacitus tradit de Asinino capite, quo de superius, à Judæis loco numinis habito, in quo impudentissime mentitur, & ea de causa mendaciorum loquacissimus à Tertulliano appellatur: ac perinde vanus est in Judæorum origine repetenda, dum eos modo Creta, modo Lybia oriundos scribit, modo Æthiopum prolem comminiscitur, & in omnibus quæ de Moyse loquitur, deliria mera ponit. Ægyptiorum autem exemplo, Clisthenes cum infestissimo Sicyonios odio prosequeretur, eorum tribus in ridicula cognomenta commutavit, eas tum ὑάτας, tum ὀνεάτας, tum χοιρεάτας, appellando; *Suarios* quippe, *Asinios*, & *Porcarios*.

## LABOR INDEFESSUS ATQUE SERVILIS. Cap. XXII.

Receptum & illud est, servilem laborem per Asinum clitella instratum significare, cujus rei causa magis vulgo nota est, quam verbis explicari necesse sit: quippe quod animal indefessi sit

laboris, unique & perpetuæ onerum vectationi vexationibusque aliis damnatum esse videatur. Porro legas in Ecclesiastico: *Cibus, virga & onus Asino, ut panis & disciplina & opus servo.* Asini etiam cutis post obitum, ne quid ejus umquam requiescat, foraminibus dilacerata, Assiduæ cribrorum inserviat agitationi. Quod porro laboris significatum etiam ad somnia progreditur: si quis enim, ut alibi diximus, Asini se aures habere imaginatus fuerit per quietem, ingruere homini servitutem & ærumnas, conjectores autumant. Ita etiam si quis Asininum se caput habere somniaverit. Sed quod ad hanc sententiam facit, nequeo illud dissimulare, quod jocose actum est à Ptolemæo, qui Heraclidis Lycii de laboris laudibus lucubrationem festiviter illusit. Nam cum is librum cui titulum fecerat πόνος ἐγκώμιον, Regi sibi obviam facto, quidque præ manibus haberet interroganti, obtulisset, Rex accepto libro, & primum tituli elementum statim abrasit, atque ita pro Laboris laudatione, Asini commendationem legendum ostendit, quippe ὄνος ἐγκώμιον, labores scilicet illos, quos tot ille laudibus in cœlum extulerat, ad Asinum potius quam ad hominem spectare. Ita enim delicioſum ac molle potentiorum genus ingenuis etiam laboribus industriæque generosæ, laudabilibusq; vigiliis illudunt, cum fruges consumere nati, tantillum hoc etiã gloriæ, quod per genii fraudationem quærimus iniquissimè invident. Sed illud in Ptolomæi scomma facetè Lucianus Menippo, decretum recitat apud inferos ex Cal'uarii dicto, ut divitum animæ, quæ rursus in vitam remittenda essent, in asinos demigrarent, donec in tali rerum statu, ad multa annorum millia asini ex hujusmodi asinis renati onera ferrent, atq; insuper à pauperibus agitarentur. Meministi autem, doctissime Curſi, argumentum hoc sermoni nostro ansam præbuisse, cum in medio convivio in magnorum quorundam hominum insolentiam acriter excandesceres, qui otio & lascivia diffluentes, & omni nequitiæ genere contaminati, literatos viros omnes laborũ causa asinos appellaverant. Fuerint (ajebas) qui stupidos, qui profanos, qui ridiculos, qui animalia maximè omnium bruta asinos existimarint: longè diversum illud est, quod apud Hebræos, præcipuè Cabalisticos, asinus est sapientiæ symbolum, cujus quippe ideam cõstituunt Sephiroth, eam afferententes rationem, quod eum qui sapientiæ sit operam daturus, victu admodum tenui, & eo plurimum plebejo contentum esse oporteat, cujusmodi parsimonia præditum esse asinum ignorat nemo: adhæc, penuriam, laborem, plagas, & famam patientissimè tolerare, neq; ad ullam excandescere contumeliam, undecumque illata fuerit, animo esse parvum, inopem, atque simplicem, ut qui nullum inter carduos & lactucam discrimen habeat: corde sit minimè vafro, minimè cupiditatibus contaminato, bile ita careat, ut cum omni animantium genere pacẽ sibi perpetuã constituerit, nec ullum sit onus quod detrectet, quod non obsequioſe suscipiat, & si sit opus, pro Bove terram proscindat, plaustrum trahat, præcipuè verò machinæ maximè omnium necessariæ, pistrino æternum serviat, ligna, poma, olera frugum genus omne comportet, sit denique totius humanæ commoditatis assiduus & infatigabilis minister, ut etiã, quod ajunt, mysteria portare compellatur. Merito itaque Ammonius Alexandrinus magno Origene & Porphyrio discipulis clarus, asinum his condiscipulum fertur adhibuisse. Neq; verecundatus Cleanthes appellationes hujusmodi confidentissime respondit, *Asinus quidẽ sum, sed qui portare possum farcinam Zenonis.* Valebit igitur Aristot. qui opere de Moribus non quemcumque fortem esse existimat, qui quamcumque toleret vel ignominiam, vel calamitatem, vel incommodum, virtutemque ullam negat in patientia sitam esse: homo mollis, & delicatus, qui tamen liquido perspiciebat, si fortitudo partem haberet in patientia, futurum dubio procul ut asinus animalium fortissimus haberetur. Hæc atque alia multa in asini commendationem declamasti. Atque ego acerbiorem tuam iram illam hoc sermone comitigaveram, qui labores quidem agnosceremus, omnem vero ignaviam ad eos haud gravate relegaremus, qui cautum lege veteri sciremus, utilitatis quæ ex frugi adeo animali percipitur ratione habita, ut honore cum hominibus pari dignaretur. Nam cum primogenita sacrificari præceptum sit, homo tantum atq; asinus excepti: ut ille scilicet, certo pretio redimatur: hoc, Ove, animali jumentorum omnium pretiosissimo innocentissimoque commutari possit. Sed ne ullum officioſissimæ servitutis genus huic brutorũ generi desit, nostris etiam morbis nos levare, ac eos ad se recipere perferreq; natura ipsius vi quadam occulta minime detrectant. Nam ut Apul. lib. de re Rustica ait, si quis à Scorpione ictus super asinum assederit ad caudam conversus, transibit in asinũ dolor, & is pro percusso torquebitur. Addit

*Ptolomæi jocus.*

*In Sapiente quæ requiruntur.*

& De-

A & Democritus fabulam ſuam, qui ait, percuſſum à Scorpio ſi ſtatim ad aſinum quempiam accedens in aurem ejus dixerit, *Scorpius percuſſit*, non doliturum amplius, dolore ſcilicet in aſinum tranſeunte, qui mox pedendo emoritur, ut Zoroaſtes addit. Facetiores quidam, morbos ſuos phratoribus, quos itinere caſu obviam habuerint, commendare ſolent: ſiq; illi addixerint, tranſire ad eos incommodum, donatorem liberari. Sed præſtat id potius, quamvis κῦ πάρεργον referre, quod hic morborum tranſitus in rebus etiam inanimis inveniretur. Nam apud Quintilios in præceptis de re ruſtica legimus, ſi lactans adhuc infans febre vexetur, cucumeres paris longitudinis duos dormienti, hinc unum, inde alterum admovendos, ut cutem contingant, fervorem omnem in cucumeres tranſire, infantem incolumem fieri. Sed jam tempus eſt ut Aſinorum ſuccuſſatione delaſſati, in Mulum inſcendamus. *Fabula Democriti.*

## DE MULO. Cap. XXIII.

B QUoniam vero progenerat AſinusMulum, par eſt, ut Mulum Aſino ſubjiciamus: mox à laborum ſocietate Camelum Mulo ſubjungamus.

## NOTHUS. Cap. XXIV.

AB eo vero incipiam ſignificato quod vulgo magis protritum eſt. Spurium enim hominem cognomento Muli nemo non appellat, atq; olim ea de cauſa Mulos Lunæ vehiculo adhibuerunt: quia veluti Mulus non ſuo genere, ſed alieno creatur, ſic ea Solis, non ſuo fulgore lucet, quod & Catullus noſter agnoſcit, ubi, *Sive notho es lumine Luna*, dicit. Nam quod alii factum hoc ob ſterilitatis ſimilitudinem dicunt, quod ſcilicet Luna perinde ſterilis ſit atque Mulus, dicere non auſim, qui acceperim à Cabaliſticis, Planetarum, ſtellarum, atque adeo cœli totius vires, rerum omnium formas in unum luvare corpus, tanquam in matricem infundere, eamque poſtmodum parturientium in morem vi ſua ſpecies novatuſque omnes conformare, factaſque & adultas omnium oculis oſtentare. Quod ſi res ita ſe habeat, ea ſitne ſterilis appellanda, viderint alii. Nothum vero, qui ſine
C patre ſit, hominem nuncupare, non tam ſeculi noſtri mos eſt, quam remotioris etiam ætatis, ob adulterinum, qui nulli non innotuit, conceptum. Cyrus tamen legitimo quamvis matrimonio generatus, Mulus eſt dictus: propterea quod generoſiore matre natus eſſet, Aſtyagis quippe Regis filia, cum pater Medorum imperio ſubjectus eſſet, de quo verſus feruntur hujuſmodi ab oraculo editi, quibus fuga Lydis indicitur ſimulac Mulus Medorum invaſerit regnum: *Lunæ vehiculo cur Muli adhibiti.*

Ἀλλ' ὅταν ἡμίονον βασιλεὺς μηδοῖσι γένηται,
Καὶ τότε λυδὲ πέλαυρε πολυψηφίδα πυρὴ ἔδεσθαι
Φεύγειν μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Quamvis alii per Mulum bellicas tempeſtates intelligunt, propterea quod plurimus ſit belli tempore Mulorum uſus. Ferunt vero Medium Aſinum primum Equæ vim intuliſſe, eaq; inde gravida facta, mortales id ſeminii parare didiciſſe.

## ALIENUS AB AMORE. Cap. XXV.

D SUnt præterea qui hominem alienum ab amore Mulæ ſimulacro notari velint: propterea quod ea ſit tantæ contra amorem efficaciæ, ut pulverem in quo ſe Mula volutaverit, corpori inſperſum, mitigare amoris ardorem tradant Magi. Sed quanti, bone Deus, eſt ἡ συμπάθεια καὶ ἀντιπάθεια τῆς φύσεως, concordia ſcilicet repugnantiaq; rerum, in hoc quoq; animalium genere ſuperſtitioſa Magorum ſedulitate deprehenſa! Nam quæ ipſa adeo ſterilia ſunt, diverſiſſimi tamen generis fœcunditati conferunt: ſiquidem ſetas ajunt ex cauda Mulæ, ſi junctim evellantur, inter ſe colligatas in coitu, mulieres cogere, ut etiam invitæ concipiant.

## STERILITAS. Cap. XXVI.

SEd præcipuum apud Ægyptios eſt Mulæ ſignificatum, ſterilitatem indicare, cujus partum prodigioſum eſſe ad expiationem uſque, veteres credidêre. Eas vero ad progenerandum ineptas ob id *Plin. lib. 8. c. 44.*

authores tradunt, quod animalia quæcunq; tertii sunt generis, diversis quippe generibus prognata non gignant. Quas vero Theophrastus in Cappadocia, & Syria vulgo parere existimavit, Aristot. diversum ponit genus, quos Hinnos appellant: fert hos præcipuè terra Syria supra Phœnicem, qui simi-

*Muli ac Mulæ cur steriles.*

litudine quadam nomen Mularum acceperunt, cum genus omnino diversum sit. Coëunt hæc animalia, & mutua inter se ratione progenerant. Alcmæon in Mularum genere mares ideo steriles esse dicit, quod tenuem admodum genituram habeant, ac perinde frigidiusculam, fœminas vero propter locos minime adapertiles, quod & Horus noster & Empedocles tradidere, breves enim illi sunt, humilesque & restricti, Venerique averse coaliti, ut neque genitura recta in illos labi, neque si illabatur percipi possit, id quod in dissectionibus Diocles optimè se observasse confirmat. Eandem porrò sterilitatem per Mulum exprimunt & Divinæ literæ. Nam Psalmo xxxi Mulo fieri similes prohibemur, propterea quod animal id intellectu careat, perinde ac Equus etiam. Hoc insuper sterile est animal, quippe nulla virtutis semina concipit, nec fructum ullum producit, atque hoc partim male affectæ naturæ causa, qua præditum est, partim propter inertiam qua fit ad aliquid agiliter agendum ignavissimum. Non prætermittam loco hoc, Eleum agrum ita Equorum generositati consecratum esse, ut Mulorum genus non ferat intra regionem, etiamsi admittatur Asinus, & rem peragat, Equam non concipere, quod plurimum admiratur Pausanias. Utcunque vero hæc habeant, nemo ignorat sterilitatem, quæ Mularum propria est, fuisse causam, cur partus hujusmodi in annalibus aliquando observati, habiti sint ostenti loco: bonum vero an malum ostenderent, in ambiguo esse facit eventorum varietas. Siquidem C. Valerio, & M. Herennio Cos. cum Mula in Apulia peperisset, totum annum domi forisque tranquillum fuisse comperimus, sinistra tamen quadam obnunciata. Sed quod omnium pernicio sissimum Rom. Reipub. fuit: inter Cæsarem & Pompejum exorta bella Mulæ partu edito, L. Paulo, L. Marcello Coss. multi prodiderunt. Cumque alia Romæ ad 12. portas peperisset M. Lepido, Munatio Planco Coss. subsequutæ sunt nonnullæ sociorum direptiones, dum bella per Brutum & Cassium in provinciis gerentur. At nihil quicquam tale evenit L. Scipione, C. Lælio Cos. cum identidem Mula Reate peperisset.

*Ex Mularum partu eventus varii.*

## MATRONARUM IMPUDICITIA. Cap. XXVII.

INvenio & apud quosdam matronarum notam in partubus ex Mulæ parientis prodigio significari: quod earum pilenta Mulis junctis trahi solita sint, ut numis aliquot spectare licet.

## INEXPECTATI EVENTUS. Cap. XXVIII.

ALiis magna rerum molimina Mularum partus ostendere, in iis præsertim rebus, quæ præter spem & expectationem omnium accidere: ut Dario Babylonem eluta totiens opera oppugnanti, quam tunc demum cœpit, ut vulgatissima est historia, cum ex pervulgato per hostes ipsos omine, Mula Zopyri, cujus consilio, opera, ingenio & fide usus est in eo negotio peragendo, fœtū edidisset. Simile & illud fuit, quod Galbam ad res novas animosius tentandas confirmavit, apud quem Mula pepererat. Nam Zopyrus inde animum sumpserat, quod Babylonios conviciabundos è propugnaculis audierat inclamare, *Darium non ante urbe potiturum quàm Mula peperisset*, eventumq; rei apud se compererat. Galba avi sui omen exceperat, qui Aruspicibus rerum summam puero promittentibus responderat, cum Mula pepererit. Habet enim Mula regium nescio quid etiam in Divinis literis, ut Reg. 3. David, *Ponite filium meum Salomonem in Mulam meam:* dicens meam, ostendit, quod & ipse in Mulam sedebat. Nobis verò (mi Petre) quid sperandum, quidve timendum est, qui Mulæ fœtum domi nuper inspeximus? Anno enim hoc salutis nostræ duodevigesimo supra millesimum & quingentesimum, Leonis X. sexto, quarto Non. Aprilis, qui dies de Assertoris nostri nece publico luctu nefastus fuit, apud amplissimum dominum meum Julium Card. Mediceum, hora lucis tertia Mulæ, uti nosti, partus editus. Quod si quis, ut Galbæ, portendi huic aliquando summam rerum amplitudinem dixerit, ut eveniat non erit hoc præter expectationem, & spem hominum, qui vulgo illi talia ominantur, qui de hominis prudentia, de morum integritate, rerumqve peritia omnia sibi pollicentur. Id unum precibus à Deo deposcendum: ne, quod factum est Pauli & Marcelli consulatu

*Suetonius in Galba. c. 4.*

*Mulæ partus.*

Julii

A Julii Pompejiq; discordiæ, in magnam urbis perniciem suscitentur: ne quod Lepidi, Plancique consulatu accidit, intestina bella miserabiles sociorum direptiones invehant: ne præter expectatum, magnum aliquod & inexcogitabile malum oboriatur, maximarumq; in Italia urbium capturas, populationes, incendia, vastitatem inducat, cum præsertim tam dira ea sint, quæ sidera, quæ fatidici vates, vetusta etiam de nostris temporibus oracula, nocturnæ diurnæq; sæpius exauditæ voces, brevi futura minitantur, quibus consentire videtur præsaga mali tacita quædam in mortalium omnium cordibus trepidatio. Sedenim nos interim Deo freti, quicquid eventurum est forti animo tolerandum nobis proponamus, incœptumq; laborum ingenuorum iter, dum licet alacriter peragamus. Sed illud non omiserim, Mulas non sui generis tantum animalia parere aliquando visas, verum etiam Equos, ut anno circiter M CCCC. LXII. in Arenate Brutiorum agro, Mula Equum peperit pilo flavo, crinibus rutilis, oculis rufis, quem post Loisius Arenas apud Brutios longe princeps, ad Ferdinandũ Neapolitanorum regem misit. *Ex Mula Equus.*

## VOLUPTARIA VENUS. Cap. XXIX.

B STerilitatis demum, quam superius posuimus, ergo, qui lascivum hominem, Venere quippe non ad prolem, sed ad voluptatem tantum atque spurcitiem utentem significassent, vel Mulum qui Equam saliret, vel Mulam surrecta cauda prurientem, pingere consueverunt. Huic enim generi, quamvis ad progenerandum inepto, genitalia tamen ad voluptatem natura concessit. Quod illis dictum velim, qui animalia rationis expertia, nullo neque voluptatis, neq; irascentiæ: neque cupiditatis sensu affici contendunt: moverique ad hujusmodi incitationes naturæ quodam impulsu, ut vel se sospitent, vel species propagentur. Neque quidem dicendum asserunt, Leonem audentem animosumque esse, neque quidem Cervum pavidum: sed quodammodo pavidum, illumque quodammodo animosum: perinde ac si dicerent, animalia hæc neque cernere, neque audire, sed quodammodo cernere, audireque quodammodo neque vociferari, sed quodammodo vociferari, atque semel dicam, ea non omnino vivere, sed quodammodo vivere.

## MUTUA OFFICIA. Cap. XXX.

C EO vero modo quo proverbiis argumentum datum, hieroglyphica sæpius excogitata, & hujusmodi picturationum species adinventæ: ut si quis Mulos duos mutuo se scabentes pinxerit mutuam operam significari conjiciamus, ex eo, quod hujusmodi utimur adagio, idipsum innuente cum scilicet dicimus, *Mutuo Muli scabunt*. Quamvis sunt, qui proverbium hoc non nisi ad improbos & imperitos sese invicem efferentes spectare putent. Scripsit vero M. Varro librum eo titulo, cujus testimonium citat Nonius. Recte vero accommodari poterit pictura hæc ad id, quod Horatius ridet Epistolis: *Adagium.*

*Enter erat Romæ Consulti Rhetor, ut alter*
*Alterius sermone miros audiret honores:*
*Grachus ut hic illi foret, hic, ut Mutius illi.* *Epist. lib. 2 ep. 2.*

Et de Poëtis paulo post,

*Discedo Alcæus puncto illius, ille meo quis?*
*Quis, nisi Callimachus? si plus deposcere visus,*
*Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.*

---

D

## DE CAMELO. Cap. XXXI.

IPsa quidem munerum laborumque, uti dicebamus, societas, quæ Camelo cum Asinis & Mulis conjuncta est, exigere videtur, ut ad eundem gregem revocentur. Quoniam vero cum Porci significata recenseremus, incidimus in Camelum, quem profanum perinde ac Suem deprehenderamus, inde videtur exordiendum, ut qua de causa veteres id existimarint, explicemus. Porcum enim ideo profanum ostenderamus, quia non ruminaret, ungula tamen esset bifida, alterum hoc longe diversum animal, profanum & ipsum tamen, propterea quod ungula sit solida, tametsi ruminat.

## IMPERITUS DISCEPRATOR. Cap. XXXII.

UNde sit ut per Camelum mystico sensu illi notentur, qui distinguendi seligendique ratione minime præditi sunt: qui scilicet sacra profanis, humana divinis nullo discrimine commiscent, ru- *Cameli mystica significatio.*



minantes utique veluti & Cameli faciunt, argumentorum scilicet formas aliquot concipientes, sententiam modo hanc, modo illam animo agitantes. Sedenim solipedes qui sunt, hoc est, imperiti, neque rerum neq; verborum discrimina discernentes, ita omnia confundunt, ut curvum à directo nequeant internoscere. Quo circa, non immerito apud Christianæ pietatis proceres lege admodum severa cautum est, ne quis literarum imperitus, acutissimo quamvis ingenio polleat, de divinis quicquam disserere confidentius audeat. Neque porro ad Theologicam speculationem dabatur accessus, nisi de disceptatoriis & naturalibus disciplinis exactissima fuisset quæstio prætentata. Verum omnia jamjam

*Æneid. lib. 2* *In pejus ruere ac retro sublapsa referri:*

usque adeo quæ frivola sunt, nulliusq; momenti studiosius consectamur: quæ vero pondus habent, quæ locupletem veræ disciplinæ redundantiam ex toto, ut ajunt, calatho elargiri possunt, vix attingimus. JUre igitur eos reprehendit Assertor noster, qui culicem liquant, Camelum vero tanquam potabilem deglutiunt: Culicem enim liquant, hoc est, minutissime mandunt illi, qui minima tantum in lege pervestigant, quibus studiosius insistant, ubi omnes ingenii vires intendant, Camelum vero, hoc est, perversorum actuum tortuositatem, aut quæ alioqui magni sunt momenti deglutiunt, hoc est, parvipendunt, nullo quippe mansu, ruminationeve devorant: quasi nihil ad rem pertineat, sacra habere ludibrio, & sceleratissimis quibusque facinoribus inquinari. Cæterum cum plurima sint super Camelo adnotatu digna, miror Ægyptios tam parce ejus usos hieroglyphico, cum præsertim animal esset illis admodum familiare. Sed enim illi dubio procul, ut etiam in Equo fecerunt, à sacris alienum animal sedulo aversabantur.

## CRURA FEMORAQUE CONCIDUA. Cap. XXXIII

*Camelus unde.*

NAm vix illud ab eis proditum constat, ut hominem, cui inter gradiendum femora incurvari viderentur, eaque de causa segnius ingrederetur per Cameli simulacrum exprimerent: propter ea quod, ut ipsi asserunt, solus ex animalibus femora etiam incurvet, unde illi Cameli cognomentū aspera in lenem litera commutata, quasi Camerus antea diceretur ἀπὸ τοῦ κάμπτω, quod incurvo significat, & τὸ μηρὸν femur. Camelus enim, ut præter Ægyptios author est Herodotus, quatuor in posterioribus cruribus femora gerit, & genua totidem, id quod omnino negat Aristoteles, genua singula singulis cruribus esse contendens, totidemque artuum flexus, ut vero plures esse videantur, evenire propter alvi intervallum, latamque femorum divaricationem. Utcumque vero Philosophi de re disputent, Ægyptii per hujusmodi picturam, hominem qui sub pondere deficere quodammodo videretur, gressuque admodum vacillante progrederetur, innuebant. Hujusmodi mihi fuisse videtur Claudius Cæsar, quem ingredientem destituebant poplites minus firmi.

*Sueton. in Claud. cap. 30.*

## FORTIS. Cap. XXXIV.

ESt tamen in Camelo mirus dorsi vigor, & onerum gerendorum robur indefessum, ut fame etiam ac siti pertinacissime tolerata, in plures sub onere perseveret dies. Unde Mathematici figuram ejus XVII. Leonis, Libræ XVI. Scorpionis XX. gradibus intulerint, fortem & validum virum eum pollicentes, qui uno horum gradu, supra Finitorem emergente, natus esset.

## OPULENTUS. Cap. XXXV.

*Matthæi locus explicatur cap. 19.*

QUoniam vero sunt qui Assertoris nostri sententiam in opulentos dictam, *facilius* scilicet *Camelum per acus foramen, intrare, quam divitem in Regnum Dei*, ita accipiant, ut non de Camelo animali sit intelligendum, sed de grandiori quodam reptium genere: sciendum ex Origenis sententia, de animali potius accipiendum: eaq; de causa divitem Camelo comparatum, quod Camelus omnium animantium, si formam spectes, tortuosissimum sit, ut (veluti superius dictum) ea de causa plura femora pleraq; genua habere videatur: ita plura divitum negotia, pluresq; atque variæ sunt avocationes,

A tiones,cupiditatesque, quibus implicari eos,distrahi, rapiq; necesse est. Angustius vero acus foramen,arctiorem arguit viam,quæ ducit ad vitam, ut idem ait Adamantius. DeniqueCamelus ruminat quidem, sed solida est ungula, veluti plerique divitum cogitant quidem, agnoscuntque quid agendum, sed propter peccandi facilitatem occasionemque sæpius oblatam, cum cruribus sint infirmioribus, iisque perplexis longe proclivius in libidines & reliqua vitia dilabuntur. Nam,ut prima ad Timoth. epist. Paulus ait, *Radix est omnium malorum cupiditas, rarog, divitiæ nisi cum injustitia congeruntur:* tali,inquit Eucherius, administratione res ista capitur, tali custode servatur, adeo quædam societas est pene etiam nominis duabus his rebus, vitiis & divitiis, unde olim nos ita lusimus: *Cap.6.v. 10.*

*De vitiis quod divitiæ cumulentur apertum est,*
*Nomen idem vitiis divitiisque datum.*

Operæ pretium vero mihi videtur hoc loco, quod superius dissimulavimus, interpretationem Eucherii piam admodum subtexere dicti illius, *Liquantes culicem, Camelum autem deglutientes. Culex,* inquit ille: *susurrando vulnerat, Camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat.* Liquaverunt ergo Judæi culicem, cum una omnium succlamatione seditiosum latronem dimitti petierunt. Camelum autem glutierunt, cum eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat,ut extingueretur,clamando pervicerunt. *Matth. 23. v. 24.*

B

## ZELOTYPIA. Cap. XXXVI.

SUnt qui per Camelum zelotypiam significent: propterea quod animalia reliqua tempore quo rei Venereæ cupidine,vel rabie potius incitata gestiunt,in suum tantum genus feróciunt,ac sæviunt: Camelus autem in hominem etiam, atque in unum quodque aliud animal efferascit: & usque adeo sibi timet ab omnibus,ut solitudines petat, & id temporis ab omnium consortio disseparatus, solam fœminam affectetur.

## REVERENTIA IN MATRES. Cap. XXXVII.

ILlud etiam tam ad eruditionem, quam ad bonos mores plurimum facit, quod nonnulli per Camelum reverentiam in matres significari tradunt: is enim nunquam matrem supervenit suam, quinetiam si quis cogat, ipse non patitur. Jam cum aliquando admissarius non haberetur, curator pullum matri opertæ admisit,qui dum coiret delapso operimento agnovit matrem,& quamvis coitum absolverit, memor tamen commissi sceleris,paulo post ubi data est occasio, Camelarium morsu defixo interemit, quæ quidem pientissima modestia, cum sit camelis admodum familiaris, inde factum facile crediderim, quod olim nupturæ Camelis virginibus supplicabant. Quæ vero de Cameli erga matrem reverentia diximus,ex Aristotele sumpta sunt, quæ Avicennæ etiam assensu confirmantur. Simile quoddam adversus matrem accidit Equo cuidam regis Scytharum, qui ut facinus expiaret, semetipsum præcipitem ex editissimo loco dedit,atque ita animam efflavit. Cæterum non ita faciunt Equi omnes. Quin Aristoteles tunc perfectum esse argumentum dicit, cum parentes suam ineunt prolem: quod par crimen est cum eo, qui matrem tentat, ad quod Ovidiana Myrrha respexisse videtur, cum dixit, *Cameli reverentia in matrem.* *Idem supra lib. 4.*

—— *Fit Equo sua familia conjux.* *Ovid. 6. Metam.*

C

## TRACTABILITAS. Cap. XXXVIII.

DEst & illud inter hieroglyphica reponendum,quod per Camelum à puerulo rectum, mansuetudinem maxime tractabilem apte significarunt.Siquidem mansueti adeo sunt Cameli,atq; bilis tam expertes, ut vasta illa moles minimi cujusq; pueruli arbitrio gubernetur.Contra veroEquus,cum generoso sit animo ac præferoci, magna adversus Camelum afficitur antipathia,neque aspectum odoremve ejus ferre potest. Notum est, quod superius attigimus quid egerit Cyrus adversus validum Lydorum equitatum, cui suas copias impares suspicabatur: ingentem enim is Camelorum gregem ante pedites in acie prima statuit, factoque



in Lydorum equitum impetu, simulac Equi Camelorum odorem hausere: subito consternati, non solum insidentes præcipitaverunt, sed peditum quoque ordines protriverunt, atque ita pars ila, cui Crœsus plurimum fidebat, elusa.



## CIBI POTUSQUE ABSTINENTIA. CAP. XXXIX.

LOnga autem jejunia, & diuturnæ sitis tolerantiam per idem animal significari, ex eo manifestum est, quod nullum animal tanta insigne magnitudine, tam exigua cibi paucitate nutritur, neque dies plures sitim tolerat: cum satis constet in duodecimum usque diem Camelos sine potu perdurare, unde à Poetis *Esitientes* appellantur. Habes jam Petre Cursi, Asini, Muli, atque Cameli, laboriosum animalium significata, quantum memoria complecti potui: reliqua tu, si argumentum placuerit, & doctrina & judicio tuo supplere poteris.

*Plin. lib. 8. cap. 18.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XIII.

## DE IIS QUÆ PER LEPOREM, VULPEM, ET ALIA MINORIS GENERIS QUÆDAM ANIMALIA SIGNIFICANTUR.

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD JOAN. ANTONIUM EGREGIUM NEPOTEM.

*IUcundissimus frater tuus Vendradus, quem præter cognationem, ob summum ingenium & bonarum literarum studium unice diligo, proximis hisce diebus, ut nosti, Roma in patriam se contulerat, paucissimosq; dies hic moratus. de digressu cœpit illico cogitare: conatus sum juvenem dies aliquot detinere, ille tamen cum omnino Venetias sibi quam primum redeundum repeteret, non hic temporis conditione, non loci amœnitate, & tranquilla anni temperie remoraturus, ut in officio esset Illustrissimo Cardinali Medico Mecœnati nostro, qui eum satis ægre dimisisset, ejus fidissimo, & æque gratissimo servitio tantisper cariturus, exolui properantem, ac ne eum ulterius morari pergerem, suasi etiam ut magis properaret, qui patroni ingenium à teneris noverim, quem aluerim, quem formaverim, quem si licet, ornaverim, mox coluerim, & colam semper vita hos dum reget artus, ob summam animi præstantiam, & optimam utriusq; linguæ cognitionem, bonarumq; artium & disciplinarum omnium studium: ut vere oculus summi Antistitum ordinis censeatur, tum ob singularia & assidua propensiore animo in me meosq; officia, & amplissimam ejus munificentiæ largitionem, quibus jugiter suos fovet & amplexatur. Quoniam vero paucis ab hinc diebus caveam nonnullarum avium, tum cicurum, tum sylvestrium & externarum, Nicolao Cordato Jurisconsulto nostro dono dederam, æquum visum fuit per fratrem, qui te ex itinere conventurus fuerat aliquid & ad te mittere: opportuneq; Lepusculum alueram, educaveramque ablactatum à parvulo, neque non Vulpeculam, & ipsam cicurem, nec nostri generis Felem, sed Ægyptiacam, diversumq; à nostris Murem, eum autem ob novitatem Ponticis forte ipsis mini-*

A *minime posthabendum. Fibrum etiam ex Pannonia, Mustelamq; & Talpam ex Italia, quos in unam omnes inclusos caveam ad te perferendos eidem Vendrado commendavi. Quæ dona, si quam tibi voluptatem attulerint, gaudebo: sin vero tu tam severus es, ut nullis neque nugis neq; deliciis moveare, de constantia & supercilio tuo tibi gratulatus, latabor tamen identidem meæ erga te benevolentiæ signum, qualecunq; sit, pro loco & tempore aliquod exhibuisse.*

## DE LEPORE. Cap. I.

PRæcipua sunt Leporis significata, vigilantia, auditus, effœminatio, pavor, venustas, fœcunditas, solitudo, conatusque summus: quorum causæ quantum per otium licebit, nostra hac commentatione commemorabunt.

## VIGILANTIA. Cap. II.



Plin. lib. 11. c. 37.

B ÆGyptii sane sacerdotes per Leporis hieroglyphicum vigilantiam imprimis intelligebant. Causam ponit Horus, quod Lepus oculos inter dormiendum patefactos ostentet, unde etiam in adagium cesserit, *Leporinus somnus:* quotiens vigilantiam ejus qui dormitare videatur, intelligendam proponimus, cum tamen perspicacissimis oculis omnia, quæ usu veniant, in agendis rebus perlustrare non cesset. Xenophon ad hæc scribit, Leporem palpebris clausis vigilare, adapertis dormire, ut non temere forsitan nonnulli Leporem ἀπὸ τοῦ λάειν, quod aspicere est, dictum existimarint.

## AUDITUS. Cap. III.

PLutarchus vero totius antiquitatis, indagator curiosissimus, disciplinarumque omnium quantumvis abditum explorator acuratissimus, à quo longe plura quam ab alio quopiam ad materiam hanc facientia decerpi possunt, ex Leporino simulacro, auditum hieroglyphicῶs intelligi apud C Ægyptios affirmat. Lepus enim aures proportione reliqui corporis maximas omnium animalium habet, auritique ideo ob excellentiam vocantur à Poetis. Quin & ipsa locutio, λαγώς, ut nonnulli ex Græcis interpretantur, ab aurium magnitudine conformata est: siquidem ἐς ὠτός, ut scis, auris, apud Dores, quæ tamen locutio jam apud omnes recepta est, & λα, particula ampliationis est, augetq; significatum, ut *Perauritus* Latine sonet.

*Virg. lib. 1. Georg.*

## EFFOEMINATIO. Cap. IV.

ESt præterea Lepus enervatæ cujusdam effœminationis signum, hujusmodi hieroglyphico jam passim invulgato: idque tum propter pilorum mollitiem, quam Heliogabalus in lascivioribus deliciis una cum Perdicum plumulis subalaribus habuit, quamq; lepidissimus adnotat Catullus in fœdæ mollitudinis scorto, tum etiam propter pulpamenti vim, de quo Livii, Andronici dicterium pervulgatum, quod Terentius, ut Flavius Vopiscus attestatur, ab eo mutuatus est, *Tute lepus es, & pulpamentum quæris* à Græcis vero Livius acceperat, ita dicentibus, δασύπους κρεῶν ὄπηυμεῖ. Addunt D ad causas eximiam etiam timiditatem, qua maxime laborant, quod aut mollium hominum, aut muliercularum proprium est. Lepus itaq; in Divinis literis impurus est, qui quidem licet ruminet, ungulam tamen bifidam non habet, sed pedes divaricationibus pluribus, iisdemq; admodum infirmis dissitos. Quoniam vero delicatæ admodum est imbecillitatis, Judaicum significat populum, ait Hesychius, de quo Salomon, *Lepusculus plebs invalida, posuit in petra cubile sibi.* Timidus etiam est Lepus, qui cubile habet in corde formidolosi Judæi, quod ita notat vox Divina, *Væ cordibus trepidis, & manibus remissis.* Lascivia in Lepore plus quam delicata, quem gentes, ut suo loco dictum, Veneri dedicarunt. Eadem in Judæis improbitas, Esaiæ testimonio, dicentis: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii?* Sed de lascivia gentis hujus atque procacitate, multa passim testimonia suo loco & tempore dicentur.

*Livii Andronici dictum.*

*Prov. 30.*

*Cap. 1. v. 21.*

## TREPIDATIO. Cap. V.

*Horat. 3. Carm. od. 2.*

QUod vero formidinis & trepidi pavoris hieroglyphicum Lepus habeatur, facit id supreme timidum ejus ingenium, cui pavor supra unum quodque aliud animal peculiaris, à quo, ut Pollux ait, etiam πηὼξ appellatur: πηώσειν enim formidare est. Unde Demosthenes in Æschinem invectus ait, λαγῶ βίον ἔζης δεδιὼς καὶ τρέμων, καὶ ἀεὶ πληγὰς προσδοκῶν. *Leporis similem vivis vitam, pavitans & tremens, impendentia semper flagra prospectans.* Hinc Cornificii Poetæ dictum memoratur civili bello, qui milites suos sæpe fugientes, Galeatos lepores in opprobrium appellitabat. Apud Hebræos *Saphan* occultationem, ut ita dicam, significat, & locutio ea per ω scripta Lepusculum significat: quod insitam huic animali pavitationem, si dicere concedatur, notet, qui scilicet in cubilibus libentissime delitescat. Atque hinc factum ut Leporis occursum Augures ominosum, improsperum & inauspicatum dixerint, quod quidem non nostri tantum temporis vulgus credit, sed veteribus etiam persuasum fuisse testatur Senariolus,

Φανεὶς ὁ λαγὼς δυσχερῆ ποιεῖ τρέβας.
*Inauspicatum dat iter oblatus Lepus.*

Archidamus autem Zeuxidami F. Spartiata, quamvis alii Lysandrum ponunt, Corinthiorum urbem aggressus, cum Leporem ex loco muris vicino excitatum animadvertisset, omine in hostes converso, futurum ait ad milites ut hostes facile caperentur: ejus quippe casu usus ad incendendos eorum animos, & taxandam hostium ignaviam, quod urbes ea minime bellicosa videretur, quam tuti adeo Lepores inhabitarent. Pari propemodum eventu Arnulpho rege, qui Berengario auxilium tulerat, Romam oppugnante, excitus è latebris clamore tumultuq; militum, Lepus urbē versus cursum arripit: hunc milites toto temere agmine concito insequi cum cœpissent, cursuq; & clamoribus acrius deterrerent, Romani, qui propugnaculis stabant, urbem eo impetu peti veriti, cui se longe impares propter defendentiū inopiam arbitrabantur, pari consensu desertis mœnibus ad terram se summisere. Barbari occasione freti, sellis Equorum & veterinorum ad mœnia in cumulum aggestis, pereas nullo reluctante in mœnia evasere, Leoninamq; urbem (primaria nunc Romanæ urbis est regio hæc) nullo negotio ceperunt.

## VENUSTAS. Cap. VI.

*Lepus Veneri sacer.*

EST & venustatis symbolum Lepus, Venerique fœcunditatis ergo clarissimus omnium existimatur, cui non sine religione sacer est, & inter ejus delicias adnumeratur. Operæ pretium vero est apud Philostratum in picturis videre Leporem hunc, sub arbore malo inter Amores otiantem, quem decidentia terræ poma depascentem, multaq; semesa prætereuntem modo hæc, modo illa commordentem, ubi illi deprehenderunt, ibi tum alius complosis manibus, clamore alius, alius chlamyde ventilata jactataq; perterrefaciunt, supervolitant alii feram vociferatione illam excitantes, & modo huc modo illuc cursu percitam agitant: pedestres alii vestigia consectantur, alius tamquam aliquid jaculaturus impetum in eam facit, alioq; avertit, alius Lepusculi cruribus insidias molitur: ille ubi in ulnas jamjam apprehensus est, mollissima pilorum lubricitate fretus, minimo se negotio expedit, sublimisq; sublatus saltu, capturam evadit. Risu itaq; Amores diffluunt, collabentesq; præ lascivia & nimia cachinnorum agitatione, alius in latus, alius supinus, resupinus alius, per herbas passim strati provolvuntur. Sagittam vero nemo unus intorquet, sed vivum capere contendunt, gratissimam

*Leporinæ carnis esus efficax.*

Veneri matri victimam oblaturi. Atque ita Lepus præcipue Veneri debetur. Accidit huc & Valerii Martialis testimonium, qui persuasum mortalibus ait, ex Leporinæ carnis esu formosiores venustioresq; fieri homines, salso & mordaci ejus Epigrammatis joco:

*Si quando Leporem mittis mihi Gellia, mandas,* *Si non derides, si verum Gellia mandas,*
*Formosus septem Marce diebus eris.* *Edisti numquam Gellia tu Leporem.*

Et quod super Alexandro Severo dictitatum est, quem & formosum, & humanum, & cultum, & venustum, & affabilem, ex assidua Lepusculorum esitatione factum asserebant. Unde versus illi circumferebantur ex Epigrammate:

*Venatus facit & Lepus comesus,* *De quo continuum capit Leporem.*

Turn

A Tum Plinius, ubi ex Catonis ſententia ſcribit Leporis aſſumpto cibo fieri ſomnioſos, vel fieri, uti nonnulli legunt, Somnos, aut, quod magis placet, formoſos: ſtatim enim ſubjungit, tum vulgo etiam perſuaſum, conciliari ex eo corpori gratiam. Sed quod ad ſomnioſos pertinet, Medici dicunt, Leporinam carnem melancholiam alere, & ſenſus ſpiritales obſtupefacere, quia craſſum generat ſanguinem, ut libello de Victus ratione Pſellus ait: nam caro ea ſubfrigida omnino eſt, & humoris plurimum habet, quæque ejusmodi ſunt eſcæ, ſomnos nimirum ciere comperiuntur. Prætereo de induſtria quod impuri faciunt amatores, ope Leporis amorem ſibi conciliantes: quod etiam libenter eſt à Philoſtrato diſſimulatum, quando ſpurciſſimum id genus hominum pernicioſum eſt, neque dignum ut à quopiam redametur, cum in amore conciliando candor ſynceritasque mentis, non magicæ violentiæ conquirendæ ſint. *Idem Plin.*

## FOECUNDITAS. Cap. VII.

B NImirum vero fœcunditatis hieroglyphicum eſt Lepus, animal utpote rei Venereæ deditiſſimum. Nam fœmina dum interim quæ peperit lactat, idemtidem ſuperfœtat, neque ullum unquam parturiendi facit intervallum. Mas vero præter id, quod more marium progenerat, fœtum ipſe quoque concipit, & excludit, parique cum fœmina modo educat. De quo ſcribit Archelaus, benignam fuiſſe naturam, quæ innocua & eſculantis tantum nata animalia, fœcunda fecerit, quibus etiam utramque vim tradiderit, ac maſculo-fœminas eſſe omnes, ac ſine mare æque gignere voluerit. Ariſtoteles tamen hoc omnino pernegat, maremque in iis & fœminam ſeparatim agnoſcit: quia vero fœmina ſæpenumero marem ſuperveniat, factum ut rerum ignari mutuo eos impleri coitu crediderint. Cæterum Archelao Philoſtratus, Plutarchus, & plerique alii ſubſcripſere, qui cum longo poſt Ariſtotelem tempore fuerint, neque quid ille tradidiſſet ignoraverint, haudquaquam credibile eſt eos rem, de qua tam perſpecta eſſet apud omnes obſervatio, temere auſos aſſeverare. Nam Philoſtratus ferre quidem omnes in utero partum ait, fœminas tamen non niſi ad conceptum idoneas agnoſcit. Democritus hujusmodi ſexus mutationem per varias vices fieri, dubio procul affirmat, quod alii viderint. *Idem Plin. lib. 8. c 55.*

## SOLITUDINARIUS. Cap. VIII.

C NOn imperite nonnulli hominem ſolitudinarium, & reliquorum contubernia declinantem, per Leporem in cavum ſe proripientem deſcripſere: numquam enim duos pluresve in eodem cubili verſari comperias, ſed qui maxime vicini ſunt, unius vel circa jugeris intervallo ſecubant: cumque ſe recipiunt cubitum, ne deprehendi poſſint, multum prius hac & illac diſcurrunt, veſtigiaque variis ambagibus obturbant, poſtremo magno ſublati ſaltu, in cavum quieturi proſiliunt, author Plutarchus. Sane Salomon Parabolis, Lepuſculum ſapientibus ſapientiorem dicit, qui cum optime ſuam intelligat imbecillitatem, ad cavernoſas lapidum latebras confugiat, infirmitatemque ita ſuam tueatur. *Leporis prudentia in ſe conſervando. Prov. c. 30.*

## CONTENTIO LAUDIS. Cap. IX.

PUlcherrimum vero mihi commentum illud inter hieroglyphicas literas videtur, quo veteres Ægyptii contentionis illius ſtudium, quam Æmulationem appellamus, ab Heſiodo maximo opere commendatam, cum jurgioſam & invidam illam alteram vituperet, per exanimatum Leporem & Canem ſeſe cohibentem effingebant, cujus picturæ cauſam Plutarchus idem pulcherrime delineavit; Canes, dicens, qui Lepores inſequantur, ſi contigerit ut eos vi necent, diſcerpere, & ſanguine ſeſe proluere, inquinareque mirifice gaudent: quod ſi animum Lepus deſponderit, neque ullum jam effugio locum ſupereſſe viderit, quod plerumque accidit, quantumcunque ſpiritum habet in intentiſſimo conſumat curſu, ut ita deficiat exanimeturque; tunc compertum eſt Canes ſimulac ita exanimem conſpexerint, omnino non attingere, ſed conſiſtere, ſibique temperare, motare caudas, argumentumque manifeſtum omnino præbere, *Æmulationis ſymbolum.*



se non carnium sed victoriæ tantum gratiæ decertasse: atq; hoc sæpissime & passim evenire, una venatorum omnium asseveratione confirmatur. Quod vero de Leporis cursu dicebamus, id in memoriam adducit quod reprehenditur à Quintiliano M. Varro, qui dixerit, se à præceptore audivisse Leporem quasi levipedem dici. Sedenim apud Varronem legas Leporem Græcum esse vocabulum, Siculosq; quondam è Græcis λέπορεν dicere, cum tamen non neget facilè evenire potuisse, ut cum à Roma Siculi sint orti, quod in veteribus annalibus habebatur, hinc vocabulum illuc tulerint, eodem apud nos relicto nomine. Quoniam vero controversia nunc magna est, utrum Dasypus & lepus unum idemq; sit animal, an diversa, loco Plutarchi superius citato manifeste scriptum, *Canes qui dasypoda insequantur*. Mox de eodem animali; *Quod si λαγωὸς animum desponderit*. Uterque autem omnino hirtipes, id sibi vult δασύπους. Jam & antiquum dictum ostendimus, δασύπους κρεῶν, quem Livius Andronicus Lepus vertit. Plinius tamen Dasypum distinguit à Lepore, ut eo loco: *Pili acute exeunt Dasypodi in buccis intus, & in pedibus, quæ utraq; Trogus & in Lepore deprehendit*. Et alibi: *Coagulum inutile Leporis, Hœdi laudatum, præcipuum tamen Dasypodis*. Alibi: *Lepus omnium prædæ nascens, solus præter Dasypodem superfœtat*. Alibi: *Superfœtant & Dasypus & lepus tantum*. Alibi: *Dasypodes omni mense pariunt & superfœtant, veluti Lepores*: qui quidem loci, ut congruant, Delio indigent natatore, ita confusa omnia. Sedenim quæ Plinius de pilis loco primo posuit, mera sunt Aristotelis verba. Sunt autem ex peritis qui Dasypodem Plinio positum pro cuniculo arbitrantur, quem nusquam nominat Aristoteles. Sane Varro tria ponit Leporum genera, unum Italicum, primis pedibus humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulla, ventre albo, auribus longis. Secundum genus Gallicum, idq; plurimum candidum, quales passim Alpes etiam Noricæ progignunt. Tertium quos Hispania producit, similes nostratibus ex parte quadam hos cuniculos vocant. Si quis autem unum atque idem animal esse contenderit ex Plutarcho aut aliis, idque liquido docuerit, gratiæ illi merito debebuntur.

*De Dasypo & Lepore Authorum opinio.*

## HISPANIA. Cap. X.

ULtimum autem genus hoc omnino Hispaniæ est hieroglyphicum, ut cernere est in quibusdam Hadriani numis. Et Catullus ab hoc animalium genere Hispaniam insignivit, ubi dixit in Epigrammatibus, *Cuniculosa Celtiberiæ fili*. Leporem vero & currum Rheginorum fuisse monetam, apud Pollucem legas. Nam Anaxilas Rheginus cum Olympia vicisset. Rheginorum numis & Leporem & currum impressit, de quo etiam Aristoteles lib. Rhetoric. 3. Ajunt vero Lepores in Sicilia olim non fuisse, importatos vero per hunc Anaxilam, hanc illi memoriam comparasse: advectionem enim ex curru significari, nisi quis victoriam malit.

*Plin. lib. 8. cap. 55.*

## TERIUNGI MILITES. Cap. XI.

OBserves autem alicubi Lepores duos dimidios coloris lutei in punicea parma cujus medium rubra occupat columella, supra quam pila lutea, facie insignis humana, coloris identidem lutei sustinet. Gestamen id erat ordinis Teriungorum sub magistro militum præsentiali merentium.

*Militia veteris parmæ.*

## VALENTIANENSES. Cap. XII.

IN eadem veteri militia lutea erat parma viridi circulo circumscripta, in cujus media columella punicea ab imo margine ad centrum usq; porrigebatur: inde duæ lunulæ coloris ejusdem sese in adversum incurvabant, inferiori parte columellæ applicitæ, superiore aliquantulum dissidentes, à medio vero columnæ Lepores duo dimidii, colore ipsi puniceo, sed densiore, in diversa prosiliebant. Insigne hoc erat, ut vetusta indicant monumenta, Valentianensium, à Valente Principe delectorum, qui sub illustri viro Magistro militum per Thracas militabant.

---

## DE VULPE. Cap. XIII

VUlpem Lepori subjungere non incongruum videtur, quare ejus quoq; significata suscipiam explicanda: quamquam apud Ægyptios super ea nihil aut minimum quid traditum reperias. Tota vero Vulpes Græcorum & Latinorum est.

CALLI-

A

## CALLIDITAS DOLOSA. Cap. XIV.

PEr eam utique vafrum, callidum aſtutumq; hominem, ac dolis omnibus inſtructum ſignificari tradunt, de qua Horatius:

*Nunquam te fallant animi ſub Vulpe latentes.* *De arte poëtica.*

Huic dolos à natura datos Lucretius atteſtarur. Et apud Varronem inſignis adeo eſt animalis hujus calliditas, ut Vulpinari inde verbum confictum fuerit, quod ἀλωπεκίζειν dixere Græci, cum aſtute doloſeq; fieri aliquid exprimere ſignificantius voluerint, atq; etiam pro decipere ἀλωπεκάω, hinc αἴθωνα Pindarus Olympiis Ageſidamo nuncupat, idq; διάπυρον, quippe promptitudinem, & ſagacitatem morum ſignificare ait Demetrius Triclinius ejus interpres. Verba Pindari ſunt: *Non. Marcell. in Varrone.*

——Τὸ γὰρ
Ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἡ ἀλώπηξ,
Οὔτ' εὐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος.

B hoc eſt, *Neque callida Vulpes, neq; latè rugientes Leones quem à natura acceperint morem immutarint.* Vulpem ſane Siculi ob verſutiam facillimamq; in deludendis Canibus motationem, doliq; promptitudinem, Cynædum appellavere. Deniq; hæc, ubi quid vafrè ſciteq; dictum factumve fuerit in Æſopicis fabulis principatum obtinet, veluti Davus in Comœdiis, atq; apud Philoſtratum fabularum choream circa Æſopum laſcivientem ductat, & Vulpibus apud Claudianum, Rhadamanthi ſententia, fallacium hominum animæ immittuntur. Aſſertor noſter ſuper Herode loquens: *Dicite*, ait, *huic Vulpi*, ſubdolam nimirum & vafram ejus aſtutiam notans, de qua Plutarchus in Moralibus ait: *Pardum Vulpem olim contemnere ſolitum, quod ipſe tot colorum lepóre pellem variegatam haberet, cui Vulpes reſpondit, in animo ſibi eſſe eam colorum varietatem, quam ille haberet in tergore.* Ideo autem Vulpem ſenem laqueo capi non poſſe, dictitatum. Et ut ſemel dicam, vel à Prophetis, ut ait Adamantius, nec Vulpis nec Lupi nomen umquam fuit ad bonum aliquod uſurpatum. Quod verò in Divinis literis legitur, *Partes Vulpium erunt*, indicat in manus doloſorum & fallacium verſutorumque hominum tradendos hoſtes, diceret Euthymius, cujuſmodi feruntur eſſe Palæſtini, à quibus Saul una cum exercitu in inſidias tractus, occidione occiſus eſt. Quamvis Adamantius dici de iis interpretatur, qui extremo judicio dæmonibus malis addicentur. Sunt enim hi Vulpes illæ, quæ vineas Domini corrumpunt, ut apud Theocritum puerulo fœcundam vitem cuſtodienti, Vulpes duæ inſidiantur: quarum una matureſcentes uvas populatur, altera panarium properat exhaurire. Et quod ad Theocritianum hoc facit, Ariſtophanes Equitibus, milites Vulpibus aſſimulavit, quod racemos eſitent per agros, diſſipatiſque vitibus non exiguam, quaqua incubuerint, pauperiem faciant. *Luc. 13. 31.* *Pſal. 63 9.*

C

## MALA COGITATIO. Cap. XV.

ILlæ vero (ut ad ſacra redeamus) quæ Canticorum Cantio Sponſi juſſu capi jubentur, quia nova teneraque vitium germina corrodunt, pravæ cogitationes ſunt, & intelligentia perverſa; quæ à genio malo ſuggeritur. Novellas porro Vulpes occupari jubet, prius ſcilicet, quam adoleſcant & altius inſideant, fiantq; adverſus rectè vivendi rationem pugnaciores. Dum enim mala cogitatio in initiis eſt, de corde facile poteſt exturbari: quæ ſi frequenter iteretur, diutiusq; inſueſcat permanere, quodam quaſi uſucapionis jure, animam facillimè ad conſenſum adducit: confirmato autem intra cor conſenſu, proclivis inde eſt ad peccandum effectus. Hinc illa Naſonis admonitio:

D

*Opprime dum nova ſunt ſubiti mala ſemina morbi,*
*Et tuus incipiens ire reſiſtat Equus.*
*Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,*
*Et validas ſegetes, quæ fuit herba, facit.*

*Principiis obſta, ſero medicina paratur,*
*Cum mala per longas convaluêre moras.*

*Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,*
*Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.*
*Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli,*
*Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis,*

Itaque

## MAGNUS CONATUS CUM DOLO. XVI.

SI quid autem omni conatu, omniq; arte doloq; factum, hieroglyphicè veteres ostendere voluissent, Leoninæ pelli Vulpinam assuebant, quarum altera vires, altera fraudes indicaret: id quod, ut inquit Plutarchus, adagii loco sæpe usurpatum est à Lysandro. Dicere namq; solebat is: *Leonis spolio Vulpeculæ pellem assuendam*, quippe, ubi per vires sufficere non posses, & astrum & dolos adjiciendos. Omnem enim is ingenii vim ad hostes dolo fraudeq; decipiendos converterat. Quam sententiam secutus Majo, *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* ait. Dixerat vero longe prius Pindarus in hanc sententiam,

*Plut. in Lysandri vita*

*Æneid. l. 2.*

*Pind. in Isthmiis.*

——— Τόλμα γὰρ εἰκώς
Θυμὸν ἐριβρεμέθαν θηρὰν λεόντων
Ἐν πόνῳ, μῆτιν δ' ἀλώπηξ.

*Leonibus vastum rugientibus audacia animum ministrat ad invadendum, consilium verò Vulpes.*

## RATIOCINATIO. Cap. XVII.

*Vulpis indagatio diligens.*

AD hæc nonnulli adjungunt, hominem discursu mentis & ratiocinatione utentem, per Vulpem significari, quæ aurem ad terram apprimat: ea enim paludosam aliquam regionem peragraturu, si de soli firmitate dubitaverit, aure admota terræ contatur, an strepitum sentiat exploratura, quem ubi percepit, non esse soli firmitudinem conjectat, sed infirmam & voraginosum locum, ideoque non progreditur: nullo vero audito sonitu, omni semota contatione ire pergit audacter. Videtur autem inde uti ratiocinatione, ut observabat Plutarchus, perinde ac si quod strepit moveri cognoscat, quod movetur infirmum esse, quod vero infirmum, inaccessibile. Tradit idem author, Thracas in paludibus explorandis hujusmodi Vulpium indagine plurimum uti, quas in obsequium assuetas alunt, & ad hujusmodi negotia præmittunt.

## MUNIMENTUM. Cap. XVIII.

QUod si munimentum ab insidiis alibi per Platani folium à Ciconia gestatum, nidoq; illatum suo, & per rutæ ramusculum ad alam Gallinæ summissum, significari diximus, non erit incongruum idem hoc hieroglyphicum per Vulpem, quæ scillam gestet exprimere: illa enim scillam latebris apponit suis, ut à Luporum injuria tuta sit. Nam Lupum convelli ajunt scillæ contactu.

---

## DE FIBRO. Cap. XIX.

*Fiber quid, unde dictus, & ejus species.*

FIbri significata dicturus, id primum ambigi video, numquid is Castor sit, quo de apud Horum mentionem factam invenimus. Nam qui Castoris ingenium, mores & faciem describunt, eadem ipsa pingunt, quæ veteres nostri de fibro retulêre: eumdemque & fibrum & Lytram Varro ponit, fibrosque eos appellari quasi fimbrios dicas, ab extremis fluminum oris, in quibus maximè versantur. Succidunt enim arborum radices per fluviorum margines, ubi cubilia sibi parant. Unde Plautus: *Sic me subas quotidie quasi fiber salicem.* Sunt qui extremas fluminum oras lytras olim dictas autument, & antiquos fibrum pro extremo posuisse. Unde in sagulis fimbriæ, & in jecinore extremum fibra, hinc Fiber dictus. Sunt tamen qui lytram diversam à fibro velint, & fibrum à Castore, Castoremq; à lytra aliud esse animal contendant. Sedenim tres ejusdem generis species observarunt Scythæ, rusticum, nobilem, & regium, quos à villorum mollitie & colore, neq; non magnitudine distinxere, delicatissimum omnino Lutram appellantes. Accolere vero omnes fluviorum ripas, foramina diversa facere, mutare domicilia pridie quam flumen crescat, in convectandis in cavum pomis, miræ esse solertiæ. Horum porro testes Castorea nuncupari: vimque maximam esse iis, qui nascuntur in Ponto, in aliis regionibus non æque pollere.

PETU-

A

## PETULANTIÆ SUPPLICIUM. Cap. XX.

PEr animal hoc Ægyptii Sacerdotes eum, qui pœna sit affectus ob nequitiam, qua fuerit in muliere aliqua petulans, significabant. Proditum enim est, fibrum in venatione deprehensum suos sibi testes abscindere, atque eos projicere, gnarum se eorum præcipuè assequendorum causa peti. Nam & adulteri eadem affici pœna solent, ut deprehensi præfectis testibus dimittantur. Omnibus vero animalibus natura duce ostensum, ut & commoda sua norint, & nocentia contrariaque sciant declinare. Hinc illud epistola Saporis regis ad Constantium Imperatorem, cui suadere conabatur, ut bona Asiatici regni dimissa parte, quieti & incolumitati suæ consuleret, hoc bestias factitare dicens, quæ cum advertant, cur maximo opere capiantur, illud propria sponte amittant, ut vivere deinde possint impavidæ. Amputari tamen hos ab eo animali cum capitur, negat Sestius diligentissimus Medicinæ professor: quinimo parvos esse substrictosque & adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse: adulterari autem renibus ejusdem, qui sunt grandes, cum veri testes exigui ad-
B modum reperiantur, ammoniaci coloris circumdati liquore, veluti mellis cerosi, odoris gravis, gustu amaro & acri, ut sternumenta olfactu moveant. Utcumque verò, sive sponte, sive vi testes auferantur, cum satis constet eos ea præcipuè de causa conquiri, non inepte datus hieroglyphico locus, ut per id animal id supplicii genus ostenderetur, quo mœchorum lascivia puniri consuevit, atque ita male tractari.

*Pœnæ adulteroru.*

## ATRI FESTIQUE DIES. Cap. XXI.

SUnt qui atros festosque dies per fibros ita distinguant, ut cum festum significari velint, anteriora ejus pingant, propterea quod populi plerique, qui nostræ pietatis ritu vivunt, à Ponto & à Se-
C ptemtrione in Pannoniam usque porrecti, anterioribus membris pro carne vescuntur, posterioribus pisces loco: caudam vero ejus animalis, quæ præpinguis prægrandisq; est, salitam plurimum condi-tamq; pro tarico pisculento habent, eaque jejuniorum tempore, quo nobis constitutione Pontificia carnibus interdictum est, mensis inferunt: ejusmodi enim dies pleræque nationes Atros vocant, quibus carne vesci ex lege nostra non licet. Ea vero illi ratione se tuentur, quod posteriores fibri partes aquis semper innatantes, piscem dicant, & esse arbitrentur: quia scilicet animal id tam aquaticum est quam terrestre, cum in extremo riparum semper degat, partem quæ caput, versus tendit, terræ dedicarunt, & carnem esse voluerunt.

*Dierum distinctio per fibros.*

---

## DE TALPA. Cap. XXII.

QUniam vero Talpa nonnihil habet similitudinis cum fibro, quo ipsa quoque in terræ cavis habitat, ut de ea post fibrum dicamus, admonemur.

## CÆCITAS. Cap. XXIII.

D VUlgatissimum est Talpam pro cæcitate poni, vulgatiusque proverbium, τυφλότερος ἀσπάλακος: propterea quod animal perpetuæ cæcitatis tenebris damnatum est, lucemq; ita habeat adversariam, ut simulac ad diurnam claritatem eductum fuerit, emoriatur. Atque hoc illud est quod in Academicis quæstionibus ait Cicero: *Quid Talpam? num desidere lumen putas?* Nihil ea prorsus videt, neque quidem oculos habet, ut veteres tradidere: ut vero observarunt alii, habet utique partes easdem omnes, quibus oculi integri constant, nigricantem quippe illum orbiculum, & quod intra eum continetur, quam pupillam vocant, atque etiam portionis albidæ ambitionem, sed non tam liquido, quam oculi conspecti & eminentes. Nec in partem exteriorem apparere hæc possunt, propter cutis, quæ crassiuscula circum obducta est, corpulentiam: utpote cum natura inter generandum lædatur, atq; ita opus inchoatum relinquatur. Utcumque, apud Hesychium Talpa hujuscemodi cæcitatis ergo hieroglyphicum est & ignorantiæ, cum oculus sua pollens vi, cognitionis & intelli-

intelligentiæ ſignum habeatur. Eucherius hæreticos per Talpam in Divinis lireris accipit: utpote qui, licet aliquid cernere videantur, ipſum liquidæ veritatis lumen minime diſcernunt.

## AUDITUS E LONGINQUO. Cap. XXIV.

NEque vero deſunt, qui auditum ex quantumvis remoto loco per Talpam ſignificari tradant, liquidius ſiquidem audiunt Talpæ obrutæ terra, tam denſo atque ſurdo naturæ elemento. Quin etiam exploratoribus mos eſt, caput in ſcrobem aliquam ſummittere, cum procul adventantes turmas, vel equitatum præſentire voluerint.

## PRÆSAGIUM. Cap. XXV.

*Cor Talparum ad præſagium utile.*

FUerunt & qui per hoc animal præſagium intelligi aſſeverarent. Explorarunt ſiquidem Magi, ut Proclus tradit, cor Talpæ ad præſagium mirifice conferre. Nam, ut Porphyrius etiam atteſtatur, veteres illi divinatores ſimulac Talparum corda deglutiſſent, accipiebant ſubinde præſentem animam Dei ritu vaticinantem: quod ſimilitudinem quandam habet cum auditu illo promptiſſimo: ſiquidem quæ præſagimus minime cernentes, ſentire videmur tamen. Fuiſſe vero Talpam in cultu apud imperitam rerum vetuſtatem didicimus ex Eſaia, ubi dicit: *Simulacra quæ fecerat ſibi, ut adoraret Talpas & Veſpertiliones.* Alii interpretantur, idola ſua abjecturum hominem in foramina

*Cap. 3. v. 20.* Talparum & Veſpertilionum.

---

## DE MUSTELA. Cap. XXVI.

IDem vero vaticinium Muſtelam huc accerſit, quod perſuaſum ſit quandam ejus diſciplinæ vim in ea conſiſtere.

## ARUPSEX. Cap. XXVII.



ARuſpicem enim, vel eum qui quoquomodo futura praediceret, per ejus imaginem ſignificari dixerunt; eaque ob idipſum Thraſybuli ſimulacro, quod in Olympia dicatum erat, adſculpa fuit, ut meminit Pauſanias: illi enim præter diſſectum Canem, qui jecinoribus patefactis adjacebat, Muſtela quoque dexterum humerum obrepebat: ſingula divinationis hieroglyphica.

## INFORTUNIUM. Cap. XXVIII.

PEr eandam pictam infortunium etiam intelligebant: animal inauſpicatum infauſtumque eſſe perhibetur iis, quorum habitet domos: inſidiatur ſiquidem domeſticis animalibus, præſertimque avibus tam altilibus, quam nidum ſub tecto facientibus, easque ad internecionem uſque perſequitur. Occurſus ejus plerisque religioſus habetur. Alii etiam in negotiis obeundis vel nomen ipſum horreſcunt: utpote contrarium efficaciæ.

## VIRAGO. Cap. XXIX.

*Muſtulæ nitule.*

HOrus Ægyptiacus author ait, per animal hoc mulierem virilia facinora pertentantem oſtendi, propterea quod oſſeo ſit genitali prædita. Impedior autem verecundia, ne ſignificatum hoc apertius explicem, quamq; inter ſeſe mulieres turpitudinem, abſque viris exercere nonnumquam deprehenſæ ſint. Id potius ponam, ſingulare ſtranguriæ remedium eſſe genitale id, ſi raſum tritumque detur: ut Ariſtoteles de hiſt. animalium teſtatur. Nam & Strophilus ſcribit, muſtelæ genitale eſſe ſolidum inſtar oſſis, cujus ramenta, ſi in potu dentur, ſingulare remedium ſit urinæ ſtillicidio. Eam à Thebanis coli ſcribit Ælianus, quod Alcmenæ Herculi pariundo laboranti, opem tulerit haud contemnendam.

DE

A

## DE MURE. Cap. XXX.

MUrem aſſociari ſibi depoſcit muſtelæ nomen, cum præſertim in omni familiari ſuppellectile corrumpenda, non minorem mus injuriam & detrimentum afferre ſoleat, quam muſtela.

## DETRIMENTUM. Cap. XXXI.

PRæcipuum enim ejus eſt ſignificatum, ut hieroglyphicum detrimenti ſit atque perditionis: is ſiquidem, ut apud Ciceronem eſt, dies ac noctes aliquid ſemper rodit, ac omnia quæ rodit inquinat & inutilia reddit. Quare in oſtentis quoque, ſi mures aliquid corroſiſſent, pernicioſa portendi ajebant iis, quorum inſtrumentum aut opus eſſet, quod ita corruptum erat veluti ante Marſicum bellum, quod clypeos Lanuvii abroſiſſent, maximum id portentum aruſpices dixerunt, & eorum quæ ſubſecuta ſunt incommodorum indicium. Jam & Carboni Imperatori mures exitium abroſis fa- B ſciis, quibus in calceatu utebatur, portendere. Sed falſe riſit hæc Cato, cum eum quidam conſuleret, quid oſtenti eſſet, quod ſorices noctu caligas abroſiſſent: reſpondit enim is, non eſſe oſtentum ſi ſorices caligas abrodant, ſed ſi caligæ ſorices ipſos abroſiſſent. Sed enim Cicero, quamvis id & ipſe ridere videatur, cum jam Reſpublica titubare cœpiſſet, Platonis politiam corroſam turpiter à muribus apud ſe deprehendit. Et ſi parva licet conferre cum magnis, nos quoq; portenta hæc tetigere. Nam quamprimum Romam applicui, ſedemq; ibi fixi, ne miſerrimas incenſæ, devaſtatæ, ac pene dirutæ patriæ calamitates, fœdiſſimaſq; clades ante oculos in dies mihi atrociores ſpectando fieri ſentirem, mihi accidit ut pulcherrimum Horatii opuſculum, quod in deliciis habebam, mures à liciis, quibus conglutinatus erat, protinus abroderent, omnibuſq; paginis ita diſciſſis inutilem codicem efficerent: mox & Pindarum aggreſſi, eum quoq; ab eadem parte qua plicatus conglutinatuſq; erat, inquinarunt, quod oſtenti loco fuiſſe, eventus poſtea comprobavit, non eſſe tunc Romæ locum Muſis, & amœnioribus his diſciplinis: idque magna & ſtudiorum meorum & diuturni temporis jactura compertum habui, donec viceſimo poſt anno, ex quo huc migraveram, Hippolyti Medicei diſcipuli mei liberalitate atque beneficentia, fui tandem ſublevatus, uſu rerum ad vitæ neceſſitatem, quod ſatis eſſe duxi, ſuffecturo. C

*Portenta ex Murib. aliquid corrodentibus.*

## OPTIO. Cap. XXXII.

EOdem utebantur hieroglyphico Sacerdotes Ægyptii, ſi optionem atque judicium ſignificare voluiſſent. Mus quippe plures diverſoſque panes aut poma nactus, puriſſimum optimumque ex omnibus quo veſcatur, deligit. Quapropter in panificiis emundis, optionem ex hujuſmodi murium indicio facere ſolitum eſt multis. Idem in fructibus aliis, præſertimque melopeponibus, ſumma nepotum curioſitate obſervari videmus: cum eos meliores eſſe conſtet, quos mures cœperint abrodere, Plinius ubi de Ponticis muribus loquitur, mirari videtur, quoniam modo authores intellexerint eorum palatum in guſtu ſagaciſſium eſſe.

*Melopepones meliores, qui.*

## IMBECILLITAS. Cap. XXXIII.

D SUnt qui per murem exanimatum, imbecillitatem intelligi poſſe tradant: is ſiquidem minimo quoque incommodo exanimaſcit: plerumque vero ſponte moritur effluentibus inteſtinis, hinc κῦ μυὸς ἔλεθρον dici ſolet, qua ſimilitudine Menander uſus eſt, ut citat Ælianus lib. 3. cap. 10. cum valetudinarius quiſpiam ipſa fuerit naturæ imbecillitate conſumptus. Muribus enim in univerſum vita breviſſima, unde muſculus apud Horatium alteri ait: *Vive memor quam ſis ævi brevis.* Sunt qui putent ſoricem ea de cauſa dictum, quia σορὸν apud Græcos putridum ſignificet, quod huic qua de loquimur imbecillitati congrueret. Sed enim multo magis placet eorũ ſententia, qui quemadmodum ſuem ἐξ ὑὸς à nobis factum conſtat, ita ἐξ ὕραξ ſoricem deductum aſſeverant. Nicander ſane ὕραχας mures appellavit Æolum linguæ, apud quos ὗς, hoc eſt, ſus, ὕραξ dicitur. Murem vero, quod roſtrum habeat ſuilli perquam ſimile, Suis etiam cognomento dicunt, quod interpres Nicandri

*Serm. lib. 2. Sat. 6.*

observavit. Sus vero forexque tanta concordia naturæ consentiunt, ut quod Magi tradunt, si quis muris jecur in ficu porco vorandum dederit, animal id eum qui dederit, nullo edito grunnitu ultro deinceps adsectetur quoquo ierit, quod ego Patavii factum memini nonnullorum juvenum astu, qui ganeæ potius quam disciplinis dediti erant, non sine totius vicinia querelis, quæ sibi porcos incertis authoribus abduci lamentabatur.

## AMATORIÆ DELICIÆ. Cap. XXXIV.

LOnge vero diversum illud, quod illecebras amatorias, petulcioresque lascivias per album murem significare, non Ægyptiorum modo commentum, verum & Græcorum fuit. Nam de muris salacitate multa sunt à plerisque prodita: sed præcipuè mihi videtur Plautus rem expressisse, ubi Phronisium Dinarcho suadere conatur, ut multivolus sit in re venerea. sic enim ait: *Sed tamen cogitato mus pusillus quam sit sapiens bestia, ætatem qui uni cubili nunquam committit suam, qua si unum obsideatur, aliunde profugium quærit.* Moris vero fuisse muris nomine amatoribus adblandiri, ex Epigrammatarii versu noscitur:

*Auctor Ælianus l. 12. c. 10.*

*Nam cum me murem, cum me tua lumina dicas.*

Ob notissimam verò muris salacitatem, mulierem quandam portentosæ libidinis, qualem nostri Messalinam fuisse memorant, ab Epicrate Myonam, quasi nos Murinam dicamus, appellatam ait Ælianus,

## INTAMINATA MUNDITIA. Cap. XXXV.

*Mus albus quis.*

QUem vero intelligat Ælianus & Philemon per album murem, nemo ex nostris, quod hactenus legerim, explicavit: si tamen ad Plinium & alios probatissimos authores aspexeris, eum esse conjicies, quem Armenium vocamus, villi pelliumque mollitie delicatum, Francisci Petrarchæ versibus pro castitatis hieroglyphico nobilitatum: utpote qui delicatioris cujusdam munditiæ exemplar haudquaquam ignobile esset, cui scilicet spurcitia tantæ sit abominationi, ut limo ante ostium cavi illito, capi potius à venatoribus, quam eo fœdari patiatur: quod cum sanctiores sit amoris proprium, intemeratæ castitatis symbolum, quæ divina tantum flamma succendatur, à peritissimis rerum ponitur.

## ARGIVI Cap. XXXVI.

INvenitur & in numis muris signum: eam vero Argivorum præcipuè monetam fuisse, Plutarchus ait, apud quos fuisset moris, ut numum imagine muris insignitum cuderent,

---

## DE FELE. Cap. XXXVII.

*Plin. lib. 10. c. 73. Varia Felis nomina.*

SI pro Æluro Felem reddidero, satis scio paratos emissarios esse qui medentibus invadant. Sed enim quæ Plinius de Fele refert, dum quærit quo silentio, quamque levibus vestigiis avibus obrepant Feles, quamque occulto speculatu in musculos insiliant: tum ea quæ ab Anniano Poëta memorantur apud Gellium, quæ ab Ægyptiis eo supersunt memoriæ prodita, cujus oculi ad vices Lunæ, aut ampliores fiunt, aut minores domestico huic animali, quod Albertus modo cattum, modo Murilegum appellat, congruere manifestum est. Sunt & qui Musionem vocent: Felem autem alii, quæ vulgo Felina, alii qui Martes appellatur, esse volunt, eoq; & Varronis & Columellæ authoritatem trahunt. Nam quæ illi una cum Nicandro de venatu avium clandestino nocturnoq; tradunt, Martem id facere satis exploratum est. Sed quoniam de harum nomine pleriq; certant, ne temere uni magis quam alteri faveamus Æluri vocabulum interim usurpabimus, de quo in antiquo Festi Pompeji codice hæc adinueni: *Est Ælurus animal Leoni cum procreatur persimile, olim sylvestre: maxime muribus adversatur, salax, oculi cujus acie flammea, ad imitationem Lunæ crescunt & decrescunt. Nam veluti Luna pro solaris luminis participatione faciem quotidie variat, ita Ælurus pari cum Luna conditione afficitur: nunc aucta, nunc imminuta pupilla, prout Lunæ orbis nunc se plenum, nunc dimidiatum, nunc cavum, nunc tuberosum ostentat. Licinius Umbrei in Nerea: Murium stinges Ælurorum oculi, ut minuti Lu-*

na

A *nam ariolantur.* Quibus quidem verbis nescio an explicatius cattus noster domesticus à quopiam describi possit. Sed quoniam de Æluro satis constat, de Latina locutione nondum per hos liquet, quamvis totiens Cicero Felem & Canem inter Ægypti numina socialiter enumeret, dubio procul cattum intelligens. Æluri ipsius, si catti nomen ita abhorrent, significata referamus.

## IMPLORATIO. Cap. XXXVIII.

VEteres cum hominem in manus hostium illapsum, qui miserabiliter auxilium imploret, indicare vellent, Soricem pingebant ab Æluro comprehensum: exauditur enim statim miserabilis ejulatus, & vox veluti auxilium implorantis ubi mus in dentes incidit ejusmodi: unde proverbium: *Sorex Hecaten.* Causam Simnius Capito sic interpretatur: quod is qui in manus hostium incidit, illorum ducem implorat. Est vero Ælurus (ut Verrius ait) sub tutela Hecates. Apud mythologos invenias Jovem ludicro certamine Apollinem cum Hecate tenella adhuc ætate commisisse, *Proverbium & ejus explicatio.*

B argumento proposito, ut ipsi quoque certatim animalia conformarent atque producerent, terræque theatrum implere procurarent: tum Apollinem statim hominem protulisse, adversus quem Hecate Simiam opposuerit à se factam: exceptam risu rem, Apollo Leone terribili producto, interturbavit. At Hecate ludo etiam indignata vinci, Ælurum genuit. Majore hinc Apollo effusus risu Murem in Hecates ludibrium protulit: illa magis indignata cum vi non posset vincere, ad artes conversa, Simiam in Leonem, Ælurum in Murem acriter incitavit. Leo diu à Simia natibus ejus affixa, tota est arena ad furorem usque exagitatus, Mus aufugiens ad Apollinis pedes procubuit, atque ita servatus. Ulturus autem Leonis injuriam Deus vim medicam in Simiæ sanguinem immisit, qua Leo febre correptus sanaretur: atque ita factum, ut Leo semper Simiæ pastum appetierit. Æluri autem genitale semen ita reddidit igneum, ut ejus generis fœmina, de re omni animantium generi voluptuosa, & angi & cruciari ad miserabilem usque vociferationem, compellatur. Alii rem tametsi manifestè fabulosam, ita gestam memorant: Solem & Lunam initio rerum in certamen devenisse, ut terram animalibus replerent, cura ejusmodi illis à summo opifice demandata, statimque Leo-

C nem ea, qua insignis est, specie à Sole conformatum: Lunam vero æmulatione concitam, cum Deos omnes in novæ belluæ admiratione detentos animadvertisset, neque opus id æquaturam se confideret, Ælurum protulisse, animal quippe Leoni perquam simile, sed & armis & specie tanto inferioribus, quanto Luna ipsa Sole deterior est. Oborto interim inter Deos risu, indignatum Solem eam fuisse Lunæ temeritatem, ut secum ausa esset contendere, Murem evestigio procreasse, ut Æluri contentionem eluderet. tum Lunam majoribus ingenii viribus convocatis, quantacumque potuit arte conatuque, quantoque maxime studio proficere potuit Simiam progenuisse: id quoque animal cum ridiculum adeo apparuisset, eluisque omnium cachinnatione Lunæ conatus fuisset, adeo id indignè Luna tulit, ut sempiternas inter Simiam & Leonem, neque non inter Ælurum & murem, commiserit inimicitias. *Altera proverbii declaratio.*

## LUNA. Cap. XXXIX.

D APud Ægyptios sane Æluri, præcipuum hieroglyphicum erat, ut ex ejus imagine Luna intelligeretur, in cujus cultum magna Ælurum veneratione prosequebantur. Satisque constat eum qui animal ejusmodi vel incuria occidisset, populari tumultu variis suppliciis male tractari, & ene- *Æluri venatio apud Ægyptios quanta.*
cari solitum: cujusmodi superstitionis exempla in Romanum civem edita sunt Ptolemæi illius tempore, qui à Romanis in societatem & amicitiam receptus est. Porro nullum apud Ægyptios Isidè numen majus, neque venerabilius fuit. Isis vero, quamvis & Astrocyona è cœlestibus signis addictum habeat, in primis tamen accipitur pro Luna. Quicquid vero cum Luna consensum aliquem haberet, id apud eos honori habebatur. Ex quo vero Soli Luna maximè dicitur adversa, Æluros lunare animal, sympathiæ vi animalia Soli notabiliter subjecta, genuino quodam odio prosequitur: utpote Soricem, qui totus est Solis, adeo ut etiam, uti dictum est superius, illi Smynthei cognomentum indiderit.

## ORTUS ET OBITUS RERUM. Cap. XL.

QUid vero sibi vellet Æluros ille in summo Sistri apice, sub quo forma illa orbicularis, cui quatuor veluti tintinnabula mobilia æquis inter se intervallis applicata erant, ex Plutarcho declaratum est: significabat enim hæc species omnia, quæ generationi corruptionique obnoxia sunt, lunari globo subjici, infra quam omnia moventur & alternant, quippe quæ sint ex quatuor illis principiis, quæ Elementa placuit appellari, conflata, igne quippe, terra, aqua & aëre. Cur verò animal hoc Lunæ simulacrum excogitassent, ea affertur causa: quod tum varium est colore & astu, tum noctu magis quam interdiu exercitio deditum. Est præterea fœcundæ admodum salacitatis, temperaturæque cum Luna perquam simile. Nam unum primo parere fertur, inde duos, inde tres, inde quatuor, atque ita vicissim ad septimum usque pervenire, ibiq; sistere, ita ut toto vitæ cursu octo & viginti natos edat, quot itidem luces in Luna dinumerantur in Zodiaci transcursu peragendo. Adhæc ejus facies à septimo quoque die, in aliam speciem abit. Verum quæ de animali traduntur, fabulosa forsan aliquando deprehendi possunt: illud minimè confictum quod de pupillis ejus fertur, quæ non tantum ad Solis cursum quotidie commutentur, verum etiam ab incremento decrementoque lunaris globi quotidie varient, quod tum in aliis, tum in iis, quos Syrianos vocamus, liquido appareat. Nam qui Ælurum describunt, & variis eum maculis insignem memorant, eam sibi speciem videntur proposuisse.

*Æluri & Lunæ sympathia.*

## MULIEBRIS SALACITAS. Cap. XLI.

QUod vero salacissimam fœminam per Aeluri fœminæ simulacrum nonnulli significari dixerint, non ea tantum causa fuit, quod plurimum Lunæ fœcunditatem, quæ humoris ab ea manantis beneficio tota terra mariq; luxuriat, admirarentur, quam etiam quod ipsius animalis ingenium ita affectum animadverterent: fœminæ enim in eo genere natura admodum libidinosæ sunt & salaces, tametsi initium vix pati possunt: in quo, propter ignitam genituræ vim plurimum, ut dictum est, cruciantur, mares tamen ad coitum ipsæ frequenter alliciunt, invitant, cogunt, puniunt etiam, nisi pareant. Unde vulgo nunc homines, qui operam nequitiæ dant incontinentius, & pudore prostituto lasciviunt, *Cattorum commercia frequentare* dictitamus.

## DISSIMULATOR TURPITUDINIS. Cap. XLII.

VItiorum dissimulatorem per micturientem Simiam suo loco significari diximus, quoniam ita in Hori codicibus impressis inveneramus: postea vero quam & manuscriptos codices & antiquos nacti sumus, non πίθηκον eo loco, sed αἴλουρον invenimus, quod quidem vero propius visum est, cum eo omnes ingenio Catti sint, ut quanto possunt studio ventris excrementa, vel attracto, si copia fit, pulvere sepeliant, vel alia re quapiam omnino occulant. Ægyptii sane cum in propatulo ac viis ipsis cibum caperent, Cattorum tamen exemplo ventrem domi exonerare, atque id quidem clanculum, assuerant. Munditiem hanc Hebræi quoq; jubentur observare, ut Deut. 23. *Locum habebis extra castra ad quem egredieris ad requisita naturæ, gerens paxillum in Baltheo, cumq; sederis, fodies per circuitum, & gesta humo cooperies quo relevatus es.* Qui mos & apud Persas tantæ fuit religionis, ut qui alio quopiam inspiciente non modo quicquam non evomerent, sed ne lotium quidem emitterent: quiq; palam id facere aggressus esset, facinorosa notabatur ignominia. Quid vero quod ad hanc usq; diem ajunt Alexandriæ urbe Ægypti, totius orbis emporio frequentissimo celebrata, indigenas expuentem quempiam non aliter abhorrere, quam apud nos ludibrio & reprehensioni sit obnoxius, qui palam ventris crepitum emiserit?

## AUGUSTEI. Cap. XLIII.

*Signa militaria Cattorum.*

ET quoniam nostra omnis dictio ad sculpturas, picturasque & gestamina contendit, minimè dissimulanda sunt legionum atque ordinum insignia, quæ se pro re obtulerint: nam plerique hominum, cum in hujusmodi signa picturasve incidunt, quid ea sibi velint, anxie admodum percontari solent.

A solent. Ab Ægyptiis enim ea primordia sumpserunt, vel haudquaquam dissimilia sunt ab eorum inventis. Cattus igitur in hujusmodi gestaminibus insigne fuit, ut vetustæ indicant inscriptione, ejus ordinis qui Augustei vocabantur: hi sub magistro peditum stipendia faciebant. Erat vero Cattus is prasini coloris in alma parma, quam ruber circulus ambibat, late marginem circumplexus, gestus eius ut currentis, reflexo in dorsum capite.

### FELICES SENIORES. Cap. XLIV.

ALibi dimidius Cattus rubri coloris in parma puniceo dilutiore spectabatur, qui à margine rubro surrectus, pedibus ad lusum compositis, adblandiri videbatur. Insigne hoc erat, quantum ex vetustis ipsius reliquiis colligere potuimus, FELICIUM SENIORUM, qui sub eodem magistro peditum militabant.

### ALPINI. Cap. XLV

SUb eodem Duce signum etiam militare fuit, in quo Cattus coloris punicei diluti, recta facie progrediens, habebatur in parma viridi, cujus marginem albus circulus ambibat. Gestamen hoc erat B militum, qui Alpini vocabantur.

Sed jam, Jo. Antoni charissime, nolim otium tuum curiositate aliqua mea interturbare, dum morosa & levi forsan dictione studiorum tuorum cursum intercipio. Hæc igitur pro qualicunque munusculo ita ex improviso comparato, satis fuerint: de reliquis, si argumentum minime displicuerit, alias plura coram coferemus.

---

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XIV.

C

## DE IIS QUÆ PER SERPENTEM IN GENERE SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD CLARISS. CARD. BERNARDINUM MAFFÆUM.

*IUcundissima illa amicitiæ suavitas tua, meusque erga te cultus, & pervetus admodum observantia, quæ Romæ primum, vel à primis laudatissimæ adolescentiæ tuæ annis instituta, mox Patavii, quo ad ingenii cultum capessendum concesseras, clarissimarum virtutum tuarum ingeniig, sanctissimi cognitione aucta est: & tuo in omnibus rebus meis patrocinio confirmata, efficiunt, ut nullo unquam tempore, neque longissimo quantumvis loco remotus, immemor tui esse possim. Quare, licet aliquot abhinc annis te non viderim, nunc que maxime longe absis, & in Cardinalatus splendorem* D *assumptus, necesse est te magnis omnino negotiis & occupationibus detineri: tam mihi tamen oculis inhæresci, ac si te coram continuo conspicerem. Hinc factum est, ut cum domi aliquantulum otii nactus lucubrationes illas, quas tantopere videre concupiscis, recognoscerem, easque in libellos unamquamque suos dirigerem, earum partem ad te mittere cogitarim. Id opportune necne fecerim, non sat scio, at certe amanter & ex officio à me factum hoc certo scio: ut scilicet haberes istic, in ista qua fulges amplitudine, si tibi tantulum horæ vel à publicis curis, vel à tuis sanctioribus studiis vacuum relinqueretur, quod cum Pierio tuo loquerere, qui te semper unice sancteque coluit ac observavit. Neque tamen tanquam summæ eruditionis tuæ nescius, arbitratus sum novi me quicquam allaturum tibi: verum quia nullum unquam abs te sermonem uberiorem, dum una fuimus haurire me solitum meminerim, quam de literis & disciplinis, id dedi operam, ut de literis & disciplinis noster hic per libellum, quem ad te misi, congressus*

*greſſus eſſet. Erit vero ſermo de iis, quæ per Serpentis imaginem apud veteres ſignificabantur, quibus & Ægyptii ſacerdotes, & plerique alii, pro literis uſi ſunt: quæ quamvis forte haud incognita ſint tibi, decies tamen repetita placere ſemper poterunt, quæ de doctrina ſemel placuere: quare te ad rem recognoſcendam, ubi per otium licuerit, ſpero non invito animo acceſſurum.*

## CAP. I.

ANguis, atque adeo reptilium aliquot ſignificata dicturus, cum pro varia eorum pictura, diverſisq; ſpeciebus, varia identidem ſignificata ſint, curæ pretium eſſe exiſtimavi genus ejusmodi prius tractare, cujus effigies excogitata eſt auſpicacior, auguſtiorque, magno apud veteres in cultu habita, cærulea quippe facie, colore nitido, ſquamis pellucentibus, capite minime formidoloſo: à quo noſtræ erit dictionis initium. Cum his Baſiliſcum enumerant, tametſi ejus animalis violentiam mortales reliqui longe aliter interpretantur. Poſt Baſiliſcum Aſpis eſt, ac mox Vipera à quibus Ægyptii multa hieroglyphicōn argumenta deſumpſere, & divinæ noſtrorum literæ horum ſæpe mentionem faciunt. Sed Dana illi ſuum religioſe præferunt, qui opem omnibus præſentaneam polliceatur: quare quænam ſint ea, quæ hinc ſignificentur, dicere jam incipiamus.

## MUNDI MACHINA. CAP. II.

*Serpens caudam depaſcens quid.*

MUndum univerſum Ægyptii ſacerdotes deſcribere volentes, Anguem qui caudam propriam depaſceretur, eumque variis inſignem maculis pingebant, de quo Claudianus:

*Perpetuumque virens ſquamis, caudamque reducto*
*Ore vorans, tacito relegens exordia lapſu.*

Quod dubio procul ſignificat omnia quæ divina providentia in mundo generantur, ab eodem cum ſolvi cœperint, ſive paulatim imminui atque deficere, in ſeſe recipi, fierique illud propemodum, quod apud quosdam Æthopiæ populos aſſiduo eſt in uſu: qui cum nullo alio nutriantur cibo quam piſcium, humana deinceps cadavera piſcibus objectant, victum quem ab eis acceperant ex ſeipſis rependentes. Hæc vero cauda ab ſuo animali corroſa, receptæ authoritatis aſſumptum illud ſignificat, quod uno omnium conſenſu fertur, decrementum uniuscujuſpiam rei, alterius incrementum eſſe. Ajunt vero Phœnicum hoc fuiſſe hieroglyphicum, per Draconem in orbem redactum, caudamque ſuam devorantem, id exprimere, ut appareat mundum ex ſeipſo ali, & in ſe revolvi. Nam cum æterna ſint elementa, neque corruptione, neque variatione per ſe ulla immutentur, corruptioni tamen ac variationi ſubjecta videntur, ea parte qua ſpecierum informationi admiſcentur, vi tamen ipſa incolumi permanente: quippe veluti ex literis nihil ſeparatim ſignificantibus apud Calchographos, ſive impreſſores librarios dicere malimus, nomina componuntur, quæ aliquid copulata ſignificant, mox utilitate ipſa, impreſio notatoq; libro, quantum uſui venerit, recepta nomina ipſa, dictionesq; omnes corrumpuntur, ſolutæ literæ incolumitati priſtinæ, genericq; ſuo reſtituuntur, & in alterius formæ uſum aſſervantur, ita corpora, quæ Græci *συγχεχυμένα*, juniores Philoſophi confuſa, hoc eſt, in unum conflata dicunt, cum advenerit exitus, diminuiq; cœperint, ſigillatim in eadem ipſa reſolvuntur elementa, aliarum itidem ſpecierum compoſitioni obnoxia, ac ſemper expoſita: quod ex noſtris optime Pacuvius intellexit, ad hoc luculentiſſimis illis verſibus alludens:

*Quicquid eſt hoc, omnia format, alit,* *Omniumq; idem eſt pater, indidemq; eadem*
*Auget, creat, ſepelit, recipitq; in ſeſe omnia,* *Quæ erunt de integro, atque eōdem occidunt.*

Eodem reſpexit Lucretius, cum dixit:

*Denique jam ruere hoc circum ſuperaq; quod omne* *Totum nativum mortali corpore conſtat:*
*Continet amplexu terrai procreat ex ſe* *Nam quodcunq; alias ex ſe res auget alitque,*
*Omnia, quod quidā memorant, recipitq; perempta,* *Diminui debet, recreari cum recipit res.*

Sed ne multa adeo congererent Ægyptii ſacerdotes, neve longis diſcere volentes ambagibus implicarent, cum omnem illi naturæ obſcuritatem manifeſte adeo ſibi cognitam profiterentur, & quaſi per manus proditam hæreditariam diſciplinam poſſiderent, uno contenti hieroglyphico mundi conditionem omnem expreſſam eſſe voluerunt. Serpens igitur caudam depaſcitur ſuam, ut generum

A nerum immortalitatem, qua rerum naturam Deus insignivit, ostentet: ut principium ad finem directum esse finemq; ad principium reflecti doceat. Nam, ut hoc apertius explicetur, ex plantis fructus, veluti ex principio finis, ex fructibus vero semen, in quo planta ipsa delitescit, atque ita principium ex fine. Sic nihil deniq; vivum intra mundum perit: sed eorum quæ nobis interire videntur, solæ mutantur species: de quibus Virgilius, nec morti esse locum dixit. Idem per atomos suos Democritus intellexit: quamvis vocabulum nonnulli contendunt improprie esse dictum, individua tamen corpora ea esse voluit, quæ disjuncta cum fuerint, neq; legantur, neq; internecionem recipiant, nec sectionibus dividantur, sed omne per ævum infinitam in se retineant soliditatem. Hoc illud idem figmentum est, quod Saturnum, quem pro tempore figurant, ajunt filios devorare solitum, Jovem vero interceptum, lapide supposito, quem Saturnus deglutierit. Terrestria porro huic varietati commutationique rerum plurimum obnoxia esse, per hujusmodi figmentum indicabant: animam vero, quæ per Jovem, ut Plotinus interpretatur, fingitur, immortalem esse. Sane Hesiodus, posteaquam prolem à Saturno & Rhea susceptam enumeravit, illud statim adjecit:

*Quid per atomos Democritus.*

B Καὶ τοὺς μὲν κατέπινε κρόνος μέγας, ὅστις ἕκαστος
Νηδύος ἐξ ἱερῆς μητρὸς πρὸς γοῦναθ' ἵκοιτο.

*Atque hos deglutit Saturnus, ut ille vel ille*
*Divino ex utero genua ad materna veniret.*

Quod ita accipiuntur interpretes. Nascuntur è terra rerum species, & in terram mox recidunt: nam Rhea deflexus est, & corruptio mundi. Quæcumq; igitur tempus protulit, eadem tempus absumit: unde sacris quibusdam apud nos dicitur, pulverem esse hominem, & mox in pulverem reversum.

Non omittenda vero sunt quæ de figura anguis, Mundum ipsum mira similitudine referentis, veteres Philosophi quasi ludentes conscripsere, ipsam rerum speciem universam non temere oculis omnium subjicientes. Siquidem pro corpore quod habet, gravissimum est animal, perinde ac terra, quæ ponderibus librata suis ob gravitatem insitam, in centrum undecunq; recidit. Præterea vero toto distentus humi corpore, per terram repit, unde etiam genus id nomen accipit, modo Serpens, modo reptile nuncupatum. Sed quoniam hujusmodi terræ hieroglyphicum loco suo copiosius tractabitur, ne nunc stylo universi speciem percurrenti moram aliquam interponam, omittetur. Est præterea lubricissimum, quemadmodum aqua, atq; inter serpendum pandos ac repandos undarum

*Serpentis & Mundi sympathia, ac consensus.*

C flexus imitatur: & apud fabularum scriptores Draco Euripus erat, qui Hesperidum hortis in insula positis tutelaris effingebatur, & amnes quosdam spiras circum terrarum orbem replicare instar anguium Socrates ait, Phædone. Quin etiam Hesiodus Echidnam ait dimidia sui parte Nympham, dimidio altero immanem Anguem, pro qua interpretes vapores accipiunt exhalantes à mari, neq; non omnem humoris vim. Nympha vero est ob id, quod subministrat nutrimentum. Serpens, propterea quod flumina tortuosis ambagibus feruntur, perinde ac Serpentium, uti dicebamus, corpora sinuosis plurimum flexibus obrepunt. Sed quod facit ad Nympham, quæ loci omnino genius est, occulta quippe vis illa, quæ graminibus & plantis vitam fovet, actumque subministrat, ignarus non sum, quosdam alios Draconem hortorum custodem pro radicibus arborum accepisse, quod tortusæ sint uti Serpentes, & in terram adactæ, perinde ac Anguium genus in terræ visceribus plurimum delitescit: ita vero Draconis speciem hanc pomis operam præstare ut asserventur: radicibus enim aut cæsis, aut exsiccatis, poma etiam auferri necesse est. Aerium vero spiritum de quo latius in Basilisci significationibus dicetur inferius, per sibila, quæ vel ad audientium horrorem nonnulli eorum ex-

D citare solent, intelligimus. Squamæ vero, stellarum mundum ambientium varietatem, quiq; ignes in supremo micant orbe, hieroglyphice significant: nam & hinnuleæ pellis varietatem, quam Pan gestare fertur, stellas ex maculis imitari, ait Probus. Eamdem Libero patri attributam, idem significare tradit Eusebius libro de præpar. Evang. 1. ubi Osirim, Sirium, Liberum, Solem, & Phaneta, ex Homeri, Emolphi & Orphei versibus eumdem esse disserit, de quo loco suo plura erunt inferius repetenda. Est & alia super hoc consideratio: quod anguis hyberno situ membrana corpori, præcipue autem oculis, obducta obcæcatur, verno vero tempore fœniculum pastus (id Græce μάραθρον est) ejusque succo oculos inungens, impedimentum illud exuit & acutissimo quo pollet visui restituitur, senectutemque ita singulis deponit annis, nudusq; propemodum vernat, & glabro corpore juvenis, ut Maro ait,

*Æneid. lib. 2. ab Homero Iliad. 3.*

*Lubrica*

*Lubrica sublato convoluit pectore terga.*

Leberida vero, membranam scilicet quam deponit, ita exuit, ut à capite orsus ad caudam replicet, interiore parte in exteriorem exteriore in interiorē versa, cute intus altera subnascente. At mundus quoque (de inferiori hoc mundo loquimur) hyemali tempore pruinoso, quodam non modo obcæcatus, sed undecunq; obductus situ, annuo peracto spatio, Zephyris flare incipientibus, squalorem abjicit, quæq; rerum semina intus fuerant superioris defectu caloris obtrusa occultaque, extra aperiuntur excludunturque, ac senectute deposita, per vices iterum juvenescunt. Quinetiam quæcunque de Aguis renovatione traduntur, cum hac ipsa mundi nostri renovatione consensum habent: ferunt enim Colubrum cum exuere incipit, ab oculis primum detrahi, ita ut cæcari videatur, tum caput exuitur, glabrumq; hoc omnino ante quam reliquum corpus, apparet. Arbores quoque oculos primum exerunt, gemas alii vocant, germen alii: sed oculatio inde, insitionis genus, mox exsinuant flores, paulatimq; fructum fœtus aperiunt. Neque Vere tantum exuit Anguis, verum etiam Autumno, pro locorum temporumq; conditione: æstate etiam, Aristotele hoc asserente: licet id abneget Plinius. Antiqui mundum etiam non vere tantum hæc facere, sed Æstate Autumnoq; omni, tot species, tantosq; ortus, variosq; novatus aperire, pro regionum situ ac rerum natura conspicimus.

## JUVENTUTI REDDITUS. Cap. III.

*Fabula super hominum renovatione.*

Sunt vero qui per Anguem & Leberida hieroglyphicōs hominem ostendant juventuti redditum, si vel de morbo aut alia aliqua lue aut calamitate squalorem atq; maciem depositurit, sitque demum habitior atq; validior factus. Libet vero fabellam super hujusmodi renovatione, ex Nicandro & ejus interpretibus recitare. Mortales enim ajunt impetrasse olim à Diis multis precibus ut perpetuo juventutis munere donarentur, atq; ita nunquam in posterum senio contabescerent, sed quamdiu unicuiq; vivere permissum esset, integris viribus & florenti semper ætate, vegeti perseverarent. Hanc igitur simulac benignitate Jovis accepissent, imperitos adeo rerum fuisse, ut eam Asino vectandam commendarint, hunc vero siti confectum ad fontem quendam pervenisse, in quo Serpens loci custos stativam habebat custodiam: cumq; inde bibere tentasset, à Serpente prohibitum, neque alia conditione bibendi facultatem illi factam, quam ut id omne quod vehebat onus, Angui mercedis nomine concessisset: ex eo inde tempore omnes Angues senectute singulis annis abjecta juvenescere, homines vero senio confectos emarcescere, ac stoliditatis pœnas luere, quod juventutem tanto expetitam studio negligenter custodissent. Hinc illa Tibulli querimonia:

*Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,*
*Cur non angusta conditione sumus?*

Sed quoniam in fabularum figmentis varii admodum Græci sunt easq; unusquisque suo ex commodo, &, ut adibuerit comminiscitur, ferunt alii Promethea cum cœlestem ignem furatus esset, eumq; mortalibus communicasset, nullam illos accepti muneris gratiam Prometheo retulisse: quod cum Jupiter approbasset, pharmacum hominibus, quo senectutem amolirentur, elargitus est, quod donum Asino vectandum illi destinarint, atq; illa mox subsecuta de Asini imprudentia, de Sepentis astutia, de commutatione, quæ superius enarrata sunt. Meminit hujus fabulæ Sophocles, κωφεῖς. Quoniam vero Asinus ille & sitim eo contulerat, factum est, ut ex pacto Serpens eam quoq; sibi vendicaret, hinc supra modum illos siticulositate plerique eorum pertentare solent quos momorderint: de quo tamen plura suo loco dicuntur, ubi Dipsadis significata recensemus.

## TEMPUS. Cap. IV.

*Quomodo serpens tempus signet ac immortalitatem.*

Erat autem aliud hieroglyphicum Serpentis, caudam suam sub guttur attractam occultantis: eaque species in Saturni dextera manu statuebatur, quem pro annuo circuitu, pro tempore, pro æternitate, pro immortalitate poni ex multorum scriptis accepimus. De anno apertissime Maro:

*Georg. lib. 2.* *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

Quod vero Serpentis temporis signum esset, causam Cyrillus hanc subjicit, quod in longitudinem porrigitur, & multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorumq; series, taciteque profertur, nullo edito strepitu, unde Poeta non incelebris dixit,

*Ovid lib. 10 etam.* *Labitur occulte, fallitque volubilis ætas*

Verum

A Verum ea quoq; causa esse potest suppressæ caudæ, quod tempus aut à præterito, aut à præsenti, aut à futuro consideratur, quæ omnia incerta nobis omnino sunt: præteritum siquidem intueri minime possumus, & cum principio caret, neque mente quidem concipitur, futurum longe minus, quia nondum est, & finis ejus prorsus incognita, qua de Horatius tertio Carminum, od. 29.

*Prudens futuri temporis exitum*
*Caliginosa nocte premit Deus.*

Præsens vero cum sit instabile, velocissimeq; transcurrat, vix percipi potest: veluti, si digitum in defluentem aquam intingamus, discernere non possumus, utrum in præterita, an in futura, an in præsenti: quia præterita jam elapsa, futura nondum adhæsit, præsens puncto ipso statim elabitur: quæ cum omnia cognitioni nostræ subducantur, Ægyptii forsitan pro hieroglyphico hujusmodi caudam ita reduci occultarique voluerunt.

## CALAMITAS. Cap. V.

B HAbet & vocabulum ipsum temporis, hieroglyphicam omnino significationem, ut hoc obiter attingamus, & à pernicioſa Saturni vi non admodum alienam. Nam Poetæ *tempus edax rerum* esse dicunt. Neque Latini tantum, verum etiam Syri & Hebræi dictionem Tempus, pro calamitoso rerum statu ponere consueverunt. Nam, *Et erit tempus eorum in seculum*, 81. Psalmo legis, & hujusmodi passim multa. Quod vero hic *in seculum* legitur, interpretes de calamitatibus dictum volunt, quæ post neglectum Christum perpetuo erant Judæos oppressuræ.

## MUNDI MOLES. Cap. VI.

SUnt qui aliam etiam picturam simulacrumve mundi fuisse dicant, ut scilicet intra circulum æreum Serpentis effigiem accipitrino capite insignem circumduceret, ad ☉ propemodum literæ similitudinem: ære quippe ignem referente, circulo magnitudinem & formam orbis indicante, Serpente, bonum dæmonem, cujus merito ac beneficio omnia alantur, vigeant, ac perennent. Sed non elementarem hunc orbem tantum ex hieroglyphico hujusmodi colligimus, verum etiam & cœlum ipsum, quod sub Jani figmento fabularum involucris occultatur. Janum enim ab eundo dictum peritiores asserunt. Mundus itaque initium ex se faciens, cum in se revertatur, figuræ ipsius, quæ posi- *Macrob. lib. 1. c. 18.*
C ta est, rationem ostendere videtur. *Elementaris orbis figura.*

## ANNUS. Cap. VII.

CÆterum, quia Janus ubique anni dominus decantatur, quem à circuitu vocatum dicebamus, eundemq; ac Apollinem intelligunt, veluti Dianam olim appellatam affirmant, quos utriusque anni arbitros esse testatur antiquitas, præcipue vero Virgilius cum dicit,

*—— Vos ô clarissima mundi* *Georg. lib. 1.*
*Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,*
*Liber & alma Ceres.*

Nam & Lucretius serpere Solem dixit, ut annum instruat: *Macrob. lib. 1. c. 18.*
*Annua Sol in quo contundit tempora Serpens.*

Quod vero Maro Liberum & Cererem huc inculcarit, doctissime factum: utpote qui apud Orpheum legerat,

Ἥλιον ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσι.

D & apud Euripidem & Aristotelem eundem Solem & Bacchum esse de quo nos apertius alibi. Dionysium eundem & Bacchum, & Liberum & Solem, aut igneam Solis vim, non ex Orpheo tantum, sed & Euripide, Aristotele & Eusebio Macrobioq; citatis indicavimus: ubi apud eundem Virgilium ex antiquis codicibus legendum ostendimus, *Qui ducitis annum*, scilicet Liber & alma Ceres: licet, *quæ lumina*, idem sit.

## ÆOLUS Cap. VIII.

IPsa autem macularum varietas, & anni significatum in Serpente detectum, id in memoriam adduxit, quod Æolum ejusdem varietatis gratia vetustas tempestatibus præpositum effinxit, per quem annum ipsum intelligebant: eaque de causa Hippotæ filium dixere, quod celeri cursu tempus elabatur Equis enim hoc à natura tributum, ut nascantur ad cursum, quod loco suo disputatum est.

Habere vero Æolum filios XII. ait Homerus, mares sex, fœminas totidem. Menses ii sunt, ait Phurnutus, quorum qui fœcundi fruges omnium usui reponunt, fœminæ dicantur: qui vero steriles sunt, mares habeantur. Apud alios longe secus invenio, ex religione quippe veterum menses singulos ita Diis singulis adscriptos, ut Januario Juno præficiatur, Februario Neptunus, Martio Minerva, Aprili Venus, Majo Apollo, Junio Mercurius, Julio Jupiter, Augusto Ceres, Septembri Vulcanus, Octobri Mars, Novembri Diana, Vesta Decembri. Apud celeberrimum Cardinalem Hippolytum Medicem cippum Romæ vidi marmoreum, obrotundum, in quo duodecim hæc numina pulcherrimo opere circumsculpta sunt: qui quidem cippus indicans Augusti octaviani mensam illam, qua de *Sueton. in Augusto, cap. 70.* Suetonius mentionem facit, consuesse eum & sodales amiciores ad duodenarium usque numerum deorum habitu cœnitare, & δυοδεκαθεῶν convivium celebrare: ad ejus certe rei argumentum mirifice confirmatus est. Nam & figura, quæ pro Apolline sculpta est, Augusti ipsius faciem totam refert & exscribit, quod & in plerisq; aliis ejus Dei statuis factum observavimus. Sed nos ad Anguem nostrum revertamur, quo super animadverti plerosque figuram ejus in orbem circumducti, & caudam nunc occultantis, nunc admordentis, nunc depascentis, confundere, quod ita distinguendum est. Quæcunque de mundi anniq; varietate reciprocationeque dicta sunt, ea per caudæ morsum intelliguntur. Sedenim, cum æternitatem, sive, ut nonnulli malunt, ævum seculumve significabant, Serpentem pingebant cauda tantum sub corpus, ita ut delitesceret, reducta: sic enim circuitus ille perpetuus intelligebatur.

## BASILISCUS. Cap. IX.

*Basiliscî descriptio.* ANguis autem hujus species ea erat, quem Uraeon Ægyptii, Basilicum Græci vocant. Animalid duodecim non amplius digitorum magnitudine, ut authores nostri prodidere, candida in capite macula, & quodam diademate, unde regium illi nomen, insigni: sive Basiliscus ea de causa dictus fuerit, quod ejus aspectum reliqua Serpentium genera vereantur. Hic sane flexu haudquaquam multiplici corpus impellit quod reliquæ faciunt Serpentes, sed celsus & erectus à medio incedit: quæ omnia cum Nicandri versibus his optime quadrant,

*Hæc à Plin. lib. 8. c. 21.*

Τεκμαίρει δ' ὀλύγον μὲν, ἀπὸ πρεφερέστατον ἄλλων
Ἑρπυζῶν βασιλῆα, τὸ μὲν δέμας ὀξυκάρηνον,
Ξανθὸς ἐπὶ τρία δῶρα φέρων μήκωνά τε, καὶ ἰὸν
Οὐκ ἄρα δὴ κείνῳ ἀπαρχθέα κνώδαλα γαίης
Ἰυγλῶ μιμῆσιν ὅτ' ἐς νομὸν ἠὲ καὶ ὕλλω.



Surrectum vero pectus in animali hujusmodi, in obeliscis & aliis Ægyptiorum monumentis animadvertas: præcipue vero in numo quodam qui Fabatio cusus est, in cujus altera facie caput est cum spolio capræ, ab occipitio vasculum in modii formulam; quale etiam in Antonini August. & aliorum quorundam numis cernere est: nusquam vero frequentius, quam in Ægyptiaca Bembi tabula ex ære, ubi Basiliscî hujus forma sæpe conspicitur, capite alias accipitrino, alias humano, alias, ut hic figuravimus. Quod vero Albertus de ovo Galli gallinacei fimo obtruto tradit, quodq; inde Basiliscus enascatur, sitque figura ejus omnino Gallo similis, cauda tamen serpentina, fabulosum indicant peritiores.

## ÆTERNITAS. Cap. X.

*Sibulus Basiliscî.* SEdenim cur Ægyptii per hoc potius colubri genus, quam per aliud quodquam seculum, æternitatemve significarent, causa erat, quod inter serpentium genera hoc unum interfici vi non potest, si Horo Niliaco hieroglyphicῶn nonnullorum authori fides adhibenda est: quinimo tanta huic univis est, ut animalia reliqua solo sibilo fuget, quo audito ferunt omnes avium cantus coerceri, fruticesq; & herbas non ullo morsu, sed olfactu aspectuve solo enecari. Archelaus tradit, ut apud Ælianum

A num habetur, veterinum olim jumentum in Africæ solitudine quadam defeciſſe, ad cujus cadaver Serpentes plurimæ ventitarint, ut ejus viſcera depaſcerentur, interim Baſiliſci audito ſibilo omnes profugiſſe, aut in ſabulum ſeſe abdidiſſe: progreſſum vero Baſiliſcum, per otium ſine cujusquam tumultu quantum apetierat eſitaſſe, cumq; ſatur jam abiret, iterum edidiſſe ſibilum, quod indicium fecerat ſerpentibus aliis ad eſcam tutum patere reditum, atque ita eas oblatam prædam repetiiſſe.

## CALUMNIIS AFFLICTUS. Cap. XI.

HÆc igitur Baſiliſci vis, quæ ſine morſu pernicioſa ſit, argumentum hieglyphici dedit Ægyptiis ſacerdotibus, ut ſi hominem à calumniatoribus male acceptum, & mortiferis delationibus affictatum ſignificare vellent, Baſiliſcum apponerent: non enim alia ratione calumniatores homines conficiunt, quam faciat Baſiliſcus: clam ſi quidem illi Principum auribus inſuſurrant, nullo palam morſu infixo, quo diluendi anſa præripiatur, atque ita pleriq; falſo delati, extrema quæque pertulere. Sed ne talem ac tantam Baſiliſco vim ineſſe quiſpiam admiretur, Thebiorum natio peſtifera adeo
B fuit, ut vel ſolus oris eorum halitus exceptus, interimendi vim habuerit, illorumq; præſentia non animalibus tantum, verum etiam ſatis noxiam fuiſſe: de quibus hæc & alia ſecundo Sympoſiorum Didymus.

## OCULI DIVUM. Cap. XII.



*Baſiliſci oculi clauſi & aperti. quid.*

INea tamen religione Baſiliſcus habitus apud Ægyptios, ut ex auro dedicaretur. Caput autem illi accipitrinum faciebant, oculosq; eo artificio concinnabant, ut & claudi & aperiri poſſent. Hunc ſimulatque oculis adapertis proferebant, univerſa Ægyptus lætitia atq; hilaritate perfundebatur: perinde ac ſi deorum oculi eos aſpicerent, opemque præſentem omnibus pollicerentur: in luce igitur & in propatulo omnes eſſe, riſui & jocis atque conviviis
C dare operam. Quod ſi clauſis eum oculis extuliſſent, ibi tum omnia mœrore luctuq; confundi, averſos & iratos eſſe Deos exiſtimari, abdere ſe omnes in tenebras, & obſcura penetralia, miſerabiliſque deploratione per ſe quemque niti, ut Deorum indignationem quacumque poſſent ratione mitigarent. Non fuit horum ignarus Philon: & Epies quidam divinorum interpres apud Ægyptios nominatiſſimus, rem memoriæ prodidit. Figura autem hæc ita habetur in Bembæa tabula. Ut vero hæc magis innoteſcant, Jovem Ægyptij, autore Plutarcho, ſpiritum eſſe dicunt, ſpiritus nulli animalium vehementior, quam Baſiliſco: ideoque nulli magis divinitatis ſymbolum quadrat.

## SPIRITUS. Cap. XIII.

D POrro Anguis apud eos hieroglyphicum eſt ſpiritus illius, qui per univerſam mundi molem diffiatur. Anaxagoras quoq; quatuor elementis conſtitutis, quæ per Anguem ſignificari ſtatim initio diximus, rectorem adjungit, ſive ſpiritum, ſive Deum, ſive mentem, ut Probus interpretatur, per quem hæc quatuor regantur: quod Virgilius etiam nullius ignarus diſciplinæ affirmat dicens,

*Anaxagoræ de ſpiritu opinio cui aſſentitur Virgil Æneid. lib. 6.*

*Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,*
*Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra*
*Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Quem enim Anaxagoras νοῦν, is ſpiritum & mentem dixit M. Tullius, Platonis ſententiam, quæ in libro de Anima e t ſecutus, principio terram ait ſitam in media mundi parte, circumfuſam eſſe hac animabili ſpirabiliſque natura, cui nomen aer.

## ÆOLI PILÆ. Cap. XIV.

*Æoli pila quid.*

NOn imperite igitur, qui Æoli pilas cavant, solent illis in convexo Draconem superinducere, ex cujus ore circa medium sito spiritalis illa fistula promineat, quæ ventum profiet. Sunt vero pilæ hujusmodi æreæ, cavæque, in quas per angustissimum punctum humore instillato, ubi ad ignem admotæ concalescere cœperint & effervescere, spiritum vehementem admodum efflant: humor siquidem caloris vi rarefactus, magnam aeris copiam generat, cujus cum minime capax sit ea concavitas, vehementi eo impetu cogitur erumpere, cui si tantillum argenti vivi infundatur, ex discordia, quam materia hæc habet cum calore, inquietata magis aqua vehementius expirabit.

## SUCCESSUS VOTI. Cap. XV.

*Sanguis Basiliſci in quanto pretio olim.*

TAntam vero affinitatis cum Diis existimationem Basiliscus assecutus est, ut ausi olim sint mortales, sanguinem ejus difficillime conquisitum curiosius asservare, Saturni eum sanguinem appellantes: quem si penes se haberent, existimabant & successus petitionum à Potestatibus, & à Diis etiam precum, morborum remedia, beneficiorumq; munera largius impetrari. Astrologi quoque Basiliſco tantum tribuunt, ut stellam in corde Leonis sitam Basiliscum appellent, quam Chaldæi rerum cœlestium reginam & dominam existimarunt, quod in Arati commentariis tradit Theon, ubi de Leone agitur: neque dissimulat Nicephorus in Astrolabii structura. Quamquam in universum inesse Anguibus vim magicam ad gratiam sibi comparandam, Magi tradidere, quibus persuasum est primum uniuscujusque Draconis spondylum, mulcere aditus Potestatum, Principumque gratiam conciliare.

## SACERDOTIUM SACROSANCTUM. Cap. XVI.

QUi vero Serpens sacerdotum insigne oblongo obvolutus pileo gestabatur, monumento erat, ut si quis contra Reges (penes enim sacerdotes Ægyptiorum erat imperium) auderet insurgere, sciret se in venenatos morsus incursurum.

## ORIS VIS. Cap. XVII

HAc autem de causa oris vim describere si voluissent, colubri signum protulissent: nam coluber nullis aliis corporis partibus validior, quam ore ipso. Celebratum est illud ad horrorem incutiendum, δῆγμα ἀσπίδος, cum virulentum & immedicabile vulnus aliquod intelligi volumus.

*Ælian. lib. 2. Lib. 1. de natur. anim.*

Aspidum ictui vel nullum, vel rarum admodum remedium inveniri, tradit Ælianus: compertumq; est plerumq; ictu læsos hujusmodi, vix horis quatuor superfuisse. Et Moses cantico, venenum Aspidum ait insanabile. Eustathius, eam morsu lethiferum somnum superinducere: Plinius ea percussos torpore & somno necari tradit, eaq; de causa somniculosa dicitur à Sisenna. Color aspidis plurimum niger, quibusdam & cineritius, quandoq; etiam pellis Aspidis fulva deprehensa est, quam ego in agro Bellunensi vidisse olim reminiscor.

## FUROR IMPLACABILIS. Cap. XVIII.

INplacabilem furorem Divinæ literæ per Serpentem voluminibus implicatum, & qui *linguis micet ore trisulcis* (ita enim describitur irritatus) expressere, Psal. 58. legas: *Furor eorum Sepentini furoris instar, & sicut Aspis*, & quæ sequuntur. Incomparabilis porro est in Angue furor, qui simulac se læsum sensit, ita vesana furit, ut numquam absistat, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur, ut ait Euthymius. Et quoniam feritate, ut dictum, reliquas colubras Aspides antecedunt, posito genere, ad istius accedit speciem, quæ maxime sit intractabilis.

## CONTUMACIA. Cap. XIX.

*Serpentium vera excantatio.*

INde aliud desumitur hieroglyphicum: sunt enim qui contumacem hominem, nulli quippe legum imperio, vel magistratuum edicto, potentiorumve jussis parere destinatum, per Aspidem autem obturantem, apte significari tradant: ea siquidem ubi se excantationibus accersiri senserit, statim una in terram aure defossa, alteram cauda obturat, ne carminum vocem exaudiat: atque in Magorum conatum eludit. Veram autem esse Serpentium excantationem, manifestime constat.

Psalmo

A Psalmo 58. ubi David ita canit: *Furor eorum par est Anguium furori, sicut Aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ vocem ritè quantumlibet excantantium non exaudiat.*

---

# DE VIPERA.

## UXOR INIMICA MARITO. Cap. XX.

ADhæc Vipera suo quodam ingenio prædita, extra ordinem sua habet hieroglyphica, quorum illud præcipuum, quod mulierem, quæ virum oderit suum, cui mortem etiam intentet, neque nisi coitus tantum gratia blandiatur, per pictam Viperam Sacerdotes illi intelligebant: ea siquidem, ut apud Horum est, cum mari copulatur, caput ejus ori insertat suo, atque in concubitus conflictu nimia voluptatis vi superata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. Id cum Plinius, B Nicander, Galenus, tum plerique alii authores gravissimi tradunt, miror Albertum unum è nostris, conatum eos redarguere, qui dicant Viperam in coitu mariti caput amputare. Sed missa faciam quæ Galenus & alii scripsere in hanc sententiam, Nicandri verò carmina tam pulchra minimè prætermittenda fuerint:

*Vipera generatio.*

*Plin lib. 10. cap. 62.*

Μὴ σύγ' ἐνὶ τριόδοισι τύχοις, ὅτε δῆγμα πεφυγὼς
Περκνὸς ἔχις θύησι τυπὴν ψολόεντος ἐχίδνης,
Ἡνίκα θορνυμένου ἔχιος θολερῷ κυνόδοντι
Θουρὰς ἄμυξ ἐμφῦσα κάρην ἀπέκοψεν ὁμεύνου,
Οἷ δὲ πατρὸς λώβην μετεκίαθον αὐτίκα τυθοί,
Τεινόμενοι ἐχίνες ἐπὶ διὰ μητρὸς ἀραιήν,
Γαστέρ' ἀναβρώσαντες ἀμήτορες ἐξεπένοντο.
Οἵη δὲ βαρύθει ὑποκύματι τοῖδε καθ' ὕλην
Ὠοτόκοι ὄφιες λεπυρὴν θάλπουσι γενέθλην.

Quæ sic Latinè traduci possint:

*Dii meliora velint, ne tunc incautus apertis*
*In triviis, cùm forte acres mas luridus atræ*
*Conjugis evasit dentes, & fulminis ictum,*
C *Vipereo occurras generi. namq; illa in apertas*
*Excipiens semen fauces, caput inde mariti*
*Complexu in dulci abscindit: mox damna parentis*
*Extinctifera progenies ulciscitur, aluo*
*Materna abrosa, & catuli sine matre oriuntur:*
*Sola etenim hæc animat fœtum, reliquæ ova colubræ*
*Per sylvam excluduntq; foventq; in cortice prolem.*

Neque me præterit, esse qui alia quædam Serpentium genera animal parere tradant, qua super historia multum diuque annis proximè elapsis decertatum est inter literatos viros, lite adhuc sub judice destituta, cum etiam fuerint ætate nostra, qui has quas putamus Viperas, utriusque sexus electas, vivariis inclusere easque aliorum instar animalium conjugi, concipere, parere, educareque fœtus suos experimento compererint, nullo parentum desiderato, Quod si quis in hoc negotio plura deposcat, ab editis jam eorum libris desumendum fuerit. Sane alia etiam est Viperæ generatio: siquidem Aristoteles, ut apud interpretem Theocriti legitur, lacertam exsiccatam ait in Viperam mutari.

## FILII CONSPIRANTES IN MATREM. Cap. XXI.

UT vero reliqua prosequamur, filios adversus matrem conspirantes, Ægyptii Sacerdotes per ejusdem Viperæ hieroglyphicum notabant. Quod si quis hominum tantum sceleris admisisset, D articulatim eum acutis calamis cæsum, jubebant vivum super spinarum acervos comburi: merito maximum omnium scelus indicantes, ei mortem inferre, à quo vitam quis accepisset. Hac vero de causa dicunt Viperas in parricidæ culeum includi solitas: nam Simia, quam Juvenalis innoxiam appellavit, filios, ut in Cynocephalo dximus, suos necare ipsa solet. Canis verò & Gallus non alia de causa creditur cum his idem subire supplicium, nisi quia & ipsi impie facere videntur, quod & sorores & matres ipsas saliant. Sed quod ad parricidium attinet, non id tantum animantium genus eo scelere contaminatur, verum etiam phalangia, ut & Polypos & fluviales Equos taceam, eadem prorsus impietate notata sunt. hæc enim fœtu numeroso, quippe supra triginta interdum, edita, matrem, quamprimum orta fuerint interimunt, nonnumquam & patrem, eo Viperis immaniora, quo illæ nascendi necessitate, hæc jam nata, nulla cogente causa, nullo invitante commodo, sponte

*Parricidæ supplicium.*

se parricidio polluunt. Non præteribo quod Theophrastus negat, Viperarum uterum à catulis suis exedi: namq; author ille summæ inter Græcos diligentiæ, aliam in his maternæ mortis causam comminiscitur, disrumpi quidem sponte uterum, utpote qui angustus adeo sit, ut tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere non possit. Idem marinis acubus evenire, quas admodum tenues, prolis multitudo disrumpi cogat. Quod vero Dominus Pharisæos Viperarum sobolem vocat, ad Davidicum illud spectare dicit Irenæus, *Alienati sunt peccatores ab utero, ita eis secundum si-*
Psal. 57, 4. *militudinem Serpentis:* sive quia venenum semper sub lingua promptissimum habebant, sive quia erga patrem in grati abdicatique sunt, nullam hæreditatis partem assecuti, sive ob perplexas vias, quas à recto itinere declinantes occupabant, per ambages & devia progredientes,

## ABORTUS. Cap. XXII.

*Vipera mulieris pedi supposita, quid.*

PRæter hæc, sunt è junioribus, qui abortivum incommodum per Viperam mulieris pedi suppositam significare commenti sint, quod apud veteres nusquam memini me legere. Figmenti tamen hujus causam minus explodendam, apud Plinium olfeciſse videor: siquidem is traditum ait à veteribus, mulierem prægnantem si Viperam sive studio, sive incuria transcenderit, abortum facere, usque adeo Viperæ venenum vel afflatu solo, in humani generis perniciem grassatur, sitque ita Serpens ea humanorum partuum fascinatrix, quod illi rite parere non liceat: ut minus jam miremur venenum illud quo Scythæ sagittas suas inficere consueverunt, irremediabili scelere, non aliis libentius rebus confici solitum, quam Viperina sanie, & humano admixto sanguine.

## VULNUS AMATORIUM. Cap. XXIII.

*Viperinus morsus quid in Divinis.*

QVæ vero de morsu Viperæ ponuntur à Platone, Symposio, ejus scilicet ictu tactos aperiri nosse quid patiantur, nisi iis qui similiter ægrotant, mysticè, uti suus est mos, posita sunt. Sed cur Platoni veritatis discipulo innitamur, cum liceat homini Christiano Platonis ipsius præceptores, Prophetas quippe & sapientes alios legere, qui de mundo, & iis quæ supra mundum sunt, accuratissimè differuêre, cœlestisque numinis afflatu cognita, mortalium ingeniis cognoscenda propo-
C suêre, perque eos ad eam, quæ vera & sola est, sapientiam pervenire? In hoc autem Serpente, sacratioribus interim interpretationibus omissis, nostræ nobis imbecillitatis conscii humaniora quædam prosequamur: quæ si non ad divinorum intelligentiam, ad mores certè, & vitæ nostræ constitionem facere videbuntur, eamque ingrediemur viam, quam admirandus Philo primus omnium videtur aperuisse. Dicemus igitur, viperinum hunc morsum spectare nimirum ad illud amatoriæ mollitudinis hieroglyphicum, quod apud nos in Divinis literis per Serpentem, qui Adamum decepit, probatissimorum authorum opinione designatur: in illo enim, ut hi tradiderunt, voluptatis, nequitiæ, mollitieique fomes delitescit. Picturata siquidem cutis, ut cum ipso Philone & aliis super hoc latius philosophemur, varias delicatasque rerum omnium illecebras præ se ferre videtur. Et mortale genus nulla re magis afficitur, quam rerum varietate (cujus experimentum est in pictura, in fictili fabrilique arte qualibet) aliqua ratione digesta. Quin & natura ipsa varietate ad lasciviam usque delectari videtur. Plantarum enim diversicolores flores, varia germina, speciosi fructus, & alia atque alia forma, hisque atque illis coloribus intincti, ac multi formes animalium facies, vitam oblectant: quibus si supra modum delectemur in eorum admirationem nimium illecti, inhærere videmur luto, pronique in faciem procumbere, totoque ventre serpere: terreno enim vescimur cibo, posthabito cœlesti. nam ut optimè ait Horatius:

*Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,*
*Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.*

Illo prius apte proposito subsequitur:

Epist. lib. 1. Epist. 6. *——Quid censes munera terræ?*
*Quo spectanda modo, quo sensu credis & ore?*

Adhæc

A Adhæc comeſſationes & ebrietates, gulæ miniſtræ, non minus quam mordax Serpens miſeros artus animæ depaſcuntur. Reptatus autem nihil aliud ſignificat, quam animum qui attoli nequeat in ſublime, ſemperq; dejectus ad ſola terræ commoda prorepat. Spiræ conglobataque volumina, mille, quibus aſſiduè decipimur, laqueos intento veluti digito demonſtrant. Latebris gaudet coluber, latebris & voluptas impura, quæ veluti in ſcrobibus & hiatibus, in humanis quoque ſenſibus occultatur. Hinc apud Græcos Mycheæ Veneris ſacra, quæ in ſpecubus & abditiſſimis penetralibus celebrabantur: μιχὸς enim ſeceſſus eſt. Et ſcitè Lyſiteles Plautinus adoleſcens Trinummo, amorem laſcivum latebricolarum hominum corruptorem vocat. Super hoc Tertullianus ita declamat: *Abſcondat itaque ſe Serpens quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in caca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuoſe procedat, nec ſemel totus lucifuga beſtia*, hæc ille. Venenoſa vero ſibila veluti ſubrepentis ipſius mali blandimenta quædam ſunt: nam boni ſpecie decipimur. Adhæc futurum dicit Deus, ut homo Serpentis caput obſervet, ille hominis calcem aggrediatur: malorum illud affectuum principium contagionemque mentis ex multiplicis voluptatis uſu indicat, cum ejus præcipua vis noſtræ inſideat cogitationi. Per calcē vero, animæ pedem intelligimus, quæ illa eſt portio deſpicatiſſima, qua materiæ, uti ſolo initimur, altrix inquam, & cibaria poteſtas, libidinis irritamentum, & voluptariæ totius laſciviæ magiſtra. Eſt hæc inquam, Philonis ſententia, cui D. Ambroſius è noſtris libenter accedit, & ex Serpentis ſpecie figuram delectationis intelligi aſſeverat in Hexamero, & ad Sabinum epiſtola. Nam & Origenes reptile venenatum in nobis eſſe dicit, cum mulierem aſpeximus ad concupiſcendum eam. Atque ut in ea penetralia & ſacra adyta ſubeamus, unde ſublimiora quædam ad puriorē aërem patefactis hiulcæ terræ foribus profeſamus: nonne idem Origenes de immaculato Virginis utero, & ortus vitæq; ejus integritate perpetua loquens, eam ait neq; Serpentis perſuaſione deceptam, neq; venenoſis ejus flatibus infectam? Cyprianus de Serpente eodem contra Novatianum: *Plus metuendo eſt*, inquit, *& cavendus inimicus cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit, unde & nomen Serpentis: ea ejus eſt ſemper aſtutia, ea eſt circumveniendi hominis caca & latebroſa fallacia, ſic à principio ſtatim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit.*

*Voluptatis & Viperini morſus cōſentientia.*

*Gen. cap. 3.*

B

C

## DE SYRTIBUS ANGUIPEDIBUS. Cap. XXIV.

*Fabulæ de Vipera ex D. Chryſ.*

Fabulam Libycam ponit D. Chryſoſtomus oratione 5. ab iſtiuscemodi commento non admodum alienam. Eſſe quidem in Lybia ferarum genus ex promiſcuo beſtiarum plurium, & diverſorum generum coitu progenitum: id autem immane admodū, ſævumque & ferociſſimum circa Syrtes plurimum verſari: cibi gratia tum feras reliquas venatu, tum humanum paſtum conquirere quam aviditſſime. Eius vero monſtri naturam faciemque forma eſſe hujusmodi conſpicuam: corpus quidem muliebre, idque admodum formoſum, laſcive tumentes papillæ, totumque pectus ac cervix pulcherrima, colore cutis nitidiſſimo, mira ab ejus oculis profiliebat hilaritas, quæ intuentem quemlibet in amorem procliviter alliceret; reliquum autem corporis horridum, & ſquamarum ſcabritie aſperum & intractabile, inferne demum in longum anguem deſinebat, cujus caput in extrema parte poſitum acre admodum eſſet & mordaciſſimum, alis non eſſe præditum, ſed ſphyngis inſtar factum, neque tamen eloqui, ut illæ faciunt, ſed Draconum in morem ſibilum tantum edere acutiſſimum. Feras has tota Lybia plurimas, atque omnium quæ quot & qualibuſcumq; pedibus ingrediantur velociſſimas, ut nemo eſſet tam alacer, qui earum inſultus effugiſſe gloriari poſſet. Animalia itaque reliqua quotquot nactæ fuerint, pernicitate ſua fretæ ac robore, per vim aſſequuntur, & opprimunt, ſed unum hominem dolo tantum blanditiiſq; adoriuntur, & ſuperāt: ut pote, quæ pectoribus tam amabilibus oſtentatis, ſpectatores uti præſtigiis implicant, fallaciſſimosq; amoris laqueos intentant, conciliandis congreſſibus admodum idoneæ: in hos quippe cum inciderint, nullum cient tumultum, nihil hoſtile minantur, immotæ vero manent, oculis interim ad terram magna cum modeſtia dejectis, inſtar ſpecioſæ lepidæque fœminæ ad colloquii congreſſum invitant, lenociniisque omnibus alliciunt: ſimulac vero quis, ut voluptuoſorum hominū imprudentia eſt, cominus acceſſerit, extemplo eum arripiunt, injectis quas aduncis unguib⁹ præditas habent manibus, tamdiu prius occul-

D

occnltatis, quoad prædæ cupiundæ oblata sit occasio: insurgit extemplo Serpens à tergo aggressus, apprehensumque lethali morsu transfigit, venenoque immisso necat evestigio, mox cadaver miserabile Serpens, & feræ ipsæ lætantes una socialiter depascuntur. Adhæc addit, Herculem Libycum iter ea facientem in eas incidisse, quas ubi primum è longinquo prospexisset, cursum arripuerit pernicissimum: illæ autem cum diu nec ignaviter subsecutæ, prædam tamen eam nancisci minime potuissent; indignatione succensæ omnem in se crudelitatem convertere, ora pectoraque unaquæque sua fœdissimè dilacerata discerpentes. Ita monitos esse nos debere, ut more Herculis, improbitatem atque lasciviam tantummodo fugiendo superemus. Quod quidem figmentum, ex aurea illa Ecclesiastici sententia mihi desumptum videtur. *Peccatum tamquam Colubrum fugiendum*, paratum id enim esse unumquemque ad se accedentem, haud gravate suscipere.

*Hercules Lybycus.*

## FAUNUS ANGUIS. Cap. XXV.

Huic perquam simile est quod apud antiquiores Græcos super Hecate proditum (eam alii Semelem vocant) quæ tamdiu Fauni patris nequitiæ restitit & obluctata est, etiam virga myrtea verberata, & vino oppressa: donec ille in Anguem transformatus, filiam spiris undique colligatam improbitati suæ parere compulerit. Cujus fabulæ apud veteres indicia fuerunt, ab Hecates templo longè summuta myrtus, vitis supra caput signi ejus extensa, vinumque quod proprio nuncupare nomine non licebat, sub lactis vocabulo inferri solitum: quippe ibidem passim obrepunt innoxii Serpentes. Quæ quidem fabula facile ostendit eadem divinarum humanarumque rerum disciplinam universo mortalium generi divinitus in usu habitam, sed ab aliis nullo verborum aut rerum involucro, ab aliis sensu mystico, ab aliis per symbola, ab aliis per similitudines, per fabulas ab aliis memoriæ scriptorum diligentia commendatam, aut à patribus acceptam, posteris per manus proditam: lacessit enim assiduè humanum genus, quod & Apostolus Paulus apud Deum queritur: *Faunus pater naturæ stimulis importunus*, id est, originis ipsius compages coagmentatioque, & modo mysto, hoc est, imaginatione Veneris: modo vino, hoc est, lætitia & hilaritate: modo spiris ingentibus, hoc est, multiplici voluptatis ipsius varietate suggesta, nos oppugnat, perque eam demum exuperat. Atque hæc illa patris domus, cujus obliviscí nos debere, admonet Propheta.

*Eadem habetur lib. de Myrto.*

## SENSUS A VOLUPTATE, MENSA SENSU DECEPTA. Cap. XXVI.

Mulieris porro figura apud Divinarum literarum interpretes, pro sensu accipitur, viri verò pro mente: unde quidam Adam, terrenam mentem interpretati sunt. Hic igitur sive Faunus, sive, ut nostri rectius, Serpens accingit se primum ad expugnandam mentem, subvertendumque intellectum. Hic sua virtute opibusque fretus, hostem repellit acerrimè, uti Adamum decet. Quid ille vafer & malignus? Evam adoritur, sensûs ipsius adjectat commoda, delicias proponit omnes voluptatum explicat illecebras, quarum gustu vel minimo expugnatur Evæ imbecillitas illa incautum opprimit Adamum, mendaciumque commenta, lenocinio suo atque blanditiis eum cogit aberrare. Athanasius sane, cum puritatem animi, quæ in Adamo primitius fuit, spiritualium rerum contemplatione tantum occupato metaphoricè Paradisum à Mose nominatum ostendisset, ibidem adjecit, quo pacto sensus mentem à spiritualium rerum meditatione, Serpentis consilio, ad corporis voluptates averterit abstraxeritque. Divus Augustinus in 48. Psal. *Singulis*, inquit, *nostrûm ineſt mulier hæc: quippe caro nostra Eva est, quæ seducit virum, id est, rationem: per quam carnem labitur homo, quem calcanei nomine, quod à Serpente fuerit impetitum, Prophetæ appellaverunt.* Hinc Menander Samarita occasionem sumpsit scelesti perniciosique dogmatis, qui nuptias, & generandi studium, à Viperina naturæ Satana mentiebatur emanasse.

*Lapsus Viri & mulieris.*

*Menandri Samaritæ error.*

## SENSUS QUINQUE. Cap. XXVII.

In Evangelica lectione virgines quinque fatuæ, totidemque prudentes, cum lampadibus prodeuntur, quæ, ut Abrosius putat, sensus quinque in sapientibus suo lumine lucidos, eosdemque in insipien-

A insipientibus erroris tenebris offuscatos indicarent. Quare videndum an Fulgentius recte ex Apollophanis Epico, ut ipse dicit, carmine, commentus sit Saturnum satum νοῦν appellari, quod νοῦς Græce Sensus dicatur, quem pro Mente & intellectu poni passim invenimus, nisi ea de causa vocabulum usurpemus, quod per sensum, ut Aristotelici, ad rerum cognitionem devenimus: à νοέω enim νοῦς. Quod tamen alicubi νόος significatum usurparit pro sensu, id in Æonibus Valentini habetur: nam is Aristotelem secutus, λόγον à Νοῦ emissum prædicabat, rationem quippe à sensu proficisci: de quo Irenæus lib. 11. cap. 39. & 40. nam hæc nunc nostri non sunt negotii. Duo vero sunt, si credimus Aristoteli, quæ nostri ad unamquamque rem motus causa sunt: vel ipsa scilicet cogitatio, si nunc intellectum vereamur appellare, vel sensus: rerum enim aut utilium, aut commodarum, aut quas quoquo modo bonas existimamus, imaginatio, vel ab ipsa cogitatione procedit: quia tales fore existimamus, vel ab eo quòd sensu experti sumus. Ipsa igitur vel cogitatio vel sensus, imaginationem creat, imaginatio statim excitat appetitionem, appetitio affectum, affectus motum, ut ad assecutionem perveniatur, Nostri igitur primi parentes duo, intellectus & sensus. Intellectum vero hic ac-
B cipio cogitationem quæ certo sit cursu peracta. Sensus ubi intellectui paret, perpetua utitur tranquillitate, ipsoque deliciarum paradiso perfruitur: ubi vero intellectus sese sensui manciparit, tota aberrat via, & à priore illa amœnitate quieteque ad labores, & invisas rerum omnium turbas ejicitur.

*Saturnus νοῦς appellatus.*

*Intellectus Adamo sensus Evæ attributi.*

## MALUS DÆMON. Cap. XXVIII.

Quod vero malum dæmonem per Viperinam figuram indicamus, multorum consensus accedit. Nam & apud D. Hieronymum Draco inter Diaboli cognomenta numeratur, & diabolus locutione Mali sæpe ponitur, ut in prece quotidiana diceret Cyprianus, *Sed libera nos à malo*, quod tamen ipse, *Libera nos à maligno*, protulit. Sed præcipuè Ecclesiastici 10. eo loco: *Si momorderit Serpens in silentio, si quem*, ait is, *Serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit*, & quæ super pœnitentia sequuntur. Et causam addidêre nonnulli, linguæ motationem, quæ tam multiplex appareat, ex quo multiplicia ejus incitamenta interpretantur. Nam qui ejus minister est, aliud porro lingua loquitur, aliud corde meditatur. his Dominus ait: *Generatio Viperarum,*
C *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Et in Divinis literis alibi: *factum silentium in cœlo*, legas *dum committeret bellum Draco cum Michaële Archangelo*: alibi, contritum ab Assertore nostro caput draconis in Jordane fluvio, atque ita nos ab ejus dominatione liberatos, & hujusmodi pleraque alia. Nam & Pythones genus dæmonum est, & Pytho Serpens apud gentiles effingitur, quem Apollo sagittis confecerit, quod quid sibi velit, alibi diximus. De Pythonibus habemus in gestis Pauli, qui unum ex his exire jusserit è muliere, quam is occupaverat: propterea quod clamitabat illa, & Paulum & ejus comites esse servos summi Dei, qui viam salutis annunciarent. *Id vero dolebat Paulus*, inquit Origenes, *quod indignum judicaret sermoni suo è Pythonis spiritu testimonium exhiberi.* Et 1. Reg. 28. *Saul mulierem, quæ Pythonem habeat, sibi sisti mandat, ut per incantationes Samuelis animam evocaret.* Sunt qui dicant (ut hoc κατὰ πάρεργον admoneamus) Samuelis non animam, sed imaginem Pythonissæ aggestam: sunt, qui Dei permissu veram animam asserant, ut ex calamitatis, quæ Sauli toties prædicta fuerat, asseveratione, acrius cruciaretur: alioquin, Deut. 18. *maximè eum abominatur*
D *Deus, qui Pythones consulat.*

*Pythones quid.*

## DELECTATIO. Cap. XXIX.

Quantum vero pertinet ad delectationem, audimus Deum Opt. Max. ita illum execrantem devoventemque, ut super pectus suum, & utero incumbens suo, sit semper incessurus, Serpens: quod, ut diximus, Philope, Ambrosio, Athanasio, & aliis subscribentibus, de terrenis delectationibus intelligitur: quare in id quoque devovit Serpentem Deus, ut terra perpetuo vesceretur. Ac ne Menippeam fabulam ab aliis recitatam seriis his admisceam, adagium illud ex ea tantum attingam quod de Lamia fertur, quæ libidinis appetitu percita, Menippi admodum juvenis sanguinem deglutire cupiebat, ab Apollonio Tyanæo, ut memorat Philostratus, dictum ὄφιν θάλπεις, καὶ σὲ ὄφις: *Anguem concupiscis, teq; Anguis*, quod is scilicet mulieres appeteret, & ab eisdem identidem expeteretur.

*Gen. cap. 8.*

*Adagium, ex Menippeæ fabula.*

Quid Plato? nonne Mosaicam secutus historiam ait Phædro dæmonem aliquem in ipso statim principio rebus humanis voluptatem immiscuisse: veluti oblectamentum aliquod non inconcinnum adulatori gravissimæ bestiæ, maximæque calamitati, natura inseruerit?

## LIBIDINIS ANTIDOTUM. Cap. XXX.

*Plin. lib. 28. cap. 4. Serpens à jejuni hominis sputo necatur.*

ANimadvertendum vero est naturam ostendisse nobis, jejuni hominis sputo Serpentem necari posse, ex quo tacite submonuit, Venereas voluptates libidinisque ardorem, jejunio idem extingui: nam hæc sine Cerere & Baccho, ut ait ille, omnino frigent. Et Matth. 9. adolescens ab impuro oppressus dæmone nonnisi oratione & jejunio curari potest, ut Assertor noster admonuit. Et quoniam sunt quibus commentitium hoc videtur, asserit id Galenus περὶ κράσεως tertio: asserunt idem Alexander Aphrodiseus, author minimè contemptibilis, & Plinius, & plerique alii rerum naturalium scriptores, qui rem ita tradunt: *Si saliva jejuni hominis in os, vel vulnus Scorpionis, vel Serpentis, vel alterius venenati animalis inciderit, & ad interiora penetraverit, exitialem eum ess.* quod & Lucretius his versibus tangit:

*Lib. 4. de Natur.*

*Est itaque ut Serpens, hominis contacta salivis*
*Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.*

Causam Philosophi perscrutantur, ajuntque fieri hoc ob magnam inter utrumque animal contrarietatem: Serpens siquidem frigida & sicca est corporatura, homo autem calida & humida, hinc alterum alterius visu tactuque exhorrescere, humanoque sputo tactum Anguem æquè fugere, ac si ventem in aquam incidisset: id si penetrarit in fauces, extingui. Quod vero ajunt pollere ad hoc jejunioris hominis salivam, sciendum & ab jejunio quoque morsum esse pestilentem.

## PETULANTIÆ FINIS. Cap. XXXI.

*Plin. lib. 28. cap.*

NEque absimile est à sacris inventis, quod de Chimæra dicitur, cujus extrema pars in draconem desierit. Amorem enim lascivum per figmentum illud significari tradunt authores optimi, cujus finis quinam alius esse potest, nisi voluptuosa procacitas? quæ tamen, ut ex voto facta tractaque omnia sint venenum demum internecina animi exulceratione relinquit, quæ latius in Leone ubi de Chimæra agitur, sunt explicata, ubi & quid super hoc Hesiodi interpretes afferunt, addidimus. Talis dubio procul Serpens incautam Eurydicem afflixisse fingitur à Poëtis.

## VOLUPTAS MATURE EXTINCTA. Cap. XXXII.

HErculem vero, quem vetustas illa pro virtutum omnium tam animi, quam corporis idea proposuit, Angues etiamnum in cunabulis elisisse canunt: quippe eum innuentes, qui ad magna præclaraq; negotia sit natus, debere, vel à teneris unguiculis extinguere voluptates. Merito igitur insigne facinus hoc utili omnibus exemplo futurum, tot in marmoribus videas, atque in numis etiam, cujusmodi ille est, cujus altera facies inscriptionem habet ΚΡΟΘΩΝΙ. Literæ vero reliquæ in numo quem attrectavimus, detritæ sunt. Quod si qui figuram hujusmodi autumant institutam, ut fortitudinem, incolumitatem, ac membrorum robur, quo Crotoniatæ vulgo præditi ferebantur, Herculi commendarent, non laboro: quippe qui non ignorem bonæ valetudinis laudē, scriptorum omnium consensu, Crotoniatis attributam, adeo ut in uno certamine Olimpico septem viri, qui reliquos virtute præcesserant, pariter Crotoniatæ omnes sint reperti, quod latius apud Strabonem libro Geographiæ sexto. Unde etiam dictum illud emanarit, κρότων ὑγιέστερον. Deq; optima valetudine Plautus ait pugilicè, atque athleticè: nam membra fortia vegetaque magis omnino ea sunt, quæ minus sese voluptatibus & nequitiæ dediderunt. Sed ut ad Anguē revertamur, ne adeo mirum sit eum voluptatis & libidinis habere significatum, legimus apud Plutarchum eos puellarum amasios aliquando deprehensos esse, omniaq; amoris & nequitiæ signa præbuisse veluti is, qui Ætoliæ cujusdam amore captus, noctu eam adire suetus, puellæ corpori circumfusus, hac atque illac illabens, illam numquam neque ultro, neque invitus lædebat, opportuneque sub diluculum recedebat. quod cum ii, quibus puella curæ fuerat, intellexissent, eam alio migrare compulerunt: Serpens per triduum

*Serpens Ætoliæ amasius puellæ.*

A triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateque circuire illam quæritans, quam ubi mox invenit, casu illi obviam factus, non uti solitus erat mitis & blandus, sed asper & horidus in eam insiliit, manibusque primum spira ad corpus adstrictis, caudæ residuo femora flagellabat, levem quidem iram præ se ferens, quæ licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen apertè demonstraret.

## ARAXA. Cap. XXXIII.

NEque quidem dissimulandum, quod Scythæ hujus salacitatis ergo, quæ per Serpentem symbolice fingitur, Araxam famosæ libidinis fœminam, cujus Diodorus tertio meminit, semiviperam figurabant: humana quippe forma umbilico tenus, reliqua Viperina. Ferunt hanc cum Hercule copulatam filios tres genuisse, Agathyrsum, Gelonum, & Scytham juniorem, qui totidem gentium mox authores fuisse perhibentur.

## B CONTINENTIA. Cap. XXXIV.

IN sacris Hebræorum literis, Serpentem æreum Moseos admonitu factum legas, qui adversantem voluptatibus virtutem præ se ferebat, hominemque à pestifero quovis veneno sospitem reddebat: ea est continentia, atquæ constantia, atq; ideo ex ære, hoc est, fortiori perennioriq; materia conformatur: æs enim valdè solidum est, neque ulli obnoxium rubigini, quare *nexas ære trabes*, apud Virgilium legas, ad perennitatem catenarum, & *monumentum ære perennius*, apud Horatium eodem sensu. Idem & viventium salubritati adversus putrescentia, efficacissio est remedio. Acuti quoque mucrones ærei cadaveribus infixi, ea ne putrescant, vel, ut diutissimè saltem asseruentur, efficiunt.

*Num. c. 21 vers. 14.*

*Æn. lib. 1.*

*Car. lib. 3. ode ultima.*

## CALLIDITAS. Cap. XXXV.

C SEd neque calliditas prætereunda est, quæ per Serpentis imaginem indicatur. Et Moses prudentissimum inter bruta Serpentem dixit. Animal præterea motu varium est, atque ad subsidium defensionemque præcipue paratum, quodque hostem ulcisci probè possit & norit. Draconi vero similis est virtus indagatrix, quæ diligenter omnia perscrutetur, rimeturque studiosissimè, ideoq; ab acuto visu nomen illi factum. Et quoniam in primis voluptatem ex eo significari diximus, ut quod instat agamus: ea demum vera voluptas est, quæ ex intellectu depurgato, & sano sensu perfectissima redditur, unde absolutum oritur judicium, quo freti possumus nosmetipsos prudenter tueri, atq; sapienter conservare. Quod igitur vitæ periculum amatoriæ morsiunculæ, & voluptatum vulnera, intortique deliciarum laquei intentare videbuntur, id omne temperantia depellat, longeque summoveat: Illa enim una incontinentiæ opponitur adversaria, Equum hæc, utpote ferocientis improbitatis, & vitiosæ cupidinis simulacrum, mordeat, atq; ita vitio prostrato, sessorem in virtutis æqua planitie sanum incolumemque sistat.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XV.

## DE IIS QUÆ PER SERPENTEM IN ALIQVOT SIGNIS MILITARIBUS, DEQUE CADUCEO AD REM IPSAM, SIGNIFICANTUR

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD ACHILLEM MAFFÆUM PATRITIUM ROM.

*Cui vero opusculum hoc alterum de quibusdam Serpentis significationibus, in signis præcipuè militaribus, deq; Caduceo nuncupem potius, quam tibi, Clarissime Achilles? qui præter absolutam Legum peritiam, totius etiam es antiquitatis non incuriosus assector, cuique hæc domi nascuntur tam patris tui viri elegantissimi cura, quam accuratissima avi illius tui clarissimi diligentia: qui cum à secretis Pauli Veneti II. P. M. esset, quantulumcumq; otii publicis à negotiis surripere poterat, totum id rerum harum cognitioni studioque tradebat, meq; fateor à vobis mutuo accepisse plurima in toto hoc negotio meo, quæ tibi reddere, post rem arbitrio meo digestam, justum æquumq; existimavi. Accipies igitur à me redhibitionis, sed liberæ & ingenuæ nomine, multarum rerum expressa significatu, quarum figuræ imagines q; apud vos laudabili cura custodiuntur, illudq; præcipuè familiaribus nobilium domorum insignibus argumentum, contra juniorum quorumdam eruditorum opinionem scriptum ostentisti, quod ex ipsa vetustate desumptum, & apertissimè comprobatum perlegisti. Subjeci, me quoq; sentire tecum & in hoc comprobando non parum adlaborasse: Imperatorum veterum, atq; adeo militum insignia, & in parmulis & in signis more nostro picta fuisse multa enumeravi, præsertim eorum qui Serpentem protulissent: nam circa Caduceum solicitus plurimum esse videbaris, & quæ de principatus hieroglyphico multa disserui, jussisti mox, ut ea omnia conscriberem, quod per otium ea recognoscere constituisses. Quam primum igitur mihi quoq; per otium licuit, quo optare te tantopere contenderas, efficere procuravi, tibiq; quamlibentissimè, qui tantum in lucris ponerem non ignorabam: simulq; mihi stimulus addebatur ad studia hæc, veluti postliminio revisenda: quæ in multarum occupationum quasi concursu, diutius fuerant intermissa. Tuæ præterea humanitatis opera, multa in melius resarciri posse videbam, ut ita minimè fortè peritura esset lucubratio mea, quæ talem tantumq; sibi argumenti hujus non lectorem modo, verum etiam adjutorem comparasset: censuram enim doctrinamq; tuam spero mihi plurimum profuturum.*

---

### IMPERATOR. Cap. I.

PRimum igitur hieroglyphicum in hoc genere illud erit, quod ad rerum summam pertinet. Sacerdotes enim Ægyptii si vellent Imperatorem, aut potentissimum quempiam Regem per institutas ab eis imagines indicare, Anguem, ut apud Niliacum Horum est, in spiram collectũ faciebant, palatii cujusdam specie in voluminum medio statuta: siquidem domus regia in imperii totius centro sita esse debet, ut omnium æquè commodis consulatur. Nam Plato Legum quinto, Reip. suæ urbem jubet in medio regionis, quoad fieri potest, poni. Et Genes. 23, cum dicendum esset, *Erat autem Ephron longè princeps Hethæorũ:* scriptum invenias ad hujus instar hieroglyphici. *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth.* Hinc rerum scriptores memoriæ non temere prodiderunt, Antoninum Pium in urbe semper sedisse, ut ita medius nuncios undique citius accipere posset, ideoq; ne longius abesset, nullas umquam expeditiones obivit, prædia sua tantum in Campania nonnunquam visere

*Regia domus ubi esse debeat.*

A viſere contentus: quamvis eſſe ſcio, qui factum hoc ab eo dicant, quod gravem eſſe provincialibus comitatum Principis etiam nimis parci exiſtimaret. Diodorus autem licet alia quoque Serpentis ſignificata commemoret, quin tamen & imperium ex ejusdem animantis pictura intelligi poſſit, nequaquam inficiatur. Quidam hominem regni potitum hieroglyphice ita deſcribunt, ut eum manu Serpentem comprimere indicent, cujusmodi ſimulacrum eſt in numo Aurelii Cæſ Aug. Pii filii, in quo ſigillum eſt, Sepentem à medio manu tenens, admoventem caput dexteræ cibum porrigenti. *Numus Aurelii Cæſarii.*

## OSCUS. Cap. II.

MANETHON Ægyptius author, quisquis ille fuit, ait Oſcum, qui Tyrrhenis imperavit, inſigne Serpentis habuiſſe, Oſcosq; ait Servius populos dici, ubi plurimum Serpentes abundant, in Campania quippe. nam Oſcum hunc ajunt coloniam eo transmiſiſſe, Hetruſcis tunc Italiæ fere totius rerum potientibus, urbemq; in ea regione longe principem, ab aurigo accipitris, quem Hetruſca lingua Capym appellabant, nominaſſe, ut ſcriptores quidam vetuſtiores memoriæ prodiderunt: B licet tempore ſuccedente creditum ſit, eam ita à campeſtribus locis nuncupatam. Poetæ vero Hecatæum ſecuti, eosdemq; Hecatæus, Capym Trojanum virum urbis authorem fuiſſe tradunt, & ab eo nomen. Sed hæc utcumq; fidem faciant (in nulla enim magis authores diverſi abeunt, quam in urbium originibus repetendis, dum Græci ſibi omnia adſcribunt, Latini ſua poſſidere contendunt, nationes plæræq; aliæ non ignobiles eſſe volunt) ſatis conſtat Oſcum, Ægyptiorum principum more, Serpentis inſigne geſtaſſe, & Oſcos ejus colonos inde nuncupatos. Oſcus dubio procul Hetruſcum nomen eſt, & apud eos ad hæc usq; tempora Viperæ Oſcorzones appellantur, ſi modo Vipera Serpens ille ſit, qui tota Venetia vulgo Maraſſus dicitur. Et ſacræ apud nos literæ Serpentem principis elogio nominarunt, dum ait aſſertor noſter, fore, ut hujusmodi princeps foras ejiciatur, cum de diabolo loqueretur, qui per Serpentem multis in locis utriusq; inſtitutionis noſtræ figuratur. Hanc interpretationem D. Ambroſius è noſtris nequaquam aſpernatur. *Oſci populi, & Capys urbis regio. Capys accipitur.*

## JUNO DOMINA. Cap. III.

C ET indicandi dominii cauſa, in Junonis quoque dextera Serpentis caput ſtatuebatur, in læva vero lapidem ſceptrum: cum Juno ipſa dominii præſes apud gentes haberetur, incederetque, ut ipſa de ſe apud Virgilium dicit, *Æneid lib. 1*

— *Divûm Regina, Joviaque*
*Et ſoror, & conjunx.*

## JUNO CONSERVATRIX. Cap. IV.

NAm in Juliæ Mameæ Aug. numo ſimulacrum eſt in ſinus fluentes collectum, læva haſtæ adnixa, dextera Anguem in ſpiras convolutum porrigente, ubi Anguis omnino imperium, haſta Defenſionem indicat: quod ut conjiciam facit inſcriptio, quæ in hunc modum legitur, JUNO CONSERVATRIX. *Juliæ Mameæ numus.*

## ORBIS DOMINIUM. Cap. V.

SErpentes quoque Leonibus, qui Opis deæ ſimulacro apponebantur, adjuncti terrarum orbem, vel orbis ipſius dominium ſignificabant. Argutum vero dictum apud Græcos contra potentiores civili quadam libertate jactari ſolitum, ὄφις, εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται, hoc eſt, *Anguis, niſi Anguem comedat, non fiet Draco.* Nam inter Serpentum genera Dracones ii vocantur, qui corpore ſunt immaniore, vaſtioreq; magnitudine, tametſi pro quocunq; Angue plerunque nomen hoc autores uſurpant. Quem igitur Imperatorem ſtatuas, eo adagio, ajebant illi, ei neceſſe eſſe Reges & Principes multos deglutire, ut ita Rex regum fieret & dominantium dominus. *Dictũ in potentiores. Ab Eraſmo ad verbum. Chil. 3. cen. 3. prov. 61.*

## IMPP. DUO. Cap. VI.

IN Græcorum etiam numis dominium per Serpentum effigiem ſignificari obſervavimus: nam in numo quodam videas Serpentes duos ad ſemicirculi curvaturam invicem ſpectantes caudis introrſum incurvatis, cujus inſcriptio dominium penes duos eſſe demonſtrabat: ita enim habebat, ΔΥΝΑΡΧ. ΕΞ ΥΠΑΤ. Β. Quod ita apertius exprimitur, δυναρχία ἐξ ὑπάτων δύο. *Græcorum numiſma.*

## PROVINCIÆ PRINCEPS. Cap. VII.

QUod si regem Ægyptii, provinciæ tantum alicui jura legesque dantem pingere voluissent, dimidiatum ut apud Horum est, Anguem figurabant, per animal quidem Regem per segmentum vero quod non universo imperaret orbi, subindicantes: omnipotentem siquidem ex integro Dracone intelligi, superius ostensum est. Sane Anguis ille, qui Tarquinii Superbi animum perculit, anxiumque reddidit, cum à columna lignea repente elapsus omnes vertisset in fugam, tota rei miraculo curia consternata, nimirum significabat, novum & inexpectatum principem, eumdemque juvenem L. Brutum, de columna lignea, hoc est, de stupore, quem diu simulaverat, proditurum. Lapis enim & caudex, pro stupido & alienatæ mentis homine, apud Comicos ponitur.

*Accidit anno ab urbe cond. 242.*

## REX OPTIMUS. Cap. VIII.

SI vero regem optimum significare procurassent (κάλλιστον enim, non autem κάκιστον, in emendatis Hori codicibus habetur) Anguem utique in orbem collectum effingebant, cauda mordicus apprehensa, sed regis nomen in spiræ medio describebant. Quin etiam certam Anguis speciem, μακὰ cognominatam, huic significato adhibebant. Cur vero Anguem fingerent sibi caudam admordentem, authores quos sequimur nusquam tradunt: sed si ariolari licet, indicabat, omnia usq; ad minima, ultimaq; curæ esse Regi, qui bonitatis nomen sit adepturus, cum ea præcipue de causa Sardanapalus, & pleriq; alii infames habiti sint, simulac ad principatum pervenere, omni abjecta cura sibimet tantum vacare, seque unos curare instituerunt.

## REX TUTELARIS. Cap. IX.

*Vigilantia in Rege necessaria. Home. Ilia. β.*

QUod si Reges Ægyptii suum, vel alium quempiam in obeliscis aut monumentis aliis, curam populi sui gessisse regiam attestarentur, eumq; tutelarem fuisse commonerent, Anguem vigilem, vertice quippe surrecto, erectoq; pectore sculpebant, cujusmodi speciem adhuc pleris q; locis inspicitur: hic vero pro Regio nomine Custos inscribebatur, utpote quod æque vigilabundum esse deceat Regem, cui gentium regniq; tutela sit curæ credita: quare apud Homerum Somnus Nestoris personam indutus, his verbis compellat Agamemnonem:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ πόσα μέμηλε.

Quam sententiam ita reddamus:

*Non decet ignavum tota perducere somnum*
*Nocte virum, sub consilio, sub numine cujus*
*Tot populi degunt, cui rerum cura fidesque*
*Credita summarum.*

Quod P. Scipio, vir alioqui rebus tot præclare gestis omni laude major, cum minime præstaret, somnolentiæ taxatione male apud Romanum populum audiebat, author Plutarchus libro ad Trajanum Imper. de civili institutione. Sane vero Dracones à visu, quem acutissimum habent, nomen apud Græcos habuere. Palladi autem eadem de causa dedicatur, quia nomen id ὡς δεῖ τὰ πάντα δρᾶν, καὶ βλέπειν, καὶ ὑπὲρ πάντων νοεῖν, factum nonnulli tradunt, prudentiamq: hinc interpretantur, quæ omnia prospiciat, & ante omnes intelligat. Carpit Horatius quemdam, qui in amicorum vitiis tam acute cerneret quam Aquila, aut Serpens Epidaurius: puto proverbium secutus, ὄφεως ὀμμα. Neque temere Aristophanes finxit Angues duos Pluti oculos in gratiam Æsculapii lambere, cujus rei beneficio ille ex cæco cernere cœpisset.

*Serpentis oculus.*

## HEROS. Cap. X.

*Draco cur Heroibus dicatus.*

QUod autem Heroibus in universum Draco sacer habeatur, ea de causa Plutarchus, Agide, factũ putat, quod ex medulla hominis serpens gigni soleat, quod non ignoravit Virgilius, cum ad Anchisæ tumulum hæc accidisse memoravit:

*Æneid. lib. 5.*

*— Adytis cum lubricus Anguis ab imis,*
*Septem ingens gyros septena volumina traxit*
*Amplexus placidè tumulum, lapsuq; per aras:*
*Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro*
*Squammam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus*
*Mille trahit varios adverso sole colores.*

*Obstupit*

A *Obstupuit visu Æneas, ille agmine longo Libavitque dapes, rursusque innoxius imo*
*Tandem inter pateras & lævia pocula Serpens, Successit tumulo, & depasta altaria liquit.*

Quod quidem non temere fictum à Poeta sed ex historia desumptum. Athenienſibus enim contra Medos apud Salamina navalem pugnam inituris, Serpens draco in navi dicitur apparuisse, secundissimo rerum, quæ prospere subsecutæ sunt prodigio: cujus rei monumentum in Salamine templum fuit Cychreo, ut apud Pausaniam est, dicatum, quod Apollo responderit, Serpentem illum Cychreum heroem fuisse, qui auxilium allaturus advenisset.

## EPAMINONDAS. Cap. XI.

EPaminondas autem Imperator ille clarissimus, qui ad Mantineam tam fortiter occubuit, Draconis gestamine insignis fuit. Eo vero loco ubi prælium commissum est, columnam erexit antiquitas, cum clypeo Draconem in ejus memoriam sculptum ostentante. Quod Pausanias ideo factum arbitratur, quod is ex Spartiarum cognatione, quæ Thebis erat antiquissima progenitus dice-
B retur, quorum id gentile esset insigne: quippe quod à seminio anguineorum dentium, quos Cadmus severit, oriundi essent: Spartanosq; ipsos in Laconia inde originem duxisse nonnulli credidere, quos olim ὀφιοδέγμους nuncupatos alia de causa historici tradiderunt: cum enim annonæ caritate laborarent, compulsi sunt, Serpentes, quorum vis magna in Laconia multiplicaverat, in humani cibi usum convertere. Sed quoniam de clypeis & gestaminibus militum atq; cohortium multa dicturi sumus, quia id præcipue contendebas, ut adversus eruditorum quorundam sententiam veterum exempla tibi suggererentur, quo non esse novum institutũ, familias variis gestaminibus tum colorũ, tum dissectionum, atq; etiam insculptarum in illis animantium, figurarum, plantarum, instrumentive alicujus adjectione discerni, comprobare posses: priusquam ad horum explicationem aggrediar, alia quædam ad principatum & nominis claritatem per Anguem commonstrata dicere necessarium est. Sed prius aliqua de ostentis.

*Spartiani cur ὀφιοδέγμους olim.*

## AMPLITUDO NOMINIS. Cap. XII.

C IN ostentis enim summam nominis amplitudinem portendere Anguis fertur, non iis tantum, quæ ad imperium, aut alium quemcumque principatum attinent, sed ad ea quoque, quæ vel ingenio, vel arte celebritatem sibi aliquam comparavere, ut in histrione Roscio, artis suæ gloriam præmonstravit: cum enim puerum Anguis dormientem noctu complicasset, pater ad aruspices detulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.

## DOMINIUM. Cap. XIII.

AUreliano vero, quamvis modicis parentibus ortus esset, summum tamen imperium Anguis portendisse fertur, cum ejus pueri pelvim plerumque cinxisset, neque unquam occidi potuisset: postremo matrem ejus, quæ templi Solis sacerdos erat, & aruspicinæ non ignara, cum hoc vidisset, Serpentem quasi familiarem occidere noluisse. Pari præsagio Severo imperium præmonstratum est, cui dormienti, ut Spartianus ait, in stabulo Serpens caput cinxit, & sine noxa, expergefactis atque acclamantibus familiaribus, abiit. Quin & Maximini junioris, quem pater secum Imperatorem appellavit, caput dormientis Serpens circumdedit, futuræ dignitatis argumento. Quid au-
D tem somnia? nonne ipsa quoque vel in conceptu, vel in partu, quotiens Draconem obtulissent, ejusdem amplitudinis prænuncia fuerunt? Mamæa Alexandri Severi mater, pridie quam puerum eum pareret, somniavit se Dracunculum enixam edidisse. Nam & Alexandro Macedoni Draco dominii claritatem præsagivit, qui matri Olympiæ congressus est in somniis. Hoc idem de Pomponia Africani Scipionis matre traditum est, & ipsi Draco circumfusus nihil attulit nocumenti. Dedit & Augusto Imperii præsagium ostento simili. Nam cum Actia mater ejus ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, positaq; in templo lectica, dum cæteræ quoque matronæ dormirent, obdormisset, visus est Draco repente ad eam irrepere, pauloque post digressus: illa vero expergefacta, quasi à concubitu mariti se purificavit, & statim in corpore ejus extitit macula veluti picti Draconis, quæ nunquam eximi potuit, adeo ut publicis inde balneis perpetuo abstinuerit. Sedenim facile

*Mamæa somnium.*

*Actiæ somnium. Sueton. in Auguſt. c. 94.*

fuit

fuit ostenta, quæ principibus viris, aut nobilitate, aut opibus claris accidissent, ad futurã eorum amplitudinem accommodare: quid autem de servis dicemus infima fortuna genitis? Spartacus venalis cum Romam delatus esset, deprehensus est dum quiesceret, habere sub capite Draconem in spiram complicatum, quem Thracia itidem mulier conspicata vaticinandi peritissima, signum esse dixit magnæ cujusdam & formidabilis potentiæ, quæ tamen infaustum esset exitum habitura. Idem Serpens ubi defectus casu aliquo fuerit, imperii adesse finem idemtidem ostendit. Nam Tiberius Cæsar Serpentem Draconem in deliciis habere solitus, eiq; manu sua cibum ministrare: quem cum is consumsum à Formicis reperisset, monitus est cavendam sibi esse vim multitudinis: Formicas enim populi signicatum habere, non fabula tantum Pelei Thessaliæ Regis, verum & portenta & prodigiosa somnia declarant. Nam & Nero paulo ante quam extingueretur, visus est sibi per somnium pennatarum Formicarum multitudine oppleri. Sedenim de Formica loco suo plura. Quod ad Serpentem pertinet, idem Nero, qui Serpentis spolium à matre pro amuleto commendatum, brachio alligatum aliquamdiu gestaverat, inde memoriæ maternæ tædio abjecerat, tunc id perquisivit incassum, cum omnia contra se fremere comperisset, maternæ erga se pietatis sero memor.

*Sueton. in Nerone c. 46.*

## ASIA. Cap, XIV.

*Tres Serpentes quid in numis.*

Antea vero quam militaria signa promoveam, scrupulus ille mihi videtur eximendus, quod nonnulli per Serpentes tres, Asiam provinciam significari putant, non secus ac Ibes Ægyptum, Elephanti Africam, Cuniculus Hispaniam, Equus Italiam, quæ sigillatim suo quoq; Commentario declarata sunt. Id ea de causa suspicari videntur, quod numi plerique argentei conspiciuntur, quorũ inscriptio est Cæsar imp. vii ab altero latere angues tres, quorum duo pectoribus hinc inde sinuose surrectis attolluntur, tertius jacens: capite caudam unius, cauda vero caudam itidem alterius implicat. Hos inter Victoria surrigitur calathisco insistens: quippe ad ipsius terræ Asiaticæ feracissimam ubertatem significandam. Inscriptio vero est, Asia recepta. Sedenim, ego Angues eos tres indicare crediderim, Imperium Romanum tres jam orbis partes occupasse: Europam enim dum possederant, Africam paulo ante subjugarant, nunc Asia recepta, & ad reliquas applicata, tertiam quoque partem adepti videbantur.

## Præfectus militum. Cap. XV.

*Cæsarũ numus.*

Quod vero pertinet ad insignia militum, numus est Cæsaris Dict. III. in quo Victoriæ caput est, alarum quippe & capillis in nodum collectis, ab altera cujus facie Roma gradiens, stola ad pedes demissa, capite, uti mos, galeato, ancile sinistra gestans, læva trophæũ, quod humero inheret, sustentans, à latere vero Serpens Draco prorepit capite surrecto, magnis voluminibus terga trahens, cujus inscriptio est, C. clo. vi. Præ. m, Cajus Clodivus vi. præfectus militum. In sacris literis legas, Draconum capita in aquis à Deo contrita, quod Psalmo quarto supra lxx. habetur, quod milites, centuriones & duces eos significat, qui fuerant à Pharaone immissi, ut Israeliticum populum persequerentur: ii aquarum mox inundatione suffocati sunt, atq; ita contriti, quodq; mox sequitur plurimi longe insigniori, *Tu confregisti caput Draconis*, Pharaonem ipsum intelligit. Qui mysticum sequuntur sensum, hæc ad Christum referunt, qui dæmonis vim omnem sustulerit.

*Capita Draconum in aquis contrita.*

## Cohortes. Cap. XVI.

Quin & cohortium erant insignia, perque singulas earum, ut Flavius Vegetius scribit, ferebantur ad prælium á Draconariis, quo nomine κατ' ἐξοχὴν, signiferos omnes appellitabant. Quo vero pacto gestarentur, videre est apud Ammianum Marcellinum, ubi pompam describit, quã Constantius Imper. urbem ingrediens duxit: *erant enim* ut is inquit, *Dracones hastarum aureis gemmatisq; summitatibus illigati, hiatu vasto perflabiles, & ideo veluti iracundi perciti sibilantes caudarumq; volumina relinquentes in ventum.* De iis Claudianus:

*Insignia cohortum.*

*Mansuescunt varii vento cessante Dracones.*

Erat vero signum Draconis purpureum, ut idem Ammianus attestatur. Atqui non in signis tantum Serpentes militibus usi fruere, sed vivi etiam, pugnatoribus sociis auxilium non contemtibile præli-

A præstitere. Legimus enim Annibalem monstrasse Antiocho navali prælia pugnaturo, ut in hostium classem vascula jacularentur Viperis plena, quarum metu perterriti hostes à dimicatione, & nauticis ministeriis impedirentur. Idem cum Prusias jam cedente classe sua fecisset, victor evasit. Antiquæ vero illius militiæ vestigia quædam habentur apud vos Maffæos Romæ, in Canone quodam circa Theodosii tempora, & aliquanto etiam prius confecto, in quo militum omnes ordines recensentur, gestaminaque ipsa suis etiam coloribus picta conspiciuntur, quæ quisque manipulus turmaque, ex quadrupedibus vel alitibus, vel ex colorum varietate signa sibi desumpsissent: ex quibus, quæ facerent ad Anguem, quoniam id operis ordo sibi deposcere videbatur, subjicere non importunum judicavi. *Annibalis stratagema.*

## SENIORES MENAPES. Cap. XVII.

EX his enim seniores Menapes dicti, Anguem luteum pro insigni habebant in parma viridi, cujus marginem ruber limbus ambibat. Umbilicus argenteus erat, circa quem luteus circumducebatur circulus. His autem Serpens terga inferne habebat, caput & caudam sursum versus inflecB debat. *Varia Militum insignia.*

## CORTONACENSES. Cap. XVIII.

QUi vero coloris albi Draconem præferebant in rubra parma, cujus umbilicus erat argenteus, in margine vero circuli duo, quorum interior prasinus, albus exterior, ii Cortonacenses appellabantur, & cum superioribus utrique sub magistro peditum stipendia faciebant.

## THAIPSALI. Cap. XIX.

NAm qui sub equitum Magistro militabant Thaipsali (nisi codex in damno est, & Thessali, forte castior lectio sit) nuncupati, cæruleum gestabant Anguem, terga lævam versus porrigentem, in dexteram vero caput ad caudam incurvantem, qui gestis in Cortonacensibus diversus erat. Horum vero parma alba, umbilicus identidem argenteus, circum quem ruber ducebatur circulus. Inter caput & caudam Colubri, violaceus erat orbiculus.

## PRÆFECTI FABRICÆ. Cap. XX.

INter gestamina vero Fabricæ præfectorũ, quæ sex numero erant, dimidiatus Serpens luteus in horC rum uno conspiciebatur, parma cærulea, aureus umbilicus, margo ruber: intra quem à læva parte, Onyx parvus cum Æthiopis sigillo. Sequebantur ii virum illustrem, Magistrum officiorum appellatum.

## SAGUNNENSES. Cap. XXI.

SEd Angues duo in hujusmodi militum gestaminibus colore rubro, sive, uti ex Ammiano diximus, purpureo, ad similitudinem X. Græcæ literæ in transversum siti, in cærulea parma, cujus marginem ruber limbus circumdaret, eorum erat insigne, qui sub Magistro peditum merentes, Sagunnenses appellabantur.

## BIANENSES. Cap. XXII.

HUmanicipitis autem Serpentis effigies, in cærulea parma ipse quoque unicolor, spiris duabus circa umbilicum aureum datis, capite eo humano superarrecto, & in aversum respiciente, cauda aliquantulum inferne summissa propendenteq; gestabatur à militibus, qui sub Magistro militum per Illyricum merebant, Bianenses nuncupati.

## HONORIANI JUNIORES. Cap. XXIII.

D ERat inter hos quoque mutilati Serpentis insigne, cujusmodi eorum habebatur, qui Honoriani juniores vocabantur. Serpentis id frustum luteum, totam fere parmam circumplexum. Inter caput & segmentum quadra erat & ipsa lutea, angulis in os & in cæsuram versis, in qua tessala conspiciebatur purpurei coloris. Intra Anguem parma omnis rubra, extra tergum circulus albus ducebatur, umbilicus erat argenteus. Erant ii sub illustri viro equitum Magistro.

## MARCOMANI. Cap. XXIV.

SUb eodem præfecto merebant & Marcomani, qui dimidium ipsi quoque Serpentem præferebant coloris identidem lutei, in alma parma, cujus aureus erat umbilicus. Inter segmentum & caput lutea etiam lunula cernebatur adpicta.

## CURIATII JUNIORES. Cap. XXV.

COntra vero in nigra parma luteus erat Serpens eodem circumductus modo, & ipse curtus, orbiculo quodam cæruleo inter caput & incisionem collocato: umbilicus ad angulos rectos decussatus, partes duas adversis angulis oppositas albas, duas cæruleas habebat. Gestabant hoc Curiatii juniores, sub eodem Magistro equitum militantes.

## MAURIALITES. Cap. XXVI.

AT dimidii duo, seque invicem inspectantes albi coloris in parma viridi, quam margo ruber ambibat, eorum erat gestamen, qui sub eodem Magistro equitum Maurialites appellabantur. Hujus quoq; parmæ umbilicus decussatus erat transversis lineis, cujus duæ oppositæ partes albæ, adversæ cæruleæ.

## PRÆFECTUS FABRICÆ. Cap. XXVII.

PRæterea sex illa insignia, quorum superius mentionem fecimus, præfectus Fabricæ septem aliis ordines ducebat totidem gestaminibus insignes: in quorum uno Serpens luteus dimidia sui parte conspicuus, capite truncique parte cæsa in lævam versis, parma cærulea. Inter Serpentis caput atque segmentum orbiculus erat luteus, umbilicus quoque in obliquum decussatus, partim aureus, partim argenteus erat.

## DEFENSORES. Cap. XXVIII.

DUos vero Angues in caducei speciem implicatos, capitibus ad osculum coeuntibus, in parma cærulea, quam ruber ambitus late circuibat juxta marginem, illi gestare, soliti sunt, qui Defensores vocabantur. Horum præfectus erat illustris vir, militum Præsentialis nuncupatus.

## SEXTA PARTHICA. Cap. XXIX.

INteger etiam caduceus, hoc est, totis expressis Anguibus, iisque una cum baculo, luteis, in parma cærulea, cujus marginem purpureus circulus ambibat, insigne erat legionis ejus, quæ Sexta Parthica vocabatur. Militabat sub Magistro militum per Orientem.

## ANGLEVARII. Cap. XXX.

SUb militum autem Præsentiali Anglevarii erant, quorum insigne fuit caduceus ruber, in baculi cujus summitate pila erat, unde Angues prorumpebant, & ad Osculum juxta parmæ medium adflectebantur. Parma erat sapphirei coloris, at dilutioris, quam purpureus ambitus circuibat.

## CORNUTI. Cap. XXXI.

AT sub Magistro militum Præsentiali (alia hæc erat præfectura) Cornuti merebant, quorum gestamen erat parma tota lutea, sed nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in medio cujus Angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam idemtidem rubro emissi ad osculum incurvabantur. In cippi medio ancile parvum erat colore perpictum luteo, duabus in medio nigris lineis, à dextera ad lævam in parallelum dissecantibus, in superiore cujus parte T. centurionis signum notatum erat: de quo alibi diximus.

## FALCONARII. Cap. XXXII.

IN eadem Magistri militum Præsentialis militia, gestamen erat in parma tota purpurea, Angues duo cærulei, colore tamen dilutiore, binæ utrique aures acutæ, longeq; surrectæ. Hi non baculo, sed lato cuidam pedamento committebantur (liceat ita columellam appellare, quæ sustinebat Angues) unde mox in superiorem caducei partem curvabantur: fulcrum illud lato spatio binas hinc inde plicas acutis angulis porrigebat. Medium hujus spatii umbilicus aureus occupabat: qui id præferebant, Milites Falconarii nuncupabantur.

## VINDICES. Cap. XXXIII.

IIs proximi erant & ordine & præfectura vocati Vindices, qui cæruleas Mori instar colubras in caducei morem flexas, pro insigni habebant in parma tota lutea, ubi angues pedamento committebantur appliciti coalitique: aureus erat umbilicus.

## SAGITTARII NERVII. Cap. XXXIV.

DUcebat & Magister peditum ordines aliquot caduceis insignes, ex quibus præcipue erant Sagittarii Nervii, qui dimidio utebantur caduceo quorum scilicet parma coloris erat prasini, rubro

A bro circumducto limbo: Parmæ medium occupabat orbis luteus, in quo Angues purpureæ rubro coalitæ fulcimento, ad osculum in circuli se formam incurvabant.

## BATAVI. Cap. XXXV.

HOrum socii erant, qui cæruloos gestabant Angues in caducei morem flexos, in parma tota rubra. Anguium vero pedamentum album erat, veluti squamis acutis quatuor altera super alteram scandentibus, quarum apices inferne summittebantur. Batavi autem erat eorum nomen.

## MARCOMANI JUNIORES. Cap. XXXVI.

IIs additi erant Marcomani juniores, qui & ipsi caducei formam præferebant: Albas quippe Angues in clypeo rubro, cujus margo albo circumplectebatur circulo, qui fundamentum ad Angues usque coloris ejusdem proferebat.

## MARCOMANI SENIORES. Cap. XXXVII.

NEque quidem hinc aberant seniores Marcomani, qui hunc eundem secuti præfectum, prasinas habebant caducei colubras in alba parma, quam luteus ambibat circulus, rubra vero erat se-
B des pro fulcro supposita, cui applicitæ erant colubræ.

## ATECOTI JUNIORES. Cap. XXXVIII.

ORdinibus his adnumerabantur illi quoque, quorum gestamen erant Angues ex caduceo luteæ, cum rubro pedamento in cærulea parma dilutiore, quam margo ruber ambibat: intra ambitum Anguium figura cordis erat coloris purpurei. Hi vero Atecoti juniores appellabantur.

## EXCULTATORES. Cap. XXXIX.

UNus etiamnum ordo caduceatus eundem Magistrum peditum sequebatur, quibus nomen erat Excultatoribus. Gestabant ii caduceum ex luteis Anguibus auritis, quorum terga crispis acutioribus inhorrescebant. Alba erat parma, quam margo ruber amplectebatur.

## BRACHATII. Cap. XL.

QUi vero sub Magistro equitum caducei gestamen usurpabant, albas præferebant colubras, cum
C pedamento identidem albo in parma prasina, quam ruber ambibat limbus, hique Brachati vocabantur. Reliqua vero insignia, quæ innumera pene sunt, per commentaria cæterorum animalium, ut loco quæque congruebant, singula dispositæ sunt: partim in arma & signa reliqua militaria congesta. Nunc quia res nobis cum Angue est, & in caduceum incidimus, satis habituri sumus, si reliqua caducei significata Commentario hoc explicuerimus.

---

## DE CADUCEO. Cap. XLI.

CAducei species tota prorsus Ægyptiaca est, quam Mercurio præcipue veteres consecrarunt, Draconibus duobus, mare scilicet & fœmina, parte media voluminis sui invicem in nodum, quem Herculis vocant, obligatis: quorum primæ partes reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, caudæ vero ad Caducei capulum revocantur, ornanturque alis ex eadem, capuli parte nascentibus.

## GENESIS. Cap. XLII.

ARgumentum hujus hieroglyphici commenti ad genituram hominis, quæ genesis appellatur, *Hominum nativitatis*
D Ægyptii protendunt, deos præsides homini nascenti quatuor esse memorantes, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, καὶ ἀνάγκην. Ac priores duos Solem & Lunam intelligunt: quod Sol author spiritus, caloris & luminis, humanæ vitæ genitor & custos est, ideoque nascentis dæmon creditur. Luna τύχη, quia corporum præses est, quæ fortuitorum varietate jactantur: Amor osculo significatur, Necessitas nodo: pinnæ mentis velocitatem indicant, qua pernicius nihil. Involucrum vero Draconum, iter utriusque flexuosum ostendit: quæ omnia & pleraque alia Macrobius diligenter examinavit, à quo, quæ diffusius quis exponi quæ sierit, petendum. Occultam sane rerum originem per Serpentis effigiem Valentiniani commonstrabant, positionem intestinorum nostrorum, per quæ esca infertur, in exemplum adducentes, quæ serpentinæ spiræ instar in utero delitescens, occultatæ in nobis genitricis substantiæ specimen habeat. *præsides quod, & qui.* *Ex Macr. lib. 1, c. 19. Sat.*

## MINÆ PAXQUE. Cap. XLIII.

*Nempe Suidas & Polyb. lib. 4 histor.*

SUNT authores haudquaquam aspernandi, qui Serpentes illos mutuis nexibus implicitos, minas & pacem simul ostentare putent: cujusmodi simulacrum Gephyrei armato exercitui prætulisse feruntur, cum Eumolpus Athenienses profligavit: illi enim Caduceum prætendenes, & pacem quietis, & minas insultantibus, offerre visi.

*Hinc illud Διὸς κυέλκειον, hasta caduceum, à Suida & Polyb. lib. 4. Histor. Macr. lib. 1. cap. 9.*

## TERRA. Cap. XLIV

INTERPRETATIONEM eam, quæ Caduceum ad geneseos significatum trahit, Ægyptiacam esse non negarim, sed alia quadam ratione à Macrobiano commento seciore. Siquidem Ægyptii cum maxime omnium humanum genus ex cœno genitum profiterentur, colubros terræ filios esse non ignari, prout etiam in ostentis aliquot accipiuntur, fingentes colubros ita mutuo complexu ad osculum tendere, omnem indicant humanitatem, si salva esse velit, oportere in ejusmodi concordiam convenire: Caduceatores itaque Serpentes eo complexu conjunctos præferunt, ut eos, qui aliis injuriam facere moliuntur, humanitatis admoneant. Quod vero terræ signum sit Anguis, plerisque historiarum locis, sed eo præcipue reperias, ubi Crœsus adversus Cyrum bellum suscepit: eo enim tempore vis colubrorū ingens in suburbanis Sardium locis repenta coorta est, quos Equi in pascua missi passim devorarunt: responderunt divinationum periti, futurum ut externæ gentes indigenas consumerent: indigenam enim esse colubrum, terræque filium, Equum vero & advenam, & bellicosum hostem, de quo suo satis dictum Commentario.

*Anguis terræ signum.*

## CONCORDIA. Cap. XLV.

VERUM si quid in longa hujusmodi rerum indagine ariolari licet, putarim ego picturationem hanc in pacis & concordiæ significatum inde sumptam, quod Serpentis effigies plerisque locis pro bello & odio, funestaque alia quavis clade poni solita est: osculum autem, & pacis, & concordiæ signum esse, negarit nemo. Quin & sacræ pietatis nostræ literæ pacis osculum identidem attestantur. Virga ut loco suo latius ostenditur, tum disciplinam, tum eloquentiæ vim indicat. Si quis igitur pietate gravis, & eloquentia potens, altercantes aggressus, nullam bello salutem esse docuerit, dubium bellorum omnium eventum dixerit, funesta pernicioſaq; demum esse bella commonstrarit, & quæcunque alia ad hujusmodi rem pro loco, tempore, personisque facientia excogitare & eloqui potuerit, perfacile is discordes animos in concordiam trahet, duosque Angues, hoc est, odia mutua doctrinæ suæ virga in unum obligabit, quibus ad oscolum coeuntibus, convenire animos & ad concordiā converſos esse, meridiana luce clarius apparebit. Neque me fugit, esse ovorum genus in magna Galliarum fama, quod anguineum appellant Druidæ, quod ex numero suorum ovorum faciant Angues convolventes ea & salivis faucium corporumque spumis conglomerantes, ut tandem fiat ex multis unum: sive Angues ea sint ova spiris ita conglobati, artificique complexu adstricti, salivarumque profluentium humore concreto crusta superinducatur. Utcumque, id sane constat: ovum hoc quodcunque sit, ad victorias litium & ad cōciliandos sibi Regum aditus mire laudari: perinde ac etiam inguen Anguis in pelle Dorcadum (ne Draconum, ut in corruptis Plinii codicibus habetur, dicamus) nervis cervinis alligatum in lacerto conferre ad judiciorum victoriā perhibetur, cujusmodi rebus magica superstitio mortalium plurimos eludit. Quod si hoc credibile videatur, Philostrato etiam, præter innumeras quas confinxit fabulas, fides adhibenda est: qui Gygis annulū habuisse lapidem scribit, qui montanis Indiæ locis cristatorum quorundam Draconum capitibus insit. De quo quidam annulo multa Plato libro de Justo. & ab eo Tullius in Officiis, quod is qui eum gestaret, pala in volam conversa, à nemine spectaretur, quamdiu pars illa palam attingeret.

*Ad verbū à Plin lib. 29 cap. 3.*

*Ovum anguinum.*

*Plin. ibid.*

*Et lib. 2. de Republ. & lib. 10.*

## PAX. Cap. XLVI.

*Plin. ibid.*

PLERISQUE sane locis videre est Anguium hujusmodi globos, in unam quasi massam adstrictos, de jugorum verticibus ad ima provolvi. Et in Æthiopia ajunt tantam Anguium vim convenire, convolvique in gyrum invicem, ut montis speciem procul aspicientibus reddant: cujusmodi quidem complexus Anguium, & frugifera eorum concordia, causa (ut Plinius inquit) videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie Anguium fecerint: neque enim cristatos esse in caduceo, mos est. Adhæc, numismata tot caduceis insignita, pacis inscriptione præfe-

A præferunt, ut in numo Cæſ. Veſp. Auguſt. P. M. TR. P. cos. VIII. ſigillum eſt cum caduceo & ramo olivæ, inſcriptione adjecta, PAX AUGUSTI. Vidimus & numum aureum Bononiæ apud Achillinos, in quo ſimulacrum alatum eſt, cum caduceo & Serpente quodam à pedibus abeunte, cujus inſcriptio eſt, PACI AUGUSTÆ. Illius ſane Serpentis abitus ablegatum alio bellum oſtendit. Aliæ in hoc numo literæ ſunt, TIB. CLAUD. CÆS AUG. P. M. TR. P. Nam in altero ex ære ejuſdem Tib. L. Claudii numo alatum ſigillum eſt: dextera, veſtimentum à pectore ad faciem tollens: læva caduceum exporrigit, pedibus Serpentem ſinuoſum calcat, quod bello oppreſſo pacem condonatam omnino ſignificat.

*Veſpaſiani ſigillum, & numus.*

*Tiberii Claudii numus.*

## FELICITAS. CAP. XLVII.

CAduceo vero ſi cornu copiæ adjiciatur, felicitatis indicium eſt, quod in ejuſdem Veſpaſiani, & aliorum numis obſervavimus. Nam & Hadriani numus eſt eodem ſignificato, atque inſcriptione, quæ in Trajani habetur, quippe FELICITAS AUG. Vidimus etiam in Antonini Pii numo caduceum & olivæ ramum fructibus & foliis onuſtum, cujus eſt inſcriptio, FELICITAS AUG. In Severi vero Macrini Auguſti numo non olivæ ramus, ſed haſta in læva eſt manu, caduceus dextera prætendi-
B tur: inſcriptio, FELICITAS TEMPORUM. S. C. Haſtam autem intra alia ſignificata humanæ etiam ætatis indicium eſſe alibi oſtendimus, ac perinde temporis. In Juliæ Mameæ numo, Dea lævo cubito columellæ aſſurgentis capitulo innititur dextera caduceum tenens: inſcriptio, FELICITAS PUBLICA. S. C. Columna enim habet, neſcio quid, in ſignificato quod ad publicum pertineat: de qua loco ſuo plura. Ex his dubio procul conſtat, quid ſibi velit caduceus ille, qui ſitus eſt in medio cornuum duorum in numo Druſi, quidque ſolus ille in numo, cujus inſcriptio eſt, M. PLETORI SEST. EX S C.

*Hadriani. Trajani, Antonini Pii, Severi, Imperatorum, & Juliæ Mameæ numi.*

## ELOQUENTIA. CAP. XLVIII.

SEd quia Serpentem pro aſtu poni docti ſumus, ex Ariſtotele dicente, animalia quædam eſſe aſtuta per ſe, ſicut ſunt Serpentes: magis vero ex lectione ſacra, quæ prudentiam huic in primis animali tribuit, ea etiam de cauſa Angues caduceo complicari putamus: quod oſtendere voluerint, & calliditatem & prudentiam neceſſarias eloquentiæ, quæ per virgam ſignificatur, quippe quæ regat dictis animos. Neque deſunt qui virgam auream in Mercurii manibus, à qua Deus ipſe χρυσόῤῥαπις appellatur, dignitatis & excellentiæ, quæ illum ornant, qui & ſcite & opportune norit orationem
C contexere, ſignum eſſe contendunt.

*Id eſt, auream virgam geſtans Hom. Odyſſ. υ. verſ 87.*

## SAPIENTIA. CAP. XLIX.

VIrga vero Palladi, totius ſapientiæ Deæ, ab Homero paſſim accommodatur. Vlyſſis quoque ſocii uno virgæ capite, falſa quippe perſuaſione ac inſipientia, in brutorum ſpecies transformantur: altera virgæ capite, vera quippe diſciplina ac rerum peritia, in humanam reſtituuntur effigiem. Reliqua vero taceo, quæ Moyſes ubique virgæ fretus munere ſcribitur effeciſſe: nam alibi ſuper hoc ſuus erit locus. Quam vero nunc tractamus, ea eſt divina virgula, de qua M. Tullius in calce primi libri Of-
D ficiorum ait: *Quod ſi omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi virgula divina, ut aiunt, ſuppeditarentur.* Atque hanc dicendi formam apud alios etiam authores invenies, qui ex hoc effuſiſſimam eam DEI Opt. Maxim. munificentiam intelligunt, quæ omnia ſecundat, fortunat atque felicitat.



*Virgæ Palladis quæ. Hom. Odyſſ. ε. & π. Hom. Odyſſ. α.*

## VERA DISCIPLINA. CAP. L.

EUndem hunc Scipionem noſtri ſic figurant, ut ad omnium fere templorum facies juxta limina, coloſſeæ magnitudinis figuram humanam pingant, quæ Chriſtum puerulum in humeros ſuſtu-

*Nempe Chriſtophorum.*

lerit:

lerit: quod, ut mea fert opinio (nam historia omnino apocrypha est) ea de causa fit, ut si Christum gestare humeris, hoc est, veram sapientiam enanciscivolumus, dandam esse operam impensissimam disciplinæ admoneamur, robori cujus innixi, rapidos quorumcunque amnium cursus profundita-
Gen. 32, 10. temque, ac torrentium impetus facile superemus. Et quod Jacob ait: *In virga nostra Jordanem pertranseamus*, sane Jordanis vel quodvis aliud flumen, fluxos animi motus, & voluptariæ mollitudinis affectus indicat: virga disciplinam, sine qua non esse progrediendum Græco monemur adagio, qua qui firmiter innituntur, nullis perturbationum occursibus deturbantur, nullis undarum quantumlibet inturgentium fluctibus immerguntur: pedibus vero per ima vel ipsius pelagi demersis, vix crure genuve tenus alluimur: capita autem, ut ait ille, condimus intra sidera, Deumque ipsum sustinere humeris videmur, ac veri demum evadimus χριστοφόροι, in quos ubi sagittæ fuerint immissæ, eædem in jaculatores suos sponte retorquentur, ut in vulgata habetur historia. Quid enim in universa literarum peritia facilius, quam, eorum calumnias repellere, ac suismet unumquemq; jaculis conficere, qui sanctissima nostræ pietatis instituta vel incessere, vel convellere aggrediatur, quæ certo Dei sit præsidio firmata, magni verique numinis munimento quam validissimo roborata?

# JOANNIS PIERII VALERIANI
## HIEROGLYPHICORUM
### LIBER XVI.
## DE IIS QUÆ PER ÆSCULAPIUM GORGONAS, HYDRAS, ET ID GENUS ALIA SIGNIFICANTUR
### Ex Sacris Ægyptiorum literis.
### AD MAGNIFICUM MARIUM MAFFÆUM ROM. PATRITIUM

*Ibi vero elegantissime Mari, tertium de Serpentium significationibus commentarium dedicandum judicavi, ut universa, hæc materia, quæ à vobis honorantissimis fratribus magna sui parte profecta est, ad vos identidem rediret, laudatiq; ea, quæ ad Reverendiss. Cardinalem, quæq; ad Achillem fratres tuos miseram, significatiq; libellos illos pro humanitate tua libenter ac lecti in illis tamen desiderasse quædam alia, ut opus absolutum undecumq; videretur, præter Æsculapium, fabulosa scilicet illa, Gorgonas, Hydras, & id genus alia: tum quædam venenatorum genera, Dipsadem, Scorpium, Salamandram, quod in illis quoq; inesse debere hieroglyphica augurari: proinde curasti, ut hæc mihi nomine tuo per Florum nostrum significarentur, ne contentus iis esse vellem, quæ duobus illis Commentariis collegissem. Respondi, dilectiss. Mari, agere me gratias incomparabili humanitati tuæ, quod ita me admonueris, mearumq; nugarum, qualescunq; essent, curam suscipere dignareris: sed quod in prioribus illis non omnia sim complexus, minime per negligentiam esse factum scias, imo quia veritus sum vos fratres virosq; tam præstantes, magnis & innumeris Christianæ Reipubl. negotiis oppressos, dictione mea tam levi diutius occupare, summumq; fuisse brevitatis studium, ne in publica peccarem commoda, si tempora eorum longo morari sermone voluissem. Quoniam vero ita te cupere declarasti, ut illa ad argumentum hoc adderentur, dedi operam, ut ea quoq; colligerem: quæ cum longe plura essent, quam pro corollario subjici possent, eadem impeditus verecundia, ne nimia nugarum congerie importunus fierem, longe tolerabilius esse judicavi, si residua hæc in unum, idq; justum adstruerem commentarium, ac veluti Serpens linguis micat ore trisulcis, tribus itidem libellis loqueretur. Nam si alituum pleraque, quadrupedum multa, humani tantum aliquot, multa de plantis, de piscibus, & aliis rebus non admodum pauca, cur non & tria de tanta Serpentium varietate conscribi possent? Sed enim hoc tertium nulli convenientius dedicari debuit quam tibi, qui author impulsorq; fueris, ut ea conquirerentur: egoq; importuni nonnihil perbelle declinavero, cum tu ipse crabrones in te sponte tua concitaris. Vale.*

ÆSCU-

A

## ÆSCULAPIUS. Cap. I

ANguis significatum apud Romanos, perinde ac apud Græcos & Ægyptios, sanctum semper fuit, per quem nimirum ipsum salubritatis Deum Æsculapium intelligebant, quod numismata, quod marmora, quod Græcæ, Latinæque omnes historiæ testantur: plurimæque passim statuæ, per quarum crura & genua Serpens flexuosis voluminibus implicatur, locorum ubique Romæ, ac in toto terrarum orbe conspiciuntur. Inesse quidem Angui remedia multa, experimento compertum est, neque ullum esse ajunt apud Medicos volumen, quod Anguium in ægritudinibus beneficia non latissime demonstret, ut minus miremur Serpentis effigiem ex ære in contum surrectam à Mose, in quam populus oculos intendens, ab incommodis, quæ se in itinere tam longo oggerere potuissent, divino spirante præsidio liberarentur, de quo loco suo plura diximus. Quinetiam, ut ad remedia revertamur, inventum est ab Antonio Musa Augusti medico in ulceribus insanabilibus Viperas edendas dare, miraque ita celeritate persanare. Et quam-

*In Angue remedia multa. Author Plin. lib. 30. cap. 13. Quineti in Elephantum morbos sanant.*

B vis pernicioſa multa sint ex Anguibus exempla, non ita tamen alienum à ratione est eorum genus, si modo, quæ bruta honeste atque prudenter facere videntur, ratione ea fieri concedamus: ut non aliquando magna & amicitiæ & fidei documenta præstiterint, & eam justitiæ partem exercuerint, quæ in homine raro admodum inventa perhibetur,

## HOSPITALITATIS JURA. Cap. II.

SCribit Plutarchus Aspidem ab Ægyptiaco viro quodam patriæ religionis superstitione tam familiariter alitam, ut ad mensam assidue ventitaret, quæ cum catulos enixa esset, quorum unus hospitis filium enecavit, regressa parens, intellecto facinore, filium & ipsa suum morte multavit, ac voluntarium exilium sibi in perpetuum delegit. Apud Philostratum legere est, Ajaci Locrensi Draconem mansuetum in deliciis fuisse, cui cibum de mensa communi ministrabat, quemque perinde ac Canem secum comitem adducebat: addit, eum quinque cubitorum magnitudinem expleſſe. Neque illud prætermittendum, quantum ad salutis significatum pertinet, publicatum esse, Neronem à per-

*Suetonius in Nerone cap. 6.*

C cussoribus, quos in eum Messalina immiserat, Serpentis ope servatum, cum è pulvino, ubi ipse quiescebat, se proferens, eos absterruisset: sive ea fabula fuerit, sive Serpentis exuviæ, quas ex voluntate matris dextero brachio adalligatas aliquandiu gestavit, ac tædio tandem maternæ memoriæ abjecit: rursusque, ut alio Commentario dixi mus, extremis suis rebus frustra requisivit, quippe qui speraret adversus infortunia, quæ undique jam pertimescebat, amuletum id sibi profuturum. *Suet. Ibid.*

## SERVATOR. Cap. III.

QUinetiam ferunt Heleos adversus Arcadas dimicaturos, Serpentis ope victoriam consecutos, oblato sibi puero dum in aciem descenderent, quem nudum ante omnes ordines statuerunt, Arcadibusque irruentibus pueris in Draconem mutari visus, cujus horrenda specie perturbati Arcades, disruptis ordinibus fugam turpiter arripuere: in cujus rei monumentum Helei sacello ibi erecto, ubi condi Serpens visus fuerat, Sosipolin inde Deum religiosissime coluerunt.

*Urbis conservatorem.*

## SALUS. Cap. IV.

MErito vero salutis significatum Serpens sibi vindicasse videtur, à quo, ut initio dicebamus, multa in humanum genus remedia procedunt. Apud Lactantium legas ictui viperino præsens

D admodum esse remedium Viperam ipsam exustam, & in cinerem redactam. Citat hanc artis medicæ peritiam Adamantius, ubi homilia 17. super Numer. sacrificiorum dæmonicorum virus per sacrificia, quæ olim Deo offerebantur, depelli dicit: veluti Serpentium venena medicamentis nihilominus ex Serpentibus confectis depelluntur, ut perhibent. Apud Cebetem observes, Viperæ dente semel tactum quempiam, nulla deinceps venena formidare. Tradunt alii, qui Viperæ jecur conditum semel hauserit, nullius inde Serpentis ictum pertimescere debere. Quid vero illud, quod à Dioscoride traditum est, homines qui Viperis conditis in cibum uti consueverint, longiora vitæ spatia producere, & ad summam senectutem incolumes pervenire? Isigonus Cirnos memorat Indorum genus, qui centenis quadragenis annis vivant, quia Viperinis carnibus alantur: adhæc, neq; capiti, neque vestibus eorum, noxia corpori ineſſe animalia, eamque causam videtur Tertullianus afferre, cur tanta sit

*Idem apud Matthæolii in Dio. lib. 6. cap. 47. Dios. lib. 2. cap. 16. Ægyptios etiam Viperina carne vesci alii Gal. lib. 3. de alim. facult.*

Cervo

Cervo vivacitas: quippe quod ipse ætatis suæ arbiter, Serpente pastus, veneno augescit in juventutem: vel, veneno languido exit in juventutem, ut vulgata habent exemplaria. Et Nazianzenus, ut Basilii rudimenta commendans, philosophiam & politiores alias literas à Christiano homine minime contemnendas esse disserit, Viperam in exemplum adducit, ex carne cujus singulare remedium gravioribus morbis excogitatum est: id ad hanc usque diem à maxime fera perniciosaque bestia κατ' ἐξοχὴν Theriacum vocamus. Sunt qui tradant Viperas in Arabia, ubi balsamum colligitur, innoxias ictu: quod venenum balsami leniatur succo, quo illæ dicuntur ali. Addam & illud tametsi κ̣τ̣ πα̣ρ̣ὸ̣ν, quod apud Theophrastum legas, Viperarum morsibus tibicinem qui moduletur adhibitum efficacitatem habere medicinæ. Quæ quidem commemorare libuit, ut non immerito numismata tot cusa existimemus, quæ Serpentem habent cum inscriptione Salutis: veluti ille est numus in spiram collectus, cujus inscriptio, SALUS ANTONINI AUG. In alio ejusdem numo Serpens est tractu sinuoso, tortilique obrepens virgæ, quam signum ibidem adjectum dextera humi applicat. Atque in alio Dea ipsa læva virgam gerit, dextera poculum Angui porrigit: inscriptio, SALUS AUG. cos. IIII. In aliis, ipse sella sedens pateram porrigit Angui suo de loculo exeunti, caputque pateræ admoventi: inscriptio, SALUS AUG. In numo vero M. Aurelii Severi Alex. sedenti simulacro pateramque porrigeni assurgit Anguis, cum inscriptione, SALUS PUBLICA. Sed ne singula commemorem, quæ quidem sunt innumera, Commodi Crispinæ, & aliorum, per Angues denique omnes Salutem intellexere. Quod autem ferunt Æsculapium sub Anguis specie Romani legati navem sponte ingressum, cum ipsi Epidaurum adversus pestilentiam opem imploraturi adnavigassent, scribunt Græci tale aliquid sibi etiam obtigisse, cum ipse idem Deus Draconis effigie à Nicagora Echetimi uxore ad Sicyonios mulorum bigis invectus est. Neque desunt qui super Æsculapio comminiscantur historiam, educatum quippe Draconem ab eo, in Pelei montis loco, qui Pelethronius à florum ubertate nuncupatur; Throna enim flores vocant lingua Thessala. Addunt Anguem eum fuisse nigrum, utero subviridi, figura pulchra, triplici dentium ordine, fronte, & supercilio admodum pingui, cui præ pinguedine toruli veluti quidam sub mentum reducti, barbæ speciem reddebant, quæ lurido fellis colore infecta videretur. Ictus ejus innocuus, illi quem sorices infigunt, perquam similis, etiam cum vehementer lædere conabatur. Genus hoc Serpentum assidue cum Aquila bellum gerere ajunt, fœpeq; in ejus nidum prorepere, ovaque depasci, ac illi semper insidias struere, cum præsertim ad prædam advolarit, quasi Jovem ulcisci velit, qui dominum suum fulmine sustulisset. Horum autem conflictum operæ pretium est apud Nicandrum legere. Sed ut apud Pausaniam est, Dracones qui Æsculapio appingebantur, colore erant subflavo, quales in Epidauria tellure tantum inveniri tradit. Cum veroÆsculapius Apollinis, hoc est, salubritatis filius fingatur, ideo nonnulli dixere, Serpentis eum insignia gestare, quod homines cum in ægritudinibus, ut Homerus inquit, neq; non Hesiodus, cito senescant, salubritate adveniente iterum juvenescere videantur. Spectatur hoc idem in Sole, dum ab hyemali senecta ad vernam sese proripit juventutem.

*Numismata plurima cū Serpentibus quare cusa.*

*De Æsculapio sub anguis specie historia.*

*Quin Æsculapius fulmine periisse dicitur ex Virg. l. 7. & Orpheo in Argon.*

## PRUDENTIA. CAP. V.

QUod si medicinæ rationem habeamus, Serpens hic prudentiam indicare videbitur: nam & Assertoris nostri dictum est, *nos esse debere prudentes*, admonentis, *sicuti sunt Serpentes*. Ideo ex Valentinianis quidam Sophiam illam suam Serpentem factam dicunt: quapropter & contrariam extitisse factori Adæ, & rerum cognitionem hominibus infudisse, eaque de causa Serpentem omnium sapientiorem habitum: de quo latius apud Irenæum. Nam cum prudentia non præsentia tantum examinet, verum & lapsa & futura meditetur, & tanquam è specula prospectet, medicum exscribere videtur, quem oportet, inquit Hippocrates, pensitare diligenter,

*Medici prudentia.*

*Ab Homero Iliad. a.*

Ος̣ ἤδη τὰ̣ τ̣' ἐόντ̣α̣, τὰ τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

*Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.*

quod quidem hieroglyphice per tricipitium in Apollinis etiam simulacro factum invenies, cujus pedibus ingentis vastitatis Serpens triceps subjiciebatur. Capita ea, Canis unum, Lupi alterum, tertium Leonis, de quo alibi disseruimus, & prudentiæ signum id esse demonstravimus.

PER-

## PERNICIES. Cap. VI.

A Visebatur autem in Delphis apud oraculum Serpens, qui singulari certamine videretur Apollinem provocare, observatum à Plutarcho: pernicies enim saluti semper adversatur. Inter agalmata Pontificia, quæ Romæ in Pulchræ speculæ recessu, ob veterum quippe artificum admirationem, visuntur, Julius II. admirandæ illud vetustæ artis & ingenii signum restituit, Apollinem ἑκατηβελέτην, ubi Vipera serpit ab imo laurini trunci, cui dextero innititur femore. Non temere illa facta, sed tum hæc, quæ modo retulimus, tum Pythonis, hoc est, ægritudinarii veneni cædem indicat, quem Apollo, ut Ovidius: *Statua Apollinis Romæ à Julio II. restituta.*

*Mille quidem fodit telis & pluribus hydrum.*

Statuæ vero hujus facies, osque ipsum Octaviani Augusti videtur esse, ejusque junioris lineamenta, quæ spectantur in numis, repræsentat. Sunt autem Pythones & dæmonum genus, cui, ut scribit Adamantius, Dracones, aliique Serpentes ministrare perhibentur. Sed de iis alio commentario plura disseruimus.

## GIGANTES. Cap. VII.

B Diodorus quoque per Serpentem voluminibus implicatum, malum interpretatur, præcipueq: Gigantum genus, qui terrarum orbem olim oppressere. Et Commodus Imperator, uti legere est apud Lampridium, homines, obtortis pedibus, utpote Draconteis, Gigantes appellare solitus, eosque sagittis ex libidine configere. Et statuas giganteas pene omnes obtortis cruribus videas, ut anguipedes illos Terræ filios ostentent: nam & Naso anguineos habuisse pedes, ait Gigantes, qui centum quisque brachiis cœlum capere conati sunt, eo versu: *Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues, Ovi. 5. fast.*

*—Cum centum quisque parabat*
*Injicere anguipedum captivo brachia cœlo,*

Et in Ætna Maro:

*His natura sua est aluo tenus, ima per orbes*
*Squammeus intortos sinuat vestigia Serpens.* *Horat. 2. Car. Catul. in Argon.*

## HORRIFICUM. Cap. VIII.

C Quas vero colubras Eumenidum crinibus obvolutas ajunt, ab Æschylo Poëta tragico primum excogitatum Pausanias attestatur: cum antea nihil neque in his, neque in alio quopiam ex infernis deis quicquam esse horrificum existimaretur. Manifestissimum est enim totum hoc terroris argumento confictum: loco tamen ea terribilia esse ex Assertore nostro totiens audimus, ubi sit fletus & stridor dentium, & quæ passim sacræ literæ de gehenna ponunt. Ut vero ad Anguium terrificum hieroglyphicum revertamur, non temere Tiber. Grachus timuisse videtur, cum in spaciosa galea, qua in bellis uti consueverat, Angues offendit ova peperisse, fœtusque jam formatos, paulo antequam multitudine Quiritum oppressus interficeretur. *Pausan. in Achaicis.*

## VASTITAS. Cap. IX.

Jam Draconem, quem mali significatum habere dicunt, Crocodili nonnulli speciem esse putant, fortasse quia vastiore pingeretur corpore: nam alicubi mirifice crescunt. Maximus enim Tyrius tradit, apud Indos Alexandri tempore Draconem fuisse quinque jugerum magnitudine, cui Boves
D & Oves in cibum Indi ministrarent. Alii omne Serpentum genus indifferenter accipiunt, cujusmodi monstrum Annibal à tergo subsequi prospexisse fertur: belluum quippe vastam & immanem circumplicatam Serpentibus, quæ quacunq; incederet, omnia arbusta, virgulta & tecta pervertebat, quod vastitatem Italiæ portendere divinitus intexerit. Neq; temere Faustina visa sibi in somnis Serpentes parere, sed ex his unũ ferociorem, cum Antonium & Commodum in utero gestaret, quod vita deinde Commodi, voluptuosa simul ac perniciosa, reipsa comprobavit, non hominem, sed immanem Hydrum ad humani generis internecionem emissum. Argiphontem Pausanias dictum ait Mercurium, quia ὀφιοκτόνος fuerit, Serpentem quippe sustulerit, quem nonnulli ἄργην vocant, vel quasi ἀργὴς ἀπὸ τοῦ φονεύειν, quod cæde abstineat: pacis enim Deus est Mercurius. Quamvis Leotychidas Lacedæmonius Aristone patre nobilis, neque sua obscurus virtute, portenta hæc atque alia eludere *Faustina somnium.* Ἑρμείας ἀργειφόντης. *Mercurius Argicida. Hom. Odys. α. vers. 38.*

consueverit: nam cum propinquioris portæ clavi Draco circumvolutus esset, monstrumque id esse vates denunciaret: *Minime mihi quidem videtur*, inquit, *sed si clavis Draconi circumvoluta esset, monstrum asseverarem.*

*Quod Argum interfecerit, ut sibi Eust.*

## VOLUMEN. Cap. X.

*Serpentis interfector.*

ALibi cur Dracones Cereri vectandæ adhiberentur, explicuimus, sed quoniam nihil prætereundum existimavi, quod in significationum argumentum apud scriptores veteres comperissem, addendum quoque fuit, scripta lucubrationesque in Anguium nomen devenire: siquidem Ceres Hesiodi interpres Dracones, quibus vecta Ceres Proserpinam quæritabat, significare ait volumina, quæ Triptolemus de agricultura conscripsit, eoque loco δήμητραν, Terram matrem interpretatur: consuesse enim Dores γ in δ vertere, ita quæ γῆ μήτηρ, δήμητρα mox dicta.

## TROPHONIUS. Cap. XI.

*Sed & Veterum, ut Euripidu in Ione. Cicero Tuscul. lib. 1. Aristo in Nubib.*

SImulachra quædam juxta Ercynam fluvium in specu quodam fuisse memorat Pausanias, quæ dicata erant cum sceptris, circa quæ Dracones obvoluti complicabantur, quæ nonnulli, antiquarum rerum ignari, Æsculapii & Hygiæ simulachra existimabant, cum tamen Ercynæ & Trophonii essent hieroglyphica, quibus etiam antiquitas Dracones consecravit, sive ob oraculorum prudentiam, sive ob rei, quæ in promptu erat similitudinem, quod oracula Trophoniana subterranea in specu reddi solita: in specu autem & subterraneis cavernis Angues libentissime latitare ignorat nemo. De Trophonio pleni sunt doctorum ætatis nostræ libri.

## BOREAS. Cap. XII.

BOream quoque ventum ajunt hieroglyphice Viperinis caudis, pedum loco, præditum figurari, qua quidem specie insignis cum Orithyiæ raptu in Olympia visebatur, in donario à Cypselidis dicato.

---

## DE SCORPIO. Cap. XIII.

INter serpentia Scorpius non habet locum, sed quia venenosum est animal, hic minime prætereundus fuit: super eo tamen partem eam tractare prius instituimus, quæ cum Crocodilo negotium habet.

## HOSTIUM CÆDES MUTUA. Cap. XIV.

*Crocodili cum Scorpio odium*

HOstes enim duos pari conditione inter se dimicantes, viciſſimque in damna mutua concurrentes, ostendere si vellent Ægyptii sacerdotes, Scorpium & Crocodilum pingebant: nam ii genuino quodam inter se odio flagrantes, simulatque alter alterum inspexerit, in mutua funera sponte rapiuntur, amboque eadem dimicatione perimuntur. Quia vero & terrestris & marinus Scorpius invenitur, de marino hic dubio procul intelligendum. Quod si rem evestigio peractam indicare voluissent, Crocodilum Scorpio subjectum pingere mos erat: ictus enim Scorpii quam primum interimit Crocodilum: sin distractam diutius pugnam, difficulterque in necem deventum ostenderent, superatum à Crocodilo Scorpium faciebant: is enim motu segnis, longe diutius laborat antequam hostem assequatur, & interficere possit.

*Citatur à Commentatore Nicandri.*

## DOLI FALLACIÆQUE. Cap. XV.

TErrestris vero Scorpius doli atque fallaciæ signum habetur inprimis, estque apud Sophoclem in Captivis, proverbium in hanc sententiam, ἐν παντὶ γάρ τι σκόρπιος φέρει λίθῳ, quippe *sub omni lapide Scorpium insidiari.* Sic & Theriacis Nicander:

Σκόρπιος ἀμφιδύῃς ὀλίγῳ ὑπὸ λαὶ λοχήσας.
*Scorpius insidias parva sub caute tetendit.*

Apulejus acerbitatem morum per Scorpium notat, ubi illa: *Nosti quendam barbarum nostræ civitatis Decurionem, quem Scorpionem præ morum acritudine vulgus appellat.* De insidiis vero, quæ post aliquam felicitatem subsecutæ fuerint, Sidonius de fortuna loquens ait: *Quæ virum, ut Scorpius, ultima sui parte percussit.* Quin & Mathematici vel Ambrosio teste, percussorem, & ad invadendum ex insidiis promptum eum futurum dicunt, quem Scorpius nascentem exceperit.

IN-

A

## INNOCUA PRAVITAS. Cap. XVI.

IS in aquam mersus si figuretur, innocuam significat pravitatem : quandoquidem & ipse & Serpentes alii, qui prævalent in sicco, si præcipitentur in aquam, ut Cyprianus ait, prævalere non possunt, innoxiique efficiuntur. Divinæ vero literæ per Scorpium indicant & diabolum & ejus sectatores, de quibus Evangelium *Dedi vobis potestatm calcandi super Serpentes & Scorpiones*. De Serpente autem, quod ad hanc rem facit, satis superius dictum est, *Scorpius in Divinis.*

## LIBIDO. Cap. XVII.

ADhæc, libidinem & nequitiam Scorpius pictus ostendit, eique ex humani corporis partibus pudenda sunt dedicata. Ei signo Mars dominatur, adulterorum semper infamia notatus. Et milites omnes mulierosos, ait Aristoteles. Et supra finitorem prodeunte Scorpio ortos Mathematici lascivos esse dicunt, quare huc forte spectat illud D. Hieronymi dictum de virgine ad Avitum : *Cavendum, ne arcuato vulnere Scorpii vulneretur.* Cœlestem vero Scorpium, ob aculeum, qui est instar B teli, sunt qui velint humani generis perditionem significare : cum Libra Veneri dicata, inter Scorpii chelas posita, matrimonii concordiam ostendat. *Mathematica de Scorpio observatio.*

## TERRA. Cap. XVIII.

AB eisdem Mathematicis desumptum crediderim id Scorpii significatum, ut pro terra nonnunquam figuretur : ajunt siquidem illi necem à terrestribus animalibus iis obventuram, quibus Mars in Scorpio certo quodam loco repertus fuerit. Adhæc numus quidam est, in quo quadrigæ sunt cum Victoria & his literis, Q. EL. JULIBURSIO, ab cujus altera facie caput est cum laurea, & alis, ab occipitio cujus fuscina est & Scorpius, quod victoriam terra marique partam significare videatur.

## AFRICA. Cap. XIX.

UTrum vero doli fallaciæque Pœnorum, quæ tot bellis universo terrarum orbi per tot annos innotuere; an corporum color fuscus, an quid aliud argumentum dederit, ut Scorpius Africæ C terræ symbolum haberetur, diu multi quæsivere. Id sane constat, in Hadriani quibusdam numis, Scorpium non aliter Africam significare, quam Cuniculus Hispaniam, Equus Italiam ostentet. In quam sententiam ut adducar, facit ingens atque adeo perniciosa Scorpionum multitudo, quam ea regio gignit, adversus quos Strabo ait remedia ab indigenis excogitata : cum dormitum eunt pedes allio, atque etiam lectos ipsos illinire. Animadvertendum vero, si Scorpium pingere contingat, ne quis Nicandri versu decipiatur, ubi author ille dicit, à cuspide novem compagibus spondylos contineri ; *Hadriani numi.* *Hoc remedium à medicis non numeratur, licet plurima alia memorent Dios. l. 1. c. 11. ibique Mattheolus*

—Τοίῳ δ' εἰ ἐπὶ κέντρῳ
Σφόνδυλος ἐννεάδεσμοι ὑπερτείρου σικερέης.

Ἐννεάδεσμοι non est ibi simpliciter pro novem nodis positum, ut Antigonus & Demetrius arbitrati sunt, sed pro multis, ait interpres : septem enim tantum compages habere caudam Scorpii, manifestum est, sæpe vero novem pro multitudinis numero ponitur. Quinetiam Nicander idem ἐννεάκεντρον dixit, de eo, qui duos tantum aculeos haberet, quæ quidem opinio est Apollodori. Et de nobis D numero septem unicuique cernere volenti facile constabit.

---

## DE SALAMANDRA. Cap. XX.

SAlamandra quoque inter malefica venenosaque animalia recensetur : quare illam quoque quanta poterimus dexteritate tractabimus. Est hæc Crocodilo terrestri facie perquam similis, licet non sit Stellione major, majoris quippe lacertæ magnitudine, quales ego in Bellunensis agri saltibus, Castalioneo secessu meo magnis imbribus excitatas aspexi : & in fontis mei cujusdam aquæ ductu, quem macerie atque cespitibus struxeram, septimo post anno cum eum reficerem, multas inveni ipsum fluentis aquæ marginem accolentes parvo inter se distantes intervallo, ea ipsa figura coloribusque præditas, qua pingitur ab authoribus.

## AB IGNE CIRCUMFUSO NON OFFENSUS. CAP. XXI.

HOMINEM undique ignibus impetitum, sive cladibus iis, quæ per ignem significantur objectum, minime tamen ulla ex iis parte læsum significare si vellent Ægyptii sacerdotes, Salamandram pingere consuerunt: ea siquidem per ardentes carbones inambulans, nullo ab his afficitur nocumento: tantus enim illi rigor, ut ignem tactu extinguat, non alio modo, quam glacies.

## CONSTANTIA. CAP. XXII.

*Salamandræ rigor. Ex Arist. contra tamen Plin. lib. 10. c. 67. & Gal. lib. 3. de temp.*

NAZIANZENUS pro constantia Salamandram ponit, dum animal id in igni medio, qui omnia domat, non solum lætari dicit ac vivere, sed eum omnino etiam extinguere. Ita se cum Basilio, Athenis in igne perfidiæ Deum verum colendo incolumes versatos gloriatur: quinetiam eum professione sua atque constantia suppressisse.

## AMATOR. CAP. XXIII.

SUNT qui per hujusmodi speciem, per Salamandram quippe in igne positam, amatorem ostentent, quod amorem ex igne significari apud omnes vulgatum sit, ut in Facibus latius à nobis dictum, & ardere se amantes omnes profiteantur: cumq; ita vitam in æstu trahant, erudite se feciſſe putant, si figuram hujusmodi ardoris sui simulacrum prætulerint. Sedenim, hoc haudquaquam probatur, quia si Salamandra ignem rigore extinguit suo, ea utique non æstuat, quod in primis amator sentiri se clamat: utpote qui vel intimis medullis exuratur, vel lentis penitus ignibus maceretur, hunc urat amor, hunc urat protervitas, cum *fervidus sit puer Veneris, Cupidoque semper ardentes acuat sagittas*: *Ardeat Atrides medio in triumpho virgine nupta*, & quæ plurima in hunc modum Poetæ scribere consueverunt, uti etiam apud Maronem, *Cæco carpitur igni Dido, agnoscitque eadem veteris vestigia flammæ, uritur infelix ardet amans, trahitque per ossa furorem, ac totam incensa per urbem debacchatur.* Mitto quod fabulantur alii, Salamandram igne pasci, atque ideo amantem referre: quod ille sit huic veluti cibus, quo se oblectet assidue.

*Amatorum ardor. Lib. 4. Æn.*

## AMORIS NUTRIMENTUM. CAP. XXIV.

*Pyralis & Pyraustæ cum Salamandra comparatio. Hæc ex Arist. lib. 5. c. 19. de hist. Animal.*

SIGNIFICANTIUS enim hoc exprimi potuisset, si bestiola illa posita esset paulo Musca grandi major, quæ in medio nata igne, per ignem salit atque inambulat, id quod in Cypro insula videri authores trahunt ærariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingestus diebus compluribus crematur, de qua quidem illud spectandum maxime, quod quamprimum longiore paulo volatu à flammis abscesserit, emoritur. Hanc alii Pyralin, alii Pyraustam vocant. Zenodotus in ejus cognomine videtur hallucinari, cui de lampade id attribuit, quod minutulo cuidam Papilionum generi inesse videmus, æstivis temporibus, vespertino crepusculo statim incipiente, quam Apulejus novo, uti suus est mos, vocabulo Flammidem appellat, multi Nitedulam, certe Græci Lampyridem vocitarunt. Verum hæc quæ loquimur Cypria, longe alia est. Quod vero dictum est, Salamandram in ambulatione sua ignem extinguere, authores gravissimi sunt qui contra una cum Sextio sentiunt, ignemque ab ea lædi omnino negant, idque Plinianis adhuc temporibus Romæ incompertum erat, neque adhuc aliquis se vidisse testatur: nos vero eam non modo ardentes prunas non extinguere, verum etiam vestigio emori experimento comperimus, animali eo à Bernardino Pollano nobili Tarvisino, hospite tunc meo, ab eodem fonte meo allato in domum. Alii vero qui rem ut exploratam & ipsi scribunt, causam etiam investigarunt, cur id efficiat Salamandra: animal enim sine squamis & cute esse, corpus habere frigidum, & maxime humidum, quo singula quæcunque contigerit humectet multo magis, quam Limaces faciant, humoremq; illum à corpore tam longe diffluentem, vim eam habere, ut ignem extinguat quem attigerit, λιποῤῥινὸν ea de causa Nicander eam appellat, sive quod cute carerat, quæ ῥινὸς dicitur, sive quod à cute humor ille largius emanet.

## HIRPI. CAP. XXV.

*Per medium ignem ambulantes.*

NE vero adeo alienum à fide videatur, Salamandram & aliquod aliud animal posse per medium ignem incolume transire: scimus familias quasdam agro Falisco rum fuisse, quæ super ambustam igni struem ambulantes non adurerentur. Hirpos illas vocare, & ob id perpetuo s. c. militia, omniumque aliorum munerum vacationem habuisse. Sedenim ætate nostra vidimus Romæ Benedictum

A dictum quendam Teutonicum, arte speculorum fabrum, qui non temere profitebatur se per flammas medias incessurum, citra ullum vel capilli unius detrimentum, quem & plurimum, & Teutonico ritu valde promissum habebat. Vidi ego hominem manus in liquefactum plumbum immittere, idq; ex candenti patella in volam accipere, æque ac si argentum vivum aut tepida fuisset aqua: introductus olim ad hoc spectaculum ab amplissimo viro Bernardo Vibieno, qui mox magni nominis sacerdos Cardinalis fuit, in cubiculum Joannis Medicei tunc Cardinalis, in conspectu cujus hæc fiebant, cum ego tanti Præsulis manum osculaturus accessissem, quadriennio ante quam is ad summum Pontificatũ ascendisset. Quod vero ajebat Benedictus hoc se arte magistra facere, quippe qui unguento quodam partes eas oblineret, quas ab igne salvas vellet, id in memoriam adducit, quod Varro ait, Hirpinos eos, de quibus paulo ante dicebamus, solitos medicamento quodam pedum plantas tingere, atq; per ignem ambulantes, *multa*, ut ait Virgilius, *premere vestigia pruna*. Inveni vero, quod ad hanc rem facit apud Andream Græcæ nationis medicum, cui multum interpretes Nicandri tribuunt, hoc de Salamandra traditum, ut si quis ejus sanguine vel manus vel vestem obunxerit, quod oblitum B fuerit, ab igne nihil quicquam lædi: quamvis Plinius hoc non facile credat. Ejusmodi medicamini admiscent alii albumen ovi. At jam minus admiremur quod in Quadrigarii annalibus legitur, oblitam alumine materiam succedi non posse: idque esse verum, Sylla in Archelaum bellante comprobatum. Sane laricem inter arbores neq; flammam emittere, neq; nisi longa & vehementi exustitione in carbones abire manifestum est: quod in fornacibus exploratum, reliquis lignis admixtum longo temporis intervallo consumi. Hoc & Cæsari expugnatione castelli cujusdam, quod Larignum nomine dixerunt, quia larice præmunitum fuit circa Alpes, non citra summam admirationem cognitum. Lino vero, quod nonnulli Carpasium appellant, de quo Pausanias, ardere id perpetuo ante Minervæ illius simulacrum, quod cœlo, ut fama fuit, delapsum, in Acropoli visebatur, Patavii ego pro ellychniis in lucernis aliquando usus sum: materia enim integra & incolumi perdurante tamdiu ardet, quamdiu oleo intinctum fuerit. Nascitur id inter venas aluminis, ac veluti densior quædam cartilago interspergitur, cujusmodi sunt granatorum interse pimenta.

*Nomine Leonis X.*

*Plin. lib. 19. cap. 67.*

*Hoc ex Vitru & Plin. Sed falso ex Matthæolo. lib. 1. c. 74. in Dio.*

## CORRUPTOR OMNIUM. Cap. XXVI.

C SEd ut ad Salamandram redeamus: nunquid eorum quoque nobis arriserit significatum, qui damnosum hominem, omnes quibuscum versetur aliqua pernicie aut injuria labefactantem, & quacunque incesserit calamitatis aliquid invehentem, per Salamandram ostendi voluerunt? quippe cui sit perniciosa adeo vis, ut arboris quam irrepserit poma omnia inficiat veneno, & eos qui ederint, necet frigida vi, nihil aconito distans, ait Plinius, atque his quædam magis exitialia, quæ apud authorem ipsum late recensentur. Illud admiratione dignum, quod traditur ab Æliano, sues Salamandra impune vesci: verum ubi quis ejus Suis, qui Salamandram devorarit, carnem ederit, præsentaneo eo veneno correptum interimi.

*Lib. 24. c. 4 Salamandra multum perniciosa.*

---

## DE DIPSADE. Cap. XXVII.

A Frigidissimo animali ad ardentissimum accedere, ad historiæ nonnunquam venustatem pertinet; quare incommodis recitatis, quæ de Salmandræ gelu procedunt, jam quæ de Dipsadis ar- D dore proveniant, memorabimus. Animal id reptilium pernicioſissimum, corpore modico, ac viperino perquam simili, sed ad ictum violentissimo, de quo ita Nicander, Theriacis, ubi,

Ναὶ μὲν διψάδος εἶδος ὀμώσαι, ὃν δὲ ἐχίδνη
Παυσηρὴν ἰανῶσιν ἢ ἰοὺς ἔξεται αἶσα
Οἷον ἀνὲ σκήψῃ βλοσυρὸν δάκος.
*Dipsalis hanc speciem juret quis, ni minor insit*
*Vipereo generi vis mortis, at ocyor iis qui*
*Affixi fuerint truculenti fulmine dentis.*

*Descriptio Dipsadis.*

*Vocant etiã causonem anobatem, melanurum.*

Figuram ejus Sostratus à reliquis colubris ita distinguit, ut eam dicat habere caudam duabus lineis nigricantibus distinctam, corpore reliquo albicante.

## SITICULOSITAS. Cap. XXVIII

*Ex Æliano lib. 9. de histor. anim.*

CErnere olim erat in littore, quod è regione majoris Sirtis inter Libyam & Ægyptum porrigitur, columnam quandam, in qua vir moribundus cælatus erat, cujus pedes Serpens impactis dentibus affigebat, spirisq; volubiliter implicabat. Erant & mulieres aliquot, quarum aliæ aquatum ibant, aliæ aquam decumbenti propinabant, adjacebant passim & struthionum ovum hinc inde strata temere. Quæ quidem species tota prorsus hieroglyphica hominem significabat bibacissimum, vel ardentissima confectum siti, ut Lucianus interpretatur, id quod etiam ad totius illius regionis naturam indicandam accommodari potest: nam ea siti laborat in primis. Serpens vero ille circa pedem obvolutus & modicus inhærens, Dipsas erat. Veneno vero hæc est plurimo & immedicabili, quosq; momorderit, usq; adeo inflammat, ut propemodum exardescere videantur, ac igne veluti circumfuso concremari. Supreme vero sitiunt, quoque magis potant, eo potandi avidiores fiunt, ut sitis ea nulla aquarum vi sedari posse videatur: verum eo magis sævire quo magis alluitur & irrigatur, perinde ac si quis ignem oleo superfuso extinguere conaretur. Hinc non infacete nomen confinxit Ovidius, cum lenam quandam temulentam, Dipsadem appellavit:

*Δίψας sitim significat.*
*Διψαλέα siticulosa.*

*—— Est quædam nomine Dipsas anus.*
*Ex re nomen habet, nigri non illa parentem*
*Memnonis in roseis sobria vidit Equis.*

Neque forte importunum fuerit, Epigramma quod olim in Framarianum facetissimum ævo nostro scurram lusimus, Ovidiano lusui subjicere. Id est hujusmodi:

*Narrabat quidam vim Dipsados exitialem*
*Perpetuam infundat quæ pede fixa sitim:*
*Nempe sitim, tria quam nequeant extinguere Nili*
*Ostia, vel magnis stagna perhausta cadis:*
*Interiore loco Libyæ, Garamantas ad ipsos,*
*Qua fovet arenti Struthius ova solo.*
*Quippe ubi quis miser exspatiatus forte per arva,*
*In pede fulminei vulnera dentis habet.*
*Ritæ duæ dextra famulæ, totidemq; sinistra,*
*Hæc gerit, hæc pleno vase propinat aquas.*
*Illa propinatis alias superingerit, illa*
*Nec mora, nec requies pocula mille parat.*
*Frammarianus ad hæc, hanc ô mihi quærite amicæ*
*Figat ut illa meos officiosa pedes.*

*Deut. 8. 15.*

Sapienter itaque, ut reliqua, Moyses Deuteronomio inter maxime perniciosa animalium genera Dipsadem posuit, ubi terrificam illam describit solitudinem, in qua erat Serpens flatu adurens, quippe Basiliscus, & Scorpio animal insidiosissimum omnium, mox adjecit, & Dipsas, quod ut atrocius redderet, & subjecit, & nullæ omnino aquæ, quæ scilicet opem essent aliquam allaturæ. Eadem de causa Apollonius Poeta terram aridam Dipsadem vocat. Admiratur autem Aphrodiseus, cur illi quos animal hoc momorderit, sitim illam intolerabilem Theriaca epota sedent, cum genus id medicaminis ex siccis & calidis rebus conficiatur: neq; adduci potest id alia ratione fieri, nisi mutuo consensu quodam Viperarum, & quæ admiscentur carnes, antipathiam habere adversus quodvis animal venenosum.

*Theriaca sitim sedat.*

## APPETENTIA. Cap. XXIX.

*Sic Artemidorus lib. 1. c. 68.*
*Sitire nil aliud est quam concupiscere.*
*Ut Thomyris Scytharum Regina objecit Cyro. 7. Virlig. 3. Ænei.*

NEque vero sitis ipsa simpliciter passim intelligenda, sed nonnunquam pro effrænata rei cujuspiam appetentia capitur: nam & sitibundum pro maxime cupidum authores ponunt: & sitim Onirocritæ nihil aliud præ se ferre autumant, quam avidissimam cupiditatem. Ipsa porro sitis hieroglyphice sæpe ponitur in Divinis literis, ut Ambrosius super hydropico in domo Pharisæi curato disserit: nam sitire impium dicit, dum hujus mundi bona concupiscit. Jam & sitire aurum, in hujusmodi significationem passim invenias, non aliter quam & *auri sacra fames* Poeta dixit. Delitescit autem, ut ad Dipsadem revertamur, Anguis id genus in insidiis inter Struthionum ova, quæ Garamantes non ad cibum tantum perquirunt, verum etiam ad vasculorum & poculorum usum: quippe qui propter solum aridum & exustum argilla carent, qua nos vasa nostra fictilia conformamus. Quin etiam ejusmodi ovis, quæ aliquanto grandiora fuerint, dissectis, elegantissimos sibi pileos faciunt, ex ovis singulis binos, quibus capita obtegant, eoque gestamine plurimum delectantur.

DE

A

## DE MEDUSA. Cap. XXX.

MEDUSA quoque figmentum licet fabulosum, aliqua submiſtravit hieroglyphica.

## TERROR. Cap. XXXI.

ILLA enim horrificis Anguium hiatibus tremenda, terroris ſignificatum habuit. Præfectum vero caput id à Perſeo, terrorem ſummotum ab eo patria procul indicat, virtute duce, quæ per falcatum enſem, & interpoſitum ſpeculum effingitur.

## PRUDENTIA. Cap. XXXII.

*Medusæ deſcriptio & ortus.*

IN hiſtoriis Theogneti antiquitatum ſcriptoris (nam alium Poetam Comicum memorat Athenæus) Meduſa legitur ex tribus Phorci filiis magis aſtu pollens, quæ regnum à patre derelictum in magnam auxerit opulentiam, atque ejus prudentiæ cauſa ſerpentinum caput illi confictum à Poetis. Cæterum Apollonius Rhodius ἐν τῇ τῆς ἀλεξανδρείας κτίσει, omnia quæ morſu lædunt genita dicit ex guttis ejus ſanguinis, qui ab obtruncato Gorgonis capite diſtillavit: quamvis Acuſilaus nata hæc ex Typhonis ſanguine aſſeveret. At Nicander Heſiodi teſtimonio λίθων ἀφ' αἵματος, quippe Titanum à ſanguine nata hæc mavult: quod tamen apud Heſiodum, in iis quæ extant operibus, non inventiur: quare nonnulli ſcribunt Heſiodum, à Nicandro falſo citatum, qui Poetarum morem & licentiam non examinant: cum etiam Oratoribus in declamandi genere tam nomina, quam hiſtorias pro commodo ſuo commutare, atque etiam præter fas quædam in uſum ſuum extorquere concedatur.

*Hæc Pauſanias in Corinthiacis in ædificatione Alexandriæ.*

B

## STUPOR ET ADMIRATIO. Cap. XXXIII.

QUAM vero Meduſam Domitianus Imperator pro pectore eſt geſtare ſolitus, ut in pulcherrimo ejus ſigillo ſpectavimus, omnino ſtuporem, quem de ſe omnibus in negotiis quæcunque tractaret concitatum volebat, ſignificaſſe tradunt: quamvis nonnulli non alia de cauſa factum putant, niſi ut patris geſtamen uſurparet: nam in pulcherrimo Veſpaſiani ſigno apud Melinos Romæ, Gorgonem huic pro pectore adpoſitam aſpexi. Alii factum à Domitiano in honorem Minervæ volunt, quod numen id ſibi colendum præcipue ſuſceperat: nam clypeus hujusmodi Serpentum horrore præmunitus, in primis Palladi dedicatus erat. Eam Euſtathius ideo Glaucopin appellatam cenſeri ſcribit, quod ex Poetis nonnulli Dracones Glaucopas vocitarint: quamvis & à formidoloſo aſpectu dici poſſe non inficiatur, quod Leones illi, qui præcipue Regii nuncupantur, quoſque loco ſuo inter alia ſignificata ſymbolum terroris eſſe oſtendimus, Glauci à colore nominetur.

*Veſpaſiani ſignum.*

C

## PRUDENTIA. Cap. XXXIV.

NEQUE tamen deſunt qui Gorgonis caput pro Minervæ pectore ſtatutum, prudentiæ, uti id ſuperius, ſignum eſſe contendant, quæ locum habeat in pectore: qua qui præditi ſunt, facile alios confundere, vel imperitiæ redarguere, ſaxeoſque quodammodo reddere, ubi adhibuerit, poſſint. Apud Poetas tamen Pallas Meduſæ caput ad incitandum, vel ad terrorem incutiendum præten-dit, ut tradit Ovidius, loquente Perſeo:

*Vel potius à noctuæ oculis, quæ illi ſacra.*

*Caput Meduſæ qui d. Metam l. 4. ad finem.*

*Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hoſtes,*
*Pectore in adverſo, quos fecit, ſuſtinet Angues.*

D

Idque præcipue cernere eſt in ſcuto Herculis apud Heſiodum: quamvis non ſum neſcius, eſſe multos qui opus id Heſiodi illius celeberrimi, quippe ut Naſo,

*Servantis pecudes vallibus Aſcra tuis,*

eſſe negent: alios qui ad CCL. tantum carmina Heſiodi, reliqua ſubjuncta ab Ariſtophane Grammatico contendant, Sane Megacles Athenienſis legitimum agnoſcit opus, ſed Heſiodo ſuccenſet, quod Vulcanum finxerit matris inimicis arma fabricaſſe. Apollonius Rhodius & Steſichorus Heſiodi omnino eſſe volunt: ait igitur,

ἐν δὲ Φόβον μὲν θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ἀνδρὸς ἀναστήσασα.

Quem

Quem Statius ita secutus est:

*Sectæ prætendens colla Meduſæ*
*Ceu ſtimulis accendit Equum.*

## DE HYDRA. Cap. XXXV.

ERam me jam de his Anguium voluminibus explicaturus, cum majori me obvolutum negotio conſpexi. Superat enim Hydra, quæ me ultimo loco aggreſſa moraretur: quare ope Herculis implorata, ipſam quoque ita confecimus.

## SOPHISTÆ. Cap. XXXVI.

*Numerus multitudinis.*

HYdræ ſignificatum, cujus uno præciſo Anguineo capite, alia atque alia eveſtigio repullularent, multi aliis atque aliis modis interpretati ſunt: nos ea contenti eſſe poſſumus expoſitione, quam Plato, Euthydemo, poſuit, ubi per eam perinde ac per Cancrum, ſophiſticas ait nugas ſignificari. Hydram Pauſanias uno tantum capite præditam ſcribit: ſedenim Piſander Camireus multa illi capita tribuit. Alcæus ἐννεακέφαλον eam vocat, πεντηκοντακέφαλον Simonides, quem Maro noſter ſequitur, ubi dicit:

*Novem capita habentem.*

*Æneid. l. 6.*

*Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.*

Sed enim hi numero uſi ſunt, multitudinem ſignificante, more Poetico: numerus enim novenarius, neque non quinquagenarius, ex iis ſunt, qui multa ſignificant, ut illud apud eundem Maronem,

*Æneid. l. 1.*

*Quinquaginta intus famulæ*, pro *plurimæ*. Ita ἐννεάγηρα κορώνη, in Arati carmine, pro *multæ vivacitatis*, quo ſuperius in cauda Scorpii tetigimus, & in digiti commentario, ubi de numeris agitur, latius explicuimus: ubi paſſim numeri illi recenſentur, qui tam apud Græcos, quam apud Latinos pro multitudine uſurpantur.

## INVIDIA. Cap. XXXVII.

NOnnulli ex peritioribus invidiam per Hydræ ſpeciem ſignificari tradunt, ideoque in nullo alio monſtro domitando Herculem magis laboraſſe, quam ut Horatius ait, *ſupremo tandem fine domari* comperit. Ea vero paluſtris fingitur, & è ſordido cœno pullulare, quod non niſi in abjecto vilique animo reperiatur: qua de cauſa Ovidius invidiam in imis vallibus latitare confinxit: ita reliqua, quæ ſuper ea conſcribit, ad Hydræ ſignificatum omnia quadrare comperies. Nam & Erichthonium, quem alii pedes Anguineos habuiſſe, alii Serpentem illi ad cuſtodiam datum ſcribunt, invidiam ſignificari nonnulli arbitrati ſunt: ea enim poſt res præclara geſtas ſuboriri ſolet, & in cordis penetralibus occultari, virulento ad cuſtodiam adjecto ſpiritu. Atque hoc illud odium eſt, quod Diodorus ex ſerpente picto ſignificari tradit.

*Erichthonius.*

## EDOMITUM A VIRTUTE VITIUM. Cap. XXXVIII.

*Hercules victoria, heros noſtri Chriſti victoriam aptè repræſentans.*

HAbet & pietas noſtra heroas ſuos, quorum è numero fortiſſimum illum cœlo intulit, qui fatalem Draconem ex urbi ſubjecto lacu quotidie proſilientem, nunc longo voluminum tractu ſpatioſa per arva late proſerpentem, nunc ſpiris implicatum collectumque in inſidiis per frutices & floculenta gramina latitantem, horrenda interdum lethiferaque die noctuque ſibila diſpergentem, immani venenoſarum faucium hiatu lethum omnibus intentantem, nulloque non die moralium aliquem devorare ſolitum interfecerit. Non temere hæc literarum monumentis tradita: tametſi rem uti geſtam Concilia majorum noſtrorum actis inferendam vetuerunt. Videtur enim hæc picturæ ſpecies unumquemq; admonere virtutis, cujus telo fretus illecebras amatorias, quæ dubio procul per Serpentem exprimi conſuerunt, fœdasq; voluptates ex lacu, hoc eſt, ex infirma fluxaque mollitie mentis emergentes, ſinuoſis voluminibus, hoc eſt, variis delectamentorum laqueis manusq; pedesque hominum implicantes, arctiſſimisq; vinculorum nexibus obſtringentes, nullo timore perculſus ſummovere contendat, ſimulq; odium & æſtuantia indignati cordis incitamenta: unde rixæ, contumeliæ, calumniæ, peſſimæque perſuaſiones ortæ, magna ſemper rerum humanarum perniciei, uti

A uti sibila teterq́ halitus per [illegible]itatus auresq́ue nostras illabentes, extinguere aggrediatur: malos denique affectus, pravosq́; [illegible]s omnes, qui grassatoris veluti quodam insultu animum incautum adoriuntur, cujus puritatem [illegible]er virgunculam intelligitur, virulenta contagione turpiter labefactant, lethaliq́ morsu in ped[illegible], universum corpus contactu vitiant, proserpenteque in dies magis pestilenti morbo fœdissim[illegible]rficiunt, firmo constantiq́ proposito perdomitet, animumque incolumitati nitoriq́ue suo assertum restituat patri. Operæ pretium est videre, quemadmodum virgunculam puellam expositam adapertis faucibus, rictuque late diducto in parentum ac totius urbis conspectu jamjam invadere tentaret ingluviosus Draco, utque tam præstans animi juvenis intrepide eum aggressus, vibrato pilo, ferroq́ per os medium adacto, pertransit aque cervice terga illa immania transfoderit, attollentemq́ interim iras & cærulea corda tumefactum, harena moribundum straverit, frustraque volumina illa terrifica quatientem replicantemque, pluribus tandem ictibus ad saxum alliso capite contecerit, atque ita vere fortitudinis coronam, & deorum illatus numero consecrationem etiam fuerit assecutus.

B

# PIERIUS VALERIANUS
## ÆGIDIO VITERPIENSI
### CARDINALI S. P. D.

*IMpie me facturum existimo, nisi studiorum meorum, qualiacumq́ esse possunt, rationem omnem ad te deferam, quem humanissimum semper eorundem moderatorem habui. Nam durissimis etiam temporibus, cum ea omnia deessent, quæ uniuscujusq́ ingenium ad labores invitare solent, rebusq́ sæpius desperatis, non Romam tantum, verum etiam ipsa literarum studia deserere solicitarer, cum præsertim essem non semel in officii societatem à Bannisio, qui de Maximiliano suo tam multa, tam honorifice prædicabat, invitatus, una tamen authoritas tua in causa fuit, cur non usq́ adeo animum*
C *desponderem: tu enim nunc hortando, nunc monendo: nunc opem auxiliumq́ tuum pollicendo, bono me semper animo esse jussisti. Neque per te stetit, dummodo æquiora fuissent tempora, quin aliquod studiis meis otium aliquando compararetur: quo uno ego gravitatis & benevolentiæ tuæ præsidio sustentatus, angusta illa omnia ea constantia pertuli, quam in tot annos firmissimam perdurare, amici dubio procul omnes admirabantur. Quem vero non confirmassent frequentissimæ illæ adhortationes tuæ cum tanta me charitate complecterere? cum me non privatim modo, sed publice etiam commendares? Poterone ego umquam dememinisse præclarissimæ illius concionis tuæ, quam frequentissimo totiusne urbis an orbis dicam, consessu, tantæ vir authoritatis habuisti, ubi cum è re nata quædam ætatis nostræ lumina laudibus in cœlum extulisses, quæ tua de me quoq́ specula, quæ prædicatio fuerit, Roma (scimus quanta huic nomini vis) tunc novit universa: in quo licet illa pietati erga te meæ permiseris, non quod merita postularent mea, id tamen de me judicium testimoniumq́ tuum multarum inde vigiliarum incitamentum fuit? Hinc factum, ut lucubrationes aliquot alias, tum inprimis Ægyptiaca illa commentaria de rerum significationibus, tot annorum vigilias, tot dierum atq́ noctium sudores, tot in reconditissimis rebus eruendis*
D *luciq́ dandis conatus, in eam demum speciem informarim, ut conspici nullo jam meo, quamvis maxime verecundi, rubore posse confidam. Quod vero in hujusmodi negotio absolvendo reliquum est, cum universum opus insignire nunc speciosis literatorum hominum nominibus constituerim: argumentaque ipsa partiri ne uno continenter libro complexa, odiosum ob rerum multitudinem volumen efficiant, amicos mihi quosdam designavi, quorum hortatu modo hoc modo illud à me conscriptum esset (nosti hoc Πλȣταρχικὸν) id enim maxime commodum visum est, quod ambitioni prætexerem amicorum scilicet impulsu me tam multa elaborasse; quando hodie id plurimum vitio verti video, quod laboriosa quis ac difficilia aggredi ausus sit, quod honestam industriam turpi otio prætulerit. Inter hos autem eorum inprimis rationem mihi habendam proposui, qui mihi talia meditanti suffragati sunt: cumq́ tu omnium maxime non modo album adjeceris calculum, sed author pene fueris, ne inchoatum hoc opus olim abjiceretur, mihi præ-*

*cipue delectus es, cujus nominis lucubrationum hujusmodi partem nuncuparem. Quod si meum hoc institutum non aspernatus fueris, fac ex te sciam, quod præcipue animal tibi velis inscribi. Putes vero invitatum te ad Corytianas cœnas, in quibus discumbent tecum Bembus, Sadoletus, Sanazarius, & plerique alii, quos à te summo opere diligi, & à quibus te plurimi fieri non ignoro: ubi tamen id tantum honoris extraordinem tibi habendum sit, ut ejus animalis, quod tibi apponi jusseris, ferculum accipias. Obsecro vero te, pro summo meo erga te cultu & incomparabili observantia, ne aliter huc descendere dedigneris, quam vocatus olim ad Elegiacam Amorum meorum cœnam conferre te non erubuisti, & meam hanc qualemcumque grati animi declarationem eo vultu suscipias, quo me ad exhibendum hujusmodi munus totiens accendere consuesti.*

---

# ÆGIDIUS CARDINALIS
## PIERIO VALERIANO
### SUO. S. P. D.

*QUantum me commoverint literæ tuæ, suavissime mortalium Pieri, ut sine incredibili voluptate cogitare, ita verbis satis assequi numquam possem. Nam tametsi antiqua illa amicitia nostra, omnia quæ ab amicissimo expectari possunt, ab humanissimo isto ingenio tuo mihi expectanda esse pollicebatur, non erat tamen ut unquam aut præcipue hoc tempore, divinis illis tuis lucubrationibus, tot hujus ætatis luminibus, posse me hominem admodum tenuem & obscurum inseri, sperare auderem. Sed ut nihil infelicius quam in mala ingenia incidere, ita nihil felicius, quam in bona. Mentis enim ista bonitas fecit, ut nec hujus temporis absentia diuturna obfuerit, nec mea superiorum temporum negligentia, nec culpam forte aptius dixerim, & peccatum. Dicis enim, cum laborares rebus parum secundis, nunc arridente fortuna; præsepe te à me fuisse in bonam spem erectum & ad melius sperandum confirmatum. Dispereã. si quid unquam occurrit mihi in universa vita, unde plus angar, erubescam, doleam, quam quid solis verbis isto tunc officio functus sum, cujus ego rei cum recordor (recordor autem frequentissime) non modo facti, aut infecti potius me pœnitet, verum etiam mei supra quam cogitare quis possit, & piget, & pudet. Quod vero & boni consuluteris, & bene merentissimis istis clarissimisque viris annumerari me statueris, facis, ut cum jure illi quidem hæc à te recipiant, unus ego, cui nullo ista jure tribuantur, gravissimo obstringar ære alieno, quo quidem non sum in contrahendo promptior, quam futurus sim, si unquam dabitur, in solvendo. Animal mihi peculiare est cœnis ineptum Ciconia, ubique non obscurum exemplum pietatis, non ab Aristotele & sensilium studiosis modo memoriæ proditum, verum à Theologia arcanæ Hebræorum tum cultu, tum divinius honoribus venerata. In arcanis enim eum habet locum ea avis, ut nihil possit aut reperiri sacratius, aut divinius excogitari. Poteris, si videbitur, avem ut in hominibus pascendis ineptam, ita in alendis parentibus laudatam commendare. Quod si id minus ad rem, quam tibi proposuisti facit, dici posset, quando Ciconiam ad dapes ferre non est, Columbam similem asseri licere. Sed jam Sus non aliter ac Minervam. Ego non ad Corytianas cœnas, ubi quandoque quasi digladiatum pugna plus quam Centaurea sed velut in arcanum Corytium secum, qui, ut Pomponii verbis utar, mirificus & pulcher, ac paulo post totus augustus & fere sacer, habitarique à Diis & dignus & creditus, Nam si datores ἐάων Dii, quis est. Deget antrum Musæ tuæ à Diis inhabitari, qui eodem tempore Ægypti gloriam instauras, quo Turca everti simulque illa sensit inde malum dæmonem militiam delentem, tyrannide prementem, signa, statuas, marmora, & quicquid antiqui splendoris erat, diripientem. Hinc te Diis comitibus non cæmenta, non saxa, non vanas pyramides, sed sapientiæ veteris, sed divinæ eruditionis, sed arcanarum sacrarumque literarum sepulta monumenta reponere, ignota mortalibus arcana instaurare, lucem canæ doctrinæ, quam à Græcia abesse audivit Solon, post tot secula ab inferis revocare. O felicem Ægyptum: longe quidem illa felicior à te facta est cum ceciderit, quam cum staret: illa enim humi sita à Selymo Turcarum principe occupari potuit: hæc, ut sapiens Ciconia altum in cælo nidum struens, in ævum tuta vivet sempiternum. Vale. Romæ M. D. XXV. VII. Id. Aprilis.*

JOAN.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XVII.

## DE IIS QUÆ PER CICONIAM, MEROPEM, CUCUPHAM, IBIN ET GRUEM SIGNIFICANTUR

### Ex Sacris Ægyptiorum literis,

### AD ÆGIDIUM VITERBIEN. CARD.

ECce tibi præstantissime vir, Ciconia illa tua pietaticultrix, Sacerdoti omnium pientissimo dedicata, quam tu scilicet, non reliquis tantum volucribus, verum & universo animantium B generi solitus es anteponere: quippe quod adeo peculiaris & ingenita sit illi pietas, ut & ipsum humanum genus, in hujusmodi capienda adorea longo post se intervallo reliquisse videatur. Hinc non in Ægyptiacis tantum hieroglyphicis sculpta, verum etiam in Romanorum principum numis summo cultu causa reperitur.

PIETAS. CAP. I.

VIdere enim est eam passim in Hadriani numis, inscriptione etiam adjecta; PIETAS AUGUSTA. Significabat hæc hominem erga parentes pium & veræ charitatis officiis insignem: quippe quæ parentes nunquam deserat, senectutem eorum curans, non modo senescentium, sed quotiescunque opus est, ut alantur, opera liberorum. Alites enim hæ nec patrem, nec matrem errare huc & illuc cibi causa patiuntur, sed operam dant, ut in cubili maneant, & eorum labore pascantur, quos ipsi genuerunt, educaruntque. Unde pientissimum illud ἀντιπελαργεῖν usurpatum in adagiis. Et antiquissima lex Pelargica, honore nominis his avibus habito, *de parentibus*, ut ita dicamus, *renutricandis*. Sed C quas nos, rogo, mortalium aut naturæ ipsius leges curiosius vestigemus, cum in sacris literis, post tria illa de divino cultu præcepta in Decalogo contenta, primum rerum humanarum decrementum à summo Deo sit, Parentes venerari? quæ doctrina apud Hebræos primũ popularibus literis mandata est, ut omnibus esset in proptu fugiendorum expetendorumq; notitia. Identidem vero nos admonent divinæ literæ, ut si diuturniore vita frui cupimus, & patrem & matrem cum primis honore prosequamur. Unde senariolus ille dictitatus in scholis:

*Hadriani numi.*

*Lex Pelargica.*

ἱκανῶς βιώσεις, γηροβοσκῶν τὰς γονεῖς. *Lead. A.*
*Diu vives, senectam si parentum nutries.*

Quam sententiam Homerus ita sibi surripuit:

Οὐδὲ τοκεῦσι
Θρεπτὰ φίλοις ἀπέδωκε· μινυνθάδιος δ' ἦ οἱ αἰών.
*Et quoniam charis nunquam genitoribus æquum.*
*Reddidit officium, immatura est morte peremptus.*

Cæterum Athenienses eos tantum filios huic legi addictos voluerunt, qui vel disciplinis, vel honestis D artibus fuissent à parentibus instituti: qui vero negligenter educati essent, nihil eos parentibus debere. In hanc sententiam Boetius historiam recitat minime contemnendam, libro de Institutione scholastica, de eo, qui male à patre institutus, cum post multa & enormia scelera per patris indulgentiam perpetrata, traheretur ad crucem, accersito ad se patre, quasi pietatis officio veniã aetæ per flagitia vitæ petiturus, dum osculũ se ferre simulat, ei nasum dentibus amputavit: memorabili nimirũ omnibus exemplo futurus, educationem esse, quæ uniuscujusq; vitam instituat, & sive boni, sive mali evaserimus, uni illi acceptum ferre nos debere. Neq; objiciat quis ingenium unicuiq; suum in utero matris ipsius attributum, cum vel in brutis animalibus Lycurgus, concione super liberorum institutione rationeq; legum ferendarũ habita, ostenderit ex duobus catulis, quos ab ejusdem matris uberib⁹ subductos, in sylvis alterum, in culina alterum educandos curaverat, ubi aliquantulũ adolevissent,

*Historia de puero male instituto.*

*Horat. epis. 3. lib. 3.* in media concione simul emissos, ad patinam hunc in medio positam, ad leporem illum, qui statim emissus erat, insequendum accurrisse: atque hoc illud est, quod apud Horatium legimus:

*—— Venaticus ex quo* *Militat in sylvis catulus.*
*Tempore Cervinam pellem latravit in aula.*

*In senes impietas.* At quanto magis honorandum est ingenium Ciconiæ, eo magis damnandum est humanum genus cum satis olim celebres civitates eo impietatis ferantur irrupisse, ut senes quicumque sexagesimum ætatis annum excessissent, de ponte in subjectum profluentem dejicerentur; aut, si fabula est, tam perdito fuisse quemquam ingenio, qui rem usq; adeo abominandam commentari sit ausus. Utcumque, fabula inde causam cepit, quod aliquando senes ejus ætatis Romæ in Senatū ad ferenda suffragia non admitterentur. In Comitia vero per pontem, qui colliculos duos jungeret, transitus erat, qui vero prohiberentur eo accedere, Depontani appellabantur. Sed ut manifestas Fabulas, bona Festi & Erasmi venia, omittamus; alii lege longe iniquiori sanxerunt, ea ætate senes mortis inter se certamen inire, ut inutilis, quod illi censebant, ætas facesseret, victusque necessaria & juvenibus, & adultis viris largius suppeterent, quod moris in Julide Cô insulæ urbe Menander fuisse notat, ut apud Stephanum legitur. Menandri vero versus qui superant, ita legi debent:

*Festus Pompeius ex Sisinnio Capitone. Eras. Chil. cent. 5 proverb. 37.*

Καλὸν τὸ κῆον νόμιμόν ἐστι Φανία,
Οὐ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῆ κακῶς
*Lex pulchra Ceæ civitatis, Phania,*
*Cui læta non est vita, ne tristis siet,*
*Ferro jubentur præsecare incommoda.*



Ultimum hoc, quæ legis sanctio est, apud Stephanum non habetur: sed ex historia omnino subjungendum.

## IMPIETATI PRÆLATA PIETAS. Cap. II.

*Auctor. Suidas. Ægyptiorū documentū memorabile.* IN piscium Commentario, cum Hippopotami significata recenseremus, memorabile illud Ægytiorum documentum recitavimus, quo illi sceptra regia in summa parte Ciconiæ capitibus insignita faciebant, fluvialis Equi ungulis in imum appensis: ex eo invenere volentes, amplexandam, colendam, suspiciendamque esse pietatem gratumq; animum ingrato præferendum: impietatem vero, cujus hieroglyphicum est Hippopotamus, pessundandam. Amphibium enim animal hoc patrem solet de matris coitu, quem affectat, male multare. Id sceptri in ahenea Bembi tabula ita habetur.

## DE MEROPE. Cap. III.

*Lib. de natur. anim.* SUnt qui Meropem etiam in hoc statuant significato, cui pietatem eandem in parentes Aristoteles attribuerit. Eam Ælianus omnino in Ciconiarum genere posuit, esseque in parentes ea nutricandi pietate, ut eorum senium haudquaquam operiatur, quibus pientissimam educandi curam impendat, sed quamprimum volare cœperit, sponte animum ad necessaria parentibus subministranda convertat: quapropter eam avium justissimam appellavit. Figuram ejus apud Simeonem quendam Antiochenum, qui multa de animalium vi medica conscripsit, ita traditam inveni. Meropi animali volatili pectus esse accipitrinum, ventrem albicare, tergum & apicem auro similes, genas candidas, rostrum magnum, indeque nomen consecutam, quod proclivis admodum sit ad contrahendam cum humano genere amicitiam. Homines enim μέροπας appellare præcipue Homericum est. Sunt qui Gangrenam eam vocent. Id vero insigne est in ejus ingenio, ut paritura huc & illuc transmigret identidem, ut ita fallat, neque facile partus ejus deprehendi possit. Verum enimvero diversum hoc Merops habet à Ciconia, quod cunabula in terra facit, corporis gravitate sublime petere prohibita, in specu itaque nidificat, sex pedum defossa altitudine: quod & de Cassita fabulose perhibetur. At Ciconia nidum in altissimarum abietum verticibus ponere comperitur, quamvis quonam è loco venirent, quove se referrent Plinianis adhuc temporibus incompertū erat. Sed quantum

*Meropis figura.*

A quantum ad regium illud sceptrum pertinet, Plutarchus hoc de Grue sentire videtur, opusculo cui titulus: *Quænam sint prudentiora animalia, terrestria an aquatica.* Gruem enim facit fluviali Equo oppositam, ea qua de superius causa dictum est.

## DE CUCUPHA. Cap. IV.

PHilippus ille, qui fragmenta quædam ex hieroglyphico literarum Ægyptiarum interprete, cui Horapollinem nomen faciunt, satis curiose collegit, & Græco sermone scripta posteritati commendavit, Cucupham quandam nominat in hujusmodi pietatis significatum. Nomen mihi, ut ingenue fatear, nondum cognitum vocabuli novitate sive potius ea Cicuma sit, quæ & ipsa parentum curam suscipit, & à Latinis inter Ciconiarum genera recensetur. Sedenim, in his facile sum iis, qui certiora compererint, acquieturus.

## B GRATUS ANIMUS. Cap. V.

*Cucuphæ in genitorem pietas.*



SEd utcumque, gratum animum is per ejus alitis hieroglyphi cum significari dicit apud Ægyptios: propterea quod unum hoc animal (ita enim illic habetur) ante alia omnia genitoribus senio confectis eodem modo gratiam rependit, quo ales ipsa fuerit educata: in eodem enim loco ubi fuerit à parentibus enutrita, eis nidum parat, pennas vellicat inutiles, eoque cibum importat (τροφὰς enim in manuscriptis codicibus antiquis, non τρόφας, legitur), idque quoad resumptis pennis ipsi sibi sufficere queant. Atque hæc est, quam ait in sacris sceptris prærogativam habere. Apud Suidam in Reciconiandi proverbio, ut novo vocabulo verbi Græci proprietatem explicemus, nimirum legere est, in ejusmodi sceptris πλάγιον adsculpi, quæ dubio procul *Reciconiare*

C Ciconia est. Atque ego animadverti quibusdam in numis hujusmodi sceptri speciem Ciconiæ capite insignem esse.

## VERNUM TEMPUS. Cap. VI

HAbetur & tepidi temporis hieroglyphicum Ciconia: quippe quæ adveniente hyeme in tepidiores regiones transmigrat, verno vero tempore nos invisit: quare Petronius eam felici compositione Exulyemem vocavit. Hinc in æstatis pictura Ciconiam nonnulli addidere, quando constat eam ex erraticis avibus adventum esse. *Exulyems.*

## MUNIMENTUM AB INSIDIIS. Cap. VII.

*Platani folium gestans Ciconia, quid.*



INvenio & munimentum ab insidiis atque veneficiis, per Ciconiam platani folium gestantem significari: ea siquidem hujusmodi folio nidis imposito, editis ovis ea ab Noctuarum injuria defendit. Compertum enim est, si Noctua ea contigerit, fascinari: incubationem quippe omnem, ac si ova essent subventanea, irritam fieri, quod observavit Ælianus. Novit vero Ciconia amuletum id, ut eo non accedat Noctua, ubi platani folium fuerit. Quid enim commune esse potest aliti lethali, cum à bore geniali? Vel eam inesse folio vim dicemus, ut ab ejusmodi facinatione valeat ova liberare.

## MEDICINA. Cap. VIII.

*Quinetiam origani substratu serpentes fugantur.*

QUod si Ciconiam ore tenentem origani ramusculum quis figuravit, hieroglyphico eo medicinam sibi comparatam indicabit: nam ejus herbæ pastione Ciconiæ stomachi fastidium levant,

## VIGILIÆ SPECULATIONESQUE. Cap. IX.

*Diosc. lib. 3. cap. 28. Augurium Attilæ.*

IN augurali disciplina, Ciconiæ vigiliarum custodumque urbium signa perbibentur, propterea quod ædium fastigia & acroteria plurimum inhabitant. Hinc augurium Attilæ dederunt, futurum ut Aquilejam, quam per triennium obsederat, multisque oppugnationibus attriverat, expugnaturus esset: visæ siquidem Ciconiæ uno impetu ex urbe migrare, fœtusque suos sublatos rostris per rura foras asportare, unde ille urbem evestigio perituram præsagivit, ostensoque militibus augurio, expugnatione perquam propere parata, voti compos evasit. Et si parva ponere cum magnis licet, Patavii sub Ezelini dura dominatione, cum injecta esset Jordano Bonzio, viro strenuo tyrannicidii concepti calumnia, ob quam is damnatus est, domusque ejus disjecta, & à fundamentis eversa, observatum est paucis ante diebus Ciconiam, quæ in summa illarum ædium turri nidum struxerat, paulatim nidum ipsum avellere cœpisse, moxque eum in Manfredi Cuticelli turrim transtulisse, ibique ova posuisse, quod casu factum credere difficillimum est.

## MILITARIS DISCIPLINA. Cap. X.

*Ciconiarũ disciplina.*



EST & militiæ hieroglyphicum Ciconia, in ea siquidem frequenter illud agitatur, qua quis ratione locum ponendis castris præcipiat, vel si major ingruat vis, quo pacto motis castris hostem fallat. Compertum vero est hujus generis alitis magno numero certo congregari loco, ex omnique provincia omnes in unum cogi, ut nulla sui generis relinquatur cui liberum sequi fuerit: idque prædicta velut die: & sive discedant, sive adveniant, etiam observantes fallunt, quod nocturnis utrumque temporibus aggrediuntur. Quid quod & concilia inter se in concionis mores agitare eas observatum est? ut in Come Pithonis patentibus Asiæ campis congregatæ inter se commurmurant: tamque severe disciplinam hanc exercent, ut eam quæ novissime advenerit, lacerent, atque in cæteris negligentiæ castigatæ admonitis, castra subito volatu movent, & unanimi profectione commeant.

## HOSTIS PROFLIGATUS. Cap. XI.

*Thessalorum lex.*

PRimum vero illud optimi est Imperatoris munus, ut hostes longè à patriis sedibus summoveat. Serpentem loco suo belli & ingruentis calamitatis esse signum, multis ostendimus argumentis: at, qui nullum animal contra Serpentis acrius, neq; assiduè magis dimicat, quam Ciconia: quare honos illi Serpentium exitio habitus, capitaleq; fuit plerisq; gentibus, si quis Ciconiam occidisset, pœna eadem legibus statuta, quæ homicidis. Quod Thessalos religiose admodum observasse tradit Plinius, & pleriq; alii. Et apud Stephanũ de urbibus legas, θεσσαλίᾳ ἐν ταύτῃ οὐκ ἔξεστι πελαργοὺς κτείνειν, τοὺς γὰρ τῆς χώρας ὄφεις ἀναιροῦσιν. Id quod notatum volui, ne quis ταλαρὸς legeret, ut in vulgatis habetur exemplaribus. Unde fortè factũ, ut dum illi utili hac de causa parcitur, prohibitum sit eam mensis inferre: non aliter quam Bovem olim occidere atque civem, eidem subjiciebatur supplicio. Sed veluti neque Bovi perpetua fuit immunitas, ita Ciconiæ in culinam & ipsæ raptæ, in quo tamen hoc illi accessit honoris, ut cum delicati alii cibi plurimũ ab hoc, vel illo ganeone privatim conquisiti laudatiq; fuerint,

*Ciconiæ in epulis datæ.*

A fuerint, una Ciconia edicto Prætorio epulis inferri meruit, de quo Flaccus in Galonii gulam, qui acipenserem tantum approbabat, ita scripsit:

*—— Quid tum Rhombos minus æquora alebant,*
*Tutus erat Rhombus, tutoq; Ciconia nido,*
*Donec vos autor docuit prætorius.* *In Serm. lib. 2. Sat. 2.*

Nam Ruffus quidam vir prætorius, ut apud Porphyrionem legimus, quidam Acellium dicunt, instituit, ut Ciconiarum pulli manderentur: isque mox repulsam in Prætura passus, hujusmodi scazonte procissus est:

*Ciconiarum Ruffus iste conditor.* *Suffragiorum puncta non tulit septem:*
*Hic & duobus elegantior Plancis,* *Ciconiarum populus ultus est mortem.*

Cornelius Nepos, qui principatu Augusti obiit, cum scriberet de saginandis alitibus, Turdosque paulo ante cœpos saginari monuisset, addidit: *Ciconias magis placere quam Grues*, quamvis longe secus humanum mox palatum indicavit: nam Grues inter primas, Jovii etiam nostri judicio, commendantur. B

## IRRISIO. Cap. XII.

Præterundus non est Persianus locus, per quam Ciconiam illusionis & suggillationis signum haberi discimus, ubi dicit:

*O lane, à tergo quam nulla Ciconia pinsit.*

Ad id scilicet respiciens, quod petulciores homines cum quempiam ludibriis incessere aggrediuntur, soleant digitis in unum adstrictis exporrectisq;, quasi Ciconiani rostri speciem reddentes, identidem pinsando abeuntes eludere: qui mos in Principum aulis frequentissimus.

## DEUS. Cap. XIII.

Addemus & illud, posse etiam hieroglyphico Dei Ciconiam ea ratione figurari, quod his alitibus non inesse linguam observatum, ideoque earum vocem murmurationi potius esse similem, quam clangori. Nam & Crocodilum ea de causa Dei simulachrum Ægyptii statuebant, de quo C suo dictum Commentario: elinguis enim omnino est Crocodilus, idq; tam significat Deum tacito omnia silentio perficere, quam non debere nos super eo loqui, quem nulla queat humani vis ingenii satis admirari. *Ciconia & Crocodilus elingues.*

## ANIMUS DIVINIS INTENTUS. Cap. XIV.

Neque vero minori observatione dignum illud, quod purum animum, supra terrenas fæces elatum, & divinarum tantum rerum meditationi deditum, per Ciconiam hieroglyphicè significant sacræ etiam nostrorum literæ. Fastigia enim apicesque rerum semper quæritat Ciconia, quippe Hebraicam sequuntur lectionem apud Psalmographum, quod vulgo legitur: *Herodii domus Psalmo 103. dux eorũ*, ii reddunt, *Ciconiæ domicilium abies præbent*: vel, *Ciconia nidum suum ponit in abiete*, arbore scilicet supra reliquas verticem attollente. Quod quidem ex Hebræorum disciplinis memini, te Pater amplissimè, pro concionibus declamitare: nidos scilicet ejus alitis in excelsissimis abietibus positos ostendentem, multa super ea ex undecimo Levitici capite octavo apud Hieremiam, quinto apud Zachariam, & tertio supra centesimum Psalmo memorantem: præcipuè verò trigesimo nono Jobis locum declarantem, qui, non intellectus, longè alienum habeat sensum, quam plerique interpretes opinati sunt. Quædam enim ibi enumerantur animantes, præcipuè autem aves, in quibus multa, in primisque manifesta atq; clarissima apparet providentia, inter quas Kasida ista tua est, quam nostram esse Ciconiam (id enim rectè memini) contendebas, de qua dictum à Jobe: *Num illa relinquit humi ova sua, quæ ut pulvis excalfaciat, pes opprimat, fera calcet?* Quẽ locum interpres tuus enarrãs, ait nequaquam ita esse, sed Kasidam avem ut clementissimam, ita & prudentissimam, eminentissimis in speculis arboribusq; montiumve aut ædificiorum apicibus nidificare, humo humilibusve locis minimè credere animalium accessum, omnesq; fortunæ casus inacceſſæ altitudinis altissimo cõsilio cavere: quamvis Latinus interpres, ova eam humi relinquere tradiderit. Velle vero Theologos, quos enumerabas, multa inesse Ciconiæ divina lumina, omnium supremũ, quo maximè dando clemens appareat D

reat Deus. Nasci præterea pleraſque, imo innumerabiles animas tantæ lucis faſtigio ineptas, rarás admodum aptas: propterea quod corpore mortali obtectæ ſunt, cujus ſi quando obliviſcantur, gradum illum eminentiſſimum, ut aſtrum prōprium, ſemper ante oculos habituræ ſunt, ita ut nidum illum antiquum agnoſant, quæque inferiora illo ſunt, contemnant, & aſpernentur.

## VOLUPTATUM ET MALORUM AFFECTUUM DISSIPATIO. CAP. XV.

*Ciconiæ bellum cum Serpentibus, quid.*



HAbet & hoc Ciconia commune cum ſuperis, quod, ut dicebamus, bellum illi aſſiduè cum Serpentibus eſt: quod quidem animantium genus ita prorſus terreſtre eſt, ut humi repat, humi ſemper vel adhæreſcat, vel in abditiſſimas ſe terræ latebras occultet. Ita animus qui mortalium delicias averſetur, terrenoſque affectus humi propemodum obvolutos longe ſummoveat, & penitus amoliatur, per hieroglyphicum hujus alitis, quæ Serpentem dilaceret, apte ſignificabitur. Serpentem vero inter alia ſignificata petulciorum voluptatum, molliumque illecebrarum ſymbolum eſſe, plerisque locis toto hoc opere declaratum eſt, ſuo vero Commentario pleniſſimè.

## ANIMUS AD HUMILIA DEJECTUS. CAP. XVI.

AD hunc itaque modum Ciconiæ nidulantur: ſed ſi ſuper ea unquam mentio ſit, quod humi ova deponat, alterius ſignificati gratia confictum, quaſi rem ab ingenio ſuo alieniſſimam aggrediatur: eritque Ciconiæ humi ova deponentis hieroglyphicum, animus ad humilia dejectus. Aliqua eſt omnino anima talis, atque utinam non innumerabiles hujuſmodi reperirentur, quæ, licet totæ in res divinas vergant, totæ aſſurgant, totæ humanas res contemnant, totæ divinis aſpirent, quadam tamen vulgarium animarum labe contagioneque fit, ut cum aliis mortalibus verſentur eorumque curas inaniſſimas in neceſſariis parandis, in periculis vitandis, in familia, domo, agris, honoribus, aliiſque id genus ſexcentis procurandis, imitentur. Atque ita avis cœli gratia nata, dum ad humana ſerpit, humi ova collocare dicta ſit, & à ſanctiſſimis naturæ ſuæ inſtitutis aberrare. Memini vero & illud diſputaſſe te, Latinorum aliquot per Kaſidam, Caſſitam, interpretatos, fabuloſeque Gellium fabulam commentum de nidificatione in agris & in ſegetibus, ſed eum apologum, non hiſtoriam ſcripſiſſe: dicebaſque Latinos noſtros, una cum Græcis, quippe qui ſint ad divinos ſonos ſolí barbari, cum ſacris literis careant, aſpirationem gravem in C literam mutare ſolitos, & pro filio Noë, Ham, ſcriptitare Cham: pro Ahab, Achab: pro Ohozia, Ochozia. Et Blondum, in aſportando D. Marei corpore Suum tergis operto, exclamatum ſcribere, *Cancir*, *Cancir*, ab iis qui Alexandriæ coſtodes erant, cum Hazîr Arabum lingua enunciaſſent, quæ vox Suem ſonat: eſſe vero Arabum linguam Hebræorum linguæ non abſimilem, & hos, & illos æquè ſuillam abominari, manifeſtum eſt. Qui quidem error à quodam noſtri temporis novo interprete, omnibus divinarum inſtitutionum & hiſtoriæ tam veteris quam novæ libris, ſupra quam dici poſſit, auctus eſt. Sed hæc alii viderint. Nos quæ ad alitis ſignificata ſpectare videbantur, quæque ad rem ipſam attinerent, ita ut videbatur, qua potuimus cura, collegimus:

*A. Gellius lib. 2. c. 29.*

*Affinitas linguæ Arabicæ & Hebraeæ.*

*Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis,*
*Effluxiſſe meo fortè putes animo.*

Hæc demum eſt illa Ciconia quam per literas apponi tibi juſſeras, Pater ſapientiſſime: inſipida illa quidem futura, niſi aromatibus ex Arabia illa tua petitis, largeque ſuperfuſis, commendationem aliquam acquiſierit. Sed jam reliqua hujus generis aggrediamur.

DE

A

## DE IBI. Cap. XVII.

DE Ibi nunc dicere consentaneum est, quæ quidem omnino est Ciconiæ species, excelsa ea quidem, rigidis cruribus, procero rostro, multo tamen alia quam nostra. Atq; eædem in Ægypto duplici genere distinguuntur: sunt enim aliæ candidæ, aliæ nigræ. Candidæ apud Pelusium tantum non sunt, cum in reliqua tota Ægypto habeantur: ideo vero candidæ appellatæ, quia capite sunt & collo pene candido, reliquo tamen corpore nigricante. Nigræ contra apud Pelusium tantum, in cætera Ægypto nullæ. Sunt vero hæ nigræ totæ cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco. Sed quæ candidæ dicuntur, pedibus sunt humanis prope similibus, & graciliori capite.

## ÆGYPTUS. Cap. XVIII.

B QUæ quidem geminæ species in Ægypto tantum repertæ, argumentum dedêre, ut Ibes geminæ pro Ægypto ipsa figurarentur: utpote quæ ei tantum regioni familiares & propriæ essent. Eas in hujusmodi significatum passim in obeliscis videas. In numis vero Q. & C. Mari, observavimus Ibes Elephanto adhibito: earum quippe regionum hieroglyphica, quas ipsi ditioni Romanæ subjecissent, aut in quibus æternæ memoriæ aliquid dignum effecissent. Sunt vero aves hæ ita Ægypti propriæ, ut extra eam regionem vivere non possint, asportatæque ocyssimè moriantur. Est alia ratio, cur Ægyptum hieroglyphicè significarent Ibes: nempe cum ea regio Delton, à Δ Græcæ literæ figuræ nuncuparetur, eam cum Ibibus similitudinem habet, quod alites hæ literam eam incessu pedum, interstitio ad æquales trianguli lineas diducto, figurare videantur, idemque rostrum patefactum signat: ποιεῖ γὰρ τῇ τῶν ποδῶν ἀναστάσει πρὸς ἀλλήλους, καὶ πρὸς τὸ ῥίγκος ἰσόπλευρον τριγώνοις.

*Q. & C. Marii numus.*

*Ægyptus Delton dicta.*

## COR. Cap. XIX.

C QUoniam vero Ibis Mercurio in primis dedicata erat, qui totius cordis & sermocinationis dominus habebatur, ales ea cordis hieroglyphicum proponebatur: nam & alibi cor in thuribulo positum, Ægypti habere significatum ostendimus. Verum alia ibi ratio. Quod vero ad Ibin pertinet, avis ea simulac nata est, si perpendatur, duas æquè drachmas ponderat, Plutarcho referente: quod utique pondus est par cordi nuper nati pueruli, τὴν γὰρ ἶβιν φασὶν ἐκκολαυθεῖσαν εὐθὺς ἕλκειν δύο δραχμάς, ὅσον ἄρτι παιδίου γεγονότος καρδίαν. Medici vero causam aliam adducunt: quia scilicet suapte natura Ibes cordi mirifice conferant, de quo apud eos locupletius. Sedenim super hoc in Accipitre plura.

*Ibis pondus.*

## SALUBRITAS. Cap. XX.

EAdem, quia medicamenti genus quod in maximo ad salubritatem usu est, commonstravit, rostri aduncitate per eam partem se proluens, qua reddi ciborum onera maxime salubre,
D & in primis necessarium est, eo illa gestu figurata, salubritatis apud Ægyptios hieroglyphicum fuit. Eo autem præsentaneo remedio cum vulgo uterentur Ægyptii, evenit, ut postquam ejus utilitas universo terrarum orbi communicata est, dictitatum sit, in Ægypto omnes esse Medicos: quod ab Homero sumptum multi postea usurparunt. Accessit huc ciborum abstinentia, succorum herbarumque non incuriosa cognitio, de quibus licet alii multa, plurima tamen Ægyptii deprehendere, institutumque apud eos, ut singulorum morborum singuli essent medici: unde Medicorum illic coaluerit multitudo. Alii



*Cur Ibes salutis simulacrum. Nempe clystere.*

eam afferunt causam, cur Ibes salutis simulachrum essent, quod ex Arabia in Ægyptum volent alatæ Serpens, quibuscum Ibes certamen ineunt, Ægyptiosque ab earum injuria defendunt. Earum vero Serpentium alæ minimè pennatæ perhibentur, sed Vespertilionum alis perquam similes, glabra subtilique membrana quadam insignes. Nota est historia, quemadmodum Moses florente jam ætate, ut Josephus memoriæ prodidit, Ægyptiorum copiis adversus Æthiopas hostes infestissimos profecturis, dux à Pharaone, ita oraculo prænonente, electus, quia is per loca magna vi Serpentum occupata ducturus erat, vim Ibidum ingentem papyraceis instrumentis in arcarum speciem contextis incluserit, incolumemque ita exercitum earum alitum ope præsidioque ad hostes traxerit.

*Al quantũ tamen suspecta.*



## MALUM EX BONIS INITIIS SUBSECUTUM. CAP. XXI.

PErniciem aliquam ex institutis optimis sanoque consilio subsecutam, Ægyptii significare si voluissent, Ibin & Basiliscum facere consueverunt: siquidem ex Ibidis ovo Basiliscum nasci plerique veterum tradiderunt. Causamque insuper eam Philosophi afferunt, quod avis ea multivora sit, & Serpentum venenatorumque genus omne abliguriat, quorum virulenta putredine ova ipsa prædita, animal id pernicioſum efficiant. Ægyptii sane cum Ibin alioquin egregiè colant, ova tamen ejus ne quid tale progeneretur, inventa frangunt.

*Ortus Basiliſci.*



## INEFFICACIA VOTI. CAP. XXII.

DEsidem ac adeo enervatum hominem, ut nulla in re sibi sufficere possit, frustraque omnia tentet & aggrediatur, neque ullius rei compos per summam ignaviam evadat, hieroglyphicè significare si vellent, Crocodilum Ibidis pennam in capite gestantem effingebant: compertum enim est, animal id ad rapinam & impetum alioqui promptissimum, si penna Ibidis demulceatur, ita obtorpescere ac debilitari, ut immobilis reddatur, omnem pristinæ rapacitatis violentiam obliviscatur, tamquam aliqua fascinatione sit repentè demutatus. Quinetiam Serpentum genus omne reddi immobile, penna hujusmodi ipsis injecta, ex Democrito tradit Florentinus libro de re rustica.



## VOCALIS PRIMA. CAP. XXIII.

ERat & Ibis avis primæ literæ symbolum: siquidem Plutarchus ait Mercurium, qui primus literas Ægyptiis communicavit, Ibin primam esse literam voluisse. Sedenim ipsa quoque literarum elementa non apud Ægyptios tantum, sed etiam apud Græcos Romanosque hieroglyphicum aliquid habuere: ut, A indicium erat absolutionis, C condemnationis, N vero & L, comperendinationis, per quam non liquere significabant. Universi enim judices, ut Pedianus ait, in cistam tabellas simul conjiciebant suas, singularibus literis signatas. Interdum etiam sententiam suam cur quis damnaret, aut cur absolveret, perscribere consuerant.

DE

A

## DE DAGNIDE Cap. XXIV.

INter Ægypti aves celebris est Dagnis, ab infesta mordacitate ita nuncupata: δάκνω enim mordeo est.

## EBRIETAS. Cap. XXV.

PEr eam supra coronam aliquam statutam, ebrietas significabatur: eas enim volucres Ægyptii in sympoſiis, quibus redimiti essent coronis advincire soliti sunt, ut assiduè morsiunculis vellicando cantitandoque, potantes dormire non permitterent.

## DE GRUE. Cap. XXVI.

GRuum significata inpostremis minimè habenda sunt, quibus multa cum humana diligentia, rectèque, regendæ familiæ ratione, communia sunt.

B

## CUSTODIA. Cap. XXVII.



*Vigilantia Gruum. Eadem Plin. lib. 10. c. 23. ad verbum.*

SEd illud in primis referam, quod exercitus ducem ab hostium insidiis se custodientem significabant. Proponebant quippe Gruem vigilem, hoc est, lapillum pede sustinentem: illæ enim excubias ordine suo tota nocte disponunt, lapillumque ideo prensant, ut lassatis somno decidens indiligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt capite supter alam condito, alternis pedibus insistentes. Philippus ille, qui brevissima Hori Apollinis lemmata in Græcam linguam traduxit, loco hoc γεηγορέσαι κατ' ὄρθιον, Romano vocabulo, tunc à Græcia cum imperio recepto, usus est. Harum alitum vigilantiam imitatus Alexander Macedo, si quando pervigilandum esset,
C ne somni violentia opprimeretur, vas aheneum prope thorum adsistebat, supra quod brachium exporrigebat, pillam, ut Ammianus Marcellinus ait, argenteam manu complexus, quæ si quando ipse somno vinceretur, elapsa sonoro strepitu somnum abrumperet. Sedenim idem author Julianum Cæsarem absque pila, vel instrumento alio, quotiens & quantum voluisset, evigilasse profitetur.

## DEMOCRATIA. Cap. XXVIII.



*Numquam enim se segregant, sive conbolant, sive compascunt.*

EX eo vero collegio, quod Grues celebrant inter se, nonnulli dicunt democratiam hieroglyphicè significari: cum pluribus enim consultandum, si quid rectè feciſſe voluerimus, & felicem rebus nostris successum optaverimus. Æsymnio Megarensi ho
D nestissimo loco nato, dum super hoc consulta posceret, respondisse Apollinem Delphicum ait Pausanias, referret ad multos si gerere quid feliciter vellet: plurimorum enim sententiis auditis, facile est quod optimum sit discernere. Ea de causa Megarenses ne ullam interpretandi oraculi occasionem amitterent, vel quidpiam quod intelligi potuerit præterirent, comitia ad heroum sepulcra habere deinceps decrevere: nam plures esse mortuos manifestum. Sanè quidem apud nostros, consensus unioque partium in eandem sententiam aut rem, Latino vocabulo formam ab ipsis Gruibus videtur accepisse, ut inde Congruere, pro Convenire dicamus.

## PRUDENTIA. Cap. XXIX.



SI autem volantem Gruem cum lapillo pinxissent, hieroglyphicum id prudentiam significare dicebatur. Ex probatissimis enim autoribus didicimus Grues, dum in sublime volant, lapillum ideo gestare, ut lapsu illius explorent, supra terramne an mare volitent, quod intelligunt ex sono, ac proinde considendumne, an ulterius procedendum sit. Maximus Tyrius causam aliam memorat lapilli assumendi. Nam quoniam in volatu fluitare videntur instar navis, quam agitent impellantque undæ, suæ sibi conscíæ imbecilitatis, antequam volatui se credant, lapillum rostro suscipere, quo unaquæque earum, veluti firmamento vacillaturi volatus utatur, eamque habeat salutis suæ custodiam. Atque hoc est quod apud Solinum legas, Grues harenam devorare, sublatisq; lapillis ad moderatam gravitatem saburrari. Quarum prudentiam cum Deucalion non ignoraret, eum à diluvii clade servatum ajunt Gruum beneficio: hunc enim Pausaniam ait ad supervolantium Gruum clangorem enatasse, atque ideo montem, in quem demum evasisset, Geranium, in harum alituum honorem, appellasse.

*Hæc à Plinio, ubi supra.*

*Sed & apud Plinium d. c. 23. lib. 10.*

*Nam Grues Græcè γέρανοι.*

## SUBLIMIUM RERUM INDAGATOR. Cap. XXX.

QUod si absque lapillo volantem Gruem figurassent, hominem sublimium indagatorem, & eorum quæ terra procul, & à materia remota sunt studiosum significari volebant. Ipsa enim prapes altissimè volat, ut longè lateque speculetur. Quod si subsidere nubes infra despexerit, numquam ad terram se demittit, usque adeo tempestates, & ventorum procellarumque motus summo studio declinat: utpote quæ sit quietis amantissima. Si verò acciderit ut in tempestate aliqua deprehensa sit, confestim ad terram se confert, atque humi potius quiescit. Quod si quam in alitem Plotinus hominem transmutari dixerit, qui absque sapientia sublimia tractaverit improbius, cum nullam ille speciem ponat sublimis hujus volatus, nempe Gruem ipsam, ex Plotini sententia commode pinxerimus.

*Prudentia Gruum maxima.*

## PERSEVERANTISSIMI MORES. Cap. XXXI.

PUlcherrimum & illud est, quod alii excogitarunt, hominem qui cum ætate mors minime commutaverit, sed eodem semper ingenio perseveraverit, per Gruis pennas indicare. Reliquarum enim avium pennæ per ætates fere omnes mutantur, nigrescereque in senecta perspiciuntur, sed Gruum eodem semper colore perseverant.

## ORDINIS OBSERVATOR. Cap. XXXII.

QUinetiam in moribus eadem propositi constantia consideratur, cum Grues in volatu ordinem pertinacissimè servent. Quare Palamedes apud Philostratum, Vlyssi objicienti literas non ab eo sed à Gruibus inventas, respondet is Grues quidem, quod ad literas attinet, nihil adinvenisse, verum ad ordinem quem numquam Vlysses servare didicisset, earum curam referri. Vlyssem enim ajunt, quotiens in bello aut Hectori, aut Sarpedoni, aut Æneæ obviam fieret, ordinem deserere solitum, & ad imbecilliora declinasse.

## LABORIS TOLERANTIA. Cap. XXXIII.

INdefatigatum vero laboribus hominem significantes, alas vel pedes Gruum in manibus ejus statuebant: ferunt siquidem non lassescere ullo labore, qui nervos ex alis aut cruribus Gruis habeat.

## FERACITAS. Cap. XXXIV.

IN ostentis, Grus biceps feracitatis indicium est. Appion enim tradit, Oenæo in Menide rerum domina bicipitem Gruem apparuisse, uberrimamque eo anno annonam in Ægypto fuisse. Ad hæc,

A hæc, avem ſub alio Rege conſpectam quatuor capitibus inſignem, lætiſſimumque frugum omnium proventum ſubſecutum.



*Grua geſtant hyemem nunciat.*

## VER ET HYEMS. Cap. XXXV.

Sunt qui per venientem Gruem, tempus vernum; per abeuntem, hyemem ſignificari tradant: quandoquidem ea ales omnino eſt veris & hyemis nuncia, modo veniens, modo recedens: propterea quod calorem & frigus peregregie præſentiat. Itaque cum frigus ingruit, alte ſublata vaſtum quid inclamat: cum vero clementius eſt nacta cœlum, per intervalla vocem emittit, & taciturna propemodum allabitur: atque ita vel ex acceſſu, vel receſſu, & ex earum voce, nunc veris, nunc hyemis admonemur.

B

## DE MILVIO. Cap. XXXVI.

NE vero picturæ deſint, ex quibus temporum qualitates indicentur, cum æſtatem Cicada, autumnalem vindemiam Epops, brumale tempus Alcyone, ver Cuculus, Luſcinia, & aliquot aliæ, advolat huc Milvius, in hujusmodi ipſe quoque hieroglyphicorum caveam includendus.

## VERNUM TEMPUS. Cap. XXXVIII.

ERat enim Milvius ipſe quoque verni temporis hieroglyphicum, propterea quod ales ea verno primum tempore incipit apparere, certiſſimumque ſit ejus nuncium. Unde etiam proverbium emanarit, *Milvius procumbere*: qui ſcilicet pauperum ſit mos, hyeme jam deſæviente, qua male ſemper afficiuntur, adventantibus Milviis procumbere eo genuum cultu, quo Reges coli ſolent, ut apud Suidam legas. Ariſtophanes ait, eo apparente contrarium autumno tempus ingruere, adeſſeque tontendi opportunitatem. Nomen autem illi ἰκτῖνι apud Græcos in adventu, quod tanto ſcilicet C deſiderio expectatus accedat. Hanc autem loci temporisque cognitionem ſacræ etiam noſtræ literæ per Milvium oſtendunt, in quibus habetur: *Milvius in cœlo non ignorat tempus ſuum: Turdus & Hirundo, & Ciconia, tempus ipſæ quoque adventus ſui obſervavere, populus autem meus judicium Domini non cognovit.*

ἀποβλὴ δακτυλικὸν προβολὴ bitur ad Milvios. Sumptum ex avibus Ariſtophanis.

## LOCUPLES. Cap. XXXVIII.

SUnt qui locupletem hominem, latisq; agrorum poſſeſſionibus ditiſſimum, per Milvii volantis hieroglyphicum ſignificari tradant: ſiquidem is dum prædam enanciſcitur, ſpacioſiſſima aeris intervalla uno oberrat impetu, quaſi latiſundia deſcripturus. In hujusmodi ſignificatum Juvenalis Satyra nona:

*Tot Milvius intra tua paſcua laſſis.*

Et Perſius prius dixerat; *Dives ames Curibus quantum non Milvus oberret.*

## RAPACITAS. Cap. XXXIX.

SEdenim Philoſophi antiquiores illi, qui doctrinam ab Ægyptiis magna ex parte mutuati ſunt, deq; D hominum moribus per palingeneſiæ figmenta diſſeruere, cujusmodi eſt Plato, quiq; eum ſecuti ſunt Plotinus & Harpocration, Boethus & Numenius, rapacitatem per alitem hujusmodi intelligi tradidere, homineſq; eos, qui avaritiæ ſtuduiſſent, promptiq; ſemper ac parati ad imbecilliorũ expilationes, & rapinas, & violentas tyrannides fuiſſent, in Milvios ac lupos converti, ut Socrates, Phædone, diſputat, abireq; omnia in ea genera opinati ſunt, quorum in vita moribus ſimiles fuiſſent. In Divinis quoq; literis Milvus prõ graſſatore prædoneve ponitur, Pſalmo, ubi ſecundum Hebræos haberi ait Eucherius, *Milvi abies domus eſt* Ariſtophanes ad hanc alludens rapacitatem, ἰκτῖνα dixit παντόφθαλμον καὶ ἅρπαγα τετρῶν, *alitem omnituum ac rapacem Milvum*. Admiratur Plinius rapaciſſimam & famelicam ſemper avem, nihil rapere umquam ex funerum ferculis, quæ veteres erant ad ſepulchra afferre ſoliti: perſuaſi ſcilicet defunctorum animas eumdem tenere ſenſum, & iisdem

*Milvus omnituus.*

affici voluptatibus, quæ unicuique, dum viveret, placuissent. Addunt & Aram Olympiæ, quam alites hujusmodi numquam infestarint. Iidem sacri sunt apud Britannos, non enim Milvium iis occidere licebat.

### NAVIGATIO. Cap. XL.

Sunt qui navigationem, sunt qui gubernandi rationem ex Milvii volantis hieroglyphico significari tradant, propterea quod multorum sit opinio, ait Plinius, didicisse homines ex Milviis temonem navibus immittere, quippe cum observassent Milvium cauda modo hac, modo illac flexa, vice clavi volatus sui cursum dirigere, natura scilicet in liquido cœlo monstrante, quid opus facto esset in humido profundo.

---

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XVIII.

## DE IIS QUÆ PER VULTUREM SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD CORNELIUM MUSÆUM PRÆSULEM BITONTINUM.

*Interrogasti me, Præsul honoratissime, quanam illa sit Vultur mea, quam libris editis, Germani quidam ex Horo Niliaco à me Latinam factam divulgarunt. Sed enim scias me olim Romæ dixisse eam videndam clarissimo Alberto Pio, Carporum Principi eruditissimo, verum ex ejus scrinio, una cum aliquot aliis hujus notæ scriptis à nescio quo laborum alienorum suppressore ablatam, & in Germaniam asportatam. Cujus facti indicium est, quod docti quidam viri, cum opusculum legissent, Hori esse arbitrati, scriptis prodidere, Horum Apollinem de sacris Ægyptiorum literis à Ioan. Petro Valeriano Latinum factum. Ioannis autem Petri mihi est peculiare nomen (cur enim id inficiar?) priusquam M. Ant. Sabellicus præceptor meus, id Venetiis in Pierium immutasset. Sed Horus Apollo à me non est conversus, frequenter vero in scriptis hujusmodi citatus: argumenti enim hujus alios etiam authores, eosque multos habui. Utcumque, ea deperdita lucubratione, alteram reparavi: ablati enim illius reliquis archetypi toto pluteo dissipatis, hanc priori illi non absimilem informavi, quam tibi donarem, qui aliquid ex hoc meo argumento lecturum te libenter significasti: quod quidem summæ tuæ erga me humanitati potius, quam ulli studiorum meorum merito attribuerem, & tamen in iis aliquid est, unde hujusce generis lucubrationes tibi fore minime displicituras mihi confingam: siquidem ego libentissime, hinc occasione qualibet arrepta, ut hac parte videre poteris, ad nostræ pietatis doctrinam, divinarumque literarum interpretes me conferre soleo. Ex iis vero tam multa excerpsi, ut profiteri valeam, authorem alium neminem meo huic argumento, quod multis jam commentariis auctum est, plura suppeditasse. Neque ego umquam impurum nonnullorum ingenium approbavi, qui dum politiores haberi volunt, sacras nostrorum literas, ut pote squallorem, quod unum objiciunt, quendam præ se ferentes, attingere pertimescunt: sed enim in ea semper sententia fui, nullam esse lectionem quæ plus afferre possit eruditionis, quam sanctorum hominum, qui divina tractant, institutiones. Nam si artium fere omnium, liberalium finis denique est, ut veram edocti rationem, bene honesteque vivere adlaboremus, fateor me, quantulumcumque hoc studiorum genere assequi licuit, non plura, neque admirabiliora ex quibusvis disciplinarum quarumcumque magistris exhausisse, quam ex mysteriorum, quæ ad pietatem nostram faciunt, interpretibus: sive rerum naturam, sive morum synceritatem, sive quæ ad veritatem, & Dei Opt. Max. cognitionem pertinent, inspexerimus. Sed ego imprudens, qui hæc tibi commemorem, qui tamdiu, tam diligen-*

A *diligenter, tam assidue, in omnium doctrinarum lectione versatus es, quiq; alios hæc per doctissimas conciones tuas, tam docte, tam eleganter, tam copiose doceas potius, quam à quoquam doceri possis. Idcirco his omissis, ad rem ipsam, quam, qualiscumq; sit, recognoscere cupis, accedamus.*

## DE VULTURE. Cap. I.

EVolucrum genere nullam omnino Vulture magis admirandam invenias: sive peculiares in ejus vita & ab omni vulgo semotos mores, sive conceptum, partum, educationemq; alitis, sive excellentes quasdam ingenii dotes, sive significata varia per eam in picturis, in portentis, in dicteriis posita consideres. Neque illa quidem plebi obvia, & unicuique exposita, sed magnis Regibus atque Diis accommodata, ipsis etiam Philosophis ac peritissimis Theologis explorata: per hujus namq; simulacrum hieroglyphicumve, annum, matrem, sive, ut apud Ammianum est, naturæ vocabulum, mundum, intuitum aut speculationem, terminum, hæredipetam, stragem, præsagituram miserationem, justitiam, livorem, Pallada, Junonem, & quædam alia veteres significabant.

B

## ANNUS. Cap. II.

QUoniam vero ex eo præcipuum erat anni significatum, qua ratione sit id receptum, operæ pretium fuerit explicare. Vultur, ut apud Ægyptios habetur, trecentos eos quinque & sexaginta dies, quibus annuum conficitur tempus, ordine mirifico departitur. Nam cum annum Ægyptii per tres tantum qualitates metirentur, ver quippe, æstatem, & hyemem, quæ singula tempora centum viginti diebus constare voluerunt, ac uti Theopompus ait, hyemem Saturnum, æstatem Venerem, ver vero Proserpinam appellabant, quinq; insuper dies addiderant, quos intercalares vocitabant. Vultur vero ad ejusmodi partitionem anni accommodata, cum primum concitata fuerit ad conceptum, qui fit à vento, quinq; continuos dies sine cibo & potu consumit in ejusmodi initu, natura in ventum adaperta: mox centũ & viginti dies prægnans manet, totidemq; diebus pullos educat, reliquos cxx. dies immunis est, suarumq; tantum rerum satagit, neq; prægnationi, neque educationi intenta. Summotis itaque intercalaribus, ad antiquiorem illam rationem trahere possumus supputationem illam C Xenophontis, libro qui περὶ πορισμῶν inscribitur: ubi sex mancipiorum millia, si singuli singulis diebus obulum lucrifaciant, unoquoq; anno hos sexaginta talenta vectigalis allaturos: sic enim CCCLX. dies in unius anni tempus videtur enumerasse. Sed ne quid, quod vel utile vel delectabile esse possit, prætereamus, super horum quinque dierum, qui anno superant, argumento, tabella fertur: quemadmodum Rhea cum Saturno clanculum rem habuerit, idque ubi Sol explorasset, imprecationibus devoverit, neve mense, neve anno pareret. Mercurium vero Deæ amore captum hoc iniisse consilium, ut opem laboranti ferret: Lucinam quippe deam talorum ludo illectam detinuisse, atque ita ab sexagesimo quoq; die lucem unam intervertisse, donec dies sibi quinq; comparasset, quos anno vertente certis illis temporibus elapsis, immunes, liberos, exemtosq; cum nusquam nomina dedissent, ad anni supplementum accommodaret: factumq; ita est, ut per hujusmodi dies Rheæ facultas pariundi fuerit. Hos intercalares Ægyptii habent, Deorumque suorum adscribunt genethliaco. Ferunt vero die primo Osirim, rerum Dominum futurum, editum: secundo Aruerin, quem Apollona, & seniorem Horum nonnulli vocant: tertio, Typhona: verum hunc intempestive, neq; proprio meatu D egressum, sed ex disrupto latere: quarto, Isim: quinto Nepthen, quam nonnulli finem, vel potius interitum, alii Venerem, alii Victoriam appellarunt. Satis hæc ad intercalares dies quinque. Quid vero sibi de diis quinque commentum velit apud Plutarchum quærere licebit. Neque vero hic numerum illum CCCLXV. cœlorum, cujus principem Abraxam Basilidis deliramenta constituerunt, curiosius persequar, ne rem tam seriam inanibus & ridiculis fabulis infarciam. Illud addam, quantum ad anni rationem pertinet, quod Umbricio teste Plinius scribit: Vulturem ova XIII. parere, quod ad instar totidem Lunæ coitionum accipio, quæ per universum annum potissimum observantur. Porro, annus etiam apud Persas in dies CCCLXV. describebatur: eaq; de causa igni illi suo, quem Sacrum & Æternum vocabant, totidem sacerdotes juvenes instituerant, qui canentes, ignem quaqua gestaretur, sequerentur.

*Ægyptiaca anni dimensio, & super hoc fabula.*

*Dies Ægyptiorum intercalares.*

*Plin. lib. 10 c. 6. Nimirum, Ede Ignis Domine: author Maximus Tyrius.*

ANNO-

ANNUM itaque per Vulturem apud Ægyptios significari non levi de causa, manifestum est. Ab hoc aliud sequitur hieroglyphicum, ut per eamdem alitem vel senio confectam, vel demortuam centum annos intelligamus: eam enim augures magna semper religione sunt observare soliti, ac per singulas Vultures annorum centena totidem portendi tradiderunt, duodecimq; illas quā Romulus observavit, Imperium Romanum ad MCC. annos duraturum ostendisse, quod observatum à Vectio tradit Varro exceptum mox à Censorino, qui circiter millesimo ab urbe condita anno claruit, quod ita postmodum evenisse, fœda ac miserabili totius Italiæ clade, quodq; acerbius est, totius literaturæ interitu, satis constat. Nam quo tempore capta est urbs Roma, & in cives omnes occidione, aut misera captivitate sævitum à Genserico, qui dolose servis impositis eam occupavit, anni circiter MCCVIII. ab ea condita numerantur, ut Paulus Diaconus in iis quæ addidit Eutropio, neq; non Orosius recensent, peneq; tunc periit Romanū nomen. Quare Vectii quadrat interpretatio, tametsi hanc Rom. Imperii ruinā nonnulli properantius annis aliquot accipiunt. Sub Athalarico tamē (ita in numis nomen ejus inscribitur, non Halaricus) qui urbem quatuor & XL. annis antea invaserat, Imperatore Romano incolumi, non extinctum, sed valde attritum Imperium est. Neque sum nescius, Imperii speciem, quæ ab Augusto inceperat, in Augustulo finitam, qui metu Odoacris, qui totam Italiam sibi armis vi subdiderat, perterrefactus, purpuram Imperatoriam sponte abjecit, majestatemq; illam depositi, barbaro tyranno tota rerum concessa potestate quod fuit anno ab Urbe condita circiter MCCLII. à C. Cæsare DXVII. à salute nostra CCCCLXXV. Sane dignitas hæc apud nostros, Occidentales scilicet, ad CCCCXXX. annos non resumpsit purpuram, quam omnium primus Carolus Magnus ab interitu propemodum vendicavit. Eo vero tunc miseriæ redacta est Rom. majestas, ut Odoacer ipse de Roma Odoacria vocanda cogitarit, quo nominis etiam Romani memoria aboleretur, factumque omnino fuisset, nisi qui melius aut pie magis sentiebāt, persuasissent Regi, majorem illi apud omnes gloriam futuram, Romanam domitam, quam Odoacriam instauratam. Neq; vero prætereundū est, in nostrarum etiam miseriarum memoriam, quod rerum scriptores prodidere: Octaviano etiam primo Consulatu augurium captanti duodecim se Vultures, ut Romulo ostendisse, atq; jam ex eo tempore anno quippe vitæ vigesimo, ad monarchiam aspirabat, quæ longa annorum serie ad nos usq; permansit, si non Imperii viribus, saltem titulo tenus: licet aliquando interrupta, in eumdem tamen titulum postmodum restituta, prout temporum vicissitudines permisere. Quorum quidem temporum historias si perpenderimus, ad annos circiter MCC. ab Augusto, inveniemus Pontificium totiusq; Senatus decretis magnum id Iperii nomen abolitum, perque annos multos adulterinam fuisse Imperatoris nuncupationem. Quamquam, de tam venerabili titulo defraudaremur, aliquot post annis, sanctiss. Georgii V. Pont. Max. decreto, nova quadam ratione ansa præbita est, ut ea majestas per Electores certos conservaretur, cujusmodi suffragiorum ratione post Othonem, Othonis secundi filium, primus omnium Henricus Imperator declaratus. Quorum electio ita aliquāndo despicatui habita, ut Othocarus Bohemiæ Rex vocatus ab iis ad Imperium capessendum, ultro contempserit, qui pluris Bohemiæ Regem esse existimaret, quam Romæ Imperatorem, atque illi tandem ad Rodolphum Habsburgi Comitem, qui Magister curiæ Othocari erat, devenere. Sed ne longius ab instituto nostro recedamus: qualiacumq; hæc fuerint, illud inter hæc observatione dignum mihi videtur, ter jam hanc annorum MCC. supputationem, tribus in maximis Imperiis, æquo propemodum temporis sui curriculo, insignes admodum rerum mutationes adduxisse. Primam à Romulo ad Genserícum, sive quā ad Odoacrem maluerit: secundam, ab Octaviano Augusto ad Fridericos: tertiam Constantinopolitanam à Fl. Constantino ad Constantinum eum, qui oppressus ab Othomano Turcarum duce, vitā & Imperium finivit, qui etiam ejusdem nominis matrem habuit cum Imperii conditore. Nam inter duos hos Byzantii Principes anni mille centum supra unum & nonaginta decurrerant. Neque obstat quod à Valente Mathematico inspecto urbis horoscopo prædictū sit, Imperium id ad annos DCXCVI. duraturum, quia post eam annorum summam qualescumq; fuerint Principes, sive viri, sive fœminæ, à maximi tamen Constantini institutis pendere videbantur. Sub Turca vero longe alia Imperii forma, longe aliæ leges, longe alii ritus superinducti. Itaque cur annorum centena per singulas Vultures signifi-

*Vandalorum Rege.*

*Septembiros designatos.*

*Ab hoc orienda domus Austriaca.*

A significarentur, inde sumptum, quod eas ad centum usq; annos vivere compertum est apud antiquiores, quibus adstipulatur Ambrosius. Nunc reliqua hujus imaginis hieroglyphica aggrediamur.

## MATER SIVE NATURÆ GENIUS. CAP. IV.



*Tépus conceptus Vulturum, & modus.*

CUM ergo in genere Vulturum mas nusquam inveniatur, omnes autem fœminæ sint, utpote quæ ex vento concipiant, manifestum est cur Ægyptii sacerdotes per eam alitem uropygio surrecto, atque ad Aquilonem verso, matrem aut naturam ipsam intelligerent: mater siquidem fœmineum est animal. Vultur enim, uti dictum, tempore conceptus appetente, quod per quinque dies illos quos supra memoravimus, producitur natura in aquilonem, ut
B Ægyptii tradunt, in Eurum ut Plutarchus, exporrecta adapertaque, ab eodem initur, non secus ac plantæ Zephyris genialib. iniri traduntur. Sed enim hic dissimulare non possum nonnullorum imprudentiam, qui Horum Apollinem citant novo verbo ὀργύζω, conficto, ultimoque Hori capite appellato, verba etiam infarciunt, ὅταν ὀργύζῃ πρὸς σύλληψιν ἡ γύψ, cum in codibus manuscriptis, iisq; plerisq; quos evolvi, non ὀργύζῃ, sed ὀργάζῃ scriptum reperiatur: uti etiam aliquanto post de coeunte Vacca. cap. πῶς ἀκόλω. ἔπειτ' ἂν γδ ἡ ἡλικία ὀργῶσα σύλληψιν ἡ ὀργᾶ δὲ ἐπὶ πλεῖον ἢ ἐφ' ἡμέρας τρεῖς, Quæ porro de Vulture apud Horum habentur, undecimo in impressis capite sunt, non ultimo. Perdurat vero Vultur quinque eos dies pertinacissimo jejunio macerata, tale est ejus in concipienda prole studium atque cupiditas. Neque quidem negarim alia etiam esse volucrum genera (ὀρνέων enim non γύπων, in castigatis Hori codicibus legitur) quæ vel inter se si mas non absit, fœminæ, æque saliant, mutua libidinis imaginatione concipiant, vel, ut nonnulli arbitrati sunt, ipso pulvere in naturam vi pruritus attracto, cujusmodi sunt Columbæ, Gallinæ, Perdices, Anseres, & Vulpanseres, quarum tamen ova irrita, minimeque prolifica sunt, ad cibi tantum usum facientia, minora reliquis, ac minus
C jucundi saporis: cæterum magis humida. Tertullianus: *Gallina*, ait, *sortita est de suo parere, sed Vultures fœminas tantum parere ajunt*, Ova hujusmodi, quia, ut pleriq; omnes asserunt, ex vento generantur, & *Zephyria & Hypenemia*, quasi subventanea dicere velint, appellantur. Eos vero non audiendos dicit Aristoteles, qui dicunt, vere tandum hæc fieri, incubatione derelicta, cum & juvencæ expertes adhuc coitus ea pariant. Cæterum idem author, qui subventanea omnia infœcũnda esse vult, in quodam avium genere existere simile piscibus, spontina ova ad fœcũditatem progenerãtibus, non inficiatur, quod nimirũ de Vulturib. in primis fertur. Eas porro author is quoq; volare versus Austrum, atq; ita ab Aquilone iniri prægnantesq; fieri tradit, perq; tres annos parere, quod etiã apud agricultores Constantini legimus. Apud Hesiodũ οἰωνοὶ interpretes ajunt: Vultures, quarũ ova subventanea sunt, absq; maris copula, neq; alia earum generatio reperitur. Neq; desunt interpretes etymologici, qui dicant οἰωνὸς quasi οἰωὸς, quod οἷ θ᾽ ὠὸν sibi sit: quippe qui sine maris auxilio ex vento concipiat. In cujus quidẽ fœcunditatis commentationem illud addere non incongruum est, quod non intra suum tantum genus ea felicitas continetur, sed proficua quadam vi ad aliorũ etiam beneficium celerebratur.
D Penna siquidẽ vulturina subjecta pedibus, adjuvat parturientes. Id vero quod de Vulturum hujusmodi conceptu fertur, ne quis fabulosum putet, inter quadrupedes etiã Equas aliquot ex vento concipere, Probus ex comperto refert, quod & D. Augustinus, divinarum humanarumq; rerum peritissimus, affirmat: & velocissimos ex eo genere jugales apud Homerum comperies haudquaquã fabulose dictum. Basilius Magnus ex hoc omnibus animadversum cupit, ut cum nostrum arcanum nonnullos homines irridere conspexerimus, quasi fines naturę concellatosq; egrediatur, quod fieri non posse cõtendant, ut virgo pariat, virginitate ipsius integra, illæsa atq; intemerata persistente, contemplari debere nos, Deum exempla pleraq; jam inde ab initio præmisisse, ex ipsaq; natura rerum semina quædã conspersisse, unde posset unusquisq;, ubi quod alta jam mente cõceperat, effecisset, talibus mirabilib.

*Ova Zephyria & Hypenemia.*

*Nempe in Hispania*

*De B Mariæ virginitate dubitantiũ pertinaces eluditur.*

fidem adhibere: atq; ita iis occurrere voluisse, quorum stuporine dicam, an perversitati, nihil quis quam aliud persuadere queas, quam quod vel manibus attingunt, vel oculis assequuntur. Hinc est Ambrosius, neminem subventaneo Vulturis audito conceptu, rerum naturalium scriptoribus refragari: cum vero virginem divino afflatam numine peperisse audierint, risum incœptare. Tangit hoc idem Adamantius, ubi Celso respondet, duplex Almæ significatum ex Hebræorum interpretatione objectanti. Sed enim, de intacta virgine, non autem de adolescentula (quod Theodotion Ephesius & Aquila Ponticus intelligendum frustra conantur persuadere) prophetatum est priusquam in Babylona fieret populi transmigratio, hoc est, antea quam Medi & Persæ principatum invaderent. Reddita autem sunt hæc in sermonem Græcum ab ipsis Judæis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio, inquit Irenæus, ne forte morem nobis gerentes Judæis, hæc ita sint interpretati: qui quidem si cognovissent nos futuros, & his testimoniis usuros, quæ sunt ex eorum scriptis, nunquam & hæc & monumenta Prophetarum reliqua comburere dubitassent. Venerunt igitur in Latinorum manus Græco sermone translati Hebræorum libri, multo antequam Romani Judæos in potestatem redegissent, Macedonibus quippe adhuc Asiam possidentibus. Ptolemæus enim Lagi cupiens bibliothecam, quam Alexandriæ struxerat, illustribus scriptorum omnium monumentis implere, ab Hierosolymitanis petiit fieri sibi copiam ut eorum libri in Græcum sermonem transferrentur. Illi, qui tunc Macedonibus parebant, Septuaginta viros ex primoribus, & utriusq; linguæ cognitione præstantibus, ad Ptolemæum miserunt; qui veritus, ne, si invicem consultarent, veritatem absconderent, eos omnes in singula contubernia separavit, jussitque, ut unusquisque pro se librum transferret, eoq; in libris singulis ordine servato, operecq; perfecto, omnibus mox convocatis, & per libros singulos interpretationem suam unoquoque eorum proferente, in omnium sententiam eandem esse constitit, ac si ab uno tantum traductiones omnes emanassent. Neque tamen ignoro esse qui rem aliter gestam narrent, & Pentateuchum tantum à LXX. traductum contendant, & non separatos, sed unanimi concordia sententiam unoquoque suam proferente: Sed ego & Irenæo & antiquis aliis potiorem adhibeo fidem. Quare non est ut calumniatores, Almam, jam excogitent, & loco Virginis legitimi nominis, & à tot eruditis agniti, substituere contendant. Plurimum vero (ut ad Vulturem redeamus) indignatur Adamantius, plerosq; adhibere fidem Historicis Philosophisque, hæc de Vulture & aliis aliquot animantibus, quæ sine maris conjunctione concipiunt, indubitato tradentibus, & Deum negant, qui hæc in aliquot aliis animalibus facit, posse etiam in hominibus idem, uti adlibuerit, facere. Et Græcorum plerique credunt homines primum ex limo procreatos: nos non credemus ex dimidia humanæ substantiæ parte, jussu Dei, imo eo de se ita statuente, fieri potuisse, ut Jesus ex eo filius nasceretur? Esto igitur Vultur documento nobis, ne mysterium illud sacrosanctum, unde vera salus, veraq; felicitas nobis obtigit, fabulosum fuisse, vel minimum quidem suspicari unquam in animum inducamus.

*Immo septuaginta duo.*

## MISERATIO. Cap. V.



ADhæc Ægyptii sacerdotes miserationem per Vulturem femora sua rostro proscindentem, exprimebant: illa enim centum & viginti diebus, quibus in filiorum educatione detinetur, nunquam ad prædam longius provolat, uni illi curæ intenta, ne pullos deserat, decq; propinquo tantum quæ fuerint in promptu conveniatur. Quod nisi aliud quicquam suggeratur occurratve, quod filiis alimentum paret, ipsa suis femoribus rostro vellicatis sanguinem ciet, quem filiis exugendum præbeat: tanta curat charitate, ne illi victus egestate deficiant. Sane vero factum hinc crediderim, ut majores nostri, cum incomparabilem prorsus Assertoris nostri miserationem, qui pro salute nostra sanguinem suum profundere non dubitavit, alitem hanc, non autem Pelecanu in sacrosanctæ crucis apicem ea femorum vellicatione spectandam, popularium omnium oculis exerexerint. Nam quam-

*Vultur, Pelecani & Phœnicis erga suos amor comparatur.*

vis

A vis omnino per Pelecanum incredibilis erga filios amor hieroglyphico longe alio significetur, nusquam tamen apud antiquissimos rerum scriptores, qui saxum hoc evolverunt, legimus avem aliam, quam Vulturem, femorum suorum vellicatu pullos suos pascere consuesse: Phœnicē tamen & ipsum vellicare femora, sed, ut suo loco disputatur, non ut eo filios alat, quos nullos habet, sed ut ex eo fuso vermiculus ille oriatur, qui mox exeat in Phœnicem. Alia vero ratione mortem oppetere Pelecanum, ut filos sospitet suos, Ægyptii tradiderunt: de quo qui illi tradiderint, suo disseruimus Commentario.

## JUSTITIA. Cap. VI.

*Vulturum innocentia.*

HErodotus Vulturem ab Hercule pro justitiæ symbolo habitū tradit, quod ea justissima omnium avium, quæ volatilibus vescantur, judicetur, eaq; de causa semper apud eum magnæ æstimationis fuisse, lætariq; solitum cum inter res agendas Vulturem aspexisset. Vultur enim nihil, quod vivit attingit, nec animatum quicquam interficit, quod Accipiter & Aquilæ faciunt, cadaveribus vero contenta, nullius unquā avis pastione pollui visa est, ut Ægyptii observavere. Eadem fructus nunquam
B lædit, nec ulla in re animali cuiquam mansueto nocet. Quare mirum videtur quod traditum est à Dionysio, Aquilarum pullos, quorum nidus erat in Palma, quæ Tarquinii Superbi regiæ incumbebat, dum parentes absunt incursu subito à Vulturibus discerptos. Sed id videtur ea præcipue de causa diri prodigii loco habitum, quod cædes ea ab hoc animantis genere profecta sit, quæ in animatum animal sævire minime consuerit. Utcumque, non immerito innocentes Vultures Hermodorus Ponticus apud Plutarchum dicit: nam & ab iis quæ maxime nocere soleant animantibus, mortale genus liberant: ex volucribus enim in auxilio contra serpentes primam ajunt esse vulturem, corque ejus alitis habentem, tutum esse non solum à Serpentum impetu, sed etiam à ferarum & latronum periculis, &, ut aliquid omnino dicant, à Regum etiam indignationibus incolumen evadere.

*Hæc à Plutarcho, in problematis rer. antiq. Nec quidem in cadavera sui generis. Plut ibid.*

## DESIGNATIO. Cap. VII.

*Visus Vulturum acutissimus.*

ALia quædam ex Vulture hieroglyphica commenti sunt Ægyptii sacerdotes, ex iis quæ ab ea plurimum fieri observarunt. Nam scopum, sive locum, quo quis tendere designaret, per eam alitem alte volantem expressere: propterea quod Vulturem supra reliqua omnia animantia acutissimo vi-
C su præditam asserebant, atque oriente Sole occasum versus aspicientem, decedente vero ad orientem spatiosissimis quantumlibet intervallis esculentum, quod usui suo competit, prospectum enancisci, un oque ad id volatu, quasi sagittam ad scopum ferri. Quinetiam, ut D. Hieronymus attestatur, transmarina cadavera sentiunt. Sunt autem qui visui, sunt qui adoratui, quo sagacissime pollent, rem adscribant: sed utcumque hoc ab ingeniis ho minum disputetur, illud satis constat, Ægyptios intuitum ea loci designatione, in remotissimas quantumlibet partes, per Vulturis hieroglyphicum significasse.

*Quin triduo ante aut biduo volant ubi cadavera futura sentiunt. Plin. lib. 10. c. 6. Vulturum providentia maxima. Et Callides in Trinummo Megaronidis Sunt alii qui te Vulturium vocant.*



## TERMINUS. Cap. VIII.

QUinetiam circumscriptum terminum per ejusdem alitis picturā intelligi volebant: propterea quod, si conflictus usquam futurus est, locum ipsa præscribit, ubi acies concursuræ sunt, & pugnam inituræ, quo septem ante diebus, ut Ægyptii tradunt, aut, ut alii, triduo tantum prævolant. Hinc illud
D apud Plautum, in Truculento, de cœnipeta Dinarchus ait:

*Jam quasi Vulturii triduo prius prædivinant quo die esuri sint.*

## PRÆSAGITURA. Cap. IX.

AB hac vero præsagiendi vi, quod tot ante dies ubi strages futura sit, præsentiunt, iidem sacerdotes Ægyptii præsagiturā ex Vulturis simulacro significabant: iidemq; asserunt, consuesse priscos Reges belli tempore exploratores dimittere, qui observarent in quamnam exercitus partem Vultures iminerent, inde commonefacti stragem ibi futuram, ubi earum alituum grex frequentior incubuisset. Quæ quidem hujusmodi alitis providentia redigit in memoriā mihi quod Hermes Astronomus eum, qui Vulturis cœlestis afflatum ab horoscopo sortitus fuerit, sapientem & providum in negotiis obeundis futurū asserit,

imperiumq; suum(nam & Regem fore pollicetur)valido munimine,animoque,consilio & providentia optime valiturum. Quod si privatæ vitæ fuerit, pecuniosum omnino futurum,multos ejus auspiciis bene res gesturos,magnasq; divitias comparaturos. Præter hæc etiam asserunt,futurum eum militum ductorem,cui Vultur volans in horoscopo feliciter affulserit, eundemque magnis semper negotiis deditum, honoratissima quæque modo in hanc orbis partem, modo in illam appeturum, quo nomen in longinquas regiones extendat populosque, civitates & regna extera ditioni suæ subjiciat,cui libenter omnes,tanquam Indi Augusto, inserviant, & studiis omnibus obsequantur.

## HÆREDIPETA. Cap X.

*Seneca l. 15. epistolar. epist. 96.*

IUniores hæredipetam, mortuorum quippe bona captantem,per Vulturem significari tradunt: unde mordax apud Senecam dictum, *Si vultur es, cadaver expecta.* Huc etiam illusit Martialis epigrammatarius:

*Cujus Vulturis hoc erit cadaver?*



*Profanæ in divinis literis Vultures habita.*

In primis vero Divinæ literæ neque Aquilam, neque Vulturem mensis inferri volunt. Hic Adamantius illos in iis nominari putat, qui alienis mortibus incumbunt, qui arte fraudeve testamenta subjiciunt, velut mortuorum cadaveribus inhiantes: propterea quod his avibus semper mortuorum, ait, corporum cibus est, & ex cadaveribus nutriuntur & vivunt. Ea vero de causa profanæ sunt in Divinis literis, ut ait Hierosolymitanus Hesychius,quod per eas homines intelliguntur, qui rixis & bellis gaudent, ut cadaveribus, visceribus quippe miserorum, & atro sanguine depascantur, cum minime oporteat hominem contemplationi deditum, aliorum casibus pasci & enutriri.

## FUNUS. Cap. XI.

*Natalis Comes in Mythol. lib. 2. c. 7.*

SUnt, qui Marti Vulturem dedicatam asserant, quod diverso ab aliis ingenio prædita,omnem viventium consuetudinem abhorreat, studiumq; omne suum circa hujusmodi cædes intendat, atq; demum funesta omnia hieroglyphice significet. Sane cum natura omnia in sese recipiat, sitq; decidentium omnium receptaculum, Vulturque, uti sæpe dictum,naturam exscribat,non mirum,si quæ sponte cadavera nanciscatur, tam pro naturæ quam funeris signo accepta est à veteribus. Olim autem apud Iberos Vultures erant pro sepulchro, sicut apud Hyrcanos Canes, ob id dicti sepulchrales. De Iberis ita Sillius XIII.

*Vultur sepulchralis.*

*Tellure, ut perhibent, is mos antiquus, Ibera,*
*Examina obscœnus consumit corpora Vultur.*

*Æn. lib. 10.* De his Virgilius dixit: *Alitibus linquere feris.* De his Homerus, οἰωνοῖσί τε πᾶσι. De his Octavianus Philippensi prælio cuidam suppliciter sepulturam precanti respondit, *Jam istam in volucrum potestate fore.*

## PEREGRINUS. Cap. XII.

*Ideoq; nidos nemo attigit, Plin. lib. 10. c. 6. Negat id ibidem Plin.*

SUnt qui peregrinum hominem & ignotum omnibus, hieroglyphice per Vulturem apte significari dicant: propterea quod multæ Vultures exercitum sequentes repente apparere soleant, volutare semper ob raritatem prodigiosa, & tamen unde, constat nemini: quapropter eos ex diverso orbe nobis incognito advolare pleriq; putant,argumento,quod nemo,ut Herodotus Brysonis Rhetoris pater asserebat,nidum Vulturis vidisset. Illæ sane in excelsissimis & inaccessis rupibus nidificant: & quamquã difficulter nidum aut pullos ejus alitis videris,aliquando tamen visos tradit Aristoteles.

## CONCUPISCENTIA. Cap. XIII.

*Æneï. lib. 6. Idem fere Hom. Odyss.*

QUod vero poetæ fingunt eam Tityi jecur abrodentem ut apud Maronem legere est,

*— Per tota novem cui jugera corpus*
*Porrigitur, rostroq; immanis vultur obunco*
*Immortale jecur tundens, fœcundaq; pœnis*
*Viscera: rimaturq; epulis, habitatq; sub alto*
*Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.*

Ab

A Ab Ægyptiacis commentis haudquaquam diſſimile eſt. Anima enim, ut Philoſophi Poetæque veteres commentantur, in portionem rationis participem unam, & rationis expertam alteram diſpertitur. Sedenim quæ rationi adglutinata eſt portio, ſupra ſenſum & ſenſibilia ſublata, quanto poteſt luctamine, tanquam Vulcani congreſſum effugiat Pallas, ſemetipſam ſibi aſſerere meditatur: quæ vero aliena eſt à ratione, brutis proxima, temere omnia vel appetit, vel concitat. Appetentis autem vim totam in hepate Philoſophi plerique conſtituunt. Quare quod concubitus illegitimos Tityus appetierit, jecur ab alite rodi fingitur: ſive ea Vultur, ſive, ut alii quidam, Aquila ſit, quæ illud abrodat. Utcumque, noctu ait Heſiodus tantum accreſcere, quantum die fuerat abſumptum, propterea quod mentis agitatio noctu præcipuè vigeſcit, cogitationeſque & conſilia noctu undique ſuggeruntur. Sedenim quia dictum eſt ſuperius, Vulturem odoratu ſagaciſſimo ad putredinem deferri: cogitationis (inquiunt nonnulli) principium, motusque omnis à corde proficiſcitur, qui quidem eſt voluntatis fons, ut ex Homero & Poëtis aliis tam Græcis quam Latinis accepimus. A corde igitur eſt, quod malè habet jecur, itaq; Tityus ratione hac à Vulture laceratur. Sedenim Triclinius apud Pin-
B darum viſcera Tityi à ſerpentibus diſcerpi depaſcique dicit, quæ quidem eſt Poetarum licentia, non in his fabulis tantum, verum etiam in hiſtoriis, ex commodo ſuo quæcumque voluerint variare.

*Animæ partitio.*

*Idem fere Lucretius lib 3.*

*Heſiod in Theogonia.*

## LIVOR. Cap. XIV.

NOnnulli livorem ex hieroglyphico hoc interpretantur, eoque ſpectare Tityanam Vulturem in appendicibus Virgilii:

*Quæ ſemper lacerat, comeſtáq; mentem,*
*Vivit pectore ſub dolente vulnus:*
*Quod Chironia nec manus levarit,*
*Nec Phœbus, ſoboleſve clara Phœbi.*

In quam ſententiam alitis hujus figmentum Petronius Arbiter, Nicagoras, & Ariſtoxenus accepêre.

## DIVINA PROVIDENTIA. Cap. XV.

QUod denique Vulturem nonnulli Promethei etiam cordi abrodendo applicant, Ægyptiacæ eruditioni longè accommodatius eſt. Vulturem enim in mundi modum conſiderant. Cui pi-
C cturæ illa etiam applicatur cauſa, quod mundus celeri quadam volubilitate verſetur, & cadaverum naſcentium occidentiumque perennitate paſcatur: cumque in corde ſapientiæ ſedem veterum plerique poſuerint, alitis hujus cor depaſcentis hieroglyphicum, ali ſuſtentarique mundum divinæ ſapientiæ providentia, quæ nec ipſa finiri novit, nec mundus ceſſare ab ejus alimentis vel tantillum queat, manifeſtiſſimo ſignificat argumento.

## CONSUMMATIO. Cap. XVI.

NEque illud parvi momenti myſterium eſt, quod cum perfectum quid in rerum natura Ægyptii ſacerdotes indicare vellent, Vulturem, & Scarabeum ponere conſuerunt: utpote qui ex duobus his ſimulacris Palladem & Vulcanum, ut ipſi ajebant, intelligerent. Comprehendebant autem pictu-
D ram hanc uno tantum argumento, ex quo maſculo-fœmineum, ut dicam, ſexum ſignificari profitebantur. Ita tamen imagines diſponebant, ut ſi Vulcanum ſignificare vellent, Scarabeum primo incœptarent, mox in Vulturem deſinerent: ſin Minervam intelligi vellent, à Vulture principium ſumentes, in Sarabeum deſinebant. Cæterum quia primo ſtatim obtutu nova hæc fortè videbuntur, ea latius explicabimus pro eorum inſtitutione, qui nondum rerum naturalium ſacris initiati ſunt.

*Perfectionis figura, ejusque declaratio.*

## PALLAS ET JUNO. Cap. XVII.

ILlud autem imprimis non ignorari velim, cœlo in ſuperius & inferius hemiſphærium diviſo, Ægyptios quod ſupra finitorem eſt Palladi conſecraſſe, quod verò infra ab oculis ſemper noſtris ſummotum, Junoni dedicaſſe. Et quoniam cœlum ipſum muliebri genere Uraniam, non Οὐρανὸν, quod præcipuè etiam apud Arabes erat, vocitabat, utpote quæ Solis, Lunæ, ſtellarumque omnium mater haberetur & Vulturem, ut ſæpe dictum, omnino fœminam intelligerent, utrumque itidem hemiſphærium, quo cœlum conſtat univerſum, per Vulturis hieroglyphicum exprimebant: atque ita tam

Pallada quam Junonem, simulacro Vulturis significabat. Quinetiam unicuique muliebri signo alitem hanc pro gestamine addidere, atque ita demum unamquamq; Deam unius figuratione Vulturis intelligebant. Ut vero ad Vulcanum & Pallade revertamur, mundum in universum Ægyptii ex mare atque fœmina constare videbantur, solos vero deorum Vulcanum & Pallada masculo fœminas asserebant, cum tamen uti castigatiores Hori codices habent, supra Vulcani caput Scarabeum, supra vero Minervæ Vulturem statuere soliti essent. Atqui mundum ex Scarabeo, qui tantum mas est, ab eisdem intelligi, suo ostendimus commentario: ex Vulture autem Pallada significari, qui supremum est hemisphærium, ac muliebri sexu perhibetur, ut paulo ante dicebamus: atque ita fieri ut Pallidis & Vulcani opera, quicquid in rerum nartura cernere est, formam consequatur, & ad absolutam speciē redigatur. Nam Pallas ingenio capacissimo freta, nihil non concipit, nihil non parturit: Vulcanus vero eo quo pollet artificio optimè peritus, ignis sui accedente beneficio, omnia quæ fuerint dissolvenda liquat, contra vero alia cogit in duritiem, firmoque concretu pervincit. Atque hoc illud est quod Maximus Tyrius principium artis Vulcanum ab Homero dictum autumat: nam & quem ignem Prometheus furatus dicitur, Hesiodiani interpretes vitam variis artibus implicatam exponunt, Neq; secius in iis quæ ad sapientiam spectant, de quo post latius dicemus, opeoratur.

*Adhæc Natalis Comes Mythol lib. 3 cap. 5.*

## ARS ET INGENIUM. Cap. XVIII.

*Palladis cũ Vulcano copulatio quid.*

EA vero de causa commenti sunt Ægyptii Vulturem adjungere Scarabeo, qua itidem fabulæ Pallada Vulcano matrimonio collocatam fingunt. Usurpatum autem à veteribus maximè, quod in Orphicis etiam hymnis observatur, duas has vires in eadē substantia meditari, quarum alter cōtemplatur, quod munus est Palladis: altera præest corpori, quod ad Vulcanum spectat, easq; cognominibus maris & fœminæ nuncupare. Sedenim, alii omnium hanc cœlestium animorū prærogativam esse dicunt, ut utrumque obeant munus, concipiendi quidem per contemplationem, quæ à superiori potestate eorum infunditur intelligentiæ, simulque agendi inferiorum corporum cura, quæ sibi credita regant, instruantque qua ratione per afflatum datur, atque etiam è periculis eximant, & sospite valetudine tueantur. Unde etiam Empedocles, cum se Deum jam effectum asseveraret, puerum & puellam esse se dictitabat, cujus hæc circumferuntur carmina, quæ rem attestantur:

*Cõtra Nat. Comes loco præcitato.*

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.
Ἤδη δ' ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρη τε κόρος τε.
*Immortalis ego, haudquaquam mortalis habendus,*
*Sumq;, valete omnes, puer ecce, puellaq; factus.*

*Nempe Andrógynum.*

Atqui etiamsi rem ulterius scrutari voluerimus, hominem, de quo apud Philosophos consideratio utriusque sexus esse comperimus: unde quantum pertinet ad intellectum, nullum discrimen Socrates inter marem & fœminam discernebat, eandemque virtutem atque docilitatem in utroq; deprehendebat: cœlestemque illum nos etiam talem agnoscimus, cujus appellatione & angeli ipsi, & sæpe mali dæmones intelliguntur, cui nuncupationi nostræ etiam Sacræ literæ adstipulantur: frequentissimumque hoc apud Prophetas de bonis Angelis, ac de malo etiam dæmone, qui nihil natura differt ab illis. In Evangelio scriptum est: *Inimicus homo hæc fecit*, denique apud antiquos, quamvis duos hos tantum Ægyptii masculo fœminas ducerēt, in deos omnes utriusq; sexus testimonia reperias. Quinetiam minimè commentitium est, utriusq; naturæ homines inveniri, qui partem inter se utramq; pervagant, cujusmodi sunt populi supra Nasamonas, confinesq; illis Maclias, Calliphanis testimonio satis cogniti, ac in reliqua etiam Europa deprehensi, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Annalium commentator Fenestella: severaq; admodum lege cautum, ad quem malint sexum eligant, altero si abutantur capitali supplicio puniendi. Qui vero Hermaphroditi ex marmore facti passim reperiūtur, facie quippe muliebri, mammisq; notabiliter tumentibus, alvo coxendicibusq; grandioribus, viriliq; natura procacius excitata, ad superiorem intellectum referri debent. Hujus imaginis simulacrum pulcherrimum Romæ apud Petrum Melisium vidi. Sed ut ad deos, de quibus agebamus, revertamur: Ægyptii tum alia pleraque tum præciquè liberorum procreationem, sententia à Græcorum fabulis aliena, inventum esse ajunt Palladis & Vulcani. Atqui Scarabeus natos ex materia pū-

*Homines utriusq; naturæ. Atq; hoc liquaret aliquis de stat. hom.*

A ria, putida conformat, humique fovendam condit. Vultur ex halitu superioris aeris prolem suscipit: juncta hæc hominem efficiunt, in cujus dispositam materiam animus immittitur cœlitus, dum scilicet embryon in matris utero coalescit. Porro quod Vultur & matris, & Palladis symbolum est apud Ægyptios, id in memoriam adducit, quod in Divinis Literis Mater sæpe hieroglyphicè pro Sapientia ponitur, ut apud Salomonem Proverbiis: *Fili mi, audi doctrinam patris*, id est, Dei, *& non discedas à lege matris tuæ*, id est, sapientiæ. Quod vero natam ex Jovis capite Pallada confixêre, sciendum eam pro intellectu Jovis accipi, in ejusque providentia consistere: quapropter in Minervæ gratiam antiqua superstitione Sapientiæ templa, eaque potissimum in arcibus, dedicabantur. De capite autem veteres præcipuum animæ regimen emanare judicarunt, quod & alii postea multis experimentis cognitum prodidêre. Præterea, velut caput superior pars humani corporis est, ita æther, in quo regimen rerum, & totius providentiæ causa, vertexq; deorum, ut apud Euripidem est: *Nat. Com. l. 3. c. 5.*

*Lucidus hic terræ qui circumfunditur æther.*

Nullo præterea matris beneficio genita Minerva, quo magis cum Scarabeo sine compare genito,
B commercium inire possit. Virtutis siquidem generatio diversa est ab ejusmodi rebus, quæ parium concubitu fiunt. Hinc Jovem nonnulli ajunt consilium (ita enim Φρόνην exponendum) deglutisse, & mox Palladem edidisse: quippe qui consultor & sapiens sit habendus, non alia quam consilii via ad prudentiam devenire potest. Alii fabulam aliter contexuere, dum Jovis caput à Vulcano comminutum ajunt:

*Sitq; ita de patrio vertice nata dea.*

Ignis siquidem, quo in operibus ad demonstrandam naturæ puritatem utimur, humanæ est instrumentum industriæ. Ignis occulta omnia dat luci: quod vero quis exquirit, si fuerit inventum, id is & parere, & tamquam fœtum edere videtur. Sane vetustæs (id enim sæpe repetendum) Minervam omnium operum inventricem sapientissimam ponit, & omnia apud nos per Filium facta sunt. Orta illa ex Jovis capite confingitur. Vera Minerva sine qua factum est nihil, noster quippe Ehieh, hoc est, artifex, quod nomen secundo loco literæ sacræ ponunt, nutu consilioque intimo summi Dei, non inferiorum operum more, sed ex Dei capite emanavit. De hoc, Proverbiis: *& Ehieh secundum se*
C *artifex & Ehieh deliciæ quotidianæ.* Nostri: *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies.* Ita semper divina dubio procul dispensatione apud nationes omnes aliquis semper veritatis fulgor illuxit, Nam ignis quem Hebræi, ut Reuchlin observavit, Esth vocant, unum est ex primoribus Dei nominibus. Ab eo nomine Græci ἑστίαν Romani Vestam fecere, de qua Ovid. *Natal. Com. ibidem.* *Huc accedit quod quidam ait appellationem* Ἀθηνᾶς *cognatam esse vocabulo Adonai.*

*Nec tu aliud Vestam quam purum intellige flammam.* *Ovid. lib. 6. fasto.*

Quare triplex illa divinorum nominum observatio, quæ ad omnium ferè gentium, quæ disciplinis usæ sunt, usum faciunt, diligenter animadvertenda, ita enim habent:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Hebræi, | Hu, | Ehieh, | Esth. |
| Græci, | ζεὺς, | ἀθήνη, | ἀφροδίτη. |
| Latini, | Jupiter, | Minerva, | Venus. |
| Theologi, | Idem, | Ens, | Ignis. |
| Antiqui, | Nox, | Cœlum, | Æther. |

Denique, *Deus*, inquit Apostolus, *qui dixit in tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris,*
D *ad illuminationem notitiæ claritatis Dei, in persona Jesu Christi.*

## IGNIS DUPLEX. Cap. XIX.

CUm itaque Pallas translucidus & purus ignis intelligatur, ne Græcorum figmenta hujusmodi prætereamus, merito Vulcani nuptias aversatur, ut in virginitatis suæ puritate persistat: neque quidem ea conjugem aspernatur, sed ab eo contingi contaminarive minimè patitur, siquidem is, quo utimur, ignis, qui materiæ adhæresit, aere tamen commistus, Vulcanus est. Affectat is nuptias Palladis, quantoq; conatu potest sursum versus erigitur, ac nisi perpetuis materiæ vinculis præpeditus quodammodo in ergastulis detineretur, nimirum sponsæ thalamum ascenderet. Jovis hic & Junonis filius effingitur, Homero id asserente, quorundam vero commento, Junonis tantum, ut apud Hesiod. *Hesiod. in Theog.*

ἤεη

ἥρη δ' ἠφαίστου κλυτὸν ἀφιλότητι μιγεῖσα — *Illustrem Juvo nulli conjuncta marito*
Γείνατο — *Vulcanum genuit.*

propterea quod densiori applicitus materiæ, atq; uti pavimento adglutinatus, ne ad sublimia sustolli possit, coërceatur. Inferiora autem hæc Junoni adjudicata esse tunc ostendimus, cum infernum hemisphærium eam sortitam esse commemoravimus. Quare Varro dicere solebat, Vulcanum intelligi de vehementiore, utpote fabrili fornacaliq; igne, Vestam vero de domestico. Utcumq; autem, flamma nihil aliud est quam aër crassiusculus incensus, inferior vero, aër hic Juno, sic ea Vulcanum genera-

*Testatur hoc Homerus in Hymno Vulcani.*

rat. Claudus idem perhibetur, sive quod ob densum materiæ meatum, consensum habet cum iis quæ umbram reddunt, umbræ vero pleræque omnes obliquæ sunt, neq; sine solido corpore esse queunt: inde etiam confícta claudicitate, quod progredi nequeat absq; aliquo quasi ligneo baculo, sive quia superioris mucronis modum diversum & inæqualem ab inferiori ubi depascitur, efficit, qui cum sit omnino tardior, claudicare Deum ideo dixere. Verum apud Homerum utroque pede cladicat: quia scilicet nunc in dexteram nunc in lævam agitatur, dum aerem perrumpere contendit, cujus densitas ne ascendat ad Palladem, obsistere videatur: inde cum sit corpori adalligatus dum se vinculis liberare nititur, modo hunc, modo illum pedem tentat è compedibus extrahere, undé motari quoquoversum, & undequaq; distorqueri cogitur: atque ita speciem hominis utroque pede claudicantis exhibet. Projectus ab Jove de cœlo in terram fertur Vulcanus idem: nempe quia, ut nonnulli tradunt, qui primi ignis usum adinvenêre, in ardentem materiam aliquam fulmine tactam incidere, atque ita mox utilitate cognita, ad igniaria deventum, quam inter varias opiniones, unde ignis datus mortalibus, primam ita Lucretius ponit:

*Vulcanus quare claudus.*

*Illud in his rebus, tacitus ne fortè requiras,*
*Fulmen detulit in terras mortalibus ignem*
*Primitus, inde omnis flammarum dicitur ardor.*

## DRACHMÆ DUÆ, SIVE COR. Cap. XX



His igitur notis Ægyptii tam in mysteriis suis edocendis, quam in naturæ secretis aperiendis, & civilium morum præceptis proponendis utebantur. Sed & in reliquis disciplinis ab eodem scriptionis genere non recedebant, ut si de Mathematicis rebus locuturi, in numeris drachmas duas ostendere voluissent, Vulturem, ait Horus, ponebant. Causam nonnulli commenti sunt: quia unitas apud Ægyptios duarum drachmarum instar æstimatur. Unitas vero una cum binario, totius est numeri generatio. Merito itaque si drachmas duas indicare vellent, Vulturem pingebant, quandoquidem & matris & generationis prærogativa polleat perinde ac unitas ipsa una cum binario numeros omnes generat. Quare cum ita mater esse videatur, optimè Vulturi competit. Utcumque, curta sunt hæc in exemplaribus Hori, quod alii viderint, si castigatiora in exemplaria inciderint. Cæterum, si ariolandum sit in re usque adeo perplexa, putarim ego, Cor hinc significari, qui legerim apud eosdem Sacerdotes, vel qui doctrinam eorum interpretati sunt, infantium anniculorum cor duabus drachmis ponderari, augeri autem per annos singulos drachmis itidem duabus, ad annos usque quinquaginta: inde per annos alios eodem decrescere æquilibrio, quod ad id usque tempus auctum fuerit, hominemque tunc desinere, cum ad drachmas jam duas cor ipsum redactum fuerit: ita vitam humanam centum annis plerumque circumscribi, nisi aut negligenter, aut intemperanter acta, ipsa sibimet, uti Turdela, incommoda comparârit, seque parte aliqua fraudaverit: nam cor affectum injuria & tranquillitate sua defraudatum, pro molestiarum portione properantius efflacceſſit & deficit. Quæ quidem cum admodum insignia sint apud Ægyptios, non uno erunt loco repetenda. Id autem annorum spatium cum Vulturinæ congruat vitæ, sitque vitæ omnis vis in corde sita, facilè unicuique constare puto, cur

*Cor per Vulturem.*

*Vita hominis centum annorum.*

drachmæ

A drachmæ duæ ex Vulturis simulacro significentur. Sanè verò, sive numus hic fuerit duabus drachmis imputatus, qui Vulturis imagine signaretur, sive alia fuerit ejus nota, illud manifestum est, Didrachmam apud veteres numi pondus fuisse, quem suo nomine Siclum Hebræi vocabant, qui quidem 20. obolis imputabatur; frequentissimusq; est hujus locutionis usus in Divinis literis, ut alii siclum, alii Didrachmam ponant. Nam Levit. capit. 7. supra 20. ubi Legislator, pretium ponit quo se redimere possit, is qui honorem animæ suæ Deo voverit, legas, *à quinto anno ad vigesimum qui se Deo voverit, siclis viginti posse redimi.* LXX. Interpretes, *viginti didrachmis* reddidere. Ita illud pretium masculi à vigesimo anno usq; ad sexagesimum, *quinquaginta sicli argenti ad mensum Sanctuarii*, iidem LXX. transtulerunt, *quinquaginta didrachmæ*, & multa passim hujusmodi. Adeo vero illis arridebat Didrachmæ vocabulum, ut si Drachma una esset enuncianda, Didrachmæ dimidium potius quam Drachmam unam, aut sicli dimidium ponerent; cujus facti rationem, & cur hoc pondus *Sanctum* appellaretur, legas apud Hierosolymitanum Hesychium, libro ejus 7. in Levit. c. 27. Atq; ut hujus monetæ pondus ad temporis nostri usum deducamus, sciendum Obolum ejus pretii esse qui Romæ

*Siclus.* *Didrachmæ usus.*

B nunc literis aliquot immutatis Baliocus, quasi obolicus dicere velint, appellatur. Drachma verò pondus est ejus numi, qui Romæ Julius hodie vocatur. Venetiis Marcellus argenteus ejusdem ferè ponderis est, uti etiam Ferrariæ atque Mantuæ vulgo Buxoloti nomine. Aureus quoque numus drachmæ fere pondus æquat, atq; ita siclus argenti vel didrachma, uno Mocenico Veneto imputatur qui proximè accedit ad Julios duos: non enim hæc ad unguem explanari possunt, propter locorum varietatem, quia Juliæ monetæ Romanæ pretium, extra Romanæ Pontificiæve ditionis loca, minoris quam Romæ æstimatur: contra Mocenicus, moneta Veneta, extra Venetorum ditionem pretiosior est quam apud ipsos, vel eorum socios. Aurei quoq; tam pretio variant, quam varii sunt qui eos cudunt Domini: Sed ponderis in eodem genere parva admodum differentia. Atque hæc sunt, eruditissime Præsul quæ doctrinam Ægyptiorum secutus super Vulture conscripseram: nescio an plura in archetypo fuerint, quem surreptum initio conquestus sum; puto tamen hæc ad hujusmodi mysterii cognitionem factura satis. Multa vero de industria præterii, veritus ne nimia prolixitas delicatioribus fastidio esset: & otii quod mihi exiguum concedebatur, habenda ratio fuit, cum multa alia, ac

*Baliocus.* *Marcellus.* *Buxolotus.* *Mocenicus.*

C pene innumera sint in hujus generis commentaria, si per otium licuerit, redigenda, ut amicis argumentum hoc, vix ulli hactenus attentatum, deposcentibus, quantum pro tenuitate mea præstare potero, satisfaciam.

---

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIRER XIX.

## DE IIS QUÆ PER AQUILAM SIGNIFICANTUR.

D Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD CLARISSIMUM ABBATEM D. PALUM JUSTINIANUM.

*Summum igenii tui acumen, suavissimi mores, incomparabilis benignitas & eximia in amicos omnes liberalitas effecerunt Paule Justiniane vir rarissime, ut Aquilam tibi ex aviaria meo Ægyptiaco dedicare cogitaverim: quippe quod tu alitis hujus plerasq;, ut ita dicam, virtutes, aut excellentis naturæ dotes, præ te ferre mihi compertus es. Sed potior nimirum causa fuit quod Justinianæ familiæ gestamen est Aquila aurea, quia scilicet progeniem hanc ex Justiniani Imper. sanguine deduci, o-*

*mnibus est exploratissimũ, celeberrimi illius inquam Imperatoris, qui Byzantii præcipuè claruit, & universo præfuit Orienti. Illi siquidẽ Aquilã insignia auream præferebant, qui Orienti præerant: qui verò Occidenti, quod in hanc usque diem continuatur, fusciã autẽ, bicipitem utramq;, sed uno tantum corpore constituam: quod hieroglyphicum erat administrationem atq; potentiam in duos divisas, unius tamen esse consilii atq; voluntatis. Ex ea vos progenie progressi, in Venetiamq; nobilissimam cooptati, regias virtutes esse vobis per ætates singulas testatissimum effecistis. Fabiorumq; Romanorum exemplo, bello Hierosolymitano pro Christiana pietate contra barbaros fortiter dimicantes, in acie ad unum cæsi, mox uno tantum, qui Venetiis superest, vitamq; cœlibem Deo voverat, rogatione Senatus ad maritalem copulam compulso, reparata familia ex qua brevi post tempore tot illustrium Senatorum effulsere lumina: Marcus Justinianus, summæ vir probitatis: Beatus ille Laurentius, sacra literatum scriptisq; nobilis, sanctitate vitæ insignis, & primus Venetiarum Patriarcha: Leonardus Divi Marci procurator, Græcis Latinisq; literis ornatus: adde Bernardos, Ursatos, Procuratores ipsosq;, & honoratissimis legationibus functos: ultimum hunc insuper vigilantissimum classis Venetæ Imperatorem: ætate vero nostra Sebastianum & Antonium litteris & disciplinis eximios, qui legationibus ipsi etiam ad summos quosq; principes felicissimè administratis, patriæ charissimi gentis hujus splendorem offuscari minimè permiserunt. Tuam autem hæreditariam illam à majoribus tuis acceptam probitatem, & à te studiosissimè cultam, applicarem, quam Venetia prædicant, admirata est Patavium. Gallia vero universa & ubiubi literariũ studia florent, omnes gestiunt celebrare: sed de re omnibus manifesta, ne allucinagam, neve modestiam offendam tuam, qui mavis probus esse, quam videri, longior non ero. De te verò quid reliqui summis laudibus efferant, non tibi, sed seculis spero me aliquando in propatulo positurum. Nunc ad Aquilam aggrediamur.*

## DE AQUILA. Cap. I.

*Aquilæ commendatio.*

AQuila, ut hinc exordiar, non temerè cognomento Romana meruit appellari: cum nulla fere fuerit in universo terrarum orbe pars, qua daretur accessus, quam auspicatissimo ductu Romanæ non subjecerit authoritati. Quamvis non sum nescius, Persas multo ante Romanos auream Aquilam pennas extendenti similem fecisse. Huic autem uni aliti, ætatum & auspicum omnium consensu, id honoris datum, ut magnarum rerum prosperi semper eventus significatione, auspicia faceret, Buteonem Sanqualin. Immussulum ac Vulturium longe anteiret: reliquarum verò volucrum ostenta, quæcumque oblata essent, interventu suo aboleret, neque per aerios tractus omnes, ullis cederet, quam fulmini. Cum vero auspicia portentaque omnia fere similes quasdam habeant significationes cum Ægyptiorum hieroglyphicis, & manifesta inter se germanitate consentiant, non abs re fuerit in Aquila primum auguria, mox hieroglyphica percurrere: ut hoc honoris ei tribuatur, cujus est in auguriis prærogativa.

## RERUM PROSPERITAS. Cap. II.

*Ex Aquilæ gestu varia augaria.*

PRÆCIPUUM itaque ejus significatum est, ut oblatam divinitus prosperitatem ostendat, quod jam inde initium sumpsit, quod Anacreon author antiquissimus scribit, Jovem adversus Titanas profecturum, sacrificium Cœlo fecisse, Aquilæque volatum prospero ei auspicio victoriam portendisse: quæ cum subsecuta esset, insigne bellicum auream inde Aquilam gestasse. In hujusmodi autem auguriis id veteres observabant, ut quo gestu Aquilam spectassent, magni dicerent interesse. Namq; volantem conspexissent, faustissimum & citra pulverem augurium putabant, uti Arexion Parrhasius indicavit Xenophonti expeditionem in Bithynos agitanti. Sin vero sedentem animadvertissent, magnum omnino esse augurium, præclareque rei alicujus indicium, in qua tamen peragenda laboris plurimum esset adeundum: propterea quod sedentem aquilam aves reliquæ infestare consuessent, cujusmodi augurium eidem Xenophonti tunc oblatam est, cum Epheso ad Cyrum iter arriperet: dexteræ enim Aquilæ, quæ sedebat, obviam factus futuræ celebritatis, magno tamen labore comparandæ, ut postmodum probavit eventus, omen accepit. Nimirum autem illud in Aquila præcipue admiratione dignum est, quod una omnium animantium idem apud gentes nationesque omnes semper indicarit, cum pleraque alia ita vel populorum vel gentium certarum propria fuerint, ut quanto huic

A huic vel illi feliciora portenderent, infausta aliis & ærumnosa magis minitarentur, quæ locis quæq; suis toto opere commonstrantur. Verum Aquila, cui non semper prospera felixque fuit? Quæ bella umquam hominum memoria depugnata sunt, in quibus illa fuerit otiosa? sive quis Assyriorum, sive Medorum, sive Persarum historias percurrat: sive Græcorum, atque adeo Macedonum monumenta resque præclarè gestas memoraverit: sive Romanorum, qui mox omnium excepere gloriam, famam celebritatemque, & sublimem felicitatis apicem, admiretur? Apud hos autem quid umquam Aquila frequentius? quid honoratius? quid umquam sacratius fuit? Sed ut ab externis ordiamur, quanta illud admiratione dictum, quod Aquila currus Gordii, pauperis alioqui viri, jugo per totum diem insedit: unde Phrygiæ regnum Midæ ejus filio prænonstratum. Vel illud potius, quod cum apud Argivos Heraclidarum familia defecisset, ex qua Regem eligere mos illis antiquitus fuerat, qui Rex creari deberet per oracului sciscitantes, responsum acceperunt, Aquilam id ostensuram, paucisc; admodum post diebus, Aquila superne delapsa super Ægonis domo consedit, atq; ita omnium consensu Ægon Rex



*Jul. Obsequens de prodigiis.*

B creatus. Hieroni quoque Siculo admodum adolescenti, privatæ fortunæ homini Aquila, quæ primo bello quod iniit, in ejus clypeo resedit, Regem eum aliquando futurum indicavit. Vulgatissima ea sunt quæ de Tarquinio Prisco memorantur, cui Romam migranti Aquila pileum ex itinere abstulit, futuri, ut Tanaquil uxor interpretata est, principatus augurio. Quin & Diadumeno Macrini filio in agro ambulanti, Aquila pileum abstulit, quem in capite cujusdam regiæ statuæ deposuit, id honoris aruspicibus adolescenti pollicentibus. Et quoniam in nostra devenimus: C. Marius cum nidum Aquilæ cum septem pullis puer adhuc in agro reperisset, eumque gremio susceptum ad patrem detulisset, is admiratione motus, consultis aruspicibus, septies penes filium rei summam futuram accepit, quod in tot, quos gesserat, consulatibus apparuit, quos eo numero primus omnium assecutus est. Quamvis Plutarchus, *notatur.* *Plutarchus*

C Romanorum quodammodo hostis historiarum, rem ideo fabulosam existimat, quod authores tradant Aquilam non ultra duos parere, tametsi Musæus dixerit ab ea tres excludi, unum ali, duos abdicari: Cui responderi potest, id ostento fecisse fidem, quod & patri admirationem incusserat, præter morem septem genitos: illi enim portentosi partus Varroni nostro sunt, qui longè morem excedunt, uti porca quæ triginta capitum fœtus enixa, Æneæ augurium didit. Cæterum, quod ad numerum facit hujusmodi, Albino etiam septima postquam natus est hora, convivio quod ejus celebritati deputabatur, cum ei fierent nomina, septem Aquilæ parvulæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad locum circa cunas pueri constitutæ: quod omen pater eo proclivius admisit, quod rarissimum est in illis regionibus ubi Hadrumentum, hujus natale solum in Africa, videre Aquilas. In hujusmodi ostentum accepit Octavianus, quod sibi ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti, Aquila ex improviso panem de manu rapuerit, cumque altissimè volasset, rursus ex improviso leniter delapsa reddiderit. Eadem numquam antea Rhodi conspecta, ante paucos dies quam Tiberius inde revocaretur, felici admodum auspicio in culmine domus ejus assederat. Et Clau- *Qui partus portentosi.* *Sueton. in ejusdem Vita c. 94.*

D dii, qui diu inter ludibria aulæ fuerat, sub Cajo demum fratris filio Consulatum adepti, quamprimum cum fascibus ingressus est forum, prætervolans Aquila dexteriore consedit humero, indicio futuri apùd eum Imperii manifesto. Acie autem Bebryacensi, priusquam concursum esset à militibus, Aquilæ duæ in conspectu omnium conflixere, victaque altera, tertia sub venit à solis ortu, quæ victricem abegit. Ita duobus inter se decertantibus, Imperatoribus, Vespasianus, qui Orienti præerat, rerum potitus est. Quin & Maximo, qui turbulentissimis Reip. temporibus Imperator electus est à Senatu, ut Maximini obviam iret crudelitati, quamvis humillimo genere nato, patre quippe plebejo homine, arte ferrario, vel ut alii dicunt, carpentario, auspicium Imperii dederat Aquila, cum eo nato carnem bubulam, & quidem multam in ejus cellam projecisset, quæ angusto patebat impluvio eam denique cum jaceret, nec quisquam auderet attingere religionis timore, itesum *Sueton in Tiberio c. 4.*

rum sustulit, & in proximum sacellum, quod erat Jovis Præstitis, detulit. Eadem ostento hujusmodi infantem adhuc Aurelianum vinctum fasciola sine ulla noxa de cunis sustulit, & in aram quæ juxta sacellum fortè sine ignibus erat, deposuit. Verum hæc temere fortè accidere potuerunt, cum nulla non die ignobilissimis etiam virisAquilæ sese ostentent, & his etiam admirabiliora nonnunquam faciant, quorum tamen nemo ullam assequitur celebritatem. Ostenta in aliis observata, quod eorum qui ad aliquam rerum amplitudinem evehuntur, dicta factaque omnia, quantumlibet levia repeuntur, & oraculorum instar in acta referuntur. Sed demus hoc contentiosis. Illud puto non negabunt, alicujus esse momenti, quod Aquilæ gerendis rebus tam sæpe se duces exhibuerint, & quasi divinitus missæ, vel quid agendum ostenderint, vel quo res evasuræ essent præmonuerint. Cum natus esset AlexanderMacedo, Aquilæ duæ tota ea die prepetes supra culmen domus insederunt, omen duplicis Imperii, Europæ Asiæque præ se ferentes. Ea autem quæ à classe in continentem progressa, ibique firmata, augurio fuit, Persas terra, non mari debellandos esse, Alexandri ipsius interpretatione, secus quamParmenio sentiret. Et difficillimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbellam commissum est, quo nullum umquam acrius inter eos fuit, Aquila paululum supra caput Alexandri placidè volitare visa, nec armorum sonitu, nec gemitu clamoreve ullo morientium territa, diuque circa Equum ipsius regis pendenti magis quam volanti similis apparuit, præsagio, vel indicatione potius, quo res evasura esset manifestissima. Augurium hujusmodi legas apud Tacitum Fabio Valentiobblatum. Cum is exercitum in bellum ageret, ipso profectionis die Aquilam leni meatu, prout agmen incedebat velut ducem viæ provolasse, longumque per spatium, nullo gaudentium militum clamore augurium accipientium, & alitem salvere jubentium, terrefactam, ita iter continuasse, ut haud dubie magnæ & prosperæ rei omen acciperetur. Ejusmodi auspicii lætitia Vitellio fuit, copias adversus Othonem præmittenti, siquidem, à parte dextera repente Aquila advolavit, lustratisq; signis ingressos viam sensim anteceSSit. Et memorabili ea pugna, qua Lucrorum, xv. millia tantum ducenta & viginti millia Crotonensium profligarunt, qua pugnabant parte Locr[1], Aquila ab acie numquam recessisse fertur, eosque tamdiu quoad vincerent circumvolasse. Quid quæ Deiotaro Regi augurium dedit, ex itinere divertendum? cui ille obsecuturus cum esset, conclave mox illud, ubiRex mansurus erat, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Eadem Mario reditum cum summa gloria triumphabundum pollicita est, cum Anguem arreptum unguibus dilacerasset, & in aquas abjecisset & in occasum inde versus abvolasset: quæ Cicero luculentissimis carminibus in Mario decantavit.

*I. Pierii superstitio.*

*Val. Max. 1. cap. 5.*

## IMPERATORIA MAJESTAS Cap. III.

*Fulna super omnes Aquila habita.*

OMNIBUS igitur nationibus & gentibus Aquilam in ostentis Imperii magnitudiné portendisse, multis exemplis apparuit. Cæterum cum multæ sint Aquilarum species, eam Ægyptii Sacerdotes in regio hoc significato deligebant, quæ à nigricanti colore Fulva potest appellari: huic enim Rex deorum Jupiter, *regnum*, ut Horatius ait, *permisit in aves vagas:* in ea regiæ virtutes omnes eluceSCunt: quippe quæ viribus omnium præstantissima una fœtus suos alit atque educat una pernix, concinna, polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, minimè invida, minimè petulans, verum quadam etiam modestia prædita: ea non clangit, non lippit, non murmurat, sed regios denique mores, regiam prorsus majestatem in omnibus imitatur. Quinetiam, invenias homines eo naso præditos, cujusmodi Aquilæ rostrum est, pro regiis æstimari solitos. Quod Plato tradit, & Plutarchus receptum asseruit, PerSæque hominum id genus mirum in modum commendabant, ejusmodique fuisse Cyrum historiarum authores tradunt, atque ea se specie factum gloriari solitum. Sed quoniam rostri τὸ γρυπὸν illud est, quod isti regium existimant, animadvertendum duplex esse τὸ γρυπὸς genus unum cui à fronte statim nasus insurgit, id impudentis animi signum ponit Aristoteles, similitudinemque eam ad corvum propius accedere: alterum, cui nasi curvatura separatur à fronte, circaque medium intumeSCit, & in unci speciem exit. Hoc esse magnanimitatis indicium & ad Aquilam referri, Philosophus idem tradit. Merito itaque Pyrrhus quoque multis à se rebus magnificè plæraque gestis, Aquilæ cognomento plurimum gaudebat: quamquam ea erat modestia, ut non omnem sibi rerum gestarum gloriam usurparet, sed bonam ejus partem insimilites transferret.

*Nasi Aquilini Typus.*

A ferret. Nam cum aliquando rebus bene gestis domum rediisset, illumque milites Aquilam appellitarent: *Per vos*, inquit, *Aquila sum, qui vestris armis veluti pennis sublevor*. Vidimus ejus numum, in quo Aquilam cum fulmine sub pedibus jacente, & ramis duobus quernis in coronã flexis, cum inscriptione Dorica, ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ: ab altera parte caput est, quod alii Jovis, alii Pyrrhi ipsius esse dicunt: nam inscriptio Epirotarum videtur ad Regem spectare. Quem vero corona, quæ apud Romanos hieroglyphicum ejus est cui civem servarit, in hoc numo glandes Chaonias, & oracula Jovis Dodonei significare potest. Apud Pindarum legas Aquilam ita volucrum reginam ab Jove declaratam, veluti Delphinum piscium, utriusq; pernicitate genus omne suum exuperante. Hinc idem ait, Aquilam in sceptro Jovis præfigi solitam. Neque vero mirum, Pindarum ubiq; honoris tantum Aquilæ tribuisse, cum Aquilæ apud Thebanos non aliter inter numina colerentur, quam Cynocephali, Crocodili, & alia quædam bruta apud Ægytios in cultu fuere, &, ut fumus passim totis his Commentariis ostensuri, pro Diis habita.

*Pyrrhi apothegma & numus.*

## APOTHEOSIS. Cap. IV.



*Aquilæ principum justis dicatæ.*

B Cum igitur Imperatorem atq; Regem Aquila describeret, eorum etiam justis dedicabatur, qui filiis superstitibus decedebant: eos enim inter divos referre mos erat: cujusmodi morem Herodianus in Severianis justis latissime prosequitur, ex quibus Aquila, simulac ignis pyre subjecto esset, ex intimo suggestus tabernaculo emittebatur, qua Principis animam in cœlum referre videretur, eamq; in numismatis videre est, nonnunquam cum spoliis, nonnunquam cum fastigio: sic enim suggestum illum, in quo cadavera Principum cremabantur, Cicero videtur appellasse, cujus formam apud Herodianum legimus, & in plerisq; numis conspicimus. Usque adeo vero sunt Imperatoribus Aquilæ dedicatæ, ut ne in extremo quidem vitæ eos deseruerint, deq; C cœlo, quibuscunq; modis possent signa dederint, si qua posset ad salutem via præmuniri. Nam eidem Imperatori Severo signa mortis attulerunt Aquilæ quatuor, quibus sibi visus est per nocturnam imaginem in cœlum rapi. Et Octavianum Augustum, cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, Aquila sæpius circumvolavit, transgressaq; in vicinam ædem, super nomen Agrippæ ad primam literam sedit, unde aruspices interpretati sunt, eum paulo post moriturum, quod haud ita multo post eventus comprobavit. Videre autem est in numo, cujus inscriptio est Divi Augusti Patris, Aquilam igni subjectam, quod ego ad justa ejus retulerim: quamvis nonnulli sacrum esse putant, propterea quod Imperatoria, quæ Græci Hecatomben appellant, ex centum Leonibus & centum Aquilis celebrata fuerint ab aliquot Imperatoribus, & à Græcis etiam, quod tradit Julius Capitolinus in vita Maximi & Balbini. Sed nihil hoc ad Augustum, de quo nihil tale memoriæ proditum. In numo, cujus inscriptio est, Divus Pert. Pius Pater, Aquila est pilæ insidens, quasi eum supra cœli convexa sublatum esse velit innuere: nam altera inscriptio D est. Consecratio. Atq; hæc in divi M. Antonini Pii numis multipliciter habetur, nonnunquam cum fulmine, nonnunquam etiam Antoninum ipsum inter alas gestans: nonnunquam vero cubicularem lectulum in cœlum tollens, cum inscriptione, Consecratio. Qui Bellunensi in agro reperiuntur argentei, ex uno latere pulcherrimum ipsius Antonini caput habent cum inscriptione Divus Antoninus, ex altero Aquilam aræ rotundi ambitus insidentem, inscriptio, Consecratio. Verum etiam in Vespasiani numi Aquila est quæ pilam gestat, atque ejusdem alis tabernaculum corymbis & sertis redimitum. In Hadriani numis aliquot, Imperator ipse sceptrum ab Aquila recipere videtur, quasi illi ab Jove delatum esset Imperium, quod & inscriptio declarat, Providentia Deorum. In numo divæ Sabinæ Augustæ Aquila est cum fulmine, & inscriptione, Consecratio, quamvis in fœminarum justis Pavo, non Aquila, est adhiberi solita: de quo in Pavonis commentario.

*Propter pertinaciam, utinam non propter rapacitatem. Suetonius in Augusto. Octaviani Augusti numus.*

*pertinacia numus. Antonii Pii numus. Adriani numus. Sabinæ Augustæ numus.*

## REX PIUS ET MISERICORS. Cap. V.

*Ossifraga dicta.*

SED jam nos appellant Aquilæ virtutes, illaque in primis, quod pium & misericordem Regem, qui scilicet victum & necessaria inopibus eroget, ostendere qui volunt: Aquilam eam proferunt, quam à vigore, quo egregie prædita est, Ossifragam appellant: ea enim pullos, quos sub Aquila, vel montana Ciconia, invida illa inquam, & famelica, quam Græci γυπαιετὸν, nostri aliquot vulturinam aquilam nuncupant, nido ejicit, parentes adhuc operam desiderantes, cum volandi facultatem nondum adepti fuerint, ad se recipit, atq; educat, benigneq; tuetur, dum quantum satis sit adoleverint.

## BENIGNITAS. Cap. VI.

QUÆ quidem mansuetudo fecit, ut juniores (nam apud Ægyptos commentum hujusmodi non inveni) si benignitatem commodissimo hieroglyphico explicare vellent, Aquilam cum alia quavis alite ex eadem olla cibum capientem fingerent. Sed quoniam in Aquilæ benignitatem incidimus, missum illud facere non possum, quod admiratione dignum apud Plutarchum legi, ut si cui argumentum placuerit, totius historiæ scenam sibi pingendam curet. Cum pestis olim Lacedæmona exhauriret, oracula monuerunt mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immolassent. Obsecuti Lacedæmonii, oraculi fidem approbaverunt. Forte vero evenit, ut Helenæ sors obtigerit, quæ cum mactanda duceretur, Aquila devolans sacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatum super juvencam demisit, cujus prodigii argumento παρτενοκτονία, id genus sacrificii sublatum est, quod memoriæ prodidit Aristodemus. Idem olim evenisse Romæ in Valeria Luperca & eadem de causa, tradit Aristides Italicarum rerum velumine decimonono, quem idem Plutarchus citat.

*Virginis cædes.*

## RELATA GRATIA Cap. VII.

CRATES vero Pergamenus, quod & Stesichorus Poeta poemate prosecutus est, historiam ab ejusmodi beneficentia non absimilem recitat. Nam cum decem & sex messores quendam è sociis aquatum misissent, reperit is apud fontem Serpentem, qui complexus Aquilam arctissimis eam spiris implicitam suffocabat. Ille, ut falce messoria armatus erat, audacter progressus ferro Serpentem dissecuit, Aquilam liberam abire permisit: cumque hausta in urnam aqua rediisset, sociis singulis poculum ministravit, mox cum & ipse quoque bibere vellet, præsto adfuit Aquila, quæ poculum ab ore dispulit ejectum procul, dumq; messor factum miratur, & Aquilam quam probe noverat, increpat, eamq; apud socios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos & hic & illic concidentes vitam exhalare: unde simul & aquam, quam illi biberant, veneno infectam, & se periculo subductum intellexit, beneficiumque in volucrem optime collocatum, manifestissime cognovit.



## CONVITIORUM CONTEMPTOR. Cap. VII.

*Aut Aquila culicem ἀξύπιος τὴν ἐμπίδα sub non cunct. Pygargus dicta.*

QUANTUM vero illud est, & vere regium, quod Aquila est convitiorum contemptrix? Unde nonnulli commenti sunt Aquilam figurare statu immobili concidentem, nulla pennarum asperitate terribilem, neq; hiatu rostri minacem, juxta hanc Cornicem submittere, eo gestu, ut lacessere, & convitia facere videatur, si convitiorum contemptorem hieroglyphice referre voluerint. Cornicem enim ajunt solere Aquilam lacessere, & in certamen quodammodo provocare: illam vero, non plus Cornicis convitia & importunitatem facere, quam Elephas Culicem.

PATER-

## PATERNA DIFFICULTAS. Cap. IX.

A SEdenim ab his diversa ponere videntur Ægyptii sacerdotes, qui morosum patrem,& difficilem admodum in filios, per ejus generis Aquilam cui Pygargo nomen,ab albicanti cauda est, significari voluerint,sive hæc γυπαιετὸς sit,de qua superius: ea enim maxime omnium animalium pullos fastidit suos: ut non immerito Plotinus eos,qui sine ratione modoque civitates atq; imperia gubernanda regendaq; susceperint,post obitum per παλιγγενεσίαν Aquilas fieri dixerit. Damnat & Basilius in in hoc ingenium Aquilæ, & educanda prole sua iniquissimam appellat.

## SOLITUDO REGNI. Cap. X.

QUod vero per Aquilam regni solitudinem intelligimus, sunt qui factum ea ratione defendant, quod regium esse dicant,unum è filiis hæredem instituere, uni rerum habenas commendare, quandoquidem ait Ovidius, *Malum usū plures respuant.*

*Non bene cum sociis regna Venusque manent.*

Et apud rerum scriptores quotidie legimus,potentissimas urbes eversas, clarissima delata regna, illustres familias extinctas, & in populos omnia malorum genera debacchari cœpta,simulac potestas B regia pluribus fuerit communicata. Quinetiam Isocrates, quamvis de regimine multa quoquoversum disputet, & nunc huic,nunc illi rationi favere, pro loco quem tractandum sumpserit, videatur æquabiliorem tamen civibus,monarchiam ostendit: propterea quod illa ambitiones, omnium popularium dissensionum semen,extinguat,quod cum Aristoteles quoque mirum in modum approbaret,Homeri sententiam secutus,quod disputationibus suis pondus adderet & authoritatem,versum ejus citavit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς,
*Multos esse duces haudquaquam proderit: esto*
*Rex unus.*

Non indecenter igitur Aquila,ut vulgato per Aristotelem Musæi versu fertur,

*Tres parit, atque duos nido ejicit, educat unum.*

C Sed,uti superius ostendimus,specierum diversitas in eo genere efficit,ut contraria super alitis natura authores scribere videantur. Utcumque vero,educationis hujusmodi ratione habita,per Aquilæ pullum solitudinem interpretabantur.

## PERNICIOSA POTENTIA. Cap. XI.

QUinetiam iidem sacerdotes Ægyptii potentiam cujuspiam, quæ sociis & amicis omnibus pernicioſa esset, per Aquilæ pennas significabant. Hujusmodi siquidem ea vis est, ut aliarum avium plumas,si commisceantur,interterere,& quodammodo devorare videantur,quod & in tergoribus Pantheræ atque Hyænæ idemtidem fieri compertum est. Pantherinum quippe tergus Hyænæ cedere suo loco diximus. Eandem inter juglandem & quercum antipathiam esse,scribit Plinius,tanto quidem naturæ dissidio,ut si quercus juxta nucem juglandem sata sit,prorsus emoriatur. Est & illud huic miraculo perquam simile,quod de cardamo fertur. Olus id apud Persas usitatissimum, cujus natura est,humorem omnē terræ ad se ita attrahere,ut reliquæ circumpullulantes herbæ coganturexarescere: de quo proverbium est apud Aristophanem. Id alio vocabulo Scaphon vocant, Ibe- *Hinc Cæl. Rhod. Cardamo simile in præpatentes,*
D ris est Dioscoridi, Ægyptiis Semeth,Nasturtium Romanis. Causam vero super Aquilæ pennis Philosophi commentantur,quod cum avis ipsa sit omnibus aliis infensa,derivet vis ipsa animalis in res quoque ejus inanimes, per sympathiæ contagionem. Alii pestiferam maleolentiæ vim quandam inesse aliti deprehendere,propter quam tacta ab ea facile computrescant,indicio esse reliquias ejus hesternas neque ab ea ipsa,neque ab alio quopiam animalium repeti. Permeare vero contagionem eam etiam in pennas,quæ alienas juxta se positas adurere propemodum pro comperto traduntur. Ita ejus,qui rerum summa potiatur majestas,fulgore suo reliquos obscurat,& veluti micantissimum Solis jubar, ubi exortum fuerit, lucem omnibus stellis intercipit. Objiciunt alii hoc in multorum Principum tyrannidem & rapacitatem,quibus non sine rerum tuarum jactura possis adhærescere. Quomodocumque autem quispiam acceperit, natura hoc comparatum, ut debiliora validioribus absumantur.

*Pennarum Aquilæ vis.*

*Dioscor. lib. 1. c. ult.*

ERUDI-

## ERUDITUS IMPURUS. Cap. XXII.

IN Divinis literis, quæ rem hanc austerius tractant, Aquila, Gryphus, Haliæetus, & Milvius rapacitatem significant, & à sacris ut immunda rejiciuntur: per quas alites, ut signat Hesychius, intelligimus eos, qui cum sublimia quidem perscrutari videantur (cœli quippe motus & rationem stellarum, situm atque naturam, quæque superioribus in elementis igne & aere fiunt varietates, contemplationi vigiliisque, non sua tantum causa sed aliorum etiam institutionibus dediti) vita tamen & impuri sint & malefici, dum vel insidias aliis intendunt, vel sordida quæque convenantur, suarum ita rerum satagentes, ut ad commoditates suas omnia contrahant, inexplebiliqúe avaritia æstuantes, non suis tantum fruantur, sed imbecilliorum quoque bona diripiant, qualem Hieronymus notat lib. de Vivendi forma, ad Rusticum monachum, super Eremita quodam, qui publicas privatasq; elemosynas in suum & suorum tantum usum verterat. Ita enim scribit: *Vidimus & planximus Crœsi opes unius morte deprehensas, urbisque stipes quasi in usum pauperum congregatas, stirpi & posteris derelictas.*

## MALUS DÆMON. Cap. XIII.

NOn imperite igitur Aquila divo Gregorio malignus est spiritus, animarum raptor. Ut vero ea quæ de pernicioſa dominatione dicta sunt, quæ omnia ad mundi hujus Principem accommodari possunt jam prætereamus, habet & hoc proprium Aquila: quod pisces ab alto aere conspicata, eos præcipiti cursu delapsa rapit. Pisces vero animarum hieroglyphicum esse, dictum Commentario suo.

## PRINCEPS SIBI TANTUM STUDENS. Cap. XIV.

*Facit aliquatenus proverbiũ Aquilam volare docet. Hadriani VI. P.M. vivendi modus.*

ADjungunt adhæc Ægyptii sacerdotes, Regem tantum rerum suarum satagentem, neque aliorum incommoda calamitatesve miserantem, per quam proposuissent Aquilam ostendi, eam quippe in astruendo nido solicitam: illa siquidem, in solis excelsis, arduis & præcipitibus locis nidulatur, & omnino longe sublimius avolat, quam volatilia reliqua. Hinc fit, ut ab aliarum avium consortio atq; consuetudine sese abducere videatur, qui quidem plerisque Regibus mos est, qualem in Hadriano sexto Pont. Max. viro Batavo vidimus, qui humanam omnem consuetudinem ita adversabatur, ut non nisi propria vel utilitate vel necessitate cogente, sui videndi copiam faceret. Quod si quod raro admodum vidisses, spatiatum in subjectos Pontificio palatio campos obequitaret, nullis accitis comitibus, nullo, ut Pontificum mos est, æris tinnuli signo dato, iter arripiebat: simulac principes, antistitesq; & cohors reliqua ex officio assecuti essent, Equum ipse, nullius sublationem motus, citatiore gressu perurgebat, conspectumq; omnem hominum, tamquam nihil ad se eorum ingenium pertineret, effugere properabat, seque in intimas palatii latebras occultabat.

## PRÆ FAME MORIENS. Cap. XV.

*Fame mori miserrimũ. Homerus Odyss. μ. Plato lib 3. de Repub. Αἰνὸν γὰρ &c. Et Plin. lib. 10. cap. 3. Arist. lib. 9. de natur. anim. Psal 102.*

QUod si hominem eo mortis genere periturum, quod Homero Platoniqúe omnium est miserrimum, iidem significare voluissent, hieroglyphicum habebant Aquilæ, cujus rostrum esset normiter incurvatum: senescentibus enim Aquilis rostrum supernum accrescit adeo, incurvatur que subinde magis ac magis, ut nulla demum aperiendi data copia, inedia plerumq; deficiant & extinguantur. Hinc illa in bibaces, *Aquilæ senectus*, exprobatio: quippe quæ amissa edendi facultate, diu morem assidue sorbillare cogitur, vitamque aliquandiu pertenui ea ope protrahere. Ac ne usquam desint Græcorum fabulæ, commenti illi sunt, fuisse olim hominem, qui hospitem affecisset injuria, proindeque deorum ira in Aquilam commutatum, inque sceleris pœnam eo affectum malo, ut tamen consumeretur.

## JUVENTUS RENOVATA. Cap. XVI.

ADdunt alia quædam juniores, ut illud ex Psalmo interpretentur, *Renovabitur ut Aquilæ juventus tua*, quod nescio cur nonnulli legunt, *Revocabitur*, cum Græce sit ἀνακαινισθήσεται. Divus Hieronymus Aquilam ait, ubi consenuerit, pennis supra modum gravari, ideoque fontem ab ea quæri, cujus aspergine pennas egerat, quibus levata calorem intra se colligit, sanariq; tum primum oculos, mox ab immersatione in juventam redire. Eucherius Aquilas ait vi nimiæ senectæ implumes fieri, & nido relatas à pullis suis vicissim ministrantib⁹ pasci, donec deterso senii veterno, cum pennis volare etiam

A etiam usum recipiant. D. Augustinus Aquilam ait senio gravatam rostri immodice crescentis aduncitate eo redigi, quod paulo ante dicebamus, ut nec os aperire, nec cibum ullo pacto capere possit: impulsam itaq; naturæ vi, collidere rostrum ad petram, cujus attritu excussa ea parte, quæ redundabat, ad cibum redire, atque ita ex eo senio reparari, ut omnino juvenescere videatur. Nostri petram loco hoc Christum intelligunt, proque rostro adunco, pravitatis perversitatisque opera, quod Physiognomici ejus figuræ nasum, uti superius dictum, iracundiæ & rapacitatis indicium esse volunt, hujusmodique homines avaros plurimum alieni appetentes, & ultionis studiosos inveniri. Vitia vero hæc non alia excuti ratione, quam per Christi disciplinam queunt, atque ita pro juventutis renovatione animi depurationem intelligunt. Corpus enim nostrum ab adolescentia pergit in senium: verum anima sapientis, pii probatique viri, à senecta in adolescentiam transmittitur, atque ita homo hic exterior flaccescit, & deficit indies, interior vero eo magis vigescit ac renovatur, quo diutius in justi honestique meditatione exercitioque vitam degit. Tale aliquid apud Platonem invenias, dicente Socrate, *Tunc sanæ mentis oculus acute cernere incipit, cum corporis oculus*
B *incipit hebescere.*

## APOSTOLI. Cap. XVII.

QUod vero legitur in Evangelio Matthæi, *Ubi fuerit cadaver, illic & Aquilæ congregabuntur:* per cadaver, Adamantius Dominicæ passionis mysterium interpretatur: per Aquilas, Apostolos, de quibus etiam dixerit Esaias: *Assument pennas sicut Aquilæ, & current, & non laßabuntur, & ibunt, & non esurient:* sive ut alii legunt, *Current, & non labombunt; iter facient, & non laßabuntur.* Huic interpretationi adstipulatur etiã Eucherius, qui loco hoc Evangelico pro Aquilis, sanctas animas accipi tradit, & Salomonicum illud, *Via Aquilæ in cœlum*, de Christi ascensu intelligi debere contendit. Quod si ad eruditionem hanc profana etiam adjungere liceat, Antipatri memorabile fertur epigramma, sive illud Speusippi fuerit, in Platonis sepulchrum, quem ut divinum antiquitas universa venerata est, cujus ille animam ad sepulchrum è cœlo allapsam in Aquilæ speciem agnoscit:

*Aquilæ Apostoli.* cap. 40.31.

*Prov. 30.19.*

*Epigramma in Platonis sepulchrum à D. Laertio in Platone*

Αἰετὲ, πῇ βέβηκας ὑπὲρ τάφου; ἢ τινὸς, εἰπὲ,
Ἀστερόεντα θεοῖς οἶκον ἀποσκοπέεις;
C Ψυχῆς εἰμὶ Πλάτωνος, ἀποπταμένης ἐν Ὀλύμποις
Εἰκὼν, σῶμα δ' ὑπὸ γῆ γηγενὲς ἄτθις ἔχει.

*Cur, Aquila, ad tumulum hunc volitas? dic: nunquid ab astris*
*Hic habitare Deum forte aliquem intuita es?*
*Imo anima extincti sum diva Platonis, Olympum*
*Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.*

## INGENIUM VELOX. Cap. XVIII.

PIndarus cum aliis plerisque locis, tum præcipue Nemeis, ingenii promptitudinem & velocitatem per Aquilam ostendit, sumpta ab eo comparatione, quod prædam etiam valde procul distantem mira pernicitate nanciscatur, visuque ita polleat, ut profundissima quæque prospectet, quæ omnia ingeniorum acumini sunt accommodata. Idem cum Bachilidis & æmulorum suorum gloriam elevat, Corvos illos, se unum Aquilam jactat, quod promptissimo ingenio nihil non concipiat quantumlibet arduum, & à terra marique remotum, mox & styli velocitate quæcunque conceperit assequatur. Ad hujusmodi rerum amplitudinem alludere mihi videtur Aristophanes Avibus, cum
D Athenienses aut adulaturus, aut eorum spes inanes elusurus, ait, αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γεγένηται. Nimirum enim oraculum acceperant Athenienses, fore ut tanto urbes reliquas post se intervallo relinquerent, quanto Aquila reliquas aves volatu superat. Et Sosithei dictum illud celebre super vi ejus impetuosa:

*Aquila in nubibus oritur.*

Εἷς μυρίας ὄρνιθας ἀετὸς σβέσει.
*Una Aquila innumeras exagitabit aves.*

## NILUS. Cap. XIX.

ATque Aquila hac quidem de causa Nili fluminis hieroglyphicum in sacris Ægyptiorum literis habita: quoniam enim Nilum perniciter currere, tantaque profunditate insurgere, observatum

est primum Promethei tempore: eam enim fuisse Aquilam nonnulli tradunt, quæ Promethei cor dis-
cerperet: quippe cum causas incrementi perveſtigare non posset, ab Hercule demum Aquilam co-
Natalis Com. lib. 4. cap. 6. hibitam, qui fluminis impetum partim aggeribus, partim fossarum derivio coercuerit, Prometheaq; omnes exundationis causas edocuerit. Inter autem vetusta Nili cognomenta AQUILÆ nomen invenias, quod nomen à colore nonnulli dictum putant, utpote qui ut Maro ait, *viridum Ægyptum nigra fœcundat arena*, & æquora ab eo colorari Catullus inquit, nomenque illi è limo quem trahit,
niger. μέλας factum ajunt Etymologici: nam mare in longa inficit spatia, eaque de causa Melas olim & mox Melon appellatus Ennio, Ausonio, & aliis: idque etymon in nomine à nigrore Festus & Servius agnovere.

## ALTA COGITATIO. Cap. XX.

Auctores Theophrastus & Æschylus. NOn defuere tamen, qui Aquilam hujusmodi Promethei cor abrodentem, ad mores trahere conarentur, ac profundæ cogitationis principem significare contenderent. Sed ne diutius in Prometheo hæsitemus, quæ nostri super Aquila senserint, potius aperiamus.

## DIVUS JOANNES. Cap. XXI.

SAne homines cum solam avium omnium Aquilam esse divinam autument, & antiquitas eam Jovi tela gestare crediderit, inde persuasi sunt, quod omnium maxime oculo valere conspexerant, longissimoque intervallo minutissima quæque discernere, Homeri ad hoc accedente testimonio ita dicentis:

ὥς τ' αἰετὸς ὄν ῥά τε Φασὶν.
ὀξυτάτοις δέρκεσθ' ὑπατοτάτων πετεηνοῖς.
*Ut Jovis ales,*
*Cujus acutam aciem perhibent præstare volucres*
*Ante alias, quotquot cœlo spatiantur aperto.*

Hinc Horatius, *--- Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, quam aut aquila, Aquilæ etymon, ejusq; ad D. Joannem relatio.* Et hymno Mercurii, ubi Apollo de Mercurii occultatione loquitur, qui ita latitaret, ait, ut neque ipsum vel Aquila, quæ tam acute videt, inspexisset. Hinc Theologi nostri Divum Joannem Evangelii scriptorem per Aquilæ hieroglyphicum à divinis illis vatibus præmonstratum deprehendere. Sane Aquilam (ut nomen etiam interpretemur) ab acute videndo dictam nonnulli ex veteribus asserunt, utpote qui Aquilam quasi aculam ab acumine dictam velint: quamvis, ut paulo ante dicebamus, alii ab aquilo colore vocem ducant: est enim aquilus color fuscus & subniger, ab aqua denominatus. Utcumque autem, acutissimi visus Aquila est Joannes, qui oculi acie in altissimæ divinitatis recessum directa, quæ omnibus maxime superioris naturæ secreta revelavit, cujus facies Ezechieli visa supremum ex quatuor locum obtinere, qui ad abolendam Ebionitarum hæresin, quæ Christum hominem tantum, non Deum etiam asseverabat, ad altissima remotissimaq; rerum principia præpetibus evolavit pennis, deque penitissimo divinitatis nido nitidissimas ac maxime pellucidas illas gemmas surripuit, quæ postmodum intuentium oculis quantumlibet conniventibus hallucinantibusq; micantissimi luminis claritatem attulere. Illic enim erat lux vera, quæ sola lumen mortalibus elargitur. Hic ille deprehendit humanarum divinarumq; rerum omnium λόγον initio fuisse, atque penes Deum, ipsum denique Deum, ipsam esse rationem, quæ apud nos sub Verbi nomine recepta est: ut reliqua missa faciam, tam multis divinæ sapientiæ luminibus illustrata. Hæc est denique illa Aquilæ volitantis effigies, diceret Irenæus, quam sacri prævidere vates, quæ Joannis nostri beneficio, spiritus in Ecclesia advolitantis gratiam manifestat. Nam hic alte exorsus principium, quod à Patre est, effigiem Verbi, quæ refertur in Filio, & præclaram ejus generationem enarrat: tanta cum fiducia rem tam arduam aggressus, ut Aquilæ symbolo merito figuretur. Joannes, inquam, ille altiloquus, quod Aquilæ referatur hieroglyphico, ipsa susceptæ lucubrationis materia sublimis, ait Eucherius, & ab ipso rerum principio repetita, in causa fuit. Proinde cum volatu sublimi in ipsam Dei omnipotentis aulam elatus sit, & oculorum aciem visu præpollens, in admirandæ divinitatis faciem infixerit, doctrinam nullo antea mortalium ingenio conceptam ab alto detulit, cujus initium *In principio erat verbum.*

STATU-

## STATUTA FIRMITER SEDES. Cap. XXII.

A HOc quoque sacerdotum Ægyptiorum hieroglyphicum fuit, per Aquilam, quæ saxum gestaret, hominem significare, qui firmam stabilemq; in civitate, locove aliquo, sedem sibi posuisset: illa enim simulac nidum sibi comparavit, quo possit firma & inconcussa rem suam procurare, lapidem quempiam exquirit, quem in nido pro libramento collocet: neque aliam hujus rei causam sacerdotes illi tradidere, satis habentes constructi nidi firmitatem per hujusmodi argumentum indicasse. Nam & firmandis navibus, priusquam anchoræ usus repertus esse, id opis saxa contulere, id quod Apollonius Argonautas fecisse scribit, ut minime mirum sit, saxum, etiam in Aquilæ nido positum, inservire stabilitati. Cæterum, lapidem hunc eum esse credere possumus, qui ἀετίτης appellatur, *Aquilinum* Latini dicunt, ad multa remedia utilem, adq; id præcipue, quod partum contra omnes abortuum insidias custodit. Idem muliebribus fœminibus adalligatus, quotidiano experimento mirifice prodesse, pariundiq; facilitatem inducere comperitur. Eo incenso morbum Herculanum, hoc est, furorem, qui plerunq; ex atra bili accidit, qua potissimum Herculem laborasse tradunt, explorari putant. Inæ disB cari nido asserunt authores nostri, nihil igne deperdere, prægnantem esse, alio velut in utero sonante. Sed vim illam medicam non nisi in nido direptis pollere, magorum tradit superstitio: neq; tamen in omnium generum nidis inveniri, sed Melænaeti tantum, Pygargi, Morphni, sive ut Homerus, Percni atque Gnesii. Duas vero Aetitis species agnoscit Zoroastres, unum densum & solidum, alterum rarum & inanem, inesseq; solido vim illam perficiendi fœtum, & usque ad partus debita tempora continendi. Occurrebant hic multa super lapide significata, quando quidem ex eo ab Aquila in nidum collocato, rerum stabilimentũ Ægyptii significare commenti fuerant: eademque firmitas eo Capitolii immobili saxum referenda videbatur, quæque veteres passim de cultu lapidis sanxissent, utque vel nomen ipsum magni instar numinis aliquando habitum, quæque hic pietas nostra de petra sentiret: sed quoniam nobis cum Aquila res erat, quæ lapidis essent, in commentario, quod est super ædificiorum partibus, transferre, ibique commodius de argumento hujusmodi differere constituimus, cum multa auhuc ad Aquilam pertinentia superessent.

*Saxum loco anchoræ.*

*Aquilini lapidis species & utilitas.*

*Auctor Plinius lib. 36. cap. 21. & Dioscorides lib. 5. c 108. Plin. lib 10. cap. 3 hæc omnia.*

## TERRARUM DOMINATIO. Cap. XXIII.

C ET ut longo circumvecti circuitu rursus ad Imperii significatum revertamur, nostræ etiam sacræ literæ, per Aquilam terrarum dominationem intellexerunt, ubi apud Ezechielem legimus: Aquilam visendæ magnitudinis, quæ late passis alis, immanique membrorum ductu, oppleta plumis, varietate insignis, unguibus ferox & minabunda, præpeti volatu ad Libanum applicuerit, Cedrique inde medullam, tenellosque furculos evulserit, tota aliarum frondium summitate decerpta: ad hæc, succisis etiamnum vitium seminibus, quæ omnia Babylona translata sunt, ibique sata. Neque huic absimilem alteram adjecere, quæ vitium earum palmites deprædaretur. Per priorem illam nostri ajunt, Nabuchodonosora Babyloniæ Regem interprætari: per alteram hanc Ægypti tyrannum, quorum prior Hierosolymam cepit, & populum cum Rege ipso Sedechia principibusque aliis in captivitatem adduxit: alter vero, cum bellum adversus Assyrios movisset, Israeliticum popolum servitutis affectum tædio ad se traduxit. In utroque Rege, Aquilæ hieroglyphicum proponitur, sed longe latior interpretatio est in ea, quæ Nabuchodonosora describit. Alæ siquidem diffusæ, numerosos indicant exercitus, quos ille secum traxerat. Membrorum exporrecta longitudo, regni ejus diuturnitatem. D Plumæ nihil aliud sibi volunt, quam divitias, quibus locupletissimus esset. Varietas plumarum, rerum ab eo gestarum gloriam indicat. Armorum horrorem, ungues. Libanus, Judææ claritatem atque celsitudinem longa annorum serie conspicuam: unde ille medullam Cedri avulserit, quippe nobilitatem extirparit, & summas quasque frondes decerpserit, hoc est, ne tenerrimæ quidem Regum proli, ætati scilicet infirmæ, pepercerit. Sedenim totam oraculi ænigmatici seriem interpretatur Adamantius in eundem Ezechielem homilia undecima.

*Ezech. c. 17.*

*Aquilæ geminæ pro Nabuchodonosore & Pharaone.*

## AQUILARUM INSIGNIA QUÆDAM. Cap. XXIV.

QUod vero initio dicebamus Justinianam familiam aurea insignem Aquila, alios huc trahit ex antiquis, quorum claritas gestaminibus hujusmodi innotuerit. Sed illud prius dicam, quod dissimulandum in hujusmodi narratione minime videatur.

## TERRARUM UMBILICUS. Cap. XXV.

*Delphi terrarum medium.*

APud delphos scilicet, duas fuisse Aquilas ex auro, quod monumentum erat terrarum umbilicum apud eos esse, quem Jupiter ea ratione exploravit, ut Aquilas duas, unam ab Oriente, alteram ab Occidente dimiserit, quæ pernici volatu in adversum allapsæ, supra Pythona factæ obviam sunt: quo loco designato, declaratum est ibi terræ habitabilis medium esse, isque honos geminis aquilis habitus, ut in templo ibidem excitato, aureæ constituerentur. Aque hinc illud innotescit, quod in Maronianis appendicibus legitur:

*Meminit Nat Com. lib 4.c.10.*

*Pallas Cecropias tuetur arces,*
*Delphos Pythius orbis umbilicum.*

Ab Apolline autem ad Respublicas & milites transire ipso narrationis ordine invitamur; ad eorum igitur insignia quædam ostendenda calamum convertemus: gentilem enim scutorum usum variasque in eis imagines, aut picturas, quæ familiarum indicant stemmata, cognationesque, tametsi viri haudquaquam contemnendi, esse hæc recentioris ætatis inventa existimarint, nos antiquissimi moris esse, & hic, & alibi toto opere differuimus.

## LACEDÆMONII. Cap. XXVI.

*Literæ Lacedæmoniorum ad Hebræos.*

NAmque Aquila, quæ Draconem arreptum gestet, Lacedæmoniorum Rempublicam ostendit, hujusmodi enim signo literas illi publice obsignabant. Tradit hoc Josephus, ubi literas Lacedæmoniorum recitat Arii eorum regis ad Hebræos Onia Pontifice datas, quarum sententia ea erat, ut profiterentur Lacedæmonii se, per Abrahamum Judæorum esse consanguineos: proinde gentem ipsam hortabantur, ut quæ Lacedæmoniorum essent, pro veteri necessitudine communia docerent. Epistolam eam Josephus, ait complicatam figura quadrangula fuisse, eoque obsignatam argumento, quod supra posuimus. Quod vero designarit epistolam fuisse quadrangulam, alios atq; alios indicat complicandarum epistolarum modos, apud hos vel illos extitisse: alii enim paginis, alii tibellis, voluminibus alii in umbilicos complicatis scribere consuerunt.

## CLEARCHUS. Cap. XXVII.

CLearcho autem Heraclensium Tyranno, qui Jovis se filium dixit, in publicum prodeunti aurea Aquila velut argumentum generis præferebatur.

## HERCULIANI JUNIORES. Cap. XXVIII.

EJusmodi coloris Aquila, quippe lutea trunco insidens in parma lutei Sapphiri, cujus marginem eodem colore, sed admodum dilutiore, circulus ambibat, Herculianorum juniorum erat, qui sub Magistro militum Præsentiali militabant: quod in antiquis quibusdam ejus militiæ commentariis inveni apud Maffæos Romæ.

## HERCULIANI SENIORES. Cap. XXIX.

SEniores vero Herculiani, cæruleam Aquilam alis utrimque passis habuere in rubra parma, cujus latus ambitus in margine lutei coloris erat, quem nigra linea circumducta in partes duas æquidistantes dissecabat. Erant vero Joviniani, sive, ut apud Vegetium est, Joviani, atque Herculiani, Illyricæ legiones duæ, quæ sena millia militum habebant, quos Diocletianus, qui se Jovem Latine vocitabat, & Maximianus, qui pro Hercule se gerebat, cum ad Imperium perveniissent, pro merito virtutis ita nominibus à se inditis, appellandos censuere, eosque cunctis legionibus prætulerunt. Tela vero illis erant plumbatæ, quos Manobarbulos vocabant, eosque portabant scutis infertos, iisque opportune jactis hostes equosq; priusquam non modo ad manum, sed ad ictum missilium pervenirent, gravi admodum percussione consauciabant, Imperatoresq; illi horum opera bella plurima confecerunt.

*Herculiani & Jouiniani qui.*

## JOVINIANI JUNIORES ET SENIORES. Cap. XXX.

JOvinianorum autem, qui Juniores vocabantur, insigne erat Aquilæ apotheosis, redimiculo supra caput impositio. Ales, ipsa nativi coloris in parma lutea, quæ rubro primum circulo claudebatur,

A debatur, inde altero ſapphirei coloris toto margine complectebatur. E pectore autem Aquilæ, aureus extabat umbilicus. Seniores vero purpuream geſtabant Aquilam in parma cærulea : duoque erant pro margine circuli, ruber interior, exterior luteus.

### QUARTODECIMANI. Cap. XXXI.

Cærulei coloris aliquanto diluti Aquilam geſtabant Quartodecimani, qui ſub Magiſtro militum per Thracas militabant. Ea vero ales in alba parma inſidebat orbi cæruleo deſioris luti, intra quem circulus ruber erat, à cujus medio aureus extabat umbilicus. Verum hæc ſatis fuerit attigiſſe, ne opuſculum univerſum inſignibus & geſtaminibus farciamus. Hæc atque alia pleraque hujuſmodi ſcriptores rerum memoriæ prodiderunt, quæ ſi proſequi velim, nullus unquam futurus ſit modus : quare manum de tabula, ſitque jam ſuper Aquila ſatis ſuperque declamatum.

---

B

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XX.

## DE IIS QUÆ PER PHOENICEM, PELECANUM, ET QUASDAM ALIAS AVES SIGNIFICANTUR

### Ex ſacris Ægyptiorum Literis.

C

### AD CLARISSIMUM ACTIUM SYNCERUM.

*Ibi vero* SYNCERE ACTI *cariſſ. Phœnicem & Pelecanum, quique in ipſam hiſtoriæ ſeriem quibuſdam veluti laqueis detenti ſeſe invicem implicuerunt, ſociatiq; in hunc locum aptiſſime convenerunt, Noctuam, Cornicem & Paſſerem, dedicare conſilium fuit : Ac Phœnicem quidem ea de cauſa, quod veluti ille admirabili quadam inſignis pulchritudine, viſu mirifſimus, poſt longiſſima temporis intervalla conſpicitur : ita Latinæ linguæ nitor, & eloquentiæ cultus, ornatuſq; per tria ferme Phœnicis ſecula deſiderati, ætate demum noſtra, beneficio, opera, & labore plurimum tuo ſuſcitati, ſpectandos ſeſe theatris jam omnibus exhibuere. Pelecanum ob eam, qua præcipue commendaris, in amicos omnes charitatem atque beneficentiam, ut nemo unus hodie magis amico amicus, quam Syncerus Actius eſſe prædicetur. Noctuam, quæ tuarum indicium ſit lucubrationum, quas Minerva haud quaquam invita, elegantiſſimas elaboraſti, Cornicem ob diuturnitatem, quæ ſcriptis debetur tuis, non modo uno plus ſæculo ſed perpetuo ſumma omnium commentatione victurîs. Paſſerem ob orationis tuæ Veneres cupidineſque, qua nihil ſuavius neque jucundius excogitari poteſt. Sedenim quæ multa atq; præclara de ingenii tui ſublimitate dici poſſent, ea conſulto prætereo, quia tu longe majores quam mea te capere poſſit commendatio : quis enim Soli lumen afferre, niſi fatuus quiſpiam aggrediatur? Igitur cum tuo ipſe ſis ſplendore clarus, principatum hinc in literaturæ candore tuum, ſuo ſe præſidio tuentem miſſum faciemus, quodq; noſtrum eſt inſtitutum, ad animalium quæ interpretanda ſuſcepimus, ſignificationes convertemur, quæ quidem quales & cujuſmodi ſint, quamvis tu eas tum ex Græcis Latinisq; ſcriptoribus non ignoras tum ex admirabili illa venerabilis antiquitatis tabula ænea, quam ſimul apud Bembum inſpeximus, potes edoceri, quæ omnem Ægyptiorum hiſtoriam antiquiorem, argento atque auro delineatam oſtentat : Quid tamen & nos ſuper his compererimus, ex ipſo Phœnice indicare incipiemus.*

## INSTAURATIO. Cap. I.



AEgyptii sane Sacerdotes, cum longa quid annorum serie intermissum, & jam antiquatum esset: quippe ludi, sacra, ceremoniæ, supplicationes, mores ritusve aliqui, triumphorum splendores, vel quid hujusmodi, evenisletque postmodum, ut eadem instaurari contigisset. Phœnicem in hujus rei significatum sculpere consuerunt. Unicum enim plerique omnes authores tradunt Orientales habitare solitudines, ab omni hominum commercio visuque separatum. Nomen illi Plinius inditum ait à Phœnice arbore, quæ palma Romanis est, ob id, quod ex Syagrorum genere una, quæ in Chora est intermoritur, ac ex seipsa renascitur. Phœnix quoq; noster ubi moriendi tempus ipsemet adventare præsensit, post annos, quos vivere perhibetur, circiter quingentos, in Ægyptum fertur, ubi ad humum demissus (ita enim Ægyptii rem memoriæ prodiderunt) rostro semetipsum vellicat, acceptoq; ex eo vellicatu vulnere, cruorem emittit, ex quo primum ceu vermiculus nascitur, mox pullus fit alter, forma priori similis: qui quam primũ pennas indeptus est, confert se una cum patre in Heliopolin, quæ in Ægypto est, ubi primum Phœcicem ortum ait Athenæus, quo simulac venerit, oriente mox Sole moritur, novo pullo in regna sua transmigrante. Unde minime mirum est, duos aliquando Phœnices simul visos proditum ab historiis. Alii scribunt defunctum parentem à Phœnice pullo in eandem Soli dicatam urbem gestari Smyrnea sphæra reconditum, quod non inficiatur Adamantius: sedenim cujus textoris manu obrotunda illa cistula contexatur, maxime velim edoceri. Ovidius hoc prius dixerat 15. Metamorph. unam esse alitem, quæ sese ipsa reparet atq; reseminet: nam ubi vitæ fecula complevit, structo in palmæ alicujus vertice, ex casia, nardo, cinnamomo & myrrha, nido se superimponit, finitq; in odoribus ævum, inde Phœnicem alterum renasci de patris corpore: qui cum satis virium per ætatem indeptus fuerit, ut oneri ferundo sufficiat, nidum è ramis avellat, suaq; incunabula & sepulchrum patris in Heliopolin deferat, atq; ut ipse dicit, reponat ante ipsius Solis fores: res quippe ingeniosissimo quovis Poeta digna. Horus nihil amplius ait, quam ab Ægyptiis sacerdotibus alterum defunctum, illũ summo cultu suscipi, cui mystæ justa ea rite redderent, quæcunq; in reliquis aliis sacris animalibus facere mos erat. Quæ vero de nido ejus Manilius senator togatorum, ut ajunt diligentissimus, tradidit, quæq; inde novis adjectis ad fabulam commentis posteri licentiosius ampliarunt, cum maximis ille nobilis doctrinis, doctore, quod asserit Plinius, nullo fuerit, hi vero nullo veterũ authorum testimonio fabulentur, quæ sit adhibenda fides, aliorum fuerit judicium. Obvicit aliquis Lactantium, summum, non inficior, virum: sed is, ut etiam Ovidius poema scribit, non historiam. Ego sane super Phœnice atq; Pelecano, de quo paulo post, superq; nonnullis aliis, majorem his adhibeo fidem, qui eadem in regione, locisq; ubi animalia hæc reperiuntur, & geniti & educati fuere, ac ea perinde conspicere aliquando potuerunt, quam iis, qui auditu tantum eorũ naturas excepere.

*D. Hieron. ad Præsidium, Indiam habitare, ait. Plin l. 10, cap 2. Ortus Phœnicis.*

*Lib. 10. c. 2.*

Quamvis vero de moriendi modo, deq; funerandi ratione super Phœnice scriptores universi abeant, in eam tamen omnes concordiam deveniunt, atq; consensum, ut Phœnicem novum ex præmortui corpore fieri nequaquam inficientur, esseque hoc plenissimum, atq; firmissimum futuræ resurrectionis specimen, Tertullianus asseverat: quippe qui de Phœnice loquens ait: *Ille semetipsum liberter funerans renovat, natali fine decedens, atq; succedens iterum Phœnix: ubi jam nemo, iterum ipse qui non jam alius idem.* Quid expressius in hanc scil. resurrectionis causam? aut cui alii rei tale documentum? (de resurrectione quippe loquitur.) Addit & hæc etiam scriptis suis: *Et florebis*, inquit Deus *velut Phœnix*: id est, de morte, de funere, uti credas de ignibus quoq; substantiam corpori exigi posse. Prosequitur mox rationes suas: *Multis Passeribus antestare nos Dominus pronunciavit: si non & Phœnicibus, nihil magnum.* Inde subjicit Ironiam: *Sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione*

*Tertullian. super Phœnice, lib. De resur. Carnis.*

*sicuris.*

A *securis.* Ita ille passim acerrimus Christiani nominis propugnatur, labentem hanc aciem restituere contendit, cui veluti sacræ innixus anchoræ, uxorem quoque una ovis commemoratione, ad viduales pudicitiæ observationem adhortatur. *Probe enim uxor,* inquit, *quæ maritum in pace præmisit, pro anima ejus orat, & refrigerium interim postulat ei: & in prima resurrectione consortium, offertq; annuis diebus, dormitionis ejus,* & quæ plurima omnium lectione digna prosequitur. *De Viduitate.*

## ABSENTIA DIUTURNA. Cap. II.

UTcumque autem de morte Phœnicis traditum sit, Ægyptii sacerdotes tam diuturnæ migrationis ergo, eum qui peregre profectus diutissime domo procul abfuisset, per hanc alitem significabant: proter vivacitatem autem, animam hic diuturno tempore versatam. Nam animi patriam non esse corpus, sed nos hic, quamdiu vivimus, peregrinari, non Ægyptii tantum, sed Græcorum, Latinorumque authores præstantissimi, nostraque in primis pietas, passim admonuere.

## SOL. Cap. III.

*Phœnix Solem denotat*



B CUm vero Phœnix unicus omnino esse perhibeatur, & pulcritudine volatilium genus omne longo post se relinquat intervallo, quippe qui sit aureo circa colla fulgore rubicundus, cætero corpore purpureo, cæruleam caudam roseis pennis distinguentibus, cristis faciem caputque plumeo apice, ut Plinius diceret, honestatus, simulacrum Solis ab Ægyptiis ferebatur, cui: quod solus sit, à raritate nomen: quo quidem nihil admirabile magis intuemur, dum lumen ille suum longe lateque per ima etiam penetralia exiguo quovis aditu, veluti suprema quadam inundatione diffundit, eaque de causa πολὺς cognominabatur, id enim est apud Philippum Ægyptii vocabuli significatum, voce Græcanica inductum, à multarum scilicet dotum opulentia, magnitudineve: quia omnia sibi collata latissime superat, & excellit. *Plin. ibid. Solis etymon à Macrobio. lib 1. c.20.*

## PRÆSTARE. Cap. IV.

C ÆGyptii denique cum Sole magis quam reliqui homines gaudeant, ejusque beneficio perfruantur quo maxime fervet tempore, provinciis reliquis quantumlibet remotis, & in Septentrionem declinantibus gravis, Ægyptiis solis est commodus: Nilo tunc scilicet exundante. Cum vero per Phœnicem Solem intelligerent, per eundem exundationem identidem significabant. Neque tamen simplex erat apud eos exundationis vocabulum, sed id Præstare et excellere etiam indicabat, atq; uti cujusquam esset in aliqua vel ingenii, vel corporis, vel opum dote claritas, ita eum exundare dicebant. Nos quoq; rarissimos doctrina virtuteq; viros, qui longe reliquos antecellunt, Phœnices appellare consuevimus. Oppositio vero modo, *Multitudo,* pro vilitate ponitur: ut *Unus è multis,* apud Plin. in Epistolis, ex vulgaribus quippe & ignobilibus hominibus. Et apud Cicer. *Multi* sæpe eodem sensu. In sacris literis Psal. 71. *Quasi prodigium factus sum multis,* hoc est, imprudentibus, insipientibus & ignobilibus.

## DE PELECANO. Cap. V.

D EX eadem solitudine Pelecanus occurrit, quem Latini Plateam, ut putat Gaza, vocavere. Nam sunt qui Plataleam eam apud Plinium vocandam existiment, voce hac ex Ciceronis de Natura Deorum, lib. 2. desumpta, Idem nomen apud Hebræos *Quat,* à nonnullis Pelecas, ab aliis Onocratalus interpretatur Pelecanum sane avem parvam esse, quæ solitudine delectetur, Eucherius scribit. Esse tamen aliud Pelecanorum genus in Nilo, non inficiatur, passimque in stagnis & lacustribus locis habitare, pene Cygnis simile, nisi quod paulo majores sunt. Atque hi forsan Onocrotali, quos Veneti syllabis aliquot ademptis, Crotos vocant. Devorant hi conchas avidissime, multitudinemq; laxo admodum ingestam gutturi evomunt, atque ita mox quod aptum cibo quasi coctum absumunt, crustras negligunt. Deque genere hoc dubio procul quæ dicturi sumus hieroglyphica desumuntur. *Quod collum mergens in aquam ruditum edat* ὄνος καὶ πελεκᾶν, *asinus & ruditus.*

INSI-

## INSIPIENTIA. Cap. VI.



*Pelecani in nidificando consuetudo.*

INsipientem hominem, quippe qui nullam rerum rationem examinet, per Pelecani hieroglyphicum significari tradunt Ægyptii, propterea quod avis ea cum possit in editioribus locis nidificare, veluti prudentiora faciunt volatilia, quæ ita se à multorum injuria subducunt, ea, satis cum imprudentia, spacioſas areas perquirat, in quibus terra defossa ova ibi edita deponat: quod simulac animadversum est à pastoribus, vel ab iis, qui id genus alites aucupantur, ubi primum pulli excluſi sunt, eo properant, & vel aridis Boum excrementis, vel alio quopiam fomite locum sepiunt, mox ignem injiciunt: (ἐμβάλλει enim in manuscriptis codicibus, non ἐπιβάλλει.) Pelecanus autem quamprimum conspexit fumum, ocyus avolat, & longe majore imprudentia quam nidificaverat, ignem alarum quassatione quærit extinguere: cæterum, ignis ventilatione agitatus, vehementius incenditur, perstat illa nihilosecius flammas alis verberare, rata se opem ita filiis allaturam: sedenim contra accidit, quam sperarat: quia pennis omnibus ita exustis, evolandi facultate privatur, atq; ita minimo negotio capitur. Animadverte vero in antiquis Hori codicibus esse, ὑφ' ἕκαστα καιόμενα τὰ ἑαυτοῦ πτερά, non ut in vulgatis, ὑπὸ καιόμενα. Hinc Ægyptii reliqui, qui sacris initiati non erant, alite hac nulla religione vescebantur, pietatem autem in filios hujusmodi, vitio dabant insipientiæ. Dicebant enim Pelecanum non consulto, uti Vulpanseres faciunt, ad id certamen ferri, sed per imprudentiam, & mentis alienationem quandam (ἀνοίας enim, non εὐνοίας in manuscriptis Hori codicibus habetur) quare tanquam avem inauspicato genitam ac male feriatam contemnebant, nullo eam honore prosequentes. Hebræi nomen id hujus alitis quo de superius mentio facta est, punctis iis præfigunt, quæ profanam eam, & à mensis rejectam indicant. Sane Leviticо Pelecanum, quem Septuaginta Interpretes cum Ibide, Porphyrione, Cygno, Herodio, & Charadrio nominant, ideo cum his omnibus profanum decrevere: quod longiguttures sunt, si novum licet proferre vocabulum: quæ autem alites sunt hujusmodi, cibum non ex aëre, aut ex arboribus aucupantur, sed vel à terra, vel ex marinis fluminibusve aut stagnis, ut Ibis Serpentes venatur, Porphyrion Vermes, Pelecanus & Cygnus Pisces: ex earum figura hominem scilicet intelligentes, qui cibo posthabito cœlesti, terreno pascatur, aut marino, hoc est, mentem ad interiora dejiciat, divinoq; neglecto cultu, humana quæque, atque ea & sordida & parum utilia perquirat. Sordidi enim Vermes, sordida reptilia. Pisces vero parum conferunt ad nutrimentum: de quibus loco suo disputabimus.

## PIETAS ET AMOR IN FILIOS. Cap. VII.

SAcerdotes tamen Ægyptii alitem hanc cum primis sacram venerabantur, eique parcendum existimabant, & honoris causa nullo pacto ut mensis inferretur, æquum arbitrabantur: cum factum id, quod pro filiorum salute neci se tam atroci dederet, non imperitiæ stuporive, aut imprudentiæ imputarent, sed incomparabili paterni affectus charitati, suprema que miserationi, qua erga filios maxime omnium afficiatur. Fallere enim venatores, eosque transversos seducere, non sine specie fugæ, quod Vulpanser agit, parvi omnino momenti est. Femora etiam, quod Vultur facere perhibetur, vellicare, ut excusso sanguine filii pascantur aliquamdiu, non magni admodum est cruciatus. Sedenim, in adeo penetrabiles furentis ignis ardores injicere se, eaque perseverantia tam cruciabili tormento torreri, supra quam excogitari possit admirandum. Quodnam enim animal tam fatuum, tam stupefacto sensu inveniemus, quod ad unius prunæ tactum non è vestigio resiliat? quod adeo robustum atq; impavidum, ut accensam non expaveſcat flammam? Animosi atq; imperterriti ante omnia animantia Leones, illi tamen tam feroces, tam indomiti, tanto animi corporisque vigore præditi, consternantur statim ad unius prætentæ faculæ conspectum, præq; timore propemodum exanimati, unt.

*Pelecanus commendatur à pietate in suos.*

A maſcunt. Videt Pelecanus ignem, cujus non ignorat vehementiam, audaciter accedit, ardorem in membra ſingula intolerabili cruciatu penetrantem ſentit, neq; loco dimovetur: exuritur pene tota, neque tantillum quidem conſternatur: patientiſſimaque conſtantia vigens, ſaluti filiorum intenta potius, quam ſuæ mortis genere omnium atrociſſimo conficitur, tanta in ea charitas, tantus amor, tanta vis pietatis eluceſcit: & quiſpiam audebit eam ſtuporis inſimulare, & male feriatam avem appellare? Subit ad hanc ſententiam Arſinoes recordatio, quæ à Ptolemæo fratre inſidiis & fraude decepta, cum percuſſores in duos filios impuberes immiſſos à fratre conſpicata eſſet, complexa eos ad ſe fugientes, ea parte qua vulnera filiis intendebantur, diu corpus ſuum cædendum oppoſuit, multiſq; ita vulneribus ſaucia, eorum tamen ſaluti conſulere non potuit: illi enim in matris gremio inter oſcula ipſa truculentiſſime trucidati ſunt. Quod ſi Pelecanum ſimili caſu ſeſe morti objicientem, inſipientem appellaverimus, longe quidem inſipientiorem Arſinoem dicemus, quæ ita pro filiis trucidari pateretur: cum præſertim ipſa non ad mortem, non ad vincula, ſed ad nuptias & regni ſucceſſionem à Ptolemæo depoſceretur. Sed tantum abeſt ut vel Arſinoe vel Pelecanus ſint imprudentiæ damnandi, ut omnium conſenſu merita, hoc eſt, ingenti laude, ob incomparabilem, quam omnes admirentur, charitatem minime fraudandi eſſe judicentur.

*Arſinoes pietas.*

B

## MISERATIO. Cap. VIII.

SEdenim noſtri quoque cum Ægyptiis ſacerdotibus in hoc pingendi genere conſentientes. Pelecanum pro miſeratione ponunt, Aſſertoris noſtri hieroglyphicum in ſumma cruce ſtatuunt, qui nos ſoſpitaturus, atrociſſima torqueri morte voluerit. Agnoſcit & Eucherius Pelecanum pro Chriſti ſymbolo, quamvis Hieronymus tradit eam avem pullos ſuos roſtri percuſſu interficere, pœnitentem mox factum, nido in ipſo per triduum lugere, poſtremo ſeipſam graviter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios effundere, quo illi perfuſi revifiſcant: quod alii viderint. Sed quod eam alitem, ut etiam aliis pleriſque perſuaſum eſt roſtro pectus diſſecantem pingunt, ut ita fuſo ſanguine filios alat ſuos, ab Ægyptiorum hiſtoria valde alienum eſt: illi enim Vulturem tantum, uti ſuo diximus Commentario, id facere tradiderunt, neque non, ut paulo ante dicebamus, Phœnicem, ſed hunc non pietate adductum, uti vultur, ſed fato ita coactum ſuæ conſulere poſteritati. Sunt & mutua filiorum officia, qui parentibus vicem reddunt, & eſcam fameſcentibus ſubminiſtrant: verum iis quæ à parentibus in eos proficiſcuntur, haud quaquam paria. Quod vero Celſus perſuaſum facere nititur, eos humanum genus ſuperare pietate, Adamantius hæc ab iis geri natura tantum duce profitetur.



*Ut Pſal. 101.*

*Pelecanus Chriſti ſymbolum.*

C

## SOLITUDO. Cap IX.

NOſtræ autem ſacræ literæ per hieroglyphicum Pelecani ſolitudinem interpretantur, cujus factum ſe eſſe ſimilem Davides canit: quia ſcilicet errabundus tunc per ſolitaria diffugiebat loca, qui Saulis Regis indignationem evitaret, quod ut apertius explicaret, nycticoracis etiam ſimilitudinem adjecit, qui quidem non luce, ſed tenebris in comparandis vitæ ſuæ neceſſariis plurimum fruitur.

*Pſal.101.§.7.*

D

## DE VULPANSERE. Cap. X.

SEd ne longius ab hac in filios charitate diſcedamus, inſigne illud quoque exemplum incomparabilis amoris eſt, quod à Vulpanſere præſtatur.

## FILIUS. Cap. XI.

FIlium, ut inquit Horus, ut alii, affectum in filios, ſcribere ſi vellent Ægyptii ſacerdotes, Vulpanſeris hieroglyphicum faciebant. Ales hæc, ex Anſerum genere, qua lautiores epulas non no-

*Lib. 1. c 53*

rat olim Britannia, tanto filios amore prosequitur, ut si unquam accidat, ut cum filiis in venatores incidat, simulatque conspecti sunt illi, pater & mater sponte accurrunt, seque ipsos venatoribus dedunt, ut ita eos à filiis aliorsum avertant; Ἀμαυρωθῇ enim non Ἀμαυρωθῇ, in antiquis manuscriptis codicibus habetur. Cujus pietatis ergo visum est Ægyptiis, animal hujusmodi magna prosequi veneratione. In iisdem enim manuscriptis exemplaribus est, αἰγυπτίοις ἔδοξε σεβάζειν τὸ ζῶον, non autem συμβάλλειν, ut habetur in impressis. Porro Britanni, qui, uti dicebamus, Vulpanserem in deliciis habebant, nostrum Anserem religiosum opinabantur, eoque abstinebant. Nam cum de moribus eorum Cæsar loqueretur, eos dixit Anserum cibo non vesci, perinde ac etiam neque Lepore. Verum istud olim.

*Anser olim religiosus Britannis.*

## DE NOCTUA. Cap. XII.

RElíquum est, ut & Noctuæ, & aliarum avium, quas promisi, significata prosequamur, quæ cum nostrates sint, Latinis, & Græcis plurimum innotuere: quare de his longe certiora fumus allaturi.

## MINERVA. Cap. XIII.



PRimarium Noctuæ significatum est, ut Minerva per hieroglyphicum ejus intelligatur, de qua ipsa Glaucopidis etiam cognomentum sumpsit: sive propter cæsium oculi colorem, quo qui præditi sunt, præstantioris & acutioris ingenii feruntur esse: sive propter lucubrandi, contemplandique munus, quod animi vis nocturni potissimum temporis silentio vegetatur. Qua de causa Dracones etiam Gorgoneum quippe caput, ægidi adsculpebantur. Acutissimum enim esse Draconi visum ex eo potissimum apparet, quod ab intuendo illi nomen, ut in Serpentis Commentario copiosius. Addunt alii tertiam quandam causam: quia nusquam Noctuarum vis major, quam Athenis, ubi dea ipsa præcipue colebatur, unde proverbium illud emanarit, γλαῦκας Athenas ferre: sive idcirco Noctuarum copiam, sive ob numorum multitudinem, qui Noctuæ signum habebant. Acerbe vero Demosthenes in hujusmodi Noctuæ cultum lusit, cum è carcere populi Athenienses elapsus fugaret: nam ad Palladis arcem subinde respectans, sublatis manibus: *o Pallas*, inquit, *urbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris? Noctua, Dracone, & Populo?* ex una forte cœcitatem, ex Dracone livorem animorum, ex Populo instabilitatem & inconstantiam intelligens.

*Hæ & Νυκτερίδες, ut ait Ovidius, Nocte volant, ferox trahunt à tempore nomen.*

*Meminit Cicero ad Q. Fratrem & ad Torquatum.*

*Plut. in ejus. vita.*

## SAPIENTIA. Cap. XIV.

SAne vero cum Minerva consilii prudentiæque Dea diceretur, aliquot in ostentis Noctua sapientiæ signum fuit, ut quæ in Hieronis privati adhuc hominis hasta consedisse conspecta est, primo bello quod iniit: nam aruspices hinc eum cautum in consilio futurum prædixere, id quod sapientissimum totius ejus vitæ regimen comprobavit.

## VANÆ SAPIENTIÆ STUDIUM. Cap. XV.

SEd quantum pertinet ad doctrinæ studium lucubrationesque ipsas, interpretationem ejusmodi non respuit Basilius, sed eos intelligi vult, qui vanæ sapientiæ studiis incumbunt. Nam, ut illius aspectus noctu quidem valet, Sole autem illucescente non mediocriter obfuscatur, ita istorum hominum mens acutissima quidem ad inanium rerum cognitionem esse videtur, hebetissima vero caligineque oppleta, ad veram lucem hallucinatur, neque liquido quicquam intueri potest. In hanc fere sententiam Hierosolymitanus Hesychius Noctuam comedi prohibitum ait: quia lucis beneficio nocte polleat, interdiu cœcutiat: ex quo illi debeant intelligi, qui legis contemplatione & scientia plurimum gloriantur, Evangelicam autem claritatem ferre non possunt.

NO-

A

## NOCTUARUM NUMISMATA QUÆDAM.

### Cap. XVI.

IN numis aliquot videas Palladis ipsius simulacum cum ingenti umbone, dextera ad oram umbonis adjecta, virga à pectore ad solum applicata, cui videtur inniti: nam virga, ut in caduceo disputatum disciplinam ostendit. Sub umbone Noctua est: inscriptio, ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Ab altero latere caput galeatum, cum Pegaso in plano galeæ. Sunt vero Brettii, quos nos Bruttios vocamus, ut Hermolao Byzantio, qui Stephanum defloravit, placet, à Bretto Tyrrhenorum civitate, quam Brettus Herculis filius condidisse fertur: quin & regio ipsa Brettia nuncupata, neque non & Lingua Aristophanes, μέλαινα δεινὴ γλῶσσα βρεττία παρῆν. Antiochus autem Italiam vocatam olim Bruttiam dicit, mox Oenotriam. Alibi vero videre est in numis caput Palladis galeatum, ab cujus altera parte Noctua est prostrato innitens carchesio, juxtaque quadrigæ cum victoria laurea circumducta cum baccis. Hujusmodi autem numos argenteos magno numero comperies. Literæ in nonnullis, quæ legi possint, ΑΘΕ, à tergo caput ipsius Palladis galeatæ, variique admodum sunt hi Noctuarum numi.

*Bretii, sive Brutii quid*

B

## VICTORIA. Cap. XVII,

POrro Noctua Atheniensibus indicium victoriæ fuit, cujus etiam volatus in adagium cessit, Γλαὺξ ἵπτατ', *Noctua volat*, cum profligatos hostes, & subsecutam victoriam innuerent. Id vero sibi proponebant, propterea quod avis hæc, uti dictum, Minervæ sacra crederetur, quæ quidem dicta est etiam male consulta Atheniensium fortunare. Atque hac de causa Demosthenes oratione περὶ παραβρεσβείας, Solonis versus citat:

*Ex Zenodoto & Suida.*

ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν διὸς οὔποτ' ὀλεῖται,
αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων.
Τοίη γὰρ μεγάθυμος ἐπίσκοπος ὀμβρομόπατρις
παλλὰς ἀθηναίη χεῖρας ὑπερθεν ἔχει.

*Nostra quidem civitas nunquam, fato Jovis, neque Deorum immortalium arbitrio peritura est. Talis illi contigit custos, magnanima scilicet potentissimo Patre genita Pallas Athenæa, quæ manus supra caput ejus habet.* In adagiis autem rebus quibuscunque feliciter, & ex animi sententia succedentibus, dici consuevit usitatissimum apud eos illud, *Noctua volat.*

C

## PECUNIÆ. Cap. XVIII.

APud eosdem Noctuæ cesserunt in pecuniarum nomen: hinc apud Plutarchum in vita Lysandri à Gylippi servo dictum, *Multas sub Domini sui tegulis Noctuas cubitare.* Gylippus enim cum ex ingenti pecunia, quam Lacedæmonem asportare jussus erat, partem intervertisset, eam sub ædium suarum tegulis occultaverat, cumque servorum testimonia contra Dominos non admitterentur ex lege, & irritum facerent judicium, callide admodum ille commentus est rem aperire sub eo verborum involucro: ut indicio pecuniarum facto neque ille accusasse dominum videretur, neq; jus ullum violasse, Atheniensis tamen Reipublicæ commodo consuluisse. Alibi Noctuas Laurioticas pro pecuniis appellatas invenias, non, ut nonnulli putant, à circumducta in numis laurea, quæ admodum conspicua est, sed à Laurio Atticæ regione aurivenifera. Oserves tamen in hujusmodi numis non modo laureas circa Noctuas, sed eas laureo etiam ramo insidentes cudi, ejus dubio procul hieroglyphico victoriæ, qua de superius meminimus. In aliquot procumbentem Leonem supervolat, cum inscriptione, ΑΝΤΙΟΧΟΥ, quod nimirum hostis ferocitatem Atheniensium prudentiæ succubuisse significat. Sunt aliquot numi, in quibus Noctua cum Jovis facie cusa est, eos diobolares fuisse tradunt, quibus vero Noctuæ duæ impressæ sunt, quatuor obolis expendebantur.

*Dictum servi Gylippi.*

*Aristophanes in avib.* γλαῦκες λαυριωτικαί.

D

## MORS. Cap. XIX.

APud Ægyptios vero Noctua mortis erat hieroglyhpicum, vulgatissimo jam etiam apud nos & Oratorum & Poëtarum testimonio, Noctuam lethale aliquid, aut inauspicatissimum infortunium afferre. Causam hujusmodi significationis duplicem invenio: unam, quod cum Cornix vitæ longioris symbolum habeatur, compertum est Noctuam quadam naturæ discordia, ejus nidis magis

quam aliarum avium insidiari, repere eam clanculum, noctis tenebris fretam, & vel pullos, vel ova Cornicis invadere atque deperdere. Nam & in manscriptis Hori codicibus legas ἀφνω δ ἐπίκειται τοῖς νεοσσοῖς τῶν κορωνῶν quæ ultima locutio in impressis exemplaribus desideratur. Altera consideratio est, quod mors furtim irrepit, & nox pro morte ponitur, ut illud:

Æn. lib. 10. *In æternam clauduntur lumina noctem,*

Et alibi:

Æn. lib. 6. *Sed nox atra caput isti circumvolat umbra.*

*Tenebræ pro angustiis, ut & nox.*

& similia passim. Eucherius Lumen in Divinis literis: pro Die, justitia, fide, prosperisque cunctis poni autumat: contra Tenebras pro nocte, iniquitate, infidelitate, adversisque omnibus, ac perinde pro errore, & ignorationis cœcitate, atque etiam mortis acerbitate. Denique Divinæ literæ mortem sæpe pro universa calamitatum strue ponunt, sicuti etiam vivificare, pro liberare à periculis & ærumnis: ita enim Interpretes exponunt illud Psalm. LXXI. *Et conversus vivificasti me.* Demum Noctua noctis domina perhibetur, unde illi apud Latinos nomen. Quod vero nocturno cantu suo infortunium semper aliquod minitetur, Pyrrhi tantum Epirotarum Regis exemplum ponam, qui cum Argos expugnatum duceret, infelicissimæ atque ignominiosissimæ mortis, signum accepisse fertur à Noctua, quæ hastæ illius ex itinere insedisset. Nam cum is detracto insigni à galea, ne internoscereturin Argivos oppidanos cædem incœptasset, aniculæ cujusdam filius eum hasta leviter vulneravit. At cum Pyrrhus impetum in percussorem fecisset, Argivi mater, quæ superne spectabat, periculum intuita, tegulam ambabus manibus arreptam super Regis galeam effudit: quo ictu cum exanimatus concidisset, Zopyrus quidam, qui sub Antigono militabat, Rege cognito accurrit, detractaque galea ferrum gutturi admovit, sed torvis Pyrrhi oculis attonitus, & os, & mentum ejus pro jugulo recidit. Hoc igitur mortis signum illud esse crediderim, quod ab lictore ferebatur ad damnatum publico judicio, præsertim apud Æthiopas, à quibus Ægyptios ajunt multa rituum id genus mutuatos: nam pios eos ante omnes extitisse, familiaritates eorum commerciaque cum diis, & invicem agitata convivia, de quibus & Homerus & alii scripserunt, facile indicant ita fuisse tunc hominibus persuasum. Eo vero signo viso reus sponte sibi mortem consciscebat, magno & sibi & patriæ dedecori futurus, nisi fecisset: adeo illi Regem suum, ut numen venerabantur, vulgoq; adorabant. Atqui ferunt quendam per hæc morti destinatum, cum de fuga cœpisset cogitare, priusquam periculo se abstraheret, zona à matre strangulatum: adeo persuasum fuit genti, non licere mortem magistratuum pronunciatione decretam, exilio vel subterfugio quopiam alio commutare, ut jam severa Lacenarum exempla in desertores filios edita mirari desinamus. Quamvis vero Regem illi suum tanto cultu & obedientia prosequerentur, supra Regem tamen qui Meroem incolebant, Memphitici sacerdotes erant, a vibus memoriæ proditum jus olim fuisse mortis Regi per internuncium imperandæ, alteriusque in demortui locum, cum libitum esset, constituendi. Sed nos ad hieroglyphica, quæ tractanda suscepimus, revertamur.

*Pyrrhi Regis infortunium.*

*Consule Platonem in Timæo. Arist. 1. Metaphys. Strab. lib. 7.*

## MUTUA HOSTIUM DETRIMENTA. Cap. XX.

*Noctua cum Cornice dissidium.*

SI vero hostes duos capitali odio detrimenta, & insidias alterum alteri sempiternis indignationibus molientes, manusque mutuarum cædium sanguine commaculantes, notare vellent Ægyptii sacerdotes, Noctuam & Cornicem proponere consuerunt, quarum usque adeo immortales sunt inimicitiæ, ut hæc, & alio in mutuo semper damno odium exerceant. Cornix enim interdiu ova Noctuæ rapit, absumitque sibi conscia. Noctuam interdiu cæcutire. At Noctua contra, uti dicebamus, noctu in ova Cornicis invadit, quæ subfuretur ac edat: sicque altera interdiu, altera noctu potentior. Quinetiam, quod ad earum inter se temperaturam nullo modo congruentem, facit, sunt qui explo-

*Ab Ælian. lib. 3. c. 9.*

ratum se habere dicant, confusum utriusque sanguinem coire non posse.

## ABSTEMIUS. Cap. XXI.

*Ova Noctuæ.*

LOnge salubrius est significatum illud, quo hominem sibi ab ebrietate caventem significare volentes, Noctuam ova sua desugentem effingebant: quando memorant ova Noctuæ ea vi polleré, ut si per triduum ebriosis in vino dentur, tædium ejus adducãt, & abstemios homines reddant: quod etiam

A etiam apud Philostratum assertum comperi: qui abstemium scribit ita reddi puerum, ut donec vixerit vini odio teneatur, si priusquam ullum vini gustum noverit, Noctuina ova leviter cocta, illi sorbillanda propinentur: vini enim odium inde suboriri, quia temperantior hinc fiat naturalis calor.

## PATROCINIUM FRUSTRA IMPLORATUM. CAP. XXII.

ADdit his Horus, ut si hominem ad alicujus misericordiam, patrocinii vel salutis causa eventu irrito confugientem, significare vellent, Passerem & Noctuam soliti essent figurare: siquidem ille, vel alia quæpiam avicula, ubi aucupis infestas artes declinare studuerit, ad Noctuam confugiat, cujus patrocinio speret se periculum evitare posse: sedenim ibidem intercipiuntur, ubi sibi perfugium adesse proposuerant. *Lib. 1. c. 1.*

## TYRANNUS. CAP. XXXIII.



B HUjus quodammodo generis est Nycticorax, qui tyrannidem significat, ob occultationem scilicet consiliorum, quæ dissimulare potentiores pro magno habent negotio. Huic significato Callimachus ansam dedit, qui tyrannos loqui veluti σκῶπας ait, σκῶπες vero οἱ νυκτικόρακες dicti, quasi σκίοπες quod scilicet eorum sermones nocturni plurimi sint, & in arcanis habeantur, uti Nycticoraces noctu plumum obstrepunt. Et quoniam ales hæc mihi inter lucubrandum obstrepuit minime prætereunda fuit, ut omnem ejus eluderemus.

*Hoc est corvus nocturnus. Suidas. Νυκτικόραξ τὰς οἰκουμένας φεύγων οἰκιῶν τοῖς ἐρήμοις προσέχει. Nycticorax habitas domos fugiens desertas incolit.*

## HYPOCRITA. CAP. XXIV.

EAm Divinæ literæ inferri mensis non permittunt, quoddam hominum genus hieroglyphicum inventus, qui palam strepitum nullum, tumultum nullum, insidias nullas movent, sed hypocritæ tristes, omnes mansuetudinis, modestiæ, benignitatisq; C colorem præ se ferunt, clam vero fornicationes, immunditias, crapulas, ebrietates, & multa humani generis opprobria consectantur: latet enim interdiu Nycticorax, noctu vero prodit ad infausta negotia, deque culminibus ædium lethalia quæque meditatur, & invisum quiescentibus tumultum excitat inauspicatissima.

*Noctua edi prohibita.*

## CHRISTI HUMILITAS. CAP. XXV.

EAdem vero causa qua Christi humilitatē agnoscimus in humana forma suscipienda, quem scilicet, modo Vermen, modo Scarabeum, modo quid ejusmodi aliud in Divinis literis appellatum comperimus, Nycticoracem quoque nuncupatum Theologi veteres observavere, & ipsum inquam, & unumquemq; ex iis, qui eum tempore hallucinationis sectabantur: nempe quod tam Christus, quam Christiani, despectui ludibrioque fuerint apud Gentes. Unde Paulus: *Nos Christum prædicamus crucifixum, Gentibus quidem stultitiam, Judæis scandalum.* Eoque spectare ajunt Psalmi dictum: *Factus sum sicut Nycticorax in domicilio*; de quo apud Eucherium. Sunt qui noctuam & Nycticoracem eandem alitem putent, & qui hanc Bubonem esse contendant: neque tamen desunt, qui Orien- D talem esse avem autument, nostris parum cognitam, apud quos nominis tantum interpretatio manifesta sit, nocturnus quippe Corvus.

*Christus & Christiani Nycticoraces dicti.*

*Psal. 102.*

---

## DE CORNICE. CAP. XXVI.

CORNICEM ea potissimum de causa noctuæ subjunximus, ut qui summam ex utraque discordiam intelligi ostenderamus, ex altera tantum, quippe Cornice concordiam significari comprobemus: si tamen cur Martem & Venerem per Cornices duas Ægyptii significarent, ostendi prius curaverimus. Ex alitis hujus fœtu duo tantum ova oriri compertum est, inde autem & marem & fœmi-

*Auctore Ovid. lib. 1. Metam. Mars & Venus per duas Cornices.*

nam pariter excludi. Quod si, quod raro accidit, geminos vel mares, vel utramque fœminam gigni contigerit, cœlibem utrumque vitam agere, conjugatorum vero, si alterum moriatur, marem cum nulla unquam alia Cornice copulari, neque etiam semel viduata fœmina marem unquam amplius quærit usque dum vivit: sed ut apud Maronem est, *Sola in sicca secum spatiatur arena.* Unde fit, ex Ægyptiorum disciplina, ut in Cornicem unam tantum incidentes, inauspicatum esse mortales putent: quod Ælianus etiam tradit, viduato scilicet animali obviam facti, ac perinde cœlibem solitariamque, hoc est, tristem ac necessariis destitutam adminiculis, vitam degendam esse. Hinc etiam Zezes apud Hesiodum, ubi Poeta uxorem auspicato ducendam monet, *Si*, ait interpres is, *Cornices duas observaveris.* Sunt qui avem hanc inauspicatæ omnino putent garrulitatis: à quibusdam autem impendio laudatur.

## MARITALIS COPULA. Cap. XXVII.

*Cornices pro nuptiis.*

ET eodem quidem argumento, iisdemq; Cornicibus geminis congressum maritalis copulæ legitimum indicabant, quod ajunt, eas ita invicem copulari, quemadmodum homines naturali more conjunguntur. Hinc illud, quod ore eas coire vulgus arbitratur. Præterea omnia, quæ corvinam speciem habent, raro coire solent, identidemque sacrum matrimonii fœdus nulla labefactari petulantia, vel improbioris lasciviæ nequitia debet, uti multos legimus, non nisi liberorum quærendorum causa conjungi solitos, à conceptu sibi temperasse: qui quidem modus & tenor & sobrie ac honeste servatus in causa fuit, ut per Cornices duas nuptiarum fieret hieroglyphicum.

## CONCORDIA. Cap. XXVIII.

*Cornicis clamor in nuptialibus festis antiquus.*

CÆterum, qui in nullo unquam vitæ colore ac statu concordia magis expetitur, quam in maritali commercio, Cornix hinc ipsa concordiæ symbolum habetur; ideoque vulgo Græci, ut Hori interpres Philippus observavit, nuptialibus festis ἐκκορηκορώνη clamitare consuerant, cum tamen ignorarent, ex instituto veteri Cornicem in nuptiis omine auspicatissimo nominari solitum. Animadvertendum autem in Græcanica illa succlamatione aliquid desiderari, videndumque apud Æschylum, Danaidibus, ita scribi, σὺν κόροις τε, καὶ κόραις, κἀν τῷ βίῳ ἐκκορεῖ pro κόρας κορώνας. Nonnulli vero dicunt hortandi modo enunciandum, ἐκκορεῖ κόρους κορώνας quod nescio quid esse volebant, quod cantilatum verecundiam iis, qui liberis operam dabant, auferret, quæ si quis uberius declarari cupiat, ad commentaria Pindari se conferat, in Pythiis, ode tertia. Sed ut ad concordiæ hieroglyphicum revertamur: alitis hujus simulacrum sæpe vidimus in Faustinæ Augustæ numis, cum inscriptione, Concordia. Eoque nimirum Juvenalis respexit, cum veterem concordiam dixit nido increpitare, quamvis superiore ætate fuerunt, qui Ciconiam ad hoc signari arbitrati sunt: sedenim, quam in numis conspeximus, nihil habet quod ad Ciconiæ effigiem referri possit.

*Satyra I.*

## CORONA URBS. Cap. XXIX.

*Corone urbs Messeniorũ in Peloponneso.*

COrnix vero in manu Palladis, cujus simulacrum aheneum sub dio Coronæ visebatur, civitatis ipsius & nomen, & nominis causam significabat. Ait enim Pausanias, Coronem civitatem ideo eo nomine nuncupatam fuisse, quod in fundamentis, dum urbs ea in Peloponneso conderetur, ahenea Cornix inventa fuerit, ea vero κορώνη Græce nimirum est.

## GARRULITAS. Cap. XXX

SEd esto, fuerit Cornicis simulacrum in manu Palladis in clara admodum Peloponensi civitate, longe secus Athenis, ubi Cornices ad arcem Palladis non advolabant, de quo Lucretii sunt carmina in hunc modum:

*Lib. 6. de nat. rer.*

*Est & Athaneis in montibus, arcis in ipso*
*Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,*
*Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ*
*Cornices, non cum fumant altaria donis;*
*Usque adeo fugitant non iras Palladis acres,*
*Pervigili causa, Grajum ut cecinere Poetæ,*
*Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi.*

*Natal. Comes lib. 4. c. 5. Sat. 5.*

Ex Græcorum igitur ipsorum sententia, abjecta repulsaque Cornix à Pallade est, utpote quæ meditationum pervigilio infesta sit, & mentis agitationem interpellet obturbetque garrulitate sua, cujus est hieroglyphicum. Inde autem & Cornicari verbum, quo utitur Persius:

Nescio

A *Nescio quid tecum grave cornicaris, inepte.* *Aristoph. in Pluto*

Id Græce κρώζεις, de garrientibus.

## TABELLARII FIDES. Cap. XXXI.

SEdenim, ea quæ ad Crocodilorum urbem supra sepulchrum quoddam Cornix in columna sublata erat, fidelem operam in tabellario munere præstitam indicabat: hujusmodi enim honos & sepulchri & columnæ habitus est olim Cornici à Marrhe Ægyptiorum rege, quod munus id diligenter obivisset, quo volandum, aut ubi sistendum, summa docilitate producta. Sepulchrum id visebatur ad paludem Myridis appellatum.

## PROSPERITAS VITÆ. Cap. XXXII.

JUstum vitæ spatium ab homine feliciter decursum, Ægyptii sacerdotes hieroglyphice tunc intelligendum proponebant, cum Cornicem vita functum figurassent. *Vivere* enim *Cornices, multos dicuntur in annos:* & Lucretius, *Cornicum secla vetusta* dixit. Compertum vero est ex alitis hujus vivaci- *Lib. 5. Quot annos vivat Cornix.*

B tate, carnes etiam ejus in cibum sumptas, non tantum ad diuturniorem vitam conferre, verum etiã in longissimis morbis, & carnes esse, & nidum contritum illinere utilissimum. Quod autem tradiderunt Ægyptii centum eas annos superare, animadvertendum est, annos, de quibus sacerdotes illi mentionem faciunt, quadriennes esse singulos, ratione à Sotheos ortu supputata: quatenus scilicet superantibus unoquoque anno solari horis sex, integer demum dies unus, qui apud nos intercalaris habetur, apud illos integrum & perfectum annum absolvit. Quare qui annos eas fere quingentos vivere dixerunt, haud ita multum diversi abeunt ab Ægyptiis. Neque me præterit, Aristotelem arbitratum, nullum animal homine diutius vivere præter Elephantum: quod si ad hujus ætatis spatia referamus, brevissima admodum erit vivaciorum animalium vita. Cæterum Ægyptiorum traditioni subscribunt plerique authores minime contemnendi, acceptissimumque illud apud omnes dictum, *Cornice vivatior:* ut non temere mihi videatur Hesiodus scripsisse:

ἐννέα τοὶ ζώει γλαυκὸς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν ἡβάτους.

*Citatur à Plutarcho. Περὶ τῶν ἐκλελοιπότων. Ter tria secla hominis transmittit garrula cornix. Quatuor at peragit cornicis temporis cervus. Multum senescentem cornicem. Cicero pro Murana. & pro Flacco. Macro. lib. Saturni. t. D. Hiero. 2. adversus Russinum.*

C Et reliqua de animalium ætatibus ex gravissimis authoribus exploratissima. Quem secutus Plutarchus eo opusculo, quo bruta etiam ratione uti disserit, ὧν ἑκάστης, φησὶ, ἂν ἀποθάνῃ ἄρρην, ἓκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλὰ ἐννέα χηρεύσει γλαυκὸς ἀνθρώπων, *quarũ unicuiusq; vir si occubuerit, non breve temporis spatium, sed novem hominum ætates vidua permaneat.* Theon tamẽ in Arati carmine ἐννεάγηρα κορώνη non pro novem ætatibus, sed pro multis accipiendum censet, esseque tantundem ac si πολύγηρα κορώνη dixisset: eam enim esse novenarii numeri vim, ut pro multitudine accipiatur, de quo etiam in caudam Scorpii disputatum à nobis est, super Nicandri versu. Quinque itidem ætates hominum Cornicem vivere legas apud Aristophanem. Psalmographus autem intra octoginta annos plurimum ætatem hominis conclusit, quæ summa in Cornice esset quadringentorum annorum. Atqui receptum est apud nostros ex Divinis Hebræorum literis, aliquos noningentos circiter annos pervixisse, qui, ut etiam ad veterem Ægyptiorum rationem supputentur, quadrimestribus annis ad calculum reductis, ut nonnulli accipiunt, erunt omnino anni rationis nostræ multo plures, quam nunc vivitur. Sed ut sacra missa faciamus, quorum fides à Theologis absque controversia est accipienda, non-

D ne Seras adhuc populos supra CCC. annos vivere prædicant? Quare si fides rerum scriptoribus adhibeatur, nihil hic diversum ab aliis allatum ab Aristotele fatendum erit: si modo is nullum animal homine diutius vivere professus est. Sed fuerit varia annorum ratio pro locorum & gentium institutis, dummodo uno authorum omnium consensu Cornix vivacissima reperiatur.

## JUVENILIS SAGACITAS SENILI EXPERIENTIÆ PRÆPOSITA.

## Cap. XXXIII.

ILlud ad hanc materiam facit, quod hujus vivacitatis ergo proverbium factum ajunt, *Cornicis oculo configere*, quo Cicero, Macrobius, & D. etiam Hieronymus usi sunt, volentes antiquitati vel *Proverb. 1. ejusque applicatio.*

subla-



sublatam, vel diminutam authoritatem novo juniorum invento commonstrare. Porro Ciceronianum illud pro L. Muræna, *Inventus est scriba quidam Gn. Flavius, qui Cornicum oculos confixerit*: eo spectat, ut inveniſſe eum rationem ostendat, qua legem sacrorumque interpretibus authoritatem & existimationem imminueret, cum eo præcipue nomine colerentur à rudi populo, quod fastis diebus pene singulis ab eis petendi essent, ut ex ejus arcani peritia cognitioneque crescerent, suamque illam scientiam magis ac magis populo venditarent: is vero cum singulis diebus ediscendos fastos populo publicasset, re jam divulgata pervicit, ut in minori deinceps pretio sacrorum interpretes haberentur, atque ita consilia eorum de tuenda existimatione prorsus evertit, Cornicumq; demum oculos confixit, fama per magnam invidiam sibi comparata. Quod vero ad mentis pravitatem pertinet, ibi Propertius tangit, ubi de lenæ cujusdam ingenio & sagacitate disserit, pluribusque ejus vaframentis & impostura enarratis, ut uno omnia verbo claudat, ait:

*Posset & attentos astu cæcare maritos,*
*Cornicum immeritas eruit ungue genas.*

Sumptum ex historia, quod Areopagitæ puerum damnaverunt, propterea quod is Cornicum oculos studiosius erueret, pernicioſissimæ mentis id signum esse judicantes, quæ multis malo futura esset, si adoleviſſet.

## INQUIETUDO. Cap. XXXIV.

HOrus hominem in assiduo motu, mentisque agitatione ita versatum, ut neque dum cibum capit interquiescat, per Cornicis pullos significari tradit. At rectius per Cornicem, & duos illos pullos suos dixerimus: hæc enim volans, volantes idemtidem pullos aliquamdiu pascit. Nihil vero magis negotiosum hominem indicat, quam & rerum satagere: & nihilosecius interim aliquid sustare.

## HYEMS. Cap. XXXV.

APud Hesiodum Cornix est hyemis symbolum, ut ejus interpres eo versu tradit:

Μήτοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

quod ita Maro transtulit.

*Georg. lib. 1.*

*Tum Cornix plena pluviam vocat improba voce,*
*Et sola in sicca secum spatiatur arena.*

Apertius Euphorion: ὑετομάντις ὅτε κρώζεις κορώνη

## DE PASSERERE. Cap. XXXVI.

*Homerus Iliad. lib. 2. Ovid. lib. 15. Metam. Sud & Æschylus in Eumenidibus:* Ζεὺς ὁ παναίτιος πάντων γηρασκόντων ἅμα συγγηράσκει τὰ τοῦ χρόνου τέλη. *simul senescens cuncta tempus deserit.*

LOnge diversum à Cornice Passeris est ingenium, ac perinde vitæ brevitas angustissima: Passerum enim mares anno diutius durare non posse compertum est, cujus rei causa salacitas incontinentissima, quæ tot hominum etiam ante diem effœtos exhaustosque viribus tradit senectuti.

## ANNUM VITÆ TEMPUS. Cap. XXXVII

SEdenim & Ægyptii, & aliæ quoque nationes, tempus annum per Passeris hieroglyphicum intelexere. Nam & Calchas, in artificio augurandi genere celeberrimus, ex Passerum numero, quos Serpens devorasset, belli Trojani tempus auguratus est, qui pro Passeribus annos, pro Angue tempus intelligeret: ut in Serpente Saturnum significari ex hujus animalis gestamine demonstratum. Solum enim, *Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas, omnia destruitis.* Quare jam taceat Epicurus, neque amplius portenta derideat, neque ulterius asseveret Passerem nihil simile habere cum annis, cum & Græcorum disciplinæ, & hæc Ægyptiorum oracula testatissimum relinquant, tempus annuum ex figura Passeris non temere ab Homero & aliis positum.

PROLI-

A

## PROLIFICA SALUBRITAS. Cap. XXXVIII.

IIdem Ægyptii sacerdotes si prolificum hominem, & petulantiæ intemperantius deditum significare vellent, Passerem pingebant πυρρίσηην, fulvum quippe; & æris instar rubicundum: non autem pyrgetem, quod nonnulli turriculam interpretati sunt, cum exemplaria Hori manuscripta πυρρίσηην legendum indicent. Passer enim titillatione immodica, & feminis ubertate concitatus, vel septies una hora fœminam salit, nunquam egens genituræ. Ejusmodi porro salacitatis observatio efficit, ut ad languescentem Venerem excitandam Passeres in cibo, vel eorum ova Medici propinarent, ideoque eos Veneris currum trahere mythologi confinxerunt. Jam & Therscles ait Passerum esitationem rem Veneream plurimum adjuvare.

*Figura & pictura passeris. Hinc illud, passere salacior.*

## SIRENES. Cap. XXXIX.

B QUin & Sirenas, quæ suavitate cantus & mollibus quibusdam illecebris, illectos homines apud se ad mortem usq; feruntur detinuisse, Passeris effigiem à pectore supra, fœmineam vero infra habuisse, tradunt quædam Græcorum fabulæ, ut in Suidæ Collectaneis habetur: quamvis aliis aves eas fœminea tantum facie fuisse prodiderint. Has vero Veneris illicium significare usitatissimo hieroglyphico, negat nemo.

*Ifacius. Theopompus in Callischeo, & Ovid. lib. 3. de art. amam.*

## PETULANTIA PERNICIOSA. Cap. XL.

ADdunt & perniciem, quæ subsequitur ex nequitia, per Sirenis imaginem significari: eoque tradunt nautas illos apud Homerum cantilenis illectos, exitii sibi causam comparasse. Sapientissimumq; ideo Ulyssem fingunt, quod sociorum auribus cera oblitis, pereundi periculum sustulerit, sibiq; averit, ne illi quicquam, quod imperaret, aut nutu significaret, facerent, ad malum se vinculis alligari passus, neque prius dissolvi, quam in tuta, superato periculo, evasissent.

*Homer. lib. μ. Odyss.*

## ELOQUENTIA. Cap. XLI.

C SApientiores tamen, Sirenas pro hieroglyphico eloquentiæ, felicissimaque persuadendi vi posuerunt, unde dictum illud de Catone Grammatico:

*Cato Grammaticus, Latina Siren.*

Et Apollonius Tyaneus apud Philostratum, in Apollinis templo suspensas etiam aureas Sirenum illecebras memorat, in hujusmodi significatum. Atque, ut ad Passerem revertamur, divinæ etiam literæ alitis hujus hieroglyphicum nonnunquam pro anima ponunt, quæ voluptatibus & sensui dedita facile seducatur, nequitiæque laqueis identidem irretiatur: unde Psalmographus ille fatidicus plurimum exultat Psalm. 124. *animam suam ereptam esse, veluti Passerem, de venantium laqueis.* Et Psalm. 84. *Invenit sibi Passer domum*, qui scilicet prius erat erraticus & vagabundus, modo his, modo illis illecebris avocatus. At ubi sacras cœpit ædes frequentare, incolereque, domum est sibi visus invenisse.

*Sic Philostratus in Isocrate, Isacratem Sirenem vocat. Et Passer pro anima.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXI.

## DE IIS QUÆ PER ACCIPITREM SIGNIFICANTUR

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD JACOBUM SADOLETUM VIRUM PRÆSTANTISSIMUM.

*Commentaria de sacris Ægyptiorum literis, quæ aliquot abhinc annis inter varias occupationes, quæ studiorum meorum cursum sæpius interrupere, conscripseram, prout ab amicis, modo hoc, modo illo poscebantur, ita sua singulis distribuere consuevi: toto enim hæc lucubratio ad eorum fuit obsequium accommodata. Inter hæc tamen, cum Accipitrem plerique à me extorquere contenderent, impetrare minime potuerunt, quod eum, honoratiss. Pater, præcipuum mei erga te cultus & observantiæ argumentum esse constitueram. Memor enim tuorum erga me meritorum neque non humanitatis ac beneficentiæ, qua me totiens duro meo tempore liberalissime prosecutus es, id semper in animum induxi meum, ut quando nullam tot beneficiis gratiam referre possem, quantum saltem tibi deberem, apud omnes ingenue profiterer. Accipitri itaque meo id præcipue mandavi, ut quaqua iter arrriperet, quaque exspatiaretur, si modo probante Deo volatum auspicatus esset, Sadoleti merita, merita locorum ubique meo nomine prædicaret: neque tamen magni se effecisse aliquid arbitraretur, si doctrinam hominis in unoquoque disciplinarum genere absolutissimam, si summum ingenium, si beatissimam ejusdem eloquentiam attestaretur (non enim nostra hæc indigent prædicatione, quæ sua se vi, per universum jam terrarum orbem immortali cum laude divulgarunt: nomenque nullo unquam tempore intermoriturum sibi ipsa peperere) sed in quædam admirabiliora patefaceret, nulli quippe parem in eruditione tanta humanitatem, nulli in tam variis aulæ nostræ conflictibus castiores mores, nulli manus ad promerendum promptiores, nulli ad amicorum quorumcumque res juvandas, officia præsentiora. Natos è literatis hominibus plerosque sibi, natos alios patriæ, domesticisve suis, alios ita huic vel illi, ut per factiones etiam reliquos insectentur: Sadoletum unum ad totius humani generis commoditatem huic sæculo ab immortali Deo datum. Hæc secum allaturus est Accipiter noster, quem pro testimonio opera ipsa tua omnibus cognitissima subsequentur, neque non omninum, quotquot ætate nostra viri probi sunt, succlamatio consensu mirifico repetita. Sed enim tu, qui ut literatissimus es, ita etiam humanissimus, cum hæc leges, puta te Pygmæorum agmen intueri, quod dormienti Herculi negotium facere conetur, armaque ejus omnia sibi asserere meditetur, qui tametsi nihil proficere videantur, de ridiculo tamen conatu delectabile possunt spectaculum exhibere. Interim quid Accipiter ex Ægypto attulerit, explicare incipiam.*

---

### DE ACCIPITRE. CAP. I.

*Unde Euanthes in fabulosis illũ sacrũ Soli, id est, Apollini tradit, cum Homero. ὄρχης testiculus. Communem meretricẽ, vel scortum profanum,*

ACcipitris quidem signficata multa, & admodum varia sunt, cum ex eo victoria, celeritas, aer, sacerdotium, Sol, Deus, Animus, Mars & Venus, & pleraque alia hieroglyphico schemate ostendantur, quorum causas sigillatim explicare nostri fuerit instituti.

### SOL. CAP. II.

PRæstantissima autem omnium apud Ægyptios consideratio super Accipitre fuit, ut Soli eum æquipararent, solarisque vigoris symbolum, hieroglyphicumque inter volucres omnes constituerent: propterea quod animal esset genituræ, ut compererant, fœcundissimæ, eaque de causa in eo genere τριόρχην recensebant, quem Latini Buteonẽ appellarũt, sive quod re ipsa tres habeat testes, sive quod duos tantæ salacitati sufficere non posse crediderint. Ea nuncupatione Agathoclem Sici-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A liæ tyrannum à Timæo historiarum scriptore notatum observavimus, quem tota pueritia κοινὸν πόρ-
νον fuisse tradit, nec minus petulanter reliquum ætatis tempus in nequitia peregisse. Cæterum Acci-
piter præter id, quod egregie est prolifica vi præditus, id etiam commune habet cum Sole, quod &
vivacissimus esse perhibetur, & jubari ipsius radios firmiter intuetur. Unde etiam fit, ut Medici ad o-
culorum morbos Accipitrinæ herbæ utantur beneficio. Qui quidem rerum consensus etiam transit
ad metalla. Siquidem ferunt ossa ex ejus tibiis admota auro, ita id attrahere, quemadmodum Ma-
gnes ferrum sibi cogit adhærescere: nimirum enim Chymici aurum solare metallum ponunt. Por-
ro Accipitrem Apollinis nuncium dici, legas apud Adamantium. Plutarchus, qui eumdem Osirim
& Solem interpretatur, omnino propter eximiam videndi facultatem hoc assertum putat. Habet &
aliam cum Sole similitudinem Accipiter, quod ut perhibent, tricesimo quoque die soleat fœminæ
consortium appetere, uti Sol eo circiter temporis intervallo superato, Lunæ conjungitur. Ea vero
fuit mortalium religio, Medicinæ inventum Apollini adscribentium, ut in desperatis à clinica medi-
cina morbis, cujusmodi quartanæ sunt, in quibus parum illa, ut nihil pollet, persuasum sit vel pulve-
B rem, in quo se volutaverit Accipiter, lino rutilo in linteolo adalligari decumbentis collo, remedio,
ut ajunt, efficacissimo.

## DEUS. Cap. III.



*Cur Deus per Accipitrem.*

SEd cur ego dissimilem, quod ab Eusebio refertur super ali-
tis hujus præstantia, ut inquit ille, à Zoroastro traditum,
Deum Accipitris habere caput? quippe qui inter omnia ea,
quæ labem nullam aut corruptionem sentiant, primus in-
genitus, neque interiturus unquam, partium expers, sibi-
que ipse simillimus, bonorum omnium origo atque au-
thor, rerum pater omnium optimus ac prudentissimus, sa-
crum justitiæ lumen, absolutissima naturæ perfectio, ejus-
que inventor & sapientia: quas dotes cum Soli plerique at-
tribuant, quanto magis ejus authori summo conveniunt, qui
C tabernaculum suum in eo, uti apud scriptores divinos legi-
tur, collocavit.

*Hinc Home. Iliad. libr. ν. Θάσσονες ἱρήκων perniciores accipitribus.*

## SUBLIMITAS. Cap. IV.

MOtum ad hæc philosophantis cujuspiam, qui recta feratur in sublime, nulla pravæ rationis
fallacia perplexitateve labefactus, sed quicquid hic conspexerit, statim surrigat ad Deum, ii-
dem ipsi sacerdotes ostendere si vellent, Accipitrem sursum versus aera captantem pingere con-
suerunt. Cætera enim volatilia, si cursum arripuerint in sublime, obliquo ferri tractu, curvatisque
spatiis agi coguntur, neque recta cursum possunt intendere. Solus autem Accipiter sublimipeta re-
cto meatu volat.

## HUMILITAS. Cap. V.

*Animus alatus.*

COntra vero, si à sublimium consideratione sese ad hæc inferiora demiserit, quasq; ibi ideas con-
spexerat in centro hoc recognoscat, neque ab recto quicquam aberrarit itinere, volentes indi-
D care, Accipitrem identidem sese ad terram demittentem faciebant: nam volucres reliquæ, veluti
sursum versus volaturæ, per circuitus ascendunt, ita cum descendunt, transverso, tortuosque vola-
tu id facere coguntur. Verum Accipiter, uti sursum versus efferendus, recta fertur, ita si superne
delapsus, ad terram humipeta fiat, recto ad nos tramite defertur.

## ANIMUS. Cap. VI.

CUm itaque potiores volandi partes Accipitri datæ sint, animusque sit Platoni alatus, sint vola-
tilia etiam in Paradisum deliciarum, quippe in animam ad hominem adducta, quod varios
ipsius cogitatus ostendit, non immerito Accipiter tam ob hoc, quam etiam ob ea quæ superius dicta
sunt, animi simulacrum habetur apud Ægyptios: hique duo quos ponunt motus, totidem in animo

affectus indicant, qui tunc accipiter sublimipeta est, cum cogitationem in Deum & in cœlestia surrigit: humipeta vero, cum se ad ea, quæ terræ beneficia sunt examinanda applicaverit. Accipitrem igitur sursum versus tendentem si quis pingat, animum qui ad divina sustollatur intelligemus, quem si ad inferna delabentem effinxerit, Philosophum præcipue Peripateticum, cujus scilicet, omnis contemplatio circa materiam versatur, delineatum intuebimur. In universum autem, ut Hesychius ait, volatilia in sacris literis homines ostendunt, qui contemplatione vacant, terrenis se negotiis haudquaquā immiscentes: quod si necesse fuerit ab ea se dejicere, statim revolant in sublime. Nam & Eucherius sanctum virum hieroglyphice poni tradit per Accipitrem in Divinis literis: sive ea de causa quam superius attigimus, sive quia volucris hæc præcipue, mutata veteri penna, insigniter renovatur. Ita vir qui se Deo dedicat, inveterata prioris vitæ studia projiciens, simplicem bene vivendi regulam assumit, ad quam omnem vitæ suæ rationem dirigat, eoq; spectare Jobis dictum, *Numquid in sapientia tua plumescit Accipiter?*

*Cap. 39. 26*

## MARS ET VENUS. Cap. VII.

*Marti & Veneri cur dicati Accipitres duo utriusq; sexus.*

ERat & illud apud sacerdotes Ægyptios memorabile commentum, quod Martem & Venerem per duos utriusque sexus Accipitres intelligebant, quorum marem Marti, fœminam Veneri dedicabant. Causam figmenti eam memorant, quod reliqua fœminei sexus animalia maribus concubitum assiduum deposcentibus minime morigera sint, quod una præstat Accipiter: trigesies enim uno die requisita, quantumlibet secesserit, appellatā à mare iterum atque iterum obsequitur. Fœminas vero maribus morigeras, sive ut in aliquot Hori codicibus habetur, in Venerem procliviter pronas, elogio Veneris Ægyptii honestabant: difficiles autem, rusticas & morosas, ab hujusmodi cognomento repellebant. Alia item causa est cur Martis vocabulo Accipiter accipiatur: quia scilicet ex traditione quadam astronomica sanguinem à Marte regi noverant, cujus Accipiter est egregie sitibundus: est autem animal omnino violentum, imperiosum, cædis cruorisque avidum. Hinc apud Platonem in Phædone, legas eorum animas qui dominationem per violentiam, & injuriam & rapinas exercuerint, post obitum in Accipitres & Milvios abire.

## RAPINA. Cap. VIII.

*Accipitrum jus inter alias. & usus aliquid.*

HUnc quoque sacræ literæ Levitico mensis inferri prohibent: propterea quod rapax alioquin animal ad impietatis quidem disciplinam, ut diceret Hesychius, cicuratur, & imperata facere assuescit, usus tamen ejus ad simplicium avium exitium expetitur. Hi sunt, qui sacerdotalem hujus vel illius familiæ vitam professi, meliora secuti videbantur, ut nihil jam his ad hominis vere Christiani tranquillitatem abesse videretur: Principum tamen aulas affectantes, ad rapacitatem, ad pristinos reversi mores, & suis & aliorum libidinibus inservientes, divina profanaque omnia commiscent. Hinc hæresum favor, atque fomentum, hinc bellorum adhortationes, impulsionesque, hinc bonorum pressuræ vexationesque, populorum cædes, urbium incendia, regnorum eversiones, terrarumque desolationes oboriuntur. Sic olim Basilius, sic Athanasius, sic Chrysostomus, sic magno numero alii male habiti: sic nunc armorum sonitum totus fere Christianus orbis excivit, quæ tragœdia quam sit habitura catastrophen, nemo conjectare potest: calamitatem tamen in Christianum nomen facile omnes præsagire possunt.

## FILIORUM ABDICATIO. Cap. IX.

*Aquilæ & Accipitris convenientia.*

SImile quid Aquilæ in Accipitre accidere tradunt Ægyptii, cum scilicet tria pariat, unum tantum ovum seligere, fovere, ac alere, reliqua vero duo confringere. Quapropter iidem ipsi sacerdotes si quem filios domo exactos ablegantem exprimere voluissent, Accipitrem fœtam, vel incubantem, pingere soliti erant: ita tamen rem accipiebant, ut qui abdicaret, vel à se rejiceret, propter egestatem & inopiam id facere cogeretur. Nam eadem in Accipitre causa fertur, cum in Aquila non indigentia, sed fastidium in causa sit, ut unum tantum alat. Ferunt autem incubationis tempore ungues Accipitri decidere, quorū adminiculo destituta, fit ut vix ad alimenta, quæ uni sufficiant conquirenda, idonea sit: quare, ne qui reliquus est unus pareat, omne in eum studium & diligentiam impendit.

VITA

A

## VITA VITALIS. Cap. X.

SEd illud interim obliviſci nolim, alitem hanc indicium eſſe vitalis vitæ : ſive id propter ſanguinem, cujus eſt avidiſſimus : ſive propter Solis imaginem, quam exſcribit : ſive, quod receptum erat apud Ægyptios, circa centeſimum ætatis annum, ut ſupra dictum eſt, Vulturis Commentario, hominem ex defectu cordis deficere, ut Plinius etiam atteſtatur : nam, ut Varro tradit, hominis anniculi cor, quod ſæpe in his Commentariis repetendum erit, duarum eſt Drachmarum, atque ita ſingulis annis uſque ad quinquageſimum, accedunt binæ, conſtatque hominis quinquagenarii cor centum Drachmis, Ab eo tempore, annis ſingulis totidem imminuitur drachmis, quot excreverat, creditumq; inde, ex defectu humani cordis non ultra centeſimum annum poſſe homines vivere: cujuſmodi vitæ terminum in homine ſtatuiſſe videtur etiam Dioſcorides (Aſtrologum illum Dioſcori dem intelligo ex cujus dictatis ea excerpſit Varro) ille enim hac ipſa ratione compertum ſe habere ſcripſit Alexandriæ inter libitinarios, quorum ibi cura mortuos exenteratos, & aromatibus delibu- *& alii.*

B tos diutiſſimè conſervare, hominem plus centum annis vivere non poſſe, eaque de cauſa Empedocles, quem in hoc Ariſtoteles ſecutus eſt, ante omnia cor judicavit increſcere, quod hominis vitam maximè contineat. Quamvis Hippon, Democritus, Anaxagoras, Diogenes, atq; alii nonnulli aliter, quorum bona pars cerebro principatum formationis attribuunt. Quod tamen pertinet ad annorum centena, Mathematici & Divinæ noſtrorum literæ viginti inſuper addunt, neque amplius cuiquam eſſe conceſſum aſſerunt, atq; hoc terrarum orbe jam mortalibus expleto, & vitæ noſtræ decreto quaſi quodam divinitus promulgato. Illud etiam adjiciunt, Moſem ſolum, Dei, (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, centum vigintiquinq; annos vixiſſe, qui cum quereretur quod juvenis interiret, reſponſum ei ferunt à numine, neminem plus eſſe victurum. Hæc Pollio. Plurimum vero octoginta & unum à natura & à ſyderibus conceſſum ajunt, quod vitæ ſpatium his potiſſimum condonatur, qui & corpore & animo valeant, ut Platoni, Dionyſio Heracleotæ, Diogeni Cynico, Eratoſtheni & Xenocrati Platonico liberaliter conceſſum. Qui vero centeſimum attigerint, Carneades, à quo tertia Academia eſt, quæ dicitur Nova, neq; non Cleanthes & Xenophanes Colophonius, Democri-

C tus Abderita, Iſocrates Rhetor, & Gorgias Leontinus, cum aliis plerisque memorantur.

*Hominis anni completi ex Dioſcoride*

## ÆGRITUDINE CONFLICTATUS. Cap. XI.

QUod autem dictum eſt imminui cor in ſenium vergentibus, ſunt qui cor dentibus ambeſum pro homine ponant, qui ægritudinibus afflictetur. Nam Homerus frequenter admodum iis & exedi, & conſumi cor ait, qui vehementiori aliqua animi ægritudine conflictantur, quod ipſe una cum Heſiodo facilè homines in anxietatibus & ærumnis in ſenium ire peſſum aſſeverat, fatalemque neq; non naturalem ætatem ita vitio vel imprudentia noſtra comminui. Pythogoras quoque volens nos admonere, unicuique vitæ ſuæ curam minimè negligendam eſſe, eruditè ſimul ac ſapienter imperavit, μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν, hoc eſt, adhibendam eſſe diligentiam, ne noſmetipſos ægritudinibus ſubjicere contendamus, quæ potiſſimùm in cauſa plerisque ſunt, ut dono divum conceſſus vitæ curſus interrumpatur.

*Cauſa præcipua ſenii. Odyſſ. τ Heſiod. ι. ἔργων.*

*Corne edito.*

D

## ANIMA. Cap. XII.

QUoniam verò Latini ſermonis authores, animum quo ſapimus, animam qua vivimus eſſe dicunt, nos eorum ſecuti diſtinctionem, eum ſuperius de iis quæ ad animum pertinent ex propoſito argumento diſſeruimus, nunc quæ ad animam faciant exequemur: quamquam differentiam eam non uſquequaque receptam video, unde neceſſe ſit interdum, vel in eodem utrumque ſignificato ponere, vel alterutrum uſurpare. Animam igitur quæ noſtræ ſit vitæ fundamentum & ſedes, Ægyptii Sacerdotes per Accipitrem intelligi voluêre, quandoquidem Baieth apud eos is eſt, qui apud Græcos ἱέραξ, apud nos Accipiter : Ægyptiaca verò elementa illa ſi per ſyllabas dividantur, Bai per ſe animam, Eth vero cor ſignificat. Utebantur enim illi libenter ex hujuſmodi compoſitione vocibus, ex quibus ipſa rei natura, vel originatio, vel aliqua vis appareret : quod & apud He-

*Animus conſilii Διάνοια, quo ſapimus: anima ψυχὴ, qua movemur, & ſentimus*

bræos frequentissimum est, ut una cum locutione ipsa, res etiam qualis, cujusmodive sit, intelligatur: ut quo vocabulo cœlum nominant, constare id ex aqua & aere doceant, cum Adam dicunt, & crassam qua compacti sumus terræ materiam, & insitam simul mentem ostendunt: mentem enim terræ applicitam id nominis significare tradit Philo. Sed jam quid commerii anima cum ipso corde habeat, videamus. Ægyptiorum opinio fuit, cor esse animæ receptaculū: quasi igitur nomnis coagmentatio significetur, & ineſſe animam cordi constet, per Accipitris ipsius picturam animæ reminiscebatur. Neque quidem Ægyptii tantum, verum & Stoici animam in corde potissimum statuerunt: sentiendi enim vires omnes ad sensum, quem ex re ipsa communem vocamus, uti flumina ad mare, confluunt: hic autem, si Aristotelem sequimur, in corde est. Neque absurdè dixerimus, ab eo manari quinque corporis sensus, visum, auditum, gustatum, odoratum, tactum, quasi quinque maria mediterranea, diffusos intrare corporis continentem, quæ manifesta Platonis in Theateto sententia fuit. Quod vero super animo paulo ante dicebamus, eum Accipitri comparatum, imo alitem ipsam pictam congruum hujus esse symbolum, redigit in memoriam mihi Zoroastris dictum: *Alatum quoque esse animum*, quod apud Platonem latissimè disseritur, decidentibusque alis præcipitem eum in corpus ferri, illisque mox succrescentibus ad superos revolare. Sed percontantibus eum discipulis, quo pacto alis bene plumantibus animos volucres sortiri possent: *Irrigetis*, inquit, *alas aquis cum*. Iterum sciscitantibus, unde has aquas peterent: sic per parabolam, qui erat hominis mos, respondit: *Quatuor amnibus Paradisus Dei alluitur & irrigatur, indidem vobis salutares aquas hauriatis*. Quæsierit vero aliquis, quinam hi fluvii sint, ut si Accipitrem mersare suum ibi velit, eos nanciscatur D. Ambrosius flumina Zoroastris quatuor virtutes totidem, in quas dividitur sapientia, prudentiam quippe, temperantiam, fortitudinem, & justitiam intelligit, fontemque esse sapientiam, ex quo flumina hæc quantacumque sunt deriventur: nam in Divinis literis fons passim accipitur pro sapientia, ad quem accedere sitientes admonemur, de quo plura in cœlo aquis irriguo. Ubi vero Plato inlarum, quas animæ tribuit, mentionem incidit, per alas naturalem eam intelligentiam capit, quæ, ut inquit Alcinous, est intellectio quædam in anima quæ corpori sit applicita, non ea quæ animo a corpore soluto convenit: ea igitur, cum labem à corpore contraxit, numquam se tollere humo poterit, nisi fluminibus, quæ posita sunt, infestum eluerit scelus. Quoniam vero sunt qui duram metaphoram contendant, Gangem, Nilum, Tigrin, & Euphratem (ea enim iis amnibus nomina faciunt) pro quatuor illis virtutibus poni, quæ omnem in hominem, vita principatum obtinent, minimè fuerit importunum hæc latius interpretari,

*Cicero lib. 1 Tuscul. Cor ipsum animus videtur.*

*Quid rei cū corde habeat anima.*

*Fluvii animi quatuor.*

## PRUDENTIA. Cap. XIII.

*Primus fluvius.*

EX amnibus his Gangem primum enumerant, qui pro Prudentia ponatur. Trahit hic ramenta auri, carbunculum, prasinum lapillum, quem alio nomine Smaragdum vocamus. Aurum pro inventis prudentium sæpius accipimus, unde divinum numen per Prophetam ait: *Odi illius Aurum & argentum*, de quo quidem alio loco commodius. Devolvit & splendidum carbunculum, in quo scilicet animæ nostræ vivit igniculus, qui si tempore suscitetur, neque apta fomenta deficiant, micantissimum ignis fulgorem totis sit ædibus exhibiturus, ut in anima corpori insita, pennarum radices actæ altius inhæresçant, quæ si prorumpere semel cœperint, brevi sint omnem corporis molem per sublimen aera libraturæ. Per Smaragdum vero virorem intelligas: porro autem quæ virent, vivacitatem præ se ferunt. Ostendit præterea viror, præteriti seminis vitam. Aurum fulgore suo præstantium rerum pretia proponit. Carbunculus excitato lumine, quid futurum sit, quidve adventet operit; quæ tria sunt prudentiæ munera. Ganges ad hæc (Phison est Hebræis) vocabulum significare tradunt oris mutationem, sive dicere velimus, sermonis varietatem: non enim Ganges unam tantum gentem circuit, sed ut ajunt, omnem terrarum orbem ambit, &, ut nonnulli opinati sunt, vel mysticè rem intelligentes confixêre, in Libyam usque prolabitur: manifestè enim accipiendum mythologum non ad historiam, sed ad mysticum aquarum sensum animum adjeciſſe. Atqui prudentiæ munus est prodesse quamplurimis, neque ullam tam remotam, tam efferam gentem prætermittere,

A mittere, quam beneficio non demereatur: ideoque in omnem terram exivit sonus eorum, qui nos piè sanctèque instituerunt.

## TEMPERANTIA. Cap. XIV.

GAngi mox Nilum adjungunt, per quem Temperantiam intelligi volunt. Alluit Nilus planitiem Ægypti. Ægyptus in Divinis literis voluptatem & deliciarum illecebras significat, ut de ferociente Equo, suo dictum Commentario, qui latos Ægypti campos gaudet insultare. Lex igitur Israëliticis data est in Ægypti captivitate detentis, hoc est, nequitiæ ac effœminationibus impurissimè deditis, ut ex Ægypto quam ocyssimè recederent, succinctique lumbos Agnum ederent, quod est temperantiæ signum: castos enim oportet, & vivo ablutos flumine, sacra Deo ferre, supremique numinis Pascha celebrare. Gæon hic amnis Hebræis est, à quo terram etiam Æthiopicam perlui dicunt: nempe ut despicatissimum corpus abluat, & libidinis ardorem extinguat. Æthiopia enim, ut nonnulli divinarum literarum interpretes exponunt, abjecta, vilis, despicata sonat, cujusmodi no- B strum est corpus Æthiopiæ perquam simile, quod scelerum infectæ maculæ deturpant, & adusque nigri coloris ferruginem inficiunt. *Secundus.*

## FORTITUDO. Cap. XV.

TErtius amnis Tigris est, qui fluviorum omnium velocissimus perhibetur, nomenque illi tam animali omnium rapacissimo, quam fluvio velocissimo, à sagitta est, Armeniorum lingua: qua enim parte ex Armenia in Mesopotamiam labitur, ibi propter rapidissimam velocitatem Tigris sagitta dicitur. Per hunc fortitudinem interpretantur: quod fortitudo cursu quodam pernici concita, obstantia quæque demoliri atq; prosternere videatur, nullisque obicibus oppositisque molibus, aut obstaculis impediri, quin quo ferri destinarit, eo victrix prorumpat. *Tertius.*

## JUSTITIA. Cap. XVI.

C QUartus est Euphrates, per quem fœcunditatem & fructuum exuberantiam intelligi volunt, ac perinde justitiæ symbolum esse. Ex nulla siquidem virtute opimiores lætioresque fructus colligi feruntur, quam ex æquitate. Hinc Ceres, quod sæpe diximus, *Legifem* Poëtis eademque *Astræa.* Hinc tellus ipsa justissima, ac ipsius justitiæ simulacrum perhibetur. Putant vero plerique Euphratem ἀπὸ τῆς εὐφροσύνης appellatum, quod nulla res magis, quam æquitas ac justitia, humanum genus lætitia perfundet, & hilaritate repleat affluentius. Ex his igitur manifestum est, quibus aquis implumis Accipiter noster lustrari possit, atque itemtidem ita plumescere, easque alas emittere, ut non supra nubes tantum, quod faciunt grues, sese attollere, verum super omnes cœlorum orbes efferri valeat, parique cum Aquila honore acceptus, in ipsius Jovis gremium audeat volitare. *Quartus.* *Ver. 1. Geor. Fundit humo facilem victum justissima Tellus.*

## SANGUIS. Cap. XVII.

HAbet præterea similitudinem Accipiter cum anima, ut aquam omnino non bibat, sed solo sanguinis suctu sitim levet, quo uno & anima ipsa nutriri quodammodo videtur. Ideò, veteri illo instituto, libaminibus quæ pro anima parabantur, sanguis apponebatur. Et Deuteron. XII. sanguiD nem hostiarum pro anima esset monet Moses idcircoque non debere nos animam comedere cum carnibus. Passim vero Levitico monemur, sanguinem non esse comedendum, quia uniuscujusque carnis anima sit in sanguine. Sed præcipuè capite 17. interminatur Deus exitium cuilibet, tam ex domo progenieque Israelis, quam etiam hospitibus & peregrinis, qui apud eos divertissent habitarentve, si sanguine vesci ausi fuerint: quem ea de causa datum eis asseverat, ut super altari per eum animas suas expiarent, effletque ita sanguis animæ litatio, dum funderetur per altaris circuitum, & quod residuum esset, terra operiretur. Quod vero dictum, *Uniuscujusq; animam in sanguine ejus esse*, nequaquam intelligendum est, substantiam animæ esse sanguinem, ait Hesychius, sed quod societatem cum carne per sanguinem habeat. Unde quidam sanguinem *animæ Vehiculum* appellarunt: emissus enim ubi frigere cœperit, à carne dissolvitur, avolatque anima. Eaque de causa Ægyptii, si sanguinem significare *Sanguinis legis veteris interpretatio.* *Unde illud* Αἷμα καὶ ψυχή, *Sanguis & anima.*

gnificare voluissent, Accipitris imaginem faciebant. Multorum sane opinio fuit, animam esse sanguinem, sive ut Empedocles arbitrabatur, in sanguine. Hinc illud apud Poëtas, *Purpuream vomit ille animam*. Et, *Vitam cum sanguine fudit*, & alia hujusmodi. Et apud Ovid. Pythagorico monitu exturbare quorumcumque animalia cognatas nobis animas nefanda cæde ideo prohibemur, ne sanguine sanguis alatur, & in hanc sententiam tum apud Græcos, tum apud Latinos plurima. Quamvis alio significato accipi purpuream animā, alio de Piscibus commentario docuimus, ubi agitur de purpura una ictu collidenda, si sanguinem ad tinctum comparare voluerimus. Sed quantum ad eos pertinet, qui sanguinem animæ commiscent, ego non ita fuerim impius, ut non profitear, de brutorum animis hoc tantum intelligi, de quibus capite nono Geneseos scriptum est, *Anima illius in sanguine est*: cum in homine tantum ex animalibus, anima per se vitalis sit, suaque se contineat immortalitate. Et quamvis Salomon pro concione tertia, unum eundemque interitum hominis, & jumentorum, & æquam utrorumq; conditionem, ex impiorum opinione posuerit: ex sua tamen sententia, pulverem ad terram reverti, spiritum ad eum qui dederat, asseverat. Basilius ad hæc, ubi concione octava de quinto locum exponit. *Educat terra animam viventem*, brutorum tantum animam esse sanguinem disputat. Ait vero sanguinem coactum in carnem suapte natura verti, carnem autem corruptam in terram redire, unicuique manifestum: itaque jumentorum animam terream quandam esse naturam. Eos verò valere jubet, quos nihil quicquam pudet animas suas, Equorum, & Canum, in eadem specie collocare, quique seipsos etiam, & mulieres, & frutices, & æquoreos Pisces olim fuisse reminiscantur, idque asserere non erubescant: quos quidem Pisces fuisse nemo sanæ mentis dixerit, quo vero tempore isthæc literarum monumentis mandavere, expertes magis rationis quam Pisces fuisse, quisquis mente judicioque polleat, dubio procul asseverarit. Illud verò commercii cordi est cum sanguine, ut ex Philosophorum observatione compertū sit cor iis omnibus esse, quibus & sanguis: id quod etiam de jecinore proditur. Neque tamen infirma est eorum opinio, qui nonnihil sanguinis ab jecinore procedere judicarunt. Sedenim potior eorum, qui sanguinis principatum cordi dedicarunt, à quo, tamquam à fonte perenni, in venarum conceptacula diffundatur, nusquam enim nisi in corde sanguinem concrescere, ex Medicorum & Aristotelis traditione dicimus, in quo quidem primum oritur, etiam antequam totum corpus informetur, quæ idem latius libro de Animalibus tertio pertractat. Ac ne interim nos plura de anima, de corde, de sanguine differamus, ea consulto præteribimus quæ dici possent, si quid cordi, quid jeninori, quid arteriis, quid venis inserviat, & unde triplex animæ potestas originem & fundamentum consequatur, repetere voluissemus: sedenim hæc ita breviter tacta sufficere visa sunt, pro reditione causæ, cur talia Sacerdotes Ægyptii pingere commenti essent. Illud addam, sanguinem religiosissimō Hebræorum ritu in summo cultu semper habitum, quem ex alite qualibet effusum simulac ostenderint, insperso pulvere sepelire pro magno negotio habent, quod persuasum illis ex Prophetarum dictatis, sanguinem ad contractæ labis abolitionem, & animorum depurationem facere: sed non intelligunt, mysterium id ad pretiosissimum Christi sanguinem spectare, cujus aspergine maculæ omnes nostræ, cum expiari voluerimus, abluuntur.

*Virgil lib. 9 Æneid.*
*Æneid. l. 2*
*Cor enim ex Aristot. fons arteriarum, venarum, sensuum.*

## VICTORIA GLORIAVE. Cap. XVIII.

*Accipitris super alites reliquas præstantia.*

DEniq; propter eas dotes, quas huic aliti natura supra volatilium aliorum conditionem elargita est, factum, ut in universum Accipiter esset excellentiæ hieroglyphicum, præcipueq; victoriam significaret: nam reliquas omnino voluces volatu antecellit. Neque frustra Theoclymenus apud Homerum, observato Accipitris auspicio, Telemachum bene sperare jubet, ejusque genus in Ithaca supra reliquorum omnium gloriam potens, celebre & illustre futurum pollicetur. Ea sanè Accipitris prærogativa est, ut agilitatis in volando principatum obtineat, ab eoque desumantur præclara illa alarum insignia, quæcumque in hujusmodi deveniant gloriæ significatum. Hinc Victoriæ hieroglyphicum passim in numis, & monumentis alatum, quia victoriæ partæ fama sese statim humo tollit, amplexaq; gloriam per summum æthera latè volat, perque immensos terrarum tractus expatiatur, offensiones impedimentaq; omnia agilitate sua declinans. Hinc ipsi numi Victoriati dicti, quibus

A bus Drusus in Tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit. Hinc Musis coronæ ex pennis quas ex Sirenum alis evulsere, postquam eas in certamen impulsu Junonis congressas facilè superaverant, ut Eustathius & Pausanias meminere: quamvis alii Serenas indignatas sponte alas deposuisse dicant, reique monumentum esse Apteram civitatem, ea de causa cognominatam. Utcumq; vero, ad id Homerum allusisse ait Eustathius, cum ἔπεα πτερόεντα protulit: quem Horatius noster secutus, *volare verba* dixit. Et nostri per pennas columbæ deargentatas in Psalmo sermones Dei interpretantur, ut ait Adamantius, quod merum est hieroglyphicum. Philosophi ad dissectionem aëris quæ verborum tamquam alarum illapsu fiat, id referendum autumant. Sedenim de Musis, alibi locus erit suus.

*Eustathius in Odyss. & Pausanias in Bœoticis.*

*Verba alata, & semel emissum volat irrevocabile verbum.*

## VICTORIA PERPETUA. Cap. XIX.

Quamvis autem & in Olympia, & vulgo esset alatum Victoriæ simulacrum, apud Athenienses tamen exarmatum alis cernebatur, ut & Pausanias & Heliodorus Periergeta meminere: Minervæque fuisse signum dedicatum, in cujus dextera manu malum Punicum esset, in læva galea, de quo ita Harpocration: λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ ἱερείας, ὅτι νίκης ἀθηνᾶς ζωάνοις ἄπτερον, ἔχον ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ ῥοιὰν, ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κράτος ἐτιμᾶτο. Id ea de causa factum Pausanias tradit, ne Victoria discederet Athenis, ac alio quopiam abvolaret. Ita numen apud se perpetuo detineri posse arbitrati sunt Athenienses, dum alarum omen, veluti quoddam instabilitatis signum, reformidabant. Nam quæ Amori alæ attribuntur, ad frequentissimas in eo rerum vicissitudines referuntur, ut Propertius, de eo qui figuram ejus pinxerat libro II.

*Victoria alata, & sine alis.*

*Idem non frustra ventosas addidit alas,*
*Fecit & humano corde volare deum:*
*Scilicet, alterna quoniam jactamur in unda,*
*Nostraq; non ullis permanet aura locis.*

Alæ autem à Cyro visæ, quæ Darii humeris inhærentes, una Asiam, altera Europam inumbrabant, nimirum victoriæ signum portendere. Solitus vero est Darius, qui sibi totius orbis victorias proponebat, pallam gestare auro distinctam, quam aurei Accipitres tres, velut rostris inter se concurrerent, adornabant, literis ΝΙΚΗΤΙΚΩΤΑΤΟΣ, inter alas & singulorum caudas dispositis. Et Antiochus magnarum sibi conscicus expeditionum, quia multa strenuà fecerat, gentes plurimas debellaverat, urbes innumeras subegerat, ut longa victoriarum continuatione illustris, Accipitris cognomine vocari gestiebat. Septem autem Accipiteres qui Vulturem insectabantur, victoriæ ejus signum hieroglyphicè constituti fuere, quam viri septem in Smerdis Magi exitium conjurati, assecuti sunt, votique compotes facti, patriam ab illegitimo Rege liberaverunt. Ille siquidem, regnum sibi nullis natalibus comparaverat, veluti Vultur, non ex legitimo conceptu, sed sine patre generatus ex vento, Est & illud victoriæ significatum hieroglyphicum, quod in antiqua columna Viterbii spectatur, duo scilicet Accipitres ex diverso advolantes, per quos, ut nonnulli tradunt, Herculis ab Alpibus, & Osiridis à Brundusio modus in Gigantes neque non victoria describitur. Neque vero ea solum de causa, quod Accipiter volatu præstet, quodq; alæ victoriæ attribuuntur, ales ea victoriæ symbolũ est: verum ob id etiam quod ejus pugna tam artificiosa est, eoque astu patratur, ut necesse sit hostem, qui cum ea congressus fuerit, omnino vinci. Nam si cum fortiori res agatur, tum sese in aëre resupinat, ungues sursum versus intendens dimicat, alas vero caudamq; inferius expandit, quibus vice soli fungatur. Unde fit, ut cum adversarius voti compos fieri minimè possit, vel re infecta abire cogatur, vel omnino su-




*Cur victoriæ symbolum Accipi-*

no superetur. Quæ quidem solers dimicatio, cum sit etiam Noctuarum propria, quæ majore circumdante multitudine resupinæ pedibus repugnat, collectæque in altum rostro & unguibus totæ teguntur, Accipiter simulac pugnam animadverterit, advolat Noctuis opem allaturus, atq; ita quodam naturæ consensu eis auxiliatur. Nam & Noctua apud Athenienses victoriæ hieroglyphicum fuit, de qua suo loco, quæ ad rem spectant, diximus.

Sed minimè κατὰ πάρεργον puto ponere, quod in quodam Canone Imperialium militiarum apud Maffæos Romæ vidi, militarem ordinem fuisse qui Accipitrem luteum in parma idemtidem lutea gestabant. Erant hi, qui Sagittarii Venatores nuncupabantur, qui sub Magistro peditum stipendia faciebant. Sed & alius ordo LAUNI nuncupati, insigne idem Accipitris lutei in parma idemtidem lutea gestabant, & sub eodem Magistro peditum merebant: eo tamen discrimine, quod Sagittariorum Accipiter caput in alam lævam vertebat, Launorum in dexteram. Jam de DIVITENSIBUS, Gallicana legione, quorum insigne erat cæruleus Accipiter, colore tamen dilutiore, una cum Tauro, in ipsius Tauri commentario dictum invenias.

## CELERITAS. CAP. XX.

DIodorus per Accipitrem volantem, per quem alii victoriam interpretantur, celeritatem ipse significari tradit: propterea quod in volatu sit omnium volucrum velocissima, vultque significatum ad res domesticas transferri, quæ cito fiant. Leges & Pterophoros apud Plutarchum, Othonis vita, qua locutione tabellarios intelligendum, quorum insignia forent surrectæ pennæ ad celeritatem indicandam. Inde Juvenalis:

*Aligeros.*

*Anxia præcipiti venisset epistola penna.*

## AER. CAP. XXI.

ACcipiter ad hæc passis alis figuratus, elementum aëris indicat apud Ægyptios Sacerdotes Atque adeo alæ pennatorum singulæ aërem significant: utpote solum Avibus proprium, perinde ac aqua Piscibus, terra aliis atque aliis solum est. Animadvertendum vero, locum de pennis alisve corruptum esse in impressis Hori codicibus, legique debere, ut in manuscriptis exemplaribus antiquis, πτερὸν τὸν ἀέρα. Inde quædam desiderari, quæ ad aliud pertinent significatum. Sunt qui ventos ex ea specie significari tradant. Ventus autem nihil aliud est, quam incitatus & fluens aër. Triclinius apud Pindarum Pelopis ἵππους ὑποπτέρους velocissimos exponit. Sunt qui cœlestium corporum ortum hinc interpretentur. Nam quæ sidera super horizontem attolluntur, volucrium in morem fugere, & per immensum inane ferri videntur. Pennata vero apud Mercurium talaria, nimirum Homericum illud innuunt, quod verba ipse volucria nuncupavit. Eadem ratione Irin & aëripedem & procellipedem vocant, quæ deorum sit internuncia, ut apud Maronem legimus:

*Ventus quid*

*Virg. lib. 4. Æneid.*

*Irin de cœlo misit Saturnia Juno.*

## ANIMUS, CAP. XXII.

SEdenim cum etiam animi signum sit Accipiter, facilè idemtidem celeritatis indicium esse potest, cum animi celeritas omnem exuperet velocitatem. Sedenim, sive victoriam, sive hanc quam alii ponunt alacritatem, ex Accipitre significari dixerimus, tantundem esse videtur.

## SACERDOTIUM. CAP. XXIII.

NEque quidem tabellarii tantum alas gestare jussi, verum etiam Sacerdotes Ægyptii capita habuerunt alis insignia: quod quidem gestamen ideo susceperunt, quod Accipitri ex eo honorem habitum voluerunt, quem dictitabant librum olim puniceis literis perscriptum, Thebas ad sacerdotes detulisse, in quo quidem libro, qui cultus, quique honos diis deberetur, quaque ratione sacra plurima procuranda essent, notatum erat. Hinc eos Sacerdotes à Poëtis nostris Cristatos appellari comperias, ut apud Martialem:

*Linigeri fugiunt calvi, cristataq; turba,*
*Inter adorantes cum stetit Hermogenes.*

Habes,

A Habes, honoratissime vir, Accipitris hieroglyphica, lectionem non quidem tuo sublimi ingenio dignam neq; multiplici eruditioni tuæ necessariam, sed cultus & observantiæ in te meæ pignus. Neque enim is ego sum, qui putem te ex dedicatione hac mea vel minimum crescere: sed si illi locus apud te in angulo aliquo concedatur, sciam me laudis plurimum comparaturum. Vale.

# JOANNIS PIERII VALERIANI
## HIEROGLYPHICORUM
### LIBER XXII.
### DE IIS QUÆ PER COLUMBAM TURTUREM ET HIRUNDINEM SIGNIFICANTUR
### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

B
### AD ILLUSTR. HEROINAM VICTORIAM DAVALAM PISCARIÆ PRINCIPEM.

*Magni omnino ponderis est Pindari, Lyricorum principis, dictum illud, alio quamvis numero, in hanc certè sententiam:*

Carmine res vivunt, carmina rebus egent.

*Nam scriptor quantumlibet elegans & eximius, si vana & inania mandare literis aggrediatur, puta purpura Simiam vestiat, nihil aliud assequatur nisi, ut omnibus sit derisui atque ludibrio. Si verò facta inclyta præclaraq; ab inepto imperitoque scriptore celebrentur, neglecta statim turpiter exolescent. Hæc tum mecum reputo, honoratissima* Victoria, *tuamq; erga desideratissimum conjugem pietatem considero, illiusque res præclarè gestas Musarum tuarum elegantia decorari conspicio, fortunatissimum. Principem appello, qui cum tot ante annos è vita migrarit, per te quotidie reviviscat, clariorque & illustrior evadat. Te autem non minus beatam, quæ materiam susceperis tam insignem, tam celebrari*
C *dignam, quæ immortalem gloriam tam illi sit, quam tibi sine dubio paritura: ideoq; vestræ plurimum gratulor fœlicitati. An non ille egregie fœlix, qui virtutibus omnibus heroicis ornatissimus, rebus tot tantisq; sapientissimè procuratis, gloriosissimeq; confectis, post opima illa spolia tam præclara ad Ticinum parta, quasi splendidius nihil in posterum expectare posset, è vita migrans, uxorem te reliqueret tam piam, tam pudicam, tam doctam, tali præstantem ingenio, tamq; facundia & arte scribendi præditam? ut quantum ille rerum gestarum splendore illustris est, tantum tu scribendo, & unum illum celebrando, clarissima passim habearis: in ambiguoq; posueris, utrum ille res illas prudentius fœliciusve fecerit, an tu ea doctius & elegantius victuræ memoriæ commendaris. Magnificentius dicat fortè aliquis Artemisiam fecisse, quæ marito celebrationis tantæ sepulchrum struxerit, ut inter septem orbis miracula nomen habere meruerit. At tu quotidie tuo Mausolea facis, quotidie novas statuas ponis, quotidie columnas erigis, non quas temporis injuria demoliatur aut perdat, sed quæ in animis hominum sitæ, nulla unquam fortunæ temeritate labefactari possint, nulla vetustatis edacite consumi. Quem referent Musæ, vivet, merito Poëtæ clamant, & è classe tua unus isq; summus, fabricas has eludens, exegisse se monumentum æra perennius, regaliq; situ pyramidum altius, gloriatur. Vincis igitur Victoria Artemisiam, quæ marito nullo non die monumentum aliquod exeitat*
D *non ex marmoribus aut cæmentis, quæ aliquando fatiscere putrescereque necesse sit, sed ex politissimis poëmatibus, quæ donec erit hominum memoria, summa cum utriusq; laude perdurabunt. Evadnem opponet alius, in qua vulgus majorem quendam affectum charitatemq; deteantur, quod flammis injecta mariti arserit. Imo superstitio major ea fuit, ac perinde execrabilior: utpote quæ utrig; acciderit perniciosa sibi, quod se ausu temerario tam atrociter dono vitæ privaverit, iisq; affligi pœnis voluerit, quas superi mortem sibi consciscentibus statuere: marito autem, quod manens ejus non ea tantum morte tam miserabili mœstos reddiderit, sed ut de suppliciis etiam ejusdem, si quis apud manes sensus, æternum cruciaretur, effecerit. Altera huic non absimilis, P. Cornelia Annia, clara satis fœmina, quæ ne in desolata orbitate superviveret, vivam se ultro in arcam cum viro defuncto damnavit. Sed enim, furor hic, profectò furor, non amor fuit:*

*cujus vecordiæ testimonium ut transiret ad posteros, testamento etiam cavit, ut sacrificio super arcam Plutoni & Proserpinæ peracto ea rosis exornaretur. Sed facessant exempla hæc à pietate institutisq; nostris alienissima. Longè gloriosius proferet se forsitan Alceste Admeti Regis conjux laudatissima, quæ mori ipsa pro mariti vita, quem fata sub hac conditione damnaverant, elegit: cujus mutua inter conjuges charitatis exempla, apud Romanos plenaq; sunt memoriæ commendata. Tu non minori in conjugem tuum affectu succensa, mortem ideo non affectasti, quod vivendo, vivum nobis maritum ingenii tui clarissimi opera repræsentas, &, quod admirabilius est, immortalem facis. Quinetiam dum vivis, eum, quamvis apud superos incomparabili fruatur beatitudine, tuæ tamen pietatis officiis, sensu nescio quo, rerumq; nostrarum, quæcumq; illum tangit cum, jucundiorem hilarioremq; efficis, ac beatiorem. Cum itaq; insignioribus viduis, quæ anteacta ætate claruerunt, anteferenda sis, cogitavi ego ex hieroglyphicis lucubrationibus meis Columbam, & Turturem tibi dedicare: ut commentarium hoc sanctissimæ viduitatis exemplar, non tibi, quæ testimoniis his non eges, sed mihi jucunditatis illius, quam ex virtutum tuarum contemplatione percipio, monumentum sit, atq; conservatio. Tu quid fusci coloris Columba apud Ægyptios, quid Turtur sacris eorum literis significaret, & quæ veluti in comitatum accedunt, si adlibuerit, leges. Ego me sacris animo feciſſe videor, si quam antiquissimi sacerdotes illi viduitatem quibusdam rerum imaginibus occultabant, nostro tempore per te prodire in lucem & omnibus innotescere contigerit.*

---

## DE COLUMBA.

### PERSEVERANTIS CONTINENTIÆ VIDUA. CAP. I.

QUamvis multa essent apud Ægyptios, & nationes alias Columbæ significata, illud tamen in primis continentissimis illis Sacerdotidus admiratione dignum habebatur, quod cum animal alioqui procacissimæ salacitatis esset, lasciviæque notam apud omnes fere gentes contraxisset, incomparabile tamen exemplum continentiæ, summamque pudicitiam in ea deprehendebant, quod marito fidem servaret inviolatam. Quare mulierem quæ vidua perstaret, significare illi cum instituissent, Columbam nigram pingere commenti sunt. Pudicitia siquidem, Columbis prima, & neutri nota adulteria: conjugii fidem non violant, communemque servant domum, quam nisi cœlebs aut vidua non relinquit, & quandiu marito priori viduata est, alii non copulatur. Si vero jussa sit à domino transiere ad secundas nuptias, fidem eandem servat secundo, qua se priori obstrinxerat, ut Propertius;

*Nigra Columba.*

*Exemplo junctæ tibi sint in amore Columbæ,*
*Masculus, & totum fœmina conjugium.*

Idcirco Tertullianus in sua Monogamia hanc in exemplum trahit, nos ad simplicitatem ejus provocatos ea de causa differens: quod ea avis non innocua tantum sit, verum etiam pudica, quam unam unus masculus novit. Nigram autem illam Ægyptii faciebant, id scilicet indicantes, quod ad secundas nuptias non transisset, sed atrata viri prioris desiderium præ se ferret: in luctu enim pullo uti colore, multarum gentium mos est, quamvis apud Romanos in Imperatorum funeribus vestibus albis, ut Plutarchus & Herodianus asserunt, utebantur. Venetos autem Padanosque omnes atratis uti vestibus, quod Phaëthontis casum adhuc lugent, fabulosus idem Plutarchus ait: sive, quia niger color firmitatis & perseverantiæ signum. Colores enim alii ex uno in alium transeunt; obscuriorisq; corporis admistione densiores fiunt: sed ubi ad nigrorem perventum est, ibi consistitur. Ajunt vero nonnulli, non omnium hanc Columbarum naturam esse, ut pudicitiam ita custodiant suam, at earum tantum, quas Græci Φάσσας vocant, pullis gallinaceis haud multo minores, quas ferunt trigesimum sæpius & quadragesimum etiam vitæ annum excedere. Cœlibatum vero quem alterutro eorum extincto conjux alter fideliter servat, & Corvis & Cornicibus & Graculis communem esse perhibent. Columbarum autem oblationem in sacris Theologi ita accipiunt, ut conjugii tam firmi ratione habita, nos quoque mentem stabili firmitate perseveraturam Deo, uti vero conjugi sociemus.

*Pullus color in luctu.*

*Corvi, cornices, graculi cœlibes.*

COR-

## CORRECTIO. Cap. II.

A SEd & ille Columbarum pullos, aut par Turturum obtulisse dicitur apud Adamantium, qui aliquem absterruerit à vitiis & sceleribus, hortandoq́ue monendoq́; ad animæ simplictiatem traduxerit. Tangit hoc etiam Cyprianus, qui emissam ab Noe Columbam lapsorum imaginem præ se ferre commentatur, Sed his jam aliquantulum insistamus, cum nequaquã Divinæ literæ sint ab hoc argumento dissimiles in quibus Columbam multipliciter figurare comperimus, ac perinde significata etiam variari. Sed hic series exigit, ut prius de fusca loquamur de aurea atque argentea suo mox loco dicturi. Nam quæ ad Noam Oleæ virentis ramum ore gestat, fusca ponitur à Prophetis, esseq́; indicium perhibetur mentis, quæ à perperam factis jam abstineat, seq́; quieti dedat, hoc est, tranquillitati, quæ non nisi inde purgato à vitiis animo locũ habet. Sub vesperam hæc revertitur, deficiente quippe luce, quod tantumdem est, ac si momentaneæ, aut brevi temporis curriculo duraturæ felicitatis diceremus. Sub vesperam, inquam, advolat, ne occupetur à nocte quippe ne intercipiatur à morte, priusquam infectum eluerit scelus, atq; ita perpetui carceris supplicio afficiatur. Promissam enim esse ve-
B niam ei, qui paratus sit, in posterum bene, pie, & honeste vivere, & à quibus emerserit vitiis & voraginibus abhorrere, alio loco indicat uropygium auri fulgore illitum: de quo tamen apertius disputatur inferius. De Olea quoque, quæ sit misericordiæ signum, suo loco dictum.

*Columba Noæ qualis.*

## ILLECEBRÆ AMATORIÆ. Cap. III

QUod vero sacerdotes Ægyptii per volucris hujus simulacrum illecebras amatorias significarent, duabus utriusq́; sexus Columbis sese invicem exosculantibus adpictis: ea de causa factum, quod illæ non prius ad Veneris copulam, quam ad osculationem deveniunt. Hinc legas apud Senecam Mæcenatis dictum illud, *Columbatim labris inserens labra.* Extant & Gallieni Imp. carmina satis luculenta, quibus lasciviam hujusmodi per amatorium etiam murmur ab eis exprimi declarat eo in epithalamio quod ipse lusit, cum fratrum suorum filios jungeret:

*Ite, ait, ô pueri pariter sudate medullis*
*Omnibus inter vos, non murmura vestra Columbæ,*
*Brachia non Hederæ, non vincant oscula Conchæ.*

C Ea autem de causa, quod osculorum blanditias Columbæ norunt, dedicatas eas Veneri Græcorum pleriq; tradidere. Cæterum Athenæus ob id factum putat, quod in Cypro Columbæ primum repertæ, indeq́; ad gentes alias transmissæ. Veneri enim sacram esse Cyprum omnes norunt, Propter vero salacitatem eam, quæ notissima est in Columbis, Albertus non inepte nomen iis inditum ideo putat, quod lumbos colant: in Venerem quippe se ultro incitent, ingenita nequitiæ stimulatæ, cujus sedem in lumbis esse alibi disseruimus. Apollodorus quoq; de iis, quæ de iis conscripsit, Columbam Veneri sacram lasciviæ ergo dicit, nomenq́; illi Græce περιστερὰν; παρὰ τὸ περιστῶς ἐρᾶν, quod supra modum amori det operam, arbitratur. Sane Siculi olim persuasum habuere, Venerem ab Ericis monte digressam, per dies novem stato singulis annis tempore secessum colere, interimque nullas toto eo tractu Columbas apparere: abire enim illas Deæ suæ comites, nonã vero post diem adventare unam reditus pronunciam, quæ Veneris templum ingrediebatur, reliquas mox uno turmatim agmine reverti, atque hinc gaudio exultantes Venerem adesse profitebantur, diemque eum hilarem, cantibus & jocis festivum atque jucundum celebrabant.

*Cur Veneri dicatæ Columbæ.*

*Cujus currus ab his trahebatur ex Ovid. lib. 23. Metam.*

D

## CHARITAS. Cap. IV.

SAne quod mutuis sese osculis Columbæ suavientur, ansam dedit, ut charitatem, amoris quippe pii virtutem hieroglyphice per Columbã nonnulli interpretentur. Et Apostolum citat Origenes, qui de charitate locutus, Columbã protulerit. Eruditissimus etiam Cyprianus tam vitæ sanctitate quam facundia clarus, in iis, quæ adversus Novatianum pro unitate concordiaq́; piorum omnium scripsit: *Idcirco, ait, & in Columba venit Spiritus sanctus simplex animal, & lætum, non felle amarum, non morsibus sævũ, non unguiũ laceratione violentũ, cujus ingenium est hospitia humana diligere, unius domus consortiũ nosse, cum generant simul filios educare* (ita enim legendũ est, non edere) *cum commeant volatibus invicem cohærere, cõmuni conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiã pacis agnoscere, circa omnia*

demum humanitatis omnem implere legem. Noti sunt humaniſſimi Gallorum omnium mores, qui paſſim oſcula tanto ſtudio colunt, ut honori ſibi ducant, quod adveniens hoſpes uxorem, ſorores, filias etiamnum virgines oſculo adhibito ſalutaverit, & in amplexum acceperit, & in gremium ſibi aſſidere juſſerit. Nam & apud Romanos olim licebat obvias quaſq; mulieres excipere oſculo, quod ideo Cato inſtitutum tradit, ut explorarent an mulieres temetum olerent: capitale enim erat Romanis fœminis guſtare vinum, ideoque ferunt fœminam quæ ſub Romulo vinum biberat, à marito impune occiſam. Apud Lacedæmonios oſcula non conceſſa modo, ſed etiam inſtituti Ludi, propoſitaque præmia iis, qui ſeniores lepidius ſuaviarent. Niſæorum id inventum, & à Megarenſibus etiam in honorem Dioclis obſervatum. Nam & illæ Romanorum exoſculationes, ut fœmineo generi honos haberetur, ſancitæ ſunt, ut apud Plutarchum legitur, nempe quod Aboriginibus in Tyberim inveſtis Roma quædam nomine inter mulieres quas ſecum adduxerant nobilis, author fuit, ut claſſis abſmeretur incendio, unde coacti ſint ibi ſedem figere: quod cum illis feliciter ſucceſſit ejus generis præmia mulieribus detulerunt, quæ auſpiciſſimi facti memoriam prorogarent. Ad hæc Nomadum aſperrima ruſticitas inceſſitur, quorum tanta fuit ſeveritas, ut ne filios quidem ſuos oſcularentur. In Divinis noſtræ pietatis monumentis ipſum Aſſertorem noſtrum legimus charitatem, ut ita dicam, frigidam in Simone hoſpite, quod oſculo non fuerit ab eo exceptus, exprobraſſe. Et ſacris Pontificiis Romæ ritu ſolenni per mutuas exoſculationes pacis augurium celebratur:

*Gallorum mores humaniſſimi. Plin. lib. 7. & Valer. Max. de inſtit. antiquis lib 2.*

*Lib de claris mulieribus.*

*Ipſe etenim caſta dum operatur mente ſacerdos,*
*Oſcula dat, quæ dent ille vel ille alii.*

## AER. Cap. V.

CRedidere nonnulli Columbam ab Aſſyriis coli in Semiramidis gratiam, ſed authores Græciæ Rheæ potius memoriam: utpote qui aſſerant, aerem & aquam potiores eſſe partes, in quibus oſtentet ſe natura rerum, pariq; ratione abſtinere eos à piſcibus. Cum vero volatile unumquodq; animal ſit aeris indicium. Columbam præcipue nuncupatione hac, hieroglyphicove veteres honeſtaverunt, quod domeſticis alitibus nulla neq; longius domo, neque diutius abvolet, tecti tamen lariſque memor ſumma fide revertatur, & manſuetiſſima nobiſcum conſuetudine diverſetur. Objicient Hirundinem alii, quæ trans mare etiam migret, ad ſibi domeſticam tamen ſedem redeat: ſed illæ nunquam cicurantur, neque ulla nobiſcū conſuetudine ſociantur: ſive ea potius fuerit hujus honoris cauſa, quod illi tanta ſit cum aere familiaritas, ut ibi tutius quam humi verſari videatur, tantaque ſit ejus volatus facilitas, ut Maro dicat,

*Æneï. lib 5.*

*Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas:*

perniciſſimus enim eſt ejus volatus. Unde Heſychius Columbam neque non Turturem hieroglyphica ponit hominis, qui mente ſublimia quæque facillime penetret, & contemplationi ſit egregiè deditus. Merito itaque Syri, qui aerem uſque adeo colunt, tanta religione Columbæ pepercere, quod ita tangit Tibullus:

*Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes*
*Alba Paleſtino ſancta Columba Syro?*

In numo ſane Cybiratico Columba cuſa hanc loci religionem mihi videtur indicare. De urbe hac Horatius: *Ne Cybiratica, ne Bithina negotia perdas.*

*Numus Cybiraticus. Epiſt. 6. l. 1.*

In Cilicia ea eſt, quamvis & alia ſit minoris Phrygiæ. In numo autem inſcriptio eſt ΚΥΒΙΡΑ: Signum, *Columba volans.* Fuit & puella Phthia nomine, quam Jupiter fertur adamaſſe ejusque formam in Columbæ ſpeciem commutaſſe: traditum ab Æliano. Sed hoc nihil facit ad Ægyptiaca. Quod vero de Semirami dicebamus, addemus & illud ab ea derivatum, ut Perſæ matrum filiarumque ſuarum conjugia non abhorreant, utpote quæ filium ad ſtupri uſq; conſuetudinem adamaſſe fertur.

## IMPIUS INGRATUSQUE. Cap. VI.

QUin hæc inuſta eſt Columbarum generi nota, quod eorum mas jam validior factus, patrem noſtro impetit, & à matris conſortio tentat abigere, ejusq; conjugii locum occupare. Quapropter Ægyptii ſacerdotes impium ingratumq; hominem, ac, in eos qui de ſe bene meriti fuerint, perdifficellem, ſignificare ſi vellent, *Columbam*, inquit Horus, *aut pullum ejus, qui matrem ſolicitaret, ſaum conſuerunt.*

CASTI-

## CASTITAS. Cap. VII.

A SEd esto lascivum animal columbinum genus, contra Palumbes parcissimi coitus sunt: ideoque quod parcant lumbis, Albertus existimat appellatos. Nam & qui frequentiori usu eos in cibum sumptitare consuerint, in Venerem hebetiores redduntur: quare non inscite illud de alitibus hujusmodi dictum: *Palumbes unde dicti.*

*Martialis in Apophoretis.*

*Inguina Torquati tardant hebetantq; palumbes:*
*Non edant hanc volucrem qui cupit esse salax.*

## SEMIRAMIA PROCACITAS. Cap. VIII.

QUoniam vero, ut dictum fama est Semiramin sub effigie Columbæ ab Assyriis coli, Gnidius scribit eam à Columbis enutritam, & in Columbam inde conversam, qua specie colebatur apud Assyrios: id quod de petulca ejus improbitate intelligendum est: tametsi quos Diodorus citat, eam & modestam, & nota admodum integritate præditam fuisse prædicant, neque eam ignobiliter
B natam interficiantur: utpote quæ circa stagnum quoddam in parte Syriæ, in crepidinem aquis prominentem projecta, aliquandiu fuerit ab aquatilibus volucribus, quæ apricatum eo se recipiebant, miro propemodum studio educata: quippe non solum alimenta congererent jacenti, sed perinde eam fovendo, ac implumes pullos ab omni aeris injuria protegerent, quoad pastores creberrimo volucrum concursu, insolitaq; trepidatione moti, ex proximis insulis eo convenientes jacentem extulerunt, alitemq; apud se diligenter Menoni, Regis Nini familiari, in uxorem concessere. Sed enim de famosa ejus fœminæ procacitate, Scaurobates Indorum Rex apud Historicos ita in eam invehitur, ut pastorale scortum, ut Assyrii regis concubinam fuisse proclamet, ut nullum egerit diem in castris sine adulterio, rarocq; ullus ad eam adulter bis admissus fuerit. Satis vero constat tam immoderatæ libidinis fuisse, ut Equum abominabili probro turpitudineq; adamaverit, authore Juba. Eam sane ob libidinis fervorem Euphorio ἡδέλω, hoc est, Ardentem appellavit, epitheto admodum proprio, perinde ac Callimachus Venerem eo versu ἡδερῆς κύπρειδος ἀερσιλόω, id est, *ardentem Cypridii harmoniam.* Hanc Hieremias quoque Columbæ notavit elogio, cum Babylonios Hebræorum
C excidio venturos vaticinaretur: *Fugite*, inquiens, *ab occursu gladii, quem Columba vibrabit:* per Columbam Babylonis conditricem, & ejus populi authorem innuens. Quod autem vates hic fatidicus eam gladio insignem inducit, de feroci & impigro ejus ingenio multa rerum scriptores tradidere, sed illud præcipue facinus memorandum, quod Nino Bactrianos obsidente, Menon hanc, uxorem quippe suam, accersivit, quæ ubi primum in castra venit, Mulier acri ingenio, Bactrianæ acris situm contemplata, confestim viro rationem ostendit loci modico negotio occupandi. Erat arx ab una parte præceps, atque in profundam vallem insigniter abrupta, quam hostes velut inaccessam, nullo præsidio custodiebant. Huc audax mulier cum paucis, quos sibi ad id facinus delegerat, per loca ab Hostium oculis maxime aversa, atque eadem aspera & confragosa, præter spem omnium obrepsit: inde cum sese veluti cœlo delapsa hostibus (quorum oculos Assyrius, dum negotium conficeretur, subita oppugnatione ab omni sensu eorum, quæ fierent longe averterat) ex improviso obtusisset, Bactriani omni spe retinendæ ulterius urbis abjecta, alii alio præcipiti fuga dilapsi, urbem in regis arbitrio reliquere.

*Semiramidis nefanda libido.*

*Cap. 48. 28 Semiramis facinus memorandum.*

## REGIUM AUSPICIUM. Cap. X.

D ANumerantur vero Columbæ inter eas alites, quæ Regibus auspicia faciant. Hinc Maroniano Æneæ, Columbæ geminæ à matre in auspicium missæ. Et Cæsari originem inde trahenti prospero fuerunt ostento, cum palmam eam nidis frequentare cæpissent, quam ipse castris locum capiens, inter sylvas quas cædebat repertam, conservari, ut omen victoriæ jussérat: ea enim de causa mirum & inusitatum videbatur, quod id avium genus duram & asperam frondem studiose soleat evitare. Et eadem die qua natus est Diadumenus Marcini filius, Aquila ei palumbum regium parvulum attulit, & in cunis posuit dormienti, recessitq; sine noxa: quod dubio procul eum ab ineunte ætate Imperatorem futurum indicavit. Quinetiam aruspices dixerunt, Alexandrum Severum futurum Imperatorem, consulti quid haberet auspicii, quod anicula quædam, quo die natus est, matri

*Columbarum ostenta varia.*

tri ejus hujus generis aves obtulerit. Apud Hebræos legas, prædivitum ac potentiorum hominum morem fuisse, Columbarum alas gypso illitas in summæ felicitatis signum summis tectis effigere, Hoc Euthymius.

## A SE MINIME IRACUNDUS. Cap. X.

Quod vero debilis defectu in Columba paulo ante dicebamus, Ægyptii sacerdotes hominem natura ipsa nequaquam iracundum, qui tamen aliorum perversitate commoveri posset, ostendere cum volebant, Columbam pingebant uropygio surrecto: propterea quod eam, uti dictum, vel non habere bilē, vel si habeat, in uropygio esse traduntautores veteres. Unde Græci cum mansuetudinem exprimere vellent, ἡμένη πελειάς, hoc est, *quieta Columba*, dicere consueverant, & πραότερος περιστερᾶς, eodem significato. Quæ cum porro sit gregalium omnium mansuetissima, judicata est à Mose purissima, ut inquit Philo, veluti ex solitariis sola Turtur delecta, quæ in eo avium genere, tali omnes antecellit ingenio. Neque temere Davides advolandi desiderio succensus, ut sese periculis eximeret, pennas sibi dari cupit, ut instar Columbæ volare possit. Psalm. 55. Columbam ponit, non Aquilam, non Accipitrem, longe fortiores, impetuosioresque alites, nempe quia eadem est prædita mansuetudine, tractabilitateque & simplicitate, qua Rex ipse insigniter pollebat. Puritatis hujus meminere etiam authores Græci, quin & osculorum, propter quæ sit Veneri dedicata, & quod ea de causa Diis adoleretur, quod fel in interioribus haudquaquam habeat.

## TREPIDATIO. Cap. XI.

*Πέλειαι τρήρωνες columbæ timidæ. Hom. Odyss. μ. vers. 63. Timidamve columbam, Marullus. Trepidus urgere columbas. Ovid. 5. Metam. Odyss. μ. Æneid. l. 2. Carnis Columbinæ victus.*

Illud autem vulgatissimum est hieroglyphicum, Columbam pro trepidatione ponere: nam & nomen illi apud Græcos τρήρων hoc idem significat, à τρέω enim deducitur, quod trepidare est. Et Poetæ tam Græci quam Latini passim in pavidis hanc usurpant comparationem, ut Homerus,

αἰ δὲ βάδον τρήρωσι πελείασιν ἴθμαθ' ὅμοιαι.

*Hæ pavidis gressu similes abiere columbis.*

Quam similitudinem Maro ita transtulit,

*Præcipites atra ceu tempestate columbæ.*

Etymologici enim τρήρων paronymon, non epithethon Columbæ ponunt.

## SALUBRITAS. Cap. XII

Cæterum, quamvis aliqua det impietatis exempla, nihilo secius inter animalia maxime pura recensetur: propterea quod persuasum est eam carere bile, ut dictum, morbosaque & pestilenti quantumlibet tempestate sæviente, qui non alia quam earum carne vescatur, contagio ejusmodi non contaminari. Quare si pestis unquam debacchari cœpisset, nihil aliud in obsonium Regibus comparabatur, quam ex Columba: quamvis Diodorus Vitulum alioqui & Anserem simplicem tantum, eorum Regum cibum fuisse contendit. Sane Florentinus lib. de Re rustica: pullos columbarum necessarios esse dicit iis, qui vires à morbo recolligunt.

## MEDICINA PETITA A DIIS. Cap. XIII.

*Columbæ herba quæ vocatur Helsine purgatur. Plin. lib. 8. c. 27. Plin. ibid. Proverbium Græcorum, Δαφνίνῳ φορῷ βακτηρίαν. Auctor Suidas.*

Cum vero aliquem, medicina ab aliquo Deorum præmonstrata, à morbo convaluisse ostendere voluissent, Columbam, vel, ut scribunt alii, Palumbem (nam hæc etiam in auguriis aliquando confunduntur) lauri ramusculum rostro gestantem exprimebant. Ales enim ea quotiens ægrotare cæperit, lauri folio decerpto sibi ipsa medetur. Neq; vero palumbes tantum, sed & Graculæ, Merulæq; & Perdices lauri folio annuum fastidium purgant. Corvus quoque occiso Chamelæonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit. Unde dicterium frequentissimum est apud Græcos, *Scipionem laureum gestare*, de iis, qui in aliquas insidias lapsi vitæ periculum feliciter evaserint. Medicinam autem multifariam ab oraculis petere antiquorum mos fuit, & suis quoq; temporibus petitam memorat Plinius. Illi enim quotiens graviori aliquo morbo correpti essent, soliti erant in triviis aut sacris locis deponi operientes vel oracula, vel somnia, quibus quid ad sanitatem faceret, edocerentur. Præterea non contemnenda fuit veterum opinio, quam Herus sequitur, morbos ad Deorum immortalium iram referre meritoq; ab eisdem opem poscere necessarium esse. Philon Medicus

Pharma-

A Pharmaca quædam summæ efficaciæ, quæ ipsemet concinnare solitus erat, θεῶν χείρας appellabat, quod non aliter ad salubritatē conferrent, quam si Dii ipsi manus suas ad curationem apposuissent. Et Astrologi quosdam homines à genesi eo fato nasci prædicant, ut votorum potius ope, quam medicinis, ab ægritudinibus & moribus liberentur. Notum est Alexandri Macedonis exemplum, cujus milites plerique, & cum Ptolemæus, cui postea Ægypti regnum obtigit, sagittis veneno intinctis ad Sami regnum, vel ut alii scribunt, in Musicanis, cum vulnerati essent, neque remedium ullum ad salutem inveniretur, Draconem in somniis, qui herbam quandam ore gestaret, oblatum regi, qui remedium sibi ex illa imagine commonstratum ratus, exquisita inventaq; herba ea vulneribus adhibita, vel, ut nonnulli tradunt, potionibus instillata, cunctos sanaverit. Solitum enim esse Deum Opt. Max. hac etiam ratione mortalium rebus ferre opem, & ut à dæmonibus quoque ferretur permitteret, ut nostra nunc missa faciamus, ex multis veterum memoriis & Poetarum testimoniis confirmatur. Nam quod pertinet ad Æsculapium, quem ægritudinum causa consulebant, in agro Bellunensi Læbactiorum vico memoriæ est hujusmodi.

*Deorum munus.*

*Exemplum memorandum.*

B

ASCLEPIO. P. XELIUS POLIO MONITUS POSUIT.

Et Pannoniam è Norico à Bellunensi territorio proficiscentibus. Albæ Juliæ monumentum offertur in hunc modum:

I. O. M. STAT C. VALERIUS VALERIANUS EX VISU P.

Multaque hujusmodi passim reperiuntur. Quod vero traditum est à Poetis, Homerus qui somnium ab Jove esse ait, Agamemnonem excitari facit ad præliandum, somnum ab Jove misso: Nausicaam à Pallade, ut in agrum progrediatur, quo suspiceret Ulyssem, & multa passim eodem modo Virgilius quoque hanc ipsam rem latissime & hic & illic prosecutus, nusquam tamen plenius, quam ubi de Latino loquitur.

*Iliad. β. in princip. Æneid. lib. 7.*

C *At rex sollicitus monstris, oracula Fauni*
*Fatidici genitoris adit, lucosq; sub alta*
*Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro*
*Fonte sonat, sævamq; exhalat opaca Mephitim.*
*Hinc Italæ gentes, omniq; Oenotria tellus*
*In dubiis responsa petunt, huc dona sacerdos*
*Contulit, & Cæsarum ovium sub nocte silenti*
*Pellibus incubuit stratis somnosq; petivit.*
*Multa modis simulacra videt volitantia miris,*
*Et varias audit voces, fruiturq; Deorum*
*Colloquio, atq; imis Acheronta affatur Averni.*
*Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus,*
*Centum lanigeras mactabat rite bidentes,*
*Atque harum effultus tergo, stratisq; jacebat*
*Velleribus, subita ex alto vox reddita luco est.*

*Ut qui ex aquis sulphureis nascitur.*

## ANIMORUM FUTURA FELICITAS. CAP. XIV.

SEd quoniam incidimus in oracula, nusquam ego plura notis hieroglyphicis similia comperio, quam in Divinis nostrorum literis, ita omnia sensu mystico conscripta quæcumque Moses, quæ David, quæ Prophetæ reliqui divino afflati spiritu protulere. Talis est argentea Columba illa, cui
D aurum in dorso, posteriorem partem versus inductum. Significat quidem hoc, ut Theologi nostri interpretantur, instare à tergo aurum perpetuæ felicitatis. Nam quam quis quietem in humanis assequatur, quæ præ manibus sit, & ante oculos sita, eam per argentum, quo anteriores Columbæ istius partes bracteatæ sunt, accipiunt. Longe autem pretiosiorem illam, quæ subsecuta est post obitum, per aurum à tergo illitum, intelligunt: si modo, uti superius monuimus, ante noctis tempus ad arcam cum oleæ surculo revertamur. Nam & apud aruspices profanos, feliciora tempora subsecutura indicatum est, ex aureo gibbo, quem sibi accessisse in tergus Domitianus Imp. paulo ante quam interficeretur, per nocturnam imaginem visus erat se videre. Eucherius Columbam illam argento illitam, cujus posteriora in specie splendentis auri radiabant, significasse ait, prima quæque in Divinis literis argento fulgere, occultiorem vero sensum longè pretiosiorem, veluti aurum rutilare,

*Oracula Divina.*

*Suet. in Domitiano c. 15.*

lare, longaque admodum disceptatione recte procuratum ostendit, ut illa sermonum, qui de Divinis haberentur, castitas intemeranda à promiscuis cunctorum oculis, in abdito sepositа, suo quasi quodā velamine pudicitiæ cōtegeretur, cœlestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto ipsa suo divinitus operiebatur. Nam quid aliud sibi vult: *Aperiam in parabolis os meum, & in anigmate antiqua loquar*: quā hieroglyphice sermonem faciam, & allegorice vetusta rerum proferam monumenta? Et illud: *Ie. sus in parabolis loquebatur ad turbas*, nisi sermones suos mystico sensu convelabat? Ita Prophetæ, ita Apostoli ab usitato loquendi more recesserunt, facilia in proptu habentes, magna in recessu continentes. Quod ea de causa congruum fuit, ut sacra de Deo dicta à cæteris scriptis, sicut merito, ita & specie discernerentur, ne illa cœlestium arcanorum dignitas passim & indiscrete patesceret, sanctumq; canibus, & margarita porcis exponerentur. Ita consecrata vasa templi involuta promiscuus populus ferret, nec tamen conspicerentur. Addam & illud, quod ab eodem Eucherio traditum in iis, quæ de formula spiritualis intelligentiæ scripsit: *Posteriora in divinis incarnationem* (admisere enim vocab. Theologi) *filii Dei, quæ subsecutura esset indicare*: eoque spectare, quæ per Angelū Moysi dicta sunt: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*: quia scilicet. *Patrem novit nemo nisi filius, & cui voluerit filius revelare.* Atquæ hæc quidem de Columbæ hieroglyphicis Theologi veteres tradidere: & argenteam eam, purissimo scilicet candore spectabilem fuisse dicunt, quæ supra caput astiterit Assertori nostro, dum sanctissimæ illi aspergini in Jordano tinctus initiaretur. Columbæ autem oculos habere: ut Canticorum cantico, ea intelligitur anima, ut tradit Adamantius, quæ divinas literas non in superficie primoribusque, ut ajunt, labris, sed intimum usque sensum exquirit. Duabus hæc dum sedet, alis tegitur: iisdem nixa fertur in sublime. Volamus, cum philosophica quadam morte separati à corpore, rapimur ad divina: sedemus, cum in amicorum conventu atque consortio, de sobrietate, de temperantia, de modestia sermones varios commiscemus cujusmodi illi sunt, qui nos quotidie monent, ut cum Columba pro cantu gemitum edamus: cum scilicet, quæ perperam à nobis facta sunt expendimus: id procuremus, ut veluti Columba felle careamus, hoc est, iracundiæ amaritudinem à nobis amoveamus: ut Columba osculis inhiemus, quippe pacem ipsam undecumque perquiramus: ut Columbæ gregatim volitemus, piorum scilicet conventus candida simplicitate præditos frequentemus: ut Columba ex rapto vivere abhorreamus, nempe nulli esse injurii, nulli detrahere, neminem offendere caveamus: ut Columba, cum cibum sumimus, meliora grana secernamus, dicta quidem præceptaque ad institutionem & bonos mores facientia, à turpibus seligentes, ea gustare properemus: ut Columba cadaveribus vesci abominemur, affectus scilicet, qui corpori sunt insiti, qui sensibus adblandiuntur, aversemur: ut Columba in petræ foraminibus nidulemus. Petrum, Christum divinæ lectionis Magistri interpretantur, in cujus vulneribus & plagis nidum nostrum imponere debeamus: ut Columba juxta rivos & fluenta residеamus, ut umbra Accipitris inspecta, si forte impetum in nos fecerit, possimus eum commodius & expeditius declinare. Fluenta, rixos, aquam cœlitus stillantem pro disciplina poni, alibi dictum: hinc igitur lectionibus incumbendum admonemur, ut à mali dæmonis fraudibus ita nos facilius subducamus. Ut Columba geminos pullos enutriamus. Columbam amorem superius significare dictum. Geminos igitur amores educemus: unum, quo Deum pie colamus: alterum, quo mortales alios ardenti quadam charitate prosequamur, quæ quidem si præstiterimus, nihil nobis ad bene beateque vivendum est in posterum defuturum.

*Psal. 77. 2.*
*Matth. 13.*
*Exo. 33. Joan. 5.*
*Quomodo sit homo Columba similis. Cantic. 6. & 4.*

## DE TURTURE Cap. XV.

*Mira Turturis viduitatis constantia & congugii*

PArum Ægytiis cognita Turtur fuit, nisi plura super ea tradiderunt, quam legatur apud Horum. Sedenim, minime verisimile est, sacerdotes eos in universa rerum natura toto vitæ tempore versatos, non longe plura ac pene innumera intellexisse, quam ea paucissima, quæ, ut Plautus diceret, *frustillatim hic & illic conspicitur.* Sed quoniam doctrina hæc prorsus extincta est, satis nobis fuerit, si quando corpus ipsum ab inferis revocare non possumus, aliquam tamen rei umbram ob oculos exhibere, sive ab Ægyptiis, sive ab Hebræis, sive ab Græcis aut Latinis ea tradita reperiantur.

CONI-

## CONTINENTISSIMA VIDUITAS. Cap. XVI.

A PLerique igitur continentiſſimam viduitatem exprimere cum volunt, Turturem in aliquo ramo inſidentem pingunt: ea enim conjuge vita functo, ita ſe ab aliarum volucrum conſortio ſeparat, tantique mœroris exempla exhibet, ut numquam inde ſocietatem inire cum alio quopiam patiatur, ſed quod reliquum eſt vitæ, absq; conjuge in perpetuo cœlibatu degat, ſola volet, neque in frondeſcenti ramo umquam inſideat, eaq; omnia faciat, quæ ad luctum ſpectare, & ad viduitatis ac ſolitudinis mœrorem exprimendum aptiſſima vel in homine videantur. Ejusdem eſt etiam mas continentiæ, qui nulli amplius fœminæ copulatur, ſed in eodem comparis deſiderio perſeverat. Quinetiam dum vivi ſunt, mas nullam aliam adit, quam eam unam, qua cum ſemel conjunctus fuerit, & idemtidem fœminâ ſuum ipſa marem unum tantum agnoſcit. Quod quidem ex eo majorem affert admirationem, quod nullus adhuc hominum, neque quidem ipſe Paulus, auſus eſt legem viduitatis præſcribere: & tamen una inveniatur avicula, quæ nos ſponte in continentiæ moribus antecellat. *Audiant*, inquit Baſilius, *mulieres ipſæ, ut animalia rationis expertia viduitatis honeſtatem indecoro itera-*
B *ti connubii anteponant, ſi hæc avicula, recordatione conſortis, conjugium alterius abnuit, ſua contenta ſolitudine.*

## PUDICITIA. Cap. XVII.

APud Hebræos ipſos omnino reperias Turturum par pudicitiam ſignificare: ſiquidem, ut apud eundem Baſilium habetur, in Circumciſione par Turturum, aut duos pullos columbarum offerre mos erat, quod judicium eſſet pudicitiæ, ac vitæ continentis exemplum. Origenes porro, ſive ea Cyrilli fuerint, quæ in eandem prorſus ſententiam plerisq; locis & huic & illi inſcripta reperiuntur, tunc offerre nos Deo muneri par Turturum inquit, cum mentem noſtram Dei verbo velut vero conjugi ſociaverimus, ſicut hoc genus avium unum atque illud idem caſtum ſervare conjugium dicitur. Addit alibi, Apoſtolos, cum de caſtitate ſermonem habent, eam per Turturem quam memoraverint, intelligi. Divinæ ſiquidem literæ per Turturem unamquamque animam caſtitate præditam intelligunt, de qua Pſalm. 83. dictum volunt: *Inveniſſe eam nidum, ubi poneret pullos ſuos*, hoc eſt, Eccleſiam piorum ſcilicet cœtum, ubi virtutum genus omne appareret. Turturis enim pulli
C pro virtutibus accipiuntur. Alibi diximus, pudicitiam à Romanis velata facie pingi ſculpique ſolitam: & apud alios Teſtitudini æquiparatam, quod pudicarum eſt ſeſe domi continere, & frequentia loca omnia declinare. Atqui Turtur in ſecretioribus & remotis à multitudine locis vitam tranſigit, aut deſerta montium diligens, aut ſecreta ſylvarum à frequentiore avium aliarum cœtu ſequeſtrata.

*Par Turturum quid.*

*Verſ. 4.*

## PROVIDENTIA. Cap. XVIII.

OBlatio vero Turturis & Columbæ in ſacris literis ſignificat, ut Heſychius exponit hominem contemplationi deditũ, qui munus offerat ſuum in ſcientia & manſuetudine ſpirituali: hic enim opus eſt prudentia, ut non excedat legis conſideratio circa res vanas occupata. Turturem, quidem ponit, quia cognitionem atq; prudentiam habet rerum, quas ſibi neceſſarias fore viderit, ita ut ejus exemplo exprobraretur populus Judæorum, Hieremia dicente: *Turtur, & Hirundo, & Ciconia cuſto-* *Hier. 8.*
*dierunt tempus adventus ſui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Columba autem munda & ſimplex, præſentiæ ſancti Spiritus eſt index, quales eſſe oportet eos, qui divinarum literarum
D contemplationi ſeſe dedicarunt: quam quidem ſimplicitatem Jeſus, Aſſertor noſter Apoſtolis ita commendavit, ut eos ſimplices eſſe debere ſicut Columbas idemtidem admoneret, & beatos mundo corde plurimum affirmaret. Ideoque Ezechias cum neque altum ſapere vellet, neque majora ſe quærere paratus eſſet, *Meditabor*, inquit, *ut Columba.* *Eſa. 38.*

## SALTATIO. Cap. XIX.

APud Philippum illum, qui ſacerdotum Ægyptiorum lemmata quædam Græce ſcripta poſteritati tradidit, ſaltatorem hominem & tibiis deditum, per Turturem ſignificari comperio, neque quicquam aliud: nam omnine tibiis mirum in modum affici compertum eſt, quarum etiam audita modulatione, dare eam motus incompoſitos, & ſaltationem imitari dicunt: quinetiam eo cantu in inſidias allici, atque capi. Ad hujusmodi ſaltationem addemus, quod Theocritus Idyllio cui

*Hinc illud Zenodoti, ex Plotio Menandri, Τρυγόνος λαλίστερες: Turture loquacior. Et Ælianus li. 12. c. 10. Cant. c. 2.*

Συρακουσίαι titulus est, loquaciores quasdam fœminas Turtures vocat: illæ enim non ore tantum garrulitatem ostentant, verum etiam caudæ motu, qua propemodum obstrepere videntur.

## INTELLECTUS ÆTHEREUS. Cap. XX.

AT in divinis literis Turtur intelligentiam, quæ à divino Spiritu est, significat, ait Eucherius, eo Cantici Canticorum loco: *Vox Turturis audita est in terra nostra*: neque inficiatur idem de Columba dici. Sed Spiritum sanctum ex Columba tunc intelligi vult, quando, quæ de sacris literis disputatio commentarioq; profertur, ea manifesta est & adaperta: tunc vero ex Turture, cum res altis obscurisq; mysteriis agitatur.

---

## DE HIRUNDINE. Cap. XXI.

ET quoniam Hirundo, quam Hieremias dicit Turturi comitem itineris additam, in manus incidit, eaque non minus garrula quam Turtur notetur à Theocrito, naturæ puritatem quandam secuti, significata ejus superioribus duobus priusquam advolet, excipiemus, quæ sunt hujusmodi.

## ÆQUALITAS. Cap. XXII.

*Eadem Pli. lib. 10. c. 33. Æqualitate in epulis. Quia forsan adultiores pullos circumagi docent, & foris saturitatem emittere, & ælia, quæ Plin. li. 10. c. 33.*

ÆGyptii per Hirundinem in primis, quæ filiis suis cibum subministraret, hominem intelligebant, qui liberis æquas hæreditatis portiones distribueret; neq; non Principem, qui se civibus æquaret suis, neq; ullo vellet ornatu vel apparatu magis quam reliqui sumptuosiore accipi. Hirundo siquidem mira filios alit æquitate, singulis cibum parem impartiens, ea adhibita diligentia, ne qui semel acceperit, bis accipiat: atq; ita, ut par sit omniũ sportula, procuret. Æqualitatis istiusmodi adeo studiosus fuit Hadrianus Imp. ut in victu familieri Homericum illud observari voluerit, ne quis δαιτὸς εἴσης indigeret: quoq; obsonatoribus nullum relinqueret peccandi locum, sæpe fercula de mensis aliorum, etiam infirmorum apponi sibi jubebat. Nihil enim ad conciliandos sibi populorum animos æque principibus prodest, quam æqualitatis ostentatio. Nam cum potentia suapte natura odiosa sit, per moderationem maxime omnium evadit amabilis.

## INSTITUTIO. Cap. XXIII.

SUnt qui calathum cum pullis Hirundineis in aliquot veterum monumentis observatum, hieroglyphicum institutionis esse contendant, argumentumq; ejusmodi ad Osiridis & Cereris beneficia in mortales collata, referant: quod scilicet, ab iis & vivendi leges, & agri colendi præcepta receperimus, & æquo cum reliquis jure vitam degere didicerimus. Legifera enim Ceres est Poetis, de qua plura alibi. Et apud Diodorum sacris Ægyptiorum literis, Osiris Jupiter, justus, pater, dux & consultor omnium habetur, quæ sive ad institutionem, sive ad æquitatem accommodes, omnia quadrabunt.

## ARCHITECTURA. Cap. XXIV.

*Hirundinũ in nidis construendis industria. Iisdem pene verbis Plin. lib. 10. c. 33. Indidem ex Plinio.*

STudiosum ædificationis hominem, quiq; ampla ædificia, vel etiam oppida condiderit, per Hirundinem, quæ nidum astruat, intelligi nonnulli volunt: ab Hirundinibus enim aggeres fluminibus opponere, muros construere, domos cæmentitias ædificare dedicisse nos, qui de architectura scripserunt authores optimi tradidere. Operæ pretium vero est spectare alitis artem, & ingenium. Cum nidum luto construit, stramento roborat ad lutariæ paleationis normam: ac si quando evenerit ut luti copia non suppeditetur, ipsa se totam aqua madefacit, mox volutat in pulvere omnibus pennis, lutum ita contrahens, ne omnino illi materia desit ad fabricandum. Manifestum autem industriæ hujus argumentum in Heracleotico Ægypti ostio præstant usque adeo tenellæ aviculæ, molem continuatione nidorum ita vaganti Nilo inexpugnabilem opponentes stadii unius spatio, ut id humano opere perfici vix posse credatur: unde mortalium primi, qui casulas ædificare cœperunt, exemplar non tantum ad ædes, verum etiam ad aggeres & munitiones construendas acceperunt.

## PATROCINIUM. Cap. XXV.

HÆreditarium patrimonium ex asse filiis relictum per nidum Hirundinem apud sacerdotes Ægyptios significare tradit Horus, hieroglyphico inde desumpto, quod ab avium nulla nidus

A nidus tanto labore, tanto studio, tam diuturnus, & posteris quoque usui futurus ædificetur: nam si parentes intereant, eam adeunt hæreditatem fili, vel eam artem à parentibus edocti, unde sibi necessaria comparare possint, norunt. Agnoscit hoc Basilius, ubi ait: *Nemo paupertatem deploret suam, neq; is de sua vita desperet, actumque jam esse de ipsa putet, cui nihil est de patrimonio relictum: non enim desunt artes & industria, quibus si nos exercere voluerimus, neque Hirundinibus deteriores esse, vitam commodè agere valeamus.* Hujus vero hieroglyphici argumentum ex eo desumptum, scribit Horus, quod uti superius dictum, Hirundo usque adeo filiorum commmodis studet ut vel peritura, dum aqua perfusa, & pulvere volutata capturæ periculum adit evidentissimum nihilo secius sedem filiis paratura, opus perficere conatur. *In Hexam.*

## IMPLORATIO AUXILII. Cap. XXVI.

INvenias apud Xenophontem (quisquis ille fuerit) eo libello, qui titulo De æquivovis circumfertur, per aves has in nido ore patente pictas, populos auxilium implorantes hieroglyphicè significari: nidus enim patriam, os vero adapertum clamorem, & implorationem ostendit. Hic illud in Ezechiæ Cantico: *Sicut pullus Hirundinis, sic clamabo.* Unde admodũ erudite Plautus Hirundines objicit in somnium Demonæ, quas Simia solicitabat, qui sit filium statim penes lares suos in phano Veneris implorantem, inventurus: illa enim, Hirundinum more, quodammodo transfretaverat, & ad consuetas sibi sedes, domum quidem paternam, delata erat. B *Esaiæ 38.*

## AMICUS INUTILIS, Cap. XXVII.

APud aliquos Hirundinem pro amico poni, tum inutili, tum ingrato & perdifficili, comperias: quippe qui moribus nostris, & familiaris vitæ rationi difficulter assuescat. Hirundo siquidem nostro magis quam ulla alia volucris contubernio freta, diu nobiscum versata, nostra omnium maximè familiaris atque domestica, nullam tamen nobis utilitatem affert, numquam mansuescit cicuratur-ve. Proinde verno, hoc est, tranquillo adventante tempore, nos invisit, & quasi in officio futura C præsto est: hyeme vero, hoc est, turbido cœlo instante, adversaque fortuna ingruente profugit: qua similitudine utitur ad infidam amicitiam notandam, author Rhetoricorum ad Herennium. Eaque de causa Pythagoras eas à tectis ablegavit: id scilicet inuere volens, hujusmodi notæ homines evitandos, ac nullo pacto consuetudinem & amititiam cum illis ineundam esse. Id quod Plutarchus Symposiacῶν octava decade latius explicavit, quæ, ne multa congeramus, brevitatis causa præterimus. *Hirundo non cicuratur.*

## VERNUM TEMPUS. Cap. XXVIII.

ILlud vero nulli non innotuit, Hirundines plures convolantes à mari verni temporis indicium esse, cum vulgatum sit adagium: *Unam tantum Hirundinem ver non facere.* Accidit huc Ciceronianum scomma in C. Verrem, ubi dicit: *Satisne vobis magnam pecuniam Veneriis homo, qui è Chelidonii sinu in provinciam profectus est. Veneris nomine quæsisse videtur?* Alludit, inquit Asconius, ad nomen, quod Hirundo, quam Chelidona Græci vocant, Veris, id est, temporis verni sit amica: illa enim adulto D semper vere præsto est, totamque apud nos ætatem agit. Atque hoc illud est quod Horatius ait: *Cum Zephyris & Hirundine prima.* Et apud Aristophanem, Equitibus, παῖδες ὑχ' ὁρᾷ θ' ὥρα, νέα χελιδών. Apud Athenæum legas Rhodiis præcipuum fuisse morem sub tempus vernum Hirundinem invitare, idque χελιδονίζον dicebant. Apud Aristophanem Hirundo chlænrm vendere, theristrum emere suadet: præteriisse quippe hiemem admonuit, adesse vero æstatem. *Ex Aristotele in Ethicis. Scomma in C. Verrem.*

## GARRULITAS. Cap. XXIX.

CÆterum D. Hieronymus & Cyrillus cum Aristotele consentientes, per præceptum illud Pythagoricum, ὁμορφίας χελιδόνας μὴ ἔχειν, abstinendum à commercio garrulorum & susurronum intelligunt, quam quidem sententiam corroborat Alexandri historia, quem cum quiescentem Hirũ-

do quædam magno garritu supra Regis caput importune volitans interturbaret', Aristander Thelmiseus pro domesticis accipiendum, qui Alexandro insidias pararent, interpretatus est, quas tamen facilè deprehenderet, idque garritum indicare, quod eventus postmodum comprobavit, Alexandri Æropi, quem ex amicorum numero Thessalis equitibus præfecerat, consilio patefacto. Sane κωτίλλει ἡ χελιδὼν Hesiodo, propter garrulitatem, unde Poëta is κωτίλλουσα formavit. κωτίλλειν enim garrire est, eoque cognomento ales hæc apud Anacreontem & Simonidem appellatur. Et Aristophanes, Ranis, Musæa Hirundinum vocat nugationem nihili, & quæ foliis levior sit. Sunt qui super hoc D. Hieronymum impugnent: sed ii fabulose potius, rhetoriceq; lasciviunt, quam quicquam sani afferant, præter ea quæ desumunt ex Plutarcho. Nos ex Nicostrato garrulitatem hanc notatam his jambis afferemus:

*Theognis apud Athenæum lib. 8.*

*Hirundines ne habeas sub eodem tecto.*

*Garrula hirundo.*

Ἐπηφοχλίδες.

Εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ καὶ ταχέως λαλεῖν
ἦν τοῦ φρονεῖν παρασήμον, αἱ χελιδόνες
ἐλέγοντο ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.
*Loqui si indesinenter, multaque & velociter,*
*Prudentiam indicaret, utique Hirundines*
*Fortasse quam nos sapere dicantur magis.*

## LUCTUS ET QUERIMONIA. Cap. XXX.

ALii Pythagoricum idem symbolum interpretantes referunt ad tragœdiam, quæsi triste omen, lugubreque argumentum secum afferat Hirundo, quæ, ut apud Joannem Grammaticum in Hesiodi Commentariis legimus, cum prius Philomela Pandionis filia esset, nunc Hirundo avis, τηρεὺς, φησὶ, μὲ ἐβιάζετο. *Tereus*, inquit, *mihi vim intulit*. Nam quod nonnulli tradiderunt Philomelam in Lusciniam abiisse, idem author Procnæ, non Philomelæ, id obtigisse dicit: καὶ πρόκνη ἀηδὼν γεγονυῖα τὴν ἰτὺν ὀδύρετο. *Et Procne in Lusciniam commutata Ityn deplorat*. Idem apud Ovidium habemus.

*Sola virum non ulta prius mœstissima mater,*
*Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.*

*Carm. li. 4. Od. 12.*

Ita & Horatius Flaccus de Procne loquens, quamvis non expresso nomine, Lusciniæ tamen similem dicit:

*Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,*
*Infelix avis, & cecropiæ domus*
*Æternum opprobrium; quod malè barbaras*
*Regum est ulta libidines.*

Et Catullus eodem modo:

*Qualia sub densis ramorum concinit umbris*
*Daulias absumpti fata gemens Ityli.*

Sentit idem doctissimus Probus in Bucolicis. Sed hinc alia oboritur quæstio, quoniam super eadem Hirundine dixerit Hesiodus:

τὸν δὲ μετ' ὀρθριγόη πανδιονὶς ὤρτο χελιδὼν.
*Quem mane gemens Pandionis excit Hirundo.*

Ὀρθριγόη exponunt interpretes, clamosa, non autē diluculo flens: cum Hirundo tota clamitet die: non autem mane tantum, aut vesperi, veluti facit luscinia. Sed hic quoque quantum pertinet ad cantus querimoniam & fletum, quæstionem movet Proclus, Platonis nixus testimonio, nullam alitem dicens dolore affectam canere: quare quod Hesiodus de Hirundine ὀρθριγόη scripsit, is ὀρθροβόη legendum censet, quæ scilicet matutino clamet. Atqui nullo etiam teste scimus autem nullam afflictam canere, Sedenim, haudquaquam leviter, sed ex arte Poëta dixit Hirundinis loquacitatem lamentationem esse, fabulæ ratione habita, quæ de Pandionis filia fertur, cujus lamentationem paulo ante ex Joanne Grammatico retulimus. Sed quoniam modo Proclus lugere negat Hirundinem, cum eam Pandionis filiam agnoscat? quove modo ὀρθροβόη scribendum contendit, cum non matutino tantum, sed toto vociferetur die, diluculo vero haudquaquam magis? Sed ut ad Plato-

*Terei fabula.*

A Platonis ſententiam convertamur: ille nimirum, de avibus, quatenus aves ſunt, afflictas eas non canere dixit: qui vero flebile quid Pandionis filiis attribuunt, ad eam, quæ de iis fabula vulgata eſt, reſpiciunt. Verum operæ pretium eſt fabulam, quemadmodum apud Sophoclem digeſta eſt, poëmate de Tereo, ſubtexere. Pandiona quidem, ait is, Athenienſem filias habuiſſe Procnen & Philomelam, quarum Procnen Tereo Thraci in matrimonium collocarit, qui Ityn ex ea filium ſuſcepit. Aliquo vero poſttempore accidit, ut Tereus Athenas repetierit, Philomelam ad Procnen uxorem deducturus in Thraciam, quam in Daulide Bœotiæ defloravit, linguamq; ejus abſcidit, ne quid ad ſororem deferre poſſet. Cum vero hæc in Thraciam appuliſſet, hiſtoriam ut acta fuerat, acu pingit, remque ita omnem manifeſtat. Procne re cognita Ityn filium diſcerpit, patrique Tereo epulandum apponit. Hic vero ubi ſe filium abſumpſiſſe cognovit, eas erat diſtricto jam gladio interfecturus, quas Dii miſerti, ut ajant, in aves tranſmutarunt, & procne quidem Luſcinia facta, Ityn abſumptum lamentatur, Philomela Hirundo, Tereus mihi vim intulit, aſſiduè clamat. Ille vero in upupam mutatus, πὰ πὰ gemens dicere videtur. Hæ cum filium meum diſcerpſiſſent, eum mihi in epulas B appoſuerunt. Quare Proclus veniam antiquiſſimo Poetæ dare poteſt, qui ſorores infeliciſſimas, etiam aves factas, ſortem quamque ſuam, quaſi permanente præteritæ calamitatis memoria, ita lalamentari confinxerit.

*Ovidius l. 6. Metam. & Naso in Sileno.*

*Alii, per nuncios suo sanguine scriptum ad sororem misit. Ityn conger sus esse in Phasianum Strabo l. 7*

## PEREGRINATIO. Cap. XXXI.

IN conjecturis alioqui, habere ſe Hirundinis caput imaginari, peregrinationem ſignificat: id enim earum avium præcipuè proprium, utpote, quæ neque quidem apud parentes degere ſoleant. Hinc Hirundo quæ in Pyrrhi tabernaculo nidum poſuit, rerum quas peregrè inſtituerat, irritum eventum oſtendit. Indicavit id ipſum Cyro, quæ in tectis ejus nidificavit. Quamvis Dionyſio priori arcem relinquenti, cum ibi nidularentur, reditum portendêre.

## RESIPISCENTIA. Cap. XXXII.

C SUnt qui reſipiſcentiam per Hirundinem acu transfoſſam oculos indicent: ea ſi quidem, ſi vulneratis oculis obcæcata fuerit, oculos tamen & lucem recuperare fertur. Cujus rei cauſam commentantur, imperfectionem quandam qua prædita ſit, natura quippe nondum vires omnes ſubminiſtrante: in pullis enim tantum hoc evenire: quare ſi punctu læſi eorum oculi fuerint, ſupereſſe vigorem adhuc luminis, quem natura ipſa ſubminiſtrat. Lumen autem pro ſapientia & cognitione ponni, perinde ac pro imperitia & inſipientia tenebras, unicuique manifeſtum crediderim. Tertullianus abdit, uti eam ad hoc chelidoniæ ſuæ beneficio, cujus ſcilicet herbæ ſucco pullorum oculos oblinat, atque ita viſum reſtituat. Ne tamen nullus ſit nobis ex Hirundine uſus, Cecinam Volaterranum equeſtris ordinis virum, legimus comprehenſas Hirudines in urbe, ſecum in expeditionibus afferre ſolitum, quas poſtmodum victoriæ nuncias amicis mittebat in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Ut minus jam illud admiremur, quod à Fab. Pictore traditum ajunt, cum obſideretur præſidium Romanum à Jugurthinis, Hirundinem ablatam à pullis ad ſe mox cum epiſtola rediiſſe, ut lino ad pedes ejus alligato, nobis ſignificaret, quoto die adveniente auxilio, eruptio fieri deberet.

*Hinc chelidoniam herbam ab his inventam tradunt, Matthiol. in Dioſcor. l. 2. c. 49. Plin. l. 10. c. 33. Usus ex Hirundine, quis.*

JOAN-

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XXIII.

## DE IIS QUÆ PER OLOREM, LUSCINIAM, PSITTACUM, ET ALIQUOT AVES SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD ANGELUM COLOTIUM BASSUM.

*OPtime quidem, doctissime Coloti, ut totius es antiquitatis studiosissimus, bonarumque disciplinarum egregiè peritus, mecum sæpe de non contemnendis veterum scriptorum inventis, quocumque scripta fuerint argumento disseruisti, etiam si non usquequaque eorum enitescat eloquentia: quæque ex diuturna & varia tam Græcorum quam Latinorum lectione, & eorum etiam quæ remotiora quædam literis mandavêre, de prodigiis, de sacrificiis, deque multis antiquorum ritibus, & institutis collegeras, mecum communicasti, quæ licet ex usu jam recesserint, delectant tamen, & veterum scripta reddunt ad intelligendum faciliora. Præcipuè verò ea mihi placuêre, quæ de ponderibus & mensuris comperisti, quæ paucissimi hactenus perspexere, licet idem saxum volvere plerique ante nostra conati sint. Hæc, inquam, mecum ingenuè conferre, meaque vicissim, qualiacumq; essent, auscultare dignatus es. Quia vero videbas cogitationes meas ad materiam hodie, dicere possumus, intactam, vel parcissimè à nonnullis traditam, intentas esse, ad Ægyptiorum scilicet hieroglyphica studiosius anhelare, longamque istiusmodi rei seriem jam instructam, non tamen absolutam, quam tamen, quanta poteram festinatione urgebam, ut quod angustia temporis invidebat, industria & vigilantia suppleret: subinnuere visus es mihi, cupere te quamplurimum, quæ super Olore conscripsissem inspicere: nimirum enim quo senio tuo tam jucundo, tam facili, tam urbano atque festivo conveniebat, poposcisti. Quare ego tuo hujusmodi studio delectationeq; perspecta, nihil contatus Olorem ad te misi: poëticam quippe alitem optimo Poëtæ, cantatricem in senectute sua, suavissimam seni lepidissimo, qui ætatem jam grandiorem pari cum Cygnis harmonia traducit, Sophocleamque secutus diligentiam, Musas cursu numquam intermisso prosequi perseverat. Subsunt autem sunt Olorem aliæ quoque ejusdem ingenii volucres, Luscinia, Psittacus quinetiam nonnulla earum amula, sed præ raucitate sua mimæ illarum potius, quam cantatrices, Pica, Larus, Milvius, Gryphus, & Corvus demum. His omnibus necesse est caveam pares unicuique suam, quia tua indigent sagacitate: quæ quidem tibi haudquaquam gravis futura est, viroeorum, quibus alites meæ pasci queant, opulentissimo. Sed ut jocari desinamus, tu vale, & quantumlumque id est quod exhibere potuimus, boni, uti soles, tua es, consulito: quod enim ab amicissimo profectum est, id & ames, & charum habeas necesse est.*

---

### SENEX MUSICUS. CAP. I.

*Hinc illud κύκνειον ἆσμα: Cygnea cantio. Ælian. de Nat. Anim.*

ÆGyptii Sacerdotes senem Musicæ studiosum per hieroglyphicam Cygni effigiem significare consueverunt quippe quem omnes eò suavius modulari ferunt, quo magis in senium vergit. Musicæ vero illi symbolo (ut hoc obiter interpretemur) compositissimos mores intelligebant, veluti in senibus mores ipsos compositiores, & sibi maximè consonos esse par est: de iis loquor, qui Colotio similes, sanctius instituti, vitam integerrimam, & à turpitudinibus alienam peregere. Socrates porro apud Platonem, Cygnos tum magis dulciusque canere affirmat, cum se brevi præsentiunt

A tiunt morituros, quasi lætantes Deo gratias agere videatur, quod ad eum, cujus ministri sunt, migrationem parent. Addit homines quosdam, cum ipsi mortem expavescant, Cygnos quoque falso criminari cantusque hujusmodi dicere doloris argumentum esse, quem ex adventante morte conceperint. Sed enim, haud quaquam animadvertunt, in omni volatilium genere nullam esse avem, quæ vel in esuritione, vel in rigore, aut alio quopiam incõmodo, quo se affectam sentiat, emoduletur, cantilletve: non luscíniam quidem ipsam, non Hirundinem, non Epopem, quarum cantum, & luctum & querimoniam esse fabulantur. Sibi vero videri neque quidem aves has, neq; Cygnos præ dolore canere, sed quia Phœbo sacræ sunt, eaq; lætitia concitatæ, forsan & divinatione præditæ, alterius vitæ bona præsagiunt. Hinc M. Tullius Tusculanis quæstionibus *Cygnos* ait *non sine causa Apollini dedicatos esse, sed quod ab eo divinationem habere videantur: quia prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Omnino autem quod de morte narratur, falsis aliquot experimentis compertũ est, tametsi Lucretius Poëta pervulgatam tangit opinionem, cum eos nece detortos, ac anxiè cruciatos, liquidam lugubri voce querelam attollere ait ex vallibus Heliconis. In quo illud etiam animadB vertendum, ad hoc & alios respexisse, cum Poëtas Cygni symbolo nuncuparunt.

*Quo tẽpore cantat Cygnus potissimum.*

*Unde Lucianus in Cygno, eos assessores Phœbi vocat. Ἐπῳδὸς Græcè, Latinè upupa. Cicero Tusc. lib. 1.*

## POETA. Cap. II.

NAm veluti Cygni senio confecti argutioribus, ob gutturis exilitatem organis affectis suaviorem simul & vocaliorem emittunt vocem, ita etiam boni Poetæ, quo per ætatem magis profecerunt, scribere itidem solent elegantius & sapientius. Sic Oedipus Coloneus opus ea conscribens ætate, qua propter senium author desipere videbatur, à filio etiamnum rei familiaris malè curatæ actus insaniæ reus, omnium quæ antea conscripserat operum cultissimum judicatum est. Et Isocrates (ut Oratores etiam huc admittamus; nam & id dicendi genus musicum est, & certis constat numeris) Panathenaicam orationem, omnium quas antea scripsisset luculentissimam, post octogesimum vitæ annum elucubravit. Sic Pontanus & Uraniam & Meteorica, Syncerus Actius poëmata pleraque, Aurelius Augurellus Chrysopœiam, & alii plerique ætate nostra bene literari viri eo suavius Cygneum hoc melos emodulati sunt, quo magis visi consenescere. Sic tu Musas affectaris, quæ salis & leporis plurimum C præ se ferunt: deniq; omnia quæ ad eruditionem spectant, non ignaviter perveſtigas. An vero Platonem dissimulare poterimus, quem annum circiter octogesimum agentem scribendo vita functum ajunt? Ut fabulosum minimè videatur, quod Socratem perhibent per quietem existimasse novellam se Cygni pullũ inter genua tenere, qui plumis repentè sumptis evolaverit in sublime, æthereaque omnem suavissimo clangore compleverit, postridieq: Platonem ab Aristone patre ei commendatum in institutionem: visoq; statim puero dixisse Socratem ferunt, eam esse aviculam, cujus imago nocte proxima sibi per somnum fuerat obversata.

*Senium operis elegantiora.*

*Auctor Diogenes Laer. l. 3. in Platonis vita.*

## MUNICIPIBUS INJURIUS SUIS. Cap. III.

SEd, ut etiam attingamus Poëtarum fabulas, Cygnum ajunt hominem municipibus suis injuriam hieroglyphicè significare. Siquidem Olores in volucrum genere id habent D peculiare, ut alter depascatur, atque inter se morsus convertant: unde illum crediderim Pindaro *Inhospitalem* appellatum: id quod nescio qua æmulutione præstantiæ, in Poëtis præcipuè, & nunc esse, & fuisse semper exploratissimum est. Nam ut ipsi ajunt:

*Qui velit ingenio cedere, rarus erit.*

Adde quod, Melistus Euboicus avem hanc ita conviciis plenam esse dicit, ut ea clamante, reliquæ aves quæ præsto sunt, conticescere cogantur.



*Ideoque ab Hercule occisus.*

## ANIMI CANDOR. Cap. IV.



*Eruditiores viri, benigniores.*

SEd fuerint hæc improborum exempla: cum ego bene literatos viros eo binigniores candidioresque semper expertus sim, quo magis & ingenio & eruditione pollerent. Pontanum ajunt, omnium ingenia fovisse, de nullo unquam etiam cum familiarissimis obloqui solitum. M. Antonium Sabellicum, quem ego per quinquennium audivi, tanto candore præditum agnovi, ut quia nulli unquam detraheret, neminem carperet, neque manifestos quidem hostes incesseret, quos professionis initio, molestissimos invidia homini comparaverat, & quod omnes alba, quod ajunt, linea notaret, non emuncti satis judicii plerumque retulerit notam. Talem fuisse Romæ Pomponium Lætum ajunt, qui licet à mul is injuria lacesseretur, numquam tamen ipse maledicendo calumnias propulsare curaverit. Talis apud nos Nicolaus Leonicus, talis tu, talis Jacobus Sadoletus, cujus nomen ætate nostra in Modestiæ appellationem abiit. Sunt itaque Cygni, qui vere literati sunt, qui benigni, qui nulla syncerum animum macula labefactarunt. Nimirum enim candoris est indicium Cygnus, quem omnes insignem memorant albedinis epitheto, ne λευκότητα albitudinem, ut Plautus, dicam. Ita apud Ovidium:

*In epistola Didonis Æneæ, & Virgil. 3. Georg. Pascentem niveos Cygnos, ait. Vir Eccl. 7. Lib. de nat. animal.*

*Ad vada Mæandri concinit albus Olor.*

Et, *candidior Cygnis*, apud Virgilium. Theocritus ea de causa θῆλυν κύκνον dixit, quod fœmineus color plurimum à candore commendari soleat. Albos autem esse à nativitate Cygnos, ait Hellanicus.

## GLORIÆ CALCAR. Cap V.

IDem vero Poëtæ hoc commune cum Cygnis habent, quod gloriæ studio trahuntur, favorisque & laudationis omnino sunt avidiusculi,

*Nec petitur sacris nisi tantum fama Poëtis.*

Cygni quoque tunc suavius canunt, cum Favonius eos ad cantum visus fuerit invitare: ζεφύρῳ γὰρ χρήσονται πρὸς τὴν ᾠδὴν ἐλαφρῷ καὶ ἐνοδίῳ, ait Philostratus Paëthonte. Sed longè venustius & plenius id recenset, ubi palustria & aquatica loca verbis pingere conatur. Ælianus quoque non canere eos ait, nisi flante Zephyro.

## MUSICA. Cap. VI.



QUod quidem ideo repetendum duxi, quia si quis Musicam ipsam aptissimè describere voluerit, non aliam libentius speciem imitabitur, quam quæ in hunc modum ab eo authore oculis subjicitur. Ex Oloribus vero qui vocaliores sunt, in ripæ margine, circulo quodam facto, sidunt, ubi tum nescio quid certandi studio videntur emodulari. Cantilenæ vero signum videas puerulum alatum qui ventus Zephyrus est, is enim cantum Oloribus inspirat, & elargitur. Pingitur vero is delicatus, mollis, cujusmodi est aura ejus, quam libenter adeo captamus. Olorum vero plumæ identidem afflatu eo surriguntur, quippe quæ repercussu venti commoventur.

*Zephyri pictura.*

## APOLLO FIDICEN. Cap. VII.

APud Card. Hippolytum Medicen, alumnum meum, signum ex marmore pulcherrimè ductum habemus, qui nimirum Apollo Fidicen est: lævam enim manum admovet ad lyræ jugum, ea

Cygni

A Cygni dorso sustinetur, Cygnus ipse collo suaviter reflexo, rostroque ad chordas verso, parem cum lyra videtur harmoniam emodulari. Dextera, Dei dextro innititur genu, eaque plectrum continet: adjacet ibidem humi pharetra, utpote signum, Deum ipsum non semper arcum tendere, sed aliquando tacentem Musam cithara suscitare. Et hæc quoque faciunt ad Musicæ significatum. *Descriptio Apollinis fidicinis.*

## ORPHEUS. Cap. VIII.

SAne Plato Ægyptiacæ doctrinæ nunquam immemor, cum felicem illam civitatem conderet, illic fermè ait Orpheum Calliopes filium, cum à mulieribus fœde discerptus excessisset è vita, homine, quod erat, derelicto, in Cygnum emigrasse mutata specie: ut, qui insignis Musicus fuerat, Musicam itidem perseverantius exerceret. Hinc locum mutuatus est Horatius noster, cum in Cygnum abire se scribit ad Mecœnatem: *Carm. li. 2 Od. 20.*

*Jamiam residunt cruribus asperæ* *Supernè, nascunturque leves*
*Pelles, & album mutor in alitem* *Per digitos humerosque plumæ.*

B Et cum piscium silentio vocalissimam opponeret harmoniam, ita de lyra canit: *Carm. l. 4. Od. 3.*

*O mutis quoque piscibus* *Donatum Cygni si libeat, sonum.*

Platoni ea super Orpheo scribenti adsentitur Æneas Philosophus, qui quidem ubi ex Chaldæorum, Ægyptiorum & Græcorum opinione defunctorum animas evocari posse docet, Orphea Cygni specie evocandum ait. Quod si quis Homerum evocare voluerit, oportere eum Lusciniæ formam indutum apparere: de qua paulo post.

## NAVIGATIO SECUNDA. Cap. IX.

*Æneid. l. 1.*

CUm vero Cygni & aquis & Favonio plurimum gaudent, in ὀρνιθογονίᾳ solis nautis veluti Aquila tempestati, Columbæ Regibus dedicantur. Hinc illud apud Virgilium:

*Ni frustra augurium vani docuêre parentes.* *Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,*
*Aspice bissenos lætantes agmine Cygnos,* *Et cœto cinxêre polum, cantuq; dedêre:*
*Ætherea quos lapsa plaga Jovis ales aperto* *Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum,*
C *Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo* *Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.*
*Aut capere aut captas jam desectare videntur:*

## DE LUSCINIA. Cap. X.

VEluti post Orphea, ex antiquorum traditione, merito succedit Homerus, ita post Cygnum Luscinia locum tenet: quando, ut paulo ante dicebamus, Cygnus Orphei, Luscinia Homeri simulacrum est.

## MUSICA. Cap. XI.

NOn immerito autem Musicam, atque omnibus eam numeris absolutam, per alitis hujus hieroglyphicum significari tradiderunt: sive multiplicem vocis varietatem, sive delectabilem suavitatem, sive pertinacem in ea continuationem admiremur, ut una deniq; perfecta Musicæ scientia D sonum moduletur, quem nunc continuo spiritu in longum trahat, nunc inflexo variet, nunc conciso distinguat intorto copulet, promittat, revocet, & ex inopinato infuscet. Quod cum secum ipsa murmurat, quam plena, quam gravis, quam acuta, quâ crebra, quam extenta modulatio? atq; ubi visum est, ut sonus ipse vibrans, ut summus, ut medius, ut imus exauditur? omniaq; tam parvulis in faucibus quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit, quibus Musicæ leporibus enarrandis, cum Luscinia Plinius ipse contendere videtur, Ut jam Luscinias taceamus Græco & Latino sermone dociles, Druso & Britannico Claudii filiis, fuisse. Huic autem avi tam genuina, tam voluptaria est modulatio, ut, si Aristoteli credendum est, observatum sit eam pullos erudire: quod si procul à matribus alantur, non ita svaviter, neq; ita perite canant: id quod tamen non mercedis neq; gloriæ spe faciunt, quæ duo mortalibus ad augendam industriam calcaria potissimũ adhibentur, sed unius delectatio- *Cur Musicæ hieroglyphicum Luscinia.* *Plinius lib 10. cap. 29. hæc omnia.*

ctationis gratia qua sese oblectant. Quod si qua unquam avis fuit, ex cujus cantilenis homines Musicam excogitaverint, ut Chamæleon Ponticus arbitratur, nimirum Luscinia est, quam habuisse magistram neminem pudere debeat, dummodo vim in hac re alitis non ignaviter assequatur.

## GERMINATIO. Cap. XII.

GErminationis tempus nonnulli per Lusciniam indicant: propterea quod avis ea, cum primum sylva frondibus incipit opacare, diebus ac noctibus quindecim assiduè canat, lætitiam testata, quam ex verni temporis adventu præsentit: ab eo vero tempore canit quidem, sed non assiduè.

## LUCUBRATIONES. Cap. XIII.

*Plin. ibid. In literarũ studiis mirificus concentus.*

QUare factum, ut qui eam vernis mensibus per totam ferè noctem dulci eo modulamine delectari observarunt, vigilantiam ex ejus hieroglyphico, nocturnasque lucubrationes significari dixerint. Nam nisi literarum studiis summa in esset delectatio, mirificusque concentus, pro uniuscujusque ingenii captu, haud facilè reperias, qui laboriosis vigiliis temerè velit insenescere, atque assidua mentis agitatione consumi. Cui quidem sententiæ favet, quod Hesiodus ea similitudine, quam de Luscinia ab accipitre in altum rapta, miserabiliterque conquerente, posuit. Per Lusciniam, ut interpretes addunt, Poëtam causa modulationis intelligi, semetipsum scilicet, qui fuerat à judicibus vexatus: per Accipitrem vero judices, ob rapacitatem, qui Persæ fratris largitionibus corrupti inique judicaverant.

---

## DE PSITTACO. Cap. XIV.

PSittacum apud Ægytios, de quibus aliquid habuerim, non inveni: sed authores, nationesque reliquæ, avem in humani sermonis imitatione omnium maximè admirabilem, indictam minimè reliquêre.

## ELOQUENTIA. Cap. XV.

*Hinc ψάφωνος ὄρνεθες, Psaphonis aves. Auctor Apostolus in collectaneis.*



PEr ejus enim effigiem eloquentem hominem, qualem se negat Tullius reperisse, significabant, cum nullum ex animalibus rationis expertibus articulatius humanas explicet voces, id quod ideo præstat, quod linguam habeat latiorem, carnosioremque, & humanæ propemodum similem: nam quæ angustam habent, literas proferre non possunt. Atque hanc verisimile est inter eas, quas Psaphon Libycus enutrivit & instituit, principatum obtinuisse: ille enim, cum alioquin vir esset perditissimus, & omni scelerum obscœnitate contaminatus, viam excogitavit, qua non modo se purgaret infamia, sed divinos etiam honores post mortem assequeretur. Aves enim magno numero in seductum penetrale clave sit, quas cicuratus, nemine conscio, docuit canere, *μέγας θεὸς ψάφων, magnus Deus Psaphon:* mandavitque moriens, ut penetrale illud nulla interposita mora disiectis fenestris patefieret: atque ita provolantibus per urbem totumque agrum avibus, & *magnus Deus Psaphon*, ubique Græcè concinentibus, factum, ut sit creditus Deus, & templa sacraque illi fuerint instituta.

---

## DE PICA. Cap. XVI.

*Ideoque à Galeno inepta imitatione sirenis taxatur l. 2. de differ. pulsuum.*

ESt & Picæ docilitas ad humana verba, sed quoniam non ita liquide nec concinne loquitur ut Psittacus, & quadam omnino raucitate sermonem obfuscat, præfractoque sono syllabas enunciat, estque memoria minimè tenaci, ut nisi quæ didicit frequentius replicari audierit, facilè obliviscatur, ideo non meruit, ut Psittacus, eloquentiæ titulum sibi vendicare.

GAR-

## GARRULITAS. Cap. XVII.

SEd pro garrulæ potius loquacitatis hieroglyphico posita est: quod & in rudis plebeculæ ore quotidie versatur, garrulos Picæ cognomento vocitantis: ea enim & loquacitate plurima, & assidua vocum mutatione insignis est: utpote quæ diebus fere singulis diversam emittit vocem. Cujus quidem garrulitatis ergo Baccho dedicatur, ut Plutarchus affirmat: dicacitate enim plurimum ebrii valent, & *arcanum demens detegit ebrietas*, atque, ut apud Horatium est,

*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Sedenim super hoc plurima apud Platonem in Legibus, ubi nullum tormentum ad vietatem eliciendam, vino efficacius adhiberi posse differit. Mira sunt, quæ de Pica Plutarchus refert, quæ alioqui loquacissima, auditis Romæ buccinatoribus obstupefacta siluerit evestigio, tantoq; ita silentio dies aliquot meditata, repente, quasi expergefacta omnem eum buccinarum sonum, harmoniam, & numeros summa omnium admiratione reddiderit. In portentis quoq; Pica sermonis significationem habet, ut ea, quæ Ezelino in Feltrinos moventi facta obviam, & in ejus humeros delapsa, indicium fuit, populum cui plurimum in loquendo studium, ad ejus authoritatem se nullo negotio collaturum: pauloque post, anteaquam mœnibus appropinquaret, affuerunt ab ea urbe legati, qui se duci dederunt, pacataq; ad ejus arbitrium omnia nunciarent. Nonnulli vero scribunt, hujusmodi Picam militari signo insedisse, quam manu captam, & in augurii omen acceptam, Tyrannus ipse expeditionibus omnibus serio contulerit.

*Nat. Com. lib. 5. c. 12. Cur Baccho Pica dicata. Epistola ad Torquatii. Idem Plin. lib. 14. c. 22. Hinc illud Athenæi li. 2. οἶνος καὶ ἀλήθεια. Vinum & veritas.*

## SIMULATIO. Cap. XVIII.

ESt & mendacii, sive simulationis hieroglyphicum Pica: utpote, quæ anteriore parte candida sit, posteriore autem nigricet, amicum scilicet purum atq; syncerum affatu primo simulet, mox vel decipiat, vel eludat. De his Pythagoræ dictum ajunt, τῶν μελανύρων μὴ γεύεσθαι, *minime gustandum ex iis, quibus est nigra cauda:* non admittendos in amicitiam homines simulatores, & dissimulatores hypocritas. Quod vero facit ad mendacium, Tryphon Grammaticus ait, τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μελαίνεται, *mendacium quippe in extrema parte nigrescere.*

## DE LARO. Cap. XIX.

ET quoniam à Musicis elegantibusque volucribus in clamosas incidimus & importunas, Larum quoque nescio quid obstrepentem audiamus.

## EXPECTATIONE FRUSTRATUS. Cap. XX.

HOminem, de quo magna aliqua fuerit expectatio, quam tamen ignaviter sit frustratus, ostendere si vellent, Larum figurabat: illa siquidem clamore arguto admodum cum parturit vociferetur, partusq; edit plumosos utiq; ac apprime pennatos, cæterum carne admodum exigua. Sunt qui hanc avem eandem cum Ceppho esse putent, proverbio decepti quod circumfertur, λάρος κέπφος. Sedenim diversam esse Larum alitem à Ceppho, inde mihi suspicio est: quod Laro longe aliud est ingenium, quam Ceppho sit. Cepphus enim ad cibum tenuia quæque sectatur, ut etiam marina sit spuma contentus, Larus vero inter voracissimas numeratur, omnivorumq; animal esse fertur, unde sit à veteribus Herculi dicatus, quem helluonem maximum fuisse prædicant. Neque temere Aristophanes, Nebulis, Cleonem rempubl. omnem devorantem, Laron vocarit. Præterea Hesychius Hierosolymitanus, Larum ait esse avem, quæ tam in mari quam in terra versetur, & utriusq; partis cibo quem plurimum & undecumq; perquisitum devoret, enutriatur; perq; eam, priorum mensis Levitico prohibitam, eos à Theologis accipi, qui circumcisionem simul venerantur, & baptismum minus aspernabantur: de quo Paulus, ipso divinarum institutionum primordio restitit in faciem Petro, licet ipse Timotheum, utpote uno ex parentibus Judæo genitum, circumcidisset. Eos demum homines alitis hujus hieroglyphico indicare posse manifestum, qui vitam suæ libidinis arbitrio degendã instituere, modo Judæorum rigorem in Divinis literis æstimantes, modo in iis tantum, quæ ad voluptatem suam faciunt, excusso legis jugo, omnia sibi licentius permittentes, Christianumq; dogma in

*Hinc illud Promittunt montes pro nugis, & Lurus, & mox.*

tantum sectantes quod de summi Dei clementia, plus quam audere debeant, sibi pollicentur: mox perfractis utriusque agonis carceribus, effusissimo cursu in Mahumetanam, aut si quid hoc perditus, libertatem & vitiorum omnium campum effunduntur. Quod vero ad Lari vocabulum pertinet, cum adolescens adhuc essem, Luciani opusculum. *De iis qui mercede conducti aliena quadra degunt*, ut ea ferebat ætas, Latinum feci. In eo locus est, ἐπὶ χείρη τῇ ἄγρα, εἰθέλεις, καθάπερ ὁ λάρος ὅλον περιχανῶν τὸ δέλεαρ. Illud, καμάπερ ὁ λάρος, *veluti Gavia* feceram, secutus Gazam, qui Laron Gaviam reddit ex Eucherio, qui ubi de Laro mentio est in Pentateucho, eum Gaviam esse dicit. Et ita reliqui vulgatis Luciani codicibus, in quibus λάρος habetur, decepti, modo Gaviam, modo Mergum traduxere. Ita & ego, cum alia non extaret lectio, quam præ manibus habebam profitebar: sed posteaquam Romæ in vetustum Palatinæ Bibliothecæ codicem incidi, reperi loco hoc, καθάπερ ὁ λάβραξ, lectione longe castiore scriptum esse. Piscis hic est edacissimus, quem Lupum Latini vocant. De pisce autem & hami esca eo Luciani loco agitur, non de alitibus. Sed ut ad Larum revertamur, versus Homeri est τῷ ἐν τῆς ὀδυσσείας,

*De Lari vocabulo.*

Σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς

ubi Mercurii ornatus omnis scribitur: quem locum Maro Æneid. quarto totum sibi desumpsit. Ubi vero de mutatione in hanc alitem agendum est, ita eloquitur:

*—— Hic toto præceps se corpore in undas*
*Misit, avi similis quæ circum littora, circum*
*Piscosos scopulos humilis volat, æquora juxta.*

*Georg. lib. 1.* Hic Servius: *Incongruum*, inquit, *heroico credidit carmini, si mergum diceret*, ut alibi Ciconiam per periphrasin posuit:

*Candida venit avis longis invisa colubris.*

---

## DE CEPPHO. Cap. XXI.

SEd quoniam & Cepphus ipse suam habet significationem, quem is in hieroglyphicis locum teneat, videamus.

## FATUUS. Cap. XXII.

*Ab Erasmo Chil 2. cen. 2. prov. 33.* CEpphus ubique hieroglyphicum est fatuitatis & stuporis, quo animal id egregie laborat. Ferunt siquidem ei spuma marina victitare, cujus rei non ignari piscatores, spumas è littore collectas eminus projectant, ita volucres ad escam allectantes: mox cominus, inde etiam manu porrigentes, facillimo eas negotio capiunt. Theodorus hanc Fulicam interpretari videtur, ea, ut arbitror, ratione adductus. quod Arati carmina quædam Virgilius ad verbum fere in Georgicis expresserit, atque ubi ille κέπφον, hic Fulicam posuerit. Arati carmina ita habent:

*Georg. lib. 1.*

Καὶ πότε καὶ κέπφοι, ὁπότ' εὔδιοι πετέωνται,
Ἀντία μελλόντων ἀνέμων εἰλιδὰ φέρονται
Πολλάκιδ' ἀγρίαδες νῆσσαι, ἢ ἐν ἁλῖ δεῖναι
Αἴθηαι χερσαῖα τινάσσωνται πτερύγεσσιν,

Virgilius ita reddidit:

*Cum medio celeres volitant ex æquore Mergi,*
*Clamoremq; ferunt ad littora, cumq; marinæ*
*In sicco ludunt Fulicæ.*

*Proverbiũ.* quod vero una jungantur λάρος κέπφος in adagiis, geminatum esse opprobrium dixerim, ut, *lapis caudex*, apud Terentium: & quod ad Mergum & Fulicam nostros facit, *scortatores, nebulones*, & alia hujusmodi apud Horatium.

---

## DE CRYPHE. Cap. XXIII.

EXigere videtur rerum series, ut qui ab olore Phœbea exorsi sumus, Gryphes identidem Apollineos subjungamus: tametsi quid hi sibi vellent, nunquam compererim apud Ægyptiorum hieroglyphicorum interpretes. Ægyptium tamen esse commentum Bembæa ostendit tabula, in qua Gryphes multis variisq; formis cælati, & ea etiam quam fabulantur effigie conspiciuntur; passimq; in terra Græcia, & Italia universa, quaque Romanum olim Imperium extendebatur, in mysticæ hujus Philosophiæ usum figurari.

APOL-

## APOLLO. Cap. XXIV.

A HI siquidem auritum animalis genus, qui capita habent Aquilæ, cætera Leonis, ut pleriq; tradidere: & ut in ahenea Bembi mensa cernitur, cum alis ingentis admodum magnitudinis, Appollinem indicabant, veteresque eos Apollineo currui succedere finxerunt, Grypheneumq; Phœbum hac de causa vocitatum à nonnullis manifestum est, quod ita tangit Claudianus:

*At si Phœbus adest, & frænis Grypha jugalem*
*Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe.*

Et in Gallieni numis Gryphes cusos inspicias, cum inscriptione, Apollini Cons. Aug. Duo vero animalia in suo quæque genere reliquis imperantia complectuntur, veluti Sol reliquis in cœlo micantibus ignibus imperitare, & luminis sui magnitudine ubertateq; reliquos omnes alere, & illustrare videtur: merito itaq; sacris profanisq; rebus omnibus, aris, sepulchris, urnis, templis, publicis, privatisque ædibus custodes passim adhibiti. Sunt tamen qui Gryphis figuram, non ut vulgo creditur, Leonina inferioribus specie esse dicant, sed Equis haud absimilem; verum quæ capita cum B incurvis rostris Aquilarum more, sed ea aurita habeant: ita enim ab Aristæo Proconesio memoriæ super his proditum tradit Pausanias. *Gallieni numisma.*

## NASONES. Cap. XXV.

INvenies aliquando Nasones (id enim nomen à nasi magnitudine est) Gryphos nuncupatos: quo quidem cognomento Syriæ Rex, Gryphus Cleopatræ filius appellatus est, fuit enim is visenda nasi magnitudine præditus. Sed quid ego ulterius de Gryphis commentari pergam, cum rerum scriptores dubitēt, an hujus imaginis animal inveniatur? Capite enim nono supra quadragesimum libri decimi, Plinius sententiam attestatns suam, ait: *Pegasos Equino capite volucres, & Gryphas auritos adunciate rostri, illos in Scythia, hos in Aethiopia, fabulosos reor.* Idem tamen quarto libri 33. cap. apud Scythas ait aurum à formicis aut Gryphibus erutum. Sed hoc ait ex vulgatæ historiæ opinione. Nam illud Virgilianum, *jungentur jam Gryphes Equis*, nihil aliud sibi vult, quam eventurum, ut ea, quæ minime fieri possunt, protinus fiant: aeria quippe animalia cum terrestribus eidem jugo summittantur, quod natura minime patitur. Sed, bone Deus, quorsum Hydra multiceps? quorsum triceps Geryon? C quorsum tribus compacta feris Chimæra? quorsum Sphinges, & mōstra alia? nisi ut partium complexum ostendant: veluti ex verbo & diversis nominibus oratio constituitur. Quare qui simplicium significationes recte perceperit, facile ad mixtorum interpretationem accedet: quæ cum tibi mi Coloti, cognitissima esse non ignorem, supervacuum duxi plura super his inculcare. *De Gryphe Plinii judicium. Vir. Eogl. 5.*

---

## DE CORVO. Cap. XXVI.

FInem eram his nugis facturus, qui mihi videbar plus nimio tibi obstrepuisse, cumq; coronidem ducere pararem, visus mihi sum crocitantem audire Corvum, quasi se quoque Phœbeam alitem venditaret, & in harum consortium admitti se quoque postularet. Non ineptum judicavi, qui orsus essem à candidissima, desinerem in nigerrimam, à vocalissima in raucissimam, quod sciebam anthipathiam istiusmodi in naturæ rebus considerandis suam habere voluptatem. Tu igitur, necesse est summittas auriculas, & quicquid crocitaverit, & quicquid contra aliarum avium morem fecerit, boni consulas.

D



## FILIORUM EXHÆREDATOR. Cap. XXVII.

COrvi autem figura hieroglyphicum erat hominis, qui libros suos exhæredaret, abdicaretve, aut domo quoquo ejiceret modo: ajunt enim eum pullos suos, simulac volandi potestatem assecuti fuerint, nido expellere, mox & regione tota interdicere, quod usq; adeo sit amans solitudinis. Faciunt hoc & subaquilæ quarū greges usquam difficulter invenias, Authores nostri, qui rerū natu- *Plin. lib. 10. c. 13. Corvus pullos suos non alit.*

naturalium historiam conquirunt, magna ex parte scribunt, Corvum pullos quidem parere, sed eos non alere, mœstitia scilicet affectum, quod eos, simulac exclusi sunt, pennis candicantibus præditos aspiciat, ac perinde vix à se genitos arbitretur. Utcumque, pro maxime laborantibus inopia, Psalmographus ait: *Et pullis Corvorum invocantibus eum alimenta subministrat Deus.* Cum enim ita fuerint, tanquam adulterini à parentibus destituti, vel ore cœlitus distillante, vel minutissimis quibusdam animalibus, quæ nidos eos circumvolant, nutriuntur, in supremæ benignitatis summmæque providentiæ divini numinis argumentum. Eucherius hinc filios fideles doctrina cœlesti imbutos, ex infidelibus tamen parentibus genitos, indicari ex veterum Theologorum traditione commonuit.

*Psalm. 147.*

## IMBRES. Cap. XXVIII.

IN auguriis Corvus, perinde ac Cornix, de qua dictum alibi, imbrium significationem habet. Nicander ita de Corvo: κόραξ τ' ὀμβρήεα κρώζει, ubi ait interpres, ὅτι χειμῶνα δηλοῦσι οἱ κόρακες, καὶ φῦλα κολοιῶν ὕδατος ἀρχομένοιο διὸς περὶ σῆμ' ἐγένετο. Quem Virgilius secutus, de pluviæ portentis ait:

*Georg. lib. 1.*

*—— Et è pastu decendens agmine magno*
*Corvorum increpit densis exercitus alis.*

## DISCORDIA MILITARIS. Cap. XXIX



LOnge autem diverso à Cornice significato Corvus accipitur: quippe cum ea, ut suo loco dictum, sit concordiæ signum, ut pleraque Poetarum elogia indicio sunt: Corvi contra, futuram quandoque inter collegas discordiam ostenderunt, Aquilam, quæ Augusti tentorio supersederat. duo numero insectantes, à qua & afflicti, & ad terram dejecti sunt, cum is ad Bononiam Triumvirorum copias traduxisset, Philippo rerum exitum, qualis inde subsecutus est, præsagiente. Fuerunt & Alexandro Babylona iter intendenti, infausti ominis signum, Corvi sublimi volatu se mutuo incessentes, quorum afflicti quidam, ac pene discerpti, in illius conspectu ad terram decidere.

*Corni Aquilam insectantes.*

## EMANSOR. Cap. XXX.

ET quoniam in milites incidimus, est cur apud eos aliquantulum immoremur. Emansorem ex Corvo figurato significari, tam divinæ quam profanæ literæ docuerunt: quippe eum qui officium suum deserat, veluti miles ignavus, qui ad constitutum diem adesse jussus, domi desederit. Secundo Fastorum habemus, Phœbum, cum Jovi sacrum facere instituisset, Corvum qui aquam de vivo fonte afferret, præmisisse, qui cum insedisset ficui quæ acerbos adhuc fructus habebat, tamdiu moratus est, quoad maturi fierent: inde pastus Anguem corripit, quem ad Apollinem defert, eum adversarium causatus moram injecisse, ne aquam haurire potuerit, quem Phœbus cum mendacii redarguisset, Corvum inde damnavit, ut quamdiu ficus lacteus esset, aquam de nullo fonte biberet. Atqui multis ante seculis Corvus, in Divinis literis contumaciæ hujusmodi nota inustus est: præmissus ille siquidem ad Noe ipsa ex arca: ut pacatæne res essent exploraret, circa sordes desinentis diluvii desedit: quod quidem, ut Hierosolymitanus Hesychius philosophatur, signum fuit futuros homines, qui admissi ad sacra, sublimisque scientiæ mysteriis initiati, animo postmodum inconstanti, qui sub fuscarum pennarum veste delitescebat, præclara incœpta ignaviter frustraturi essent, institutionis probæ sanctæque consortia derelinquentes: ut inter Domini discipulos Iscariotis filius Judas tam turpiter, quam flagitiose defecit à Domino. Sane Cyprianus ad Novatianum, Corvum hunc emissum à Noe, neque reversum, quod ad cadaverum pastum se converterit, hæreticos indicare ait, qui secedentes ab Ecclesia, ad meliora, ad membra quippe sua redire minime curant, sed cum immundo

*Hinc proverb. Corvum misimus. Gilber. Cognatus, Cent. 2. prov. 161.*

*Corvus emissus à Noe, nec reversus, hæretici.*

A do grege perpetuis sordibus volutantur. Has volucres Abraham frumenta depascentes abegisse dicitur, unde nomen meruit Abactoris: nimirum indicaturus futurum, ut is Assertoris, liberatorisq; nomen assequererur, qui pravorum hominum collegia summoveret, qui impios tolleret, qui de sacris literis, quæ animorum pastus sunt, male sentientes opprimeret. Ita Samson, ut Hieronymus quintis supra vigesimis castris Hebræorum ait, à fructibus suis aves abegit, Vulpes, quæ vineas exterminabant, in vincula compegit, interfectoque Leone illo rugiente, in ejus mox cadaveris ore favum mellis invenit.

## IGNOMINIOSA REPULSA. Cap. XXXI.

PEr hominem Corvis objectum, destinatumve, aut quid aliud ita expositum, id hieroglyphico manifesto intelligimus, quod ignominiose repulsum fuerit, è conspectuque summotum. Et quoniam dæmone malo nihil magis abominabile, nihil contemptius, neque abjectius, Eucherius monet eum ipsum in Divinis literis per Corvum intelligi, eo apud Salomonem loco: *Effodiant eum Corvi de torrente*, atque hinc proverbium apud Græcos Comicos usitatissimum, ἐς κόρακας. Sed erudite *Prov. c. 30. Aristoph. in Nubibus & in Plut. & Euripides in Hecuba.*

B atque copiose alii de proverbio. In iisdem Divinis literis Psalm. XXVI. legitur apud Græcos, μὴ ἀποσοφακίσῃς μὲ, quod nonnulli ad hujusmodi proverbium trahunt, verbumque ἀποσοφακίζομαι; Suidæ agnitum dicunt, eo ipso Davidico citato versu: & ignominiosæ repulsæ mentione facta Latini simpliciter, *Ne repellas me*, reddidere. Sedenim Euthymius innuit posse id verbi ex metaphora scoriæ desumi: nam scoria spurcitia illa est, in omni metallo, quæ tanquam fax, nulli utilis operi proiicitur, indeque fieri ἀποσοφακίζειν, contemnere, & nomen ἀποσοφακισμὸς, contemptus.

## RHETOR. Cap. XXXII.



*A quo, Κακῆ κόρακος κακὸν ὠόν. Mali corbi, malum ovum. Idem de Protagora & Euathlo. A Gell. lib. 5 cap. 10 Diodori sepulcrum.*

SUmuntur etiam hieroglyphica de celebris alicujus viri nomine, veluti à Corace rhetore, qui post Hieronis obitum primus Rhetoricam Syracusis docuit: propter cujus celebritatem Metellus Diodorum rhetorem, quo Magistro usus fuerat, jam defunctum honoraturus, Corvum lapi-

C deum ejus sepulchro imposuit: quasi antiquissimo illi Coraci similem indicare Vellet. Cæterum Cicero rem falsè detorsit, cavillatus in Metellum, rectè eum feciſſe, propterea quod discipulum non dicere, sed volare docuisset, inconstantiam scilicet Metelli, qua male audiebat, eo scommate perstringens.

## APOLLO. Cap. XXXIII.



*Corvus Solidicatus.*

QUod vero Corvus hieroglyphicum Apollinis habere tur, nonnulli ea de causa factum existimant, qua Capet Baccho, Sileno Asinus datur, & eadem ratione in antiphar macum aliis alia. Inauspicatissimum, ajunt, animal, auspica tissimo oraculorum authori meruit immolari. Sedenim,

D aliud est hostia hac, vel illa Deo cuipiam facere, aliud specie sua Deum ipsum explicare: nam hoc modo dicimus animalium figuras esse hujus, vel illius hieroglyphica, quorum figura posita Deus statim suus intelligatur. Igitur alii dicunt, propterea quod mediis æstivi temporis fervoribus, Solis beneficio fretus, pullos excludat suos, quod præter aliorum animalium naturam Corvo datum, peculiare aliquid sibi cum Sole intercedere significat. Inde legere est apud Petronium:

*Si contra rerum naturæ munera noræ,*
*Corvus maturis frugibus ova refert.*

Sedenim, cum Porphyrius dicat libro *De abstinentia carnium*, colorem nigrum Soli dedicatum: quod ejus calore humana etiam corpora fusciora nigrioraq; reddantur, sitque Corvus inter Aves maxime niger, manifesta est causa cur is Apollini sacer habeatur. Porro Brachmanæ colorem atrum in primis venerantur, propter Solem omnia denigrantem. Jam & Salomon non egregie nigram ostensurus Canticorum Canticо, *Crines*, ait, *ejus ut abietes, nigri sicut Corvi*. Avem autem eam Apollini prius familiarem fuisse, neq; non insigni candore præditam Apollinis mox indignatione, quod ad se dilectæ Coronidis crimen detulisset, in eam nigritiam demutatum fabularum scriptores, Hesiodum secuti, meminere. Sed Artemo Pindarum commendat, qui, in Pythiis, dissimulata quæ de Corvo fertur historia, Apollinem ipsum scripserit per se Ischyos & Coronidis futurum deprehendisse. Anaximander in Horoscopicis libris Apollini sacrum ideo Corvum facit, quod solus inter omnes aves vocum significationes, quas accurate admodum augures observarint, habeat. Addam & illud, nigrorem ita Corvo ingenitum esse, ut ad intingendum capillum, nihil ejus ovo dicatur efficacius, & nisi inter tingendum oreolum contineatur, dentes quoque ita nigros effici, ut mox vix possint elui.

## SITIS. Cap. XXXIV



*Hinc proper. Corvus aquat. Ex Hygino, & Ælitano l. 1. de nat. animal*

COrvum superius siti damnatum ab Apolline dicebamus, ideoque hieroglyphicum esse incommodi, ejusmodi, eaque de causa Nicandrum scripsisse, frequentior res ejus alitis crocitatus venturæ pluviæ indicium esse. Sedenim, Corvi natura ipsa siticulosi sunt per sexagenos præcipue æstatis dies, quibus ventris profluvio laborant, ultroque potu abstinent, ut incommodo illi obviam eant, alvumque sistant. Quare si consilium ejus animalis pensitemus, Sobrietatem covenientius quam sitim, hanc vocitabimus.

## IMPOSTURA. Cap. XXXV.

NOn possum loco hoc dissimulare, quam apte quispiam impostorem per Corvum ore saxum tenentem, & urnam appositam, significarit. In Libya siquidem siticulosa admodum regione, viri aquam, quam de remotis admodum fontibus aut fluviis attulerint, in fictilia vasa ad hoc comparata distribuunt: quæ alioquin ventre sunt admodum capaci, ore tantum patent quantum satis ad gallinaceum ovum recipiendum, eaque minus obturata, ad captandum nocturni aeris beneficium, per summa domorum tecta disponunt. Corvi rem intelligentes non data alterius aquæ copia eo convolant, immissisque in urnas capitibus humorem sorbillant, qui simulac deficere cœperit, lapillos conquirunt (quod Plutarchus se vidisse affirmat) quos afferentes in aquam subinde dejiciunt, atque ita surgente in dies humore, siti consulunt suæ. Idem scribit de Cane, qui lapillos in amphoram oleariam conjiciebat, donec oleo redundante lambere arbitio posset suo. Dicet aliquis, Philosophum hinc, aut Geometram significari potius, quam sycophantam: quia rerum plenitudinem, mutuamq; corporum inter se repugnantiam, atque cessionem cognoscant, natura ipsa docente, & Corvus, & Canis, & qui majora etiam de intellectu suo miracula profitentur: in hoc autem probe norunt necesse futurum, ut in corporum conflictu alterum alteri cedat: eam quippe intelligant rationem, qua coronæ illius sacoma deprehenderit Archimedes, quam Hieron Syracusarum rex faciundum locaverat, de quo late apud Vitruvium. Ego vero ipsa edoctus re, impostorem potius ostendi ex hujusmodi hieroglyphico dixerim. Fuit siquidem mihi Romæ famulus natione Gallus, patria, ut ipse ajebat, Virdunensis. Rolandinus ille, quem probe noveras Coloti, facetulum, & morionem non sane illepidum, & cum primis officii memorem sui, cujus opera utebar plurimum in scribendo. Allatus ad me Venetiis fuerat vini Cretici cadus generosi admodum atque suavissimi. Jussi, uti mos est talia non credere famulis, diligentius asservari, amicis advenientibus, potius quam mihi usui futurum, interdum tamen unciatim minimum quid hauriebatur, intermovebat subinde famulus nectar

*Idem & Plin. lib. 10. cap. 43.*

(sic

A (sic enim ipse vinum id appellitabat) facile, si parcere ita pergerem, in massam obdurari posse, atque etiam lapidescere. Putabam ergo de firmitate dici, quam vinū in dies veterascens acquirebat, atq; *Bene sane*, respondebam. Quid autem? venit ætas, visu mox est cadum, ne conciperet æstum, loco dimovere, cumque in commodiorem cuppam transferre vellem, vix duobus inde sextariis effusis, nihil amplius effluebat, ipso tamen pondere permanente. Quid sit miror, operculum superne tollo, introspicio, rem immisso intro digito pervestigo, atq; ecce ibi vim glareæ ingentem quanta nux jus glandis est magnitudine ad summum usq; cadum aggestam, quam non in cuppam, sed in vimineam corbem transfundere necesse fuit. Ita astulus ille veterator quotidie aliquid subducebat, & ne tubulus, qui paulo infra cadi medium immissus erat, aliquando rem proderet, ad exhausti vini modum lapillos eos, amoto superne operculo, qua liquor infundi solet, immittebat, oppletoque ita calculis cado, ut nullum amplius infarcire posset, satis jam colluctatus, non expectato ut res propalam fieret, domo emigraverat. Atque hæc certo mihi videtur, quæ verissime dici possit impostura, tot per tres continuos menses lapillis subducti liquoris loco fraudulenter impositis. Sed agnosco, mi Coloti, B Parioniam loquacitatem, quam tamen ita auribus tuis familiarem scio, ut post tot avium clangores eam imitari non erubuerim: tua quippe fretus benevolentia, quæ dictionem meam longius protraxit, quam tuæ postularent occupationes: itaque omnia boni consules, & ut tuus est mos, nævo etiam in amici articulo delectaberis.

*Impostura famuli Pierii.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXIV.

## DE IIS QUÆ PER PAVONEM, GALLUM, GALLINAMQUE, GALLINAGINEM, ANSEREM, PERDICEM, ET COTURNICEM SIGNIFICANTUR

C

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD NICOLAUM CORDATUM NEPOTEM, JURISCONSULTUM.

*PErquirenti mihi, cui magis cogitationes meas, quas de Pavone, Gallo, Gallinaque, Gallinagine, Ansere non nostri generis, Perdice & Coturnice, ex sacris Ægyptiorum literis hasce nostras misissem, dono donarem, Cordatissime Nepos, ex meis te potissimum delegi, cui hæc familiora gustu ex clientum nostratium, & præcipue externorum muneribus, qui his vel quotidie ædes* D *tuas frequentant, & veluti superpondia ad te deferunt pro tuis responsis in personarum, & fortunarum suarum tutelam, ut gravioribus illis vera (ni fallor) Philosophiæ studiis delassatus, te ad harum lectionem quandoque transferas: moxque tibi & amicis tuis lautiores mensas pares exhibeas, qui his optime saturati, ex earū indiciis, seu significationibus te referente secunda veluti cœna animum pariter pascant & oblectent, conferantq; quantū hæ his salsamentis sapidiores epulæ, & quotiens ad hujusmodi discubuerint, & palato & animo simul faciant satis: quas etiam Petrulo nostro propinabis, quem jam videre videor discumbentem, & supra ætatem majora satis audentem: cui Dii tutelam fortunent. Reliquum est, ut & tu de tuarum reliquiis mihi communices: siu minus (quando plures non flagitem, quam præstare possis) præscriptis verbis tecum experiar. Vale.*

## JUNO. Cap. I.

*Nat. Com. lib. 2. c. 4. Juliæ Piæ & Faustinæ numus.*



Junoni Pavo præcipue dedicatus Deamque ipsam nonnulli solo Pavonis hieroglyphico intelligebant. In Juliæ Piæ Felicis numo signum Junonis est, cum hasta & patera, Pavone juxta apposito, cum inscriptione, Junonem, casu quarto, quod lectu rarum est. In Faustinæ vero numis idolum idemtidem est: cum lancea & patera, à cujus pedibus Pavo: inscriptio est, Junoni Lucinæ. Junonis autem avem esse hanc, ejusque currui succedere nonnulli ideo confingunt, quod Juno dubio procul opulentiam significat: ea vero cum exponitur spectanda, omnium in se oculos contrahit. Verum ideo Pavones Junoni consecratos putat Athenæus, quod hujusmodi aves in Samo insula prius repertæ fuerint, indeque ad gentes alias delatæ: sacra enim apud veteres fuit Junoni Samos, & in Samiorum pecunia impressus Pavo, ut idem Athenæus author est. Spectabatur & Mycenis Pavo pulchritudinis admirandæ, in æde Junonis, quam Hadrianus dedicaverat.

*Vide Ovid. lib. 2. Met.*

## DIVITIARUM TURPITUDO. Cap. II.

*Dictum Theophr.*

Cæterum, plerumq; divitiarum finis in turpitudine consistit, talesque sunt Pavonis pedes, quare Theophrastus super hoc sapienter dixit, τ' ἄλλα περιγνῶθι, cum admonere vellet, in speciosa rerum ostentatione etiam alia circumspicienda perscrutandaque esse: quasi multa turpia & fœda visu dictuque, sub tam formosa specie delitescant: quod Theophrasti dictum ita Horatius expressit:

*Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota,*
*Introrsum turpem, speciosum pelle decora.*

Hujusmodi sunt apud Lucianum tragœdiarũ libri, cocco, purpura, auro, argentove foris amplifice decorati, intro vero simulac inspexeris, nihil lætabile, nihil deliciosum deprehendas: sed adulteria infanda, incestus, sacrilegia, turpissimas cædes, & omne scelerum & impietatis genus: ὑψαυχεῖ enim, ut antiquus Phocylides ait, ὁ πολὺς πλοῦτος, καὶ ἐς ὑβρεις ἀέξει. *Divitiæ elatum faciunt, scelera impia adaugent.* Argumentum autem hujusmodi ἱερογλυφικῶς exprimere qui voluerit, apte Pavonem cauda passa, unoque elato pede ostentatoque figurabit.

## DIVITIÆ VICISSITUDINARIÆ. Cap. III.

*Plin. lib. 10. cap 20. Huc spectat proverbium πακαλώτερον παῶνος, Pavone magis varium.*

Ast hominem, quo modo Divitiis afflueret, modo rerum inopia premeretur, varioque eventu fortunæ volubilitatem jacturis & donis experiretur, significare qui vellent, pro hieroglyphico Pavonis tantum caudam facere consueverunt: caudam is siquidem, singulis annis cum primis arborum frondibus admittit, cumque earundem germine recipit. Ab elabotatarum autem divitiarum similitudine factum crediderim, ut Homerum Platonici dixerint in Pavonem abiisse, qui tantum rerum varietatem poeticis coloribus ornatam explicuerit,

## NOX. Cap. IV.

*ἄργος quid.*

Noctem vero significantes, Pavonem surrecta in orbem cauda figurabant. Nam cum Pavonem Argum interpretarentur, tot luminibus insignitum, neque aliud quidpiam per Argum quam cœlum nocturno tempore, si detur dicere, oculatissimum intelligerent, atque illi nomen à splendore atque velocitate inditum profiterentur (utrumque enim ἄργος significat) neque alio tempore micantissimi stellarum radii coruscarent splendescentque, quam nocturno; datus est fictioni locus, ut per oculatam ejus alitis caudam nox ipsa, sensu mystico hierogiyphicoque significaretur.

DIES.

## DIES. Cap. V.

A Quod si idem innuere voluissent, eandem ipsam volucrem demissa cauda pinxissent: quasi tunc nox stellas occulere videatur, cum dies ipse cœperit adventare, tamque diu latitent stellæ, quamdiu Sol supra terram est.

## GLORIOSUS. Cap. VI.

VErum eadem species, quæ noctem significabat, hominem etiam gloriæ plenum exprimebat. Pavo enim pretiosam eam caudæ suppellectilem tum plurimum ostentat, cum plurimos ad se spectandum advenisse conspexerit: quod si nullum admirari, adesseve cognoverit, eam recondit veluti indignatus. Hinc Ovidius, *Laudata Pavone superbior* de valde sibi placente dixit. Quoniam vero fœminarum est proprium, qualibet in re sibi applausum quærere, gloriosasque esse, inter Pavonem & fœminam mirus quidam naturæ consensus est: ut minime mirum sit virginem in Leucadia usque adeo adamatam à Pavone, quem ipsa aluerat, ut ea defuncta ipse etiam commori voluerit. *Hoc à Plin. lib. 10. c. 20.* *Lib. 13. Metamor.*

## PRODIGUS. Cap. VII.

B NOn inepte autem nonnulli, perdito luxu prodigos, Pavonis imagine describunt, in quibus quidem cauda miræ conspicitur pulchritudinis, verum ea neque ad volatum, neque ad motum utilis: cum plerisque aliis omnibus volatilibus cauda, vel ad volatum dirigendum loco temonis cujusdam attributa sit, aut etiam ut motum juvet, vicemque remorum subministret: Pavoni vero ea tam ampla, tam sui prodiga, ad solam colorum ostentationem data-

## CONCORDIA. Cap. VIII.

IN numo Domitiæ Augustæ Imp. Domit. altera facie Pavonis effigies cum inscriptione, Concordia August. Hæc ea Domitia est, quam Domitianus Augustam salutavit, posteaquam ex ea filiam suscepérat, mox eam repudiavit, repudiatam ob instabilitatem ingenii cœpit iterum deperire, iterumque eam duxit, quasi populi precibus coactus: atque huc spectare crediderim Concordiæ, quæ scilicet maxime omnium in connubiis expetitur, inscriptionem. Pronuba enim Juno, cujus Pavo, vel ex Pavone Imperium, cui fuerat restituta: sive quod cum se Domitianus Jovem appellitari pateretur, uxorem etiam Junonis honore voluerit decorari. *Domitiæ Augustæ numus.*

C

## FORMINARUM CONSECRATIO. Cap. IX.

SEdenim in Faustinæ numo, quem argenteum vidi, Pavo habetur cum inscriptione, Consecratio. In numo etiam, cujus inscriptio hæc, Diva Paulina, caput grandioris natu mulieris ab occipitio velatæ, à tergo Pavo, qui eandem effigiem insidentem dorso inter alas sustollit: eadem, quæ in superiori est inscriptio, quippe Consecratio. Observatum enim est in fœminarum consecrationibus, Pavonem, avem quippe Junoniam, è fastigio emitti, prout in marium apotheosi Aquila Jovis ales emittebatur, quamvis in Divæ Sabinæ Augustæ numo Aquila, non Pavo sit. Videmus etiamnum Faus-



*Augustarum numi.*

D stinæ Piæ numum, in quo Aquila imagunculam cum radio gestat, cujus inscriptio est eadem, Consecratio. Sed minime mirum, Faustinæ Aquilam ritu virorum datum, quæ viro ipsa dederit imperium, quod etiam jure suo plerisque in rebus administrabat, non sine Marci Antonii conjugis, viri undecumque probatissimi nota, cui cum amici suaderent, principis sui ignominia offensi, repudiandam esse Faustinam, si nollet eam occidere, quæ, ut fama erat, Commodum ex adulterio concepisset, & apud Cajetam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisset: *Atqui*, respondit ille, *fieri hoc minime potest, nisi dotem etiam reddiderimus*: dos autem erat Imperium, quod ille à socero, volente Hadriano, adoptatus acceperat. In numo tamen, cujus inscriptio est, Divæ Maximæ, cum muliebri capite, quod Lunæ insidet cornibus sursum versis, ab altera facie solus Pavo est, cauda in rotam passa: inscri-

inscriptio, CONSECRATIO. Horum numorum vis magna, dum hæc scribebam, eruta est in agro Bellunensi vico Plauterio, cum ingenti Gallienorum copia. Ad hujus similitudinem factus est nummus ille, quem Romæ apud Colotium, alterumque apud Georgium Anselmum Parmæ vidi: in quo scilicet, Pavo est cauda in rotam effusa, à cujus pedibus hinc inde S. C. notæ singulæ conspiciuntur, circumcirca, CONSECRATIO, ab altera facie muliebre caput occipitio velato, literæ DIVÆ MARINIANÆ. Inferiorem ea Augustorum aut mater, aut conjux, quod ex operis ruditate conjicimus: nam quo tempore, non reperi.

## DE GALLINA. CAP. X.

GAllinæ significata, quæ Pavoni subtexere visum est, in hunc modum habent.

## TRIBAS. CAP. XI.

MUlierem tribadem, vel quæ maris officium aggredi non erubescat, vel etiam quæ viro dominari affectat, per Gallinam, quæ cristam erexerit, caudamque sustulerit, cuicue etiam parva quædam calcaria promineant, intelligi veteres tradiderunt: ea siquidem, ubi marem, quod nonnullæ faciunt, pugnando vicerit, cucurire incipit, & exemplo marium tentat coitu supervenire, Gallinasque reliquas perinde ac si rem peragere posset, solicitat, & saliendo defatigat, cristam caudamque erigit: atque ea incedit specie, ut non facile inde sit, utrum mas an fœmina sit, internoscere.

## DIVITIARUM FLAGELLATOR. CAP. XII.

VIrum vero, qui opulentissimas divitias prodegerit, &, ut apud Horatium est, res maternas atque paternas fortiter absumpserit, significare qui volunt, Gallinam aureos numos depascentem pingunt, de qua miraculum id proditur: ut si auro liquescenti Gallinarum membra misceantur illud in carnes eas consumi deprehendatur atque ita fit, ut Gallina sit auri venenum. Tradit hoc Aristoteles, atque eum secutus Plinius. Conjectores tamen autumant eum, qui per somnium Gallinarum gregem ad se venientem, & domum ingredientem inspexerit, & divitiis, & honoribus auctum iri. Quinetiam addunt, si Gallinæ ita per quietem visæ, pusillæ admodum apparuerint, lucelli idemtidem tenuitatem præsagiri.

## PERDITIO RERUM. CAP XIII.

*Sirenes cũ pedib. Gallinaceis quid.*

QUi fabulas delectabili Philosophandi genere commenti sunt, Sirenas confinxere, quæ blanditiis amatoriis, & voluptuosa nequitia homines ad se traherent, illecebrisq; irretirent, apud quas mollitudinis omnifariæ luto inhæsitantes fœde computrescerent. Harum pedes Gallinaceos fuisse tradunt, intellectu à superiore non dissimili. Scribunt enim hujusmodi fabularum interpretes, significari ex hoc, hominem libidinibus deditum, fortunas suas perseveranti studio dispergere, inutiliterque prodigere, cujusmodi esse Gallinarum morem cum pleno acervo pascuntur, aspicimus.



## FOECUNDITAS. CAP. XIV.

SUnt qui ratione habita quotidiani fœtus, & geminorum aliquando pullorum, qui ovo ex unico excluduntur: ovorum etiam, quæ nonullæ gemina singulis diebus edunt, cujus generis Gallinas Patavii vidimus, tertio etiam nonnunquam addito, verum eo abortivo, sola quippe cartilagine conspicuo, fœcunditatem per Gallinam & ovum significari velint. Sane de Gallinarum fœcunditate Albertus multa. Illud mihi satis fuerit adnotasse, quod apud Macedones Gallinam repertam ajunt, quæ ova duodeviginti semel ediderit, & in cubitu binos pullos ex ovis singulis excluserit. Sed à mirifica omnino alitis fœcunditate factum, ut Theologi veteres Gallinam pro piorum conventu poni tradiderint; ideoque dictum in Evangelio, ait Hesychius: *Sicut Gallina congregat pullos suos sub alis,*

*Fœcunditas Gallinæ mirabilis.*

SIMU-

## SALUBRITAS. Cap. XV.

A Quæ vero Gallina apud veteres Æsculapio est immolari solita, salubritatis indicium erat: propterea quod id sacrificii genus ideo ferunt institutum, quod harum caro levissimæ sit digestionis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei locupletissimum testimonium, apud Angelum Colotium deprehendimus: magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defossam juxta cippum, in quo Romæ Æsculapii statua erat, loco qui hodie Vivarium appellatur: quis enim tanto numero pedes ejusmodi eo congessisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuisset?

## SECURITAS. Cap. XVI.

*Ruta in gallinis securitatis symbolum.*

Atqui, veluti per Lauri furculum in ore Columbæ, & per Platani folium in Ciconiæ nido securitatem significari prodidimus, cur non etiam per gallinam, ad alam cujus Rutæ ramusculus applicitus sit, securitatem eodem modo pingi, hierogyhicumque sapere fateamur? siquidem, Africanus in iis, quæ de agraria Constantinus Cæsar colligi mandavit, ait, gallinas à fele tutas fore, si Rutæ
B sylvestris ramusculus sub ejus alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit, eo præsidio munitas: neque à Vulpibus, neque ab infesto quopiam alio animali contingi.

---

## DE GALLO. Cap. XVII.

Gallinacei galli significata quædam dissimulare nostræ fuerit verecundiæ: utpote, quæ vix salvo verborum pudore scribi queant. Id tantum dicamus, gallum alitem, ejusdem nominis gentem interpretari. Scimus gallinaceum aliquando gentem ipsam Gallicam prodigio Vitellii demonstrasse, cui Viennæ pro tribunali jura reddenti, gallinaceus supra humerum, ac deinde capiti superastitit, quod ipsum venturum in alicujus Gallicani hominis potestatem portendit, ut Tranquillus etiam interpretatur. Is mos ab Antonio, primo adversariarum partium duce, oppressus est, cui Tolosæ nato, cognomen in pueritia Becco fuit: ea vero voce gallinacei, rostrum & olim appellabant, & nunc uniuscujusque alitis nuncupant: quam locutionem à Phrygiis, omnium antequissimis emanasse alibi diximus, quod illi cibum Bec dicunt vocabulo genuino. Et orto Galliarum adversus Ne-
C ronem tumultu, Romæ passim columnis adscriptum est, Galli te cantando excitarunt: apte scilicet, ad ejusdem nominis gentem nuncupatione deflexa.

*Sueton. in Vitellio. c. 9.*

*Herodotus lib. 2.*

*Sueton. in Neron. c. 45.*

## TIB. IMP. NEQUITIA.



Quantum vero ad alitis petulantiam pertinet, crediderim ego pullum illum gallinaceum, qui exclusus est in manu Liviæ, Tiberium adhuc in utero gestantis, cum ipsa exploratura an esset marem paritura, ovum incubanti galinæ subduxisset, idque nunc sua, nunc ministrarum manu adeo usque fovisset, ut pullus excluderetur: non tam sexum in Tiberio portendisse, quam salacitatem & procacitatem eam qua ille mox famosissimus fuit.

## PURITAS ANIMI. Cap. XVIII.

D Sed quando sanctius fuerit hieroglyphica illa referre, per quæ animi divinitatem ex galli simulachro apud veteres intelligi solitam, comprobemus? Pythagoræ præceptum est gallum nutrire: quod nihil aliud sibi vult, nisi ut divinam animi nostri partem, divinarum rerum cognitione, quasi cibo solido & cœlesti propemodum ambrosia pascamus. Quare Socrates moriens cum animi sui divinitatem, majoris mundi divinitati speraret se copulaturum, Gallum Æsculapio, id est, animorum Medico, jam extra omne morbi discrimen posito, debere se, dixit: cum enim de corpore migrandum intelligeret, convaluisse prorsus, arbitrabatur. Ut vero interpretantur alii, ea de causa dictum hoc à Socrate, quod lethali eo sumpto pharmaco, sanitatis beneficium jam sentiret, cum exiret à corpore, quo

*Præsertim candidum, à quo etiam abstinendum, quod Mensi sacer & horarum nuncius.*

*D. Laertius in Socrate.*

quo omnes animi morbi scatere pullulareque sentiuntur, Lactantius Firmianus, Septimius Florens in Apologetico, neque non illi omnes, qui cum Aristotele Platonis verba, non sensa, cavillis incessunt, hoc dissimularunt, in quo summæ sapientiæ veritas delitescebat. Sed ut animi Medicum cum his dissimulemus: non desunt Platonis interpretes, qui Galli hujusmodi sacrificium eo trahunt, ut animas in cœlum migrantes Phœbo pæana, canere comminiscantur.

## APOLLO. Cap. XIX.

*Gallicinii proprietates.*

INter ea, quæ Apollini dicata sunt, quippe Arietem, Crocodilum, Scarabeum, Accipitrem, Leonem, Gallus etiam à Chæremone Stoico, & à Porphyrio recensetur. Insitum autem est Gallis, inquit Proclus, numen Apollinis advocare, & veluti propriis canticis assurgenti applaudere: & ut lib. de Divinatione ait Cicero, animal hoc admodum canorum est sponte sua, nos vero sacris hymnis canimus gallicinio Luciferum venturæ lucis prænuncium excitari, obductum caligine cœlum aperiri, dari copiam ut, patefacta jam via errores ambagesque omnes declinemus, canente Gallo, valetudinariis aliquam salutis, aut salutem allevationis spem affulgere, meticulosos trepidationes liberari, & multa, quæ per insidias parabantur dissipari: quæ omnia advenientis lucis beneficia sunt. Neque vero Solí tantum, verum etiam Lunæ dicatum esse Pythagoras ajebat. Pausanias, ubi statuas eorum, qui cum Hectore singulari certamine congredi, conjectis in urnam sortibus, minime recusassent, ab eo provocati, ab Achivis in Olympia dicatas ait, Idomeni clypeum Gallo gallinaceo insignitum fuisse tradit; propterea quod is à Minoe & Pasiphae duceret originem, quæ Solis filia fuerit, cui Gallum dedicari constat: quia ortum ejus præsentiat, cantu indicet mortalibus.

*Atque etiã à Pausania in prioribus Eliacis.*

## EXCUBIÆ. Cap. XX.



*Lib. 4.*

QUia vero Gallus à prima mediæ noctis inclinatione solet *explaudentibus*, ut Lucretius ait, *alis*

*Aurorum clara consuetus voce vocare*,

matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur, excubiarum & vigiliarum signum apud antiquos fuit: eaque de causa Mercurio dicatus ferebatur. Ac ut nostra quoque attingamus, eo multo ante lucem canente aberrans resipiscit Petrus, &, ut Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroque fletu crimen rebellionis expurgat, ne mirum adeo sit, quod datam aliti huic intelligentiam apud Jobem legimus.

*Tempus resipiscentiæ D. Petri, à Matth. c. 26.*

*Capic. 38. v. 36.*

## PROPHETÆ DOCTORESVE. Cap. XXI.

SUnt qui super hoc Jobis dicto intelligi velint Prophetas, & sacræ disciplinæ Doctores hieroglyphice per Gallum accipi: propterea quod illi inter vitæ præsentis tenebras, venturam lucem quasi cantando prænunciarunt: unde illud in eorum ore frequentius, *Nox præcessit, dies autem appropiquat*. Est & illud congruum Doctoris munus, ut quibus, quid, quando, & quomodo sit quidpiam indicandum, inferendumque animis, debeat velut divinitus cognovisse: non enim inquit Eucherius, una eademque cunctis exhortatio convenit: quia nec cunctos par morum qualitas devincit atque constringit. Itaque Gallus certa per intervalla modo hos, modo illos excitat, & antelucanum tempus discrimine veluti quodam dipartitur.

*Rom. 13. Doctoris munus.*

## PUGNACITAS. Cap. XXII.

IN Eleorum arce, Pallados simulacrum ex auro & ebore, Phidiæ opus, erat cum Gallo in galea surrecto: quod pugnacitatis hieroglyphium esse Pausanias arbitratur, cum tamen non inficietur Gallum Minervæ, cognomento Operatrici, sacrum esse. Sane Sybaritæ, gens ad omnes mollitudinis numeros nata, Gallum in urbe esse prohibuerunt, ne nocturni somni quidem interpellaret. Ideoque & fabriles omnes artes ablegaverant, ut memoriæ prodidit Athenæus, ne quid esset, quod voluptates

*Pausan. in prioribus Eliacis. Vel quod præscia futuri temporis.*

A luptates suas interturbaret. Quod autem pertinet ad pugnacitatem, Nicander Alexipharmacis, *ἀλεκτρυὼν νεοσσοῖς* inquit *pugnacibus* quippe *pullis Gallinaceis* exponit interpres: qui ut inter se dimicent assidue nati videantur, cum præsertim pugnã semel cœptam idemtidem repetant, nescii cedere: unde Græcum illud adagium, *ἀλεκτρυὼν ὑπὲρ δᾳδὸς insultat Gallus*, de redintegrantibus certamen: & Martis pullum eum vocat Aristophanes, Avibus. Non est illud dissimulandum, quod licet sint animalia ad pugnam nata, inventum tamen est incitari eos ad pugnacitatem allio in cibum dato, quod Græci *σκορδίζειν* dicunt. Quod vero ait Salomon, *Gallus ambulans inter Gallinas latus*, Eucherius imperii esse dicit significationem. Quod si in numum incideris Gallinaceorum conflictu signatum, scias eam fuisse Dardanorum pecuniam, Polluce teste: nam illi magnum pugnacitatis decus sibi antiquitus usurpavere. Hinc honoratum semper apud Maronem Dardaniæ nomen, cum secus Phryges fere semper velut imbelles notarentur. Jam & Chrysippus Gallorum æmulatione nobis adjici stimulos ad fortitudinem, atque inde quodammodo calcaria subjici scribit, libro de Justitia. Themistocles quoque Gallorum exemplo, in quos acriter pugnantes inciderat, exercitum confirmavit, cum ostenderet eos non pro patria, neq; pro penatibus, neq; pro majorum sepulchris, uxoribus ve, aut liberis B id incommodi aggressos, sed ea tantum de causa, ne vincerentur, nolle alterum alteri cedere. Omnium vero pugnacissimos Gallos habuisse fertur Rhodos insula: neque quidẽ adhuc ibi degeneravit ea volucrum hujusmodi ferocitas, & visenda proceritas, ut in quibusdam inde Romam allatis, ipsi conspeximus. A Galli vero pugnacitate factum, ut gemma Alectoria, quam in Galli ventriculo inveniri tradunt, victoriam dicatur eam gestantibus comparare, qua Milo Crotoniates usus, invictus in certaminibus fuerit: de quo Plinius lib. XXVII. cap. X.

*Eras. Chil. 3. cent. 3. prover. 22.*

*Lucianus in Gallo, & Diogenes Laer. in vita Diogenis.*

*Hæc à Plin. lib. 3. c. 10.*

## PERSÆ MILITES. Cap XXIII.

PErsarum porro milites Galli nuncupantur à Caribus, ob conos, quibus galeas ornatas habebant, eaque de causa Artaxerxes hominem è Caria, qui Cyrum jaculo vulnerasse creditus est, eo honestavit præmio, ut Gallum aureum in lancea præfixum ante aciem ferret: author Plutarchus. Sed enim Athenæus Gallos in Perside primum ortos ait, unde fortasse cognomentum id Persæ potuerint habuisse. Aristophanes, ut suus est mos omnibus illudere, Gallum ait olim Persis imperasse, unde ad- *Anton. Pii*
C huc cristatos in cassidibus. Quæ vero simulacra tria totidem Gallis adblandientia, spectantur in An- *Augusti*
tonini Pii Augusti numo, crediderim ego, ad mansuetissimum ejus ingenium spectare, ut qui pugnacitatem commitigare procuraret, qui omnem belli ferociam quanto potuit studio emolliverit: utpote qui mallet unum civem servare, quam mille hostes occidere, solusque omnium Principum sine civili sanguine, & hostili etiam, quantum ad se pertineret, vixerit. *numus.*

## SUESANI. Cap. XXIV.

UNus autem Gallus toto surrectus corpore, cum phosphoro à tergo stella addita, ut inscriptio indicat, *Suesanorum pecunia fuit.* *Suesanorum pecunia.*

## VICTORIA. Cap. XXV.

IN augurali vero disciplina Gallus est victoriæ signum: propterea quod avis illa victa silere soleat, canere si vicisset. Hinc Lacedæmonii, ut apud Plutarchum est, cum hostem viribus profligassent, Gallum immolabant: qui Bovem tunc sacrificare soliti essent, cum sine cæde victoria obtigisset. Ferunt Socratem Iphicrati duci animos adjecisse, cum Gallinaceos coram Callia pennis & rostro dimicantes ei præmonstrasset: quod & Themistocles, uti diximus, ad suos animandos fecerat. Quod vero
D de cantu dicebamus, refert Tullius historiam, ex Callisthene Leuctricæ calamitatis tempore, quæ Lacedæmonios propemodum oppressit, cum apud Thebaidem Trophonio res divina fieret, Gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse, Thebanorum esse victoriam. Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum edi solitum scribit Plinius, idque Athenis etiam institutum à Themistocle, superatis Persis, ait Ælianus, quamquam ea & ludicro fieri apud Lucianum & Herodianum legas.

*Plin. idem lib. 10. c. 21.*

## VINEARUM INCOLUMITAS. Cap. XXVI.

METhona civitas est in Trœzeniorum agro, cujus incolæ Gallum pro vinearum incolumitate mactare soliti sunt, ut Africi venti, qui eas plurimum infestat incursionem vel averte-

rent, vel saltem emollirent: cum enim flare institerunt, vitium oculos exurunt, spemque vindemiæ fallunt. Moniti igitur ab aruspicibus, sacri genus hoc instituere, ut viri duo Gallum unum, & eum album manu uterque sua apprehenderent, & in diversa abeuntes trahendo discerperent, partemque uterque suam manu præferentes vineta loci omnia perlustrarent, donec ita omnibus expiatis in eundem convenirent locum, ubi Gallum dissecuissent, ibique partibus utriusque humi defossis, nullum ejus anni incommodum se passuros persuasum habebant: juvitque sors, ut quamdiu sacrum id celebravere, res illis ex voto succederet. Quid vero sit in causa, cur tanta vigeat in Gallo vis,



*Lucret. l. 4.*

*Ut nequeant rabidi contra constare Leones,*
*Inque tueri, ita continuo meminere fugai,*

nemque cum utrumque animal solare sit, ex magorum observatione inesse majorem solaris virtutis Gallo, quam Leoni: idcirco Leonem potentiori cedere, satis superque in Leonis commentario disputatum à nobis, Proclique super hoc opinio recitata.

*Proclus in lib. de Magia.*

## IMPIETAS. Cap. XXVII.

NEque prætereundum est illud, quod ex imagine Gallinacei impietas ipsa hieroglyphice figuratur: is enim matrem salit, ut hippopotamus, & patrem etiam immaniter incessit, eaque de causa sapientissimi Legumlatores Gallum una cum Vipera, & Cane, in parricidæ culeum includendum censuerunt, ut qui ejusdem criminis rei sunt, eodem supplicio simul afficerentur, & pœnas pares luerent. Notum illud apud Aristophanem, quod Philippides, qui patrem verberaverat, exemplo Galli factum tuetur suum: patrem enim ille male multat.

---

## DE GALLINAGINE. Cap. XXVIII.

ATtrahit ad se nominis similitudo, ut Gallinaginem huic adnumeremus gregi, quamvis super ea nihil Ægyptii.

## BENEVOLUS. Cap. XXIX.

SUnt qui benevolum hominem per Ascolopaca, quam Gallinaginem Latini vocant, pictam intelligant, quod avium nullam majore erga hominem studio affici compertum sit. Magnitudo volucri, quanta Gallinæ est, rostrum longum: attagenæ color.

---

## DE ANSERE. Cap. XXX.

SEd ut ad cohortales redeamus, de Anser dicendum: de qua tamen nulla apud Horum mentio: quamvis libellus ille, qui supereſt, valde curtus sit.

## CUSTODIA. Cap. XXXI.

*Plin. ideem lib. 10. c. 22.*

SUnt qui per Anserem pictum custodiam interpretentur, idque ex Romana potius historia desumptum, quam ab Ægyptiis traditum. Neque tamen ab hujusmodi significato physica abest ratio: quippe qui naturæ admodum pavidæ cum sit, pervigili cura, ut acutissimus est ad ea sentienda, quæ latent, facile excitatur: & minimo quoque strepitu expergiscitur, ut ita olim Urbem ipsam sedem ac domicilium Imperii, defenderit ac conservarit: unde illi honores apud Romanos instituti: quanquam Heliogabalus totius humani ordinis inversor, omniumque bonorum morum illusor, eos ita fit ultus, ut Canes jecinoribus Anserum pascendos instituerit. Illud vero juniorum commentum est, per Anserem alligatum ad anchoram, firmam custodiam intelligere. Anchora porro firmitudinis indicium est, ut loco suo dictum.

SILEN-

## SILENTIUM OPPORTUNUM. Cap. XXXII.

A NEque hoc ab Ægyptiis obſervatum, ut ſilentium in tempore ſervatum, per Anſerem, qui lapillum roſtro apprenderit, ſignificetur. Avis enim hæc, quæ clamore graviter obſtrepenti fere ſemper clangit, ut etiam inter paſcendum ſilere nequeat, exemplo eſt humano generi taciturnitatis etiam, ubi res exigit, obſervandæ: quippe quæ ſalutem ſuam alto interdum ſilentio tueri ſoleat. Illæ ſiquidem, ut Ammianus author eſt, ab Orientali calore invaleſcente, in Occiduam plagam tranſmeare conſueverunt, cumque Taurum montem Aquilis abundantem penetrare cœperint, fortiſſimarum volucrum vim pertimeſcentes roſtra ſua lapillis occludunt, ne ulla vel extrema neceſſitate clangor elici poſſit: iiſdemque collibus agiliore volatu tranſcurſis, tutum jam iter nactæ, calculos projiciunt. Neque me præterit, eruditiſſimum virum de diſcipli-



*Anſerum hic induſtria.*

B nis omnibus & politioribus etiam literis optime meritum, hæc, quæ Ammianus de Anſeribus ſcribit, Gruum eſſe aſſeverare, quod alii viderint. Res hæc mihi ſuggerit in memoriam non imprudens Ariſtotelis conſilium, quod Calliſtheni ſectatori, & propinquo ſuo dedit, cum eum ad Regem Alexandrum mitteret: admonuit enim hominem, ut quam rariſſime, & id jucunde, apud eum loqueretur, qui vitæ poteſtatem & necis in acie linguæ geſtaret.

*Plaut. in Alexandro. Val. Max. lib. 1. c. 8. Ariſtotelis conſilium.*

## IMPROBITAS. Cap XXXIII.

ALioquin Anſer in vaticiniis, & rerum aliarum elogiis, improbitatem quandam præ ſe ferre videtur. Hinc Homerus in ſomnii præſagitione, procos per Anſeres innuit, ejuſque inauſpicata garrulitas & à Virgilio, & à Propertio quibuſdam vitio data eſt. Averſum enim adeo eſt à poeticis ſtudiis Anſeris in-



*Laurus inimica Anſeri*

C genium, ut Phœbeam arborem laurum, quam ſibi exitialem, ſi ejus foliis veſcatur, intelligit, pertinaciſſime fugiat. Nam cum natura ſit admodum calidus, liquidis & frigidis delectatur cibis, lavationesq; amat, & ea declinat, quæ perniciem afferre poſſint. Laurum vero igneam eſſe ſuo loco diximus. Non diſſimulabo, quod ad procos attinet, inventa aliquando in Anſeribus amoris erga homines exempla, ut proditum de eo, qui puerum Amphilochum Olenium genere deperierit, quod & Clearchus & Theophraſtus teſtatum reliquere. Et Glaucen Ptolemæi Regis citharistriam memorat Plinius, quam Anſer, & eodem tempore Aries etiam, adamarint. Alius Lacydi Philoſopho comes perpetuo dicitur adhæſiſſe, ut nuſquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digrederetur.

*Meminit Ælian. lib. 9. c. 39. & Plin. lib. 10. cap. 22.*

## DETRIMENTUM. Cap. XXXIV.

D ESt & detrimenti hieroglyphicum Anſer paſcens: propterea quod quacumque ille oletum ſuum ſparſerit, adurere omnia ſoleat: neque quicquam magis vel ſatis vel pratis officere, quam ſi eo pabulatum anſeres immittantur. Quinetiam eorum ſtercus, ſi muria diſſolvatur, & oleribus inſpergatur, omnia vitiabit. Tum Anſer ille poetarum perditiſſimus, qui inter Olores ſatis cum impudentia ſtrepere notatur à Marone, à Cicerone quoque carpitur: quod illi Falernum fundum Antonius dono dediſſet: quod niſi & improbus, & perditorum morum fuiſſet, conjectura eſt Antonium id minime facturum: eoque ſpectat Ciceronianum illud in Antonium, *Anſeres de Falerno depellendi ſunt,*

## ACCUSATOR INANIS, Cap. XXXV.

ET ne longius ab eo digrediamur, apud eundem oratione pro Sex. Roſcio, Anſerem invenias pro eo accuſatore poſitum, *qui obſtrepat tantũ, noceat tamen nihil,* cum Canis non tantum allatret, ſed

*Accuſatorum diverſa ratio.*

sed etiam mordeat. Ejus verba sunt non importune repetenda. Anseribus cibaria publice locantur, & Canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint: at fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint, & quia id est suspicionsum, tametsi bestiæ sunt, in eam partem potius peccant quæ est cautior. Quod si luce quoque Canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor his crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio: alii vestrum Anseres sunt, qui tantummodo clamant, & nocere non possunt: alii Canes, qui & latrant, & nocere possunt.

## SUOS TANTUM CURANS. Cap. XXXVI.

NEque illud dissimulabimus, quod hominem, qui suæ tantum familiæ curam suscipiat, aut rerum tantum suarum satagat, quid rei gerant alii securus, ac minime curiosus, per Anseremovis incubantem, apto admodum hieroglyphico indicare possumus. Anseres siquidem, ut Quintilii, qui de agricultura, quam diligentissime scripserunt, tradidere, aliena ova in suo etiam genere fovere nequaquam solent: quare curatores eorum, dum ova pariunt, certis characteribus uniuscujusque sua tum signare debent, atque ita unicuique sua ad novem supponere.

---

## DE PERDICE. Cap. XXXVII.

DIssimulanda fuerat & Perdix, ne pudendum super ea significatum propalam proponeremus: sed quoniam suscepti operis ordo nos compellat, nihil est supprimendum, quod inter hieroclyphica à veteribus adnumeratum invenerim. Habere vero potest Perdix cum chortalibus locum, quod ea quoque domi alitur, saginatur & cicuratur. Sedenim vitia ideo ponuntur, reprehendi possint, quodque abominabile videatur mortales audientes ipsi absterreantur.

## AMOR TURPISSIMUS. Cap. XXXVIII.

IMpudicissimum hominem, tamq; efferata nequitia perditum, ut in consanguineis quoque nullo pudore sit petulans, significare si vellent Ægyptii sacerdotes, Perdices duas pingere sunt soliti: ipsæ enim conjuge viduatæ, sese invicem abutuntur. Mares quippe, ut cernere est ex iis, qui domi aluntur, inter se tumultuant, clamitant pugnamque de coitu conserunt, quos cœlibes vocant: qui autem victus in pugna fuerit, sequitur victoris Venerem, neque aliud pugnæ præmium, nisi victum à victore pollui. Verum hoc non fieri semper, sed certo anni tempore, observatum ait Aristoteles. Illud fere semper, ut cum primum pullus exire cœperit, à mare subigatur: nec tibi mirum adeo videatur, quod Marcellus Perdicem ex avibus virili genere appellandum dicat, Varronis authoritate nisus. Romani sane pro hujusmodi notæ puero, pullum dicere soliti sunt: unde Q. Fabium, cui Eburno propter candorem cognomen fuit, pullum Jovis appellarunt, quod natis ejus fulmine icta fuerit, quasi eam Jupiter appetisset: cum potius interpretari debuerint, & eum, & ejus amatores omnes segne perdendos esse. Apud Ausonium quoque, Marcum quendam impudicissimum felem pullariam dictum reperias. In fabulis fertur à quibusdam, Perdicem venatorem matris amore deflagrasse, ut eadem improbitas sit filiorum in matres, quæ in eo alitum genere parentis est in filios. Sunt qui figmento historiam, sunt qui Philosophicum sensum applicent, sed ipsa volucris impudica procacitas argumentum fabulæ proculdubio suppeditavit. Quare mihi non deliciarum tantum causa videtur Heliogabalus Perdicum plumulis in stratis, in pulvinaribus, ac etiam accubitis passim usus, quantum naturæ similitudine: cum portentosus ille, virne dicam an brutum potius, nullum nequitiæ genus intactum reliquerit, pudore prorsus omni perdito atque profligato.

*Atque favinoris verecundia consumptū fuisse.*

*Heliogabuli stratum.*

## IMMODERATA NEQUITIA. Cap. XXXIX.

*Plin. lib. 10. cap. 23.*

SEd ut semel dicam, nihil ad enervatissimam libidinem, & impotentissimam salacitatem exprimendam Perdice commodius, quæ plerumque de coitu tanta efferatur rabie, tantaque æstuat libidinis intemperantia, ut mas ova interdum frangat: ne cubando detineantur fœminæ: quocirca illæ, ut fœtus sospitent suos, ova modo huc, modo illuc, quo mares fallant, transferre coguntur.

PRÆ-

A

## PRÆCOX PROFECTUS. Cap. XL.



POteſt & celer profectus ex Perdicis pullo, verum eo qui adhuc corticis parte aliqua veſtito, ſignificari. Perdix ſiquidem moræ velut impatiens minime expectat ut ovum incubatione ad tempus aperiatur: ſed occupatis ſpatiis ſponte erumpit, pertuſoque ovo ubi primum caput exeruit, pedesq; protulit, reliquo adhuc adhæreſcente cortice, procurrit, ſibique cibum enaſcitur.

## REDITUS IN VIAM.

### Cap. XLI.

ABerrantem hominem aliquamdiu, falſaque ductum opinione, ſed viæ demum redditum, & recta ſentientem oſtendere qui volunt, Perdices duas grandiores faciunt, pullis aliquot inter utramque pictis. Si enim eveniat, ut Perdix ova ſua fracta compererit, tanto incubationis ſtudio afficitur, ut aliena ſurripiat, nidoque infoveat ſuo; verum illud evenit, quod divi Hieronymus & Ambroſius ex Hieremia tradunt, ut cum pullos eduxerit, illos amittat: hi ſiquidem audita illius voce, quæ ova pepererat, naturæ vegetatione perculſi, hac veluti nutrice deſerta, ad eam ſe conferant, quæ ova illa unde excluſi eſſent ediderat. Clamaſſe, inquit vates, Perdicē, pullosque, quos minime pepererat congregaſſe, familiamque ita ſuam inprudenter auxiſſe, interimque pullis ad matris vocem procurrentibus, derelictam hanc inſipientiæ ſuæ demum admoneri. Noſtri tamen Theologi hiſtoriam hanc aliter interpretati ſunt: alii enim per Perdicem malum dæmonem accipiunt, qui Dei fœtus in pravitatis nido adulterina educatione ſibi ſperat enutrire. Per ova ſpem, quam de ſubigendis eis, & ſub imperio ſuo detinendis concipit. Per eam vero avem, quæ vera mater eſt, quæ ova illa ederit, piorum conventum interpretantur, ad quem, uti legitimam & naturalem matrem, ſimulac vocem ejus audierimus, deſerta falſa, procurrimus. Adamantius per Perdicem aliena ova confoventem, intelligit hæreticos, genus quippe hominum Perdicis inſtar malignum, fraudulentum, callidum, quodque decipiendis venatoribus multum inſumit operæ: ubi tamen veræ matris ſanctioris quippe inſtitutionis, vox audita fuerit, eos deſeri, atque ita pœnas ſuæ inſipientiæ luere.

*Perdix aliena ova confovens, hæretici.*

## REI FAMILIARIS CONCORDIA.

### Cap. XLII.

NEque tamen aves hæ ita ſemper in libidinem efferaſcunt, ut non interdum ardor ille deferveat, & unanimi concordia mas & fœmina rem familiarem curent: quippe bina ovorum faciant receptacula, in quorum altero mas, in altero fœmina incubet, ova inter ſeſe partiti, excludatq; uterq: ſua, atque educet. Quod quidem anſam dedit, ut rei familiaris concordiam in conſortibus, per duas Perdices incubantes exprimere voluerint: cui rei adverſari videtur, quod ſuperius de perdita earum incontinentia dictum, ubi marem ova frangere indicatum libidinis impatientia, ne fœminæ incubatione detineantur. Sed id non ſemper, ſed interdum recidere poſitum.

## ASTUTIA IN EVITANDIS PERICULIS VAFERRIMA

### Cap XLIII.

QUinetiam vaferrimum in periculis evitandis hominem aſtuque maxime pollentem ſignificantes, Perdicem & venatorem pingunt, quæ quo pacto ſectantem eludat, & Ariſtoteles, & ab eo Plutarchus, accuratiſſima narratione perſcripſerunt: quæ ſcilicet pullos adhuc involucres ſupinos proſterni, ſeque ſtramentis & paleis obtegi, adventante venatore, ad ſibilli ſignificationem aſſuefaciat: ipſa vero ante aucupis pedes provolans, ſui ſpem capiundi facit, mox abvolet, ac ſubinde redeat, donec ita illudens abducat eum à pullis procul, repetitoque mox ſibilo, ut Ariſtophanis interpres

*Ariſt. libr. de nat. animal. c. 9. Plutar. lib. utrũ prud. animalia, terr. anim. rina.*

pres ait, abvola dum jam admoneat. Eoque spectare crediderim proverbium, πέρδικος σκέλος, & πέρδικος πούς. Interpretes claudum quendam Perdicem nomine apud Aristophanem inveniunt, & ab eo adagium in claudicantium aliorum ludibrium emanasse. Sed esto aliquid in significato claudicationis, natura tamen Perdicis efficit, ut ad dolos & vafritiem spectare proverbium opinemur, cum scilicet subdolo quempiam ingenio hac progressurum speras, ille tamen evestigio illac se proripit, atque ita vacillatione spectantium spem eludit, ut iter ejus, aut rerum progressus eventumq; nūquam certa possis conjectura deprehendere. Nam qui versus apud Athenæum citatur, ἔγχει πιεῖν μοι καὶ τὸ πέρδικος σκέλος, ad hujusmodi pedum inconstantiam, titubationemque eam, quæ oritur ex nimio potu, facere videtur: *pedes enim tentat vinum luctator dolosus*, ut apud Comicum est. Nullū autem inter aves animal Perdice dolosius neq; astutius; unde illud Aristophanicum, ἐκπερδικίζει, quippe Perdicis more periculum evadere: ait enim ejus interpres, οἱ γὰρ λαμβάνοντες κάρφη τοῖς ποσὶ, ὑπτίους ἑαυτοὺς ῥίπτουσιν, καὶ οὕτως ἐπικαλύπτουσιν, καὶ ἐκκλίνουσι. *Stramenta enim pedibus contrahentes, supinas se prosternunt, atque ita occultantur, & periculum declinant.* Atque hæc latius apud Plutarchum, libro quo disputat, utra prudentiora sint animalia, terrestriane an marina.

## CONTUMELIOSUS. Cap. XLIV.

*Perdicum duo genera.*

ADdunt & contumeliosum hominem per alitem hanc significari: quod in suo genere maximæ hæ tumultuari, dissidere, & altercari vicissim assidue consueverint. Sunt vero Perdices aliæ nobiles, aliæ rusticæ. Nobiles longe grandiores sunt, sylvasque & saltus plurimum incolunt: rusticæ arva & segetes pervagantur. Grandiores illæ sunt, etiam picturatiores, & plerisque Italiæ locis nomen retinent inculume. Romæ tamen Starnas vocant, de quibus forte Plinius dixerit: *Misit Hispaniæ externas aves.* Rusticæ longæ minores, fusciore pluma, & quodammodo cineritia. Idem utriusque ingenium, sed dolosiores, pugnacioresque rusticæ, quas nunc Italia à sono vocis *Qualeas* fere ubique vocat.

## ASTUTIA PRAVA. Cap. XLV.

HIeroglypicum etiam sapit Græcorum mythologorum fabula, qua fingunt Dædali nepotem, ob inventa artis suæ arma quædam admodum utilia, per invidiam ab Athenarum arce summa præcipitem datum, qui terra vix tacta mutatus sit in Perdicem. Cujus figmenti talis fertur interpretatio: Impuri homines cum à sapientiæ arce deciderint, à rectis honestisque studiis alieni facti, tametsi astutia freti aliqua suis in rebus excellere videantur, hisque tractandis super alios attoli, sordidis tamen & improbis negotiationibus impliciti, sublime nihil sapiunt: sed humi volitantes, dolisq; & fraudibus omnibus freti, rem quocunque modo facere tantum student, libidinum & cupiditatum suarum laqueis & retibus impliciti obvolutique: eo Perdice deteriores, quod illis vaferrima est ars ad elabendum, capturamque declinandum, quod Græci dicunt ἐκπερδικίζειν: hincque capti fugam moliuntur, neque si evadere possint, studium adhibent ullum ut salvi fiant. Astutiæ hujusmodi causa factum puto, ut Eucherius cacodæmonem ex Perdicis imagine significari dixit, eo loco:

*Hierc. c. 17.* *Clamavit Perdix, congregavit quæ non peperit.*

---

## DE COTURNICE. Cap. XLVI.

*Hinc proverbium: ὀρτύγων ἀνάπτεσθαι φύσιν, Coturnicis naturam induere in pugnaces.*

IN Coturnice multa sunt, quæ cum Perdice conveniunt, pugnacitas quippe eadem, quo in ludo illa præcipue celebratur, quam omnium victricem mirata est Alexandria, urbe quippe tota in alitis hujus præconiis occupata. Hanc Erotes Ægyptii procurator morositate nescio qua imponens, in ludibrium emit, atque assam devoravit, quo facto jussus est ab Octaviano Augusto malo navis effigi. Est & par improbitas naturæ, neque odiosa minus, eo vero magis detestanda: quod ad hanc impietas insuper accidit & deorum contemptus, religionisque odium, & quantum illa ferocire potest, execratio.

## IMPURITAS. Cap. XLVII.

PEr ejus enim hieroglyphicum sacerdotes Ægyptii impuritatem indicabant, ubi vulgati Codicis Græci mendum animadvertas, in quo Oryx quadrupes animal pro Cortunice positum & ita traductum:



*Impura Coturnix, cur.*

A ductum: neque enim hic quicquam de Oryge apud Horum, apud quem in vetustis codicibus manuscriptis ὄρυγα, non ὄρυγα, legas. Et eodem capitulo vulgati etiam codices habent τοῦτο μόνον τῶν πτηνῶν, quod satis manifestum facit, de ave, non de quadrupede hæc dici. Ea vero de causa impura Coturnix habebatur, quod quotiescunque Luna oritur, inauspicatos clangores excitat adversus eam, non quæ Deum salvere jubeat, aut laudatione prosequatur, ut Solem gallinacei, sed manifestissima det indignationis adversus eam signa, quod apud ipsos magnæ dabatur impietati, cum summo Lunam cultu prosequerentur. Ante omnia autem terram fodicat (ita intelligendum, τοῖς δὲ ἐμπροσθίοις αὐτοῦ σκέλεσι ἀνορύσσων τὴν γῆν) pupillasque sibi
B idemtidem conscribillat, utpote quæ indigne ferat Lunam apparere, quam neq; quidem intueri patitur, atque eandem facit in ipsius Solis tam divini astri exortu: qui mos nonnullis Æthiopum nationibus in Solis ortu, quem velut hostem maxime reformidant, & ne spectent, in loca palustria fugientes, ubi non alia fruticum aut sylvarum copia fuerit, ibi delitescunt, Deum omni execratione prosequentes. Antiqui vero Reges (namque non nisi sapientes eligi solitos tum temporis, satis constat (cognita Coturnicis natura, quæ verum horoscopi signaret emersum, animalis istius opera tanquam gnomone quodam utebantur: non otiose in id intenti, certum exortus ipsius punctum deprehendebant. Quapropter sacerdotes solum hoc animal ex volatilibus, quæ ciborum usum præbent, nullo tamen mactationis honore illi habito, comedebant: utpote quod contentionem quamdam (desideratur enim ἀντιδικίαν vulgatis in codibus) præ se ferre videretur adversus præcipuum Deum suum.

## PERDITISSIMA MALIGNITAS. Cap. XLVIII.

C EAdem avis in solis, ubi libenter habitat, locis, si quem limpidulæ aquæ fontem adinvenerit, simulac biberit, aquam reliquam rostro pedibusque corrumpere, lutosamque reddere, pulvere etiam in eam ingesto, nititur: ne cuipiam alteri animali ad potum appetatur: quæ quidem maligna, improba invidaq; Coturnicis natura Ægyptiis argumentum dedit, ut malignum hominem per ejus hieroglyphicum notarent. Ejusmodi vero morum impuritatem eodem modo damnat Ezechiel quarto supra trigesimum capite, dicens: *Et cum purissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis.* Sed enim Ægyptios non tam maligni in alios monere mores, quos in turbanda Coturnix aqua profiteatur, cum ipsa adversus Lunam impietas, & ingrati animi significatio, cum tot à Luna beneficia animantibus omnibus beneficia, de qua generatio, & alimenta rerum, quotquot & hominum & brutorum usui necessariæ sunt. Nam quantum ad turbationem aquæ pertinet, animalia quædam sunt, quæ turbulentam & crassam suavius bibunt, ut Cameli, qui ne ex fluvio quidem prius hauriunt, quam pede protrita terra aquam spissiorem effecerint. Neque aliter potu gaudent Elephanti quoque, sed ii ne imaginis suæ torvitate terreantur, turbidam bibunt. Vere autem Coturnix Alcibiadis
D magistra fuit, qui dato Pericli consilio de ratione potius non reddenda, tranquillam civium suorum quietem perturbaturus esset. Nam cum jam primas in Republica partes occupasset admodum adolescens, forteq; sententiam in Senatu de re seria diceret, ut ejus sinu Coturnix evolavit, quæ tamen totius Senatus cursitatione capta, Alcibiadi, non sine venatoris ambitione, forte etiam præmio, reddita est. Quantum vero pertinet ad alitis hujus esitationem (ut hoc pro corollario subjiciamus) non defuere Medici, qui eas mensis summoverent, tum quia veneni semen illis gratissimus cibus, cum propter comitialem morbum, quem, ut Plinius tradit, solæ omnium animalium sentiunt præter hominem, eaq; de causa veratrum appetere feruntur. Aristoteles tamen hominem tantum comitiali morbo tentari ex omnium animantium genere asseverat, Problematis. Sed enim Plutarchus capellas quoq; comitialem sentire profitetur. Quod vero de veratro dicebamus, ita apud Lucretium legas:

*Luna beneficia.*

*Ezech. c. 34.*

*Plutar. in Alcibiade.*

*Plin. lib. 20. cap. 23.*

*Præter-*

*Præterea nobis venatrum est acre venenum,*
*At capris adipes, & coturnicibus auget.*

Et Ovidius ad venenum spectans:

*Ecce coturnices inter sua prandia vivunt,*
*Forsitan & fiunt inde frequenter anus.*

*Hæc Athenæus lib. 9. Coturnix Herculi sacra. Auctor Zenodotus.*

Nam ut in Serpente dictum, excogitatum est in morbis desperatissimis Viperas edendas dare: unde non modo salus, sed vitæ etiam subsecuta sit longitudo. Cur vero Phœnices Coturnicem Herculi sacrificarent, causa est, quod in fabulis eum ab hac alite servatum ajunt: hunc enim Jovis & Astræ filium in Lybiam profectum, à Typhone occisum esse autumant, Jolaumq; Coturnicem ejus naribus admovisse, cujus odore fuerit in vitam restitutus; & ne mendacio locuples abesset testis, vulgatum est etiam dicterium, Ὄρτυξ ἔσωσε Ἡρακλῆ τὸ καρτερόν, *Fortem Coturnix sospitavit Herculem.* Alii eum dicunt ejus alitis esu à comitiali morbo, quo insigniter laboravit, liberatum esse: quo si tentantur & Coturnices, facile fieri potuit, ut sympathiæ vi aliqua tacitave atque incognita naturæ potentia, vel nidore vivæ, ut nonnulli ponunt, alitis ustulatæ, vel esu potius morbi genus id fugaretur, atque ita Hercules vitæ, redditus fuisse videretur, quod est vero similius. Sed ne, Vir clarissime, te magnis & assiduis Reipublicæ negotiis detentum ulterius demorer, mira hæc minime videntur esse: quia variis medicina modis prodest, noxia modo per similitudinem cognitionemq; naturæ deducendo; modo per dissensionem contrariamque vim expellendo, modo sensim abrodendo, modo per dissolutionem mitigando, aliis atque inventis, quæ salutaria quis novit, adhibendo, ut tam contraria quam consentanea prodesse comperiantur.

---

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIRER XXV.

## DE IIS QUÆ PER STRUTHIOCAMELUM ET MINUTIORES ALIQUOT AVES SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD THOMAM MILIARIUM BELLUNENSEM.

*Contendenum superioribus diebus ab Leonardo patre tuo, ne te assiduitate tam pertinaci, tuæ literarum studiis insenescere permitteret: id enim è re tua fore, & ad salutem tuam facere plurimum arbitrabar, si fervor ille adolescentiæ tuæ, aliqua otii interpositione cohiberetur: proinde aliquid comminisceretur, quo tu Venetiis apud nos per geniales hos dies, quibus vindemia celebratur, aliquam laboribus tuis quietem interponere cogereris, ut aliquando nobiscum amœniori cuipiam tete concederes hilaritati, paulo post ad lucubrationes tuas alacrior rediturus. Non enim animus sine fultura corporis sustineri potest. Neque mihi satis placet, quod Platonem illum tuum ajunt sponte atque ex animi sententia, Academiæ locum minime salubrem delegisse, ubi Philosophantium apud se corpora macerarentur, debiliorque fierent: sive mea hæc semper fuit imbecillitas, & ad hanc usque ætatem natura sponte valetudinaria: sive persuasum habeam incommoda corporis studiorum profectui plurimum officere. Quantam enim ego hinc jacturam fecerim, sum mihimet ipse conscius. Et quantum cœli hujus patrii benignitas mihi contulerit, ipsa jam minus cadaverosa facies, quam at-*

A *tulerum Roma, facile poterit iudicare: è tristi quippe quodam senio in prosperam, nitidam firmamq; virilitatem transmutata. Sane hinc ad vigiliarum perseverantiam, & legendi scribendiq; labores tolerandos longe alacriorem factum me sentio. Tu, quod magis conferre soleat ipse videris, dummodo valetudinis atque firmitatis ratio in primis habeatur. Fecit autem ille, ut omnibus, in rebus festivissimus est, quod deposcenam: tu vero respondisti, venturum te libenter, si modo per dies hos, quos in patria consumpturus esses, vellem ego tecum quotidie vel venatione, vel aucupio exerceri. Accepi conditionem, quantum ad aucupia pertinet: ac ne me imparatum deprehenderes, neve ulla nos tempestas, aut casus, ne minus res cum avibus esse posset, interturbaret, aviarium variis alituum generibus instructum comparavi: idque totum tibi, ludoque tuo destinavi. Tu cum veneris, quid facturus sis vide simulac convivium ex iis construere constitueris, utrum simplices has carnes, sine ulla peregrinæ jucunditatis aspergine, sine Apitiano ullo artificio sis appositurus: an, quia nonnullæ forsitan fatuæ, & sine succo videbuntur, hic condimenta illa aromataria Veneriis allata sis adhibiturus: ea vero quam suavia, quam odorata, quam pretiosa. Propera igitur, ut quando per Ægyptum aucupia nostra sumus exercituri, apud Cleopatram factas nos cœnitare. Ego enim*

B *cellum depeculabor, & patinarum struices apparabo, tu corollaria & secundas mensas addere collatitio illo, uti consueveramus, more non gravaberis.*

## DE STRUTHIOCAMELO. Cap. I.

FAcile quidem meminisse potes, optime Thoma, quo die Carolus V. Imp. à Clemente VII. P. M. Bononiæ coronam accepit, sacrificii genus quoddam à Germano milite media platea procuratum: interfuisti enim rei gestæ, cum Bovem mactaverunt, cujus uterum exenteratum, variis alituum generibus, aliorumq; esculentorum farciminibus complevere, lætum hilaremq; diem ex his omnibus una tostis celebratur. Ita nos tunc facturi videmur, qui Struthiocamelū, visendæ magnitudinis alitem, minutioribus pleriſque aviculis in ejus alvum ingestis confarcivimus. In collacitiis vero nostris cœnis illis, quas post relictam Romam patriæ redditus, teque sodali jucundissimo reperto proposueramus, singula tantum singulis ciborum genera per sortem educebātur. Nosti multa ejus multiplicitatis esculenta à convivis excogitata, ut legi fraus fieret sumptuariæ, quæ inter nos sancita fuerat: rex enim variæ sub uno vel farinaceo integumento, vel omasi cuticula delitescebant: sed non id ganeæ, verum hilaritatis causa. Quare cum hæc fieri soleant in ludum, nos quoque ludum boni ominis causa prosecuti, ingenti illi minores alias aves ingessimus. Maxima ea omnino avium, si modo avis appellanda est, cui pulmæ tantum sunt, non tamen volatus: cui crura pedesq; atq; ungulæ, non forma tantum, verum etiam magnitudine propemodum bubuli. Sed hæc alii disputabunt, nos plumarum alatumq; animal in volucrum ordinem interim admittemus.

C

*Plin. ead. lib. 10. c. 1.*

## JUSTITIA. Cap. II.

HUjus sane pennæ, quoniam præter alarum avium morem æquales omnes inter se sunt, justitiam & æqualitatem erga omnes significant, ut apud Horum habetur. Plurimus vero earum usus ad canos bellicos, & galeas adornandas, tam apud veteres, quam apud nostros, cujusmodi illæ, quæ in eo numo habentur, cujus inscriptio, Ti. Cæsar divi aug. f. aug. p. m. tr. pot. xxiiii. Ibi enim pennæ hujusmodi in quodam serto sitæ sunt supra frontem sigilli, cui subjecta est

D inscriptio, Justitia. Numum Bononiæ vidi apud Joan. Achillinum. ibidem apud Alexandrum Calcinium solum Justitiæ caput in numo est, cum eodem pennarum æqualium gestamine, iisdem literis, quippe, Justitia. Sed enim ut ad alitem revertamur, quoniam Struthiocameli stolidi adeo sunt, ut cum colla fruticibus occultaverint, latere sese existiment, succurrit Carneadis disceptatio, qui Justitiam nihil aliud esse quam meram insaniam profitebatur.

*Corneadis disceptatio.*

## PINNÆ IN MOENIBUS. Cap. III.

AD ejusdem speciei similitudinem murorū summa fabricari solita, causam dedere ut Pinnæ vocarentur ab iis, ut Varro ait, quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Hinc intelliges de armatura Samnitium, quæ alibi apud Varronem & Plinium legeris.

*ἐπαλξεις, id est, summitates. Hinc Pinnipii Retiarii.*

## ELEMENTORUM CONCORDIA. Cap. IV.

SAne si quis Ægyptiorum more elementorum concordiam indicare voluerit, non imperite picturam eam proponet, quam ipse rerum opifex per animalia per id præ se ferentia considerandã proposuit, Lutram scilicet, vel ejus loco marinum Vitulum, Struthiocamelum, & hominem, uno vinculo religatos. Lutra siquidem, & Vitulus marinus, media sunt animalia inter terrestria & aquatica, vinculumque illud ostendunt, quo terræ applicitæ sunt aquæ, suisque coercentur finibus: quia Divina providentia cum arenam terminum maris posuisset, leges etiam imposuit aquis, ne fines transgrederentur suos. Struthiocamelus autem ambiguus est inter terrestria & aeria: vere enim volucris non est, quæ nequaquam à terra, ut volucris, attolli potest: pennæ autem alæque illi ob id tantum à natura datæ, ut cursum adjuvent. Crura vero uti dictum, bovilla propemodum, ungulasque bisulcas habet. Denique inter elementa omnia, & cœlum ipsum, homo intermedius est constitutus. Ita per hujusmodi picturam tota ipsa rerum machina describitur.



## MULTIVOLUS. Cap. V.

DIvinæ literæ Struthiocamelum pro multivolo homine, & certi nihil sibi adsciscente ponunt, videlicet qui sacræ adscriptus militiæ, profanis tamen negotiis implicetur, iisque tantum tractandis occupetur. Nam quod alatum est, contemplationem refert & exscribit, sed propter vasti corporis magnitudinem tollere se humo nequit, alis tamen, uti dicebamus, ad cursum utitur. Quod pedes bovillos habet, terræque semper adhæresçit, quæ terræ sunt significata susçipit: ita enim videtur Hesychius interpretari. Quod vero ad animalis hujus ingressum attinet, tametsi volare nequit, pernicissime tamen currit. Struthiocamelos ait Xenophon, quos apud Euphratem Cyri milites offenderunt, à nemine capi potuisse: tam longe enim modo pedum pernicitate, modo alarum quasi velificatione procurrebant, ut statim equites desperata præda insequi desisterent.

*Plin. lib. 10. c. 1.*

## HÆRETICUS. Cap. VI,

QUod vero superius diximus ex Hesychio, Eucherius quoque per animal hujusmodi hæreticum hominem significari tradit: qui habere quasi videtur sapientiæ pennas, volare tamen non potest.

## HYPOCRITA. Cap. VII.

*Esa. c. 34.* EUcherius idem ait de hypocritis dictum ab Esaia: *Erit cubile draconum, & pascua Struthionum.* Parit siquidem ova Struthio, verum, ut alibi diximus, neq; illa incubatu fovet, neque pullos nutrit. Ita hypocrita, quamvis recte alios admoneat, & recte faciendi vim addoceat, nullos tamen filios per ullum bene actæ vitæ exemplum generat. Hinc Jobes clamat: *Struthio in terra reliquit ova sua, & obliviscitur, quod pes ea sit conculcaturus,*

## INSIPIENTIA. Cap. VIII.

ADhæc, uti paulo ante dicebamus, genuina illa animalis stoliditas effecit ut imago Struthionis caput intra frutices abscondentis, insipientiæ hieroglyphicum haberetur: utpote, qui cum avium sit grandissima, ita ut altitudinem equitis equo insidentis excedat, si tamen colla tantum frutice occultaverit, latere se totam existimet, cum reliqua magna admodum corporis moles in aperto relinquatur. Ita dum in capite secura est, diceret Tertullianus, nuda, qua major est, ... cum capite capitur. Diodorus tamen id à Struthiocamelo, non ex stupore fieri contendit: sed quia sibi conscius habere se caput admodum debile, occultare id quamprimum studeat.

*Plin. ibid.*

DE

A

## DE VESPERTILIONE. Cap. IX.

MOnstrosa quoque est Vespertilionis effigies, multaque in se mystica continet hieroglyphica.

## AB EXILI FORTUNA IN ALTUM EVECTUS. Cap. X.

PRæcipuumque illud apud Ægyptios fuit, ut per animal hujusmodi significarent hominem, qui debilibus & exiguis viribus, sive nobilitatis, sive fortunæ, sive etiam ingenii præditus, ita tamen repente emerserit, ut non se tantum humo sustulisse, sed subito volatu elatus in sublime ferri videatur: cujusmodi exemplorum plena Roma semper fuit. Vespertilio siquidem licet pennas non habeat, sola tamen membranula fretus volat, ita ut difficulter distinguas, sit ne avis, an mus. Quare apud mythologos argute vafreque duas eludit mustelas, dum se alteri avem, alteri se murem venditat, atque ita capitis periculum evadit. *Hæc à Plin. lib. 10. c. 61.*

B

## OFFICIA MUTUA. Cap. XI.



MIrum vero illud inter hoc tam brutum genus, quod tanta se humanitate complectuntur, ut nulla convenientius specie figurave officia mutua describas, quam per Vespertiliones alterum ab altero catenatim dependentes. Habet enim id genus animalium mutuam inter se quamdam benevolentiam, sæpeque veluti catena quadam contexta, si qua ulli vis inferatur, mutuo sibi cohærent, imbecillitati suæ opem sibi invicem afferentes, visæque sunt alia ab alia alarum hamis unius ad alterum porrectis pendentes, longum veluti funem produxisse.

## NUTRICATIONIS FACULTAS. Cap. XII.

C

MUlierem iidem sacerdotes lactis ubertate fœcundam, & bene nutricantem significare si vellent, eamdem ipsam alitem pingebant: quippe quæ sola volucrum & dentes & mammillas humanis similes habet, lacteque nutrit pullos, uberibus mulierum in modum admotis. Nam Ægyptii, ab iis quæ in unoquoque genere reliquorum naturam aut mores excederent, significationum suarum argumenta desumebant. Quod vero ad mammas pertinet, Græci hanc alendi fœlicitatem indicaturi, Dianæ simulacrum mammosum effingebant, cujusmodi illud fuit, quod Ephesi tamdiu tanto concursu visitatum, eamque Latini ea de causa multimammiam appellarunt, cujus exempli multa hodie Romæ vetusta signa conspiciuntur. Minime vero prætereundum est, hoc loco in impressis exemplaribus Hori perperam legi, Τιωαῦκα ϑηλάζουσιν καὶ καλῶς ἀνατεθῆσαν βυλόμενοι ζωγραφῆσαι, τετράνα ζωγραφῶσι, cum ex manuscriptis codicibus antiquis & historia ipsa legendum sit, βυλόμενοι ζωγραφῆσαι, νυκτερίδα πάλιν ἔχουσιν ὀδόντας καὶ μαστὸς ζωγραφῶσι hoc est, *Volentes pingere Vespertilionem, idemtidem dentibus & mammis præditam pingunt.* Inde sequitur pro reddi- *Dianæ simulacrum mammosum.*

D tione causæ, ὅτι δὲ μόνη τῶν ἄλλων πτηνῶν ὀδόντας καὶ μαστὸς ἔχει. *Siquidem sola ex omni volucrum genere, & dentes simul & mammas habet.* Quorsum enim dentes & mammæ ad Turturem alitem minime monstrosam?

## LUCIFUGA. Cap. XIII.

QUod si hominem latebris & occulto secessu gaudentem, vel qui rei cujuspiam metu perculsus in apertum minime prodire audeat, significare vellent, Formicam & Vespertionis alam adpingere consuerunt. Ajunt siquidem, eam esse inter Vespertilionem & Formicas naturæ discordiam, ut si ala tantum Vespertilionis Formicarum cavo admota fuerit, nulla earum foras progrediatur. *Vespertilionum & Formicarum antipathia.*

## MORA. Cap. XIV.

*Cum formicis scilicet.*

Quinetiam sunt qui tradant credi solitum, Formicam eo numquam exire, quo Vespertilio vel semel accesserit, atque ideo Formicam sub Vespertilionis ala positam, & moræ, & tarditatis aut impedimenti significatum habere. Transit & ad Columbas hujusmodi sympathia: quia, ut Florentinus libro de re Rustica ait, Columbæ stationem minime deserunt, si Vespertilionis caput supra turrim posueris.

## INSCITIA. Cap. XV.

*Triplex hieroglyphicon Vespertilionis.*

Cognitionem alibi per lumen significari diximus: unde etiam Dare luci, pro declarare, & edocere sæpe legimus: contra vero inscitiam per tenebras intelligimus, unde Hallucinari, pro decipi per ignorantiam. Quoniam vero Vespertilionis ea natura est ut tenebris gaudeat, neque lucem ferre possit, Divinæ literæ dum Vespertilionem à sacris summovent, ἱερογλυφικῶς cum intelligunt virum in quo nullum disciplinarum, aut veræ institutionis lumen effulgeat, explodi debere: alioqui apud Eucher. Vespertiliones in Divinis literis idolorum monstra sunt. Propheta: *Ut adoretis Talpas & Vespertiliones.* Sunt etiam cogitationes immundæ, quas improbi dæmones ingerunt, ut idem sentit.

## SECURITAS. Cap. XVI

Neque desunt, qui securitatem indicaturi, Vespertilionem inverso capite pingant: is enim circumlatus domui vivus, & super fenestram vel in hyperthyro, aut ipsis in valvis inverso capite affixus, maleficiorum amuletum creditur, Plinio etiam id tradente, quod ad hæc usque tempora, plerisq; locis factitari videmus. Contra vero, si quis etiam amoliri arcereque ab ædibus velit suis, platani folia suspendat. Africanus enim in his, quæ de agricultura conscripsit, Vespertilionem eo non ingredi tradit, ubi arboris hujusmodi folia suspensa conspexerit. Pro corollario addam occisi eas hederæ suffumigata. Nam eas, qui sustulisse se profiteri signo aliquo velit hieroglyphico, Vespertilionem faciet hederæ folio insidentem. Nam Alcithoe Leucothoeque sorores apud Ovidium, C spreviſle Bacchi sacra finguntur, eaque de causa in Vespertiliones mutatæ, unde suffitum hederæ ita exhorrent, ut eo etiam necentur.

## IMPURÆ MENTIS HOMO. Cap. XVII.

Hesychius ait etiam hieroglyphicum esse hominis, qui sero & parce fidei documenta susceperit: inque illis mente non satis firma versetur, sed in ambiguo omnia reponat, neque sciat de terra sua exire, sed in quibus genitus est latebris libentissime delitescat, Christianus demum sit, sed parum fidelis: sero enim Vespertilio prodit, sub ipsum quippe crepusculum vespertinum, atque ubi tribus aut quatuor spatiolis volatum exercuerit, à noctis tenebris occupatur, neque longe fertur, sed supra circumque tecta semper volitat: cum Abrahamo Dominus peregrinationem indixerit, terra in qua alitus erat, quamque inhabitabat, derelicta, pristinam scilicet imbecillitatem & crassam originem nobis posthabendam admonens, perinde ac etiam separari nos à parentibus, & sequi Dominum doctrina moneat Evangelica. Vespertilio demum utrum ales an musculus sit, extat in ambi- D guo, cum, uti paulo ante diximus, ipsemet in fabulis persuadeat Gallo se esse Murem, Catto vero alitem. Volat quidem, non tamen pennis, sed membranulis innixus, neque pluma, sed pilo, atque eo quidem murino, vestitur. Ita homines plerique volatu qualicumque præditi, baptismatis tantum tinctum assecuti, apud Catholicos Christum fatentur Petrum Ecclesiæ specifice proposuisse, apud hæreticos impudenter delirant atque prævaricantur, apud Judæos Christum rident, apud Mahumetanos tam Judæos quam Christianos incessunt. Impurissimum hominum genus, non modo Vespertilionibus perquam simile, sed cui merito ἀπὸ τῆς μαῤῥαίνεσθαι nomen inditum sit; abominabile id quidem, & omnibus abhorrendum.

DE

A

## DE OTIDE CAP. XVIII.

ΩΤΙΔΑΣ Græci dicunt, quas aves Tardas Hiſpania, damnatas in cibis: propterea quod oſſibus ejus effractis, teter odor ex medulla ad tædium uſque extemplo ſequitur. Sed enim Xenophon earum carnem ait multo ſuaviſſimam. De tarditate idem tradit, & faciles captu aſſerit, quod nihilo quam Perdices longius provolent, celerrimeque fatigentur. Ægyptii Sacerdotes hanc quoque hieroglyphicis annumerarunt. *Plin. lib. 10 3. eadem*

## IMBECILLUS FORTIORI ASSURGENS. CAP. XIX.



*Otidis demiſſio.*

B

QUippe ſi hominem imbecillum qui ferociori potentiorique aſſurgeret, in ac rebus gerendis ſententiiſque dicundis primas illi partes cederet, ſignificare ii vellent, aut ita faciendum admonere, Otidem avem, & Equum adpingebant: illa ſiquidem ſimulac Equum aliquem in conſpectu habuerit, nihil quicquam contata, illum quadam veluti venerationis oſtentatione excipit: circumque volitando, & ſubſequendo deducendoque, officium facere quodammodo videtur.

## NIL ALTUM SAPIENS. CAP. XX.

CUm vero Otis omnino avis ſit, animi eſt identidem ſignum: alatus enim animus paſſim apud Platonem. Sed hæc animum indicat ignavum ac ſtupidum: quippe quæ tarda eſt, corpulentiaque adeo gravis, ut vix ſeſe terra attollat, ita terreni etiam affectus, quo quiſpiam detineatur, indicium eſt: quippe qui nihil ſublimè ſapiat aut meditetur.

C

## CONTUMAX. CAP. XXI.

AT ſi quis contumacem aliquem & monitoribus aſperum, ab omnique bono opere alienum, hieroglyphico referre voluerit, aptè Otidem & Canem pinget: nulla enim avis Canem exhorreſcit præter Otidem, quæ ſuæ ſibi conſcia tarditis, ſimulac Canem conſpexerit, latrantem audierit, ſtatim arrepta fuga ſe condit in latebras. Per Canem autem ſuo commentario, Sacerdotem præcipuè ſignificari diximus in templis concionantem, de divinis, de pietate, reliquiſque bonis moribus diſſerentem, contra impios ſcilicet & improbos oblatrantem. Eum igitur qui ſubfugitet & Sacerdotes, ingenio plurimum contumaci eſſe conſentaneum eſt. *Canis Otidi inimicus quid.*

## DE ALCEDONE. CAP. XXII.

D

ALcedonem, quod hactenus viderim, Ægyptii non poſuerunt: ea vero apud Italos ſua habet ſignificata.

## TRANQUILLITAS. CAP. XXIII.

QUorum vulgatum illud eſt, per Alcedonis nidum rerum quarumlibet tranquillitatem indicari: mare ſiquidem per dies circiter quatuordecim, quibus aviculæ illæ nidificant in littoribus incubantque, mira pacari ſerenitate compertum eſt. Eſt vero nidus ille miro artificio ex piſciculorum oſſiculis & ſpinulis contextus, ad gladii cujuslibet ictum incolumis, figura cucurbitæ, præter unum perexiguum cavum, qua ingrediendi & exeundi ſit parentibus aditus: cætera concluſus. *Hæc à Plin. lib. 10. c. 32*

## JUSTITIUM. CAP. XXIV.

TRanſit & ad res civiles figuræ hujuſmodi ſignificatum: nam hæ ad maris varietates accommodantur: eſt enim juſtitii monumentum, ideoque à Plauto dictum, *Alcedones eſſe juxta forum*: ἀλκυονίδες ἡμέραι Ad *Plautus in Caſſina*

Ad suspensas enim fori procellas, fluctuationesq; & turbines, hoc aptissimè refertur. Nam & Horatius *mersari se* ait, *si quando res agere adlibuerit civilibus undis*. Ita dies Alcyoniæ, dicuntur, quibus fora conticescunt. Sunt vero dies Alcyoniæ, ut luculentissimo carmine Simonides tradidit, septem ante brumam, dum scilicet incubat, & septem à bruma, posteaquam pulli excluſi fuerint: quibus eisdem diebus ea tranquillitas non semper nostris locis, in Adriatico quippe sinu, contingit, neq; etiam Tyrrhena ora: at in Siculo mari fere semper. Fit vero bruma, ut Hesiodi interpretes scripsere, mense Januario, quem in honorem Bacchi Lenæum ipsi vocant, & eo mense à Latinis Brumalia celebrari dicunt, quod Bromius Bacchus appelletur: Sedenim Trajani temporibus, quod de ætate sua Plinius profitetur ad 8. Calend. Januarias fuit, quo die natus est nostræ salutis Assertor. Accidit autem bruma, tresq; cardines reliqui, in octava singulorum, Capricorni, Arietis, Cancri & Libræ, quæ diuturnitate temporis ob minutorum aliquot neglectam intercalationem, minimè nunc respondere comperias: nam octava Capricorni, circa vigesimam est nunc Decembris diem. Sedenim hæc perpendere Astronomorum diligentiæ dimittamus.

*halcyonii dies, ex Aristoph. Avib. Dies Alcyoniæ quid. Hor. prima epistola. Ibid. Plin. Sed hoc reparatum est calendario Gregoriano.*

## CONSVETUDINIS RARÆ HOMO. Cap. XXV.

Alcedonem præterea pingebant, quotiescumq; vellent hominem raro prodeuntem, & minimo temporis momento cum hominibus versatum significare. Alcedonem siquidem videre est omnium rarissime: fere enim circa Vergiliarum occultationem, brumamque ipsam apparet, & ubi primum per portum non plus quam navem circumvolaverit, statim abit, ut nusquam prætera conspiciatur: de quo apud Stesichorum latius. Causam hujus nidulationis hybernæ quærit Albertus, eam esse suspicatus, quod avicula ea rara adeo sit textura, ut æstate propter nimiam corporis aridit atem progenerare nequeat: hyeme vero obturatis præ frigore poris, humidioreq; effecto corpore, fiat ad conceptum idonea. Non dissimularim hoc loco quod Antigonus ait, Alcedones ubi senescunt, Cerulos vocari. Verum Aristoteles discernit inter se diversas, Alcedonem, Cerulum, & Cornicem. Sunt qui harum marem Cerulum vocent, idque verum esse tradunt interpretes Theocriti.

*Plin. ibid.*

## DE CURUCA. Cap. XXVI.

Sunt pleraque de quibus Ægyptii parum, alii multum locuti sunt: quæ tamen quoniam Ægyptiacis commentis non dissimilia sunt: in Struthiocamelum hunc infarcienda videntur, atque ibi sis Curuca & Cuculus.

## ALIENI FILII PRO SUIS EDUCATI. Cap. XXVII.

De quibus vulgatissimum apud omnes scomma, hominem per eam significari, qui filios aduterinos pro suis pascat, Cuculas enim Curucæ absumptis ovis, in ejus nido sua potissimum ova ponit, utpote qui se ignavum minimeque idoneum agnoscat, qui possit pullis necessaria comparare. Suæ igitur sibi conscius imbecillitatis, eam init rationem ad prolis suæ tutelam: quippe qui omnium avicularum injuriis sit expositus, vereaturque ne si nidum struat, minimo inde negotio depellatur, idcirco ad alienas confugere opes pergit. Curuca itaque ova illa fovet & excludit, atque educat pro suis. Aristoteles, si modo legitimum est id opusculum, *De mirabilibus auscultationibus* accidere hoc in Helice tradit, addit & in Palumbium aut Turturum nidis ova ea deponi.

*Cuculus in nido Curucæ nidificat. Hinc Juvenalis, Tu tibi nunc Curuca places.*

## DE CUCULO.

## MINIMA QUAQUE DE RE TIMIDUS. Cap. XXVIII.

Cuculus, quia timiditate maxime omnium avium genus excedit, adeo ut à minimis quibusque aviculis convellatur, easque præ metu fugitet, commenti nonnulli sunt, hominem minimaquæq; expaveſcentem, per alitis hujusmodi picturam significari. Unde convicia illa, sive quempiam adulteræ

*Cuculi vocabulum in injuriam abiit.*

A adulteræ uxoris maritum dicere volumus, sive ignavum, sive stupidum, aut nullo animo præditum hominem notare, Cuculum appellamus, ut apud Horatium Sermonibus :

*Tum prænestinus salso multumq; fluenti*
*Expressa arbusto regerit convicia, durus*
*Vindemiator, & invictus cui sæpe viator*
*Cessisset, magna compellans voce Cuculum.*

*Lib 1. Sat. 7.*

Solent, inquit Porphyrio, levia rustici circa viam arbusta vindemiātes à viatoribus Cucquli appellari: tum illi provocati, tantam verborū amaritudinem in eos effundunt, ut viatores illis cedant, contenti eos Cuculos iterum atq; iterum appellasse. Ego cum Octobri mense Roma Neapolim proficiscerer, in ejusmodi jocos incidi, per continuum diem conviciis hujusmodi delectatus. Quare cum Acrone dicere possumus, hoc autem ipsa re novimus, quemadmodū viatores quos in itinere vindemiatores per agros cospexerint, conviciis agitare gaudeant, illique ita respondere, ut Cuculum eam apellent quasi pigrum, ignavum scilicet ac nihili hominem. Sed hoc parum est, & quod à Porphyrione dicitur, subfrigidum: hodie siquidem res agitur calumniis etiam vehementioribus: viatores enim eos nunc B Pulterones, nunc Cornutos, nunc aliis atque aliis conviciis incessunt: illi contra, sive civis, sive magistratus, sive Rex ipse occentare cœperit, omne opprobii genus regerunt, tegendisque retectis turpissima quæque minitantur: præsertim si celsissimis quæ frequentes tota regione sunt arboribus insederint: quamvis id impune toto agro Compano Neapolitanoque, tempore vindemiæ licet, ne quid Liberi liberati detrahatur. Atque hoc illud est quod Flaccus ait: *Durus vindemiator & invictus cui sæpe viator cessisset.* Quoniam vero species Cuculi certo anni tempore non multum differt ab Accipitre, locus fabulæ datus, quam in Arati vita Plutarchus refert. Ipsa enim inducitur minores aviculas percontari, quare fugerent se conspecta, quæ nullam præ se ferat ferocitatem: quoniam, responderunt, suspicamur te aliquando futuram Accipitrem.

*Eadem fere Plin lib. 18. c. 26 & huc allusit Plautus in Asinaria. At etiam cubat cuculus: sterge amator. i domum.*

## TRANSMUTATUS. Cap. XXIX.

C POssumus igitur hominem, qui vel mores vel effigiem ita commutarit, ut alius pene videatur, per eundem hanc avem significare. Ea enim figuram immutare creditur, & in aliud transire genus, cum inter Accipitres omnino numeretur, licet unguibus sit haudquaquam aduncis, neque capite Accipitri similis, sed colore tantum, rostro quoque magnitudineque columbino potius quam Accipitrino.

## PULICUM DEFECTUS. Cap. XXX.

ALii porro, quoniam Ægyptios animadverterant de pulicū defectu describendo solicitos fuisse, quippe orgianum in eo significato proposuerant, addidere ipsi Cuculum, & humanum vestigium, qua specie pulicum exterminationem indicarent. Ferunt enim, quo quis loco primum audiat alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vastigium inde fodiatur: non gigni pulices, ubicumque pulvis eo vestigio compressus, sparsus fuerit. Hæc observarunt Magi. Pulicum vero nuncupatione humiles sordidæque curæ sunt intelligendæ, quibus impliciti vitam agimus anxiam & inquietem. Multa enim, licet ea pingere aut sculpere insanientis vaniq; sit ingenii, ob exiguitatem, quæ mi- D nus repræsentari potest, usu tamen loquendi frequenter usurpantur.

*Pulices quid.*

*Jupiter in Cuculum mutatus.*

## JUNO Cap. XXXI.

PAusanias, ubi opera ea recenset, quæ Mycenis spectatu digna viderentur, in sceptro, quod in Junonis manu erat, Cuculum insedisse dicit: eaque de causa signum ita fieri solitum, quod Junonis desiderio Jupiter aliquando in eam aviculam se converterit: tam inania illi de diis suis comminiscebantur. Quinetiam locum Coccygium appellatum authores celebrant, in quo Jupiter in Cuculum sit mutatus. Apud interpretes Theocriti ita leges, Jovem Junonis congressum appetiisse, rem tamen occultare voluisse: mutatum itaque in Cuculum, abiisse in montem qui tunc Tronax, postea vero

*Pausanias in Corinthiacis.*

vero Coccyx appellatus est, eoque & Junonem concessisse, quæ simulac assedit, Jupiter in ejus avis effigie ad eam advolavit, seque in ejus genua projecit: repulit hunc Juno excusso peplo, at ille statim mutata facie acceptus ab ea est. Hinc apud Argivos Junonis simulachrum in throno collocari, in manu vero sceptrum poni, supra quod Cuculus. O lepidos & otiosos deos, qui puerilibus his næniis delectarentur: sed longe magis ineptos, qui talia scriptis mandare non erubuerunt.

## NUPTIÆ. Cap. XXXII.

*At in Gallia contra.*

CUm vero vincula jugalia curæ sint Junoni, putarim ego boni ominis causa, Cuculum deæ dedicari solitum: boni est enim augurii Cuculus, nostrique solent ex ejus cantu ducendæ uxoris tempus percontari. Caro autem ejus si in cibum autumnali tempore veniat, cæteros saporis exuperat.

## VERNUM TEMPUS. Cap. XXXIII.

ESt & verni temporis signum Cuculus: id quod vel imperitæ innotuit plebeculæ. Porro nuncium eum veris ponit Hesiodus:

ἤνικα κόκκυξ κοκκύζῃ δρυὸς ἐν πετάλοισι.
*Ut cantum audieris quem reddit ab ilice coccyx.*

Tunc enim exultare hominem dicit, quia verum eo nuncio veris adventum intelligant. Pistotherus apud Aristophanem, Avibus, ubi Cuculum Ægyptiis imperasse dicit, tam eos ait quam Phœnices ad cantum hujus aviculæ, tanquam ad imperium, triticum & hordeum demetere solitos: tempestivior enim apud eos messis, quam in Græcia & in Italia fit.

---

# DE CAPRICIPITE.

## AGELASTOS. Cap. XXXIV.

*Sedes risus, amoris, libidinis & iracundiæ.*

HOminem qui nulla jucundiore consuetudine posset ad risum allici, quod ejus expers esset veluti Socrates fuisse fertur, ostendere si vellent, Capricipitem avem pingebant, quam sine omnino carere tradunt; in liene vero sedes est risus, veluti amoris in jecinore, libidinis in lumbis, iracundiæ in felle. Eaque de causa dictum, Columbam summam significare mansuetudinem, quod bile careat.

---

# DE UPUPA.

## FERACITATIS PRÆCOGNITIO. Cap. XXXV.

UPupam Ægyptii cum pinxissent, præcognitem vindemiæ feracitatem, sive lætum ac plenum vindemiæ proventum indicant, lætitiam scilicet aliquam affuturam, ut in Vite latius explicatur. Quia si ante vindemiæ tempus valde clangere audita fuerit, nimirum vini redundantiam prænunciare creditur,

## EBRIETATIS REMEDIUM. Cap. XXXVI.

*Perpetuo virentem. A Plin. l. 12. c. 21.*

HOminem vero ebrietate laborantem, ac sibi remedium comminiscentem, significare cum volent, Upupam & Capillum Veneris herbam pingebant: Upupa siquidem uvis vescitur immodicè, ita ut plerumq; inde ebria fiat, ac simulac se tentari sensit, Capillo Veneris decerpto efficacissimè sibi medicatur. Herbã hanc ἀδίαντον Græci vocant, ὅτι μὴ διαίνεται, hoc est, eo quod minime macescat, neque quidem si aqua perfundatur, immergaturve, neque bruma putrefit, ut herbæ reliquæ. Summovent autem Upupam Divinæ literæ, quam piorum mensis inferri nolunt, querulam quippe volucrem, lugubrem atque luctuosam, quæ nihil unquam nisi mœstum & triste meditatur. Unde per alitis hujus hieroglyphicum, hominem vitiis deditum intelligunt Theologi: propterea quod nemo magis querulus, magisque mœstus assiduè est, quam unusquisq; vir improbus atque flagitiosus: so-

licitus

A liciat hunc admissorum scelerum conscientia, vel inquietum exercet admittendorum cupiditas & impotentia. Nam si tumore superbiæ turgescat, quæ illi unquam hilaritas arridebit? Fastu cruciatur assiduè, neque ullos tantos putat honores, qui quod affectat explere possint. Repulsam passus est, infelicissimum se mortalium putat. Avarus est, si jactura quantulacumque fiat, vicem deplorat suam: si prædam cui inhiabat elapsam videt, miserè cruciatur. Quid iracundus? annon statim ut incensus est pœnas vitii dat sui? Unde Salomon ei luctum mandat, cui iræ, cui rixæ, cui sine causa manus sanguinariæ. Quid invidus? nonne suimet carnifex indefessus? Quid libidinosus? mentita est amica, æstuat immensum: explevit cupiditatem suam, languet & erubescit. Quid vorax? distentus est, ægrè habet: famescit, extorquetur. Quid ebriosus? aret guttur, pulmo inflammatur: potavit, mente, capitur, titubat, semianimis deficit, atque ut semel cum Flacco dicam:

*Annè magis Siculi gemuerunt æra juvenci,*

quam ejus animus qui sit improbitati, facinoribusq; addictus flagitiosis? Contra vero probus modestusq; vir, ruat cœlum, nulla re commovebitur, gaudebit semper, æquanimis erit semper, gaudentem

B hilaremq; scit à Deo vocari, exultantem sacris admoveri. Repulsam patitur, modestè fert: jactura afficitur, paruo contentus est: denunciantur inimicitiæ, pacem meditatur: solicitatur à maligno, resistit audacter, lætumque tunc triumphum agere sibi videtur, cum semetipsum edomuerit. Cibum & potum ita moderatè sumit, ut neque mentem offuscet, neque debilitet corpus, nullaque demum animi tranquillitas, nulla lætitia, hilaritas nulla huic comparari potest, quæ in rectè factorum conscientia requiescit, cum se pium cogitet, cum se vitam puriter egisse reminiscitur.

*Upupæ hieroglyphica in Dibinis explicatio.*

## DE FLORO. Cap. XXXVII.

LOnge diversum ab Otide est ingenium Flori: nam quantum illa venerationis in Equum ostendit, tantum hæc exercet odii & ignominiæ.

## FEROX A MANSVETO SUPERATUS. Cap. XXXVIII.

C FErocem hominem ab humiliore mansuetioreque superatum, per Florum aviculam, quam ἄνθον Græci vocant, significabant. Palustris avis ea est, coloris pulchri, oculorum acie non satis valens, quæ cum Equo semper pabuli gratia dimicat: herba enim uterque pascitur. Illa vocem ejus interdum imitatur, insilienſque adversus Equum, dorsum occupat, quamque maximo potest morsu colla armosque vellicat: hisq; auxiliis freta, cum plerumque fugat.



*Flori avis descriptio.*

## DE SALO. Cap XXXIX.

D QUando vero in has incidimus inimicitias, non dissimiles ab his recensebimus, quæ inter Salum & Asinum habentur ingentes.

## INJURIARUM ULTIO. Cap. XL.

ÆGythum Ægyptii, quem Latini Salum vocant, Asini ulcera rostro excavantem pingunt si hominem illatas filiis injurias ulciscentem significare volunt. Nidulatur hæc plurimum in spinis, acciditque ut Asinus pruritu ulcerum excitatus, scabendi causa se conferat ad spineta, atque ita atterat ulcera, nidosq; dissipet: quod quidem illa adeo pavet, ut cum etiam vocem rudentis audierit, ova abigat per abortum, pulli etiam metu labantur in terram: itaq; Salus ob eam injuriam in Asinum involat, ulceraq; ejus rostro impetit, affixaq; pertinacius quanto maximo potest conatu excavat. Denique

*Ægythus, sive Salus.*

nique atrox usque adeo odium inter eos esse autumant, ut utriusque sanguinẽ commiscueris, sponte se uterque subducat ac separetur, antipathia, ne coëat pertinacissimè repugnante.

## NECESSITUDINIS AVERSATOR. Cap. XLI.

SI vero Florum una cum Salo pingerent, hominem qui alterius necessitudinem pertinaciter aversaretur, significabant: quare aves illæ aut aversæ invicem, aut capitibus saltem obtortis in diversa pingendæ sunt. Commenti causa ea est, quod inplacabiles inter utramque inimicitiæ intercedunt, neque ullo pacto fieri potest ut harum quoque sanguis exhaustus commisceatur: confusum enim non aliter alter hinc, alter inde contrahitur, quam oleum ab aqua subducitur, usque adeo natura ipsa dissident. Quare tibi tria sunt observanda ejusdem generis exempla, quorum natura inter se minimè congruat, sitque pertinacissimæ discordiæ, Salus & Florus, Salus & Asinus, & de quibus suo loco dictum, Cornix atque Noctua. Namque ut nihil est appetentius, nihil rapacius similium sui quam natura: ita etiam dissimilium nihil aversum magis, ac magis abominabile.

*Plin l. 10. cap. 74.*

# DE ARDEA.

## EXANGUIS DE NEQUITIA REDDITUS. Cap. XLII.

HOminem ita libidinis usu confectum exhaustumque, ut propemodum exanguis sit effectus ostendere qui vellent, Ardeolam illam pelam pingebant, quæ Græcè ἐρωδιὸς dicitur: ea de coitu ita angitur, ut sanguinem ex oculis emittat, remque summo cum dolore peragat, clamore vasto atq; admodum insuavi difficultatem attestante. Nomen illi apud Græcos inditum ajunt, ὅτι ἔαρ ἰδὼν: nam ἔαρ quandoq; sanguinem significat. In collectaneis Suidæ Grammatici dictam volunt ἀπὸ τοῦ ἐν ἕλεσι διατρίβειν, quod in paludosis & humidis locis versetur, quasi helodium dicas. Sunt qui eas inter Grues recenseant: sunt qui similem Grui dicant: & Divinarum literarum interpretes de ave hac, ubi vulgata Psalmorum editio habet, *Herodii domus dux est eorum*, varia tradiderunt.

*Quod sudet sanguinem.*

*Psal. 104.*

## TEMPESTAS. Cap. XLIII.

SEdenim D. Augustinus, qui herodium fulicam arbitratus, tempestatis eam impendentis signum autumat. Sedenim apud Maronem Ardea & Fulica diversæ sunt voluces, tametsi utraque sit indicium tempestatis: ait enim,

*Idem Plin. l. 18. cap. vltimo. Georg. lib. 1. Plin. ibid.*

——*Cumque marinæ*
*In sicco ludunt Fulicæ, notasq; paludes*
*Deserit, atq; altam supra volat Ardea nubem.*

Sed super hac satis est à nobis in Ciconiæ commentario disputatum.

# DE CINNAMO.

## AROMATARIUS. Cap. XLIV.

HOminem ex aromatum mercimoniis ditescentem significantes, Cinnamum autem pingunt. Avis ea in Arabia versatur, quæ furculos Cinnami congerit, ex quibus nidum sibi conficiat: quocirca indigenæ plumbatis eum sagittis decutiunt, mercis gratia: neque aliud mihi super ea compertum est.

*Hæc à Plin. lib. 10. c. 33.*

# DE VELIA.

## STUDIOSUS OTII. Cap. XLV.

STudiosum otii & commodorum hominem indicare qui volunt, Veliam avem pingunt: ea enim in umbra & aura æstatem agit, hyemem in apricis: nam & potentes, cum in eos qui otio literario

A rario dediti sunt cavillantur, genus hominum ignavum appellant, quod, ut apud Juvenalem est, teto gaudet & umbra.

## DE ASIONE.

### IGNOBILITAS. Cap. XLVI.

IGnobilem hominem, atque uti dici solet, Terræ filium, notare si vellent, Asionem illum pingebant, qui diversus à perenni est, corpore pingui & minimè vocali. Nihil enim habetur exploratum de generatione ejus, cujusmodi, qualisq; sit: cæterum Favoniis tantum flantibus eum apparere constat, veluti etiam pleriq; homines ignobiles, potentiorum tantum favore aliquo, tali quippe adspirante Favonio, nullis alioqui natalibus, nulla probitate, nulla virtute, nulla muniti disciplina ad clarissimas interdum dignitates evehuntur, omnibus unde hi prodierunt, admirantibus. Nuctuarum
B hoc est genus maximum, quibus pluma aurium modo surrigitur, unde & nomen illi: otus enim Græcis est, de qua quidem apud Athenæum plura comperies.

*Asonii generatio incognita.* *Idem Plin. lib. 10. c. 23.* *Eadem aves quidam dicunt.* *ὠτῶπας.*

### MIMUS. Cap. XLVII.

PEr hanc avem plerique mimum atque parasitum exprimunt: non enim à mimica multum distat ars parasitandi, quam ita describit Horatius:

*Alter in obsequium plus aquo pronus, & imi* / *Ut puerum credas sævo dictata magistro.*
*Derisor lecti, sic nutum divitis horret.* / *Reddere, vel partes mimum tractare secundas.*
*Sic itemt voces, & verba cadentia tollit,*

Est enim hæc avis omnium maximè imitratrtix, & ut Plinius ait, parasita, & quodam genere saltatrix.

*Epist. lib. 1. Sat. 18.* *Plin. ibid.*

### CORNUTI. Cap. XLVIII.

HÆc in clypeo atq; insigni militium Romanorum, qui recentiori tempore, paulo ante quam declinaret Imperium, sub Magistro peditum merebant, ordinis ejus agnum fuit qui Cornuti
C appellabantur: eratque ales prasini coloris in orbiculo luteo, quem cæruleus ambitus late ductus circumplectatur, à quo mox arctior & ipse luteus, & circa marginem extremus ruber.

## DE JYNGE. Cap. XLIX.

JYnx inter lingua nobiles enumeratur, pro quo nomine Lyncem compluſculis in locis apud Plinium corrupte scriptum offendes indice etiam illo tam copioso, eodem errore perplexe notato: quippe qui volucre animal quadrupedibus adnumerarint. Lyncem eam quæ nostra Jynx est, arbitrati, Fringillam hanc vulgo dicunt, ut Gaza putat. Græci pleriq; Romani sermonis non vocem, sed significationem secuti, *σεισοπυγίδα*, Latini à caudæ continuo motu, motacillam dici tradidere, Torquillam alii, à torque, quo collum insignita est, alii Turbinem, alii aliter nominarunt; sed nos Pliniani codicis macula jam eluta, ad significata nostra revertamur.

*Quid & etiam vertitellum à colli versura vocant.*

### DICACITAS. Cap. L.

D PEr eam pictam nonnulli dicacem hominem intelligunt, propter insignem linguæ longitudinem, linguam enim habet Serpentibus similem, quam in longum mensura quatuor digitorum exporrigit, rursumq; contrahit intra rostrum non complicatam, sed terreni lumbrici more collectam, & in sese reductam. Communis autem sermo verbosos garrulosque homines, ab instrumento ipso linguaces appellare solet. Sed ad linguam id etiam addemus, quod pedes habet Jynx, binis utrinq; digitis insignes: illi tamen hæc de Lynce dicta credidere.

*Hæc à Plin. l. 10. c. 47.*

### INCANTATIO. Cap. LI.

PAssim vero præcipuum ales hæc fuit incantionum signum: propterea quod ei amatorium quid natura inesse persuasum est. Quinetiam quæcumque ad rem amatoriam veneficia, phar-

*Quomodo pro veneficia combu-*

maca, incantationesque comparantur, uno vocabulo Jyngas Græci vocavêre. Hinc apud Theocritum intercalare illud, Pharmaceutria,

ἴυγξ ἔλκε τοτῆιον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸ ἄνδρα.

*ratur docet Tenedius in navigatione Protontidu.*

Scribit Pindarus, Venerem Jynga cœlitus attulisse, quam Jasoni daret, carmenque docuisse, quibus Medeam in amorem alliceret.

## VEHEMENS. CUPIDITAS. Cap. LII.

IDem Pindarus hieroglyphicè locutus ἴυγξί δ' ἕλκομαι ἦτορ dixit, vehementem cupiditatem significare volens, ut ejus interpretes exponunt. Jynx enim, ut interpretantur illi, vis illa dicitur, quæ cogitationem nostram ad cupiditatem & amorem trahit. Tradunt nonnulli Pithus eam filiam fuisse, propter persvadendi vim: maxima enim persuadendi vis inest amori, nihilque tam incredibile dici potest, quod amanti non persuadeas. Unde recte Ovid. *Credula res amor est.* Addunt, eam amatoriis veneficiis incitasse Jovem in amorem Iûs. Sedenim Callimachus Echus filiam dicit, & Jovem (tanta eorum temporum vanitas fuit, ne imperitia dicam) ab ea veneficiis coactum, ut secum rem haberet: utcumque, mox ab irata Junone in ejusmodi aviculam transmutatam, veneficiisque amatoriis construendis damnatam.

# DE CAPRIMULGO.

## PERNICIOSA CONSVETUDO. Cap. LIII.

PErniciosæ consuetudinis hominem indicaturus quispiam, Caprimulgum avem pingat: ea enim inter capras familiariter versatur, appetitque earum ubera sugere: quod cum fecerit, uber extinguitur, Capra, ut ajunt, excæcatur.

# DE TURDO.

## SUIS ARTIBUS ELUSUS. Cap. LIV.

HOminem qui technis & commentis, consiliisve, aut artibus propriis elusus malè perierit, & uti dicitur, in laqueos quos tetenderat, inciderit, ostendere qui volunt, Turdum viscatæ implicitum virgulæ pingunt: quandoquidem, ut inquit Plautus, *ipsa sibi avis mortem cacat:* viscum enim non provenit, ait Plinius, nisi maturatum in ventre ac redditum per avium alvum, maximè Palumbium & Turdorum. Apud Irenæum legas quid huic rei simile, de iis qui in eligendo sibi malo sint procliviores, & adversa mox quæ in se ipsi contrahunt, Deo imputant, cum nihil aliud sit, *Indurare cor Pharaonis*, & *Excæcare oculos populi apud Deum*, quam gratiam suam quæ se large volentibus infundit, à prave & iniquè agentibus avertere. Nam simulac quis Deum dereliquit, quæ bona sunt aspernatus, amissa Spiritus gratia, omnibus inde afficitur incommodis, viam rectam non videt, & contumacem se opponit ad admonitiones, nullo pollet animæ sensu, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Ita dicimus eum à Deo excæcari, & obdurari, quemadmodum Solem occidentem recessu à nobis noctem facere: cum alioqui nihil à Deo nisi bonum emanet, quemadmodum à Sole semper lumen & calor.

Κίκλα χέζ' αὐτῇ κακόν. *Turdus ipse sibi malum cacat. Meminit Servius 6. Æn. & Aristot. lib. 9. de anim.*

## SURDITAS. Cap. LV.

ALioqui Turdus surditatis indicium est, cum omnium avium eo plurimum incommodo laborare Turdum, manifestum habeatur, accedit huc, quod proverbium κίχλης κωφότερος, de loquacibus, qui loquentes alios pati nequeant.

*Turdo surdior. Zenodotus ex Eupolli Dionysio.*

DE

A

## DE ERYTHACO.

### SOLITUDINARIUS. Cap. LVI.

SOlitudinarium hominem qui significant, Erythacum avem pingunt, quæ quidem ita secessu ac solitudine gaudeat, ut raro duas vel in eodem saltu reperire possis. Eam Theodorus modo Sylviam, modo Rubeculam appellat: alterum à sylvarum desertis, alterum à rubris indicio, quod ex Græca dictione colligitur.

*Quidam sic hyeme vocant: æstate vero Phœnicurum, à cauda rubea.*

*ἀπὸ τῆ ἐρυθρότητος, i. e. à rubicundo.*

## DE CINCLO.

### PAUPERRIMUS. Cap. LVII.

INveniebam extremæ paupertatis hominem per Cinclum avem pictam significari. Causam Ælianus affatim explicavit, qui Cinclum avem esse dicit imbecillam, invalidamque adeo, ut nidum sibi ipsa parere non possit, alienisque ideo nidis ovifœtare. Est & apud Suidam aliqua de Cinclo mentio, cui nomen à caudæ motatione sit σεισοπυγίδι. Ea nimirum Jynx est, de qua nunc agebamus. Hanc
B sane vulgus plerisque locis, Græcum vocabulum exprimendo, *Codaquassulam* dicit. Interpretes Theocriti hoc ipsum agnoscunt, & κιγκλίζειν, *lumbos motare*, dicunt, quod Latini *fluctuante lumbo* reddidere.

*scendo.*

### CINGANI. Cap. LVIII.

CUm itaque Cinclus inops adeo sit, neque certo usquam lare utatur, nonnulli errones illos, qui nunc totum terrarum orbem mendicabundi cum chiromanticis uxoribus & liberis peragrant, nusquam certas domos habentes, quos vulga Cinganos vocamus, Cinclos ab avis hujus similitudine appellatos arbitrantur.

### ADVENA. Cap. LIX.

QUamquam in universum omne genus avium, quod aruspices pro peregrinis, advenis & convenis accipiunt: ut ostenti ejus declaratione patuit, quod Alexandro oblatum est, dum condendæ urbis Alexandrinæ in Ægypto modulum ab architectis deposcebat, forteque evenisse ut
C neque gypsus, neque alba terra uspiam inveniretur, quo situm & magnitudinem cupido Regi describerent, architecti ad farinæ opem se contulerunt, eaque disseminata quaqua urbis mœnia ducenda erant, accidit ut aves ad eam depascendam avidius advolarent: quo quidem ostento territus est Alexander: sed aruspices respondere, prospera urbi ex hoc portendi, quod futura esset omnium & nutrix & alumna, solique ubertatem esset alienis quoque gentibus largissime communicatura.

# JOANNIS PIERII VALERIANI
# HIEROGLYPHICORUM
## LIBER XXVI.

## DE IIS QUÆ PER APEM, ET ID GENUS
D CÆTERA SIGNIFICANTUR

## Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD MAGNIFICUM PETRUM MELLINUM ROM. SENATUS CANCELLARIUM.

*VOlatilium significationes, quas in aliquot digessimus commentaria, legisse te scribis, Petre Meline Romanorum ingeniorum præsens decus & ornamentum, in quibus & Apem habere voluisses, quæ, quod mellifica est, ad domus tuæ gentile nomen cognationem quandam habere videatur. Proinde, si quam, ut superiori anno fecisti, ædium tuarum partem victuris ornare pares, habiturum te speras*

*te speras tui generis argumentum, quo literatorum oculis possis non inaniter oblectare. Feci non invitus, quod tibi fore gratum intellexeram. Sed quod à melle te majorum tuorũ nuncupatione vocari putas, dixerim ego te id nominis à morum potius tuorum suavitate comparasse: sive id summa humanitas meretur tua, sive affabilitas jucundissima, cujus lepore omnes ad te mihis tibiq; devincis, ut de te vere dici possit, favum mellis in ore tuo sedem posuisse: sive perelegans ille scribendi tenor tuus, ubi solutam orationẽ aut carmen facis, amœnissima quadam dulcedine legentem afficiunt, evenit ut undecunq; merum mel & sis, & habearis. At plenus rimarum sum neq; me cohibere possum, quin epigramma illud cœnis nostris sodalitiis olim decantatum erumpat. Quid enim prohibet apud ingeniũ Poeticæ studiosissimum, aliquando Poetam agere?*

Romulei certant lepido certamine vates,
Nominis ecqua viget congrua causa tui.
Nam qui ex te norunt manare poetica mella:
Melli num à merito nomen id esse volunt.
Atque alii malunt correpta parte Melinum
Dicere, Pegaseum quod melos ore canis.
Sis quodcunq; velis, nullo discrimine amandus,
Seu mihi Mellinus, sive Melinus eris:
Omnia congruerint: tanta dulcedine carmen
Pangis, & oranti spargis ab ore melos.

*Id quod eo tibi gloriosius accidit, quod horũ infelicitas temporũ pauca admodũ nunc ostendunt ingenia, quæ bonarum artium amore eruditionis felicitate capiantur: eoq; alieniores pleriq; à doctrinæ studio evadunt, quo sunt magis natalium splendore aliquo illustrati. Tu vero, cum ex ea sis domo ortus in qua summi pleriq; viri gentiles, tui & veteri & recenti etiam memoria ad patriæ ornamentũ geniti, insigniorum à se gestarum monumenta reliquerunt, Cardinalia decora, primos in urbe honores, titulosq; fori ornamenta pro salute patriæ victricia, divitias honestissimis artibus comparatas, nihil rerum harum amplitudine contentus, à teipso splendorem excitare quæsivisti: ut clarissima ea familia dignus evaderes, patreq; in primis tuo Senatore semper optimo, apud quem tanta educatus es sanctitate. Accessere mox bonæ artes, & egregiæ disciplinæ, Latinæq; & Græcæ literæ, quas eo conatu successuq; assecutus es, ut paucissimi omnino sint inter Romanam hanc nobilitatem, qui parem tecum gradum hodie conferre possint. Sed quoniam non de literis tantum, sed de totius vitæ tuæ integritate, atq; animi magnitudine, si quis de te loqui cæperit, primo faciendus esset, parentumq; tuorum benignitas omnis explicanda, qui me omnibus humanitatis officiis prosecuti, quam in filios exercere par est, benevolentiã, charitatem, & studium in me omne præstiterunt, sed in commodius tempo dilatis, quod nunc agendum instat, Apem ipsam, quam tibi merito deberi judicavimus, exhibendã curavimus. Ecce vero tibi eam, in cujus comitatũ, ne Fucus etiam, belluo ille satis impudens, & molestissimi Culex & Vespa sese intruderent, repellere nunquã potui, ac ne ullus & molestiæ & importunitati finis esset, Musca etiam, Cicada & Araneus se his admiscuere. Tu quidem strenue nimirum & exprudentia tua feceris, si, ne ab eorum aliquo lædare, caveris. Verum age, quid Apes sibi velint videamus.*

## POPULUS REGI SUO OBSEQUENS. Cap. I

*Apis sola ex animalibus regẽ habet. Plin. lib. 11. c. 5.*

POpulum Ægyptii sacerdotes obsequentissimũ Regi suo significare vellent, Apem faciebant, illam utiq; brevem, variam, & in rotunditatem compactilem, quæ sola ex animalibus Regem, more hominum, habet, quem universum Apum agmen consectatur æque atq; homines Regi obtemperantes. Rex vero vel aculeo caret, vel ad offensionem minime exerit, quæ quidem præcipua est in Rege virtus, qui in obeundis vitæ officiis, non magis justitiæ aculeum, quam dulcem mellis dementiã ostentare debeat. Ac de populo quidem agnoscit hoc idem Plotinus libro *De suo cujusq; genio*, qui civilem hominem, popularibus utiq; studiis deditum, sed qui perfectam virtutem consequi minime potuerit, ab obitu in Apem regenerari fabulatur: qui vero civilem virtutem ad amussim assecutus fuerit, eumdem iterum hominem fieri contendit, & ad eadem munera rediturum.

*Regis Apum, simul & hominum simpathia.*

## REX. Cap. II

MErito itaq; Regem, qui populos unanimi benevolentia sibi devinxerit, ostendere qui vellent, examen Apum proponere consuerunt; siquidem is foras non procedit, nisi migraturo exami-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A ne: cumq; procedit, totum examen circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur reliquo tempore. Cum populus in labore est, ipse, inquit Plinius, opera intus circuit similis exhortandi solus immunis: circa eum satellites quidam lictoresq; assidua custodientes auctoritate. Cum processere, se quæq; proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Ubicunq; consedit, ibi cunctarum castra sunt. Missam facio miram earum circa Regem obedientiam, ut fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto portant, multaq; hujusmodi, in quibus enarrandis tanta utitur suavitate Plinius, ut eas ipsas Apes in ejus ore mellificare dicas, unde Lepor ille tam dulcis eloquentiæ demanarit. Adamantius ait, Apes hæc nullo animi conceptu facere, ut pleriq; contendunt, sed naturæ ipsius divinæ beneficio, quæ vel bruta eousq; provexerit, ut plerisque in rebus ratione præditos imitentur. Nos vero vult admonitos, ut ubi Apum mores cognoverimus, ducibus parere non recusemus, negotiaq; ad Reipub. civitatumq; salutem opportuna alacri animo suscipiamus. Non enim amat id genus hominũ Adamantius, qui sub pietatis specie suam obtegunt ignaviam, suoq; tantum otio & commodis consulentes, negotia subfugitant, & veluti genus humanum oderint, humanas etiam consuetudi-
B nes aversantur. Adeo vero est Apes, ut Musonius observat, conversationis & vitæ sociæ amatrix, ut si sola relinquatur, desiderio tabescat & moriatur: quod ad popularis hominis naturam & similitudinem referri potest. Atq; huc spectat Plutarchi illud super exilio dictum, *Nos quasi Formicæ, vel Apes, si ex una vel caverna vel alveario exciderimus, hospites externiq; esse videmur.* Hoc ipsum examinis significatum in aruspicina etiam reperitur, cujusmodi signum Dionysio, paulo antequam regnare cœpit oblatum est, qui cum Equum è voraginibus, in quas demersus erat, nulla prorsus contentione extrahere potuisset, discesserat, ut Philistus ait, ægre ferens: cum autem aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum, ad quem conversus Equum alacrem lætus aspexit, cujus in juba examen Apum consederat, imperii quod occupavit indicium. Nam Equum subjugationi frænoque aptum esse, suo diximus commentario.

## REGNUM. Cap. III.



*Nam & Apibus est principatus. Plin. lib. 11. cap. 5.*

AC ne ab Sicilia tam subito discedamus, Hieroni quoque jam jussu patris exposito, propterea quod ex ancilla natꝰ
C esset, ne nobilitati paternæ dedecori foret, tamen ita humanæ opis indigenti Apes in os mella congessere: quo ostento pater ab aruspicibus admonitus, filium recolligendum duxit, moribus & disciplinis iis erudiendum curavit, per quas postmodum ad præmonstratam Regni majestatem facile pervenit. Ita vero nomini regio favorabiles sunt Apes, ut in causa fuerint, ne Onesili Regis Cyprii caput, quod in ludibrium Amathusii supra portam urbis suspenderant, insepultũ diutius maneret: in id enim jam exanimatũ examen Apum mella contulerunt, favisq; referserunt. Hinc loci incolæ oraculi super hoc requisiti, responso moniti, caput honorifice sepelierunt, Onesiloq: quotannis, ut Heroi, sacra instituerunt.

## GRATA ELOQUENTIA. Cap. IV.

*Plin. lib. 11 c. 17*

D ADdunt nonnulli, suavem eloquentiam per hieroglyphicum Apis significari. Quamquam Diogenes suæ morem gesturus mordacitati, orationem blandam, utpote ad fallendum vel ad gratiam parandam, mellitum laqueum vocitabat. Irridebat is Platonem perlibenter, cui parvulo in cunis dormienti Apes in labellis consedissent: ex quo responsum est, singulari illum suavitate orationis futurum. Ita prævisa eloquentia est in infante per Apem. Et hujusmodi tale D. Ambrosio è nostris contigisse memoriæ proditum est. Idem & Pindaro Poetæ accidisse Pausanias tradit, cum is puer adhuc Thebis digressus æstivo tempore Thespias proficisceretur, calore exuperante aliquantulum à via declinavit, & sub umbra nonnihil acquievit, cur in somnum soluto Apes in os mel congessere. Et ita demum quemcunq; veteres ab eloquentiæ suavitate commendarent, eum ab Apib. nutritum dictitabant. Sic & Theocritus Comatam beatissimum ait, cui hujusmodi nutricatio contigisset. Apud Hesiodum, Theogonia, Musæ amicorum linguis rorem instillant, in castigatis enim exemplaribus, non ἀοιδὴν, sed ἐέρσην legitur:

τῷ

Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερῷ χείρωνι ἐέσσιν,

Et Homer. Iliad. a. de Nestoris eloquentia, γλώσσης μέλετ' γλυκίων ῥέεν, ab ejus lingua fluere mel, ait. Epist. lib. 5. Sat. 19. Pind. Nem. Od. 3. Ego tibi hoc mitto mel mixtum albo cum lacte.. De Arte Poetica. Carm. lib. 4 Od. 2.

ubi interpretes ἐέσσιν δέουσιν interpretantur, ac perinde mel intelligi debere, inde vero eloquentiæ suavitatem. Sane Pindarus amabile mel Isthmiis posuit, ἐν δ' ἐσλοῖς τανῦν μέλιτι, pro felici successu, quem Jupiter propinat, ubi commentatores gaudium intelligi volunt, quod ex commendatione & laudibus percipitur, si præsertim illæ ab eloquenti & erudito viro optime prædicentur: qua quidem voce, teste Themistocle, nulla suavior exaudiri potest.

## POETICÆ AMOENITAS. Cap. V.

OMnium autem consensu receptum est, per Apis hieroglyphicum Poeticam intelligere amœnitatem, ut apud Horatium: *Fidis enim manare Poetica mella:* & ut ait doctissimus undecunque Varro, *Apes causa Musarum esse dicuntur volucres:* quod si quando displicatæ sunt, cymbalis & plausibus & numeris reducuntur in unum locum. Pindarus hymnorum suavitatem & elegantiam per mel candido lacte commixtum intelligendum dedit, ubi Nemeis dicit: ἐγὼ τόδε τοι πίμπω μιγμένον μέλι λευκῷ σὺν γάλακτι. Lac ponit Pindarus, quod a natura est, ac perinde genium & venam indicat. Mel vero, propterea, quod magno Apum labore conficitur, artem & diligentiam significat. Hinc clamat Horatius:

*Vos, ô Pompilius sanguis, carmen reprendite, quod non*
*Multa dies & multa litura coercuit, & quod*
*Perfectum decies non castigavit ad unguem.*

Et ipse de se, quantum pertinet ad laborem & diligentiam, quam scribundis versibus adhiberet, ait:

*Ego Apis Matinæ more modoque.*

Non enim temere usq; adeo assurgit Pindaro tam honorifice, cujus hymnum agnoscat & vena divite copiosum, & magno studio & arte simul elaboratum. Quin & suam fert super hoc loco sententiam:

*Natura fieret laudabile carmen an arte,* *Nec rude quod possit video ingenium: alterius sic*
*Quæsitum est. Ego quid studium, sine divite vena,* *Altera poscit opem res, & conjurat amice.*

De Arte Poetica.

## FUTURI SECULI BEATITUDO. Cap. VI.

QUærierit hic sane aliquis, cur polliceatur Dominus ducturum se populum suum in terram lacte ac melle fluentem: passim enim hieroglyphicum aliquid sapit divinarum literarum sermo. Igitur Theologi nostri, referente Hesychio, hoc ad futuri seculi delicias beatitudinemq; transferunt: quod ex cibis quibus hic utimur, nihil his suavius neq; dulcius invenitur: cum quia sine labore comparantur, & nulla indigent præparatione. Nam bona illa absq; ulla solicitudine, sine dolore, studio nullo, apparatu nullo, condituræ nullius egentia, tanquam effuso copiæ cornu suggeruntur.

## DULCIUM APPETITUS. Cap. VII.

APes autem quia dulcia tantum gustant, si pascentes pingantur, hominem hieroglyphice significant, qui dulcibus tantum rebus delectetur, dulciaq; omni cura studioque perquirat. Horatius cum dulcedinem & suavitatem, quodq; maxime placeret, exprimere vellet, *Si juvat & melli est,* inquit. Plutarchus in libello De conjugalibus præceptis, *Mulier,* ait, *quæ viri primo congressu territa conjugalem inde copulam subfugiat, similis est iis, qui Apicularii aculeis patientes se offerunt, mella ipsa refundant.* Ad eamdem respiciens jucunditatem Catullus, suum illum Passerem, *Lesbiæ suæ delicias,* cum maxime lepidum indicare velit, *mellitum* fuisse dicit. Deniq; Virgilianus Damœtas cum Pollionis amicitiam optat mella fluere, nihil aliud sibi vult, nisi ut copiosissima rerum omnium, quæ suavissimæ judicentur, ubertate ditescant. Egregie vero Pindaricum est, mel pro suavi, tranquillo, & maxime expetendo, amabiliq; bono ponere, quare de Olympiis victoribus ait, ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀλφιεῖσιν ἔχει αἰὼν' ἀμεμφέσταν εὐδίαν: quod exponunt Interpretes, *Victores vitæ reliquum agere in terra mellisua,* hoc est, tranquilla deinceps suavique perfrui quiete. Idem cum κέρνα ἔχει νᾷ μέλι dixit, *mel etiam satietatem habet,* nihil aliud voluit exprimere, nisi supremam quandam suavitatem atq; dulcedinem inesse melli, quæ tametsi supreme delectabilis est, satietatem tamen afferat, quam sententiam εὐδοξικῶς prodit. Porro secius Horatius sensum eundem attigit, ubi dixit, *Dulcia se in bilem vertunt:* quod tamen ex Physica disciplina est ab eo sumptum: ajunt enim Medici, cibaria dulcia confestim in bilem abire.

Mellu suavitas.

Ideo Græci, quicquid suave & amabile est, μελέπεσθαι dicant. Hinc Plautus dulce amare copulat in Pseudolo & Truculento.

DIU-

## DIUTURNÆ VALETUDINIS PROSPERITAS.

### Cap VIII.

A INvenio vitæ prosperitatem ac inoffensam valetudinem in longa ævi spatia productam, per hieroglyphicum Apum in fœcundo oleæ ramo considentium significari: id quod mihi Democriti respósum in memoriam adducit, qui olim interrogatus, qua ratione quis longiorem vitam assequi possit: interiora respondit, melle irriganda, exteriora vero oleo perungenda: quod hieroglyphice acceptum ostendit, animum quantacumq; fieri potest, suavitate permulcendum, hilaritatemq; undecunque captandam, omni prorsus amaritudine atque acerbitate procul ablegata, neq; quicquam quod exulceret, intromittendum, corpus vero exercitio consolidandum, quod quidem in otio torpescere necesse sit. Nam ut commentario suo dictum, oleum inter alia significata exercitum quoque denotat. Sedenim Aristoxenus Pythagoricos plurimum melle usos tradit. Neq; tantum calidi panis suffitu Democritus vitam dies aliquot in amicorum obsequium produxisse fertur, verum & vapore meltis naribus admoto. Omnino autem ferunt, quibus mellis usus frequentior fuerit, vitam diutius prolicere: contra vero, qui cibis acidis delectentur, brevioris esse vitæ. Sane Cyrnios populos, qui scilicet Corsicam insalam incolebant, longævos vixisse tradit Athæneus, quod assidue mellis uterentur cibo. Nam & Diophanes, qui de re rustica libros conscripsit, longævos evadere dicit, qui mellis esitatione delectati fuerint. Præstat vero in senecta ipsa plurimum pane & melle pasci: neque enim solum, ut is asserit, vivacitatem adjuvat, sed & sensus omnes sanos & integros custodit. Quamvis, quod ad Athenæum spectat, nostri mel Corsicum dicant habere aliquid in se, quod amaritudinem sapiat, unde dixerit Ovidius de infasta exitiali cera:

B *Cyrnii populi longæ.*

*Ite hinc difficiles funebria lingna tabellæ,*
*Tuque negaturis cera referta notis,*
*Quam puto de longa collectam flore cicutæ*
*Melle sub infami Corsica misit Apis.*

*Heraclia in Ponto mel conflatur, quod qui edere menta abalienantur. Dioscor. l. 2. c. 75.*

Et Maro prius dixerat,

*Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.*

Insomniosum mel apud Macronas memorat Xenophon, quod qui copiosius ediffent, & vomere & excernere cogebantur, neque quidem omnino stare poterant.

C

## MERETRIX. Cap. IX.

SEd quoniam trahente rerum fluxu impegimus in mellis vitia, minime dissimulandum, quod quadragesimis Hebræorum castris Hieronymus putat Jonathan contra detestationem patris gustasse mel intellectu mystico, quod scilicet destillat à labiis mulieris, & forte deprehensum, vix populi precibus liberatum. Porro mel non offertur in sacrificiis Dei, & cera, quæ dulcia continet, non lucebat in tabernaculo, sed oleum purissimum, quod de olivarum exprimitur amaritudine. Quod vero sit verisimilis Hieronymi conjectura super Jonatha, Aristoteles tum milites plerosq; omnes mulierosos esse, tum scriptores rerum qui recensent Hebræorum mores, gentem eam esse ponunt salacissimam. Sed Jonathan pro innocentia sua dicentem mihi videor audire: *Cur igitur ego conquestus palam sum, satis imprudenter fecisse patrem meũ, qui populum tam longa adduxerit esuritioni, ut vel modico cibo, quẽ sors obtulisset, suorũ vires vetuerit instaurari? Quorsum ulla hic impudicitia? Nam quomodo ego, qui à sole exoriente hostes uno tantum comitatus famulo, cum per inaccessas crepidines ad eos irrepsissem, quotquot obviam habui aggressu cæcidi, & in fugam verti, & mox accitis meis, ad vesperam usque perseverantissima occidione persecutus sum: quo pacto deliciis & genio vacare potuissem, qui præsumo Dei nostri honore, populiq; totius incolumitate, ad extremam usq; delassationẽ confectus enim? quare illa obsecro adulterina, conficta, subdititia, nequaquam à tam probo, tam pio, tam acri veritatis propugnaculo, tam immerito de me umquam cogitata credideritis.*

*Jonathæ pro innocẽtia sua verba.*

D

## EXOTICÆ DISCIPLINÆ. Cap. X.

UT vero nos mellis damna prosequamur, id etiam addemus, quod Hierosolymitanus Hesychius nõ Poeticam tantum, verum omnem Gentium doctrinam per mellis Apumve hieroglyphicum significari tradit, quod in suavitate verborum & eloquii dulcedine tota consistit, rerum autem inanis est. Eoq; trahunt Salom. illud ex Prov. *Non respicies ad mulierem meretricem, favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illius amara quasi absinthium.* Quo minus

Prov. c. 5.

*In sacrificiis cur mel prohibitũ.*

nus miremur, si, qui longo post tempore successit, Plato quoque Musas sui temporis meretriculas appellavit. Præceptum vero, uti paulo ante dicebamus in Divinis literis, ne quicquam mellis in sacrificium Domino adoleatur, sed in munus primitiæ ejus offerri possint. Præcipit enim ex parte, illius sapientiæ primitias offerri, non autem plenius ea uti: quippe ut fides nostra non in sapientia hominum consistere videatur, sed in virtute Dei, ut Paulus in priori ad Corinth. epist. Ea vero de causa mel, ut ait Eucherius, in sacrificiis offerri prohibebatur: quia resoluti blandimentis deliciarum, aut dulcedine voluptatum, non possunt mysteriorum Dei esse participes. Hinc Pascha Domini comedi cum amaritudine jubetur, quia sit semper austera districtio veritatis.

## DE VITÆ DULCEDINE AMARITIES. Cap. XI.

ATtingemus ea quoque, quæ complexu rerum possint in orationem obsolutam coalescere: ut si quis amaritudinem aliquam, aut infortunium, quod anteactæ vitæ suavissimum otium & tranquillitatem exasperet, per hujus generis hieroglyphica explicare voluerit: non alia congruentius pictura signove utetur, quam figurato mellis favo, de summo cujus absinthium pullulet, herba nimirum amarissima, quod quidem Lucretianum illud sapere videtur, quod in nostræ vitæ conditione frequenter occurrit.

*Lib. 4. Sic Plato in Philebo, πικρῷ γλυκύμιγμένον ait amaro dulce admixtum, aut γλυκύπικρον, dulce amarum à Cicer. ad Attic. epist. lib. 5.*

*—— Medio de fonte leporum*
*Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.*

## POPULARIS FUGA. Cap. XII.

COmmenti sunt nonnulli popularem fugam per examen Apum, & subjectum fumum indicare: quandoquidem Apes nulla re magis consternentur, in fugamq; vertantur, quam fumo supposito. Atque hac similitudine utitur Apollonius Argonautis, in describenda Bebryciorum fuga, simulatque interemptum Amycum conspexere.

## OBORTUS IN MOESTITIA LEPOS. Cap. XIII.



SEd longe suavius illud est, quod per Apes ex cadaverosi Leonis ore prodeuntes innuitur. Pingi potest hoc ubi quis aut à detractoribus male habitus, insigniorem fuerit existimationem assecutus, aut inimicorum contumeliis affectus clarior evaserit, aut ex illatis injuriis creverit. Mordacissimus est enim Leo violentus, & ferox. Apes vero in ejus faucibus mellificantes, prospera & suavia quæ subsequuntur indicant. Verum historia vetus ansam huic hieroglyphico subministravit quippe Samson Danidanus tribulis, cum in ferocissimi Leonis occursum illapsus esset, ultro bellum adortus eam strangulavit, peremptamque ex publica via in sylvam proximam pertraxit, eamq; ibi in obscondito reliquit. Paucis vero post diebus projectæ belluæ cadaver invisurus eo rediit, ubi mira res oculis objecta est: nam frequens Apum examen in tabidis ejus faucibus favos fabricare occeperant. Unde illi postea quæstionis argumentum fuit, quam Pelisteæ juventuti dissolvendam proposuit. *Qui fieri posset, at truculenta immanisq; res, eademq; voracissima, suavissimum ex ore cibum erogaret?* Cujus quidem quæstionis historiam solius uxoris silentio crediderat, ejus fidem & tacirurnitatem exploraturus. Hinc illa mox medio convivio, ob rem ab uxore proditam, exclamatio Samsonis plena acerbitatis exaudita *Nihil esse fœmina fallacius.*

## PROPHETARUM ORACULA. Cap. XIV.

*Propheta Apes dicti Psal. 19. & 119.*

MInime vero prætereunda sunt etiam alia, quæ sacris nostrorum literis traduntur: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel & favũ ori meo.* Et alibi: *Judicia Dei dulciora super mel & favũ.* Omnis enim Prophetia suaves cœlestis doctrinæ favos, & dulcia divini eloquii mella componit, Et

Debora

A Debora libro Judicũ Prophetiæ particeps facta, Apis interpretatur, ut ait Adamantius. Et omnes denique Prophetiæ ſub Apis nomine comprehenduntur, earumq; favi ea ſunt oracula quæ literis mandavere. Atque hoc eſt bonum illud mel, quod comeſſe jubemur. Quicumq; enim oracula ea divina meditatione complectitur, ſcriptis vatum noſtrorum ſermonibus alitur & recreatur, is mandatum illud divinum exequitur, quo præceptum eſt, *Comede mel, fili*, bonumq; id eſſe reipſa protinus expetitur. Quod autem de Aſſertore noſtro prædictum eſt, *Mel comedet*, mel hic Adamantius noſtra de virtute colloquia ſignificare profitetur. Quotieſcunq; de abſtinendo à voluptatibus, de domitanda nequitia, de juſtitia, de prudentia ex animo diſſerimus, ſermonis iſtiusmodi ſuavitate libentiſſime paſcitur Deus, hosq; liquores aſſidue ſitibundus inquirit, cui ſi nequitiæ, ſi puſillanimitatis, ſi ſcelerum & ſtultitiæ amarulenta pocula propinaverimus, guſtum ut offenſus refugit, & ut fel odioſum averſatur. *Eſa. 7.*

## CONCORDIA. Cap. XV.

B ET quia moris erat infantes à lavacro ſuſceptos lactis & mellis guſtu plurimum imbuere, nonnulli hoc ad concordiæ ſignificationem factum autumant, Tertulliano ita dicente: *Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam præguſtamus.* D. etiam Hieronymus adverſus Luciferianos de hac ipſa re in hunc modum: *Nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurparunt; ut in lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſu lactis & mellis præguſtare concordiam.* Id tametſi faciunt jam adulti, quandam tamen infantiæ ſignificationem præ ſe ferunt. Fuit vero aliquibus mos, ut loco mellis, vinum cum lacte propinaretur. Nam apud occidentis populos diu obſervatum eſt ut tinctis ſacro lavacro ad ejusmodi innocentiæ, quæ præcipua eſt in parva ea ætatula, ſimilitudinem quandam, vinum & lac tribueretur. Eoque Tertullianus Eſaiæ dictum trahit: *Venite, emite, abſq; argento, & ſine commutatione, vinum & lac.* *Eſa. 55.*

## CASTITAS. Cap. XVI.

INcorruptam ad hæc virginitatem, & caſtum animi propoſitum per Apes ſignificari id argumento eſt, quod ipſæ homines à coitu olidos acriter oderunt, & ut Plutarchus Conjugalibus præceptis ait, Apes eos male accipiunt, qui recentes à muliebri copula ſuperveniant, ſed mulieres, quæ Veneri C operam dederint acrius invadunt, quiq; vel vinum potum, vel unguenta oleant. Nam & maro eas ignorare Venerem his verſibus atteſtatur: *Apes Veneris inimicæ.*

*Illum adeo placuiſſe Apibus mirabere morem,* *Verum ipſæ foliis natos, & ſuavibus herbis* *Georg. lib. 4*
*Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes,* *Ore legunt.*
*In venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt,*

Hinc Pythiis ait Pindarus, σὲ δ' ἐν τάτῳ λόγῳ χρησμὸς ὄρθωσε μελίσσας, quo loco interpres ſubjecit: *Proprie quidem Apes ſacras Cereris miniſtras appellavit, improprie vero omnes alias, propter animalis puritatem.* Nam & alibi ſacris eam Apibus delectari dicit. Alii Nymphas ſacrificiorum præſides appellari tradiderunt. In Divinis quoq; literis Apem virginitatis imaginem eſſe dicit Eucherius, nulla tamen cauſa reddita: quia ſcilicet eam ſatis ex Marone cognitam arbitraretur.

## ADULATOR. Cap. XVII.

D VErum aliud ex Ape, hiroglyphicum idem ponit Eucherius, nempe ſimulacrum eam eſſe adulatoris: utpote quæ mel in ore habeat, in occulto caudæ ſpiculum, atque ita homines qui lingua blandiuntur latenter vero feriunt, ſignificare: loquendo enim mellis dulcedinẽ proponunt, re vero ipſa vulnus inferunt. *Ut mel le litis gladius, obiectus D. Auguſtino, & D. Hieronymo.*

## ULTIO. Cap. XVIII.

NEque defuerunt veteres Theologi, qui Apem ultionis & iracundiæ ſignum in Divinis literis eſſe dicerent, citatis ex Eſaia & Davide locis: *Et Apis quæ eſt in Aſſur.* Et, *Circumdederunt me ſicut Apes.* *Plin. lib. 11. c. 10. Apes ceſſantium inertiam notant, caſtigant mox, & punitæ morte.* *Ibid. Plin.*

## ARTIFICIUM. Cap. XIX.

NAm illud, quod Salomon ait: *Vade ad Apem, & diſce ab ea, quam laboriosa ſit operatrix*, unicuique manifeſtum eſt artificii ſedulitatisque illam eſſe hieroglyphicum, Virgilio præſertim naturam

ejus tam luculenter explicante, ut versus eos & decies & centies memoria repetisse neminem unum A pœnitere possit:

Georg lib. 4

*Namq; aliæ victu invigilant, & fœdere pacto*
*Exercentur agris, pars intra septa domorum*
*Narcissi lacrymam, & lentum de cortice gluten*
*Prima faucis ponunt fundamina, deinde tenaces*
*Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos*
*Educunt fœtus, aliæ purissima mella*
*Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.*
*Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,*
*Inq; vicem speculantur aquas & nubila cæli,*
*Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,*
*Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.*
*Fervet opus, redolentq; thymo fragrantia mella,*

Democritus tamen dicacitate (ut idem identidem repetam) libertateque illa fretus sua diligentiam hanc & assiduam in re facienda curam improbaturus, parcos ajebat Apibus esse similes: quæ uti semper victuræ laborarent. In quam sententiam Virgilianum illud potius detorquerem:

*Sic vos non vobis mellificatis, Apes.*

## SOLSTITIUM. Cap. XX. B

Hoc plene à Natali Comi. li. 5. c. 11.

EST & solstitii æstivi hieroglyphicum Apes, quod suo ad labores egressu, ut apud Aristotelem habetur, solstitium id denunciat: eo quippe tempore, quasi ferias quasdam celebrent quiescentes. Sed jam tempus est, ut nos quoque tamdem aliquando quiescamus ab intenta adeo Apum harum inquisitione: si modo unum quod haudquaquam prætereundum est, subjunxerimus, quod ab Mnasea Pataræo de Apibus scriptum tradunt: eas humanum genus ab esu carnium, ad arborum fructus & hortensia olim avocasse, condimento scilicet subministrato, per quod uniuscujusq; cibi, subacidi etiam & amari, sapor commendaretur: cujus etiam inventionis hujusmodi recitat historiam. Peloponnesi, ait ille, Melissa quædam cum favum Apum invenisset, prima omnium gustavit, mox & aqua dilutum bibit, remq; aliis indicavit, animaliaq; ipsa de se Melissas appellari, & ab hominibus summa cura & diligentia curari observariq; mandavit.

Apes dictæ Melissæ.

## DE CULICE. Cap. XXI. C

DE suavitate dulcedineq; hactenus locuti, Melissæ temperamentum secuti, quod ipsa non insulse, oppositis juxta se simulque positis, excogitavit, de acore jam dicere aggrediemur, cujus hieroglyphicum est Culex.

Genera culicum acessens naturæ gignit. Plin. lib. 11. c. 35.

## ACORIS AVIDUS. Cap. XXII.

EA vero de causa cœptum est, proposito Culice, hominem acidis illectum indicare; quod Culices observassent non admodum cupide appetere dulcia, sed acida quam avidissime. Levia hæc forte videantur, si quis simpliciter acceperit. Sed enim voluti per mel omnem rerum jucunditatem intelligebamus, ita per acorem quicquid est amœnitati contrarium, nobis fuerit proponendum. Esse enim homines, qui jucunditatem omnem aversentur, verissimum est, & ne longius exempla quæramus: erat mihi nepos natura adeo tristi, ut si quem hilarius ridentem audivisset, ultro stomacharetur, & excandesceret, in reliquis vitæ muneribus quantivis pretii, & bonus & prudens. Erat & alter ita risui hilaritatiq; deditus, ut ad obnunciatas quorumcunque hominum calamitates risu diffluueret: quam etiam ad patris & matris incommoda, vel ærumnas etiam effusissime cachinnaretur. Præterea, qui Principum vitas scribunt, hæc etiam quamvis humilia consectantur, ut indifferentem in victu Julium Cæsarem, & qui conditum oleum pro viridi appositum minime fuerit aspernatus: aut Octavianum Augustum minimi fuisse cibi, atque fere vulgaris, secundario pane, piscsiculis minutis, caseo bubulo manu presso delectatum, atque alios hujusmodi aliis. Quod vero ad rem, quæ præ manibus est pertinet Tacitum Augustum Vopiscus tradit amariores cibos appetiviisse: quare minime mirum, si Virgiliani carminis dulcedine, & Ciceronianæ orationis suavitate, ad insectationem usque offensus est.

Nepotes duo authoris diversæ omnino naturæ. Huc forsan spectat, quod supra lib. 19. ca. de Principe sibi tantum studente ait de Hadriano Poet. Max. & Jovium in historia.

ANIMI

A

## ANIMI AFFLICTIO. Cap. XXIII

*Amaritudo*

SEdenim cadit & in sacra nonnulla ciborum amaritudo, ubi jubet Deus Azymis vesci amarulentis, quæ scilicet *πικρία* sint immixta: quippe animam affligendam, nullamque illi corporis dulcedinem per certos dies indulgendam. Festum enim illud nihil remissum, nihil voluptuosum, nihil luxuriosum, nihil lautum sibi deposcit, sed sola animi afflictatione, & amaritudine, atque humilitate celebratur. Hujusmodi est propitiationis dies: cum enim afflicta fuerit anima, & humiliata in conspectu Domini, tunc ei condonat errata repropitiatus Deus.

## DIALECTICA. Cap. XXIV.

EST genus Culicum minutum admodum in volatilium insectorum genere, quod animal in aëre suspensum, oculi visum inter volitandum fallit, nisi aciem intenderis validissimam, corpus tamen cum insederit, acutissimo maximeque tenui stimulo terebrat: ita quem volitantem cernere nequiveras, læsus stimulantem sentias. Puto eum esse, quem Eucherius in Culicum genere aculeis permolestum ait in Divinis literis, Cyniphem appellatum, cujusmodi atrocitatis illud est, quam Serapicam vulgo Romæ vocant. Per hoc animal, Ægyptiorum plagis adnumeratum, Dialecticam artem intelligi putat Adamantius, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animos terebrat, & tanta calliditate circumvenit, ut deceptus nec videat, nec intelligat unde decipiatur. Ab hoc autem pungendi munere Hieronymus quoque doctrinæ Aristotelicæ spineta attribuit, contra Helvidium.

B

---

## DE COSSIS.

## AGMEN. Cap. XXV.

*De Cossis Plin. libro 17.*

INgruentem quidem Culicum multitudinem Ægyptii significare si vellent, Cossos vermiculos si non pingebant, certe loquendo nominabant. Hieroglyphicè enim modo loquimur, modo scribimus. Idque ea de causa, quod ex hujusmodi vermiculis Culices generantur. Sed ex Culicum multitudine infestum aliquod agmen intelligebant. Uti enim Culices quaqua feruntur, sunt incolis omnibus molestissimi: ita exercitus quantumlibet amicus quaqua iter fecerit, & molestus & damnosus est. Quod si ullo unquam tempore experimento compertum fuit, infelicissima hac ætate nostra tot continuos annos magna cum totius Italiæ clade perspeximus. Longe enim graviora damna nunc ab armatis amicis inferuntur, quam olim ab hostibus, qui vi rerum potiti essent: cujus mali causa est militum improbitas, summam disciplinæ militaris gloriam, in sola rapacitate reponentium.

C

*Exercitus, quantumlibet amicus, damnosus.*

---

## DE FUCO. Cap. XXVI.

ADjungendus fuerat Api Fucus, utpote qui non digrediatur ab alveariis, quibus semper insidiatur: sed quoniam dulcedinis antithethon ad Culicem traxit nunc ad Fucum convertemur.

D

## ALIENI LABORIS FRUCTUS. Cap. XXVII.

HOminem ex alienis laboribus utilitatem, delicias, gloriam sibi comparantem significare si vellent, Fucum pingebant. Sunt hi grandissimi inter Apes. Sedenim Fucos Furesque apud nostros confundi video. Plinius Fures inter illas grandissimos esse dicit. Aristoteles Fures majores quidem Apibus, sed minores Fucis agnoscit. Utcumque, mellificandi nullam Fucus habet curam, sed otiosus intus desidet, vel cum exit effert sese fusim in sublime, gyrosque volitat cum ejusdem generis animalibus, qui exercitum quasi faciunt, quod ubi satis jam fecerint, quasi se velut in campo exercuerint, redeunt domum, & epulis perfruuntur labore partis alieno. Contra illos Apes acerimè dimicant, & ut Virgilius ait:

*De furis Plin. l. 11. c. 11. eadem.*

*Ignavum Fucos pecus à præsepibus arcent.* *Georg l. 4.*

## DE VESPA. CAP. XXVII.

*De Vespis Plin. l. 11. cap. 21.*

APud Horum legas Vespam ex corrupto Crocodili sanguine, vel ex ejus cadavere procreari. Nostri ex Equino eam cadavere nasci volunt.

## PERNICIES SUMMOTA. CAP. XXIX.

UTcumque, Vespa cum apud Ægyptios corruptum ostenderet Crocodilum, eadem ratione pernicie summotam extinctamque significabat: quando, uti suo commentario dictum est ex Diodoro, Crocodilus & mala & ærumnosa mortalibus illata commonstrat.

## PUGNACITAS. CAP. XXX.



CÆterum Philosophi vetustiores pugnacitatem per hanc innuere videbantur. Nam & Equus, & ex cujus corrupto sanguine Vespa oritur, belli est indicium, ut suo commentario probatum. Et quod ad hanc facit pugnacitatem, Demosthenes, ut apud Stobæum περὶ διογένους Πλατωνικῶν, Antisthenem ait aliquando à Diogene correptum, ut qui exili admodum voce homines castigaret, respondisse: *Vespas itidem sonum haud magnum alis excitare, aculeum tamen acerrimum habere.* Quare apud Æneam philosophum Platonicum, Exitheus dum Theophrasti dicta diluit, si quæ ille opinabatur vera essent, *Vespa*, inquit, *item Hector colligabitur*, ambo enim caput varia galea redimiti sunt, ac perinde pugnacissimi. De galea ad id alludit quod Homerus Hectora subinde κορυθαίολον vocat. Et mulierum chorus apud Aristophanem, Lysistrate, quieturum se decit, nisi accesserit aliquis, qui tanquam Vesparum examen fodicare se, vel irritare aggrediatur. Atq; hæc omnia nostra sunt. Sapientiæ enim 12. habemus: *Misisti antecessores exercitus tui Vespas, utique paulatim exterminarent.* Importunum forte cuipiam videatur, si κῦ πάρεργον remedium subjecero contra hanc Vesparum pugnacitatem, sed enim quod utile vel commodum plerisque futurum est, nunquam ego judicaverim importunum. Bellicoso mollis opponitur. Malva oleris genus, à mollitie, ut plerique tradunt, dicta, Vespis adversatur, præcipuè sylvestris: cujus succo, ut Demagenon & Pexamus scribunt, qui sese illeverit, à Vespis non impetitur neque pungitur. Quinetiam si quis punctus jam fuerit, ejus herbæ succo, aut contusis & impositis foliis sanatur, apertissimo nobis documento, ut cum res nobis cum furioso fuerit, lenitatem amplectamur, quoque acerbioribus illæ verbis excanduerit, nos mitioribus responsis ignem extinguere procuremus, illius dicti memores, μέγιστον ὄφελος ὀργῆς φάρμακον λόγος.

*Agitatorem galeæ Iliad. l. 3. vers. 314.*

*Malua Vespis adversa*

*Sermo maximum est furoris antidotum & remedium.*

## IMPERFECTI MORES CIVILES, CAP. XXXI.

PLato, Phædone, eos qui popularem civilemque virtutem, quam temperantiam aut justitiam nuncupant, exercuissent, non eam quidem ex doctrina Philosophorum, atque ex eorum sententia descriptam, sed ex consuetudine quadam exercitationesq; ad aliorum exemplum acquisitam, positobitum in Vesparum, Apumvè, aut Formicarũ genus migrare contendit: his enim omnino aliquid natura dedit, quod civilis gubernationis similitudinem quandam præ se ferat: nam & ipsæ collegia celebrant, tribusq; & centurias distinguunt, habitationesq; sibi construunt magnificentissimas, in quibus cellæ favorum in morem sexangulæ omnes. Sed Apum texta metarum quasdam propemodum formas imitantur, Vesparum castra potius sunt, & Mausolea, orbiculari ambitu, tabulatis super alteras alteris aggestis. Hujusmodi fabrica mirificè constructa, cum Belluni essem, ad me allata est ex cujusdam sylvæ solitudine. Septem sunt concamerationum orbes, alter super alterum duorum digitorum intervallo impositi, pilarum columellarumque interstitio distincti, ut unicuique commodum

*Vesparum habitationes mirificè constructæ.*

A sit spatium ad eundem & redeundum ad domos suas. Diameter orbium ad quintum usq; duodecim circiter digitorum, à quinto reliqui fastigatim coarctātur, uti ultimus ad quinos senosve digitos porrigatur. Major orbis, primum quidem tabulatum, antiquæ orbis ramo appensus erat, crustra superne ad omnes ventorum & pluviarum injurias contemnendas solidata munitaque. Infra hexagonales cellæ confertissimæ, ita reliqua tabulata eadem crusta cellisq; eisdem fabrefacta, suisq; columellis singula sustentata. E superioribus vero stationib. bestiolæ omnes abvolaverant, medias concamerationes innumerabilis multitudo compleverat, folliculo quodam tenuissimo, pro tegumento uniuscujusque loculi superinducto, quorum aliquot cum sustulissem, animadverti Vespas capitibus imum adactis, domos eas omnes cōplevisse. Quæ vero in inferioribus erant tabulatis, tanquam embrya videbantur vermiculorum instar imperfecta: ipsa quoq; eo tegumento, tanquam hybernæ cochleæ, sed admodum tenui præmunita, in benigniorem verni temporis horā asservabantur: quæ tamen omnes, siquidem gravis hiems fuit, ibidem extinctæ sunt, neq; tamen computruit quicquam, & tot jam annos eadem forma statuq; spectantur. Expectabam quidem veris temperiem, ut quid acturæ essent B exploratum haberem, sed nihil ulterius processit. Fabrica apud me remansit, non sine magna omnium, qui eam conspiciunt, admiratione, tantum artis & ingenii, tanquamq; in construendo ædificio tam operoso, perseverantiæ bestiolis his inesse obstupescentium. Sed quoniam in aculeata hæc incidimus, libet obiter Plinii locum perpendere, ubi libr. XI. cap. 8. supra vigesimum, *Aculeus*, inquit, *in ore ut Asilio, sive Tabanum dici placet.* Vereor ne illud, SIVE TABANUM DICI PLACET, adulterinum sit & subdititium, ut pleraque adhuc alia apud authorē eundem addita: quæ nisi peritorum hominum diligentia vetentur, indiligentiæ illi nomen inurant. Asilus enim diversus à Tabano est. Græcè οἶρος vel Marone interprete,

*Tabani & Asini differentia.*

*Georg. l. 3.*

*Cui nomen Asilo*
*Romanum est, œstrum Gmji dixere vocantes.*

Tabanus vero musca est lenta, cineritia, quæ Græcè μύιωψ dicitur. Rarus præterea est Asilus, Tabanus numerosissimus. Asilum, inquit Aristoteles, latiusculis quibusdam bestiolis, quæ in fluviis supernatat, enasci: quamobrem magna Asilorum copia circa aquas, ubi id genus bestiolarum, quæ Ta- C banos vero ex ligno. Item Sostratus de animalibus quarto, œstrum è fluviali materia nasci tradit, μύιωπα vero ex lignis. Idem Aristoteles alibi sanguinea dicit animalia Tabanos, & Asilos: & passim demum de singulis separatim meminit.

## PERTURBATOR. CAP. XXXII.

PErvulgatum vero illud est, ut per hieroglyphicum Asili significetur is, qui aliorum otia perturbat, quietisq; rebus tumultum aut molestiam affert: est enim is, ut Maro cecinit,

*Aer, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis*
*Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther*
*Concussus, sylvæq; & sieci ripa Tanagri.*
*Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras*
*Inachiæ Juno bestem meditata juvencæ.*

*Hinc proverbium* οἴστρῳ παραλήγεις. *Oestro percitus: hoc additoluno fertur vaccū Io in furorem egissel 3. Georg.*

Maronianus autem versus de Asilo Romana voce dicto nimirū, ostendit verba illa apud Tranquillum ab Othone Galbæ manibus de turbato, identidem obmurmurata in damno esse, si ut vulgata habent exemplaria, legamus, τί γάρ μοι καὶ μακροῖς ἀσίλοις? quare castior omnino lectio substituenda. Nam illud quoq; quod magna eruditione viri commenti sunt de longis tibiis, adhuc non liquet.

D

## DE MUSCA. CAP. XXXIII.

INstat demum, nobisq; negotium facessit importunissima bestiola, quæ licet ab omnibus solita sit abigi, pertinacia tamen sua pervicit, ut de se multi multa scribere cogerentur: nos ea tantum quæ ad hieroglyphica faciunt, memorabimus.

*Asili descriptio ex Virgilio.*

## IMPORTUNITAS AC IMPUDENTIA. CAP. XXXIV.

IMportunitatem sane atque impudentiam Ægzptii Sacerdotes notare si vellent, Muscam haud indecenter faciebant: eam enim ut sæpius & assidue expellas, & à te summovere contendas, tanta tamen impudentia prædita est, ut identidem redire, infestare te minime vereatur, nullam tuorum

*De muscæ pertinacia, extant versus Homeri Iliad. ε.*

rum commodorum rationem habeat sive loquare, sive dormias, sive bibas, sive cibum capias, sive legas, scribas, parata semper adstat, ut in faciem insiliat tuam, infesta, importuna, incommoda, nulli nisi fastidio de se concitando idonea. Hinc apud Ciceronem secundo de Oratore, ridicule dictum de molestissimo juvene, *Abige Muscas puer*. Hinc Platonicus vir Æneas summæ Philosophus integritatis, dum Euchiteum introducit Theophrasti commenta deludentem, qui dictitabat animas relicto humano corpore id genus bruta sectari, eisque inhærere, quorum opera visæ fuerint imitari, ut Hyperbolum quendam impudentiæ notaret, inquit: *Musca item Hyperbolum trahet*, quippe par fuit utriusque impudentia.

*Æneæ Philosophi dicterium.*

## PERTINACIA. Cap. XXXV.

EA tamen improbitas pertinacissima, qua nunquam rebus quietem esse sinit, tanti fuit, ut inter prælia deorum gravissimasque res Poëtarum principem Homerum illexerit ad ejus pertinaciæ perseverantiam memoriæ demandandam, Hieroglyphicumque proponendum, quo ferox hostis insultat hosti, neque moram, neque requiem dat ullam, donec vulnus inflixerit, & audaciæ confidentissimæ munus executus fuerit. Ita enim apud eum legitur:

*Iliad. l. 14.*

Καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσιν ἐνῆκεν.
Ἠτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομένοιο
Ἰσχανάα δακέειν,

*Id est, Atq; illi muscæ vim intra præcordia misit. Quæ quamvis de pelle viri sit sæpe repulsa, Assultat morsura tamen.*

Unde etiam Hebræis Beelzebub demonis nomen, quem aliorum longe principem prædicat, cujus Musca est hieroglyphicum, quod D. Hieronymus agnoscit: nunquam enim cessat ille humanum genus modis omnibus infestare, & modo hos, modo illos ad perniciem laqueos tendere, ac omnes, quibus nos perdat, vias intentare. Observaverat etiam Eucherius, Muscam in Divinis literis modo pro cacodæmone, modo pro impuro atq; malefico homine, modo pro idololatriæ spurcitia poni, et Salomonis citato loco: *Muscæ morituræ exterminant olei suavitatem*: hoc est, adeo malignum est Muscarum genus, ac perinde Beelzebub, ut vel si moriendum sit, dum aliqua noceat, quippe vel bonos alicujus mores corrumpat, vel virtutem aliquam infringat, se quoque simul perdi pro nihilo habet.

*Musca Beelzebub hieroglyphicũ.*

## RES GESTA COMINUS. Cap. XXXVI.

MUsca etiam aliquando in Laconum clypeis insigne fuit, quam cum quidam non omnino vera majorem in parma figurasset, objicienti quod latitandi causa id fecisset: *Imo*, respondit, *signum est, me tam proximè ad hostes accedere, ut Musca ab eis internosci possit.*

*Plutarch in apophth. Laconicis.*

## INDOCILITAS. Cap. XXXVII.



QUinetiam indocilitatis hieroglyphicum est musca: nullum siquidem omnium animantium minus docile existimatur, neque minoris intellectus. In qua sententia est Plutarchus Symposiacôn octava decade, duo tantum domestica animalia esse dicens, quæ nunquam humano convictu mansuescant, neq; tactum admittant, neque consuetudinem, neque ullius rei aut disciplinæ communionem: quippe Hirundinem & Muscam, quam semper & indocilem, & feram permanere, uti omnibus patet, asseverat. Videre etiam est in hominibus, eos egregiè temerarios & impudentes esse, omniaque audere, qui nulla elegantiori doctrina præditi sunt: contra alios quo peritiores fuerint, eo modestiores verecundioresq; esse. Hinc apud Horatium hominem notari videas, qui cum Athenis per annos aliquot libris insenuisset, Romam reversus statu taciturnior ingrederetur: quippe id contra vulgus sentiens: nam sensus ille ex imperiti vulgi opinione desumptus, cum nimirum intelligat Horatius, probum doctumque virum, esse male eruditum

*Animalia duo indocilia.*

quam

Aquam videri popularemq; auram illam protinus aſpernari. Denique verum eſt quod Plinius Nepos ait Epiſtolis, recta ingenia debilitari verecundia, perverſa confirmari audacia atque ita quo quis imperitior, eo impudentior atque jactantior evadit, quod Græco etiam axiomate confirmatur, ἀμαθία μὴ θάρσος, λογισμὸς δ' ὄκνον φέρει: *Imperitia quidem audaciam, eruditum vero rerum examen timiditatem effert.* Merito itaque viro forti odioſa Muſca, & ſapienti temeritas. Ideoque Hercules eas ſuo de ſacello abegiſſe dicitur, Myodem quem vocabant earum deum imprecatus. In Olympiæ ſacro fortium carmine, Tauro, deo eidem, ut ajunt, immolato, nubes earum toto eo agro abire cogebatur. Hunc ſuperius Beelzebuben diximus ex Hieronymo. *Myodes deus muſcarum.*

## CYNICI. Cap. XXXVIII.

IN ſacris noſtrorum literis habetur Cynomyiæ mentio non contemnenda: quippe inter Ægypti flagella enumerata. Muſcam eam caninam plerique dicunt, adjecta ſcilicet ad importunitatem canis etiam impudentia. Cynicorum ſectam animali huic perſimilem dicit Adamantius, qui ad reliquas improbitatis ſuæ deceptiones, voluptatem etiam & libidinem inter bona ſumma commemora-
B bant. Nam quod moleſti eſſent contra civiles omnes mores, omnia deridendo, multorum eſt teſtimonio manifeſtum: quod vero & impudentes, vel unius Diogenis improbum facinus indicat, qui vel medio in foro ſpectante populo, hominem, ut ipſe jactabat, plantare non erubeſcebat. Ita plerique hodie, dum levia quædam publicè reprehendunt, graviſſima quæque ipſi ſibi permittunt. Apud Eucherium locus animadvertendus eſt de Cynomyia, quæ non Muſca canina, ut quidam putant, Pſalmo ſit accipienda, ſed Muſca potius omnimoda: quod ſi admittatur, non per y Græcam literam ſcribi debet prima ſyllaba, ſed per œ diphthongum: atque ita dicendum eſſet pro Cœnomia, Muſcarum genus omne. *Cynici Muſcis ſimiles.*

## DE EPHEMERO. Cap. XXXIX.

APud Cimmerium Boſphorum Hypani fluvio, veluti folliculus acinis majores ferente, gignitur Ephemerus, animal quadrupes volatile, quod nos Diarium appellare poſſumus.

## UNIUS DIEI VITA. Cap. XL.

C PEr hieroglyphicum ejus infantem aliquem, qui non ultra unius diei ſpatium vitam produxerit, nonnulli ſignificandum cenſent. Id enim animalis genus ut eruperit è folliculo, in pomeridianum uſque diei tempus vivit, & volat, mox deſcendente ſole macreſcit & languet: deinde occidente moritur, vita non ultra diem unum prorogata. Ejuſdem imbecillitatis eſt papilio, in grandiſſimæ Muſcæ ſpeciem, colore albido qui ex folliculo bombycis intra ſuam araneam conditi transformatiq; erumpit, candidoque exceptus velo, ova, haud ita multo poſt Papaverum ſeminibus paulo maiora, edit plura numero: mox intra pauciſſimarum horarum ſpatium ab ovis editis emoritur: ex quo formari poſſet hieroglyphicum, quod indicaret, re bene geſta vitam exhalatam, ut Epaminondam Thebanum, & Leonidam Spartanum feciſſe legimus. Ac ne quis commentitium ac fabuloſum cenſeat, quod ſuper Ephemeros authores tradunt, ut Bombycem prætereamus, quem tota jam Italia domi unuſquiſque contueri poteſt, in Britanniis fluvius eſt, vel, ut nonnulli tradunt, Euripus potius, qui totam terme inſulam dividit, utrinque in ripæ marginibus arbores ſunt, quæ folliculos ad ovi anſerini ma-
D gnitudinem ferunt: hi certo anni tempore in ſubjectam aquam decidentes ſimulac molliti fuerint, aperiuntur, deq; ſingulis ſingulæ excluſæ aves abvolant, Pipionibus paulo minores, candore inſigni, alisque adeo plumatis, ut alte ſtatim auferantur, neque quo migrent ulli adhuc compertum ajunt. *Muſcæ & Papilionis vita brevisſima. Hæc à Columella l. 10. de Apibus.*

## DE CICADA. Cap. XLI.

UT vero beſtialis his finem imponamus, admonet Cicada, quæ continuati ſoni raucitate moleſta, nos omnino videtur edocere, ut ejus exemplo tædio eſſe caveamus, tam multa congerentes. Ejus igitur hieroglyphica proſecuti, aves jam & volatilia reliqua valere jubebimus. *Theopompus, apud Athen. l. 11. τέττιξ Μεσαβάτις cicada Priades.*

## INITIATUS SACRIS. Cap. XLII.

*Sacræ literæ ut Cicadæ.*

ÆGyptii Sacerdotes hominem sacris initiatum, & mysticæ disciplinæ peritiam assecutum, per Cicadam significabant, in eam scilicet admirationem adducti quod animal tam exiguum nullo oris commodo non faucibus, non lingua præditum, tam argute caneret tamen, tamque altum insonaret. Esse hujus instar doctrinam mysticam, & suas præsertim literas, quæ nullo syllabarum complexu, nulla partium orationis textura constructæ, sed sola animalis cujuspiam, vel alterius rei repræsentatione, absolutæ significationis orationem facere videantur, quæ sese longe diverso ab aliis literis modo legendam exhibeat. Putabant vero Ægyptii Cicadam, ut apud Horum legere est, per aculeum, emodulari, quod motu suo stridorem cieret, veluti plectrum quo citharæ pulsantur: ore quippe caret Cicada, eademque cæca est, prolixum tamen quiddam, compactum indivisumque gerit, simile ei quod linguæ speciem refert in iis, quibus aculeus in ore est, eoque ipso rorem haurit, quod unum illi & peculiare est alimentum. Unde apud Maronem:

*Dum cytiso pascentur Apes, dum rore Cicadæ.*

Cæterum de sono diversa est aliorum sententia: quippe qui attritus sit interioris spiritus. Quinetiam experimento compertum est, Cicadam non canere per oris aculeum, sed colliso, attrio agitatoque frequenter cavo utero, quod pueri digitorum stimulatione non semel exploravimus.

## DICACITATIS CASTIGATIO. Cap. XLIII.

*Itē & illud, τέττιγα πτερῦ συνείλησας Cicadam ala corripuisti. Lucianꝰ in pseudologista.*

CUm vero sonus ipsius animalis argutus quidam stridor potius sit, quam cantus ullus, & strepitu aures offendat, natum inde proverbium, *Cicadæ uterum ne scabito*: quotiens reprimenda est cujuspiam dicacitas aut petulantia, ut si pergat dicere quod vult, scurriliq; aut maledico morsu impatientiorem aliquem titigerit, ipse postea repercussus, quæ nollet audiens erubescat. Et quod in hanc sententiam ait Hesiodus:

Εἰ δὲ κακόν τ' εἴποις, τάχα καὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Et hujusmodi apud Sophoclem, Euripidem & Plutarchum plura. Proclus Diadochus putat Cicadæ cantum ex alarum, qualescumque sunt, attritu provenire: ait enim, ὁ τέττιξ ᾄδει ὑπὸ ταῖς πτέρυξι, τρίβων ἑαυτὸν καὶ ἦχον ἐκπέμπων: *Cicada canit alarum freta ministerio, semetipsam applodens, & strepitum ita ciens.* Quod & Hesiodus agnoscit, πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων.

## VANA GARRULITAS. Cap. XLIV.

CUr autem nonnulli vanam & inanem garrulitatem per Cicadam significari dixerint, ex Aristotele, quem non intellexerunt, desumptum crediderim, qui Platonis ideas à materia dissepara-



tas prioribus analyticis τερετίσματα esse dixerit: quippe, ut nonnulli ajunt interpretes, nihil nisi inanem cantilenæ cujusdam garrulitatē præ se ferentes Quem Cicadarum cantum ut importunum & impudentem, ita Demetrius Philosophus notat, cum à Domitiano pulsus Italia cum Apollonio quereretur: *Cicadis*, inquit, *impunè licet obstrepere, nobis ne quidem mutire fas est.* Apud Aristophanem νεφέλαις, quæ justus sermo commendaverat, injustus ait Cicadarum plena esse. Sedenim quantum ad Aristotelis τερετίσματα pertinet, pie magis fecerimus, si dixerimus, discipulum longe honestius, quam alii putent, de præceptore suo loqui, sanctiusque sentire super ideis, quam interpretes, nostri præsertim temporis opinentur: quippe cum Aristoteles de iis tractaret quæ facerent ad demonstrationem per ea, quæ ipse constituit artis elementa, non objiciendas huc, ait, ideas Platonis: quia τερετίσματα sunt, hoc est, mysticum quiddam sapiunt, atque ideo nihil ad demonstrationem qua de nos hic agimus, conferunt: ingenii illud, atque animi

*τερετίσματα quid*

A animi supra sensum elati negotium est, hoc quod præ manibus est nobis, uni applicitum est sensui. Vocabulum enim τερετίσματα, inter alia significata Mysterium etiam significat, & superius Cicadam mystici hominis hieroglyphicum Ægyptiis esse commonstravimus. Sane vero Propertius in garrulitatis significatum Acanthidem lenam vocat, sermonis tædio & loquacitate, auriumque offensione: nam acanthias Cicadæ epitheton est; quin & Cicadæ species Hesychio. Ajunt porro, ex eo animalium genere fœminas semper taciturnas esse: quod nonnulli ad frigiditatem referunt, qua sint egregie præditæ.

*Hinc illud* τέττιγος εὐφωνότερος, *Cicada vocalior.*

## NOBILITAS GENERIS. Cap. XLV.

ILlud minimè prætereundum, Cicadam apud Athenienses generis nobilitatem significasse: quod apud Thucydidem in liminari pagina comperies, qui τεττιγοφόρους, hoc est, Cicadigeros eos appellat, quod apud Athenienses institutum erat, Cicadas ex auro capitis ornamento gestare, quæ indigenas & ingenuos, ab advenis & servis distinguerent. Causam nonnulli comminiscuntur, quod B Cicadæ maximè omnium animalium indigenæ videantur: in ea siquidem regione qua genitæ, vivunt moriunturque, cum reliqua ferè omnia animalia aliquo migrent, neque sedem ullam firmam habere perseverent. In unaquaque vero civitate & municipio eo nobiliores dicimus, quorum majores pluribus ante annis in patria sua claruerint, objectatumque ideo Ciceroni totiens in opprobrium, quod vir novus esset: quin plurimum odiosa solet esse novorum hominum ambitio, cum Rempub. in quam recens adsciti fuerint, administrare contendunt.

*Cicadæ omnium animalium indigenæ.*

## MUSICA. Cap. XLVI.



QUamvis autem alii aliter Cicadarum cantum acceperint, plures illi fuêre qui musicam hinc intelligi censuerint: ideoque Cicada in citharœdi statua citharæ insidens, hieroglyphicum dedicabatur, quem morem Strabo latius interpretatur: quamquam nusquam desunt C Græcorum fabulæ, Eunomi citharœdi statuam celebrantium cum cithara, cui Cicada insideret, propterea quod is cum Aristone Rhegino, Pythiis, musico certamine destitutus est, chorda una fracta: verum ajunt Cicadam adfuisse supervolantem, quæ suppleverit vocis illius vicem. Et apud Theocritum pastor, qui Thyrsin commendare vult à carminis suavitate, melius eum canere quam Cicadas, rustica & pastorali simplicitate, dixit. Deque hac Plotinus mihi videtur intellexisse potissimum, cum homines musicis modulis affectos ac delinitos, in animalia musica renasci disserit. Quin & fabella recitatur à Platone, fuisse olim quosdam musicos homines, qui cantu adeo allicerentur, ut præ modulatione cibumque potumque negligerent, eoque D demum macilentiæ redactos, ut in Cicadas abierint, qui famem adhuc nullo alio cibo quam cantu levent. Videre vero est homines eos qui sermocinationibus & loquacitati prolixius æquo dediti sunt, corpore esse majori ex parte graciliori: corpora enim extenuari sermone nimio, Philosophi profitentur, quorum è numero Lucretius noster ita philosophatur:

*In Daphnide sic:* τέττιγος ἐπεὶ τύγε φέρτερος ἄδεις. *Canis melius quacumq; Cicada.*

*Ne te fallat item, quid corporis auferat, & quid*
*Detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis*
*Perpetuus sermo, nigrâi noctis ad umbram*
*Auroræ productus ab exoriente nitore;*
*Præsertim si cum summo est clamore profusus.*

*Libr. 4.*

Sed satis jam obstrepere cum Cicada visi sumus; quare sit jam nugandi modus.

## DE ARANEO. Cap. XLVII.

IMportunum forte videatur insectis his, atque iisdem volatilibus Araneum aggregare: sed traxit me bestiolæ levitas propemodum volatilis, ut inter hæc locum ei constituerem. Præterea, veluti nullus est illi angulus impervius, haudquaquam ulla erit invidia, si hujus quoque commentarii angulum occuparit.

## INANE OPUS. Cap. XLVIII.

*Huc spectat illud Afranii apud Festum, Tamne arcula tua est plena aranearum?*

EX carmine quidem Catulliano, per Araneum inane opus, nulliusque pretii aut momenti rem significari didicimus, ubi de se ipse jocatus ait:

——*Nam tui Catulli*
*Plenus sacculus est aranearum.*

Quod sibi desumpsit Lucianus in Pseudologista, ἐυρῶτος καὶ ἀραχνίων μεστὸν, *carie & aranea opplet.* Verum & ex historiæ sacræ scriptoribus, significatum, idem Præsulibus nostris non improbatum accipimus. Eo siquidem tempore atque hora, qua Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, & Macarius, & Pyrrhus, & socii qui unam in Domino nostro Jesu Christo naturam & voluntatem asserebant, centum & quinquaginta Præsulum sententia damnati sunt, plurimæ Araneorum telæ, maxima omnium admiratione, in medium populum cecidere: ex quo significatum est, eas hæreticorum sordes Aranearum instar inanes fuisse, eoque conventu solemnique judicio dissectas esse. Nonagesimo sane Psalmo de infirmitate hujusmodi legas: *Anni nostri quasi Aranea reputantur:* nam ea magna cura & ingenti labore contexitur, ob tenuitatem vero minimo quolibet occursu dissipatur. Alio Psalmo: *Tabescere fecisti velut aranèam animam meam,* super eadem imbecillitate humana dictum volunt. Et earum telæ, ut Eucherius, concupiscentiæ nostræ opera sunt, quæ nulla densantur soliditate, venti cujuslibet humani injuriæ exposita. Apud alios ita interpretatum invenias: *Exile admodum animal est Aranea, & anima flagellis & amaritudine conscientiæ perculsa macerata, attenuari videtur:* contra, cum genio dat operam, *Pingue fcere* dicitur, *& opiparè saginari.* Sunt qui ex Hebræo non Araneam, sed Tineam hic ponant.

*Mystica Aranearum explicatio.*

*Psalm. 90.*

*Psalm. 34.*

## PLUVIA. Cap. XLIX.

*Prævolant si dies mitis sit futurus, prædivinat enim vetos imbres q.*

ALioqui tela hujusmodi futuræ indicium est pluviæ: quod animal id sereno texere quodammodo vereatur, non ignarum serenitatibus tenuem magis ac perflatibus obnoxium esse aërem, quibus ambobus opera sua dissipari contingit: nubilum vero, utpote crassiorem glutinosioremque, ejus operis tenuitati commodiorem experitur.

*Plin. lib. 11. cap. 10.*

## LEGUM INÆQUALITAS. Cap. L.

*Hoc ab Anacharside, vel à Solone Valer. l. 7. cap. 2. Diogenes Laer. libro cap. 3. Plutarch. in Apoph.*

VUlgus vero non inepte per Aranearum telas & retia, apto admodum hieroglyphico legum notat inæqualitatem? propterea quod veluti Muscæ & volatilia alia pusilla si in eas inciderint, capiuntur & pereunt, fortiora vero animalia perrupto texto facile quoquo libuerit elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atque castigant, potentioribus vero nihil adversantur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, & refigunt. At non ita Antiochus tertius, qui Civitatibus sibi subditis scripserat, ut si quid umquam per literas mandasset quod legibus adversaretur, ne curarent, tamquam illud esset se nesciente scriptum.

## DIALECTICA. Cap. LI.

*Opinio Aristonis de Dialectica.*

PEr Araneas Ariston Chius Dialecticorum sermones intelligebat, quæ quidem artificiose admodum elaboratæ essent, nulli vero inservirent usui. Eamdem idem disciplinam cœno in viis jacenti assimilabat, nulli quippe utilitati esse, ingredientibus autem & impedimento & molestiæ. Idem eos qui disciplinæ huic operâ curiosius darent, iis qui Cancros largè vescerentur similes esse dicitabat: exigui

A exigui enim cibi causa circa magnum testarum cumulum occupari. Dialectica vero omnem Zeno Philosophus justis quidem mensuris comparabat, quibus tamen ejus artis periti non triticum aut utile quidpiam metirentur, sed paleas, aut quisquilias & alia id genus.

## DE TIPPULA. Cap. LII.

VErum ecce tibi Tippulam, mihi nihil tale cogitanti neque sentienti, ex improviso huc irrupisse, quare quid ea quoque sibi velit videamus: etiamsi nihil ab Ægyptiis, quod meminerim, super ea traditum habeatur.

## LEVITAS. Cap. LIII.

SUnt qui summam levitatem, utputa quam Maro de Camilla canit, per Tippulam apte significari posse dicant. Bestiolæ quippe genus id sex pedibus præditum, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desideat. Hinc Plautus, *Neq; Tippula levius est pondus, quam fides lenonia.* Ænei.lib.10

B

# JOANNIS PIERII VALERIANI
## HIEROGLYPHICORUM
## LIBER XXVII.
## DE IIS QUÆ PER DELPHINUM ET POLYPUM SIGNIFICANTUR
## Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD NOBILISS. MAXIMEQUE REVERENDUM JOAN. GRIMANUM PATRIARCHAM AQUILEGIENS.

C *Lustricis diebus, qui proxime præterierunt, cum pientissime Præsul, purificationis ergo pulvinaria septem te secuti invisissemus, essentq; una tecum eruditissimi viri Angelus Colotius, Baptista Casalius, Pimpinellus, Antonius Marosticanus, & Petrus Alexander; quibus candidius nil terra tulit, quorum commendatione tuam ego amicitiam recens indeptus eram, multaq; inter equitandum de ambitiosissimo monimentorum studio, quod veteribus illis adeo placuisset, ultro citroq; diceretur: suggerebant enim argumentum tot dejectorum passim ædificiorum moles tam immanes, quæ tota gestatione nostra occurrebant, magnamq; dicendi materiam subministrabat arcana illa pingendi cælandiq; ratio, quæ apud eos fuisset, qui mutam quandam orationem per rerum imagines mente concipiendam, non ullo vocis sono, literarumve complexu enunciandam excogitassent, authoribus dubio procul Ægypti sacerdotibus, quos universæ mox nationes, ubi ulla rerum disciplina vigeat, tacito consensu cunctis in operibus imitati studuissent. Sub hoc sermone Quirinalem prætervecti, ad altæ semitæ latus deflexeramus, in hortos*

D *tuos, ubi antiquissimi operis templum olim fuit, in quo ruinis obruto signa etiamnum plerag; vetustissima sub ruderibus subterranei ejus templi reperta à vobis fuerant, ad quæ spectanda magna ingenuarum multitudo confluebat. Inter ea autem opera, præcipuum erat Veneris simulacrum, quæ Cupidinem manu regebat, ipse vero Delphinum cauda apprehensum surrigebat, ille Polypum juxta Cupidinis pedes hærentem solo mordicus apprehenderat. Hic tu, qui veterum operibus adeo delectaris, quærebas, quid id sibi vellet argumentum. Neq; aberant ex loci curatoribus qui visitantium opiniones exceperant innumeras, plurimum vero qui rem temere factam arbitrabantur, animaliaq; illa ad ornatum tantum apposita putarent: vel si quod in ea re consilium fuisset, certe non ullum aliud, nisi ut statuæ pene nudæ aliquo firmarentur fulcimento, facile lapsuræ nisi adminiculis hujusmodi veluti adglutinatæ præsepitaq; sustentarentur, neq; alterius cujusquam rei significationem præ se ferre, nisi quis diceret, Venerem mari ortam, maternisq; pecoribus Cupidinem adblandiri. Tuq; mi Domine, ad me conversus, quid super hoc mihi videretur postulasti. Ego*

*autem*

*autem argumentum id omne ad Ægyptiorum traxi disciplinam, tuque. Vir amplissime, libenter auscultare me visus es, meamq; dictionem amici reliqui non improbarunt. Proinde rogasti me, ut quæ super Delphino & Polypo hujusmodi disseruissem, ea scriptis explicata tibi darē, velle te per otiū rem diligentius examinare. Feci quod petieras, idq; libenter admodum, quod magnopere gaudebam datum mihi occasionem, qua possem tibi tam studioso, tam pio, tam plane probo Principi in ea morem gerere, in qua per dies aliquos industriam ego meam, quantulacunq; esse potest, exercuissem. Misi igitur ad te pisces eos duos quos poposceras, atq; ea simul omnia, quæ illis capiundis in verriculo deprensa sunt. Nam multa Delphinus dum mare cauda verrit in sagenam immisit: & Polypus cirris, & quibus exasperatur cotyledonibus fretus plurima secum attraxit nullo discrimine congesta. Ea utiliane essent, an inutilia, nolui meum esse judiciū, sed ipsum recte prout eductum erat, cum tota præda protinus afferendum ad te curavi. Tuum erit, quæ usui fore videbuntur, verriculo in siccum attracto, seligere: quæ minus ad rem facient, ejicere. Sed anteaquā ad complexum figurarum, quas explicaturi sumus, aggrediamur, necessarium esse visum alterutrius simplicia significata percurrere: ut habita singulorum cognitione, facilius coagmentationem ipsam conficere possimus.*

## DE DELPHINO.

### INCOLUMITAS. Cap. I.

*Est enim præcipue φιλάνθρωπον quinetiam, ajunt. παιδεραστήν.*

INcipientes igitur à Delphino, id inprimis referre libet, quod totiens in humani generis beneficium cessit: quippe plerisq; mortalium extremo vitæ periculo laborantibus ab animali hoc sponte auxilium allatum. Neq; enim temere frænatus Delphinus pictus, incolumitatis indicium fuit, quod dubio procul ob multos ab undis ejus opera servatos factum opinamur. In Neptuni siquidem templo, quod apud Isthmon erat, visebatur Palæmon puer super Delphino ex auro & ebore confectus, quem Herodes Athenienſis dicaverat. Nam & Palæmoni nautæ pro incolumi navigatione vota faciunt. Idem enim & Melicerta & Portunus est, cui, ut apud Virgilium habetur, *servati votum solvunt in litore nautæ*, ut Glauco, & Panopeæ.

*Georg. lib. 1.*

### TARAS. Cap. II.

QUod vero signum in argenteo numo Delphino vehitur, Taras is est, ut etiam indicat inscriptio, de quo Aristoteles meminit Tarentinorum politia, apud quos numisma Numū dicit appellari, in quo Taras Herculis Delphino vectus. Quamquam apud Asiaticos quoque puerum Delphino insidentem fuisse in numis, tradit Strabo. Sed Phalantum Lacedæmonem memorat Pausanias, qui Tarentum coloniam duxit, priusquā Italiam attingeret, naufragium in Crisæo mari fecisse, cui Delphinus opem tulerit, sublatumq; dorso in littus incolumem exposuerit. Stesichorus historiam huic similem Crithei testimonio recenset, Talemachum Ulyssis filium cum adhuc puer in alto maris littore lusitaret, in subjectas aquas corruisse, mox Delphinorum beneficio receptum, qui puerum surrexerint, & exposuerint: idcirco patrem Delphinorum insigne postmodum studiosius adamasse, eamque sculpturam & in ense, & in scutis habuisse, & in annulo usum pro sigillo. Quare apud Lycophronem eum δελφινόσιμον appellari comperias, quod etiam de causa forte dictum existimes, quod Philostratus eum subsimum fuisse dicit. Delphini vero & simo admodum rostra sunt, unde animal Repandirostrum, Pacuvio. Et Simonis nomine gaudent appellari, quasi vocem intelligant. Ut vero interim omittamus Arionem Delphini opera & vectatione, de latrone nautarum manibus liberatum: cujus rei testimonium diutissime in Tænaro habitum donarium, ex ære Delphinus cum insidente Arione, quod argumentum in numis etiam cusum vidi, eum quippe nudum Delphino vectum dextera victoriam prætendere, læva lyram sustinere. Prætereamusque Hesiodi poetæ per errorem in templo Nemæi Jovis ab incolis trucidati cadaver, quod in mare fuerat à percussoribus abjectum, à Delphino inter Locridem & Eubœam expositum: & Melicertæ corpus, quod in Isthmo Delphinus exposuerat inventum à Syspho. Virginem quamdam Lesbiam vetusti authores tradidere cum amatore suo demersos in aquam, Delphinorum auxilio incolumes evasisse. Veteres deniq; Delphinum tan-

*Delphinus, δελφινόσιμος, dictus.*

ta ve-

A ta veneratione prosequebantur, ut eum neq; venarentur, neq; ullo pacto lædere fas judicarent: quæ quidem religio in ætatem usque nostram propagata est, cum multos reperias, qui Delphinum vel interficere, vel vesci ea de causa scelus putent: quod quædam illi sint cum humano genere commercia, promptuariumque sit navigantibus auxilium.

## BACCHUS. Cap. III.

Quod vero Delphinum Baccho adpingunt, non solum ad fabulam spectat, sed etiam ad historiam: quod vinum marina aqua mixtum facilius conservatur, ut Columella scribit se ab agricola patruo didicisse. Et Dionysius hac de causa ad mare fugisse fingitur, quod apud Athenæum habemus. Cur vero aqua maris adeo vino conferat, rationem & Plinius & Dioscorides & alii tradidere.

## AOPLLO DELPHICUS. Cap. IV.

*Quia Neptunus Delphinum inter sydera retulit. Hyginus in fabulis, & Aratus in astronomicis.*

B At qui non neptuno & Baccho solum, verum etiam Apollini Delphines dedicantur, multasque ejus aras apud Græcos Delphinis insculptas fuisse, Plutarchus attestatur. Ad hæc nonnulli addunt, Apollinem Delphini specie adnasse ad Delphos, apud quos præcipue colitur, quamquam & Delphi antea fuerant Neptuno sacri, uti Calauria Trœzeniorum insula Apollini, quæ loca mox dii ipsi invicem permutarint, ut apud Pausaniam est. De Calauria tamen nescio quid diversum tradit Stephanus, cujus opus *De gentibus*, Hermolaus Byzantius in compendium redegit. Quantum vero pertinet ad Apollinem in Delphinum transmutatum, Creticum commentum ajunt: illi enim Apollinem totius salutis authorem celebrabant, neq; quemquam ullum evadere infortunium arbitrabantur, nisi Apollinis ope sospitaretur: ad quod forte tacite respexit Horatius, Sermonibus, ubi se garruli cujusdam importunitatem, qui hominem necabat, evasisse gavisus ait, *Sic me servavit Apollo:* quamvis de foro loquatur, quo nugatur ille in jus tractus fuerat: ibi enim erat Apollinis templum, Cretes denique ab unoquoq; malo liberationem Apollini ferebant acceptã. Nam & quod fabulæ fabulantur homines in Delphinos transmutatos, ea de causa confictum ajunt, quod Delphinis ducibus nautæ servati fuerint.

*An quia Delphum suscepit ex Melantho.*

## PERICULORUM FUGA. Cap. V.

C

*Prognostica cum tempestatis Delphinus.*

Apud nostros etiam vulgo Delphini sunt tuti receptus indicia: quippe qui quotiẽs futuram tempestatem præsentiunt, in portus accurrere, deq; undis exilire cernuntur, quasi velint reliquos invitare, ut in stationes propere se recipiant, neq; navigia alto credant. D. etiam Thomas Delphinum ait futuræ tempestatis prognosticum esse minime contemnendum, ubi visus fuerit in maris superficie frequentius se vibrare, aut plures quodammodo lascivire inter se colludẽtes. Causam Philosophi deprehendere, quod hyemali procella ingruente, consurgunt exhalationes ab imo mari, quæ hyemis fomenta suggerunt, calorq; tunc in Delphinis excitatur: caloris vero cum propria sit agitatio, evenit ut idem animal sæpius emergat, seque frequentius ostentet. Vnde illud apud Plinium, *Delphinos tranquillo mari lascivientes, flatum ex qua veniunt parte præsagire.*

## INPERIUM MARIS. Cap. VI.

*An quia velocissimũ omnium animaliũ, & cior volucre ac telo. Plin. l. 9. c. 8. Neronis Agrippæ & Q. Nasidii numi.*

D Ita vero Delphinus maris regem significat, ut pro aqua marique ipso passim in numis excudatur. Præcipue autem Sunii Neptunus sub Delphinis imagine colebatur. Neptuno vero aquarũ Domino nullo non in signo ejus adsculpebatur. Pulcherrimus extat numus, cujus inscriptio est, Nero Claudius Cæsar Aug. Ger. P. M. Tri. P. Imp. pp. ubi Neptunum ipsum videas in portu sedentem, id enim quietis indicium: dextera temonem terræ adprimentem, quod signum navigationis est in portum fossilem: læva vero Delphinum amplectentem, quod maris blanditias & tranquillitatem ostendit, iramq; & commotionem fluctuum omnem ibi demolitam. Ibidem celeberrima illius ædificii forma est, cum inscriptione, Por. ost. In qua quidem portus illius effigie naves diversi generis minutissima figura elaboratas, non sine magna artificis commendatione conspicias. Atq; ut hinc hieroglyphicum, quo de agitur, interpretari aggrediamur, epigramma Græcum extat, cur Cupidinis signum una manu Delphinum, altera flores contineat, in hunc modum interpretatione facta;

Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα καὶ ἄνθος,
τῇ γὰρ μὲν γαῖαν, τῇ δὲ θάλασσαν ἔχει.

Non temere quippe illum una manu Delphinum, altera flores continere: utpote qui sit hinc terræ Dominus inde maris. Est & in numo M. Agrippæ L. F. COS. III. Neptuno reduci signum s. c. cusum, in quo Neptunus læva tridenti alte innititur, dextera vero Delphinum porrigit. In Q. Nasidii numo navis est cum stella & velo pleno, ab altera parte caput, tridente ab occipitio posito, infra Delphinus est, inscriptio, NEPTUNI: quod tutam Q. Nasidii navigationem Neptuni beneficio peractam indicat. Tam igitur ex iis, quæ dicta sunt, Delphinum ante omnia maritima Neptuno sacrum intelleximus, quam reliquarum etiam aquarum symbolum, ex celebri Corinthiorum signo apud quos locus fuit, in quo Neptunus æneus situs erat, sub cujus pedibus Delphinus aquam effundebat. Sed enim cum hæc multa sint, hæc de Neptuno dicta sufficiant: si modo id addidero, quod per Neptunum vice versa, unusquisq; etiam piscis accipitur, ut apud Nævium: *Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem*: hoc est, pisces, olera, panem: ubi advertendum Venerem hortis præfici.

## VELOCITAS. CAP. VII.

*Plin. ubi supra.*

EST & illud præcipuum ex Delphino significatum, ut sit velocitatis indicium aut mirificæ agilitatis. Constat enim unicuiq; maris accolæ, quanta se velocitate Delphini jaculentur: quæ cum refertur, incredibilis habetur iis, qui non spectarint. Est autem dubio procul velocissimum omnium animalium tum aquatilium tum terrestrium: quippe qui malos etiam navigiorum majorum superfluant, perinde ac sagittæ pernices, ut apud Aristotelem habetur, ἁπάντων δοκεῖ εἶναι ζώων τάχιστον καὶ τῶν ἐν ὀνύδρων καὶ τῶν χερσαίων, καὶ ὁ φάλλον πλοίων μεγάλων ἰσοῦς. De agilitate vero, qua maxime præditus est, proverbiũ emanavit, *Delphinum nare doces*, si quis imperitus peritissimum instruere aggrediatur: perinde ac illud, Sus Minervam: quod eruditissime Præsul, in me forsitan non immerito retorseris, qui de iis ad te scribere cœperim, quæ tu longe me plenius & melius alios docere possis. Nam & illud nosti, Nemeis, Milesiam saltu perniciosissimum Delphino assimulatum à Pindaro.

Δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκει

## CITA NAVIGATIO. CAP. VIII.

IN navigatione autem cum celeritas in primis expetatur, non incongrue Delphinus est navigandi signum: sive quod ipsi naves obviam factas comitentur, & quodam gratulationis affectu choreas circumducant. Ab ea vero sulcandi maris facilitate qua Tyrrheni plurimum olim claruere, qui piraticam exercentes universo fere orbi terrori erant, Delphinorum cognomentum in Græcorũ fabulis adepti sunt, cum præsertim Pelasgi referente Mirsilio, Crotone occupata, Tyrrhenam etiam regionem invasissent, in qua diutius cohabitantes nauticam didicere. Habiti vero inter piratas etiam Pelasgi, unde nationibus reliquis invidiæ plenum erat eorum nomen, idque apud Maronem semper ad contumeliam ponitur.

## MATURITAS. CAP. IX.

PErvulgatum vero illud est, quod mature agendum significat, si Delphinus anchoræ vel alligetur, vel, ut veteres fecerunt obvolvatur, uno contationem, altero celeritatem significante, quæ simul juncta, invicemq; temperata, maturitatem faciunt: & quod Horatius ait, *Et properare & cessare*, indicant id Græci σπεῦδε βραδέως enunciarunt. Sunt quid hieroglyphici hujus inventum Augusto tribuunt, quod & adagium & signum hujusmodi solitus sit idemtidem repetere. Habetur ea species, qua Delphinus anchoræ se circumvolvit, in Titi Vespasiani numis. Sed forte non displiceat in hujusmodi significatum trahere, quod in numo quodam æreo apud Maffæos inspexi Romæ, Bovem humana facie personatum, supra quem Delphinus imminet: per hunc enim celeritatem, per Bovem tarditatem intelligimus, quæ illius animalis propria est. Actionem vero ex humana facie colligimus, quod hominum imprimis sit res gerere; quamquam de Bove larvato alibi.

*Augusti numus & Titi.*

## AMOR IN SIMPLICIOREM ÆTATEM. CAP. X.

*Plin. ibid. lib 9. c. 8.*

INvenio etiam ex Delphini simulacro amorem in simpliciorem ætatem significari, quem puerulis ætatis amasium non uno exploratum est exemplo, qualia ab utroque Plinio referuntur: ut non imm-

A immerito tot in numis Delphinum cernere ſit ab alato Cupidine frænatum. Et Veneris ſtatuas pleraſque vidimus, quibus adſculptus eſt Cupido, qui vel Delphino inſideat, vel alio quoquo modo regat eum apprehenſum.

## GRATUS ANIMUS. Cap. XI.

NEque tamen ea pro fabulis habenda, quæ recitat Pauſanias, qui grati animi ſignum in hoc animali ſe vidiſſe in Poroſelene Joniæ urbe teſtatur: inclamatus enim à puero, properare ad eum ſolebat, ſubjectoq; dorſo ei, ſi adlibuiſſet, ad vecturam ſeſe accommodabat: propterea quod ab eo redemptus piſcatorum manus evaſerat, curato etiam vulnere quod illi fecerant. Ab Egeſide proditum ait Plinius in Jalyſo Rhodiorum urbe Hermiam puerum Delphino longa conſuetudine vectari ſolitum per fluctus, ſed ſubita mox procella ſuperveniente demerſum. Idemq; Naupacti etiam accidiſſe, ut Theophraſto eſt literarum monumentis traditum. Admiratur Plutarchus tantam animalis iſtius humanitatem, ſiquidem non educatione, veluti Canes & Equi, non ulla alia neceſſitate, velut Elephanti Pantheræque & Leones ab hominibus liberati, ſed genuino quodam affectu ſponte ſint
B humani generis amatores: ideoque Crocodilorum hoſtes infenſiſſimi, propterea quod Crocodilus humano ſemper generi inſidiatur, atq; ita ipſa naturæ repugnantia inimicitias generat.

*Lib. 9. c. 8. hæc omnia*

## NEQUITIA. Cap. XII.

PHyſiognomici ſane laſcivios & petulantes eos in primis indicant, qui ſimum, ut Delphini, naſum habeant: propterea q; Socrati nequitia, quam ex ipſa facie præ ſe ferret, vitio data eſt, quod ita ſe natura affectum inficias non ivit: cæterum ſe naturam continentia domuiſſe, id quod etiam Plato in Sympoſii ſine multis argumentis teſtatum facere eſt aggreſſus.

## ADULATORUM INFIDELITAS. Cap. XIII.

NOn præteribo hic quod Socion Philoſophus ait Delphinum adulatorem eſſe, qui ciborum reliquiis, quæ à navigantibus affatim in mare projiciuntur, allecti comiterq; accepti ſaturatique, natantes quamdiu affatim unda ſubeſt ac ſuppetit officioſe comitantur: in ſiccum vero littus nunquam excedunt. Sic adulatores, quamdiu tranquillitas affulget, permanent, amicos in hoc vitæ cur-
C ſu dum plana faciliaq; & proſpera omnia ſunt, adeunt, deducunt, colunt: cum vero ſcrupea difficiliaq; acciderint, ſtatim abſcedunt, de quibus Horatius noſter:

*Adulatorum natura.*

*At vulgus infidum & meretrix retro* / *Cum face ſiccatis amici,*
*Perjuma cedit: diffugiunt cadis* / *Ferre jugum pariter doloſi.*

*Carm lib. 1 Od. 35.*

## GIBBEROSI. Cap. XIV.

VUlgo vero uſurpatum, ut gibberoſos Delphini cognomento notemus. Et antiquiſſimus author Pacuvius animalia hæc Incurvicervicum pecus appellavit. Sed & gibba ſuum habet ſignificatum: utpote quæ futurorum indicium ſit, ut apud Tranquillum aruſpices Domitiani gibbam per ſomnium ſibi acceſſiſſe viſam interpretati ſunt. Et quoniam pars eſt prudentiæ, futura prævidere, gibberoſos ajunt omnes aſtutos eſſe, multaque pollere ſagacitate.

*Gibba futurorum indicium. Et repandi noſtrum Sueton. Domitiano c. 23. Horat. de arte Poetica.*

## IMPURI AMORIS SATIETAS. Cap. XV.

D MAxime vero mihi natura ipſa per Delphinum philoſophari videtur, quem terra procul, adeo violentum, pernicem atque agilem eſſe juſſerit, eumdem autem ſimulatque terram attigerit, vix in arenam exceptum confeſtim emori: unde dixerit Horatius de re maxime abſurda, contraria, & ſibi valde repugnanti, *Pingit Delphinum in ſylvis.* Ita impatiens eſt animal hoc terreni ſoli. Adagium vero eſt in eos, qui magnum aliquid polliciti, minimum præſtiterint, δελφὶν ἐν χέρσῳ βίᾳ. Quæ quidem eo ſpectant, ut cum amorem ex Delphino ſignificari oſtenderimus, eatenus amorem omnia virtutis experimenta præſtare admoneamur, quatenus terra procul in alto ſeſe exercet, & in ſublime ſæpius ſeſe cœlum verſus, marinæ undæ purificatione expiatus, ac ſereni tantũ aeris affectator ejaculatur. Terra autem & animalia terræ addicta, uti Serpentes, Sues, & alia quædam, voluntariæ mollitudinis indicia ſunt, tum ipſam rei venereæ ſpurcitiem innuunt, quo ſimulatq; Delphinus

*Horat. de arte poetic. Vu Delphini in term.*

accesserit, statim expirat. Hujusmodi enim est impuri amoris conditio, ut cum quis id, quod longo temporis intervallo appetierit, studioseque ambiverit, assecutus est, in amando deinceps flaccescere ac refrigerari videatur: plerumque etiam vel fastidio, vel odio succedente, tam alienus ab amata re fiat, ut nihil magis aversetur. Hinc illæ deceptorum querelæ:

*Cui mea virginitas avibus libata siniſtris?*

*Hinc illud Demosthenis de Laide. Tanti pœnitere non emo. lib. 4. Æneid.*

Hinc apud Maronem exclamat Dido:

*Te propter Lybicæ gentes Nomadumque tyranni — Extinctus pudor, & qua sola sydera adibam*
*Odere, infensi Tyrii: te propter eundem — Fama prior, cui me moribundam deseris hospes?*

Quare Lysias apud Platonem amantes ait, cum primum libidinem expleverint, collati beneficii pœnitere, id quod in eo accidit amore: qui turpitudini sit emancipatus. In eo vero, quem neque Plato, neque alius quispiam pro dignitate satis unquam laudavit, longe aliter evenire manifestum est.

## DE POLYPO. Cap. XIV.

ENumeratis quæ apud authores, quos legere licuit, habentur, Delphini significationibus, ad Polypum res ipsa, quæ præ manibus est, traducit, ut demum quid sibi velit Delphinus, qui Polypum mordicus apprehenderit, conjicere valeamus.

## REI FAMILIARIS ACCUMULATOR. Cap. XVII.

*Huc forsan spectat πολύπου δόσιν ἔχε. Polypi mentem obtine. Vide Plin. 9. c. 29.*

ÆGyptii sacerdotes hominem, qui rem familiarem ex quibuscunque rebus, utilibus simul ac inutilibus, nullo discrimine, nulliusque rei ratione habita, congereret, augeretque, significare si velent, Polypum pingere soliti sunt. Ille enim cum prodige admodum multa devoret, prudens tamen rei familiaris omnia temere colligit, & convenatur, & in cubili suo recondit, selectisque utilibus atque consumptis inutilia mox, quippe testas, & Cancrorum crustas, & putamina conchularum, & spinis pisciculorum abigit. Eos Ælianus vehementes ait esse ad vorandum quæcumque; oblata fuerint, esseque adeo impotentes, ut ne pastu quidem mutuo abstinere deprehendantur: quique in retibus minores inclusi fuerint, majorum escam esse.

## OMNIUM ABLIGURITOR. Cap. XVIII.

*Negat Plinius 9. c. 29.*

QUin etiam eum qui aliena abliguerit, & sua mox absumat, notare cum vellent, Polypum flagella curtum & detruncatum effingebant. Asserunt enim authores Ægyptii, Polypum ita famis impatientem esse, ut si alius cibus non suggeratur, quem devoret, propriis flagellis vescatur. Unde dixerit Alcæus: ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πολύπους (quem versum citat Athenæus:) *Ipsum me comedo ut Polypus.* Hesiodus quoque ἐν ἔργοις cum Ægyptiis sentiens de Polypo ait, ὅ τ' ἐνόσῳ & οὐ πόδα πίσεται, ὃν ἑὸν ἐξόσσις pede vescitur. Præterea Oppianus Halieuticis, ἀλλ' ἀγλαφύεσσιν ἀνεζόμενοι βαλάμοις πήξαντες δαίνυσι ἐὸς πόδας ἠύτε σέρκας ἀλλοτρίας. Idipsum Ælianus asserit, venatione deficiente suis eum vesci cirris, alii mox pro iis, qui absumpti fuerint succrescentibus: Heledonem autem πολυασμῶ τὸ λ, ὅπο ἑαυτὴν ἔδειν. quod semetipsam edat, appellatam, Polypi speciem etymologici Grammatici contendunt. Nam & Pherecratem, summæ authoritatis virum, hæc eadem de Polypo sensisse tradunt. Quin & Carneadem id ipsum agnovisse manifestum, cum Dialecticam Polypi similem esse dictitaret, qui præ fame suamet flagella pasceretur. Eos vero aucta jam doctrina peritiores factos, in suasmet opiniones mox grassari, easque destruere: quæ quidem curiosius à me conquirenda fuerunt, quia Plinius Aristotelem secutus id fieri negat: quique reperti sint corrosa habere brachia, id eis à murænis vel congris evenisse asserit, cum quibus assiduum certamen habent. Plutarchus tametsi in Aristotelis sententiam super hoc nonnunquam illabatur, cum Ægyptiis tamen hoc idem tradit, qui tam præstantium authorum scripta arguere mendacii vereatur: quasi vero non & alia sint animalia, quæ suamet membra in cibum assumant, cum Cercopithecos videamus totas interdum sibimet caudas abrodere, quare cautio est, ne qui animalibus hujuscemodi delectantur, carnes eos attingere permittant, quia simulatque carnibus assueti fuerint, ejus facti avidiores, morsus in semetipsos ultro convertunt. Id ego cum hæc scriberem, apud Mediceos proceres domi fieri à quodam efferacioris naturæ Cynocephalo quotidie conspiciebam.

VICTO-

## VICTORIA UTI NESCIUS. Cap. XIX.

A HOminem victoria potitum, uti tamen victoria nescientem, intelligere cum vellent, sacerdotes iidem Congrum & subjectum Polypum pingebant. Qua specie potuisset Annibal figurari, cum strage ea Romanorum ad Cannas edita, Romam oppugnatum ire neglexisset. Ajunt vero, quotiens Polypi cum Congris certamen ineunt, à Congris facile superari: cæterum nullam esse Congris facultatem, ut Polypos depascere valeant, quod ii lævore atq; lubricitate corporis, qua sunt egregie præditi, morsus hostium effugiant, & mutilatis tantum aliquando flagellis elabantur. *Plin. ibid.*

## TYRANNUS. Cap. XX.

QUod si hominem Ægypti municipii sui longe principem, sed tyrannica in cives dominatione utentem notare vellent, Polypum & Locustam adpingebant: Locustæ siquidem dominationem videntur in Polypos exercere, primasq; inter eos obtinere partes, ut apud Horum legitur. Cæterum Aristoteles priores Polypo tribuit, tantoque eum terrori formidiniq; esse scribit, ut si Locusta Polypum in iisdem retibus esse senserit, præ metu exanimetur quamprimum extincta, Habet hæc
B Gammari fluvialis similitudinem, longe tamen major atq; vastior est, & albicantior, cum Gammari subnigricent: quamquam & nigricantes admodum Locustas in Ligustico mari esse conspexit. Pedes huic utroq; ex latere quini, iis adnumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatum, octoni vero Gammaris. Sed est suus de Locusta locus in crustaceorum commentario.

## MORIBUS ALIORUM ACCOMMODATUS. Cap. XXI.

PErvulgatum vero illud est, ut homo, qui se variis hominum moribus accommodet, sitq; omnium, ut Latini dicunt, horarum, per Polypum saxis adhærentem exprimatur, quem maxime omnium colorem mutare constat, iisq; similem reddere, quibus appropinquaverit saxis. Huic autem similes esse homines dicimus, qui pro loco & tempore vivendi rationem aucupantur, seque eorum, apud quos degunt, voluntati atq; sententiis in omne obsequium proni dedunt, omni posthabita ingenuitate. Causam demutationis istiusmodi multi reddere conati sunt, eamq; alii voluntariam, alii naturalem, alii coactam tradidere. Voluntariam, quod id astu quodam faciat. Naturalem, quod translu-
C cidum sit ejus corpus. Necessariam, quod præ metu ita transmutetur, ut homo etiam pro varia cordis concitatione, hoc vel illo colore genas perfunditur. Voluntariā sane reprehendit D. Ambrosius, propterea quod Polypus dolo malo hoc faciat, ut incautos ad se pisces trahat, eosq; devoret. Theophrastus id in genuinam quandam animalis ignaviam rejicit, quod ubi consternatus sit tumultu aliquo colorem mutet, ut hominem facere diebamus, unde proverbium illud emanarit, τοῦ κακοῦ τρέπεται χρὼς, *mutatur color ignavi.* Formidolosi enim omnino sunt Polypi, propterea quod admodum frigidi, eaq; cum primis demutationis causa perhibetur: id quod apertius Phocilides damnat: quod si ea sit mutationis causa reprehensioni omnino obnoxius videatur. Sedenim pleriq; veterum ingenium hujusmodi usqueadeo approbaverunt, ut etiam proponerent ad imitandum, ea de causa potissimum Ulyssem esse habitum sapientem asseverantes, quod versuto esset ingenio præditus, unde ei apud Homerum πολυτρόπῳ cognomentum, & suavidicus ita suadet Pindarus;

πετροφυὴς πολύπους, *à Nazianzeno.*

*Plutarchus in causis naturalibus problemate, cur Polypus colorem mutet ex Homero Iliad.*

Ποντίου θηρὸς χρωτὶ
Μάλιστα νόον προφέρων
D Πάσαις πολίεσσι ὁμιλεῖ.

quam sententiam ita ex commodo transtulimus:

*Age age colori Polypi*
*Mentem apparatus optime*
*In urbe qua velis mane.*

*Id est, mentem habeas vafri Polypi, qui protinus illa. Se quibus admovit, saxo colore refert.*

Suadet hoc ipsum Theognis, cujus sententia eadem cum Pindarica:

*Mentem habeas quam multicolor dum cautibus hæret Polypus,*

Est enim ubi Theognidianus versus ita legitur:

Πουλιπόδος νόον ἔσχε πολυπλόκου ὃς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ προσομιλήσεις, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

*Nempe τῇ ἀγορᾷ χρῆσθαι, ait foro.*

*Causæ mutationis coloris in Polypo.*

Sedenim improbat hoc Basilius Magnus, adulatoremq; vocat Polypum libro *De gentilium lectione:* quod veluti ille colorem ad subjecti soli speciem demutat, ita parasitus ad audientium voluptatem sententiam studeat variare. Sed quod Pindarus & Theognis tradunt, eo spectat, ut studium omne in calliditate dexteritateq; vivendi reponamus, ut simulare, neque non dissimulare, pro loco, pro re, pro tempore, quod obfuturũ videatur, apud eos, quibus adhæsimus, evitare scimus: quod si virtute incolumi fiat, neq; animi integritatem flagellaverimus, evenire omnino necesse est, ut faciliorem & minus invidiosam vitam peragamus. Libet vero demutationis istius causas altius repetere, atque ipsam rei naturam, quantum ad hoc pertinet, oculis scribendo subjicere, tam probabilia mihi videntur, quæ super hoc veteres ex Empedoclis opinione tradiderunt. Porositates quippe exhalabiles inesse rebus omnibus, quas vel cernere, vel attrectare liceat: neq; enim animalibus, neque plantis, neque terræ & mari tantum, verum etiam lapidibus manifestæ insunt spiramenta quamplurima, quin etiam in ære & ferro, omnia enim sponte vitiantur, cum aliud exhalet assidue, pariq; ratione diffletur, atque interteratur: per porositates enim exiliunt & excluduntur particulæ illæ interclusæ, quæ ad elementi sui purissimi simplicitatem redire festinant, fæxq; corpori adhærescit, quæ rubigo est in iis, quæ rubigini sunt obnoxia: putredo in iis, quæ putrefieri apta sunt, atq; hinc omnia tendunt ad interniciem. Eam porositatum exhalationumq; naturam nonnulli arbitrio suo ἐμπλοκὰς dixere πληγὰς alii, alii vero ὤσεις τινὰς καὶ περιελεύσεις. Maxime vero maritimis in petris, quæ salsuginosa maris aspergine alluuntur refrigeranturque par est partes has, & meatus hujusmodi deprehendi, cum hæ tenuissimo quodam halitu corrumpantur, licet id in solidioribus oculata fide minime possis explorare, propter materiæ densitatem & pororum constipationem. Cæterum si Polypi carnem intueare, sine ulla prorsus contatione porosissimam, & transmeatibus aptissimam judicabis: exossis enim ea est, ut Hesiodi dictum usurpem, & mira quadam raritate perspicua. Cum itaque pavore aliquo perturbatur, tota fere vi sensibili sese colligente, quemadmodum in homine gelidus in formidine circa cor sanguis coit, corpus reliquum præ se quidem satis translucidum, dum maxime rarefit, & transmeabilis apparet: unde veluti vitrum nitidum, colorem quemvis, albo excepto, propter aliquam omnino crassitiem, quæ suppositum inumbrat corpus, facillime contrahere potest, atque ita transmutari.

---

## DE CHAMÆLEONTE.
### Cap. XXII.

INvitat rei similitudo, priusquam reliqua Polypi significata recenseamus, loco hoc de Chamæleonte, deque Taranda dicere: quorum alter colores corporis, uti Polypus pro corporis cui adhæserit, ratione, mutat: alter vicinarum rerum colores nullo attactu, sed sola tantum attrahi exhalatione.

### VERSIPELLIS. Cap. XXIII.

*χαμαιλεοντος ἐμπεταβολώτερος.*

*Chamæleonte mutabilior.*

*Arist. lib. 2. de Nat. anim.*

*Plin. lib. 8. c. 33.*

PEr Chamæleonta Versipellem hominem significari volunt, sed quod nonnunquam Polypo virtuti datur, in Chamæleonte vitiosum semper autumant; quod mutationem hujusmodi non nisi in timore faciat, quamquam in eo & diverso vitæ tempore colores mutari tradit Aristot. Sane Chamæleon paucas in corde tantum sanguinis habet guttas, quæque sanguine sunt exiguo animalia, omnia frigidiora sunt: quæ frigida idemtidem & timida. Utcumque vero accipiatur Chamæleontis natura sive id ingenita vigoris debilitate faciat, sive quod corpus, uti apud Leon. X. P. M. Romæ vidimus, vitreum propemodum atque translucidum habeat, uno omnium consensu versipellis, puta Ulysses quispiam, aut Lysander, aut Alcibiades, per Chamæleontem figurari potest. Hunc, ut Tertullianus ait, pellicula ambit, corporis nullus inest succus, pectus vix à terra suspendit, gradum magis demonstrat, quam explicat, jejunus semper & defectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus. Hoc soli Chamæleonti datum, quod vulgo dictum est, de corio suo ludere. Quod vero apud Plinium legitur de portentosa ejus magnitudine, quæ par sit Crocodilo, viderint alii: nam quem nos apud Leonem X. vidimus, vix palmum excedebat.

DE

A

## DE TARANDA. Cap. XXIV.

*Descriptio Tarandæ ex Nicolao Leonico.*

SEdenim si Taranda innotuisset Ægyptiis, inde potius quam ex Polypo aut Chamæleonte versutiæ hujusmodi significatum desumpsissent. Fera ea est apud Sarmatas inventu rara, captuque difficilis, de qua Aristoteles Philosophus eo libello, quem de admiranda historia conscripsit, hæc memoriæ prodidit, ut ex Nicolao Leonico, dum is Patavii Aristotelem ipsum nobis ea, qua scripsit lingua interpretaretur, audivi: illam quippe apud Gelonos Scythiæ populos reperiri, Bovis magnitudine, capite Cervino, admirandæ admodum & singularis naturæ, siquidem ad omnes locorum & fruticum apparentias, setarum colores, quibus totum corpus hirtum convestitumque habet: illico permutare. Quod si super hoc philosophari liceat animali nondum nobis viso, dixerim ego, quem admodum in Polypo τὸ διαφανὲς, quo corpus ejus translucidum est, & in Chamæleonte etiam transmeabile dicebamus, ita setas Tarandæ pari modo perspicuas esse, ut facile colores cujuslibet aura in eas transiliat, diffluentesq; ad se ita colores repræsentet.

*Transparens.*

B

## MENTIS ATTONITÆ CONSTERNATIO. Cap. XXV.

*Polypi captura quomodo fiat.*

HOminem adhæc, ut ad Polypum revertamur, subito aliquo pavore ita consternatum attonitumque, ut neque periculum, neque damnum, quod urgeat sentire videatur, per Polypum significare mos erat: siquidem is ita meticulosus est, quod Athenæus attestatur, ut vel strepitu audito, vel piscatore viso, minime cedat, aut fuga sibi consulat, ut reliqui faciunt pisces: sed aut saxis, quæ in promptu fuerint sese applicat, aut captantis manum apprehendit, cruribusve se alligat, neq; alia fere est eorum captura

*Eadem Plinius lib. 9. cap. 29.*

## POESIS. Cap. XXVI.

ADdunt & hoc hieroglyphicum inveniri, ut si sacerdotes iidem Ægyptii poësin exoticam significare vellent (nam de sua sanctius sentiebant) Polypi caput figurarent, quod quidem esculentis appositum suavissimi saporis ganeæq; jucundissimum esse perhibetur: cæterum horrenda prodigiosaque somnia parere deprehensum est. Quocirca si quis futura de insomniis consulturus esset, C ab esu Polypi abstinere præmonebatur, perinde ac etiam ne fabas ederet. Persimilem autem huic esse poëticen dictitabant, quæ fabulas amatoriasque illecebras sectaretur, ipso quidem dicendi lepore delectabiles, sed bonis moribus & honestiori disciplinæ maxime pernicioſas: cujusmodi genus Meretriculas appellavit Plato, & ab inculpabili civitate sua jussit exulare. Nolim tamen in hoc albo divinam illam poni, quæ sanctioribus est moribus accommodata, quam nonnihil habere divinitatis non inficiatur Aristoteles, quam cœlitus afflari confirmat Plato, quæ apud omnes gentes nationesque omnes in summo semper cultu habita, ipso etiam sanctitatis nomine celebratur.

Πηλύποδος κεφαλή.

*Hæc à Plutarcho in lib. Quomodo sint adolescentibus audiendi poetæ, qui sic refert.*

## DISCESSIO SUBITA. Cap. XXVII.

*Polypi esca addictissimi*

ÆGyptii ad hæc, si quem ita pertinaci animo amantem, ut amata relinquere minime posse videatur, subito tamen eventu aliquo abalienatum significare si vellent, Polypum & pulicariam herbam adpingebant. Polypi enim ita escis adhærescunt, ut avelli inde non possint, & quamcumque rem apprehenderint, tam firmiter tenent, ut adglutinati videantur: quod ab Homero sumD ptum Ovidius ita luculenter expressit, Metam. quarto:

*Utque sub æquoribus deprensum Polypus hostem*
*Continet, ex omni demissis parte flagellis.*

Eos enim potius detrunces, quam possis ullo conatu petris, aut quicquid apprehenderint, avellere, & ut Nazianzenus ait, si quis eum de cubilibus trahere per vim velit, aut è petris aliquid evellet, aut certe è carne ipsius petris affixum aliquid relinquet. Admota tamen cunila herba resilire protinus dicuntur, quod odorem ejus ferre non possint. Quæ vero sit cunila sive pulicaria, quamque variis nominibus ab authoribus appelletur, suo commentario inter sagvinea significata disseruimus. Ajunt & aquam dulcem superinfusam eadem pollere vi, quod natura ipsa Polypus dulcia omnia avertatur, & omni gaudeat amaritudine: eaque de causa non inveniri Polypos in Ponto: quia mare id

multis aquarum dulcium corriviis supra aliorum marium saporum dulcescere quodammodo videatur. Alii mare id à Polypo vitari putant: quia sit animal ob imbecillitatem suam frigoris impatiens, mare vero illud ad Boream quippe vergens, assiduis pene frigoribus obnoxium esse, manifestum.

## AMORIS FIRMITAS. Cap. XXVIII.

*Polypi morsu Delphini detenti.*

UT vero demum ad eam Veneris statuam deveniamus, quæ causa fuit, ut tam multa super Delphino & Polypo conquireremus, superfluum quidem est super Delphino dubitare, cur Cupidini adjiciatur, cum amoris in eo signa tot deprehenderimus. Quod autem pertinet ad Polypum, erant qui amoris firmitatem ex Polypo ita Delphini morsu detento intelligendum contenderent, id quod ex ipsa sese applicandi pertinacia, qua insignis est Polypus, conjiciebant. Ego vero tres argumenti hujus interpretationes excogitavi. Vel enim pavorem & ignaviam, quæ vitia Theophrastus in Polypo præcipua deprehendit, devoranda esse amatori homini dicendum, Delphini in eorum locum promptitudine atque agilitate adsumpta: quandoquidem, ut ait Ovidius, *Ingenii est experientia amor*, atque ubi multa in hanc sententiam disputavit, concludit demum, ut

*Qui non vult fieri desidiosus, amet.*

*Plin. lib. 9. c. 29.*

Vel, quoniam diligentissimus est rerum cumulator Polypus, intelligi posse arbitror, facultates omni quantumlibet cura & diligentia congestas, cito, ubi amore capti fuerimus, prodigi, inutiliterque dissipari. Quam extemplo enim, ait Lysiteles Plautinus, sævis sagittis percussus est, illico res foras labitur, liquitur, & quæ sequuntur. Vel qui Delphinum amoris indicium esse ostendimus, Polypum versutiæ, dicere possemus, admoneri nos eo signo versutiam amanti cumprimis apprehendendam, & quod fieri solere Plato dicit, in amatæ rei mores transmigrandum: uti quippe Polypus in colorum mutationibus, prout unicuique rei adhæserit, facit. Sed enim ea potius de causa Veneri Polypum adsculpi existimandum, quod inter pisces sit omnium salacissimus, adeoque libidini deditus, ut nimio Veneris usu omnibus defectus viribus debilitetur, neq; jam ad cibum sibi conquirendum idoneus effectus, minimo negotio ab aliis capiatur, & à parvulis quibusque pisciculis, Cancellis & Cancris exedatur, observatum ab Æliano. Quinetiam ajunt eos ob hujusmodi nequitiam non amplius anno vivere; id quod eadem de causa Passeribus etiam accidere tradit Aristoteles. Quin & Polypos etiam fœminas, propter crebros partus, ocyssime deficere. Quanquam aliquando repertus sit Polypus cetacei generis magnitudinem excrevisse, qualem illum Græci prædicant, qui Puteolis per subterraneum cavum ingressus, noctu apothecam salsamentorum plenam depopulabatur (ejus enim amaritudinis avidissimos eos esse paulo ante ostendimus) donec re demum patefacta, vix à magno hominum numero confectus est.

## HYEMALE SOLSTITIUM. Cap. XXIX.

*Lib. 2. c. 3.*

ADdemus & illud, in manuscriptis Hori codicibus legi δύο πολυπόδες συνειργομένοι καὶ βεβηκότες δρόμον ἡλίου, τὸν ἐν ταῖς χειμερίαις τροπαῖς, σημαίνουσι, quod est, *duos Polypos vinculis coërcitos, & progredientes tamen, cursum Solis, quem in brumali conversione peragit, significare.* Quanquam impressorum codicum lectio, quæ est δύο πόδες, nequaquam displicet: sed si progressum exprimere volueris, videndum est, si pedes illigatos pinxeris, qua id ratione tuearis. At de hyemali conversione sermo est, quæ ut sphæræ consideratione manifeste licet inspicere, progressum Solis omnino contatiorem ostendere videtur: in ultimis Sagittarii & primis Capricorni gradibus, Sol ad horizontem vix loco dimoveri, aut quam lentissime diurnos parallelos conficere videtur. Ad cujus rei tarditatem accedit, & eorundem parallelorum iisdem ferme diebus repetitio, dum conversio peragitur, ut stare loco potius Sol, quam quoquam motu suo progredi videatur. Quare sive pedes, sive Polypos colligatos accipere malueris, non sum admodum laboraturus: mihi satis fuerit, & codicum super hoc varietatem, & ipsam rei, quæ significatur, historiam declarasse. Tu vero, quanquam cogitationes has nostras sublimi illa doctrina tua longe inferiores intelligas, pro summa tamen humanitate, qua præcipue commendaris, despicere haud quaquam velis. Nihil enim in rerum natura temere à Deo factum: quique Deo, ut tu facis, propinquius adhærescunt, nihil quicquam aspernari debent, quod eodem, unde originem traxerit, periodo quadam sua redire animadverterint.

JOAN-

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XXVIII.

## DE IIS QUÆ PER TESTUDINEM, COCHLEAM, CANCRUM ET ID GENUS TESTACEA SIGNIFICANTUR

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD AMPLISSIMUM PATREM LIVIUM PODOCATHARUM CYPRI ARCHIEPISCOPUM.

*PRoximis hisce diebus, Amplissime pater, cum mihi agalmatum tuorum supellectilem aperires, & antiquissimique operis, ex ære, auro, argento ducta, & marmore celata signa numismataque plurima veterum illa ingeniorum atque artium monumenta minime contemnenda delectabili spectaculo mihi proposuisses, habere te opera hæc in delitiis, ea plurimum de causa dicebas, quod à summa claritatis viro Ludovico Podocatharo Cardinali Capitaquensi patruo tuo comparata congestaque fuissent. Quem virum generosis natalibus insignem, Medicina celebrem, Philosophia clarum, vitæ integritate laudatissimum, virtutes ipsa in omni vitæ colore eximia, ad amplitudinem eam extulerunt. Proinde quidvis esset apud te, quod illius memoriam renovaret, sive vestis, sive vas, sive libri, sive quæ tam multa extant doctrinæ ejus commentaria, tanquam sacra omnia à te custodiri, & in honore etiam haberi: dignum quidem ejus hominis institutum, qui optima quæque sibi ad imitandum proposuerit. Quæ quidem cum tibi acciderent jucundissima, eo quoque non parum delectari videbaris, quod ego multa in veterum monumentis illis, & mysticæ & in doctrinæ alicujus recessu delitescentia inter spectandum explicabam, interpretabarque: cujusmodi illud fuisse memini, quid sibi vellet Testudo Veneris subjecta pedi: quid altera ex ære cuprove Damasceni operis in usum, ut conjectura erat, bullæ facta, cauda quippe replicata, qua lorum aut licium transmitti posset, atque ita gestari: quid in numis aliquot Testudo alia. Quæ tibi cum exposuissem, postulasti ea tibi scripto credita exhiberi: quod quidem libentissime feci, cum id semper studuerim, ut quacumque possem ratione meum erga te animum aperire, id sedulo facerem, quod incomparabilis probitas tua, benignissimaque comitas, & egregia quædam mentis tuæ sinceritas exigere videbantur. Accedebant & beneficia in me promptissima vultus alacritate collata, & quod literatos omnes quacunque posses occasione demereri, semper appetiisti. Sed quoniam parum me tibi præstitisse videbar, si Testudinis tantum significata conscripsissem, addidi ad eam quædam alia ex eodem testaceorum genere, quæ non minoris mihi visa sunt eruditionis, quam quæ Testudine super efferebantur. Multa enim hieroglyphica Ægyptii sacerdotes ex Cancro, Locusta, Pinnis & hujusmodi aliis desumpsere, quæ omnia quantum memoriæ succurrerunt, uno commentario enarrata conscriptaque tibi dedicavi. Tu quotiens ea in agalmatis illis tuis vel cusa, vel sculpta incisaque videris, aut mensis illata conspexeris, Pierii tui memineris velim, qui te summo cultu, summaque semper est observantia prosecutus.*

### DE TESTUDINE. Cap. XXX.

TEstudo igitur, inter crustacea primum occupabit locum, quoniam ipsa narrationis istius argumentum præbuit, & pictura ejus in hoc symbolorum genere est admodum speciosa.

IN

## IN POTENTIORIS DITIONEM REDACTUS.
### Cap. XXXI.

*A Plin. lib. 9. c. 10. hæc omnia.*

HOminem in potenrioris cujusquam potestatem adeo redactum, ut nullum jam speret effugium ostendere qui volunt, Testudinem solari percussam radio, ac supernantem in aquæ summo pingunt. Ipsa enim vehementioribus Solis radiis impetita ita exsiccatur, ut in gurgitem deferri nequeat, idque præcipue mari Indico, & multæ & magnæ sunt, & Solis vis acrior, unde fit ut vel facillime capiatur, vel cum in prædam mergi non possit, inedia extinguatur.

## FORTUNARUM CONTEMPTUS. Cap. XXXII.

FUerunt ætate nostra ingenia perelegantia, quæ cum variis fortunæ ictibus impeterentur, quos contra mira adniterentur alacritate, fortunæ adversæ contemptos impetus, per hominem naufragum in Testudinis hujusmodi agitatæ fluctibus tergus insilientem, effingerent, solari addito radio, cujus beneficio ne absorberetur accideret.

## VIRGINUM CUSTODIA. Cap XXXXIII.

*Veneris simulacrum à Phidia fuctum quo modo. Sumptum à Plutar. lib. De præceptis conjugalibus.*

CUr vero Phidias cum Veneris simulacrum Eleis ex auro & ebore conficeret, Testudinem altero ejus pede pressam apposuerit, multi quæsivere: præsertim cum Pausanias rei significatum aliis relinquat interpretandum. Sedenim illud potissimum ex interpretatione prudentum fertur, Phidiam innuere voluisse, virgines custodiendas esse, conjugatas vero domus curam genere, ac tacitur nas esse debere: utramque enim id primum omnium decere, quod Plutarchus in Conjugalibus præceptis exponit, qui oportere ait mulieres à Luna diversas esse, quæ cum jam à Sole abscessit, lucida claraque cernitur, eadem cum Soli successit, evanescit, contra vero debet uxor modestia præsente tantum viro à cæteris conspici: eodem vero absente, domi agitare ac sese occulere. Nam & Salomon VII. cap. Sapientiæ, inter reliqua meretriciæ procacitatis signa id etiam notat, quod domi se cohibere non possit, sed publica loca, fora, plateasque celebret. Et Paulus ad Timotheum viduas damnat adolescentiores, quæ otiosæ discunt alienas domos perambulare. Consuesse vero mulieres testudineas secum imagines gestare quas Veneri dedicarent, ex eo manifestum, quod Thessalæ matronæ Laidi meretricem illam inclytam ligneis Testudinibus zelotypia concitatæ interemerunt in templo Veneris, magno populi conventu: ob quod facinus erexere postea templum veneris profanatæ quæ nefandam cædem in templo admiserant, ut confessione sceleris veniam petentes Deam sibi placarent. Et id gestaminis fuisse Testudinem tuam facile crediderim, cum ita concinnata sit, ut licio suspendi possit. Apud Ægyptios autem tanta erat pudoris cura, ut mulieribus interdictum esset calceorum usu, quo prodire palã verecundarentur, ac veluti Testudines intra sua se tecta cohiberent. Hinc Antisthenes ansam nactus eludendi Atheniensium vanitatem, se nunquam solo, in quo nati essent excelsisse gloriantium: *Commune hoc*, inquit, *habetis cum Testudine & Cochlea.*

*D. Laertius in ejus vita.*

## MUNIMENTUM. Cap. XXXIV.

*Auctor Suidas.*

ALii per Testudinis corticem munimentum intellexere, qnod ita eam natura munierit, ut contra tela possit ipsa per se sufficere, & injurias propulsare. Hic itaque receptus, & ad omnes incursus oppositum propugnaculum, ansam, dedit adagio, ut quotiẽs aliquid valde tutum velimus innuere, imprimisque securum esse dicamus, ὅσον μέλει τῇ χελώνῃ μυιῶν, *quantum Muscarum solicitu est Testudo.* Cujus ominis, felicitatem secuta Cæsariana familia, domesticũ eum morem habuit, ut parvuli domus ejus in testudineos alveos excepti lavarentur. Quapropter Cesonius Posthumius nato jam Albino filio, cum ingentem Testudinem à piscatore muneri accepisset, vir literatus jam inde magnã spem concepit de futura filii nobilitate: curari itaque Testudinem jussit, & infantuli ministeriis dicari. Exemplaria Hori quæ impressa circumferuntur, in hujusmodi significatum ὄρτυγος ὀστέον habens, interpretesque Coturnicis os reddidere. Sed in manuscriptis codicibus ὄρυγος legi, quod facit ad hanc sententiam: Testudines enim Orygas apellatas, παρὰ τὸ ὀρύττειν, quod fodere est, vel excavare, apud Vitruvium legas, à quarũ similitudine bellica etiam machina ad fodiẽdos, excavandosque muros comparata, Testudinis, nomen habet: nam & Horus significati hujusmodi causam redditurus

*Idque à similitudine reptilis, quod caput nunc exerat, nunc reducat, quæ falx dicta.*

A turus ait, διότι δυσπαθές ἐστι τὸ τοῦ ζώου ὀστέον, propterea quod os animalis huiusmodi difficulter admodum frangi dissolvive potest, quod in munimenti significato quid sibi velit Coturnicis os, haudquaquam video.

*Unde testudineum in cessum dicimus.*

## MORS DIFFICILIS. Cap. XXXV.

HOminem lethalibus vulneribus quantumvis alte acceptis difficilime morientem, per Testudinis abscissum caput apte pinxeris: quandoquidem tanta inest ejus carni vivacitas, ut earum caput præsertimque marinarum, avulsum, busto conniventes aliquamdiu oculos ostentet, connitentque ad admotam manum; quinetiam si ad os eam admoveas, mordere etiam adnitatur.

## SEGNITIES. Cap. XXXVI

ALias pigrum segnemque hominem, aut rei cujuspiam tarditatem atque contationem significare qui vellent, Testudinem gradientem pingere consuerunt, quam Pacuvius feliciter Tardigradam appellavit: lento enim adeo gradu movetur, ut in proverbium emanarit in segnes & pigros. Hinc Plautinus Ægio, *Testudineum hunc tibi grandibo gradum*, inquit, *si fustem sumpsero*. Et apud Am-
B mianum lepidissimum distichon legas de Testudinis trarditate:

*Huc referri potest Adagium Diogeniani, Πρότερον Χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα.*

Θᾶττον ἔην λευκοὺς κόρακας, πτηνὰς τεχελῶνας
Εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα καππαδόκην
*Promptius esse albos Corvos, volucesq; Chelonas,*
*Quam quemquam esse probum rhetora Cappadocem.*

Quinetiam asserunt animal hoc contagiosa adeo pollere segnitie, ut si pes ejus dexter inferatur navigio, id ire tardius credatur: quod observarunt Magi.

## MORDACITAS. Cap. XXXVII.

SUnt qui mordacissimum hominem atque egregie maledicum, per Testudineum caput exertis dentibus intelligi velint: nam Testudo ore est omnium robustissimo, quippe quæ quicquid dentibus apprehenderit, vel lapidem etiam perfringit ac devorat.

*Prius testudo cursu leporem præterierit.*

## PELOPONNESII. Cap. XXXVIII.

C IN Peloponnensium numis Testudo cudebatur: unde, ut legere est apud Pollucem, dicterium illud emanarit, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι, quod in adolescentiæ nostræ præludiis nescio quibus ita transtulimus:

*Quando Chelonis vincitur sapientia,*
*Atque ipsa virtus, Atticum ut proverbium est.*

Unde obolum Eupolis καλλιχέλωνον dixit. Ad id vero quod Peloponnesiaca erat moneta, lapide T. Quintius cum Achæi expeditionem adversus Zacynthios meditarentur, eos admonuit, ut caverent ne more Testudinum caput extra Peloponnesum proferentes, in periculum aliquod inciderent.

*A. T. Livio de bello Maced. lib. 6. Meminit & Plutar. in vita T. Flaminii.*

---

## DE CANCRO. Cap. XXXIX.

TEstudo in numis observata, alterius numi reminisci facit, in quo Paguri forma cusa est: quare hinc ad ejus generis significata transimus.

## COEI. Cap. XL.

D CAncer in numis, compactile scilicet genus id, quod corpore est obrotundiore, cujusmodi plerique cœleste signum figurant in Zodiaco, Chiorum indicat Rempubl. Tradunt id & Pollux & alii: sedenim nisi quispiam author esset, numus argenteus id satis indicaret, in quo Pagurus is est cum inscriptione superne ΚΩΙΩΝ, inferne ΛΕΥΚΙΠΠΟΣ.

## SPEI FRUSTRATOR. Cap. XLI.

PLerique hominem à pulchris incœptis desistentem, & spem omnium ignaviter frustrantem, intelligi cum vellent, Gammarum nostrum fluvialem pingere soliti sunt, manu ad os ejus injecta: nam is, cum à te capi facillime posse putes, retrorsum velocissimo sese cursu ejaculatur: unde vulgo etiam in aliqua re falsis, quam se nactos arbitrarentur, Gammarorũ venationem objicimus, Hæc vero recessus obliquatio adeo Cancris propria est, ut Aristoph. Pace, dixerit, οὔποτε νικήσεις τὸν

*Alias ποιήσεις, id est, efficies.*

καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν, *Rectum iter ut carpat Cancer, non viceris unquam.* Atque forte non deerunt qui dicterio hujusmodi mihi sæpe negotium facessant, si unum aut alterum nostri hujus argumenti interpretamentum meo probabilius, quod facile poterit evenire, compererint. Neque mihi profuerit, rem Latinis ingeniis hactenus intactam, excogitasse, primumque in lucem efferre, me scilicet omnia non vidisse clamitabunt, eorum, quæ ex paucis didicerint obliti: cum tamen omnia ea, quæ ad hoc negotium accommodari possunt, non una hominum vita, sed neque multa etiam secula sint indagini suffectura.

## IN CONSTANTIA. Cap. XLII.

*Idque semper obliquo corpore, & in omnem partem movens gressum.*

SCite admodum Joannes ille cognomento Scholasticus, scalarum anacephalæosi, hominem qui modo risui indulgeat, modo luctui, modo austeritati atque temperantiæ se reddat, modo deliciis diffluat, & voluptatibus implicetur, Cancro æquiparavit, nunc ante, nunc retro, nunc in transversum gradienti, miraque vitam suam inconstantia traducenti: virque is sapientissimus, de ingenii ejusmodi profectu nihil sibi quicquam pollicetur, quod ad ullam sit unquam frugem perventurum.

## SOPHISTA. Cap. XLIII

*Huic καρκίνον, quasi καρά-κινον, à movendo capite.*

EJusdem subterfugii causa sophistam significare qui volunt, Cancrum pingunt: eos enim huic animali persimiles Plato dicit, Euthydemo, quos ubi validiori aliqua ratione devictos comprehensosque putes, tunc retro fugaci cursu elapsi per diverticula atque subterfugia, majorem prioretibi laborem intentant, si vilem ac innanem prorsus curam eos consectandi susceperis. Sedenim non in Sophistas tantum, sed in ipsam etiam Dialecticam obortum est à Cancro cavillum. Nam Ariston Philosophus, ut eam eluderet, dicere solebat, eos qui Dialecticam enixiori conatu sectarentur, iis assimilari qui Cancris vescerentur: cibi enim admodum exigui gratia, circa ossa tam multa numero, tantum laboris insumi.

*Aristonis de Dialectica opinio.*

## SOPHISTARUM OPPRESSIO. Cap. XLIV.

SPecies demum illa picturæ, qua Hercules tot immanium monstrorum domitor, in opprimendo etiam Cancello laborasse porticibus pene omnibus ostentatur, nihil aliud sibi vult, ut veteres interpretantur, quam sophisticas eas nugas hujus obtritas disciplina. Fabulose vero jocatur Plato, cum Herculem adversus Cancrum desudasse dicit. Quod vero Cancer sit inter sydera collocatus, nonnulli ea de causa confictum volunt, quia conversione regressuque tam peculiari eo in animali animadverso, per ejus imaginem ostendere voluerint Solis cursum: qui cum eo progressus fuerit, retrorsum auferri, ac tantumdem aufugere videatur. Veluti Caper opposita ratione confictus, quia Sol ab eo signo, toto poli nostri tractu, altiora petere contendat: Caper enim dum pascitur, accliviora editioraque loca perquirit. Hujusmodi vero commentum non ex orbis totius conditione, sed ex cœli nostri situ sphæraque ipsa ad arcticum obliquata excogitatum est: nam ad æquinoctialem circulum appropinquantibus Cancer deprimi videretur, æquinoctii signa attolli: ad id tamen faceret, quod Solis progressus & regressus omnino à Capricorno ad Cancrum, mox à Cancro ad Capricornum, secto duobus locis æquinoctiali, consideratur.

*Cur inter sydera collocati Cancer & Caper.*

## ARCANA REVELATA. Cap. XLV.

*Qui pisces face evocantur.*

SI quid vero abditum & arcanum luci proditum ac revelatum ostendere quis vellet, Pagurum & ejus generis pisces, qui latebris gaudent, face apposita figurabant: constat enim eos nocturno tempore, admoto lumine, de penitissimis etiam cavernis evocari. Ea vero de causa Cancri ad nocturni luminis splendorem accurrunt, quod id omne genus testacea noctu plurimum pasci solent: compertumque est plenilunio ea magis pinguescere, propterea quod liceat his tota tunc nocte pabuli, copiosioribusque tunc escis enutriri unde pinguiores fiant: ut ii existimant, qui plenilunio nullam inesse vim cœlitus hæc in crustaceis efficiendi, remque ita ad commodiorem naturæ rationem deducunt, quamvis una cum Basilio Magno, magna Philosophorum pars sentiat.

## INQUILINUS. Cap. XLVI.

INquilinum autem hominem ostendere qui vellent, Cancellum illum, qui vulgo Gammarusius dicitur, pingebant: is enim semper est concharum hospes, perque vacuas conchulas modo has, modo illas, prout excrescit, mutat domicilia, atque ita semper ædes alienas inhabitat.

MAGNA

## MAGNA INCOEPTA IRRITA. Cap. XLVII.

A RIdiculum forte illud videatur, quod commenti sunt nonnulli, Elephantum cum Gammari cauda pingere, si magna incœpta frustra & inaniter cessisse notare vellent, non secus ac illud Horatianum est, ex montium fœtura murem ridiculum enasci. Sedenim cum res ipsa det ridendi materiam, non inepte mihi videntur excogitasse hujusmodi speciem, quæ non tam significato, quam pictura ipsa risum posset excitare. *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. De Arte poetic.*

## DE PINNA. Cap. XLVIII.

QUæ Pinnæ commercia cum Cancellis hacent, deposcere videntur, ut eas Cancro subjungamus? Nam ut Theophrastus ait, vita fortasse conchis servari non posset, nisi ope Cancri. Pinnæ autem in concharum genere sunt.

## ALIENÆ OPIS INDIGUS. Cap. XLIX.

B VIrum qui se atque sua negligenter curet, neque sine alterius ope consiliove possit consulere rebus suis ostendere si vellent Ægyptii sacerdotes, Pinnam & Cancellum parvum pingere consuerunt: nam is in Pinna conditus in utriusque fatagit usum: conchula enim præ fame patefacta, pisciculi veluti ad escam alliciuntur, quos ubi Cancellus inhærentes animadverterit, Pinnæ statim labra morsu vellicat, illa eo signo admonita concham occludit, atque ita esculentis potitur: eo vero custode privata, brevi, ut Aristoteles asserit, tempore deficit. Hoc idem habemus apud Ciceronē, cujus verba repetere non fuerit importunum. *Pinna duabus grandibus patula conchis cum parua squilla societatem coit comparandi cibi: itaq; cum pisciculi parvi in concham innataverint, tum admonitu squillæ Pinna morsu comprimit conchas, sic dissimilibus bestiolis communiter cibus quæritur.* Cancellum vero hujusmodi, tum à venatione, tum à custodia, Græci Pinnotherem & Pinnophylaca nuncupaverunt. Est hæc squilla parva admodum, quam nonnulli Parasitum piscem vocant: utpote qui sit dapis affectator: colore albido est corpore perpusillo, cauda fere semper subter uterum, ubi coactus fuerit, incurvata. *Pinna & Cancellus simul pacti quid.*

## AB INEUNTE ÆTATE LIBIDINOSUS. Cap. L.

C EUM vero qui ab ineunte ætate cœperit in petulantiam lascivire, & munera Veneris exercere, per Pinnam fœtus ostentantem suos intelligebant: conchulæ enim hujusmodi in concha genitæ, antequam excludantur, inter se quamprimum coire dicuntur, ut non immerito concha ipsa sit Veneri dedicata, atque eam ex concha genitam veteres fabulentur Concha itidem Cyprum devectam canunt, quod nonnulli ad salacitatem referunt, quæ concitetur ex earum cibo: non secus enim ac ostrea, libidinosa esse perhibentur. *Cur Concha Veneri dicata.*

## DE OSTREIS. Cap. LI.

ILla enim Hellespontiaco ludibrio, ne Deo dicam, ita dedicantur, uti Concha Veneri putarim ob earum copiam, quæ Lampsaceno littore, totoque Hellesponto ingens est: unde Ityphallico veteris Poëtæ ipsi Priapo dicto, ita legitur:

*Nam te præcipue in tuis urbibus colit ora*
*Hellespontia, cæteris ostreosior oris,*

D qui versus apud Terentianum reperiuntur.

## HUMANUM GENUS. Cap. LII.

PEr ea vero dicta sculptave humanum genus significari, Philosophorum antiquissimi tradiderunt. Hinc divinus Plato humanum genus Ostreorum simile esse dixit: nulla enim potuit similitudine nostræ imbecillitatis naturam significantius explicare, cum Ostrea indicium esse dixit animi in corporis carcerem & tenebras conjecti: ita enim Deus corpori animam adglutinavit, ut necessarium sit hominem corporis affectibus tangi, vel invitum. Quid vero aliud illa vel divinæ, vel stellaris essentiæ scintilla hic patitur, nisi quod dum corpori adhæresci, & vinculis se coërceri sentit, & in quodam obscuritatis carcere detineri? unde fit, ut suæ plerumq; immemor originis, modo sensui se, modo appetentiæ subjiciat, & alieni facta juris, cum materia, cui adglutinata est, rapiatur in præceps. *Ostreorum mystica explicatio. Pulcherrima parænesis.*

Piscatore igitur Petro opus est, qui nos aut scopulis avulsos, aut, de imo maris fundo erutos, Assertori nostro littora revisenti, pœnitentiæ prunis assos in escam apponat: ut ita absumpti in ipsius Divinitatis amplexu, ad sublimioris vitæ consortia transeamus. Quod vero testam Ostrea pro pelle habent, quæ sine eorum interitu auferri non potest, eorum sunt hieroglyphicum, qui nec squamas ignorantiæ deponere possunt divinis admonitionibus quantumlibet instituti, nec cultrum spiritus suscipere patiuntur: qui quidem, ut Hierosolymitanus Hesychius ait, etsi in mari Baptismatis inveniantur, etsi in fluminibus Pœnitentiæ: abominabiles tamen sunt, cumque vitam sortiti sint in sacri lavacri tinctura, vocationem tamen regenerationemque corruperunt, dum neque pinnulas, neque squamas induere procurarunt, sublimem videlicet vitam, cognitionemque divinorum, quæ cœlestis est: sed obcœcato corde in ignorantiæ voraginibus detinentur, & propterea in his, qui squamas habent nequaquam adnumerantur. Quare Paulus fornicatorem, avarum, idolis servientem, maledicum, ebriosum, detractorem, legum bonorumq; morum corruptorem, à fratrum commercio submovet. Ostrea enim hæc sunt, & idgenus reliqua, quæ sine squamis & pinnulis esse deprehenduntur.

*Nam sicut nos à testa testudinem sic Græci ὄστρεα ἀπὸ τῶν ὀστράκων, id est, ostreas à testis dicunt.*

## DE LOCUSTA. Cap. LIII.

*Piscis, inquam, ex genere crustaceorum.*

Locusta quid juncta Polypo significaret, eo loco declaratum, ubi Polypi significata recensuimus. Quid vero ipsa per se significet, nunc dicendum.

## SEDITIOSUS. Cap. LIV.

Popularis seditionis studiosum hominem significare qui volunt, Locustas duas marinas sese invicem incursantes pingunt: videre enim est sæpe universas, tamquam gregis collegium celebrare, dimicare interim inter se cornibus Arietum modo, ac mutua flagellatione invicem sævire, & *genuinum est civibus*, inquit Pindarus, *invicem invidere*.

*Sic enim Hesiodus.*

## TEMPERANTIA. Cap. LV.

*—ζηλοῖ δε τε γείτονα γείτων, æmulus est vicinus vicino.*

Quoniam vero incidimus in Locustam, nominis adducti similitudine, quid per terrestrem etiam significaretur, explicabimus. Ophiomachum, quem alii Stellionem interpretantur, nos terrestrem Locustam esse comperimus. Per hanc Ægyptii modestiam, temperantiam, atque continentiam intelligebant: quippe quæ nequitiæ virtutes oppositæ sunt: ea siquidem Serpentem oppugnat, voluptatem quippe terræ prorepentem allidit. Ipsa autem crura habet, quæ corpusculum alte tollant humo, à terraque interim eorum innixu resiliat, & feratur in sublime, collisoque Serpentis capite intellectui proximior fiat, qui quidem terrenis obrepere nescius, ab iis disjungi, abalienariq; assidue meditetur. Non dissimulabo hic sacræ lectionis locum, de Præcursoris victu, quem constans fama est Locustis vesci solitum, ἤσθιε δ' ἀκρίδας ὁ πρόδρομος, καὶ μέλι ἄγριον. Sunt qui ab Locustarum campestrium intellectu abhorreant, cauliculosque herbarum nescio quos, quod eodem illi nomine nuncupentur, pro animali comminiscuntur, quibus noster ille veritatis Præcursor vesceretur. Atqui Diodorus, & alii authores gravissimi, populos in Æthiopia quosdam agnoscunt, qui non alio quoquam cibo utantur, quam Locustis, ob id Acridophagos appellatos. In India quoque gentem, quibus Manprorum nomen Clytarchus & Megasthenes dederunt, Locustis ali Agatharchides & alii prodiderunt, trecentosque eorum vicos annumerant. Est autem hæc viridis, & prioribus pedibus longissima, iisque admodum gracilibus, quos motat assidue. Manifestissime vero in hoc Præcursoris cibo Locustam animal agnoscit Adamantius, dum undecima in Lucam homilia dicit: *Non habuit domesticum mel, & humana diligentia percolatum, sed sylvestre, minus quippe jucundi saporis: utpotequi eo ad vitæ tantum usum & necessitatem, non ad delicias uteretur, ex alitibus vero non grande præpingueve ullum, quo se liberius invitare posset: non aërivolam, quæ cibum præberet delicatiorem: sed exiguum admodum volucre, quod vix à terra surgeret, saltitaretque potius quam volaret.* Qui plura quæritamus? constanter asseritur, Locustas ejus fuisse cibum, parvulum animal, & illi satis mundum.

*Ut Suidas & quidam alii.*

## FAMES. Cap. LVI.

Sunt qui per hujusmodi Locustam famem intelligant: propterea quod magnam satis inferunt calamitatem, cum agminatim innumerabili aliquando multitudine congregatæ segetes invaserint.

A rint, magna clade radices abrodentes: quare Divinatrix apud Theocritum dicitur. Cum enim apparuerit, famis est prænuncia. Multa Locustæ hujus significata ponit Eucherius, sed quoniam nullam super illis causam addicit, in quo nos præcipue versamur, ea prætermittenda judicavi: unum illud tantum tangam, quod per comparationem Resurrectionis Dominicæ similitudo quædam sit, cum assultum Philo dicat per Locustam significari: nullum enim è terrestribus animal tanta se pernicitate proripit in saltum, si corpusculi rationem habeamus. Sed hæc alii viderint.

*Theocr. in Messorib.* Μάντις καλαμαία ἀκρίς, *id est, locusta stipularis divinatrix. Eccl. c. 21.*

## PEDES. Cap. LVII.

INvenies in Divinis literis aliud Locustæ hujus hieroglyphicum, ut apud Salomonem Ecclesiaste, pro Pedibus poni, eo quod animal id pedum longitudine pro corporis modulo omnia excedit animantia. Scriptum igitur: *Florebit amygdalum, & impinguabitur Locusta:* hoc est, supervenient cani, & pedum accedet tumor, podagra scilicet, quæ plurimum ætatem grandiorem infestat, quod nos à sexto supra quinquagesimum quatuor jam annis non sine cruciabili dolore, acerbissimaq; studiorum jactura cogimur experiri, hæreditate hoc ab avunculo relicta, & una cum accepto ab eo sa-
B cerdotio miserabiliter alita. Alibi tamen Salomonis verba ex Hebraico codice diligentius examinavimus, quod super his varia est multorum interpretatio.

---

## DE COCHLEA. Cap. LVIII.

ADdetur his Cochlea, inter esculenta piscium vice pauperibus accepta: quæ tamen olim altilis effecta, illataque mensis, Romanas delicias auxit.

## TERRENIS ADDICTUS. Cap. LIX.

PEr eam divinæ lectionis interpretes fere omnes animum terrenis affectibus mancipatum intelligunt, inde similitudine libenter sumpta, si quem sensui deditum, ut voluptatibus brutorum instar inhæsitantem ostendere voluerunt. Hesiodus eam felici compositione Φερέοικον appellavit, quam domiportam dicere possemus, quod ita sit domui suæ applicata, ut eam secum assidue portet.

*Ad hoc forsan. facit Plutar. in lib. de amore divitiarum.* Κοκλιοῦ βίος, *Cochleæ vita.*

---

## DE SEPIA. Cap. LX.

C SEpiam quidem inter crustacea recensere minime congruum videbatur: quia tamen dorsum osseo illo integumento instar clypei munitum habet, huc ipsa etiam transferetur.

## PULCHRA IN COEPTA TURPITER CEDENTIA. Cap. LXI.

ID vero præcipuum super Sepia significatum apud Ægyptios sacerdotes erat, ut per eam significarent hominem, qui multa, pulchra & magna polliticus, daturus omnino speciosa virtutis exempla videbatur, & per summam inde ignominiam fœde lapsus, omnium fefellerit expectationem: ea enim cum spectandam se venatoribus præbuerit, simulatque in se aciē instrui conspexerit, & classicum cani, atramentum in aquas evomit, quibus infectis, demptaque ita venatoribus congrediendi copia, elabitur. Quod si inter fugiendum acciderit, ut aperto iterum campo deprehendatur, statim in effusam atramenti nubem se recipit, atque ita sæpius ac idemtidem frustratur venatoris spem nulla sui facta copia ut deprehendi possit, idque non in congressu tantum facit, sed plerumque etiam lu-
D dendi studio quodam, atque etiam insidiandi. Effundunt vero suum atramentum & Polypus & Lolligo quam vulgo piscem Atramentarium vocant: verum ii non nisi metu perculsi, Sepia vero non modo cum metuit, verum, uti dicebamus, animi interdum gratia. Ei vero atramento tanta vis inest fuliginis, ut si in lucernam addatur, summotis reliquis luminibus, adstantes omnes fœdo livore coloratos ostentet, ut Æthiopes videantur.

*Hæc Plin. lib. 9. c. 29. Hinc Hom. in Ser. Hic nigræ succus lolliginis.*

## THETIS, ET SIMULATIONUM INVOLUCRIS OBTECTUS. Cap. LXII.

HUjusmodi vero occultationis causa confictum à Græcis crediderim, Thetim in Sepiam commutari solitam, dum vel eluderet, vel serio fugitaret Pelea illam insequentem. Nam & promontorio cuidam in Jolco Sepiadi nomen inditum, ubi factum hoc perhibent. Ita deniq; hominem,

*Nat. Com. Mythol. lib. 8. cap. 2. ex Zen. histor. Ab Chil. 2.*

qui multis simulationum involucris tegeretur, esſetque occultæ multiplicisque naturæ, per pictam Sepiam notabant.

## MENDACIUM. Cap. LXIII.

*Huc spectat quod Mateon apud Athenæum de Sepia. Quæ cum sit piscis solta album novit & atrum.*

ALii mendacium ex hoc figmento intelligi volunt: propterea, quod ut Grammaticus Tryphon ait, ὃν τοῖς ἐχάτοις μέρεσι μελαίνεται καὶ ἀμαυροῦται, *in extremis* quippe *partibus nigrescit, & obscuratur.* Callidi enim impostores, mendaciorumque confictores, solent semper aliqua præscire, quæ vera, clara & aperta videantur, quibus inspectandis dum oculi sunt intentiores, astute mox mendacii nubem offendunt. Quoniam vero atramentum id, quo sese occulit effuso, in cauda est, ea de causa Melanuros appellatur, Atque hoc Pythagoram intellexisse volunt cum præcipit, μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, *de iis, quæ nigra sunt cauda gustandum non esse.* In hanc vero sententiam præclare Cicero ad Q. Fratrem: *Multis enim simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verissimè.*

## IMPROBITAS. Cap. LXIV.

*Hor. 1. Ser. Nigri seu atri hieroglyphicum.*

QUod tamen symbolum Plutarchus libro *De libris educandis*, ita interpretatur, ut suboscendere dicat commercium cum improbis non habendum, eos scilicet, qui à virtute ad turpitudinem se recipiant fugiendos. Nam & apud Romanos, nigrum vel atrum pro moribus infamibus & pernicioſis accipitur. Hinc illud divulgatum: *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.* Porro dies atri, qui sunt infausti inauspicati, lugubres, & infelices appellantur: quamvis nostri vulgo dies atros intelligant, qui jejuniis destinati sunt, quibus quidem & corpus macerandum, & à carnium deliciis præcipitur abstinendum.

## LITERÆ. Cap. LXV.

*Contra. λευκὴν ἡμέραν διαλαγεῖν album diem agere. Plut. in Pericle.*

ÆGyptii sane cum literas significare vellent, juncum, cibrum, & Sepiam ponebunt, de quibus sigillatim disputare alterius loci est: nam eorum omnium, quæ literas & diciplinas indicarent, certum conscripsimus commentarium. Quod vero ad Sepiam attinet, quæ pro Theca atramentaria poni solita sit, ac perinde literas scripturamq; ipsam significet, non apud Ægyptios tantum habetur, verum & apud nostros, uti Persianum illud ostendit:

*Tum quæritur, crassas calamo quod pendeat humor,*
*Nigra quod infusa vanescat Sepia lympha.*

Atramentum sane Græci σηπιώδικον appellant, Tholus vero est Aristoteli, qui Sæpiæ ineſt. Hesichius ex eo vocabulo turbamentum interpretatur: id enim παρεγμένον ostendit.

## VIRI AMOR IN MULIEREM INFIDAM. Cap. LXVI.

*Auxilium mulieri à viro, non viro à mulière.*

SUnt qui amorem conjugalem in viro firmum, in fœmina lubricum, significare si velint, Sepiam tridente confossam, pro istiusmodi rei hieroglyphico faciant: propterea quod in eo genere, si fœmina percussa fuerit, accurrit mas opem allaturus, fœminæque quacumque potest ope auxiliari contendit: quod si mas ictus fuerit, fœmina sui tantum solicita, quamprimum fuga sibi salutem quærit.

## TEMPESTAS. Cap. LXVII.

*A Plin. l. 9. cap. 29.*

SUnt & tempestatis argumentum Sepiæ: nam pictæ, ita ut in aquæ summum exiliant, magnas procellas paulo post erupturas indicant. Causam reddit Plutarchus: quia cum mollia omnia frigus impendio caveant: hæc una præcipue cum sit ea carnis nuditate mollitieque: neq; testa, neque pelle, neque squamis munita, sed unum tantum tegumentum osseum in dorso sortita, tempestatem facillime præsentit: igitur veluti frigus evasura, neq; non agitationes, quæ in imo mari fiunt, exilire, & in commodum illud videntur evitare. Quare Polypus etiam pari propemodum mollitie præditus, ad terram properat, seque petris alligat, ventorum jamjam adventantium portentum.

---

## DE PURPURA. Cap. LXVIII.

*Longitudine digitali.*

IN hunc gregem veniet & Purpura, suis & ipsa significationibus insignis, de animali quidem, non de colore, qui loco alio tractandus est, præsens erit examinatio.

MALE-

## MALEDICUS. Cap. LXIX.

A MAledicum hominem probos improbosque æque carpentem significare qui volunt, Purpuram exerta pingunt lingua, quæ quidem illi tam acuta & valida est, ut ea & conchulas, & quascumq; sui generis testas perforare possit: quæ cum ita sint omnivoræ, frequens illud in edaces dictum emanavit, *Purpura voracior:* de quo apud Athnenæum plura comperies.

*Athen. lib. Dipnos.* Λιχνότερος πορφύρας

## DE GULA MULTATUS. Cap. LXX.

*Plin. lib. 9. cap. 36.*

ATque inde forte proverbium, quod Purpuræ plurimum per linguam escas inquirentem capiuntur. Et qui hominem qui de ganea pœnas dederit significare volunt, conchylium hujusmodi nassæ per linguam applicitum pingunt: siquidem ejus captura in hunc sæpius efficitur modum. Parvæ densæq; admodum nassæ Strombus piscis includitur, hunc avidissime captat Purpura, quem simulac illuc occlusum olfecerit, in certa per nassæ juncos lingua eum assequi contendit, dumque ille volutatione luctatur, ea magis ac magis linguam protendit: accidit vero ut in eo conatu tumefiat, ut nulla eam extrahendi copia relinquatur, atq; ita detenta per linguam captiva fiat. Verum hoc pictu-
B ræ genus in hujusmodi significatum aliter etiam figuratur, conchulam quippe pingunt, quæ Purpuræ linguam morsu comprehenderit. Piscatores siquidem cum purpuram norint concharum pastionem avidius appetere, has in nassas magno numero conjectas in mare demittunt, oblongo tunc ad nassas alligato: sentiunt optatam escam Purpuræ, porrectisq; intra nassarum juncos linguis, eas infestant, at illæ aculeo extimulatæ incolumitati suæ consulturæ contrahunt sese, corticibusque clausis morsu perquam acri linguam infestam comprimunt, pertinacissimeq; detentam haud quaquam amittunt, atque ita pendentes sua captæ aviditate Purpuræ tolluntur.

*Quomodo capiatur Purpura.*

## UNO EXANIMATUS ICTU. Cap. LXXI.

HOminem vero interemptum uno ictu ostendere qui volunt, Purpuram saxo elisam pingunt: siquidem infectores ajunt, quas Purpuras in artis suæ usum parant, saxo uno ictu collidendas, unde subitarius ille sanguis ad tinctum optimus emanat: quod si ictu fefellerit, neque Purpura statim exanimata fuerit, frustra repeti, quia præ dolore sanguis in universum corpus diffusus evanescat.
C Hinc ajunt Homerum totiens de iis, qui valido aliquo vulnere perempti fuerint, Purpurea eos morte sublatos dicere: quem imitatus Maro, nunc *Purpuream vomit ille animam*, nunc quid hujusmodi sæpe protulerit. Quamvis ad sanguinem, in quo anima sedem habeat, Servius hoc referri putat, de quo satis in Accipitris commentario dictum.

*Purpurea mors cur dicta. Æneid. lib. 9.*

## SECESSUS. Cap. LXXII.

SUnt qui secessum per Purpuram ostendant: propterea quod Purpura non nisi in imo reperiatur pelago, unde verbum apud Apollonium Argonauticon primo, πορφυρέσσειν, quod purpurascere dicere possumus, ubi profundum esse interpres exponit, ea quam memoravimus Purpuræ naturæ repetita. Hinc mare purpureum, pro profundum, Poetæ sæpius posuere.

*Virgilius 4. Georg. In mare purpureum violentior influit amnis. & Cicero mare purpura scere ait, Acad.*

## DE ECHINO. Cap. LXXIII.

MArinus huc Echinus obvolvitur, lenticulari propemodum figura, cochleari crusta, scabritie varia: crebris lineamentis rectilineis, quatenus in sphærica figura fieri potest, picturata iisdem
D quibus terrestris armatus spinis, verum iis micantioribus, & nunc cocco, nunc purpura, nunc puniceo colore splendescentibus, qua parte rostrum à medio ventre exerit reductior, à tergo gibbosior: atque is est, de quo Martialis ait,

*Cortice deposito mollis Echinus erit.*

## DIFFICILIS ATQUE MOROSUS. Cap. LXXIV.

ATq; ut ad ejus significata jam aggrediamur, hominem qui cum difficulter, vel nulla unquam ratione consuetudinem inire possis, ex hieroglyphico ejus commonstrabant: quippe quem quaqua tractare volueris, asperitate renitentiaque, horridum experiare, atq; itidem ex hoc asperitatem eam, quam Horatius damnat, agrestem, inconcinnam, atq; gravem, per hoc animal notabant: nam & nomen illi ὁ ἐχῖνος κατ' ἀντίφρασιν, pleriq; impositum asseverant, quia scilicet haberi non possit propter

*Unde Proverbium:* Ἐχῖνος τραχύτερος *Echino asperior.*

*Vel quia Græci χῖνοι, hirtum vocant.*

propter spinas, quasi Latine vel is intractabilem dicere: quamvis sunt qui de nomine id sentiant, ut Echinum dictum velint, ἀπὸ τοῦ ἔχειν ἑαυτὸν ἀφανῶν τῶν σαρκῶν οὐσῶν, quod scilicet ita sese cohibeat, ut nulla carnium appareant vestigia neque figura.

## JUDICIUM SEVERITAS. Cap. LXXV

ERant autem apud veteres vasa Echini nomine nuncupata, quæ scilicet animalis istius imaginem referebant, quorum in judiciis erat. Sane judices, de quibus Pollux meminit, ubi de diætetis & dicastis agit, Euchinum aheneum, aut opere fictili factum habere consueverunt in quem testium dicta, scriptaq; judicia conjicerentur: ex quo significabatur, non licere cuipiam impune illis manus admovere, neq; invertere, aut immutare quicquam, sine gravi supplicio.

## NAVIGATIO TUTA. Cap. LXXVI.

*Plin. lib. 9. cap. 31.*

SUnt etiam qui per Echinum tutam navigationem intelligant; ille siquidem imminente tempestate, quam non secus ac terrestris ventos præsentit, attractis lapillis sese munit, arenaq; navium instar saburrat, ne vi fluctuum ulla versari jactarive possit: id enim maxime cavet, ne aculeis exarmetur. Basilius Magnus audisse se profitetur à quodam rerum maritimarum peritissimo, qui diceret, habere se pro comperto, Echinum cum ventorum perturbationem sævissimamque maris præsensisset, calculum correptum haud exiguum subiisse, seque sub ipso tanquam anchora stabilivisse. Sane quidem nautæ simulac eos id factitare conspiciunt, futuram hoc indicio ventorum agitationem, tempestatemq; præsagiunt, navigiaq; continuo pluribus anchoris infrænant. Admiratur Ambrosius in Hexamero, quo ingenio is ista collegerit, quo doctore præceperit, quis ei fuerit auguriorum interpres. Falli sæpe homines aere perturbato, quod plerunq; res sine tempestate succedat, non falli Echinum, & homini rationis participi documento esse. Unde animali tam exiguo tanta scientia, ut non modo quod futurum est infortunium ante prævideat, verum etiam qua ratione impendenti periculo sit obviam eundum, non verbis, non sophismatis, non ambagibus oratoriis, sed re ipsa commonstret?

*Echinus auguriorum interpres, præsertim nautis.*

## MACILENTIA. Cap. LXXVII.

ADdhæc macilentissimum hominem per idem animal intelligebant, cui quidem sit hoc peculiare, ut nullam intus carnem contineat, foris & spinulas & crustam, uti dictum, cochleariam tantum habeat, inveniuntur in eo tamen nigra quædam vice carnis, quæ utcumq; sint, à ganeonibus tamen expetuntur. Quod vero ad macilentiam facit, eum ad annum integrum ajunt abstinere cibo. Non relinquam intactum, quod apud Eustathium legi, interna ventris Echinum appellata, unde Callimachus:

ὅντε μάλιστα βοῶν ποθέουσιν ἐχῖνον.

*De Bove quem cupide magis affectantur echinum.*

Idque ea de causa, quod intra se cibum contineat, quod præcipuum est ventris munus.

## INSTAURATIO. Cap. LXXVIII.

*Echini mira restauratio.*

EXercitum, aut quid hujusmodi ex dissipatis reliquiis instauratum, si quis pingendo significare voluerit, non imperite Echini marini dilaniationem quandam figurabit: ille enim in frusta discerptus, si projiciatur in mare confluentibus sponte in unum partibus, iterum committitur, & efficacissime solidescit.

---

## DE CONCHYLIO. Cap. LXXIX.

COnchylium quoq; aliquid habet, quod ἱερογλυφικῶς accipi potest: tametsi animal ipsum huc non admittatur, sed quos generat uniones.

## LACHRYMÆ. Cap. LXXX.

SUnt qui gemmas omnes in ornatu Veneri deberi putent: quod scilicet eam maxime comptam esse debeat, & deliciis omnibus affluentem. Gemmæ tamen aliquot sua quædam habent significata, veluti Uniones, quos lachrymarum symbolum esse plerique prodidere: sumptum scilicet à conjectoribus, qui lachrymarum profluvium per visas in somnis margaritas ostendi tradunt: nam & apud Suidam legas, μαργαρίται δηλοῦσι δακρύων ῥόον,

JOAN.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXIX.

## DE IIS QUÆ PER CROCODILUM ET ALIQUOT AMPHIBIA SIGNIFICANTUR Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD ERUDITISS. VIRUM MATTHÆUM MACINGUM VENETUM.

B *Poterit, & merito quidem, eruditissime Macinge, aliquis, qui non æquo forte erga nos animo fuerit, utrumque nostrum ad Christianæ pietatis vindices deferre, qui sanctissimum amicitiæ tam mutuæ, tam antiquæ numen tanto sub silentio, Ægyptiorum quodammodo secuti religionem, coluerimus. Ægyptiaca enim prorsus est hæc superstitio, Deum sub silentio colere. Sed enim qui de pietate aliter quam Evangelia doceant, & sacri canones imperent, vel sentit, vel sibi sequendum credendumve proposuerit, is dubio procul impietatis crimine condemnandus, acriterq; puniendus est. Manifestum autem est, Ægyptios olim Crocodilum adorasse, quod nos non modo abhorremus, sed & Poetæ veteres, qui mores hominum facile tolerant, modo satyrice deridentes, dum eorum aliquis dicit, eos portenta colere, modo ut rem magis exacerbent, addunt, Crocodilon adorant. Causam tamen eam Ægyptii allegare soliti sunt, quod Crocodilus silentii sit hieroglyphicum, quandoquidem animal id lingua careat, & ita silentii significatum præ se ferat, quod uterq; nostrum per tot annos nimiũ superstitiose coluimus. Ne igitur cavillandi cuipiam ansam demus, existimavi silentio huic nuncium remittendum, atq; ita in viam redeundum, id quod, ut tu quoq; facias adhortor. Misi itaq; ad te sequestrem Crocodilum ipsum, qui quoniam Ægyptiace loquitur, quippe per rerum figuras & signa, causam omnem tibi liquidius explicabit. Quoniam vero Crocodilus ab intima usque Ægypto istuc Venetias inducendus fuit, exenterare eum oportuit, & accuratissime salire:*
C *loco vero fæcis exemptæ, infarcivimus in uterum ejus eadem diligentia fluvialem Equum, Phocam, Murænam, Anguillam, & Ægyptiacam quandam Ranam. Animalia inquam hæc utcumq; adduci potuerint, ad te missi, ruptoque ita silentio me piorum consortio aggregavi. Tu, si qua in iis quæ ad rem tuam faciant inveneris, arbitrio utaris tuo, reliqua, quæ nullius apud te momenti videbuntur, εἰς κόρακας, ut dicitur, projicias licet.*

---

### DE CROCODILO. Cap. I.

QUoniam à Poetis nostris, atque etiam à plerisque aliis Ægypto ea est objecta infamia, quod & monstra colerent, & Crocodilum præcipue adorarent, cur hoc animal inter reliqua ad ipsam nationem sacra, locum haberet, differendum: ita fiet, ut quid imperiti colerent, quid sapientes intelligerent, manifestum fiat, atque inde minus eorum succenseamus Philosophiæ. *Silentiũ ad Deũ maxime spectat, & quare. Hinc illud* Γλώσσης πρώτον ἄλλων κρατεῖν θεοῖς ἑπόμενον. *Linguã ante omnia coercere, Deũ imitans.*

D

### DEUS. Cap. II.

COlebant siquidem Ægyptii Deum sub Crocodili, quod non inficiamur, imagine, propterea quod solus inter animalia elinguis esse deprehensus est, quod Divinitatis munus esse perhibent. Nam & in Pythagoræ symbolis habetur, linguam in primis esse coercendã, ut Deum imitemur. Proxime accedit ad hanc sententiã sapiens ille neq; illiteratus vir, qui opusculum *De moribus*, carminib. scriptum edidit, dum eum Deo proximum esse ait, qui ubi ratio postulat tacere norit: Deus enim sub alto profundoq; silentio mortaliũ facta omnia diligenter examinat, omniumq; merita inspicit, proque re, loco & tempore singula moderatur. Quod vero de diis silentium apud eos esset, vel Harpocrates indicarit, cujus effigiem presso obsignatoq; ore ideo dedicarunt, quod ceremonias ritosque

*Nempe in sacris Isidis & Serapidis.*

suos qua ratione instituti essent, in vulgus propalari nolebāt, atq; ita sacra involvi silētio procurabāt. Quin & Mercurium illum suum, quem Nilo prognatum patre prædicabant, tanto silentii cultu prosequebantur, ut ne nominare quidem eum fas arbitrarentur. Nam quem Θὼθ appellabant, qui Platoni Theu, Propertio nostro Theutates est, alium fuisse dicunt, qui scilicet Argum interfecit, quique leges illis atq; literas tradidit, à quo Septembrem mensem eo nomine vocitarant. Et Cabalistæ Dei ministros ajunt propitios nobis fieri, vel si tantum nominis eorum meminerimus, aut eorum notas præ oculis habuerimus, signatasve gestaverimus, etiamsi ore numquam enunciemus, præcipueq; TETRAGRAMMATON divinitus datum nomen ineffabile, nostræ cum Deo reconciliationis signum: propterea quod literarū, quibus notatur, satis est reminisci. Merito itaq; Helias sacerdotes Baalis ridet 3. Reg 18. dum eos adhortatur majóri uti voce, quod eorum Deus in diversorio forsan esset, aut in itinere, aut certe obdormisceret, ita fieri posse ut excitaretur. Sed quid nos tot Gentilium fabulas evolvimus, cum sacræ institutionis nostræ literæ in templis quotidie canant: *Te decet silentium Deus in Sion?* Æquū est quippe ut tacito verecundoq; silentio trepidationē, quam ex tantę majestatis consideratione concepimus, profiteamur. Et, *Sileat omnis terra Deo.* In quam sententiam Petrus apud Clementem, *Qui summo sunt silentio honorāda. Deus enim*, ut Cyprian. ait, *non vocis, sed cordis auditor est.* Nam & Annas Samuelis mater, quæ typum Ecclesiæ per se tulit, ante conceptum, cum sterilitatem deploraret, Dominum non clamosa petitione, sed tacite & modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur quidē ea prece occulta, sed manifesta fide loquebatur non voce, sed corde, quia sciebat Deum audire, ideoq; quod petebat efficaciter impetravit, quia fideliter postulavit. Et Publicanus, quem Dominus probat, non erectis impudenter ad cœlum oculis, neq; sublatis indecenter manibus pectus suum tundēs & peccata sua contestans, divinæ misericordiæ auxilium implorabat. Habet insuper Crocodilus eam cum Deo similitudinem, quod ejus solius oculi pellicula tenui translucidaq; fronte demissa obteguntur, atq; ita cernat, cum aliis ita minus cernere videatur. Ita oculum Dei perlustrare, intuerique omnino res ipsa indicat, cum nos eum nequaquam cernere, aut nostratia hæc explorare plurimum opinemur. Sed quantum pertinet ad sermonem, nostra inprimis est pietas defendenda, apud quos totiens legitur, HÆC DICIT DOMINUS, cum simplex sit Dei substantia, neq; membris ullis, neq; compagibus composita: non igitur os neq; linguam habet Deus qui loqui possit. Id vero sic accipiendum, ut tunc Deus loqui videatur, cum aliquid inspirat in sanctorū fatidicorumq; vatum corda, vel etiam vocis sonum afflatu suo facit ad eorum aures pervenire. Nam si vox humana agentius dicitur, potest & vox Dei dici aer ictus vel vi, vel voluntate divina. Itaq; illuminata mens per Dei spiritum formatur in verba, unde locutus Deus homini dicatur: quoniam humana fragilitas aliter audire de Deo non potest. Præterea, uti Adamātius inquit, veteres Deo sermonem attribuere, quia cum rorint homines hoc ministerio voluntatem alterius alteri innotescere, agnoscunt ea, quæ sibi per Prophetas deferuntur, Divinæ indicia esse voluntatis. Mortales enim haudquaquam intelligerent in hac vel illa re Dei contineri voluntatem, nisi ea locutus diceretur: cum eorum sensus nequaquam percipere possit, voluntatem cujuspiam per silentium inter homines indicare posse.

*Hinc spectat Θεοῦ ἄλλα μυήματα. Oculus Dei fortissimus. ὀφθαλμὸς θεοῦ κάλλιστον ἔνοπτρον, ut ait Hesiodus operum lib. 1. Omnia illustrās. Quo modo Deus loqui dicatur.*

## ORTUS. CAP. III.

ORtum ad hæc pingere si voluissent, geminos Crocodilii oculos faciebant, quos habet instar Suis, verum ex toto fere corpore prominentes, & emissitios. Atque ita pars ea, quæ lucis conceptaculum tam insigniter extet, exortui videtur assimulari. Est tamen & alia ratio istius significati, quod animal hoc suapte vi nullo parentum incubitu fomentove, formam & lucem acquirit, veluti Sol per semetipsum exoritur. Crocodili enim tam fluviales quam terrestres cum in sicco partum ediderint, ova sua terræ committunt gremio, quibus tamen semper assident, dum catuli animentur & excludātur. Locum vero eligunt ad quem summo actu eo anno egressus sit Nilus, quasi divinatione quadam, ova transferentes. In numis vero aliquot simulacrum Orientis radiato fingitur capite, dextera in altū sublata, eaque passa: quod in Gallieni plerisq; numis habetur, inscriptione addita, ORIENS AUG. quam quidem manum patefactam, & radios ipsos, Maro non uno loco videtur explicasse:

*Ubi primos Crastinus ortus* *Extulerit Titan, radiisq; retexerit orbem.*

*Hæc adhibuit Plin. lib 8. c. 25. Gallieni numus.*

OCCA-

## OCCASUS. Cap. IV.

A Quod si occasum identidem pingere procurassent, Crocodilum humi toto profusum corpore deliniabant: quippe quadam incubantis specie, sponte enim ad ima quæque ferri gaudent, immersiq; fluviis humi libenter obrepunt, soloque adhærescunt, Delphinorum & aliorum hostium metu, quod norunt quam molli tenuiq; cute in ventre sint. Dies præterea maxima ex parte agunt in terra, noctes in aqua, teporis utrumq; ratione: noctu enim tepidiorem aquam experiuntur. Ita solem imitari videntur, qui nobis emergere matutino tempore, vespertino immergi videtur. Adhæc Crocodilo visus in aqua hebes, extra acerrimus: ita illi præcipue accidit, Solis occasu obscura omnia, exortu clara atque perspicua redduntur.

## TENEBRÆ FUNESTUMVE. Cap. V.

TEnebras autem (quo vocabulo tam funus, atratumque pomparum apparatum, quam mortem ipsam, quæ lumina claudit decentium, intelligebant) significare cum adlibuisset, Crocodili caudam faciebant: is enim simulac animal aliquod ceperit, caudæ opera utitur ad exanimandum: ea
B enim captivum vincit, ac mox plectendo conficit. Vis si quidem omnis, ac omne Crocodili robur, in cauda situm. Id vero commode figurabitur, si abditus in specu, sola exporrecta cauda pictus fuerit: nam & illi proprium est spelæa subire, in quibus quatuor interdum menses hyemis inedia pertinaci delitescit, unde forte tenebrarum deductum est significatum. Sedenim hæc etiam ad eam facere opinionem possunt, quod ideo Crocodilum colerent, quia hinc etiam divina quædam specularentur. Nam quod Dei ipsius & caput & substantia imperscrutabalia sint, cum Crocodilo faciunt in specu latitante: quare Seraphim faciem atque pedes Dei velare ad arcam Domini dicuntur, quod divinæ majestatis principium atque finem verbis nemo valeat explicare, neque picturatione ulla declarare, definire vero nulla prorsus circumscriptione quispiam aggrediatur. Quam vero de Deo cognitionem profitemur, eam ex operibus perpendimus, quod à posterioribus diceret Aristoteles. Quare Gentes admonebat Jesus Deus noster: *Si nolitis mihi credere, credite operibus quæ ego facio.* Ita igitur sapientes illi Crocodilum imaginati sunt in specu, cauda tantum exerta absconditum. Nam Psal. etiam 17. dicitur Deus posuisse tenebras latibulum suum, ut plane significe-
C tur, obscura multis & incognita esse, quæ de Deo piis tantum innotuerunt: utpote quæ Deus ipse occultat in tenebris, &, ut Origenes Adamantius ait, manifestum est raro admodum pervenisse ad homines Dei cognitionem, idque paucissimis contigisse: sive quod ob mentis hebetudinem ad ejus micantissimæ lucis radios cæcutimus, sive quod inquinata mens ejus non recipit puritatem, sive quod humanum hoc corpus adeo fæculentum animum etiam obturat, ne possit spiritum ejus admittere, sive quod intellectus nostri virtus sit adeo imbecilla, ut immensitatem eam nulla capere possit conjectura. Nam & de Moyse legimus, eum, ubi Deus esset, caliginem subiisse. Deique judicia Prophetæ Abyssum vocare consveverunt. Quin & Jesus ipse: *Nemo*, inquit, *cognovit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius, & cui Filius revelavit*, & in hanc sententiam passim à nostris plurima. Eaque de causa Joannes Filium lucem ponit, quia is & seipsum illuminat, & Patrem in conspicuo ponit, qui adhuc lateret in tenebris, nisi per Filii manifestationem innotesceret. Nobis vero nisi lux illa orta esset, adhuc in umbrosa mortis religione sederemus, diceret Esaias. Unde autem, nisi divino dispen-
D sante Spiritu, imaginatus est Orpheus dicere, *Nox quæ lucem emittis?* Quod & Psalmographus: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Tabernacula enim Dei tenebræ & latibulum, uti Divinæ literæ passim memorant. Sed plura super hoc dicturi sumus in Ignis commentario, ubi faces.

*Plin. ibid.*

*Dei cognitio ex operibus.*

*Dei judicia Abyssus.*

## PERNICIES. Cap. VI.

IN universum autem per id animal sculptum, malum, damnumve aut pernicies aliis illata, si Diodoro credimus, apud Ægyptios significabatur, omninoque in explebilis rapacitatis hieroglyphicum habebatur: animal enim est multæ rapinæ, unguibus ad discerpendum promptissimis, morsu aspero tetroque, ut quod dentibus lacerat, numquam sanetur. Impune vero inter eos enatat, qui se adipe ejus feræ perunxerit. Quod factitasse Firmum Ægypti tyrannum, qui oppressus est ab Aureliano, testimonio Aurelii Festivi, Vopiscus tradit.

## SALACITAS. Cap. VII.

*De Scinco ibid. Plin. & Dioſc. lib. 2 c. 9. qui ſcincũ nominat* σκίγκον, *& ibi Matthiolus.*

ERat & ſalacitatis indicium, ut ipſi dicunt Ægyptii: propterea quod abundanti fœtura prolifici ſunt Crocodili, libidinisq; usque adeo contagioſæ, ut à dextera eorum maxilla dentes lacerto dextero alligati, nequitiam credantur ſtimulare. Terreſtris porro Crocodili, quem Scincum, ut alii, Scingum appellant, roſtrum & pedes in albo vino poti, laſciviæ cupiditates accedere apud magicæ ſcriptores legas, & hujusmodi quædam apud Dioſcoridem & Plinium.

## FUROR. Cap. VIII.

FUrorem ad hæc Ægyptii, & quæ inde calamitas aut clades accepta eſſet per Crocodilum ſemet ipſum verberantem indicabant: propterea quod is irrita prædæ cujuſpiam ſpe fruſtratus, in ſemetipſum furit, ſupra modum indignabundus.

## LATROCINIUM. Cap. IX.

NEgotiorum impedimenta, inſidiasque & latrocinia, quæ contra viatores exercentur, per idem animal etiam oſtentabant. Et Typhonem, quem βοϵαιῶνα dicunt, in Crocodilum abiiſſe aſſeverabant: tametſi nonnulli Typhonis comitem ponant. Crocodilus autem aſſidue negotiatoribus inſidiatur, quo genere latrocinii Typhonem infamem tradunt. Quapropter cum illi honores omnino decreti eſſent, ex manſuetis animalibus Aſinum illi nutriebant, ex feris vero Crocodilum & fluvialem Equum. Inſtitutum enim erat apud eos, quibusdam Diis, ne nocerent tantum ſacra facere: atque ita quo magis illos ſibi conciliarent, animalia ejusdem ingenii, quo illos fuiſſe perſuaſum habebãt, colere conſuerant. In Apollinis vero civitate, quo injurias à Typhone Oſiridi illatas ulciſcerentur, de Crocodilo veſci lege ſinguli tenebantur. Certo igitur die convenari ſolebant; & quot. quot caperent, interfectos eos ante templum, rei à ſe bene geſtæ monumentum teſtimoniumque proſternebant.

*Typhon in Crocodilũ*

## HELLUO. Cap. X.

IIdem ſacerdotes helluonem ſignificantes Crocodilum hianti ore pingebant: is enim cibo ſatur, quem immodice ſumit, ſomno ſopitus in littore ſe proſternit eſculento ſemper ore, ad quem aviculæ trochili, quæ Senatores & Reguli dicuntur, pabuli ſe gratia conferunt, involantesque dentes depurgant, atque ita magis & magis ad potentiorem hiatum ſcabendi dulcedine provocant, quod Ichneumon perpetuus ejus hoſtis, ſi quando fuerit conſpicatus, ſaltu ſe in guttur ejus immittit, introque progreſſus, donec fero cor morſu lancinet, moribundam mox feram derelinquens abit incolumis. Alii crapulam ideo ſignificari per Crocodilum tradunt: propterea quod is meatu careat, per quem ciborum excrementa dejici ſoleant, quare eadem mox digeſta & indigeſta per os rejectare neceſſe habet, quæ mox aves advolantes depaſcantur: perinde ac qui præter ſatietatem nimio farciuntur cibo, cum digerere ipſi non poſſunt, evomere coguntur. Qui vero cultui habiti à ſacerdotibus nutriebantur, tanta erant manſuetudine, ut non modo vocem accerſentium agnoſcerent, & attrectari paterentur, verum etiam fauces adapertas porrigerent, dentesque manibus depurgari, abſtergiq; linteo permitterent.

*Crocodilus voraciſſimus. Plin. ibid.*

## AB IGNOBILI GENERE AD CLARITATEM EVECTUS. Cap. XI.

COmmenti ſunt nonnulli, hominem, qui nulla ſanguinis claritate, minimisque principiis ad amplisſimas, celeberrimasque dignitates, ad opes, ad honores evectus eſſet, per Crocodilum & ovum ejus pingere. Illud enim de Crocodilo fertur, nullam animal à tam pravis initiis, in tantam excreſcere magnitudinem. Ovum enim non multo majus edit quam Anſeris, & fœtus inde incluſus pro portione eſt: attamen ad cubita usque quindecim, vel etiam ſexdecim creſcendo porrigitur. Sunt qui eos tamdiu augeri aſſerant, quamdiu vivunt. Facit ad hoc Æſopica fabella non illepida de Crocodilo, generis nobilitatem, & ſua & antiquorum præclara facinora apud Vulpem extollente: cui argute illa reſponderit, excute vetus ejus ac diuturnum exercitum, vel eo tacente, prodi.

*Plin. eadem cod. lib. 28. c. 8.*

INVI-

## INVICTUS. Cap. XII.

A Addunt nonnulli, lacessitum injuriis hominem, neque tamen succumbentem aut victum, per Crocodili tergus significari? propterea quod id superne corticosum adeo sit, ut contra omnem ictum, invictum habeatur. De vigore vero ejus elangueſcente, si quis eum penna Ibidis demulceat mitigetque, in Ibidis commendario dictum est loco suo. Apud Horum invenias Vespam supervolitantem Crocodilo indicium esse, vel ipsius animalis sanguinem corruptum, vel Crocodilum mortuum: Vespa enim ex putrefactis oritur cadaveribus. Verum id quoque mysticè, cum mala ea quæ per Crocodilum significantur, indicare vellent, facta jam mitiora vel omnino sublata: aliter frigida, & inanis ea esset interpretatio. *Plin. 8 d.*

## ÆGYPTUS. Cap. XIII.

CRocodilus catena religatus ad palmam, in æreis plerisque numis habetur, cum inscriptione, Col. Æg. Colonia Ægyptus. Ab altera facie duo sunt humana capita, quorum alterum ad Orientem spectat navali corona insigne: literæ superne sunt, Imp. ubi nimirum per Crocodilum ipsa
B significatur Ægyptus. Quod vero sit religatus ad palmam, Augusti omnino victoriam ostendit, quam etiam in obelisco campi Martii notari jussit, Ægypto in ditionem redacta. Duo illa capita Augusti unum, alterum Agrippæ esse crediderim, de quo Virgil.

*Tempora navali fulgent rostrata corona,* *Æneid. l 9.*

In alio Augusti numo argenteo Crocodilus, est, supra quem scriptum, Ægypto infra Capta. ab altera facie Augusti caput, cum circumductis literis, Cæsar divi F. Cos. vi. Et pictor Nealces, cujus meminit Plinius, cum prælium navale Ægyptiorum & Persarum pinxisset, quod in Nilo, cujus aqua est mari similis, factum volebat intelligi, hieroglyphico apertissimo hoc declaravit, quod arte non poterat: Asellum enim in littore bibentem, καὶ πάρεργον pinxit, & Crocodilum insidiantem. Est & numus L. Æl. Avrel. commod. ubi Commodus ipse sub Herculis imagine pede dextero Crocodilum calcat, læva clavam sustentat, dextera Ægypto sistrum prætendenti spicas porrigit. Inscriptio declarat, Indulgentiæ Aug. Atque hæc de Crocodilo dicta sufficiant. *August. nummi, & Commodi.*

C

## DE FLUVIALI EQUO. Cap. XIV.

PLurimum verosecum affert impietatis improbus ingratusque Hippotami animus: qui nulla genitorem reverentia prosequitur, & alienis bonis diripiendis natura promptissimus existit.

## IMPIETAS. Cap. XV.

MErito enim Ægyptii Sacerdotes cum impium, cum ingratum, cum injustum quempiam notare vellent, Hippopotamum proponebant. Admoniturі vero mortales omnes vitia ea omnino esse declinanda, totaque animi fortitudine supprimenda, duas e-



*Equi fluviatilis impietas.*

jus animalis ungulas deorsum inversas facere consueverunt: si-
D quidem is ac ineunte statim adolescentia patri incipit infestus esse, tentatque, si possit eum decertando superare, quem sæpe in pugnam provocat: quod si acciderit ut victor evadat, matris coitum affectat, vita patri condonata: sin victus aut cohibitus à patre fuerit, neq; tam scelerati voti compos fieri potuerit, perdurante tamen pravitate tantisper conatū differt, donec adolescat, factusque jam robustior atq; validior deteriore ætate factum patrem invadit, fœdissimæq; necatum petulantissimè dilaniat. Inversas igitur ungulas eas ideo statuebant: ut qui rem spectarent, quid illæ sibi vellent commonefacti, propensiores fierent ad pietatem.

## PIETAS IMPIETATI PRÆFERENDA. Cap. XVI.

ID quod tantæ apud eos curæ fuit, ut Principum sceptra & hujusmodi pleraque insignia, atq; gestamina & monumenta, ar-

maq; aliquot quorum quotidianus esset usus ita insignirent, ut in summa potioreque parte Iconiam præfigerent exære, vel ex auro argentove factam: inferne vero ungulam Hippopotami sufficerent, quod impietati præferendam esse pietatem indicarent. Species vero ungularum iis est, quales Bubus, licet dorsum, juba, & hinnitus Equi sit, unde illi nomen. Inest præterea talus bisulcorum modo, dentes ut aprorum exerti, leviter tamen: rostrum resimum, apri cauda etiam, magnitudo & interiora Asini, tergoris crassitudo tanta ut ex eo venabula fiant, & scuta galeæque impenetrabiles, nisi humore madeant, munire possit.

*Plin. eadem l. 8. c. 25. & 26. & Arist. l. 2 de histo. anim. c. 7.*

## IMPROBITAS EDOMITA. CAP. XVII.

VIRTUTI CEDIT IMPROBITAS.




CElebratissima vero est species illa, quæ visebatur olim Hermopoli: ea scilicet pictura, ut Hippopotamus esset, supra quem sculptus erat Accipiter cum Serpente dimicans. Cujus argumenti significatum id esse tradunt Ægyptiarum literarum periti, ut Typhonem ab Osiride vi domitum, cum de principatu certamen conseruissent, intelligendum autument: per fluvialem Equum, Typhonem ab Osiride vi domitum: per Anguem, principatum interpretantes, atq; ita improbitatem potiores sibi partes asserere conantem, virtuti demum cedere subinnuant. Eadem de causa cum sacra faceret eo die quo Isidis adventus èPhœnicia celebratur, fluvialem Equum religatum libis incessere per ludibrium consverat. Non dissimularim hic Aureoli tyranni tumulum ad pontem Aureolum Insubriæ supersse, à Claudio Cæsare sex elegorum versuum Epitaphio nobilitatem, in cujus conditorii parte prima Hippopotamus sit incisus, quem serpens cauda mordicus apprehensa complectitur. Id puto significare tyrannidem tandem temporis spatio domitam. De Aureolo enim, qui Gallieni tempore cum plerisque aliis tyrannidem arripuit, plura legas apud Trebellium Pollionem, & Julium Capitolinum. Epigramma tumulo inscriptum à Claudio Imp. ita fertur:

*Aureoli tyranni tumulus, & Epitaphiũ.*

Κλαύδι Αὐρεολῷ κ̃ ὀήιον Λίρσα κάσαρ
Τὰ πτέρσα θηπτῶν ὡς ἥμις ἐδιδόϛ.
Τῷ δ καὶ ζωὴν ἀλλ' οὐκ ἐβέλησε φερύημα
Πᾶσιν ὀπιρρήτοις τῦ σρατὸ ἀντίδιον.
Κεῖν δ' εἰκλίεμων καὶ σώματ ἔχατ' ὀπίζον
Αὐρεόλε, γέφυρα ἔσαῖα τήνδε παφήν.

## HORÆ. CAP. XVIII.

*Horarum hieroglyphycum. Equus fluvialis.*

HOras etiam Ægyptii sacerdotes per fluvialem Equum significare soliti sunt: qua vero de causa id facerer, neq; Horus scripsit, neque nos apud quempiam traditum invenimus: si quid tamen ariolari liceat, dixerim ego, qua depascit segetes, destinatione, ut ferunt, ante determinatas in diem: non enim uti Boves & pecora reliqua, hac illac errabundi modo hic modo illic aliquid carpunt, sed tamquam messores ad opus certum conducti, suam unoquoque die partem pabulantur. Horæ vero nomen plerumque pro tempore cujuscumq; maturitatis accipitur, cujus apud Græcos apertissimum est significatum. Cum vero ita pabulatum prodit, ea utitur astutia: ut vel ex agro ferentibus vestigiis progrediatur aversus, ne quæ revertenti insidiæ comparentur. Vel ea fortè de causa horas indicare dictus, quod diem & noctem duplici natura ditimetur: siquidem interdiu in imis aquis latet, noctu in terram egreditur. Apud Ægyptios autem nox cum die pari propemodum horarum numero assiduè dispertitur.

*Hæc à Matthæolo in Dioscor. lib. 2. c. 22.*

*Unde Græci omnes fructus æstivos Horæos dicũt, & tempus maturitatis per excellentiam horam.*

A

## DE PHOCA. Cap. XIX.

PHocas fluvialis addetur Equo, cui similiter vita in aqua & in terra communis: eam nos Vitulum marinum, à specie tergoris instar Boum villosi, nuncupamus. *Vel à mugitu quem edit, Plin. l. 9. cap. 23.*

## SOMNICULOSUS. Cap. XX.

SUperfluum vero esse videtur rationem afferre, cur somniculosus homo per simulacrum ejus exprimeretur, cum de profundo ejus somno diuturnaq; authoribus veternositate tam multa passim à Græcis Latinisq; authoribus memoriæ prodita reperiantur: quo scilicet pacto *sternunt se somno diverso in littore Phocæ.* *Quod scilicet spirant & dormiãt in terra, & penna ejusdem soporifera dicta. Plin. lib. 9. c. 23.*

## INFORTUNII MAGNI TUTELA. Cap. XXI.

ID potius referam, quod hominem ita res suas procurantem, & adversus pericula auxilia disponentem, ut à quocumq; vel maximo infortunio tutus habeatur, significare qui volunt, eum Phocæ corium indutum pingunt. Vitulum siquidem marinum ex aquatilibus fulmine non ici observatum est

B tantaq; mortalium id persuasione receptum, ut vulgo cingula ex ejusmodi corio comparentur, quæ infortuniorum istiusmodi amuletum esse creduntur. Veteres autem calamitates à potentioribus illatas, fulminum jactibus æquiparare soliti sunt. Et fulminare dicuntur Reges, cum quid in alicujus perditionem moliuntur. Sic, *Cæsar ad altum fulminat Euphratem*, apud Maronem legas: apud Ovidium vero, se totiens Augusti fulmine petitum. *Georg. l. 4.*

## URINATOR. Cap. XXII.

URinatorem etiam hominem per animal hujusmodi significare mos fuit, quando in sicco genitum nullum hoc magis undis ex disciplina soleat assuefieri. Pariunt enim in continenti Phocæ, pauloq; post catulos educunt, ut mari assuescant, & vestigio reducunt: idq; sæpius factitant usquequo paulatim consuescant maris contubernium non aspernari.

## DE MURÆNA. Cap. XXIII

C MUræna quoq; in siccum exit: & terrestrium commercio delectatur. Quid vero hinc significetur, videamus,

## ALIENIGENARUM PORCUS. Cap. XXIV.

PEr hanc pictam Ægyptii Sacerdotes hominem alienigenarum concubitum appetentem, extersive matrimonio copulatum intelligebant: siquidem hæc ut Licinius Macer tradit, fœminei tantum sexus est ideoq; de mari egressa Serpentibus copulatur, atq; inde concipit, ob id sibilo à piscatoribus tamquam Serpentibus evocari & capi: Aristoteles tamen, utpote qui Murænam marem agnoscit, uti suus in plerisq; hujusmodi mos est, hoc negat, tametsi in terram prodire, atq; ibi sæpe capi, non inficiatur, quamvis Andreas Physicus, qui Nicandro glossemata quædam subjecit, totum id mendacium esse profitetur, & neq; Murænas in continentem prodire, neque Viperis per littora commisceri contendit. Attamen cum Ægyptiis Archelaus id asserit pro comperto, neq; dissimulat Nicander, qui piscatores ait, quam primum Murænas in continentem exire conspexerint, metu perculsos in mare statim se demergere, quo se ab Viperarum ictu tueantur. Hoc idem D. Ambrosius in Hexame-

D ro, Basilium Magnum secutus, affirmat. *Plin. l. 32. c. 2. hæc omnia.*

## MORES CONJUGIS FERENDI. Cap.

AViperis enim ait sibilo Murænas evocari, idq; perinde ac si hieroglyphicum esset interpretatur: id scilicet ex hoc innui, ut mulier admoneatur, ferendos esse mariti mores, sit licet fallax, asper, inconditus, temulentus, lubricus, multaq; in hanc sententiam. *Plin. lib. 23. capit.*

## ADULTERIUM. Cap. XXVI.

BAsilius ex hoc congressu, Anguis & Murænæ adulterium interpretari videtur: admonet enim eos qui nuptiis insidiantur alienis, discant cuinam feræ, cui reptili sint similes, cum naturæ quoddam adulterium Viperæ Murænæque conjunctio videatur: atque huc potius respicit Ægyptiorum hieroglyphicum. Quare minimè mirum si Crassus, vir satis impurus, Murænam miræ docili-

docilitatis exanimatam luctu prosecutus est, qui uxores tres absque luctu sepelierat, quod illi à Domitio objectatum legimus.

## SÆVITIA OCCULTA. Cap. XXVII.

*Nempe Vedi Pollionis Equitis Romani, ex Plin. l. 9. c. 13.*

NEque incongruum erit hieroglyphicum, si occultam quamdam sævitiam significaturi, sanguinariam quippe crudelitatem in molli alioqui atque effœminato homine, per irritatam Murænam expresserimus, immani Romanorum procerum exemplo, qui servitia olim Murænis exponebant excarnificanda: cum ea alioqui bestia exedentula sit, ut diceret Tertullianus, atque etiam exanguis, & excornis.

---

## DE ANGUILLA. Cap. XXVIII.

*Muræna & Anguillæ similitudo.*

INvitare videtur similitudo quædam, ut Anguillam Murænæ subjungamus: non quod hæc inter amphibia sit, quod erratica, quadamque cognatione Murænam attingat: quippe cum hæc fluvialis, illa maritima sit Anguilla. Nam quæ in mari reperiuntur, Anguillæ, à fluminibus omnes inferuntur, suntque ibi omnes peregrinæ, in alienam tamen adscitæ patriam, alienos etiam mores imitantur, & labem magna ex parte eluunt, quam exterrena fæce secum attulerunt. Ejus vero significata rara admodum apud Ægyptios fuerunt. Nostri multa hieroglyphicis Ægyptiorum similia, quæ per ejus imaginem intelligenda essent, excogitarunt.

## SIBI SOLI NATUS. Cap. XXIX.

*Anguillarum ortus. Plin. libr. 9. cap. 51.*

UNum enim id tantum super Anguillæ nota traditum ab Ægyptiis inveni, ut hominem omnes alios aversantem, & seorsum ab aliorum consortio sibi viventem, per simulacrum ejus significarent: propterea quod eam numquam cum ullo alio piscium versari, neque quidem conjugali inter se usu misceri deprehendissent. Sunt qui velint eas sponte in luto humescenteque humo provenire. Sunt qui eas scopulis se atterere dicant, ea strigmenta vivescere neque aliam eorum esse generationem. Basilius Anguillas non alio ullo modo, nisi ex fæculenta materia limoque procreari tradit, quarum neque ovum, neque ullum alium ad successionem modum constare compertum est. Aristoteles porro neque marem neque fœminam in illis esse testatur, neque prolem ex se aliquam creare posse: cum neque ovum, neque semen sortitæ sint. Ovum in nulla umquam Anguilla visum, neque fœtum in utero deprehensum, ut in iis quæ animal gignunt, capillamentis tamen & lumbricis quædam similia in ventriculo reperiri non tamen ea umquam animascere, neque eo loco gigni aut immorari, quæ sint in fœtum evasura, quia non secus ac cibus concoquerentur. Quod vero alii dicant meliores esse fœminas, quas à capitis forma secernunt, quippe repandiore his, maribus vero oblongiore, atque ita eas quæ à cæteris discreparent, fœminas appellarint: Philosophus idem non maris aut fœminæ, sed generis differentiam agnoscit,

## MEMORIA POST OBITUM EXTINCTA. Cap. XXX.

*Plin. libr. 9. cap. 21.*

COmmenti sunt alii hominem, de quo nulla post obitum memoria supersit, per Anguillam mortuam significari: illa siquidem mortua non superfluitat, nec sursum fertur, ut maxima ex parte pisces cæteri faciunt: sed pessum in profundum rapta, in eodem quo genitu est limo computrescit. Id ea de causa fit, quod ventre sunt admodum exiguo, atque ideo minus inanes. Totum vero corpus cum fere solidum sit, neque fere quicquam aëris admittat, & caro ipsa glutinosa admodum, nec quid pervium relinquat, fit ut simulatque expirarint, suomet pondere gratæ pessum ferantur.

## PROFANUS. Cap. XXXI.

IN Divinis Hebræorum litteris eædem profanæ sensu mystico dicuntur: neque enim squamosæ sunt; quique hujusmodi sunt pisces, in aquæ profundum immersari, & in cœno libenter volutari conspiciuntur. Ad horum similitudinem, animi qui terrena tantum sapiunt, idonei non sunt ut ad sacra proponantur.

IMPA-

## IMPATIENS ALIENI COELI. Cap. XXXII.

A Thæc, hominem in alieno cœlo difficulter habentem intelligentes, Anguillam in hydriis duabus pingebant, capite scilicet in unam, cauda in alteram demersis. Anguilla siquidem nullam vehementem tolerat mutationem, & si æstate de lacu in piscinam transferatur, vivere nequit, etiamsi frigida aqua fuerit.

## FUGIENTIA SINE SPE SEQUI. Cap. XXXIII.

HOminem insuper qui fugitivam rem aliquam nulla consequendi spe sectaretur, indicare si vellent, Anguillam pingebant, quam manus à cauda deprehenderet: tanta enim est lubricitate prædita, ut de prensantium manibus elabatur quam facillimè, difficulterque contineri possit. Subterfugii istiusmodi similitudinem sibi desumpsit Athanasius, ubi epistola ad Ægypti Episcopos dicit: *Tametsi elabi millies tanquam Anguilla conentur.*

## SPES CERTA RE SUPER AMBIGUA. Cap. XXXIV.

B QUod si certam esse spem de ambigua re quapiam ostendere voluissent, obvolutam enm ficulneo folio pinxissent: quod scabritie sua prensanti sit admiculo nequaquam irrito. Unde proverbium τῷ τρίῳ τὸ ἐγχέλυν. *Id est, folio ficulneo Anguillam sub. tenes.*

## PER DISCORDIAS CIVIUM LOCUPLETATUS. Cap. XXXV.

HOminem vero ex civilibus seditionibus & tumultuosis discordiis crescentum, reque auctum significantes, eum in Anguillarum venatione occupatum effingebant. Aqua siquidem quieta limpidaque, earum captura nulla propemodum: magna vero si perturbetur. Quare piscatores tempestates observant, lacuumve aut fluminum turbationes, unde aqua limosa fiat, magnas inde capturas parvo negotio consequentes. Rem tradit Aristoteles & pleriq; alii, tum Aristophanes Equitibus, historiam luculenter admodum explicat, Allantopola dicente: *Eadem quidem tu fecisti, quæ venatores Anguillarum faciunt.* Sed cur non Ariphanem ipsum sua ligua loquentem audiamus?

*Piscatorum industriam capiendis Anguillis. Hinc illud anguillas captare, Ἐγχέλεις θηρᾶσθαι. Aristophanes in Equitibus.*

Ὥσπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι, πέπονθας,
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καθῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν,
C Ἐὰν δ' ἄνω τε κἀτὼ τὸ βόρβορον κινῶσιν,
Αἴρουσι, κἀσὺ λαμβάνεις, εἰ τὴν πόλιν ταράξῃς.

*Fecisti ut is qui captat Anguillas facit.*
*Quieta cum sunt stagna venatur nihil:*
*Sed cœnum ubi omne illac & hac subverterit.*
*Capturæ magna est. Tu quoquo, ubi perturbaveris*
*Hinc civitatem & inde, plurimum capis.*

Quam sententiam Cicero sibi desumpsit, oratione in Catilinam secunda: *Honores quos quieta Respublica desperant, turbata consequi posse arbitrantur.*

---

## DE RANA. Cap. XXXVI.

RAna vero ita in hoc album admittenda est, ut hieroglyphica tota videatur: nam antequam facta sit, in hujusmodi materiam dare incipit argumentum.

## IMPERFECTUS. Cap. XXXVII.

D MUlta esse in humanis operibus imperfecta, indigne, ut mihi videtur, plurimi conqueruntur. Quis enim undecumque perfectum opus ullum præstare possit, si mortalium nemo omnibus absolutus numeris reperitur? Quin ipsa rerum natura multa nobis ostendit, quæ inchoata reliquerit, neque tamen ob hoc ejus quisquam indiligentiam reprehendat: id quod spectare est in Rana præcipuè, per cujus effigiem non immerito sacerdotes Ægyptii rei cujuspiam imperfectionem intelligebant. Videre siquidem est plerumq; hujus generis animalia in limo, ubi procreantur, altera parte Ranam, altera vero terram ipsam indistinctam, viventique portiunculæ applicitam. Sæpe enim flumine, aut lacuna lamave aliqua, vel sponte, vel derivatione aliqua decedente animal id imperfectum destituitur, quod tum primum informari cœperat & coalescere. Omnibus his fidem Nili facit inundatio, quæ rerum istiusmodi miracula omnia prorsus excedit, eo quippe deturgente, Musculi & varii

*Perfectum nihil in humano opere*

*Plin. l. 8. c. 25.*

generis animalia reperiuntur, inchoato opere, quæ terræq; in parte corporis vivente, novissima effigie etiamnum terrena. In Ranis vero qualibet maturitate genitis, natura semper imperfecta quod in ipsa præcipuè lingua exploratum est, quam applicitam & cohærentem habent, cum tenax sit earum materia, neq; distincta satis compositione: prima vero cohæret, intima absoluta à gutture: unde genus illud ululatus intra aquas reddunt, quam ὀλολυγόνα φωνὴν vocant, quæ, uti Plutarchus ait, amatoria & conjugalis est.

*Sonum ingeniũ ejulantem.*

*Oculi subsanguinei.*

## INVERECUNDUS. Cap. XXXVIII.

IIdem ipsi Sacerdotes si hominem inverecundum notare voluissent, Ranam describebant: ferunt enim eam sanguinem non nisi in oculis habere: qui vero subsanguineos habent oculos, ex Aristotelis & Adamantii physiognomici sententia, inverecundi audacesque sunt: iracundiam, ubi sicci ubi humidi, ebriositatem: subrubescens si late pateant, intemperantis oris hominem, mulierosum, stolidum, & aleonem indicant. In grandioribus rubor, neq; libidini, neq; gulæ modum poni ullum ostendit. Quod si glauci sanguineiq; fuerint, hinc calliditatem, inde vesaniæ proximiorem audaciam coarguent. Quia vero Canes plurimum oculos sanguine suffusos habent, hinc apud Homerum Achilles caninos oculos ob impudentiam objicit Agamemnoni: de quo satis in Cane.

*Nempe κυνώπην.*

## CURIOSITAS. Cap. XXXIX.

PArit impudentia curiositatem: unde alterum elicitur hieroglyphicum. Nam hominem in alienis negotiis explorandis plus æquo solicitum, quiq; dicta factaq; singulorum assiduè percontetur, & impudenter arcanorum omnium spectator esse concupiscat, per Ranam idem tidem significabant: oculi enim animali huic prominentes sunt & emissitii, ut facile sectandi contuendique omnia curiositatem præ se ferant. Et qui homines ejusmodi sunt oculis præditi, dolosi, stolidi, ineptiq; simul & importuni plurimum reperiuntur. Hoc tamen significatum in Rana non ab oculorum specie tantum, verum ab occultiore doctrina quadam desumptũ videri potest. Tradunt enim Magi, Ranæ oculos cum Lusciniæ carnibus incervino loro alligatos, præstare vigilantiam, somnolentia fugata. Unde spectandi promptitudo non indecenter excogitata. Sane vulgatum id tum apud Græcos, tum apud Latinos, inesse oculis pudorem, quibus tamen nisi modus imponatur, procliviter eosdem in oppositum huic virtuti vitium prolabi. Alioqui Rana tanta prædita est verecundia, tamque pudoris ingenui studiosa, ut in propatulo numquam admisceantur: sedenim cum in aqua coire nequeant, noctu exeunt, atq; ita nocte, quam longa est, complexu mutuo cohærent.

*Oculi prominentes quid denotent.*

*Huc spectat illud Aristotel. l. 2. Rhetor. & Athen. l. 13.*

*Ἐνέφθαλμος ἡ αἰδώς, In oculis pudor.*

## LONGO POST TEMPORE PROGREDIENS. Cap. XL.

APud Horum legas, hominem qui diuturniori tempore pedes æger sese movere nequiverit, sit tamen aliquando ingrediendi beneficium consecutus, per Ranam posticos tantum pedes habentem significari, ea enim posteaquam nata & informata est, sine pedibus aliquamdiu vivit, adolescensq; posticos primum pedes profert.

## SOPHISTA. Cap. XLI.

EST & in sacris nostrorum literis mystica de Ranis Ægyptiacis mentio perquam frequens, quæ jugiter in Ægypto pluerint. Sophistarum nugas, & Dialecticorum garrulitatem, per eas doctores quidam intelligunt: sive ob nullius significantiæ vocem tam argutam, tamque pertinacem: sive quod in luto voluptuosa sit earum habitatio, quorum utrumq; Sophistis attribuitur. Ab excellentia autem Sophistam Ægyptium uno doctorum omnium consensu dicere mos est, quod ad Protea nonnulli referunt, qui se omnia in rerum miracula transformaret. Sunt qui Ranæ hieroglyphico hæreticos notent, qui, ut Eucherius ait, in cœno vilissimorum sensuum commorantes, vana tantum garrulitate oblatrare non desinũt. Æneas vir Platonicus Theophrasto, Ranæ utitur exemplo, dum Cleonta garrulitate nobilem taxat: *Necessarium, si vera sit opinio Teophr., quod anima post obitum brutis applicarentur, quorum vitam vivere visi fuerint, ut Ranæ & Cleo una semper futuri essent.* A vocis autẽ asperitate Ranæ nomen apud Græcos βατράχῳ quasi βοάτραχον dicas, quod apud interpretes Theocritianos Thalysiis invenias: βοάτραχον vero, si nobis dicere liceat, Asperisonum possemus interpretari. Unde de ma-

A de maxime dissimilibus dicitur, Rana cum Grillo: id enim locustarum genus valde musicum, & ob acutum molliter stridorem conciliando somno à delicatis hominibus expetitur. *Hoc à Scholiaste Theocriti in Thalysiis.*

## DÆMONES. Cap. XLII.

Quinetiam in Divinis literis Ranæ simulacra sunt cacodæmonum: quod libro Apocalypseos luculente scriptum est: *Et vidi de ore Draconis spiritus tres immundos in Ranarum similitudinem.* *Apoc. c. 16.*

## POETÆ. Cap. XLIII.

ADamantius tamen aspera quadam severitate commotus, per Pharaonicæ plagæ Ranas, mystico sensu Poetarum carmina significari putat: quod inani quadam & inflata modulatione, cujusmodi est Ranarum sonus, sive ille cantus sit, mortale genus omne in fabularum ineptias illexerit. Nulli enim rei animal id idoneum aut utile, inquit ille, comperitur, nisi quod improbis & importunis clamoribus ad negotiorum atque otiosorum simul fastidium usque obstrepat. Miror vero tantæ eruditionis virum hæc de Poetis sensisse: cum præsertim ubique sit interioris, ut ipse dicere solet, literæ speculator: neque animadverterit, dum Poetas carpit, Moysi, Hieremiæ, Esaiæ, & pleris omnibus Prophetis aliis se convitia facere, qui vaticinia illa de Divinis humanisq; rebus cuncta luculentis carminum numeris conscripta elaborataque libris demandavere. Quod si quos reprobare volebat, diceret, saltem quæ carmina: quippe Ithyphallicane an Fescennina, an titrochaica Bacchi, quos Poetas intelligeret, ne ob hujus vel illius impuritatem sanctissimum hoc omnibus nomen profanaret, ipsumq; totius mundi conditorem Deum, qui apud Græciæ totius Christianos Poetæ nomine sanctè colitur, incessere videretur. Nam quem nos factorem cœli & terræ dicimus, Græci dicunt ποιητὴν τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς. *Pharaonicæ plagæ per Ranas, explicatio.*

## SILENTIUM. Cap. XLIV.

COntra vero, ut unde discessimus revertamur, invenias silentium significari etiam per Rubetam, Ranam illam grandissimam, quæ geminis veluti cornibus insignita est: propterea quod observarunt Magi, si ea in multitudinem vociferationibus obstrepentem inferatur, silentium fieri. Eoque spectare nonnulli putant Ranam illam Mecœnatis celebratissimam, qua is literas & tabellas obsignare solitus erat: utpote qui ea quæ literis crederet, silentio involvenda esse commoneret. Sedenim cum Rana, non Rubeta, in omnium sermone, ego eo potius rem spectare dixerim, quasi Mecœnas id in Augusti gratiam factitarit, de quo etiamnum infantulo illud fertur: quod in avito suburbano obstrepentes forte Ranas silere jusserit: cui quidem commento adeo favit vetustas illa ut ex eo negentur ibi Ranæ coaxare, quasi etiam adhuc tanti Principis imperio obsequantur. Voluisse igitur Mecœnatem hieroglyphico eo schemate taciturnitatem polliceri, in iis quæ Augustus ejus fidei credidisset, non secus ac Ranæ ipsæ morosa adeo garrulitate insignes, illi adhuc infantulo paruere. Nam Sextus Aurelius & Eutropius, scribunt Mecœnatem præcipuum amicorum Augusto fuisse, ob taciturnitatem, quam tamen in eo nonnunquam desideratam ab Augusto Tranquillus ait. De Ranis id fertur, quod in frigidiores conjectæ fontes, obmutescant, translatæ in tepidiorem paludem, vocales fiant. *Rana Mecœnatis quid indicet.*

## RUSTICITAS. Cap. XLV.

QUæ vero Rana in parvulo numo quodam Romæ apud Maffæos habetur, cum ab altera numi illius facie Dianæ pharetratæ simulacrum dubio procul inspiciamus, facile in eam conjecturam ferimur, ut fabulam eam commonstret, qua rustici & maligni homines adversus ejus matrem Latonam usi sunt: atque ideo divæ illius imprecationibus omnes in Ranas commutati. Vel cum dea sit humoris domina, animal illi maximè omnium aquaticum dedicetur: nam & adagium est, *Aquam Ranæ*, cum quid cuiquam quod maximè placeat, & voluptati sit, donatur. Sunt vero Ranæ convitiatrices, & agrestem illam asperitatem egregie præ se ferunt, tamque olim importunæ, inito cum muribus fœdere, Abderitarum regionem incolis inde expulsis desolarint: in quorum ingentem multitudinem, quæ cladem hujusmodi fugiebat, Cassander Antripatri cum incidisset, eos in socios recepit, agrumque illis in Macedoniæ finibus assignavit. *Βατράχῳ ὕδωρ. Ex Theocriti Ergatinis. Sic in Gallia civitatē ab ranis pulsam memorat Plin. lib. 8. c. 29.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXX.

## DE IIS QUÆ PER ALIQUOT PISCIUM GENERA SIGNIFICANTUR

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD PAULUM JOVIUM NUCERINORUM EPISCOPUM.

*ERam omnino commentarium hoc de pisciculorũ aliquot significationibus, Paule Jovi doctissime, deserturus, quod multa in ea piscium genera continebantur, ex quibus neminem ætate nostra frugem ullam colligere posse suspicabar: ita quæ fuerant olim piscium nomina, vulgo hodie desiderantur. Metuebam vero labores in horum significationibus meos minimè gratos ideo futuros: quia in nonnullis non satis mihi constabat, qua ratione vel exemplo possent eorum imagines describi, quarum bona pars esset mortalibus ignota. Naturas quidem & significata, prout apud veteres authores inveneram, facilè poteram explicare, sed quorundam nomina tam Græca quam Latina, non videbar, ita posse reddere, ut in foro cetario quis posset hujus vel illius piscis speciem deprehendere. Quod si ea de causa hieroglyphica hæc conscripta sunt, ut eorum quis uti posset imaginibus, irritus hic plerumq; futurus conatus videbatur: quoniam hoc præstare me posse minimè confidebã. Videbam adhæc, multos qui provinciam hanc suscepissent, in tam multis hallucinari, fallique, eamq; controversiam de plerisq; piscibus tot ab hinc annis agitatam, eruditorum penè omnium defatigatis ingeniis, adhuc sub judice pendêre, neque liquere prorsus per varias non incuriosorum hominum opiniones, eorum multa quæ vel quotidie in mensam apponuntur, quo fuerint apud Latinos aut Græcos nomine nuncupata. Postea vero quam eam te suscepisse provinciam intellexi, ut multa piscium genera, quo nomine apud veteres vocarentur, edoceres, in eam sum erectus spem, ut tu, qua insignis es doctrina solicitudine atque diligentia, neque non alii in tanta ætatis nostræ eruditione, quanta non alias unquam millesimo ab hinc anno floruit, facile consequamini, ut uniuscujusq; piscis nomen ex vulgo redimere possimus, & obliteratam penè hujusce rei scientiam per vos restitutam intueamur. Quare quod perdere destinaveram commentarium adservavi, te uno fretus, qui bonam eorum partem tam accuratè cœperis indicare, idq; tibi dedicandum duxi: ut si quid in eo esset, quo quis uti vellet, te potius quam me piscium magistrum agnosceret, & qua quisq; pictura faciendus esset edoceretur, atq; ita laboris hujus particeps fieres, dum piscem ego interiorem, tu exteriorem condire procurares. Sed jam, si quid ab historiarum quas tanto cum lepôre, tanta cum fide scribis, occupationibus otii tibi superest, nassam hanc nostram inspiciamus.*

---

### DE TORPEDINE. Cap. I.

*Plin. li. 9. 51. Auctrr Matthæolus in Diosc. lib. 2. c. 15. à Gail. li. 6. de locis affectis & Plin. l. 31. c. 1 & l. 9. c. 42 & Arist. lib. 9. c. 38. de Nat. anim.*

MAximam omnibus admirationem in primis afferre videtur magica propemdum vis in Torpedine considerata, sed nos ea super quid Ægyptii senserint, enarremus.

### MULTORUM ASSERTOR. Cap. II.

EUm qui multos servasset, Ægyptii Sacerdotes per Torpedinem pictam significari instituerant: sive quod opem ferat pisciculis natandi & emergendi adhuc imperitis, eos ad se recipiens, quod præcipue observatum est in fœtu proprio, quem & emittit, & intra se recipit, visaque interdum Torpedo est grandis, quæ fœtus intra se octoginta haberet: sive, ut ipsi Ægyptii tradidere, quod una cum piscibus aliis in verriculo deprehensa, omnes plerumq; sospitet, cum ne vis quidem hominum innumera possit verriculum educere, manibus & pedibus penitus obtorpescentibus: quia venenum quod effundit, per retia dilapsum in funes omnes quantumvis longos ad manus usque piscantium

A tium irrepit, & universum mox occupat corpus. Quin authores sunt qui pro comperto tradant, Torpedinem hamo captam malum illud suum in lineam transmittere, inde per arundinem, moxq; in piscatoris brachium diffundi, quo protinus obstupefacto, venatio in irritum cedat. Si quando tamen piscibus aliis obvolutæ contrahuntur è mari, torporē experti sunt multi quamprimun piscem virga tangere voluerint. Quare in Anconitano mari maxime cavent, ne rete in altum jaciant, piscatoribus ea incommoda sæpe subeuntibus. Quæ quidem vis torporem infundendi, cum non in appropinquantium tantum corpora, cominusve eam attingentium, verum è longinquo, vel si hasta, vel arundine tentetur, lacertos quantum libet validos cogat obtorpescere, pedes ad cursum velocissimos alliget, & obstupefaciat, argumentum dedit, ut hominem ignavia egregie præditum per hieroglyphicum ejns indicari commodissime posse plerique dicerent: quodque magis mirum est, pisces etiam quos attigerit, eodem torpore afficit, idque non in pisces tantum, sed in unumquodque animal præstari affirmat Plato, ita de Torpedine in Menone loquens: καὶ γὰρ αὕτη τὰ αἰεὶ πλοσιάζοντα καὶ ἁπτόμενον ναρκεῖν ποιεῖ. Vehemens enim virus illud insuperabili frigore præditum, ubi durio-

*Torpedinis virus quantum.*

B rem aliquam materiam nactum fuerit, quippe vel vimen, vel funem, illi pertinacius & copiosius adhærescit, circumfusumque aëra facilius contaminat, atque ita perrepit: non secus ac flamma ipsa per incensum filum vehementius transmeat, quam si cum torre jactetur. Sic & aqua fluvialis capite uno in eam declinato sensim ascendit, & totum denique madefacit: quod tamen in crassiori elemento sensim atque contanter fit, in aërio quam ocyssime fieri contingit.

## DE REMORA. Cap. III.

ADmirabilis est & Echeneis, qua nonnulli, ut indicat Aristoteles, utuntur ad judiciorum causas & amatoria veneficia, & quæ non ut Testudinis pes navigiis importatus traditatem navigationis inferre dicitur, sed naves ipsas attactu solo sistere, ac veluti anchora infrænare: unde moræ alicujus injectæ nascitur hieroglyphicum.

## IMPEDIMENTUM. Cap. IV.

C NAm ea de causa impedimentum & objectam tardationem per eam significari prodiderunt, quod pisculus is, non majoris fere quam pedalis magnitudinis, Limacis magnæ similis navigia stare cogat, nullo suo labore, non retinendo, neq; alio modo quam adhærendo: infra enim carinæ applicitus pinnis, quas etiam tenues admodum habet, in transversum dilatatis, tanti roboris est ut ruant venti licet, diceret Plinius, & sæviant procellæ, imperet furori, ac vires tantas compescat, quosq; non ulla interdum vincula, non anchoræ pondere irrevocabili factæ præstare queant, quantumlibet magnos ipse parvulus adeo infrænet impetus & mundi rabiem domet. Echeneidi nomē à tenendis navibus inditum: unde etiam Epigrammatarii quidam veteres anchoram Echeneida vocitarunt, Latini Remoram dixerunt. Hujus habita impedimenti ratione Plautus ait. *Nam quid illa me tam diutius remorantur remeligenes?* eo enim nomine Remoram appellat. Locū citat Festus ex Patina comœdia.

*Hoc à Trebio Nigro Plin. lib. 9. c. 25. Hæc omnia quæ sequūtur sumpta sunt à Plin. lib. 9. c. 25.*

Ἐχενηὶς ἀπὸ τοῦ ἔχω habeo vel ἔχομαι καὶ ναῦς quod hæreat navi Ibid. Plin.

## SALUS. Cap. V.

D MUtianus Muricem appellat, qui navem à Periandro Gnidum missam cum mandatis, pueri nobiles castrarentur, tamdiu in medio mari retardarit, donec Principem sceleris pœnituisset, ac alia, quæ decretum abrogarent, mandata prævenissent, remque eo probari testimonio, quod ejus piscis conchulæ, Veneri Gnidiæ dicatæ, facti memoriam diutissime propagarint.



## PARIUNDI FACILITAS. Cap. VI.

SUnt qui ex pisculo hoc pariundi facilitatem significari dicunt: quod exemptus aquis, saleque duratus, in eum usum

*Part dolores solvens sive levans.*

sum asservetur, ut gravidis alligatus partus facilitate juvet, unde ὠδινολύοντα, quasi ὠδῖνα λύοντα eum appellavere Græci. Non abs re vero me facturum existimo, si calumniam objectam Plinio, quod Aristotelem arguerit imperitiæ sustulero; simulq; præstantes hos authores quos librariorum imperitia commisit, conciliavero. Locus est apud Plinium de Remora: *Pedes eum habere arbitratur Aristoteles, ita posita pinnarum similitudine.* Sedenim apud Aristotelem, unde locus hic de historia animalium libr. 2. cap. 14. desumptus est, non ita habetur, quin eorum is errorem arguit, qui pedes eum habere prodiderunt, quibus omnino caret, sed quoniam pinnas habet pedibus similes, hinc fit ut pedibus instare videatur. Sed cur non ipsa Aristotelis verba ponamus? ἔστι δ' ἰχθύδιον τὶ τῶν πετραίων, ὃ καλοῦσί τινες ἐχενηΐδα. Paulo autem infra: οὗτον δ' ἔνιοίφασιν ἔχειν πόδας, οὐκ ἔχων, ἀλλὰ φαίνεται διὰ τὸ τὰς πτέρυγας ὁμοίας ἔχειν ποσί. Sed quoniam impium propemodum esset credere Plinium Aristotelis verba ad verbum pene transferentem, quod præ omnium oculis erat, inficiatum esse, aut authorem immerito vellicasse, crediderim ego dictionem Aristotelis subdititiam & adulterinam esse: fuisse tamen in alicujus codicis margine notatam à quopiam, qui Pliniana verba Aristotelisque eadem agnoscebat, ut ita lectores admoneret, Plinium ex Aristotele illa decerpsisse: postea vero librariorum imperitia intertextam eam locutionem, ut pleraque id genus alia toto opere deprehenduntur. Legamus igitur cum Aristotele Plinium conciliantes; *Pedes eum habere nonnulli arbitrantur, cum minime habeat, sed ita videri propter pinnas quæ sunt pedibus similes.* Cui sententiæ meæ, spero, unumquemque peritum virum procliviter accessurum.

*Conciliatio Plinii cum Aristotele.*

---

## DE ANTHIA. Cap. VII.

*Magnanimum & magnum morbum comitialem.*

PLutarchus eo libello quo disserit, utrum aquatica, an terrestria animalia magis prudentia præstent, quem piscem Homerus ἱερὸν, id est, Sacrum appellavit, Anthiam esse videtur opinari. Eustathius tamen ἱερὸν, magnum interpretatur, ut ἱερὸν μέγος, & ἱερὰν ἐπιληψίαν, cui Athenæus etiam accedit. Alii ἄφετον καὶ ἱέμενον, hoc est, emeritum exponunt, veluti sacrum Bovem dicimus, qui sit à jugo in posterum dimissus. Cæterum Homerus eo versu qui legitur, Ιλ. π.

| | |
|---|---|
| Εἰς ὅτε τις φώς | *In procurente ut quisquam* |
| Πέτρῃ ἐπὶ προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθὺν | *Caute sedens salso sacrum de gurgite piscem* |
| Ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ οἴνοπι γαλκῷ | *Extrahit æratis hamis, linoq; prehensum,* |

sacrum ideo piscem appellasse videtur, quod maritima omnia fuerint antiquitus sacra, & piscari religiosum esset: veluti Vlyssis socii non nisi magna fame coacti ad piscationem confugiunt: ita enim Homerus,

| | |
|---|---|
| Ἀλλ' ὅτε δὴ νηὸς γ' ἐξέφθιτο ἤϊα πάντα, | *Sed postquam in ratibus penus est exhausta marino* |
| Καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον ἀλητεύοντες ἀνάγκῃ | *Quærere venatu victum coguntur iniquum,* |
| Ἰχθῦς ὄρνιθάς τε φίλας, ὅ, τι χεῖρας ἵκοιτο | *Piscesq;, volucresq;, manus quo intendere possent,* |
| Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός. | *Incurvis captant hamis, vis namq; adigebat Imperiosa famis.* |

Huc & Theocritum citant Berenice, Leucum piscem appellasse Sacrum. Eratosthenes putat Chrysophrin potius Sacrum appellari, & hoc ajunt sentire Galatea Callimachum. Theocritianus piscator aureum, quem cepisse somniaverat, piscem Neptuno charissimum esse religiosissime veretur. Sed multi Elopem, nonnulli Pompilum dicunt. Et Delphinum etiam Sacrum volunt. Plinius Planos omnes sacros existimari autumat. Utcumque tamen authores aliis atque aliis faveant, bona eorum pars in Anthiam consentiunt, rarum inventu piscem, frequentiorem tamen circa Pamphiliam, de quo habito raritatis ratione dixerit Martialis Epigrammatarius:

*Et in Chelidoniis insulis, Plin. l. 9. c. 59.*

*Ad palatinas acipensera mittite mensas,*
*Ambrosias ornent munera rara dapes.*

Quem sane inter selectiores cibos ponit M. Tullius Tusculanis, neque non libro *De finibus bonorum & malorum.* Neq; sum nescius, qui reperitur in Arethusa fonte, alium forma esse, & alia de causa sacrum. Cur vero tam multa super Anthia quæsierimus, ea fuit causa, quod hieroglyphicum ejus significatum

A tum posituri, noluimus quempiam à nobis contendere, piscis ejus formam & nomen nostro seculo cognitas, cum omnis anteacti temporis curiositas in re pervestiganda defessa, nihil adhuc certi protulerit.

## SECURITAS PERICULIS LIBERA. Cap. VIII.

ID autem nostri fuerit instituti, dicere quemadmodum per Anthiæ piscis figuram securitas à periculorum omnium timore libera proponitur. Hieroglyphici causam afferunt, quod quo is in loco sit, nullam ibi belluam reperiri confessum est: eum siquidem non aliter vitant belluæ, quam Suem Elephanti, Gallum Leones: quo jam indicio securi spongiatores urinantur. Quod vero diximus Planos omnes Plinio sacros esse, certissimam ait ille securitatem vidisse Planos pisces: quia numquam sint ubi maleficæ bestiæ, qua de causa urinantes Sacros eos appellant.

*Hinc illud Plutarchi Sympos. 4 c 4. in parcū qui capparis vilissimis vescebatur, cum posset Anthia splendidius vivere*

## SECURITAS OTIOSA. Cap. IX.

QUoniam vero perdifficile est certam piscis hujusmodi formam adinvenire, cum ætate nostra vel ignotus mutato nomine inter alios obrepat, vel indignatus alios sibi præferri sponte solū verterit, neq; maria nostra invisere amplius dignetur: non abs re me facturum existimavi, si quandoquidem in securitatis hieroglyphicum incidimus, neque satis de pisce constat, alias quasdam ejus species, quæ usui cuipiam forte futuræ sint, ex numis veterum substituissem. In numo enim Neronis dea est sella sedens, dextera manu ad aurem appressa, sinistra trophæum in virgula tenens, crure sinistro, quam longum est, exporrecto, cujus inscriptio est, Securitas Et quantum pertinet ad dexteram eo modo sitam, Plinius Epistola quadam ad Romanum ait: *Nihil quod in dexteram aurem fiducia mei dormias.* Quod vero ad exporrectum crus pertinet, Lucianus in libello *De iis, qui mercede conducti degunt: Ut illud quod in votis omnium est, extensis pedibus tandem accubare possis.* Tale quiddam apud Aristophanem, Pluto. In altero Neronis ejusdem dea sedens, ara ante posita, radium læva tenet, dextera caput ab occipitio sustentat: de quo gestu Terentius, *Faciam in utramvis aurem otiosus ut dormias.* Basilius & Menan der id de otioso dici volunt, turpiq; qui sit desidiæ deditus. Inscriptio vero numi, Securitas, ut in superiori. In numo vero Imp. M. Jul. Philippi Aug. dea sedet, dexteraque sagittam tenet, lævam supra caput tollit innixam sellæ. Hieroglyphici inscriptio, Securit. orbis. In numo Antonii Pii Aug. Brit. dea sendens cum radio in læva, dextera capiti & sellæ innititur: Inscriptio, Securitati perpetuæ. In numo Lucillæ Augustæ nutrix est sedens, tribus infantibus appositis, quorum unus lactens in gremio est, duo ante pedes una colludunt: Inscriptio, Securitas. In numo, circa quem literæ, imp. m. otho cæsar aug. tr. p. à læva dea stans: quæ læva scipionem tenet, textera aquilam: literæ, Securitas p. r. Sedenim partim hæc in Sellæ commentario, atque ubi de Aquila saxum gestante disseruimus: neque non in Anchora, repetuntur.

B

C

ὀυτὼ πόδε καθεύδειν. Αναβάδυν ἀναπαύομαι. *sublatis pedib requiesco. In Heaut. M. Jul. Philippi. Antonii Pii, Lucilia Augustæ, & M. Otho Cas. numi.*

---

## DE CEPHALO.

## JEJUNUS. Cap. X.

SUnt qui jejunum hominem ostendere volentes, Cephalum ex Mugilum genere translittoranum pingant: is enim non nisi mucore vescitur suo, quamobrem ipse semper jejunus, atq; hinc illa intestini ganeæ adeo expetita suavitas κεςρεὺς à Græcis appellatur, à nonnullis Plotes. Atq; insuper adagium circumfertur, κεςρεὺν κεςρεύει, de jejunis. Tantiq; stuporis is esse fertur, in metu occultato capite, delitescere corpus reliquum arbitretur, eoq; nonnulli non illepide proverbium trahunt.

D

*Cestreus jejunat, sive κεςρεύει famæ oscitat: Meminit Athenæus lib. 7. Dipn.*

## VITANDI PERICULI SOLERTIA. Cap. XI.

PEr eundem Cestrea qui modo stuporem præ se ferebat, vitandi periculi solertiam significari comperio: siquidem is, ut luculentissimè scripsit Oppianus, cum se retibus circumvētum senserit, in sublime sese alacri jaculatur saltu, totoque virium conatu in summam undam affectat emicare, ac plerumq; accidit, ut subera transiliat, quibus retia suspendantur, atq; ita capturam evadat. Secus tamen

men accidit in stagnis Venetis: noctu enim eos potissimum capiunt, incensa igne fornacula, quam in cymbulæ prora statuunt. Eam duæ, vel interdum plures cymbæ à dextera levaq; adhærentes, levi tacitoque lapsu comitantur. Cephali tum sive metu perculsi vibrantibus in aquarum ima radiis, sive candicante eo splendore allecti (nam cura est ut illustris admodum flamma succendatur) pernici saltu Delphinorum in morem extra undas sese qua flamma micat ejaculantur, atque ita sponte in paratas ad id cymbas decidunt: captura ingenti ad satietatem plerumque exuperante, spectaculo autem maxime delectabili.

## DE SCARO.

### PRUDENS CAPTIVITATIS DECLINATOR. Cap. XII.

*A Plin. lib. 12. c. 2.*

AT magna est prudentia Scarus, per quem callidum captivitatis declinatorem significari tradunt. Is enim, inquit Ovidius eo volumine quod Halieuticon inscribitur (quod opus olim à Nigidio elucubratum ajunt) si nassis inclusus fuerit, non fronte erumpi, nec infestis viminibus caput inserit. Apud Ælianum legas, eum simulac caudam extra nassam protulerit, à sociis mordicus apprensa cauda foras extrahi: si vero protulerit caput, adesse qui cauda sua porrecta ansam effugiendi præbeat.

### INGLUVIOSUS. Cap. XIII.

*Idem & Plin. l. 9. c. 17.*

HOminem voracem & ingluviosum, lamia quippe laborantem, ait Horus, per Scarum pictum intelligebant, tam quia solus in genere ruminet, quam etiam, quia obvios quosque pisciculos depascitur. Aristoteles quoque solum hunc inter pisces quadrupedum ritu ruminare creditum autumat, diversaque omnino alii specie ventri esse, cujus intestinum simplex etiam se replicat, & in unum continuumque resolvitur. Assimilatur is Auratis specie squamarum, sed colore atque sapore præstat, ut qui Sapphiri gemmæ radiolos imitetur, tantæ apud veteres existimationi, ut Ennius, cum Jovis cerebrum appellarit. Eum autem ideo ruminare ajunt, quod dentes neque serratos, neque utrinque confertos habeat, sed altera tantum oris parte planos. Nam & animalia reliqua quæ ruminant, parte altera dentium carent: provisumque à natura, ut quod male mansum est, ea repetitione ne conteratur, atque ita confici possit.

## DE MULLO.

### DIANA LUCINA. Cap. XIV.

*Mullũ vulgo barbonẽ dicunt, à barba gemina. Ideoq; piscatorib. præerat nomine Trigla teste Apollonida.*

ET Diana illa sylvicultris marino culta simulacro est: nam ea per Mullum piscem, quæ Græcis omnino Trigla est, exprimebatur, alienissimo, ut multis videtur, hieroglyphico. Causam ponit Eustathius, quod piscis hujusmodi ter, ut Poeta Cilix ait, anno pariat. Dianam vero levandis partubus invocari, Lucinæ nomen indicat: ea siquidem, ut apud Catullum, Lucina dolentibus, Juno dicta puerperis. Merito itaque cui sit ter anno solvendi partus facultas data, Dianæ gratum, & cumprimis familiare animal existimatur. Nam quod tria sint virginis ora Dianæ, quid sibi velit, alibi declaratum. Athenæus Triglam Dianæ dicari propter venationem putat: illæ enim marinos lepores hominibus lethales, perinde ac terrestres hos venatici Canes insectantur, neque ab eorum viru mali quicquam patiuntur, vel ob impediendæ Veneris vim, quam ferunt inesse vino, in quo suffocata fuerit, quod Therpsicles apud Athenæum ait epotum vino Veneris usum adimere, mulieri concipiendi facultatem invidere.

## DE SARGO.

### ALIENI LABORIS FRUCTUS. Cap. XV.

HOminem ex aliorum laboribus sibi fructum & gloriam usurpantem, & alienam, ut ita dicam, messem demetentem, significare qui volunt, Sargum & Mullum pingunt: sequitur enim Sargi reliquias

A reliquias Mullus, atque ubi ille luto excitato abierit (fodere enim potest) Mullus descendit & pascitur. Nascitur Sargus in Ægyptio mari fere, unde Lucilius:

*Quem præclarus Elops, quem Ægypto Sargus movebit.*

Sedenim Brundusinum maxime commendat Ennius.

## DE PASTINACA.

### PARRICIDÆ SUPPLICIUM. CAP. XVI.

EUm qui parricidii pœnas dederit, significare si vellent Ægyptii, piscatorium hamum Pastinacam piscem attrahentem pingebant: ea siquidem venatu detenta, spina quam in cauda gestat, in raptorem ejaculatur, ictu maxime lethali, nisi coagulo Leporis, vel Hœdi, Agni drachmæ pondere ex vino, succurratur, quod & hujusmodi, & aliorum marinorum ictibus præsentaneo est remedio. Hoc vero κατ' ἐξοχὴν dictum ea de causa opportunum fuerit, quod cujuscumque incommodi remedia, B passa sunt, ut vulgus ait, palma ubique proferenda. Est vero Pastinaca, quem Græci τρυγόνα vocant. Eam aculeo vim inesse tradit Ælianus, ut si quis eo frondentem arborem pupugerit, haut ita multo post folia omnia decidant, arborque velut magnis solis ardoribus exsiccata prorsus exarescat.

*Plin. id. l. 9. c. 48 & c. 42. Extant alia remedia apud Matthæolum in Dioscoridem lib. 6. c. 45.*

## DE NEBRIADE.

### VORACITAS INSATIABILIS. CAP. XVII.

HOminem cibum immodice sumptum evomentem, ac nihilo secius insatiabiliter mox crapulantem significaturi, marinam Mustelam pingebant, quæ Nebrias est nonnullis: ea enim ore, ut Ægyptius interpres Horus ait, parit, innatansque mox quæ pepererat convenatur, atque depascitur. Sepias itidem ac lolligines ore parere sunt qui velint, id redarguit Aristoteles, partus foveri ore dicens, & emitti, propterea que putari eas ore parere.

C

## DE FUCA.

### VORACITAS INSATIABILIS. CAP. XVIII.

DOmesticæ rei studiosum hominem qui significarent, Fucam piscículum, his similem quas vulgo Tincas appellamus, sed colore subviridi, pingebant: ea enim sola ex marinis piscibus nidum sibi construit, & in stragula parit.

## DE RAIA.

### CAPTATOR. CAP. XIX.

CAptatorem hominem notare si vellent, Rajam pingebant: gestat enim illa ante oculos suos gemina fila, in capilli speciem, extrema quorum rotundis quibusdam præpilantur quasi escæ causa additis his ea, ubi locis arenosis aut fæculentis obturbato solo se absconderit, piscatur, attollens D fila illa sibi præpendentia. Dum enim pisciculi occurrunt, & capita machinamenti pensilis pulsant, ipsa sensim fila subducens eos allicit, donec ad os admoveat, atque ita repente corripiat. Sepia quoque hoc eodem utitur machinamento, in Cancris alliciendis, quorum avidissima est.

## DE SCOLOPENDRA.

### ANIMUS A VITIIS DEPURGATUS. CAP. XX.

HOminem qui animum suum à vitiis affectibusve cruciabilibus depurget, quæque se lædant, eximat & expellat, significare si vellent, Scolopendram effigiabant: eam nonnulli Centipedam vocant, *Terrestres quidem; at nō marinæ,*

*ex Plin. Eadem Plin. lib. 9. c. 15.* vocant. Ea autem ubi hamo deprehensa fuerit, quam longissime potest sese exporrigens, hami lineam abrodit, quo devorato, interiora sua foras evomit, donec hamum ejiciat, dein recipit intro, ac valet ea qua prius salubritate.

## DE PHOLI.

### PARTO FRUENS. Cap. XXI.

HOminem iis quæ sudore proprio compararit fruentem indicaturi, Pholim piscem pingebant. Ea enim mucorem quem ipsa emittit ad altam crassitiem sibi obducit, ut tota visco delibuta videatur: ita ut in eo quasi cubili conquiescat, unde illi nomen: φολέυειν enim nidificare est. Videndum vero, an hæc sit Ausoniana Tinca ita passim hodie nuncupata, quam natura ipsa videtur in vulgi pauperisque plebeculæ solatium protulisse.

## DE SQUATINA.

### FABER LIGNARIUS. Cap. XXII.

ET Squatina meruit inter hujusmodi significata recenseri, per quam fabrum lignarium intelligi volebant. Est enim piscis tam asperæ, scabræque ac validæ cutis, ut ebur ea, neque non ligna quantumlibet dura, poliantur. Nam ex mari fabriles quoque usus veniunt, ut omittamus fabrilia instrumenta omnia in hujus piscis capite deprehensa. Quin & serram conficere didicimus ex hujus piscis osse ita crebro mucronato, qualis longa annorum serie suspensa fuit tholo ante DD. Petri & Pauli conditorium, priusquam à Julio II. illa venerandæ antiquitatis monumenta solo æquarentur, jactis mox tam ingentis machinæ fundamentis, quam neque *Nati natorum, nec qui nascentur ab ipsis*, ullo unquam tempore conspecturi sunt.

*Serra ex Squatina.*

## DE CLUPEA.

### LUNARE CORPUS. Cap. XXIII.

IN Arari Galliæ fluvio piscis est, quem vocant Clupeam, Veneti Chieppam, Romani Lacciam. Sed quantum Romæ carnis & mollitudine & bonitate præstat, tantum apud Venetos vilior, plebejusq; habetur: ut qui in ejusmodi stagnis minime pinguescat, spinarum vero multitudine atque densitate fastidio sit. Sed utcumq; apud nos sit, in eo Galliæ fluvio ita Lunæ naturam imitatur, ut ea crescente candescat decrescente vero nigrescat. Accidit vero ei, ut cum corpus nimium auctum fuerit, spinæ quoque, quæ per universam carnem continuatis quibusdam ordinibus porriguntur, & ipsæ quoque adcrescant, adeoq; extendantur, ut animal id interimant, quod in mirabilibus Italicis tradit Heliodorus. Qui quidam piscis si Ægyptiis innotuisset, nimirum Lunæ eum hieroglyphicum posuissent. Ajunt etiam in ejus capite lapidem grano salis similem, qui faciat ad quartanas.

## DE APUA. Cap. XXIV.

*Plin l. 31. c. 8 Pluere.* EST pisciculorum genus quod ex sola pluvia procreatur, Apuam Latini vocant, aspiratione Græci vocabuli repudiata: ἀφύω enim illi περὶ τὸ ὕειν eam dicunt. Ligustica Tyrrhenaque omnis ora, cum plurimum, p, literam in ch, vertat, vulgo Anchuam vocitat, n, etiam litera ad incitatiorem primæ syllabæ sonum adjecta. Sunt qui has in halecularum genere connumerent.

### FESTINANTIA. Cap. XXV.

*Aphya vidit ignem, l. 7. Dipn.* ERat is pisciculus festinantiæ signum; nam ubi vel minimum concaluerit, coctus est, unde adagium, *Ad ignem Apua*, cum quid celerrime factum, vel ipso temporis momento significamus, de quo in Augusto apud Tranquillum. Et proverbio dictum εἶδε πῦρ ἀφύη, quasi satis sit ad ejus cocturam spectasse

A spectasse tantum ignem. Hanc Veneri sacram ait Athenæus, quam Stilpon Philosophus Megarensis Neptuno cum immolasset, promeruit ut ea civitas magno Apuarum proventu fuerit à Deo locupletata. *quia Venus è spuma nata maris.*

## DE HIRUDINE. Cap. XXVI.

HIrudo quoque aquatile animal, cujus plurimus in medendo usus, significata quædam habet hieroglyphica.

## SANGVINARIUS. Cap. XXVII.

CRudelissimum siquidem hominem, & humani cruoris avidissimum, per eam significari notius est, quam adnotare oporteat. Et Cimeta apud Theocritum, Pharmaceutria, quam Poëta transtulit ex Euphorionis Mimis, non aliter ab Amore sibi sanguinem exuctum lamentatur, quam si limosa Hirudo corpori suo applicata fuisset: *Hinc sanguisuga dicta, & sanguisugia.*

*Αἴ ἄ ἔρως ἀνιαρὲ τίμαν μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα*
B *Ἐμφυὲς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκβδέλλα πέπωκας.*
*Heu crudelis amor, nostro saturate cruore,*
*Summæ affixa cuti velut hunc suxisset Hirudo.*

## INSATIABILITAS. Cap. XXVIII.

VErum ea etiam insatiabilitatis est signum, quandoquidem ad suctum admota non prius ab opere desistit, quam tota sit supra modum sanguine tumefacta, quod ita expressit Horatius: *In fine de art. poet.*

*Non missura cutem nisi plena cruoris Hirudo.*

## DE LEPORE MARINO.

### MINIMA DE CAUSA EXANIMATUS: VEL DAMNA MUTUA. Cap. XXIX.

C QUi marinum Leporem pingunt humano tactum digito, mihi videntur significare voluisse, vel hominem minima de causa exanimatum: quandoquidem ferunt eum, qui non modo digito, verum etiam virga Leporem marinam attigerit, quam primum eum exanimascere, & nisi promptuarium sit remedium, etiam mori. Vel mutua damna ex eadem pictura libet interpretari: nam hieroglyphicum hoc apud veteres non inveni: quia humanus attactus Lepori etiam est exitialis, in Indico præsertim mari, ut à Licinio Macro traditum ait Plin. Ita nusquam non mollis Lepus. Nam & per Ruricolam, mollitiem quamdam effœminatam intelligi suo loco diximus inter quadrupedes, tum ob timiditatem, tum ob pulpamenti copiam, quorum utrunque fœminarum proprium, cum audacia virilis omnino sit. Caro enim pars fœminea dicitur. Neque postremi nominis Philosophi sunt, qui ossa à mare, carnem à fœmina procreari velint, & ad embryi coagmentationem utriusque concurrere genituram. Facit præterea ad effœminationis significatum, quod Hippon Philosophus ex seminibus tenuibus magis fœminas, ex densioribus mares fieri contendit: quod tamen eorum dissertationi relinquimus, qui naturæ secreta altius rimantur. Nam cum sint, qui totam hanc fabricam ex ma-
D re constare dictitent, neque fœminam præter fomentum quicquam aliud conferre de suo, Anaxagoras tamen, Parmenides, Empedocles & Epicurus, aliquid etiam ex parte matris ad generationem accedere asseruerunt: præcipue vero Alcmæon, sed, ut Censorinus ait, is non definite se scire confessus est, ratus neminem posse perspicere. *Plin. l. 32. c. 1.* *De die nat. c. 4.*

## SPONGIA. Cap. XXX.

SEd cur Spongiam prætereamus, quæ & ipsa inter aquatica enumeratur animalia: utpote quæ refugiat ad tactum, seque in angustum colligat? Utcumque vero, sua hæc habet hieroglyphica.

## BIBACISSIMUS. Cap. XXX.

VUlgatissimum enim est, naturæ bibacioris hominem per Spongiam significari, ea quæ omnibus in promptu est causa, attactu solo tantum humoris exugendi. Quo accedit festivum vulgi dicterium in Vespasianum jactari solitum, quod dictitabat eum procuratoribus pro Spongiis uti, quod quasi siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Credebatur enim procuratorem rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria promovere, quo locupletiores mox condemnaret, atque ita ille eorum rapto frueretur. Quod vero scriptores hic *Siccos* pro *Pauperes* ponunt, cum Horatiana facit elocutione, ut in Epistolis:

*Suetonius in Vespas. c. 16.*

*Lib. 1. epist. 17.*

*Sin prodesse tuis, pauloque benignius ipsum*
*Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.*

quippe, ut palam est, pauper ad locupletem.

## ABOLITUS. Cap. XXXI.

AB Augusti tempore receptum est, ut pro abolitione Spongia capiatur, ex quo ille Ajacem suum, quam tragœdiam penitus aboleverat, in Spongiam incubuisse respondit, ad ensem alludens, in quem Ajax sponte sua incubuerat.

*Sueton. in August. c. 15.*

## MOLLITIES. Cap. XXXII.

ALii mollitiem etiam per Spongiam significari voluerunt, de quo Plutarchus opusculo eo, quo docet, qua ratione internoscere adulatorem ab amico possimus, Comici, cujus non ponit nomen dictum citat, ἂν μὴ ποιήσω σπογγιᾶς μαλακώτερον πρόσωπον, *Nisi corpus spongia mollius reddidero*, de verberibus loquens, quibus eum cædendum interminabatur.

---

## DE GLANI. Cap. XXXIII.

*De Glani Plin. l. 9. c. 43.*

VErum age inter minutos hos proceriorem unum aut alterum inferamus: ut ita pisciculorum, qui præmissi sunt, sordes emundentur.

## PATERNA DILIGENTIA IN FILIIS EDUCANDIS. Cap. XXXIV.

PAternam in filiis educandis diligentinm, eamque accuratissimam exprimere si vellent, piscem Glanim pingere instituerant. Ova enim is quæ fœmina destituerit, perseveranti custodia tutatur ad quadragesimum & quinquagesimum usque diem, ab iis denique non abscedit, donec ita coalescat soboles, ut ab reliquorum piscium injuria se tueri valeat. Tantumque ejus affectum esse ferunt, ut dum ova deserere minime patitur, à piscatoribus ea trahentibus in vada facillime capiatur, tam ardenti animo, tamque pertinaci studio apud illa permanere contendit. Hæc Ælianus, qui Glanim etiam Siluri speciem similitudinemque habere dicit.

*Plin. hoc offic. tribuit Siluro, lib. 9. c. 51. Glanis diligentia in suis educandis.*

---

## DE SILURO. Cap. XXXV.

*Plin. l. 9. c. 15.*

EST vero Silurus, ut veteres omnes authores tradunt, bestia malefica, quæ, ut inquit Plin. & homines & Equos devoret. Sed & Glanim Pausanias ait hominum esse devoratorem. Nequaquam vero Sturio esse potest, neque Glanis, neque Silurus, cum minime fera esse possit Sturionis natura, tam molli delicatoque ore prædita, quæ sive ex porculetis in eam evadat magnitudinem, sive alterum sit genus, ἀπὸ τοῦ ὑὸς pisci nomen ὕκα apud Athenæum, atque is inter grandiores. Idem vero author, & Porcos, & Siluros inter Nili pisces enumerat. Et Hispania omnis Sturionem Sulium vocat, literis transpositis, quasi velint Suilum dicere, hoc est, Hycam. Sunt quidem in Danubio Siluri celebres, sed non minus Hyca, qua de re aliquid dicit Hermolaus, sed hæc alii viderint.

*A. Suet.*

DE

A

## DE THUNNO. CAP. XXXVI.

DE Thunno, cujus usus tam recentis, quam sale durati, frequentissimus per universum terrarum orbem est, cum nullo non in littore capiatur, nihil aliud inveni quod hieroglyphicis inseri posset, nisi vel strabonem vel limis oculis prospectantem, ex eo significari.

## LIMI OCULI. CAP. XXXVII.

LÆvo enim ille oculo plus cernit, utroq; hebete: quare Byzantii frequentissima est eorum captura, quo tempore transfretant, quia micantissimi lapidis, qui ab imo freti lucet, fulgore perculsi, in sinum qui ab læva est, numerosissimo diffugiunt cœtu. Apud Æschilum legas, in sinistrum oculum introquere Thynni more. Sed hoc pertinet ad proverbia. *Imo dextr. ex Plin. l. 9. c. 15.*

B

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXXI.

## DE IIS QUÆ PER PISCEM IN UNIVERSUM SIGNIFICANTUR, DEQUE MARI MOX COPIOSE,

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD MAXIME REVERENDUM COSMAM GERIUM.

C

*SUperiori anno, cum te & amicos alios Patavii Philosophantes invisissem, deque vestris & nostris studiis (si modo mea in ullo studiorum genere censeri possunt) multa contulissemus, quibus explicandis scripta ego nescio quæ mea vobis legenda proposuissem: animadverti, Cosma studiosissime, pro tuo erga me amore, magna te affectum latitia, quod eum quem sciebas per longa temporum intervalla multis & invisis occupationibus à literarum studiis avocatum, audentem tamen inspiceres de literis aliquid reminisci. proindeque veluti Entellum aliquem, cui jam gelidus tardante senecta sanguis hebesceret, in certamen accenderes & excitares, orare discedentem me cœpisti, ut istiusmodi generis scripta sæpius ad te legenda transmitterem. Ego tamen etsi te nostris nihil indigere existimabam, quem unius cujusq; doctrinæ præceptis & institutis abundare oportere persuasum habebam, qui apud eruditissimum Romulum Amasæum tota educatus adolescentia, nunc Bonamicum, Lampridium, & alios istic habeas, à quibus veluti ab oraculo, tuis omnibus satisfieri cogitationibus potest, neque me quicquam tam reconditum, tam rarum de Musarum arcanis afferre posse, quod illis & tibi, qui eos audis, non longè sit explora-*

D *tius, quam ego per interrupta totiens literarum studia potuerim observare: constitui tamen aliquid ad te mittere, quod meæ in te observantiæ signum & monumentum esset, id præcipuè delegi, quod si non doctrina, certè ipsa rerum varietate delectare posset. Nam cum piscium quasdam species ex hieroglyphicis deceptas, & tui & mei amici quidam accepissent, superat adhuc de piscibus in universum, quid veteres illi Sacerdotes Ægyptii sensissent, dicere. Id commentarium adhuc à nemine occupatum veluti πλυγέτης υἱὸς apud me diligentius asservabatur quod tibi dedicandum existimavi. Tu quidquid id fuerit pro tua comitate hilariter suscipias velim. Videbis vero hic quanta fuerit abominationis apud Ægyptios Pisces, quem nos tanto mox honore prosecuti sumus, quantum inter mortales super eo sit uniuscujusq; fere nationis judicio variatum. Sed ne tam longa morer epistola, rem ipsam hinc auspicabimur.*

## PROPHANUM. Cap. I.

Ἀποκείμενος ἰχθύς, citatur à Plutarch. in Sympoſ. de cadu 7. c. 4. & Adag. chil. 4. cent. 1. prov. 74.

PRophanum in primis atq; abominabile per piſcem apud Ægyptios Sacerdotes ſignificari prodi-
tum, quem & pollutum ajebant, & à menſis ſuis amovebant, in eo ſcilicet piſcium genus damnan-
tes, quod hi plurimum alter alteri graſſatur cibi cauſa: præterea quod nullius ſit nutrimenti, tam-
quam facilè computreſcat, ut cum minimè aſſervari poſſit, proverbium in ſoriddos emanarit, *Piſcis*
*repoſitus*, ut apud Plautum dicterium vulgatum, *piſcis nequam niſi recens*. Quin etiam conſtat Æthio-
pas illos qui ſola piſcium alimonia victitarunt, brevioris omnino vitæ quam nos eſſe. Denique ut
in Phædone eſt apud Platonem, nihil naſci in mari Jove dignum exiſtimabant. Sane Zoroaſter una
cum Magis, inter animalia, quæ bonis malisq; geniis obnoxia ſint, diſcrimen poſuere, ut bonis dedi-
cata opinentur, velut Canes, & volatilia, & Teſtudines terreſtres: malis vero, aquatica omnia, eum-
que beatum putant evaſurum qui plura enecet.

## DUÆ MORTALIUM CONDITIONES. Cap. II.

Pinnatorũ & ſquamoſorum piſcium hieroglyphica.

ILlud ad hanc usq; diem à Judæis magna religione ſervari manifeſtum, ut ex Moſaicæ legis præ-
cepto piſcem non attingant, niſi qui pinnatus ſit & ſquamoſus lubricos vero lævesq; omnes aver-
ſentur, id quod ita interpretatur Adamantius, ut per aquas, mare vitæ hujus intelligat, in cujus flu-
ctibus mortales aſſiduè volutamur: in hoc mari noſtro piſces, qui pinnulis juvantur, & ſquamis mu-
niuntur, ad ſuperiora facilè ſuſtoluntur, & aëri huic viciniores fiunt: veluti qui libertatem ſpiritus
quærant. Talis eſt ergo ſanctioris vitæ vir quisque, qui intra retia fidei concluſus bonus piſcis ab
Aſſertore noſtro nominatur, & in vas conſervationis immittitur. Squamoſis vero quorſum? per hos
intelligit idem author homines qui parati ſint vetera indumenta deponere, novumq; hominem in-
duere, & ut Gregorius Nazianzenus diceret, ἐγκαινίζειν. Latini Græcam ſecuti locutionem, *Encænia-*
*re* dixerunt, ut ita omni mentis duritia depoſita, animum Deo tractabiliorem efferamus. Qui vero
neq; pinnas, neq; ſquamas habent, ii in imis ſemper verſantur vadis, & in cœno plurimum volutan-
tur, veluti ſunt Anguillæ, Rhombi, & hujusmodi reliqua, quæ nequeunt ad aquæ ſummitatem aſcen-
dere, ad ſuperiora quippe pervenire: atque ii ſunt qui luto, hoc eſt, turpitudini & vitiis inhæſitan-
tes ad vitales auras ſuperioremq; ſpiritum attolli nequeunt: adeo carne turgidi & undecunque op-
pleti, confertiq; ſunt, ut neque deponere facilè quicquam poſſint, neque ſe attollere, aut ab ea cui
affixi ſunt fæce ſublevare. hoc ita terreſtrium affectu gravati, ut nullam cœleſtium curam ſuſcipiant,
crapulæ tantum, libidinibus, cupiditatibusq; ſuis implicati: quibus quidem voraginibus hauſti, ſi-
mulatque ceciderint, nihil quicquam conantur emergere, ſed ita recumbentes, in eodem quo hæſe-
rint luto volutari delectantur. Eodem involvuntur cœno Philoſophi, qui naturæ tantum principiis
inſiſtunt, ad naturæ vero ipſius authorem, cujus Spiritus ſuper aquas fertur, numquam attolluntur.
Eodem implicantur Juriſconſulti, qui leges non juſtitiæ ſtudio, ſed lucri tantum cupiditate proſ-
tentur. Eodem volutantur ſacerdotes, qui cæremonias oretenus proſequuntur: quid vero per
cæremonias intelligi fierive debeat aſpernantur. Quin etiam Oratores, neque non Poetæ, qui facun-
diæ tantum ubertatem, affluentiſſimosque verborum fluctus, ingentemq; vocum ſtrepitum, cano-
rasq; nugas admirantur: quæ vero ad integræ vitæ inſtitutionem faciunt, nihili pendunt, una cum
ſuperioribus in imo hujusmodi fundo, quippe ubi lividiſſima maximeque eſt profunda vorago ſu-
pini detinentur. Atque hoc eſt illud profanum, quod vetus illa pietas tantopere averſabatur. Gen-
tes tamen aliquas invenies (ut alienigenarum quoque inſtituta conquiramus) quibus piſces ſacri-
ficare mos fuerit: veluti Bœotii faciebant, qui ſelectiores quasdam Anguillas ex eo genere quæ Ca-
paides appellantur, præcipuæ commendationis in Eubœa, Diis immolare conſuerant. Paſſim vero
piſcatores Neptuno Thunnum, qui maximus eſſet, ſacrificabant ſpe capturæ. Et Phaſelitæ Lyciæ po-
puli ſalſamenta Cylabræ cuidam heroi offerebant, ejus condituræ piſces ita puros arbitrati, ut deos
etiam alios piſciculis hujusmodi ſale conditis placari opinarentur: Sunt vero qui apud eos id ea
de cauſa inſtitutum ſcribant: quia regio illa ab origine prima ſalſamentis ex piſce factis empta
fuerit.

Ἀνοσιάζειν, à feſtivitate novæ dedicationis templi ab ἀνὸς, & καινίζω, novo

Piſcium ſacrificium.

PURI-

## PURIFICATIO. Cap. III.

Quod vero Ægyptii mare profanum arbitrabantur, alii longè secus existimarunt. Nam M. Tullius ubi rationes de parricidæ pœna commemorat, oratione pro Sex. Roscio Amerino, ea potissimum de causa insui reos culeo dicit, ne cum in flumen abjecti delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Adhæc Proclus tradit, fulsur & maris aquam ad purificationem adhiberi. Et Euripides Platonem secutus in Ægyptum, cum morbo quodam implicitus, Sacerdotum suasu mari se expiasset, incolumitati redditus est: eaque de causa versum hunc ille ipsius rei memor suis poëmatib. inseruit, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. Aristophanes quoque tale aliquid attigit, cum dixit, πρῶτον μὲν αὐτὸν ὅτι θάλασσαν ἤγομεν ἔπειτ' ἐλεῖμεν. Neque situm ignoravit hujusmodi Catullus, ubi ita canit: *Mare abluit omnia hominum mala.* *Refertur ab Eustathio, Iliad. A ex Euripide in Iphigenia.*

*Quid scis quantum suscipiat sceleris?*
*Suscipit, ô Gelli, quantum non ultima Thetis,*
*Nec genitor Nympharum abluat Oceanus.*

Neq; temere Clemens inducit Petrum, antequam cibū summeret Tripoli, lavisse in mari, alibiq; libenter eum in eodē lavare. Et apud Homerū Telemachus Palladi supplicaturus, in æquore manus lavit, quæ quidē purificatio omnium gentiū consensu de mari sumpta, baptismū ab omnib. prævisum nationibus indicat quæ sola vera est purificatio. Divinæ enim literæ per mare unitatis numero baptismū intelligunt, ut Theologi docuerunt. Nam & Michæas Propheta. Mare baptismum appellasse visus, cū dixit: *Tu peccata nostra in profundū mare demerges.* Mare vero lavacrū hujusmodi ea de causa nūcupatur, ut sentit Euthymius: quod animarum sordes, quæ illic eluuntur, recipit: & quia purgat: omnia autem quantumlibet lutulenta flumina invehuntur in mare, lateq; ab eo admittuntur, sed tamen intra se continet sordidi, fæcesq; omnes ad littora, sed eas perpurgatas, continua rejicit alluvione. *Capit. 7.*

## DAMNUM ET UTILITAS. Cap. IV.

Aiunt vero qui Sacerdotum Ægyptiorum commenta curiosius sectantur, Tritonem ideo biformem pingi solitum, superiori quidem parte hominem. inferiori vero piscem, ut ex humore nos & utilitatem & damnum consequi moneremur: cum illi ex humana natura bonum atque proficuum, ex pisce non nisi perniciem interpretarentur. Sed enim de Tritone alibi. Quamvis autem apud Ægyptios perniciem piscis significaret, in ostentis tamen boni ominis habitus est nonnumquam, ut qui Augusto pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, in littore deambulandi exiliit è mari, & ad pedes procubuit quasi nuncius Neptuni, amicitiam ejus sibi conciliantis: tanta fuit eorum hominum in quos colebant deos vanitas & impudentia. *Sueton. in Augusto, cap. 96.*

## SILENTIUM. Cap. V.

Sunt vero qui Pythagoræ præceptum, quo edixit ipse ἰχθύων μὴ γεύεσθαι, propter ἐχεμυθίαν quam religiose adeo præcipere consuerat, factum putant: piscium enim taciturnitate nihil est quietius, proverbio inde desumpto, *Pisce taciturnior:* quapropter visi fuerint pisces Pythagoræ quodammodo contubernales. Et Lucianus Alcyone, ἄφωνα γὰρ δὴ πάγε καθ' ὕδατος διαπτόμενα, muta, quæ aquam incolunt. Ita Lucretius *Mutas* eos *natantes* appellavit. Ex piscibus autem, uno excepto Boa, cui à boando, id est, vocem emittendo nomen inditum, reliqui omnes dubio procul taciturni sunt. Et quamvis ut apud Ælianum est, quidam, ut lacerta, chromis, aper, grunnire videantur, sibilare chalcis, & cuculum imitari coccyx: tenuia tamen ita sunt ea vocis indicia, ut inter vocales recenseri minimè mereantur. Nisi verum illud est, quod Pausanias Arcadiæ fluvium memorat, in quo pises nascantur, quos Pœcilias vocant, qui turdorum avium voces edant, quodq; similes in Aorno fluvio Philostephanus Cyrenæus memorat, quosq; vocales in clitore fluvio ponit Mnaseas Patrensis. Taciturnitaist vero hujusmodi quæ sit in piscibus, ita Flaccus meminit: *A piscibus abstineto. Taciturnitatem. Ἀφωνίαν & τῶν ἰχθύων, magis mutus quam piscis. Athenæus l. Dipnos. 8.* *Carm. l. 4. Od. 3.*

*O mutis quoque piscibus* *Donatum cygni, si libeat, sonum.*

Quam apposite autem & Claudianus silentium hoc piscibus attribuit: dum Rhadamanthum ait loquacissimos viros, & qui ausi sunt arcana prodere, in pisces indui apud inferos jubere his versibus:

*Qui justo plus esse loquax arcanaque fecit*
*Prodere, piscosas fertur victurus in undas,*
*Ut nimiam pensent aterna silentia vocem.*

Atqui

Atqui Piscibus orientibus genitos, dicacissimos futuros ait Manilius quarto:

*Néve sit ut primos animo præcedere pisces,*
*Garrulitas otiosa datur linguæq; venenum.*
*Verba maligna novas mussantis semper ad aures,*
*Crimina per populum populi fert ore belingui.*

Sed, ut ad Pythagoram redeamus, Plutarchus in Sylla, eum ait vesci solitum iis, quæ diis immolata fuissent: cum vero piscium nullus ad sacrificium idoneus haberetur, ea quam profitebatur religione ab eis abstinendum censuisse. Sed quantum perinet ad sacrificium, non constare id multis docuimus exemplis. Idem Pythagoras mare Saturni lachrymas esse dictitat, quasi vellet ex hoc ejus impuritatem innuere.

## HUMANÆ VITÆ CONDITIO. Cap. VI.

*Mare tur Pernicies dictum.*

Ægyptii Sacerdotes igitur, uti propositum est, mare perniciem vocabant, ea præsertim de causa, quod cum totius alimenti sui beneficia ex Nilo consequerentur, corrumpi eum simul ac mari commiscebatur animadvertebant, atque ita mare dicebant, quod in humano genere vitale est vitiare. Ut vero scripturæ hieroglyphicæ speciem aliquam oculis subjiciamus, in Sai pro vestibulo templi, quod Palladi dedicatum erat hujusmodi visebatur argumentum. Infans, senex, accipiter, mox pisces, prostremoque omnium fluvialis Equus, quod humanæ fragilitatis conditionem indicat à pueritia vergentis in senium, ac iterum repueraſcentis: accipiter vero Deum, ac perinde amorem, quodque in nobis divinum est, ac vitam ipsam vitalem ostendebat. Piscis, odium simul atque mortem, propter mare, quod exitium atque perniciem appellabant. Equus vero fluvialis impudentem violentiam notabat, ut qui nec patri quidem parcat suo, verum eum interficit, ut matris ipse connubio potiatur: atque ita propemodum concors ea discordia, quæ corporum temperaturam constituit, cum dissidere penitus cœperit, atque unum in alterum violentius grassari, mors inde sequatur necesse est. Fluvialis enim Equus ideo pro dissidio ponitur, quod in duobus contrariis elementis vivit, aqua & terra: noctu enim egressus aquis segetes depascitur, & binis est ungulis præditus uti boves, de quarum quidem ungularum distinctione in Sue satis ex Divinis literis disputatum.



*A. Nascimur.*
*B. Senescimus.*
*C. Vivimus.*
*D. Morimur.*
*E. Naturæ dissidio.*

## ODIUM. Cap. VII.

Odium itaque per piscem interpretabantur, maritimaque demum omnia tanta religione & horrore prosequebantur, ut ne nautas quidem alloquerentur; rati, vel ex eorum sermone se contaminari; ita eos arbitrabantur à communi omnium aliorum victu & moribus dissentire, cum ex mari, quod Homerus nullius frugis esse dicit, victum hi tamen & necessaria sibi compararent, quæ Theon Grammaticus apud Plutarchum disputat Symposiacis, cumque elementum id ab humana natura non solum alienissimum, verum etiam illi inimicissimum asseverarent, nullum cum iis commercium habere voluerunt, quod vel in mari gigneretur alereturve, aut id inhabitaret. Neque tamen ignarus sum Plutarchum de mari præclare sentire, ut eorundem Conviviorum habetur decade quarta, sed nos hoc loco Ægyptiorum dicta, quæ inter-

*Hinc fortasse Κακῶν θάλασσα mare malorum, ex Eurip. in Suppliciis.*

pretan-

A pretanda desumpsimus, in primis commemoranda censemus. Nam illi cum tam pertinaciter mare abominarentur, mosq; esset in sacrificiis sal adhibere, ne marino uterentur, id ex Hammonis fonte deposcebant: afferebatur enim inde sal è palma contextis cistulis, quod purum arbitrabantur, quia ex ipso fonte, non ex mari proveniebat, cujusmodi salis vis magna in Noricis, Rhæticisque jugis atq; convallibus circa fontium margines concretum vulgo reperitur, neque alterius fere tota Germania salis habetur usus.

## DIVINORUM AB HUMANIS SEPARATIO.

### Cap. VIII.

*Segregationes aquarũ ab aquis quid denotarent.*

Fuerunt è veteribus, qui segregationes aquarum ab aquis, apud Mosen, ita interpretati sunt, ut animos quosdam spiritu suo vegetos expertesq; corporis assererent, significari per aquas quæ supra cœlos in firmamento longè aliis præstantiores consedissent: infra vero, in ipsis quidẽ terrenis locis deteriores malignosq; moram traxisse, atque etiamnum trahere: idcircoque dicunt, eas aquas quæ supra cœlos collocatæ sunt, Deum laudare, per aquas autem eas quæ sub cœlis sunt collocatæ
B genios interpretantur, quantum spiritu naturaque sua conari possunt, improbissimos, ab ea nimirum altitudine, quæ ad probitatem secundum naturam accommodatur, in ipsum imum pravitatis fundum, vitiiq; sentinam deturbatos. Eas vero aquas ut turbulentas, ut seditiosas, ut affectuum perturbationumq; procellis & turbinibus fluctuantes exæstuantesque maria non injuria nuncupatas fuisse, propter mutationis facilitatem, & momentorum voluntatis electionisq; motuum instabilitatem. Quam quidem interpretationem, ut alte nimis repetitam, & paucissimorum ingeniorum intellectui perviam Basilius haudquaquam magnifacere videtur. Ægyptiis tamen argumentum placuisse, indicium est, quod cœlum rore pluvium venerabantur: quod humor hujusmodi à probis illis naturis defluere videretur, quæ propter mentis puritatem dignæ essent, quæ decentem accommodatamq; Deo creatori laudem redderent, disciplinamque illam cœlestem in inferiora sparsim diffundere proseminareq; viderentur. Minimè igitur mirum est, si mare sacerdotes illi usque adeo abominabile existimabant, quod cœlestis roris puritatem contaminaret, & amaritudine sua dulcedinem eam omnem peracerbam redderet, ejusque indignationis ergo tantum in maritima omnia o-
C dium, ut etiam insulares uti profanos aversarentur. Et mox receptum apud scriptores, insulares omnes malos esse, Lerios autem pessimos, quod in Siculos haudquaquam merito nonnulli detorsere: proinde ac in Lericorum locum Chios alii quidam substituerunt, nulla carminis habita ratione. Nam ut hoc obiter explicemus, epigramma est vetustum admodum, quod in vulgus prodiit vulgatis in exemplaribus:

*Hoc quoque Demodoci, Chius mulus, haud quidem hic. hic non. Omnes absque Procle, Chius at ipse Procles. Chii nequissimi.*

Καὶ τόδε δημοδόκου· χῖοι κακοὶ οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὐ,
πάντες, πλὴν προκλέου, καὶ προκλέας ἢ χίος.

Non sum nescius Chios hominum nequissimos olim habitos, quod ut credatur, satis est Theophrasti judicium, qui eos ait oratorem quemdam senem ad Lacedæmonios destinasse, qui quod eum puderet senectutis, canitiem succis fucaverat: cumq; is publicè dicere incepisset, surrexit Archidamus in ea tum Repub. longè princeps dixitque: *Quam obsecro sermonis incolumitatem habiturus est hic, qui mendacium non in anima solum verum etiam in capite circumfert?* Strabo tamen, decimo, carmen hoc Phocylidæ adscripsit, Leriosque, non Chios, ponit, ut legendum sit, λέριοι κακοὶ, & in fine, καὶ προ-
D κλέας λέριος; cui lectioni ego magis faveo, quod χῖος, pro χίος primam κατὰ συναίρεσιν producit. Quidam eruditissimus alioqui vir Patroclum pro Proclea reddidit. Carmen itaque in hunc modum utrobique restituendum:

Καὶ τόδε Φωκυλίδου, λέριοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὐ,
πάντες πλὴν προκλέου καὶ προκλέας λέριος.

Id nos ita Latinum fecimus:

*Hoc quoque Phocylidæ dictum, Lerii mali, at illud*
*Non ita uti dicas, hic malus ille minus.*
*Pravi omnes, inquam, Procleam si demseris unum,*
*Et tamen ipse etiamnum est Procleas Lerius.*

In quam quidem poëtices amœnitatem quam κ' πάρεργον, ideo tamen deflectere collibuit, quia dum hæc commentarer venit in mentem mihi epigrammatis Cornelii Castalii Feltrensis, Juriscon. sulti in foro Veneto clarissimi, quod neminem eruditum legisse pœniteat:

*Afrani, & Capito fratres, Neptunia proles,*
*Quorum jam tota est aurea facta domus:*
*Ambigitur multum de vobis, pejor uter sit:*
*Nam nemo id dubitat ne sit uterq; malus.*
*Judice me Capito tu longè es pessimus omnium,*
*Et tamen est frater te quoque deterior.*

Quod quidem scomma desumptum est ex epistola Phalaridis ad Adimantum, quam commodi tui causa libuit adscribere, ἀκήκοα σὲ Λίαν φέρειν ἀχθηδόνως πρὸς τὸν ἀδελφὸν, ὁπόταν ὑμῶν θάτερον χείρων, σὲ μὲν ἐκεῖνον λέγοντα, ἐκεῖνον δὲ σὲ· ἐγὼ δὲ οἶμαι, μᾶλλον δὲ καλῶς πέπεισμαι, τὸν μὲν ἄλλων ἁπάντων ἐκεῖνον εἶναι κακίω σοῦ ἢ σὲ ἐκείνου, ὅτε ἄλλων ἁπάντων κρείσσω. *Audio te cum fratre tuo altercari, uter vestrûm peior sit, cum tu quidem illum dicas, contra vero ille te: Ego vero existimo, imo perbelle mihi compertum est, illum utiq; aliis omnibus, te vero uno, neq; aliorum hominum quempiam esse peiorem.* Addam illud unum, si non satis nugarum est, quod ad Phocylidæ nomen epigrammati Græco insertum pertinet, videndum an eo spectet id falsè dictum à Cicerone epistola ad Atticum libri quarti nona, ἐγὼ τόδε Φωκυλίδου, ubi Pompejum perstringere videtur, qui licet egregie de Repub. loqueretur, parum tamen aut nihil differret à cæteris. Unde illud ad eundem Atticum lib. VII. Epist. *Dionysius vir optimus, ego quos tu bonos esse dicas non intelligo, ipse nullos novi:* id quod probando latissimè prosequitur. Sed nos jam satis.

## NEQUITIA. Cap. XI.

*Sal Ægyptiis odio maximo, & quare.*

QUoniam vero mare ipsum in primis salsum est, & sal inde plurimum conficitur, totumq; illud elementum si exsiccari posset, in sal abiturum est: Ægyptii ipsum quoque sal ita averlabantur, ut ne pane quidem salito vescerentur, quippe cum vivendi, ut sæpe dictum, puritatem in primis adamarent, id fixum immotumq; animo gerebant, ut omnia nequitiæ irritamenta summoverent: itaq; sal ipsum summo studio rejiciebant, quod meram esse nequitiam intelligebant, cum, propter calorem C sal irritare libidinem, seminalemq; vim expergefacere, & acuere feratur, unde salacitas petulantiæ nomen. Exemplo vero sint ostrea & conchylia in hunc usum à nepotibus summo studio conquisita.

*Quasi dicat Saligenam.*

Quin etiam mures abroso sale prægnantes fieri tradit Aristoteles. ἁλιγόνης præterea Venus, illique salacitatis ergo fanum ad portum maris aruspices poni apud veteres jubebant. Et marini Dei omnes lasciviores fœcundioresq; ponuntur à Poetis Nimirum & illa Cœli virilia Saturni falce resecta, & in mare prolapsa, Venerem gignunt: quippe omnes fructuum vires absciss, atq; in hu mores viscerum veluti in mare projectæ, sicut illic Venerem, ita hic libidinem gignunt: Theologi nostri seniu longe seciore sal accipiunt pro doctrina Evangelica, idq; sibi velle quod capite Levitici secundo dicitur: *Quicquid obtuleris sacrificii sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal:* quasi dicere velit Legislator, quodcumq; docueris, quodcumque correxeris, in quacumq; virtute versatus fueris, ad Apostolicam æmulationem atq; imitationem tete accommoda: sal enim terræ Apostoli, Domini ipsius testimonio. Nam sicut omnis cibus ad nutrimentum aptus, di-

*Hinc obsoniorum obsonium dictum.*

ceret Hesychius, omnimodo sale conditur: ita omnis sermo utilis ad juvandum, Apostolicæ omni- D modo sapientiæ necessarium habet condimentum. Sed ut ad mare revertamur, fluxum id atq; lubricum, non uti sal, solidum & frugalibus usibus commodum. Minimè prætereundus hic in divinis literis locus, ubi legere est Jordanem fluvium retrorsum fontem versus cursum suum reflexisse, quod, ut D. Ambrosius opinari videtur, significat mollitudinem animi ad maris lascivium profluentem cursum tenuisse, & ad fontem, quippe ad originem, hoc est Deum animi ipsius authorem conversum esse. Quoniam vero scriptum est partem aquæ Jordanicæ defluxisse in mare, partem vero conversam substituisse: Adamantius, qui per Jordanem baptismum intelligit, sententia prioti non absimili figuram hanc esse dicit, ut per subsistentes aquas accipiamus eos, qui eo abluti lavacro, in pietatis dulcedine perseverant: per eam vero partem quæ defluat in mare, intelligamus eos, qui licet ad baptismum venerint,

*Hinc sal innuit frugalem vitam.*

A nerint, in vitiorum tamen amaritudinem dilabuntur, eaq; salsugine corrupti, synceræ vitæ suavitate careant, cum manifestum sit, in tota hominũ vita nihil dulcius innocentia reperiri, peccato vero nihil amarius: etiam si quædam aspectu primo dulcia videantur. Sic apud Salomonem legitur Ecclesiaste: *Nam, in novissimis*, inquit, *amarius felle invenies, quod initio dulce videbatur.* Faciunt ad hoc & Græcorum fabulæ. Nam Arrianus in Indiæ descriptione fuisse ait insulam incultam in Erythræo mari, Nosolam nomine (sed Notoram apud Stephanum legere est) centum fermè stadiis à litore distantem, quam indigenæ Soli sacram esse affirmarent, in quam nemo transiret, aut si transisset, non amplius appareret: quoniam eam una Nereidum incoleret obscuro nomine, omnibus viris qui eo navem appulissent, commisceri solitam, ac eos postea in pisces conversos in mare demittere: quo scelere iratum ei Solem, ex insula migrare jussisse, neq; eam renuisse; precatam tamen, ut insita sibi voluptatis appetentia evanesceret, Deumq; optatis annuisse, ac omnes, quos illa veneficiis mutarat in pisces, in homines rursus ex piscibus commutasse, unde Ichthyophagorum genus emanarit, Ovidius tamen ait eam in piscem mutatam, eoq; modo libidinis pruritus extingui potuit, si modo hæc, eo loco in- *Lib. 4 Metamorph.*

B telligenda:

*Nais, an ut cantu nimiumq; potentibus herbis,*
*Vertereat in tacitos juvenilia corpora pisces,*
*Donec idem passa est.*

Atque alibi apud eundem authorem pisce legas Venerem latuisse: fusus enim fugatusq; Veneris ardor, quonam evadat nisi ad frigidam piscium naturam, in quibus nullus alimenti fomes, quo iterum succendi queat? Hinc nostris etiam jejuniis piscis apponitur: ut ejus cibo lasciviæ calor tepefiat atq; hinc etiam occasio aliqua castimoniæ reqiratur. Neq; obstant quæ superius de maris & maritimorum salacitate disseruimus: quia piscium genus, ut nonnulli disputant, tametsi degat in mari, ἀτρύγετον tamen ea de causa mare sæpius Homero dicitur, quod fructum nullum gignat, sed fluviorum & imbrium dulcis humor per antiperistasin amaritudinis corruptus, atq; in sese collectus, veluti calor in aëre frigidiore deprehensus, per frigidioris venti colluctationẽ in fulmen abit: ita hic frigida materia quæ nonnihil terreni secum traxerit, intra calidam comprehensa, varia piscium genera producit, quorum insitum frigus tepôre inde maris facile confovetur. Non enim omnia piscium genera

C progenerat: argumento est, quod simulac in mare pluviæ deciderunt, Solq; flagrantivus per sudum irradiarit, extemplo videas superficiem maris innumerabilibus pisciculorum animulis pullulare: in quibus infinitus Aquarum numerus, quæ à Græcis ἀφύαι, quod ex pluvia generantur, nomen accepêre: ostrea tamen ac conchylia, quæ libidinosa diximus, plus aëris admittunt, ac perinde spumosiora sunt, & salsugini coalita & applicita: quare minimè mirum si accidat hæc salaciora fieri. Atqui non hic testacea neq; crustacea inter pisces assumimus, sed duo illa tantum genera, quæ initio posita sunt, vel lubrica, vel squamosa: in his enim nostra plurima dictio versata est: quamquam Manilius eos qui Pisces horoscopum habuerint, libidinosos futuros præsagit Astronomicon IIII.

*Scilicet in piscem sese Cytheræa novavit,* *Anguipedem alatos ungues Typhona ferentem,*
*Cum Babylonicas summersa profugit ad undas,* *Inseruitq; suos squamosis piscibus ignes.*

## AMICITIA FIRMA. Cap. X.

D ALioqui sal amicitiæ symbolum fuit durationis gratia: corpora enim solidiora facit, & diutissimè conservat, unde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perseverantia significetur: Quare pleriq; ominosum habent, si sal in mensam profundi contigerit: contra vero faustum, si vinum atque id merum effusum sit. Vel, quia velut ex aquis sal multis & fusilibus in unum quoddam & solidum coit, ita ex diverso convenientes in unum animi coalescant, fiatque Platonicum illud, μία ψυχή. *Hinc illud* Ἄλα καὶ τράπεζαν μὴ ὀφείλειν, *non oportet transgredi salem & mensam, hoc est, jus amicitiæ. Una anima.*

## A MUSIS ET GRATIIS ALIENUS. ap. XI.

SEd ut ad piscem revertamur, cum animalia reliqua terrestria quam volatilia, multa dent & ingenii & docilitatis experimenta, soli pisces indociles prorsus & stupidi sint, præter pauca admodum, quæ vel in Delphino, vel in paucissimis aliquot admiramus, mos apud Ægyptios inoleverat, ut cognomento Piscis hominem à Musis & Gratiis alienum cavillantes appellarent. Sed qui piscium

partes tuentur, multa etiam in eo animantiũ genere deprehendunt, quæ mentis aliqua vestigia præ se ferant, sed propter habitationis dissidentiam, ea hominibus minus cognita: terrestria siquidem & aëria domi propemodum, & in nostro fere omnia municipio contemplamur, quare multa facilius licuit explorare, Ægyptiis vero ea minus innotuisse quam aliis, qui nullum cum piscibus cõmercium habere voluerint. Nam, ut reliqua hujusmodi multa dissimulem, in Eloro Siciliæ fluvio, qui urbem Eloram à se ita nuncupatam præterfluit, cicurum genus piscium fuisse tradit Apollodorus inclamati enim accedebant, & cibum è porrigentis manu placidissimè capiebant. Citat Stephanus Chronicon primum ubi hæc ab Apollodoro memoriæ demandata fuerint. At veterum parsimonia numquam satis laudari potest: nam apud Homerum non Græcos solum, quo tempore circa Hellespontum militabant, piscibus abstinuisse comperias: sed & Phœacas, Horatii etiam nostri testimonio helluones procosq; ipsos Penelopes sola ganea nobiles, quamvis insulares essent, marinum obsonium nullum appetiisse. Ulyssis vero socios videas non nisi extrema necessitate coactos expiscari: quippe commeatu omni absumpto, ne Solis boves attingerent, non obsonii causa, sed ut famis ferociam, quæ obinstructa, eo, inquam, tempore, quo illi omni turpitudinis genere lascivire licentius sibi permittebant, pristina prorsus abolita disciplina, quod Satyricus Poëta carpit:

*Sic Plinius genera piscium in piscina Cæsaris ad nomen venire ait, lib. 32. c. 10.*

*Et metus & Malesuada fames, & Turpis egestas lib. 6. Æneid.*

*Aqua ita defecit nostrum mare, dum gula sævit — Proxima, nec patitur Tyrrhenum crescere piscem,*
*Retibus assiduis penitus scrutante, macello — Instruit ergo focum provincia.*

Ne vero quæ Seneca in Romanorum luxuriam libro Quæstionum tertio refert, hic stomachosius repetam, Catonem merito admirari solitum accepimus, quomodo civitas salva esse posset, in qua piscis pluris quam Bos venundaretur, quod in hac quoque temporum miseria passim fieri, manifestum est.

## GANEA. Cap. XII.

NEque quidem satis fuit piscibus in escarum principatum admitti, verum eo improbitatis & petulantiæ processere, ut soli sibi Obsonii nomen usurparint: nam veteres ὀψοφάγους, hoc est, obsonatores, ut Latini vocabulum à Græcis mutuati dixerunt, eos appellabant, qui pisces undecunque conquisitos studiosius compararent. Demosthenem ajunt cum Philocratem cupediariæ impudicitiæq; criminaretur, eum ex auro proditorio & scorta & pisces commercanum accusasse. Quinetiam pro Ctesiphonte, cum quidam in comitiis esse jam comedendi horam clamitaret, *Nullo*, inquit, *pacto bone vir, nos hodie piscedulos reddes:* quasi lurcones & ganeones ex uno piscis esu notare vellet. Antagoram Poetam Antigonus Rex increpuit merito, cum eum deprehendisset in Congro pisce condiendo diligentius intentum, quamvis ipse regis curiositatem converso cavillo illuserit non infacete: Antigonus enim dixerat, *Putasne, Antagora, Homerum cum illa scriberet, in Congro condiendo unquam occupatum fuisse?* cui Antagoras, *Putasne, Antigone, Agamemnonẽ cum illa faceret, quo quis modo Congrum condiret solicitum fuisse?* Piscem igitur pro ganea poni non ignarus Horatius, cum Iccium ad frugalitatem hortaretur, eumq; commendaret quod tali esset animo præditus, ut neque rerum opulentia moveretur, neq; vilioris cibi frugalitatem aspernaretur: quippe qui in medio positorum abstemius herbis viveret, his tamen ita contentus esset, ita sibi rerum omnium opulentiam redundare putaret, ac si eum liquidus fortunæ rivus inauraret, id mox adjungit:

*Antigoni & Antapora dicta mutua.*

*Epist. lib. 1. ep. 12. epist.*

*Verum seu pisces, seu porrum & cæpe trucidas:*

hoc est, sive lautiore victu, seu parco delectaris: per pisces delicatiores, uti dictum, epulas per porrũ & cæpe, frugalitatem intelligens. Omnis enim caro, inquit Heraclitus, corpus est, vel corporis pars: maritimorũ vero vis tanquam anima compacta, gratiam & voluptatem illis comparavit. Sane Plato, qui nihil ex Ægyptiorum opinione in mari nasci Jove dignum dixit, marina ipse corpora Diis amicissima arbitratus est: quare nonnulli asserunt Ægyptios sacerdotes non alia ratione maritimis abstinuisse, nisi ut piè casteque viverent: veriti forsan, qui delicias omnes averssarentur, ne piscis & cibus esset

A esset simul & condimentum. Beatos enim illos tantum judicabant, qui simplicem ac necessarium cibum deliciis quibuscumq; præferrebāt, quod & saluberrimum esse Plinius atestatur. Diodorus tamē primum ex radicibus, secundum ex pisce cibum apud Ægyptios fuisse contendit. Cæterum nos de sacerdotibus, non de profanis loquimur: nam & Horus ipse author Ægyptius, alios omnes dicit pisce vesci solitos. Neq; nescimus ex lacu à Myride fosso tantam fuisse piscium capturam, ut argenti talentum singulis diebus vectigalis nomine Reginæ persolveretur. Aliarum vere gentium sacerdotes non modo piscem non abhorrerunt, sed & loca quædam Diis sacra esse commenti sunt, ut Solis ipsis pisces inde capere liceret: cujusmodi erant Rhiti in Attica regione juxta Elevsinorum fine alvei quidem ipsi tantum fluminum, cum aqua omnis, quæ illic flueret ac reflueret, marina esset: quæ loca Cereri ac Proserpinæ sacra dictitabant ac perinde solis sacerdotibꝰ deberi. Quinetiam ætate nostra, fluminum, stagnorum, lacuumq; plurimorum expiscationes sacerdotum tantum ditioni addictæ sunt. Quoniam vero plerisq; locis mordet Erasmus Christianismi mores super esu piscium & jejunii, dum modo ita dicit: *Cum olim præcipuus gurgitum luxus fuerit in piscibus, mirum est hodie religionis causa* B *vulgus piscibus vesci.* Alibi: *Olim vesci piscibus pro deliciis habeatur, & infami vocabulo dicebantur Opsophagi, nunc ea res magna est sanctimonia.* Alibi his mordaciora comminiscitur, quasi velit ostēdere, adactos nos esse legibus, ut jejuniorum tempore piscibus vesci compellamur. Respondemus ad hæc, ex sanctissimorū Patrum sentētia, pisces non ex edicto nobis oggeri, sunt enim multa & fragū & olerum genera, quibus nutriri valeamus: neque, ut per argutos falsosq; jocos ritum perstringit, ad sanctimoniā ullius cujuspiā opinione spectare, sed cum Christiano homini tum semper, tum in jejunio maxime lasciviæ omnis abstinentia proponatur, cibiq; inprimis effluentia, luxusq: corrigatur, pisces tamen ac jejuniorum consolationem indultos esse, qui quidem delectare aliquantulum, saginare vero, aut obesum corpus reddere minime possint: nullius enim, ut sæpe diximus, aut parvi sunt nutrimenti, ideoque cibus est corporibus, quod non Platonica tantum, sed nostra etiam sibi Philosophia deposcit, debilitādis idoneus. Sed Gregorium ipsum audiamus. Epistola ejus est ad Augustinum Britāniarum præsulem, in qua quantum ad jejunia pertinet, piscium esum ait ita hominiChristiano indultum esse, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium: monetq; insuper, ut qui carnibus sibi abstinendum constituere, sumptuosiora marinarum belluarū convivia instruere haudquaquam velint. *Decret. dist. 4 c. denig. c. & post pauca.* Atqui ganeam ex pisce non ea tantum causa significari dicendum, quod avidius à lurconibus expetatur, quam quod ipse quoq; piscis natura vorax est, quam quidem Virgilius notat, Ciri, propterea quod Thetis Scyllam Nisi ejus opem implorantem in piscem vertere noluerit, verita scilicet, ne actutum ab aliis piscibus devoraretur:

C

*—— Nam miseros mutavit virginis artus*
*Cærulæo pollens conjux Neptunia regno:*
*Sed tamen externam squamis vestire puellam.*
*Infidosque inter teneram committere pisces*
*Non statuit, nimium est avidum pecus Amphitrites.*

NOn ignorandum vero pisces eruditioribus animas esse, quod ex puriore quodam constent elemento neq; multum concretos aliorum morētur, primique animatorum à Deæ creati, ut observat Philo quodammodo animalia, & non animalia, vel ut ita dicam, mobilia inanimata, quibus ad solam corporis incolumitatem Deus animalem spiritū afflarit: veluti sal carnibus ne putrescant adhiberi solet. Apud Festum Pompejum legas genus piscium majorum pro animis humanis Vulcano dari solitum, quotannisq; piscatorios ludos trans Tyberim in ara Vulcani mense Junio celebratos. In quo illud animadvertendum, vulgatos Festi codices in damno esse, cum in antiquo manuscripto legerim, quod id genus piscium vivorum datur ei Deo pro animis humanis, non autem genus piscium majorum: nam si majores, quomodo piscium? Est & alterum eodem loco mendum, quod scriptum est eos ludos fieri solere à pop. Rom. cum vetus codex habeat, à prætore Rom.

D

## INNOCENTIA. Cap. XIII.

NEque desunt, qui piscem innocentiæ hieroglyphicum esse contendant, cum omnino sint innocui, neq; elementum suum ad insidias aliis inferendas transgrediantur: eoq; spectare dicunt Pythagoræ præceptum, qui abstinendum esse piscibus edicto caverit, ne persequerentur insontes.

*Quia non ad necessitatē sed ad luxum & ganeam piscium esm. Ægyptii sacerdotes maritimis abstinebāt. Plin. l. 32. c. 1.*

*Præsertim in colloqui. is. tit. de Jethyophagia.*

*Piscium esu quare jejuniorum sit Christianis indultus.*

## DÆMONES IMPROBI. Cap. XV.

ALii per animalia quæ in aquis degunt, improbos dæmones significari tradiderunt. ut in sacris literis Jonathas Chaldæus interpretatur, & superius, ubi segregatas aquas ab aquis exposuimus, aliorum quorumdam sententiam idem sentientium recitavimus. Sane Magi dæmonas aqueos dicunt, lasciviæ libidinique præfectos, & marinos deos vetustas omnis pro hieroglyphico lasciviæ posuit. Et pisces maris Euthimius ait positum pro dæmonibus, qui inter vitæ nostræ fluctuationes versantur, & in amara pravorum salsugine vitam ducunt.

## GENTES. Cap. XVI.

IN Christianæ vero pietatis institutionibus, gentes quæ divinum cultum nondum suscepissent, per pisces indicabantur. Atqui gentes hujusmodi dæmonum cultui passim dediti erant, quare piscatoribus hæc à Deo provincia demandata, ut pisces in sacerdotum imperia redigerentur. Petro Assertor noster in Evangelio pisces assos comest, quod indicat, sacrificium quod offertur Deo non elixum, sed assum esse debere, fidem quippe veluti igni probatam, & sancto ferventem Spiritu offerendam. Eodem respicit, Ambrosio teste, Servatoris ejusdem nostri dictum in Evangelio, simile esse cœli regnum reti misso in mare, quod piscium genus omne congreget, quæque ibi idem subsequuntur: ubi nimirum de mortalium animis sermo est, quæ ad sanctioris vitæ institutionem attrahantur. Quin & Propheta cum de piorum congregatione loqueretur, super maria fundatam eam dixit. Apertissime Esaias: *Ecce*, inquit, *gentes quasi stillæ situlæ*. Septuaginta sic reddidere, *Sicut aqua multæ*, quod idem est.

*Pisces assos comedere quid in sacris literis.*

## IGNORANTIA. Cap. XVII.

SQuamatum quidem & pinnulatum piscium genus satis expositum est ex Origene, quæ scilicet ejus hominis hieroglyphica sint, qui veterem possit hominem exuere: ideoque omne quod habet squamas & pinnulas, tam in mari quam fluminibus & stagnis, electo populo comedere concessum est. Illud addendum ex Hesychio, squamas ignorantiæ hieroglyphicum esse, quæ quidem opera beneficioque scientiæ excuti amoverique possunt. Id in Paulo liquido commonstratum, qui cum veritatem ignoraret, cæcus factus est: addita vero Christi doctrina, quam Ananias ei prædicavit, ceciderunt utique squamæ ab oculis ejus, & mox vidit.

*Act. Apost. cap. 9.*

*D. Pauli conversio.*

## AQUÆ Cap. XVIII.

ASsyriorum vero religio fuit, ut piscibus abstinerent in Rheæ venerationem, quæ quidem ea Iis dea erat, quæ pluviis potissimum dominatur: ῥέω enim fluo est: putabant enim illi ex aqua & aëre naturam rerum præcipue constare: proque unda pisces, pro aëre Columbam venerabantur, de qua suo loco dictum.

*Athe. lib. 8.*

## FACELITIS. Cap. XIX.

QUamvis alii factum hoc in Facelitidis deæ, quæ Veneris fuisse filia perhibetur, cultum asserunt, eamque olim in piscem commutatam, quam Syrii pro dea coluere, atque in ejus honorem Balso referente, pisces argenteos in templa detulere. Chalon amnem in Syria ponit Xenophon, in quo magni & mansueti pisces, quos Syri veluti sacrosanctos habent, eosque violari, æque ac Columbas, nefas putant.

*Vide Lucianum in libello de Syria Dea, & Artomidorum l. 1. c. 9.*

## DERCETO Cap. XX.

QUin & Derceto, sive, ut tradunt alii, Atargaten, muliebri effigie, quæ in piscem ab umbilico desineret, summæ venerationis deam in templis apud Ascalonem habuere. Et ut his finem imponamus, Oxyrynchitæ Ægypti populi piscem urbis suæ cognomine summo cultu pro dea coluerunt, hique Canem & mactare & esse soliti sunt, in Cynopolitarum ignominiam & opprobrium, quod illi piscem Oxyrynchum apud se pro deo habitum, comedere non verecundarentur. Cynopolitarum enim deus Anubis fuit, quem canino, ut suo loco dictum, capite faciebant.

*Hieroglyphicorum Tomi primi finis.*

Tomus

A

# Tomus Secundus.

## ILLUSTRI AC GENEROSO HEROI D. JOANNI JACOBO FUGGERO, KIRCHBERGÆ, WEISSENHORNI, &c. DOMINO, LITERARUM PRÆSIDI, AC STUDIOSORUM omnium Mœcenati,

JOAN. PIERIUS VALERIANUS
S. P. D.

B *CUm ea munera, quibus humanum genus Deus liberalissime honestatum voluit, mecum ipse considero,* JO. JACOBE FUGGERE *Heros ornatissime, in eam opinionem adducor, ut existimem nullum majus reperiri posse, quam literarum flagrans studium, vel discendi cognoscendive cupiditatem potius, ex quibus & rerum bonarum voluntatem excitari, & verarum intelligentiam nasci perspicimus: nihilq; in rerum natura existere, quod ita tum mores erudiat, tum viam quasi muniat ad summum splendorem consectandum, quam παιδείαν humanitatem inquam atque doctrinam. Idem plane te sentire video, qui cum omnem semper excellentem in societate humana virtutem memorabilem extitisse cognoveris, tum ingenii, doctrinæ, sapientiæ honores præcipuam habuisse erga mortale genus famam ac commendationem non ignoras. Hanc ut veram & expressam, minimeq; adumbratam tibi comparares, nihil prætermittendum putavisti, quod ad verum ingenii cultum, animumque doctrina informandum pertineret. Lustrandam itaque primo una cum fratribus Galliam eruditissimis hominibus, & liberalibus studiis affluentem, mox Italiam omnium bonarum disciplinarum altricem censuisti: ac inde eam sapientiæ morumq; laudem paulo post ad tuos reversus vestræ Germaniæ ostendisti, ut jam omnes cognoscerent te non solum eximiam ad recta vitæ instituta*
C *progressionem fecisse, sed eos etiam aditus quasi adaperuisse, quibus lætos uberesque fructus ad genus humanum redundaturos & sperarent, & jam etiam cernerent: eamque spem & expectationem de præstanti consilio tuo, successus plane confirmavit & auxit. Videmus enim admirabilem illam tuam virtutem non modo elegantissimarum artium institutione, scientia ac judicio commendari, sed etiam animi magnitudine, clientelis, munificentia, liberalitateque mirum in modum illustrari: ut commoda, quæ ex tanta tua fortuna & amplitudine omnino maxima sperabamus, longe majora nos jam consecutos fateamur. Quamobrem ut multa prætermittam, egregia quadam ac plane invicta animi celsitudine te præditum declarasti, cum maximas opes profunderes, ut bibliothecam magna librorum Latinorum, Græcorum, Hebraicorum, aliarumq; linguarum multitudine ex Italia, exterisque provinciis comportata construeres & exornares, ut quam multorum hominum studia laudatissimo exemplo ad dignitatem, ac rectiorum disciplinarum cultum excitares. Tua enim semper laus erit, tibique acceptum referre debebunt studiosi, quod multis*
D *commodis fruantur, & quod animum optimarum artium scientia disciplinarumq; studiis excolere possint. Verum his in omnes collatis beneficiis, quæ maximæ sunt, acquiescendum tibi minime judicasti, quin potius majora moliri, ac alteram illam plane regiam benignitatem adhibendam dum afflictos recreas, jacentibus dexteram istam tuam pietate præstantem porrigis, de bonorum commodis & ornamentis cogitas, dum omnes denique liberalitate immortalibusque beneficiis tibi devincis. Siquidem existimasti te pro tua fortuna posse, pro acerrimo singularique judicio debere, ut curares tenuiores, felicioribus tamen auspiciis natos adolescentes, tuis sumptibus in Germania, Italia, & Gallia benigne tantisper fovendos & sustentandos, dum eos in omni bonarum artium genere progressus fecissent, ut docendi alios munus jam suscipere ac obire possint. Quo quidem instituto nullum illustrius, nullum ad commemorationem nominis tui cum omni posteritate adæquandam aptius esse judicamus: hac enim ratione declaras te maximo semper honore dignum, teq; perstudiose ea sequi, ex quibus vera, non adumbrata laus nascitur, &*

nomen

nomen tuum tot etiam & tam præclaris testimoniis virtutisq; monumentis ad omnem memoriam commendatum celebrabitur. Nam quæcumq; accuratius nunc scripta & expolita Germanorum opera sunt, ea forte omnia ad te missa, & tuæ felicitati credita leguntur: etsi non authorum commendatione, vel cuiusquam nomine sunt in manibus. Tibi debetur (de aliis eruditissimorum virorum lucubrationibus, quæ sæpe multæ sunt, nihil dico) quod Demosthenem, Æschynem, Isocratem, Pausaniam, ad nostrorum hominum cognitionem translatos habemus, dum eruditione præstantem virum Hieronymum Vuolfium in clientelam suscipis, ac præmiis ornas. Hæc cum sermone omnium ad nos perferuntur, cum in editis libris videmus & legimus, felices eos judicamus, quibus Dei beneficio datum, vel usu familiaritatis, vel officiis aliquibus tibi conjungi, qui à tantis ornamentis commendationem ducis. Quapropter ego primus fortasse eorum, qui ne de facie quidem te norim, accumte operam dedi, ut aliqua in re animum tibi atque observantiam probarem meam. Nam Hieroglyphicorum meorum commentariorum alterum Tomum admittendum censui, ut unicum studiosorum ornatorem, cunctarumq; artium bonarum præsidem: adeo tua non solum humanitate ac benignitate tua, plurimis quidem & amplissimis officiis perfecta studiosis omnibus, verum etiam, ut jam dixi, opinione qua apud me est, de egregia tua erga literas promptissima voluntate. Cui quæso aptius & convenientius hujusce modi scripta mitti possunt, quam ei, qui ita illa semper amavit & excoluit, ut in his ipsis vel tractandis, vel judicandis longe omnibus præstet, ac maxime insignis habeatur? Accessit huc & similitudo quædam, quam te habere video cum ornatissimo Florentinorum principe Cosmo, qui cum familia Medicea ortus sit, hoc est sapientiæ stirpe, avita quadam benignitate solus hoc tempore in Italia inventus, literarum, venustatis elegantiæ, atq; adeo virtutum omnium vindex. Quamobrem cum singulos fere Commentarios amicis variis inscripsissem, priorem Tomum in universum huic optimo Principi tuendum conservandumque præmisi: pari ratione satis feliciter agi cum hoc altero Tomo jam existimavi, si eum in tuam clientelam de me absente, deditissimo certe, tanquam præsente susceperis. Quod te facturum pro singulari tua humanitate minime dubito, cum jam Fuggerana domus in ipsa Germania non solum singulos ac universos debitis officiis complectatur, sed virtutis ipsius quasi seminarium existat. Præterea si requirendus erat literarum patronus, qui hoc tempore citius comparandus, apud quem tanquam portum, ipsa contra barbariem opem & patrocinium inveniant? Equidem quod ad me attinet, quotiescumq; ad ingenium, studia & instituta, tuæ inquam & Cosmi Medicei considerandæ animum confero, non possum non conficeri, me maximo cumulari gaudio, cum propter multa quæ & sapienter facitis, & optime ratione temporum habita statuistis: tum quod in tanta bonorum Principum orbitate, tantaq; beneficorum & liberalium hominum inopia, qua hodie passim in orbe Christiano (quod pudet dicere) laboramus, pro humanitate, sapientia, liberalitate prolixa, aliis libentissime exlargimini, quæ magnis laboribus, ac singulari industria consecuti estis, quodque omnes intelligunt vos in beatis & omni copiarum genere florentibus civitatibus principem locum tenere, in summa tamen vestra fortuna, virtutis laudem magis enitescere, quam fortuna gratiam. Quæ jam tuæ ἐξοχῆ adferimus, explicationem continent eorum, quæ sacerdotes Ægyptii ἱερογλυφικῶς circa corporis humani fabricam commenti sunt, auspicati à capite longe nobilissima parte: ne quis existimet hos Ægyptios ipsos ita brutorum cultui deditos ut non etiam hominem qua meretur veneratione susceptum reliquis omnibus prætulerint: ac μικρόκοσμον agnoverint. Nam si multa eruditi viri admirati, quæ illi in eo animantium genere quod nos rationis expers ducimus, observassent: longe plura sunt, quæ solo ex homine sacrarum apud eos literarum materiam ad sua illa hieroglyphica suppeditarint, quippe cujus membra singula in hujusmodi mysteria receperunt. Hasce meas lucubrationes separatim eo nomine tibi deberi intelligebam, quo studiosi & boni omnes communiter ingenii sui monumenta tibi deberi profitentur. Et certe si justi rerum æstimatores esse volumus literati, optimisque studiis dediti, nulla alia ratione majorem suorum laborum commentationem sperare possunt, quam si in tuæ principis nomine illas apparere fecerint, in cujus authoritate & judicio præcipua proborum doctorumque pars acquiescit, & qui animi magnitudinem diligentia, integritate & consilio sustinet, atq; tum literarum gloria, tum etiam sapientiæ laude fruitur.

Vale.

JOAN.

A

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XXXII.

## DE IIS QUÆ PER CAPUT SIGNIFICANTUR

### Ex ſacris Ægyptiorum Literis.

### AD JACOBUM FUGGERUM.

B

### *PRINCIPIUM. CAP. I.*

PRæcipuum quidem Capitis hieroglyphicum apud omnes fuit, ut ex eo principium intelligeretur, id vel frequentiſſimus authorum uſus, vel nominis ipſius indicat originatio: ſiquidem ita vocatum ait Varro, quod ab eo capiant initium, & ſenſus & nervi. Vel quotidianus ſermo aperte declarat, dum aliquem eſſe huic vel illi rei caput dictitamus, dum à capite aliquid exordiri, dum in proverbiis, piſcem à capite primum putere, Græci dicunt, cum malorum publicorum & privatorum cauſam in Reipublicæ vel familiæ cujuſquam principe conſiſtere profitentur: ad id Platonicum ſcilicet intuentes, tales eſſe cives, quales qui primatum inter eos obtinent. Et Cicero, caput eſſe ad beate vivendum ſecuritatem ait. Pro præcipuo vero, ad Appium Epiſtol. *An tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio, deinde Imperatori, deinde more majorum, deinde quod caput eſt, amico.* Sed quid alienis adeo immoremur, cum noſtris abunde uti poſſimus? Ipſo ſtatim Bibliorum principio, Bereſith, Aquila vertit, ἐν κεφαλίδι in capitulo, quod caput initium cuſtosque rerum ſit, vulgata editio fecit, *In principio*, quod hieroglyphici eſſet interpretamentum. Alii dixerunt, in capite, in Filio: nam mundus per ipſum factus eſt. Quod vero in Eſaiæ viſione habetur de Seraphim duobus, qui ſenis ſinguli alis præditi, binis caput Dei velabant, binis alteris ejuſdem pedes obtegebant, per adopertum caput, exordia Dei incomperta eſſe interpretatur Adamantius, per obtectos vero pedes, noviſſima non comprehendi, ſola media in conſpicuo eſſe, opera quippe ejus divinæ indicia providentiæ, cœlorum motus varios, Solis, Lunæ, ſtellarumque progreſſus, terræ, maris, & aëris viciſſitudines, & quæcumq; in rerum natura ſuo ſunt ordine diſpoſita: ſedenim quæ antea ita fuerint, novit nemo. Ex iis, quæ ſunt, Deum intelligimus: poſthæc quæ futura ſunt credere quidem poſſumus, ſed ſcire nequimus. Unde legas apud concionantem in Divinis literis Regem: *Annunciate mihi priora, & noviſſima quæ erunt, & dicam vos eſſe Deos.*

*Terent. in Eunucho.*

*Vel arceſſere.*

χθὺς ἐκ τῆς κεφαλῆς ὀζειν ἄρχῃ.

*Aperte Virgil. Æneid. 10. O Latii caput horum & cauſa malorum.*

*Capitis in Divinis explicatio.*

C

D

### DIVINITAS. CAP. II.

IN Deo ſane Caput cum ponimus, id quod in eo conſtat Divinitatis intelligimus, quæ cuncta ſcilicet præcedit, & cui omnia ſubjecta ſunt, diceret Eucherius. Idem & Hieronymus tradit eo libello, in quo, quid ſit Divinitas, explicat. Tam inſano vero cultu Ægyptii caput omne venerabantur, ut à capitibus & armis brutorum prorſus abſtinerent, Divinitatii injuriam facere arbitrati, ſi quis illa eſitaſſet. Platonici tradunt humanum caput ad mundani orbis ſimilitudinem compactum, in eoque duos animæ divinos circuitus interlocatos, eſſeq; membrum diviniſſimum ac reliquorum omnino princeps: reliqua, ut capiti ſerviant adjuncta. Caput, ait Hieroſolymitanus Heſychius, ut hoc obiter

*Una cum quinq; sensibus interioribus & quatuor exteriorib. Caput pro mente.*

addamus, uniuscujusque animalis ratione pollentis Mens dicitur, cujus sedes cerebrum: unde caput, & cuncta quæ adhærent jecori, super altare in holocaustum ponere jubemur: nam & cor & jecur concupiscentiæ nostræ impetum, motumque continent. Hinc Paulus nobis bene precatus: *Pax*, inquit, *Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Idem Hesychius huc adnectit illud ex Esaia: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis usq; ad verticem, non est in eo sanitas.* quod enim in nobis est rationis, ut dictum, in utroque habitat, & corde & cerebro. Non decet autem mentem sobriam dividi, sed esse veluti vinculum, quod affectus nostros ad sanam rationem adjungat atque devinciat.

## DOMINIUM, Cap. III.

*τὸ κεφάλαιον τῆς τυραννίδος, caput & princeps tyrannidis. Lucian. in Tyrannicida. Artem. l. 1. cap. 18.*

ET quamvis per se caput principatus indicium sit, longe tamen significantius hieroglyphiceque magis id ostendit, si fascia redimatur, sive ea Corona, sive, ut apud Græcos, Diadema vocetur. Nam & conjectores eo redimiculo caput insignitum per somnium visum, dominii signum autumant. Sedenim diademati suus est locus inter vestimenta, ubi reliqua tractamus insignia, nunc deq; capite simpliciter verba facimus.

## MUNDI MOLES. Cap. IV.

SErapidis simulacrum apud veteres authores celeberrimum, cœlum habere caput dicebatur. Unde Eustathius erudite 1. Iliad. veteres ait cœlum pro capite accepisse, atque ita Pallas de cœlo descendit, incitatiorem Achillis iram compressura. Sed quoniam multa super eo toto opere dicenda sunt, quod id sibi numen Ægyptii pro rerum natura confinxere, non importunum fuerit loco hoc totam hieroglyphicam ejus effigiem, per quam mundi totius moles indicatur, semel eo modo describere, quo exhibita est ab oraculo, quod ut fertur, ipse de seipso in Nicocreontis Cyprii regis gratiam his carminibus enunciavit:

Εἰμὶ θεὸς τοῖος δέμασι οἷον, κἀγὼ εἴπω
οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέμοι πόδες εἰσὶ, τάδ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
ὄμματα τηλαυγὲς λαμπροῦ φάος ἠελίοιο.

Sed quoniam in Macrobianis aliquot codicibus pro lectione, quæ est τοῖος, δέμασι. legere est castigatiore versu τοῖος δὲ μαθεῖν, si cui ea magis arrideat, dicamus:

*Sum Deus, ut discas, talis, qualem ipse docebo,*
*Cœlestis mundus caput est, mare venter opacum,*
*Terra pedes, aures versantur in æthere summo,*
*Lux, oculi, quam solis habet splendentis imago.*

Ubi animadvertendum, ventrem pro mari, & vice versa, mare pro ventre etiam apud alios accipi, præsertimque apud conjectores. Nam Hippocrates Cous horum sententiam secutus, cum ægrotum, qui per nocturnam imaginem mare perturbatum viderit, morbo ventris tentari conjicit, idq; minime contemptui habendum judicat, qui adhibitis remediis, quo nutricatu is curandus sit, statim docet. Quin apud nos etiam in sacris literis aliquid in hanc sententiam de Deo legere est. Nam, ut Cyprianus ait, mali dæmones ita per fabulas ea depravabant, quæ manifestissimis passim verbis in Divinis literis explicantur, ut illud in hanc sententiam apud Esaiam 66. *Quam mihi sedem ædificabitis? aut quis locus ad requiē mihi? cœlum mihi thronus est, terra autem scabellū pedum meorum*, quod, quo sit intellectu accipiendum, videris apud Adamantium super Genesim, homilia prima. Apud Hieremiam 22. *Nonne cœlum & terram ego impleo?* Et Prov. 15. *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Hinc Cyprianus idē, in abditis & secretis vel semotis locis, in cubiculis etiam ipsis orandum monet, idque magis fidei convenire. ut sciamus Deum ubiq; esse præsentem, audire omnes, & videre, & majestatis suæ plenitudine in audita quæque & occulta penetrare. Cum ita veteres per Serapin universam mundi molem, & ipsa rerum principia intelligerent, certatim eum templis magnificentissimis honestarunt, cujusmodi ea fuerunt, quæ in Memphi & in Alexandria celebrantur. Pausanias Athenis etiamnum templum Serapidis fuisse narrat, Ptolomæi in gratiam structum. Invaserat autem Ptolomæum

*Quin etiam tres in Deo vero personas, juxta oraculum, quod perhibetur Thulidi Ægyptiorum regi renunciatum. Sed hoc superstitiosorum commentis depravavit.*

A ræum Lagi superstitio ex dæmonis apparitione, qui jusserat, ut apud Eustathium est, mitti navem, quæ appulit Phocidi, & accepto inde oraculo Sinopen accessit, indeque Jovis Serapidis simulachrum transtulit, quod quidem cujusnam esset materiæ discerni non poterat: nempe ut chaos ipsum, cujus symbolum erat, præ se ferret. Et quod illi simulacrum in templo Alexandriæ ita vastum erectum est, ut dextra unum parietem, alterum læva perstringeret, ex omnibus metallorum lignorumque generibus compositum ferebatur, ut nihil non complecteretur: quod terra vel proferat, vel intra viscera abditum occultarit. *Ut & apud Spartanos, Messenios Bœotios.*

## LOCUPLETATIO. Cap. V.

EA autem potissimum de causa Serapis in cultu erat, quod persuasum mortalibus fuit, inde locupletiores divitias obvenire. Ait enim Psellus, dæmonas nobis sæpe divitias polliceri. Porphyrius magnorum dæmonum principes Sarapin & Proserpinam agnoscit. Nam omnino qui apud Ægyptios Serapis, apud Græcos Pluto est. Pluto idem qui Divitiarum Deus. Hinc avarissima meretrix apud Catullum solitita est, ut ad Serapin deferatur, cui preces alleget, divitias & opes petitura: B quod is dæmonum princeps locupletandis supplicibus dare operam, ejus superstitionis errore crederetur, atque ideo gestare calathum, de quo paulo post plura, unde bona hæc liberalissime deprom erentur, nunc pauca hæc pro re sufficiat attigisse. *Plato in Cratylo.* Τὸ δὲ πλάτανος ὄνομα μὲν κατὰ τὴν τοῦ πλάτους δόσιν. *Plutonis vero nomen ob dititiarum largitionem.*

## LUCRUM. Cap. VI.

EST & lucri signum caput, verum id apud conjectores: illi enim capitis magnitudinem insolitam, per nocturnam imaginem oblatam, divitiarum accessionem significare tradunt; propterea quod vulgo numi, ut apud Artemidorum est, Capita vocantur. *Idem Lucianus in Timone.*

## SALUS. Cap. VII.

RECEptum etiam est apud omnes, ut caput pro salutis hieroglyphico ponatur, idque in extremo discrimine commendare, id adjuvare, id devovere. Hinc totiens apud Homerum ea loquendi figura, ἐπ' ὀδυσῆι, κάρη, ἐπ' ἐμοὶ κάρη. Hinc Tib. Gracchus cum salutem suam populo commendaret, manu capiti superposita ire perrexit in Capitolium, quod illi male vertit, interpretantibus inimicis, eum ei signo diadema sibi deposcere. Tale aliquid apud Aristophanem Acharnanibus legas, di- C cente Dicæopoli: *Et si non justa profatus fuero, manu supra caput impositâ, quæque universus approbet populus.* Sed & portenta huic subscribunt significationi, tacta siquidem de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul dedicerunt, quo quidem ostento præmonstratum est Cæsarum progeniem una cum Nerone ejus gentis ultimo defecturam. *Artem. l. 1. cap 18. Sueton. in Galba c. 1. Portenta ex manu capilli superposita*

## DOCTRINA IMPERIO VE PRÆSTANTES. Cap. VIII.

ANtiquum autem fuit institutum eos honore numismatum decorare, qui vel doctrina vel imperio cæteris antecellerent. Quare Mitylenæi Sapphus imaginem numis impressere, Homerum Chii, auctore Strabone. Horum exemplum secuti Mantuani principes, Maronis sui speciem in numis aliquamdiu expressere, non immerito sibi alumno eo applaudentes, qui Venetiam universam sui nominis celebritate sempiternæ gloriæ commendavit. Plurimum vero Principum imagines posteritati per ejusmodi monumenta innotuere, neque numis tantum, verum etiam gemmis expressæ ut tot statuarum memoriam, quibus non suam tantum similitudinem humano habitu insignem D esse voluerunt, verum etiam facies suas diis adscribi, utque ipsi eorum nominibus vocitari se jusserint, prætereamus. Longe illud simplicius, quod Octavianus Augustus numum cusit, in quo singula ex utraque facie capita, atque ea quidem pulcherrime elaborata, eorum alterius inscriptio est, Divos Julius. alterius, Augustus Divi F. quam quidem inscriptionem multis aliis in monumentis usurpavit, ut in lapidibus, qui ruinarum injuriam effugerunt, passim Romæ legitur; cui ut adblandiretur Maro, Æneidos sexto, Divi eum genus appellavit; in Antiquissimis enim Romanæ Bibliothecæ codicibus habetur, Augustus Cæsar Divi Genus. Idem cum Sphingem repudiasset, qua tabellas signare solitus erat, non sine multorum conviciis, qui ænigmata illum missitare cavillabantur, Alexandri aliquamdiu imagine signavit, quoad sua demum uti collibuit cū, *Ut Domitianus qui se Deum & dominum asserens, statuas aureas, ac argenteas sibi in Capitolio poni jubebat. Sueton. in eod. cap. 13. Octaviani Augusti numismata. Sueton. in Augusto cap. 50. Imago Alexandri.*

authoritatis jam validissime corroboratæ, clarissimusque haberetur. Quin ea signare, qui quoque subsecuti principes, perseverarunt. A

## PROSPERITAS. Cap. IX.

Quod vero pertinet ad Alexandri imaginem, persuasum olim fuit, pervulgata inter homines opinione, illi prospere omnia successura, omnesque ejus actiones adjuvari, qui Alexandrum vel auro vel argento expressum gestitaret, adeo ut Macriana familia, quam suo tempore nobilissimam Romæ fuisse Trebellius attestatur, Alexandri effigiem consueverit habere quasi familiarem, apud viros quidem in auro vel argento, apud mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere. Quin & Antoninus Severi filius Alexandri studiosissimus fuit, cujus imagines cum passim renovasset, mortales, ut huic ejus studio adularentur, statuas aliquot erexere, quæ uno corpore facies duas gestarent, Alexandri scilicet & Antonini. Quam quidem superstitionem Chrysostomus acerrima insectatur increpatione: nam & eo tempore abusus hujusmodi circumligandi aureæ Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus, auferri nondum potuerant.

## DIVINA PROVIDENTIA. Cap. X. B

In Theodosii & aliorum, qui eo seculo fuerunt Imperatorum insignibus, in atrio præsidis Thebaidos nuncupati argumentum hoc pictum spectabatur, cujus exemplum in quodam ejus militiæ ordinum, officiorumque canone descriptum Romæ apud Maffæos inspexi. Tabula est libris quodam ordine dispositis onusta, quorum nonnulli syllabariis quibusdam notis inscripti sunt, quibus per compendium contentæ in eis rationes indicabantur, alii nihil præscriptum habent. Supra tabulam fastigium attollitur, in media cujus facie genii duo latum sustentant orbem, in quo caput instar humani, cujus ita inscriptio est, Divina Providentia. In angulis vero tabulæ, quæ descriptos, uti diximus, libros continet, singulis capita singula sunt apposita, quorum superius à dextera inscriptionem circumductam ostendit, Virtus. alterum à læva, Scientia, inferius à dextera, Auctoritas. quartum à læva, Felicitas. Quod quidem, ut puto, innuit rerum omnium gerendarum summam à Deo primum emanare: eumque conciliandum in primis, ut nostra omnia fortunentur. Mox necessariam esse virtutem, quippe animosum, aptum, & idoneum esse debere hominem, qui præclara sit facinora aggressurus. Verum virtutem solam parum prodesse, nisi accesserit & C disciplina, cujus scientia eruditi, & tempora & occasiones internoscamus. Sed enim & hæc, & illa vix sufficient, nisi & authoritas adjuncta fuerit, qua milites populique sub imperio contineantur, jussaque non contanter exequantur. Unde legas de Vespasiano, cum esset jam à militibus salutatus Imperator, authoritatem & quasi majestatem quamdam inopinato scilicet, & adhuc novo principi defuisse, quæ non prius accesserit, quam è plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adiissent, orantes, ut Tranquillus ait, opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere, cumque vix fides esset rem ullo modo successuram, ideoq; ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit, atque ita, quod primum desiderabatur, authoritatem indeptus est. Sed & quarta necessaria est, felicitas quippe: licet enim animis valeas, experientia sis eruditus, authoritateque communitus, nisi tibi res feliciter cedat, ruere plerumq; omnia, & elabi in irritum experieris. Addita hinc & altera tabula cum eisdem libris & librorum notis, & geniis in fastigio orbem cum capite sustollentibus, sed angulares circuli affixi adscripta habent nomina singula singuli, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems: ut scilicet admoneamur, diligenter nos animadvertere debere, ut suo quæq; tempore agantur, procurenturve. D

## MUSA. Cap. XI.

Nudum autem mulieris caput, quale Nympharum fingunt, nullis gestaminibus appositis, quæ hieroglyphici notitiam afferre solent, sed quod comam habeat nonnumquam ab occipitio nodo comprehensam, nonnumquam in humeros negligenter diffusam, Diodorus Musæ hieroglyphicum esse contendit: cujus dicto standum, cum in hujusmodi rebus indagandis non incuriosus fuerit, tametsi nonnumquam sententiam ex vulgo mutuatur.

TER-

## TERROR. Cap. XII.

A Muliebre simulacrum horrifica specie fabrefactum apud Corinthios, imago terroris erat: de quo Pausanias lib. II. Atque huc nonnulli tradunt Medusæ caput, quam Domitianus pro pectore gestare gavisus est, ut sui admirationem apud omnes incuteret. Quamvis non desint, qui factum id ab eo in gratiam Palladis, quam unice coleret, interpretantur. Sed enim de Medusa plenius in Anguium Commentario.

## ADVERSARIUS. Cap. XIII.



APud Mathematicos faciem invenias collo, ore, oculis, & toto capitis gestu tortuosam, idque contradicentem adversarium significare: cujusmodi simulacrum in decimum Scorpii gradum intulere, eoque supra horizontem ascendente in lucem editum, cervicis fore indomi-
B tæ, opinionisque destinatæ, futurum esse præsagiunt.

## ROMA. Cap. XIV.

MUlieris vero caput galeatum in plerisque numis Romam ostendit, non tantum quia Romani nihil non armis arrogarint, aut quia suam ad Martem originem referre voluerint, quam ut arcanum illud suum de Romæ nomine publicari vetito, peritis quidem rerum patefacerent, vulgo vero tenebricosius obscurarent, re ad interpretationem aliam distracta. Gergithius enim au- *Romæ nomen Cephalon. Virgil. 1. Eclog.*
thor minime contemnendus, antiquum Romæ nomen Cephalon fuisse tradit, quæ quidem, tantum alias inter caput elatura esset,

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Sed nos quid soliciti sumus, quibus rationibus Roma sit caput, cum Dominus Deus noster Christus
C Petro prædixerit, nomen illi Cephas convenire, quem scilicet Romæ principatui destinasset? Alias vero cum eum Petrum nominat, ad Capitolii immobile saxum alludit, ac perinde omnium, non Romanorum tantum, sed quaqua tota terra habitabilis extenderetur, caput futurus esset, quod dictum volui, ut Oecolampadii conversio diligentius expenderetur, qui cum Theophylactum Latinum faceret, verba illa, πάσης τῆς οἰκουμένης, videtur prætermisisse.

---

# DE BICIPITIO.

## CUSTODIA. Cap. XV.

DUo vero humana capita, quorum alterum maris, quod intro aspiceret, alterum fœminæ, quod extra prospectaret, custodiam significare Ægyptii tradiderunt: propterea quod hieroglyphici hujusmodi beneficio sese à nullo dæmonum infestari posse persuasum habebant: &, ut Horus ait, figura hæc satis superque ad tutelam sufficere credebatur, nullis vel literis, vel imprecationibus ap-
D positis, quæ infortunium amolirentur.

## DIMANES. Cap. VXI.

INvenias plerumq; in veterum monumentis capita duo, duabus additis inferne literis D. M. quod Dismanibus, hoc est, defunctorum tutelaribus sacrum vel commendatum intelligas. Cæterum, uti dicebamus, Ægyptii idipsum invenere volentes, & tutelam significantes, nullas addebant literas. Manes vero & superos & inferos, augures dicebant, invocabantque eos ita nuncupatos: quod per omnia ætherea terrenaque manare arbitrabantur.

## ANIMADVERSIO SEVERA. Cap. XVII.

TEnedium numum memorat Pollux, ab una cujus parte duo essent capita, ab altera securis cusa. Severissimæ hoc animadversionis signum, ut in armis alibi diximus, habebatur, qua Tene-

diorum Rex filium percuti jussit adulterii convictum, lata prius ab eo lege, ut in adulterio deprehensi mas & fœminæ eodem supplicio securi subjicerentur. Quo judicio cum neq; filio pepercisset, rem
*n politicis.* eo monumento jussit insigniri. Meminit hujus legis etiam Aristoteles in Tenediorum Republica. Et proverbium in acerbos judices inde factum, *Tenedia securis.*

## PRUDENTIA. Cap. XVIII.

*Macrob. Sat. l. 1. c. 7.* QUod vero bicipitium Jani apud Romanos celeberrimum fuit, sunt qui prudentiam solertiamque Regis præ se ferre autument: prudentis enim hominis est præterita noscere, futura vero multo ante prævidere. Hinc illa apud Persium exclamatio, cum hominis nescio cujus prudentiam desideraret.

*Indidem ex Macrob.* *O Jane, à tergo quem nulla Ciconia pinsit.*

Eodem ferme significato Antervorta Postuortaque, Divinitatis assumptitiæ comites colebantur.

## ANNUS INIENS. Cap. XIX.

*Ovid. lib. 1. Fastor.* NEque tamen desunt, qui bicipitium hoc ad munus occludendi aperiendique anni referant: nam & Cyprianus bifrontem eum exprimi scribit, quod in medio constitutus, annum incipientem pariter & recedentem spectare videatur. Quæ vero super hoc Ovidius late describit, apud eum videnda prætereo. Imberbe Jani bicipitium in numo quodam est, ab cujus altera parte quadrigæ sunt, cum Jove fulminante: inscriptio literis fossilibus ROMA, quod nimirum ipsius Reipublicæ fuerit. Geminus vero Janus utraq; facie barbatus in argento numo est, in quo literæ, L.F.M.F.O. V.R.I. Ab altera parte trophæum est cum flagello & sceptro, cujus apex serpentinus, Roma juxta, quæ coronam civicam trophæo superimponit.

## SATURNI BENEFICIA. Cap. XX.



JAnicolos plerosque numos videas capitibus geminis una cervice contétis, una parte signatos, altera navi. Sunt qui ex hieroglyphicis hujusmodi Saturni beneficia significari tradunt, Janumque eo monumento Saturno gratiam relatam voluisse, qui navi ex Ægypto in Italiam vectus agriculturam commonstrarit: nam à fatu illi nomen apud Latinos fuit. De ratico vero hujusmodi numo ita Ovidius:

*Lib. 1. Fast.* *Et bona posteritas puppim signavit in ære,*
*Hospitis adventum testificata Dei.*

Hunc vero fuisse primum numum cusum, & à Jano ipso signandi æris morem inventum, plerique memoriæ prodidere. Sed & Cecropis effigies biceps facta, quod linguas duas calleret, Græcam & Ægyptiacam. Porro fama est Athenienses Ægyptiorum colonos fuisse è Sacensi civitate duce Cecrope deductos, ut Nazianzenus in Monodia Basilii.

## INCONSTANTIA. Cap. XXI.

ALioqui Mathematici bicipitium inconstantiæ hieroglyphi cum posuere. Nam tertio supra vigesimum Leonis gradu bicipitis hominis simulachrum oriri confinxere, quod eo ascendente gradu natum, inconstantis ac leviter mutabilis voluntatis atq; sententiæ fore præsagiunt.

## BENE CONSULTORUM STABILITAS. Cap. XXII.

COntra vero quos Janos hujusmodi bicipitio insignes plerisque locis videas, sed sine manibus ac sine pedibus, qua-

drang-

A drangulari quodam ſcapo ita præciſo, ut ab humeris ubi in quadrum abire incipit deorſum verſus magis ac magis anguſtetur, per hieroglyphicũ hoc ſunt qui firmitudinem & ſtabilitatem eorum denotari dicant, quæ ſapienter & maturo conſilio gerantur. Quod vero manibus & pedibus careant, vim divinam oſtendit, cui nihil horum opus, ut quod facere deſtinarit efficiat: Deus enim ſimul & *Virgil. Æn. lib. 10.*

*Innuit, & totum nutu tremefecit Olympum.* *Idem Æn. lib. 1.*

Et alter,

*—— Dicto citius tumida æquora placat.*

Illa præterea dilatio, quæ fit à baſi ſurſum verſus aſcendendo, oſtendit humana omnia, quo Divinitati propius accedunt, eo auguſtiora amplioraque fieri. Unde apud Maronem Dido apotheoſin ſibi, ob res à ſe præclare geſtas pollicita, dicit: *Virg. lib. 4. Æneid.*

*Et nunc magna mei ſub terras ibi imago.*

de quo alibi latius.

---

B

## DE TRICIPITIO.

### GERYONES. Cap. XXIII.



PEr Tricipitium vero Geryonem in primis ſignificari paſſim invenias. Quid autem ſibi Geryones velint, & utrum hiſtoricum an fabuloſum fuerit commentum, ut adhuc in ambiguo ſit, ſcriptorum varietas efficit: vulgatior tamen eſt ea opinio, tres in Hiſpania fratres unanimi concordia imperium obtinuiſſe, quos Hercules oppreſſerit. Græci, ut ingenio ſunt ad comminiſcendum nova promptiſſimo, alia atque alia ſuper Geryone tradiderunt: ſed inter eos Hecatæus Geryonem affirmat loca circa Ambraciam & Amphilochos tenuiſſe, indeq; abactas boves, quæ ſpecie mira reperiantur in ea regione valde herbida, & paſcuis lætiſſima. Alii in Euxino ponto urbem τρικαρηνίαν *Geryones quid.* *Nempe punicei coloris Tricipitem.*

C memorant, cujus principem Geryonem Hercules ſuſtulerit, cumque boves ſpecioſiſſimas ejus abigeret, interroganti cujus illæ fuiſſent, reſponſum, Geryonæ Tricareni, quod Tricipitis ſonat; inde datum locum fabulæ.

### HISPANIA. Cap. XXIV.

SAne ut Hiſpania, quæ tripartito diviſa eſt, per hieroglyphicum Geryonis intelligatur, tum authores plerique, tum Imp. Hadriani tertium Conſulis numus oſtendit: in quo ſimulacrum triceps haſtæ innixum, quod dubio procul factum, ob Hiſpaniam peragratam, ſive ut originationem ſuam oſtenderet, quod Gaditana eſſet matre genitus, ut apud Spartianum eſt. *Imp. Hadr. numus.*

### LUNA MENSISVE. Cap. XXV.

INterpretes Heſiodi τρικέφαλον γηρυονῆα, Lunam ſignificari contendunt: alii tempus præſens, præteritum & futurum: alii triplicem menſis diviſionem, quæ ternis apud Græcos denariis diſpertitur, apud Latinos in Nonas, Idus, & Calendas dividitur. Græcorum nuncupationes ſunt, ἱσταμένου, ἐπὶ δέκα φθίνοντος, quarum nuncupationum ultima, dierum numeri Romano more retrocedunt. *Tricipitem Geryonem*

D

### AUXILIARES. Cap. XXVI.

NEque me præterit Plutarchum, in libro *de civilibus inſtitutionibus ad Trajanum*, aſſerere Geryonem multis oculis, multis manibus & pedibus præditum ea de cauſa vulgo dictitatum, quòd in negotiis obeundis conſilio uno, multorum opera uti conſueverit, quod in principe vel alio quopiam cui Reipubl. ſumma credita ſit, commendabile plurimum habetur. *Non* enim *omnia poſſumus omnes.* Idcircoque Pelopidas laudatur, qui legationem initurus, cum ſe ad dicendum parum idoneum intelligeret, adjutorem ſibi ſociumque muneris Epaminondam cooptavit. Sic Nicias cum ad labores tolerandos imbecillo admodum corpore & inexperto eſſet, Lamachum ſibi & robuſtum & induſtrium ſocium accepit. Quod vero ait Plutarchus Geryonem pluribus oculis, manibusq; præditum, *Quare multis manibus & pedibus præditus Geryon. Virgil. in Pharmaceutria.*

eumdem-

præditum eundem & Quadricipitem legas apud Aristophanem, ubi de Lamachò loquitur, Θεὸν Δαμάχεϛ γηρυόνη τετραπίλῳ.

## SOL. Cap. XXVII.

*Ad verbum ex Macrob. in Sat. lib. 1. cap. 20.*

TRiceps quoque Serapidis imago in numismatis quid sibi velit, in brutorum commentariis sparsim attigimus: sed id nunc locupletius explicandum est. Tricipitium est ex tribus animalibus, quorum in medio est Leonis caput, vastum admodum, dextera parte Canis applaudibundi blanditientisque, læva Lupi, superne calathus insidet: quæ species universa, Anguis ambitu complexa est. Qui Solem hinc interpretantur, ex capite Leonis tempus præsens indicari volunt: quod ejus conditio inter præteritum futurumque actu præsenti valida fervensque sit. Præteritum ex Lupi capite conjiciunt, quod animal est admodum obliviosum, oblivio autem de præterito est. Futurum ex adblandientis Canis effigie, quod est indicium spei, quæ nobis semper adblanditur: spes vero semper de futuro est. Competit vero Soli temporis consideratio. Quid vero sibi velit Serpens, ut Deus sit, ut temporis author, alio commentario satis explicatum est: alibique ostendimus hujusmodi tricipitium prudentiæ convenire. Calathum vero loco hoc ajunt altitudinem sideris commonstrare, vimque refertissimam ac opulentissimam: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.



## JUPITER ÆQUUS. Cap. XXVIII.

QUamvis qui Serapin Jovem esse dicunt, modium ejus capiti superpositum ea de causa figurari autumant, quod omnia sint æquis distributionibus ab ipso rerum omnium arbitrio moderata. Nam, ut optime Maro, *Rex Jupiter esse omnibus idem.*

*Virg. Æneid. lib 10.*

## DIANA. Cap. XXIX.

ET Dianæ simulachrum tribus insigne capitibus celebratur, quorum unum Equinum, Caninum alterum, tertium Humanum, sed facie admodum rusticana. Unde Maro:

*Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ,*

*Æntid. 4. Vel, ut alii maluerunt apri, aut juis agrestis ex Orpheo in Argon.*

dixit. Apud Æginetas tamen una tantum facie & unico corpore fingi Hecaten, talemque apud eos, statuam se observasse Pausanias tradit, Alcamenemque primum tria illa simulachra invicem connexa excogitasse. Quid vero sibi velit Equus, Canis & rusticana illa facies in eo simulachro, alibi docuimus.



---

## QUADRIFRONS.

## QUATUOR ANNI QUALITATES. Cap. XXX.

CUr vero Janus quadrifrons plerisque locis informari solitus sit, ea fuit causa, quod illi rerum omnium principia finesque, introitus exitusque dedicati essent: quin & quæ illi templa erigebantur, quadrata specie fiebant. Et mercatorum stationes trapezitarumq; mensæ, in ejusmodi juris habebantur, de quibus apud Horatium:

*Epistola 1.*

*——Hæc Janus summus ab imo Perdocet.*

Ad id etiam spectabat ea effigies, ut quatuor anni qualitates indicaret, quas Græci Latiniq; Hecas usita-

A usitatissimo vocabulo appellarunt. Horatius de Jove: *Variis, mundum temperat horis.* Et quoniam in horas incidimus, erat apud Megarenses Jovis simulachrũ, supra cujus caput & Parcæ & Horæ statuæ erant, ea de causa, inquit Pausanias, quod fata in Jovis omnino potestate consistant: Horas vero, quippe quæ nos Anni tempóra dicimus, arbitrio suo disponat. Cæterum quod ad Parcas attinet, Æschylus Jovem quoq; ipsum fato subjectum esse dicit, ita super eo locutus, ἄκαν ἂν ἐξέφυγε τὴν πεπρωμένην. Atque hinc forte Parcæ illi supra caput insident. *Lib. 1. Cap. 24.*

## JANI FILIÆ IV. Cap. XXXI.

CRitolaus tertio τῶν φαινομένων, Jani simulachrum ideo quadrifrontem figurari dicit, quod filiæ ejus quatuor laqueo gulam fregerint. Jani patris desiderio, quem agricolæ lapidibus obruissent: ubi de Jano illo loqui videtur, qui Saturni filius perhibetur, qui vino finitimis agricolis communicato, cum ii suavitate illecti plus æquo hausissent, in somnumque prolapsi diu jacuissent, experrecti demum, venenumque sibi propinatum arbitrati, consurrexerunt in Janum, eumque lapidibus oppresserunt. Hæc eadem à Plutarcho referuntur.

B

## QUINCUCEPS MANASSES. Cap. XXXII.

QUinis vero frontibus neminem præter Manassem formatum legi, qui Rex Hebræorum posteaquam Prophetam Esaiam sustulit, quincuplici facie statuam sibi posuit, ut longe plura se perspicere indicaret, quam Prophetæ, qui *Videntes* appellabantur.

## SEPTICEPS. Cap. XXXIII.

MULTISCIUS.



*Præsertim forsan in septem artibus liberalibus.*

MAthematici, si Petri Aponensis inventa sumus admissuri, quæ unde desumpta sint, quamque antiquum sit argumentum illud, alibi declaravimus, hieroglyphicum septem capitibus insigne, quintodecimo Geminorum gradu statuere: inde significantes, sub eo graduum numero in lucem editum Multiscium fore: quippe nul-
C lum doctrinæ genus, artem nullam, nullam denique linguam esse celebrem, quam is non sit optime consecuturus, eumdem tam publicis quam privatis rebus agendis aptissimum, & inter mortales admirabilem omnino fore pollicentes.

## DE COMA. Cap. XXXIV.

CApilli vero cum ad caput pertineant, hieroglyphicis ejus postulant adscribi, qui nimirum in Divinis literis cogitationes, quibus ornatur anima, mensque contegitur, significare feruntur à venerandæ antiquitatis Theologis: anima enim ipsa cogitationes generat, perinde ac caput sibi capillos profert, quibus ornetur & obtegatur. Hinc illud, *Capillos capitis nostri numeratos esse:* cogitatus quippe nostros omnes Deo patescere. Tondere autem, superfluas & inutiles cogitationes summo-
D vere significat: quæ nisi tondeantur, vel obcæcant, vel aliquod aliud afferunt impedimentum. Eucherius pilos veterum cogitationum indices esse dicit, ideoq; imperatum à Moyse, ut Levitæ abradant omnes corporis sui pilos. In Nazaræis autem non tondere, neq; quidem pati, ut eorum caput à novacula tangatur, indicium est, eos cogitatus suos, atq; omnem vitæ rationem, ita Deo dedicasse, ut nihil in eis superfluum appareat. Nam & qui sacerdotibus mandaverunt, ut barbam nutrirent, quod in Nazaræorum quandam similitudinem olim Concilia pleraq; statuerunt: fieri hoc intellexerunt, ut hi dum barbam capillosve vel viderent vel attrectarent suos, sui idemtidem officii recordarentur, cogitatus quippe suos in Deum dirigendos, totum esse sanctum debere sacerdotem, bono semper uti consilio, & in se nihil admittere, quod vel mutare vel summovere sit opus. Quis est hic, dicet aliquis, ut laudem Deo demus? Esto vel nullus, vel quam rarissimus, admonitio tamen *Matth 10. Capillorum in Sacris hieroglyphicum.*

hæc sub oculos assidue obversata proficere aliquid potest, veluti reliqua quoq; sacerdotis ornamenta gestaminaq; aliquid præ se ferunt singula, quæ per hieroglyphicum quæque suum, hominem integritatis admoneant. At decies in die vel justum cadere clamitabunt, ideoq; tondendum identidem, ut avellendarum cogitationum pravarum memores idemtidem simus: seducere enim seipsum hominem, qui se sine peccato esse professus fuerit. Atqui sanctius est longeque laudabilius, in eo mentem cogitationemque omnem collocare, ne potius peccemus, quam quotidie peccare, ut emendationis admoneamur. Sedenim quantum ad comam attinet, modum his moribus Gregorius sapientissime præscripsit, qui quarta & vigesima libri primi epistola, capillos ipse quoque in capite ait exteriores cogitationes indicare, & præsentis vitæ curas exprimere: quæ quidem ex negligenti atq; torpescente sensu coortæ, quia minus opportune prodeunt, nobis quasi non sentientibus pullulant. Igitur aliis qui præficitur sacerdos, neque prorsus debet solicitudines exteriores à se projicere, neq; illis multum inhærere. Coma itaque nequaquam deglabretur, sed ne immoderatius excrescat, diligenter attondeatur. Quod vero de non abradenda in rotundum facie capillorum, lege prohibitum est, vel, ut Septuaginta reddidere σπόρω, facere more barbarico, quod nonnulli densioris capillitudio factitant, ob Paganorum instituta nonnulla vetitum putant, apud quos voveri comas, & puerorum capita dæmonibus offerre mos fuit.

*Levit. c. 19.*

## SERVITUS. Cap. XXXV.

*Servi Agrippæ Posthumi factum.*

Cæterum rasitatio capitis apud Græcos pariter & Latinos diu servitutis indicium fuit. Ideoque Agrippæ Posthumi servus nomine Clemens magna ausurus, ut pro Agrippa jam necato, cui nonnihil omnino similis erat sese ferret, & res novas in Republ. concitaret, furatus domini cineres, Coram Hetruriæ promontorium vectus ignotis sese abdidit locis, donec (inquit Tacitus) crinem barbamque promitteret: nam servi caput rasitabant. Apud Aristoph. Avibus, Pistotherus admiratur Poëtam, qui se Musarum servum dixerat, comatum esse. Et apud Latinum Comicum tamquam mirum de se futurum dicit Amphytrione servus Sosia,



*Ut hodie abraso capite calvus accipiam pileum.*

## LIBERTAS. Cap. XXXVI.

*Artem. l. 1. cap. 22. Lacedæmoniorum. mos in bello.*

Onirocritæ frontem capillis glabram imaginari, indicium esse autumant liberationis à molestiis & impedimentis. Quin & calvitium ipsum, accersitis in judicium, aut supplicium timentibus, effugium ostendit. Idcirco vero Lacedæmonii frontes abradi, capillum à tergo dimitti jusserunt, ut longe tutiores in bello essent, adimereturque hosti facultas in pugna capillum apprehendendi. Nam & barbam etiam ea de causa, præter Græcorum aliorum morem, rasitare consuerunt. Quod si fugam meditarentur, instabat à tergo vinculum atque ansa, quo capi possent, atque ita præcapturæ metu destinatiore animo consistebant, adversique dimicabant. Pollux Euboicos opisthocomas vocatos ait, & Hectorem Timæus ea per terga fusa coma insignem describit, id quod Abantes primos omnium excogitasse Homerus tradit. Idem Homerus κομηκομόωντας Græcos ea de causa vocat, ut antiqui ejus interpretes tradunt, quod moris esset apud Græcos comas nutrire, in signum fortitudinis: Theseaque primum ajunt anteriorem capitis comam Apollini Deliaco dedisse.

## MOLLES. Cap. XXXVII.

*Æneid. l. 1.*

Alioqui coma tam apud Græcos, quam apud Latinos, mollitiei semper signum fuit: comatum enim puerum Græci probri causa dicunt. Et Cicero passim, capillum nunc compositum & delibutum, nunc comptum & madentem, nunc calamistratam in unguentato Consule comam incessit. Vituperat & Maro madentem crinem Mæonia suffultum mitra.

DE

A

## DE SEMICRINITO CAPITE.
### Cap. XXXVIII.

OSiris non ſemel dicendus eſt nobis, tot & tanta fuerunt ea, quæ ſuper hominis celebritate veteres memoriæ prodiderunt, dum commentum alii, hiſtoriam alii, conſectantur: veluti de ſemicrinito ejus capite varia traduntur.

## OSIRIDIS PEREGRINATIO. Cap. XXXIX.

NAm eam effigiem in Oſiridis memoriam fieri author eſt Xenophon, quiſquis ille fuit, qui ſcripſit Æquivoca, quo nonnulli peregrinationem ejus oſtendere interpretantur. Ita vero habebat ſimulacrum hujuſmodi, ut qua parte crines & barba promittebantur, ita prolixi ſinerẽtur, ut alteram oris partem omnino cooperirent. Cauſam hanc afferunt: quod toto expeditionis tempore, quo Gigantas bello perſecutus eſt (id decennium in Italia fuiſſe ferunt) capillum & barbam nutrierit, quam mox in Ægyptum reverſus depoſuerit. Unde mos inolevit apud Ægyptios, ut peregrinantes barbam *Oſiridis ſimulacrum.*

B & comum nutrirent. Superioribus annis facies hujuſmodi dextera parte capitis crinita, læva abraſa, Viterbii antiquo lapide viſebatur, egoq; apud Petrum Melinum virum Rom. nobilitate & literarum peritia inſignem, marmoreum capitulum vidi à ſiniſtra parte capillatum, à dimidia altera glabellum.

## MARIUM INTERITUS. Cap. XL.

COnjectores (nam libenter hos in comitatum accipimus, quod eorum dictata magnam cum Ægyptiacis hieroglyphicis ſimilitudinem habent) rem aliter interpretantur. Nam dexteram capitis partem capillis denudatam imaginari, oſtendere ajunt mares conſanguineos extingui debere: quod ſi nullos habuerit, damnum nihiloſecius aliquod extimeſcendum. *Artem. l. 1. c. 12.* *Artem. ibi.*

## FOEMINARUM INTERITUS. Cap. XLI.

SI vero læva capitis pars ſine capillis eſſe viſa fuerit, cui hoc acciderit, fœminas, ſi quas habet conſanguinitate junctas, interituras oſtendit: Si non habet, alicunde damnum omnino obventurum: cognatorum enim hi ſignificativum caput conſtituunt. Dexteras vero partes mares, ſiniſtras fœminas, in Tauri commentario non ex conjectorum tantum opinione, ſed & Medicorum & Philoſophorum & Aſtronomorum etiam traditionibus indicavimus. *Artem. l. 1. c. 13.*

C

## SOLIS VIÆ. Cap. XLII.

QUi demum Oſiridis rem curioſius interpretantur, Solem ajunt apud Ægyptios Oſiridis nomine acceptum, & manifeſto naturæ ipſius argumento lævas partes abraſas oſtentare, dexteras vero hiſpidas. Nam quo tempore dexteras, hoc eſt, Septentrionales mundi partes inambulat, virent omnia, herbis, fruticibus, arboribusque tum pubeſcentia, tum hiſpida: quo in lævam vertente, abradi omnia videntur.

## SENECTUS MISERA. Cap. XLIII.

OCcipitium vero calvum, ut iidem Conjectores opinantur, ſenectutem indicat inopem & infelicem. *Ibidem.*

## JACTURA. Cap. XLIV.

QUod ſi toto capite calvitium eſſe viſum fuerit, amiſſionem eorum, quæ ad vitæ ornamenta pertinent, præmonſtrari tradunt. Quin & abradi caput, niſi ſacerdotes ſint, aut ſcurræ, aut qui id *Ibidem ad verbum.*

D facere conſuerint, malum portendit, bona quippe eorum vi auferenda, navigantibus naufragium, morbo affectis periculum extremum, citra mortem tamen: quod moris ſit naufragio facto capillum deponere, neque non à morbo convaleſcentibus.

## SUPERFLUA SUMMOTA. Cap. XLV.

QUod vero ſacerdotes Ægyptii quotidie raſitabant, neque ullum capillorum veſtigium toto capite cerni patiebantur, hieroglyphice ſignificare volebant ſuperflua omnia ſummovenda: cujuſmodi ſignificatum habetur 21. Deut. ubi ſi mulierem quis ex hoſtico viderit approbavêritque, ita ut eam uxorem ducere concupiſcat, jubetur inter alia caput ejus detondere, unguesq; præcidere: hoc eſt (ut Cyrillus interpretatur) ſi quid in profanis diſciplinis deprehenderimus, quod approbemus, idq; in uſum noſtrum transferre cupiamus, dandam operam, ut ex his, quæ ſuperflua fuerint, amputentur.

VIRTUTIS DECOR. CAP. XLVI.

*oma Samsonis quid significet, & Dalidæ amor.*

IN Divinis denique literis multa leguntur de Samsonis coma, quam studiosissime nutriverit: propterea quod dum ea capiti esset applicita, quo diffusior erat, eo ipse viribus valentior, & ad infesta quælibet vincula disrumpenda robustior efficiebatur: ea vero detonsa, deficiebat viribus & tote robore destituebatur: Intelligitur vero Samson Nazaræus, ut vir aliquis Deo dicatus: comam enim is ordo religiosissime, uti dictum, nutriebat, per quam amplissimæ virtutis ornamentum accipimus, quæ caput hoc est, intellectum nostrum decoret: quæ quo magis excrescit, eo fortiores adversus adversarios motus efficimur. Per alienigenas, qui vincula contendunt injicere, humanos affectus & concupiscentiæ vim intelligimus: id enim innuunt preces sacræ, dum parci nobis ab alienis supplicamus. Quod si eveniat, ut humana victi fragilitate mulieris Dalidæ, hoc est, corrupti sensus amore corripiamur, declinamus in somnum, & in ejus gremium obdormiscimus, obliti scilicet eorum: quæ rationis lumine irradiati vigilantes operabamur, jam facti desides ignavique, bona opera intermittimus: in mulieris dolo tondemur, hoc est, voluptatis insidiis illecti spiritus fortitudinem amittimus, & inhostium ita potestatem incidimus, qui nos vexent, exagitent, & ludibrio habeant. Nulla enim re magis cruciatur homo, quam rerum humanarum cura: aut enim simulac huic deditus fuerit, avaritia, aut amore, aut odio, aut invidia, aut alia quapiam lue molestatione que male affectus, assidue laborat. Ubi vero resipiat (id enim est ubi expergefactus fuerit) errorem agnoscit suum, pœnitentiaque addictus amissam studet comam reparare, paulatimque vires ita resumere, donec pristino recuperato robore peccato jam moriturus, cum universo inimicorum conventu exitialem in se ruinam trahat, extinctaq; omni cupiditatum & vitiorum manu mundo etiam ipse moriatur.

DE CANITIE.

SENECTUS. CAP. XLVII.

*Hæc à Suetonio in Galba cap. 12.*

SUpervacuum videtur, per canos senectutem locorum ubique significatam dicere, sed illud commemoratione non injucundum fuerit, quod in hanc sententiam ostenta olim præmonstravere. Galbæ siquidem, cum is provinciam Hispaniam Tarraconensem ingressus sacrificaret intra ædem publicam, accidit ut puero è ministris acerram tenenti capillus repente toto capite canescceret, quod rerum mutationem significare Aruspices respondere, successurumque juveni senem. Nam is Neroni Claudio successit qui alterum & xxx. natus annum sublatus est, ipse tertio & septuagesimo ætatis anno Imperium adeptus. Sedenim Conjectores ominosum habent, si vel puer vel adolescens in

*Ad verbum ex Artemidoro lib. 1. cap. 26.*

senem mutari sibi visus fuerit: mortis enim propediem affuturæ signum hoc volunt. Neque lætum esse, si contra senex fieri se puerum imaginatus fuerit: portendere enim hoc imprudenter eum aliquid futurum, quod ei nocumentum asserat: propterea quod, ut Homerus ait:

αἰεὶ δ' ὀπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

DEUS PATER. CAP. XLVIII.

*Quare Deus canitie pingatur.*

INvenies in Divinis literis Deum visenda canitie figuratum, ut apud Danielem: *Capillis capitis ejus quasi lana munda.* Angelos hinc Eucherius, & albatorum multitudinem significari tradit. Alii ad humanæ naturæ similitudinem transferentes, ideo fieri autumant, ut dierum antiquitas inde subinnuatur: Deo enim nihil antiquius. Quod ea de causa libentius adnotavi, quia scio esse plerosque, etiam quantivis pretii viros, qui Deum patrem ea canitie insignem pingi nequaquam approbent.

DE BARBA. CAP. XLIX.

DE barba vero aliis atque aliis temporibus, apud alias & alias gentes varia semper fuit institutio, neque constans unquam usus. Verum de ritibus nunc dicere supersedebimus quod materiam hujusmodi perpetua nuper declamatione pecurrimus, ubi rationes explicuimus, cur sacerdotibus comam nutrire vetitum sit, barbam vero abradere non concedatur. Verum hic significata tantum pro secuti sumus.

VIR. CAP. L.

UNum ergo atque id præcipuum est barbæ hieroglyphicum, ut virilitatis indicium sit. Nam etsi alia sunt signa, quæ marem à fœmina secernunt, qui tamen plerique viri dicuntur effœminatiores,

A scere, mulieresq; idemtidem virum inducere: barba viri illius signum ad veteres habitum, qui non sexu, sed virtute ipsa longe alius à fœmina reperitur. Nam & mulieres si quæ virtutem hanc consecutæ sint, viriliter agere dicuntur. Unde Horatius de Cleopatræ animis ait: *Nec muliebriter expavit ensem.* Quod vero virum barba significet, multa Sapientum dicta testantur. Nam barbam se ideo gestare Diogenes respondebat, ut se virum esse subinde recordaretur. Haliabas & plerique philosophi admodum clari, barbam dixere viris à natura ornamenti dignitatisq; causa contributam. Inde Artemidorus, filios tantum ornamenti patribus afferre dicit, quantum ori barba decoris addit. Cynicus apud Lucianum, tam deforme putat esse ornatum barbæ auferre viris, quam Leoni jubas attondere. Thesca perhibent tondere barbam nunquam voluisse, ut virtutem ipse suam eo profiteretur indicio, qui tamen omnium primus anteriorem capitis comã Apollini Deliaco dedicavit. Sed hæc tam multa sunt, ut si omnia complecti velim, nunquam habitura sint finem. Ad nostra igitur revertamur. *Sed nec radet is barbam*, inquit, *qui Dominus est*: vel ut Septuaginta: *non corrumpetù barbæ faciem, quia perfectionis nostræ signum est barba*, Hierosolymitanus ait Hesychius. Neq; enim est congruum, B virtutes, quarum barba symbolum gerit, corrumpere, agentes nos non sub vero, sed sub falso & ficto habitu. Theologi veteres, quos imitatur Eucherius, eo loco Regum, ubi Hanno Ammonita nunciis Davidicis, qui de patris obitu Regem consolaturi advenerant, barbas abstulit ad ignominiam, historiam ad mysticum sensum deducentes: Hannonem injuriosum diabolum esse dicunt qui subinde benefacere volentibus barbam abradit, hoc est, fortitudinem adimit. Ita apud eos barba erat fortitudinis hieroglyphicum: quia scilicet virum indicat. Atque ubi Dominus 21. Levitic. cap. repetit ad sacerdotes filios Aaron: *Non radent caput, neq; barbam: Caput & barba*, ait Hesychius, *sapientiæ est & perfectionis nostræ signum.*

*D. Laertius in Diogenc.*

*Artem. l. 1. cap. 32.*

*Levit. c. 9.*

*2. Sam. 10. vers. 4.*

## ORTA SENESCERE. Cap. LI.

CUr vero intonsa semper barba sit Æsculapio, cum tamen pater ejus Apollo impubis passim ostentetur, capilla ejus tantummodo luxuriante, hieroglyphicum Philosophi sic explicuerunt. Nimirum ille rerum author viridi semper fruitur C juventa, verum omnia quæcunq; generantur, in senium ocyus aut serius vergunt. Sed quamvis ita passim barbatus Æsculapius figuraretur, apud Sicyonios tamen simulachrum ejus imberbe ex auro & ebore confectum fuisse, Pausanias tradit.



*Pausan. in Corinthiacis ait hoc simulachrũ fuisse apud Phliasios.*

## IMPERITIA. Cap. LII.

FAcere mihi videtur ad institutum negotium (ut id etiam addamus) quod sacerdotes illi imperitum hominem, eumque præsertim, qui universum vitæ tempus domi sessitarit nec aliorum mores hominum peregrinasve urbes inspexerit, ut ita rerum ignarus sit, ne rei cujuspiam rationem norit, non amicitiæ, non hospitalitatis jura fuscerit, ipse quis sit, utrum sit, an non sit, id quoque nesciat, per asininum caput humano appositum trunco significa- D bant. Asinum enim esse imperitiæ hieroglyphicum, suo, satis commentario declaratum est. Solitos vero Ægyptios humana corpora brutorum capitibus insignire, prout hoc vel illud animal alia atque alia præ se ferebat significata, testimonio ea multa sunt quæ in gemmis in marmoribus, in æs, ad hancusque diem monumenta superaverunt, quorum intellectus ad simplicium significationes referendus est. Hæc enim hoc loco persequi, infiniti laboris esset, & reliquis commentariis de animalium significationibus deriperet argumentum.



## DE CERVICE. Cap. LIII.

*Hoc est posterior colli pars, nam anterior gula dicitur.*

ADjuncta capiti cervix est, ita ut caput raro sine cervice proponatur. Ea autem, ut sola aliquod habet hieroglyphicum. Nos igitur & naturam & hominum mores secuti, aliquid etiam super ea referemus. Neque enim frustra illa modo mollis atque summissa, modo rigida erectaque, sed veluti ex habitu gestuque aliquid præ se fert, quod omnibus manifectum videatur, ita non indiligenter veteres sua inde significata desumpsere.

## SUPERBIA. Cap. LIV.

IN Divinis sane literis pro arrogantia atque superbia cervix accipitur, quare Psalm. 29. supra centesimum, *impiorum concisas cervices* legas, pro edomita superbia: Quamvis eo loco non desint qui *Funes*, hoc est, *Vincula* legendum asseverant: quæ scilicet injecturos se minitabantur. Pro claro vero signo, *Filiæ Sion ambulaverunt extento collo*, Esaiæ 3.

## FEROCITAS. Cap. LV.

NOstri ferocitatem per cervicis hieroglyphicum exprimere maluerunt: unde Horatius in Epistolis,

*lib. Epi. 13.*

——*At vos*
*Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,*
*Indomitæ cervice feros.*

Et elatæ rigidæque cervicis homines physiognomici superbos esse dicunt. Et apud Esaiam cap. xv. contumax hujusmodi vitula, sternax, & indomita, pro ingenii nostri documento notatur. Et Psalm. xxix. supra centesimum: *Dominus justus concidet cervices peccatorum.*

## AUDACIA. Cap. LVI.

PRo audacia, multa apud Ciceronem, ut illud in Verrem: *Tamen si qui erunt tantis cervicibus reperatores, qui audeant in provincia, cum Prætor adsit, contra voluntatem ejus judicare*, & hujusmodi complueraque.

## SUMMISSIO. Cap. LVII.

COntra vero summissum animum appositio jugo significat, estque hieroglyphici hujusmodi metaphora apud scriptores usitatissima. Cicero in Ant. *Dandæ cervices erunt crudelitati nefariæ: legiones ad urbem adducere, & eas in cervicibus nostris collocare cogitat.* Et de natura Deorum: *Iam impositis in cervicibus nostris sempiternum dominium.* Absque jugi vero signo in obsequii significatum vitula est Oseæ x. quæ trituram amare docta, supra Ephraëmei colli pulchritudinem transitura sit.

## DE DORSO. Cap. LVIII.

CErvici subjicitur dorsum. In dorso gibber esse solet. Gibberosus homo hieroglyphicum ejus est, qui, ut in Divinis literis habetur, rejicitur à sacris, eumque significat, qui flagitiorum sarcina oneratus est, neque tamen errorem aut delictum intelligat suum: utpote qui non videat manticæ, quod in tergo est. Vide vero illud: *Quid operatur gibberosus quasi rectum?* ab Rege Israel dictum in Regem Syriæ.

## FUGA. Cap. LIX.

DOrsum autem fugæ manifestum est hieroglyphicum. Unde 1. Regum, ubi de Dagonis idoli casu scribitur: *Arca Domini juxta locata, noctu fractum dissiliisse, maneque dorsum ejus tantum inventum*, quod indicium fuit, veri numinis adventu falsum ejectum, & in fugam actum. Nam qui fugiunt, persequentibus dorsum dant. Eadem sententia in Psalmo scriptum: *Quoniam pones eos dorsum*, hoc est, *coges eos arreptam fuga dorsum obvertere.* Id nostri dixere: *Terga dare.*

*Psal. xx.*

DE

A

## DE HUMERIS.

### VIRES. Cap. LX.

HUmeri dubio procul vires & fortitudinem, ut Eucher. ait, in Sacris literis indicant. Unde Isaias, Cap. 9. cum magni arcani onus crucem ipsam gestandam prædivinaret: *Potestas*, inquit, *super humerum ejus.* Cicero de senectute: *Cum humeris bovem sustineret vivum.* Et Orat. pro Flacco: *Respublica quam vos universam in hoc judicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris, Judices, sustinetis,* & ita sæpius.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

B

## LIBER XXXIII.

## DE IIS QUÆ PER OCULOS, AVRES, NASUM, OS, ET IN EO PARTES SIGNIFICANTUR

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD URBANUM BOLZANIUM PATRUUM.

C *FAcile meminisse potes, honoratissime Patrue, quarto ab hinc mense cum Venetiis essem, teque viri illi clarissimi, Daniel Ranerius, Nicolaus Leonicenus, & Leonicus Thomæus adiissent, Græcas adhuc literas ætate tam confecta docentem inspecturi: quænam illa fuerint, quæ super oculis ex totius antiquitatis eruditione repetisti, quæque illi ad propositum argumentum addidere: quid super auribus, quid super ore, & ejus partibus examinarint. Nam eum tu diem, ob eorum amicorum conventum, & tam variam rerum eruditionem inspectam, quæ hinc inde emicuit, inter totius vitæ tuæ jucundissimos recensuisti. Comperimus vero te in honestissimo studiosorum cœtu Pindari oracula interpretantem, forteque locum illum explicabas, Nemeis, Diniæ, μαρτυρεῖ δὲ καὶ πίστις ἐν ὄμμασι θέσθαι πίστιν. hic tu horum adventu plurimum exhilaratus, opportune de lætitia, quæ statuerit in oculis fidem, disseruisti. Gestit enim interpretabaris, voluptas ex oculis fidem facere: lætitiam scilicet oculi patentioris figura hieroglyphice apud Ægyptios significari, in iisque jucunditatis præcipuam esse sedem, quia gaudium se primum ab oculis prodat. Eorum enim tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum bilaritate, motus animorum explicari, atque, ut nostri ajunt, eos nimis argutos: quemadmodum animo affecti simus, loqui. Polemonis dictum haberi, oculos esse tanquam fores animi: per oculos quidem animum emicare, indidemque animum introspici: ex quo nonnulli oculum verum cordis nuncium dicitarun*

D *Usque adeo vero totam corporis vim in oculis incumbere, ut Zamolxis & Abaris Philosophi, toti corporis curatione opus esse dixerint, si quis oculis mederi vellet: quod si corpus curare quis affecti ret, animum in primis depurgandum. Subjecisti mox: Essent autem multa ex Ægyptiorum doctrina in oculorum hieroglyphicis: sed ne vos κῦ πάρεργον importune demorer, reliqua Pindarica prosequar. Imo, respondit Ranerius, peropportune, Urbane pater, in hunc sermonē incidisti, ut de literis Ægyptiacis loquerere. Nam per totum hesternum atque hodiernum diem hospites hosce meos Leonicenum atque Leonicum fatigavi, super hujusmodi generis doctrina eos perconatus, qui quidem multa eruditissime, nunquam sacra Cereris aperuerunt. Sed quod ad singulorum partes faceret, hærere se aqua in plerisque ingenue professi sunt. Causa autem hujus inquisitionis erat, quod tabula cujusdam ob antiquitatem admirabilis exem-*

*exemplum ad me Roma misit Bembus meus, obeliscorum etiam plurimas notas, quæ illic reperiuntur: quas quia ex Ægypto olim aduectas manifestum est, tuq; Ægyptum peragrasti, ubi magna est inscriptionum hujusmodi copia, & quæ tua semper fuit in antiquitate omni cognoscenda cura, studium, & diligentia, putamus te rerum hujusmodi non ignarum. Ad hæc Horum Ægyptium à Philippo quodam Græce redditum accepimus, qui materiam hanc tractavit, sed codicem hujusmodi, quamvis ab Aldo nostro publicatum, plurimis locis mutilum & imperfectum invenimus, non utiq; Aldi, viri diligentissimi negligentia, sed exemplarium vitio, quæ rarissima reperiuntur, atque ea in damno omnia. Eaq; de causa nunc ad te conveneramus, si quid horum nosti, à te libenter audituri. Et quoniam oculi jam hieroglyphica commemorare cœpisti, ea rogamus (ut etiam pro amicis his meis loquar) ne nobis invideas. Hic tu: Gravissimum viri optimi onus cervicibus meis imponitis, cum pauca admodum ea sint, quæ præstare possim, ut vestro respondeam desiderio: siquidem argumentum hoc in tot pyramidum, & inscriptionum antiquarum memoriis, quas non in Ægypto tantum, verum & Roma, & plerisque aliis in locis aspexi, me quoq; diu multumq; torsit, cum rerum harum observationes apud scriptores diligentissime conquisierim, interpretationes autem, præter lævia quædam, nusquam repererim, easq; tantum veluti nutu quodam indicatas ut asseritis, Niliacique opusculum, in quo talia promittuntur, lemmata summatim quædam attigerit, atq; ea qualiacunque sint in manus nostras corruptissima pervenerint: quare, uti dicebam, quid super hac re polliceri possim, quod satis vobis faciat, non habeo, pudorq; non minimus me absterret, de secretioribus literis apud eos loqui, quos nihil, quod sciri possit, ignorare compertissimum habeam. Ne tamen rusticitatem ullam indulsisse videar, quæ paucissima mihi cognita sunt, proferam: ea spe, ut à vobis & meliora & reconditiora sim magno meo cum fœnore recepturus. Et ne tempus in excusationibus quantumvis honestis conteram, quæ de oculorum hieroglyphicis recitare possum, quando ita vos jubetis, ut in memoriam venerint, explicabo: quod eo libentius facio, quia dum vos charissimas animas conspicio, succurrit illud Euripidis:*

*Ὄμματ' εὐνοῦ φωτὸς βλέπειν γλυκύ.*

*Suave est viri benevoli oculos intueri.*

---

## JUSTITIA. Cap. I.

*Varia justitiæ epitheta. Justitiæ oculus.*

APud Ægyptios Sacerdotes primum omnium Justitiæ servatorem per oculi patentis hieroglyphicum significari compertum est, frequensque dicterium apud Græcos, quod minime ignoratis, δίκης ὀφθαλμὸς. Tum Plato Legum nono. Justitiam Speculatricem atque Vindicem appellat. Chrysippus oculos justitiæ acres, rectos atque immotos facit, quod eum, qui recte judicaturus sit, non oporteat huc aut illuc oculos ab honesto deflectere. Illud etiam nostris ex Diphili Comœdia:

*Hoc à Gellio l. 14. c. 4.*

ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

quod Nepos meus ita reddidit:

*Est qui tuetur cuncta justitiæ oculus.*

Apud Epigrammatarios, qui temporis injuriam pervixere, pulcherrimum habemus pentametrum:

Ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα.

quod Nepos idem:

*Cernunt omnia quæ fiunt lumina justitiæ.*

*Justitiæ oculus.*

Hinc aliqui in facienda dictis fide, justitiæ oculum attestantur. Orphei quoque id de Sole dictum. Ὄμμα δικαιοσύνης, cui justitiam in primis veteres dedicassent. Unde Bithynni, quod scribit Arrianus, indicia ex adverso Solis sedentes exercere consueverant. Et veteres Theologi justitiam prodidere, ut Proclus ait, è medio Solis throno per cuncta propagari, omniaque, veluti Sol ipse omnium moderator est, dirigere.

## MODERATOR. Cap. II.

*Ad hoc Macro. in Som. Scip. c. 20. Osiris etymon.*

MArcus Tullius vester Solem mundi *Mentem & temperationem* appellat, Scipionis somnio: Et vetustissimi illi sacerdotes moderatorem hieroglyphice significaturi, oculum & sceptrum facere soliti sunt: nunquam in sceptro ipso ramusculos complicare, ut in complexum coëuntes oculi speciem in medio spectandam informarent, eaque specie Osirin, quasi multoculum dicere vellent, intelligebant. Nam Os Ægyptiaca lingua, multum: Iris vero oculum significat, cujus interpretationis & Plutarchus lib. de Iside & Osiride, neque non Eusebius meminere.

SO-

## SOLIS VIS. Cap. III.

A IMaginem enim Osiridis apud Plutarchum fulgendi admodum amiculo vestitam habemus, ex quo Solis vis intelligebatur. Apud Euseb. εἶναι μὲν τὸ ὁσίριν πολυόφθαλμον εἰκότως. Hinc Homericum illud:

ἠέλιόν θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις,

Quem secutus Maro dixerit:

*Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras.*

Illud vero non ignoratis, eundem esse Osirin & Dionysium, unde Eumolpus:

ἀσφοδελὸν διόνυσον ἐν ἀκλύστοισι πυρωπόν.



*Osiridis imago.*

*Æneï. I. 4. Natal. Comes lib. 2. c. 2.*

## CUSTOS. Cap. IV.

B QUinetiam ab officio in universum corpus præstito, custodem ex oculo hieroglyphice [illegible]ificari comperimus, Unde oculos nonnumquam geminos totidem capitibus incumbentes aspeximus, quod Dis manibus interpretantur. Capita enim Manes apud Ægyptios, oculos vero divinitatem præ se ferre manifestum est. Maxime vero admirandam esse custodiam, quam oculus pupillæ præstat, ex Euthymio didicimus: siquidem Psalmo decimo septimo philosophatur, *Tunica super tunicam:* & alia quædam integumenta eam muniunt, quorum alia tenuia & translucida sunt, ne ullam pupillæ, quæ suaptæ natura humida est, ac perinde mollis, inferant asperitatem: alia vero exterius crassiora, ut palpebrarum tunica, quæ duobus est semicirculis distincta, ut pulveris atque aeris incursum & parvula quæq; animalia in oculos involare solita, repellat atq; summoveat. Quin pilis etiam vallatæ sunt, ut sudorem prope fluentem alio avertant, neq; in oculum influere permittant. Acutum enim & salsum sudorem esse, ac perinde molestum & cruciabilem, si oculum attigerit, futurũ.

## DEUS. Cap. V.

C PRæclara autem illa sunt, quæ de Deo ipso per figuram nuncupationemve oculi commonstrato, intelligebant, veluti scilicet in minori mundo oculi sunt articulorum omnium præstantissimi pulcherrimique, ac omnium actuum moderatores, ita Deum illum Opt. Max. mundi oculum, patrem luminum à Jacobo nuncupatum, omnia formositate transcendere, omniaque gubernare, atque, ut ait Apostolus, nihil eum latere, cujus oculis omnia nuda & aperta sint, atque ita bonos & malos speculetur, &, ut quæ pro facie sunt homo videt, ita quæ delitescunt in imo corde prospicit Deus & perscrutatur. Hinc eruditorum opinio est, Ἰεὸν, ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι dictum, quippe quod omnia prospiciat, ut inquit Eucherius, quique oculi in Divinis literis Deo attribuuntur, ejus sunt signum intelligentiæ, cui porro nihil occultum sit. Cyrillus libro nono Apologiæ, quam Juliani Apostatæ maledicta cavillationesque in pietatem nostram refellere aggressus est, ubi ille Moseos ænigmata reprehendit, qui verbis, non occultis rerum involucris, humanum genus erudire debuisset, is omnes, qui antiquitus habiti sunt sapientes, hujusmodi institutionis genere usos indicat, cumque Ægyptios memorat, eos dicit per oculum, & adjectum scipionem, ut paulo ante diximus, Deum intelligere voluisse: quippe

D summam super omnia naturam, quæ scilicet omnia conspicere, ac omnium dominaretur. Per Sceptrum enim passim Regiam intelligi dignitatem. Quinetiam absque oculi pictura plerosque vererum reperimus Deum per stantem baculum figurasse. Cur vero ex humanis membris oculũ illi pro Dei signo desumpsissent, eam afferunt rationem: oculum humanum mistura suæ materiæ aliquid lucis possidere, quod in nonnullis tam efficaciter exploratum est, ut per medias noctis tenebras, oculis repente patefactis clare cernant: id quod præcipue Tiberio Imperatori contigisse prædicant. Et ætate nostra Marcum Antonium Sabellicum, dum apud nos Græce disceret, de se affirmationem audivi, quotiescumque noctu excitaretur, aliquamdiu & libros & instrumentum cubiculi universum liquidissime discernere solitum. Quo constituto, congruum idemtidem erit, unicum ac primarium illud lumen, quod omnem supereminet lucem, cum sit ditione fulgentissimi splendoris potens,

*Oculus mũdi Deus quomodo.*

*Ad Hebr. c. 4.*

*Macrob. I. 1. c. 23.*

*Xiphilinus à Dione in Tiberio lib. 57.*

ejusque omnino dominus, pro luce merito nominari, eum mundi lucem profiteri, ac per oculum lucis receptaculum, figurari.

## ANGELI. Cap. VI.

QUatenus vero noster oculus, licet alicujus sit particeps lucis, alterius tamen luminis indiget, si videre velit, eum Divos, sive Angelos, sive, ut veteres plurimum dicebant, Genios referre autumant: qui quidem sine superioris luminis, hoc est, Dei ipsius irradiatione obire per se proprium munus intelligentiæ nequeant intellectum enim quasi oculum videri, qui non ex se, sed lucis participatione videt. Oculum porro, hoc est, ipsum intellectus vigorem, non omnino esse simplicem, alioqui adventantis lucis compositionem concretumque minime pateretur. Hinc communis est authorum sententia, constare Angelos ex actu & potentia: quod altiori quadam inquisitione elucidari deberet, nisi solam hieroglyphicorum commentationem mihi demandassetis.

## SERMO. Cap. VII.

*Sermo dupliciter consideratur.*

UT cœptum igitur prosequamur argumentum, eundem Oculum invenimus esse sermonis hieroglyphicum apud Ægyptios, sermonemque ipsum dupliciter considerari. Uno modo quatenus loquendi facultatem à natura consecuti sumus: altero, quo in hoc vel illud idioma linguam inflectimus, & in proprio artem & elocutionem adhibemus. Simplicem itaq; sermonem illum per linguam tantum figurari: sed si cultum & elegantiam accessisse innuere vellent, linguæ oculum subsanguineum subjiciendum. Vigorem enim in eo quendam ita ostendebant, aut animæ principatum, cujus in sanguine sedes esse fertur. Sic autem perfectos animæ sermones effinxisse visi, similitudine nobilitate sumpta: quæ ut præcipue oculis in est, ita etiam sermoni congruit: casuum quippe multiplici declinatione, pronunciationis varietate, accentuum tenore, alio atq; alio oris, ac totius demum corporis motu, vel ab arte, vel à natura concurrentibus.

## CONTEMPTOR DIVUM. Cap. VIII.

ALicubi videmus in solea insculptum, oculum, quod juniores pro animo Deo subjecto, & ad ejus obsequia parato, posuerunt: quod ego aliorum judicio reliquerim. Scimus nos soleam simpliciter calcandi supprimendique indicium esse, ipso uno, quod satis est, Virgilio dicente:

*Georg. l. 2.* *Atque metus omnes, strepitumque Acherontis avari*
*Subjecit pedibus.*

Ideoque divum contemptorem, impium & perditum hominem intelligi, videri convenientius.

## FAVOR. Cap. IX.

*Verbi, aspicere hieroglyphicum.* *Æneid. l. 1. Vid. l. 1.*

NEque desunt, qui oculum favoris & beneficentiæ signum dicant, & in sacris verbum, *Aspicere*, significare se propitium & benignum ostendere. Videmus enim apud Maronem, ubi Jupiter *Lybiæ defixit lumina regnis*. Reginam rite quietum accipere in Teucros animum, mentemq; benignam. Contra vero de Pallade acriter irata, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat*. Hunc vero favorem qui per oculum indicatur, Theologi nostri Gratiam vocant. Unde quos Deus aspicit, fortunari: quos aversari videtur, derelinqui, & infelices esse profitemur. Et quoniam nutus plurimum in palpebris consistit, sunt qui palpebras attributas Deo locutionis ejus, quæ in Divinis literis habetur, hieroglyphicum esse dicant. Unde de incomprehensibilibus ejus sacramentis atque judiciis, diceret Eucherius, Psalmo dictum: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* Hieronymus quoque iisdem verbis, D palpebras (ait) incomprehensibilia judicia Dei, esse eodem citato versu.

*10 Psal. 10.*

## CASSUS LUMINE. Cap. X.

*Hinc forte esse illud allegoricum lib. 2. Sam. c. 5. Cæcus & claudus non intrabunt templum.*

IN Divinis literis, ut hoc subjiciamus, obcæcatus pro eo ponitur, qui Dei nullam habet cognitionem neq; ullam veritatis lucem intueri potest. Quod vero Assertor noster ait de oculo, qui mentem infestet atq; seducat, eruendo: inepte quidam, imo impie atq; Judaice carneum oculum re ipsa effodiendũ abjiciendumq; intelligunt: unde nunnulli, nacta hinc calumniandi ansa, in Christiani jugi suavitatem onerisq; levitatem, dura nimis præcepta Christi vocaverunt. Cæterum si tam stupidi sunt, ut Evangelicæ lectionis sensum non intelligant, sciant Chrysostomum, Cyprianum, & Hilarium, doctos pro-

A probosq; alios plerosque omnes, de amicis illis declinandis intelligere, quorum nobis perniciosa sit consuetudo, dum vel exemplo, vel etiam adhortationibus bducere nos à abonis moribus, & à vitæ integritate connituntur. Omnia enim fatemur amico deberi: sed usq; ad aras. Atq; hic subticuisti, mi patrue, profatus tantum, ne reliqua prosequerere, honorē habere te auribus gravissimorum hominum, cum lepide THOMÆUS conjectari se professus est, cur tibi tacendum imperasses: addens in explicanda rerum natura, obscurioribusq; scriptorum locis in lucem eruendis, sibi, utpote viro Philosophiæ studiis dedito, nullam esse debere verecundiam. Nam tu, inquit, oculum amoris lascivi etiam esse signum ideo dicere noluisti, ne Venerem ex obscœno carmine lumine esse pæto probare cogereris. Atqui poteras Venereum hujusmodi oculum ex Hesiodi Theogonia proferre: hunc enim, ut nosti, Poëta vetustissimus ἑλικοβλέφαρον appellat, quasi lasciviæ amorisq; plenum, & mobilitate lubrica quoq; se facile vertentem, hominisq; mentem, in quem inspexerit, tenacissime complicantem, sumpta Hesiodani vocabuli à claviculis vitium metaphora, quasi aspicientes laqueis & vinculis devinciant atq; constringant. Hic tu, Patrue: Scio quid me deceat. Sed ea potius de causa finem feci, B quod nuper prælegendo, & nunc dicendo, lassulus mihi videbar: quare nisi vobis grave est, vos reliqua prosequimini, οἱ μὲν φέρδεροι ἐστὲ κρίνεσθαι καὶ λέγειν. Hic Thomæus multa de te honorifice locutus, admittendam lassitudinis excusationem dixit. Ut vero dictionem tuam prosequeretur lepidus senex; multa super amore ex Musæo & Platone disseruit: quemadmodum is ex pætis amati corporis oculis in amantis pupillas involet, ibiq; aperta sibi via in medium usq; cor penetret atq; transiliat, sive spiritus, sive sanguis sit tenuissimus, qui corpus in alienum tam lubricus illabatur: idcircoque signate admodum inverecundi, ac maxime petulantis hominis hieroglyphicum fieri ex oculo subsanguineo, observatum ab iis, qui Physiognomiæ scientiam tradidere, quare apud Lucianum de lascivo & admodum improbo adolescente dictum, habuisse eum ὕφαιμον ὀφθαλμόν. Neq; temere Ovidium inter lasciviæ signa posuisse, purpureas genas pollice tangendas, cujus hæc sunt carmina:

*Julianus Apostata.*

*Oculus Venerem.*

*Cum tibi succurret Veneris lascivia nostræ, Purpureas tenero pollice tange genas.*

*Subtus sanguinem habentem oculum.*

## LIBIDINOSUS. CAP. XI.

C ITaque si hominem Veneris usui intemperanter deditum significare quis voluerit, ejus ajebat oculos glabris ex toto palpebris effingendos, quarum pili tunc defluere incipiant, cum res Venerea cœperit exerceri: eoque magis decidunt, quo amplior accidat ejus rei usus.



## PRÆSTANTIA. CAP. XII.

ADdebat denique ad ea quæ de amore aut pulchritudine, aut alia quapiam charitate, quæ affectum excitet, disseruerat, oculum esse ubique hieroglyphicum rei, quæ maxime præstet, quæque carissima omnium habeatur: Catullianaque illa tot exempla, quæ toto passim opere comperiuntur, rei locupletissimum facere testimonium. Sed quod insularum peninsularumque omnium ocellum dicit, ex Pindaro desumptum, qui Agrigentum Siciliæ oculum vocet, Olympiis, ode D secunda, σικελίας τ' ἔσαν ὀφθαλμός. Atque in hanc sententiam Tullius: *Hi duos oculos terræ maritimæ effoderunt.*

*Siciliæ oculus.*



## VITA MORSQUE. CAP. XIII.

PEr adapertum autem oculum hieroglyphice Vitam significari, veluti per eum clausum, Mortem. Hinc apud Homerum totiens, *Intueri Solem*, pro *Vivere*, hinc *Claudi lumina*, apud eundem, neque non apud nostros ubiq;, pro *mori*. Oculos enim morientibus operire, rursusq: in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum fuisse legimus: ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas esset, & cœlo non ostendi nefas, authore Plinio.

*Ad Licinium Calvum.*

## METEORA. Cap. XIV.



JAm & monoculos Cyclopas hieroglyphice confictos ea de causa, quod eorum officium circa fulgurationes,& fulmina, & hujusmodi alia versari commentum fuit: quæ quidem in aëre fieri manifestum. Aër autem cum in medio sit situs, datus est locus fabulæ ut oculo unusquisq; uno tantum in medio fronte sito, præditus haberetur. Ita interpretes Hesiodi Theogonia commentati sunt.

## JOVIS PROVIDENTIA. Cap. XV.



*Nempe ligneam.*

STatuam demum Jovis in subdiali ara, ad quam Priamum Troja capta incensaque confugisse proditum, tribus insignem oculis fuisse ex Pausania cognitum, idque simulacrum à Sthenelo Capitanei filio Argos translatum. Hieroglyphice vero indicasse triplicem ejus providentiam, quæ cœlestia, maritima, & inferna curat. Æthereum enim eum passim & ab omnibus appellari. Quod maris imperium gerat,& nostri sæpius,& Æschylus atque alii apud Græcos ostenderunt. Quod infernus etiam sit, Homerus καταχθόνιον eum vocat. Atque idem de Junone apud Maronem Junoni infernæ dictus sacer. Atque hic cum Leonicus & Sereatu & pituitæ absterssione paulum substitisset, Ranerius excepit. Quantum ex iis quæ hactenus allata sunt observavi, pauca admodum & jejuna propemodum ea esse conspexi, quæ veterum traditione ad hieroglyphicorum explicationem extare comperimus. Animadverti vero te, Thomæ, caute admodum ad Græcorum & Latinorum eruditionem confugisse, ut rem ipsam locupletares, abundantioremque redderes: quod & Urbanus egregie fecerat, cum ad sacras præcipue literas deflexisset. Nam quamvis rerum effigies pro verbis positæ sint ab Ægyptiis, in iis tamen, uti video, Philosophorum, Poëtarum, Historiarum, & Divinarum etiam disciplinarum sententiæ delitescunt, quæque illi angustiis oculorum spatiis incluserе, reliqui ea per latissimos eloquentiæ campos produxere: unde ansa datur commodissima, rem amplificandi,& quaqua libuerit, cum simile nusquam desit argumentum pervagandi. Recte quidem Raneri doctissime judicas, respondit Leonicenus, Ægyptiorum argumentum hoc latissime diffundi posse. Nam & Hetruscorum doctrinam de prodigiis, & ipsa Onirocritarum commenta, cum Physica magna sui parte sint, ab Ægyptiis emanasse crediderim, qui præsertim videam ipsum Hippocratem nostrum tantæ claritatis medicum, decumbentium suorum somnia usque adeo magnifacere, ut ad hanc vel illam imaginem, quæ videri visa fuerit, morborum, quibus affligerentur, naturam exploraverit, seduloq; his animadverssis, opportuna remedia singulis adhibuerit. quæ quoniam ab eo diligentissime descripta sunt, superfluum fuerit commemorare. Tum Ranerius: Habendæ mihi sunt tibi, Leonicene, gratiæ non vulgares, qui conjectores mihi chariores esse facis, dum eos Ægyptiacum quid sapere docueris, quibus sum ab ineunte ætate mirifice delectatus. Dumque Urbanus, atque mox Thomæus loquerentur, titillabat me cupiditas quædam, ut ad ea quæ dicebant, de somniis quædam non incongrua subjicerem, sed verebar sermonis tam jucundi cursum interturbare. Atqui, inquit Leonicenus, opportune, vir clarissime, partem hanc de somniis tractasses, nobisque, si horum ego animos perspectos habeo, rem gratissimam feciseres: quare omnes te obsecramus, ut quæ dicturus eras, jamjam incipias explicare. Subsecutus est Ranerius. Cum oculo, de quo hactenus multa sunt dicta, cilia componenda mihi videntur, neque non supercilia. De ciliis Leonicus, dum palpebrarum tangeret nuditatem, optime.

*Pausanias in Corinthiacis & Agatarchides in Asiaticis.*

*Hom Iliad. lib. 1. Virg. Æn. lib 6: Leonici & Raneri dialogismus.*

SEVE-

A

## SEVERITAS. Cap. XVI.

SUpercilium ego pro ſeveritatis hieroglyphico poſitum video, cujus vos eam affertis rationem, ſenibus peculiarem eſſe ſeveritatem, eosque paſſim ita habitos. His vero ſupercilium maximè nutriri, & plerumque in hirſutum haberi, ut tondendum ſit, unicuique manifeſtum: quod propterea evenit, ut veſter tradit Ariſtoteles, quia ſupercilia compagini ſunt appoſita oſſium, quæ ſeneſcente ætate laxantur, & ita plus humoris transmitti patiuntur, unde ſuperciliis alimentum affatim impendatur.

*Severitas Senum propria maximè.*

## HILARITAS. Cap. XVII.

SEd longe ſecus invenimus Onirocritas ſentire, qui ſupercilium hilaritatis indicium eſſe poſuerunt, bonique alicujus adventantis præſagium, ſi & denſum, & bene coloratum apparuerit: maximè vero ſi mulier ea fuerit, quæ per ſomnium id ſe videre imaginata ſit: fœmellis enim id ſtudium
B accuratius, ut etiam intinguant, ad venuſtatem agendam. Solere nos præterea & ſerenitatem frontis, & animi jucunditatem, ex ſupercilii relaxatione interpretari.

*Artem lib. 1 cap. 27. In ſuperciliis pars animi his negamus & annuimus. Pl. l. 11. c. 37. Artemid. l. 1. c. de ſuperciliis 27.*

## LUCTUS. Cap. XVII.

GLabellum vero ſupercilium ſomniare, luctus eſſe ſignificationem, iidem Onirocritæ commenti ſunt, cujus ſigni cauſam afferunt, quod veterum mos eſſet ſupercilium in luctu vellicare.

## JUNO. Cap. XIX.

ID quoque mihi videtur obſervatione dignum, quod apud Sex. Pompejum habetur, Oculi ſuperius integumentum in tutela Junonis eſſe: quod eo protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam ab Junone tribui putabant: atque inde Lucianum eam dictam. Et partem eam capitis illi dicatam tradit Varro.

## NUMEROSA PROLES. Cap. XX

C APud eosdem conjectores, eum qui tres oculos habere ſe vel plures imaginatus ſit, ſi ducturus uxorem ſit, bene illi eventurum portenditur: filios enim quos quæſierit, brevi ſuſcipiendos. Indicium enim filiorum eſſe oculos, Arremidorus tradit, ſomniorum oraculis explicandis: propterea quod & amabiles ſunt, & inſtar oculorum chari, neque non ſeneſcentibus duces miniſtrique agendorum. Quod enim ad amorem facit, in promptu eſt dictitare nos, ferre in oculis eos, quos charos habemus, & unice diligimus. Præterea dixiſſe Ciceronem ad Atticum: *Oderat, nunc fert in oculis.* Et apud Catullum, nil charius eſſe oculis: *Ne te plus oculis meis amarem*, & hujusmodi multa.

*Artem. ib. cap. 28.*

*In luctu paſſeris, & ad Calvum*

## ORBITAS. Cap. XXI

SI vero quiſpiam utroque oculo per nocturnam imaginem obcæcari ſe viſus fuerit, eum aut filiis orbandum, aut fratres, aut parentes amiſſurum ajunt. Fratres quidem propterea quod oculi inter ſe germanitate quadam conjuncti cenſeantur. Parentes, quoniam lucem præ ſe ferunt, in quam nos eorum benefi-
D cio prodierimus. Quin etiam filios, ea quæ ſuperius allata eſt cauſa.

*Artem. ib. cap. 28.*



## SECURITAS. Cap. XXII.

CÆterum ſi quis compeditus ſit, aut alia quapiam calamitate circumſeptus, bene illi eventurum ſi obcæcari ſibi videatur: ſecuritatis enim id eſſe indicium propterea quod mala quæ circumſtent, minimè ſit inſpecturus.

## CÆCITAS. Cap. XXIII.

NEque diſſimulandum id quod ab eodem Artemidoro traditum eſt: Oculum in aure ſitum in ſomnis

*Lib. 1. c. 28.*

videri visum, cæcitatis indicium esse: quippe quod ostendit, aurium tantum beneficio percipi, quæ oculis legi consuerunt: Idemq; significari, si per singulos manuum digitos oculos quis dispositos inspexerit: propterea quod cæci tentabundi, manus oculorum vice utantur. Quæ quidem commenta cum mecum, jam à Leoniceno monitus reputare cœpi, Ægyptiorum inventis tam similia esse conspicio, ut inter hieroglyphica non immerito locum habere posse videantur: quod & pictura commode possunt exprimi, & certam rei rationem suscipiunt, Ad hæc THOMÆUS: Vera quidem, & nulli non approbanda sunt hæc, ornatissime Raneri, quæ dicere commentus es, atq; ego in ea sum sententia, ut nihil fere differre putem, utrum talia quæ recitasti, an vetusta ea hieroglyphica proponi debeant. Sed quoniam in aures incidisti, venit in memoriam mihi, in iis etiam esse multa, quæ doctrinam sapiant Ægyptiacam, qualia quæ sint, si permittant socii, libenter enumerem. At quid (responderunt omnes) acceptius & jucundius sit nobis futurum, hoc præsertim sermone suscepto, polyhistor noster Thomæ Leonice, cum quanta qualisq; sit eruditio tua ignoret nemo? Tum ille: Vestræ hoc est benignitatis dictum, nam nostra quam pedestria sint satis intelligo, sed qualiacumque dicam tamen.

## ÆQUUM DOMINIUM. CAP. XXIV.

*Nat. Comes lib. 2. cap. 1.*

APud Græcos in Creta simulachrum Jovis absq; auribus fuisse fertur: argumento, ut qui cæteris jura daturus est, neminem ullum privatim auscultare debeat, sed omnibus publicè consulere. Eaque de causa sapienter Alexander vere Magnus, alteram præbere aurem accusatori, alteram reo eservare solitus erat. Quod si quis eum, aut judicem aliquem aurem unam vel avertentem, vel manu adpressa obturantem effinxerit, ad hujusmodi significatum non inconncinum, ut puto, fecerit hieroglyphicum.

## SAPIENTIA, CAP. XXV.

*Simulacrũ Apollinis. Auctor Zenodorus ex Aristophane Grammatico.*



QUatuor vero aures manusque totidem, quibus Lacedæmonii simulacrum Apollinis præditum esse voluerunt, vero nimirum hieroglyphico, nihil aliud significabant, nisi sapientiam, cujus Deus ille symbolum esset. Eam autem & multarum rerum auscultatione, & operibus identidem agendis comparari. Non enim digne sapientem eum dixeris, qui se rerum cognitioni tantum emancipaverit, nisi & facta, quæ probes, inspicias, quæque is & diligenter & probe examinarit, in utile aliquod vel sibi vel aliis opus promulgarit. Res enim gerere, & captos ostendere civibus hostes attingit solitum Jovis, noster ait Horatius. Neque me fugit alios esse qui hieroglyphicum hoc Lacedæmoniorum summo Deo attribuunt, quia summa rerum sit Pythagorica πλειάς: de qua multa dicenda essent, sed enim non sunt hic ad commemorandum necessaria.

---

## DE NASO

## SAGACITAS. CAP. XXVI.

QUoniam vero Nasus est inter aures, interq; oculos medius, non est hic prætereundus. Ejus autem hieroglyphicum præcipuum est, sagacitatem indicare: Nasutiq; vocabulum Festo sagacem notat, quod uniuscujusque rei odorem statim explorat, & prius scilicet sentiat quam inspexerit. Sic auritum, ab audiendi curiositate dictum. Sic oculatum, qui exprompto oculi utitur beneficio. Sic cordatum qui corde præstet. Tu vero, URBANE pater, quia sacræ literæ odoratum sæpe Deo Opt. Max. attribuunt, quo sensu sit nobis accipiendum, explicare ne graveris precor. Tum tu Patrue: De Naso quidem unum tantum nunc succurrit, quod ad hanc rem facere videatur. Nares quippe in Deo

*Nasus & Nares.*

perscru-

A perſcrutationem eam ſignificare, qua ipſe corda hominum odoratur, eoq; ſpectare illud ex lib. Regum: *Aſcendit fumus de naribus ejus.* Alibiq, in ſacris literis, odorari, cujus & indicium & inſtrumentum eſt naſus, placere ſignificat. Ita Noë ſacrificante *odoratus eſt Dominus Deus odorem ſuavitatis:* hoc eſt, placuerunt illi ſacra, quæ vir illæ probus obtulerat. Idcirco Lex hominem qui vel parvo, vel magno nimis, vel obtorto naſo fuerit, ab altari ſancto ſummovet: ne ſcilicet accedat ad miniſterium ejus. Tales ſunt quibus vel pauca admodum habentur in Divinis inſtitutionibus quæ ipſi probent, vel quibus omnia nullo diſcrimine, tam bona quam mala placent, vel illi, quibus mala pravaq, tantum placent, diceret Heſychius. Deinde ad Ranerium converſus: Scio vero conjectores ſuper hac parte multa commentos quæ tu recenſere potes, Raneri, qui partem hanc tibi agendam ſuſcepiſti. Libentiſſimè, reſpondit Ranerius. Et quando incidimus in naſum, ut ordinem ſequar tuum, apud Onirocritas, Urbane pater, eum qui ſe magno naſo per ſomnium viderit, magna in rebus agendis ſagacitate prudentiaq; fore promittitur. Hinc etiam emunctæ naris viros dici eos uſitatum, qui acri ſunt judicio conſpicui.

*1. Sam. 22. Geneſ. 9. Levit. 21.*

*Reg. cap. 2. Artem. l. 2. c. 29. D. l. 1. c. 29.*

B

## MORS. Cap. XXVII.

SI vero aliquis morbo decumbat, & absque naſo ſe imaginetur, futuram illi mortem inde præſagiunt: quod ea pars actutum abit à cranio.

*Conjectorū varia ſuper aurib. commenta.*

## SERVITUS. Cap. XXVIII.



UT vero ad aures redeamus, id in primis jocoſum eſt, quod apud eosdem Onirocritas habetur de auribus aſininis, quas qui ſe habere per ſomnium imaginatus fuerit, ſervitutem ii atque ærumnas ingruere homini præſagiunt: niſi fuerit is Philoſophus, cui tantum eam ſpeciem proſpera ominari tradunt, ob tardiorum aurium motum, quæ contanter in hujusmodi animali moventur, quemadmodum firmam eſſe debere Philoſophorum auſcultationem volunt.

*Artem. d. l. 1. cap. eod ad verbum*

C

## LONGA SERVITUS. Cap. XXIX.

QUinetiam humanæ aures apud eosdem Conjectores, ſi ſervo homini plures acceſſiſſe viſæ fuerint, longæ ſunt ſervitutis indicium: multa enim oſtendunt extare imperia, quæ ſomniator is ſit auditurus.

*Art. ibid.*

## AMPLITUDO FAMILIÆ. Cap. XXX.

COntra vero, ſi paterfamilias is fuerit, qui plures habere ſe aures imaginetur, familiæ huic adjunt amplitudinem ſignificari: propterea quod plures filios & ſervos dicto parentes ſit habiturus.

*Indidem.*

## LUCRUM. Cap. XXXI.

OPificibus autem inſomnium idem lucrum apportat: audiet enim multorum vôces opera locantium. Verum hæc & hujusmodi pleraq; ut ingenue fatear quid ego ſentiam, ingenii humani argutias potius oſtendit, quam ſolidiorem ullam ſapiant diſciplinam. His dictis ad te Patrue conD verſus addidit: Nunc tu autem, Urbane pater, ſi quid ſacratius habes ſuper auribus, in medium aſferre potes: Tum tu nihil contatus.

*Indidem.*

## CONTEMPLATIO. Cap. XXXII.

DUm de ſupercilio diſputatum eſt, unum mihi videtur eſſe præteritum, per quod homo intelligitur ſublimium divinarumque rerum contemplatione detentus: propterea quod ſupercilia eminentiori ſunt loco ſita, circaq; organa quæ ſenſum contineant, qui mentis agitatione moveatur. Is vero nimirum ſedem habet in cerebro, Neque negarim apud profanos ſupercilium pro faſtu poni, faſtuoſosq; Supercilioſos dici.

*Nempe communem. Plin. lib. 1. c. 37.*

OBE-

## OBEDIENTIA. Cap. XXXIII

SEd ad aurem potius transeamus, quæ iisdem in sacris literis hieroglyphicum est Obedientiæ, ubi præcipuè Moses, secundo immolato arietate, sacrificio quod *Explicationis* LXX. dixerunt, alii, *Consummationis*, vel, ut vulgata habet editio, *In consecratione sacerdotum:* aliis rite factis, insuper de hostiæ hujusmodi sanguine extremum dexteræ auriculæ tum Aaronis, tum filiorum ejus tetigit: quod ut interpretantur Theologi, ad obedientiam refertur, quam præstare debemus Domino, memores scilicet Adamum propter relictam abjectamq; obedientiam, paradiso ejectum, & solum vertere coactum. Agnovere hieroglyphicum nostri etiam Poëtæ, ut Horatius:

*Hor. prima Epist.*

*Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,*
*Si modo culturæ patientem accommodet aurem.*

Atque aliud etiam in Sermonibus:

*Sat. 9. lib. 1.*

*Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus.*

## CONTUMAX. Cap. XXXIV.

COntra vero, veluti auris adaperta obedientiæ signum est, ita & obturata hieroglyphicum est contumaciæ, hominisque mandata detrectantis, idque sibi velle, quod apud Esaiam legimus: *Surdi clamantem audite*, Abscissam eam, sunt qui idem significare asserant: summoto quippe obedientiæ ministerio.

## CALUMNIATOR. Cap. XXXV.

ADhæc, præter hujusmodi contumaciam Theologi per amputatam aurem accipiunt eum quoque qui de detractionibus & calumniis in alios oggestis delectantur, & turpium, impudicorumque sermonum lascivia capiuntur: proba vero consilia, & admonitiones de honesta & homine digna ratione vivendi, Cane pejus & Angue protinus aversantur. Carpocrates porro hæreticorum sceleratissimus, mala & bona omnia, non natura mala neque bona, sed opinione hominum ita vocari disputabat: ut quodcumq; adlibuisset, id idemtidem licere persuaderet, merito discipulos summa dexteræ auris inusta particula præsignabant. Nam eodem modo, sed stigmate longè graviori, eorum omnium non aures tantum, sed oculi etiam, & nasus, & os, atque lingua inuri deberent, qui deliriis hujusmodi audiendis tempus insumunt. Hic, cum aliquantulum incensus esse videris, Leonicus commotiunculam eam sedaturus ita sermonem excepit, Dum de extrema auris particula loqueris, Urbane, venit in mentem mihi recordationis hieroglyphicum, quod per pollicem & indicem ad infimam aurem appressos figuratur. Nam inter agalmata Ferdinandi secundi Neapolitani Regis, numus erat, in quo auris manu apprehendebatur. Commentum literæ ab altera parte declarabant, ΜΝΗΣΘΗ, ultima tamen litera parum conspicua: quod cum Maroniano quadrat carmine,

*Carpocratis hæretici impietas.*

*In Bucol.*

*Cynthius aurem* *Vellit, & admonuit.*

Consecrata enim auris est memoriæ. Hinc illud apud Pliniũ: *Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes attestamur. Est post aurem æquè dextera Nemeseos, quæ dea Latinum nomen non in Capitolio quidem invenit, quo referimus tacto ore proximum à minimo digitum, veniam sermonis à Diis exposcentes, ne scilicet ejus memores nos ulcisci velint.* Observavi vero aurem in gemma quadam incisam, cujus extremam partem expassa manus pollice atque indice tantum leviter comprehendebat, literis identidem, quæ rei facerent interpretationem, adsculptis, ΜΗΜΟΝΕΥΣΩΝ. Id nonnulli aliis gemmis imitari conati, cum literas nescirent, ΕΥ diphthongi characteres invertere. Sed quod ultima syllaba τὸ Σ per Μ Latinam expressere, sæpe in quibusdam numis eam pro Σ positam inspeximus, & τὸ Σ vice versa loco Μ Latinæ. In numis autem multæ aliæ literæ dejectæ conspiciuntur, ut ϖ pro B. ϖ pro E & similia. quod ideo dictum volui, ne fallant impostores qui nova interdum opera, atq; ea quidem depravata, pro veteribus venditare non erubescunt. Et vero Fuscus frater meus referebat, apud Angelum Colotium Bassum antiquarium Latinè Græceq; eruditissimum, Romæ viderat gemmam eodem sculptam signo, cujus inscriptio erat, ΜΝΗΜΟΝΕΤΕ, ut etiam superior. Ad hujus hiero-

*Plin. idem lib. 28. c. 2.*

*Auris in gemma incisa.*

hieroglyphici figmentum reſpexiſſe mihi videtur Ovidius eodem loco, quem ſupra citavimus:

*Si quid erit de me tacita quod voce loquaris,*
*Pendeat extrema mollis ab aure manus.*

## FUTURUM OPUS, VEL QUID AGENDUM. Cap. XXXVI.

EST & futuri operis indicium auris ad audiendum intenta, ab ejus dubio procul officio, in quo eſt rei quædam formula. Auſcultatio enim initium eſt & imago quædam operis quod aggreſſuri ſumus: eoque ſpectant numiſmata tot cum inſcriptione, Adlocutio, in quibus milites obverſis intentisq; adſtare auribus conſpiciuntur. *Vel arrecta ὠτὸν στῶ-σιν.*

## DOCILITAS. Cap. XXXVII.

B ILla vero quæ de figura aurium à Phyſiognomicis traduntur, docilitatem, benignitatem, manſuetudinem ex auribus extantibus ſignificare, faciunt quidem ad eorum doctrinam, ſed ad negotium noſtrum parum afferunt utilitatis.

## INDOCILITAS. Cap. XXXVIII.

PErinde ac etiam preſſas aures, & ſimiarum inſtar temporibus adhæreſcentes ſtuporis & imperitiæ, quæ doctrinam nullam admittant, ſignum eſſe perhibent: quæ ſi quis in hieroglyphicorum uſum trahere voluerit, integrum unicuique dicimus, ſuo jure ludere.

---

## DE LINGUA. Cap. XXXIX.

SEd ut ad linguam convertar, jam res exigit, quandoquidem quod ſuperius Urbanus de oculo linguæ ſubjecto ad perfectam ſermonis rationem indicandam dixit, alterius ab eo non alieni admonet hieroglyphici. Lingua hæc, eſt manu prætenta. Nam qui per linguam ſermonem articulari voce coagmentatum intelligebant, adjecta manu quæ illam comprehenderet, eloquentiam ſignificabant. Sane quidem Hebræi per Laſon, quæ lingua eſt, ſermonem intelligunt, ut forte λαλεῖν Græcis. A Dico verbo nimirum Latini Dinguam olim appellavêre, inde D litera in L mutata, Æolum more, Linguam fecimus: ut etiam Sellam, quæ prius à ſedeo, ſedda dicebatur. Ajunt tamen Grammatici veteres, Pompejum Magnum Diguam ſemper ſcribere ſolitum. Eſto igitur ſermo lingua, verum pronunciatio manu, hoc eſt, artificii ope indiget, ut in uſum deducatur, & appareat eloquentia. Nam manum operis eſſe ſymbolum unicuique manifeſtum eſt. Quicquid vero vel in judicando, vel in demonſtrando, vel in deliberando contingit, nequaquam ſolo cogitationis termino continetur, ſed in actione ipſa perficitur. Opus autem facere cum ſit proprium manus, & ab ea prærogativa, poteſtatem etiam indicet, non abſurde linguam manu rectam affinxere, in eloquentiæ ſignificatum: quæ quidem, ut Maro canit, *regat dictis animos, & temperet iras.* Speciem eam in aliquot obeliſcis obſerves. Privatim vero manum quæ linguam comprehenſam tenet ex marmore vetuſtiſſimo, ex aliqua ſtatua nimirum avulſam, apud Vivem Hiſpanum Pontificium medicum Romæ Fuſcus frater conſpexiſſe fatebatur. Sed ut ea, quæ ad hanc rem pertinent proſequamur, non improprio quorundam invento excogitatum eſt, hanc dicendi vim per linguam perforatam, à qua catenulæ quamplurimæ religatæ ad aures ſubſequentis multitudinis applicarentur, ſignificare. Nam Herculem Galli ſenem admodum, corpore tamen prævalido, crudo, viridiq; faciebant, Leonis ſpolio, clava pharetra, & arcu intento præditum, armatumq; eo geſtu ut ingredi videretur: facie tamen in humerum converſa ad numeroſam multitudinem, quæ greſſum ejus ſubſequeretur, ad quorum omnium aures catenæ ſingulæ aureæ adjunctæ eſſent, quæ mox in unum quaſi nodum collectæ, in perforatam Herois, blando manſuetoq; geſtu hilarem ipſosque cœtus hominum ita catenis tractos ſponte properare, quaſi alius alium prævenire concertarent. Quod quidem, ſive Gallorum fuit inventum, ſive Lucianus ipſe, qui rem conſcripſit, qua erat ingenii felicitate, fabulam ex ſe commentus eſt, nihil meo judi-

*Æn. libr. 1. Manus linguã tenens.*

*Ibidem tribitum Mercurio.*

*Lucianus in Hercule Gallico.* cio ad eloquentiæ vim exprimendam significantius excogitari potuit, neq; magis hieroglyphicum. A Nam quod ad Gallicanum figmentum spectat, Cornelius Tacitus Gallos ait duas semper artes studiosius exercuisse, militarem quippe, & disceptandi rationem. Reliqua ad hanc rem pertinentia, quid *D. Laer. lib. 1. c. 9.* singula sibi velint, apud Lucianum ipsum inspicienda sunt. Et quoniam eloquentia tam boni quam mali causa fuit, estque quotidie: merito Anacharsis quid esset in homine pessimum, quidq; optimum, interrogatus, *Lingua*, respondit.

## MERCURIUS. Cap. XL.

*Natalis Comes lib. 1. c. 10.* LIngua porro Mercurio sacra, quam ab eo regi sidere Mathematici tradunt, velut splenem à Saturno, hepar à Jove, à Marte sanguinem, cerebrum & cor à Sole, à venere renes & genituram, stomachum à Luna. *Sermonis præses Mercurius.* Sermonis itaque præses Mercurius: Unde apud Homerum, Deus hic ad fluvii Xanthi ripam, Deorum inter se orto certamine, Latonæ committitur, sermo quidem rerumque memoria adversus oblivionem. Quid enim magis inter se contrarium, quam orationis vis, & oblivio? Ajunt B *Nempe quod Latona forsan ab oblivione dicta.* vero Ægyptii, Mercurium primum omnium verba in ordinem redegisse, multisque rebus indidisse nomina: literas, ejus inventum fuisse, Deorumque cultum instituisse, quæ sine magna vi eloquentiæ mortalium mentibus insinuari minimè potuerint. Apud alias quoque gentes in honorem Mercurii, qui Deorum præco fingitur, lingua in sacris dissecta præconi tradebatur. Facit ad hoc nominis *Nam λάθος, ἐως, τὸ, id est, oblivio.* ipsius interpretatio: nam Hermen ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν καὶ μήσασθαι, quod omnino loqui significat, deductum ajunt. Quique veterum figmentorum rationem explicant, per Mercurium nihil aliud intelligi volunt, quam sermonem ipsum, quo solus homo ex terrestribus animalibus honestatus est. Vel Hermes nuncupatus est. ἀπὸ τοῦ ἔρυμα εἶναι, quod humano generi sermo sit veluti præsidium quoddam *Id est dator honorum. Hom. Odyss. θ.* & munimentum, unde διάκτορος initio παρὰ τὸ διαλέγειν fuerit appellatus: eaque de causa linguas illi dedicarint, quod ea corporis nostri pars intelligentiæ nostræ conceptus, apud propinquas animas disserendo explicet. Est etiam illi cognomentum ἐριούνιος, quod magnæ cujusdam sit utilitatis, *Et ἐριούνης id est valde utilis, ut Odyss. θ.* summaq; ope eos adjuvet, penes quos sit illius facultas. Unde etiam σῶκος dictus: non enim sermo in perniciem aut detrimentum, damnumve ullum, mortalibus datus, sed ut hominem sospitet C *Id est servator. Homerus Iliad. v.* atque tueatur. Quocirca salutem, id est, Canis imaginem ad custodiam adhibitam Mercurii simulacro semper adjiciebant, atque illi ædem in foro, ubi eloquentiæ usus plurimum viget, statui monet Vitruvius, ex aruspicum disciplina.

## DISCIPLINÆ. Cap. XLI.

*Scripta Mercurii.* NEque vero mirum, si omnia Mercurio scripta, inventa, meditationumque suarum argumenta, Ægyptii soliti sunt inscribere, solumque illum & sapientiæ & eloquentiæ arbitrum judicarunt: quando is, authore Seleuco tota rerum universalia, sive principia malimus dicere, viginti millibus voluminum (quæ reperimus, quæ accepimus, damus explicavit: ut vero Manethus asseverat, triginta millibus, quibus etiam addidit sex millia quingenta, & vigintiquinque, in quibus libros de diis empyreis centum, de æthereis totidem, mille de cœlestibus elucubravit: quæ si membranæ tot convolutæ essent, vix fidem facerent: facit tamen horum mentionem Jamblichus, magnæ vir apud Græcos authoritatis. D

## SOMNUS. Cap. XLII.

ERat & lingua in araposita, quæ somnum significabat, quod Apollonius argonauticôn primo indicat, ubi dicit:

τέως ἐπί τε γλώσσῃσι χέονται
Αἰθομένας, ὕπνον δὲ διὰ κνέφας ἐμναίοντο.

*Mos antiquus somnũ captantium* quæ tuus, Urbane, nepos in Latine reddidit:

*—— Interea exustis libamina linguis.*
*Spargebant, nigra captantes nocte soporem.*

Quo

A Quoniam, inquit interpres, antiquis mos erat somnum captantibus victimarũ linguas adolere Mercurio, propinatisq; crateribus vinum superlibare, idque ex antiqua Philosophia: quandoquidem sermo esse Mercurius perhibetur, cujus instrumentum est lingua, quæ quidem somno incidente quiescit tacita. Atque hinc repertum est eam adolere Mercurio, quod & Homerus ipse tetigit, γλώσσας δ' ὲν πυρὶ βάλλον, *Linguas imponit in ignem.* Qui vero fabulas consectantur, historiam hujusmodi à Direchida in Megaricis traditam recitare solent. Alchatoum Pelopis ob Chrysippi cædem in exilium actum, peregre profectum, ut alibi verso solo degeret. Accidisse vero ut Leoni fieret obviam, qui Megara devastabat, in quem & alii complures à Megarensium Rege missi fuerant: sed Alchatous aggressus feram, eam conficit, linguaq; ejus in ara posita, Megara evestigio reversus est, cumque ii, quia Rege missi fuerant, nunciassent se monstrum debellasse, Alcathous feram elinguem ostendens, mendacii eos redarguit. Atque hic apud Megarenses institutum ajunt, ut sacrificiis quæ fierent in posterum, linguæ aris imponerentur. Philochorus libro de sacrificiis ea de causa linguas Mercurio adoleri dicit quoniam in corpore pars optima sit, quæq; sibi rerum vendicat principatum. *Hom. Iliad. lib. 3.*

B

## SILENTIUM. Cap. XLIII.

ADdemus & illud ex Homero, præcisas linguas indicium esse silentii: ille enim, ut nostis, ait, ἀλλ' ἄγε δὴ νῦν γλώσσας, *jamdudum incidite linguas*, pro, *Silentium capessite*, ut interpretes exponunt. Quo quidem admisso omine, cum jam satis superque nugatus fuerim, oportune mihi silentium imperabo. Tu vero, mi Patrue, ominis suscepto joco: At nolim, respondisti, virum tam probum, tam modestum, tam eruditum, in absciſſæ linguæ turpissimam ignominiam incidere: siquidem ea præcisa in Divinis literis, impurum indicat hominem, qui sordidam, nefariam ac profligatissimam vitam vivat: atq; ideo repellatur sacris, ab omni piorum moderatorumq; hominum conventu turpiter & ignominiose rejectus, de quo David: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam:* & quæ sequuntur. Quod vero conjectas in ignem linguas apud Homerum citasti, nostras cuperem ego in flammam eam injiceremus, quam Assertor noster accendit, cum XII. comites ab eo electi, afflati sunt, igneis linguis C ab uniuscujusque vertice promicantibus. Hujusmodi enim linguæ splendore tanto conspicuæ, omnino significarunt eam orationis vehementiam, ardorem illum, illamq; fandi vim cœlitus illis affuturam, ut, quæ à divino Magistro præcepta acceperant, per universum mox terrarum orbẽ persuasibili (penetrat enim ignis) sermone disseminarent, sanctissimisque monitis mortale genus incenderent, aberrantesq; late mentes, & inscitiæ torpore frigescentes, pietatis ardore succensas, ad hostiæ puræ atq; immaculatæ sacrum incitarent, esletq; eorum fulgurum sonitus in omnem terram exiturus: sonitus, inquam, fulgentium earum linguarum, quas ad incudem fabricatas diceret Pindarus, qui linguam ferream, Pythiis, veritatis indicium ponit: ἀψευδεῖ ἥφοις ἄκμονι χάλκευε γλώσσαν. Nam dubio procul lingua si fabricata fuerit ad incudem: ferrea erit; si ferrea, solidissimæ firmitatis. Mendacia enim imbecilla sunt, quia tempus veritatem in lucem adducit, atque ita mendacium evanescit. Sane quidem hodie ut vulgo dicitur Veritatem ad malleum durare, quod idem fere est, quod Pindarus. *Ad incudem* dixit. Possent autem alia multa sermone super hoc examinari, atque hinc ad Apollinis plectra, & multiplices Musarum choros sterni via, si præcipuè dentes ad linguam socii D conferantur: sed quoniam ego jam edentulus nullam eis amplius gratiam debeo, cur mihi sit pro eis laborandum nusquam video. Præter hæc, cum reliqua linguæ disputatio de gustu nos appellet, eaque sit potius Physica quam Historica, ad Leonicenum hæc meo calculo transtulerim, Consensere reliqui, neque invitus ille ita loqui cœpit. *Hom. Odyss. lib. 3* *Psalm. 60.* *Nam veritas tempora est filia. ex A. Gello lib. 12 c. 12.*

## DE GUSTU. Cap. XLIV.

NEmpe, ut susceptum prosequar argumentum, si de oculis, de auribus, de naribus, quid præstare queant, disseruimus, gustus quoque his accedit, seque tractari postulat, ne per ignominiam præteritus videatur. Est autem hic duplex apud Ægyptios, quorum Sacerdotes si delibatum aliquid leviter, neque tamen plenius gustatum significare vellent, hieroglyphicum linguæ inter pri- *Gustus duplex.*

mores dentes nonnihil exporrectæ proponebant. Sed si absolutam gustus plenitudinem ostendere curassent, primores gutturis partes quæ intimæ adhærent linguæ, figurabant. Asserebant enim illi, quod Medici nostri etiam nonnulli prodiderunt, perfectum gustum in linguæ radice consistere: inde enim nervos quosdam, & sentiendi vim illam provenire. Neque tamen sum ignarus, esse multos, qui gustatus prærogativam attribuunt palato. Sane Diogenes explorari saporem ajebant, propter fungositatem mollitiemque linguæ, perque commissas illi corporis venas, perfundi sapores ad sensum elicitos, non aliter atq; spongia exuctos. Hujusmodi vero sensum in anima sedem suam posuisse. Quamvis vero dicat Alcmæon, humore teporeque, atque adeo mollitie linguæ sapores internosci, Ægyptii nequaquam cognoscendi saporis instrumentum solam linguam esse consenserunt, sed cum multis aliis, palatum præcipuè participem agnovere, & in nonnullis, quæ gutture carent, simile quidpiam linguæ esse: ut in quodam piscium genere qui ventrem habent ori propinquum, inesse intus sentiendi facultatem. Sunt & alii rerum naturalium scriptores, qui linguam ajunt sapores quidem sentire & judicare, eorum vero suavitatem amaritudinemq; in descensu, unde deglutiuntur explorato sentiri. Quare & Philoxenus magis forte quam Philosophiæ, ganeæ peritus, Gruis gulam optabat, ut voluptas illa longius deglutiendo produceretur. Quantum vero ad palatum pertinet, scimus Catonem gustus sedem in eo esse credidisse. Nam cum Lurconi cuidam ambienti, ut inter ejus familiares reciperetur, negare vellet, ei dixit, non posse se cum eo vivere, qui plus palato quam corde saperet. Adversus tamen Ægyptiorum, & horum omnium opinionem insurgit Aristoteles, qui linguam in primore sui parte vim perfectius sentiendi saporem obtineri contendit. nam interiore si tangat, minus illam sentire, quod in catapotiis ex aloë, vel amariore aliquo succo pastillove devorandis, manifestius experimur. Nam cum illa intra duorum digitorum summitatem contenta in imas fauces immiserimus, vix tantillum sentimus amaritudinis quæ si quis lingua vel summa lambat, vix ferre posset. Videtur vero natura ipsa, uti rectè reliqua, ita hoc sapientissimè constituisse, ut hæc sentiendi vis juxta labia, & in prima consisteret lingua, quo sapores omnes admittendos exigendosve, antequam ori demandarentur, exploraremus. Quod vero quispiam dicat eo vehementiorem esse saporis gustatum, quo magis cibus ingestus ori opulentius & contantius mandatur, respondent periti homines non ideo majorem gustandi vim in radice linguæ insitam esse, sed propter diuturniorem moram, & affluentiorem saporis copiam, vehementius sentiri. Hæc atque alia multa prisci Philosophi inter se dissidentes prodidere, ut minimè mirum sit eos de rerum principiis & aliis à sensu remotis dissentire, si re super omnibus tam explorata diversi abeunt, nec certi quicquam constituere potuerunt.

*Meminit Aristot. in Ethicis.*

*Aristotelis de gustu opinio.*

## DE ORE ET DENTIBUS. Cap. XLV.

*Hoc ab Artemidoro lib. 1. c. 33.*

SEdemim ut jam ad totius oris fabricam convertamus, Aristandri Telmessii sententia est, os & ejus partes esse quasi hieroglyphicum quoddam domus, dentes cumprimis incolas ostendere. Hoc vero dupliciter accipi: aut enim domesticos esse, aut alienigenas. Itaq; superiores dentes domesticorum incolarum signa esse: propterea quod pars illa superior toti fere capiti adglutinata est, atque cognata. Inferiores vero, alienos ideo commonstrare, quod maxilla ea, quæ illos sustinet, tota sit mobilis, atq; ita adventitium nescio quid præ se ferre videatur.

## DETRIMENTUM. Cap. XLVI.

*Artemid. ibidem. Persius. In impudentes proverbium.*

SUnt autem qui detrimentum per dentes putent significari, in iis quæ in sermone vel voce consistunt, eisque famam dilacerari obtrectantium calumniis objectant. Nam & Poëtæ Oratoresque omnes hic mordere, carpere, rodereq; metaphoricè dixerunt, quoties cujusquam nomen scurriliter tractum aut hostiliter infamatum innuere volunt. Sed quod planos tantum in hujusmodi significatum Conjectores ponunt, Satyrici nostri ad acriorem vim amplificandam genuinum adhibuere, & alii caninos enim immiscuerunt.

VERE-

## VERECUNDIA. Cap. XLVII.

A Apud Philologos hieroglyphicum verecundiæ os videtur esse, unde de impudentibus dici solet, eos os non habere. Hinc Cato Major Lentulo, qui sputum in ejus faciem ejaculatus fuerat, abstersa tantum facie dicit: *Affirmabo omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere*, argute vulgatam hominis impudentiam notando, quamvis de sputi copia dicere videretur.

*Hinc illa figura quo ore audebis patrem adire, & os infrane.*

## AMOLITIO. Cap. XLVIII.

NEque nescius sum pro amolitione, ut ita nunc dicam, veteres expuendi gestum usurpasse, ut Theocritus, ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶν εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον: & multa apud alios hujusmodi, quæ recitare superfluum esset. Nam quæ maxime abhorrebant, quæque opprobrio habebant, ea ignominia designabant. Quin & veteribus Christianis mos fuit, estq; adhuc, ad immunda verba expuere, quodam veluti expiationis modo. Ita illud apud Tertullianum lib. ad uxorem altero, acciendum: *Cum aliquid immundum flatu expuis.*

## HOROSCOPUS. Cap. XLIX.

B SEd ut os tandem comprimam, uno adhuc hieroglyphico illud obturabo, quod apud Horum Niliacum habetur, ut super cibo aliquid attingamus. Nam illic per hominem, qui horas comedat, hieroglyphicum explicari tradunt horoscopum intelligendo: non quia horas comedat homo, quod fieri minime potest, sed quia ab horis alia atq; alia humano generi alimenta subministrantur. Hujusmodi vero horarum pastum commode forte exprimere poterimus, si ex uniuscujusq; horæ proventibus aliquid decerpserimus: puta, rosas, spicam, & pomum aliquod, quæ in unum fasciculum colligata, ori adaperto admoveantur. Horas porro hic intelligendum tres eas anni partitiones, quæ suo quæq; tempore singula maturant: ver quippe, æstatem, autumnumq;: quæ tempora Ægyptii, quatuor unumquodq; mensibus nostris complexi sunt, ex Hori Regis partitione, à quo his etiamnum nomen Horis inditum, ut quadrimestris esset unusquisque eorum annus, de quo diffusius alibi. Quin Persæ atq; Assyrii, quos nos Annales, Horas vocitarunt, & Græci Horographos eorum scriptores. Apud Lucianum enim legimus, ὁ μὲν κύρος παλαιὸς τῶν προσῶν βασιλεὺς, ὡς δηλοῦσι οἱ προσῶν καὶ ἀσυρίων

*Quomodo horas comedere intelligatur homo.*

C ὕροι. Cum vero Horus ab Ægyptiis Apollo esse prædicetur, nostri una cum Græcis nomen idem ad quatuor & viginti horas transtulere, quas Solis esse filias Homerus dicit, de quibus, ut hoc κατὰ πάρεργον ponam, veterem habemus fabulam: Horomazen, cum in mundi fabrica reliqua digessisset, quatuor & viginti deos in ovum inclusisse. Id cum Arimanii gnatiludo perforassent, bona malis immixta prodiisse: atq; ita quantacumq; fruamur jucunditate, quocumq; simus gaudio exhilarati, serus quid vesper vehat, nos nescire. Hic cum finem facere visus esset Leonicenus, ad inclinatum jam Solem aspectans Ranerius: At nos, inquit, quid serus vesper advexerit probe scimus, qui bonam hujus diei partem tam jucundis sermonibus exegerimus. Utinam vero sæpe daretur occasio istiusmodi conventus celebrandi; & cum dicto, salute dicta surrexit, quod & alii fecere, die prius constituto, quo iterum essent conventuri: illi domum, ego in navim abii, mox Florentiam, quo fueram, ut scis, per Julii Cardin. domini mei literas accersitus, atq; ibi primo quoq; tempore, tam ea, quæ ex te audieram, quam quæ viri illi eruditissimi disseruissent, quæque convenire mihi visa sunt, in commentaria mea Ægyptiaca transtuli, vestra ope fretus, & latius & plenius explicandi multa quæ curta & angusta ni-

D mium compereram apud authores posita: neque vero sinit me temporis brevitas, quæ quisque disputasse ad amussim dirigere, & ipsa quæ audissem verba repræsentare, quod nonnulli ex amicis à me postulabant: id enim negotium multum mihi temporis abstulisset, nec meæ me occupationes id facere permisissent. Satis igitur à me factum puto, si res ipsæ breviter, quantum memoria complecti potui, recitatæ sint. Verum age, benignissime Patrue, Aristarchum indue, atq; hunc castigandi laborem minime gravem ducat, quæque me recte meminisse compereris, asterisco insignias, quæ segniter & oscitanter excepta, obelo defodices: ut ego hæc aliis communicaturus, judicio adjutus tuo, audentius id facere confidam. Vale.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXXIV.

## DE IIS QUÆ PER HYMANUM COR ET GENITURÆ VASCULA SIGNIFICANTUR

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD SEBASTIANUM CORRADUM.

*EEce tibi Cor meum, Corrade incundissime, cui etiam addidimus genituræ vascula, eaq; mundissima pudicissimaq;? Cor quidem à meo desumptum, qui summam eruditionem tuam, frugalissimum studium, acutum denique, quo polles judicium, & multum admiror, & plurimum diligo. Genituræ vero vascula, causa tua, à quo fruges tot proficiscuntur, quibus studiosi omnes avidissime pascuntur: quemque hactenus cibum vel putridum, vel adulterinum sæpe mandere coacti sunt, tua nunc cultura, tuo studio diligentiaq; valeant jam recenti, maturo legitimoque frui. Neque fructus hujusmodi ex Ciceronianis tantum hortis electi, sed ex totius Latini nominis possessionibus agrisque decerpti, quorum hactenus arbores vel teredinibus, vel erucis, vel visco, vel ulceribus, conductorum plurimum negligentia nescio qua, vitiatæ fuerant, per te nunc perpurgatæ, cultæ, sarritæque, in pristinam rediere viriditatem, uberrimam incolumemque feracitatem. Sed quod etiam pertinet ad vascula tam in Divinis nostrorum literis, quam in sacris Ægyptiorum, neque non apud Græcos præterea quæ à corde desumuntur significata, sermonis ipsa quoque indicia sunt. Qui cum igitur ego libentius sermocinarer, quam tecum, qui sponte me in tam utilium sermonum tuorum partitionem admisisti, qui clarissimo Egnatio collegam consularem me questuræ tuæ cognitione creari procurasti? Quare mihi videbor non sine magnæ voluptatis sensu loqui tecum, quotiescumque memor ero, scriptorum meorum, qualiacumque sunt, aliquid à te legi, non id fortasse ingenio & eruditioni tuæ responsurum, aliquod tamen daturum mei erga te animi testimonium.*

---

## DE CORDE.

### VIRI PROBI SERMO. Cap. I.



UT vero à corde exordiamur, per id ita concinnatum ut loro catenulave suspensum à gutture propenderet in pectus, probi hominis orationem indicabant, ut qui mentiri aut fallere nesciret: sed, uti vulgo dici solet, ea ex ore proferret, quæ corde concepisset: ea scilicet loqueretur, quæ ipse sentiret, omni fuco mendacioque procul. Hoc ipsum Cicero, toto pectore, de sinceritate loquens, dicit. In pectore enim sedem habere cor, manifestum: atque illud, *Aperto pectore*, frequentissimo eorum usu, qui citra fucum loqui se profitentur. A quo loquendi candore Mercurius fuerit ἀργειφόντης appellatus, candidum enim veteres ἀργῆνον dicebant. Præterea pectus pro recessu quodam accipitur sapientiæ. Unde Horatius:

*Non tu corpus eras sine pectore.*

Et hanc sententiam accipit Ambrosius, quod Apostolus ille, qui ante alios divina sapientia donatus est, ad Christi pectus reclinet in cœna caput.

*Cicero 2. de legibus. Cic. in libel. de amicic. Pectus cordis sedes. Hom. Odys. 1. vers. 49. Epist. 3. li. 1. ad Tibullum*

CON-

## CONSILIUM. Cap. II.

A Atque hæc illa est bulla, quæ puerilis ingenuitatis insigne fuit : de qua multa suo diximus commentario. Quoniam vero cordis erat ejus figura, admonitos inde pueros volebant, ut frugalia semper consilia secuti, corde præstare conarentur : Corculum enim veteres pro solerti & acuto dicebant. Et animæ partem rationis participem, Cor appellari solere dicit Adamantius. In hujusmodi significatum accipi locum illum Pauli, epistola ad Romanos : *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quis enim putet quod dicit, *in cordibus*, in membro corporis quod Cor appellatur, tamquam in membrana aliqua legem scriptam intelligi ? unde enim caro tantos prudentiæ sensus concipere vel ostentare posset ? aut tanta memoriæ receptacula continere ? Nam & quod divinæ literæ Cor Dei sæpe nominant, intelligendum ex eo arcanum illud Divinæ sapientiæ, quæ à Patre est : ut Psal. *Eructavit Cor meum verbum bonum*, innuens filium ejus Jesum Christum altæ illius sapientiæ mysterio genitum. Ita Eucherius.

## VITA. Cap. III.

B ITa vero in consilii significatum accipi Cor plerumque solet, ut humanæ etiam vitæ rationem præ se ferat, quod ex pernicioso auspicio Cæsaris exploratum. Ille enim quo primum die in sella aurea sedit, & cum purpurea veste processit, valde consternatus est cum Spurina Aruspice suo, corde in extis Bovis opimi non invento : ajebat enim ille, vereri se, ne consilum & vita Cæsari deficeret : quorum utrumque à corde proficiscitur. Nam Philosophorum omnium consensu, nullum animal sanguine præditum, sine corde & jecore invenitur, qua de re quæstio magna inter eos fuit qui divinationis præcognitionem, ejusmodi profitebantur, potueritne hostia sine corde vivere, an ad tempus amiserit ? quamquam Cæsar id elusisse fertur, audaciorique animo respondisse lætiora quæ dam, neque pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset : quod quidem non semel, sed bis ei sacrificanti, quod meminit Plinius, accidit ut cor in extis non inveniretur. Neq; Cæsari tantum non inventū in hostiis, peractū vitæ tempus ostendit, sed & Helvio Pertinaci eo die, quo occisus est sacrificanti, negatur in hostia cor repertum; & cum id vellet, procurare, caput extorum non deprehendit. Et Theologi nostri secuti Prophetarum dictata, consilium in corde residere dicunt, in eoque agendorum omnium radicem statuunt, docente Domino, *in corde esse*, quod coinquinat hominem : & ubi *mundo corde*, sacræ literæ habent, synceras intelligunt cogitationes. Quaque ratione consilii symbolum est, eadem pro illa intellectus parte, à qua regimur, figuratur, ut illud : *Quare cogitationes ascendunt in corda vestra?* ascendunt, dominantur, primum ita locum ascisunt sibi, ut vestra omnia consilia conculcent. Ita vero facit cor ad animam, quæ vitæ nostræ materia est, ut prisci vates illi animæ receptaculum esse Cor significaturi, id hieroglyphice Animæ ventrem appellarint, atque ita intelligendum esse illud apud Hieremiam : *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Hesychius ait : *Nam quem ventrem ?* Ipse subinfert : *Et sensus cordis mei conturbati sunt :* ideoque intestina hujusmodi aqua lota offerre admonemur in holocaustum, hoc est, abditas latentesque cogitationes eluere, & diligenter abstergere.

*Paulo alter Sueton. in vita Jul. Cæs. c. 81.*

*Hæc à Plin. lib. 1. c. 79.*

*Hierem. c. 4.*

## NILI DILUVIUM. Cap. IV.

*Cordis cum Nilo consentiæ.*



D Sacerdotes Ægyptii cœlum & terram diluvio liquescentes, exundationem quippe Nili, quæ tam à terra, quam à cœlo esset, uti alibi disputatum, ostendere cum vellent, cordis simulacrum proponebant, cui lingua esset applicita : ex corde quidem Nilum ipsum intelligentes, qui sua potens via affluentissimam humoris copiam è terræ visceribus educeret, uti motus omnis à corde principium habet. Sane illi, cordi totius corporis principatum, præfecturam, arbitriumque tribuunt, ac perinde Nilum Ægypti dominum agnoscunt : neque quicquam aliud eam esse, quam Niliacæ alluvionis uliginem profitentur. Per linguam vero confluentes undecumque imbrium eluvies, quas eo quo plurimum

intur-

inturgescit tempore, in Æthiopia maximas fieri compertissimum habebant, quibus in Nilum collabentibus cataclysmo facto, Ægyptum universam sub aquis versari, veluti lingua humore undecumq; ad ipsam confluente, semper in udo est, aliquo semper corrivio irrigatur alluiturque. Quoniam vero illis fertilissima rerum omnium ubertas à Nilo est, rerum itidem causas omnium originemque in humorem referebant, omniumque parentem, omni rejecta controversia, celebrabant. Quorum opinionem Thales Milesius secutus, ex aqua omnia sensit esse, & in aquam vicissim reditura: principium quippe animantium omnium esse genituram, eandemq; humidam ex quo simile esse veri judicabat, ex humore oriri omnia: quæ ratio fuit ut maritum Græci potionis nomine nuncuparent, πόσις enim utrumque horum significat. Præterea stirpes omnes humido aluntur, humido ad fruges evadunt, humoris autem penuria interim exarescunt. Solis adhæc ignis siderumque omnium aquarum exhalationibus alitur, quinimo & mundus ipse, ut præstantissimi Philosophorum asseverant: quod quidem apud Ægyptios tam persuasibiliter receptum erat, ut Solem & Lunam non curru, sed navigio uti dicerent, ad nutrimentum scilicet & generationem eorum hoc referentes.

*Ἀρχὴν δὲ τῶν πάντων ὕδωρ. Diog. in Thalete.*

## ÆGYPTUS. Cap. V.



PRæcipuam autem Ægypti effigiem ex imagine cordis in ardenti ara thuribulove considentis, ostendere consuerunt: calida enim ac humida est Ægyptus, in Australibus præsertim locis, quemadmodum & cor, idemque in sinistram hominis partem toto declinat turbine. Alibi vero antarcticas regiones, Sinistras ab eis appellari docuimus, in illis autem oriri Nilum, in quo summa eorum religio, & à quo paulo ante omnia proficisci, ex eorundem institutis dicebamus. Quod vero pertinet ad thuribulum, Hippon Philosophus, ut ex Cratere didicimus, fabula cui titulus πανόπται, cœlum veluti præfurnium esse dixit, homines vero carbones. Sed hæc melius ex Homero declarabuntur: ait is, nullius disciplinæ quantumlibet remotæ nescius, Jovem cum reliquis diis, Solem quippe stellasque omnes ad Æthiopum epulas invitatos accedere: quasi velit id, quod paulo ante dicebamus, innuere, hauriri ex udo nutrimenta sideribus. Accumbunt vero apud Æthiopas, quia circa Oceani oram non nisi Æthiopes habitant, quos vicinia Solis, vel diuturna parallelorum mora usque ad nigri coloris speciem exurit. Oceanum autem quemnam alium hic intelligamus, nisi Nilum, cui antiquissimum id cognomentum fuit: propterea quod Nilum illi, ut dictum, totius humoris fontem arbitrarentur, Ægyptumq; ipsam suapte vi tantam aquarum redundantiam evomere? Erit itaque cor Ægypti instar, hoc uti sanguinis, ita hæc primarium totius humoris receptaculum: thuribulum vero convivas ipsos, utpote sacrificulos, indicabit hostiarum super ignem positarum nidore exhilaratos.

*Homerus Iliad. α.*

## ARDENS ORATIO. Cap. VI.

SEd cur non potius dicamus, Cor ita in thuribulo positum significare orationes, precesve, quæ puro ex corde proferuntur ad Deum? idq; esse thus illud mundum, quod sibi Deus offerri mandat in Divinis literis, ex quo scilicet odorem capiat suavitatis. In Evangelio Matthæi, ubi Dominus perperam agere Pharisæos inquit, qui non obligare juramentum, quod per altare fieret, arbitrabantur, sed quod per donum altari illatū: Adamantius cor hominis inter alia significata idem & altare intelligit, per votum vero recti alicujus operis deliberationē, quod faciundum simulac insederit animo, oblatum uti votum, interpretatur. Nam & Latini vota alia *Concepta*, alia *Nuncupata* vocant. Priora illa sunt, de quibus hic intelligit Adamantius. Quoniam vero multi palam dona hæc eleemosynarum, precum, jejuniorum, offerunt corde, tamen sunt alieni à Deo, hi Pharisæi sunt, cæcorum duces: qui quæ exterius perpendunt, quæ vero interius sunt, minime contuentur: ita per dona jurandum censent, non per altare, à quo donis ipsis accidit sanctitas. Monet igitur Dominus, ut consideremus cujusmodi

*Cor, thus mundum. Matth. 23.*

A jusmodinam ex corde eleemosynæ, vel Psalmi, vel preces, vel jejunia offerantur: atque ita qui testem altare, hoc est, cor & conscientiam appellat, per altare jurat, ac perinde omnia quæ continentur in eo complectitur.

## COELUM. Cap. VII.

PLutarchus hanc cordis effigiem subjecto in foco succensam, cœlum indicare contendit, animumque illum, qui propter æternitatem nulli umquam senectuti obnoxius est: Et Apulejanus Trismegistus ab Hippone non admodum diversus, Ægyptum cœli agnoscit imaginem, iisque omnibus æquiparari, quæ in cœlo gubernantur exercenturque, &, si dicendum sit verius, terram eam totius mundi templum esse. Quinetiam invenias apud nonnullos, universum terrarum orbem in Divinis literis nonnunquam Ægypti nomine nuncupatum, ut eo Psalmi loco, *Venient legati ex Ægypto*, propterea quod universam terram eodem, quo Ægyptus, modo coagmentatam imaginentur. *Ægyptus cœli imago, & mundi templum.*

---

B

## CLIBANUS.

## CONSCIENTIA IGNE EXAMINATA. Cap. VIII.

FAcit vero ad hanc cordis significationem Clibanus, in Divinis literis passim propositus, cui cor hominis aptissima confertur similitudine, de quo tam frequens in Mosaicis libris, & Prophetarum aliorum oraculis mentio reperitur, sive per similitudinem, sive sit pro instrumento sacrorum positus: Clibanus enim præfurnium est apud Latinos: per ejus figuram interpretes cor hominis, uti dictum superius, intelligunt. Nam quædam Deus apud majores nostros, veteres inquam Prophetas, apponi sibi vult Clibano cocta, hoc est, tacita mentis agitatione examinata: cum scilicet nos erroris pœnitet, conscientia nostra ardore quodam occulto intra se succenditur, utrumque ipsa suum paulatim exurere contendit.

## SACRORUM ARCANA. Cap. IX.

C ADamantius putat ex Clibani forma, quæcumque in Divinis literis profundiora vel inenarrabilia sunt significari: quippe quæ recondita delitescunt in sensu mentis, neque facile ad imperitum vulgus proferri possunt: sunt enim multa hujusmodi, sicut de Camelo, & Sue, & altero quidem ruminante, sed qui pedem integrum habeat, altero vero bifidam pro se ferente ungulam, sed qui minime ruminet. Ita etiam de Adamo per Evam astu Serpentis deceptam, in prævaricationem adducto, quarum historiarum mysticum significatum locis suis exposuimus ex Philone apud Ezechielem, ut ad Adamantium revertamur, quæ de Cherubino, vel de Deo media sui parte succenso, vel de admirabili illa visione, sunt literis demandata, nisi coquantur in Clibano, neque quidem mandi, neq; devorari, ita ut sunt cruda, poterunt: hoc est, ut cruditatem hanc interpretemur, nisi qui latet interius sensus divini calore ignis molliatur, excoctusq; ita cibus fiat, ut mandi possit, & ad nutrimentum assumi, aliquid semper occursabit, asperitate sua difficile, quod ab eorum gustu mortales avertat. Oseæ dictum est: *Corda eorum sicut Clibanus incaluerunt*, quod longe seciore à superioribus sensu tunc fieri intelligendum est, cum vitiorum ardor cor ipsum interius exurit: quippe cum mortales flagranti cupidine incensi, suam ipsimet perniciem affectantur: in medio enim hæc posita sunt, utrum res ad D sacrificium coquere, an exurere potius inutiliter velimus. Atq; ita Clibanus varia interioris affectus habet significata, proq; sensu mystico figuratur. Minime vero prætereundum videtur, quod Hierosolymitanus Hesychius hieroglyphice super Clibano philosophatur eo Levit. loco: *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in Clibano de similæ.* Nam per Clibanum Mariæ virginis uterum significari tradit; Clibano enim ignis superponitur, qui supponitur in craticulæ ministerio. Veluti enim Clibanus & ignem & panem coquendum desuper accipit, ita Dei genitrix Spiritum sanctum, & Dei verbum in utero suo conficiendum maturandumq; susceptit, & quæ multa in hanc sententiam prosequitur. Est vero Clibanus, tum furnus, tum sartago, aut testa quædam grandior, operculo vel ferreo, vel ex ære præmunita, supra quod ardentes prunæ ingeruntur: ut quod intra positum est, coquatur, condiaturve; alicubi totum hoc opere figulino conficitur. Ad hujus autem similitudinē formata est pe- *Clibani in sacris literis hieroglyphica.* *Ezech. c. 10.* *Oseæ c. 7.* *Levit. c. 2.*

ctoris concavitas, per quam spiritus ultro citroque commeat. Columella scrobem Clibano similem fieri monet, ut imus quam summus sit patentior, quo radices latius evagari possint. Ex hac itaq; forma nonnulli Prophetarum scripta Clibano similia dicunt, quæ plus habeant in recessu, quam ore summo polliceantur,

## DE SARTAGINE. Cap. X.

ESt & Sartago ab hieroglyphicis hujusmodi non absimilis: nam eodem pene significato sacrificium Deo facturi, quædam in sartagine frigere jubemur.

## RESIPISCENTIA. Cap. XI.

*Clibani & Sartaginis differentia.*

EA tamen differentia, quod in Clibano tacitæ conscientiæ stimulus adurit, in sartagine culpam agnoscimus, eamq; nosmetipsos incusando ream facimus, quasq; mereri nobis videmur pœnas, ultro deposcimus, & modo hunc, modo illum errorem solicita repetitione versantes animo, quæ satisfaciendi ratio nobis reliqua sit, agitamus. Alii rem eo tradunt, ut Prophetarum oracula toto mentis ardore versanda submoneant: inde enim fieri, ut repetita sæpius, & inter se conglobata, facile intelligi & explicari possint: ut hinc eam saltem quæ ad mores pertinet doctrinam assequamur. Alio vero modo sartago apud Hesychium accidit pro cruce Christi: siquidem cibus, qui prius ineptus erat ad mandendum, simulatque sartagini fuerit incoctus, mandi potest: ita corpus Christi antequã pateretur, si foret esui exponendum, ut ipse de se sæpe futurum ajebat, abominabantur humanæ aures, respondebantque omnes: *Durus est hic sermo: quomodo potest hic corpus suum apponere ut manducetur?* Post crucem vero patefactum est, id divino munere dispensationeque fieri posse: namtotum illud mysterium in Christi passi commemorationem institutum est.

*Joan. 6.*

## DE CRATICULA. Cap. XII.

CRaticula tota prorsus Hebræorum esse videtur: sedenim Cyrillus hieroglyphicum in ea agnoscit Ægyptiacum.

## IRA. Cap. XIII.

AIt enim eam subjecto igni, & corde superimposito, furoris & indignationis apud sacerdotes illos indicium fuisse, ut ex eo scilicet cordis bile succensi excandescentiam ostenderent.

## POENITENTIA. Cap. XIV

*Pœnitentiæ vera indicia.*

NOstri hoc sanctius intellexere, qui Craticulam pœnitentiæ signum posuere (liceat vero mihi Theologorum dictata sectanti, eorum interdum vocabula usurpare) non tamen hinc tacitum mentis exulcerationem intelligentes, sed amaritudinem conscientiæ minime simulatam, manifestissimis vero conspicuam argumentis: quippe ubi luctu, lacrymis & lamentatione conficimur ob ea, quæ nequiter, improbe atque inique patraverimus: unde mox fletus ex intimo cordis fonte prorumpens carnem maceret, jejunia debilitet, abstinentia comminuat, atque arefaciat. Hæc enim est illa in propatulo posita sui conflictatio, quæ succensos divini amoris igne carbones omnibus ostendit, exemplumque aliis præbet, qua se quis ratione possit abnegare. Hinc nonnulli quos ardens invitat ad æthera virtus, non flagrantem modo animum præ se ferunt, verum & corpus ipsum tormentis objectare non dubitant. Talis olim pientissimus Laurentius fuit, qui dum edaci corpus igne torreretur, longe magis animo in ipsius Christi amorem accendebatur, sacrificiumque Deo sanctum & immaculatum interius cor, exterius corpus, in vera craticula ustulatus offerebat. Neque tamen sum nescius Adamantius hæc, quæ de craticula dicta sunt, ad Divinæ lectionis inquisitionem adducere: cum ea scilicet ardenti studio consectamur, quæ nullo obtecta velamine unicuique sunt intellectui pervia, cujusmodi scilicet est sensus, quem Historicum Theologi nominarunt. Qua vero ratione craticula Christi mortem & resurrectionem significare possit, apud Hesychium videndum, Levitic. 11. eo loco: *Si autem in craticula fuerit sacrificium.*

*Divi Laurentii martyrium.*

CON-

## CONDITORIUM. Cap. XV.

A EX eo autem, quod cor in abcessu pectoris latitat, & intra præcordia se reducit, Divinæ literæ cor plerumq; non tam pro iis, quæ in abdito profundoque mentis recessu conduntur, quam pro quarumcumq; rerum receptaculo, ubi hæ in diuturnum tempus asservandæ reponuntur in occulto, per cordis effigiem exprimere consuerunt. Unde in sepulcri etiam significatum cor accipiunt. Christus enim Evangelio manifeste sepulcrum Cor terræ nuncupavit: *Sic erit*, inquiens, *Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Matth. 12.* *Cor terræ sepulcrum.*

## CONCORDIA. Cap. XVI.

NEque vero me pigeat juniorum etiam inventum antiquis his subtexere, qui commenti sunt in concordiæ significatum duo corda vinculo colligata figurare, quod à corde vocabulum, non à citharæ chordis deductum existimarunt.

---

## DE SPINA DORSI. Cap. XVII.

B OSsa quinetiam & narvos aliquot Ægyptii inter hieroglyphica retulere, cujusmodi os illud est, quod à summa cervice multis distinctum internodiis per universum dorsum excurrit.

## TITILLATIO. Cap. XVIII.

PEr ejus enim picturam, nequitiam petulciorem concitatamq; titillationem significabant: siquidem humanam genituram à cerebro delabi, perque id ossis defluere, non Ægyptiorum modo, sed multorum etiam aliorum opinio fuit: Alcmæonis vero præcipua, quam una cum Hippocrate Poëtarum aliquot authoritas confirmavit. Sentire hoc ipsum Plato videtur, dum seminii vim vertebralis ossis defluvium esse tradit. Hinc Maro: *Æneid. l. 4.*

*Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.*

quod ad Anaxagoræ ὁμοιομερίαν nonnulli referunt, cujus opinionem Lucretius acriter incessit, quod putarat is:

C *Ossa videlicet ex pauxillis atque minutis* *Visceribus viscus gigni, sanguemq; creari,*
*Ossibus, & sic de pauxillis atque minutis* *Sanguinis inter se multis coëuntibus guttis.* *Genitura humana origo.*

Democritus eam ex totis prodire corporibus, præcipuisque eorum partibus velut carnosis, fibres, & ossibus, arbitratus est. Cæterum Philosophorum & Medicorum plurium diligentia secus rem invenit, qui genituram minime esse ossis ullius medullam, sed sanguinem potius asserunt: quibus Pythagoras etiam adstipulatur, dum eam probatissimi sanguinis spumam esse contendit, ac alimenti nutrimentum. Hujusmodi porro sanguis ab hepate ad renes immittitur, per meatus inde ad id aptos flexuoso quodam tramite ad testes dilabitur, quod in dissectionibus apertissime compertum est. Unde Anchises, apud Maronem, paterna impulsus charitate clamat: *Vide Censorinum c. 4.* *Æneid. l. 6.*

*Projice tela manu, sanguis meus,*

Quod ad imitationem Pindari dixisse videtur, qui Nemeis ita, τηλαυγὲς ἄραρε φέγγος αἰακιδᾶν αὐτόθεν ζεῦ, τεὸν γὰρ αἷμα. Quidam Philosphorum rerum venerearum libidines in jecinore contineri arbitrati sunt, quod à Lactantio quoq; memoratur lib. de Artificio. Et Mathemathici jecur à Venere re-
D gi autumant, in eoque amoris sedem Poëtæ omnes agnoscunt, dum Cupidinem jecur sagittis appetere ulcerareque conqueruntur. Atque ita VII. Proverb. Salomon: *donec transfigat sagitta jecur ejus.* Verum aliud est concupiscere, aliud commoveri ad procacitatem: alterum enim mentis, alterum corporeæ munus est vivacitatis. Quæ vero ad jecur pertinent, in Vulture satis examinata sunt. Sed enim cum renes ossi, quod supra posuimus, adhærescant, non imperite figmentum hoc suum Ægyptii commenti sunt: nam & Astronomi renes & genituram in Veneris potestate constituunt. Renes ait Varro ita dictos, quasi rivi ab his obscœni humoris oriantur. Quod vero & lumbi eidem ossi adjacent, Ægyptii per lumbos Venerem innuebant: hinc apud Comicos & Epigrammatarios Poëtas, ubi quid lascivius enunciandũ fuerit frequens adeo de lumbis mentio: dum fluctuantes eos alii, alii exporrectos, alii aliter dicunt. Tangit & Persius hoc, ubi lascivorum Poëmatum recitationem incessit, dicens: *Lumborum varia significata.*

*Psal. 38.* *Cum carmina lumbum intrant*, & inferius: *Summa de lumbe saliva*. Habemus & in Sacris concentibus, usque ad noctem renes increpuisse, & impletos illusionibus lumbos. Et Genes. xxxv. *Reges de lumbis tuis egredientur*. Præterea ubi Paulus de Levi ad Hebræos scribit: *Adhuc enim* ait, *in lumbis patris erat, quando obvius ei factus est Melchisedech*. Neque tamen inficias ierim, aliquot Divinarum literarum locis Lumbos poni pro Virtute, ut XVII. cap. Regum tertii, qui tamen apud Hebræos primus inscribitur, ubi Roboam seniorum spreto consilio salutari, adolescentiorum, in quorum adulatione fuerat educatus, animos prætulit, qui ferociores erant: suaserunt enim illi ut rex juvenis & imperitus rerum, fortem se atque terribilem populo ostentaret, & ita loqueretur ad eos: *Minimus digitus meus compactior est lumbis patris mei*. Quo responso amaritudinis pleno factum est, ut statim à tribus decem desertus fuerit, regno quod pater auxerat, ad duas tantum tribus imminuto. Quamvis vero Divinæ literæ lumbis plurimum tribuant, ubi de genitura mentio sit facienda, non illæ tamen ossa ipsa ex Ægyptiaca disciplina rejiciunt. Nam ubi Laban accipit hospitio Jacobum sororis suæ filium agnitum, significare volens etiam ex patris consanguinitate eum sibi conjunctum esse, *Os*, ait, *meum es, & caro mea*: quasi ad id respiceret, quod veteres plerique Philosophi tradidere ossa ex virili semine in embryone gigni: ex materna vero genitura virili circumfusa, carnem ipsam fieri. Sed quod alicubi *Lumbos*, in vulgatis habetur editionibus, Symmachus vertit, *Latera*, sed eodem utrumque significato; concupiscibilis animæ pars signatur: juxta enim latera renes sunt. In lumbis sane maxima, ajunt interpretes, esse solet incitatio ad concupiscentiam, adversus quam renes nostros & cor nostrum aduri, in sacris adorationibus suppliciter imploramus: quippe ut & naturali appetitui, & voluntati simul obsistere valeamus. Hac de causa dicebat Apostolus: *State præcincti lumbos vestros vero tamen cingulo*, hoc est, voluptate ea, quæ vera sit, quæ scilicet à castitate & continentia oritur, quod dubio procul est à Domino desumptum, ubi præcinctis nos jubet esse lumbis. Nam & apud Romanos, *Cinctus*, armatum strenuumque significat, ut *Discinctus*, contra imbellum & effœminatũ. Jam & hostiæ renes ignibus traditi; dubio procul significant genitalium partium ardores extinctos esse, quique omne quod pingue est de renibus & omnibus interioribus obtulerit, tunc vere purgatus omni libidinis vitio, pro delicto hostiam jugulaverit. Sed quoniam hæc in Divinis literis & sæpe & multipliciter habẽtur, non importunum fuerit, quod ad hanc sententiam facit, locum ex Levitico repetere, ubi de pacificorum sacrificiis agitur: ubi sane Legislator jubet duos renes cum adipe, quo teguntur ilia & reticulum, sive ut alii edunt, fibras jecoris cum renunculis, adoleri super altare in holocaustum: ex his, ut ait Hierosolymitanus Hesychius, Legislator vult nuptiarum desiderium offerri Deo, ut prolis causa, non fornicationis, provenia & honorabile sit conjugium, & torus immaculatus. Jungit vero jecur renibus, quia delectatio sive concupiscentia in eo sedem habere fertur, hepate vero in renes vim operationis suæ ministrante, quod per desiderium quam Græci ἐπιθυμίαν vocant, motum fuerat, ad desiderium effectus concitatur, quæ duo simul adolenda sunt: ut scilicet neque prava nobis proponamus, & si quo modo suggerantur, abolere festinemus: & ut verbis utar Hesychii, qui a in hpatoncupiscentiæ requiescere putantur: propterea pinnam, hoc enim ex LXX. desumit, hoc est, summitatem cum renibus auferri recipit, & offerri ad altare, ut ab omni mala delectatione mundemus, scientes quod primitiva cogitationum nostrarum Deo necesse habemus offerre. Demum, ut à gentibus quoque arma nobis mutuemur, Poeta venustus in hanc sententiam ait:

*Concupiscentiam.*

*Ovidius.*

*Principiis obsta, sero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*

## TEMPERANTIA. CAP. IX.

NImirum in Sacris nostrorum literis id erat temperantiæ signum, quod in salutari victima lumbos eximi mos erat, tamquam impuros, ait Philo, propter concitandæ libidinis titillatum, semine per eos irriguo. Divino autem præcepto lumbos præcingi jubemur, cum sacra illa solemnia ferimus, quæ tunc temporis instituta sunt: cum exeuntes ex Ægypti captivitate, hoc est, ex voluptatum & deliciarũ illecebris, Agnum, hoc est, puritatem edere admonemur, & in castimoniæ convictu discumbere. Apud Nilum autem hujusmodi lex de temperantia lata est, qui, ut Ambrosius, Geon est, unus

A unus ex quatuor Paradisi fluviis, qui virtutē hanc significare dicitur: de quo satis in Accipitris commentario disseruimus. Quod vero de vasculorum perplexitate dicebamus, admittit id etiam Aristoteles, qui testes libramenta quædam esse dicit, quorum beneficio semen ad penem commodè labatur: neq; id semel asseruit, dum eorum adversatur opinioni, qui testes solos genituræ receptaculum putant. Innititur verò is exemplo Tauri, qui jam exectus Vaccam impleverit. Quemdam etiam, ait Albertus Magnus, eviratum, prolificam in coitu operam navasse, licet Galenus ab Aristotele diversus eat, testesque omnino seminis receptacula esse contendat. Quinetiam Averoës in hoc à suo dissentit Aristotele. Quibus responsum fieri posset, si testes in hunc usum à natura tributi essent, animalibus utiq; omnibus id officii subministrarent, neq; ulla esset absque illis propagatio: secus vero plerumq; repertum, ut quæ recitavimus exempla testantur. Cadunt igitur causa, qui solis, quos oggerunt, testibus innituntur. Ab hac spina cauda exit: ea curta, in Divinis literis ostentat eos, quibus nulla de futuris cura, qui diem novissimum futurumque Dei judicium aspernantur, qui subinde dicunt, *Edamus & bibamus, pereat qui crastina curat: cras enim fortè moriemur, quia mort aurem vellens,*

B *Vivite*, ait, *venio*. Est enim cauda pars corporis extrema.

*An testes soli, causa genitura.*

## DE PUDENDIS. Cap. XX.

Pudendorum significata his adjungere necessarium est. Nam vetustas illa, ut minus vitiosa fuit, ita simplicius apertiusque de unaquaque re philosophata est: neque erat tunc temporis in humano corpore quicquam, quod vel visu, vel nuncupatione sua, turpe judicaretur. Pravis vero moribus succrescentibus, multa decernenda fuere tam factu esse, quam dictu turpia, ut qui rebus suis modum præscribere nescirent, ipsius saltem turpitudinis infamia absterrerentur. De antiquissima igitur disciplina dicturus, quæ ad significationem figuræ illius, quæ tam visu, quam dictu obscœna judicatur, pertineant, veniam mihi dari postulo, ac in eam hæc accipi partem cupio, propter quam & prius excogitata à veteribus illis fuerunt, & à me nunc in communem usum propalata: eo quidem consilio, ut hæc

C illis scriberentur, qui sanctius instituti, rerum viscera & intimas medullas, non verborum superficiem, examinarent.



*Vicit armis strenuos, vicit fama inertes.*

## MAGNANIMITAS. Cap. XXI.

Esto igitur prima pudendi virilis significatio, quæ tot columnis incisa, tot obeliscis notata, tot aliis veterum monumentis insculpta, magnum & erectum viri fortis animum ostentarit. Extant adhuc columnarum frusta aliquot in Sesostreos memoriam erectarum, quæ literis Ægyptiacis incisæ sunt, in quibus utriusq; sexus naturæ insculptæ conspiciuntur. Sesostrem enim hunc Theopompus libr. III. appellat, quem Sesonchosin aliqui nominarunt: qui scilicet Ægypto regnavit universæ, imperiumque in

D Europam protulit, de quo apud Herodotum multa. Ubi igitur in columnis aut obeliscis ab eo positis virilia pudenda conspexeris, bellicosos, strenuos, & magnanimos viros armis ab eo superatos intelliges. Nam & conjectorē, mulieres, quæ virum & liberos habeat, si commutatam se in marem somniaverit, viduam brevi futuram conjiciunt, atque ita viri muneribus functuram: quæ vero liberos no habeat, mares pariturum: quæ virgo sit, futurum ut primo quoque tempore matrimonio elocetur. Ita semper ea humani corporis pars aliquid indicat, quod ad negotia virilia pertineat.

*Artem. l. 2 cap. 47.*

*Artem. lib.*

## FORMIDOLOSUS ET IMBELLIS.
### Cap. XXII.

*Macro. Satur. l. 5. c. 9. sic citat, ex Hom. Iliad. ὤμοι ἀπηλητῆρες ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' ἀχαιοί. Æneid. lib. 9. Harat. l. 2. Epistol.*

UBi vero in monumentis iisdem muliebria videris incisa, argumentum est, imbelles, molles & inertes homines ab eo subjugatos, cujus nomen, vel nota superposita fuerit. Ad quod dubio proprocul respexit Homerus, cum Thersitem Græcorum pusillanimitatem increpantem his verbis inducit, *κακ' ἔλεγχε ἀχαιΐδες, οὐκέτ' ἀχαιοί.* Id quod ad Numanum sese & sua gloriose jactantem non invenuste transtulit Maro, dum eum, *ô Phrygiæ (neq; enim Phyges)* in obsessa Trajanorum castra dicentem inducit. Alibi virorum negotia præscribit, ut hi bella pacemq; gerere deberent. Et Horatius virilem Cleopatræ animum obstupescit, quæ generosius perire quærens, ensem haudquaquam muliebriter minus expaverit. Apud eundem Tyrtæus Poëta non mulieres, sed mares potius animos in Martia bella versibus exacuit. Ovidius quoque in Enuchum, cum militem virum esse debere assereret, *Ista mares tractant*, dixit, *tu spes depone viriles.* Ad hæc Onirocritæ dicunt si princeps quispiam in fœminam se degenerasse per nocturnam sit imaginem arbitratus, futurum, ut loco decjiciatur: propterea quod mulieres plurimum imperiis virorum subjiciuntur

## INNOCENTIA. CRIMEN. Cap. XXIII.

*Quid per Masculum & Fœminam in divinis significetur.*

NOn est hoc loco prætereundus sacrificii veteris mos, ubi per Masculi vocabulum, insontem, & nulla criminis macula notatum intelligi debere autumant Theologi: per fœminam vero, crimen. Cyrillus enim Levitico, homilia prima, sive ea sit Originis, ubi agitur de Vitulo masculo sine macula offerendo, masculum ait intelligi, qui peccatum ignorat: propterea quod fœmina sit peccati symbolum, Labilis enim, mollis, & ad delinquendum ptoclivis admodum est mulier. *Masculum igitur sit munus quod Deo offers*, hoc est, muliebre nil habeat, concupiscētia vacet, fragilitatē aufugiat, nihil molle, nihil dissolutum meditetur. Et Masculi denique nuncupatio in Divinis literis virum indicat virtutibus perfectum, qui præsenti fortiq; animo semper est: cum mulier contra tantæ sit infirmitatis, ut Salomonis Sapientia dixerit, *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Et mares tantum stirpis Aaroneæ jubet Dominus vesci sacrificato: quia scilicet non omnium est de Deo disputare, sed eorum tantum qui nihil fœmineum, nihil fluxum in cognitionibus habeant. Demum, ne de Deo disputare præsumamus, quamdiu per quasdam declinationes diffluentes, vel domesticas curas, vel inania negotia, à Masculorum dignitate vigoreque exciderimus. Similiter in victima peccati, Masculus tantum de genere Sacerdotali vescetur carnibus ejus: *ad pœnitentiam enim forti opus est sensu*, ait Hesychius, *& intentione virili.* Cui Psalmographus ita succinit: *Viriliter age*, vigoremque audacter amplectere, & in quamcunque provinciam te delegaverit Dominus, eam & alacriter suscipe, & non ingnaviter administra. Porro Vir qui testiculos avulsos habeat, in Divinis literis hieroglyphicum est hominis qui vitam prius pie sancteque institutam habuerit, juventutemque omnem bonis operibus exercuerit, ingravescente vero ætate ad nequitias & inquinamenta declinarit. Nam cum testes, uti superius ostensum est, virtutis indicia sint, evitatio mollitiem dubio procul effœminationemque significat, ipso se vocabulo prodente. Vel, ut Hesychii sententia est secuisse, ille abstulisseq; sibi testiculos videtur, cujus impius animus scelerataq; mens timorem Domini, veramq; abjecerit pietatem: perinde ac si crudelis manus semet ipsum abscinderit, hoc est, sese à Dei conjunctione, quæ sita est in virtutibus, abstulerit, & bonæ frugis prole fœtificationeq; privaverit, quippe abjecto signo per quod vera virilitas in homine cognosci possit.

*Per testiculos avulsos quid.*



## ERGA PARENTES INGRATI.
### Cap. XXIV.

ANtiquorum autem religione institutum fuit, Gallos, eviratos quippe Sacerdotes, Deûm Matri ministra-

re, per-

A re, perpetuæ ejus servituti addictos: quod qui patris, matrisve nomen violaverint, eo supplicio damnandi viderentur, ne possent ipsi unquam fieri parentes, in qua sententia fuisse Lucretium, hæc ejus carmina declarant:

*Gallos attribuunt, quia numen qui violarint* *Lib. 2.*
*Matris, & ingrati genitoribus inventi sint,*
*Significare volunt indignos esse putandos,*
*Vivam progeniem qui in oras luminis edant.*

## COELI FOECUNDITAS. Cap. XXV.

QUæ vero de Cœli pudendis à Saturno falce abscisis, & in mare dejectis veteres fabulati sunt, sententiam præ se ferunt à Divinis literis non admodum alienam: Deum quippe omnium rerum *Unde Ovid in Ibin.* — *Saturnus ut illas.* — *Subsecui: partes, unde creatus erat.* — *Marc. Sat. lib. 1. c. 17.*
B species conformasse, moxque præcepisse, ut conjugio quæque suo crescerent, replerentque terras; id quod & plerique Philosophi dixere, rerum semina cœlitus delapsa tempore quæque suo coaluisse, inde ad eas propagandas naturam usum Veneris indicasse. Jam & Osirim Ægyptii suum (de quo sæpe alibi,) humana effigie pudendis obscœnius excitatis faciebant, inde generis nostri causam (Sol enim Osiris) & per quem capite gestabat calathum, educationis beneficium significaturi.

## MERCURIUS, VEL EFFICAX SERMO. Cap. XXVI.

SErmonis efficaciam, persuadendique vim ostentare veteres si voluissent, Mercurii simulacrum grandiori jam ætate, barbatum, & effœto propemodum corpore, naturam tamen obscœnius excitata, eaque tantum parte validissimum faciebant: cujusmodi signum Cyllenis fuisse Pausanias tradit, atque eo sigillum ea specie æneum apud Fabium



*Sigillum Fabii Calvi Ravennatis*

C Calvum Ravennatem, Romæ vidi, cui quidem signo, præter hæc vestis erat suffarcinata, in cujus sinum poma, fœturæ scilicet indicium, condebantur: nempe quod sermo, cujus omnino symbolum est Mercurius, in grandiori provectiorique ætate vim quandam propemodum generandi, transigendique aliquid habeat, ut quod in consultatione propositum est, deliberet, persuadeat, ac omnino conficiat. Artemidorus Onirocrita scribit, se *Artem. l. 1. cap. 47.* quoque Cyllenis vidisse Mercurii simulacrum, cujus species non alia erat, quam pudendi virilis effigies: eaque de causa Conjectores super sermone disserunt, quæ quis per ejus partis imaginem somniaverit. *Artem. lib.*

## INVETERATA NEQUITIA. Cap. XXVII.

D ADdi solida est Hermis hujusmodi vestis longo syrmate tracta, quorum quidem similitudinem Theophrastus Eresius in homines nequam & intemperantes detorquebat: propterea quod syrma, ventrem, pudenda, & barbam tantum haberet: ita illi vestem traherent fœminarum more; ventri dediti essent, atq; libidini, nequitiam in ætatem etiam grandiorem producerent, cum vitia quædam, ut Satyricus monet, cum prima sint barba resecanda.

## SERMO INANIS. Cap. XXVIII.

INanem vero sermonem ostendere volentes, Mercurium eundem juniori specie ac prorsus impubi cum effinxissent, attracta illi pudenda vel desidentia faciebant: in his enim qui nondum ex

ephebis

ephebis excessissent, infœcundam & imperfectam esse orationem animadverterant: utpote quod ætas illa ad prudentiam nondum esset idonea. Hujusmodi vero signum vidi Neapoli in magnificentissimis Mactaleonum ædibus.

## PROVENTUS. Cap. XXIX.

*Quin & nominis etymologia indicat Priapum esse semen.*

JAm & Priapi simulacra in hortis statui ab antiquis solita, ne multum in his immoremur, proventus qui depoſceretur significatum habebant. Ea vero de causa fieri consueſſe, ait Varro, quod horti omnes in tutela sunt Veneris, quæ totius est generationis Dea.

## CONTINENTIA. Cap. XXX.

*Libidinis frænum.*

FRænum libidinibus atque nequitiæ impoſitum & imponendum esse, admonere cum vellent Ægyptii Sacerdotes, genitale viri manu cohibitum atque coërcitum pingebant: quippe hominis continentiam eo gestu deſcribentes. In appendicibus utique ad Virgilianum opus adjectis, cujuscumque illi fuerint joci, sapienter quidem compedibus Venerem constringendam invenies, quantumque natis creandis serviat adeundam, ut corruptum ibi locum ex Lactantii Firmiani lectione corrigamus: ita enim apud eum legas:



*Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis*
*Serviat, hos fines transiliisse nocet.*

Approbesque interim eorum fortitudinem, qui potius excastrari voluerint quam illicito coitu contaminari, cujus facti fidem apud Cyprianum & Origenem quærito. Præcipuum autem illud in Christianorum institutis præceptum ponit Eusebius, γαστρὸς τῆς ὑπὸ γαστρὸς κρατεῖν, *ventrem* quippe, *quæ sub ventre sunt, coërcenda.* Sanè Anacharsis Scytha convivio acceptus apud Solonem, ita mox decubuit compoſitus, ut una manu pudenda, altera vero os obſignaret, palma ad id appreſſa, daturus quippe per hujusmodi gestum continentiæ atq; ſilentii monumenta. Eam vero toto vitæ tempore continentiam à deliciis omnibus alienam ſecutus eſt Anacharsis: quare ſtatuis ejus inſcriptum erat, γλῶσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κρατεῖν: quippe, *linguam, ventrem, mentulam compeſce.* Namille nimirum ante omnes probus eſt, qui tribus his egregie ſibi temperarit. Neque vero parvam hujus continentiæ laudem meruiſſe videtur Alexander Macedo, cui adhuc juveni cum puella, noctis bona parte peracta, deducta eſſet, ut cum eo dormiret, quærenti Regi tarditatis cauſam, reſpondit illa, expectaſſe ſe donec maritus cubitum iret: commotus Alexander miniſtros acriter objurgavit, *reducite,* inquiens, *hanc: parum enim abfuit quin veſtra culpa factus fuerim adulter.* Quin & captivas Darii puellas quanta integritate ſervaverit, ignorat nemo. Exempla hæc adoleſcens, ætate ſervidus, deliciis affluens, adulatoribus undiq; circumſeptus, ſponte præſtitit, ut nos qui monitis dubio procul ſanctioribus eruditi ſumus, aliquando cogeret erubeſcere.

*D. Laert. in ejus vita. Continētia Anacharſis & Alexandri Magni.*

*Plutarch. in Alexandri vita.*

## VENUS VERECUNDA. Cap. XXXI.

NOn deſiiſſe vero unquam qui verecundiam adamarent, tot Veneris ſimulacra in antrum abdita, de quibus alibi meminimus, indicio eſſe poſſunt. Adhæc, juxta Mantineam Nigræ Veneris ſacellum apud Meliaſtas fuit: ad verecundiam quippe, qua præditum eſſe debet humanum genus, indicandam. Reliqua enim animantia die plurimum & in propatulo, homines vero & clam & plurimum noctu liberis dare operam ſolent. Simulacri hujus meminit Pauſanias lib. VIII.

## EXTINCTA LIBIDO. Cap. XXXII.

*Heros & Leandri fabula ſenſus.*

APud Ægyptios genitalia à Titanibus deſecta, & in fluvium demerſa comperias, quod libidinis ardorem extinctum, aut extinguendum eſſe, myſtico eo ſacro intelligendum. Græci Heros & Leandri

A Leandri fabulam commenti sunt, ut extincto lucernæ lumine, calore quippe naturali deficiente, juvenilis quoque concupiscentiæ ardorem extingui significarent: atque ita tam marem, quam fœminam gelida senectutis procella exagitatos in aquas immergi, ac deniq; suffocari. In sacris nostrorum literis sententia huic fabulæ non absimilis de flore amygdalæ, de locusta & cappari habetur, quam loco suo satis explicamus. Neq; tamen illud contemnēdum, quod Græci extinctos compressosque nequitiæ stimulos à viro forti, hoc est, virtute, prædito judicare volentes, Anteum illum suum Terræ filium ab Hercule collisum fingunt: nihil enim aliud est Anteum à terra procul sublatum enecare, quam à libidinoso tactu manus & mentem procul amovere.

## COELESTE RERUM OMNIUM PROMPTUARIUM. Cap. XXXIII.

PAnos urbs in Ægypto fuit, in qua hujus etiam dei colossus visebatur inguine procaciter extento, qui flagellum in Lunam à dextra ejus sitam attolleret, Pana enim illi ad Lunæ simulacrum adde- *De Panos & Lunæ mutuo amore, Virg. Georg. l. 3.*
B re voluerunt: quod omnia mortalium usui necessaria putarent à Luna suppeditari. Sed quid hoc *simulacri.*
sibi vellet argumentum, facilius ex Cabalisticæ disciplinæ significationibus eruemus. Ajunt enim *Panos.*
ejus mysterii sapientes, omnem siderum vim, quæ rerum procreationi comparata sit, in lunare primus corpus infundi, tanquam in penum aliquam promptuariam: mox illam pro rei uniuscujusque materia formam unicuiq; suam fideliter erogare, idq; sibi velle videtur in Panos manu flagellum, quasi accepta eo gestu doceat expendere.

## SOL. Cap. XXXIV.

IN Suidæ collectaneis legas Priapi simulacrum, quem Horum Ægyptii esse dicant, læva penem arrectum continere, dextèra sceptrum disco & pennis insignitum, quæ omnia Solis vim ostentent: *Priapi simulacrum & explicatio.*
ex genitali siquidem obscœnius attrectato significari ajunt, quæ abdita sunt in visceribus terræ semina, vi solis erumpere: per sceptrum vero imperium, quod in cœlestibus & terrestribus gerit, cujusq;
opera & terra & mari patefacta, sese mortalibus exhibuere, ususq: & commoditates rerum omnium
C subministrarunt. Discus, orbem quo circumfertur indicat: pennæ vero, velocitatem, totius cœli ambitu quatuor & viginti horarum spatio quotidie decurso. Sic illis philosophatum est temporibus, ut rem tam seriam, & omni modestia & verecundia tractandam, ad nequitiæ turpitudinisque imaginationes traherent. Sic Judæi quoq; Beelphegori nonnunquam initiati sunt, ignominiæ quippe simulacro, quem Priapum Latini vocant, Moabitarum de more ferentes sacra, gravissima contra se numinis Omnipotentis iracundia concitata. Sic Athenarum eruditio, arcanaque mysteria universum orbem eluere. Atq; huc demum in Eleusynæ Cereris sacris tormentum illud cæremoniarum, ad oc- *Num. c. 25. Deut. c. 3.*
clusas portas diuturnior mora, linguæ obsignatio, & tot habituum & ornatuum, quot Apulejus enu- *In ridiculam Veterū impietatem.*
merat, varietas tendebat, ut posteaquam per quinquennium anxii anhelabundique magni alicujus
oraculi cognitionem expectarant, & rei cujuspiam divinæ majestatem quandam, diceret Tertullianus, se visuros concepissent, sub naturæ significatione simulacrum virilis membri tot integumentis
tamdiu coopertum, revelatum tandem intuerentur, quodque quotidie ad naturæ requisita non se-
mel tangere cogerentur, vidisse se pictum aut sculptum, sub religiosissimi jurisjurandi prohibitione
D profiteri vetarentur. Quodq; longè magis ignominiosum est, huc Philosophi, huc Principes, huc ipsi Romanorum rerum domini Augusti, levitate nescio qua pellecti, perhibentur.

---

## DE UMBILICO. Cap. XXXV.

QUoniam vero umbilicus quædam communia habet cum genitalibus, exigit locus ipse, ut quæ partis ejus significata sunt, explicantur.

## PATRIA. Cap. XXXVI.

UMbilici significata alii alio modo acceperunt: sunt enim qui Jovem, sunt qui medium, sunt qui *Significationes umbilici tres*
finem, per simulacrum ejus intelligant. Jovem quidem ex umbilico significare videas apud Cur-

Curtium lib. VI. cujus effigies smaragdo & gemmis aliis coagmentata erat. Et hoc idem indicat nummus, quem apud clarissim. patritium Venetum Stephanum Tepolum vidi, cujus inscriptio est, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΕΙΕΡΙΑΣ ΖΕΥΣ. ibi enim quædam hujusmodi species habetur. Medium vero, ut qui dixit Delon orbis umbilicum. Finem, Martialis, cum scripsit:

*Mart. lib. 4 Epig.*

*Artem l. 1. cap. 45.*

*Jam pervenimus usquè ad umbilicum.*

*Quia in utero infans ab umbilico alimoniam capit.*

Sed eo loco intelligendus est voluminis terminus, qui cum volumen explicatur, in fine omnino est: cum vero idem obvolvitur in spiram collectum, medium tenet locum. Sedenim Onirocritæ per umbilicum dubio procul patriam intelligunt, unde scilicet educationis auspicia suscipiuntur, & per ea quæ umbilico accidant in somniis videri visa, de patria vaticinari solent.

## MEDIUM. Cap. XXXVII

*Hominis medium quid.*

VIdetur vero patria unicuiq; homini orbis medium esse, cum ab eo loco, ubi quisque lucem auspicatus est, & terrarum situm, & mundi spatia metiri incipiat, & quoquo versum iter atripuerit, patriam semper quasi centrum statuat. Sed apertissimè Cicero Umbilicum pro Medio poni ostendit in Verrem actione VI. *Et nuptum esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant ex Ennensium memore, qui locus, quod in media est insula situs, Umbilicus Siciliæ nominatur.* In homine quoq; umbilicus medio totius corporis loco constituitur, sive circulum circumduxeris lacertis manibusq; exporrectis, sive ad quadræ figuram factum eum imagineris: quamquam de medio hominis diversa est & Vitruvii & Varronis opinio: hic enim inguem in homine masculino medium agnoscit, umbilicum ille. Apud Martialem medios lambere comperias, quod ad Varronis sententiam accedit: nam fœminæ inguem esse medium, idem quoq; Vitruvius confitetur.

## FINIS. Cap. XXXVIII.

CUm autem & finem significet umbilicus, ostendendum quid umbilicus in libro sit, de libro enim loquitur Martialis, cum se perveniisse dicit ad umbilicum usque, uti paulo ante dicebamus. In quo quidem multi hallucinantur, dum alii umbilicos esse putant, defensacula ea ænea quibus librorum anguli ornantur simul & muniuntur: quandoquidem cornua etiam eodem errore vocari crediderint à Poëtis, præcipue verò bullam in libro medio affixam. Alii signa esse quædam arbitrantur, quibus antiqui librorum fines concludere soliti essent. Ideoq; Porphyrionem citant, qui ad umbilicum, ad finem interpretetur, apud Horatium.

*Umbilicus in libro quid sit.*

*—— Deus deus nam me vetat*
*Incæptum celeres promissum carmen jambos*
*Ad umbilicum ducere.*

Alii clavos ad similitudinem bullæ, qui pro ornamento affigi soleant tabulis quibus libri conglutinantur, intelligunt. Alii, ut ex errore uno in alium trahantur, rati se aperte rem indicasse, locum Ciceronis ex tertio de Oratore citant: *Sed tum ita solet narrare Scævola, conchas eos umbilicos ad Catam & Lucrinum legere consuesse:* ibi per *Umbilicos*, lapillos intelligunt lotos & politos, ita enim scriptis prodidere, cum hæ buccinorum quorundam testulæ sint, quæ turbinatim convolvuntur, in fastigium acuminatæ umbilici forma, qui ex lapide olim fieri consuevit, ad umbilici nostri similitudinem. Ut vero & Martialem & Horatium idem dicentes, neque non Catullum & Ovidium etiam intelligamus, qui umbilicum hunc eodem omnes significato posuere, sciendum libros olim fieri solitos ductu plurimum perpetuo, una quippe pagina, non ut nos, illis dissectis, & in quaterniones quos dicimus consertis: & quia complicabantur ad instar spiræ convoluti, inde Volumina dicta sunt à volvendo. In extrema autem pagina firmitudinis ergo parvus admodum bacillus, ex cedro quippe, aut buxo, cupressove, vel ex ebeno, vel ex ebore adglutinabatur, ad latitudinis modum, qua membrana præcisa erat, hunc Umbilicum appellabant, cujus quidem capita volumine complicato hinc & inde prostarent: solebantque ea ex argento, vel etiamnum gemmis ad ornatum præmuniri, atque ea sunt quæ Cornua nonnulli vocitarunt, ut Ovidius ad librum Epistola Tristium prima:

*Candida, nec nigra cornua fronte gerat.*

hoc

A hoc est, neque ebore, neque argento, aut nitida ulla gemma umbilici præmuniantur, cujus facies atrata luctum præ se ferat Martialis XI.

*Explicitum nobis usque ad sua cornua librum.*

Sic apud eundem, uti superius dictum, quod & apud Horatium, umbilicus pro Fine ponitur: quia principium libri est, ubi à titulo incipit explicari: finis, ubi tota revoluta pagina perventum est ad umbilicum. Hujus ego generis volumina multa vidi, eaque vetustissima, alia ex membranis, alia ex Nilotica papyro, alia Græcis, alia Hebraicis, alia etiam Arabicis literis perscripta. Non præteribo papyracea illa monumenta, quæ in arcis Æliæ thesauris Romæ asservantur, in quibus archetypa est Constantini Imperatoris donatio, papyraceum esse textum, glutine quodam delibutum, mox aut aprina sana, vel vitro exæquatum ac perpolitum, ut & scripturæ patiens fuerit, neque ulla calamum asperitate offenderit, miro quippe lævore complanatum.

## CASTIMONIA ET CONCUPISCENTIA. Cap. XXXIV.

B EXcisus umbilicus apud Divinarum literarum Interpretes castimoniam significat: eo enim modo, quo præcisum præputium Circumcisionis illius est signum, qua libidinem atq; nequitiam à corde resecare debemus, ita in fœminis umbilici amputatio castimoniam indicat; virtus enim ejus in umbilico est. Hinc de profanatis prostitutisq; Hierosolymis Ezechiel ita lamentatur, *In qua die natæ es, non est excisus umbilicus tuus, vulvæ igitur matris adhæresit:* hoc est, nihil quicquam ab originatione separatur, sed patriæ coalita est, & applicita mollitudini, ut minimè mox mirum sit eam, quæ omnia subsequuntur, turpia perpetrare. Nam quod ex Jobe dicebamus, *virtus ejus est in umbilico*, sub umbilico ventris legere videtur Eucherius ut per hoc fœminæ significet genitalia, sicut in viro lumbos dicimus. Nam umbilicus dubio procul est concupiscentiæ signum.

*Umbilici amputatio quid in fœminis.*

---

## DE VENTRE. Cap. XL

C NAm Venter quoque sua continet hieroglyphica, eaque ab umbilico, de quo nunc diebamus, non admodum aliena, quare nusquam de eo, quam post umbilicum, possumus commodius meminisse.

## PRINCIPIUM. Cap. XLI.

ABsolutum perfectumque opus significat, uti diximus, umbilicus. Contra venter in sacris præcipuè literis nunc principii, nunc originis indicium est cum scilicet quis vel à nativitate, vel ab eo quo sapere cœpit tempore, factum incœptumve aliquid ostendere voluerit, ex utero, ventreve dicet. Ita Jobes: *Si non ex ventre matris meæ dux illis fui:* de misericordia loquens, qua pauperes ab ætatis initio prosequi cœpisset. *Cap. 31. v. 18*

## MARE. Cap. XLII.

D INSerapis descriptione figurave, de qua plenius alibi, γαστὴρ ἢ θάλασσα legitur, *venter* quippe *mare est:* &, uti superius notavimus, Hippocrates decumbentem quempiam, qui mare conturbatum in somniis sibi sit videre visus, morbo eum ventris tentari conjicit, similitudine puto à mari sumpta: quod veluti flumina fontesq; omnes in se recipit, ita venter omnia consumat.

## INSATIABILITAS. Cap. XLIII.

UNde Poëtæ ventrem pro gahea, & insatiabilitate variationeq; parasitica ponunt, ut apud Horatium in Epistolis: *Lib. 1. ep. 15*

*Quicquid quæsierat ventri donabat avaro.*

Sed ibi apertius:

*Scilicet ut ventres lamna candente nepotum*
*Diceret urendos.*

*Tit. 1. 12.* Epimenidis in Cretenses objurgationem Paulus Apostolus repetit, qui γαστέρας ἀργοὺς, *ventres* quippe *ignavos* eos appellat. Versus vero ille ita in codicibus aliquot antiquis habetur:

*In gulosos dictoria quædam.* Κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ, κακὰ κέρδεα, γαστέρες ἀργοί,

*Semper mendaces Cretes, commercia pessima, ventres ignavi.* Jam &, *Vivite ventres*, Lucilius dixit. Et quod apud Terentium legitur, *Pugnos in ventrem ingere*, Donatus de toto parasito ventrem intelligi posse dicit. Apud Suidam, & in aliis proverbiorũ collectaneis parasiti cujusdam responsum habetur, qui ventris opprobrium objectum sibi ita refellit, ut probrum id omnium pulcherrimum existimare se dicat: præstare enim eo ventrem aliis rebus, quod plenus, levis agilisq; sit, atque strenuus: inanis vero, gravis, & inutilis. De adipali sane lautitia geneaq; verbum apud Græcos γαστρίζεσθαι. In Divinis literis Psal. XVII. *Impletum ventrem* legas, pro insatiabilitate atq; ingluvie. Quique gulæ & nequitiæ imperandum præcipit Philosophus, *Ventri*, uti superius dictum, *temperandum, & his quæ sub ventre sunt*, inquit. Sane quidem Ægyptii mortuorum ventres eximere, & in Sole discindere soliti sunt, ut qui scelerum omnium causa essent, atq; ita vel expiarent, veluti de impulsore pœnas sumere viderentur. Verum hæc plerique dictu quidem speciosa dicent, non tamen imitanda sibi proponent, lepidumq; orationis Catonianæ principium in dissuadenda lege Agraria ita exordientis objicient: *Arduum esse ad ventrem verba facere, qui careat auribus:* nam & in hanc sententiam Græcum est proverbium, γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα.

*Alii, θηρία.*

*Plutarch. & A. Gellius Venter non habet aures.*

## HUMANA DELICTA. Cap. XLIV.

SAne ventres, Levitico, modo aqua eluendi, modo extra castra exportandi, apto admodum hieroglyphico, reatus, maculas quippe nostras indicant: quia *Fimus* in Divinis literis pro delictis accipitur: ea vero vel corrigi possunt, atq; ideo elui, vel expiabilia sunt, eaque procul deportanda, ne contagione ulla pars, quæ syncera est, contaminetur. Qui vero Deo venter in Divinis literis attribuitur, secretam substantiæ ejus originem idicant: unde illud in Psalmo, *Ex utero ante lucem genui te.* Significet alibi judicia ejus incomprehensibilia, diceret Eucherius, quæ rimari nulli datum est, de quo Jobes: *De cujus utero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?* Idem Eucherius, quod apud Abacunta legitur, *venter meus turbatus est in me*, interpretatur, ut per ventrem hieroglyphicè rationis vas & receptaculum intelligat. Apud Hieremiam, ubi, *Ventrem meum doleo*, pro *Mente* accipit. Quod autem de spiritali, non de corporeo loqueretur, indicium est quod sequitur, *Sensus cordis mei conturbati sunt.* Manifestè autem in Evangelio: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vitæ.* Contra vero de ventriloquis invenias in iisdem Divinis literis: nam ibi in Levit. legitur: *Ne declines ad magos?* Septuaginta reddidere: *Ne sequimini ad ventriloquos.* per hos Theologi falsos Prophetas intelligunt, qui Deum professi, à Deo aliena quæque docent, falsasque doctrinas & Prophetas comminiscuntur: contra quos dixerit Ezechiel, *Væ Prophetis insipientibus, qui Spiritum non divinum, sed suum sequuntur. Maxima est enim omnino*, inquit Hesychius, *diabolici erroris & fraudis species, ventriloquorum inventum*, & quæ multa super hoc exequitur.

*Psalm. 110.*

*Job. cap. 38.*

*Abac. cap. 3.*

*Hier. cap. 4*

*Johan. 7.*

*Levit. 19.*

*Cap. 13.*

---

## DE PELLE. Cap. XLV

TRahit ad se venter pellem, quam propemodum similitudine, qua super in Divinis literis aliquot invenias hieroglyphica, cujusmodi sunt hæc.

## VEXATIO. Cap. XLVI.

PElles hieroglyphicè in sacris literis vexationes sunt, quæ hominem ad mortem usque commacerant, imbecillumque reddunt: distractæ enim illæ in usus varios, in vasa, in opera multa, patiendo probatæ, laudem à Domino consequuntur. *Nam*, ut Paulus ait, *afflictio patientiam generat, patientia probationem, probatio spem, spes virtutis firmamentum, & inconcussam in operibus bonis stabilitatem.*

*Rom. 5.*

MORS.

MORS. CAP. XLVII.

A SUnt qui locum ex Geneſi, *Et fecit eis tunicas pelliceas*, eo interpretentur hieroglyphico, ut morta- *Geneſ. 3.*
litate conveſtitos eſſe eos intelligi velint. Nam cutis omnino eos indicat, qui ſolis exterioribus intenti, interius emarceſcunt. Apud Plutarchum libro de Iſide & Oſiride tympanum humanam ſapit naturam, atque ideo mortalitatis hieroglyphicum eſt. Conficitur vero tympanum ex pelle, plana, *Tympanum* latoque circulo circumducta.

SCORTA. CAP. XLVIII.

INvenies & pro Meretrice pelles poſitas Levit 15. *Veſtem & pellem quam habuerit, lavabit aqua*, quem locum citat Hieroſolymitanus Heſychyus, ſententiæ hujus interpres. Jam & apud Romanos meretrices Scorta dicuntur, à ſcorteis pellibus, quibus pro ſtrato utebantur. Idem pellem pro Diviitiis poni dicit, & pro cognatione alicubi.

CASTRA VEL BELLICUS APPARATUS. CAP. XLIX.

B ALio ſignificato pellis pro tentorio & caſtris ipſis ponitur: propterea quod vetuſti moris fuit, tentoria ex conſutis pellibus conficere. In Abacuntis cantico: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthio-* *Abac. c. 3.*
*pia, turbabuntur pelles terræ Madian*, hoc eſt, *Madianitarum caſtra vertentur in fugam, & diſſipabuntur.*

---

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XXXV.

## DE IIS QUÆ PER MANUS ET PEDES SIGNIFICANTUR

C

### Ex ſacris Ægyptiorum Literis.

### AD JOAN. MANARDUM FERRARIENSEM.

*SUmma quidem ingenii amœnitas tui, nunq; admodum eruditio, judiciumq; in omni diſciplinarum genere exactiſſimum acerrimumq;, quibus te præditum ſuperioribo diebus animadverti, cum apud Cælium Calcagninum cœnaremus, effecere, ut doctiſſimæ illius cœnæ numquam immemor ſim evaſurus. Sed quoniam parum eſt gratum animi affectum in corde tacitum fovere, niſi ubi facultas datur, eum palam feceris, & in propatulum expoſueris: cum nihil mihi commodius nunc ad meum erga te amorem explicandum occurrat, quam earum rerum commentarium, de quibus plurimus ea cœna ſermo fuit, id quam primum ad te curavi tranſmittendum: ibi enim tu per abditiſſima Philoſophorum arcana Medicorumq; ſapientiam ingreſſus, nihil obſcurum reliquiſti, quod ſuper pulſu, venis & arteriis quæri*
D *poſſet, quamq; neceſſarium eſſet, Medici non modo cor, verum etiam manus ipſas eruditas eſſe, manifeſtiſſime docuiſti: fruſtra enim eſſe mentis diſciplinam, & ſcientiam, niſi eam manus opere facto comprobarent. Cumque medicamina plurima, quæ manibus tuis ipſemet confeceras recenſuiſſes, opportune Vincentius Caprilis conviva noſter lepidiſſimus acclamavit, Manardum te denig; eſſe à manuum ardore divinitus appellatum: itaque tunc manum Cælius, & alii, qui accumbebant omnes, ſuis quiſque laudationibus in cœlum extulere. Ego vero aliam ingreſſus ſemitam, nihil à re, quæ præ manibus erat, abſcedens, eadem hæc, quæ nunc deſcripta ad te legenda miſi, ad verbum propemodum manu ſuper declamavi: qua quidem ſi legenti tantum placuerint, quantum audienti probari videbantur, minime putabo me oleum & operam perdidiſſe, ſperans ſcilicet inde aliquid futurum, quod initam hanc ex literis amicitiam apud poſteros fa-*

*ciat testatissimam. Neq; tu illa supprimes si recte diligentiam tuam perpenai, quæ ad humani generis utilitatem paucissimis antea cognita reseraſti. Facit hoc idem Cælius noster, qui quotidie aliquid de Musarum penetralibus eruit, & in promiscuum usum exponit, inde perpetuam sibi laudem, & amicis nomen comparaturus. Nostra vero hæc qualiacunq; sint, si non utilia, uti vestratia, certe aliqua ex parte spero fore delectabilia. Tu igitur, quod auribus libenter haurire visus es, oculis nunc & mente perfruere.*

## DE MANU. Cap. I.

QUæ fuerint super manu hieroglyphica apud Ægyptios significata, quiq; honos ei habitus ab ejus nationis sacerdotibus, Manarde mi, dicebamus, ea nunc in hunc modum, uti dicta fuerant, repetemus.

## OPUS. Cap. II.

*In protypis Artem. lib. 1. c. 44. Plurimæ manus acceptiones, cum in Divinis, tum in profanis. Artem ibi Manus & cor similia sunt.*

MAnus apud Ægytios sacerdotes operis in primis hieroglyphicum fuit, eaq; picta, sculptave, hominem ædificationis studiosum significabat: quippe qua in operibus faciundis plurimum utimur, cujusq; beneficio rerum artificia constant, & conceptæ in animo excogitationum imagines oculis subjiciuntur. Ut vero ait Hippocrates, in unaquaq; arte manus unusqusq; ad opus, quod facere destinarit, accommodat: *Natura enim* ut ait Cicero, *dedit homini manus multarum artium ministras.* Artemidorus conjector artes ex manu significari ea de causa dicit, quod earum opera artes exerceantur. Jam & oblatæ in somniis manus si pulchræ formosæq; sint, felicem rerum agendarum successum indicant, & iis præcipue, qui manibus opus faciunt, ut idem tradit Artemidorus. Et Pindaricum illud Olympiis celebratur Ode 4. χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον, ubi per manus opera, per cor audaciā intelligendam interpres Triclinius observat. In sacris quoq; nostræ pietatis libris manus operis hieroglyphicum habetur, eo præsertim loco ubi Deus Moysi mandat, ut Serpentis caudam apprehendat manu Actionem hic per manum singnificari tradit Philo siquidem nullo fieri modo potest, ut voluptates, quas per Serpentem significari alio commentario diximus, coerceri, opprimive valeant, nisi prius manus, hoc est, sinceros animi affectus, utpote rectorum operum ministros expediamus, & in omne pietatis ministerium promtissimas habeamus, atque ita demum arreptus intrepide Serpens virga fiat, hoc est, voluptas in disciplinam, quæ per virgam figuratur, ut in Caduceo declaratum est, quamprimum habeat, atque ita absolutam veritatis cognitionem partim intelligendo, patim experiundo, consequatur. Apertius vero manus opus est eo loco: Exodi 14. *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos.* Hujusmodi significationem etiam Græci veteres admisere. Nam Lacedæmonii sic invocandos deos existimabant, ut manum etiam admoveremus, nostram scilicet operam addentes, neque enim eos aliter exaudire. In quam sententiam Salustianus Cato: *Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordiæ te & ignaviæ tradideris, ne quicquam Deos implores: irati infestiq; sunt.* Sed ut ad nostra redeamus. Psalm. 78. *Deum exquisivi manibus meis nocte coram eo*, quamvis apud eos, qui Hebræos sequuntur, nulla hic de manibus mentio. Verum alii exponunt, *manibus* id est, *bonis operibus*, quæ tamen *nocte*, hoc est, *occulte*, & in Dei tantum conspectu fierint. Nam & Assertor: *Nesciat*, inquit, *læva, quid dextera agat tua. Dum attollit Moyses manus suas, vincitur Amalech.* hoc est, ut ut interpretatur Adamantius, opera & actus sustulit ad Deum, non humi jacens, obrepensq; reptilium instar terræ applicitus, sed ad Deum porrectus, inq; cœlum surrectus. Quodq; Levitico præcipitur: *Manus ejus offerunt hostiam Domino*, Theologi per manus opera interpretantur, κατ' ἐξοχὴν vero quamdam, manus Dei pro ipso accipitur Filio, per quem facta omnia ut Eucherius & alii pleriq;, interpretātur illud Esaiæ: *Omnia hæc manus mea fecit.* Sed longe manifestius alibi vates idem clamat: *Brachium Domini cui revelatum est?* ubi Theologi, ut apud Hesychium est, Filium dubio procul intelligi debere profitentur, Patri scilicet ὁμοούσιον, quod ne cui ambiguū relinqueretur, labores ejus pro nobis susceptos statim subjicit, vir extra omnium aleam divinissimus, ait enim: *Labores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, afflictusq; est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eū, & livore*

*Unde illud τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν. manū admovere.*

*Matth. c. 6. Levit. c. 19.*

*Cap. 40. Cap. 53.*

*Ibidem.*

A *livore ejus sanati sumus.* Psalmo sane 70. *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.* Theologi subjectam antiquitus interpretationem huic versui memorant, potentiam tuam & justitiam tuam, id esse brachium: Ubi vero hostiæ salutaris brachium dextrum separari, darique muneri Sacerdoti præceptum est, Cyrillus, vel Adamantius potius, per hujusmodi brachium à vulgo separatum significari ait, Pontificem debere dextera quæque, hoc est, proba & honesta facere, ut qui tamquam lampas illucescit in atrio, exemplo reliquis esse possit, non opinione tantum, verum etiam operibus, quam quisque viam ad virtutem & pietatem ingrediatur: contra vero sinistra, hoc est, prava & turpia non attingat, vitaque sit omnino integra & inculpabili.

## INNOCENTIA. Cap. III.

EUthymius, ubi de manuum puritate sermo fit in Divinis literis, per manus actiones operationesque inquit significari: eo quod per eas opera fieri soleant. Earum autem puritas dubio procul insontem ostendit: unde etiam abluendarum manuum gestus innocentiæ signum est, quasi illas non contaminatas habere profiteamur. Antiqui enim quando contestari volebant se alicujus innoxios esse sceleris, neque impuris se facinoribus immiscuisse, assensumve præbuisse, in multitudinis conspectu manus abluebant, ut scilicet ex illa manuum munditia animæ idemtidem puritatem indicarent. Inde Deut cap. 21. ubi cadaver in agro cæsum quis repererit, ignorato cædis authore, seniores civitatis, quæ loco ita polluto proxima fuerit, accersiri jubentur, & in deserta sterilique convalle vitula facere, super quam lavent manus: ut ita expientur & ipsi & civitas, populusque omnis absolvatur. Sic circumdaturum se altare Domini Psalmographus vates profitetur, cum una cum innocentibus manus suas abluerit. Et Pilatus, cum iniquæ sententiæ crimen in Hebræos rejiceret, innocentiam sua am attestaturus, manus publice lavit. Datas autem homini manus ideo, ait Athanasius, ut ad rerum C necessariarum usum inserviant, & ad preces Deo porrigendas attollantur: atque, uti palam est, manus est quæ cibum & alimenta omnia legit, condit, instruit, & ori admovet: manus est, quæ præclara facinora in pugnæ vel discriminum conflictu facit, ab ea est scribendi commoditas & elegantia, quam Propheta honestavit, de Deo dicens: *Calamus scribæ velociter scribentis*, quo scilicet divinæ vocis oracula exprimuntur. Manus sacra infert altaribus, & pietatis omne munus peragit, sacramenta cœlestia nobis subministrat, & Mysteria reliqua rite perficit & operatur: eam dignatus est Dei filius commendare, cum dixit, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Manus denique est, quæ omnia confecit, omnipotentis Dei testimonio, per Prophetam dicentis: *Nonne manus mea fecit hæc?* Manus est totius corporis propugnaculum, quæ dum illud totum defendit, totum comit, totum vestit, totum ornat, universæ ejus molis dominam se re ipsa profitetur.



*Sic præverbium, ἀνίπτοις χερσὶν, à puritate aliorum sacrorum, tractum, ex Hesiodo in operibus. Mos antiquus profitendi innocentiam.*

*Manuum functiones.*

*Psal. 45.*

*Psal. 118.*

## AUTHORITAS. Cap. IV.

D HInc manus authoritatemque & potestatem signatissime indicat, ut in sacris pietatis nostræ canimus, in manu Dei esse omnium potestatem, & jura regnorum omnium, quo significato dictum à Psalmographo, *Exaltetur manus tua* ut Theologi sunt interpretati. Jam apud Hieremiam: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Ismel*, de summa Dei potentia. Et illud minime dissimulandum, quod Poëta Cæcilius ait: *Deum quis non summum putet, cui in manu sit quem esse dementem velit, quem sapere, quē insanire, quem in morbū injici, quem contra amari, quem aversari, quē expeti?* Sic ad Terentium Cicero: *Verum hæc non sunt in nostra manu.* Et Aruspices, nulla quamvis sanctiore imbuti disciplina, cum prandenti Vespasiano humana manus triclinio illata fuisset, & subter mensam subjecta, præsagium fuisse respondere, rerum potestatem ad Vespasianum aliquando perventuram. In Dei vero manu esse omnes fines terræ, sacra piorum vatum oracula testantur: qui fieri posset admiran-

*Psal. 80. Jerem. 18*

*Sueton. in Vesp. c. 5.*

*Cur aqua terra longe altior dicatur.*

tium,

tium, ut aqua longe altior terra, ita suspenderetur, ne continentē omnem obrueret, quoquo versum circumfusa. Tametsi non defuerunt antiquorū ingenia, quæ natura fierii hoc commentarentur. Ptolemæus quippe Almagesto, triginta se nescio quas stellas Arctico polo affixas deprendisse profitetur, quæ cum siccæ frigidæq; naturæ sint, vi sua repellant aquas, terram autem ea parte, qua illæ micant, ut sibi natura similem, & temperatura quadam à Saturni sidere copulatam exerant, & suspensam teneant. Alii Magneti hoc attribuunt, quo lapide tota illa pars, quæ ad Arcticum versa est, incrustata quodammodo comperitur, tantamque illi vim, dum se ad polum erigit, esse dicunt, ut universum terræ corpus eodem trahat, atq; ita bonam ejus partem undis extare faciat. Alii alias atq; alias super hoc rationes comminiscuntur, concavitates subterraneas, ovalem figuram, protuberationes, & commenta alia ingeniose magis quam vere excogitata: quæ omnia si suscepti operis ratio pateretur, facile refelli possent, utpote quæ tam validissimis naturæ rationibus, quam hodiernæ navigationis exploratione, falsa deprehenduntur. Sed hæc illi viderint. Basilius Magnus totum hoc ad Architecti summi Dei sapientiam refert, admirationemq; omnem dirigere nos ad ejus providentiam adhortatur. Nam & apud Hieremiam Prophetam ipse rerum opifex clamat: *Vos igitur non timebitis me, qui posui arenam terminum maris?* quasi nulla alia in re magis potentiam viresq; suas ostentarit. Ille enim cum abyssos circumvallaret, legem imposuit aquis, ne datos transiliant fines, signatisq; terminis coërceantur.

*Jer. c. 5.*

## IGNAVIA. Cap. V





*Fabius libr. 11. languentem otio manum habere sub pallio ait. D. Laertius in ejus vita Eutenacis, abariq; ex Theocrito in Charitibus.*

EXpedita autem manus, & in propatulum prolata, ita opus, authoritatem, atq; potestatem indicabat: contra vero, nihili hominem, ignavum & otio desidiaque torpescentem significare si vellent, manus ejus in signum consertas effingebant: qui porro status ignavissimi nebulonis est, cum præsertim Anaxagoras ideo sapientissimum omnium animantium videri hominem dixerit, quia manibus instructus foret. Quod dictum Plutarchus in Moralibus repetit, neque dissimulat Aristoteles.

## FURACITAS. Cap. VI.

APud authores aliquot invenias lævam manum pro Furacitate positam. Nam Plautus, Persa, ubi Sophocli discalena Pechnii pueri manum deposceret, atque ille dexteram porrexisset, respondit ea: *Ubi illa altera est furtifica læva?* Ita & Catullianum illud intelligitur de Marrucino, qui manu sinistra non bene utebatur, sed in joco atque vino tollebat lintea negligentiorum.

## PLAUSUS. Cap. VII.

PLausum autem, lætitiæq; & gratulationis signum, manibus in eum gestum figuratis ut sese complodere viderentur, significare, theatra Romana, & Poëtarum pulpita sæpius ostenderunt. Id autem in Sardanapali statua, quæ Tharsi erat, exprimebatur, cum inscriptione, quæ modis omnibus lasciviendum esse commoneret.

## IMPEDIMENTUM. Cap. VIII.

COmplicatas vero manus digitis pectinatim insertis, adeo vetus illa religio impedimenti signum esse credidit, ut parturientium nixibus obstare, ne partum edere possent, quamdiu manus eo gestu tenerentur, perdita admodum superstitione persuasum habuerit.

## LIBERTAS. Cap. IX.

*Tibi. Claudii & Juliæ Piæ numus.*

QUemadmodum vero per manus ita complexas impedimentum significabant, sic per eas explicatas libertatem innuebant. Numus est Tib. Claudii Cæsar in quo videre est sigillum, quod dextera

A dextera pileum tenet, lævam quam late potest discapedinatam exporrigit, cum inscriptione, LIBERTAS AUG. Quamvis vero pileus per se sit libertatis signum, manus ea tamen ita passa significatum adauget. Sedenim, ut de parturientium fascinatione per implexas manus dicebamus, ita contrarium est in numo Juliæ Piæ, ubi partus felicitas explicatur, in quo Venus læva hastæ innititur, dexteram expansam ostendit, cum inscriptione, VENUS GENETRIX. Romani enim genus à Venere, propter Æneam ejus filium, se ducere asseverabant, maxime vero gens Julia.

## VENUS GENETRIX. CAP. X.



QUæ quidem condente & dicante Julio Cæsare, templum erexit Veneri Genetrici, cujus Plinius, Tranquillus & alii meminere. Legimus & Cæsaris tesseram fuisse, *Venus Genetrix:* ut Syllæ, *Apollo Delphicus:* Marii, *Lardeus* Observandum autem, in numo scriptum esse GENETRIX per E media syllaba, prout veteres Grammatici scribendum monent, cum tamen genitor per i notandum agnoscant.

B

## LIBERALITAS. CAP. XI.

EST & illud frequentissimo Latinitatis usu dictitatum: *Manu remittere*, liberalitatis & donationis significato, quo loquendi modo lusores præcipue utuntur: nam *Remittere manus*, est Condonare Collusori jactum, quem sua ipse manu damnosum feciset, debueritq; ob id numos exolvere. Hinc legere est in epistola Octaviani Augusti ad Tiberiũ: *Ego perdidi viginti millia numum, sed cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumq; : nam si quas manus remisi cuique exegissem, aut retinuissem, quod cuiq; donavi, vicissem vel quinquaginta millia: sed hoc malo, benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam effert.* Præcipue vero dextram liberalitatis & erogationis indiciũ esse voluerunt: utpote quæ, uti prompta est, & ad capiendum expeditissima, ita & ad porrigendum erogandumq; usitatissima. Unde Græci δῶρον illud suum mensuræ de manu sumptæ vocabulum, de quo alibi locus, suus, deductum volunt, quod scilicet inde dona porrigantur. Sed quoniam tam liberalitatis quam libertatis significatum in dextera ponunt, hujusmodi disciplina longe melius sacræ nostrorum literæ prodiderunt: veteres enim Theologi, qui divinorum nominum significata perscrutantur, eam inesse vim in Dei dextera intellexere, unde pulchra, grata, lætaq; omnia provenirent, proprioque nomine Michaelem vocari. At Græcorum Theologia Michaelis vim in Deo eam esse dicunt, quam Mathematici Veneri dedicarunt. Psalmo decimo supra centesimum jubetur Christus sedere à dextera Dei patris, ubi Theologi per Sessum, Requiem & fruitionem divini imperii, & patri, & filio propriam, & honore parem intelligunt: per Dei vero dexteram, effusissimam ejus benignitatem interpretantur. Lævam demum Aramæi eam in Deo vim esse dicunt, unde fortia, dura, & castigantia procedant, idq; numinis Gabrielem appellatum, quod Astronomi ex Græcorum Theologia Martem esse dixerunt.

C

*Manus remittere quid. Extat apud Sueton in Aug. c. 71.*

*Hebraice, fortitudo Dei.*

## VER, HYEMS, SOL. CAP. XII.

D



APud Græcos, Latinosque Poetas plerumque, reperimus centimanum Briareum, centimanumque Gygem: quin & Homerus Solem ἑκατόγχειρα nuncupavit, quorum significata cum hieroglyphicon instar interpretentur, non importunum fuerit hic explicasse. Interpretes Hesiodi, per Briareum vernum tempus dici tradunt, ob herbarum, florum, & frondium copiam, quam affluenter adeo sumministrat. Per Gygem vero, hyemem, & ipsum centi-

*Hom. Iliad. a. 402. Virg. Æn. 6. Horat. 2. Car. od. 17. Centimanum.*

manum, ob ea multa, quæ jam dudum collecta congestaque in varios mox usus distribuit, & negotiis quæque suis accommodat. Quod vero & Sol centimanus Homero sit, multa & innumerabilia ejus officia, quæ magis aperta cognitaque sunt, quam recensere oporteat, effecerunt.

## OFFICIA MUTUA. Cap. XIII.

CEssit & in proverbium mutui beneficii officiique ab officio provocati, *Manus manum scabit*, ex Epicharmi Comici versiculo, quem in ore fuisse semper Prodico Sophistæ, Socrates apud Platonem memorat, Axiocho. Erat vero hujusmodi:

*Utitur eo Seneca in lib. de morte Cæsaris.*

ἡ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα κνίζει, *Ne manus manum fricabit,*
δός τι, καὶ λάβοις τι. *Da quid, auferes quid.*

Sedenim illud vulgatum magis:

χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλοι δὲ δακτύλους.

sic enim manuscripti codices habent, quod alii suo freti ingenio corrigere voluerunt, quæ trimetri esset ratio minus animadvertentes:

*Manus manum, digiti interim digitos lavant.*

## OPEM FERRE. Cap. XIV.

EAdem dextera, quæ *Pullaria* Plauto dicitur, passis digitis opis ferendæ fuit hieroglyphicum: cujusmodi species in Opis deæ simulacro aliquot in numis observatur, quasi ea opem omnibus velle se ferre polliceatur. Quinetiam & nunc vulgo, & apud veteres usurpatum illud τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν, *manum admovere*, quotiens operam nostram alicui negotio adjutricem adjicimus. Hinc apud Maronem Palinurus ad Æneam clamat:

*Æn. lib. 6.*

*Da dextram misero, & tecum me tolle per undas.*

Sane illud sumptum à sacris, in quibus quispiam adveniens admotæ victimæ manu, fiat & ipse particeps sacrificii. Sed hoc frequentius apud nostros, cum infantes ab originali labe per sanctas aquas expiantur, lustricusq; eorum dies celebratur: quicumq; enim manus admoverint ad infantem, dum sacrũ id peragitur, paternis sese obligant officiis, & artissima pietatis necessitudine & nato, & parentibus conjunguntur, propemodumque affines fiunt. Quod vero de manibus sacrificio admotis dicebamus, quod Theologi nostri interpretantur eo Levitici loco. *Quicunque illa attigerit, sanctificabitur*, id dicunt ostendere, quod in disputationibus, quæ de Deo sunt, Theologicisq; misteriis, sufficit nobis tantummodo tangere, quemadmodum qui vult igne calefieri: nam is si interius manum immittat, pro eo quod poterat & satis erat calefieri, comburitur: sic qui profundius, vel altius de Deo disputare præsumit, pro eo quod gloriosius aliquid ostendere affectat, in blasphemiam cadit, dum divinorum dogmatum nequit sublimitatem assequi. Ea de causa populus Israeliticus non ascendebat in montem Domini, sed juxta radices corona ducta desidebat, quod utinam superioris seculi tempora animadvertissent: non enim sanctissima hæc doctrina tot ineptorum hominum, ne ignavorum dicam, nugis atque cœno implicata esset & contaminata. Sed Deo Opt. Max. gratia, qui nostra demum ætate tot authorum veterum thesauros aperuit, & in unaquaque disciplina proficere volentibus, veram, facilem, brevemque viam patefacere dignatus est. Quod vero ad hanc rem facit, monet Paulus, haud facile cuiquam manum imponendam, de ordinibus nimirum communicandis, quorum vis & ratio in Spiritus sancti contributione consistit, juxta ritum, quo impositis supra caput manibus sacerdos dicit: *Accipe Spiritum sanctum.* Id vero diligentius examinandum imperat Paulus, ne indigno, vel improbo, vel imperito talia conferantur.

*Levit. c. 6.*

## FLAGELLUM. Cap. XV.

*Soph. cap. 1. Manus in malam partem. Job. c. 19.*

SIgnificat etiam flagellum manus in Divinis literis, ut apud Sophoniam: *Extendam manum meam super Judam, & super habitantes Israel, & disperdam de loco hoc reliquias Baalis.* Et B. Jobus de calamitatibus, plagis, & infortuniis suis loquens, *Manus Domini* inquit, *tetigit me.* Et illud, *Tradentur in manum gladii*, castigabuntur gladio significat, utpote qui occidione occidendi sint. Jam quod alibi legitur: *Firmasti super me manum tuam*, de castigatione intelligendum est.

PIE-

## PIETAS. Cap. XVI.

A IN Antonini numo pietas ipsa dexteram exporrigit expansam, læva donarium in subjectam aram porrigit. In L. Ælii Cæsaris numo aureo, dextera sigilli eodem est gestu, læva donum tenet, cum inscriptione, Pietas. Quod vero dictum est in Cynocephalo, passas in cœlum manus adorationem significare, videas id in Gordiani Pii numo, in quo sigillum est, passas hinc inde manus ad cœlum attolens, cujus inscriptio est, Pietas Aug. Et Jarbas apud Maronem dicitur: *Antonini, Ælii Cæsaris, & Gordiani numismata.*

*Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.* *Virg. lib. 4. Æneid.*

Jam & Salomon Trecensis, non ignobilis S. Scripturæ commentator, sacerdotes, inquit, cum Sanctum Benedictum pronunciant, nomen inquam id Sanctum XII literarum extendunt manus suas.

## SUPPLEX, Cap. XVII.



*Rejectæ in lorsum manus.*

APud nationes aliquot invenias, rejectas post tergum manus, eas connexas, supplicem hominem significare B Eam formam in hujusmodi significato peculiarem apud Assyrios fuisse tradit Ammianus, ubi libro XVIII. Antonius ab Ursicino agnitus in hostili acie, objurgatorio sono vocis increpitus, Proditor & nefarius appellatus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiliit Equo, curvatisque membris humum vultu pene contingens, eum salutavit, Patronum appellans & dominium, manus post tergum connectens, *Ignose mihi*, inquit: & quæ pro criminis depulsione subsequuntur.

## CAPTIVITAS. Cap. XVIII.

SEdenim apud Romanos hujusmodi species manuum post terga revinctarum, captivitatis nimirum indicia sunt, quod & Virgiliano confirmatur carmine: *Virg. Æneid. lib. 2.*

*Ecce manus juvenem interea post terga revinctum*
C *Pastores magno ad regem clamore trahebant,*

& multis ubique terrarum monumentis, ex ære & marmore dedicatis, passim intueri licet. Ita lib. de Amicitia Cic. de eo, qui litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum dat manus, vincique se patitur, ut is, qui illusus sit, plus vicisse videatur. Talem Astronomi figurare solent, ubi ostendere volunt eum ab inimicis superandum, & in eorum potestatem redigendum, qui XIII. Sagittarii gradu lucem auspicatus fuerit.

## PACIFICATOR. Cap. XIX.

QUæ vero species in M. Catonis Proprætoris numo cernitur, ubi victoria est sedens, manu exporrecta, pollice summisso, quod puto victoriam consilio partam significare, ut illud, quod alibi explicatum est, Romanos sedendo vicisse, huc accommodetur. Ille porro gestus in manu res compositas ostendit, qui habitus in statuis pacificatorum exprimi solet, ut in equestri colossea ex ære M. Aurelius, in area Lateranensis basilicæ visitur, de qua in Digitis. *M. Catonis Proprætoris nummus.*

## RESTITUTOR. Cap. XX.

D IN alio Imp. Sev. Alexandri Aug. numo simulacrum est læva hastæ innixum, dexteram porrigens, vola & digitis demissis, pollice pendente, in quo literas eas tantum inspexi, quæ Restitutor dicerent, reliquas discernere non potui. Verum apertius in Gratiani numo porrigitur manus mulieri altero genuflexæ genu, cum inscriptione, Reparatio Reipubl. *Alex. Imp. nummus & Gratiani.*

## SALUTATIO. Cap. XXI.

ERat & salutationis Indicium, dextera juncta dextræ, quod apud Varronem, atque etiam apud Callimachum Ætiis habetur. Unde Virgilius in eandem sententiam Æneam inducit cum patre in Elysiis loquentem ita queri: *Cur dextræ jungere dextram non datur.* In hunc sane diem mos hic perdurat, ut hospites & peregrinos, & quoscumque notos peregre venientes, dexterarum conjunctione salutemus. *Æneid. l. 6.*

## ADORATIO. Cap. XXII.

NEque vero tantum porrectis in cœlum manibus adoratio fieri solita, sed & adversa manus ad osculum exposita, adorationis indicium est. Hinc illud apud Plinium, quandam esse in dextera religionem, quæ osculis aversa appetitur. *Qui adorant*, inquit Hieronymus in Ruffinum, *solent manū deosculari*. Unde Hæbrei deosculationem pro Veneratione usurpant, ejusmodique loquendi forma per totam jam Italiam, ex quo Hispanos in dominationem admisimus, inolevit, cum prius id honoris non nisi in Pontificibus deberetur. Et nonnulli Catuli somnium de Augusto referunt, quasi Jupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. Alioqui, ut in Cynocephalo dictum, sublatæ in cœlum manus adorationis indicium sunt. Apud Ciceronem Quæstionibus Academicis admirationis id signum est, ut dicitur: *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus sæpe tolleret: nec mirum, nam nunquam arbitror contra Academiam dictum esse subtilius.* Pervulgatum vero est Catullianum illud in hanc sententiam: *Admirans*, ait, *hæc manusque tollens, Dii boni* & quæ sequuntur.

*Deosculatio pro Veneratione, eaque ab Hispanis vulgo introducta. Sueton. in Aug. c. 91.*

## CONSENSUS. Cap. XXIII.

IN militaribus vero allocutionibus sublata manus, consensus & approbationis hieroglyphicum est. Unde totiens apud Xenophontem, si quod propositum esset, scitum facere se profiterentur, manus tollere jubebantur. Sedenim, hoc ritu Hebræorum prius institutum fuit, quod plerisque locis habetur, & Aaron Levitico, tollens manum, populo bene præcatus est. Ita nobis quoque faciundum imperavit Paulus: *Orate*, inquiens, *in omni loco attollentes puras manus.* Et Tertullianus, ubi de oratione pro salute Imperatoris agit: *Illuc suspiciens* (ait) *Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus*, & quæ sequuntur in hanc sententiam.

*Sublata manus, quid.*

## FOEDUS. Cap. XXIV.

SEd neque Pythagoricum illud prætereundum, μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιὰν, *non unicuique dexteram porrigendam*, quippe non temere esse quempiam in amicitiæ familiaritatis; fœdus admittendum. Citat hoc symbolum in hanc sententiam Plutarchus eo commentario, quod de multorum amicitiis conscripsit, & Solonis dictum illud in primis fertur, Φίλους μὴ ταχὺ κτῶ, οὓς δ' ἂν κεκτῆσαι, μὴ ἀποδοκίμαζε, *Amicos, ne cito compares; quos autē acquisieris, ne rejicias, contemnatve.* Mox vero adhuc est nostris Præsulibus, in admittēdis in clientelam amicis manum porrigere exosculandum, quod firmum quasi fœderis & conciliationis signum habetur. Observes etiam apud Ammianum, rerum gestarum lib. 1. supra xx. Nebridium, qui contra Constantium unus omnium jurare noluerat, metu militum, qui ferrum in hominem strinxerant, ad Julianum profugisse, suppliciterque orasse, ut timoris levandi causa ei dexteram porrigeret Julianus: *Ecquid*, ait, *præcipuum amicis servabitur, si tu dexteram attigeris meam?* Plutarchus in Catone Uticensi morem tangit osculandi manus Imperatoris apud Romanos, neque id quidem omnibus, sed paucis admodum honoris gratia concessum. Unde etiam in Divinis literis legitur: *Tua dextera me suscepit*, quod ita interpretantur Theologi: *Mos eorum est, qui opem alicui sint allaturi, dexteram porrigere, in qua & vis, & aptitudo, agilitasque magis promptuaria, quam in læva.* Et Psal. LXIII. *Tenuisti manum dexteram meam:* i.e. *optimi Assertoris instar manum meam apprehendisti, meque de terra & servitute Babylonica eduxisti.* Alii sic exponunt, ut per texteram manum à Deo tentam, meliora ac laudabiliora opera intelligantur, quæ benigno Deus animo susceperit. In sacrificiis demum manuum impositio nunc benedictorum ministrabat, nunc peccatorum remissionem, nunc sancti Spiritus adventum, nunc expiationes, quas solo percipimus intellectu, ait Hesychius.

*Manuum ad invicem porrectio & deosculatio. Relatum à Diog. Laertio, ex Apollodro, in Solone.*

*Manuum impositionis effectus.*

## FIDES. Cap. XXV.

QUia vero fides in fœderibus primum expetitur, Numa Romanorum Rex constituit, ut manus eæ quæ fidei sacra facerent, ad digitos usque involverentur, quod fidei tutandæ indicium esset, cujus præcipue sedem in dextera esse docuit: vel, ut arcana in abdito habeantur. Porro fidem in manibus Arabes adeo colebant, ut fœdus nunquā facerent, nisi sanguine ex vola juxta majores digitos

eorum,

A eorum, qui fœdus inirent, lapide quodam eliso, intinctoque inde flocco ac lapidibus septem, qui torrent in hunc usum comparati, illitis, suis interim Oratal & Alilat numinibus unicis invocatis. Agnoscit & Maro fidem per dexteram significari, quare Dido apud eum exclamat: *Æneid. l. 4*

*—— En dextra, fidesque*
*Quem secum patrios ajunt portare Penates.* *Æneid. l. 3.*

Atque hoc est, quod Achemenidi Anchises,

*Dat dextra, atq; animum præsenti pignore firmat.*

Velamen vero illud, quod Fidei simulacrum, vel manus ipsæ obtegerentur, album fuisse constat. Unde Maro *Canam fidem* appellavit, ut nonnullorum est opinio, quamvis & literatissimi viri sunt, qui canam ideo fidem à Virgilio dictam putant, quod primum omnium templum Fidei fuerit à Roma Æneæ filia conditum, ut in fragmantis Pompeji, divino illo numine rerum opifice jam tum Romanæ originis initio, quod futurum olim erat, præmonstrante: ut quod imperium ibi sine fine præmanserum parabatur, fundamentum pietatis in fide jecisse tot ante seculis constaret. Horatius tamen ve- *Carm. lib. 1. od. 35.*
B laminis albi mentionem facit, ubi dicit: *Et albo rara fides colit velata panno.* Id enim ad sinceritatem, quæ requiritur in fide, indicandam excogitatum: à fide enim fucus omnis abesse debet, neq; ullo subterfugii calore candor ejus violari. Quapropter juste magnanimiterq; Romani fidem hostibus etiam servandam rati, Cannensi clade accepta, cum Hannibal, quibusdam captivis redimendi se potestatem fecisset, fide ab eis accepta redeundi, nisi res confici posset, ea quam proposuerat conditione, dolose illi unius diei iter progressi, simulato negotio in castra hostica redierunt: inde quasi sacramento soluti, tanquam liberi essent, securi confidentesq; Romam se contulerunt. Indignatus Hannibal, dum eos sibi dedi postularet, ipse etiam S. P. Q. R. factum ægerrime tulerunt, neq; ullis civium suorum precibus aut lachrymis vinci potuerunt, quin publice ad Hannibalem remitterentur. Sed quid vetustiorum male pravecp facta conquirimus, si recentioribus seculis dolosa hujusmodi fide deceptum Adelbertum Bambergæ Regulum legimus, turpi nostrorum principium ignominia, quem Atto Maguntiæ Archiepiscopus blanditiis pellectum, ad Ludovicum Regem capitalem ejus hostem attraxit, juramento pollicitus se procuraturum, ut quemadmodum eum salvum de munitissimo, ubi
C erat, loco educebat, incolumem idemtidem reduceret. Cum itaque paulum extra portas prodiisset, Atto conjectis in Solem oculis, iter longum & horam jam tardam causatus, satius fore dixit redire, commodum ut corpus aliquo cibo curarent, itineris lassitudinem ita levaturi. Cui Adelbertus, nihil suspicatus mali, non difficulter assensit. Reversi igitur, sumptoq; jentaculo, dant se iterum in viam, ac simulatq; in Ludovici conspecti constitere. Adelbertus in manus Regis deditur: quo proditionis Attonem audacter incusante juramento, inquit Atto, tunc plane satisfactum, cum te impransum eductum, intro ut pranderes reduxi. Sed hæc improba barbari hominis facta prætereamus, & ad fidem *Hadriani numus.*
reversi, haberi eam dicamus in Hadriani numo quodam, lævæ tenentem orbem planum, id nonnulli speculum esse contendunt: nam id quoque significatum habet fidei, additaque est erecta columella, ob fidei quippe tum rectitudinem, tum firmitatem. Multo vero manifestius duæ manus junctæ, fidei sunt hieroglyphicum: quod in plerisq; numis antiquorum observes, inscriptionibus etiam additis, modo FIDES EXERCITUM, modo FIDES ROMANORUM. Sed hujusmodi manus junctæ ad alia etiam extenduntur significata.

D

## FELICITAS. CAP. XXVI.

QUandoquidem alicubi simulachra duo dexteras jungentia felicitatis hieroglyphica sunt, caduceo præsertim oppositio: rebus enim pacifice compositis, congruum est publicam privatamque subsequi tanquillitatem. In Hadriano numo tenet ipsa dea caduceum manu una, altera Imperatorem apprehendit: inscriptio est, FELICIT. AUGUST. Ubi vero idem Imp. genibus quendam procumbentem sublevare videtur, quid sibi velint junctæ dexteræ declarat inscriptio, RESTITUTORI GALLIÆ. Quod vero superius dexteram salutationis signum esse diximus, in numo qui TRAJANUS HADRIANUS inscribitur: Imperatorem ipsam videas dexteram Dei sedentis dexteræ jungentem, cum inscriptione sub basi posita, ADVENTUS AUG. *Trajani Adriani numus.*

## JUDEX. Cap. XXVII.

*Judicum & Principum statua.*

SEd & abscissæ manus ipsæ hieroglyphicum suum habuere, quod minime fuit prætereundum. Spectari enim solitas Thebis judicum statuas absque manibus, Plutarchus ait: & eam quæ Principem referret aversis oculis, ut justitiam & à donis alienam esse debere, & nulla mulceri facundia oportere significarent. Nam Stratoclem & Dromoclidem quis iniquo animo non ferat, quorum sermo omnis cum de Reipublicæ negotio aliquo capessendo, deque tribunalibus colloquerentur, erat, ut se invicem ad auream messem invitarent?

## DEI VIS. Cap. XXVIII.

SAne Janum, de quo plura alibi, veteres bicipitem, sed absque manibus & pedibus effingebant, quadrato lapide ab exili basi in latum exurgente. Indicabat id Dei vim, cui, neque pedibus, neq; manibus opus est, ad ea, quæ jusserit efficienda: utpote qui nutu solo totum potest mundum tremefacere, &, ut apud Poetam, dicto citius tumida æquora placare. De statua vero Jani, quæ numerum CCCLXV. dierum digitorum gestu indicaret, suo loco dicetur.

## PROVENTUS. Cap. XXIX.

*Artem. l. 1. cap 45.*

QUamvis vero ita veteres justitiam informarint, apud Conjectores tamen reperias virum agendis causis nobilem, judiciaque & leges fama optima consectantem, qui plures se habere manus somniaverit, prospera expectare, quod id portendat & clientum, & amicorum, atq; etiam pecuniarum proventum exuberantem.

## VINCULA. Cap. XXX.

*Artem ib.*

IMperitis tamen, maleficis & sceleratis hominibus, id somnii, vincula minitatur, multas scilicet manus ad eorum coercitionem expediri. Sed quoniam incidimus in proventum,

*Hom. Iliad. ω.*

succurrit id Psalmo CXVII. *Labores manuum tuarum comedes*, apud Græcos τῶν καρπῶν scriptum esse, quare bene periti quidam, *Fructuum* potius, quam *Manuum* reddidere: καρπὸς enim, tametsi non quidem manum, non palmam, sed junctura palmæ cum brachio significat, ut apud Homerum legas Venerem à Diomede vulneratam ὄπι καρπῷ, ubi non pars pro toto, sed locus lethalis, & convulsioni obvius de industria designatur, ad criminis atrocitatem augendam: pro *Fructu* tamen passim ponitur, & multa inde hujusmodi significatum vocabula. Erit itaque sensus, fructibus suis vescetur is, qui timet Dominum, nec impius hac tam culta novalia miles habebit.



*Nempe junctura manuum cum cubito ex Arist. l. 1. de partib. animal.*

## SPES IRRITA. Cap. XXXI.

*Virgil in Buc. Ecl. 1.*

INvenias & operum inefficaciam per præcisas manus significari, quæ vanas nonnunquam irritasq; cogitationes, spesque hominum inanes indicant: quod ita scilicet opus ad finem, qui fuerat, institutus, perduci minime possit: Et Mathematici nullius utilitatis & haudquaquam frugi hominem in lucem edi sub XVII. Geminorum gradu ostendere cum vellent, hominem eo loco utraque manu mutilum pingunt, atque eum ignaviter consistentem.

## MINISTERIUM. Cap. XXXII.

*Dagonis manus abscissæ. 1 Sam. c. 5.*

SEd longe alia de causa Mycerinus Ægyptiorum Rex, viginti colossos ancillarum circa filiæ cadaver circumstantium, truncis manibus, iisque humi ante pedes jacentibus erexerat: iis enim unor manus absciderat, quod adulterii tam nefarii ministræ fuissent: uti scilicet pater sceleratissimo exemplo complexu filiæ abuteretur. Quod vero in Divinis literis primo Regum habetur, ubi Arcam Domini Palæstini prædam abduxerant, & in Dagonis idoli sui templo posuerant, mane repertus Dagon prolapsus confractusque, abscissis manibus: interpretes loco hoc, abscissis manibus, intelligunt fore tunc

A tunc præmonstratum, ut cum Domini nostri doctrina ad gentes perveniisset, idolorum manus abscinderentur, hoc est, præstigiæ quibus mortales omnes eludebant, desituræ essent, neq; ulla ulterius decipiendi potestas dæmonibus relinqueretur. In hujusmodi fere significatum Levitico legas, ubi de victimis agitur: *Si non poterit manus ejus invenire*, hoc est; *si propter egestatem emere non poterit, si Levit. c. 22.*
*pretium erogare nequiverit.* Alioqui, sideratæ, attritæ, vel etiam absciſſæ manus neque non pedes actiones indicant depravatas: studiosum quippe hominem, eorum tantum, quæ vel avaritiæ, vel superbiæ spiritu suggeruntur. Quare David ita deprecatur: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me*, diripientis scilicet aut violantis: superbi enim hoc est, avari illud. Eodem & brachia significato accipiuntur. Nam ubi Psalm. 26. delinquentis hominis brachia conteri legitur impurorum hominum brachia debilitata significari ait Origenes: quandoquidem ad nullum misericordiæ, aut beneficentiæ opus exerceantur. Nam manus & brachium, inquit is, operis est indicium. Sed eo loco Euthymius adimi perperam agendi authoritatem, viresque confringi interpretatur. *Artem. lib. 1. cap. 45.*

## AVARITIA. Cap. XXXIII.

B Sunt tamen qui hoc ad avaritiam pertinere censeant, interpretamentumque hujusmodi ex Theocritiano carmine mutuentur νεύκηται δ' ὑπὸ κεροῖν, πᾶς δ' ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχων, & quæ sequuntur in hanc sententiam. Neq; desunt qui manum tantum sinistram digitis compressis pro tenacitate & avaritia pingant: nam & conjectores lævam lucri, & augendæ rei signum ponunt, quippe quæ ad custodiendũ magis idonea sit, utpote segnior, & tenacitati accommodatior Ad hoc facit quod Diogenes, ut nonnulli tradunt, dicere solebat, non esse tradendas amicis manus complicatas: quod interpretantur benignitatem addendam comitati. Avaritiam & ille gestus in manu significat, cum exporrecta capedunculam assimilat, quo gestu Philemonis Romæ signum vidi cum in altera volumen complicatum haberet, idque tenaciter restrictum, ut qui pretium sibi deposceret, nonnisi eo numerato librum exhibiturus. Ferunt enim eum Comœdiarum scriptorem, ære gravi solitum lucubrationes suas venundare. Inscriptio sane erat ΦΙΛΗΜΩΝ. Apud Aristophanem jocus Concionatricibus, ubi Phidolus deos exemplo ponit, quibus cum supplicamus boni alicujus gratia, eos supinam *Aristophanis jocus.*
C manum porrigentes, non ut quid dent, sed aliquid accipiant. Hinc quoque Athenienſium in aucupandis lucris aviditas dicterio carpitur, ἀπληκὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα κ' ἀποδιήσειν, *manum etiam dum moritur Athenienſis porrigit.*

## SERMO. Cap. XXXIV.



*Artem. lib. 1. c. 45. Hermæ ſigna.*

POrro autem orationem unamquamque tradunt ex manu significari, quamvis alio loco prensam manu linguam id facere dixerimus. Ea tamen differentia habetur: quod species illa non orationem tantum, sed eloquentiam indicabit. Manus vero unumquemque sermonem per se ipsa significat quod una cum sermone manuum etiam motum expetimus, ut ait Artemidorus: histriones enim vel celebres invenias soloecismi redargutos, quod gestu manuum aliquando peccassent, de quo alibi. Contra vero erant Hermea signa quaD drata sine manibus & brachiis, solo quippe insignita capite, eaq; præcipue apud Athenienses, sed in quorum medio virilia etiam adsculpebantur. Sermonis hæc erant indicia, ut in Pudendis etiam ostensum, Mercurii quippe ipsius vim ostendebant. Nam is & Cyllenius ideo vocatur, quod κύλλας Græci vocant eos, qui sine manibus sunt. Ostendit vero hoc, sermonẽ suapte vi pollere, & sine manibus omnia conficere. Cur vero signa illa quadrata fierent, in quadra jugeris dictum. Sedenim cum Aristotelis duplicem sermonis ponat intellectum, unum scilicet primæ intentionis, alterum secundæ, ut nostri interpretantur, sermonẽ illum qui per Hermea figuratur virilibus arrectis, primæ dixerim intentionis quasi mente conceptũ: secundæ vero, qui per manus significatur; is enim per vocis instrumenta expressus, opus quodammodo conficere videtur. Hic vero sermo plurimum

apud

apud eruditos aut per Dialecticam in anguſtias intruditur, aut per eloquentiam in latiores campos explicatur: unde Zeno Stoicæ diſciplinæ princeps commentus eſt, per manum utrumque diverſo geſtu porrectam ſignificare, quod quidem inventum cum manifeſtum ſit hieroglyphicum, minime fuerat diſſimulandum.

## DIALECTICA. Cap. XXXV.

DIalecticam enim oſtendere cum vellet, manum pingere ſolitus eſt digitis in pugnum compreſſis, anguſtias hinc ſcilicet & argumentorum brevitatem, quibus illa cohibetur, oſtendens, quod ſimplex uniuscujusque rei qualitas tribus plurimum propoſitionibus comprehendatur, axiomate, aſſumpto, & illatione, vel partibus his etiam brevioribus.

## ELOQUENTIA. Cap. XXXVI.

*Lib. 12 Geſtus conci-natorum Pontificiorum.*

ELoquentia vero late diffuſa patienti decurrens planitie, quaque libuerit pervagata, per dilectos digitos dilatamque manum ab eodem exponebatur. Reprehendit ſane Quintilianus eos, qui orantes ulla in cauſa manum ſub pallio continent, quaſi res ignaviter agatur: noſtri tamen ſtituti eſt, cum apud Pontifices inter ſacra ſermonem habemus, manus intra pallium cohibere, frugalique tantum pronunciatione uti. Quoniam vero Theologi finiunt aliud orare eſſe, aliud adorare, ſtatus ad cultum, manus ita ſurrectæ ad adorationem facere videbuntur.

## PRECES. Cap. XXXVII

IN Hetruſcis quoque inſtitutis hoc geſtu manuum ad preces utebantur, neque non in devovendis civitatibus, evocandisq; diis: cumque Jovem dicebant, manus ad cœlum ſuſtollebant, ut eo etiam loco apud Virgilium eſt:

*Multa Jovem manibus ſupplex orasſe ſupinis.*

*Æneid. l 4.*

Sane, quod ad hanc rem facit, Polemonem ſophiſtam legimus in Olympicis ludis, qui Smyrnæ olim celebrabantur, inepti cujusdam actoris ſolœciſmum manu factum reprehendiſſe, cum in exclamatione, ὦ ξεῦ, manus ad terram protendiſſet. Cum vero ὦ γᾶ pronunciaret, faciem ad cœlum erexiſſet. Sed quantum ad Jovem pertinet, eumdem morem vetuſtiſſimo ritu apud noſtræ pietatis Pontifices obſervari videmus, quotiens enim vel Deum, vel Dominum enunciant, gentem ſanctam bonis verbis expiaturi, proſperaque & felicia mortalibus precaturi, manus ſub eam locutionem ſupinas in cœlum tollunt. Quinetiam ὀρχιάζειν, quod ſacrificare eſt, etymologi Grammatici nonnulli dictum putant, quod qui ſacrificant, præcanturve Deos, ὀρέγωσι τὰς χεῖρας, manus quippe protendunt. In numo Gordiani Pii ſimulacrum eſt, quod Paſſas hinc inde manus ad cœlum tollit, cum inſcriptione ad rem accommodata, Pietas August. Illud addam, antiquum precandi modum nactu ſub dio Pindarum poſuiſſe, Olympiis, ode ſecunda, apud quem, νυκτὸς ὑπαίθρου, ob hanc cauſam inſcribitur.

*Gordiani numus.*

---

## DE PEDIBUS. Cap. XXXVIII.

HÆc quidem manu ſuper memini, Manarde, tibi diſſeruiſſe: ſed quoniam Caprilis velle ſe de pedibus audire ſimilia dictitabat, quæ ſuper his à me tunc dicta fuerunt, viſum eſt ſubjungere.

## IRRITUM. Cap. XXXIX.

*Hæc, & ſequentia ſumpta ab Eraſ. Chil. 3. cent. 5. prov. 100.*

FIeri minime poſſe aliquid, aut inconſtans irritumve futurum, quod cœptum actumve fuiſſet, oſtendere ſi vellent Ægyptii ſacerdotes, pedes in aquæ ſuperficie inambulantes pro hieroglyphico faciebant. Nemo enim eſt qui neſciat, nulla id humana ope ingeniove fieri poſſe: nihil enim magis irritum cedit, quam ſi qui plantas ſuper aquæ ſuperficiem firmare ſibi perſuaſerit. Ad hoc reſpexit Cicero, cum libro officiorum tertio, fluxas, labiles & inconſtantes Epicuri rationes eſſe diſſereret, quippe quæ minus in ſolido conſiſtant, quod aqua hærent, ut ajunt. Sunt qui elocutionem hanc, *Hac cauſa mihi aqua hæret*, rem nondum peractam ſignificare contendant, dubiumq; aliquod ſuper-eſſe.

Aesse, quod nondum fuerit explicatum, aut sibi re super adhuc dicendum esse, sumpto à clepsydris, in quibus aqua, temporis dati index, per horas stillatura statuebantur argumento. Et hoc esse quod ad Q. Fr. Cicero ita scribit alterius libri epistola v. *Quod idibus & postridie fuerat dictum de agro Campano, non est actum, in hac causa mihi aqua haret.* Ubi tamen damnat Epicurum, cum Ægyptiorum hieroglyphico videtur convenire: utpote qui argumentorum ejus infirmitatem omnino redarguit. Nam ingredienti unicuique anima, ut palam est, solo opus est, diceret Aristoteles, cui firmiter innitatur: id autem homini, ut pote graviori animali, neque in aere, neque in aqua conceditur, & ea de causa pedes suam habent nuncupationem, quod τὸ πίδον, id est, solum sibi deposcunt. *Aqua hærere, quid. Nempe secundi.*

## VACILLATIO, Cap. XL.

CUm Ægyptiaco consentit hieroglyphico quod Psalm. LXXIII. legitur, *Mei pene moti sunt pedes.* Græca lectio habet ἐσαλεύθησαν, quippe *vacillarunt*, sive potius *fluctuarunt*: maris enim turbatio, fluctuumque commotio, σάλος. Hic vero *Pedes* pro *Cogitatione* ponuntur, quæ scilicet animi nostri pietatem pedum instar regit, & sustinet. Pene igitur, inquit, cogitatione perversus, ac pene lapsus sum, ut crederem Deo nullam inesse providentiam, incertoque casu mortalia defluere, aut quid hujusmodi. Ita ibi legitur Psal. XXXVIII. ἐν τῷ σαλεύθηναι πόδας μου ubi si verbi maritimi & fluctuantis ratio est habenda, Latine dicemus, *Cum fluctuare cœpissent pedes mei.*

## FUNDAMENTUM. Cap. XLI.

COntra vero pedes in solido constituti, jactum ostendunt fundamentum. Hinc apud Jurisconsultos legas, *Ponere pedem* pro *Fundamentum jacere.* Hinc illud apud Tullium De Finibus IV. *Quid enim? sapientia ubi pedem poneret non habebat sublatis officiis omnibus.* Alibi, *Pedem ponere*, significat *Occupare.* In Deo autem pedes virtutis ejus firmitatem ostendunt, & solidi fundamenti stabilitatem, Esaia dicente: cap. 66. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Alibi pedes Dei, hieroglyphice accepti, humanitas Christi est: nam sicut caput Pater, ita pedes Filius, qui eo quod terreno mixtus est, divinitate ipsa inferior est. Quod vero scriptum est Deuteronomio: *Qui appropinquant pedibus ejus, de doctrina illius aliquid assequentur*, sunt qui ex mysticis hisce pedibus abeundos C intelligant sanctos interpretes, & qui divinam prædicant sapientiam. At quod Psal. 73. & 122. stantes pedes hieroglyphice ponuntur, mentis atque fidei stabilitatem significant. Nam contra de malefidis Propheta: *Cur claudicatis utroque pede?* Et Psalmographus Psal 17. *Claudicaverunt aberrantes à semitis.* Porro vitiatus pes, aut mutilus, aut intortus, in Divinis literis hominē significat, qui à recta divinæ institutionis semita declinat: quandoquidem *Pedes* pro Actionum, ut dictum est, progressu sæpe ponuntur, Theologique omnes hunc vitæ nostræ cursum viam appellare consueverunt, de qua David Psal. 119. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, hoc est, qui dum hanc vivunt vitam, ea faciunt quæ lex Domini præcipit atque mandat. *Et possidere hinc in D. & C. Positio pedum ficta. Pedes in Deo, quid. Deut. c. 33. 1. Reg. 18.*

## PURIFICATOR. Cap. XLII.

SI vero pedes altius in aquam mersos effinxissent, purificatorem significabant. Nam & alibi aqua & ignis in defæcationis significatum accipiuntur, quod rebus his labes omnis eluatur & eximitur. Hic vero de jis sermo est, quæ lævi sint macula contaminata, quibus unda satis superque sit ad depuD randum. Apud Horum legas fullonem hic significari, quod tantundem est: nam id est fullonis officium, ut res depurget, & munditiem vestibus inducat. Alii commenti sunt γναφέα pro γναφέα apud Horum legere, ut scribam ex hac pictura commentarentur: propterea quod hoc à Mercurii similitudine descriptum apud Horum vulgatum legerant: sed non animadverterunt eo loco non ἐγμᾶ, sed ἔργα legi, quod exponi debet, ab operæ videlicet similitudine, ut scilicet gestus ille describeretur, figurareturque, qui fullonis est vestimenta pedibus in aqua pressantis. *Fullonis officinam*

## DIVES AVARUS. Cap. XLIII.

TAntali vero species in aquam demersi, ramis fructiferis ad frontem usque, & ob oculos dependentibus, quos frustra carpere, & hanc haurire irrito conetur eventu, quanam meliori *Tantalus in aquam demersus.*

*Eiusdem sententia. Horat. l. 1. Serm. no-xii avarum quendam.*

pateſcat interpretatione, quam luculentis his Petronii verſibus?

*Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit*
*Tantalus infelix, quem ſua vota premunt.*
*Divitis hæc magni facies erit, omnia late*
*Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.*



## SERVITUS.

*Artem. l. 2. cap. 50.*

APud Onirocritas pedes ſervorum indicia ſunt: utpote qui totius corporis pondus ſuſtineant, uti opera domi rurique facienda ſervis incumbunt, & quæ perperam egerint, compedum ſupplicio puniuntur.

## TRIUMPHATOR. Cap. XLIV.

QUoniam vero Regum triumphantium mos erat captivorum corpora pedibus conculcare, ſubjectionis ſignum, triumphabundum hominem per ita poſitum pedem Romana pleraque ſigna ſignificant, eoque ſpectat verſiculus ex Pſal. 66. *Impoſuiſti homines ſupra capita noſtra*, hoc eſt, *de nobis triumphum aliis conceſſiſti.*

## VIA. Cap. XLV.

*Et in profanis, hinc illud τῶν ποδῶν ἐώραται ὁδός, pedum viſa eſt via.*

*Æn. lib. 6.*

AB officio quoque pedes in Divinis literis viæ perfectionisque ſignificatum habent. Unde plerumque videas vetuſtis in imaginibus, Deum pingi pedibus intra nubes abſconditis, quod fatidici vates noſtri volentes carnis à Deo aſſumptæ viam (eam Theologi noſtri adventum dicunt) arcanam, obſcuram & incognitam fore ſignificare, eam præferebant ſpeciem. Hinc Davides offuſam ad divinos pedes caligenem canit Pſal. 18. Sed quod idem alibi canit: *Pes meus ſtetit in via recta*, dictum volunt veteres Theologi: propterea quod non ſolum manus, ſed etiam pedes pro actione progreſſuque negotiorum accipiuntur. Et Levitico, ubi ſacrificium fertur pro ſacerdotum conſecratione, pollices manuum & dexterorum pedum, hoſtiæ ſanguine oblinuntur: dexteras quidem partes obunctas ponunt, quia bonorum hæ ſunt operum indices, cum ſiniſtræ pro pravis accipiantur. Nam & Maro, *dextera*, ait, *eſſe iter ad Elyſium, ad læva malorum exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.* Quod vero unctionis mentio facta eſt, ea ſane vigoris, conſervationis, & ſalutis aſſecutionem ſignificat. Unde etiam apud Gentes athletæ non niſi oleo delibuti certamen ineibant. Non ungi vero, in Divinis iisdem literis deſolationem, ruinam, & perditionem indicat. Sic in Ægypto ſublati ſunt una nocte omnes quotquot limina poſtesque intinctos Agni ſanguine non habuere, ut Heſychius ait.

## SOLSTITIUM HYEMALE. Cap. XLVI.

SOlis curſum in hyemali ſolſtitio ſignificare ſi vellent Ægyptii ſacerdotes, pedes duos compeſibus implicitos, atque ita progredientes (niſi codex impreſſus mendoſus eſt) effingebant, quod Sol tunc lentius, & quaſi pedicis coercitus ingredi videatur. Sedenim hujus rei longe aliam picturam eſſe diximus in commentario Polypi, ubi manuſcriptos Horo codices, duos Polypos invicem colligatos, non pedes duos, habere monuimus.

## VOLUPTARII AFFECTUS. Cap. XLVII.

*Inviolabilis Achilles præter talos.*

PHiloſophi antiquiores, quiq; doctrinam eorum ſecuti ſunt, pedes pro contemptiſſima parte ponunt, eſſeq; in anima pedes ajunt voluptuarios affectus, Venereæ mollitudini mancipatos. Quique Achillis figmentum interpretantur, fuiſſe illum inviolabilem præter talos, qui Stygis aqua illini nequiverint, quod ea parte manu matris tentus fuerit, cum ab ea eſt fatalibus undis immerſus: ea autem parte ſaucium periiſſe, id ſibi velle fabulam dicunt, quod fortis alioqui homo adverſis caſibus omnibus animoſus, nullaque fortunæ injuria dejectus, libidini tamen ita interdum ſuccumbere

A bere deprehendatur, ut inde ſibimet exitium paret. Nam & Orpheus principem libidinis locum talum ait, ſed idem myſtice, uti ſuus eſt mos. In cœna Domini diſcipulorum lavantur pedes, ut ſcilicet abluti animorum ſordibus, ad Euchariſtiæ donum mundi nitidique procederent. In Jacobi & Eſau partu philoſophatur Philon, firmiſſimæq; mentis, quippe optimi luctatoris, eſſe opus ait tenere calcaneum: nam id animum indicat, qui vitio dominetur. Calcaneum enim, ut alibi ſæpe, infirmæ vitioſæque naturæ indicium eſt.

*Sic Auſonius* ποσὶς πεσὼν ἀνὰ καλὸν. *illotis pedibus ingredi profane, irreverenter.*

## FINIS. Cap. XLVIII.

ESt etiam pes abſoluti operis indicium: ad calcem enim dicimus, cum ad finem perventum eſſe vel operis, vel negotii, volumus indicare. Et Adamantius, ut alibi dictum noviſſimum in Deo nobis incognitum eſſe, apud Eſaiam oſtendi eo argumento dicit, quod Seraphin duo alis inferioribus Dei pedes obtegebant.

*Uſus eſt Cicero in libellis de Amicitia, & de Senectute.*

## INIQUITAS. Cap. XLIX.

B ANguineos alibi diximus Gigantum pedes effingi, cruraque obtorta, & quodammodo deluxata, propterea quod tota aberrant via, qui cœlo bellum inferre parant. Pedes igitur ita male affecti, iniquorum operum indicia ſunt. Nam uti recti pedes quatuor animalium in Divinis literis apud Ezechielem memorantur, ob eorum quæ in Evangeliis habentur veritatem, ita retorti pedes de pravis dicitur ingeniis atq; maleficiis: non enim recte pedes dirigunt, diceret Ambroſius, qui poſteaquam ſemel in viam rediere, ad ſcelera mox & iniquitatem revertuntur, & tamquam Sus lota primo quoque tempore repetunt luti volutabrum, &, ut Lucretius ait,

*Idem Macro. l. 2. c. 10. Recti pedes. & retorti.*

*Lib. 6.*

*Inſatiabiliter toti volvuntur ibidem.*

Sane apud Pſalmographum, impiorum ambulationes obtortas eſſe, ambagibusq; circumactas, invenies, *Pſalm. 125.*

## AGGRESSIO. Cap. L.

C INſtatuis vero pes lævus ante porrectus, aggreſſionis indicium eſt, quo ita firmato, geſtum ajunt ad invadendum aptum: quod dexteri pedis agilitas ictum, quoquoverſum quis incubuerit, juvet. Siniſter enim ſua quadam peculiari tarditate, totius eſt veluti corporis firmamentum, ac quaſi centrum, circa quod alterius pedis alacritas & promptitudo verſetur exerceaturque, & quaſi rotæ curvatura axi per radios innixa circum agatur, parti unicuique laboranti opem allatura: quod non ignoravit Maro noſter, ubi libro x. Lucagus Æneam ferire parat: projecto nam pede lævo aptat ſe pugnæ. Hoc etiam in numis, ubi martis ultoris inſcriptio eſt, ſæpe comperias: nam & Philoſophi conſentiunt, motum à dextris partibus oriri. Atque ego Romæ in Mediceis ædibus pulcherrimi operis ſtatuam obſervavi, quæ ſpeciem hanc in aliquem invadendi, lævo projecto pede, præ ſe ferebat. Militaris præterea diſciplinæ Magiſtri commonent, ſi miſſilibus agatur, ſiniſtros pedes ante haberi à peditibus: ita enim vibrandis ſpiculis vehementiorem eſſe ictum. At ſi res, inquiunt, agatur gladio, pes proferendus, ut propinquior dextera ſit ad vulnus inferendum. Sed utcumque illi, apud Maronem tamen eodem ipſo congreſſu, quem paulo ante dicebamus, *ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.*

*Militaris doctrina.*

*Æneid. 10.*

## REGRESSUS. Cap. LI.

D NOn ierim tamen inficias, regreſſum dextero porrecto pede figurari: quia qui loco ſe moveat, neceſſe habeat à dextero pede motum auſpicari. Ita ſignari videas numos Fortunæ Reduci cuſos.

## IGNAVIA, VEL REQUIES. Cap. LII.

ET quoniam geſtus ab hiſtrionibus in primis obſervabantur, inde factum, ut hieroglyphica nonnulla inde deſumpta ſint, quale illud pro otio & deſidia, pedem ſupra pedem ſtatuere, qui geſtus in aliquot ſepulcrorum imaginibus, ſed pro quiete habetur. Sane Ariſtophanes cum otiantem meditabundumq; Euripidem deſcriberet Acharnanibus, famulus ejus interrogante Dicæopoli an intus

*Pes ſupra pedem, quid.*

esset Euripides, respondit: *Ipse intus pede supra pedem posito tragœdiam meditatur.* Et Pluto, Mercurius: *Nunc autem furiens pede supra pedem posito altum requiesco.*

## DE CALCANEO.
### Cap. LIII.

CAlcaneum, quamvis sit pedis pars, à pede tamen, quantum ad hieroglyphica pertinet, separatur.

## SENTENTIA PRÆPOSTERA.
### Cap. LIV.

CAlcaneum quidam hieroglyphice accipere videntur pro infirma, falsa, atque præpostera illa ratione, qua nos vitia nostra excusamus, & nimium plus æquo nosmetipsi nobis indulgemus. Unde Deus Genesi ad Serpentem, qui voluptatis est signum: *Homo ipse tuum observabit caput, & tu illius calcaneum*, imbecillitatem scilicet mentis, quæ facile seducatur, & quicquid adlibuerit sibi permittat. Sive, ut alibi diximus ex Philone, calcaneũ ea pars animæ est, quæ terrenæ adhæresci naturæ, in sensum, voluptatesq; prona & labilis. Ideoque Assertor noster discipulorum pedes lavisse dicitur, ut signum esset, dilutum esse maledictum illud calcanei, quod ab ipso rerum primordio Serpentis morsibus patebat aditus. Nam alibi dictum invenias, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes & Scorpiones*, in hanc sententiam.

*Gen. c. 3.*

*Calcaneum quid in spiritualibus.*

*Luc. 10.*

## TERMINUS. Cap. LV.

INterdum accipitur pro Actionis termino, sumpto à saltatorum more, in quorum saltu extrema pars vestigii, quam calcaneum præsert, signatur. hinc Psalmo: *Ipsi calcaneum meum observabunt*, quod proxime accedit ad id, quod inquit Ovidius:

*Sed scilicet ultima semper*
*Expectanda dies homini est, dicique beatus*
*Ante obitum nemo supremaq; funera debet.*

Latinus quoque sermo Calcem accipit pro Termino. Sic *videt* Cicero *calcem, ad quem decursum est:* & *ad calcem pervenire*, & similia passim habentur.

*Ac pro meta & fine, ut supra, & à calce ad carceres, & extra calcem, ex Ammiano lib. 12. ... Alterius sic Altera, &c. Horat. de Arte. Poplites alterno genibus impositi.*

## DE GENIBUS.
### Cap. LVI.

ADdam & Genua, sine quorum auxilio parum aut nihil agerent pedes, alterius sic altera poscit opem res, & conjurat amice.

## IMPEDIMENTUM. Cap. LVII.



ESt in his quoque significatum impedimenti, si poplites alternis genibus impositi figurarentur, qui quidem gestus nullo magico susurro simpliciter inter veneficia recensetur: eo enim partus detineri, & omnem actum impediri majorum religio, decretis etiam inhibitoriis, ut perhibet Plinius, testata est.

*Jocus Thebani Cratetis. Meminit D. Laer. in ejus vita.*

## MISERICORDIA.
### Cap. LVIII.

CÆterum genu misericordiæ sedem esse antiqua omnis superstitio confitetur, ut memoriæ auris, irrisionis nasus habetur: quamvis Thebanus Crates religionem eam, uti reliqua facere solebat, eluserit. Nam cum pro quodam Gymnasii principem supplica-

A plicaret, procumbens coxam illius pro genibus attigit, principeque præ faſtu indignante: *Quid*, inquit, *annon hæc tua ſunt, æque ac genua?* Apud Ciceronem legas oratione poſt reditum, vbi L. Piſonem acerbiſſime compellat: *Tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam, ſuperbiſſimis & crudeliſſimis vobis à genibus tuis repuliſti.* Jam vero illa, *Ad pedes jacere*, & *accidere ad pedes*, eodem ſignificata notiſſima ſunt.

## HUMILITAS. Cap. LIX.



*Epiſt. l. 1. epiſt. 12.*

DEpoſitum genu humilitatis & ſuperiorem agnoſcentis indicium eſſe, nulli non innotuit. Hinc apud Horatium:

*Jus, imperiumq; Phraates*
*Cæſaris accipit genibus minor.*

*1. Reg. 19.*

In Divinis literis: *Reliqua mihi ſunt ſeptem millia virorum, qui*
B *ante Balaam genua non curvaverunt*, & alibi: *Flecto genua cordi mei*, & hujuſmodi pleraque, id uno verbo dicitur procidere: atque ita etiam noſtri Pſalmo 72. Septuaginta reddidere: *Coram illo procident Æthiopes.* Multo vero plus *Procumbere*, & *Terram lingere* ut ibidem: *Inimici ejus terram lingent.*

*Epheſ. 3.*

## PROCLIVIS AD VITIA. Cap. LX.

NEque negarim alicubi flectere genua eſſe hieroglyphicum ad terram, hoc eſt, ad vitia declinantium, & humanæ cedentium fragilitati, impuriſque affectibus inſervientium: adverſus quos niſi ſteterimus, nullam ex hoſte victoriam ſperare poſſumus.

## LEVATI PARIENTIUM LABORES. Cap. LXI.

C

VIſebantur olim in Capitolio ante Minervæ cellam ſigna tria Nixidia nuncupata, quæ genibus nitebantur: ſed ea de cauſa ita dicta, quod parientium nixibus præſiderent, quod eo libentius retulimus, quod vulgata exemplaria Feſti corrupta ſunt, in quibus ſcilicet pro Nixidia, Noxii dii ſcriptum invenias. Sunt qui ſigna hæc Antiocho Rege Syriæ ſuperato, à M. Attilio ſubtracta prodiderint, ab eoque Romam apportata: alii capta Corintho advecta, quæ ibi menſæ ſubjecta fuerint. Sed jam de manu, deque pedibus & genu, hæc dicta ſufficiant. Videor enim mihi nullam, neque tui, neque publici commodi rationem habuiſſe: tui, quia Philoſophum ſcio nolle deſidibus & ſupervacaneis lectionibus detineri, eaque tantum lectitare, quæ ad ſanam doctrinam facere videantur. In publica vero commoda me peccaſſe vereor: quia dum de his detinui nugis, boni aliquid ad alicujus ægroti ſalutem excogitaſſes. Quicquid tamen in hoc erratum eſt, totum id tua culpa factum, qui Cicadæ, ut dicitur, veterum ſcabere non dubitaſti.

*Nixidia ſigna in Capitolio.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XXXVI.

## DE DIGITIS ET MENSURIS.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ERUDITUM VIRUM FRANCISCUM ROBORTELLUM, IN ACADEMIA PATAVINA BONARUM LITERARUM PUBLICUM PROFESSOREM.

*CUm super scripta tua omnifariæ doctrinæ plenissima, & utriusq; linguæ ornatissima, summa cum voluptate legerem: incidissemque in observationes eas, quas doctissimo viro Joanni Sucinscripseras: duplici sum dolore affectus, ob amici memeriam, qui tam miserabiliter nobis ereptus est, noctu in habitatione sua clam trucidatus: deinde commentario eo amissa, quod amicitiæ nostræ pignus paulo ante illi recognoscendum dederam, sed adhuc absque titulo: itu duplici hac jactura & amici, & libelli facta, summopere dolere cogor, quod potuisses doni ejus hæres esse. Ne vero amplius hoc accideret, cœpi ante omnia commentariis omnibus titulum inscribere, & cum magni nominis Philosopho Bernardino Tomitano de digitorum numeris libellum inscripsissem, supereſſe vidi alterum de digitorum mensuris, eumque ne amicos nimium obtunderem, tibi, Franciſce Robortelle doctissime, commendavi: quamvis partem hanc præterituras eram, quod ea parum suavis videbatur, verebarque ne imago sive eadem toties repetita, satiaret potius quam oblectaret. Partem tamen hanc omni jure tuam non modo legendam, verum etiam examinandam tibi commendabo, quod id in animum induxi meum, eventurum, ut quemadmodum ego doctrinam tuam mihi laudi fore persuadeo, tu quoque pro animi tui candore putes ad rem tuam facere, ut quicquid ego scribere sum aggressus, id tum tua, tum aliorum amicorum opera politius fiat. Veræ enim necessitudinis ea lex est, ut amicorum existimationem non secus ac si eadem nobiscum invehatur navi, nobiscum identidem & servari, & omne periculum adire judicemus.*

*De digito communiter.*

DEbuerant quidem digiti in Manuum commentarium, sed quoniam tam varia tamque multiplex est eorum materia, quam comprehenderunt, ut iidem ipsi uno nequiverint commentario coarctari: necesse fuit eorum argumenta dividere, quorum alter liber circa numeros versaretur, cumque numeri quoque ipsi sua gerant hieroglyphica, separatim de numeris per digitorum gesticulationem significatis, & quorumdam etiam numerorum intellectu mystico, differendum fuit. Alter hic de digito communiter, ad mera pertinet hieroglyphica. Demum, quia digitus idem dimensionem præcipue significat, eamque creat, addenda erunt dimensionum & species & significata, cum quæ peculiariter quisque sibi digitus comparaverit, ad calculum examinaverimus.

### ALMUS SPIRITUS. Cap. I.

*Luc. 11.*

UT vero rem auspicatius exordiamur, ad almum conversi Spiritum, qui nos afflet, eum dicimus in Divinis literis per digiti hieroglyphicum & intelligi, & nominari. Evangelio autem, omni summota dubitatione, ut cum Assertor dicit: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò venit in vos regnum Dei.* Quo loco D. Gregorius ex eo manifestum esse ait *Digitum* pro sancto Spiritu accipi: quod cum Marcus

A Marcus posuerit, *Si in digito Dei*, alius Evangelista dixerit, *Si ego in Spiritu Dei*. Porro in precibus, quas certo anni tempore almo huic Spiritui allegamus, *Dexteræ Dei digitum* eum appellamus. Præterea D. Hieronymus eo opusculo, cui de Divinitatis essentia titulus est, digitum unitatis numero, pro almo eo divinoque Spiritu accipi debere profitetur, quo lex in duabus tabulis in monte Sina scripta fuerit: ipse enim, ut idem ait, scripsit, qui & dictavit. *Matth. 12*

## PROPHETÆ. Cap. II.

*Explicatio mystica cælorum. Psal. 8.*

Numero vero multitudinis digiti sunt Prophetæ, per quos Spiritus idem almus libros Legis afflatu suo conscripsit: unde Davides, *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*, ubi per cœlos ipsam Prophetarum incitationem accipiunt, qua correpti, admiranda tot oracula de divinis humanisque rebus in posteros conspargere. Sunt qui Psalmographum dicant ad historicum sensum simpliciter respexisse, per digitum tamen virtutem Dei exponant. Unde Magi Pharaonis cum Moseos miraculis cederent, *Digitus Dei est*, dicebant: ubi pars pro toto, digitus pro manu: nam omnino manus, ut loco suo dictum, confecti operis hieroglyphicum est. In mundi vero totius fabrica, nihil cœ- *Exod. 8.*

B lo ipso admirabilius.

## MEDITATIO, VEL ULTIO. Cap. III.



*Digitos commordens, quid.*

Quod si hominem digitos aut ungues suos commordentem pictum sculptumve inspexeris, scias eo gestu, alias quidem meditationem, profundumque ad ecstasim usque cogitatum intelligendum: alias vero pœnitentiam facti, ulciscendive minas. Illud significatum apud Persium & Horatium habes, quorum alter dicit:

*Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues:*

alter & in versu faciendo:

*Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.*

ultimum apud Propertium habes:

*Ungue meam morso sæpe querere fidem.*

C sed hæc omnibus notissima præterimus.

## LASCIVA MOLLICIES. Cap. IV.



*Plutar. in vita Pompeji dictum nimirum à Calvo Poëta. Juven. Sat 9. Juvenalis. Chilonis & Hebræorum dicteria,*

Aspicies forte statuam saltatorio gestu positam, ritu barbarico adornatam, digitis supra caput veluti argutum aliquid crepitantibus, ea hieroglyphice lascivas mollicies, & enervatæ nequitiæ delicias indicat. Et uno digito caput scalpere delicatæ admodum molliciei signum est, quod Cn. Pompejo vitio datum, usque ad inimicorum publicum cavillum, ait Plutarchus: quo super gestu Juvenalis etiam mordaciter jocatus, cum dixit: *Qui digito scalpunt uno caput.* Pluribus vero modis hæc in digitis mollicies notata gesticulatione, munditia nimia, ornatu gemmarum annulorumque

D sumptuoso, motuque ad mimicum propius accedente. Quare Chilonis Lacedæmonii dictum est, inter loquendum manum moveri non debere. Et Hebraico proverbio dicitur, *Stultum digito loqui*,

## SOCIETAS. Cap. V.

*Fœderis percutiendi mos antiquus,*

Licet in duabus consertis manibus fidei fœderumque hieroglyphicum locupletius habeatur, non est tamen illud dissimulandum, quod de pollicibus est à Cornelio Tacito traditum: morem quippe fuisse Regibus quorumdam barbarorum, quotiens in societatem coirent, applicare dexteras, pollicesq; inter se vincire, nodoque perstringere, & ubi mox sanguis in artus extremos pervenisset, levi

levi vulnere cruorem eliciebant, atque invicem lambebant: idque fœdus arcanum, quasi mutuo cruore sacratum haberi solitum.

## FURIÆ ORESTEÆ. Cap. VI.

QUi vero digitus lapideus parvo olim tumulo superpositus erat, inter Megapolim & Messeniam, in regione Mania nuncupata, à quo quidem digito tumulo nomen fuit, non alia de causa erectus fertur, authore Pausania, nisi quia Orestus furiis agitatus unum ipsemet sibi à manu digitum abroserit, remque eo monumento notare voluerit.

## PACIFICATIO. Cap. VII.

SEd quoniam ad pollicem reversi sumus, qui aliorum dux est & dominator, super eo quædam, quæ hieroglyphicum sapiunt, apponemus. Hic inter alia significata compositæ pacis hieroglyphicum apud Romanos habitus: eo quippe gestu, ut manui porrectæ subjiceretur. Rem tangit Quintilianus Rhetor, ubi ait: *Qui gestus in statuis pacificatorum esse solet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure prætenso, manum inflexo pollice extendit*, quod perperam in codicibus aliquot impressis legitur, *infesto pollice*, quod nihil est. Atque hinc locus apud Papinium Sylva prima intelligitur, ubi *Dextra vetat pugnas*, ubi de gestu hoc dubio procul accipiendum: de quo quia multa alii, rem ego breviter substrixi. Hunc gestum periti antiquitatum agnoscunt in Marci Aurelii statua, quæ nunc ante Lateranas ædes, ex ære, magnitudine colossea, equo insidens visitur: dexteram enim porrigit resupinam, inclinatam, digitis disjunctis, pollice deorsum verso.

## FAVOR. Cap. VIII.

*Mos attollendi pollices, varia denotat.*

FAvor autem, assensusque alienæ victoriæ præstitus: aut, cum aliquem strenue facientem laudare vellent, per sublatum pollicem exprimebatur. Hinc illud apud Horatium, epist. 18. lib. 1.

*Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.*

hoc est, *maxime favebit*. Quippe si pollicum alter satis est ad favorem indicandum, uterque in eum gestum adhibitus quam maxime favere profitebitur. Nam & qui certabant, cum succumbere se, & hosti victoriam cedere fatebantur, pollicem sustollebant. Unde illa in victos apud Græcos imperitio, αἶρε δάκτυλον, quod alio de more nostri *Herbam dare* dicere maluerunt. Nostro vero tempore cum universa Italia, & tota etiam Europa alterutri ex duabus factionibus damnata sit, moris est, his pollicem, illis indicem attollere, si cui faveant factioni, atteſtari voluerint, idque utinam studio non tam perdito fieret: non enim Italia omnis sibimet adversaria, omnium hinc prædæ exposita, tot clades, direptiones, incendia, desolationesque suarum jam omnium urbium, tam continenti per tot annos bello pateretur, seque mox ob solam suorum pertinaciam, implacabileque dissidium, ruituram miserabiliter deploraret.

*Tolle digitum, hoc est fatere te Gibellinum. Guelphorũ & Gibellinorum.*

## TRUCULENTIA. Cap. IX.

*Versum pollex, quid.*

QUem vero versum pollicem apud Juvenalem, & aliquot alios legas, nihil habentem cum favore simile, sciendum est id tyrannorum quorundam signum fuisse temporarium, ut eo scilicet tempore sicarii percussoresque in cædem trucidationemque populi debacchari inciperent, cum signum id versi pollicis ab Imperatore datum observassent. Qua de re, scholis omnibus nota, & nihil ad hieroglyphica pertinente, plura dicere non puto necessarium.

## ROBUR. Cap. X.

*Pollicis etymologica ratio. Quo demtio manu sit futurum manus usus.*

ID potius referemus, robur validasque vires per pollicem significari, si surrigatur, quatuor reliquis ad volam appressis. Nam ea de causa ἀντίχειρ, à Græcis dicitur, quod pari cum reliqua tota manu robore contendat, alteriusque manus vice fungatur, ut Galenus interpretatur. Apud Latinos autem quo præcipue polleat, nomen habet: is enim dominatur in manu, nec in sinistra cessat, quamvis ea tota sit ignava, neque minus quam tota manus semper in officio est. Quin & veteres hunc præstare aliis intelligentes, Hallum eum appellabant, quod in reliquorum dorsa unus omnium insiliret: aspirationem enim loco S litteræ positam nonnunquam ab antiquis invenias, & vice versa, S pro H. Sed longe simplicius est hallum ab ἅλλω vel ἅλομαι deducere, id enim salire est.

INUTI-

## INUTILIS BELLO. Cap. XI.

A HOminem bello inutilem ostendere qui volunt, manum abscisso pollice faciant: digitus enim hic summotus, hominem actionibus & præsertim bello inutilem reddit. Eaq; de causa legas graviter animadversum in nonnullos, qui bellum detrectandi causa sponte sibi pollices amputassent, ut à Senatu in C. Voctienum, vel ut alibi legitur, Votienum: à Cæsare etiam Augusto in quendam equitem Rom. qui duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputaverat. Marcellinus cum Gallos militiæ semper obvios & expositos ostendere conetur, nostram vero ignaviam (quod Græcani vir ingenii libenter admodum facit) incessere, reprehensioniq; objectare, neminem umquam apud eos ait, quod in Italia plerumque accidit, munus Martium pertimescentem pollicem sibi præcidere. Sane vero Athenienses, crudeli admodum atque immani exemplo, Æginetarũ juventuti pollices præciderunt, ne populus qui classe valebat, descendere secum posset in virium maritimarum certamen.

*Abscissi antiquitus pollices.*

*Galli bellicosiores Italis, ex Marcellino.*

## DE INDICE. Cap. XII.

B POllici proximus est Index, ita dictus, quod eum porrigere solemus indicando. Sunt qui eum Salutatorium etiam appellent, sunt qui Medicum, neq; desunt qui Lichenon esse velint: sed horum prosequi controversias, nostri non est instituti, qui ad hieroglyphica festinamus. Satis igitur fuerit eum Indicem Romano nomine nuncupare.

## SILENTIUM. Cap. XIII.

PRæcipuum igitur digiti hujus hieroglyphicum est, silentium indicare, si ori appressus figuretur, quo gestu Titi Livii Pataviani imago supra fores prætorii in ejus urbe patria dicata: nempe quod is scribendo adeo multa complexus, scriptioribus aliis silentium indixisse videatur. Hinc apud Apulejum libro 1. Metamorph. legas: *At illi digitum à pollice proximum ori suo admovens, & in stuporem attonitus, Tace, tace, inquit.* Et Pontianus Pontifex Epistola quadam: *Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem hæsitas, sit manus super os tuum.* Ita & Eutychianus, quæ verba sunt ex Salomonis dictis. Et Damasus epistola de Coepiscopis, *Digitum ori imponite*, hoc est, *nihil alterius loquamini.* Ita & apud Jobem c. 31. *Principes cessabant loqui, & ori suo digitum superponebant.* In omnibus vero templis, ubi colebatur Isis & Serapis, simulacrum erat digito labris impresso, quod multi interpretantur, tacendum esse: illos itidem mortales fuisse. Sed quæ fuerit Harpocratis effigies apud Ægyptios, literariis ludis omnibus innotuit. Figmentum hoc porro totum Ægyptiacum fuit, quod digito labiis impresso, significaret de diis immortalibus habendum, in quos ne licentiosi loquendo simus, à Platone etiam monemur, Legibus. Alias Harpocratis sigillum in anulis gestari solitum à veteribus ea de causa tradit Plinius, ut silentium de agendis rebus indicarent. Angeronæ autem effigies obligato obsignatoque ore fuit apud Romanos, ut silentio prætereundum innueret, in cujus tutela numinis urbs Roma esset, quodq; proprium illi nomen ob eam scilicet superstitionẽ, ne tutelares dii sacris quibusdam avocarentur, devoverenturve. Hinc Valerium Soranum neci traditum constat, quod arcanum hoc propalare ausus esset. Eaque de causa Plinius de Roma loquens ait: *Cujus nomen alterum dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur.* Quod vero ad obsignatum os facit, Alexander Macedo cum matris epistolam accusationis in Antipatrum plenam una cum Hephæstione legisset, detractum è digito signatorum anulum ori illius apprest, silentii monumentum.

C

D

*De Angerona Macrob. Sat. lib. 1. c. 10.*

*Effigies Angeronæ.*

## EX PATIENTIA VOLUPTAS. Cap. XIV.

SEd nihil fere tam erudite traditum à quopiam est, ut non ingenia inventa sint, quæ aliorum commentationes evertere conarentur. Inventus est siquidem scriptor Masurius nomine, qui Angeronæ simulacrũ, quod Romæ in sacello Volupiæ obligato, uti superius, obsignatoq; ore visebatur propterea confictum ait, quod qui suos dolores anxietatesq; dissimulat, patientiæ beneficio ad maximam perveniat voluptatem. Nam & Verrius Flaccus Angeronam dici ait, quod angores & animorum solicitudines propitiata depellat. Sed quamvis alia atque alia etiam super Harpocrate commentati sint ingeniosi viri, illud ego minime dissimularim, quod summæ eruditionis authores approbasse videntur

*Hoc à Macrob. Sat. l. 1. c. 10. Ratio simulacri Angeronæ & Harpocratis.*

tur, summum Deum ex eo figmento silentio coli debere, quod & in Pisce, & in Crocodilo, & alibi ex Jamblichi monitis aperuimus. Et in pietatis Christianæ sacris preces pleræque sunt, quas ad Optimum Maximumq; Deum nulla emissa voce dirigere jubemur. Super Harpocrate demum Plutarchus multa, quæ quoniam multorum commentariis vulgata sunt, ea non existimavi hic ad commemorandum necessaria. Illud unum minime præteribo, traditum ab Ægyptiis Oron & Harpocratem digito ad labia appreſo coalitoque in lucem editos, eodemq; modo & Heraiscum, magnæ apud eos celebritatis viros. Jam apud Romanos silentii nota fuit S, prima ejus nominis litera, quæ triclinis, & diætarum foribus superponi consueverat, ut inde silentium convivis indiceretur, quando multa inter bibendum dici soleant licentius atq; liberius, quæ palam efferre nefas. Unde Flaccus Torquato ad cœnam invitato cauturum se pollicetur, ne fidos inter amicos sit, qui dicta foras eliminet. Et convivas memores odio habendos esse, Græco, quod Martialis ponit, adagio monemur, μνῆμονα συμπότην Procille. Vino enim libertas, unde Lyæi nomen, attributa apud Comicos nonnunquam invenias ad S literam, T quoque adjectam, ut Phormione Terentius, ST.

*Odi memorem compotorem.*

## DE MEDIO. Cap. XV.

*Hinc Gallicum licher. Procopium, nimirũ Sophistam in epistolis.*

MEdius à situ ipso nomen accepit, ab officio Medicus, à loquendi usu Infamis & impudicus. Sunt qui hunc non Hallum, sed Lichanon velint, ἀπὸ τοῦ λείχω, quod nos Lambere dicimus, ut ita exploratis uniuscujusque rei saporibus quid ad stomachum faciat quidve ab eo repudietur, intelligamns. Apud Procopium legimus, summo quid digito gustatum, cum tamen in digito nullo gustandi vis esse possit: intellexerit tamen ille, sublita digiti extremitate ori aliquid admotum.

## STOMACHUS. Cap. XVI.

*Cur digitus præsertim medius stomachum significet.*

SAne quidem Ægyptii sacerdotes, ut apud Horum habetur, ex digiti pictura stomachum hieroglyphice intelligebant: sed neq; certus illic digitus, neque cur id fecerint, explicatur. Dici forte posset ab officio, quia solent, qui gravantur ex crapula, auxilium alleviationemq; ab eo plurimum C deposcere, quo scilicet in summum gutturis immisso, incitata nausea evomere compellantur, atque ita sibi incommodi ejus remedium comparant. Vel quia Medici stomachum totius corporis Regem appellant: quippe qui omnibus portiones suas certa quadam dimensione impartiri videatur. Digiti vero præcipuum hierogyphicum est, mensuram præ se ferre: de qua multa paulo post loco suo. Ea vero à medio ad extremum unguis, & ad radicem suam, æqua dimensione divisus, alterutra pollicem & auricularem æquat, circino ad interiores cutis angulos appreſo: mox frontem, nasum, aures, & pleraſq; alias humani corporis partes dimetitur, cujus quidem rei studium ad pictores, & statuarios delegabo. Neq; me latet, esse qui Lichani nuncupationem in anularem transferant, sed ipsi sententiam suam probent. Quem nos Medium & Medicum dicimus, hic nimirum est, qui etiam impudicus.

## INFAMIA. Cap. XVII.

*De Diogene dictum. Persius in satyra. D. Laërt in ejus vita. A Martiale*

EXporrectus enim medius, reliquis in pugnum attractis, virilis pudendi species quædam ostenditur, eoque gestu infamiæ est hieroglyphicum, de quo Satyricus:

*——Cum fortuna ipse minaci*
*Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.*

de Diogene dictum, qui hospitibus quibusdam Demosthenem videre, cognoscereque anxie quærentibus eum ostendit, medio digito, pro indice porrecto, ut scilicet illum impudicitiæ aut ignominiæ cujuspiam notaret. Mitto illa nota nimis: *Et impudicum ostendis digitum.*

## DE ANULARI. Cap. XVIII.

A ANulari, qui minimo proximus est, nomen dubio procul inditum ab anulo : quo digitus is insigniri solitus. Cur id institutum, variæ sunt authorum opiniones, ex quibus nos pluribus aliis omissis quas in Gemmarum commentario recensuimus, eas quæ potiores videbantur afferemus.

## COR. Cap. XIX.

ILlud autem primum omnium manifestum est, anularem digitum cordis esse hieroglyphicum : eaque de causa institutum ab Ægyptiis, ut is anulo tamquam corona honestaretur. Eumdem sacerdotes cum circa deorum aras operabantur, confectis odoribus illinebant, ejusmodiq; honores illi ea de causa haberi solitos ajunt : quod dissectionum periti nervulum quendam à corde natum, per dorsum ad cor tendere, & in eo definere compertum habuere. Sane solebant in ejusmodi anulis eorum etiam imagines fieri, quorum memoriam colerent atque observarent, ii qui eas gerebant, ita nos sibi præcipue esse cordi, cum quadam etiam ambitione, omnibus ostentantes. Unde *Ægyptiorũ ritus in suis sacris.*

B Cicero libro de Finibus, Epicuri studiosos memorans, *Epicuri imaginem*, inquit, *non modo in tabulis, sed etiam in poculis & in anellis habebant.*

## CONJUGIUM. Cap. XX.

HIc porro digitus anulo insignis, conjugii est hieroglyphicum, eaq; de causa sunt qui eum Pronubum appellent. Hinc Majo, vincla jugalia, posuit pro connubio. Et in Divinis literis inditum sponsalitiis anulum, arrhabonis indicium, nuptiarum causa legimus, eumque morem & institutum omnes Christianorum conventus semper obtinuerunt. Unde Septimius Florens digitum hunc & pronubum appellavit, & anulum quoque pronubum, eo loco : *Nam & mulieres parcissima patrum sobrietate aurum minime noverunt, uno excepto digito quem anulo pronubo sponsa oppignorasset.* *Vincula jugalia. Æneid. l. 4*

## VINCULUM. Cap. XXI.

JUgalia illa vincla monent, ut qua de causa anulus inter alia significata : vinculi etiam fuerit hieroglyphicum, aperiamus. Ea sic fertur : *Prometheo olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Jove da-*

C *mnatum, ea mox conditione liberatũ, ut inde anulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omnino exolutus pœna videretur : indeque anulorum usum propagatum.* Indignationem autem Jovis inde ortam ajunt, quod Prometheus Parcarum sortem de Thetidis filio, qui patre major & clarior futurus esset, patefecisset, atque ita Jovem ab ejus congressu deterruisset, ne se præstantior filius nasceretur. Sedenim, cum ejusmodi legis silentium in Jovis perniciem evasurum esset, fabulatorum desidero prudentiam, qui velint Jovem pro imperio & authoritate sibi conservata, Ptomethea ita male multare voluisse. *Hoc à Luciano in dialogũ Deorũ. Jovis indignatio unde orta.*

## SERVITUS. Cap. XXII.

QUod vero anulus sit servitutis hieroglyphicum, tam maritale signum attestatur, quod addictam esse viro sponsam indicat, quam Pythagoræ symbolum exponit, dum nos arctum anulum gestare vetat quod ex divi Hieronymi interpretatione, non esse anxie vivendum admonet : quippe cavendum, ne nos in eam servitutem conjiciamus, quæ dura sit, & incommoda. Habet vero secum vinculi significatum anulus, quod tota ejus nominis originatio, quantum ad etymon attinet, ab AN

D particula desumitur, quæ Circum significat, atque ideo vinculum aut compedum manicarumve oppressionem. Essent vero super anulo plura commentanda, sed hic de anulari digito, non gestamine vel ornamento scribere institutũ est meum : quare longe plura in commentarium id rejicimus, quo insignia pleraque ordine locoque suo interpretati sumus. *Anuli etymon.*

## VENIA. Cap. XXIII.

PEtitam à diis sermonis veniam, cum obsecratione, ne nostri memores delicti, ulcisci cogitarent, eo exprimebant hieroglyhico, ut proximum à minimo digitum ad aurem dexteram referrent, quod tacto prius ore fieri institutum. Est enim locus ille Nemeseos, quam gestu hoc, ut in ore ostensum conciliari, crediderunt.

## DE AURICULARI. Cap. XXIV.

*Chiromantica observatio fallax.*

SUper auriculari nullum hactenus hieroglyphicum inveni, id tantum apud Chiromanticos deprehendi, eum qui breviorem hunc habeat quam legitima mensura depoſcat, id eſt, ad tertium anularis nodum non perveniat, indicium eſſe eum illegitimo concubitu fuſceptum: ſed quoniam ex divinatricibus conjecturalibusque diſciplinis, ſi modo diſciplina eſt talia profiteri, nulla eſt hac magis fallax, his omiſſis, ne digitus prætereatur indictus, ad ea me convertam, quæ de numero cujus is præcipuum eſt hieroglyphicum, ſuperius fuerant examinanda, niſi præ voluminis magnitudine moroſitatis notam declinare viſum eſſet. Is igitur, cum, uti ſequenti commentario explicabitur, & unitatem & quaternarium alio atque alio geſtu præ ſe ferat, ſeptenarium, quantum fieri poteſt, in extremam volam exporrectus oſtentat. Numeri autem hujus hieroglyphicum eſt, ut præter ea, quæ loco ſuo commemorata ſunt, multiplicitatem, aut frequentem ſignificet iterationem.

## FREQUENS ITERATIO. Cap. XXV.

*Septem, Vocabulum quid apud Hebræos,*

HEbræi autem in primis, ut Ægyptiacæ linguæ diſcipuli, SEPTEM de re pluries repetita ponere conſueverunt. Unde argentum ſepties purgatum, pro ſæpius, Pſalmo undecimo dictum, hoc eſt, ut Euthymius explicat, donec quicquid in eo terreni fuerat igne abſterſum, exhalarit. Et Pſalmo nono ſupra ſeptuageſimum, *Redde vicinis noſtris ſeptuplum*, interpretes ajunt, ſeptuplum Hebræorum more poſitum pro multiplici, quemadmodum & ſeptem, ſæpe pro multis. Nam & Regum 1. Theologi ponunt illud, *Sterilis ſeptem peperit*, itidem & Eccleſias ſeptem pro multitudine. Jam Chryſoſtomus actione in Judæos quinta, ſeptinarium numerum ait in Divinis literis infinitæ multitudinis ſignum habere. Et ita forte Virgilianum illud accipiendum:

*Georg. l. 4.*

*Septem illum totos perhibent ex ordine menſes*
*Rupe ſub aërea deſerti ad Strimonis undam*
*Fleviſſe.* & alibi,
*——Immania ſeptem Terga boum.*

*Æn. lib. 5.*

& eodem modo pleraque.

## SANCTUS SPIRITUS. Cap. XXVI.

ESt & ſancti Spiritus prærogativa ſeptenarius, de quo, ut infinita alia prætereamus, Eſaias c. 11. *Et requieſcet ſuper eo Spiritus Domini*, dein dona ejus VII. enumerat, *ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini.*

## PERFECTIO. Cap. XXVIIII.

QUæ vero plurima & Philon, & Hirocles, & alii ſuper ſeptenarii perfectione diſputant, nunc miſſa faciemus: illud quod noſtri temporis inventum eſt minime diſſimilabo, multarum rerum, ne de argento ſolo dictum hoc exiſtimemus, quæ per ignis iterationem depurgantur, perfectionem in ſeptima decoctione conſiſtere; veluti quotidie cernere eſt in ſaccharo purgando: nam ubi ſepties igne id examinaveris percoxerisq; nihil quicquam ulterius proficit, ſed lapideſcit penitus, ne ulterius eliquari poſſit. Unde proverbium vulgo uſurpatum de re, quæ ſummam adepta ſit perfectionem, *Septimæ decoctionis ſaccharum*, ubi ſagaciſſimum quempiam atq; vaferrimum hominem deſignamus.

## HUMANÆ VITÆ CURSUS. XXVI.

*Leſit. c. 23.*

ADdemus & illud, ſeptenarium numerum totius humanæ vitæ curſum ſignificare, ut Theologi declarant eo Levitici loco: *Septem diebus comedetis azyma*, de quo Paulus: *Epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ ſed in azymis ſynceritatis & veritatis: & non ad tempus, ſed omni noſtra vita ab hujuſmodi pravitatis fermento mundi eſſe debemus.* Nam ſi ſeptem diebus holocauſtomata, ut LXX. reddunt, offerre debemus, neceſſe eſt diebus ſeptem nos puros permanere: quia non debent, qui ſacra ferunt celebrantq;, criminis cujuſpiam ſibi eſſe conſcii.

## DIMENSIO. Cap. XXIX.

NOn eram autem ſuper digito quicquam ulterius philoſophaturus, niſi mihi veniſſet in mentem, in menſuris quoque multa deliteſcere hieroglyphica, eaque plurimum de Divinis. Menſuram vero

A vero ipsam digitorum esse filiam. Nam Ægyptii mensuram ex digito posito ideo significabant, quod tota metiendi ratio à digito principium capiat. Mensura enim, ut apud Aristotelem, à minimis oriri debet, atqui digiti sunt omnium membrorum minimi. Neq; me præterit, novissimos quosdam mensuræ principium, perinde ac etiam ponderum, à grano tritici desumpsisse: ut scilicet cohærentia grana quatuor, digiti spatium expleant, cujus ratione reliqua mox ad mensum veniant. Cæterum cum veteres ab humanis membris mensuram inchoarint, satis constat ex eorum traditione, digitum omnium mensurarũ esse minimam. Ita apud M. Junium Nypsum legas, qui de limitibus agrorum luculentum reliquit opus, cujus de digito verba hæc sunt, *Minima pars earũ mensurarũ est digitus*, quod & Julii Frõtini sententiæ consonat: si quid enim infra digitum metiamur, partib. respondemus, ut dimidiam aut tertiam partem digiti. Hinc illud apud omnes usurpatissimũ, *Latum unguem, aut transversum digitum non secedere*, cum minimum quodq; spatiolum intelligi volunt, & illud, *Leonem ex unguibus æstimare*, cum ex minimo quoque vel indicio vel argumento, vel causa, rei totius summam intelligimus. Id inde sumptum, quod memoriæ proditum est, Phidiam ex viso Leonis ungue totam feri faciem magnitudinemque, magna artis suæ commendatione repræsentasse. Qua vero ratione certa digiti dimensio nationibus omnibus præscribi possit, adhuc incompertum est mihi. Nam apud authores digitus & quæ inde mensuræ desumuntur, proportionis potius regulam, modumve quendam, quam certum ullum mensuræ terminum ostendere videntur. Quæq; Romæ atque alibi, vel in æs, vel in antiquis marmoribus mensurarum exemplaria signata reperiuntur, nationibus omnibus non inserviunt. Ad hæc, hominum facies pro locorum & regionum situ, perinde ac aliorum etiam animalium corpora, tum exilitate, tum proceritate, tum crassitudine diversa dissimiliaque nasci manifestum est: id quod Basilius Magnus à veteribus traditum, à se vero diligenter observatum affererat. Tritici quoque, si mensuram inde quis maluerit exordiri, & pondere & magnitudine, non provinciæ tantum, sed regiones singulæ, & vel modico inter se distantes intervallo, ac plerumque etiam contigui agri variant. Perque ætates, & secula singula, corpora nostra imminui, Homerus, & ab eo Virgilius & Horatius una cum Philosophis tradidere: id quod & majorum nostrorum ossa passim eruta testatissimum relinquunt. Rari enim, qualia nunc hominum producit corpora tellus, ut apud Poëtam est, vel Plinii testimonio, patribus proceriores fiunt, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergat ævum. Quare certa exactaque digiti dimensio, quæ pari sit apud omnes mensura, nusquam potest reperiri. Quoniam tamen veteres in eam conveniunt sententiam, ut digitus sit mensuræ principium, quæ inde mox distribuuntur, mensurarũ nomina loco hoc recensere libet, argumentum quidem ab Ægyptiorum sacerdotum inventis non alienum: siquidem in mensuris etiam hieroglyphica quædam inveniuntur, quæ suo se loco prodent. Mensuræ autem his præcipuè capitibus discernuntur, ut loco primo sit digitus, secundo uncia, mox sextans, inde palmus, doron, dochme, spithama, pes, cubitus, gradus passus, orgyia, ulna, hexapus, decempeda, plethrum, actus, jugerum, stadium, hexaplethron, diaulus hippicum, milliarium, dolichus, parasanga, schœnus, funiculus, stathmus, quorum omnium rationes afferre perdifficile fuerit in multa scriptorum dissentione. Ne tamen Chrysippi Medeam penitus exscribam, ea tantum colligam, quæ à probatioribus tradita videbuntur.

*Mensura digitorum filia, & ejus origo.*

*Author Lucianus in hæresibus.*

*Plutarchus tamẽ refert ad Alcæum De defectu oraculu*

*Mensuræ capitia præcipua.*

## DIGITUS. Cap. XXX.

D Esto igitur digitus, vel ex granis tritici quatuor cohærentibus spatium collectum, vel mensura omnium minima, unde Rerum publicarum decreto reliquas astruere necesse sit. Quæ vero super eo sint hieroglyphica, longa jam narratione supra diseruimus.

*Digiti mẽsura.*

## -UNCIA. Cap. XXXI.

CErto autem dato spatiolo, quod digito attribuatur, uncia sesquidigito constat, ea vero octava palmi portio: ita tamen ut palmũ hic accipiamus pro mensura ea, quæ παλαιστὴ Græcè dicitur. Sedenim ex dimensione Nypsi, uncia supra digitum nihil plus occupat, quam tertiam alterius digiti partẽ, dum palmum ait quatuor constare digitis, easque esse uncias treis: & ita Frontinus etiã tradit: quare uncia pars erit pedis duodecima, ut rectè mensores ponunt. Quod si uncia sesquidigito fieret,

*Uncia mẽsura.*

pes in digitos decem & octo produceretur. De quo vero palmo & hic & illic intelligendum, paulo inferius explicabimus.

## SEXTANS. Cap. XXXII.

SExtans sexta pars assis omnino est, unciæ quippe duæ, ut pondera ad mensuras accommodantur, quæ quidem unciæ, uti propositum ex nonnullorum traditione, in trium digitorum spatium porriguntur: quamquam, uti dicebamus, Nypsi nonnihil variet mensura. Nimirum vero loco hoc assem pro pede, ut inferius patebit, intelligendum.

## PALMUS. Cap. XXXIII.

*Sexta seu Dodrans.*

PAlmus ex Vitruvii descriptione quatuor constat digitis, ex aliorum vero sententia digitos continet XII Nypsus hunc mensuræ modum Sextam appellat, & dotrantem etiam vocitari asserit, quæ scilicet palmos treis contineat, uncias quippe novem, qui sunt digiti XII. Causam vero cur ita diversi authores erint in assignanda palmi dimensione, eam esse crediderim: quod Latini appellatione Palmi tria dimensionum genera complectuntur, quæ suis apud Græcos nominibus discernuntur. Ea sunt δῶρον, δοχμὴ, σπιθαμή.

## ΔΩΡΟΝ. Cap. XXXIV.

ESt vero δῶρον, sive δῶρα fœm. gen. (utrumq; enim dicitur) mensura, quam alio nomine παλαιστὴν appellant, ut interpretes Hesiodi versu illo enarrant:

Τρισπίθαμον δ' ἄψιν τέμνειν δεκαδώρῳ ἁμάξῃ.
*In hapsin curru decadoro cæde tripalmum.*

*Hesiodi locus explicatur.*

Sedenim hoc Hesiodi loco quædam oboritur difficultas, quam antequam ulterius progrediamur, ne quod nobis negotium facessat, forte non importunum fuerit explicasse. Quatuor hapsidibus currulis rota conficitur. Ad hujus vero rotæ diametrum Hesiodum pro modulo decadorum currum vocat, ut unaquæq; hapsis trium sit spithamarum; atque ita necesse est uniuscujusq; rotæ circumferentiam, sive curvaturam dicere malimus, duodecim esse spithamarum. Hæ vero doræ sunt XXXVI. spithama enim doras, quippe palæstas tres continet: & palæsta, uti dictum, quatuor est digitorum: si ergo, ut ostensum est, circumferentia circuli, qui rotam ambit, XXXVI. doris constat, & diametrum unumquodque tertia pars est circumferentiæ, cur non dodecadorum diametrum posuit potius, quam decadorum? ne Geometriæ terminos excederet, veritatiq; ipsi videretur adversari. Cui difficultati respondetur, decem illas diametri doras ab interiore circuli parte desumendas, de quibus hic intelligit. Duæ vero doræ computantur ab interiore parte rotæ, usque ad circumferentiam exteriorem: una quippe dora ab utraq; rotæ parte. Alii ita solvunt, ut digitos octo, qui doræ sunt duæ expansos intelligant in ea, quæ Ligularia dicuntur, sive Compages dicere velimus, quibus unaquæque hapsis invicem adacta conseratur hoc modo:

Præcipuè vero παλαιστὴν mensuram esse quatuor digitorum, inde colligimus, ubi Nicander basilisci corporaturam describit: quē enim Plinius duodecim non excedere digitos affirmat, Nicander eo super τρία δῶρα, φέρων μήκος τε καὶ ἰθύν. Interpres ejus, τρία δῶρα, inquit, ἴχνυν παλαιστὰς, δῶρον γὰρ ἡ παλαιστή. Tria itaque dora duodecim explebant digitos, & Plinii basiliscum.



## VITÆ BREVITAS. Cap. XXXV.

*Explicatio loci Davidis ex Græco.*

IN Divinis literis, ut multorum Theologorum est interpretatio, παλαιστὴ vitæ brevis est quasi hieroglyphicum. Nam Psalmo nono supra trigesimum, qui apud aliquos trigesimus octavus est, in Græco canitur, ἰδὲ παλαιστὰς, ἔθου τὰς ἡμέρας μου. Traductione, quam Ruffinus citat, scriptū est: *Ecce veteres posuisti dies meos.* Illi enim qui ita reddiderunt, visi mihi sunt, adverbii πάλαι, quod antiquitus apud Latinos est, significatum ex vocis similitudine sequi. Ita & Romanorum exemplar habet, quod & Cassiodorus agnoscit, & in ea locutione plurimum immoratur. Qui Hebræos sequun-

A quuntur, alii breves, alii positos à Deo dies in mensura digitorum IV. ajunt: alii palmi longitudine constitutos dies, alii pugilares dies datos, atque ii minimæ etiam mensuræ mentionem faciunt. Paraphrastici: *veluti in digitis numeratos habere pauciſſimos dies meos:* Sed illud, *velut in digitis numeratos*, nihil ad rem: de mensura enim hic est sermo. Quare vulgata traductio, commensurabiles habet, sed sensum non exprimit integrum τῆς παλαιστῆς: quare id forte melius quod ex Adamantio conjicere possumus, si legamus, *Ecce quam breves admodum posuisti dies meos*, quippe cum quatuor digitorum mensura brevis admodum sit, ac perinde vitæ nostræ brevitatem significet. Hinc clamat Jobes: *Nihil enim sunt dies mei.* Ut missum faciamus Hippocratem, vitam quidem brevem, artem vero longam esse conquerentem, & quæ multa in hanc sententiam dici possent. Eu- *Job. 7. cap.*
thymius quoque palæstam quatuor digitorum conjunctione fieri, spithamæque tertiam esse partem dicit, ac perinde minimam omnino mensuram, eoque nomine paucitatem dierum, quos vivimus, intelligi. Sed quoniam id nomen ἀπὸ τῆς πάλης deduci possit, interpretari etiam posse dicit Contentiosos, seu laboriosos dies, hoc est, luctæ pugnæque plenos: in luctæ enim labore ac con-
B tentione multa utimur. Ideo vero Dori nomine mensuram eam appellari dicunt, quod eorum plurima quæ donantur (id enim est vocabuli significatum) ab eodem digitorum loco amittantur, quo παλαιστὴ constat, à quatuor quippe digitis. Plinius antiquos ait Græcos vocasse δῶρον, quem nos palmum. Vitruvius quoque, quem nos palmum δῶρον ait à Græcis dici, quod munerum datio Græcè δῶρον appellatur. Id autem semper per manus geri. *Sic ὀρθὸδωρον palma porrecta, & interstitiũ inter palmam porrectam & extremitatem digiti medii.*

## ΔΟΧΜΗ. Cap. XXXVI.

DOchme dimensio est decem digitorum. Sunt tamen qui δοχμὴν mensuram eandem esse putent cum Doro: quatuor quippe digitorum in exporrecta manu cohærentium ita ut δοχμαὶ tres σπιθαμὴν efficiant. Atque apud aliquos invenias σπιθαμὴν δοχμὴν etiam appellari, atque id apud Hesiodi commentatores.

## ΣΠΙΘΑΜΗ. Cap. XXXVII.

Σπιθαμὴ omnino duodecim est digitorum: quippe quod à digiti auricularis ungue ad extre-
C mum usque pollicem occupamus. Plinio libro VII. cap. altero, ubi de Pygmæorum statura loquitur, ternas eos spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedere dicit. Dodrantem posuit Plinius ratione pedis habita, ex quo si dematur quadrans, reliqui erunt digiti duodecim, eaque pars quæ tribus constat quadrandibus, Dodrans nimirum appellatur. Frontinus spithamam etiam Sextantem dici scribit, habereq; palmos tres, uncias novem, digitos duodecim. *Quibus constet spithama, & hieroglyphica. Hinc illud Diogeniani* Σπιθαμὴ βίος *spithama vita.*

## DEUS. Cap. XXXVIII.

ADducit hæc rerum series in memoriam id, quod Prophetæ, plurimum hieroglyphico, si non charactere, idiomate certè hieroglyphicis perquam simili utentes, Deum appellatione Spithamæ vocitarunt, penes quem scilicet sit rerum omnium facultas, suprema q; authoritas: manu pasla propemodum occupata, qua singula ordine tenore q; certo temperat ac moderatur, neque non fines æquis terminis distributos, dimensiones q; omnibus, quæ in universo mundo sunt, rebus lege sua dipartitur. Moris enim est oblatarum rerum magnitudinem spithamis, quæ nobis promptuaria est
D mensura, dimetiri. Quod vero dictum de omnipotentia Dei, sufficiat unus ex quadragesimo cap. Esaiæ locus: *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlum palmo ponderavit?* & quæ sequuntur. Ubi Hieronymus: *Quod autem pugillum vocat & palmum, humanæ consuetudinis verbis utitur, atq; mensuris, ut Dei potentiam per nostra verba discamus.* Et paulo post σπιθαμὴ autem, hoc est, palmus, extensam significat manum à pollice usque ad extremum digitum. Quæ vero ibidem posita sunt de lichano gustatore, ut idem interpretatur digito, ac perinde minimo, alii viderint.

## VITA BREVIS. Cap. XXXIX.

IN Spithama autem, ut superius dictum, vitæ brevis hieroglyphicũ habetur, quod à Græcis authoribus positum est, ut minimum vitæ spatiolum mensuræ ejusmodi parvitate significaretur, usurpa-

turque

usurpaturque plurimum ad uniuscujusque rei brevitatem indicandam, præsertim ubi in pumiliones cavillum vertitur, uti de Pygmæis dictum, quos in derisum Trispithamos scurræ vocant.

## PES. Cap. XL.

Pes nemine discrepante digitis constat sexdecim, quare qui scribunt eum palmis quatuor confici, palmam accipiunt, ut Vitruvius τὸ δῶρον. Dividitur vero hujusmodi dimensio in uncias duodecim: & est sexta pars altitudinis in humano corpore. Frontinus pedem ita describit ut eum dicat habere palmos quatuor, uncias duodecim, digitos sedecim.

## CUBITUS. Cap. XLI.

*Quibus constet cubitus. Pollux tumen medium manus dictum καρπώνα vocat.*

Cubiti quoque ratio ideo varia est, quia palmus varie accipitur. Nam qui duobus eum constare palmis dicunt, digitos omnino quatuor & viginti commemorant, dum cubiti spatium id esse dicunt, quod ab extremis unguibus in medium brachii angulum protenditur. Id nimirum sesquipedale est, & Græcis Pygon dicitur, unde Pygmæi Eustathio. Ita palmi illi duo pro totidem deprædantibus accipiuntur. Neque diversus erit à Nypso & aliis Vitruvius, qui cubitum senis, more suo, palmis dimetitur, cum duci procul palmos quatuor quemque digitis porrexerit. Cubitum pictores quartam corporis nostri partem esse volunt. Apud Herodotum cubitum invenias vigiati digitorum tantum, differreque ab eo qui dicitur πηχυς: de quo videris apud Suidam. Est etiam cubitus regius, qui major est communi tribus digitis, de quo idem Herodotus primo. Est & cubitus geometricus, qui dimensione una sex cubitos è nostris æquat, ut Origenes & Augustinus retulerunt.

## TEMPERANTIA. Cap. XLII.

Hieroglyphicum vero cubiti una cum fræno manu prætento, temperantiam præ se fert, unde Nemeseos simulacrum insignibus his conspicuum habeant, cujus hæc erat inscriptio:

Ἡ νέμεσις σοι λέγει τῷ πήχει τῷδε χαλινῷ,
Μήτ' ἀμετρόν τι ποιεῖν μήτ' ἀχάλινα λέγειν.
*Una manus cubitum ostentat, gerit altera fræna:*
*Illa, modum serva: hæc admonet, os cohibe.*

## DELICIOSUS. Cap. XLIII.

*Ezech. 13. Mystica cubiti significatio.*

Sunt qui delicioſum molliculumque hominem, ne hieroglyphica hæc elabantur, ex cubito cervicali innixo notent. Signum inquit Adamantius, mihi videtur voluptatis carneæ sub cubito manuum cervical assutum sumptum id ex Ezechiele, qui dicit: *Væ iis qui assuunt cervicalia sub omni cubito manuum:* nimirum eos intelligens, qui propter animi corporisque mollitiem à virili recedunt fortitudine, & nequiter effœminantur. Forsitan autem, addit, Adamantius, sermo divinus per hujusmodi figuram & argumentum eos culpat magistros, qui per vaniloquentiam & falsæ beatitudinis promissiones (quod nostro, quippe corrupto tempore, supra modum invaluit) multitudinem audientium libidini, vitiis voluptatique summittunt. Addit etiam Propheta, de capitis velamine quædam, quoniam his præcipuè temporibus valde suspecta sunt, consulto præteribimus: quæ si quis curiosius appetierit, ejusdem Origenis homiliam legat in Ezechielem tertiam, deque temporum nostrorum proceribus dicta omnia interpretabitur.



## GRADUS. Cap. XLIV.

Gradus, quem alii Gressum dicere malunt, & Græci τὸ βῆμα appellant, uno constat cubito & pede: quod spatium tantumdem est ac pedes duo & semis, vel digiti quadraginta.

PAS-

## PASSUS. Cap. XLV.

A PAssus à passis manibus dici videtur. Alii passum quinis tantum pedibus constare putant, quo spatio gressus duo recenseantur, sintq; digiti octoginta. Nam spatium quod passis manibus occupamus, in sex & nonaginta digitos exporrigitur, quæ integra est quadrati corporis proceritas. *Vel spatium quod in spatio pedum.*

## ORGYIA. Cap. XLVI.

ORgyia Herodoto sex pedum est, Mensura eadem à pedum numero Hexapus dicitur. Orgyiæ spatium Suidas inter expansas manus capit, quæ quidem mensura cum par sit proceritati humani corporis, nulli dubium & Suidam & Herodotum idem sentire. Libr. Pandect. x. tit. Fin. reg. capit. ult. fodienti puteum passum à vicino limite abesse oportere, interpres Latinus posuit. Lex ea Solonis à Cajo recitata, Græcè scripta est in Codice Pisano, qui Florentiæ asservatur, & ὀργυίαν hic habet, quæ quidem mensura una plus pede crescit, & alias, uti ostensum, ἑξάπους vocatur. Theodorus ex Aristotele interdum Passum vertit. Sed cum Orgyia, uti dictum, uno plus pede supra passum porrigatur, non satis recte videtur expositum, ut passus à passis manibus dicatur: id autem si admittitur, recte Theodorus. Sed enim omnino variat ipsa passuum mensura, pro regionum ritu & institutis. *Herod. l. 2.* *Solonis lex.* *Vel quod patet in spatio pedum.*

## B ULNA. Cap. XLVII.

ULnam Servius, & pleriq; alii eadem cum ea quam memoravimus Orgyia videtur interpretari, neq; tamen inficiatur, longè minori spatio ab aliis describi. Sunt vero qui urnam Orgyiæ dimidium esse velint, nomenq; id, atq; ea fere trium pedum mensura in plerisq; Italiæ locis permansere. Quare quod apud Plinium legitur lib. XVI. cap. XLI. de Abiete, cujus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat, hominibus quatuor admotis, arboris ambitum ulnis octo complexum intelligendum. Si vero ulnas altero modo maluerit quis intelligere, nihil laboraverim. Sane hujusmodi amplitudo mihi non est miraculo, qui & abietes & larices & arbores alias vastitatis incredibilis inspexerim in Noricis Alpibus enatas. *In Bucolic. Ecgl. 4.* *Nempe spatiũ in quãtum utraq; extenditur manus.*

## DECEMPEDA. Cap. XLVIII.

DEcempeda, quæ Græcè δεκάπους, suos se prodit nomine. Ea vero & Acæna est. Thessalorum quidem inventum, ut apud interpretem Apollonii Argonauticis legimus. Porrigitur nimirum ea in digitos centum sexaginta, qui duo passus essent, non tamen Orgyiæ. Eo dimensionis nomine sæ-
C pe utitur Cicero, & decempedatorem, Metatorem appellat. Eo fere spatio à vicino abesse lege XII. tabularum jubetur is, qui ficum aut oleam in agro plantaverit: nam si quid aliud severit, satis est quinque abesse pedes. Quamquam super hujusmodi limitatione libr. Pandect. x. tit. Fin. red. Solonis lex à Cajo recitata, non satis ex fide Latinis reddita. Nam quod interpres reddidit, *Olivam autem aut ficum novem pedes ab extrema regione plantet, alia autem ligna quinque pedes*, in Pandectis quæ tanta veneratione Florentiæ custodiuntur, ita Græcè scriptum reperi, ἐλαίαν δὲ ἢ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ & ἄλλα τρία φυτεύῃ, τὰ δ' ἄλλα δύο πόδας. Ex quibus verbis manifestum, olivam quidem vel ficum pedes novem procul ab alieno solo plantandas, ceteras autem arbores duos tantum pedes abesse posse. Sunt & alia eadem lege, quæ aliter habent in Pisano codice, ipso, quam passim in impressis voluminibus præstitum, de quibus alibi differendum: nunc nostrum sequamur institutum. *Solonis lex.*

## ACTUS. Cap. XLIX.

D ACtus pedibus constat centum & viginti, qui passus essent quatuor & viginti.

## JUGERUM. Cap. L.

JUgerum, ut Varro finit, constat ex actibus duobus quadratis. Unde Quintilianus ducentos & quadraginta pedes ponit in longitudinem, dimidium in latitudinem, quod uno jugo Boum in die arari potest: de quo, quia pleni sunt omnes Grammaticorum libri, non est ut plura inculcem. *Varro l. 1. & Plin. lib. 18. cap. 3.*

## STADIUM. Cap. LI.

STadium dupliciter consideratur, alibi pro spatio cursoribus in agone destinato, alibi certum est mens[illegible] agrorum limitibus agrorum metandis comparatum. Atque hoc plurimum centum vi- *Theophilus lib. 2. Institutionum.*

gintiquinque paſſibus noſtris terminatur, qui pedes eſſent DC XXV. Ea ſumma octies computata mille facit, quæ dimenſio proximè accedit ad eam, quam ponit Herodotus II. ubi de labyrintho, εἰ δὲ ἕκατον ὀργυιαὶ δίκαιαι εἰσὶ στάδιον ἑξάπλεθρον. *Orgyiæ centum juſtæ ſtadium conficiunt hexaplethrum.* Quod vero ad agones pertinet, Græci ſtadium ſuum ducentis pedibus metiuntur. Sed Herculem ducentis quantumlibet pedibus dimenſum ab Hercule aliis omnino majus. Unde Mathematum periti herois ſtaturam ex eo ſtadio, quod ipſe ſuis pedibus metitus eſt, prodidere. Italicum porro pedes continet CXXV. authore Cenſorino. Erat & ſtadium Pythicum, quod pedibus mille conſtitiſſe tradunt: Olympiacum, quadringentis tantum. Sic colligimus ex his ſtadium non fuiſſe certæ menſuræ ſpatium, ſed parts illius, quæ alicubi brevior, alicubi longior fuerit, agonibus deſtinata.

*Autor A. Gellius lib. 4. cap. 1. Conſ. c. 13.*

## PLETHRUM. Cap. LII.

*Plutarchum & Suidam.*

PLethrum vero menſura eſt centum pedum, ſexta quippe ſtadii pars, ut apud authores Græcos paſſim habetur, πλέθρα ἐξ στάδιον ἑξακοσίων ποδῶν ποδῶν. Tantumdem vero eſt, centum id conſtare orgyiis dicere, cum, ut ſuperius dictum, orgyia ſex occupet pedes.

## DIAULUS. Cap. LIII.

*D. Hier 1200 conſtare ait*

DIaulus menſura eſt duorum ſtadiorum. Cæterum varietas ſtadiorum effecit, ut diaulum nonnulli ducentis conſtare cubitis crediderint. Quin & cubitus ipſe, ut ſuo loco dictum, plurimum habet varietatis.

## HIPPICUM. Cap. LIV.

HIppicum, quo ſcilicet Equi ad curſum admittebantur, duplo majus diaulo fuit: nam quatuor id ſtadia comprehendiſſe, Plutarchus author eſt.

## MILLIARIUM. Cap. LV.

*Vel 100. paſſus, unde ei nomen.*

MIlliarium, ut Junius Nypſus, octo ſtadiis conſtat: ut Vitruvius, pedibus quinquies mille, atque ita ſtadium id aſſumitur, quod cxxv. paſſibus noſtris terminatur, quos pedes eſſe diximus ſexcentos quinque & viginti, quinis unicuiq; paſſui pedibus adnumeratis.

## DOLICHUS. Cap. LVI.

*Δολιχὸς, ut de longitudine temporis, ita & ſpatii, & menſura dicitur, à curſu & διλιχέυω, dolichum curro.*

DOlichus, ut nonnulli ponunt, ſtadia continet duodecim, unum quippe milliarium & ſemis. Qui vero quatuor & viginti aut uno minus ponunt, quæ tria eſſet milliaria, recurſus rationem mihi habuiſſe videntur: erat enim locus, ubi Equi ſunt curſu exerceri ſoliti curſu ſepties iterato: quare à flexu locus ita nuncupatus. Apud Pindarum invenies, & octies & duodecies iterationem ejusmodi fieri ſolitam, pro Equorum, qui jungebantur, modo: de quo in commentario de Metis diximus. Ita patet illud apud Chryſoſtomum in epiſtola ad Philippenſes homilia prima: *Etenim qui poſtquam decem dolichos cucurrit, ſi poſt deficiat, omnem amiſit laudem:* dictum, quia ſcilicet duo adhuc dolichi erant decurrendi.

## PARASANGA Cap. LVII.

*Perſa quoque ſchœnus & paraſangas, alii alia menſura determinant. Plin. lib. 6. c. 26. Leugua gallice, lieuë*

PAraſanga, menſura Perſicæ, in ſtadia triginta porrigitur. Herodoto ea eſſent tria milliaria & ſemis, qua dimenſione in itineribus Tranſalpinæ nationes plurimum utuntur vulgo Leuguam appellantes: quamquam & Leuguæ ſpatium pro locorum regionumq; ſitu plurimum varient, quippe quæ inter Alpes, breviores, in Germaniæ vero atq; Galliarum campis, longius protrahuntur. Denique eam mihi videntur rationem habuiſſe, ut quantum itineris una hora obequitando conficiposſet, id ea nuncupatione appellarint: ideoque cum difficilior ac perinde tardior ſit ingreſſus per Alpes, Leuguas itemtidem breviores conſtituerunt.

## SCHOENUS. Cap. LVIII.

*Herod l. 2, Plin. lib. 12. c. 14.*

SChœnus duas occupat paraſangas, quæ ſeptem eſſent milliaria. Hæc inter Ægytiacas menſuras adnumerantur ab Herodoto. Nonnulli ſtadia ea quinquaginta continere tradunt. Plinius ex Erato-

A Erathosthenis rationes quadraginta tantum, qui passus essent quinquies millia. Aliqui stadia XXII. singulis schœnis attribuere. Atque ita mensurarum hujusmodi inconstantiam diversitas authorum fecit, sive loca, sive tempora rationem hanc omnem variarint, quemadmodum in ponderibus tanta scriptorum dissensione omnia conturbata.

## HÆREDITARIA PORTIO, SORSVE. Cap. LIX.

INvitat vero me nominis similitudo, ut quid Schœni vocabulo velint Divinæ literæ, aperiamus. Apud Hebræos enim mensuræ genus erat sub funiculi nomine nuncupata, per quem portionem eam indicabant, quæ in agrorum divisione huic & illi obvenisset, transibatq; vocabulum ad hæreditates & patrimonia. Unde Moseos cantico, Deuter. *Funiculus hæreditatis suæ Israel.* & Psalm. 77. *Et forte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Et 47. Ezechielis: *Joseph duplicem funiculum habet,* & passim multa hujusmodi. Ægyptiis porro mos, ait Prodicus, ut apud Max. Tyrium est, terram metiri funibus: quod & Hieronymus agnoscit tertio Joëlis cap. ubi Septuaginta ait transtulisse, χοί-
B μαῤῥον τῶν σχοίνων quod alii, *torrentem spinarum* fecerant, funiculum ait σχοῖνον, aut juxta Ægyptios mensuram certi itineris. Unde in Psalmis: *Semitam meam & funiculum meum investigasti. In Nilo enim,* subjicit, *flumine sive in rivis ejus solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant Funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.*

*Deut. c. 32.*

*Ma traco & mongiste, à venationis metaphora.*

*Psal. 139.*

## VITÆ PROGRESSUS. Cap. LX.

QUia vero versiculum obiter ex tricesimo nono supra centesimum Psalmo citavimus, τὴν τρίβον μου καὶ τὴν σχοῖνόν μου σὺ ἐξιχνίασας *Semitam meam & funiculum meum investigasti*, transtulerunt quidam, *Examinasti*, à vestigio tamen est ἐξινιάζω: quamvis qui Hebraicam sequuntur lectionem, grabatum ex junco factum, non funiculum, intelligere videantur, dum τὴν σχοῖνον μου ἐξιχνίασας, *accubitum meum eventilasti*, reddunt. Quinetiam Chaldææ Arabicæque lectionis traductio in hanc ipsam sententiam habet. Sed &, quando ambulavero in via, aut quando accubuero ad studendum, legi. Sed quoniã Græca lectio jam recepta est, quam, ut plerisq; locis apud Hieronymum video, eam
C esse arbitror quã Septuaginta transtulere, eam secuti, quid in ea hieroglyphici contineretur, exposuimus. Quam vero schœni funiculive mensuram apud Ægyptios & Persas esse Euthymius tradit, eamdem ait, nostri propemodum stadii longitudinem æquare.

*Septuaginta fortasse pro σχοῖνον, funiculum. κοῖτον, cubile verterunt.*

## STATHMUS. Cap. LXI.

STathmus, quod itineris diurni spatium est, produci fertur stadiis centum & quinquaginta, quæ milliaria essent undeviginti, quadrante minus. Nam & Jurisconsultorum tabulæ viginti milliaria diurnis itineribus concesserunt. Jocose vero Lucianus ὑπερ νεφέλῳ ludit, οὐκοῦν τρισχίλεοι μὲν ἦσαν ἀπὸ γῆς στάδιοι πρὸς τὴν σελήνην, ὁ πρῶτος ἡμῖν σταθμός: *Numquid tria millia stadiorum sunt à terra ad Lunam usque, qui primus nobis stathmus,* id est, *quod itineris spatium uno die peregimus?* sed ut fabulas omittamus, satius fuerit, tot decursis spatiis commodum quiescere: quamvis adhuc digiti quoquoversum accepti quasdam habent dimensiones, quarũ norma modoq; reliquum totius hu-
D mani corporis dimetimur, mensura in hoc vel illo membro nunc parte pari, nunc geminata, in pluribus triplici: quippe pollex expeditus, ut supra innuimus, ejusdem mensuræ est cum infamis dimidio aure, cum naso, cum fronte & ore, cum infima brachii latitudine, & partibus plerisque aliis.

*Censorinus tamen, de die natali, cap. 13 assignat spatiũ 126000. stadiorum à terra ad Lunam, secundum Pythagoram.*

Verum cum hæc ad pingendi sculpendique artem potius, quam ad suscepti operis negotium pertineant, eam artificibus operam relinquentes, imaginum significata, non artem pingendi, exponere prosequemur.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXXVII.

## DE DIGITORUM NUMERIS ET SIGNIFICATIS, Ex Sacris Ægyptiorum literis.

CLARISS. BERNARDINO TOMITANO, PUBLICO BONARUM ARTIUM IN Academia Patavina Professori.

*MIcare tecum digitis libet,* TOMITANE *honoratissime, Micare mecum? inquies. Nempe, quamtecumq; sis gravitate præditus, micare tamen libet. Quid enim aliud is, qui per digitorum motus varios, numerorum significationes explicare aggressus fuerit, facere videatur, quam ridiculis propemodum articulorum omnium gesticulationibus, modo eos porrigendo, modo contrahendo, colluderene dicam, an pueriliter ineptire? & tamen ipsa rei cognitio aliquid habet, quod eruditi quantumlibet viri minimè sint aspernaturi. Quare ausim dicere, aliquid omnino in Digitis mis velipsò Tomitano non indignum, quodq; forsitan emunctissimam ejus naremad libri totius lectionem possit allicere. Multa enim ex eo tempore sunt, quæ temporibus ullis beatioribus quibus industria & ingenium in pretio fuerint, minimè contemnenda videbantur. Sedenim, ut quid de hujusmodi argumento sentiam ingenuè fatear, habet omnino aliquam rerum copiam & varietatem. Sed exactissimam diligentiam illam, omnia perquirendi quæ in hujusmodi sententiam dici possunt, neque me præstaturum polliceor, cui pleniorem esse, per otium, & tam frequenter infestam podagram, minimè licuerit. Neque tu, qui omnem vitæ meæ rationem optimè nosti, id ab occupationibus meis efflagitabis, eo uno contentus, quod hoc, quælecumq; sit, mei erga te amoris & observantiæ argumentum esse voluerim. Cognosco autem ingenium Philosophi, qui tam multa quæ minime oculis conspicua sunt, ita spectare videatur, ac si rerum suarum imaginibus conformata, suisq; coloribus picta proponerentur. Animam nemo vidit, quam Philosophus intuetur, & ad amussim factam agnoscit, ac si colossus ingens aliquis aut fabrica quævis admirabili membrorum artificio elaborata esset.*

---

### DE DIGITIS. CAP. I.

*Digitorum divisio, & munus cuiusque proprium.*

RAtioni consentaneum videtur digitos primum dividere, & quod illi munus singuli suscipiant explicare, ut ita mox quæ in illis significata reperiuntur aperiamus. Illi enim alio atq; alio gestu dispositis, nunc contracti, nunc porrecti, uti præfati sumus, modo hac, modo illa manu varias habent significationes, ac omnem ferè numerorum rationem explent, cujusmodi plurima in antiquorum statuis reperiuntur, & apud scriptores passim offeruntur quæ non parvam inferant hæsitationem, nisi aliqua eorum ratio, quod facere proposuimus, expendatur. Tota igitur supputationis ratio in tres partes divisa est, quarum prima digitus, articulus altera, tertia compositus numerus appellatur. Digitus est quicunq; numerus sub denario profertur, & hujusmodi puncta usq; novem, prærogativa quadam, etiam sub numeri nomine singula continentur. Articulus, qui nullo redundante dividitur in decadas, è quorum utroq; compositus numerus resultat, quotiescunque scilicet articuli, sive denarii numerum aut hunc aut illum sibi assumunt. Numeri sedem in inferioribus tribus digitis habent. Articuli conjunctim in indice polliceque. Compositi & hos & illos, prout usui venit, aut explicant, aut inflectunt socialiter. His ita constitutis, operæ pretium est, quos quisq; digitus, quos cujusq; digiti gestus, numeros ostendat, aperire. Primum autem omnium illud constat, lævam manum

*Digitus quid. Articulus.*

*Compositus.*

A manum omnia indicare puncta ab unitate, usq; novem & nonaginta: dexteram vero à centenario, ut ita dicam, usq; ad noningenta. Sed quib. digitis millenariũ à centenario distinguatur, magna est inter eruditos controversia, dum alii Bedã, virum quidẽ non ineruditũ, sequuntur, alii probabiliorẽ quandam rationẽ amplectuntur. Beda enim, si modo ille ita scripsit centenariũ à læva in dexterã ita transferri tradit, ut quo gestu, quibusq; digitis decẽ in læva numeravim9, eo centũ in dextera designem9: inde ad millenaria descendamus & quibus gesticulationib. in læva numeros usq; novẽ ostenderimus, iisdẽ in dextera totidẽ millenaria proferamus. Alii naturæ ordinẽ secuti, uti minores numeri majorib. subjiciuntur in læva, ita minores summas majorib. in dexteras subditas agnoscunt: ea n. proportio est numerorũ ad decadas, quæ centenariorũ ad chiliadas. Congruũ igitur est eorum quoq; hieroglyphicorum figuras ad eorum regulã accommodari. Quare perplexitate, quæ in iis, quæ Bedæ attribuuntur mentes implicat & obturbat, evitata, ita manus statuendæ, ut veluti in læva cœptum est ab auriculari pro unitate & sociis: ita in dextera ab eodem digito centenariũ exordiamur, usq; ad nonaginta. Millenaria vero per pollicẽ & indicẽ exprimamus. Atq; ut in læva à numeris per inferiores tres digi-

*Bedæ in libro de temporibus & naturæ rerũ*

B tos ascensũ est ad articulos, ita in dextera per eosdẽ inferiores à centenariis surrigamur ad millenaria, quo sc. gestu quibusq; digitis in læva decẽ ostendim9, per eosdem in dextera millenaria explicare incipiamus, quæ circa pollicẽ & indicẽ longe comodius & convenientius hospitantur. Cujus rei testem appello summæ multiplicisq; doctrinæ virũ Irenæum Theologum ex antiquioribus, qui aliquot ætatib. ante Bedam claruit; aperte enim hic scribit: Unius *numerum, quo gestu significabantur in sinistra, translatum in dexteram centena conficere.* Sed ponam ejus verba super hoc gestu, in Valent. libro 1. c. 13. *A numero nonagesimonono, qui fuit in læva per* Unius *significationẽ, transferri in dexteram & ibi centena constitui.* Hujus sententiã Græci, & universus recentiorum usus admisit, quos inter egregie princeps Lucas Minoritan9, qui Arithmeticã & partes ejus absolutissime consummavit, ejusq; opus uno omnium ore probatissimũ, multis ab hinc annis venit in manus hominũ, & habetur in primis. Fuerunt & alii, qui manib. ad hanc seriẽ, quã ponit Irenæus figuratis, libellos ad mortaliũ institutionẽ edidere. Præterea tota hujus hieroglyphici ratio cum Chaldæis ad amussim congruit, mirificeq; respondet. Illi enim totã hanc computandi diligentiã per lineas expressere, ita inter se distinctas, ut apicib. solum qui-

C busdam additis situ, tantum numerorũ varietatẽ indicarent: quaternæ tamen ita positæ, ut prima digitos, secunda articulos, tertia centena, quarta millenaria cõmonstrarent, eo quidẽ oridine, ut qui apex surrectus lævorsum unitatẽ ostenderat, dextrorsum versus centena præ se ferret: iidẽ, sed interne vergentes, lævorsum decẽ; dextrorsum mille signarent, in eum, quem sequenti vides pagina, modũ.




D

Ad Chaldæorum igitur normam, manuum digitorumq; supputationes accommodabimus, earum volis altera alterius è regione passis, ut unitates centenariis, decades millenariis, ad superiorum hieroglyphicorum instar, opponantur,




*Orontis dictum. Plutarch. in Apoph. Regum.*

Quod vero Orontes Regis Artaxerxis gener, qui ob ejus indignationem quamdam & honoribus amotus, & ad ignominiam redactus esset, dixerit: *Quemadmodum supputatorum digiti nunc miriadas, nunc unitates præ se ferunt, ita Regum amici nunc plurimum, nunc minimum præstare possunt*, non est ut quispiam hoc ad Bedæ rationes trahat, quasi Orontes intellexerit de dexteræ lævæq; auricularibus, in quibus hinc unitates, inde millenaria constitui debeant: insulsa enim est imaginatio, cum Orontes miriadas hic confusim ad amplificationē oratorio more dixerit: non quod miriadum hieroglyphica unitati sigillatim opponere cogitarit, sed in universum hinc lævæ digitos, illuc dexteræ designavit. Obstaret Chaldæis & Persis, Irenæo & aliis, Quintilianus, quē nonnulli ex libro undecimo citant, eo loco: *Gestus, poculum poscentis, aut verberaminantis, aut numerum quingentorum pollice flexo efficientis.* Quæ sunt à quibusdam scriptoribus notata, ne in rusticis quidem vidi. Sed iidem ipsi, qui quingentorum positum volunt, infiziari non possunt, quin eo loco eruditi plerique viri quinquagenarium potius agnoscant. Non sum vero nescius nonnullos esse, qui lectionem apudi Bedam defendere aggrediantur: quippe, quæ in læva denaria sunt, iidem digitis in dextera centena significare, atq; ita per

*Olim digitis subducebatur ratio ut nunc calculis.*

A per eosdem pollicem & indicem per decadem aggregationem ad noningenta usque procedendum: mox cum millenaria fuerint indicanda, ad ejusdem dexteræ inferiores digitos descendamus, quod vel natura ipsa videtur abhorrere. Sane Hieronymi verba sunt: *Porro centesimus numerus* (diligenter quæso Lector attende) *si de sinistra transfertur ad dexteram, & iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur & viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.* Ego, ni fallor, ex his verbis Hieronymum puto eadem tradere quæ docuit Irenæus, dummodo loco suo sententia commatis additis distinguatur. Sententia quidem Hieronymi est, diligenter attendendum: Quin attendamus? Centesimum numerum de sinistra transferri ad dexteram, & iisdem quidem digitis, non eadem manu circulum facientem exprimere virginitatis coronam. At explicavit se aptius inquiunt, dicens: *quibus in læva nuptæ significantur & viduæ.* Scimus quidem in læva unguem indicis, quasi ad osculum molliter applicatum, maritalis conjunctionis hieroglyphicum ab eo viro doctissimo positum: quod loco suo plenius commentati sumus. Viduas autem per sexagesimum ostendi, qui numerus per indicem ejusdem lævæ, qui extremum pollicis articulum arcte complectatur, exprimi-

*Explicatio loci citati ex Hieron.*

B tur. Idem fatentur omnes. Sed Hieronymus ne fallamur, admonet, transferri numerum centesimum ab læva in dexteram, per digitum & gestum scilicet, qui unitatem in læva constituit, in dextera centena conficiat, atq; ita de cæteris. Atq; hoc est quod ait, *Sed non eadem manu:* quam manum? eam intelligit qua non utimur in centenis, cujus scilicet digitis nuptæ significantur & viduæ, quarum manuum hieroglyphica superius & explicaverat, & ingeniose interpretatus erat. Sed quo modo corona hæc, dicet aliquis, circumflectetur in auriculari? Respondemus: si digitum eum ita inflexeris, ut digiti ejus unguis mediæ palmæ tuberculum appetere videatur: id ita coronæ plexum imitabitur, ac si arboris cujusvis ramulum ita flexeris, ut cacumen ejus ad locum, unde germinare cœperat inflexeris. Nam gestus hic (ut quod necesse est idemtidem repetamus) in læva unum significat, centum in dextera, ut singula copiosius suis quæque locis enarrabuntur. Nunc quoniam lectorem aspera & morosa forsitan disceptatione delassavimus, libet in hujus gesticulationis sententiam lepido Nicarchi epigrammate aures animumve aliquantulum delinire. Jocatur enim is in Cotyttarin annosam vetulam, quæ præcano cum esset capite multæque dicacitatis, ac Nestori comparata, nondum eum

*Nicarchi jocus in Cotyttarin.*

C ita grandævum esse sineret, quæ Cervos annis superesset, ea ætatem suam læta manu veram dissimulans inciperet numerare, tamen & viveret, & luminis beneficio frueretur, & firmis ingrederetur pedibus, æque ac si esset adolescentula. Quare maxime verendum ne Plutoni sinistri aliquid acciderit. Sed Nicarchum ipsum audiamus, quem falso quidam Nicandrum vocant:

Ἠπολιὴ κροτάφοισι κοτυτταρὶς ἡ πολύμυθος
Γραῖα, δὶ ἣν Νέστωρ οὐκ ἔτι πρεσβύτατος,
Ἡφάος ἀθρήσασ' ἐλάφου πλέον, ἡ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη,
Ζώει, καὶ λεύσουσα καὶ ἀρτίπος οἷά τε Νύμφη,
Ὥστε με διστάζειν, μή τι πέπονθ' ἀΐδης.

Quod si quis Epigramma ipsum Latine sibi cani postularit, id hujus est sententiæ:

*Multum garrula anus, caput omne Cotyttaris alba,*
*Propter quam Nestor non sit adhuc senior:*
D *Quæ Cervos annos superarit, quæque sinistra*
*Vitæ iterum cœptet connumerare dies:*
*Vivit adhuc, cernit, pede firma est, virginis instar,*
*Plutonem ut dubitem passum aliquid gravius.*

Et quoniam in Nestoris ætatem incidimus, synepœja postulat, ut quatuor etiam Juvenalis carmina subjungamus:

*Rex Pylius, mago si quicquam credis Homero,*
*Exemplum vitæ fuit à Cornice secundæ.*
*Felix nimirum, qui tot per secula vitam*
*Distulit, atque suos jam dextera computat annos.*

*Sat. 10.*

UNI-

## UNITAS. Cap. II.

*Ex quo explicando hallucinatus creditur Damit. Calderinus*

SEd jam strato itinere, sopitisq; controversiis, ad ea, quæ liquida manifestaque sunt, procedamus, digitosque ipsos erumpere gestientes è carceribus emittamus: primique spatia corripiant auriculares, alter & alter, quorum qui in læva est uno omnium consensu unitatis indicium est, si unguiculum ad medium volæ tuberculum advertat, quasi coronam quamdam flectere meditetur. Itaque si fasces à dextera alicujus statuæ fuerint, læva vero eo gestu prætendatur, primi Consulatus hieroglyphicum apparebit, vel si alia fuerint insignia alicujus honoris indices, primum eo potitum ostendet, atque ita de reliquis.

## CENTUM. Cap. III.

*Virginalis numerus.*

AB hoc lævæ digito ad eumdem dexteræ conversi, eodem gestu quo illo unum, hic centum, ut jam constare potest, significari profitemur. Neque id prætereundum, quod centenarius numerus Virginalis, ut sacrarum literarum interpretes tradunt, appellatur: de quo apud Matthæum habetur c. 13. Quandoquidem iis, qui vitam recte, pie, sancteque instituerunt, tria sunt proposita præmia, vel fructuum proventus: aliis tricenarius, aliis sexagenarius, aliis centenarius. Tricenarius quidem iis, qui maritalem secuti vitam, eam conjugio minime contaminato peregere: nam numerus ille, ut suo loco dicetur, aptus nuptiis. Sexagenarius iis, qui viduitatem aut cœlibatum incorrupte atque integre custodierunt. Et sexagenarium annorum numerum viduitatis esse idemtidem ostendemus. Centenarius demum iis, qui virginitatem intaminatam incolumemq; ad ultimum usq; vitæ terminum servavere. Eucherius centenarium hoc præmium non tantum ad virginum merita, verum etiam ad martyrum mercedes præmiaque proposita contendit. Hierosolymitanus Hesychius, perfectissimum, ait, centesimum ideo concipimus, quia quinquagesimus, quæ spiritus amplecticur: unde Pentecoste Spiritui sacra. Bonorum vero operum fructus, qui messem omnem excellit, in Evangelica lectione ad centesimum usque cumulatur. Adamantius quoque numerum hunc plenum in omnibus atque perfectum autumat: aitque totius rationabilis creaturæ sacramentum intra se continere.

*Maritalis numerus. Viduitatis aut cœlibatus numerus.*

## DUO, Cap. IV.

ADlævam autem, unde digressi sumus, revertentes, si, uti de unitate dicebamus, aut Consul, aut Imperator, aut Dictator, vel quid hujusmodi fuerit, qui dignitatem eandem sibi accessisse indicare voluerit, non insulse statuam ponet, in cujus manu læva anularis digitus eodem insectatur modo, atque eodem loco cum ipso minimo applicetur. Duo enim, vel bis, vel iterum, eo gestu exprimi manifestum.

## CORPUS VEL IMMUNDITIA. Cap. V.

*Dualis numeri mystici sensus.*

IPse vero dualis numerus mystico significato corpoream indicat naturam, & pro immundis accipitur in sacris: quod is numerus sociandis generandisque corporibus aptari solet, de quo videndus Adamantius libro tertio in Epistolam Pauli ad Romanos, ubi de propitiatorio loquitur. Submonet Divus Hieronymus in hanc sententiam adversus Jovinianum, animadvertendum esse juxta Hebraicam veritatem, in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die, expletis operibus singulorum subjectum esse: *Et vidit Deus quod esset bonum*, in secundo vero die hoc omnino subtractum, ut admoneremur non esse bonum duplicem numerum, quod ab unione dividat: nam unitas tota Dei est, dualitas vero significet hieroglyphice fœdera nuptiarum, quibus ubique Hieronymus paulo infensiorem ostentat.

*Sed & motus multitudinis & opinionis symbolum*

## DUCENTA. Cap. VI.

EOdem vero ipso gestu quo in sinistra duo, in dextera digitus, idem ducenta significat.

## III. Cap. VII.

MEdius autem, quem nonnulli Medicum, plures Infamem & impudicum appellant, ita prones duos inferiores incurvatus, ac si citharæ cujuspiam filo una serie gestuque apprimendi ef-

fert.

A sent, ternarium effingunt numerum. Quodque superius de titulis & honoribus attigimus, ubi tergemini cujusquam notandi essent, hoc assumi potest hieroglyphicum.

## ANIMA, DEUSVE. Cap. VIII.

SEd ipse etiam numerus suum habet significatum: quippe qui incorporeæ naturæ consecratus, nunc animæ, nunc Dei simulacrum, hieroglyphicumque est, de quo multa Pythagorici, multa etiam veteres Theologi disputarunt, quæ brevitatis causa sunt prætereunda. Illud tamen non omittam, Propitiatorium in divinis institutionibus longitudine duorum cubitorum & semis fieri demandatum, ut id Christum hominem significaret, quod & apud Paulum epistola ad Romanos habetur: qui quidem licet verus esset homo, quem proposui Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus, aliquid tamen habuit quod humanam excederet naturam, tria tamen non exæquaret: nam pater eo major est. Sed si quis hæc apertius declarari sibi voluerit, ad ejus epistolæ interpretes accedat. Quod vero paulo ante binarium malum esse dicebamus: sacerdos Heli, cap. III. I. Regum dualem numerum pessimi spiritus esse suspicatur, uti Dei ternarium. Nam cum Angelus Domi- B ni Samuelem bis vocasset, tertiam vocationem expectandam duxit, ut vocem divinam esse cognosceret. *Ternarius numerus.*

## CCC. Cap. IX.

EOdem gestu digitoque quo tria in sinistra, CCC. in dextera significantur. Sed & vocabulum ipsum suas habet significationes. Trecenta siquidem pro magno admodum numero ponuntur, ut apud Catullum: *Expecta hendeca syllabos trecentos. Quos complexa simul tenet trecentos*, & multa hujusmodi, etiam apud alios: *Et tercentenas erroribus impleat urbes. Tercentum nivei tondent dumeta juvenci. Tercentum tonat ore deos.* Sane cum superius centenarium plenum atque perfectum numerum esse ostenderimus ex Adamantio, eundem triplicatum, supremum quid significare nulli dubium relinquitur. Sed tercenteni in Arcæ longitudine cubiti, ostendunt hominem qui sit à centenario lapsus, hoc est, qui à tota rationis summa per ignorantiam deciderit, facile posse per Patris, & Filii, sanctique Spiritus cognitionem in trecenta restitui. Hic autem animadvertendum est, posse nos gestuum conformationibus illud conjectari quod ait Plinius libro XXXIIII. cap. VII. Janum à C Numa rege dicatum digitis ita figuratis, ut CCCLXV. dierum nota, per significationem anni, temporis, & ævi se Deum indicaret. *Vir. Æn. lib. 4.*

## CCCLXV. Cap. X.

CUm itaque Plinius dicat, *digitis ita figuratis*, verisimile non est, quod nonnulli putant, in dextera insculptam fuisse literam T, quæ apud Græcos trecenta significat, in læva vero Z & E, quæ sexaginta quinque supputant. Dicamus igitur ejus statuæ dexteram eo gestu figuratam, ut ea exporrecta tres inferiores digitos graduum in morem incurvatos haberet, qui gestus, uti dictum, trecenta signat: lævam autem, ut paulo inferius patebit, ita conformatam, ut index pollicis ungui circumductus arctissima eum circulatione complecteretur, infamis vero mediam palmam versus adcurvaretur, duobus reliquis extantibus quantulum cumque porrigi potuerint: ita enim quinque & sexaginta describit: annum enim ad hujusmodi dierum numerum intelligi debere civiliter Pandect. ultimo Paulus ait. Et intercalarem, quo scilicet bis sexto calendas Martias dicimus, quarto quoque D anno nihilo secius eodem dierum numero supputari, manifestum: quia duo illi dies unius vice habentur, nec interesse ait Celsus, utrum priore an posteriore die quid actum sit. *Pliniani loci explicatio.*

## IIII. Cap. XI.

TRium igitur numerorum gestibus ita positis, insequentium aliorum trium ridicula propemodum sese offert gesticulatio. Nam quatuor exprimere cum volumus, minimus sustollimus reliquis in incurvatione sua permanentibus. Ita *quartum Cos. Imp. Dict.* & reliqua.

## CCCC. Cap. XII.

EAdem ratione modoque in dextera iidem compositi digiti, CCCC. constituunt. Nec super hoc aliud ad negotium.

## V. Cap. XIII.

*Quinarii hieroglyphicum.*

Quinque autem, aut quinquies ostendere qui volunt, annularem & minimum exporrigunt, impudicum palmam versus incurvant, uti in Jani statua dicebamus. Neque quidem hoc tantum signo quinarium significabant Ægyptii, verum etiam per sculptæ Stellæ hieroglyphicum, propterea quod, ut Horus ait, ex innumerabili stellarum multitudine quinq; tantum sunt ea prærogativa præditæ, ut mundi, quod illi ajebant, curam gererent, humanis rebus omnibus consulerent, nihilq; apud mortales fieret, quod ab earum arbitrio non penderet. Ego, si mihi dicere liceat, desumptum puto á radiorum numero, quo Stella piscis insignita est, quod & Naturalis historiæ scriptores tradunt, & ego in Anconitanum littus ejectas magno numero conspexi, & manibus meis attrectavi. Sed enimvero hæc plura loco suo in Cœlestibus enarrabuntur.

## SENSUS. Cap. XIV.

*Quinarii numeri mysticus sensus.*

Sed & ipse quinarius numerus quomodocumque descriptus figuratusve, suam habet hieroglyphicam in sacris significationem: pro quinque enim sensibus accipitur. Unde illud Ambrosii pervulgatum de quinque virginibus prudentibus, & totidem fatuis. In antiquioribus vero Mosaicæ legis præceptis, qui peccasset in sanctis, tantumdem reddere jubebatur, & ad illud quintas adjicere, quod in exemplaribus Græcis Πεμπτον legitur, ut scilicet ita intelligamus: *Si quis de sacrificii oblationibus vel muneribus in usum pauperum erogatis, aut pro templi ædificatione, alterius ve voti operis designatione datis, quinq; intervertisset, oportere eum quinq; sarta tecta reddere, mox peccati veniam imploraturum* Πεμπτον *adjicere, hoc est, & alteram quinque, & aliquid insuper auctarii.* Quam sententiam Cyrillus examinans ita meditatur: *Si quis*, inquiens, *quinq; sensuum opus perverterit, & debito honestoque unumquemque officio defraudaverit, oportere eum synceros illos, & integros Deo restituere, mox alios quinque interiores adjicere, & horum omnium denique summam & solidationem quandam superaddere, firmum scilicet bene agendi propositum, si Deo satis ex asse facere voluerit.* Eodem facere videtur, quod ab uno mense ad quintum usque annum didrachmæ quinq;, hoc est, ut Hierosolymitanus Hesychius interpretatur, quinque sensuum perfectio, sit oblatio: quæ ideo per geminarum numerum exprimitur, ut intelligamus, ea quæ puer sensibiliter videt, audit, gustat, odoratur, & tangit, ea etiam conduplicet, dum ad intellectum ea accommodare fuerit institutus.

## QUINGENTA. Cap. XV.

IDem gestus ex iisdem digitis in manu dextera, quingenta supputat.

## VI. Cap. XVI.

*Capit. 13. & Censorinum c. 12.*

Annularis vero in læva solus incurvatus, auriculari & aliis exporrectis, senarium ostendet, de quo multa apud Macrobium libro 6.

## SEXCENTA. Cap. XVII.

IN dextera vero eodem depositus modo sexcenta colligit, qui numerus apud Latinos pro maxime ingenti copia, numerosissimaq; multitudine, ac propemodum infinita, hieroglyphice proferri solet. Ad Atticum Cicero: *Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi.* Ad eumdem idem: *In quo multa molesta, discessu noster, belli periculum, militum improbitas, sexcenta præterea alia.* Lepideque Plautus, Captivis, *Sexcentoplago* nomen fecit illi, cui plagæ innumeræ nunciabantur. Sed ne sexcenta ejusmodi proferam, ad reliqua enarranda progrediar.

## VII. DCC. Cap. XVIII.

BIs jam trium digitorum spatiis decursis, tertium iterabimus, quod palmam moveat. Facta igitur ad auriculare repetitione, eum dicimus, quantulumcumq; porrigi potest, ad imum usque palmæ tuberculum appressum, septenarii numeri signum esse. Et in dextera, septies centeni. Eo vero gestu componendo medius quoq; adflecti cogitur, ac veluti gnomon horarius supra anularem prominere, ut ea sit ejus digiti figura, quam trapezitæ nunc in septenario notando delineant, in hoc scilicet signum 7.

CEN-

A

## CENTURIO. Cap. XIX.

AC, ne lene quid attigisse videamur, eadem trapezitarum nota in plerisque veterum monumentis adsculpta, centurionis signum habebatur. Ostendit mihi Romæ vetustum admodum monumentum ex marmore Thomas Petrosanctius, vir antiquitatum hujusmodi studiosissimus: in quo & nia signum. signum id incisum erat, & verba rem interpretantia, in hunc modum addita. Nota 7. Centurio.

## SIGNUM CENTURIONIS, 7. Cap. XX.

ET Bononiæ inscriptionem vidimus ad C. Petronii ædem, in qua signum idem eodem significato inciſum spectatur. Romæ etiam apud Paulum Cæsium Cardinalem inscriptionem vidi ejus notæ, quæ sic incipit:

M. POMPEIO. M. F. ANIASPRO 7. LEC. XV.
APOLLINAR. 7. COH. III.

& quæ multa ibidem insculpta sunt militaria, de quibus in Armorum commentario abunde memi-
B nimus.

## DEUS. Cap. XXI.

NOn erat autem otiosum Septenarii nomen, quod hieroglyphicum esse Dei Philolaus asseverat: quippe quod ea sit ejus numeri prærogativa, ut ipse sibi similis, alter ab aliis sit, veluti Deus, dux & princeps universorum solus, semper singularis & immobilis. Inter enim ea, quæ intellectu percipiuntur, septenarius sine motu est, neq; quicquam patitur. Nam alii numeri partim generant non geniti, partim generantur, cum minime generent: alii utrumq; obeunt munus, solus vero septenarius utriusque conditionis immunis. Unitas quippe à nullo prorsus genita, numeros omnes quotquot habentur, generat. Octo vero generantur à bis quatuor, nullum autem generant. Nam numeri hic infra denarium intelliguntur. At quaternarius eorumdem, & parentum & liberorum jus obtinet, octonarium quippe gignit, à bis duobus ipse genitus. Septenarii numeri prærogativa.

## PALLAS. Cap. XXII.

C QUorum cum nihil accidat septenario, quod sine matre sit, quodq; virgo Palladi assimilatur, & quorundam symbolico hoc utentium idiomate mos fuit summi Dei sapientiam vocabulo signoq; Palladis interpretari: quanquam ubi figuras mathematicas aliquot hoc commentandi genere declaravimus, ternarium & quæ septenarius significata habeat in Divinis literis, dicenda sunt hic satis fuerit pauca hæc attigisse.

## OCTO OCTINGENTA. Cap. XXIII.

MEdius itaque auriculari adjectus, ita ut una cum eo extremam volæ partem apprimat, octonarii numeri hieroglyphicum erit in læva: in dextera octies centena recensita indicabit.

## IX. CM. Cap. XXIV.

MEdius demum ad extremam palmæ volam, una cum duobus inferioribus applicatus, ita ut totam obtegant, novem in sinistra constituit, in dextera novies centena.

D

## MULTITUDO, Cap. XXV.

EST etiam novenarius ipse numerus hieroglyphicus: quippe qui se non intra cutem contineat, sed effusus plurimos significet, quod Theon observat in Arati carmine, ἐννεάγηρα κορώνη, *non quod novem*, inquit, *ætates vivat, sed quod perquam diu*, ut Tibullus. Novenarius numerus.

*Vivere Cornices multos dicuntur in annos.*

Apud Nicandrum ἐννεάκνεμος leges, pro, *aliquot præditum aculeis*. Idem ἐννεαδέσμους σφονδύλους in Scorpii cauda ponit, cum septem tantum in ea compages enumerentur. Pro multis igitur novem posita interpretes agnoscunt, de quo satis in Scorpii commentario. Quin & Alcæus Hydram ἐννεακέφαλον eadem ratione dixit, cum Simonides eam πεντηκοντακέφαλον tradat. Quem imitatus Maro, ita super ea: Æn. lib. 6.

*Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra.*

Ad hoc etiam facit quod Hesiodus novem inquit noctes Jovem cum Mnemosyne jacuisse, unde Musarum prolem susceperit. Oportere enim, ajunt interpretes, eum diu studiis incumbere, qui sit mox aliquod ingenii atque doctrinæ memorabile testimonium relicturus.

*—— Nam decem Bos luca per annos*
*Parturit, ingentem prolem paritura, niteusque*
*Dentis ebur, decora ampla virum, decora ampla Deorum.*

## DENA. Cap. XXVII.

POstquam igitur digiti tres inferiores triplici decursu ludi sui partes peregere, athletas nunc spectabimus: pollices quippe, indici unumquemque suo commissos: varia quorum colluctatio à læva theatri parte per decadum campum, altera vero ad dexteram lucta per numerosissimam chiliadis arenas exercebitur. Erit igitur conflictus primus læva index in primam pollicis sui suffraginem unguem affigens, quem attractus pollex ita urgeat, ut colluctatorem strangulatione quadam elidere videatur. Hieroglyphicum hoc denarium, alterum vero ad dexteram millenarium recensebit. De denario locus patescit apud Apulejum Apologia: *Si triginta annos pro decē dixisses, posses videri procomputationis gestu ermisse, quos circulate debueras digitos aperuisse.* Quo vero pacto digiti tricenario aperiatur, loco suo dicemus. Apud Horum Niliacū invenias lineam unam surrectam cum alia superne dejecta, vel incumbente, decem linearum quæ in plano ducendæ essent, hieroglyphicum esse. Puto ego hunc exprimere voluisse denarium numerum: cujus scilicet denæ unitates per lineas totidem significari, tanquam per puncta, solitæ essent, quæ apud Ægyptios ejusmodi tantum figura comprehenderentur: compendiosam enim rationem aliquam in numerorum notis nationes omnes quæque suam excogitarunt. Omnino enim codices quos inspexi, omnes eo loco mendosi sunt, præsertim impressi, qui sic habent, γραμμὴ ὀρθὴ μία ἅμα γραμμῇ διηκεκαμμένῃ δέκα γραμμὰς διπλόας σημαίνει. Sed & in manuscriptis aliquid desideratur, quorum minus corrupti ita habent, γραμμὴ δεξιὰ ἅμα γραμμῇ διηκεκλημένῃ ἢ (hic vacuum relictum) ἢ δέκα γραμμὰς διπλόας σημαίνει, quorum hæc est sententia: *Linea una recta, una cum altera superne sibi adscita linea vel* (hic vacuum) *vel decem lineas planas significant.* Puto autem lineas illas ita ducendas ī. Nam aliquid simile apud nos est cum linea plana superne ducta, cui puncta numeralia subjiciantur, quæ singula unitates ostendant, duplicatum numeri tantundem significat, quot sunt signa, quæ planæ illi lineæ subdita conspiciuntur, ut IIVIR. aut IIIIIIIVIR pro Sex.vir, & Decemvir. In Ægyptiaco vero signo, superior illa linea producta ostendere videtur, licet una tantū signata sit, x. tamen sibi unitates adscisce re. Quod vero de duplicandis punctis dicebamus, multis potest veterum inscriptionibus confirmari, sed unam tantum exempli loco ponam, quā Venetiis apud clarissimū virum Danielem Ranerium Senatorē, antiquo lapide ita notatam inspexi, IIIIIIIVIR. quod tantundē est, ac si DECEMVIR scriptum esset. Intelligendum enim est puncta illa quatuor, linea illa superne ducta, duplicari. Quod vero ad Horum attinet, id ideo apposui, ut castigatiorem codicem quærendū admonerem. Nec me latet Probum de notis antiquorum, ejus lineæ superne ductæ signū ad millenarium usq; provehere: sed in eo libro multa sunt multorum arbitrio, atq; etiam errore, inculcata, neq; rei cujuspiam sana intelligentia magis nostro tempore desideratur, quam inscriptionum ejusmodi vera cognitio. Ad id vero quod supra Lævæ pollicem indici, quippe decadas chiliadibus, respondere asserebamus, Romani quoq; ad Ægyptiorum, Chaldæorum, Persarumque imitationem, cum decem significarent, per x. duplicem literam suam, quod decussatio, qua insignis est, locutionem denarii saperet, mille facturi, litera eadem in suo jure conservata, capite tantum à dextera lævaque oppositis semicirculis, cujusmodi alii apostrophos, alii, ut Victorinus, Sicilicos appellaverunt (est enim sicilicus ponderis certi mensura, quæ signo hoc ↄ figuratur) conjunxere: ac ita ex X. litera, ut dictum est, sua, ∞ millenarium hieroglyphicum formavere, uti quo gestu lævæ digiti decem ostendunt, eodem dexteræ mille proferunt. Quamvis Priscianus, qui nihil non arrogat Græcitati, id secundum Atticos, quibus χίλια mille sunt, factum velit: atque ideo veluti illi ad hunc numerum prima tantum nominis litera usi sunt, quippe x. ita nos M. pro mille posuerimus.

*X. nota apud Romanos acceptio.*

A fuerimus. Sed hoc non vincit, quin notam eam, quam supra posuimus, à sua potius litera, quam à græcanica Romani desumpserint. Non est autem hic prætereundus Ciceronis locus, epistola ad Tironem, quæ incipit: *Quid igitur; non sic oportet?* ubi in vulgatis codicibus scriptum, *Helluo nequissimus sestertia CC. dabat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla macerta, nulla cassa.* In veneranda antiquitatis codice bibliothecæ Mediceæ, ita Florentiæ scriptum observavi: *Helico nequissimus* H-S. ∞ *dabat:* id *sestertia mille dabat*, indicat. Idem hieroglyphicum in multis antiquorum memoriis animadverti, notumque est Ravennæ marmor vetus ita inscriptum: OB MEMORIAM PATRIS SUI DEC. VII. COLLEGII FABR. M̄R, H-S. ∞ N. LIBERALITATE DONAVIT. & quæ sequuntur: hoc est, *Decurionibus septimi collegii fabrûm municipii Ravennatis sestertia mille numûm.* Hæc vero etiam apud antiquarum inscriptionum impressores ineptissimè corruptissimeq; edita sunt. Idem in antiquis inscriptionibus indicant ♈ & ♎ de quibus loco suo, ubi quinquagenarii numeri hieroglyphicum prosequemur. Sunt qui milenarium, per miliariæ spicæ hieroglyphi-

B cum indicent, neque quidem authores absunt, qui genus id segetis nomen à maximo granorum numero, *mille* scilicet, accepisse tradant, ut in spica dictum.

*Quintum pottius milium à mille dictum propter multitudinem acinorum.*

## XI. XII. & reliqua. Cap. XXVIII.

His igitur eo gestu constitutis, ubi accidisset ut denariis reliqui etiam numeri infra x, adjungendi essent, trium illi, ut ostensum est, inferiorum digitorum flexionibus porrectionibusve significabantur: Undenarius quippe, indice ac pollice pro decem circulatis, auricular mox eo loco, ubi unum significat, adflexo: Duodenarius, firma denarii circulatione permanente, annulari ad auricularem adjecto. Ita reliqui numeri usque ad unum de viginti prout per inferiores digitos ostendi, satis explicatum.

*Undenarii duodenariiue hieroglyphicum.*

## XVI. Cap. XXIX.

C Quoniam vero sextodecimus numerus inter hos collocatus, ejusque significatio magni apud Ægyptios momenti fuit, & jam constat numerum eum per medium molliter inflexum, & indicem & pollicem circulatos significari: nunc quid ipse sibi velit numerus, videamus.

## VOLUPTAS. Cap. XXX.

Sane quidem Ægyptii Sacerdotes per ejusmodi numerum eo, ut verisimile est, gestu signatum, voluptatem præcipuè Veneream indicabant. Ab eo siquidem annorum numero adolescentuli ad muliebres consuetudines, & oblectamenta nequitiæ incœptant animum applicare, licet ad ter septimum usque annum semen infœcundum esse dicit Aristoteles. Quod si prolificum sit, vel exigua, vel imperfecta generari autumat. A bis septimo autem anno pruritu Veneris incitari vult, à quo etiam tempore pubescere primum incipit, stirpesque imitari, ut Alcmæon Cratoniata ait, quæ semen laturæ florescunt prius. Atque hic ille est ætatis flos, de quo sæpius apud authores, ut apud Terentium: *Annis sedecim, ætatis flos ipse.* Et Ovid. Philosophiæ istiusmodi non ignarus, cum Narcissum ostendere vellet ejus jam ætatis, ut amoribus dare operam posset, ait:

*In Eunucho Ouid. Metam.*

D *Jamque ter ad quinos unum Cephisius annum*
*Addiderat.*

*Ad verbum ex Censorino cap. 4.*

Indicium autem incœpti coitus est vox crassior & inæquabilis, quæ secunda fere omnibus hebdomade, vel saltem incipiente tertia, evenit, & subalaris odor. Aristoteles id τραχήλειν appellat. Antiqui nostri, ut Censorinus ait, Hirquitallire dixerunt, & quibus corpus olere incipiat, Hirquitallos. Nam annorum quatuordecim vel παῖδα, vel φῆβον appellabant, ad sexdecim vero ἔφηβον, ut Terrentianum illud obiter interpretemur, *Postquam is excessit ex ephebis.* quamquam ἐξέφηβος quoque unica locutione Græcis dicitur de grandiore jam adolescentia. Adstipulantur huic Ægyptiorum commento Astronomorum traditiones super ætatum affectibus: illi enim Lunam ad quintum usque annum infantem propemodum ductare dicunt; decennium inde Mercurio adscribunt unde illud ejus ætatis

*Hircorum more coitûs appetere. Censorinus ibidem Puerum, vel pubem, & puberem.*

tis studium rerum plurimarum, & mutabilitas, & inconstantia, ut modo hoc, modo illud appetant, hinc gestiunt paribus colludere, temereq; iras colligunt atque ponunt, & ut Horatius ait, *mutantur in horas*. Mox hominem sextodecimo ætatis anno in veneris ditionem devenire asserunt. Ad hunc usque annorum numerum & Servius Tul. & Terentius Varro pueritiam protraxere. Nam Rex in Institutionibus suis pueros ad sextumdecimum usque ætatis annum appellavit, ad quintumdecimum Varro Juniores ille à sextodecimo, ad sextum & quadragesimum usque dicit, adolescentes hic ad trigesimum usque. Quod reliquum est ætatis apud illum seniores habentur. Apud Varronem à tricesimo ad quintum & quadragesimum, juniores, inde seniores, ac demum senes appellantur. Diversa hæc aliquantulum ætatis descriptio apud Pythagoram, qui vitam hominis quatuor ætatibus dispescit, viginti unicuique annos impertiens: pueritiæ quippe: adolescentiæ, juventuti quam Latini virilitatem potius appellarunt, ac senectæ demum: quas totidem anni temporibus æquiparavit, ut suo loco singula tractavimus.

*De arte poëtica.*

## EXCESSUS. Cap. XXXI.

*Sedecim pedibus superare benedicendo oratores.*

PRæterea sciendum est, hunc quoque numerum ex eorum esse classe, qui multitudinem, excessumve significant. Cum enim dicimus sedecim pedibus superare, intelligimus maximo excedere intervallo. Usurpatum ab Aristide, qui Periclem dixit ἑκκαίδεκα πόδων αἱρῆναι τοὺς ῥήτορας οἱ τοῖς λόγοις. Ab Eupoli, ut Bruto ostendit Tullius.

## XX. Cap. XXXII.

*Signum numeris XX. & XXIII.*

CUm vero xx. significare vellent, pollicarem unguem infimæ indicis suffragini (ut hoc pro re utar vocabulo) adprimebant: ubi scilicet index ab infami incipit separari. Beda vero, cujus codicem in damno esse suspicor: non enim adduci possum virum tam eruditum ita scripsisse, ut infamem hieroglyphico ejusmodi admisceret, quippe qui apud eum scriptum legerim, impudici summitatem inter nodos indicis & pollicis arcte figendam esse, quod si quis facere meditetur, id subsequetur incommodum, ut neque quo pacto possis tria & viginti commonstrare, neque unum de triginta repræsentare, & alia multa ejusmodi: cum in xxiii. ostendendis tres illi inferiores digiti arctius contracti, lineæ, quæ palmæ ejusdem flexu media fit, ita applicandi sint, ut trium graduum speciem præ se ferant. In novem vero & viginti notandis, iidem digiti quantum exporrigi possunt, ad palmæ usque radicem apprimantur. Quare necesse est decadas omnes, indicis & pollicis tantum gesticulationibus explicari, nullo eorum in societatem admisso digito, qui partem eam quæ Numerus vocatur, indicent. Ac ne quis authoritate cujuspiam decipiatur, Erasmus ille multiscius, qui scholiis in Hieronymum ad Jovinianum, ubi de virginitatis agitur hieroglyphico per coronam expresso, inepta quædam somniaverat, quæ nemo umquam eruditorum cogitasset: cum errorem mox recognovisset, dum cognitiora, ut ipse dicit, traditurum se profitetur, loco hoc impegit in Bedam, imo in vitiatum Bedæ codicem. Eamdem jacturam fecit in quinquagenarii nota, cum apud Bedam scriptum sit corruptissimè de ϱ Græcæ literæ similitudine, quod loco suo, suæ dabitur luci.

*Erasmus sua emendat.*

## VOT. XX. Cap. XXXIII.

CUræ pretium mihi videtur, anteaquam vicena hæc amittam, quid sibi velint notæ vot. xx. in numis & aris, vel, ut vulgus ait, triumphalibus arcubus, explicemus. Dicimus itaque fieri solitum id in salutis augurium, cum scilicet S. P. Q. R. vovebat hæc vel illa sacrificia se laturos, ludosve celebraturos, aut ædes dedicaturos, si præscriptio annorum spatio Respub. in eodem statu permansisset, quo tunc florebat cum vota suscipiebant. Hinc apud Cornelium Tacitum legas, salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari placuisse Claudio Imperatori. Fuisse vero salutis augurium in hunc modum, ait Dion, ut si Deus permittat, salutem populo poscerent: quasi ne salutem quidem à diis petere fas sit, nisi prius hoc ipsum dii concesserint. Observabatur autem quotannis dies una, in qua nullus ad bellum exercitus proficisceretur, nemo contra hostem se pararet, nemo pugnaret, quod in bellis civilibus haudquaquam observari poterat;

A poterat: hoc salutis augurium, cum aliis cæremoniis jam abolitis, restituit & Augustus Cæsar. Apud Livium sæpe reperias vota ejusmodi facta. In ara sive arcu Constantini Romæ VOT. XX. scriptum, aspicias. In numo Maximiani Pœni VOT. XX. in media laurea positum. Ita plerisque aliis locis & numis, VOT. X. alibi, VOT. XXX. votis quippe decennalibus, votis vicenalibus, tricenalibus: reatum scilicet voti solutum: quod ita postea posteritati commendabant, factis aut ex ære aut marmore monumentis. *Maximiani Pœni numus.*

## MULTITUDO. Cap. XXXIV.

Illud autem scitu non indignum, quod vicenalis numerus multitudinis significatum habet, de quo Theocritum legas:

*οὔθ' ἕκτωρ ἑκάβας ὀγεράτερος εἴκατι παίδων.*

*Viginti natorum Hecubæ neq; maximus Hector.*

Ubi Poëtam numero abusum ajunt interpretes, pro multorum: propterea quod sit numerus multitudini maximè congruus, quod etiam apud Simonidem observarunt. Homerus in ejusmodi significatum Undeviginti posuit, quod Latini uno minus viginti dicere consverunt.

## DUO MILLIA. Cap. XXXV.

Vicena superius eo gestu figurari ostendimus, cum pollicis lævi unguem in eum indicis & infamis infimum locum, ubi digiti illi duo divaricari incipiunt, affixerimus. Idem gestus iisdem digitis in dextera, duorum millium est hieroglyphicum. Neque ultra repetemus, quæ super hoc gestu perperam à quibusdam aliis excogitata sunt. Sed ad calcem festinantes, triginta jam & ter millia proferemus.

## XXX. Cap. XXXVI.

Triginta, uti ex Apulejo dicebamus, in denario indicabantur, indice & pollice adapertis: ita tamen, ut utriusq; ungues ad osculum quodammodo coirent blando, inquit, amplexu Beda. Hieronymus eorum digitorum conjunctione molli.

## NUPTIÆ. Cap. XXXVII.

Est vero numerus tricenarius nuptiarum hieroglyphicum, ut sacri Evangeliorum interpretes super Matthæo, affirmant, quod non multum abest ab eo numero per quem Ægyptii maritalem copulam, sive, ut apud Horum est, maris & fœminæ congressum significabant: geminæ quippe voluptatis interventu. Nam cum numerus, ut paulo ante dictum est, XVI. voluptatis signum haberetur, illi mox duo atque triginta nuptiarum hieroglyphicum esse constituerunt. Nuptiæ vero conjugalisque conjunctio eodem hic significato accipiuntur. Qui quidem congressus utrique voluptuosus, cum, ut Ovidius diceret, *utrimque resolvat*, geminari idemtidem poscit ipsum voluptatis signum. Atque hoc illud est in Divinis literis, quod trigesimus annorum numerus pro maritali copula ponitur. Unde fructus ille trigesimus, qui offertur Deo, cum conjugalis vita castè puriterque, & nulla alterutrius partis injuria cum fide peragitur. Commode vero fecerimus, si rem hujusmodi sculpturi, eam non ex duplicatis XVI. vel ex integro XXXII. fecerimus, ac manum ipsam ea specie composuerimus, ut XXXII. repræsentet, unguibus, uti dictum est, lævæ manus duobus illis ad osculum coëuntibus, anularique & auriculari in flexum palmæ appressis, ut duo significent addita tricenis. *Tricenarii numeri in sacris acceptio.*

## TERNA MILLIA. Cap. XXXVIII.

Idem gestus in dextera, qui XXX. in læva commonstrarat, tria millia significat. Quæ fuerint vero apud Romanos millenariorum notæ, quæ paucissimis ætate nostra patuerunt, quæ earum ratio, in quinquageno & quingenteno numero copiosius explicabimus.

## XL. Cap. XXXIX.

Quod si pollicis ejusdem suffragio lateri vel dorso in læva ejusdem indicis superinducta sit, ita ut signo ✝ facto digiti ambo quantum fieri potest extendantur, indice tamquam horologii cujuspiam *Nota signũque quadragenarii numeri.*

cujuspiam gnomone prominente, quadraginta significabantur Atq; hoc illud est quod apud Apulejum habetur: *Cum vero XL. quæ facilius cæteris porrecta palma significantur, ea XL. tu dimidio auges, non potes digitorum è gestu errasse, nisi forte triginta annorum Pudentillam natus, binos cujusq; anni Consules numeristi.* Hæc ille disputat oratione secunda pro seipso, ubi Pudentillam quadragesimum annum non excedere contendit, quam Æmilianus jam sexagenariam deposuerat, ideoque nefas esset eam ad nuptias solicitare, quando, ut sacri etiam interpretes ajunt, sexagenarius numerus viduitati sacer est, ut paulo infra loco suo plenius. Facit & ad virum hic annorum numerus. Nam Philon problemate proposito. *Quare Isaac quadragenarius Rebeccam duxit?* tempus id congruum maritali copulæ ait sapienti viro, idque fieri boni ominis causa: quia semen in vulva reconditum quadragenis diebus in masculum figuratur. Esaus quoq; quadragenarius Judithen uxorem accepit.

## IGNOMINIA. Cap. XL.

*Mystica quadragenarii numeri significationes.*

APud Hebræos in flagris quadragenarium numerum vel uno excedere infame habitum, & pro ignominiæ nota accipiebatur. Unde illa in actis v. *illi autem ibant gaudentes à conspectu Concilii, quod digni habiti essent, qui pro nomine Jesu contumeliam paterentur.* Verbum autem Græcum illud ἀτιμασθῆναι, habet inse aliquid, quod infamia notatum indicet, sed & intestabilis sit, & ad honores non amplius idoneus haberi possit. Apud Hebræos enim lege cautum erat, ut si quis vel unam plagam supra quadragenas accepisset, ad honores & dignitates consequendas non amplius idoneus haberetur, Hinc locus ille cap. xi. secundæ ad Corinthios epistolæ patescit: *A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi.* Cur, *una minus*, quærit Theophylactus? atque ea citata lege jussisse ait Judæos tot numero plagas, una minus, infligi, ne illis cederet ad ignominiam, si forte pecusor ultra constitutum numerum provectus esset: quod si errore, vel casu aliquo accidisset, eam esse voluerant quadragenam: cupiebant enim eum per ejusmodi castigationes ad se trahere: quod si facere potuissent, par erat, ut hominis doctrina, ingenium, & fandi vis, honores sibi deposcerent, quos nequaquam deferre recusassent. Cavebant vero ne ad repulsam locus esse posset ignominiæ. Sunt qui simpliciter rem accipiant: quia Judæi literæ tantum addicti, habebant in lege, non excedendum in flagris numerum quadragenæ. Sed nos illud, *una minus*, pensitamus. Neque nescimus Moysem illum plagarum numerum ideo non excedendum instituisse, ne forte qui castigandus tantum esset, animia flagrorum repetitione exanimaretur. Cujus verba sunt Deuter. xxv. *Sin autem eum qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent eum, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedat, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.*

## REDEMPTIO. Cap. XLI.

ESt & ea quadragenarii numeri consideratio in Divinis literis, quod à v. anno usque ad vigesimum, qui se Deo voverit, redimere sese potest fructu quadragenario, siclis quippe xx. sive, ut Septuaginta reddidere, didrachmis. Siclus enim, ut sæpe dictum, duabus æstimatur drachmis. Illæ igitur drachmæ sunt. xl. Hujusce rei hieroglyphicum significatum est, ut præter sensuum castigationem, possit ea ætas jejuniis interim & orationibus vocare, donec eo perveniat, ut opulentioris doctrinæ fiat idonea. Ad operis cujus quandam similitudinem Moyses per xl. dies jejunus orationi operam dedit.

## QUATERNA MILLIA. Cap. XLII.

AC ne idem sæpius repetendo morosus fiam, qui gestus, quæve digitorum collocatio in læva fuit, cum iv. notaremus, eadem figura statusq; idem in dextera quatuor millia computabit. Quia vero polliciti sumus loco hoc rationem reddere, cur Romani millia hæc per rectam lineolam, & siclicos (ea est certi ponderis nota ad apostrophi, quo nunc plurimum utimur, similitudinem) hinc inde adalligatos figurarint, ostendendum est. Manifestum est millenarii numeri notam, quæ tam antiquis in mar-

A in marmoribus inſpicitur, hac fuiſſe figura,  duo millia vero ſicilicis ad rectam lineolam duplicatis  : tria millia, triplicatis  : quaterna millia, quadruplicatis  . Præteribo millenarium, quod id ſignum & à Priſciano & aliis agnitum pleriſq; locis in conſpicuo eſt. Duo millia, Mediolani videas in hortis qui olim Zichi Simonetæ fuerunt, porta Comenſi, ea inſcriptione, cujus initium eſt, C. VALERIUS C. F. O. V. F. & quæ ſequuntur. Cai fil. ob votum fecit. Denique HS.  ARBITRATU VALERIÆ C. F. SORORIS. & Ravennæ apud Petrinum Sueſſanum, MONUMENTUM HS  EX TESTAMENTO. Sed impreſſores nonnulli ſignum vitiarunt, utpote qui HS. C. C. T. O. O. imperitiſſime fecerunt. Terna vero millia hac ratione ſignata conſpiciuntur in antiquiſſimo codice Mediceæ bibliothecæ Florentiæ, nunc ad D. Laurentii dicatæ per Clementem VII. P. M. epiſtola ad Caninium Saluſtium, quæ lib. II. incipit: *Literas à te mihi Stator*, eo loco. *Milleuarii numeri & aliorum notæ.*

B *Quod ſcribis ad me de drachmis* CCCLIII. *notatum eſt* de drachmis,  quod computat tribus millibus. Ac ne in quatuor millibus ſimiliter ſignandis immorer, ſcilicet  hæc ut ſemel dicam, demum erit regula, ut quotieſcumque ſive apud Plinium, ſive Livium, & alios, præcipuè vero in Verrinis, I. unum inveneris duobus CC. præpoſitis, totidem vero II. ſubjectis, CCLII. interdum etiam hoc modo per X. denariam notam, CCLXX. *tu*,  *facito, nulla dubitatione impeditus.* Ubi CCCLIII. *vel* CCCLXXX. *tu*,  . Ubi CCCCLIV. *vel* CCCCLXXXX. *tu*,  . & millena tot ſimiliter credas.

## QUINQUAGINTA. CAP. XLIII.

Quinquaginta vero hieroglyphice per digitos indicandis, lævæ pollicem, palma tota paſſa, deorſum inflectes, & Γ tertiæ apud Græcos literæ ſimilitudinem effinges: non autem ut Eraſmus ex depravato Bedæ codice ſcripſit, cum quinquaginta pellicem exteriore arcu inſtar Græcæ literæ ϱ incurvatum ad palmam inclinabis. Sed jam ad hujus numeri hieroglyphica veniamus.

C

## REMISSIO VEL INDULGENTIA. CAP. XLIV.

ERat autem hic numerus remiſſioni & indulgentiæ conſecratus. In veteri enim lege quinquageſimo anno cujusque obligationis remiſſio condonabatur: quippe ſi quis poſſeſſionem diſtraxiſſet, recipiebat, ſi liber in ſervitutē incidiſſet libertatem aſſequebatur, indulgentiam debitor accipiebat, exul in patriam redibat. *Quinquageſimus annus.*

## EFFOETUS. CAP. XLV.

PEr eos qui alterum à quinquageſimo vitæ annum exceſſiſſent, cur nonnulli effœto jam corpore, mentis quoque & ingenii debilitatem ſignificari dixerint, non ſat ſcio: niſi Ariſtotelis dicto freti ſint, qui in Politicis ait, poſt annos LII. ingenii vigorem evaneſcere. Unde etiam Euripides Bac-

D chis dixerit: τὸ γῆρας ὑμῶν, εἰ σαφῶ, νῦν οὐκ ἔχει.
*Cerno, ſenecta veſtra mentem non habet.*

Atque alius non minus dicax, ait:

Πολιὰ γένυς μήνυσις, ἀ φρενήσεως.
*Cani judicant ætatem, haud prudentiam,*

Sedenim ad hæc ampliſſimus erit alibi reſpondenti locus.

## PLURIMI. CAP. XLVI.

ET hic quoque numerus, multitudinem ſignificat, quo libenter utitur Maro:

— *Quinquaginta intus famulæ.*
*Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.*

*Quinqua inta capita abentium. Jobem ca- ita habentem.*

Quam tamen & Simonides πεντηκοντακέφαλον appellavit, cum Alcæus ἑνηκοντακέφαλον dixerit, uti superius meminimus. Utcumq; autem quinquagenarius numerus describatur, spiritalis vitæ hierogly- phicum est, & animi ejus qui divinis intentus, sublimia quæque mente concipiat & contempletur, perinde ac duplicatis in centenariũ negotiosum significat. Quinquagesimo enim post resurrectionem die sancti Spiritus afflatus advenit. Et operum nostrorum fructus uberrimi atq; pinguissimi, ad centenarium usque numerum cumulantur, eorum, inquam, qui vitæ integri, scelerumque puri peregrinationis nostræ cursum pie sanctecq; peregerunt. Hic vero numerus centenarius non sine mysterio per quinquaginta potius didrachmas, quam per drachmas centum exprimitur in significato hujusmodi: sed quinquaginta bis, ideo complectitur, quia nullum bonum integrum & perfectum opus esse potest, absque ipsius sancti Spiritus ope auxilioque. Ad similitudinem autem quamdam gestus ejusmodi, qui quinquaginta præ se fert, factum putarim, ut Latini ejus numeri notam L. esse voluerint: quanquam non desint ingenia, quæ re super ea sic philosophentur, aut ratiocinentur potius. Numeri à punctis prius originem traxerunt: sed quia erant adeo exilia, puncta ipsa aliquantulum producere cœperunt ad instar vocalis mediæ, ·. ⁝ .: ⁘ ⁙. I. II. III. IIII. Sed si ita processissent, ut usque novem lineolis totidem unumquemque numerum notarent, molestam & inconcinnam rationem fore suspicati sunt: ad compendia igitur animum verterunt, & pro quinario, ne quinque lineas facerent, una signata, reliquas quatuor, per obliquam unam à tergo ductum, V, fecerunt. Mox usui placuit, ut expeditior esset scribendi ratio, pro nata ea V. vocalem quintam statuere, moxque usq; novem unitates eas addere, prout numerus quisque postulabat. Ad denarium cum venissent quinque duplicarunt: ita tamen ut secundum inverterent, & subjicerent priori, unamque facerent notam per decussationem. Tribus his notis processum est usque ad quadraginta & novem. Visum est inde facere ad commoditatem, quam ex compendio aucupabantur, quinquaginta notandis, signum illud ex una obliqua linea pro quatuor rectis, & quinta adalligata surrigere, ut staret quæ pendebat in latus, quæ stabat in planum dejiceretur. Ita ex L. nota sunt quinquaginta. Ventum mox ad centena, quæ per primam ejus nominis literam intelligi voluere. Ad quinquaginta cum venissent, rectam lineolam quæ jacebat in quinquaginta, in semicirculum adcurvatam surrexere in hunc modum ⊥ quam notam imperiti superiori capiti conjunxere, quartam Alphabeti literam arbitrati. Atque hoc illud Sicilium est, de quo facta mentio in millenariis, quod à tergo quingentorum ⊢ ita applicitum, ⊥, mille facit: & ita reliqua, uti supra dictum.

*Æn. lib. 1. & lib. 6.*

*Numerorũ origo & no tæ variæ.*

## QUINA MILLIA. Cap. XLVII.

Quina vero millia, quo gestu L. in læva, eodem in dextera composito figurantur.

## SEXAGINTA. Cap. XLVIII.

Si vero pollicem eo gestu inclinatum, quo quinquaginta per se significat, toto indice circumducto diligenter à fronte præcingamus, sexaginta constituemus. Hinc errore fieri non potuisse dicit Apulejus, ut Æmilianus, contra cujus accusationem causam suam agit, sexaginta pro quadraginta protulerit: quia longe diversus est utriusque numeri gestus.

## VIDUITAS. Cap. XLIX.

*Ætas viduitatis quæ.*

Per numerum sane sexagenarium, uti dicebamus, viduitatem veteres significabant: quod mulier id ætatis nata haudquaquam amplius idonea est ad conceptum, propterea quod ab eo annorum numero claudi vulvam Philosophi naturæ contemplatores tradunt, ideoque ulterius illi nubere non licebat: cui legi plurimum nititur Æmilianus contra L. Apulejum. Si qua vero, quod aliquando accidisse ferunt, natu tam grandi concepissent, ostenti loco habitum. Quare Elisabethæ conceptus grandæva ea ætate pro miraculo adducitur à divino nuncio, ut virgini Deiparæ fidem faceret, posse Deum, quæcumque naturæ vim excedunt efficere. Sara etiam cum à summo Numine sibi jam nonagenariæ promitti conceptum audisset, risit, utpote quæ id naturæ lege fieri minime

A nimè posse cognoscebat. Paulus quoque, qui sexagenarium numerum viduitati dicatum agnoscebat, illi, inquam viduitati, quæ casta, syncera & intaminata in solitudine perseverat, ubi probatam mulierem eligi mandat, quæ junioribus præsit, *Vidua*, inquit, *eligatur non minor LX. annorum:* ad eum usque numerum scilicet, perfectionem in muliere designans, & qui est viro infirmior, non nisi sexagesimum fructum colligit in Divinis literis. Ideo, si se redemptura sit mulier, Levitico, didrachmas xxx. offert, id est, fructum sexagenarium. Eruditeque ad modum D. Hieronymus causam, ut sexagenarius numerus ad viduas referatur, explicare volens, ad numeri ipsius hieroglyphicum se confert: in quo scilicet pollex à superiore digito deprimatur, arcteque cinctus ab eo in quantis affligatur angustiis ipsa viduitas, ostentet, quæ ita sit undecumque cohibita. Mox illud addit ad consolationem: *Quanto scilicet major est difficultas experta quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus propositum esse præmium.* *Levit. c. 27.*

## LXX. ET SEPTENA MILLIA. Cap. L.

B UT vero & reliquas tres decadas attingamus, septuaginta exprimebantur, ut Beda tradit, indice ut supra circumducto, pollice vero ita exporrecto, ut in medium indicis artum affigatur. Neque aliud super hoc numero mysticum adinveni. Idem gestus in dextera, sed non ex Bedæ sententia septena millia computabat.

## OCTOGINTA, ET OCTONA MILLIA. Cap. LI.

INdex idemtidem circumflexus, pollexque protentus, ita tamen ut ejus unguis extra medium indicis articulum prominens appareat, octogenarii numeri est hieroglyphicum in læva, in dextera octona millia signat.

## ADORATIO. Cap. LII.

QUi quidem gestus ad os admotus adorationis hieroglyphicum est: de quo Apulejus IIII. Metamorph. Et admoventes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.

C

## NONAGINTA, ET NOVEM MILLIA. Cap. LIII.

PEr inflexum autem lævæ indicem, ita ut ejus unguis ad radicem pollicis applicetur, pollex liber extet, qui superiore numero, toto extremo articulo oppressus ab indice, nonagenarius exprimitur. In dextera gestus idem millia novem. Ita cum ad novem & nonaginta perventum est, manus omnis ita clauditur, ut pugnum faciat pollice superextante, & ad mediam infamis dorsum exporrecto. Qui si pugno ita includatur, ut cum ungve suo totus occultetur articulus, sexaginta novem attenuet.

## TACITURNITAS. Cap. LIV.

SUperesset de myriadibus dicere, quæ per manum variis gestibus modo ad pectus, modo ad femur applicatam indicantur, de quo apud Plautum:

*Pectus digitis pulsat, cor credo evocaturus foras.*
D *Ecce autem avortit nixus læva, in fœmore habet manum,*
*Dextera digitis rationem computat, feriens femur.*

Sed quoniam intentio nostra fuit hieroglyphica conquirerem, non artem omnem numerandi tradere, & argumentum id non indiligenter à Beda explicatum, & jam in omnium manibus versatur: finem huic dictioni facturus, quo numero taciturnitatem Ægyptii soliti sint indicare, non est animus præterire. Eratis utique MXCV. mille scilicet & nonaginta quinque: qui partim dextera, partim læva designabatur. Mille, uti superius ostensum est, dexteræ manus indice, ad primam sui pollicis suffraginem appresso, summoque ejusdem articulo super indicis ungue inclinato. Quinque vero & nonaginta, in læva tribus inferioribus digitis, inflexo infami, anulari & auriculari porrectis, indicis autem ungue ad infimam pollicis suffraginem affixo. Causam vero cur eo numero taciturni- *Numeri MXCV. hierogly. phicum.*

tatem Ægyptii significarent, eam afferunt: quod compertum est eo dierum numero, qui annos tres complectitur, nisi cœperit puer effari, linguam ejus præpeditam esse, neque ullam superesse spem ut amplius loquatur. Sunt qui Pythagoram triennale silentium dicant hinc instituisse, ut naturæ species exprimeretur in discipulis: quos, ut tunc primum natos, alendos educandosque animi cibo susciperet. Sed nos in taciturnitatis mentionem illapsi, ejus demum memores, ne hominem gravioribus occupatum studiis & disciplinis, in leves adeo nugas avocare videamur, dicti illius sapientissimi, MANUM DE TABULA, non frustra vulgati, memores, nihil ulterius super digito loquemur.

*Apellæ nobiliss. pictoris auctor Plin. lib. 35. cap. 10.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXXVIII.

## QUA RATIONE LITERÆ ET DISCIPLINÆ HIEROGLYPHICE SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

Ad Illustriss. ac Reverend. Dn. Herculem Gonzagam Cardinalem Mantuanum.

*FUrnius tuus, Antistes Illustrissime, vir plane probus, & disciplinis optimis pereruditus, cujus tu opera non solam ad doctrinam, sed ad rerum tuarum etiam administrationem, uteris, proximis hisce diebus cum Romam advenisses negotia tua cunaturus, impendio me rogavit, Leonem meum illum Ægyptiacum, quem olim Amplitudini tuæ dedicare cogitassem, sibi videndum traderem: Respondi, fuisse quidem olim id consilii, sed pro re nata captum: quia scilicet clarissius adolescens discipulus meus, Hippolytus Medices, quo tempore Florentiæ in honore erat, leænæ fœtum qui expectabatur in dies, adillustriss. Principem Fridericum fratrem germanum tuum mittere decrevere, marem & fœminam orituros. Id enim frater ipse tuus propagandi seminii causa, maximè cupiebat. Ita volebam ego, dum leunculorum illud par splendidissimo fratri tuo oblatum in propatulo spectaretur, haberes & tu Leonem alterum interiorem, quem una cum eruditissimis, quos domi alis, amicis attrectares: multa enim insunt Leoni, quæ studiosorum omnium ingenia semper exercuerunt. Verum accidit, ut spem falleret leæna: quia utramque fœminam edidit. quare sublata mihi quoque mittendi Leonem meum occasio: quia neque fœtura illa jam erat transmittenda, sine qua si meus venisset Leo importune accedere visus esset. Cupiram tamen cogitare, numquid aliud invenire possem, quod ad ingenii tui sublimitatem videretur accommodatius, cum opportune de studiis tuis ex ipso eodem Furnio, quæ mihi mirificè placuerunt, intellexi. Ajebat enim te Philosophiæ & divinarum literarum lectionibus incumbere, maximè vero pietatis nostra ignibus incensum, cogitationes omnes tuas ad ejusmodi disciplinam convertisse, qui quidem nuncius mihi accidit jucundissimus: quandoquidem, si quid ego hujusmodi scribere instituissem, quod ad hoc ipsum, quod tibi adeo cordi est, argumentum facere videretur, sperabam me tibi rem longe jucundiorem effecturum. Erat vero mihi tunc præ manibus, de literis & disciplinis commentarium, quod ad explicanda Ægyptiorum, atque adeo majorum etiam nostrorum quædam super his mysteria confiriebam: quibus scilicet imaginibus per hieroglyphica Sacerdotes Ægyptii, per mystica mox verba veteres Hebræorum patres, literas essent indicare soliti, quibus disciplinas, quibus demum sapientiam ipsam figurassent. Interrogavi Furnium, an commentarium hoc, pro Leone missum, ulla tibi esset in parte placiturum. Legit, &, ut animo est egregie candido, approbavit, suasitque ut omnium summota contatione libellum omnino omitterem. Cujus ego judicio fretus, nam eum palati tui optimè callere arbitrabar, quamprimum per occupationes licuit commentarium absolvi, tibiq; statim, quicquid id esset, dedica-*

A *dedicavi. Videbis igitur, Antistes honorutiss. quæ de literarum studiis, de qua humana divinaque disciplina vetustas illa sub rerum verborum ve quorundam involucris occultaverat, quod peritissimi quique inter se hoc velut ænigmatum genere uti consueverunt. Et nisi me susceptæ operis fallit amor, spero te consensum hunc multorum eruditorum, qui per hujusmodi sculpturas Ægyptiorum inventa secuti sunt, aliqua cum voluptate susceptorum, tuumque tibi institutum tunc longe magis placiturum, cum ex iis quæ summus allaturi, nationum pene omnium sententiam, in eam quam sequeris studiorum rationem convenire perspexeris. Sed antequam ad illam deveniamus, de literis quædam simpliciter prius dicere necessarium est.*

*Apud Ægyptios sacerdotes librorum bibliothecarumve facies juncorum fasciculo, cui appensa esset sepia cribrumque illi subditum, hieroglyphice signabantur. Et literatorum hominum memoriæ, vel marmore vel, ære conspicuæ, his iisdem figuris insculpebantur, & quicquid ad eruditionis monumentum faceret, hoc elaboratum erat ornamento.*

## LITERÆ ÆGYPTIACÆ. Cap. I.

B EA vero species literas, præsertim Ægyptiacas, ut apud Horum est, significabat: propterea quod & junco illi, & atramento hujusmodi de sepia exempto scriptitabant, neque ad hunc usum alio utebantur instrumento. Quod autem ad sepiam attinet, quæ pro theca atramentaria poni solita sit, ac perinde literas significet, non apud Ægyptios tantum, verum & apud nostros quoq; habetur. Persius, *Satyra 3.*

*Tum queritur crassus calamo quod pendeat humor,*
*Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.*

Atramentum sane Græci ὀμμονικὸν appellant. Sunt & alia pleraq; sepiæ significata, sed ea inter pisces *A sepia.* convenientiori loco memoravimus. Cribrum vero sub sepia ponere ideo comenti sunt: quia ea prima sunt arma, quibus in pane conficiundo utimur, atque id apud Ægyptios ex junco contexi solitũ. Nam ὁλόχοινον, quem Solojuncum appellare possumus, utilissimus ad nassas marinas, vitiliumque nexus elegantiam. In Ægypto vero, uti Plinius tradit, cribrorum longitudinem implet. Admonebat autem ea cribri cælatura, ita junco & sepiæ subjecta, eum qui victui necessaria comparasset, literis dare operam posse. Cui vero desit provisæ frugis in annum copia, alii dedatur arti, aliamve sequatur *Simonidis & Aristippi dictum egregium, D. Laertius in vita Aristippi.*

C industriam necesse esse. In hanc Ægyptiorum sententiam Simonides interrogatus, utrum divitiæ an sapientia prius optari deberet, nescire se respondit: id vero exploratum omnibus esse, sapientes divitum fores frequentare. Opinionem tamen hanc interpretatione callide elusit Aristippus, qui à Dionysio illo suo interrogatus, unde fieret, quod Philosophi divitum limina tererent, non illi Philosophorum? respondit: *Quia Philosophi norunt quibus egeant, illi autem minime.* Sed ut ad Ægyptiorum mores revertamur, illud constat, anteaquam pollutionum contage contaminarentur, & à pristina caderent disciplina, primariam apud eos nobilitatem, dignationemque eorum fuisse, qui literas callerent, cum literis non nisi locupletes operam darent. Nam & Athenienses morem hunc ab Ægyptiis acceptum aliquandiu servavere, ut is primas in Republica partes obtineret, qui & eruditione & sapientia maxime præstaret. Et quantum ad institutionem attinet, Romani artes honestiores omnes, & quæ literarum ope comparantur, Liberales appellaverunt, quod earum doctrina ad ingenuos spectaret. Hinc illud apud Terentium: *Fac periculum in literis, fac in palæstra, in musicis: quæ liberum scire æquum est, solertem dabo.* *In Eunucho.*

D

## INSTITUTIO. Cap. II.

SAne apud Ægyptios institutio, si quos habuimus codices in damno non sunt, sic nuncupabatur: cũjus interpretationem plerique ponunt, victus opulentus, vel ad necessitatem idoneus: id scilicet innuentes, literarum studia rem paratam sibi deposcere. Qua in sententia fuisse etiam Aristotelem ex eo manifestum est, quod eum nullius rei egenum esse cupit, qui Philosophiæ sit operam daturus. Et Zachariæ Chimios inter Hebræos nominatissimi dictum circumfertur: *Si farinam habueris, legẽ capessire poteris: si legẽ assecutus fueris, farinæ non egebis.* Legis enim appellatione, literas intelligũt Hebræi, & farinam pro frumento annonaque omni ponunt. Quod quidem cum eo quadrat, quod Isidem, sive Cererem malis dicere, legum inventricem fuisse memorant, cum eadem fruges etiam humano generi commonstrarit: de qua loco suo plenius. Ad hujusmodi rem Aristotelis scomma est quo repre-

reprehendere solitus est Athenienses, qui jam à pristinis moribus & studiis deciderent, cum tamen se frumenti perinde ac legum inventores fuisse gloriarentur: frumento quidem plurimum, legibus vero minimum uterentur. Sedenim magis facere ad Ægyptiorũ sapientiam videtur, si quæ alii de corporis cibo, deq; rerum opulentia intellexerunt, ad animi pastum, & doctrinæ fœcunditatem referamus, cum dubio procul illi per cribri signum ἱερογλυφικῶς institutionem interpretarentur. Nam & azymorum calathus, qui Levitico ab Aarone & filiis ejus offerendus erat, linguam, hoc est, sermonẽ vel eloquentiam potius divini numinis significasse fertur. Sicut enim panis nutrimentum est corporis, sic & lex, & doctrina Dei, nutrimentum est animi. Cum vero sæpe cibus pro doctrina positus sit non apud Ægyptios solum, sed apud nationes omnes, quæ literis & disciplinis claræ habentur, cujusnam sermo vel eloquentia pleniorem perfectioremve doctrinam induxit, quam is, qui copiæ totius & perfectionis author est? Ille cibus animi verus, ille pastus suavissimus, ille ferculum & lautissima doctrinæ totius mensa, super mel & favum optatissima. Et hujusmodi sensu panes illi duo primitiarum dicti, ex duabus decimis similæ fermentatæ, quos XXII. Levit offerri sibi jubet Dominus, novo sacrificio Legem & Evangelium indicant. Panes enim hi sunt fidelium animarum cibus. Quod vero ex duabus similæ decimis conficiantur, admonet hæc geminata perfecti numeri designatio, condi eos ex doctrina, quæ perfectam in Christo divinitatem, perfectamq; humanitatem tradit: nec aliter coqui nisi per hujusmodi doctrinam possunt. Sed ipse demum Dominus Assertor noster, hieroglyphicum hoc explicavit, cum astuto dæmoni respondit, hominem non ali pane solo, verum etiam quocumq; verbo, quod ex divini Numinis ore procederet. Animadvertendum vero in Divinis literis per cibũ modo pecuniam, modo rem domesticam, modo annonæ genus omne intelligi, atque omnes has locutiones identidem accipi pro doctrina: ut cum præcipit Deus simulac in terram Canaam ingressi fuerimus, eaq; & expiata, & rite perpurgata fuerit, ne veteres incolas expellamus, sed cohabitare nobiscum permittamus, quin & pecunia nostra eos sublevemus. Hierosolymitanus Hesychius pecuniã hic hieroglyphice pro doctrina nostra positam intelligit. Septuaginta hic cibos ponunt, quod idem est cum fructibus & annona. Nam cum aliquem à sceleribus ad virtutem & bones mores, ab impietate ad Dei cultum atque timorem adductum, & in ditionem nostram redactum inspexerimus: eum, quia perditus fuerit, nequaquam abominabimur, sed doctrina sublevabimus, & honesti commercii laudabilisq; consuetudinis exemplo pascere, educare confirmareque pernitemur. Missum facio fermentum in farinæ sata tria absconditum, ubi Eucherius Farinam pro scientia positam tradit. Quin etiam missos facio non modo panes, verum & totam messem, & patentes campos, in Divinis literis pro sacræ doctrinæ hieroglyphico positos, de quibus idem Eucherius dictum ait: *Et campi tui replebuntur ubertate* atq; de pascuis idem. Unum illud minime præterierim, quod utili admodum documento apud Maximum Tyrium habetur, sermones similitudinem ciborum gerere, sicuti concentus odorum, cum ea sit ciborum natura plurimum, ut fœcundissime nutriant; odor aer sit vaporatus, ut sonus aer ictus, quorum uterq; cum in re tenuissima consistat, aut nullam, aut minimam habeant pascendi vim. Appetendas itaq; monet epulas nutrientes, sermones quippe de virtute, atque adeo divina in primis Philosphia: parvique ideo faciendam eloquentiam, eam, inquam, quæ præter aurium oblectamentum, nullam aliam afferat utilitatem: sermonesq; illos esse potiores, qui animum rebus optimis, cibi instar, enutriant. Apud Abacunta Prophetam legas boves non adsistere ad præsepia Boves, Euthymius Judæos intelligit hieroglyphice positos, qui olim virtutis cultores fuerint: per præsepia, sacros & divinos libros, qui pabuli nihil eis in posterũ allaturi essent. Et Psalmo sexagesimo quarto: *Super oves pascuæ tuæ* Interpretes per pascuæ vocabulum sacram intelligunt lectionẽ, quæ illi animum opipare nutrire sibi fidentur, qui ex divina lege vivunt. Ita nonulli Psalmo 69. *Fiat mensa eorũ in laqueum.* Mensam esse volunt divæ inspirationis scripta, quæ Judæis implicationem mentis afferunt, non doctrinam. Idq; sibi velle laqueum, in quem Propheta mensam hujusmodi transmutari poscit. Mox & tormentum adddit, & multam, qua castigati sunt ob destinationem suam: inde scandalum, propter pristini status divisionem, totiusque generis dissipationem. Deniq; ut à mensa demum saturi recedamus. Simandius Ægypti Rex bibliothecam inscripsit, ANIMI ALIMENTUM, cum id, quod cibus corpori, studium literarum animo subministret. Et noster Tullius, Tusculanis, ubi de Archi-

*Cibus verus quis.*

*Abac. c. 3. Metaphoricæ locutiones pervenustæ.*

A Archimede loquitur: *Ejus mens, ait, rationibus agitandis exquirendisq; alebatur cum oblectatione solertia, qui est unus suavissimus pastus animorum.* Idem pasci se Fausti bibliotheca alibi dicit. Alibi contemplationem, *Animi pabulum* vocat. Alibi se vorare literas profitetur.

## SACER SCRIBA. Cap. III.

UT vero cribrum etiam expediamus, ex ejus hieroglyphico Ægyptii sacrum etiam scribam intelligi volebant: ea enim nuncupatione eos, qui futura præsagiret, appellabant, uti Prophetam Hebræi, *Videntem*. Nam veluti cribrum utilia ab inutilibus disjungit, ita per signa quædam sacerdotes illi, mortem à vita discernebant. Et τ' ἐπὶ κοσκίνῳ dici solitum de iis, quæ vera compertaq; viderentur. Sane librum Horus apud Ægyptios fuisse tradit, qui Ambres nuncupabatur, divinationum plenus, ex quo præcipue decumbentem ægrotum, utrum victurus necne, an moriturus esset augurabantur: idq; ex ægrotantis decubitu præcognoscebant. Nam & alii plura id genus observarunt, uti fimbriarum in lodice complicationes, advenientes molestè ferre, eorum conspectum aversari, obtu- B tus solito torviores: & alia, non tamen cum arcanis illis conferenda. In antiquis Hebræorum scritis mentionem invenias de libro quodam arcana, in quo scripta designataque essent omnia, quæ universo mortalium generi eventura sunt: adduntque eum & Adamo divinitus ostensum, atque etiam Moysi: sed hæc illi supremi Numinis aspiratione accidisse crediderim, oraculumq; hujusmodi ob quandam docendi similitudinem Librum appellatum. Hinc sapientissimi viri Maronem volunt ad hujus quasi libri formulam dixisse illa super Æneæ futuro successu:

Κόσκινον quam significet scribam sacrum. Ambros.

*Æneid. l. 6.*

*At pater Anchises penitus convalle virenti*
*Inclusas animas, superumque ad lumen ituras*
*Lustrabat, studio recolens, omnemque suorum*
*Forte recensebat numerum, charosque nepotes,*
*Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque.*

Nam & Romani, dum à fando fatum dicunt, edicta decretaque hujusmodi, veluti relata in deorum acta intelligere visi sunt.

## PERFECTÆ VIR SAPIENTIÆ. Cap. IV.

C ALii dicunt per cribrum consummatum virum significari, sapientem quippe, qui de divinis humanisque rebus sciat appositè disputare, quod veluti ejus instrumenti munus est apludas à frumento secernere: ita doctrina, rerumque usus & experientia faciat, ut bonum à malo, rectum à curvo discernamus, ut merito à Marone dictum sit, Mystica vanus Iacchi. Huc nonnulli trahunt Antisthenis dicterium, Absurdum esse lolium à tritrico non repurgare, hoc est, inutiles cives non secernere ab utilibus, milites ignavos à strenuis, quod dictum alibi latius interpretati sumus. Apud Galenum proverbium est, *Stulti ad cribrum*, cum illi notantur, qui rem aut negotiũ, quod vires exuperat, aggrediuntur: non enim stultorum est naturæ secreta investigare. Quamvis alii putant id ideo dictum, quia si Thessali velit errores omnes corrigere, vel dictione prosequi, numero superatus in scomma proverbii decidat, quod est, Stulti ad cribum, hoc est, Stultorum conatum esse velle singulatotius cribri foramina obturare. Apud nostros D. Joannes Præcursor, doctrinam cœlestem summam sapientiam in Christo præmonstraturus, in hanc sententiam clamat: *Ventilabrum in ejus est manu* (sunt qui cribrum eadem omnino sententia transtulerunt) *aream suam purgabit, ut quæ nullius sunt fructus, à fructuoso discernat, triticumque in horreum condet, paleas vero igni exuret inextinguibili.* Cujus mysterii significatum, ne nos morosi simus, late explicatur ab Adamantio cap. in Lucam 3. homil. 26.

*Georg. lib. 1.*
*Antisthenis dicterii*
*Proverb. & ejus interpretatio.*
*Luc. c. 3.*

## TERMINUS, METAVE. Cap. V.

PEr idem, quod superius posuimus hieroglyphicum, terminum etiam metamve significari proditum, propterea quod is, qui strenue decurso spatio profecerit in literis, ad tranquillum jam vitæ portum applicaverit, eumque scias posse demum habere vitæ suæ modum, neq; hallucinari amplius in iis, quæ mortalium generi accidunt malis. Ita is omnium quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur, cognitionem assecutus est, ut undecumque prudentissimus effectus, neque secundis intumescat

mescat insolenter, neque adversis perturbetur: in utramque vero fortunam ita se comparavit, ut æquum & insuperabilem ad omnes casus animum præ se ferat.

## HUMANÆ DISCIPLINÆ. Cap. VI.

*Scientiarũ divisio.*

A Cribro ad panificia devenire, non admodum importunum fuerit. In panificiis autem fermentum non ultimum habet locum. Id in sacris literis multa significat, sed nos id quod ad rem, quæ præ manibus est, facit, interim desumemus. Ajunt vero fermentum inter alia symbola humanas etiam disciplinas indicare. Scientiarum siquidem, ut plerique dividunt, nonnullæ humanæ, nonnullæ divinæ perhibentur. Humanæ sunt, quæ sermonis variatione subjiciuntur, unde vulgo etiam humanitatis studia dicuntur. Divinæ, quæ perpetuo constantiq; tenore quodam perseverant, eodemq; semper habent modo, atq; parte hac ipsam referunt divinitatem. Quod enim semel justum est (de perfecto loquor) semper justum est. Qui semel calefacit ignis, calefacere numquam desinit, dum ignis est. Neque divina deficit providentia, neque perpetua mundi gubernatio. Ita Moralis, Physica, & Theodologia, cum divinitate consentiunt. Humanas autem disciplinas appellant, Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Atque hoc illud est (ut sentit Origenes) quod fermentum in sacrificia non admittitur. Per fermentum enim, uti dicebamus, Theologi humanas has intelligunt *disciplinas*, quarum quidem vis & materia in locutionibus ipsis omnino consistit. Accedunt tamen ad ministerium, quia sermo purus, quem docet Grammatica, eloquentiæ splendor, vis atq; copia, quam per Rhetoricam assequitur, & disputandi ratio, quam indicat Dialectica, ministri sunt omnium scientiarum.

## DIVINÆ DISCIPLINÆ. Cap. VII.

*Ubi etiamnum id facitare notatur.*

Quo igitur hieroglyphico humaniora studia significentur, expositum est: super est de divinis quibus ea signis hieroglyphicisq; figurarentur, explicare. Divina vero, quod primum sibi signũ poscant, nisi quod ipsam indicat divinitatem: cujus circulus est hieroglyphicum, uti latius in figurarum Mathematicarum commentario disseruimus: nempe quod in ea figura neque principium, neq; finem invenire sit, quod æternitatis est proprium. Hujusce rei ratione habita, Ægypti Deum ex circuli figura intelligebant. Persæ vero cum Jovem cœli circulum dicerent, sacrificia illi se facere putabant, ubi celsissimam speculam conscendissent, Jovemq; cœli circulum nuncupassent: & quæ multa eo loco tractavimus, hic ad repetendum minimè necessaria.

## ENCYCLOPÆDIA. Cap. VIII.

NOn temere igitur Ægypti sapientes, Græcique antiquiores qui priusquam sophismata mortalium mentes implicuissent, simplicius ac forte melius philosophabantur, quarundam disciplinarum complexum Encyclopædiam vocaverunt: nempe quod per circulorum quorundam colligationẽ inter se copulatæ, ab ampliori quodam circulo complecterentur, cujus nomen est Theologia, intra quem tres alii circuli centris & circumferentiis adeo invicẽ compliciti designabantur, ut unius centrum alterius principiũ & circumferentia esset, in hunc scilicet modum. Per illos quidem interius ductos, alia quadam ratione, quam superius dictum sit ex Origene, humanas disciplinas indicantes, quæ moribus ratione rerum, quæ naturæ vi instituta, considerata, examinataque, mortalium mentibus insedere: per illum vero



A qui latiori ambitu exſpatiatus, reliquorum centra & circumferentias in ſemetipſum amplectitur, divinam oſtedenbant. Verum eadem hæc Levitico inteliguntur ex ornatu Pontificio, qui totus eſt hieroglyphicus: ibi enim Pontifex humeros primum præcingi jubetur, hoc eſt, moribus optimis atque caſtigatiſſimis ornari, prava ſcilicet opera cohibendo, mox logium aſſumere, quod dubio procul rationis intelligentiam ſuſcipiendam indicat, inde quam vocant Manifeſtationem, quæ quidem rerum eſt diſciplina, videlicet Philoſophia, per quam naturæ ſecreta omnia perveſtigamus, & veluti Cerberum quendam ex imis penetralibus extractum in lucem exponimus: quarto loco veritatem, quæ dubio procul ipſa eſt Theologia. Obſervat vero Cyrillus ordinem in ornamentis his aſſignandis, quoniam non prius de ratione verborum diſputare debemus, quam mores compoſuerimus, ne nos male imbuti animi pravitas à recto divertat, & vero cognoſcendo minus idoneos reddat, neque rerum cognitionem prius aggrediendam, quam ſermonum rationem prius intellexerimus, neque Deum & cœleſtia contemplari poſſe nos manifeſtum, priuſquam per mores, per rationem, per rerum cognitionem quoſdam veluti gradus, per quos ad veritatem in ſublimi conſidentem erigi poſ-
B ſimus, nobis præparaverimus. Ut vero alii rem copioſius tradidere, moralem in primis diſcere debemus, quæ in humanæ degendæ vitæ ratione modoque occupata eſt: effrænis quippe excurſionibus iræ, animisque contundendis, ſordibusque omnibus excutiendis, quando memorabile illud in Divinis literis dictum, in malignum non intrare ſpiritum ſapientiæ. Neque enim polluti, qui ſcilicet morali diſciplina minus inſtituti eſſent, in tabernaculum admittebantur apud Moſem, ſed cum plebe ſub dio habitabāt, ſeſe interim expiantes. Præcipue vero hoc præſtare poſſunt oratoria & poetica facultates, cum Oratoris ſit proprium, bonum eſſe virum, & Poetica, omnis laus & exemplar virtutis habeatur, ut Magnus Baſilius inquit. Sed hæc dicimus ad eos, qui ſunt adeo imbecilli, ut divinorum voluminū pondera ſuſtinere nequeant, ideoq; validiorē cibū omnē averſantur: quare modo per fabulas modo per hiſtoriarū exempla deducendi ſunt. Quod ſi eveniat, ut tandē ablactati firmitatē à Deo, & à fide conſequantur, tunc hordeacei quinque panes, quinq; ſcilicet Moſaicæ, diceret Cyrillus, inſtitutionis libri guſtu aſperiores, & piſces duo pro pulmentario, hoc eſt, Evangelica & Apoſtolica diſciplina, pabuli longe ſuavioris, ſatis ſuperque futuri ſunt ad omne bene inſtituti animi robur confir-
C mandum. Quamvis non deſint, ut varia ſunt mortalium ingenia, qui partem hanc de moribus (hoc κατ' πάρεργον afferemus) è diſciplinarum choro ſummoveant: tum quod mores ad cujuſque populi libitum componantur, exemploque potius & uſu ipſo, quam ratione vigeſcant: tum quod non eàdem apud omnes juſtitia, neq; fortitudo, neque ullum fere virtutis genus, quod non alibi virtus exiſtimetur, conſtareque prorſus id in opinionibus incolarum. Nam quod apud Athenineſes juſtiſſima omnium eſt lex Pelargica, de parentum ſenecta renutrienda, qua etiam apud Lacedæmonios nihil ſanctius, apud Chios honeſtiſſimum atque ſanctiſſimum habitum eſt, eos, qui ſexageſimum ætatis annum impleſſent, trucidandos inter ſe publice committere: quo moris in Julidæ Co inſulæ urbe Menander fuiſſe notat, ut aqud Stephanum, de quo plenius iu Ciconiæ commentario. Quodque in hujuſmodi diſſimilitudinis ſententiam in Inſtitutis Theophili Græce legi, Athenienſes advenas & hoſpites omni officii genere proſequebantur, apud ſe permanere adhortabantur, civitate donabant, ad honores & Reipubl. participatum cooptabant. Lacedæmonii contra advenas non admittebant, hoſpites unius tantum noctis mora receptos, urbe mox ejiciebant. Unde quod Paulus Juriſconſultus
D ait de candelabro argenteo in argentum relato, ideoque pro argento, non autem pro ſuppellectili habitum, indicat nihil aliud eſſe quam humanum placitum, totamque Juriſprudētiam in ſola denique hominum voluntate conſiſtere, roborarique.

*Moralis in primis diſcenda.*

*Hinc ἀντιπελαργεῖν.*

*Ac apud Romanos ex Ulpiano. tit. de agno. liberis vel parent. 25.*

*Juriſprudentia arbitraria.*

## DIALECTICA. Cap. IX.

SEd rem nos noſtram proſequamur. Addiſcenda ſtatim à morali poſtmodum eſt rationalis diſciplina, quam ipſam Dialecticen, hoc eſt, ſermocinatricem vocant: quæ rationis turbas inter orationis pugnacitates captionesque anxie tumultuantes pacifice componat, & clara nitidaque ſyllogiſmi ſerenitate tranquillet. Nam etſi mores Moſaici compoſuerant, eſſentque in ſanctuarium recepti, ſacra tamen nondum attrectabant, niſi prius dialectico famulatu ſeduli Levitæ ſacris miniſtrarent.

*Munus proprium Dialectices.*

## NATURALIS PHILOSOPHIA.

### Cap. X.

*Philosophiæ naturalis munus.*

NAturalem inde Philosophiam aggrediebantur, quæ de mundo, aut de iis, quæ sunt in mundo, quærit. Hæc autem disciplina opiniones, lites & dissidia, quæ inquietum hinc inde animum vexant, distrahunt, lacerantque, molliter sopit atque componit, ut ita demum ad sacra admissi, nunc superioris regiæ multicolorem, id est, siderum aureum ornatum, nunc cœleste candelabrum septem luminibus distinctum, nunc pellicea elementa in Philosophiæ sacerdotio contemplemur.

### THEOLOGIA. Cap. XI.

*Effectus Theologiæ.*

POstremo Theologia est amplectenda, quæ, uti dictum est, omnes amplectitur disciplinas, cujus munus est solidam præstare pacem, quam neq; mores humanæ fragilitatis sanctissime quantumlibet instituti, neque colloquiorum curiosa cognitio, neq; naturæ totius pervestigatio præstare potuerunt. Tunc vero pax hæc firmissimo nobiscum est fœdere sancita: cum motus omnino nullus adversus rationis imperium discessionem ullam meditatur: cum omnia cogitationum nostrarum dissidia composita sunt, sopiti sensuum impetus, discussa oppressaque penitus cupiditatum conjuratio. Hæc illa est Pythagoreorum amicitia, quam totius Philosophiæ finem autumant. Hæc nos in templi adyta & adducit & recipit, ubi nullo imaginis intercedente velo, divinitatis gloria perfruamur. Per scalarum itaque gradus philosophantes, à centro ad centrum omnia pervadentes & quæcumq; sunt in unum contrahentes, nunc unum quasi Osirin (admirandus diceret Picus) in frusta plurima viri Titanica discerpentes, ire pergamus, donec in sinu patris, qui supra scalas est, tandē quiescentes, Theologica felicitate consummemur, individuaque mox copula complexuve non modo Deo conciliemur, sed admirabili quodammodo unum penitus evadamus. Ut vero quædam à Pici sententia non aliena subjungamus, à quatuor his doctrinæ partibus circumdari Deum, Maximus Tyrius mihi videtur intelligere. Circumdatur autem is, qui coram, retro, ad dexteram, atq; ad sinistram, aliquos habet circumfusos. Eorum vero qui Deum circumdare videantur, illi retro esse dicuntur, qui per virtutem illam, quæ ad actiones pertinet, Deum sequi perstiterunt. Ea vero plurimum in moribus sita est. Dedit autem is exemplum nobis, ut quæ ipse egerit, imitemur. Ad sinistram illi constitui videntur, qui naturalem secuti Philosophiam, usum ejus in spiritualem dirigunt intellectum, perq; inferiorem indaginem, ad superiorum cognitionem pervenire connituntur. Ad dexteram illi esse intelliguntur, qui sublimium, & à materia separatarum, humanumque visum excedentium, rerum scientiam perscrutantur. Coram denique Deo eos esse dicimus, qui ob immensum divinæ pulchritudinis amorem digni effecti sunt, ut Dei ipsius conspectu perpetuo perfruantur, facieque quodammodo in faciem intenta, veræ felicitatis participes dicti, dii quoque & ipsi fieri mereantur. Ea enim perfecti tetrade, ut Pythagoræ vocabulum interim usurpem, riteque instituti, animam undecumque puram, sanctam & immaculatam Deo videntur asserere: atque ita mente optima, manifestissima scientia, opinione firmissima, sensuque absolutissimo præditi, soli hominum super hominem evecti, terque quaterque beati efficiuntur.

*Quibus Deus circumdatur, & quomodo.*

### TRIAS. Cap. XII.

*Disciplinarum divisio facta à Salom.*

QUatuor itaque circulis hujusmodi describitur institutio, in quatuor ipsa divisa partes. Sed enim Salomon, qui, divino afflante Spiritu disciplinarum ordinem primus excogitavit, quem plerique Græcorum sapientes, qui ejus inventa sibi vendicant, non temere secuti sunt, tres tantummodo totius disciplinæ partes agnoscit, moralem, naturalem, & contemplativam, quas per tria eidem volumina pertractavit, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticorum Canticum: mores utique per Proverbiorum præcepta docens, naturam rerum per Ecclesiasten, per Canticum autem speculationem. Neque etiam Logicen distinctam ab his portionem arbitratus est, quæ in unaquaque disciplina per se ipsa conseritur, & instar staminis ad firmitatem contexta, cujuscumque subtegminis laborem admittit, sive pexum, sive plumatile, sive beluatum opus intexere volueris. Nam cum institutio omnis per sermonem fiat, quomodo quispiam probabilem fermonē suum efficiat, nisi ita loquatur, ut ipsius rei, quæ in promptu est ratio, verisimilitudo, ipsa denique veritas deposcere videatur? Unumquem-

A quemq; igitur ſermonem dirigit Dialectica. His ſimilia videntur, quæ de Deo Abraham, Deo Iſaac, & Deo Jacob habentur in ſacris literis. Nam quod Abraham ubique locorum ſe morigerum & obſequentem Deo præbuerit, moralem innuit. Iſaac, dum ſcientiæ puteos fodit, profundaque & abdita quæque rimatur, naturæ indicat Philoſophiam. Contemplationis vero munus Jacob oſtendit, tum ex ipſo nomine, quod Iſrael ob divinorum contemplationem appellatus fuit: nam mentem, quæ Deum intueatur, nomen id ſignificat: tum ob inſpecta cœli caſtra, Dei ſedes & Angelorum vias, ſcalas quippe à terris in cœlum uſque ſurrectas, de quibus in hanc omnes ſententiam tam Hebræi, quam Græci, Latinique Theologi plurima diſputarunt. Quinetiam ipſa elementorum natura, quandam iſtiuſmodi inſtitutionis figuram oſtendere videtur, terra ſcilic. una cum aqua, inde aër & æther, quorum mutuus complexus certos in diſciplinis gradus conſtituere perhibetur: terra quippe, & illi appli- citus humor, magiſtram morum hiſtoriam: in his enim mundi partibus res geſtæ continentur, atque illæ vel privatæ, vel publicæ, unde œconomia, atque politica, ex eorum, qui ſapientiores habiti ſunt, exemplo deſcribuntur. Facit vero hiſtoria hæc ad inſtitutionem, quoniam exempla ipſa per eventus

*Per quatuor elementorum naturam ſcientiæ figurata.*

B varios aut hortentur ad imitandum, ſi præclara ſint, aut abſterrent à perperam factis, ſi male tractata male ceciderint. Hoc vero amplius, aquæ variis ventorum flatibus agitatæ, mores in humana natura varios & inconſtantes indicant. Quo igitur pacto cogitationum procellis, & conſiliorum tempeſtatibus obviam ituri ſimus, per orationis fluxum inſtitutio moralis edocebit, atq; pars hæc illa eſt, quam Ethicen Græci dicunt, quam unuſquiſque hominum debet ſecum diligenter examinare, inde ſibi, & ſuis, & patriæ, & univerſo demum mortalium generi profuturus. Terræ pariter atque humori undequaque circumfuſus eſt aër, atque una cum duabus, quæ ſimul adhæreſcunt partibus, naſcentium omnium atque morientium naturas amplectitur: atque ita aër naturalis indicium eſt ſcientiæ. Extra hæc omnia, quæ variationi ſunt obnoxia, æthereus ille ardor igneus eſt, in empyreum uſque cœlum, ut multorum ſapientium eſt opinio, diffuſus, quæ quidem eſt naturæ divinæ contemplatio, quam Græci Theologiam nominant, ultra quam nullus procedit intellectus. In qua quidem diviſione, Dialectica non immerito præterita eſt, cum ea minime particularis ſcientia eſſe videatur, ſed tanquam

C ſpiritus harum unicuique partium inſita, coalitave: per eam enim hiſtoriam ſcribimus veriſimilem, per eam morum rationes varias edocemus, per eam naturæ vim perſcrutamur, per eam demum ipſam divinarum rerum imaginem intelligimus. Quare, uti ſuperius dictum, etiam illi, qui diſciplinas ad elementorum ſimilitudines diviſerunt, Dialecticam, utpote quæ cujuslibet inſtitutionis miniſtra ſit, in partem non admiſere.

## DE IIS, QUÆ PER COELUM ROREMPLUVIAM ET ALIQUOT AQUARUM GENERA SIGNIFICANTUR.

### Cap. XIII.

ÆGyptii quidem de diſciplinis hoc modo in univerſum diſſerere conſueverunt. Quatuor vero illas, Arithmeticam per ſurrectos digitos, Geometriam per arundinem, Muſicam, per dentes IIII. lingua percuſſos: Aſtrologiam, per maculoſam hinnuli pellem, & figuras alias indicatas, nunc omittimus, quod aliis ea commentariis ſunt à nobis explicata. Atque ut ſuſceptum ſemel negotium peragamus, quamvis alia nunc circumacti via eandem tamen metam contingere procurabimus.

D Theologi ſiquidem noſtri cum antiqua Ægyptiorum dictata conſpexiſſent, qui cœlum imbre rorulento liquidum in doctrinæ ſignificatum pingere inſtituiſſent, Moſemque ex ea, quam adoleſcens in Ægypto didicerat lingua, figuris hujuſmodi paſſim uſum animadverterent, ea multa, quæ de pluviis, de fontibus, de fluminibus, de mari, deque aquis reliquis paſſim in Divinis literis reperiuntur, ad hujuſmodi vetuſtatis exemplum interpretati ſunt: quorum ego commentationes proſequutus, aquarum de doctrina ſignificationes, poſt Ægyptiacas illas explicare congruum exiſtimavi.

### INSTITUTIO. Cap. XIV.

UT igitur præfati ſumus, cœlum Ægyptii rore pluvium cum pinxiſſent, diſciplinam inſtitutionisque laborem & operam intelligebant: mira etenim eſt utriuſque rei ſimilitudo. Nam veluti ros in herbas, ſrutices, plantasq; omnes decidens, ea omnia quæcumque molliri apta ſunt, humectat, paſcit,

*Roris & diſciplinarum ſimilitudo.*

pascit,&liberaliter educat:contra vero in iis,quæ natura proprietateq; sua obdurata,dura,solida atque repugnantia fuerint, proficere nihil quicquam potest:ita in hominibus erudiendis instituendisque evenit,quorum ii, qui prompto,acuto,& docili sunt ingenio,minimo negotio erudiuntur: contra vero si plumbeum & obtusum,atque honestis artibus & disciplinis aversum,instituere aggrediaris,nihil prorsus efficias:invita siquidem Minerva nihil recte fieri, dicive potest,ut apud Horatium. Ita demum disciplina contumacem nacta naturam, frustra omnino laborabit, sed idonei fundi compos,lætissimæ frugis opulentia lætabitur.Sane Pindarus ejus rei, quæ plurimum ad fœcunditatem faciat, ratione habita, irrigationi similem esse laudationem dixit. Nam quemadmodum illa plantarum vim auget,& ut lætius proveniant efficit,ita virtus dignisPoëtarum scriptis commendata mirificum suscipit incrementum : laudatam enim virtutem crescere,vulgo etiam dictitatum:contra vero loca, quæ aquarum beneficia non suscipiunt, plurimum infœcunda sunt. Et Divinæ literæ ubi agri cujuspiam sterilitatem, desertaque & inhospita tesqua notare volunt, inaquosum dicunt, ut Psalmo 77. *Exacerbaverunt altissimum in inaquoso* : eodemque modo sæpius. Quod vero facit ad doctrinæ sapientiæve significatum, in iisdem literis,cumPsalmographus desiturum inAdventuChristi promptuarium illud vaticinationis domum prævideret, neq; divinationem ipsam quicquam amplius producturam, Psal. 106. terram frugiferam in salsuginem vertendam oraculo haudquaquam vano præsagivit. Marina autem aqua ἀτρυγετὲς Homero dicitur, quod nullum ex ea fructum possis decerpere, propterea quod adeo est salsuginosa,

*Lib. de arte poet.*

*Irrigationi similis laudatio.*

*Infrugiferam τρύγη fructum significat.*

## DOCTRINA GENTIUM. Cap. XV.

EJusdem salsedinis atque amaritudinis causa, marina aqua doctrinam gentium significabat: propterea quod sine fructu esset, propter rerum quæ sacris ejusmodi adhibebantur amaritudinem,intractabilis,dum neque quidem humanis hostiis abstinebant,& alia dictu fœda faciebant,sceleraque ac turpitudinem omnem diis etiam suis adscribebant:quorum exemplo lascivire, & mollia quæque sectari mortales sibi permitterent. Tot præterea deorum marinorum lusus nihil aliud sunt, quam mera lascivia ; profanis quippe & impuris ea dulcis & delectabilis, piis vero syncerisq; invisa & amarissima. Forte autem Herculis columnæ inhabitabilis terræ finibus erectæ,virtuti documento sunt,non esse à duris terræ laboribus ad undarum mollitiem atq; lasciviam dilabendum. In has autem aquasAbacuc Propheta armentum à Deo inducendum canit : accessurum quippe cultum,& polituram,hoc est, Apostolos per omnem terrarum orbem profecturos, qui omnia committigarent, mansuefacerent, & habitabilia frugiferaque redderent,amaritudinem omni dulcium aquarum corrivio delinita.

*Herculis columna.*

## DOCTRINA COELESTIS. Cap. XVI.

PIndarus plerisq; locis hieroglyphico utitur hoc dicendi genere, ut cum canit, χαρίτων ἀρδόντ καλλίστῃ δρόσῳ, hoc est, optimo pulcherrimove Gratiarum rore irrigant,id quod odarum luculenta lepiditate dictum interpretes exponunt, ut denique per rorem eloquentiæ leporem intelligamus.Sed quid egemus Pindaro,cum Mosem audimus cœlum ad audienda, quæ loquitur, ac terram etiam ipsam invitantem, doctrinamq; suam uti pluviam concrescere augurantem, eloquium uti rorem pluere meditantem,esseque quasi imbrem & stillicidia super herbam & gramina, quæ manifesta sunt doctrinæ cœlestis symbola ? Quin & Angelici chori Aquæ vocabulo designantur, ut Psalmo: *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Unusquisque autem Prophetarum simulac os adaperuit, terram irrigat universam,hoc est,ut interpretatur Adamantius,disciplinam in aures, & in corda hominum infundit. Davides autem noster per lignum propter aquarum fluenta plantatum, fœtiferum & opportuno proventu lætum reddi,hominem intelligit, qui divina præcepta susceperit, quibus ingenia non aliter quam plantæ aquis irrigantur.Sane Moysi divinitus ab aqua nomen inditum facile crediderim,qui uberrima divinarum humanarumque rerum omnium doctrina mortale genus in æterna esset secula instituturus.Moys enimÆgyptiis aqua dicitur,quamvis eventus nomini causam dederit,quod à Thamura Pharaonis filia ex profluente,in quem à parentibus acerbissimi edicti regii metu projectus erat, Divinæ ita providentiæ commendatus, in cistula jacens exemtus esset.

*Symbola cœlestis doctrinæ. Psal. 1.*

*Moyses enim aquaticum, vel assumptum de aqua sonat.*

A esset. Antiquitas demum tota disciplinam aquis comparavit: hinc Pegasæus, hic Castalius fons, hinc undæ Cephisides, hinc Permessus, Ilissus, Termissusque fluviii, totaque, ut semel dicam, Aonia aquis irrigua: unde, ut fit in fabulis, non tamen inanibus,

*Vatum Pieriis ora rigantur aquis.*

Apud Virgilium cum Damœtas & Menalcas ingenii & artis doctrinæq; suæ periculum alternis cantando fecissent, Palæmon utriusque virtute commendata, demum ait:

*Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.*

Musicam porro Pindari commendatores, ex aqua fieri autumant. Et Varro tres Musas ponit, unam quæ mera tantum voce consistat: alteram, quam aeris ictu sonus efficit: tertiam, quæ ex aquæ motu nascitur. Hinc percussa juvant fluctu littora, hinc dulce etiam petra rivus, qui stillat ab alta, ut Theocritum illud imitemur: ἆδιον ὦ ποιμὰν τὸ πὰρ μέλος, ἢ τὸ καταχὲς τὰν ὑπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ. Cum vero tam nostri quam Ægyptii pluvias plurimum in doctrinæ cœlestis significatum acceperint, causa ea esse videtur, quod imbres longe fœcundiores aquis aliis esse, magisque nutrire, & celerius confici experimento compertum est. Hinc Hesiodus Theogonia, fœcundum cœlum dixit: propterea quod ut interpretes ejus ajunt, & Virgilius affirmat, *Quare pluvia prodeat doctrina cœlesti accipiantur.*

B

*Plurimus ut cœlo descendit Jupiter imbri,*

Omnia terra nascentia fœcundantur. Hinc Menander:

ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα,

*Amore tellus imbrium peruritur.*

Eodem modo doctrina ea, quæ cœlitus instillatur, longe fœcundior est, quam quæ ab hominum opinionibus emanavit. Hujusmodi autem imbribus affluenter omnes alluimur, quicumq; Christianam sequimur institutionem, ex quo tempore super Hebræos decidere olim desiere: quod non temere præmonstratum libro Judicum eo loco legimus, ubi Gedeon Ephraimita, qui & Hierobaal, Madianitarum Amalechitarumq; & Arabum viribus Israelitas omnes opprimentibus, signum petiit à cœlesti numine, quo se populumq; adhortaretur ad virile aliquod facinus aggrediendum, & se suosq; de montium solitudine liberaret, in quibus, patriis expulsi finibus, extorrem vitam, rerum omnium in-

C opia laborantes, agitabant: excitatus itaq; Gedeon oraculo minime contemnendo, cui tamen haud facile fidem adhibuerat, ob ita accisas res, ut facile esset omnia desperare: *Sequar te*, inquit, *sanctissime, tua erga nos propensæ voluntatis signum id assecutus, si vos scilicet ceciderit super lanæ vellus in area stratum, & terra circum arida perstiterit:* id quod uti petierat, factum est. Subjecit mox Gedeon attestatum: *Si vos*, inquiens, *super terram deciderit ea q̃, tantum aspersa stratum vellus minime madefecerit:* cui petitioni Deus, cum iterum annuisset, plenus animis negotium aggressus, victoriam est felicissimam consecutus. Hic, ut interpretantur sapientes, vellus lanæ populum indicat Israeliticum, terra vero Gentes reliquas ejus eo tempore pietatis ignaras. Qui vero ros cœlitus decidit, Dei doctrinam ostendit, quæ prius Israelitis divinitus indulta est: hos enim solos ros Divinæ legis prius irrigabat: reliquus autem terrarum orbis nulla istiusmodi humoris Gutta madefactus, arida prorsus succitate laborabat. Postea vero quam secundum accidit postulatum, aruit vellus, terra irrorata est: Hebræis quippe adempta est Prophetarũ pluvia, nobis vero per Christi doctrinam divini eloquii fontes adaperti. Tale aliquid tangit Chrysostomus Psalm. 71. sed rem copiose tradit Adamantius. Eodem modo

D Tertullianus etiam interpretatur locum illum, *Et mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super vineam Soreth*, h.e. cœlestibus beneficiis, ne provenirent in Israelitis domum: subtractis enim charismatum roribus, lex & Prophetæ cessaverunt, neq; ultra Joannem processerunt. Quod vero ad Gentes facit, assentitur huic sententiæ Cyprianus, qui prænunciasse Deum per Prophetam ait, apud Gentes in locis, quæ inaquosa prius fuissent, flumina postmodũ redundatura: & Christum ait, ut doceret, ostenderetq; futurum, ut populus Gentium succederet, & in locum quem Judæi perdidissent, merito fidei perveniret, de aqua vinum fecisse, ut ad Christi quippe & Ecclesiæ nuptias Judæis, qui fuerant invitati, venire cessantibus, eventurum ostenderet, qualiter non temere, neq; contanter plebs Gentium è plateis & triviis, ut se quisq; obtulerat, convocata confluereret & conveniret: vinea enim Domini sabaoth domus erat Israel. In eandem significationem aquam vino instillare institutum sacrifi- *Aqua vino mixta quid in sacris sterit*

cio nostro, quæ modico temporis momento vinum fiat, ut receptos ad nos populos sentire & facere nobiscum intelligamus. Quamvis longe sublimiore significato, preces quæ hujusmodi mysterio adhibentur, humanam naturam indicent aggregari ad divinam, uti divina humanam ad se traxit. Hinc Irenæus de Ebionitis loquens, qui unionem Dei & hominis non recipiebant: *Reprobant*, inquit, *hi commistionẽ vini cœlestis, & sola aqua seculari potati esse volunt.* Alio tamen modo sententiaq; longe seCapit. 1. ciore aquam vino mixtam ajunt ab Esaia, *Caupones tui miscent vinum aqua*, ut id scilicet innueret, quod austero amariorique Dei præcepto, jam tum Judæi illi seniores aquæ dilutionem immiscere cœpissent, multaque laxare, & in commodum suum indulgere sibi, legem adulterantes, cum alioquin legem observare fingerent, & quæ minimi momenti essent, religiosissime custodirent, quod eis pluribus objectum est à Domino; ut de menthæ decimatione, & cameli devoratu, tum illud apertissime:

Matth. 15. *Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Nam*, ut inquit Irenæus, *non solum per prævaricationem frustrati sunt legem Dei miscentes vinum aqua, sed & suam legem contrariam statuerunt, quæ Pharisaica vocabatur, in qua quædam quidem auferebant, quædam vero addebant, & ex libidine sua interpretabantur: &, ut ait Esaias, & Psalmographus subscribit, labiis Deum honorabant, cor autem eorum à Deo procul aberat, eumq; frustra colebant, cum doctrinas & præcepta hominum edocerent.*

## AQUÆ RELIQUÆ. Cap. XVII.

*Aquarum distinctio.* Quoniam vero varia admodum est aquarum consideratio, operæ pretium videtur priusquam huic commentario finem imponamus, aquas distinguere, singularumq; mox specierum significata pertractare. Primæ autem omnium videntur esse pluviæ, de quibus abunde est à nobis disputatum. His nubes necessario conjunguntur, harum igitur significationes statim subjiciemus. Subsequentur inde fontes, mox fluvii, in quos naturæ ipsius impulsu torrentes inferentur, dein construenda erit cataracta. Hinc se offeret mare vastum & magnum, cujus pars nobis erit præsulcanda, iisq; demum, quæ in conspicuo sunt enumeratis, descensus erit in abditam puteorum profunditatem. In universum autem aquæ singulæ, vel limpidæ, tranquillæq; reperientur, vel turbidæ atque procellosæ, quo constituto, singularum hieroglyphica commodius exequemur.

## NUBES PROPHETÆ. Cap. XVIII.

*Nubium hieroglyphica.* Nubes in Divinis literis Prophetarum significato passim positæ, in quas scilicet Dei veritas extenditur, atq; hæ dicuntur mandatum Domini audire, & quo tempore quove loco pluviæ sint effundendæ cognoscere, & à quibus etiam eas suspendere ipsa res exigat. De quibus, uti superius habetur, Esaias, Cap. 5. *Et mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem.* Domum enim Israel Vineam appellat Vates divinissimus, mandatumq; ait nubibus ne super eã pluerent, hoc est, ne Prophetæ oracula sua ulterius in Israeliticum populum conspergerent. Quod autem ad nubem facit, manifestum est eam fuisse multa obscuritatis caligine circumfusam, arcanumq; illud de Christo mysterium, unde nostra omnis doctrina defluxit, per tenebrosas aquas, densissimis quippe nubibus collectas, Psal. XVII. indicari Theologi monuerunt. Nam ubi, *Et nebulæ pulvis pedum ejus*, Eucherius nebulas pro mysteriorum velamento hieroglyphice positas ait. Nam & caligo in id accipitur significatum: utPsal. 17. pote quæ divinorum secretorum operimentum intelligatur, ut Psal. *Caligo sub pedibus ejus*: atq; alibi: *Posuit tenebras latibulum suum.* Est & ubi significant perperam admissorum abolitionem, ut apud Cap. 44. Esaiam: *Delevi ut nubem iniquitatem tuam, & quasi nebulam peccata tua.* Eucherius idem, ubi legitur: *Velut nubes pertransivit salus mea*, iniquorum ait tempora significari. Quinetiam propter eandem Prophetæ duritiem atq; difficultatem, doctrinamq; solido velut quodam corpore concretam ac minime diffluentem, ex grandinis metaphora signatam Psal. VII. viri iidem divina mente prædicti tradidere. Alioqui nix, glacies, & grando in Divinis literis plurimum ponuntur pro duritia atque rigoMatth. 24. re delinquentium. Et quod ait Dominus, *Orate ne fuga vestra fiat hyeme vel Sabbato:* sunt qui per Hyemem sordidum quippe & ignavum tempus intelligant hieroglyphice humanam vitam impeccatorum immunditiis occupatam, scelerumque voraginibus immersam atque detentam: per Sabbatum autem, cessationis diem innui vere dicant, cavendum idemtidem ne cum dies illa ingruerit, desides & à bonis operibus cessantes deprehendamur. Non enim sufficiat non peccare nisi bona etiam

A etiam opera faciamus: quia tam rebellis est vetita consectari, quam contumacis facienda relinquere. Ac de nive, & omni glacie, sentit idem Eucherius: de pruina vero secus, quippe quam abstinentiæ symbolum esse tradit, propterea quod ea sit in causa, ut calor corporis ad salubritatē refrigescat, eaq; de causa dictum, *Factus sum sicut uter in pruina.* Et quoniam huc incidimus, LXVII. Psalmo ubi legitur, *Et virtus ejus in nubibus*, Theologi Apostolos idemtidem per nubes interpretantur, veluti procul extantes, & supra terrena omnia negotia in altum evectos, divinicq; insuper spiritus aqua plenos, qua mox arva, campos, & universam terram inundarent, unde fœcundissimos bonorum fructuum proventus obveniret. Hujusmodi enim pluviam decidere, & rotulentum imbrem terram irrigare, nostra pietas per preces poscere consuevit. *Pruina abstinentiæ symbolum, quare.*

## FONTES LIBRI. Cap. XIX.

SEquuntur fontes, de quibus Psalmo sexagesimo octavo legimus, *Ex fontibus Israel Dei laudes in Ecclesiis emanare:* quod ita Theologi accipiunt, ut intelligamus, ex Legis & Prophetarum libris veB luti ex quibusdam fontibus perennibus, Israelitico olim populo Dei doctrinam atque cognitionem affluxisse: ex quibus fontibus viri illi sanctissimi ac Deo pleni multa haurientes, hymnos in Dei laudem componebant. Apostolus etiam, primos Christianæ pietatis doctores à Christo electos, per aquarum fontes, qui repente apparuerint, interpretes plerique designarunt, ubi Euthymius unanimem veterum sententiam secutus, fœpenumero ait per Aquam, Evangelicæ prædicationis doctrinam significari. Jam quod David ait, *Inter montes transibunt aquæ, potabunt eas omnes bestiæ agri,* O- Psal.104. stendere voluit, nulla tam alpestria, tamq; inaccessibilia loca fore, in quæ doctrina Divinæ legis non sit penetratura: nam per bestias plerisq; sacræ Scripturæ locis impii ponuntur, & qui nullam adhuc rerum divinarum doctrinam audierunt. Et quod Levitico legislator vasa omnia pollui dicit, in quæ pollutorum morticinium inciderit, exceptis, inquit, fontibus aquarum, per fontes quippe & cisternas, & castella, & collectiones aquarum, doctrinam intelligens, & Magistros, qui quod pravis nonnumquam moribus polluti sunt, non tamen prorsus abominandi: de quibus scilicet Matthæus, *Omnia quæcumq; dicunt vobis, facite & custodite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Ad hæc sextis HeC bræorum castris per XII. aquæ dulcis fontes ad Elim repertos, Hieronymus Apostolos XII. interpretatur, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius terrarum orbis siccitatem rigant. Communi vero scriptorum omniū consensu, dulcedo aquis præcipue fontanis attribuitur, quamvis in optima aqua neque sapor neque odor ullus à Physicis requiratur. Quia tamen sitientibus, cum scilicet sicco spuit ore viator, aquæ potus suavissimus accidit, factum ut Poetæ *dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo,* inter objectamenta ingenii posuerint. Ita illud Deuteronomii cantico expressit, mel de petra dictum super Mose, hoc est, tam suavem tamque dulcem & amabilem aquam, ut melli similis esse videretur. Chrysostomus quoque aquæ suavitatem pro melle ex petra prosiliente intelligit, cum nusquam legatur mel à Mose de petra unquam eductum. Apud Davidem vero Psalmo LXXXI. *Educto de petra melle saturavit eos,* Interpretes ita dicunt: *Pavit Christus quatuor millia hominum septem panibus, quia potavit eos mellita doctrina sua usque ad saturitatem.* Res enim omnes ab eo gestæ, præter historiam, mysticum etiam sensum secum trahunt. *Quam dulcia* (canit pietas) *faucibus meis eloquentia tua! super mel ori meo.* Petra igitur illa unde fluebat aqua, ut Apostolus ait, erat ChriD stus. Atque hic fons ille fertur, de quo cecinerit David: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Zacharias patentem fontem dixerit appariturum: Hieremias fontem aquæ vivæ derelinquendum conqueratur. *Fontium mystica significationes.* *Virg. Ecl. 5* *Deut. 32.* *Psal. 119.* *1. Cor. 10.* *Psal. 41.* *Zach. 13.* *Hierem. 2.*

## FLUVII CHRISTUS. Cap. XX.

SEdenim in fluviorum metaphoris longe frequentius est in Divinis literis Christi significatum, ut Psal. XLV. *Fluminis impetus lætificat civitatem, quam incolit Deus,* ubi nostri Theologi flumen Christum esse dicunt, propter ducissima ejus fluenta, de quibus Psalmo primo multa disseruere. Hinc apud Prophetas legas: *Ecce ego ad eos delabor quasi tranquillum flumen.* Et Eccl. 24. *Ego sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvius Dorix, & sicut aquæductus exivi de Paradiso:* & quæ sequuntur in hanc sententiam. Quinetiam ait Dominus, *flumina aquæ vivæ de* *Metaphoricæ fluviorū in Divinis acceptiones* *Joan. 7.*

*ventre*

*ventre ejus, qui crediderit emanatura*, quo sapientiã & facundiam intelligit volui, Ambrosio interprete quam assecuti erant ii, qui divino afflari Spiritu meruissent. Itaq; Apostolorum doctrinam & institutionem prævisam à Psalmographo, Theologi eo loco volunt, ubi, *Extulerunt flumina Domine, extulerunt flumina voces suas*, habetur. Et per amnes, qui per eosdem alveos decursuri erant, subsecutos Doctores accipiunt. Non negarim vero quod tradit Eucherius, flumina nonnumquam pro populo accipi, qui nondum in fidelem receptus esset, in quam sententiam corrivat ille *flumina Babylonis*, Jam & Apoc. 17. *Aquæ, quas vidisti, super quas meretrix illa sedet, populi & turbæ & gentes sunt, & linguæ*. Eodem tendit Esaiæ dictum, cum *Beatos* appellavit *eos, qui super omnes aquas seminarent*. Apud Abacuntam Prophetam legas, *Fluminũ terra scindetur*, quod de Hierosolymis dictum Græci tradunt, quæ scilicet fuerit Prophetarum patria, qui fluminum instar eam irrigabant, sed ad Jesu Christi adventum hiatura esset, & rimis aperienda, omnisque humos alveo ita fatiscente defluxus, penitusq; defecturus, futurum scilicet ut pristina exaresceret vaticinatio, quod eventus comprobavit. Quod vero septimo supra centesimum Psalmo legitur, *Deserta reddidit flumina, & aquarum fluxus in sitim transmutavit*, flumina scilicet exsiccavit, & quæ terra prius erat irrigua uliginosaque, ita desertã reddidit, ut prorsus sterilesceret; & aquarum venas abundantes ita obturavit, ne ulla inde potio, sed sitis potius prosilirent; Euthymius Græcus ipse ad Græcos Philosophos referri dicit, qui scilicet cum eloquentiæ quasi fluminibus & disciplinarum varietate & copia redundarent, omni demum sapientia destitui visi sunt, cum illiterati ac piscatores homines eos represserunt.

*Psal. 92.* *Psalm. 136.* *Esaia 32.* *Abac. 3.*

## TORRENS. Cap. XXI.

*Eloquentiæ descriptio.*

Accedit huc torrens, cujus significatum ita refertur ad eloquentiam, ut torrens facundia veterum scriptorum sententia dicta sit ea dicendi vis, quæ magno dictionis impetu decurrit, quam in Pindari comendationem ita describit Horatius:

*Carm. l. 4. Od. 2.*

*Monte decurrens velut amnis, imbres*
*Quem super rotas aluere ripas,*
*Fervet, immensusq; ruit profundo*
*Pindarus ore.*

In Divinis vero literis mentio fit de quodam deliciarum torrente, Psalm. supra xxx. quinto pro quo plenissima Christianæ doctrinæ fluenta intelliguntur. Torrentem autem dixit Psalmographus, ob tempestativam doctrinam, quæ à Christi ore loco & tempore diffluebat, propterq; ejus in suadendo & arguendo vehementiam, affluentissimamq; vim. Quin & propterea ea multa, quæ de propheticis sermonibus collecta in unum adducebat: fluit enim ad tempus torrens, & vehemens est ac violentus, & ex multiplici aquarum concursu corrivatur, unde ait Eucherius, per torrentes insignium prædicatorum eloquentiam significari. Alioqui torrens in iisdem Divinis literis pro concupiscentiæ stimulo ponitur, quæ vel difficulter superetur, vel in profundum trahat, de quo plura inferius. Nam hic præterire non est animus locum in Psalmo, *Sicut torrens in Austro*, quam exultantis esse vocem, inquit Eucherius, & ex vitiorum vinculis ad libertatem conversionemq; redeuntis, qua postulat, ut Divinæ aspirationis auxilio atq; ope, peccatorum captivitate solvatur, sicut constricti glacie torrentes Austri tepore solvuntur.

*Psalm. 125.*

## CATARACTA. Cap. XXII.

*Cataractæ descriptio. Nam Græcis καταῤῥάσσω, & καταράττω, id est, impetuose rumpo, & erumpo, & desuo. Herodot. l. 3*

Est & Divinarum literarum proprium, vehementiam vel in sermone, vel in opere, aut alia quapiam vi, per cataractam significare: atque hæc ea est cataractarum vox, cujus mentio habetur Psal. 41. Est vero cataracta, aquatici cujusdam alvei coarctatio, ubi aqua in augustum vel natura, vel arte collecta, aut sponte, aut artificis arbitrio, magno inde impetu atq; etiam fragore prorumpit. Sed enim quæ à natura est cataracta, nihil aliud quam strepitum & impetum præ se fert, eaque est naturalis eloquentia sermonis ve copia, nullo studio, sponte profluens. Quæ vero arte construitur, & vim & efficacem operum utilitatem suggerit: atque hujusmodi est dicendi facultas, arte labore, diligentia, judicio atque exercitatione comparata.

MARE.

## MARE. Cap. XXIII.

A Quemadmodum autem fontesque fluviique omnes in mare decurrunt, ita nos dictionis ordo devexit in pelagus. Ut vero loco hoc ea prætereamus, quæ multa super mari ex Ægyptiorum doctrina in Pisce disseruimus: contenti nunc erimus aliquot locis, quos ex Divinis literis eruemus.

## PERDITIO. Cap. XXIV.

Id vero cum primis proprium est maris significatum, ut perditionis indicium sit ob ipsam quippe profunditatem: utpote quæ idonea admodum sit ad suffocandum. Quanquam alia de causa Mare apud Ægyptios pro pernicie ponebatur, ut suo loco docuimus. Quod ad perditionem attinet, eo significato Theologi Prophetam ajunt Psalm. XVII. canere, se de aquis multis eductum. Passim vero interpretes, *Exundantes fluctus* pro *Calamitatum excessu* accipiũt: & per turbulentas aquas suprema quædam doloris ostenditur vehementia, quæ omnem respirandi facultatem exuperat: ut Psalm. 68. affixum se clamat in profundo luto, unde nulla se vi possit expedire, rapidissimis demum vorticibus B advoratum, in imam maris sedem dejectum esse: in quem usque locum tempestas etiam accedat, quæ arenas omnes æstu commisceat atque perturbet, qua quidem nulla major describi potest inquietudo: primo enim aquarum, in quas deciderit, ponit altitudinem, mox limum cui affixus inhærescat, inde maris amaritudinem, & immensas undas, postremo eas sævis tempestatibus agitatas: merito itaque paulo post se de profundo hujusmodi liberari supplicat, ne tanta rerum vexatus perturbatione deficiat.

*Sic Plautus in Asinaria lenam & scortum mare vocat.*

*Sic de his, qui emerserunt è periculo,* Ἐκτὸς πηλοῦ πόδας ἔχεις.

*Extra ludum pedes habes.*

## HOSTILIS IMPETUS. Cap. XXV.

Apud eundem hostilis impetus, & subitaria quædam oppressio, per aquam indicatur, Psalm. 123. *Cum exacerbatus eorum furor in nos debaccharetur, sane aqua demersisset nos*, quod ut magis exasperaret, addit; *Torrentem pertransivit anima nostra*, ubi impetuosos inexpectatosque hostium insultus incursu repentino proruentes, torrenti turgido comparavit, quem tamen auxilio Dei fretus tuto pertransierit: & quasi parum adhuc dixisset superaddidit: *Sane pertransivit anima nostra aquam intolerabilem*, ingentes quippe rerum difficultates atque pericula. Tale aliquid apud Maronem legas:

*Sic illud Demosthenis de corona,* Ὥσπερ χειμάῤῥους, *tanquam torrens*

*Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti.*

*Æneid. l. 7.*

C Idemque alibi nubem belli dixit, utrumque desumptum ex Pindaro. In Isthmiis enim ἐν πολυφθόρῳ σαλαμὶς διὸς ὄμβοῳ. & alibi ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ. Apud oratores historicosq;, turbines & procellas sæpe pro bello positas invenias. Causa vero cur aqua vehementiores indicet ærumnas, ea est, quod pericula casusque reliqui corpus soleant ex una aliqua parte labefactare: aqua vero universo statim corpori circumfusa, omnibus evestigio membris impedimento est, atque undique oggerit difficultatem atque molestiam.

## ÆRUMNÆ. Cap. XXVI.

Hinc Psalm. 87. ubi legitur: *Omnes fluctus tuos induxisti super me*, interpretes per fluctus, perturbationes & ærumnas omnes intelligunt, quæcunque affligere possunt humanum genus, quibus omnibus Christi esset humanitas obnoxia: in ejus enim persona dictum id autumant. *Fluctuare* autem verbum sæpe pro *Perturbari* ponitur. Sedenim aliquando pro timore posita fluctuatio, ut Psal. 61. *Ecce enim ipse Deus meus, & audjutor meus est, quare non amplius fluctuabo:* id est, nihil est quod ul-

*Metaphora ducta à jactatione fluctuum, sic fluctuãs anima.*

D terius pertimescam.

## DILUVIUM. Cap. XXVII.

Accedit huc diluvium, de quo Psalm. 28. *Dominus diluvium inhabitare facit*, sive ut alii reddidere, *Diluvium sedat*, vel, *Tempore diluvii regnum obtinuit*. Utcumque significatum ad humanam pertinet salutem, quoniam hic gentes intelliguntur, quæ suarum inundatione cupiditatum, in vitiorum pelago, & humanorum affectuum voraginibus demersæ detinebantur, quæ mox à Domino exemptæ servatæque sint. Alio vero loco, Psalmo quippe 31. habetur, *Diluvium aquarum multarum proxime ad eum non accedat:* per hujusmodi aquas supra modum exundantes, tum scilicet excrescentia ripas flumina prætereunt, vel mare turgidum per littora spatiatur, quas supra memoravimus calamitates intelligi volunt. Ita Euthymius & plerique alii sentiunt.

## ABYSSUS. Cap. XXVIII.

*Abyssum abyssum invocat quid. Vel potius malorum abyssus, κακῶν βάθος, & ἄτης.*

EOdem modo, ubi fit de abysso mentio, vastum calamitatis pelagus figuratur, ut Psalm. XLI. *abyssus abyssum invocat*: quod ita accipiunt, profunda atq; vasta calamitas vastiorem aliam semper vocat calamitatem, quod alii dixerunt *Malorum hydram*, cum scilicet aversæ res cladesq; continenter ingruunt, ac velut unda supervenit undæ, aliæ post aliam succedunt. Sunt qui dictum ita interpretantur, ut uniuscujuspiam rei magnitudo alterius invocet magnitudinem: utpote, peccatorum cumulo necessarium esse ingentem cumulum misericordiæ. Alii per abyssos hos novam & veterem divinarum institutionum doctrinam intelligunt: profundissima enim utraq; est, & altera alterius indiget auxilio: ita enim Eucherius, Psalmi dictum hujusmodi citans, profunditatem inquit Scripturarum inde colligi. Neque illud non probat, ut vetus testamentum, qui novi egeat auxilio, & veteris novum. Quin & humanam mentem unicuiq; abyssum esse dicit, qui nequeat semetipsam ipsa comprehendere, nisi superioris abyssi ope sublevetur: unde scilicet affulgeat lumen, quod alti profundi tenebras discutiat.

## LACUNA FOSSAQUE. Cap. XXIX.

*Sic Cicero 4. Verr. Lacunam rei familiaris propernicie & ærumna.*

AB abysso haud multum dissimilis est alia aquarum species lacunosa, eaque plurimum turbida, cœnosa atq; fæculenta, quæ nimirum pro cladibus & ærumnis accipi solet. Ita dictum Ezechielis interpretantur, ubi Dominus ad Hebræos: *Aperiam sepulturas vestras, & educam vos de Babylone.* Frequenter enim in Divinis literis pro una eademq; re ponuntur, sepultura, vorago, infernum, abyssus, fossa, lacus, & similia. Psal. 27. *Similis descendentibus in lacum*, nonnulli profundissimas fossarum altitudines intelligunt, unde non detur emersus: nonnulli sepulchra foveis excavata. Sed enim Psal. 29. *Servasti me ne deciderem in lacum*, quod foveam alii, alii puteum vertere: Euthymius inevitabile periculum exponit, quippe voraginem, in quam qui forte inciderit, suis ipse viribus nequaquam possit evadere. Alibi exauditum se ait Propheta, ut de lacu profundissimo sordidissimaq; extraheretur, quod maxima vitæ discrimina, quod divinitus evaserat, declarat. Et quod ibidem dicitur de luto limi, lividissimam loci putredinem ostendit: ea vero est, quæ animas nostras eo demersas tenaci veluti cœno implicatas detinet. Hinc Davides orat se de luto eripi, ne affixus in palude putoreq; illo perpetuo recumbere adigatur: atque hæc de turbidis.

## LIMPIDÆ. Cap. XXX.

*Claritudo & obscuritas aquæ quid.*

AQuæ vero limpidæ perspicuæque omnes, dubio procul pro doctrinæ symbolo, uti ostensum est, accipiuntur. Doctrina autem omnis vel in conspicuo est, in ore quippe ipso, vel in mentis recessu. Hinc ea, quæ manifeste patent, perspicuis & nitidis, neq; admodum altis profluentibus comparamus: quæ vero in arcanis habentur, aut solo concipiuntur intellectu, ea vel nubium, uti superius, densitari, vel puteis, vel altioribus undis similia sunt. Transfertur autem commodissime hæc aquæ claritudo atque obscuritas ad humanum animum, eaq; metaphora, quod syncerum apertum, manifestumq; & perspicuum est, Candidum appellamus: propterea quod hujusmodi propemodum est aquæ puræ conditio, ut superficiem habeat claram atque perspicuam. Hinc Pindarus Pythiis, Arcesilao candida præcordia dixit, λευκαῖς πίφασιν φρεσίν. Contra vero quæ abdita, incognita, & in intima mentis penetralia recondita, ab ejusdem aquæ similitudine, obscura, nigra, vel alta nuncupamus: ut quæq; enim in aquis profundiora sunt, eo videntur obscuriora. Ita Homerus nigra inquit præcordia, φρένας quippe μέλαινας ob taciturnitatem, & consiliorum occultationem. Et Virgilianus Æneas premit altum corde dolorem, quem nullo scilicet signo manifestabat.

*Æneid. 1.*

## PUTEI. Cap. XXXI.

ET in hujusmodi significatum Divinæ literæ Puteos plurimum ponere consueverunt. Hinc Isaac puteos tot fodit, tot purgare aggreditur, tot novo labore aperit, quæ omnia mystico sensu vitæ, quam sequi debemus, doctrinam indicant. Nam & Philo eo loco, *Quæ foderunt pueri patris ipsi, ingesto rudere obstruunt Palestini*, fossuras puteorum auspicia esse disciplinarum ait. Eæ vero in placatissimo contemplativæ Philosophiæ recessu commorantur, ubi tranquillæ, placidæ, leniterque fluentes aquæ castissime lasciviunt. Non negarim autem puteum in Divinis literis esse etiam uxoris hiero-

A hieroglyphicum. nam eo Theologi noſtri trahunt Salomonis præceptum, *Bibe aqua de vaſis tuis & de puteorum fontibus.* Jam Berſabeæ nomen *Septimus puteus* interpretatur, quæ ſeptima fuerit Davidis uxor. Propter aquas educatum ſe Davides plurimum gloriatur, ſed perſpicuas, vivas, dulces, & placide prolabentes aquas, quæ nobis quoq; ſunt idemtidem adeundæ, ſi modo illos adeamus puteos, in quos Palæſtini terram non ingreſſerint, in quos ſcilicet, ut hoc obiter interpretemur, invida, ac periniqua Hæreticorum factio ſuæ turpitudinis cœnum non admiſcuerunt: quicumq; enim ſuam uberrimis hinc limpidiſſimiſq; undis ſitim expleverit, aut cœleſtem exceperit rorem, fontes melle fluentes hauſerit, nubium harum imbrem collegerit, inq; auctoris iisdem imbribus fluvios demerſus lavet & volutetur: æſtuoſos is cupiditatum ardores extinguet, membris morbos, qui ſenſum obſtupefaciunt, expellet, animiq; podogram, bonorum quippe operum impedimentum, elidet, omniq; demum labe perpurgatus, nulla corporis fæce ſordidus, ſitu obſitus nullo, nulla denique labe contaminatus, ipſam æthereæ puritatis claritatem induet, & ſuperis par effectus, immortalitatis etiam conditionem divini decreto liberalitatis aſſequetur.

*Puteus pro uxore. Prov. 5.*

B

# JOANNIS PIERII VALERIANI
## HIEROGLYPHICORUM
## LIBER XXXIX.

## DE IIS, QUÆ PER ISIDEM, ET JUGERIS QUADRAM, ET PICTURAS ALIQUOT alias ſignificantur,

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

C AD M. ANT. PASSERENM, PATAVINUM PHILOSOPHUM PROBATISS.

*NOlim putes, eruditiſſime M. Antoni, dedicationem hanc meam de Iſide, deque iis, quæ ſimilitudine quadam ad Iſidis argumentum in comitatum ſeſe adjunxere, ideo tibi factam, ut ſperarem te aliqua hinc obligatione mihi devincere: cum mihi potius perſuaſerim, multum me acquiſiturum, tibiq; plurimum debiturum, ſi commentationes has meas, qualescunque ſint, ſuſcipere, dignatus fueris. Nam quid ego vel meditari, vel continua lectione conſequi unquam potuerim, quod eruditionis cujuſpiam nomine venditari mereatur tibi, cui totus ſit calathus ille domi, unde omnia poſſis largiſſime depromere? Non enim te ſolis Medicinæ Philoſophiæq; terminis cohibuiſti, ſed longe ulterius progreſſus, variarum inſuper rerum minime protritarum doctrinam ita tibi comparaſti, ut te quacunque re propoſita, & erudite loquaris, & eruditionem ipſam mira ſermonis jucunditate noveris conveſtire. Quin Poetas, Hiſtoricos, Polybiſtoraſque omnes ita familiares effeciſti, ut nihil tota in encyclopædia ſit,* D *quod te lateat, quod non in promptu habeas, proque loco & tempore utaris quam feliciſſime. Quare nihil, aut parum legendis noſtris profecturus es, niſi quantum amici virtutibus tuis deditiſſimi nugas amas, & qui amant, Ovidianum illud objectare ſolent:*

In facie nævus cauſa decoris erat.

*Sit utcumque, non debui ego, quantulumcunq; præſtare potui, quin ad te mitterem hæſitare, aut propemodum expaveſcere, qui ſcirem quantum inde lucri facturus eſſem, qui rem quidem imbecillam admodum & infirmam offerrem: ſed quæ apud tam peritum, tam prudentem, tam probum, eundemq; humaniſſimum amicum ita accipi poſſit, ut vigorem firmaq; vires ſit conſecutura.*

## DE ISIDE. Cap. I.

ISis dea quæ fuerit, quantoq; cultu à veteribus veræ pietatis nescíis, sed rerum humanarum peritissimis, suscepta, quod superstitionibus celebrata jam omnibus innotuit: quare nos circa hieroglyphica ejus tantum immorabimur.

## QUADRIENNIUM. Cap. II.

*Isidi varia significata.*

PEr ejus effigiem inter alia significata Ægyptii annum suum, qui scilicet quatuor annis solaribus constabat, indicabant. Erat vero muliebre simulacrum patrio paludamento vestitum, ut paulo post dicetur, quod & anni & ipsius Dei signum habebatur. Isis in cœlestibus astrum est, Sothis Ægyptiaca lingua nuncupatum, ἀστρογνώων Græca, quasi Astrocanem dicas corrumptam eam dictionem multis in locis invenimus. Is idem apud nos Sirius est, eademq; Canicula, quæ stella sub mento Canis est, ut Aratus observavit, quamvis alibi ex Eusebii observatione diximus, Solem & Sirium eundem accipi. Simpliciter vero stellam hanc in Isidis honorem Ægyptii colebant: quod ortu suo ingentes apud ipsos pluvias concitare solet, quibus Nilus crescat, unde sibi victui necessaria comparabant, qualem honorem & Leoni habitam eadem de causa, ipso Leonis commentario declaravimus. Cur vero annum ex hieroglyphico hujusmodi intelligerent, causa est, quod Ægyptii annum ab istius sideris ortu auspicabantur. Oriri vero in Ægypto solitus xii. circiter Calend. Augusti. Sed hoc de vertente, de proprio inferius.

*Hinc Suidas ait, σείριον τὸ κύνα, ἔστι δὲ καὶ τὸν ἥλιον,*

*Sirium canem, & quidem solem.*

*Apud nos circa 8. Kal. Julias.*

## LUNA. Cap. III.

PLutarchus vero & Eusebius, qui veluti Solem Osirim, ita Isiden Lunam ex Ægytiorum dictatis esse contendunt, eam hoc hieroglyphico describunt, ut cornua taurina, veluti novæ Lunæ speciem gestet, nigraq; amicta palla, per latebras & obscura loca Solem appetere, atq; unum ipsum concupiscere videatur. Unde factum est, ait Plutarchus, ut in amatoriis, quemadmodum apud Theocritum est, Lunam invocarent. Eudoxus enim Isin rebus amatoriis opitulari dicit. Hinc apud Ovidium, in Arte amandi, legas:

*Multas illa facit quod fuit ipsa Jovis.*

*Adjutrix amatorum Luna.*

Porro Luna cum sit noctis domina, noxq; voluptatis illecebris & Veneri sacra, quæ ut alibi dictum latebris & spelæis gaudet, hieroglyphice plurimum cum iis, quæ Veneri attribuuntur, congruit. Amatores enim apud Maronem,

*Æn. lib. 6*

*Secreti celant calles, & myrtea circum*
*Sylva tegit.*

Hinc legas apud Eusebium, voluptates, atq; eas, quæ forte omnium maxime censeantur, si aspexerimus, aut quod risu dignum, aut visu turpissimum est, advertimus, quocirca vel erubescimus, vel occultare properamus. Id autem impendio cavemus, ut hæc omnia nocti concredamus. Celari enim, ut elegans Poeta dixit, vult sua furta Venus.

*Hinc Ovid. l. 2 de Arte,*

*Utque viro furtiva Venus sit grata puella.*

## MATERIA FORMAQUE. Cap. IV.

CUm vero Isis materiam etiam mystice significet, Sol vero formam, vel agentem vim, Lunaq; Solem ita suum observet, ejusq; semper radios excipere quærat, quibus illustretur, videor Platonis illud intueri desponsa, quæ veluti prostituta sponsum expectat avidissima, unde rerum species, atq; novatus concipiat, & loco reddat: uti Luna lumen acceptum mutuo, quo potest studio restituit. Atque hæc ita obscura hieroglyphicum est materiæ, quæ nullam adhuc formam susceperit. Figuræ autem variatio in Lunari globo materiam aperte satis commonstrat, quæ veluti cera mollis, nunc hanc, nunc illam impressionem ex quocunq; sigillo suscipere apta sit. Hinc tæniæ variæ multicoloresq; Isidi dicatæ, non septem tantum eas Lunæ facies, quas Græci φάσεις dicunt, ab Heliodoro ita nuncupatas, σύνοδον, μέναν, ἀναπολιὼ, μηνοῦ, διχότομον, ἀμφίκυρτον καὶ πανσέληνον, sed etiam vim ejus, quæ circa materiam versatur, indicant: qua scilicet gignit omnia, & omnia concipit, lucem quippe, tenebras, diem, noctem, vitam mortem, principium, finem. Quis enim assiduam in Lunari facie varietatem non admiretur, dum eam nunc evanescentem, ut Heliodori sententiam inter-

*Septem Lunæ facies, earumque nomina.*

A interpretemur, nunc corniculatam, nunc dividuam, nunc protumidam, nunc plenam contemplatur? Ignium denique facie varia, quanto longius faceſſit à Sole, tanto largius colluſtrari, parte lumi-nis compotem, parte altera caſſam proque oris circumverſione fulgoris ſpeciem variare: ſive id alieno irradiata lumine faciat, ſive proprio præpetique candore, ut Chaldæi arbitrantur. Cleomedes enim libro de cœleſtium orbium contemplatione ſcribit, inter Beroſi placita contineri, corpus Lunæ pilam eſſe dimidia parte candidam, altera cæruleam, partemque illam candidam proprietate quadam τῆς συμπαθείας ad Solem ſemper converti: unde quo magis illi ſuccedit, luminoſam illam partem à nobis averti magis: quo vero longius abſceſſerit, eo magis oculum noſtrum in amborum medio ſiſti, partemque candidam nobis adverſam fieri, ac perinde ſeſe exhibere conſpicuam. Tangit idem Apulejus in Deo Socratis. *Mutua conſenſu.*

## PRINCIPIUM. Cap. V.

OSiridis vero tæniæ nulla fucabantur umbra, ſed undecunque micantiſſimæ ſplendorem nitidum præ ſe ferebant. Nam cum illæ principii ſymbolum eſſent, idque virtute ſua purum nitidumque ſit, neque ullius rei admiſtione labefactetur, nihil præter candorem oſtentare par erat. Sacerdotes autem illi cum has ſemel in manus ſuſcepiſſent, eas veſtigio recondebant, non amplius videndas attrectandasve, Iſiacis vero ſæpius utebantur. Tænias autem Græcam vocem ſic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum eſſe laneum capitis honorati. Hinc Ennius Alexandro: *Tænia quid*

*Volans de cælo cum corona & tæniis.*

Sed ut rei Philoſophiam in albis hiſce tæniis explicemus: manifeſtum eſt rerum omnium principium ab omnibus ſanæ mentis hominibus ad Deum referri. Album autem eſt prima veluti materia quædam, in quam colores, quotquot volueris, perinde ac in univerſalem illam poſſis omnes ſpecies inducere. Hinc ad Dei cultum alba plurimum indumenta omnium pene nationum conſenſu adhiberi ſolent, ſemperque albus color ſacris accommodatus. Atque ideo ait Perſius: *Quamvis albata rogarit.* Sed quid indigemus Perſio, ſi Aſſertotis noſtri indumenta, cum gloriam ſuam vellet diſcipulis patefacere, alba ſicut nix apparuere? Apud Ciceronem II. de Legibus: *Color albus præcipue decorus Deo eſt tum in cæteris, tum maxime in textili.* Et noſtra pietas canit, ut linteas, easque puriſſimas in- *Albi coloris commendatio.*

C duti tunicas, ſacra Deo caneremus. Sed quoniam præcipua annorum, menſium, & dierum hieroglyphica tam ſignificata, deſumuntur à vario cœli motu, præteritis multis, quæ per figuras varias indicabantur, nec vulgo tamen, ſed ſolis ſacerdotibus Ægyptiis innoteſcebant, ad cœlorum perindeque circulorum conſiderationem progreſſi, reliqua quæ de temporibus ſignificantur, per horum figuras explicabimus.

## DE CIRCULO. Cap. VI.

CIrculi ſignificata non apud Ægyptios tantum in uſu fuere, ſed & apud nationes alias multifariam accepta: quare ſeparatim ſuum, hoc eſt, hunc locum ſibi depoſcere viſi ſunt.

## ÆTERNUM PERPETUUMQUE. Cap. VII.

D NAm quod modo in Oſiridis tæniis dicebamus, has utpote albas principium indicare, unus quippe circulus deſcriptus, aut ſimpliciter, aut alteri cuipiam picturæ ſignove circumductus: nunc ſemper, nunc perpetuum & æternum, nunc omnia, quippe τὸ πᾶν ſignificabat: nempe quod in ea figura neque principium, neque finem invenire ſit, quod æternitatis eſt proprium, & quia omnium eſt figurarum capax, univerſitatem ipſam intra ſe complecti videtur. Ab hujuſmodi autem circulari ambitu exacte peracto, videlicet cum Sol à matutino horizonte digreſſus, eodem redierit, unde ferri cœperat, divinæ literæ *Tota die*, pro perpetuo poſuerunt, ut Pſal. 71. *Ut cantem gloriam tuam tota die*, ubi Symmachus, pro lectione, quæ eſt, *Tota die*, perpetuo reddidit. *Tota die pro perpetuo.*

## DEUS. Cap. VIII.

CUjus etiam principii finisque nuſquam apparentis ratione habita, Ægyptii Deum ex hieroglyphico circuli intelligebant. Perſæ vero (quod non abſurdum eſt repetere) cum Jovem cœli domi-

dominum dicerent, sacrificia illi se facere putabant, ubi celsissimam speculam conscendissent, Jovemque cœli circulum nuncupassent. Transiit idem mos ad Turcas. Hinc ab alta quaque turri matutinales illæ acclamationes, quarum sensus est, Deum fuisse semper, futurumque semper, neque quicquam aliud, nisi quod suum etiam salutant Mahometum Sarraceni quoque & pleræque aliæ nationes Deum, Circulum appellabant, atque hinc sempiternum exprimi contendebant.

## ADORATIO. Cap. IX.

*A lovendi circumactu corporis.*

EA de causa Pythagoras circumactu corporis adorandum jubet his verbis, περιτροπὴ σώματος, quod Plutarchus ad imitationem cœli perpetua vertigine circumacti fieri putat, quamquam nonnulli dictum ad rerum humanarum varietatem, assiduamque mutationem, in quibus nihil stabile, perpetuumque sit, arbitrantur. Sedenim quod ad corporis conversionem pertinet, multarum is gentium mos fuit: idque Propertiani loci aperit intellectum, libro 1.

*Ante tuos quoties verti me perfida postes,*
*Debitaque occultis vota tuli manibus?*

*Suetonius in Vitell. c.2.*

Quod dubio procul adorationem rite factam innuit. Tale aliquid apud Suetonium invenias, ubi Lucio ait, de Vitellii progenitoribus loquens: *Idem miri in adulando ingenii, primus Caium Cæsarem adorari, ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.* Fuit vero Numæ institutum, ut adorantes Deos, in orbem se verterent, deinde vero sederent. Præterea conversio illa, & totius corporis circumactio, nobis documento est, nihil ex humanis rebus firmum esse & stabile, & utcumq; vertat Deus, revolvatq; vitam nostram, id jucunde ac libenter admitti oportere. De sestu autem in Cynocephali commentario dictum, situm hujusmodi ad divina pertinere. Id vero minime prætereundum, fieri solitam eam corporis conversionem à sinistra in dexteram, ad ipsius mundi imitationem, cujus ortus, ut & Plinius, & nonnulli alii tradidere, ab læva parte est in dexteram præceps. Quare jocatur Plautus Curculione, dicente Phædromo: *Quo me vertam nescio*, subjungit Palinurus servus: *Si Deos salutas, dextroversum censeo.* De Camillo memoriæ proditum est, cum se ad dexteram convertisset, ut mos erat Romanis adorantibus, subito eum lapsu cecidisse, quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est, pertinuisse creditum, omnia eo populo superstitiosius æquo perpendente. Quoque ad hujusmodi circuitum in adoratione pertinet, notum ex historiis est, quam prudenter Marcellus ad Capidium Cisalpinæ Galliæ vicum se gesserit. Nam cum impetum in Gallos faceret, retractus ab Equo ob hostium clamorem perterrefacto, circuitum eum adorato Sole, ut Romanis in pugnæ principio facere mos erat, de industria fecisse simulavit, ne apud suos mali ominis religionem excitaret. E contrario Galli sinistrorsum, & in lævam partem religiosius fieri ab adorantibus conversionem corporis arbitrabantur, de quo ita Plinius: *In adorando dextram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus: quod in lævum fecisse Galli religiosius credunt.*

*Numæ institutum in adorandis Diis.*

## PERFECTIO. Cap. X.

DEnique apud veteres observabatur, ut facto sacrificio, circulum in ara illinerent ex hostiarum sanguine, quem phiala religiosissime collegissent. Idque erat sacrum illud verbum τέλειος, quod perfectionis indicium esse dicebant: quod figurarum ea sit undecumque perfecta.

*Nam τέλειος, Id est, perfectus & δεκὰς τελεία, perfecta virtus. Arist. libr. Eth. 5. c. 13.*

## ANNUS. Cap. XI.

QUi vero per circuli designationem annum intelligi volunt, ut manifestiora prætereamus, ejus potissimum aurei circuli ratione inniti videntur, quam de Simandii sepulchro & Cambyses & Persæ sustulerunt: erat enim ille trecentorum & sexaginta quinque cubitorum ambitu, cubiti unius latitudine, singulis anni diebus in singulis cubitis, exsculptis, per astrorum ortus occasusque, quidq; ea secundum Astrologos observata significarent: cujusce rei quædam propemodum umbra habetur Patavii in Palatini palatii aula, ubi corona superne circum circa ducta, Zodiaci primum totius figuris insignis, mox gradibus suis distincta, quorum unicuique adpictæ sunt certæ rerum imagines, quæ pueri gradus ejus emersu nati, modo ingenium, modo sortem indicent: quarum ego testimoniis sæpe uti soleo hieroglyphicis meis fide facienda: nam Ægyptium quid omnino sapere videntur.

*Aureus circulus in Simandii sepulchro.*

POEMA-

## POEMATIS GENUS. Cap. XII.

A AD anni autem similitudinem Poëmaticis etiam genus Circulus appellatur, cujus Aristoteles Analyticis meminit. Id alii alio exposuerunt modo. Sed nimirum Poema illud Circulus appellatur, cujus finis idem est cum principio, cujusmodi est Catullianum epigramma in annales Volusii, & alterum in Nonium Strumam, & unum etiam in Mamurram & Cæsarem Euthymius sane Circulares eos Psalmos vocat, qui eodem finiunt versu, quo cœperant, cujusmodi est XVIII. supra centesimum: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam sempiterna est ejus misericordia.* Fierique solet, ubi sententiam aliquam insigniorem quærimus in audientis animo quasi aculeum quendam è repetitione productum affigere, utque tenacius memoriæ inhæresçat, affixum ita relinquere.

*Hinc forsan Veteris Gallicæ Poëseos nomen, Rondeau.*

*Circulares Psalmi qui.*

## CONTRARIETAS. Cap. XIII.

MOtus vero, qui est in circulis, natura considerata, in causa fuit, ut periti Mathematicarum, contrarietatem hieroglyphice significare volentes, duos juxta sese contingentes circulos de-
B scriberent, quales in quibusdam machinis fieri vidimus, propter unius incursationem adverso motu alterum circumagi: atque ita manifestam discordiam apparere, quam in adolescentiæ nostræ delictis, amore in indignationem converso, ita ex Aristotele descripsimus:

*Non aliter motas concurrere ad oscula vidi,*
*Hinc atque hinc geminæ sicoiere rotæ,*
*Quæ simulac primis sese tetigere labellis,*
*Pars ea quamprimum, quæ veniebat, abit.*
*Fitq; ex concursu facies contraria primæ,*
*Machina versameo qualis in igne fuit.*

*Mathematica observatio.*

## SUMPTUS PUBLICI PRIVATIQUE. Cap. XIV.

ORbiculi quidam numismatum speciem referentes, quos in aliquot pyramidibus & obeliscis excisos videas, pecuniam indicant in opere construendo erogatam: qui si fuerint in orbem di-
C sposiți, sumptum ejus operis significare ajunt publicum fuisse, sin parallelari quodam ordine sculpti, privatam impensam significare contendunt, quæ tamen interpretamenta juniorum quorundam esse, non inficior: nam apud veteres nihil tale interpretatum inveni. Exigeret hic locus, ut de circulis quibusdam mutua complicatione conjunctis, qui disciplinarum hieroglyphicum constituunt, rationem subjungerem, sed quoniam argumentum illud alio commentario, quod Illustrissimo reverendissimoque Herculi Mant. inscripsimus, late satis explicatum est, ad sphæram nunc & figuras aliquot istius cogitationis convertemur,

*Orbiculi numismatum speciem præse ferentes.*

## DE SPHÆRICA FIGURA. Cap. XV.

PEr circulum superius Deum à nonnullis intelligi docuimus. Cæterum si qua Deo forma similitudove adscribi possit, longe convenientius sphærica illi figura accommodabitur. Merito itaque Xenophanes mundum illum archetypum sphæram appellavit, veteresque plerique veræ Theologiæ scientiam nondum assecuti, nihil esse aliud Deum, nisi cœlum ipsum, & cœlestia ista arbitrabantur.
D Sed & Salomon ad Deum conversus: *Exaudi ô cœlum*, dixit. Deos tamen, ut nostrorum interim oracula missa faciamus, neque mensura, neq; forma ulla comprehendi posse dicit Jamblichus, & omnes, qui aliquo veræ doctrinæ lumine irradiati fuerunt,

*Et Esai. c. 1. Audite cœli.*

## ÆTERNITAS. Cap. XVI.

ITaque recte cum per hieroglyphicum sphæræ Deum intelligerent, æternitatem quoque eadem figura describserunt. In numo enim Faustinæ, quam retulerant inter divos suos, sigillum est cum sceptro super sphæram sedens, dextera exporrecta, cum inscriptione, ÆTERNITAS. Eadem inscriptio in numo altero, ubi dea summis lævæ digitis palam tollit, dextera sphærulam porrigit. Cum vero mundi ipsis figura in orbem conglobata perhibeatur, plerique veterum eo signo credidere, mun-

*Faustinæ numus. In princ. pio.*

mundum identidem principio caruisse, quodque in divinis Græci reddiderunt ἐν ἀρχῇ, abæterno hi sunt interpretati. Quibus Magnus Basilius egregie respondet, atque inter alia, figuræ hujusmodi principium, quod incompertum illi putant, & scholis omnibus declamitant, à centro is esse demonstrat. Apud Romanos quoque perpetuitas est per sphæram indicata, ut sphæra illa, quæ cum caduceo & pharetra transversis, virgaque cui palliolum appensum est, dexteræque consertæ, in numo, quem

*Cæsari numus.*

Cæsari cudit L. Buca, in cujus altera facie inscriptio est his literis, CÆSAR. DICT. PERPETUO. Sane perpetuitas ex sphæra, authoritas vero Dictatoria, quæ illi consensu atque concordia civium demandata fuerat, per insignia reliqua significantur, de quibus sigillatim dicere non est hic locus.

## COELUM. Cap. XVII.

EAdem pila Solis & Lunæ signis conspicua, cœlum significabat. Alii per hujusmodi speciem CUNCTA, veluti etiam in circulo, interpretabantur: siquidem circumflexu cœli, quem alio nomine Mundum appellamus, cuncta regi comprehendique manifestum est: quippe qui totus in toto sit, imo vero ipse totum, extra intraque in se cuncta complexus. Quin non modo pila, sed simplex rotæ curvatura cœlum apud Ægyptios indicabat. Ita enim apud Cyrillum legas libro nono contra Julianum, quod præcipiti quidam ingenio pro Aspide Aspidem transtulerunt. Hujus picturæ eam Ægyptii tradebant causam, quod cœlum in circuitum assidue feratur.

## FORTUNA. Cap. XVIII.

*Fortunæ figuræ, & minus præcipuum*

VUlgatissimum illud inter hieroglyphica, Fortunam nunc rotulæ, ut vulgus, nunc sphæræ alicui, ut Cebes, insistentem pingere: sive ut eam rerum dominam ostentent, qua etiam de causa Apelles eã in sedem collocavit: sive ut ejus instabilitatem inde coarguant. Quin à volubilitate nomen etiam illi: nam quæ prius Vortuna à vorto dicebatur, digammi mox mutatione in F affinem literam, quod in pleriſq; factum est locutionibus, in Fortunam abiit. Cujus præcipuum opus est ima summis, & summa imis commiscere, rerumque omnium vicissitudinem inducere, cujus quidem vertiginis ergo Φερεπόλῳ τύχη Pindaro nuncupata. Nam si fortuna propriũ hoc habet, ut vicissitudinum author sit, quos modo claros effecerat, mox obscuret, fovereque desinat: quos vero premebat, jam erigat, & illustres efficiat, quæque antiquissimus Hesiodus super his de Jove dixit, jure ipsa sua propemodum administret, quid in rerum natura mutabilitati huic & apertissimæ rerum vicissitudini magis simile reperiatur, quam circuli, rotæve motus? constant enim hæc primum, simulac fiunt, ex re ipsa, contrariis simul manentibus, & integris, curvo scilicet & concavo, ex stante & moto, centro scilicet & circumferentia: ac simulac impelli cœperint, una eademque linea, uti superius dicebamus, abit & redit, ascendit atque descendit, eodemque motu, quod primum erat, ultimum, quod ultimum, primum evadit, ut nihil deniq; in una re quapiam variantius excogitare possis. Unde merito dixerit Aristoteles circulum miraculorum omnium esse principium. Id vero minime prætereundum, Ægyrenses ejusdem mutabilitatis ergo Amorem atque Fortuam eodem in delubro venerari consuevisse. Constat igitur pilam atque rotam volubilitatis hieroglyphicum esse, & luculento apud Græcos epigrãmate Posidippi de Occasione, quæ idem fere cum Fortuna officium exercet. Ea enim cur rotulæ insistat interrogata, *Stare loco nequeo*, respondet. Auguralis autem disciplinæ observatione proditũ est, sphæram æream de Cæsaris Maximini statua, quæ in vestibulo Regiæ locata erat Antiochiæ, excussam repente Joviano Imperatore urbem eam ingrediente, turbarum quæ subsecutæ sunt in ejus perniciem, portentum habitam, quod Aruspices rerum volubilitatem id significare asseverarent. Et p Constantius Imp. paulo antequam moreretur, imaginari per quietem visus est, cernere se patris effigiem, quæ pulchrum infantem offerebat, quem ubi gremio suscepisset, projecit is longius sphæram de manu ipsius Imperatoris excussam: quod temporum permutationem portendere, eventu minime irrito ab Aruspicibus responsum est. Quod vero dicebamus, Fortunam sphæræ insistentem pingi solitam, apud plerosque variat hujus argumenti species, ut in numo P. Septimii Getæ Cæs. sigillum ab altera parte est cum radio in læva, cum sphęrula in dextera, quã exporrigit, uti colossea quædam manus ahenea, in Capitolio habetur. Vidi etiam Fortunæ simulacrum pilæ insistens cum novacula, cum navali clavo, & cornu copiæ, in qua, novacula felicitatis indicat amputationẽ: pila facilem ejus vo-

*Polum ferens fortuna.*

*Idem Homerus Iliad. lib. ultimo. tribuens Jovi dolia duo, in quibus sunt bona & mala, quæ pro arbitrio dispensat.*

*Ab Auson. in Epigram. matii.*

*P. Septimii Getæ numus.*

Jubili-

A habilitatem, ut passim: clavus, vitæ nostræ sub ejus ditione cursum: cornu copiæ, bonorum largitionem. Sane Plutarchus commentario de Fortuna Romanorum, Fortunam ait trajecto Tyberi, positis alis, exutis talaribus, abjecta instabili & vestigia fallente pila, ita Romam ingressam, quod indicium esset eam ibi constanter permansuram, neque alio in posterum abvolaturam, illud scilicet Maronianum secutus, quod de Romanis ait:

*His ego nec metas rerum, nec tempora ponam,* *Æneid. l. 1.*
*Imperium sine fine dedi.*——

## TERRARUM ORBIS. Cap. XIX.

QUo pacto autem terrarum orbem pila descripta significent, rudi etiam innotuit plebeculæ. Orbem enim linea quadam, veluti finitore circulo dissectum, alterum quoque ex hemisphæriis, quippe superiorem quasi meridiano circulo producto dividunt, à meridiano autem quasi coluri partem ad occidentem Solem vertunt, atque inde Asiam, hinc Africam & Europam intelligunt, cum ta-
B men Poëtæ terram ἀπείρονα dicant. Cujus vocabuli si vim simpliciter interpretemur, infinitam exponemus. At Joan. Grammaticus, Aristotelis interpres accuratissimus, σφαιροειδῆ mavult interpretari, omnino enim neq; sphæra, neq; circulus finem principiumve ullum præ se ferunt. De figura vero terræ quam varia aliis atq; aliis credatur, videndum apud Plutarchum libro de Philosophorum placitis altero. Sed nos in hoc antiquis feliciores sumus, quod non uniuscujusquam testimonio, sed jam innumerabilium de visu referentium, universum hunc orbis globum terra marique & habitabilem & permeabilem accepimus, & quotidiana in hanc & illam partem supra & infra navigatione, manifestior fit in dies. Sed quod ad orbem nostrum attinet, videre est in Faustinæ numo quodam sphæram pro terrarum orbe positam: ibi enim Cybele Leoninæ insidet sellæ, sphæramque inter manum atque genu continet, inscriptio, quæ ad hanc rem facit, est, Matri magnæ. In numo Germanici Imp. Cæsaris Aug. Victoria sphæram movere videtur, in qua literæ, S.P.Q.R. quasi terrarum orbem Senatui populoque Romano adjudicatum jam esse, significare velit. Sane autem Imp. Nervæ Cæs. Aug. sphæra S. C. adcusa est, cum adjecto temone, quod orbis gubernationem dubio procul indicat. Et
C eodem significato Imperatori Vespasiano Aug. P. M. P. P. P. cos. VI. Utrumque numo æreo signum idem dedicatum. Grati vero Imperatores qui diis acceptum referent, quod regnarent, id deorum providentiæ adscribentes, rem numismatum monumentis testati sunt. Nam in M. Antonini Pii numo simulacrum muliebre videas quod stans læva contum tenet, dextra radium, quo præjacentem pilam versat. Inscriptio, Providentiæ deorum. In altero ejusdem simulacrum idem læva manu baculo innititur, cujus apex in lituum flectitur, læva pilam radio attingit, quasi eam versaturo, aut leges illi constituendi præscripturo, inscriptio, Providentia. Eadem pila in manu dextera exporrecta in numo L. Veri Aug. cum inscriptione, Prov. deor. tr. p. iii. cos. At in Maximini simulacrum cum cornu copiæ, radioq; in ejus manu dextera pilam à pedibus versante, cum inscriptione, Providentia aug. In Antonini vero Pii numo sphæra cum cornu copiæ, Felicitatis adscriptionem habet. Dicata etiam est cum jaculo, Philippi filio, inscriptio, Principi juventutis.

*Faustinæ & quorundã Impp. numismata.*

## MUTABILITAS. Cap. XX.

D QUod autem ad rerum mutabilitatem facit, non pila tantum, verum etiam rota in hujusmodi accipitur significatum. Psal. enim 82. legitur: *Deus meus, pone eos ut rotam,* hoc est, tam facile felicem eorum statum converte, quam volubiliter rota ipsa convertitur. Ita Euthymius, Eucherius, & alii.

*Græce τροχὸς & Hebraice Galgal.*

## DE ROTA. Cap. XXI.

*Vel quomodo trochus torquetur à puero.*

ET quoniam res ipsa nos ad rotam iterum reduxit, cum aliquot adhuc super ea reliqua sint significata, quæ distinctio sit in rotis primum enarrabimus, mox quæ ad significatum attinet, exequemur,

## DEORUM ROTÆ. Cap. XXII.

SCiendum enim rotas plurifariam à radiorum numero distincta esse. Nam quæ diis attribuuntur, octo radiis insignes figurantur: propterea quod rerum cœlestium motus in octavam usq; sphæram, quantum humani oculi vis porrigi potest, observantur.

## HUMANÆ ROTÆ. Cap. XXIII.

HOminum vero rotæ sex tantum radiis compingi debent: tot enim sunt humanæ naturæ motus, in anticam, in posticam ingredi, vel retrocedere, in dexteram aut in lævam ferri, sursum aut deorsum ascendere, vel descendere.

## INFERORUM ROTÆ. Cap. XXIV.

QUæ vero Ixionis rota fertur, quatuor tantum radiis compacta fingitur, unde Pindarus dixerit, τετράκναμον ἰόν ὅλεθρον. In ea vero ita districtus fingitur Ixion, ut manus singulæ singulis radiis affixæ essent, totidemque aliis pedes singuli. Qua de re apud Pindarum legas Pythiis, Ode ad Hieronem altera. Nervæ Trajani numus est, à cujus una parte ipse pro suggestu populum alloquitur, togatus vero populus sublatis in cœlum dextris applaudit, inde in extremo margine meta est: juxta cujus basim Nympha jacet humi fusa, sinistro brachio supra rotam expotrecto. Sunt qui ex hoc Circum instauratum à Trajano interpretentur: quia rota circumagi videntur.

*Nerva Trajani numi.*

## AQUA TRAJANA. Cap. XXV.

SUnt qui, ut mihi videtur, longe rationabilibus aquam Trajanam intelligant. Nympha enim hujusmodi humi præsertim fusa, dubio procul indicat: innixa vero rotæ, aquæ cursum non incongrue significare possit. Alibi vidi Nympham ipsam in ejusdem Trajani numis cum rota supernè sita, & inscriptione, VIA TRAJANA, quorum utrumque artificiosè, maximeq; proprie figuratum. Nam in via rota superne volvitur, in aqua cursus ab imo est. Alius item numus ejusdem Trajani, in quo signum idem pene humi prosternitur, leva ramum frondibus vestitum, dextera currulem rotam juxta genu tenens, sub basi cujus literæ sunt, VIA TRAJANA. S. C. circum circa vero, S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. In alio, in quo eædem literæ circumductæ, aquæductus habetur in semicirculum fornicatus, idemque simulachrum humi fusum cum arundine infra, & literis in hunc modum dispositis.




## VITÆ NOSTRÆ PROGRESSUS. Cap. XXVI.

SEdenim VIA etiam sua habet significata in Divinis literis: quippe quæ vitam hanc quam vivimus indicat, unde omnes à die nativitatis ad extremum usque viatores, hospites, & peregrini dicimur: utpote qui solum hoc extra patriam incolimus, ubi nulla consistendi firmitas, perpetua vero semper agitatio animi, ubi demum rerum, aut sententiæ considendum sit examinantis. Distinguunt insuper Theologi viam à semita, per viam mandata ea peragenda intelligentes, quæ universo mortalium generi data sunt: per semitam vero, quæ huic vel illi personæ, ordini, collegio, nationive præcipiuntur.

*Via & semita discrimen.*

## THEOLOGIA. Cap. XXVII.

SUnt qui per rotam currulem in Divinis literis Theologicæ doctrinæ hieroglyphicum intelligant: propterea quod rota ea terram ima tantum attingat superficie, reliquum in sublime tollatur, & aurigam animum semper terra procul surrigat. Idem præterea est officium rotæ, quod & Theologi, ut scilicet à terrenis imisque rebus ad sublimium cœlestiumque naturarum speculationem attollatur: inde mox à Divinis ad humana descendat, quoque inter se vinculo colligentur ostendat, qui quidem est rotæ motus. Sed quoniam proprio commentario multa de universo curru diximus ex Divinis literis, deque mysticis ejus rotis, nunc cum terrestre iter eamus, Trajana procedemus via.

*Rota idem ac Theologi officium.*

## IMPERITORUM PRÆCIPITIUM. Cap. XXVIII.

SEd cur id dissimulem, quod in divinis literis imperitorum præcipitantiam per rotam significari comperimus: & in hanc sententiam à Psalmographo dictum citamus: *Deus meus, pone illos ut rotã.*

Rota

A Rota quippe posteriore parte attollitur, anteriore cadit. Posteriora sunt bona fortunæ, quæ quia nostra non sunt, ea nobiscum transportare non possumus, ideoq; à tergo relinquuntur. Anteriora sunt æterna, & quæ nos assidue comitantur, imo nos præcedunt, seque duces, quo progrediendum sit, exhibent. Impurus igitur & imperitus rerum, cum fortunæ bonis augetur, aversus retro faciem quæ æterna sunt oblivisci tur, atque ita fit, ut anteriore parte neglecta præceps eat: nam posterioris, quæ attolli videtur, admiratione captus, in quam rapiatur voraginem animadvertere nequaquam potest, atque ita præcipitatur. *Anteriora & posteriora Rotæ quid.*

## DE QUADRATO. Cap. XXIX.

AB egregie mobili figura ad maxime stabilem transire quodam veluti antipathiæ loco visum est: quippe ut vario eo delassatus motu, firmitatis istius occasione quietem aliquam aucuparer. De quadrangulari igitur figura disseremus, quæ multipliciter descripta, multas idemtidem præ se
B fert significationes.

## ANNUS SOLARIS. Cap. XXX.

Quarum prima illa est, quam initio commentarii super Isidе tetigimus, Ægyptios quippe duas anni rationes habuisse, unam qua vertentem, CCCLXV. diebus, & horis senis, agnoscebant: alteram, qua Sotheos ortum quarto quoque anno quadrantibus illis diei quatuor in unum contractis, observabant supputationi hujusmodi respondere. Cum vero jugerum centum cubitis dimetirentur, quartam jugeris, quæ scilicet cubitis XXV. claudebatur, pro sex horis quæ unoquoque anno superabant, accipere consueverunt, ac perinde vertentem annum intelligebant, cui quarta illa diei pars addita, quarto quoque absoluto, dies etiam unus intercalaris ex quartis illis adauctus adjiciebatur. Sed quoniam hæc & alia multa superius super anni ratione differuimus, ea repetere supervacaneum esset & importunum. *Annus vertens, & Sotheos.*

## SAPIENTIA. Cap. XXXI.

C VEluti vero Fortunam rotundo lapidi insidentem pingere veteres instituerunt, ita Sapientiam in quadrato statuebant, ex hoc hieroglyphico volubilem illam, uti paulo ante diximus, hujus vero, sedem firmam & inconcussam indicantes. Et nostri quadrata ligna quæ ad arcæ Noes fabricam parari divinum jussit numen, Doctores & magistros in Ecclesia significare dicunt, quorum sapientia inclusi intus populi conservantur, & ab incursantibus hæreticorum procellis muniuntur. Ex quadratis enim lignis construere debere nos Bibliothecam admonet Adamantius, non ex agrestibus, rudibus, & impolitis: quippe Propheticis & Apostolicis voluminibus, in quibus, solis veræ continetur sapientia, utpote qui vitiis omnibus resectis excisisque, quadratum vitæ justioris tenorem, & ex omni parte libratum præ se ferant. *Ligna quadrata in arca Noës quid.*

## MERCURIUS. Cap. XXXII.

CUmque apud veteres Mercurius sapientiæ Deus haberetur, Hermæa illa apud Athenienses fieri solita, quadrati quippe lapides, quos tum in privatarum, tum in sacrarum ædium vestibulis ponere consuerant: ut significaretur, rationem & veritatem perinde ut forma quadrata rectam semper stare. Nam rationis & veritatis Deus, Mercurius antiquis erat.
D *Sed & Mercurius quadrato statu figurabatur. Macr. Satur. l. 1. c. 19.*

## JUPITER. Cap. XXXIII.

APud Arcadas non Mercurii tantum, sed & Jovis, & aliorum deorum simulachra quadrantalia fieri solita, Pausanias author est: nempe ut eorum inde stabilitas significaretur. *Jupiter* enim *ipse manens stabilis, dat cuncta moveri*, ut veteres Poetæ canunt. Nam & Hermæis à firmitudine nomen quod herma fundamentum sit. *ἕρμα stabili mentũ à εἴρω id est, necto.*

## VIR PROBUS. Cap. XXXIV.

Quantum vero pertinet ad virtutes, quadrata forma virum ea de causa probum dicimus, quod cubicæ figuræ species quoquo versum jacta versataq; fuerit, recta semper consistit, quatuor lineis, & totidem angulis semper insignis. Hinc illud, ἀγαθὸς ἁπλῶς καὶ τετράγωνος, ἀνὴρ ψόγῳ. Quadrangulus revera probus, nullique obnoxius vituperationi, quod tangit Aristotel. Ethic. primo, *Sumptum ab Aristot. Ethic. lib. 1. Quadratus vir quid.*

*Vere bonus & quadrangulus, sine vitio.*

Et ad Theodecten III. quadratum simpliciter virum per translationem dictum autumat, & perfectum significare. Sane quidem cum tres in corporibus staturæ considerentur, rotunda, quadrata, teres, humanum corpus quod à pictoribus & statuariis commendetur, sex & sexaginta digitos excedere non debet: quippe quod quatuor cubitorum altitudinem æquat, & quatuor & viginti digitos cubito adscribi, suo commentario probatum est. A quatuor igitur cubitis quadratum corpus denominatum, quod laudatissimæ staturæ sit. Infra horum digitorum numerũ, quos forte ab uniuscujusq; corporis proportione accipimus, quo quis magis contrahi, ac propemodum desidere videtur, eo magis ad rotundam speciem accedit, & corpus illud rotundum appellari potest, quod digitis aliquot est quadrato brevius, vel cujus altitudo extremus brachiorum quam maxime porrectorum digitos non exæquat. Teres vero, cujus proceritas supra sex & nonaginta digitos ascendit, altiorve sit eo mensuræ modo, quem, uti dictum, exporrecta brachia designant Staturam hanc alii oblongam, alii gracilem appellavere, & rotundiorem illam obesam dixere. Cornelius Celsus corpus illud habilissimum dicit, quod quadratum est, neq; gracile scilicet, neq; obesum. Nam longa statura, ut injuventa decora est, sic maturiore conficitur senectute: solere enim homines hujusmodi supra modum mox incurvari, tam philosophorum rationes, quam historiarum exempla ostendunt, si quæ quotidie oculis offerũtur minus animadvertimus. Et Antoninum Pium hujusmodi fuisse tradit Julius Capitolinus, usumque eum ad emendandum vitium tabellis ex tilia, quibus pectus ad sustinendum pondus altrictum fasciis obligaret.

*Ubi usurpat hoc nomen tanquam metaphoricum.*

## CLARI VIRI. Cap. XXXV.

*Procriores statuæ quibus erigebantur, & quare.*

Quod tamen de certa hominis altitudine dictum est, non negarim proceriores statuas iis erigi solitas, qui vel victoria aliqua, vel præclaris aliis facinoribus supra reliquorum mortalium gloriam evecti sunt, ut Diagoræ Rhodio Olympionicæ statua decreta est quinque supra quaterna cubita digitis. At Damageto ejus filio paterna minor uno, cæteris major digitis quatuor. Sunt qui habitam in his rationem putent, ut recta proportio oculis repræsentaretur: quoniam ejusmodi statuæ in columnas sublatæ, dum suspiciuntur, naturæ longitudinem excedant, in monstrosam quandam obesitatis speciem declinare videantur, spatio fallente oculum. Sed ut hoc non negarim, ita etiam plures statuarum ordines fuisse, non ignorandum dixerim: pariles quippe, magnas, majores, atq; maximas, & alias, benemeritis & sapientibus viris, alias Regibus, Imperatoribusq;, alias heroibus, diis alias fieri solitas. Sed in iisdem ipsis statuis non ea mensuræ consideratio, qua de nos agimus, perpenditur, cum in illis sua cuique proportio adjudicata esset, qua opus perfectissimum redderetur. In ratione vero nostra cum obesum, quadratum, aut procerum corpus dicimus, rationem eam inspicimus, quæ ad digitorum & numerum & proportionem quadret, ut hæc ab illa distinguatur. Hinc illud apud Tranquillum intelligi potest de Flavii Vespasiani habitudine quadrata, & quod apud Palladium est, *Sint boves novelli, quadrati & grandibus membris.*

*Idem de eodem, c. 20. Statua fuit quadrata compactis firmisque membris.*

## MULIERIS STATURA. Cap. XXXVI.

Quoniam vero decet muliebrem habitudinem graciliorem esse, atq; ea de causa matronales virginalesque columnæ, quarum ratio ad humani corporis similitudinem primum excogitata fuit, proceriores quam Doricæ, quæ viriles nuncupantur. Hinc fit, ut quæ virum decet quadrata facies & habitudo, deceat mulierem, & qui virum probum Quadratum dicimus, mulierem Quadratam, & quadrantariam. Alia tamen ratione prostitutam intelligimus, de quo apud Plutarchum in M. Tullii vita, & apud Tullium oratione pro M. Cælio, quod non à corporis dimensione desumptum sed ab exigua ea stipe, qua parabilis habetur. Sed enim Siculi ad hæc usque tempora meretrices vulgo Quadratas dicunt, eaſdem Itali reliqui, vel ab obsequio, vel ironice, Bonas fœminas appellitare consueverunt.

*De Clodia loquãs Metelli uxore.*

## ROMA VETUS. Cap. XXXVII.

Et Roma olim quadrata, eaque specie primum ædificata, diuque permansit, ut quadrata Roma dicitur, præcipue locus in palatio ante templum Apollionis, ubi reposita erant, quæ boni omi-

nis

A nis causa in urbe condenda adhiberi solita. Saxo autem munitus erat in speciem quadratam. Ejus loci meminit Ennius eo versu,

*Est nunc, & quis erat Romæ regnare quadratæ.*

## DE META. Cap. XXXVIII.

JAm metarum pyramidumq; ratio nos appellat, quarum significata referamus: & quoniam & quadrangulares & triangulares metæ reperiuntur, de quadrangularibus prius dicere incipimus, argumento eo, quod præ manibus erat, invitati.

FINIS.

FInem hæc aut operis consummationem absolutumq; modum ostendit: siquidem myrias, qui decem millium numerus est, metam astruit. Numerus vero is ab unitatibus multiplicatus, & maximus, & perfectissimus est, adeo ut sumpto ab unitate principio, sit in myriadem finis. Pyramidis enim basis, ut apud Philonem est, longitudine pedum centum, ac totidem latitudine constituitur, quibus juxta quadrati naturam multiplicis, in quem diximus numerum resultat: quem quia perfectissimum esse dictum est, finem itidem & exactum opus meta, & ter multiplicato denario constituta, significare dicitur. Decadis autem vis est quaternarius numerus: secundum enim compositionem à monade ad quaternarium punctis in unum contractis ac supputatis, decas fit. Decies autem decem, centum: decies centum, mille: millia decies, summa perfectissima. Adstipulatur huic perfectioni architectorum etiam commensus, qui perfectionem in denario, quem antiqui πλεθον appellant, collocaverunt. Et Romulus non ille quidem inter pastores, ut putat vulgus, educatus, sed Stabiis oppido non incelebri literis institutus, & ut Plutarchus attestatur, liberalibus artibus & disciplinis eruditus, ad eam quæ subsecuta est felicitatem ausu minime temerario via sibi adaperta, confirmatis jam rebus, regnoque jam constituto, quæcumque fecit, & instituit, denario finivit numero, ut puta Senatores in x. decurias, urbem in curias xxx. in totidem decurias equites. Principes hastatos & pilanos denario finivit. Annumque demum in menses x. terminavit, quod ad nostram usque diem tributo militibus erogando perduravit. Addunt nonnulli, non temere esse denarium numerum tam pedum quam manuum digitis attributum, & os capitis à mento ad frontem summam, & manus palmam ad Medii usque digiti summum, mensura decies repetita, perfectam cujusque hominis altitudinem dimetiri. Quod vero Mathematici, qui altius Philosophantur, numeri perfectionem alii in senario, alii in septenario posuerunt, alterius est considerationis, quam in Digitorum commentario delibavimus, sed ad hos numeros illa nihil attinent. Hujusce perfectionis ergo Ægyptii, reges suos, qui mortales reliquos gloria præcessissent, honorare metis & pyramidibus, quæ sepulchris eorum superponerentur, consueverunt: de quibus, cum



*Hinc Æn. 1. His ego nec metas, id est, fines.*



*De denario numero.*





*Nempe ob avaritiam ducum.*

cum pleni sint historicorum libri, neque plura super Ægypti rebus miracula celebrentur, quam molium hujusmodi amplitudines, aliquot etiam ad hanc usque diem perdurantibus, rem adeo notam verbosius prosequi superfluum existimavi, si unum illud addidero, Nazianzenum minime respuere eorum opinionem, qui pyramides eas in Ægypto celebriores ab Josippo Hebræo exædificatas putant, ut frumenti conditoria essent, & nomen rei consentire dicit, quod σιτείας eas ἀπὸ τῶν πυρῶν. Sed fabulam subjungit, ὡς ἐκεῖ συναγαγὼν ὁ βασιλεὺς, ἐνδεᾶ ἐποίησε σίτου, κατὰ τὴν Αἴγυπτον, à tritico scilicet quod undique congestum Rex eo contulerit, penuriaque Ægyptum affecerit, cum Josippi consilium salutare fuerit, ne mortales fame, quæ per tot annos futura erat, absumerentur. Illas porro vulgus adhuc Granaria Pharaonis vocat.

*Pyramidum origo & etymon.*

## DE TRINO. Cap. XXXIX.

INter hieroglyphicas has imagines, & trinum, triangularemq; pyramidem nonnulli adnumerant, cujusmodi obelisci bases aliquot Romæ vidi, quod mysterium enodare, etsi profundioris ingenii, altiorisq; disciplinæ opus esse non ignoro, in quo omnia, ad hoc usque tempus ingenia præstantissima defatigata sunt: non absurde tamen me facturum existimo, si modicum quid umbræ ad commenti hujus rationem ex Philosophorum Theologorumque vetustiorum dictatis, pro re nata breviter tetigero.

## TRINITAS RERUM. Cap. XL.

*Unitates in rebus tres, & quæ.*

TRes ajunt hi in rebus unitates considerari, ita tamen mutuo connexas, ut unitatis simplicitate minimè discedant. Est enim primum ea in rebus unitas, qua unumquodque sibi est unum, sibique constat atque cohæret, cui quidam ex veteribus adeo favere visi sunt, ut numerum ex natura rerum amovere cogitarint. Est ea secundo, per quam altera alteri res unitur, & per quam demum omnes mundi partes unus sunt mundus. Tertia, atque omnium princeps, est, qua totum universum cum suo opifice, quasi exercitus cum suo duce, est unum. Adest tripartitò considerata unio hæc unicuique rei per suam unam simplicem unitatem, derivatam ab uno illo, quod & primum unum, & trinum simul, atque unum est, à Patre inquam, Filio, & almo Spiritu. Nam & Patris potestas, omnia producens, suam omnibus largitur unitatem. Et sapientia Filii rite omnia disponens, omnia invicem unit & copulat. Mox Spiritus amoris sui vinculo ad Deum omnia convertens, totum opus opifici, nexu charitatis adjungit. Hinc illud Deo inditum amoris cognomentum quo mortales affecti, primo Deum ipsum supra nos, supraque omnia diligere debemus, secundo loco nos ipsos, tertio proximum, sicut nos ipsos.

## CUBUS. Cap. XLI.

*Observatio Mathematica de cubo.*

ACcedit huc Cubis ex trigonalibus figuris, quatuor compactus triangulis cujus hieroglyphicum est Supremum Numen. Nam cum in Mathematicorum datis punctum referatur ad monadem, linea ad dyadem: utpote quæ ab aliquo tendat ad aliquid, superficies vero sit ternarius, qui figuras inter rectilineas principium habetur, ut quoddam veluti elementum, inde si corpus solitum conficiatur, cubus erit, triangulis quippe quatuor rectilineis in corpus unum coagmentatis atque compactis: ita prima pyramis inter solida emicat, cujus basis tres ostentat angulos. Quartus in ipsius figuræ summitate positus, ut numinis formam, ita & nomen quod Pythagoricos accepit. Addunt Magi, simplex quoque triangulum æquilaterum Divinitatis indicium esse, sive rerum cœlestium effigiem: utpote quod sit sibi æquale, difficulter moveatur, & ad malum declinare non possit.






JUSTI-

## JUSTITIA. Cap. XLII.



A UT vero trini prosequamur significata, ternarium veteres, ut alibi etiam ostendimus, justitiæ dicaverunt, ut de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait. Injuria siquidem afficere, neque non affici, cum extrema sint, & idcirco vitiosa, justum æqualiter utrimque reductum in medio residet. Sane Pythagorici non numeros tantum, verum etiam figuras deorum nominibus dedicarunt, quippe qui triangulum æquilaterum Minervam appellabant, Verticigenam & Tritogeniam: propterea quod tribus perpendicularibus lineis ab angulis tribus dissecetur.

## MINERVA. Cap. XLIII.

*Cur trigemina Minerva dicta sit.*

QUod vero pertinet ad Minervam, trigeminam eam nonnulli faciunt, propter anni tempora, quæ ut sæpe dictum, apud Ægyptios tria tantum fuere: quippe, Ver, æstas, & hyems. Huic etiam tertium uniuscujusque mensis diem dedicarant, cum à Lunæ coitu mensem auspicarentur, ut Sthe-
B nis author est. Pallas enim, ut in eorum est Theologia, die tertia orta est. Et eandem & Pallada & Lunam plerique interpretantur. Hæc vero non prius quam tertio à coitu die se videndam exhibet. Quamquam non desunt qui Tritogeniam ea de causa dictam asserant, quod è Jovis capite orta prædicetur. Trito enim Bœotiorum lingua caput appellatur. Sane Diodorus Pallada aërem esse dicit, eumque incorruptibilem, eaq; de causa & virginem deam, & Jovis è vertice editam, confictum esse. Ad hoc facit Horatianum illud:

*Proximos illi tamen occupavit*
*Pallas honores.*

Nam cum aër tertium ex elementis locum obtineat, Æthræ, quæ pro Jove accipitur, omnino proxima est, & ternarius illi numerus recte datur. Missa facio quæ multa & varia de palude Tritone Græci fabulantur. Sed illud minime dissimularim, quod Democritus dixisse fertur, Palladam Tritoniam ea de causa nuncupatam, quod præcepta tria ad humanam vitam bene beateq; degendam necessaria proposuerit, bene quidem consulendum, recte
C judicandum, juste denique agendum. In quem terminum omnis disciplinæ sanctioris finis dirigitur. Merito igitur ternarius, & triangularis figura ea, quæ lineis æqualibus describitur, & Palladi est, & justitiæ dicata.




## HUMANITAS. Cap. XLIV.

SUnt & alia figurarum triangularium significata, quæ Psellus & libello De dæmonibus interpretatur. Ea libenter apponam, quia cæteris hieroglyphicis videntur minime dissimilia. Æquiturem enim humanitatis symbolum ajunt, quod quidem una breviori linea descriptum, indicat rationis modulum contractiorem esse, ac perinde multa effugere, quæ percipi non possint.




## MORUM DISSOLUTIO. Cap. XLV.

D VEl si una sit linea latiore productioreque, aberrare significat ab institutis, & à recta via, & plus æquo indulgeri quædam cupiditatibus.

## CORRECTIO. Cap. XLVI.




QUæ tamen lineæ si notentur contractæ ad allarum normam, ostendit, ex perperam actorum pœnitentia vitæque solutioris correctione, fieri nos posse longe meliores, quam anteacta vita fuerimus.

DÆMO-

DÆMONIACA NATURA. CAP. XLVII.




Sex dæmonum genera.

SCalenus autem dæmonum, & malarum potestatum figura dicitur, usque adeo inæqualis est, & à bono æquo remotus. Componitur autem ex senario numero, sed imperfecto, qui corporeis, & mundi hujus inferioris rebus obnoxius est, quod in eo circumscriptiones corporeæ sitæ sunt, per eumque mundus hic inferior compositus esse imperito eo seculo putabatur. Ideoque ajunt sex genera dæmonum infra lunarum globum inveniri, quorum primum per sublimiorem aëra vagari tradunt, LELIURON appellatum, quasi velint igneum significare. Secundum aëreum, quod in crassiori nebulosaque regione sedem habeat. Tertium terrenum. Quartum aquatile vel marinum, à locis & regionibus in quibus oberrant, quarum curam gerunt. Quintum vero subterraneum, quod vel noctu, vel in puteis, & antris, & hujusmodi locis frequenter apparet, ne antrum Nursiæ fabulosum esse credamus, aut quem Divi Patricii puteum in Hybernia memorant. Nam & cumis & aliis plerisque locis responsa in antris dari solita, totius antiquitatis testimonio persuasum est. Sextum & ultimum est lucifugum, imperscrutabile ac tenebricosum penitus, algoriqúe perpetuo damnatum. Id vero dæmonum genus modis omnibus mortales infestare creditur, Stygioscꝙ latices haustos spargere, unde calamitates, pestes & fames consequantur. Adduntque hujusmodi rerum periti nomina, Actæum, Megalesium, Ormenon, Lycum, Nicona, Mimona, Alastoras alios, alios Palamnæos appellatos, à quibus omnia in homines incommoda congerantur. Sed hæc fortè plus nimio homini sublimium rerum cupidissimo, cum πάσσοφα futura sint omnia quæ de dæmonibus loco hoc afferre voluerimus. Multiplices tamen eorum figuras & apparitiones, variis rerum & animalium imaginibus conspicuas, toto opere, ubi hieroglyphicum tale aliquid depoſcat minime dissimulavimus.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XL.

## DE IIS QUÆ PER VESTES ALIQUOT SIGNIFICANTUR,

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD JANUM VITALEM PANORMITANUM.

*NOn parva quidem de causa, Jane mi jucundissime, Leo X. Pont. Max. quam primum tuum de Trinitate poëma legit, ingenio & eruditione tua delectatus, pietateque in primis commendans, præclara tibi munera dari jussit, in quibus fuit & Palatinæ vestis ornatus, ut inter amicos admissum esse te, virtutis & optimarum artium ergo, omnibus innotesceret, tuque ad disciplinarum studia in dies magis incitarere. Quæ mihi tam jucunda accidenant, ac si omnia & in longe majora in me collata essent, qui tot annos amorem erga me tuum habuerim exploratissimum, quemque ego semper ob summum ingenium, suavissimos mores, singularem animi tui integritatem, fratris loco dilexerim. Itaque cum ex remuneratione hujusmodi, quæ tibi obtigisset, magnam ego lætitiam concepissem, incensus ego quoque sum tanti Principis æmulatione, ut ipse quoque grato erga te animo*

A *animo essem, pro voluptate ea, qua me tuo de commodo, addam etiam honore, affectum sentis. Qualescumque igitur essent opes meæ, ex iis aliquid ad te mittere decrevi. Atque ubi horrea aperuissem, vestes aliquot hinc tibi deprompsi, non eas quidem Luculliano sumptu magnificentiaque comparatas, neque Mileti textas, neque, ut Pontificiæ illæ vestes erant, Tyria purpura saturatas, sed quales ex Ægypto me attulisse non ignoras, in quibus scilicet mira consicitur parsimonia. Sunt enim vestes labore omnino curaque aliqua contextæ, sed materia admodum parca, junco quippe omnes papyraceo, ut facile contemni possint ab iis qui nostri temporis luxum deliciasque consectantur, quibus nil facere videtur ad cultum, nisi quod carissime venierit. Utcumque tamen, habendæ tibi sunt qualesquales fuerint: quas si foris in conspicuo uti verecundabere, certe, quæ tua est moderatio, domi tibi usui esse poterunt. Non enim puto te ita repente superbum evasisse, ut quamvis Pontificia in purpura tibi merito placeas, si quid tamen manibus meis elaboratum acceperis, id sis aspernaturus. Sed jam quid hoc sit supellectilis, explicemus.*

B

## DE PILEO. Cap. I.

Quemadmodum in unaquaque re nihil est capite prius, ita vestium aliquot significationes dicturi, à pileo, quod præcipuum est capitis integumentum convenienter incipiemus.

## NOBILITAS. Cap. II.



*Hinc forsan mos ut qui Magistri doctoresq; titulo honorantur, pileum accipiant.*

*Mimica. l. 13*

Nimirum vero is apud Græcos nobilitatis indicium fuit, hique ea de causa Ulyssis caput pileatum fieri solitum, autumant, quod magna scilicet ab utroque parente nobilitas illi obtigisset. Nam apud Ovidium eam ita in Ajacem oggerit:

C *Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,*
*Vix ea nostra voco: sedenim quia retulit Ajax,*
*Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis author*
*Jupiter est, totidemq; gradus distamus ab illo.*
*Nam mihi Lærtes pater est, Acrisius illi,*
*Jupiter huic: neq; in his quisquam damnatus & exul.*
*Est quoq; per matrem Cyllenius addita nobis*
*Altera nobilitas: Deus est in utroq; parente.*

Quod vero Castorum quoque capita pileata pingerentur, nil aliud sibi velle tradunt, nisi ut indicio esset, eos fuisse Lacones. Hos vero pileatos pugnare mox fuit, quo indomitum animum adversus barbaros Reges & tyrannos significatione libertatis ostentarent. Quique aliquot ab hinc annis Venetias confugerunt Græci, extorres à Turca facti, nobilitatem suam & ingenuam libertatem unanimiter pilei illius gestatione profitentur.

*Mos pugnãdi Laconum. Nam pileus libertatis symbolum, & ad pileũ vocare, id est, ad libertatem.*



*Tib. Claudii, Antonini, Caracallæ numi.*

D

## LIBERTAS. Cap. III.

Passim enim in numis videas pileum ipsum cum inscriptione Libertatis, ut in numo Tib. Claudii, in quo simulacrum est dextera pileum gestans, levam expassam habens, cujus inscriptio est, Libertas Augusta. In Antonini item numo pileus a manu dextera pendet, læva hastam tenet, inscriptio, Libertas Cos. iiii. Sed in Caracallæ numo libertas ipsa præter virgam, & pileum, stellam etiam habet ante sitam. Aliter libertatis argumentum figurabant per sigilla quatuor,

expeditis pedibus gradientia, quorum secundum & quartum fasces & secures alligatas gestarent, cum inscriptione, Brutus. Unde apud Virgilium legas, A

Æn. lib. 6.

*—— Animamque superbam*
*Ultoris Bruti fascesq; videre receptos.*

Ab altera parte fœmineum caput est, cum inscriptione, Libertas. Sed hoc nimirum in historiæ memoriam, quod exactis Regibus, partaque libertate, Consularis magistratus annuus authore præcipuè Bruto sit constitutus.

## LIBERATORES PATRIÆ. Cap. IV.

Dion. l. 47.

QUod vero in alterius Bruti numismatis cernere est pugiones duos adjecto pileo, Dion ex hoc Brutum & Cassium patriæ liberatores indicari dicit. Nam pugio cædem patratam omninò significat, pileus vero libertatem. In numo quodam argenteo venerandæ antiquitatis observavi fœminea capita ab utroque latere singula, simplici quodam modo capillos collecta, in quo nihil aliud scriptum quam Libertas. In numo Ser. Galbæ simulacrum est cum jaculo & pileo, cujus inscriptio est, Libertas Publica. Eadem in Nervæ numis aliquot habentur. Apud historicos legas servos nonnumquam ad pileum vocatos, ut apud Livium xxiiii. *Postero die servi ad pileum vocati*, hoc est, promissa concessave servis libertas. B

*Ser. Galbæ & Nervæ numi.*

*Servi ad pileum vocati. Et apud Suetonium in Tiberio.*

## SERVILIS IMPROBITAS. Cap. V.

*Hæc ab A. Gellio lib. 7. c. 4.*

SEcus vero intelligendum de servo pileato. Nam cum imposito pileo venundabantur, nequam & improbum esse servum innuebant: significabat enim venditorem dominum nihil super eo polliceri velle, quod postmodum ad præstandum cogi posse, evolvebatque ita se ab omni vinculo, quod posset ad redhibitionem trahere, de quo vide apud Cælium Sabinum, & alios.

## THEODOSIANI. Cap. VI.

SPectandum etiam erat trium ordinum Theodosianorum insigne, sub militum Præsentiali merentium, qui dimidium quiq; simulacrum humanum in clypeo gestabant, idq; manibus ab utraque parte porrectis, quorum dextera vinculum, sinistra pileum prætendebat: quasi vellent innuere, C contumacibus se vincula injecturos, obsequiosis libertatem donaturos. Sedenim de primis in Vulpis commentario diximus.

## SECUNDI THEODOSIANI. Cap. VII.

IN eodem Canone, quæ apud insignes Maffæos Romæ vidi, gestamen erat, luteus taurtis ad viridantis monticuli radices pictus, in summo vero collis vertice dimidius Æthiops de extera manu lorum, læva pileum prætendebat, passis hinc & inde manibus: id ipsi quoque indicantes, in sua esse manu captivos facere, & libertatem indulgere. Gestabant insigne hoc secundi Theodosiani. Ipsa vero palmæ facies hyacinthina, quasi cœli colorem præ se ferebat.

## TERTII THEODOSIANI. Cap. VIII.

*Ut Scipionē L. Terentiq & T. Quintiū Romani liberati. T. Livius lib. 4 de bello Macedonico.*

ERant & tertii ejusdem nominis, ejusdemq; ductoris, quorum parma in hunc modum facta præferebatur. Margo hyacinthini coloris circulo aliquantulum lato circumductus, sub quo alter contiguus angustioris spatii: inde facies media rubra, ab ima cujus parte albus erigebatur cippus in angustum superne desinens, qui Lunæ speciem, cornibus sursum versis sustentabat. In medio parmæ insidebat Lunæ albus identidem circulus, cujus centrum late fusum nigri coloris erat. Supra circulum eadem dextera loro, sinistra pileo munitis. Illud addam, eos Imperatoris triumphantis currum pileatos sequi solitos, qui fuerant è servitute manumissi. D

## TRIPLEX LIBERTAS. Cap. IX.

ANimadvertendus apud Ausonium locus, eo versu,

*Triplex libertas, capitis minutio triplex:*

quod

A quod nonnulli legendum arbitrantur, *Capitis munitio triplex*, pro tribus pilei speciebus, vel triplici eorum conditione, qui pileum assequerentur. Sed enim minutio, inferius ostendemus, longe castior est lectio. Quod vero attinet ad libertates, tres manu mittendi rationes erant. Prima, qua majorem & justam libertatem consequebantur, ita ut etiam cives Romani fierent. Altera, qua Latini fiebant, ex lege Julia Norbana-Postrema, qua in ordinem dedititiorum ex lege Ælia Sentia adscribebantur. Tres has manumittendi species tangit Boëtius primo Topicorum commentario. Apud Tacitum duas tantum institutas reperias. Quas vero Boëtius enumerat, sunt, census, vindicta, testamentum, de quibus apud Jurisconsultos copiosius, de his Plautus, Cassina: *Tribus*, inquit, *conduci non possum libertatibus, quin ego hodie illis comparem magnum malum*. *Tres manumittendi rationes.*

## FLAMINES. Cap. X.

SAne pileus apud Romanos Sacerdotii symbolum semper fuit. Nam Flamines à Numa constituti, quasi pileamines dicti, quamvis nonnulli arbitrētur à Flammeo, quod est capitis tegumentum, B appellatos. Nam & infulæ, & mitræ, & amictus alii atq; alii sacrificulis attributi: sedenim ut in Sacerdotio pileum præstare fateamur, Fabii Pictoris authoritas facit, qui Flaminem ait non posse esse sub dio sine pileo, sub tecto autem, ut libebat: quem quidem morem in sacerdotio etiam nostro servari nemo non videt. Domo enim provehi præsulem sine pileo, nefas habetur. *Flamines unde dicti.*

## HIPPOCRATES. Cap. XI.

ANte alias autem antiquorum statuas Hippocratis imago pileata celebratur, eoq; habitu multis locis erecta. Ex eo nonnulli hieroglyphicè interpretati sunt partem eam custodiendam, in qua, tanquam in domicilio, princeps animus resideret, totaq; intelligendi vis collata esset. Alii ex Græcis solam hominis nobilitatem inde intelligi volunt: utpote qui cognationem ab Apolline & ab Hercule traheret. Nam eum ab Æsculapio oriundum senatus Athenienſis testatus est publicis etiam monumentis. Id vero si ad libertatem referamus, cui potius Liberatoris nomen accommodare debeamus, quam illi, qui tot mortalium corpora morbis tot obnoxia liberavit, & bonæ restituit valetudini, C sitque humanæ incolumitatis author appelandus, si merito tum titulo honestare voluerimus? Non defuere tamen qui rem maligne admodum interpretarentur, & quod illi honoris causa datum erat, modo calvitium, modo imbecillitatem capitis, modo quid iis inanius tradiderint inde significari. Quod quidem de Pericle memoriæ proditum est, qui ea de causa pileo uti consueverit, quia capite esset supra modum acutiore, unde ab æmulis χοινοκέφαλος appellabatur. Hinc etiam, ut alibi diximus, statua ejus cum casside posita. Formam tamen hanc, quæ dedecori nonnullis adscribitur, Genuenses honorificam, & adeo ingenuam ducunt, ut obstetrices statim nato puero nihil diligentius curent, quam infantuli caput tenerum, palmis digitorum complexu complicatis, adstrictum producere, & fasciis colligatum, donec solidius fiat, conservare. *Pileata Hippocratis imago quid.* *Caput instar junci acuminatū* *Genuenſiū obſtetricū mos.*

## FORMA PILEI. Cap. XII.

ANtiqua vero forma pilei est, quam Lucianus in Dipsade describit, dimidium quippe corticis alicujus ovi. Nam apud Garamantas ex struthiorum ovis singulis in æquas partes dissectis, D bini fiunt pilei. Tanta ibi est ejus ovi magnitudo, eoque capitis tegumento populi illi sibi plurimum applaudunt. Eo porro pilei figura est in numo, quem Imp. Gordianus Pius Fel. Aug. cusit, cum signo ab altera parte, cujus læva hastæ toto cubito surrecto innititur, dextera pileum ea qua dictum est forma prætendit, inscriptio, Libertas Aug. Non negarim tamen in aliquot munumentis, ubi signa majora sunt, extremum pilei marginem paululum sursum versus inflecti, ut in statuis aliquot observavimus, præsertim Mercurii. Sed & numismata pleraque eam pene speciem ostendunt. Variatum autem apud has & illas nationes, ut alii marginem dilatarint, tam pluviis amoliendis, quam sereno umbris captandis: alii cavam partem presserint, alii alte sustulerint, eamq; acuminatam, alii produxerint, alii planam esse maluerint. Neq; tamen nescius sum pilea apud Romanos ex lacernis cæsis consui solita, quod & apud Papinium & Martialem habetur, quem morem longo antiquatum tempore, nostra ætas *Gordiani numus.* *Vt Hiſpani Vt Gall.*

revocavit, pileamq; elegantissima ex consutis panni frustulis quatuor, tam ad ornatum capitis, quam etiam ad umbellæ usum fecit, non ea tamen ovi singula dimidii speciem referentia, sed quatuor veluti costis ad quatuor instar mundi cardinum assurgentibus divisa, ita tamen ut quarta desideat in plicam, quasi polum describat, quem

*Georg. lib. 4* *Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi:*

argumento, nos cœli semper memores esse debere, cujus figura quadam capita contegamus. Sacerdotes vero hoc plurimum utuntur capitis tegumento.

## DE INDUMENTIS. Cap. XIII.

QUantum vero ad reliqua pertinet indumenta, cum multi materiam eam pertractarint, nobis non est consilium singula recensere, sed pauca admodum quæ vel remotiora vel ab aliis diversa videbuntur, & aliquid sapiant hieroglyphicum.

## ROMANUS. Cap. XIV.

MIssam itaque faciemus togam, cujus figuram Quintilianus satis explicavit, cum nulli non innotuerit per eam ita Romanum civem indicari, quemadmodum per pallium Græcum hominem. Unde Latinæ Comœdiæ, in quas scilicet Latinæ personæ inducuntur, *Togatæ* vocantur, *Palliatæ* vero, quæ per Græcas personas aguntur. Sed hoc Virgilius explicavit, cum dixit:

*Togatæ & Palliatæ Comœdiæ. Æneid. l. 1.*

*Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

## CIVILIS. Cap. XV.

AT eum quidem Romanum per togam intelligebant, qui civilia negotia tractaret, sive, ut dicebat Horatius, *civilibus undis mergeretur*. Unde Martialis: *Toga rara, mens quieta.* Nam Marcellus vestimentum eam esse tradit, quo amicimur in foro negotiaturi. Cæterum toga non solum viri, sed etiam fœminæ utebantur. Varro de vita populi Romani, ut apud eundem citatur, de togis loquens: *Ante enim olim fuit commune vestimentum & diurnum, & nocturnum & muliebre, & virile.* Hinc apud Propertium legas:

*Epistola 1.*

*Sive togis illam fulgentem incedere Cois.*

*Tertulliani dictum memorandum.* Tertullianus cum notaretur, quod indumenta Romana fastidiret, pallioque potius vir tantus uteretur homo minime ambitiosus, causam tuetur suam, evitareque se eo habitu & impensam & incommodum respondet, cum toga vestis sit admodum onerosa. ait enim: *Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te prius in toga sentias, indutum, anne onustum? habere vestem, an bajulare?*

## PAX. Cap. XVI.

QUoniam vero ea quæ domi fieret Reipublicæ administratio, vel civilis vitæ negotiatio, longe diversa videtur à bellicis negotiis: inde factum ut pro pace nonnumquam toga acciperetur, quippe cum de ea vitæ ratione dicatur, quæ pertinet ad forensia.

*In togæ, dignitatis principatus est datus. Cic. 1. offic.*

## BELLUM. Cap. XVII.

SEd sagum cum militare omnino sit indumentum, cujus scilicet usus expeditiorem ad itinera & negotia hominem reddit, pro bello poni solitum. In arma togæ apponuntur, de quo celebre illud Ciceronis dictum *Cedant arma togæ.* Nam ad hunc usque diem nationes pleræque, præsertim Gallia, viros militiæ deditos brevis indumenti vocabulo designant, cum Sacerdotes, legum professores, ac negotiis civilibus deditos, longæ vestis nuncupatione describant, ita duplex hominum genus distinguentes, quemadmodum veteres per togam & sagum varia hominum studia significabant. Facit ad hoc Tullianum illud ad Cæsarem juniorem lib. Epistolar. 1. *Prid. Nonas Feb. cum ad te literas mane dedissem, descendi ad forum togatus, cum reliqui consulares sagati vellent descendere.* In Canone autem illo, ut hoc κατ' ἐξοχὴν, non importunè tamen inseramus, qui apud Maffæos Romæ habetur, de Militum

*Per togã & sagum hominum distinctio. Hinc Cicero in Philippicis ad sagatire pro ad arma procurrere. 6. 7. 8. & 13. hinc sagati, i. e. armati.*

Roma-

A Romanorum ordinibus, nuncupationibus, vexillis,& geſtaminibus, ad Theodoſium & Valentinianum inſcripto,lata de Thoracomacho indumento laneo Lybicis pellibus cooperto mentio eſt. Sed uſitatiſſimus ſemper fuit corii uſus in militaribus tegumentis. Hinc apud Maronem nonnulli, *Ænid. l. 7.*

*——Lupi de pelle galeros*
*Tegmen habent capiti, veſtigia nuda ſiniſtri*
*Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.*

## BLEBECULA. XVIII

TUnica autem, plebeculæ ſignum erat, eaque etiam ſervi utebantur. Vulgatiſſimum enim eſt, Tunicatum aliquem ex Romana plebe ſignificari. Unde Horatius,epiſt.lib.1. epiſt.7. *Vulgus imperitũ & tunicatus populus transeuntes nomine vocat. Cornut. in lib. de Oratore.*

*Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.*

Quæ vero eſſet tunicæ ſpecies, Nonius explicavit, cum ſine manicis eam eſſe dixit,& plurimum talarem ſine manicis eſſe oſtendit,indumentum aptum ad opera facienda,eaque gens otii propemodum nelcia erat. Hinc Virgilius vulgo gratulaturus, manicatos irridet, utpote minus idoneos qui bella B negotiave, aut artes ullas tractent. Numanum enim Latinum hominem ſui generis ſtrenuitatem jactantem, & imbelliam Phrygibus objectantem, ita loquentem inducit:

*Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.* *Æneid. l. 7.*

## ILITHYIA. Cap. XIX.

SEd ut antiquiora repetamus, Athenienſium inſtitutum fuiſſe Pauſanias tradit, ut Ilithyiæ ſimulacra ad imos uſque pedes contegerentur. In Divinis vero literis tum tunica,tum color ejus hieroglyphice conſideratur. Pontifex enim præter interiorem tunicam,quæ ſit ex lino,materia quippe terreſtri,Podere etiam vel hypodyti dicamus hyacinthino induebatur. Cœleſtis enim color,dubio procul eſt hyacinthinus, monimentoq; eſt cœleſtia demum meditanda, cœleſtia tractando,cœleſtia diſcutienda,totamq; mentis agitationem circa ea,quæ cœli ſunt exercendam. Sunt vero interpretes, qui non Hypodytin,ſed Epandytin edidere, quod indumentum ſignat quod ſuperinducitur, nimirum enim hypodytis interior eſt tunica, quæ primam noſtram indicabat generationem, ut apud C Hieroſolymitanum Heſychium. Alii exponunt,quia hominem oſtendunt interiorem : alii tunicam hujuſmodi juſtitiam interpretantur. *Hypodytis Pontificis indumentum.*

## DE PODERE. Cap. XX.

ESt autem poderes, ut Eucherius, ſacerdotalis veſtis linea, corpori penitus adſtricta,eademque talaris, κατὰ τὰ πόδων appellata ποδήρης, quæ & ſubucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quæ veſtimentis aliis ſubjiciebatur, doctrinam ſacratiorem intelligi veteres Theologi tradiderunt. Exodo : *Exod. c. 28*

*Et fecerunt veſtimentum poderum ſub umbone,opus textile, totum hyacinthium.*

## PUDICITIA. Cap. XXI.

QUod vero in numis & monumentis aliis antiquis velatæ nonnumqum facies obſervantur cum inſcriptione PUDICITIÆ, non tam ob flammeum,quo novæ nuptæ faciem obnubere ſolitæ ſunt, cum ad virum traducerentur,unde illis nuptarum nomen, quam ob hiſtoriam inſtitutum crediderim, ut ita fieret. Ab Icario enim Penelopes patre ſimulacrum ejuſmodi dedicatum Pudori ferunt, D Græcique hiſtoriam ſuper hac re hujuſmodi conſcripſere. Cum Icarius ab Ulyſſe fruſtra contendiſſet, ut Lacedæmone habitare mallet,id demum filiæ perſuadere conatus eſt, cumq; acrius inſtaret, ne ſe deſereret, Ulyſſes juſſit ut ea ſponte ſequeretur,aut cum patre,ſi gravaretur, Lacedæmona rediret: Penelope obtecta facie, nihil quicquam reſpondebat, quare pater intellecta filiæ ſententia, eam dimiſit, & in facti monumentum, eo loco pudoris ſimulacrum erexit, quod in Laconia ſpectabatur. In numo, cujus inſcriptio eſt, SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG. ab altera parte dea ſedens velo faciem cooperta, digito dexteræ indice ad jugulum admoto conſpicitur, cujus inſcriptio eſt, PUDICITIA. In alio Herenniæ muliebre ſigillum ſedens cum conto in lævam ulnam jacente, dexteram velum ante faciem obducit, inſcriptio eſt, PUDICITIA AUG. In eo quoque, cujus literæ ab una parte ſunt, MARCIA OTACIL. SEVERA AUG. ab altera ſigillum eſt,quod velum in faciem præten- *Sabinæ Adriani Aug. & Herenniæ numi.*

prætendit, cum simili inscriptione, PUDICITIA AUG. In altero ejusdem Otacillæ cum eadem inscriptione & specie, quæ velum eodem modo prætendit. læva radium tenet, sed nomen ita scriptum est, MARTIA OTACIL. SEVERA AUG. cum in altero MARCIA per C literam in ordine quartam, habeatur, quod quidem ostendit, eo quoq; tempore eamdem fuisse pronuntiationem literæ T, quæ nunc est, cum post I vocalis altera subsequitur. Quamvis ætate nostra fuerint publici non postremi nominis professores, qui longe aliter sentirent, blesitatemque eam in T litera suapte vi sonora, pervicaciter abhorruerint. Sed enim puto ego variatum in numis, quia alii Marciæ nomen à Marco, alii à Marte deductum existimarint. Sed ut ad Flammeum redeamus, quo nova nupta olim coopertа ducebatur ad virum, crocei coloris id plurimum fuisse comperio, ut apud Maronem, Cyri:

*Flammeus nobe nuptarum.*

*Æneid. l. 2. Ibidem.*

*Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.*

Idem alibi pro maximo negotio habet, venerabile matronalis ornatus donum celebrare:

*Circumtextum* (quippe) *croceo velamen acantho,*
*Ornatus Argivæ Helenæ, quos illa Lycenis*
*Pergama cum peteret, inconcessosque hymenæos*
*Extulerat, matris Ledæ venerabile donum.*

Neque satis semel hoc dixisse, sed paulo post mirari Tyrius ait:

*Pallamque & pictum croceo velamen acantho.*

*Sed & cultus cõcessus atq; magnificus addit hominibus authoritatem.*

*Kuchius l. 8. Instit. orat.*

Hoc illud est quod Cyprianus ait, continentiam & pudicitiam non in sola carnis integritate consistere, sed etiam in cultus & ornatus honore, pariter & pudore. Solicitus admodũ in hac re Tertullianus mihi videtur, qui non solum velamen hujusmodi *Armatum pudoris* vocat, *verecundiæ pallium, sexus fœminei murum, qui nec suos emittat oculos, nec admittat alienos*, verum etiam modum præscribit, ad quem velaminis istius forma produci debeat: *Quantum*, inquit, *resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoq; ambiantur. Ipsæ enim sunt quas subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet. Velamen jugum illarum est. Denig; bonum esse*, ait, *ut mulier usq; ad lumbos à capite veletur. Judicabunt nos*, addit, *Ambiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita tectum tegunt, ut uno oculo liberato contẽtæ dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere: mavult enim fœmina videri quam videri.* Nam & qui Flammeum describunt, vestem alii, tegmen alii esse dicunt, quo matronæ capita tegebant, dictumq; volunt à Flaminica, quæ uxor Flaminis erat, boni ominis causâ, quippe cui usque adeo injuncta erat pudicitia, ut uni illi divortium facere non liceret. Sanctissimumque præceptum est apud Christianos fœminis, ait Adamantius ex Paulo, ut cum orant, habeant velamen supra caput, propter Angelos, qui sanctis assistunt, & in Ecclesiis versari delectantur: quos quidem nos, qui sumus peccatorum sordibus inquinati, videre nequaquam possumus.

## ALBATÆ. CAP. XXII.

*Albæ vestes quid notãt. Sic Cicero 1. lib. de legibus Color albus præcipue decorus Deo.*

IPsi vero colores etiam hieroglyphicum quid sapere videntur. Nam Flamen, ut Varro tradit, cum ovi sacra ferebat, totus albatus erat, & pileum etiam gestabat album. Magi sane in Perside dicebat. Deum ipsum non delectari nisi albis vestibus, quod ego ex Salomone desumptum crediderim, qui dum morum candorem, & animi puritatem persuadere intendit: *In omni tempore*, inquit, *candida sint vestimenta tua*, utpote qui ætatem nullam, officium nullum, nullum otium & negotium toto vitæ tempore sinceritate & innocentia vacuũ esse debere præcipiat: ita enim sacræ literæ vestimenta accipere consuerunt, ita veterem hominem exuere admonemur, ita qui nuptiali veste non ornatus convivio nuptiali Regis discumbere ausus erat, ad crutiatum in vincula conjicitur.

*Et si peccata vestra purpurea instar rubuerint admodum nibis ad albabo. Esaiæ. c. 1.*

## VESTALES VIRGINES. CAP. XXIII.

QUæ vero suffibulo amictæ sacrificabant, virgines Vestales erant. Fuit vero suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod illæ in capite sacrificãtes habebant, idque sub mento fibula comprehendi solebat, unde nomen. Eadem pene specie qua sufficulum erat, Romanæ matronæ nunc utuntur, cum domo exeunt, pudicitiæ simul & pietatis, quæ duo in illis egregie vigent, indicia & vera & manifesta.

LIBER.

A

## LIBERTAS. Cap. XXIV.

Libertos manumissione accepta, alba veste decorari solitos id ostendit, quod apud Tertullianum legitur de famulo libertate donato. Atqui & vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaque honoratur & alibi talia, ut adversus Marcionem lib. 5. *Et sacræ tinsturæ candidatis mos fuit albam vestem induere*, de quibus eleganter Pontius Paulinus:

*Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos*
*Infantes niveos, corpore, corde, habitu.*

Neque minus luculenter Fortunatus:

*Candidus egreditur nitidis exercitus undis* *Fulgentes animus vestis quoq; candida signat,*
*Atq; vetus vitium purgat in amne novo.* *Et grege de niveo gaudia pastor habet.*

Et quoniam per hebdomadam Paschatis una tingi plures consuerunt, ea de causa feriæ illæ, quæ ad hoc omnes institutæ sunt, & quæ subsequitur hebdomada. *In albis* adhuc appellatur. Erat vero si-
B gnum quoddam manumissionis, de quo supra dictum.

## MODESTIA. Cap. XXV.

*Hinc candidati cultu integritatem præferebant in Magistratus petitione.*

Erat & modestiæ signum alba vestis, animiq; qui præsentibus æquus, nihil ulterius tentare videatur: uti purpura ambitionis, animique sublimis & vasti, amplitudinis, magistratusque summi. Sane cum apud Alexandrum quidam Antipatri parsimoniam atque modestiam commendaret: *Fovis*, inquit Alexander, *albo utitur pallio, intus vero totus est purpureus:* fictam notans in homine ambitiosissimo, qui maxima quæque appeteret, parsimoniam.

## LEGES, VETUS ET NOVA. Cap. XXVI.

*Cant. c. 5.*

Sed ut ad nostra redeamus, Canticorum cantico legitur, *Fratruelis meus albus & rubicundus*, quo loco Divinarum literarum interpretes, per colorem album Legem veterem intelligunt, per rubicundum prædicationem Evangelii, utrumque autem in Christo: ipsius est enim Lex, ipsius Evangelium. Sane ubi Levitico de cicatricibus agitur, *album*, ajunt, *cicatricem* Legis transgressionem significare. Ita illi omnia hieroglyphice sunt intelligenda.

C

## DE STOLA. Cap. XXVII.

*Hinc Tibullus, Impediat crines nec stola longa tuos*

Stolam apud veteres invenias matrimonialis pudicitiæ signum, de qua Tertullianus plura. Ovidius amoris & impudicitiæ præcepta daturus, quo se tamen verecundum assimularet, ait:

*Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,*
*Quæq; tegis medios instita longa pedes.*

## BAPTISMUS. Cap. XXVIII.

*Luc. 15.*

Evangelii vero locum, *Cito proferte stolam primam*, pro juvene perdito, qui redierat in viam, veteres aliquot Theologi accipiunt pro baptismo, ut apud Eucherium. Supra vero exeuntibus à baptismatis tinctura, vestem albam parari ostendimus.

---

D

# DE ATRATIS.

## SACERDOTES ÆGYPTII. Cap. XXIX.

Contra vero nostrorum mores, sacerdotes Ægyptii, cum supplicabant, nigris utebantur vestibus, neque alias quam nigras vestes eum decere arbitrabantur, qui diis preces allegaret: quippe ut terram ipsam supplicare significarent, ex qua mortales conformati sumus. Ea vero apud ipsos nigra figurabatur.

## CERES ET FALACRALIS FLAMEN. Cap. XXX.

*Etiamnum virilis habedica-*

Et Cereri nigra vestis apud Arcadas induebatur. Et Falacralis flamen nigro utebatur pileo: erat enim Plutonis: cui cum immolabant, vestibus utebantur nigris, quem colorem ajunt inferis diis

dedicatum. Et lugentium vestis maxime nigra erat, unde eas Varro Anthracinas vocat, quasi carbonarias velit dicere: ἄνθρακες enim Græce, Latine carbones appellantur.

## ÆRUMNOSUS. Cap. XXXI.

*Saccus seu saccini quid Hebræis.*

APud Hebræos luctus supremæque mœstitiæ indicium vestis erat saccus, & Saccium appellata, humilis illa quidem, abjectæ utilitatis, & informis, quæ quidem induta calamitatem, qua quis oppressus esset, indicabat, conscissa vero lætitiam. Genesi, ὁ δὲ Ἰακὼβ σακκίον ἐξαψάμενος, ἔθετο ἐπὶ τὴν βαγὺς ὀκαθέζετο, *Jacob autem saccium indutus, magnitudine mœroris humi oppressus assedit.* Sunt qui cilicium interpretentur, Sed & Græci Sacci vocabulo usurpant. Utcumque, vestem hujusmodi induere consuerant, cum in ærumnas, quæ omnem superarent consolationem, incidissent, qua demum leveti saccum discindebant. Unde Psalmo trigesimoquinto legas: *Ego autem cum mihi molesti essent induebar sacco, & macerabam jejunio animam meam.* Eodem autem significato color niger luctum, & quam Theologi nostri facti pœnitentiam vocant, indicare plerisque locis manifestum. Nam atratus in luctu vestire, à rerum primordio ad hoc usque tempus unanimi omnium consensu factum. Tum illud Levitico celebratur, *Si non capillus niger fuerit*, quod exponunt: si nullum pœnitentiæ signum per lachrymas dederit, aut aliquem omnino mœrorem præ se tulerit.

## MAPPA. Cap. XXXII.

*Mappa usus.*

ET mappa veli genus, quod mensis insternimus, quoque abstergendis manibus utimur, hieroglyphicum suum adepta est, si quidem ea signum erat in ludis, quo Equi de carceribus excitati cursum arripiebant: mittebat enim Prætor eam cum signum daret, quod nunc clangore tubarum significatur, de quo apud Martialem habes:

*Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam.*

Nero libertos suos id facere voluit, quod tanto apud veteres honori ducebatur. Nam apud Livium legas VIII. ab Urbe cond. L. Plautio Prætore gravi morbo detento, Dictatorem creatum fuisse, qui ludis Romanis signum daret quadrigis emittendis: qui eo ministerio functus, Dictatura se abdicavit. Hodie quoque, mi Jane, Romæ munus id ad ornatissimos viros defertur. Nam, ut non ignores, C Angelus Cæsius Advocatorum facile princeps, & Cardinalis pater, & nobilissimus vir Petrus Manus, tam eruditione, quam domestica celebritate insignis, duo s. P. Q. Romani Cancellarii (is enim titulus apud omnes Europæ Principes inter honoratiores hodie celebratur) inter alia præfectura tam præclaræ munera, cursorum in stadio emittendorum etiam negotio præficiuntur.

## PALUDAMENTUM. Cap. XXXIII.

*Sed & lictores author Livius.*

TRibunum, vel Præfectum, aut Præsidem aliquem ex habitu significare qui volebant, imaginem ejus paludamento insignem faciebant. Erat enim paludamentum vestis militaris, quo Duces, Tribunique, & Præfecti ad id munus electi, cum in provinciam proficiscebantur, uti consuerunt, indeque Paludati dicebantur, quemadmodum milites præcincti. Paludamentum Nonius chlamydem mox appellatam dicit, sed id quoque antiquum nomen. Sed enim, omnia militaria ornamenta, paludamenta dicebantur. Unde Verrio libris auguralibus: Paludati, armati ornatique sunt.

## RUBICUNDA. Cap. XXXIV.

RUbicunda vestis, tunica vel pallium deprompta, pugnæ acieive committendæ hieroglyphicum apud Romanos habebatur, de quo in Marcello, & in Pompejo, & in M. Bruto, Plutarchus.

## LÆNA. Cap. XXXV.

*Æn. lib. 1.*

ET læna vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta inducebatur, de qua Maro:

*Tyrioq; ardebat murice læna:*

Id vocabuli à Græcis dubio procul mutuo sumptum, qui genus id indumenti χλαῖναν dicunt.

## VERSICOLORIS. Cap. XXXVI.

*Et lasciviæ etiã, ideoq; fœminis prohibita.*

VErsicoloris vestis adolescentiæ hieroglyphicum est. Eaque de causa veteres Comici adolescentis personam versicolori veste indutam, in scenam inducebant: ut scilicet ingenii volubilitatem

A litatem, cupiditatumque varietatem, in ea ætate præcipuam commonstrarent. In Josippo vero puero per versicolorem vestem doctrinarum & virtutum copiam, quæ jam ex ejus indole concipiebatur, intelligit Adamantius. Quod vero lex nostra præcipit, vestem ex duobus textis non induendam, eo respicit, quod minime debeas Christum adorare simul & dæmonas: id enim est abominabile vestimentum. Non vult enim hominem semel Deo dicatum, diabolicis sese immiscere negotiis, neque simul orationibus incantationibusque vacare, & hujusmodi alia, quæ in spiritus contumeliam quotidie siunt. Neque vetat hoc lex in textis tantum, verum etiam diversi generis animalia commisceri prohibet, circumcisionem quippe, atque baptismum, ut ait Hesychius, non esse commiscendos.

*Livius lib. 34. ex l. ge Oppia. Vestem ex duob. textis induere vetitum, & quare.*

## LINTEA. Cap. XXXVII.

Lintea vestis alba supra cæteras vestes inducta, puellaris ætatis indicium fuit, quod eo genere amiculi apud veteres puellæ ante duodecimum annum utebantur. Hinc illud apud Afranium citatur: *Puella non sum, supparo si induta sum.* Vult vero Nonius supparum linteum esse femorale, usq; B ad talos pendens, dictum quod subtus appareat. Sunt etiam puellares vestes ex Varronis jussu, chlamydes, encobomata, ac parnacides, quas jubet ut puellæ habeant, potius quam togas. Utcumque, longa vestis omnino fœminea est, aut citharœdica, de qua Maro:

*Supparum Nonii.*

*Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos*
*Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

*Æneid. l. 6*

Ita Propertius libro II.

*Pythius in longa carmina veste sonat.*

## FIDES LUBRICA. Cap. XXXVIII.

NOnianum vero supparum adducit in memoriam mihi linteum alterum, quo mulieres hodie passim utuntur domi. Id infra thoracem accingitur, & ad pedes usque propendet, anterioresq; tantum partes velat, vulgo non improprie gremialia vocantur. Habet hoc vestimenti genus hieroglyphicum suum. Nam proverbium est. *Nec mulieri, nec gremio credi oportere*, quod & illa incerti & C levis animi sit, & in gremio posita plerumque cum in oblivionem venere, illis temere, surgentibus, procidunt.

*Ad verbum ab Erasmo. Chil. 4. centur. 4. prover. 89.*

## FIDES LUBRICA. Cap. XXXIX.

SInum hunc Latini mihi videntur appellasse, quamvis ejus locutionis late patet usus, præsertimq; ubi potestatem aut quid fidei creditum significat, ut altero & vigesimo Pandect. lib. Tit. 3. Scævola: *Titio C. do, lego, quæ mihi pertulite quæ ideo ei non cavi, quod omnes fortunas, & substantiam, si quam à matre susceperat, in sinu meo habui, sine ulla cautione.*

*Scævol. l. Pandect 22. Titulo, de probationibus.*

## PRÆTEXTA. Cap. XL.

PRætextam nonnulli putant togam fuisse, quæ ad talos usque produceretur, dictam quod in ea purpura prætexeretur. Per eam honorem intelligebant, qui esset cuipiam habitus: honestorum enim prætexta erat, ait Pædianus, toga viliorum. Alii nomine hoc purpuream quamdam fasciam valde latã intelligunt, quæ tamen multipliciter plicata in angustum contraheretur, atq; ita supra alia vestimenta nunc ab humeris, nunc à pectore in fasciæ modum circumduceretur, nunc ejus capita utrimq; ab humeris in pectus demitterentur: cujus generis amicula Romæ plerisque antiquorũ statuis inducta conspicias. Et in Veneta nobilitate qui togati incedunt, eo omnes amiculi genere utuntur, eo excepto, quod purpurea apud eos in usu non est, sed ex nigra panno plurimũ. Purpura enim non nisi magistratibus conceditur, hisq; insignioribus. Nuptialibus quoq;, & cum primi honores, quos procuratorios vocant, alicui differuntur (sunt vero hi sacrarum largitionum præfecti) tunc consanguineis & cognatis & affinib9 licet per aliquot dies uti purpura in lætitiæ gratulationisq; significatũ. Sed admonet me color purpuræ, ut quid in Divinis literis manus coccino præligato sibi velit, exponam: Zaræ manus inquã Judæ filii, quæ se de matris utero porrexit: nulli enim dubium esse id hieroglyphicum, per quod Theologi, ut apud Irenæum est, Judaicum populum simplicibus legis operibus & circumcisionis sanguine insignem, qui prius apparuerit, seq; mox retraxerit, loco alteri fratri,

*Apud Venetos prætexta in usu.*

*Idem Macrob. lib. 1 Sat. cap. 6. Prætexta Nonii, & prætextatæ fabulæ.*

qui & ipſe in utero matris erat, dato interpretantur,& per Phareas Chriſtianos,qui ſecundo loco ogniti hæreditatis primigeniæ meſſem abſtulerint. Sed ut Romam repetam, antiquiſſimum apud Romanos quoque fuit,ut magiſtratus prætexta uterentur. Nonius quoque ait, prætextam inſigne Romanum eſſe, quod ſupra tunicas honorati quique ſumerent. Et prætextatæ fabulæ dicebantur, utapud Feſtum legas, quæ res geſtas Romanorum continebant, in quibus ſcilicet Imperatorum negotia agebantur, Regesque Romani vel Duces inducebantur.

## PALMATA, ET TOGA PICTA. Cap. XLI.

JOvis quoque imago tota prætexta inſignis dedicabatur, cui & palmatam tunicam, & togam pictam adjiciebant: quo habitu triumphales etiam viri conſpicui incedebant, ut apud Livium legere eſt lib. 10. Et apud Juvenalem triumphantem vides in tunica Jovis ſuperbire.

## PUDOR. Cap. XLII.

*Ætas prætextata. Macrob. ibidem.*

QUantum vero pertinet ad pueros, præcipuum prætextæ ſignificatum fuit, ut pudorem indicaret,quem ſcilicet ætas ea,quæ Prætextata dicebatur,ſibi proponere deberet,ejusque rei inditium eſſe purpureum colorem, unde admonerentur verecundiam in dictis factisq; omnibus amandam. Quod ſi nuptialibus, de quibus apud Catullum, ad aliqua petulantius dicenda adhiberentur, quod id facere liceret prætextæ jure minime violato, eam in id tempus abjiciebant. Hinc pro laſcivo ſermone atque licentioſo,alii qui prætextatum dixere,Sunt vero hæc quæ tangit Seneca, Medea:

*Feſta dicax fundat convitia Feſceninus.*

Ita Catullus:

*Nec diu taceat procax Feſcenina locutio.*

Ea vero qvalis ſit, ad multos qui ſubſequuntur, verſus explicatur.

## MANIPULARIS. Cap. XLIII.

*Suetonius in Auguſto c. 25. Ordo manipularis. Manipulus.*

CAliga quoq; ſuum habuit hieroglyphicum, ut ſcilicet ejus ordinis militem indicaret,qui manipularibus præfectus eſſet: eo enim calciamenti genere utebantur. Subjecti hi Centurionibus, & Caligati dicebantur, unde apud Tranquillum legas de Auguſti facilitate, qui vallares muralesque coronas ſæpe etiam Caligatis tribuerit. Inter hos infimæ notæ milites, quia & enutritus, & aſſidue verſatus erat C. Cæſar, qui Tiberio ſucceſſit in Imperio, ab eo calciamenti genere Caligula vocitatus eſt. Qui vero eſſet manipularis ordo, & quo militum numero conſtaret, quoque ſigno turma hujuſmodi cognoſceretur,minime diſſimulandum. Apud Livium enim numerus xxx. militum ſub manipulo cogebatur, uno quippe vexillo. Manipulus vero præcipue dicitur faſciculus alicujus rei, quia manu capitur. Romulum quippe ajunt manipulos fœni pro vexillis habuiſſe, quod repentino tumultu excitatus, id ſigni genus prætulerit, req; bene geſta, boni inde ominis cauſa manipulos inſtituiſſe.

## PENULA. Cap. XLIV.

*Imperii omen penula omiſſa.*

PEnula militaris veſtis, quam cœlo pluvio geſtare conſuerant, quam Horatius ſolſtitio nihil prodeſſe dicit, Tribunitiæ poteſtatis inſigne fuit. Hadriano autem Tribuno facto, Imperii omen fuiſſe penulas amiſſas, quas Tribuni geſtare ſoliti pluviæ tempore, Imperatores vero numquam, ait Spartianus. Poteſtas vero Tribunitia, quia ſacroſancta erat ab Imperatoribus uſurpari ſolita, ut quæ maxima eſſet pars Regalis imperii, ut apud Vopiſcum eſt.

## ZONA. Cap. XLV.

*Sed & Magiſtratus ex Authenticis Juſtiniani Imper. Pontifex zona præcinctus,*

VIrginitatem per zonam ſignificare tam Græcorum & Latinorum eſt, quam etiam Hebræorum. Trœzeniorum autem virgines zonam Palladi Apaturiæ ante nuptias dedicabant, ſicuti crines Hippolyto, cui Diomedes templum excitarat quod Aurigam in cœlo poſitum Hippolytum crederent. Author Pauſanias. Sed nos ad zonam. Denique pleriſq; locis Divinæ literæ zonam pro fortitudinis hieroglyphico ponunt,eaq; Pontificem ſacra facturum præcingi jubent. Sed quod variari cum opere plumatili præcipitur, non recte nonnulli pro Plumatili Topiario ſubſtituendum putant: multa enim hujus antiquitatis veſtigia extant,ab extremis præcipue novi orbis nuper inventis partibus allata, ubi tam indumenta, quam geſtamina, ſcuta etiamnum, & diverſi generis vaſa pleraq; omnia, pictaco-

A psittacorum,& phœnicopterum, & aliarum pictarum avium plumulis intexuntur, opere tam venuste variato, ut nihil delectabilius possit oculis offerri. Nam quod superius dicebamus, hanc pro fortitudine poni, cinctus ipse apud Romanos strenuum significat,uti discinctus imbellem, & ignavum,ac nihili hominem notat. Tertulliano zona tormentum est. Hilario, efficax in omne opus bonum apparatus, ut ad omne ministerium Christi voluntatis cingulo simus accincti.

## VINCULA JUGALIA. Cap. XLVI.

Jugalia vero vincula quæ sint, apud Poëtas omnes vulgata sunt, Nova sane nupta cingulo præcingebatur ex lana ovilla facto, quod vir prima nocte, in Deæ virginalis honorem, sponsæ accubans in lecto solvebat. Unde Homerus, λῦσαι ἧ παρθενίλω ζώνλω. E apud Ovidium: *Nobæ nupta cingulũ*

*Castaque fallaci & zona recincta manu.*

*Solvere virginalem zonam.*

Eoque spectat Catullianum illud,

*Qui zonam solvit diu ligatam,*

Indicabat vero hieroglyphicum hoc, ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se est, sic vir
B suus secum cinctus junctusque esset.Cingulumque hoc Herculaneo nodo vinctum, vir omnis gratia solvebat,ut sic & ipse in liberis suscipiendis felix esset, quemadmodum Hercules fuit, qui liberos septuaginta reliquisse fertur.

## PUERPERIUM. Cap. XLVII.

Quin etiam zonæ solutio puerperii fuit hieroglyphicum : olim siquidem *Solvere zonam* dicebantur,quæ primo pariebant,eaque de causa levatæ partu mulieres,zonam Dianæ dicabant. Unde fanum Solvizoniæ Dianæ Athenis fuit,de quo apud Apollonium Argonauticis.

## TEMPERANTIA. Cap. XLVIII.

Habent & Divinæ literæ hieroglyphicum quod per zonam cingulumve significent,præcipue vero temperantiam & moderationem, qua fluxæ animorum cupiditates coërcentur, luxuriantia compescuntur,& modus denique imponitur rebus, ut quinto supra quadragesimum Psalmo legas, *Regis filiam in cingulo aureis conspicuam*,quod alii in fimbriis transtulere.Apostolus tamen præcincti
C circa lumbos zonis aureis dixit, quod pro cordis munditia nonnulli interpretantur, alii vestem auro contextam simpliciter accepere.Verum Euthymius zonam agnoscit,& pro temperantia atque modestia,quæ concupiscibilem animæ partem coërcet,interpretatur : non hoc dicturus, si vestem simpliciter agnovisset, Quamquam & fimbriarum non respuit ornatum,& virtutum inde multiplicitatem non aversatur. *Zona in Divino significatio. In Apocal.*

---

## DE PERA. Cap. XLIX.

Posita zona, visum est κατὰ πόδεςον & Peram apponere : nam & zona ipsa sæpe pera est : ut apud Horatium :

*Ibit eò quò vis qui zonam perdidit.* *Horat. in epistolis.*

Hæc tam apud Græcos quam apud Hebræos hieroglyphicum habet id,quod pro cura & solicitudine victus accipitur,unde Theologi transferunt ad impedimenta humanæ vitæ,quæ animum alioqui
D paratum ad disciplinas interturbant.Græci super hoc dicunt, *Diogenes cui pera penus*, cui scilicet minima harum rerum cura. Evangelium quoque, *Nam peram in via*, cum nec quidem solicitos esse de crastino imperaverit Dominus. Eodem facit & sacculus,quem habere non licet,hoc est, in hac peregrinatione minime thesaurizandum esse. Quod ibi apertius: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt,* *Hinc ὑπὲρ τὼ πήρας φρονεῖν, ultra peram sapere & esse solicitum. Lucianus in Timone.*

## HIEREMIÆ CINGULUM. Cap. L.

Ejusmodi est & cinguli significatum, quod ex lino factum, eoque cingere se jussus est Hieremias. Quod quidem ut manifestius intelligatur, exigit locus, ut de lino quædam altius repetamus. Linum enim ex terra nascitur, fatumque prius in gramen pullulat, mox ut flore lascivierit, vellitur, aqua immersum maceratur, exsiccatum mox frangitur,& quoquo versum perdomatur, inde pectitur, *Lini & hominis comparatio.*

pectitur atque netur, neque tamen prius, quam ferventi mordacique subinde lixivio perpurgatum A
sit, effectumque candidum, texitur, ut vestes inde consuantur, quas induti ante faciem Domini preces allegemus. Hæc omnia nobis diligenter inspicienda sunt, hujusmodiq; segetis herbæve cura ante oculos proponenda: quippe quæ probatioris, castigatiorisque vitæ scenam quamdam pingere videatur. Siquidem nos è terra geniti, luxuriare ineptiis statim incipimus, magistra igitur disciplina avellendi à terra sumus, & lachrymarum aqua macerandi, ad sacerdotalem Solem mox exponendi, laboribus inde & perperam factorum pœnitentia domandi, inde per omnes conscientiæ scrupulos qam diligentissime pectendi, ut ita sordes excutiantur omnes, nihilq; relinquatur, quod in filo vitæ producendo possit officere: quod quidem filum longa bonorum operum continuatione nendumest, mordacique subinde lixivio dealbandum, ut eluto ita tetro illo colore, quem à terrena contraxeramus origine, candidissimum nobis amiculum puta cingulum contexamus: quod tamen ad Euphratem minime defodiamus, ne ibi computrescat, inutileque reddatur, hoc est, Assyriorum & Babyloniorum moribus corrumpamur, sed eo & integro & nitido custodito, clericos, qui vere sint per sortem electi, profiteamur. Atque hæc est super sacerdotum amictu ratio nulla non hora repentenda. B
In universum autem linteas vestes sacerdotibus attributas habilitatem significare veteres plerique Theologi dixerunt. Inde lintea tunica justitiam, femoralia idemtidem lintea castitatem ostendunt: nempe id innuentes, quod veluti linum res est admodum parabilis, ita virtutes, modo eas appetierimus, minimo negotio comparantur.

## PURITAS. Cap. LI.

HErodotus, ut Gentes quoque nobiscum in puritate vitæ sentire commonstremus, nefas ait apud Ægyptios laneas vestes in ædes sacras inferre, proindeque linteis usos, de quibus ita Martialis:

*Linigeri fugiunt calui, sistrumque turba,*
*Inter adorantes cum stetit Hermogenes.*

Unde apud Tertullianum de Christo, cum linteo circumstringitur, propria Osiridis veste. At Plutarchus libro de Iside & Osiride, cur eorum sacerdotes linteis tantum vestibus uterentur, unicam eam esse causam existimat, quod immortalibus diis omnia pura mundaque conveniant: non enim C
esse fas, Platone teste, pura deorum numina impuris & contaminatis rebus coli: quare cum linum iis quas superius recitavimus causis maxime purum fiat sitque ad eluendum expeditissimum, sacrificiis Deum cultoribus ante omnia congruere censuerunt. De nigris vero vestibus, quas tunc induerent cum Deos precibus placare instituissent, superius dictum est.

*Sacerdotum vestes cur lintea.*

## FATUM. Cap. LII.

ADdemus & illud, receptissimum apud Poetas esse Lina pro Fato ponere, quod nescio quid sapit hieroglyphicum. Nam ut Parcarum stamina prætereamus, quæque super his alibi dicenda sunt, cur linum pro fato Poetæ ponant, causam afferunt interpretes Theocriti: quia scilicet terræ fœtus est linum, quemadmodum etiam mortales: idque abruptum, significat, hominem rursum ad terram redire.

## CASTIMONIA. Cap. LIII.

SEd ut ad vitæ redeamus integritatem, moresq; castos, nihil aliud sibi divina nostrorum monumenta volunt, dum sacerdotalia memorant indumenta, quibus Campestre adnumerant quod alii Femoralia dixerunt, nisi ut hinc castitatem etiam nos assumere commonerent: indumentum quippe quo pudenda cooperiamus, & renes etiam constringamus: eo enim sacerdos præcingi jubetur, in holocausti faciendi lege, hoc est, ut Cyrillus interpretatur, fluxæ libidinis luxuriam castitatis cingulo coercere. Sacerdos enim qui sacris assistit altaribus, id præcipue curare debet, ut castus & intaminatus operetur. D

## PROFECTUS ORATIONIS. Cap. LIV.

TAmetsi Origenes sublimiore quadam contemplatione raptus, cum octo ponantur Exodo sacerdotis indumenta, cur Levitico septem tantum recenseantur, inquirit, hoc scilicet Campestri

A stri posthabito, eoq; rem deducit, ut veluti de Mercurio nationes reliquæ veteres intelligebant, per Genitale nos quoque Sermonem accipiamus, qui quidem tunc exerceri debet, cum spes profectus aliqua visa fuerit affulgere, fœturamq; minime irritam futuram. Cum vero nos nulla profectus spes invitarit, sed aversas à bono aures, aversa hominum ingenia prospexerimus, Campestria subliganda, orationis quippe nihil quicquam profuturæ frænum imponendum. Sunt vero Campestria, perizomata, ut Eucherius, quibus juvenes qui nudi exercebantur, in campo, uti consuerunt, pudendis cooperiendis. Jam & illud continentiæ significatum est maxime proprium, & admodum hieroglyphicum nisi oculos verecundiorum offenderet, quo pudendum fibula cohibitum ostentatur. Usitatissimum autem apud veteres fibulam apponere, præcipue his, quos ad Musicam educarent, ne scilicet Veneri operam dantes raucedinem contraherent. Unde & fibulare, & ejus contrarium, refibulare, verba.

*Campestr a quid.*

*Hujus rei rationem reddit Cor. Celsus l. 7.*

## RERUM PROGRESSUS PER CALCEUM.
### Cap. LV.

B SEd neque calceus est inter indumenta contemnendus, qui progressionis indicium est: pro viatoribus enim excogitata sunt calceamenta, proque expeditionum auspiciis in Divinis literis calceamentum ponitur. Inde Psalmo LX. dictum volunt: *In Idumæam extendam calceamentum meum:* hoc est, in Idumæam progressus, eam mihi subjiciam. Sane veteres Theologi, ut Eucherius tradit, veluti per pedes humanitatem Christi significari dicunt, ita eum advenisse, & corpus nostrum induisse, per calceamentum ita porrectum interpretantur, & quod positum est, in Idumæam, in plebem gentilium hanc manifestatum iri pollicentur. Quod quidem dictum, Jane mi, Ægidius noster cum tempora, quibus hæc futura sint, dinumerasset, rem multis divinorum vatum oraculis comprobavit. Reliquum est, ut quæ futura ille magnus omnino vir prædixit, nos assiduis precibus, ab Optimo Maximo fatorum Rege deposcamus, ut tu argumentum habeas ingenio tuo dignum, quod scriptis illustrare aggrediaris.

*Calceus in Divinis quid. Et pro demissione conditionis ex testimonio D. Jo. Baptistæ.*

---

C # JOANNIS PIERII VALERIANI
## HIEROGLYPHICORUM
## LIBER XLI.

## DE IIS QUÆ PER BULLAM, ANULUM, INSIGNIORES ALIQUOT GEMMAS, ET gestamina quædam significantur,

## Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD ORNATISS. PATRITIUM VENETUM JO. CORNELIUM FANTINI CLARISSIMI F.

D *CUm primum intellexi, Magnificentissime Joannes, te præstantissimi viri Aloisii Cornelii generum effectum, clarissima quippe Clara ejus Filia in uxorem accepta, statim Venetias advolavi, de tam felici matrimonio tibi eorum gratulaturus. Inveni vero domum totam exultantem gaudio, & auspicatissimis nuptiis bona commodaque omnia ominantem, te vero cum institoribus agere de muliebri mundo, de bulla aliqua pereleganti, aureoque torque, & anulo pronubo, in quo non splendorem tantum, sed & pulcherrimum aliquod signum, quod antiquitatem saperet, quæritabas: ideoque adventu meo latatus, super his multa interrogare cœpisti, quod circa rerum hujusmodi cognitionem me diu versatum noras, de quibus cum multa dicta fuissent, longeque plurima dicenda essent, rogasti me, ut per otium ea scripta tibi traderem, ut hæc quietius examinares. Bullam autem præcipuè petebas,*

*anulumque cum gemma aliqua insigniori, præclaraque antiquorum opera, quæ non temerè olim & magistratibus, & iis qui fortiter aut sapienter se gessissent, honori fuerint condonata. Hæc igitur ego quoque per otium in unum tibi congessi commentarium. Quid enim ego antiquissimus domus tuæ cliens negare potuissem, quod tu tam honeste poscere, quodq; ad ingenii tui elegantiam facere mihi videretur? Antiquissima enim est imaginum disciplina, & gentibus omnibus quæ ingeniis & eruditione claruere, in primo semper honore habita. Idem de Regiis, de Romanorum fascibus, de sella, deq; ornamentis aliis dici posset, cujus potissimum rei ratio ab Ægyptiis primum desumpta, reliquis mox nationibus communicata. Volui itaque, ut pars hæc meum erga te studium, amorem, observantiamq; declararet: eo enim consilio scripsi, ut hæc qualiacunq; sint, istiusmodi erga te cultus testimonium essent manifestum. Ingrati siquidem animi esset, non assiduè esse memorem beneficiorum, quæ in me domumq; meam universam, clarissimus patricius Fantinus pater tuus, summæ vir integritatis assiduè contulit, quæ quidem è memoria vitaq; mea numquam evellentur. Accedit ad hæc, quod tu quoq; jure quodam hæreditario eadem benignitate patrocinium erga nos idem suscepisti, meq; præcipuè vel à teneris utriusq; nostrûm unguiculis in amicitiam tuam acceptum ne dicam, an in domo tua compertum, fovere, ac omni officiorum genere prosequi numquam destitisti, disciplinam libemlitatemq; eam, quam à patre sapientissimo atq; optimo viro acceperas, egregie conservans. Auxerunt autem tot merita summum ingenium tuum, suavissimiq; mores, probitas dubio procul singularis, quæ ut te semper mirabiliter & amarem & colerem, effecerunt: nam & tu aliquid dignum majorum tuorum gloria cogitas: futurumq; est, ut inde virtutis etiam tuæ lumen eluceſcat. Sed quoniam tam claræ sunt laudes tuæ, ut meo non indigeant testimonio, eaq; suapte vi omnibus innotescunt, iis nunc dimissis ad negotium quod explicari quæris, accingamur.*

---

## DE BULLA. Cap. I

*Bullæ commendatio. Hæc à D. Laërtio in ejusdem vita.*

BUllam apud Romanos cordis effigiem habuisse, multi profitentur. Hetruscorum sanè gestamen illud ab Lucumone Hetrusco duce, quem Romulus tam condendæ quam instituendæ urbis socium, habuit acceptum. Eum vero Pythagoricum fuisse Ausonius ostendit, ubi Samii Lucumonis acumen celebrat. Sedenim Pythagoram Tyrrhenum fuisse, Aristoxenus, Aristrachus & Theopompus asseverant, quod Theodoretus id ipsum sentiens authores habet, quamvis unus Neanthes eum Tyrium fuisse suspicetur. Multa vero hujusmodi excogitata sunt à Pythagora: quia non solum originatione motus, quod multæ olim in Hetruria civitates ab Ægyptiis fundatæ constitutæq; dicuntur, sed quod ipsos etiam Ægyptios adierit, à quibus sacri sermonis rationem, obscuritatem in loquendo symbolicam, & disciplinas alias reportavit. Cur vero Samium nonnulli eam fuisse dixerint, alibi disputatum.

## CORDE PRÆSTANDUM. Cap. II.

*Idem Macrob. lib 1. Satur. c. 6.*

ERat vero apud Romanos gestaminis hujus hieroglyphicum significatum, ut ingenui pueri figuram hujusmodi de collo suspensam ante pectus inspicientes, se tum demum homines futuros cogitarent, si corde præstarent. Ideoque Tarquinii Prisci filium, quatuordecim non amplius annos natum, virili edito facinore, hoste quippe in acie cæso, Bulla primum omnium ea ætatula donatum ajunt, quamvis & Herſiliæ filium adhuc infantulum, quod primus exraptis conjugibus ortus esset, eo gestamine decoratum, proditum sit: puerumque Papyrium ob tacendi simulandique peritiam, qua in eludenda matris importunitate, quæ Senatus ab eo secreta perscrutabatur, usus est, maximè nobilitatum.



*Bullæ etymon.*

Sunt autem qui vocis secuti significatum, ἀπὸ τῆς βουλῆς, id est, à consilio Bullam dici voluerint, ideoq; datam pueris gestandam: quod ætas ea ulterius sit consilio regenda. Puerile enim omnino gestamen fuisse Persiani ad Cornutum versus ostendunt:

Cum

A *Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,* *Satyr. 5.*
*Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.*

Apertius vero Tullius, Verrinis: *Bulla in toga prætexta erat ornamentum pueritiæ, indicium atque inſigne fortunæ.*

## CONSILIUM. Cap. III.

ALii ſignificare voluiſſe dicunt, conſilium à pectore proficiſci, ideoque Bullæ hieroglyphicum in eam partem reſidere. De conſilio vero per figuram Cordis à gutture pendentis expreſſo, in Cordis ipſius Commentario ſatis diſputatum. *Vel quod* βυλὴ *vel* βύλλωμα *ſit bullæ affine.*

## VERITAS. Cap. IV.

ÆGyptii ſane cum veritatem ex humano corde gutturi appenſo ἱερογλυφικῶς indicari dicunt, Bullam hanc intelligunt, inſignemque ſane hoc geſtamine prædicant judicem illum, quem in Simandii monumentis fuiſſe tradunt, cujus à collo ſuſpenſa veritas penderet, oculisq; eſſet in ſinum dejectis, octo legum libris circumſtantibus, quod nos admonere dicunt, Judices integros eſſe debere, & ſolam inſpicere veritatem. Quod vero eſſet compendioſum veritatis hieroglyphicum, nullum Corde ipſo commodius invenimus. Adamantius ubi Ezechielis dictum illud interpretatur, *Et catena circa collum tuum*: Si me, inquit, poſteaquam juſtitiæ opus adimplevero, intellectus ornaverit veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circumdatur. Nam & Platonici, qui juſtitiam volunt actionem eſſe quandam animæ propriam, ei locum etiam circa pectus attribuunt. Nos vero cum veritatem eſſe quid ingenuum, & mendacium ſervile quiddam addidicerimus, ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς, τ' ἀληθῆ λέγειν, *Ingenui opus viri eſt, ut vera proferat*, eamque Bullam ingenuos tantùm geſtare ſolitos, quid illud fuerit geſtaminis, quod veritatis indicium à collo penderet, præterquam Bullam hanc, ſuſpicari nequimus. Sane Diodorus ſignum id variis ornatum gemmis fuiſſe profitetur. Levitico etiam, ubi de Pontificis ornatu agitur, veritatis ſignum invenias in pectus incubuiſſe, de quo alibi ſuo loco diximus. Sed & Salomonis dicteriis cap. III. veritatem gutturi circumdare commonemur. B *Et Ezech. 16.* *Juſtitiæ ſedes in pectore.*

## INVIDIÆ AMULETUM. Cap. V.

CErat & triumphantium geſtamen Bulla, quam in triumphis præ ſe geſtabant, incluſis in eam remediis, quæ adverſus invidiam pollere credebantur. Illud adnotandum ex Aſconio, Bullam ſuſpendi in collo infantibus, ingenuis aureeam, invenio etiam apud alios argenteam, libertinis vero ſcorteam, eſſe ſolitum, ut illud apud Juvenalem aperiatur, *Signum de paupere loro.* Sane noſtræ etiam ætatis mos eſt, ut ſi quis torquem aureum, catellam ve geſtare voluerit, neque tamen equeſtri, vel, ut ajunt, militari, aut alia quapiam dignitate, cui geſtamen illud competat ſit inſignitus, ligulam ex loro geſtamini ejusmodi alligare compellatur.



*Bullæ triumphantium geſtamen.*

*Obſervatio geſtaminis torquis aurei.*

## GLORIOSUS. Cap. VI.

DNEque tamen ubiq; Bullæ nomen pro geſtamine accipiendum, ſed & pro baltheorum, & ſorium, & aliarum plurimarum rerum ornamentis, unde pars hæc pro gloria faſtuque ponitur, ubi quis non aliter gloria turgeſcere videatur, quàm Bullæ ipſæ inturgeſcentis cujusdam figuræ ſpeciem præ ſe ferunt. Unde dixit Perſius:

*Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi nugis*
*Pagina turgeſcat.*

*Sumpta Metaphora* ἀπὸ τῶν πομφολύγων.

Id quod alia metaphora alibi dixit, *Ad populum phaleras.* Bullæ autem in zonarum ornamentis tanquam clavi affixæ baltheis dedere nomen, quaſi Bullatei vocitentur. Et clavorũ capita tumentiora, qualia templorum, & privatarum aliquot ædium valvis ornamenti cauſa affigi ſolent, Bullæ nuncupantur: quas Cicero ait, Verrem, quæcumque aureæ eſſent, omnes auferre non dubitaſſe. Et apud

Plautum

Plautum in Asinaria, Leonida servus in Atriani Sauriæ persona, *Jussin'*, inquit *in splendorem dari has foribus nostris?* Idque nominis est similitudine inde sumpta, quod perquam similia sunt bullis, quas aqua in aquam decidua suscitat.

## HUMANA FRAGILITAS. Cap. VII.

Πομφόλυξ ἀνθρωπος.

Quoniam vero tumorculi illi perexigui, qui stillicidiis in aqua fiunt, cito prætereunt, ad humanæ vitæ fragilitatem ostendendam hieroglyphicum factum est proverbium, *Homo bulla*, cujus meminit Varro libro de re rustica primo: quamvis nonnulli de iis tantum dictum volunt, qui jam saturi annis prope casuri sunt, & morituri.

---

# DE ANULO.

## FIDES. Cap. VIII.

*Anuli usus apud veteres.*

PRæcipuum anuli significatum hieroglyphicumq; verum, ingenui hominis fidem indicare: quandoquidem anulum veteres non ornatus, sed signandi causa circumferebant, nec plus habere quam unum licebat: quamvis laudatissimum ejusmodi morem, succrescente postmodum luxu & divitiarum ostentatione, delicios populi labes violarit. Scimus enim invidiosum Sergio cuidam, nobili alioqui viro, cognomen additum, ut Orata diceretur, propterea quod duobus anulis aureis & grandibus uteretur: vulgus enim aurum, orum, ut nunc passim dicitur, enunciabat. Sed erat hoc ad gemmarum etiam ostentationem, quarum mox luxus crevit in immensum. Nam signum in uno tantum habere permittebatur, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides decerneret, quæ signaculo contineretur. In Divinis quoque literis anulus est fidei signum, quo spectare Evangelicum illud Theologi ajunt, *Date anulum in manum ejus*, & quod Psalm. legitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nam & Paulus ultimo Digestorum, anulum hujusmodi signatorium inter ornamenta recenseri negat. De hoc Cic. ad Q. Fratrem, *Sit*, inquit, *anulus tuus non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Sane apud veteres testamentorum tabulæ, septem testium signis anularibus muniebantur, quæ facti testamenti fidem facerent. Quod vero servis atq; libertis jus anulorum negaretur, quo tamen impetrato ingenuitas simul impetrata intelligeretur, xt. Digestorum lib. Papinianus, Neratius, Paulus & Ulpianus ostendere. Hic vero quæsivisti à me, quid sibi vellet in scena anuli aurei legatus usus, quo non alibi, quam in scena liceret uti. Respondi, locum eum ex Pandectis desumptum esse, sed fœdissime vitiatum eorum imperitia qui literas numquam attigerunt. Nam quod vulgata habent exemplaria, *Proinde etsi scenicæ vestis usus fructus legetur, aut anuli aurei, vel alterius apparatus, alibi, quam in scena non utetur*, legendum ex antiquissimo Pisano codice qui Florentiæ custoditur: *Proinde si scenicæ vestis usus fructus legetur, vel aulæi, vel alterius apparatus, alibi quam in scena non utetur.* Habes enim vestem scenicam, habes aulæa, habes reliquum apparatum. Acde aulæis hujusmodi apud Horatium legas. *Auditoris egent aulæa manentis*, in hujusmodi ornatus scenici significatum.

*Contra tamen Macrob. Satur. lib 3. c. 15. à pisce Orata.*

## COR. Cap. IX.

*Hæc à Macrobio 1. Satur. 7. c. 13. Digitus anularis cur anulo honestatus.*

SEd hæc utcumque habeant, illud manifestum est digito qui minimo lævæ proximus est, anuli gestandi munus demandatum, eaque de causa nomen illi inditum Anulari: erat enim is cordis indicium, ideoque institutum ab Ægyptiis, ut anulo tanquam corona honestaretur. Eundem Sacerdotes, ad deorum aras operantes confectis adoribus illinebant, idq; propterea fieri solitum ajunt, quod dissectionum periti nervulum quendam à corde natum per dorsum ad eum tendere, & in eo desinere compererint. Sane solebant in hujusmodi anulus eorum etiam imagines fieri, quorum memoriâ colerent & observarent, quod eos sibi præcipue cordi esse, qui eas gerebant, cum quadam etiam ambitione omnibus ostentarent. Unde Cicero lib. de Finibus, Epicuri studiosos memorans: *Epicuri imaginem*, inquit, *non modo in tabulis, sed etiam in poculis & in anellis habebant.*

IGNA-

## IGNAVIA HONORATA. Cap. X.

ALii putant anulum in hunc digitum immissum, ne aurum tam facile obtereretur. Ignavissimum enim esse eum inter omnes digitos, manifestum est, ideoq; ad auri & gemmarum incolumitatem aptior videtur. Non enim exporrigi sine aliorum comitatu potest, unde minus attritui obnoxius est. Itaque non desunt qui per eum digitum anulo honestatum, honores ignavo cuipiam habitos interpretari velint. Sed quantum pertinet ad locum subsecuta ætas nihil interesse indicavit, quo gestaretur articulo, sed ut quisq; vellet, quacumque manu, quove liberet digito, ferre permissum est. *Idem fere Macrob. ibidem.*

## NOBILITAS. Cap. XI.

SEd utcumq; illi philosophentur, apud Romanos anulus omnino signum nobilitatis fuit: nam ut apud Livium libro secundi belli Punici tertio, Mago, qui Cannensis victoriæ nuncius Carthaginem missus erat, post rerum gestarum seriem enarratam, ad rerum tam lætarum fidem effundi jussit in vestibulo Curiæ ingentem illum anulorum aureorum acervum: deinde verbis adjecit, quo majoris cladis indicium esset, neminem nisi Equitem, atque ipsorum primores, insigne id gestare. Et in calce noni ab Urbe condita: *Tantum*, inquit, *Flavii comitia indignitatis habuere, ut plerique nobilium anulos aureos & phaleras deponerent.* Et ubi Cicero oratione quarta objicit Verri, quod indignissimos in concione anulis aureis donasset, *Honori*, ait Asconius, *& lucro sunt, ut hastæ, vexilla, phaleræ, corona civica, item anuli aurei ingenuitatis signa.* *Nimirum equestru.*

---

## DE DIADEMATE. Cap. XII.

ABanulis & gemmis, casu nescio quo, ad diadema progressum est, quo in sermone, quod fasciam esse diadema dicerem, & in numis aliquot eam gemmatam ostenderem, admirari videbare, cujus rei fidem afferebam, Ægyptios Sacerdotes, si principem hominem ostendere voluissent, hieroglyphicè Canem solitos facere fascia velatum, de quo ad Florium loco suo plura. *Ut quod à διαδέω, circumligo.*

## REGIA POTESTAS. Cap. XIII.

IDem Regiæ potestatis significatum à fascia etiam apud Romanos acceptum, exemplis tibi plurimis confirmavi. Apud Ammianum enim Pompejo legimus objectum ab obtrectatoribus, quod esset rerum novarum cupidus, & Regiæ majestatis affectaret insignia, quia crus fasciola candida obligatū, tegendi ulceris causa, gestaverit aliquamdiu: nihil enim interesse, jactitabāt illi, quam quis partem corporis redimiret Regiæ majestatis insigni. Nam & Favonius, ut Valerius ait, dicere solebat, nihil referre, qua in parte corporis sit diadema, cum ita Pompejum eundem carperet. Eoque Senecæ sententia nimirum spectat, ubi dicit: *Fasciam solve, multum enim mali sub illa latet.* Libro de Alexandri virtute Plutarchus ait, Tigranem Armenium candidam fasciam, quod insigne regni est, ad Pompeji pedes abjecisse, regnumq; fœdissime depositum in prædam concessisse. Cujusmodi vero esset ornamentum hoc in numis vidimus in quibus ejus Regis caput impressum est, cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ab cujus altera parte hostem ipse prostratum calcat, palmamque dextera prætendens, hosti sceptrum sustollere videtur. Ibi vero diadema ita figuratum est, prælata fascia opere Phrygio, floribus & alitibus superadditis, elaborata, à fronte ad occipitium circumdetur, duæque à temporibus hinc inde tæniæ, ipsæ quoque à medio deorsum scissæ in humeros usque dependeant, gemmis per omnem marginem bacchantibus. Et Cidarin Regis Persarum insigne, quod Darius capite gestabat, cærulea fascia albo distincta circumibat. Ad diadema vero facere fasciam, Antigoni diuturnū indicat, usurpatum à Seneca. Ille enim vetulæ cuidam felicitatem ejus admiranti respondit, *Si nosses, ô mater, quanta quotve mala panni fruſtum hoc obtegat (diadema commonstrans) illud quidē vel à Antigoni simo tollere minimè dignareris.* Sane cum Cæsaris imagini quidam ex adulatorum numero, ut Appiani more loquar, coronā laureā candida fascia præligatā imposuisset, Tribuni Epidius Myrillus Cesetiusque Flavus, ut apud Tranquillum est, coronæ fasciam detrahi jusserunt, hominemque qui id fecerat, duci *Idem apud Plutarchū in Pompejo.* *Lib. 7. c. 2.* *Nobissime quoq; Imp. Græci cothurnū pro diademate habuere.* *Diadematis descriptio.* *differium & fastum Myrilli in Cæsarem.*

*Sueton. in Jul. Cæsare c. 79.*

duci in vincula mandarunt, simulantes & in hoc Cæsari rem gratam facere, qui ad Regni mentionem subirasci consueverat atq; iis, qui aliquando eum circa portas regem salutassent, cum populum vocem eam indigne ferre atq; ingemiscere animadvertisset, responderit, se Cæsarem esse non Regem, quasi illi ad nomen ejus aberassent: cum tamen Myrilli factum adeo ægre tulerit ut in Senatu graviter conquestus insidias sibi strui per Myrillum, qui calumniam affectatæ ab se tyrannidis astute commentus esset: cumq; eum morte dignum censeret, id demum obtinuit, ut magistratu privaretur, senatuq; summoveretur. Quod si quis adhuc dubitet diadema fasciam fuisse: qua principatus insigni Reges uti soliti sunt, si quæ retulimus ambiguum quidpiam habent, illud aperte dilucideq; declararit, quod super Alexandro Macedone fertur olim eum diadema sibi dempsisse, causa vulneris alligandi, quo Lysimachus in fronte vulneratus fuerat, quod auspicium Regalis potestatis Lysimacho fuisse rerum scriptores prodidere. Tradunt vero Græci, fasciam hujusmodi candidā pro insigni Regum esse, & à Libero patre fuisse primum institutam.

## VICTORIA. Cap. XIV.

*Corinnæ puellæ fascia data.*

EAdem fascia in victoriæ significatum nonnumquam adhibita, ut quæ Corinnæ puellæ poëticis studiis clarissimæ, data capiti fascia traditur, quod Pindarum Thebis melico certamine superaverit: ejus enim picturam capite tænia vincto, hieroglyphicum dubio procul hujusmodi victoriæ argumentum, in Tanagræorum gymnasio fuisse Pausanias author est. In quo tamen, uti illi victoriam, ita nos principatum interpretari possumus. Nimirum fuit hæc Corinna illa, de qua Propertius noster,

*Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ.*

Et in vulgatis à Jo. Lascari antiquorum epigrammatis:

Καίσε κόριννα θοῦριν ἀθηναίης ἀσπίδα μελψαμένην.

Unde nos in nugis nostris puerilibus: *Inclytæ, quæ Minervæ clypeum canit Corinnæ.* Quod vero gestaminis hujus inventum Libero patri, Græci adscribere voluerunt, manifestum est Ægyptios eo multo ante usos, neque in cane tantum, sed in aliis quoq; simulachris, ut in Isidis tæniis, alio Commentario latius declaravimus.

---

## DE TITULO. Cap. XV.

ERat & aniculi sive redimiculi species, cui nomen Tutulo prius, mox Titulo fecerunt: ornamentum quippe capitis in sublime surgens, purpurea vita redimitum, instar coni, galerive rosarum.

## SACERDOS. Cap. XVI.

EO Sacerdotium hieroglyphicè significabant. Quin & uxores & ministræ Flaminis, eo erant gestamine insignes. Petronius ait Titulum à Numa Rege factum, fuisseq; palliolum ex lino, quo Sacerdotes in sacris uterentur. Alii per Titulum mitras sive fascias accipiunt, quorum ussus esset Sacerdotibus ad ornamentum, non illæ tamen otiose, neque temere appositæ, cum sua præ se ferant significata. Κίδαριν Eucherius pileum Sacerdotalem ait ex bysso, quem Græci & nostri Tiaram dicunt, quidam etiam Mitram vocant, eamq; incorruptam dicit Apollonius, cum integram & incolumen intelligit pudicitiam, propter fascias scilicet quibus id gestaminis præligatur. Utcumque, ornamentum hoc capitis Hierosolymitanus Hesychius interpretatur, sapientiæ signum est: propterea quod in capite cerebrum sapientiæ organum habetur. Sed antiquioris illius Tituli species hodie quoque in usu est sub Regni nomine, quo quidem Pont. Maximi caput, maximis quibusq; sacrorum solennitatibus insignitur, & ut summa ejus potestas eo gestamine significetur, triplici fascia auro, gemmisq; ditissima, ornamentum illud redimitum conspicitur. Sed apud Hebræos nullum venerabilius gestamen erat, quam Petalum, aurea lamina in fronte Pontificis, quæ Dei nomen illud, quod nulla lingua mortali enunciari potest, quatuor Hebræis literis scriptum præferebat, quod Tetragrammaton adhuc appellant.

*Mitra.*

*Petalū Hebræorum.*

REGIA

## REGIA CLARITAS. Cap. XVII.

A



*Spuriam tamen.*

IN antiquiſſimis Ægyptiorum monumentis cernere eſt mulierem quandam tribus Regiis caput inſignitam. Significare ajunt id, eam regis filiam, regis uxorem, ac regis matrem fuiſſe. Ea vero Simandii clariſſimi Regis mater fuit, de qua ſcriptores rerum plurima: quorum ſi nos diligentiam ſequeremur, tale aliquid in Blancam Philippi Magni Mediolanenſium Ducis filiam diceremus, quæ Franciſco Duci nupſit, quæ Galeatium Ducem genuit, de qua cultiſſimum extat Epitaphium à doctiſſimo ejus temporis viro Bartholomæo Lampridio, Lyrici noſtri clariſſimi patruo editum. Id eſt hujusmodi:

*Tres Italos proceres terris ego Blanca Latinis*

B *Eſſe duces vidi, filia, nupta, parens.*

*Variæ titularum formæ.*

*Cauſam Pierius ſuperius reddit. lib. 15. ibi Rex tutelarii.*

*Æneid lib. 2 Palladis ſimulacrum.*

In aliis Ægyptiorum Regiis varias geſtaminum formas inſpicias, quæ Regum capitibus imponerentur. Leonis quippe, aut Tauri, aut Lupi, aut alterius cujusque feræ priores partes, Draconum etiam capita, inſignia principatus, pro virtutis aut operum conditione, quo quisque in argumento clarum aliquod facinus edidiſſet, quove rerum ſtudio teneretur, quorum quidem ſignificata de ſimplicibus eorum Commentariis, quæ conſcripſimus, requirenda ſunt. Neque vero ſum neſcius, coria Serpentum pleriſq; populis tegumentorum bellicorum uſum præſtitiſſe, quibus plurimum Amazones in Lybia uti ſolitæ, unde quod nonnulli tradunt, Meduſæ figmentum emanarit.

## PALLAS. Cap. XVIII.

SAne Phidias Draconem Palladi appoſuiſſe perhibetur, quod cum optime caleret Maro, Dracones illos geminos à Tenedo in terram elapſos, poſt facinus in Laocoonta & ejus liberos perpetratum, ad ſumma Palladi delubra confugiſſe dicit, ſub pedibusque deæ, clypeique ſub orbe locum tutelæ ſibi delegiſſe. Quod ut manifeſtius intelligatur, operæ pretium eſt, quæ Pauſanias de ſimulacro Palladis tradidit, explicare. Ait enim ſimulacrum Minervæ Athenis fuiſſe talari veſte, Meduſæ capite eburno pectus obtegente, cum victoria, cubitorum quatuor, & haſta in manu, ad pedes vero clypeus appoſitus erat, juxta haſtam Draco obvolutus cernebatur, quem Erichthonium ſuſpicabatur eſſe. In baſi, quæ ſtatuam ſuſtentabat, Pandoræ hiſtoria ſculpta erat, quæ mulierum omnium prima fuiſſe traditur ab Heſiodo, & in ultionem ſurrepti ignis, in humani generis perditionem emiſſa.

C

## PROTEUS. Cap. XIX.

*Hinc Proteo mutabilior, proverbium. hunc tamen Plato Euthydemo ait Ægyptium Sophiſtam. Protei ſymbolum.*

INter inſignia reliqua ſpectare eſt nonnumquam arborem, nonnumquam ignem flammulis promicantem, quandoq; flores, quandoque plumas in varias criſtarum ſpecies diſpoſitas, quæ modo ad decorem, modo ad ſtuporem comparabantur. Quibus cum Proteus Ægypti Rex nominatiſſimus varie uteretur, datus eſt fabulæ locus, ut in tot ſe vultus commutaret. Quamvis non ſum neſcius Protei figmentum in longe ſeciorem intellectum ab antiquis interpretibus acceptum.

D

## VERITAS. Cap. XX.

QUippe qui per ejusmodi fabulam, ſi quis hieroglyphici locutionem abhorreat, difficultatem eam oſtendi dicant, quam in aſſequenda veritate rerum experimur: tot ſunt quæ nos eludunt ſpecies, ſophiſtarum decipulæ, atque ſubterfugia Dialecticorum poſita, quæ veritatis ſpeciem præ ſe ferant, Oratorum inductiones atq; ſoritæ multis argumentorum acervis in immenſum congeſtæ, ut multum diuq; laborandum ſit, anteaquam Proteus ipſe humana, hoc eſt, vera ſe facie ſpectandum exhibeat.

## INSIGNIUM CAUSÆ. Cap. XXI.

AJunt vero nonnulli, inſignia hæc ideo prius olim excogitata, ut Principis & ductoris ſui ordinem milites in bello ſervarent: quibus vero res proſpere ſucceſſerat, animal conſecraſſe, cujus au-

spiciis victor evasisset: cum animalia singula singulis geniis & cœlorum virtutibus credita, persuasum haberent, quos omni cultu sibi propitios reddere, & servare curabant, cujus aliquando numen voti compotes explorassent. Quam opinionem magnus etiam Jamblichus, ac plerique alii Platonicæ factionis proceres enixissimè fovere contendunt: esse quandam in rebus inferioribus congruentiã, ut nunc ita dicam, cum superis asserentes, ideoq; ad sacrificiorum efficacitatem conferre. Neque animata tantum id præstare, verum etiam inanimata, colores, figuras, numeros: veluti hexagonarius numerus cum Sole congruit, in Crocodilo, in Cane rursus, & canicipite Simia. Quædam à natura profectæ rationes, & vires, pari cum Luna temperatura deprehenduntur, ita demum colores, figuras, formasq; omnes, cuipiam superiorum convenire, vel animalium membra singula, ut Galli cor ad solares genios conciliandos efficacissimum.

## ANIMALIUM CURANDORUM CAUSA. Cap. XXII.

ANimalia vero apud Ægyptios ideo, dicit Jamblichus, alebantur, quia dum conservarentur tenerenturque, familiarem proprietatem ad deos augerent, vimq; communionis inter homines deosq; conservarent. Quare Mathematici super hoc multa tradiderunt, ac nostris quoque temporibus plerique non postremæ eruditionis viri, certis quibusdam siderum momentis imaguncu-las hujusmodi signant afflatu captato, ut astri geniive illius tutela, quibus se vel à genesi, vel à professione, vel etiam ab eventu aliquo commendatos credunt, fortunatiores simul ac beatiores fiant. Sedenim omnia hæc irrita fiunt: ac penitus summoventur, cum sanctissimum Christi nomen in omnes hujusmodi delusiones opponitur: inde enim omne bonum, inde felicitas vera, & incassura beatitudo. Sed ut susceptum prosequamur negotium: in honore plantæ etiam fuerunt, ne legumina tantum, ex iis quæ terra nascerentur, cultu suscepta existimemus. Phœnices enim plantas divinis honoribus coluere, ut apud Eusebium, & casu aliquo avulsas terra, aut alio quopiam eventu intermortuas, miseratione, luctu & deploratione, ex patrio sacrorum ritu prosecuti sunt. Ad horum semulationem non arborum tantum, verum herbarum atq; florum observationes alias alia de causa excogitavit terra Græcia, uti lauream pro triumphantibus, & iis qui immortalitate dignum aliquid perpetrassent: quernam pro iis qui civem servassent, oleaginam & alia quædam pro Gymnicis, de quibus multa passim Græci tradidere. Namq; hi Pandoræ primum caput ponunt coronatum à Charitibus. Saturnum Pherecydes ante omnes coronatum ait. Jovem Diorus post evictos Titanos. Idem Priapo tænias dat, & Ariadnæ sertum. Junoni vitem Callimachus, de quo alibi ex Tertulliano. Hercules nunc populum, nunc oleastrum, nunc apium capite præfert. Suam Apollo lauream post Delphicum Draconem interfectum, de quo Pindarus, atq; Callimachus. Liber hederam, cujus rei causam loco suo, ex Harpocratione recitavimus, quamvis idem India triumphata lauream tulit: namq; is ut Saturninus, triumphatorum Deus habitus. Milites idem ait etiam myrto, quæ propria Veneris est, coronari solitos, quamquam & olea, quæ Minervæ debetur in primis, redimiti aliquando processere. Prætereo castrenses, murales, & navales ex auro dari solitas, & quæ late habentur apud Gellium, Suetonium, & alios, & quæ vulgatissima sunt de insignioribus, Græciæ certaminibus. Olympiis, Isthmicis, Argivis, & Pythiis, quorum præmia, oleaster, pinus, apium & malum erant. Unde illud apud Max. Tirium: *Minimè fas est oleastro malove coronari, qui sicum ipse deceret; ut victor præconio declareris, opus est æmulo.* Sed ne videamur immemores Ægyptiorum, Isis prima reperta spicas capite circumtulit, quod Leo scriptor Ægyptius tradit. Et ut nostrarum quoque literarum monumenta prosequamur. Eva omnium prima, diceret Tertullianus, pudenda sua foliis coronavit. Sed qui plura his petierit Claudii Saturnini librum quem de coronis edidit, inquirat, qui Tertulliano teste, & origines, & causas, & species, & solennitates earum ita differuit, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicui capiti invenias consecratum.

*An propter alimoniam, sanitatem, amos, festes focum chlucos & sapores. Ad hoc Plinia 23. c. 8. A. Cellius lib. 5. c. 6 Propter oleo fomentum membrorum.*

*Legendi Geniales dies Alexan. ab Alexandro.*

*Quia credita Ceres.*

## LEGES. Cap. XXIII.

*Coronam ne cauperis.*

AD coronarum demum hieroglyphica reversi, coronam dicimus legum indicium esse, propterea quod certis est vinculis complicata, quibus vita nostra veluti religata coercetur. Atque hæc D. Hiero-

A Hieronymi ſententia eſt qui στέφανον μὴ δρέπεσθαι, Pythagoræ ſymbolum interpretatur leges non eſſe dilacerandas, ſed in vigore & incolumitate ſua conſervandas. Et quoniam ſepes complicatione quadam ambituque certo coronis quodammodo ſimiles habentur, eadem ratione factum, ut in Divinis literis ipſæ quoque ſepes ſint legum hieroglyphicum.

## HILARITAS. Cap. XXIV.

ROſeam tamen & florulentam præterire noluimus, quæ quidem corona hilaritatis erat indicium: veteres ſiquidem convivia celebrantes, ornare ſe coronis conſuerunt cujus rei principium à diademate ſimplici fuit: ut ſcilicet frontem faſcia conſtringerent, quod inſtitutum eſt ſalubritatis cauſa, ut tradit Athenæus, propterea quod conviviorum mos ſit, ſeſe ad bibendum liberius invitare. Ne igitur vinum æquo largius ſumptum moleſtos ad caput vapores attolleret, experimento compererunt plurimum prodeſſe frontem ita colligare. Poſteritas vero ſalubri huic invento decus & ornamentum adjecit, atque ideo faſcias illas floribus perveſtire cœperunt, quæ res procliviter admodum in effuſiſſimum mox luxum evagata eſt.

B

## CORNUA. Cap. XXV.

QUæ vero corona Regium eſt geſtamen, eam à cornu dictam volunt, paſſimq; in Divinis literis cornu pro Rege poſitum invenias, conveniuntq; ſimilitudine quadam inter ſe Cornu, radius & corona. Unde Moſes cornuta pingitur facie, quæ radiata eſſe deberet. Divini enim Solis afflata lumine, radiis quibuſdam igneis promicare videbatur, quem ſplendorem cum Iſraeliticus populus ferre non poſſet, precibus ab eo contendit, ut velata ad eos facie loqueretur. Coronæ porro Regiæ ex inſtituto veteri, radiorum referunt ſimilitudinem, ut non temere olim inſtitutum ſit eas in Apollineo c. xii. precioſis lapillis confici, qui ſplendore ſuo fulgentes caput univerſum radiis illuſtrarent: atque, ut in Cervo rem hanc totam latius explicavimus, vetuſti numi, marmoreæ aheneæq; Regum ſtatuæ pleræque duodecim conſpicuæ radiis oſtenduntur. Hinc apud Virgilium Latinus rex fœdera inter Æneam & Turnum ſancturus:

*Alii à Græca voce, κορώνη quamquam etiã κορωνίκη, i. e. cornua vel cervicem effero.*

*Moyſes cornuta facie depictus.*

*Æn. lib. 12.*

*Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum*
*Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,*
C *Solis avi ſpecimen.*

## MURI. Cap. XXVI.

ET frequentiſſimus authorum uſus coronam pro muris urbium uſurpavit. Pindarus Alcimedonti Olympiis, ἐπὶ στέφανον τεῦξαι, metaphorice ajunt interpretes mœnia: muri enim urbium tanquam coronæ ſunt. Hinc Anacreon:

Νῦν δ' ἀπὸ μὲν πόλεος στέφανος ὄλωλεν.
*Nunc diſſipatæ ſunt coronæ ab oppido.* Vel,
*Urbis at jamiam periit corona.*

Quod vero coronas Regias non eſſe diſcerpendas Pythagoram admonuiſſe dicebamus, ſunt qui eodem argumento dictum exiſtimant, quo ignem non eſſe gladio fodicandum edixit: quippe non eſſe ut quisquam principibus negotium faceſſeret. Quod vero de regno dicebamus, per Cornu ſignificari, cum id paſſim in Divinis literis habeatur, ſuperfluum eſt iis diutius immorari, ut: *Exaltavit cornu Chriſti ſui*, & quæ hujuſmodi dicta ſunt in Cervi commentario. Illud hieroglyphicum ante omnia vi-
D detur, quod apud Ezechielem Cherubim humano primum capite pingitur, eoque quatuor cornibus bubulis inſigni, humeris inde alatis, & pectore leonino, qua in ſpecie Theologi noſtri, ut apud Hieroſolymitanum Heſychium legere eſt, inſigniores virtutes quatuor, per totidem vituli cornua intelligunt. Humana quippe facies ſapientiam indicat, quam Philoſophi aliquot Prudentiam dixerunt, ſed ſublimius atq; divinius quid in Sapientiæ nomine, Leoninam nimirum fortitudinem. Per partem eam, quæ vitulum exſcribit, juſtitiam interpretantur, de qua nonnulla in Bovis commentario Aquilæ ſpecies caſtitatem præ ſe fert, quæ ſublimi volatu in cœlum ſeſe erigit: nam Joannes, qui omnino Aquila eſt, ſcriptorum omnium conſenſu intaminata fuiſſe caſtitate perhibetur. Animadvertendum tamen eſt in Heſychiano codice vulgato deſiderari quædam, & perperam eſſe poſitum, *In perſona Leonis ſapientia*, nulla de perſona hominis facta mentione.

*Cherubin in Ezechiele.*

## VIRES. Cap. XXVII.

*Ad verbum ab Erasmo, Chil. 3. cent. 3. prov. 12.*

JAm quod alibi per cornua vires significari diximus, antiquum insuper dicterium est, πρὸ τοῦτο δὲ ὤμην κέρατ' ἔχειν, olim putassem te habuisse cornua, cum quis fortis antea habitus, spem mox per ignaviam fefellisset. Et Horat. de Baccho: *En addis cornua pauperi.* Quem secutus Ovidius ait:

*Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit.*

*L. 2. carm. Ode 16. Tamquam inexpugnabile. Indidem.*

Alibi vero super eodem dixerat: *In prælia trudit inermem.* Et Dialectici syllogismi speciem, *Dilemma* dictum, quod hinc & inde feriat, *Cornutum* appellant,

---

## DE SCEPTRO. Cap. XXVIII.

SCeptrum Regium diademati & coronæ addere res ipsamet postulat, de quo tamen toto opere, uti variis imaginibus insigne apud hos vel illos haberi solitum, pro loco, & signo, quod occurrebat, multa disseruimus: nunc vero super eo quædam generatim disserenda sunt.

## REGNUM. Cap. XXIX.

*Virgæ & baculi differentia. Festiva collatio Antisthenis virgæ Homericæ & Palladæ cum suo baculo.*

APertissime quidem sceptrum sive virgam, hieroglyphicum esse regni, illud in Divinis literis ostendit, quod sceptrum de manu Judæ non auferendum pollicetur Dominus, donec veniret qui mittendus erat. Regium quippe nomen in Judæis tamdiu duraturum dum veniret Christus. Nam & Psal. *Virga regni tui* habetur, & hujusmodi multa passim. Ponunt vero Theologi differentiam inter virgam & baculum, quod virga in Divinis literis plerisque locis sit castigationis, correctionis, & disciplinæ signum, ut virga æquitatis, baculus consolationis, auxilii, sustentationisque, ut eo loco: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Pro sustentaculo, Thob. *Baculum senectutis meæ.* Latini in hujusmodi significatum scipionem protulere. Invenitur & pro defensione, ut de Cleomene Atheniensium duce fertur, qui cum propter omnium in se odium effectus esset insanus, baculo se adversus insultantes muniverit.

---

## DE TORQUIBUS ET PHALERIS. Cap. XXX.

*Plin. l. 7. c. 28.*

SUbsecutus hinc sermo est de torquibus, phaleris, armillis, quæ præmia fuisse militaris virtutis Plinius, Gellius, & quidam alii tradiderunt, quippe Scinium Dentatum donatum torquibus ter & sexagies, phaleris vicies quinquies.

## VIRTUS SOLIDA. Cap. XXXI.

*Lib. 1.*

TOrquem aureum solidæ virtutis præmium fuisse traditum est à Vegetio, quem qui meruisset, præter laudem duplas consequebatur annonas. Species torquium in marmore incisas Brixiæ videris cum inscriptione hujusmodi.

L. ANTONIUS L. F. FAB.
QUADRATUS DONATUS TORQUIBUS
ET ARMILLIS AB T. CÆSARE·
BIS.
LEX. XX.

Bini enim hinc, & inde alteri torques cum literis, quæ vigesimæ eum legionis fuisse declarant: inde duo signa militaria quadrata, ad cognomentum ejus exprimendum, aut forte legionis nomen. Et species quædam candelabri in tridentis modum figurati, in medio sita, de quibus in Armis.

## OPERA LAUDABILIA. Cap. XXXII.

TOrquis quidem significatum aperuit Vegetius, de armillis nihil meminit, eas laudabilium operum præmium esse indicat Adamantius, dum in ea Ezechielis verba: *Et imposuit tibi armillas circa*

A *circa manus tuas* paraphrasim hujusmodi subjungit : *Cum mihi dederit Deus occasionem bonorum operum armillas circundat manibus meis.* Diffundebantur ad posteros gestamina hæc, quo minores ad imitandas majorum suorum virtutes invitarentur. Hinc apud Tranquillum legas, C. Caligulam vetera familiarum insignia nobilissimo cuique adempsisse, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompejo Magni cognomen,

*Suetoni. in Caligula c. 35.*

---

## ARMILLÆ. Cap. XXXIII.

ARmillæ non humeris tantum decus afferebant, verum & brachia decorabant. Eas vero ita dictas volunt veteres etymologici, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant, inde arma, quæcunque ab illis dependent, vel iis alligata sustinentur. De armillarum donis habetur apud Livium X. ab Urbe cond. post victoriam è Samnitibus ad Aquiloniam, à Papyrio quippe Sp. Nautium, Sp. Papyrium fratris F. & quatuor centuriones manipulumque hastatorum armillis aureisque B coronis donatos. Idem ibi centuriones, militesque atque equites, corniculis armillisque argenteis donat. Et Decius Tribunus observatum ex obsidione præsidium Romanum, dissipataq; Samnitium castra, aurea corona ab A. Cornelio Cosso donatus. Aurea vero corona erat quæ castrensis, ex auro quippe in valli speciem fabrefacto, quæ dabatur ei, qui hostium castra pugnando primus introiisset.

*Unde Priscianus ea brachialia vocat, Armillarũ etymon; & dona.*

---

## DE ADAMANTE. Cap. XXXIV.

HInc sermonem transtulimus ad Adamantem, quo super multa ultro citroque dicta sunt, dum tu ea quæ passim prædicantur, quæq; lectione laboreque tuis super acquisieras, commemorares. Verum ea, quæ tu meministi, quæque tuopte studio consecutus es, hic repetere superfluum judicavi, quare ea tantum, quæ paucissima illis ego addideram, recensebo.

*Nempe ex particula privativa. & δαμάζω, domo quod indomitus. Ab Horatii 1. epistola. Sic Hieremiæ cap. 17. peccatum Juda scriptum est stilo ferreo, in ungue Adamantina Virg. 6. Æn. Cur Adamas dictus Pluto.*

## FORTITUDO. Cap. XXXV.

C NOn temere scilicet Adamantem pro fortitudine proponi, cui robur indomitum visque insuperabilis, nomen merito fecisset : quippe qui limæ, scalpro, & malleo duritia inenarrabili resistat, quodque omnium maxime admirandum est, contra etiam ignis violentiam incolumis lapillus evadat, neque calore quidem admisso : unde Græci ex ipso nomine à re imposito, gemmam indomitam intelligi voluere. Per hanc vero ea fortitudinis virtus ostentatur, qua quis ea, quæ adversa acciderint ferendo pervincat, secundis nihil quicquam immutetur, atque, ut apud Horatium est, rebus angustis animosus atque fortis appareat, idemque vento secundissimo turgentia vela contrahere sapientia duce didicerit. Quinetiam id insitum divinitus habere fertur Adamas, ut mentem animumque gestantis vano metu liberet, ut superbæ etiam fortunæ responsare suadeat.

## INEXPUGNABILIS. Cap. XXXVI.

TRansit & in communem locum significatum hujusmodi, ut tam de animi fortitudine, quæ virtus sit, hoc est, honesti justique causa concepta, quam etiam de obturara D aliqua mentis destinatione, quæ nulla queat ratione loco dimoveri, possit intelligi, eaque de causa Ditis pectora Adamantina fingi, & apud inferos solido ex Adamante portas & columnas esse, atq; ita demum omnia dura & implacabilia, ejus lapilli elogio significari. Adamanta quidem Plutonem Theocritus manifeste nuncupavit Pharmaceutria :



Τὸ δ' ἄρτεμι καὶ τὸν ἄδα Κινήσαις ῥ' ἀδάμανθα

Propterea enim dictum hoc nomine ajunt interpretes, quod durus sit & inexorabilis : ajunt enim hoc ρα particulam intentionis esse, atque ita Plutonem mirum in

hunc

hunc modum in exorabilem exponunt. Sed ut ad eam partem quæ virtutis est, redeamus, qua scilicet quis munitus ærumnosissima quæq; patientissime perferat, nullique calamitatum generi succumbat: Adamantius ubi causam quærit, cur corpus etiam Jobis viri justi pïique, Deus in potestatem dæmoni concesserit affligendum, comparationem ab eo desumi, qui boni Adamantis dominus, cum cuivis periculis omnibus concedat explorandum, dicatque: *Tolle, proba, experire, tormentis omnibus examina*, sic omnium Cognitor atq; præscius, qui optime nosset Jobem Adamantem inviolabilem, poscenti diabolo eum dedit in potestatem, sibi quidem satis conscius Jobem verum Adamantem esse. Mox illa de Christo subjecit: *Sic namque & singularis ille & divinus, cœlestis atque incorruptibilis Adamas, unigenitus Deus à Patre ad terras missus, de quo dicit Deus Pater: Ecce ego ponam Adamantem in medio populi mei, quem neque ignis tentationis in deserto comminuet, quem ictus, verbera, plagæq; impiorum in cruce non atterent comminuent ve, quem neq; sepultura, neq; descensus ad inferos vel minimum violare poterunt; stetenim omnia superabit, seque divinum & incorruptibilem probabit Adamantem.* Et ne quis fabulosa putet, quæ de hircino sanguine, cui rerum uni cedat Adamas, memoriæ produntur, memoratu digna sunt, quæ super hoc D. Cyprianus libro de duplici martyrio disserit, cum efferas, nationes quas Romani nũquam frangere vel domare petuerint, Christi sanguine indicat emollitas. *Qui naturam rei scrutantur*, ait, *narrant Adamantem nulli chalybis duritiei cedentem, hircino sanguine maceratum, illu mox malleorum dissilire. Nullus autem Adamas corde saxeo peccatorum durior. Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquam Adamantinum emollit sanguis Christi.*

*Lege Plin. in proœmio lib. 10.*

*Christus verus Adamas.*

## LITATIO. Cap. XXXVII.

*Pectorale summi sacerdotis, in quo medius Adamas.*

IN Hebræorum sacris Adamas litationis signum habebatur, quia quæ foret summi numinis de mortalium rebus sententia, manifestabat. Gestabat enim eorum Pontifex ornamentum quoddam ante pectus opere pulcherrimo elaboratum ex auro, non ultra palmi magnitudinem, in cujus medio veluti stella quædam aurea, elucescebat, duo utrimq; Smaragdi, quorum unus tribubus sex, totidem alter è x xii. Israeliticis insigniti erant. Inter Smaragdos medius Adamas erat. Sacerdos igitur Deum de re quapiam consulturus precibus rite prolatis, supinis in cœlum manibus porrectis, oculos in id operis conjiciebat, deque proposita re Deum interrogabat: qui si prospera secundaq; polliceretur, Adamas ardentissimo splendore promicabat, radiisque fulgentissimis coruscare quodammodo videbatur. Sin autẽ ex voto nihil promittebatur, lapillus nihil quicquam immutatus, sua se specie continebat. At si Deus populum cædi destinasset, sanguineus apparebat. Si mors cuiquam impendebat, nigro obfuscari conspiciebatur, idque gestaminis Ephud illi appellitabant, de quo tota sacra historia plurima. Sed enim & genus vestis sacerdotalis erat Ephud, quæ aliter Superindumentum, vel Superhumerale appellatur, cujus vestimenti duo erant genera: unum lineum simplex, quod sacerdotes habebant, alterum diversis coloribus, ex auro, purpura, & byssо hyacinthino gemmisque suppositis ornatum, quo soli Pontifices utebantur. Logium quoque inter ornamenta Pontificia celebre, nostri Rationale appellitarunt, de cujus significato alio commentario diximus, contenti hic formam ejus ex Eucherio prodere. Erat vero pannus exiguus, ex gemmis & auro coloribusque variis, qui superhumerali contra pectus pontificis adnectebatur.

---

## SAPPHIRUS.

## IMPERIUM AUT SUMMUM SACERDOTIUM. Cap. XXXVIII.

*A Jove regnum à Saturno sacerdotium.*

SApphirus & apud veteres & apud juniores, omni ætate, magna semper in celebritate fuit: siquidem per eum imperium, aut summum sacerdotium significari manifestum est. Causam nonnulli eam comminiscuntur: quod lapillus is cœlitus à Jove & à Saturno vim quandam contrahat, ut ad ejusmodi eventa viam præparet, & faciliora hæc affectantibus omnia reddat: ita ab Jove regnum, ab Saturno sacerdotium impetrari. Sed enim pietas nostra sanctiora patrum documenta prosequens, Sapphirum in similitudinem Throni figuratum apud Ezechielem agnoscit, idque Dei

Opt-

A Opt. Max. ſedem ſignificare contendit. Eucherius hinc cœleſtes formas, ipſosque Angelos intelligit, ita per ſerenum cœlum electorum conventus oſtendi dicit. Neque diſſimilia Heſychius ſuper tunica coloris hyacinthini.

## COELUM DECIMUM. Cap. XXXIX.

SPecies tamen ea Sapphirei throni, ut ab Iſaache Philoſopho explicatur, decimum cœlorum orbem deſignat, Empireum ab aliis vocitatum : ex colore ſiquidem ſapphiri nitorem intelligunt illius lucis, quæ omnem ſupereminet lucem. Throni vero ſimilitudo immobilitatem ejus indicat, ſiquidem orbis ille fixus manens, & quietus eſſe perhibetur. In Divinis ſane literis legere eſt, *Intuebuntur pii, quæ ſub pedibus Dei ſunt, quaſi opus lapidis ſapphirei.* Quinetiam profanæ religionis authores Jovem in throno ſtatuebant, quod firmæ apud eum perennitatis indicium eſſet, *Throni Sapphirei.*

*Qui ſtabilis cum permaneat, dat cuncta moveri.*

B

## SMARAGDUS.

### VIRGINITAS. Cap. XL.

SUnt qui perpetuo claroque Smaragdi virore conſiderato, ſignum id eſſe virginitatis velint, idque inſuper argumento addunt, in patranda re Venerea, quod experimento compertum eſt, ſi quis lapidem attingat, eum ſponte frangi. Cæterum Aſtronomi Smaragdum Veneri cœleſti dedicarunt, & ad impetrandum ejus numinis afflatum perquam idoneum eſſe profitentur. Nihil autem cœlitus non undecumque purum, honeſtum, & candidum, mortalium animis, ſi Platoni & veritati credimus, inſpiratur.

## JASPIS.

### GRATIA. Cap. XLI.

JAſpidem pro gratia poni authores tradunt. Sumptum ab ejus vi, quod mortalibus perſuaſum C eſt gemmam eam hominum gratiam conciliare erga geſtantem. Unde non otioſe dictum à Virgilio volunt, *Vis Jaſpidis.*

*Illi ſtellatus Jaſpide fulva* *Æneid. l. 4.*
*Enſis erat :* *Æneid. l. 1.*

quo præcipue tempore Didus gratia expetebatur, cujus amore detentus,

*Carthaginis fundabat arces, ac tecta novabat.*

### VENUSTAS. Cap. XLII.

SUnt qui gemmas omnes in ornatu Veneri deberi putent, quod ſcilicet eam maxime comptam eſſe deceat, & deliciis omnibus affluentem. Operæ pretium vero eſt apud Tertullianum legere, quæ de moroſa gemmarum cura dixerit, dum noſtras miſeratur ineptias, qui tam anxie in re tam inani occupemur. *Tarde* (ait) *terentur ut niteant, ſubdole ſubſtruuntur ut floreant, anxie forantur ut pendeant*, & alia in hanc ſententiam. Uniones tamen cum ad ornatum præcipue comparentur, venuſtatis ſignificatum ſibi ante alias uſurparunt : lapilli enim reliqui non de pulchritudine tantum, ſed D de dotibus etiam aliis cenſentur : in unione nitor & lævor tantum expetitur. Quod vero fuerint, qui eos etiam devorare magnificum exiſtimarint, id improbitati potius, quam ulli ſit liberalitatis ſplendori tribuendum. Divinæ literæ per hieroglyphicum margariti, præmium oſtentant, quod recte facientibus offertur. Evangeliſta : *Invento autem uno pretioſo margarito abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, ut id emeret.* *Gemmæ omnes Veneri debentur.* *Ut Cleopatræ unio liquefactus.*

## UNIONES.

### LACHRYMÆ. Cap. XLIII.

ILlud magis receptum, unionem eſſe lachrymarum indicium, ſumptum quidem à Conjectoribus, qui viſos in ſomnis uniones lachrymarum profluvium portendere tradiderunt : ajunt enim

δηλοῦσι μαργαρίτῃ δακρύων ῥόον, ut apud Suidam est, Artemidorum, & alios : cujusmodi somnium cum nobis aliquando contigisset, resque postmodum subsecuta esset, ita cecinimus :

*Visus eram niveos manibus tractare lapillos,*
*Unio in his, lætis gemma inimica viris.*

---

## AMETHYSTUS.

### SOBRIETAS. Cap. XLIV.

*A μέθυστος ab a particula privativa, & μέθης ebrietas, vel quod ad colorem vini accedat.*

NEque desunt qui Amethystum pro sobrietate poni dicant, quod ejusmodi lapidem contra ebrietatem stare compertum est : non enim vino tentari potest, qui eum gestet, in quo præter nomen, quod ejus est significationis, nihil certi habeo, plerisque tamen, qualecumque sit, commentum placet.

---

### DE PECTINE. Cap. XLV.

ERam hic finem facturus, cum tu ut prosequerer ita hortatus es : *Mulierem nobilem gemmis aliquot ornavimus, sed ea nisi caput compserit, parum profecerimus : addamus igitur & pectinem, & speculum, ut si qua eo uti velit, non aliunde quisitum eat.* Subjeci ego.

### VENUS. Cap. XLVI.

VEneri quidem præcipue sacer est pecten, ejusque Deæ statua cum pectine aliquando Romæ dicata est : soluto quippe voto, quod mulieres Romanæ voverant, comis propter insuperabilem pruriginis ardorem abrasis : quo quidem incommodo atque cruciatu liberatæ, statuam hujusmodi Veneri erexere, quæ comas restitueret. Eamdem etiam barbatam statuerunt, quod utroque sexu prædita sit Venus, quam è lumbis ad superiora, marem, ad inferiora, fœminam esse dictitabant. Atque huc spectat Maronianum illud, *Discedo à ducente Deo*, quamvis non contemnendi authores utrumque sexum diis attribuant. Sed super hoc alibi. Sane quod ad pectinem attinet, Naso eum Cytheriacum dixit :

*Sæpe Cytheriaco deducit pectine crines.*

*Propria muliebris curæ vanitas, quæ. Hinc Terent. in Eunuch. Dum comuntur annus est. Æneid. l. 1.*

Metamorph. ubi de Salmaci. Ea enim propria est muliebris curæ vanitas, ut in comendo ornandoque capillo, studium omne suum exerceant. Quare in numismatis videas Faustinæ caput multis & diversis capillorum concinnitatibus sæpe variatum. Sane Seleucus merito duodecim eos versus sustulit, quibus Hesiodus inducit Palladem Theogonia Pandoræ satagentem, comendo eam & ornando : indignum ratus sapientiæ deam tanto studio circa muliebris ornatus curam occupari. Versus illi XII. hi sunt :

Ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη,
ἀργυφέϊ ἐσθῆτι, κατὰ κρῆθεν δὲ καλύπτρην
Δαιδαλέην χείρεσσι καλτέσχετο, θαῦμα ἰδέσθαι.
ἀμφὶ δὲ οἱ στεφάνους νεοθηλέας ἄνθεσι πόιης
Ἱμερτοῦς παρέθηκε καρήατι παλλὰς ἀθήνη :
ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῇ φιν ἔθηκε,
Τὴν αὐτὸς ποίησε περίκλυτος ἀμφιγυήεις
ἀσκήσας παλάμῃσι χαριζόμενος δὶ πατρὶ,
Τῇ δ' ἐνὶ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο, θαῦμα ἰδέσθαι,
Κνώδαλα ὅσσ' ἤπειρος ἀνατρέφει, ἡ δὲ θάλασσα.
Τῶν ὅγε πολλ' ἐνέθηκε, χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλὴ
Θαυμασίη, ζωοῖσιν ἐοικότα φωνήεσσιν.

*Cinxit vero & adornavit Dea cæsiis oculis Minervæ,*
*Candida veste : à capite vero calyptram*
*Ingeniose factam manibus detinebat, mirum visu.*

Circum

*Circum vero ei serta florentia è floribus herbæ,*
*Optata imposuit capiti Pallas Minerva,*
*Circumque ei coronam auream caput posuit,*
*Quam ipse fecerat inclytus Vulcanus,*
*Elaborans manibus, gratificans Jovi Patri.*
*In hac artificiosa multa celata erant, mira visu,*
*Animantia quæcunque continens alit atque mare,*
*Ex illis hic multa indidit, gratia vero resplendebat magna,*
*Mirabilis, animantibus similia vocalibus.*

## DE SPECULO.

### EXPLORATIO. Cap. XLVII.

*Unde speculari pro explorare.*

SUnt autem qui speculum explorationis signum esse velint: propterea quod & nævi, & rugæ, & uniuscujusque color, & alia, quæ forent incognita, indice speculo deprehenduntur.

### FALSUM. Cap. XLVIII.

SEdenim, sapientius illi rem expendisse mihi videntur, qui falsum ex speculo significari tradiderunt, in quo scilicet quamvis similitudo quædam appareat, eo tamen falsa est, quod in speculo, quæ læva sunt, dextera: quæ dextera, læva referantur, atque ita veritati fucus fiat.

### HYMNUS. Cap. XLIX.

ALioqui speculum Pindaro est hymnus, in quo scilicet res præclare gestas, virtutesque cujuspiam celebres possimus intueri.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XLII.

## DE IIS QUÆ PER ARMA SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ILLUSTRISS. PRINCIPEM D. NICOLAUM RODIVILLUM OLICÆ ET NESUESII DUCEM, PALATINUM VILENENSEM, AC MAGNI DUCATUS LITUANIÆ SUMMUM MARESCALCUM ET ARCHICANCELLARIUM, BRESFENSEM, SAULENSEM, BORISSOVIENSEMQUE CAPITANEUM.

*CUm jam varios commentarios diversis misissem amicis, dedissemque operam ut argumenti ratio unicuique non inconveniens esset, diligenter dispiciendum mihi putavi, cuinam hanc nostrum de Armis elucubratiunculam inscriberem. Verum cum arma acri mittenda viro non ignorarem: tu certe Nicolaë Rodiville magnanime Princeps, animo statim obversabare meo, teque unum è multis delegi, in cujus patrocinio ac tutela, noster qualis is cumque esset in hac re insumptus labor, conquiescere deberet. Nam cum multa sese offerrent causæ, quæ quemvis ad te vel amandum, vel suspiciendum allicere possint, ut animi tui celsitudo cum summa conjuncta clementia & moderatione, ingenium facile & apertum*

*apertum, nulla malevolentia suffusum, nullaque avaritia inquinatum, bellicæ laudis militarisque gloriæ flagrans studium, tum illa in primis Caroli V. Imp. Sigismundiq; Sarmatiæ regis (quos majestatis causa nomino) de insigni tua virtute testimonia tot tantaq; fuere, ut alter te Ducem renunciaret, ab altero multis maximisq; Lituaniæ imperiis & administrationibus ornatus longe clarissimus esses, dignusq; habitus, qui in fortium bellicosorumq; populorum vel flore, vel robore summam potestatem haberes: & in quo omnes rebus secundis animi æquabilitatem & religionis propagationem agnoscerent, adversis invictum robur cernerent, & disciplinam militarem prudentiamque in administrandis disponendisq; singulis sequerentur, & authoritatem amplissimam libenter retinerent. Hæc cum in te sint dona, conerisq; tam pulchro laudabilique exemplo ad eorumdem lucem alios multos adducere, & quasi normam boni gubernatoris dirigere, merito te omnes strenuorum istic hominum florem, ditionum istarum firmamentum, bonique Principis ornamentum existimant: merito quoq; nos tuæ Excellentiæ hosce nostros de Armis commentarios nuncupamus & consecramus. Arma certe hujuscemodi mittimus ad bellum ita delectabilia, ut eadem vel domi sedens, in alto contrectare possis otio, cum in iis ipsis & disciplinarum cultum, & variæ eruditionis totiusq; antiquitatis imaginem honoratissimam sis agniturus. Hæc qualiacunq; à me conscripta, meæ in te perpetuæ observantiæ testes, probata ad alios venire patieris: equidem nec dubito, quin tuo patrocinio defensa, gratiora omnibus futura sint. Faxit Deus Opt. Max. ut potestas & voluntas quos tibi dedit, eos exitus habeat, qui & illi maxime gloriæ sint, & Christianis utilitati, & tibi dignitati, Vale.*

---

## JUS IN ARMIS, Cap. I.

*Hinc, Jus in manu, τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ, apud Lucianum 1. in armis.*

DEorum, ut hinc exordiamur, simulachra armis ornata, authoritatem, vimque armorum indicant. Nam Græci præcipue deos omnes in universum ferro accinctos fingere consuerunt: ex eo scilicet innuere volentes, armis omnia parere, in armis jus esse, cum tamen Phœnices, utpote mercatores, & assiduis dediti negotiationibus deos cum loculis & crumenis bene pecuniosos omnes effingerent: nempe, quod rerum omnium vim penes aurum & divitias esse arbitrarentur.

## MULIEBRIS VIRTUS. Cap. II.

*Mulierum Lacedæmoniarum virtus.*

QUod vero Lecedæmonii Veneris armatæ simulacrum dedicarint, virtutis id hieroglyphicum, quæ prænituit in mulieribus. Nam cum Lacedæmonii bello cum Messeniis congressi eorum impetum sustinere non possent, pedesque sensim retroferrent, uxores eorum hoc animadverso, repente arma corripiunt, impetuque in hostes facto non tantum lapsam maritorum aciem restituere, verum & Messenios ipsos fugaverunt. Eas inde amplexi Lacedæmonii, prout erant armati, cum armatis promiscue, ut Lactantius ait, concubuere. Atq; ita mox armatam Venerem colere cœperunt. Neq; tamen Venerem tantum, quam μορφὼ vocitabant, sed deos, deasque omnes cum lancea figurabant, ut eas ita redderent honestiores. Nihil enim apud eos ignavia turpius, nihil bellica virtute præstantius habebatur. Alia vero ratione armatæ virgines in sacrificiis adhibentur: eas enim in numis aliquot, atq; etiam in lapideis signis atq; memoriis videas lacinia toga in humerum rejecta figuratas. Hæ sunt virgines, quæ Armatæ dicebantur, quod in armum ita vestes conjicere sacrificii ritus deposceret. Unde etiam poma ex alieno in armum legere, legibus prohibemur, tanto scilicet numero asportare, quantum humerorum onus sit. Hoc quidem κατὰ πάρεργον fatemur, sed hoc loco necessarium.

*Sed habentem calyptram & pedicas.*



## MARS ULTOR. Cap. III.

*Cum hasta & scuto. Sumptum ab Aristophane in Pace.*

VIdere autem est plerisque locis, atque etiam in numis, signa Martis Ultoris cum scuto & hasta, quæ nimirum belli indicia sunt, cum omnis ejus ornatus in eo versetur, ut arceat à se cladem, & hostibus inferat calamitatem. Hinc proverbium illud emanavit, (ὑὸ δόρυι καὶ ἀσπίδι, cum quid omni conatu aggrediendum innuimus. Hujusmodi vero statuam sibi Sesostris erigi curavit supra qua-

tuor

A tuor cubitorum magnitudinem, ut ita mortales reliquos superasse gestarum rerum gloria testaretur. Nam eorum, quæ plæclara gesserit Rex hic Ægypti, pleni sunt omnes antiquitatis libri.

## BELLUM INDICTUM. Cap. IV.

APud Romanos indicti belli signum erat hasta ferrata præustaque, fæcialis manu prætenta, quam ubi primum in hostium fines emisisset, tribus puberibus præsentibus, causa prius exposita, bellum justum indictum, fierique cœptum intelligebatur. Hinc apud Maronem Turnus primus,

*—— Jaculum intorquens emittit in auras*
*Principium pugnæ.* Æntid. 7.

## ARCUS ET SAGITTÆ.

## TUMULTUS. Cap. V.



Ægyptii sane sacerdotes tumultum, aut belli principium esse factum, significare cum vellent, armatum hominem
B figurabant, qui telum arcu contenderet, & ad feriendum paratus videretur. In Divinis tamen literis per arcum & sagittas ab improbis hominibus paratas, interpretes totum belli apparatum acipiunt, & hujusmdi significatione Psalm. LIX. *Dedisti metuentibus refugium, ut declinare valeant arcum*, quamvis in Hebraicis codicibus longe alia lectio reperiatur. Ita tamen legit Euthymius, & hic arcum recipit Ecclesia.

## SOLARES RADII. Cap. VI.

IN Apollinis vero Dianæque simulachris, arcus & sagittæ vibratilem radiorum vim ostendunt. Unde Lucretius hieroglyphice ita eos expressit:

*Non radii Solis, neque lucida tela diei.*

C Eædem in Sagittario cœlesti signo, vim ejus à remotissimis etiam locis in plantas & herbas permeare, quæ quidem ubitubi sunt, solari omnino vi vividæ, & incolumes conservantur. In Gallieni sane numis Sagittarii signum est, quale cœleste illud fingitur, cum inscriptione, Apollini Cons. Aug. *Gallieni numus.*

## DE PHARETRA. Cap. VII.

MInime vero prætermittendus est locus in carminibus divinis Psalmo X. *Siquidem impii arcum sapius intenderunt, promptuariis sagittis pharetram impleverunt, quas in quempiã probi cordis hominẽ immitterent.* Nonnulli Paraphrastæ, dum novitati forsan plus æquo student, pro eo quod apud Græcos est, ἡτοίμασαν βέλη εἰς Φαρέτραν, *Sagittas ad nervum accommodarunt*, ponere maluerunt: nempe quod ita id exponendum codex Hebraicus admoneat.

## COR, CONSILIUMQUE. Cap. VIII.

ADamantius tamen Græcam secutus lectionem, ita pharetram agnoscit, ut quid habeant hieroglyphici, etiam interpretetur: per eam enim cor intelligit, per sagittas, consilia, & cogitationes?
D per arcum, os, & labia. Nam & alibi dicitur: *Cor impii repletum est veluti pharetra sagitis venenatis.* Consilia enim cogitationesque pessimæ impiorum sagittæ sunt: arcus vero, os & labia: quo distento, quippe adaperto, virulenti cordis spicula depromuntur ad vulnera. Quod vero dictum est è latebris, non otiose appositum: si quidem hi cum lucem odio prosequantur, in tenebris delitescunt, & incœca malignitatis atq; ignorantiæ latibula sese abdunt. Jam vero apud Lucianum legas, ὡξὶ τῶν ὀπὶ μισθῷ συνόντων stare aliquem in insidiis incognitum, qui arcu semper intento speculetur, qua latus exeras, ut ea te quamprimum parte conficiat. Ubi nimirum delatorum intelligas malignitatem, qui dicta factaque explorant tua, ac simul aliquid exciderit imprudenti, collectum statim ad dominum deferunt, ut aliquod inde tibi detrimentum accedat. Olympiis quoque Ode secunda, tela pro verbis pharetram pro sententiis à Pindaro posita invenias: in hunc modum, πολλὰ μὲν ὑπ' ἀγκῶνος ἰὸς ἐντὸς ἁρμὸν ἐὼν ἔσω φωνᾶεντα συνετοῖσι μαθεῖν· ἑρμανύειν δὲ πολλοὺς ἀστοὺς χρῆμα πέλεται σοφόν. *Sic telum pro consilio, ratione, ut sæpe Latini.*

*Huic rei aliud invenietur telum. Et Ems. Chil. 2. centur. 2. Prov. 40. Cor Plutonis ab Herculea sagitta petitum.*

ὠκέα βέλη ἐντὸς ἐν τῇ φαρέτρᾳ φωνοῦντα συνετοῖσιν, *Multa mihi tela velocia sub cubito in pharetra sonantia exaudiuntur, propter orationis acumen, & laudationum opportunitatē*, inquiunt Interpretes. Præclara enim esse debent, neque ab obtuso ignavoque ingenio prolata, quæ dicuntur, sed ea opportuno etiam loco disposita. Alibi diximus, mysticæ Philosophiæ interpretes, Plutonis cor ab Herculea sagitta vulneratum, hieroglyphice significare velle nullum esse tam abditum in rerum natura locum, quo non pervenerit Philosophia: ejus enim scientiæ latebras multi memorant. Nam & Nazianzenus ait Basilium Philosophiæ latebras omnes penetrasse.

## VULNERA AMORIS. Cap. IX.

*Amoris sagittæ. Ex aspectu enim nascitur amor.*

AMori vero arcus in primis dedicatur, propterea quod eo vulnere saucii semper eminus feriuntur, veluti sagitta quadam ab amatis oculis emissa, & in amantium oculos recepta. Sunt vero illi, ut philosophatur Plato, radii quidam tenuissimi, qui ex intimo cordis expirant, ubi vitalis sanguis dulcissimus calidissimusq; sedem habet, viaque sibi, ut Musæus ait, per oculos patefacta, per amantis idemtidem oculos illapsi, ad intimum ejus cor penetrant: accensoque interim magis ac magis sanguine, bilis etiam inflammatur, unde illi sequitur dolor, quem affixum esse cordi amantes omnes profitentur, quicumque illos eventus, aut durus, aut facilis sequatur. Hinc etiam adjectæ ad amorem faces, de quibus alio loco disseruimus.

## AMOR. Cap. X.

*Ad verbum ab Artem. lib. 1. c. 34. sub finem.*

APud Conjectores sane, si quis ætate florida vir aut fœmina pectus sibi transfixum imaginatus fuerit, amorem significat. Non æque id in grandævo, siquidem huic id somnii triste aliquid, & illætabile nuncium affert.

## POENITERE. Cap. XI.

IN Divinis vero literis sagittæ sæpissime ponuntur pro doloribus, qui ex rerum perperam actarum conscientia cor stimulant, compungunt, exulcerantque. Ita Psalmo octavo supra xxx. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Attigerunt me*, transtulit Symmachus.

## COELUM. Cap. XII.

SEdenim Philosophi cum amoris cognomento cœlum intelligant, non otiose commenti sunt, & alas & sagittas velocitatis indicia figurare, simulque faces, utputa ignem, quo cœlum ipsum maxime spectabile est, ac puerum denique, cum senium auferant à cœlo. Amorem insuper primum omnium genitum autumant, & cœlum initio creatum à Deo sacræ testantur literæ.

## VELOCITAS. Cap. XIII.

*Æn. lib. 5. Et Medi.*

ESto igitur sagitta velocitatis etiam hieroglyphicum, cujus vero Virgilius juvenibus cursu pedum certaturis cum Equum primo præmium proposuisset, alteri Amazoniam pharetram, plenamque sagittis pollicetur. Et Armenii sagittam Tigrin vocant, unde & velocissimum animal Tigris, & fluvius rapidissimus, qui ex Armenia in Mesopotamiam labitur. Ibi enim sagitta Tigris dicitur. Et Psalmo septimo, quod minatur Propheta futurum, ut Deus gladium suum expediat, & arcum intendat, interpretes per gladium acerbitatem, per arcum celeritatem mortis indicari tradunt. Ab hac sagittarum velocitate vulgus totius Italiæ hodie cum quid properandum esse innuit, vocabulum formavit Affrezzare, ex quo sagittam Frezzam vocant. Sane Abarin genere Hyperboreum apud Scythas tantæ velocitatis hominē fuisse tradit Nazianzenus, ut cum sagittam, veluti fabulantur, accepisset ab Apolline, emissam eam pari cursus pernicitate consequeretur, quo signo populos circumiens responsa dabat: inde sibi fidem acquirens, quod conatus ille longe supra humanas vires esse putabatur. Sed non fabulose apud nos dictum, *Sicut sagittæ in manus potentis, ita filii excussorum*: per quas Eucherius Apostolos hieroglyphice significari tradit, qui orbem terræ volatu perniciosissimo peragrantes, doctrina sua mortalium, qui nondum Deum norant, corda penetrarunt. *Filii vero excussorum*, quia de prius excussis telis, hoc est, Prophetis, Apostolis geniti sunt. De iis Psalmographus ait: *Misit sagittas suas, & alios alio delegavit*. Plerisq; enim locis sagittæ verba divina sunt, quæ penetrabili charitate corda nostra configunt. Hic arcus ille erat, quem tetenderat, paratumque ad ferien-

*Alaris miræ volacitatis homo. Hinc de velocibus Nazianzenus ad Basilium* Ἀβαρίδος δίστος, *Abaridis sagitta. Psal. 127.*

feriendum asservabat quamvis hoc nonnulli ad minas referant, quod arcus inter alia significat, minarum etiam signum sit. Unde Horatius: *De arte poetica.*

*Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.*

## CONTRARIETAS. Cap. XIV.

UBi tamen sagittæ duæ parallelari positu jacentes animadversæ fuerint, quarum cuspides altera ad alterius pinnas vicissim convertantur, præsentaneæ contrarietatis signum esse volunt.

## FRACTA BELLI FEROCIA. Cap. XV.

QUemadmodum vero arcus intentus belli signum est, ita fractus sublatam belli ferociam ostendit. Et in ostentis eodem accipitur significato: veluti quod in recentiorum historiis legitur, ea nocte, qua Rex Attila sanguinis eruptione, quæ profluvio effusissimo de naribus emissa est, suffocatus & extinctus est, supremum numen Martiano Imperatori apud Constantinopolim agenti apparuit in somniis, arcumque Regis defuncti relaxatum, ut alii fractum, ostentare visus est, quod de bellica ejus ferocia jam extincta signum fuit. Et in Divinis literis scriptum est, Deum eorum conterere arcum, & arma confringere, qui pietate posthabita spem omnem in ferocitate sua posuere. *Regis Attilæ mortis augurium.* *Psal. 45.*

## PERSÆ. Cap. XVI.

AB eo vero armorum genere, quo Persæ plurimum utuntur, sagittas numis Darius impressit: sive ita gentem suam significare voluerit, sive potentiam suam late diffusam indicare. Nam & in Artoxerxis numo sagittarius miles cuius erat, eaque de causa numi illi Sagittarii vocitabantur, ut Plutarchus in Apophthegmatis. Unde non infacete dixerit Agesilaus, triginta se millibus Sagittariorum Asia pulsum, cum ea summa Rex corruptis per Timocratem Athenienses effecisset, ut bello adversus Lacedæmonios concitato is provincia decederet. Quod quidem dicterium proxime accedit ad Gylippi Noctuas, de quibus loco suo. *Darii & Artoxerxis numi.* *Agesilai dictum.*

## PESTILENTIA. Cap. XVII.

SAgittas autem Apollinis in Græcos immissas, pestilentiam manifestissime significasse nulli dubium, de quibus late apud Homerum. Hæ vero hieroglyphice solares radios indicant corrupto cœli tractu contagem illam dispergentes. Et Christiana pietas è divinorum numero Sebastianum sagittis impetitum, dum Christo fidei testimonium præstat, adversus pestilentiam sibi tutelarem proposuit.



*D. Sebast. tutelaris pestilentiæ.*

## DAMNATIO. Cap. XVIII.

SUnt qui telum in sagittæ cuspidem ita figuratum damnationis signum esse autument, aut explodendum summovendumve aliquod inepte dictum in scriptis: id quod Aristarchi summi Grammatici judicio inter hieroglyphica receptum est, quod eo ille signo usus sit in adulterinis apud Homerum carminibus summovendis.

---

## DE HASTA.

## SAPIENTIÆ VIS. Cap. XIX.

QUod Palladem armatum ubique conspiciamus, indicat, arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur: nam stulto præcipitique ingenio Imperatores, quot & quantas & sibi & Reipubl. calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas acceptæ, facile ostenderunt. Porro autem hasta in manu Palladis, ingenii vim atque promptitudinem ostendit. Unde apud Martianum legas,

*Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.*

FAMA.

## FAMA. Cap. XX.

*Alexandri statua.* ADhæc lancea in quacumque videatur imagine, præter militiam ipsam famæ etiam celebritatem indicat. Quare Lysippus, ut Plutarchus ait, eam in Alexandri manu posuit, fulmen quod alii fecerant, aspernatus, utpote qui celebrem eum una vix ætate existimaret, dummodo quis veritatis studiosus, ea tantum quæ re vera gesta fuissent ab Alexandro collegisset. Quod vero ad extensionem in longinquum facit, Telum appellant quicquid à manu jacitur, quod τηλοῦ & τηλόθεν procul apud nos sonat. Quamquam apud Cajum Jurisconsultum telum vulgo appellaretur, quod ab arcu tantum mitteretur.

## HOSTIS INFENSISSIMUS. Cap. XXI.

*Ad verbum à Plin. libr. 28. cap. 4. Saliva ictū aggravat.* INfestissimum hostem, qui omnes, quo maxime lædat, vias exploret, nonnulli significare cum volunt, jaculum terræ appressum cuspide in ejus læva statuant, dexteram vero oriri objiciunt, eo gestu, ut in eam inspuat: nempe quod persuasum sit ictus aggravari saliva in manum ante conatum ingesta. Id vero ea de causa fit, quia manus ita magis solidescit, & major in vibrando vis accedit, non autem quod ea quædam sit fascinatio, ut Magi putant.

## OFFENSIONIS ILLATÆ POENITENTIA. Cap. XXII.

*Idem à Plin. lib. 28. c. 4.* NAm illud forsan pertineat ad Magiam, quod à jactu, si quem inferendæ jam injuriæ pœnituerit, in mediam expuendo manum, qua vibraverit, lævari percussum à pœna prodiderunt. Alioqui pleraque alia expuere, contra omnes fascinationes & pericula amuletum esse creditur. Unde apud Theocritum τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσον κόλπον, *ter in sinum meum inspui.* Meminere hujus rei & Plinius, & authores alii plerique.

## SUMMUS HONOR. Cap. XXIII.

*Hasta gestamen honoratum.* SEdenim ne Lysippum adeo malignum aut invidum in Regem suum, ut paulo ante dictum, fuisse suspicemur, sciendum hastæ gestamen haudquaquam inter vulgares honores habitum, tantæque apud veteres venerationis fuisse, ut loco diadematis pro insigni Regio haberetur. Neque temere Virgilianus Æneas,

*Æneid. l. 12.* *Bina manu lato crispans hastilia ferro,*
*Ingreditur.*

*Ibidem.* Et Regis filius Pallas apud eundem, telo rapto volat obvius ipse Æneæ. Neque quidem ea solum donari solitos tradunt, qui fortiter in bello fecissent, verum & Junonem Curitin ab eo nuncupaverunt: Curis enim hasta Sabinis erat, quod jam apud omnes pervulgatum est.

## STRENUUS. Cap. XXIV.

*Plin. lib. 7. cap. 28. Hasta pura.* EOrum qui fortiter fecissent insignia, more quodam hieroglyphico apud veteres fuisse reperio hastas puras, quibus milites ab Imperatoribus donari soliti, eaque de causa Sicinium Dentatum, Plinio referente, hastis puris duodeviginti donatum. Hastas vero puras, Donatus & Servius interpretantur, sine ferro, eo præsertim Maroniano visu:

*Æneid. lib. 9* *Ille, vides, pura juvenis, qui nititur hasta.*

Qui quidem futurus erat Rex, multorumque Regum parens.

## BELLUM. Cap. XXV.

APud Carthaginenses, genus intractabile bello, belli hasta erat indicium. Hinc cum bellum velle se cum Romanis professuri essent, Romam ad eos hastam suæ voluntatis signum miserunt. Sed enim apud Macrones, dare accipereque lancem, sanciti fœderis signum fuit, cujus rei meminit Xenophon, De reditu Græcorum IIII.

## SUMMA IMPERII. Cap. XXVI.

EA vero de causa viros fortes hasta donari putat Festus Pompejus: quod hasta summa armorum & Imperii esset, captivosque sub ea vendi morem fuisse, proindeque rei fortiter gestæ signum erat.

A erat. Et ſub jugum mittere, qui ſuperati eſſent, quique per vim ſub Imperium deveniſſent, apud hiſtoricos frequentiſſimum. Conſtabat vero jugum ex haſtis tribus, duabus quidem fixis, & alia in transverſum ad eas alligata: ſub his enim diſtinctos tranſire cogebant, inquit Feſtus, ubi diſcinctos intelligendum armis ſpoliatos. Hinc etiam mos apud Romanos fuit, ut nuptarum capita cœlibari haſta comerentur, propterea quod quæ nuberet, imperio viri ſubjiceretur. Cœlibarem autem haſtam vocabant, quæ in corpore gladiatoris abjecti occiſique ſtetiſſet.



*Jugum militare.*

*Haſta cœlibaris.*

## CONJUNCTIO MARITALIS. Cap. XXVII.

B AJunt verò nonnulli conjunctionem maritalem hieroglyphicum id ſignificaſſe, ut quemadmodum haſta ipſa in corpore gladiatoris hæſiſſet, conjunctaq; fuiſſet, ita debere ſponſam viro conjungi, ut quod noſtræ monent Divinæ literæ, *duo ſint in carne ſua*. Alii boni tantum ominis cauſa factum autumant, ut vota hinc oſtenderentur, fore ut viros fortes genituræ eſſent.

*De haſta qua homo occiſus ſit, mira Plin. l. 28. c. 4.*

## DII. Cap. XXVIII.

PRæterea, ut Juſtinus ex Trogo memorat, ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere, ob cujus religionis memoriam haſtæ adhuc, ait ille, deorum ſimulacris adderentur. Quinetiam ſimplex baculus ſurrectus apud Ægyptios divinitatis hieroglyphicum fuit. Atque hoc illud eſt, quod Pædianus ait in Divinationum commentario non placere ſibi eorum opinionem, qui delubra exiſtimant ligna delibrata, id eſt, decoriata, pro ſimulacris deorum more veterum poſita. Id fieri ſolitum à veteribus Cyrillus inquit, quod natura divina nullo modo neque dejici neq; labefactari poteſt, ſed inconcuſſa firmaque ſuo robore communiat, ſuſtinereq; omnia & omnium fundamentum eſſe perhibetur. Sed ut ea etiam, quæ ad ineptias usque facta ſunt in hoc genere commemoremus: Alexander Phereus haſtam, qua Polyphranem avunculum interemerat, conſecravit, addito etiam corollis, ei tamquam Deo rem divinam fecit. Tantum verò haſtæ à veteribus tributum eſt, ut ſceptrum illud Agamemnonis, multorum Regum ſucceſſione apud Homerum celebre, Chæronei Bœotiæ populi divinos illi honores meditati, quo cultus ejus fieret anguſtior, Haſtam appellitarent. Colebant verò illud uti numen ſingulis diebus hoſtiis à ſacrorum antiſtite immolatis. Cui etiam (tanta fuit hominum veſania) menſa variis inſtructa carnibus parabatur, omniformiumque placentarum libis referta ſemper adſtabat. Jam & Cenea illum, quem ex fœmina in virum à Neptuno commutatum Græci fabulantur, primum omnium ajunt comites ſuos juſſiſſe per haſtam ſuam jurare. Unde mox proverbium, *Haſta Cenei*, de quo apud interpretem Apollonii, & alios, Argonautis, plura reperias.

*De delubris Macro. lib. Sat. 3 c. 3.*

*Haſtæ à veteribus multum tributum.*

*Ovid Met. lib. 12.*

τὸ καινέως δόρυ.

## DII PENATES. Cap. XXIX.

ET Penates, qui apud Romanos tanta religione colebantur, armatos, haſtatos quippe fuiſſe, memoriæ prodi-
D tum eſt. Dionyſius enim duos ait adoleſcentes fuiſſe militari habitu, & vetuſto opere, qui ſederent, & pila in manibus tenerent, cujus rei teſtimonium titulus ſubeſſet, Dii Penates. Eos Nigidius putat eſſe Apollinem & Neptunum, quod in Apolline calor & aritudo, in Neptuno humor & frigus intelligatur, quæ noſtræ compoſitionis principia perhibentur. Et quoniam Penatibus magnorum deorum cognomentum attributum eſt, unde Maronianum illud:

*Cum ſocio natoque, Penatibus & magnis diis,*



*A Macrob. lib. 3 cap. 3. Saturn.*

*Æn. lib. 8*

A Macrob. indidem. eruditiores particulam, *Et*, ad expositionem positam volunt. Alii eos Jovem & Junonem esse volu- A erunt, horum enim præcipuum esse munus, juvare mortales, atque inde utrique nomen. Alii Castorem & Pollucem Deos magnos vocari persuasum habere. Sed quoniam in nullo deorum magis, quam in diis Penatibus & Poetæ & Historici occupantur, tum ipsa vetus Romanorum religio tam multa, tam sæpe de his in medium protulit, haud quaquam ab instituto negotio alienum fecero, si super his aliquid ex remotiore vetustate repetiero. Pallantis filiam legimus, cum Dardano in Arcadia nuberet, dotis nomine munera Palladis attulisse, scutum quippe breve cœlo lapsum, quod Palladium appellarunt, cumque hujusmodi scuto, magnorum deorum simulacra. Orta autem seditione in Peloponneso, Dardanum inde cum uxore & magna Arcadum manu vertisse solum, atque in Samothraciam navigasse, ubi dotalibus muneribus templum erexit, quibus occultas instituit cæremonias, ut sacra ea separaret à vulgi cognitione. Simulachra itaque in subterraneo specu condidit, quæ mox cum inde in Asiam transmigraret, secum advexit, & in Dardania à se nuncupata collocavit. Ilus cum Ilion ædificasset, eo deos ipsos transtulit. Æneas ex incendio Trojano ablatos in Italiam vexit, eosq; B Lavinii posuit. Ascanius in suam Albam traduxit, pulcherrimo illis templo ædificato. Verum ajunt sequenti nocte Penates, nullo ferente, Lavinium rediisse, ostia clausa inventa, parietes integros, & tectum nulla in parte violatum: quo miraculo motum Ascanium, ajunt, sexcentos curatores Lavinium misisse, qui sacra custodirent, præfectumque his antistitem Egestum nomine. Iidem demum Romam translati cum urbem approbassent, nequaquam abierunt. Cumque eos Romani in urbis Imperiique sui custodes admisissent, ne per vim aut dolum auferri possent, eos in subterraneo, ut Dardanus fecerat, specu, templo ibi dedicato, posuerunt. In quo quidem templo id præcipue religionis observabatur, ut spuere nefas esset. Ad hoc specu, & pristinum Dardani institutum, Virgilius allusit, cum scripsit:

*Deorum Penatium origo & institutio.*

Æntid l. 7. *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Nam sacra Penatibus sine Vesta nunquam fieri solita, sed una cum Vesta semper illi colebantur. Quid vero Vesta foret, declarat Naso:

*Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige, flammam.*

Et Sinon apud Virgilium, ubi se Penatum offensam vereri simulat, si patriæ secreta hostibus prodat, C cujus cura Penatibus credita:

Æntid. l. 2. *Vos, aterni ignes, & non violabile vestrum,*
*Testor numen, ait.*

Sed quoniam de Vestali igne, & diis Penatibus alibi etiam diseruimus, hoc pro loco commemorasse sufficiat.

## DII TUTELARES. Cap. XXX.

Hinc Plautus in Mostellaria, Nimio plus sapio sidei. Bila quid. ID vero tutelares eos esse ostendebat, quo sederent, quod pila gestarent, quod adolescentes essent. Nam sessio hieroglyphicæ firmitatis & constitutæ rei consiliive signum habetur. Pila propulsationem malorum, incommodorumque significant. Adolescentia incrementum, quod Imperio esset in die accessurum. Quod vero genus teli pilum sit, à Vegetio ita describitur: *Missilia pedestris exercitus pila vocabantur, ferro subtili præfixa trigono novem unciarum, sive pedali, quæ scutis infixa non possent abscindi, & loricam facile perrumperent.* D

## DE FRAMEA. Cap. XXXI.

FRameæ vocabulum, & id genus teli, Germanicum est, de quo Cornelius Tacitus in Germanorum moribus in hunc modum scribit: *Hastas, vel ipsorum vocabulo Frameas, gerunt, angusto & brevi ferro: sed ita acri, & adusum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.* Ita Eques scuto frameaque contentus est.

## MORS. Cap. XXXII.

IN Divinis literis framea, ut & alia telorum genera mortis hieroglyphicum habetur. Ita Theologi eo Psalmi loco: *Erue à framea Deus animam meam.*

DE

A

## DE SCUTIS. Cap. XXXIII.

LOcus exigit,ut haſtis ſcuta etiam adjiciantur,quorum varia ſunt hieroglyphica, quia variæ ſunt eorum ſpecies, varii etiam uſus,neq; facile eſt omnium rationes exquirere in tam varia tamque frequenti armorum pene omnium mutatione,quæ unaquaq; ætate facta eſt: eas tamen non formas amplectemur,quas in numis, aut veterum monumentis figuras obſervavimus. *Scuto donati. Æneid.l.9.*

## STRENUUS II. Cap. XXXIV.

PAri honore cum haſta ſcutum fuit,quo inter præmia reliqua militaria donari ſoliti ſunt, qui ſtrenue feciſſent,cujus rei exempla paſſim apud hiſtoricos.Et apud Virgilium Æneas clypeum afferri juſſis, quo juvenem egregium Niſum præſtanti munere donaret. Præcipuum vero honorificum apud Argivos fuit ſcutum Enhippi, puero, qui tale aliquid meruiſſet, geſtandum tradere, eoque inſerto pompam ducere. Argivi porro primi omnium ſcutis ligneis uſi, eo prælio quod inter Prœtum & Acreſium fratrem geſtum eſt, pro tyrannide occupanda. Sedenim de honoribus

B inſerius.

## SALUS. Cap. XXXV.

CUm Palladium ſuperius cœlo lapſum, ſcutum fuiſſe diceremus, ſignificatum ejus ad Imperii tutelam ſpectare interpretati ſumus. At identidem obſervatum eſt Peltæ quoq; ſignificatum ſalutis eſſe, quod interpretatione Numæ deſumptum eſt: is enim delapſam cœlo peltam ſalutem urbi immiſſam interpretatus eſt, cum octavo ejus anno peſtilentia per univerſam Italiam debacchata, Romam quoq; urbem invaſiſſet. Utrum vero gravis alioquin author peltam proprie necne dixerit, quod ſcutum Numæ tempore cœlo delapſum fertur, & *lapſa ancilia cœlo* Maro dixerat, alii viderint. *Pelta cœlo delapſa.* *Æn. lib. 9.*

Legi tamen de Saliorum ornatu, conſueſſe illos capite geſtare pileum inſtar coni,non obrotundum, ut vulgo: thoraca aheneum induere, dextera manu ancile, læva peltam aheneam circumtuliſſe: quamvis,ut dictum,*& læva ancile gerebat*,legamus.



*Æn. lib. 12.*

## PELTÆ FORMA. Cap. XXXVI.

C QUoniam vero pelta Maroni lunata dicitur,operæ pretium me factu-rum crediderim, ſi figuram ejus ex antiquis monumentis deſcripſero. Nam ea Romæ multis locis aſpicitur, nusquã tamen ſpecioſius quam in marmore quodam conditorio, quod nunc in hortis Pontificio Palatio ſubjectis pro aquæ temporariæ alveo ab Leonina porticu ſpectatur. Ibi pugna quæda mAmazonum inciſa mira quadam arte,ſive ea Trojana ſit, ſive,quod potius reor, quæ ad id genus erraticis inScythia commiſſa eſt. Ita viri mulieribus parcere, invitiq; obvias ſauciare videntur, cupereq; eas potius captivas facere,quam lædere.Omnes illæ peltis armatæ ſunt, quarum ſpecies in hunc modum deſcribi poteſt: ut ſcilicet circulus deſcriptus linea diametrali diſſecetur,pars altera quantum cubiti manusq; miniſterio inſerviat relinquatur,altera duobus à lateribus excavetur,ita ut in eorum medio ſpatium ſit inſertando brachio, cujus hoc ſit propu-

D gnaculum.Extrema ad ſcuti marginem lunentur in cornua Orbes illi duo hinc inde exempti,inſertandæ ſi opus ſit haſtæ alter commodus,alter ad inſpectandum inſerviat.







## PRIMA ARMENICA. Cap. XXXVII.

VAriabat vero peltarum forma,qua parte manus erat inferenda: ut in prima Armenica inciſura erat rectangularis.

## SECUNDA ARMENICA. Cap. XXXVIII.

QUæ in ſecunda,orbicularis fieri conſuerat.Tum etiam coribus, cum pelta primæ cæruleo color eſt, in alba parma: ſecundæ vero, purpurea in parma ipſa cærulea: in utraque vero pelta aureus umbilicus.

## MENAPII. Cap. XXXIX.

MEnapiorum autem pelta rubra erat in alba parma, sed infra in eoalbo sub pelta canis lutei coloris, pedibus ad cursum quantum fieri possit, exporrectis, utero ad peltam verso, dorso parmæ superficiem spectante.



## VESONTES. Cap. XL.

VEsontes, qui sub illustri viro Magistro peditum militabant, parmam habebant peltis quatuor cæruleis insignem, quadrangulari situ intra parmæ marginem & centrum dispositis: centrum autem in partes quatuor decussatum, quarum duæ albæ, cæruleæ duæ. Circa centrum coloris rubri circulus, & in parmæ ambitu alter itidem ruber conspicitur.

## ANCILIA. Cap. XLI.

*Antonini Pii numisma.*

EJusdem omnino significati Ancile est, cujus figura, ut ex veterum numis habetur, ovalis est, ductu quidem oblongiore: quod, ne cui dubium relinquamus, ex Antonini Pii numo didicimus, ab cujus altera facie scuta tria una serie disposita, ea qua diximus figura conspiciuntur, quibus inscriptio subjecta est, Ancilia. In altero Antonini ejusdem numo scuta sex habentur anciliorum specie, ut paria duo, uno super alterum sublato, partem inferiorem ostentent, qua scilicet brachium insertatur: mox singula utrique pari appensa, quæ umbonem spectandum objiciant, in eum quem vides modum. Literæ nonnullæ in eo quem attrectavi numo detritæ sunt, una excepta locutione, Superato: ubi etiam duo prima elementa ita curta sunt, ut vix discerni ab oculatissimo quoque possint.





## SAPIENTIA. Cap. XLII.

EA plurimum forma scuta sunt, quæ Palladi dedicantur: quamvis non negarim orbiculari etiam specie nonnumquam facta, cujusmodi est Argolicus clypeus, quem Maro cum Phœbea confert lampade. Hieroglyphicum vero id esse plerique volunt, ut orbem indicare videatur, qui sub clypei specie regatur à sapientia. Quare Martianus Capella, qualisqualis author est, ita de Pallade ait:

*Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.*



## PAVITATIO. Cap. XLIII.

*Quoniam Medusæ caput inspicientes in saxa vertebantur.*

DE Medusa vero, quæ sit in umbone medio figurata idem sentit, quod in serpentis commentario diximus, ubi de Domitiano loqueremur, qui Medusæ signum gestare solitus est ad stuporem, quem affectabat de se inter mortales concitari. Martiani versus de Medusa:

*Quod pavidum stupitet sapiens sollertia vulgus.*

## DEFENSIO. Cap. XLIV.

ITa vero scutum pro defensione ponitur, ut milites eos ignominiose notari passim videas, qui plus salutis & spei in scuto, quam in gladio posuissent, Scipionis præcipue dicterio notum, cum militi, qui clypeum elegantius ornaverat, dixit: *Non miror quod clypeum tanta ornaris cura, in quo plus præsidii statuas, quam in gladio.* Scuto vero

*Scipionis dictum.*

A vero nos coronatos ait Psalmographus pro tuto circumseptos munimine: monitiones enim plurimum in orbem circumduci consuerunt.

## DEDITIO. Cap. XLV.

Est & deditionis signum clypeus, si caput ei summittatur, quod apud Appianum legas, ubi Afranii & Petreii turmæ quædam à Cæsare circumventæ, capita clypeis subjecere deditionis indicio. Alibi scuta supra caput sublata, & hujusmodi junctis umbonibus progressus oppugnationem ostendit: qualia Romæ passim in columnis & triumphalibus arcubus, aris, clypeisque conspiciuntur.

## INITIUM PUGNÆ. Cap. XLVI.

Scuta vero hastis illisa pugnæ initium significabant: siquidem moris erat cumprimum hostes collatis signis in propinquum ita processissent, ut jamjam pugna esset ineunda, ad concitandos militum animos, uno eodemque tempore sub datum signum scuta percutere hastis, strepitu quam maximo possent excitato: quem morem apud Marcellinum invenias. Eundem morem hunc à Græcis observatum tradit Xenophon, sed ad Equos incitandos fieri solitum. Apud Philostatum etiam, ubi de expiationibus ad Achillis tumulum agitur, legere est, milites qui ad tumulum succederent, post hymnum, quem cecinissent, scuta hastis solitos incutere, quemadmodum in bello fieri soleret, cujus hæc sunt verba: προσελθόντων δὲ τῷ σήματι μετὰ τὸ ὕμνον, ἀσπὶς μὲν: ὥσπερ ἐν πολέμῳ, περιεδουπεῖτο. *Mos antiquus pugnæ tueunda.*

## PLAUSUS. Cap. XLVII.

Quod vero milites initio pugnæ facere consuerunt, togati, fabula vel concione, quam spectatum vel auditum venissent, absoluta, scabellorum crepitum faciebant, eo scilicet plausu actoribus gratulati. Hinc apud M. Tullium oratione pro Cælio legas: *Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.* Dictumque illud de Caligula apud Suetonium: *Et quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos, multaq; & extrema metuentes super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiliit, & decantato canticô abiit.* *Scabellorum crepitus.*

## HONORES. Cap. XLVIII.

C Clypeis unde nomen incidi, describive facta pulchra moris fuit, unde qui nihil adhuc strenue in bello gessissent, alba utebantur parma, de quo Virgilius: *Parmaq; inglorius alba.* Donabantur ab Imperatoribus honori militibus, atq; etiam diis, quare sæpius apud Livium legas, argentea clypea templis illata, ac diis dicata. Hic nonnulli vocabulum à sculptura factum voluere, quod in his omnino imagines haberentur, in qua quidem sententia Plinius est: *scutis enim* (ait ille) *qualibus apud Trojã pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuerunt clypeorum, non, ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo deduci.* Sed quoniam in Grammaticos incidimus, inter clipeum per i, & clupeum per u, differentiam ponit Cornelius Fronto, clupeumque per u, quæ omnino ypsilon Græca est, imaginis esse dicit, per i vero armorum. Apud Virgilium tamen, *Mutemus clypeos* legas, ubi de armis dubio procul intelligendum. Sed & in iis imagines fuisse, Servius attestatur, qui Græcorum in Clypeis Neptunum, in Trajanorum Minervam pictam fuisse dicit. Sed nihil sit horum, quomodo se pro Trojanis venditassent, nisi Trojanorum insignia in clypeis apparuissent? Sed enim alii sunt, qui genus, non scriptionem, differentiam facere putarint: ait enim Labienus, clypeum neutro genere Imaginem significare, virili vero inter arma poni. A quo diversus est Pomponius dubii sermonis libro secundo, ubi Clypeus & Clypeum indistincto genere dici ait, sed litera differre, ut pugnatorium per i, Clipeum dicamus, imaginem vero per u, Clupeum, ut etiam ex Cornelio dicebamus. Eam vero differentiam improbat Charisius, qui Clipeus per i, & Clupeus per u, non alia ratione dici asseverat, quã Maxumus & Maximus, Optimus & Optumus, propter communionem i & u literarũ. Sane Clypeum utroq; genere pro scuto Virg. posuisse, agnoscit Nonius Marcellus, non malus author: *Ardentes* quippe *Clypeos*, & ita alibi, & nono: *Clypeum superintonat ingens*; Clypeum ingens recto casu indubitato legit Nonius, cui Servius assentitur, dum per hoc expressum ait illud Homericũ ἀράβησε δὲ τεύχ' ἐπὶ αὐτῷ, quod etiam alibi Virgil. expressit: *Sonitum super arma debere.* Sed ut has Grammaticorum altercationes omittamus, quamvis hæ tibi doctissime Nicolae, numquam dis-

*Ænei. l. 11.* *Clypei. etymon.* *Plin. lib 35. cap. 3.* *Æn. l. 2.* *Æn l. 2.* *Æn. l. 9.* *Æn. l. 2.*

plicuere, de significato rei potius agamus. Dedicabatur sane Clypeus iis, qui grave aliquod periculum à Repul. propulsassent, sustulissentq; penitus, propugnationis defensionisque memoriam: iisque rem gestam imaginibus explicabat. Denique hoc non tantum de militaris Clypei forma intelligendum est, quantum de quacumque dedicatione in alicujus præclari viri memoriam posita, & vel sculpta, vel inscripta ad posterorum memoriam: cujusmodi marmoreæ æneæque tabulæ & Romæ & alibi adhuc superant, quæ omnia Clypei cognomentum usurparunt. Trahit vero me gestæ rei tam præclara magnitudo, ut κὺ πάρεργον, sed forsitan non importune dicam, qualianam essent, quæ clypeos hujusmodi mererentur. In longa sane tempora spectatus est clypeus aureus in Romana Curia collocatus, qui senatus totius judicio in D. Claudii honorem affixus erat, quod ille ut primum Imperator salutatus est, tricena xx. millia Barbarorum, qui adversus Imperium Romanum arma sumpserant, naviumque, si Pollioni credimus, duo millia felicissimo successu delevit, adeoque attrivit, ut paucos ad solum patrium redire permiserit. Extat adhuc exemplum ejus epistolæ, quæ ita scribitur: *Claudius Broccho. Delevimus trecenta viginti millia, duo millia navium mersimus*, & quæ sequuntur. Adducit hoc in memoriam, quod duodecimo de bello Macedonico apud Livium legitur, clypea aurata ab ÆDD. CUR. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba posita. In codicibus vetustis manuscriptis clypea aurata legi. Quod vero ad arma pertinet, Pœni quoque clypeos ex auro factitavere, sculptis imaginibus, & secum in castris tulere.

## LACONES. CAP. XLIX.

*In clypeis picta, vel incisa.*

ET literæ nonnumquam singulæ, hieroglyphicorum munus explevere. Apud Romanos *id* frequentissimum, in omnibus fere familiis appellandis. Sedenim de his dicere, tam longum quam superfluum esset. Id unum, quod ad arma pertinet, dicam, Λ literam in Lacedæmoniorum scutis notatam, populum eum significasse.

## MESSENII. CAP. L.

AT in Messeniorum clypeis, qui & ipsi clarissimi olim extitere, ϟ M descriptum erat, sui & ipsum populi significatione.

## MOROSITAS. CAP. LI.

*Dionysii dicterium.*

QUod ideo non sum referre gravatus, quia arrepta hinc occasio est in argutum Dionysii dictum illabendi. Erat in antiquorum sortibus M. litera morositatis & stoliditatis signum, unde proverbium, ἔλαχες ϟ M, *obvenit tibi M*, objectumq; aliquando Dionysio cavilli vice, cui sors obvenerat M. μωρολογεῖς Διόνυσε, cui tamen & vafre, & vero de se præsagio respondit ille, μοναρχήσω δ' ἐν Quamquam ex eo quod res optime successit Dionysio, proverbium illud, *Sortitus es M*, de callidis, & longe majora quam in hominum spe, aut opinione fuerint attentantibus, dici mox cœptum.

*Proverb.*

## DE Σ. ET Κ. CAP. LII.

ADdemus illud Σ, signum in Equos impressum apud Græcos curiosiores, indicasse ejus generis Equos, qui Samphoræ vocabantur. Imo quia Σ, illis inustum fuerat, eo sunt nomine nuncupati, vocabulo ipso notæ hujusmodi signum præ se ferente, uti Koppatiæ, quibus κ generis erat signum. Fuerunt enim, ait Eustathius, qui κόππα literam κόππα nominarent, uti nunc Theutones plerique omnes Papa scribunt, & Popa enunciant. Ita Dorienses Σῖγμα, σαν dicebant, ut apud Athenæum. Samphora igitur à ferendo Σῖγμα.

## NEFASTUS. CAP. LIII.

ET ne singulas literarum notas alieno loco commemorem, subsequentis in ordine literæ M, significatum in Pontificum libris tantum liceat addidisse: per eam siquidem nefasti dies notabantur.

*N. L. quid. N. D. quid.*

Notum illud, N, L. pro non liquere, positum in judiciis. Et N. D. neci datum interpretari, quod mihi non satis constat. Verum illud non importune addiderim, Neci datum intelligi, sine vulnere mortuum, ut puta veneno, aut fame, sed hæc tamen authores confudêre.

## SALII. CAP. LIV.

DE Saliis, quorum insigne esset thorax aheneus, & Ancile in dextera manu, in læva vero Pelta, cum historia sit scholis omnibus notissima, supervacaneum judicavi plura repetere.

Dē

## DE GLADIO. Cap. LV.

POst arcum & sagittas, jacula, pilaque & scuta demum, Gladius locum habeat, cujus plurimus ex omnibus armis usus,



*Ochi Regis crudelitas*

## CRUDELITAS. Cap. LVI.

ID vero præcipuum ejus erat hieroglyphicum, ut pro crudelitate poneretur, cujusmodi nuncupatione Ægyptii Ochum appellare soliti sunt, qui quidem Persarum Rex omnium crudelissimus, ac maxime formidabilis, cæde omnia fœdavit, quacunque per Ægyptum progrederetur, quodque apud eos inexpiabile facinus habebatur, Apin ipsum jugulavit, & amicis epulandum apposuit, atque ita universam Ægyptum unius animalis cæde luctuosam fecit, tanto is odio gentem eam prosecutus est.

## SCELUS. Cap. LVII.

PRæsectum gladio sinciput, scelestum indicabat facinus: ita enim ἀνοσιότης interpretabimur ex Hori Nilaici dictatis. *Crudelitas præsagita*

## OCHUS PERSARUM REX. Cap. LVIII.

QUare apud Ægyptios machæræ nomen imagove, in Regum nomenclatura pro nomine Ochi hieroglyphice exponebatur, atque ita recensebatur, ab instrumento eo tam lethali sumpta similitudine. In Asino sane dictum, quonam argumento Persarum Magi crudelitatem in eo ab initi Regni principio præsagiverint: quia scilicet Artaxerxe patre defuncto, in ingressu regni lautiori, ut fit, mensa ex pluribus eduliorum condimentis apposita, Ochum animadverterunt manus primum ad cultrum injecisse, mox ad panem, & carnes, quas avide & immoderate comedit.

## VERBA. Cap. LIX.

DIogenes verba gladio comparavit, cum adolescentem formosum admosum turpia quædam fabulantem audivisset: *Non te* inquit, *pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium exercere?* Invenies vero passim de maledicis verbis proscindere: & eloquentiam ipsam esse gladium, & gladium in ore aliquem gestare, qui ut ait Horatius, sit *Diogenis dictum.*

*Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus.*

*Huc spectare potest illud D. Hieronymi ad D. Augustinum, Melle litus gladius.*

Et sacræ nostrorum literæ linguam gladio sæpe comparant, ut Psal. 58. *Lingua eorum gladius acutus.* & subsequenti: *Exacuerunt ut gladios linguas suas*, ubi quidem de calumniis & insidiis sermo est, quæ ab hostibus parabantur. Aliter apud Paulum, cum ait, *vivum esse Dei sermonem, & efficacem, & omni gladio ancipiti acutiorem, penetrabilioremque.* Hebr. 4.

## PERICULOSUS. Cap. LX.

QUod vero declinadum subterfugio acutum gladium Pythagoras monuerit, dicens ὀξέως μάχαιραν ὑποσείφειν, plerique symbolicum sensum secuti, à periculosis negotiis abstinendum interpretantur. *Ad Verbum ab Erasmo Chil. 1. cent. 1. prob. 1. Gladium acutum avertas.*

## JUSTITIA. Cap. LXI.

IUniorum autem inventum est justitiæ severitatem atque rigorem, per exertum ensem manu virginea prætentum significare, cui ad æquitatis judicium trutinam etiam addidere. Sed enim apud veteres aliter traditum inveni, qui justitiam cum libratis omnino lancibus in læva figurabant, sed in dextera non ensem, sed fasces cum adalligata securi statuebant, merita æquaq; ex hujusmodi hieroglyphico



glyphico præmia merentibus impendi atque distribui, hinc scelerum convictis castigationem impendere significantes. Sed enim species hæc duas secum mulieres captivas trahit, unam,, quæ fractum ensem manu prætendit, alteram, quæ conto innititur, duo ex hoc figmento vitia domita indicantes, ut ex utriusque medio virtutem ipsam adstruerent, per fractum scilicet ensem severitatem nimiam retusam cohibitamve intelligentes: per contum, lenitudinem ad ferulam revocatam, qua judicia plus æquo producebantur. Ind enim contatio, quæ retardationem significat. Lenti vero sunt, qui nullo atroci quantumlibet scelere concitantur, neq; publicis neque privatis injuriis commoventur. Sunt tamen & alia justitiæ hieroglyphica, quæ locis suis, prout res exigit, exponuntur. Apostolus tamen ait, judicem esse Dei ministrum, ideoque non sine causa portare gladium: vindex enim in iram ei, qui male operatur. Et quoniam satis constat gladium severitatis animadversionisque indicium esse, prætereundum non est, quod in Divinis literis sæpe mentio fit ancipitis gladii, cujus hieroglyphicum est, quod in judicio corpus atque animam punire simul potest, vel quod & supplicio præsentis pœnæ, & futuræ metu puniat. Ita accipi ancipites gladios in Sanctorum manibus. Nam ut & Eucherius ait, qui mundi peripsemata, & quisquiliæ creduntur, de nationibus ac Regibus judicabunt.

## IRRITATIO. Cap. LXII.

*Quales forsan gladii Delphici Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν. Ignem gladio ne fodito. Satyra 3. His adde cruorem, atq; ignem gladio scrutare. Ὕδωρ ὑπέρῳ πλήττειν. Lucianus in sectis. Apud Terentium in Phormion. A caso matris utero dictus Cæsar, vel ab Elephanto caso. Unde casones etiam dicti. Meminit Suet. in Tyberio. c. 10. Esaiæ 27.*

IGnem vero gladio dissecare, quid sibi velit apud Pythagoram, non facile fuerit augurari, cum in ejusmodi symboli enarratione diversi abeant præclari admodum viri. Nam D. Hieronymus, atq; etiam Cyrillus, impudentem, ac ira percitum animum asperitate verborum (is enim gladius est) non esse lacessendum exponunt. Diogenes, potentiorum iracundiam non incitandam interpretatur, cui sententiæ subscribit etiam Plutarchns. Et Flaccus Horatius cum in Sermonibus dixit, atq; ignem gladio secare, nihil aliud prorsus sibi voluit, nisi admonere nos, ne magnorum hominum indignationem adversus nos provocaremus, lacesseremusve.

## NULLIUS FRUGIS OPUS. LXIII.

REm, quæ neque usui, neque efficaciæ respondere possit, non solicitandam, attendendamve, Lucianus, Basilius, & Plato, hinc significari arbitrati sunt, quorum si qua est authoritas, apte admodum, qui studium in nullius frugis opere insumptum significari voluerit, hominem pinget flammam gladio dissecantem. Cui simile dicterium illud, *Aquam in mortario tundere:* neque non, *Laterem lavare.*

## CÆSAR. Cap. LXIV.

QUod vero fabulantur Cæsarem per cultrum significari, juniorum inventum est, non infelix tamen. Nam cultrum pro dissolvendi incidendive significato poni apud Jamblichum reperias, in iis, quæ scripsit ad Porphyrium.

## PONTIFEX. Cap. LXV.

JAm & inter insignia Pontificum, Flaminumve, cultri species aspicitur oblonga, manubrio, quod ex ebore fieri solebat, & ex auro, vel ex argento, rotundo, solido ad capulum juncto, fixo clavis æreis, ære Cyprio, ut apud Pompejum legitur, cui à secando secespita nomen fuit.

## SPIRITUS SIBI REDDITUS. Cap. LXVI.

QUinetiam Pontificis nostri Jesu Christi gladius celebratur, qui, ut celebri pentametro fertur,

*Non venit pacem mittere, sed gladium.*

quod apud Matthæum præcipue legitur. Apud Esaiam vero Dominus intentato gladio visitare fertur. Per hunc Adamantius dissectionem Spiritus à carne videtur intelligere. Carnis enim sunt, fornicatio,

A nicatio, immunditia, adulteria, veneficia, idolorum servitus,& quæcumque dictu factuve fœda perhibentur,quæ omnia Dominique Deique nostri secespita abscidit abstulitque. Antea enim quam ille nos inviseret cœlo delapsus, non erat ensis hic inter mortales, neque caro quicquam adversus spiritum concupiscebat, neque spiritus adversus carnem. Adventu vero ejus edocti sumus, quæ carnis essent propria, quæque spiritus,doctrinaque ejus quasi gladius vibratus carnem à spiritu dissecuit, disseparavitque, ut inde viveremus in spiritu, neque rerum nostrarum summam in carne, sed in spiritu statueremus, non corruptionem à carne, sed beatorum vitam à spiritu in lucro reposituri

## MORS. Cap. LXVII.

*Luciantis in Toxari. Scytharum juramentũ.*

APud Scythas, qui multa Ægyptiorum more confinxerunt, à quibus, ut veteres quidam authores tradunt, etiam instituti sunt, gladius mortis erat symbolum:fuitque maximum omnium illis juramentum, ventum & acinacem attestari ( acinaces enim ut Medorum, ita eorum gladius est)

B per hunc quidem interitum, aut salutem: in eo enim salutis suæ præsidia statuebant, per ventum autem animam,hoc est, vitam interpretantes,quod scilicet tamdiu vivamus, quoad vitales auras carpere permissum est. Pari modo in ostentis mali hominis & cædem minitantis habitus, ut Helvidio Pertinaci accidit, qui ante triduum quam occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem, à quo gladio insestaretur. Eodem significato formidabilis minabundusque Galba, cognita Nero nis nece, susceptaque Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus à cervicibus dependente, usu togæ non prius recuperato, quam omnes qui res novas moliebantur oppressisset. Quid vero libelli duo, qui reperti sunt in secretis C Caligulæ post ejus necem, in quibus notæ nominaque continebantur morti destinatorum? præscripti enim erant diverso titulo, alteriq; Gladius, alteri Pugio nomen erat, per hunc eos qui clam opprimendi essent,intelligebat: per gladium,quos palam cædere destinasset: moliebatur enim Princeps carnificinæ deditus, electissimum quemque utriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandriam commigrare.

*Sueton. in Galba c. 11. Libelli duo in secretis C. Caligulæ inventi. Suet. in Caligula c. 49.*

## IMPERIUM. Cap. LXVIII.

C JAm & potestatem & imperium ex gladio significari, à nostræ pietatis fundatoribus accepimus. Nam quod responsum à pio discipulo est, *Ecce duo gladii*, sacræLegis interpretes humanarum divinarumque rerum potestatem sub ChristianæReipublicæ principe perventuram prænonstratum ajunt.Apud Chaldæos idem indicatum, cumDarius vaginam acinacis,quem gestabat,Persico ornatu conspicuam haberet,longe ante quamAlexander è Græcia moveret in Asiam,eam ornatuGræcanico communiri jussit, quo facto Chaldæi responderunt,Imperium, quod Darius obtinebat,in eorum jus venturum, quorum arma imitatus esset.

---

## DE SECURI. Cap. LXIX.

ESt & Securi à secando nomen, quare Demosthenes Phocionem orationum suarum securim appellabat: brevi enim ille, sed acuta oratione, Demostheni plurimum adversabatur.Et Hieremi-

D as sermones Domini sicut securim ait, quæ vel petras incidat.

*Plutarch.in Demosthene.*

## LYDIÆ REX. Cap. LXX.

EA non Romanos tantum Consules insignes faciebat, verum & Lydiæ Reges, quorum gestamen erat. Inde Jovis Labradæi simulacrum, quod securis labris Lydorum vocabulo dicebatur.

## ROM. COSS. Cap. LXXI.

ROmanarum vero securum significata cum scholis sint omnibus admodum vulgata, plurimiq; una cum Plutarcho rem interpretati sint, eas ad scelus,quod emendationem non reciperet,excidendum comparatas, ulterius ego de his quicquam in medium afferre supersedebo.

## ANIMADVERSIO. Cap. LXXII.

*Hinc Tenedia securi.* τενέδιος πέλεκυς. *Tenedius numus.*

NEque enim apud Romanos tantum, sed etiam apud aliquot Græcorum gentes securis severissimæ fuit animadversionis hieroglyphicum, ut in Tenedio numo, de quo Pollux, cernere est. Tenediorum enim Rex cum legem eam tuissel, ut in adulterio deprehensi mas & fœmina eodem supplicio securi subjicerentur, neq; filio pepercisset suo, rem eo monumento jussit insigniri, quo Tenedius numus signatus est: de quo Aristoteles in Tenediorum Republ. una quippe parte securis est cusa, altera capita duo.

*Hinc* Τενέδιος ἀνθρωπος *pro inexorabili & tetrico viro. Plut. in collectaneis Adag. Proverbiū.*

## DURATURA MEMORIA. Cap. LXXIII.

IN antiquorum memoriis plerisque securim & asciam, sed hanc frequentius, videas adsculptam, addito etiam elogio, *Sub asciam dedi vetuit*, quotiens defunctus non obliterandam de sepulchro memoriam cavet, averſaque ideo scalpitur ferri acies. Sed in Divinis literis, per asciam simpliciter pravorum hominum in insectandis abolendisque proborum operibus studium & conatum intelligimus: ut Psalmo 74, *In securi & ascia dejecerunt eam,*

B

## DE FALCE. Cap. LXXIV.

*Quia falcis inventor, qua etiam Cælo patri abscidit virilia. Apollonius l. 2. Argon.*

FAlx præcipue in Saturni manu, temporis, quod uniuscujusque rei maturitatem attulerit, hieroglyphicum est, quod & nomen ipsum θέρους præ se fert. Nam apud Græcos θέρειν vindemiare est atque metere. Tempus autem edax rerum, omnia demetit.

## AGRICULTURA. Cap. LXXV.

UT vero Cyprianus sentit, rei rusticæ, quam Saturnus docuisse fertur, signum fuit. Nam finis ejus industriæ est, metere, fructusque colligere.

## CASTIGATIO. Cap. LXXVI.

QUam vero falcem in custodis hortorum manu veteres posuerunt, ad fures arcendos, avesque ne fructus læderent deterrendas, antiquum inventum est, castigationis quippe hieroglyphicum. Apud Zachariam Prophetam siquidem legas capit. 4. *Falcem quam videre visu est longitudinis cubitorum viginti, latitudinis decem, contra fures eam, & contra perjuros exactam, inferrique tamin* C *domum furis atque perjuri.*

## DE SERRA. Cap. LXXVII.

*Hinc illud Esa. cap. 10. Serra gloriatur contra trahentem.*

INter instrumenta secandi & Serra est, eadem militare vocabulum. Ea sane in Ægyptiorum obeliscis frequens habetur: cæterum apud eorum authores, quos viderim, quid ea sibi velit, traditum non inveni.

## MALEDICENTIA. Cap. LXXVIII.

PLaciades maledicentiam, sive ut ipse scribit, maliloquium, per Serram significari observavit, sive id ob dentium seriem, quæ mordacitatem innuere videatur: sive ob invisum stridorem, maximeque auribus infensum, quem in nodos præsertim illapsos reddit, acerbo, ut inquit Lucretius, horrore concitato.



D

## ANCEPS PUGNA. Cap. LXXIX.

ANcipitem vero pugnam, victoriam alternatim modo in hanc, modo in illam partem, vicissitudine sæpius variata, inclinantem, significare qui volunt, *Serra pugnare* dicunt, aut præliari. Id est tunc, Festus ait, cum frequens est consertæ pugnæ vicissitudo, cumque assiduo acceditur & receditur, neque ullo consistitur tempore, quod quidem ab secandi gestu desumitur: serra quippe modo in hanc, modo in illam partem assidue tracta.

SUBSI-

## SUBSIDIUM. Cap. LXXX.

A IN militari disciplina Serra subsidium significat, de qua apud Fl. Vegetium : *Si ducenda serra, ex abundantibus ducendam esse, propterea quod si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, universa turbabis.* Serra enim à strenuis directa, ante frontem hostibus opponitur, ut turbata acies reparetur, sitque ad similitudinem A literæ vel libellæ fabrilis. Fuit etiam Germanici numi nota, de quo apud Tacitum legas, eaque de causa Serratus dictus.

## DE GALEA. Cap. LXXXI.

QUoniam de armis ad offensionem comparatis est dictum satis, nunc de galea & thorace, quæ ad defensionem accipiuntur, dicendum aliquid.

## PRINCIPIA OCCULTA. Cap. LXXXII.

B GAlea, qua Plutonis caput in primis tegitur, significat occulta esse principia generationis. Plutonem autem Solem interpretantur, eo tempore quo per hyemem remotas à nobis mundi partes circuit : unde etiam Proserpinam rapuisse confinxere, de cujus rei significato passim habetur. Illud addam, sceptrum illi & breve & aduncum figurari, quod inferioris regni indicium habetur.

## ROMA. Cap. LXXXIII.

ROmæ quoque caput galeatum in numis passim, & aliis veterum monumentis. Id quanam alia de causa fieri dixerimus, nisi ut fuisse eam omnino Martiam intelligamus?

*Sic Græci ῥώμην robur dixerunt.*

## THELESILLA. Cap. LXXXIV.

ET Thelesillæ Archivæ poeticis studiis claræ statuam se vidisse Pausanias affirmat, quæ una manu galeam, altera velitarem hastam teneret, libris circa pedes appositis : ob præclarum scilicet facinus, quod illa cæsis acie ad unum Argivis à Cleomene Spartano, senes & pueros armatos mœnia tueri jusserit, ipsa cum valida mulierum manu hostem ad urbis direptionem incursantem exceperit, fuderit, fugaveritque.



C

## PERICLES. Cap. LXXXV.

CUr vero Periclis statuæ casside tegerentur, si quæsierit quis, sciendum id à sculptoribus ea de causa excogitatum, ut eo remedio capitis vitium emendaretur : capite enim is fuisse traditur oblongiore, nec cæteris partibus respondente, quod deformiorem hominem reddebat. Constat eum ab obtrectatoribus ea de causa σχοινοκέφαλον appellatum, utpote qui caput funi instar acutum notarent. Quo vocabulo nonnulli decepti, κυνοκέφαλον apud Plutarchum legi credidere, commenti etiam causam, sed ineptam & importunam, id ei nominis datum, ob audendi, fandique libertatem, quam is, ut iidem ajunt, ad impudentiam usque vendicasset.

*Pericles cur σχοινοκέφαλος dictus. Unde Statius : Propugnat pectora thorax.*

D

## DE THORACE. Cap. LXXXVI.

THorax porro munimenti signum ponebatur : vitalia enim defendit universo pectori circumfusus. Deque hoc Antisthenes Philosophus dicere solebat, *ἀναφαίρετον ὅπλον εἶναι τὴν ἀρετήν virtutem, quod auferri minime posset, munimentum esse.* Nam & ensis & clypeus excuti amittique possunt : sapientiæ arma, quæ quis accinctus fuerit, firma sunt & stabilia. In pectore autem ita habere sedem sapientiam, ut pro sapientia pectus ipsum aliquando ponatur, ostendit Horatius, ubi dicit in Epistolis,

*Quin & pro septo ipso vitalia continente.*

*Non tu corpus eras sine pectore,*

## PUGIONES. Cap. LXXXVII.

Quæsierit aliquis, quid in numis Bruti pugiones duo significent, adjecto pileo. Sed quoniam inter vestimenta, ubi de pileo agitur, explicatum est ex Dione, pugiones cædem, pileum vero libertatem significare, proindeque ex numo illo, Brutum & Cassium per cædem patratam patriæ liberatores indicari, non esse hæ duximus ulterius repetenda.

## DE CASTRIS. Cap. LXXXVIII.

Inter castrensia ornamenta honoresque, invenias plerisque locis non tantum signa, verum etiam & arcas pullarias, & castrorum ipsorum modulos, & signorum tum loculos & coronas, quæ quoniam observatione digna sunt, & eruditis jucunda, minime gravatus sum quædam subtexere: qualia uno marmore apud Paulum Cardinalem Cæsium animadverti.

*Castrorum descriptio antiqua.*

Castra quidem hujusmodi quam adpinximus contignatione fabricata erant, tignis octo pro parte qualibet ita compactis, ut tribus quæque locis in transversum conserta, clavis sive fibulis leonina capita præ se ferentibus conjungerentur: quorum quidem clavorum hieroglyphicum in primis erat, ut in Leone suo loco dictum: *Vigilandum esse.* Supra hujusmodi castrorum speciem capita duo adsculpta erant, velo quodam à dextro usque in lævum protento, & superinsidente. Supra utrumque caput singulæ laureæ. A castrorum angulis, inferiore parte, loculi duo, unus hinc, inde alter, qui quadrata forma, intus vacui, in acutam cuspidem desinebant. Hi terræ impingebantur pro theca, mox signi pars ima in eum inserebatur. Ibidem erat & pullaria cavea cum duobus pullis pascentibus: inter quam & castra signum Aquilæ conto præfixum. Idque manifeste ostendit, qua ratione fieret, cum exemptus loculo contus suspensus videatur, loculo vacuo apparente. A lateribus longissimi conti duo, signis, præmiis, & gestaminibus militaribus instructi, in quorum summo cuspis ad loculorum formam, ima pars ferro præmunita, capulisque prædita, ut commode sisti & avelli possent. Sed jam & inscriptionem harum rerum indicem, & faciem ipsam marmoris repræsentemus

M. POM.

M. POMPEIO M. F. ANI ASPRO

LEG. XV. APOLLINAR. ET COH. III.

PR. PRIMOP. LEG. III. CYREN. PRÆF.

CASTR. LEG. XX. VICTR.

ATIMETUS LIB. PULLARIUS

FECIT ET SIBI ET

M. POMPEIO. M. F. ET CINCIÆ

COL. ASPRO FILIO SUO ET M. POMPEIO. ASPRO FIL.

SATURNINÆ UXORI SUÆ M. F. COL. MINORI.




Apud Dionem leges de loculo parvo, in quo Aquila aurea collocaretur, eum longissimo conto præfixum in exercitu à signiferis gestari, qui, ut facilius impingi terræ posset, in acutam cuspidem desineret. De quo videndus etiam Cornelius Tacitus, in expeditione Germanici, ubi de hoc loculo, sive de sistendis signis loquitur.

Sed quoniam superioris marmoris inscriptio quædam habet, quæ interpretatione indigeant, ut Centurionis signum apud veteres usitatissimum, & alia in dictionibus concisa, operæ pretium visum est, ne quid à quoquam desideretur, totam eam explicare. A

MARCO POMPEIO, MARCI FILIO, ANISIO ASPRO CENTURIONI LEGIONIS DECIMÆQUINTÆ APOLLINARIS CENTURIONI COHORTIS TERTIÆ PRÆTORIÆ PRIMOPILARI LEGIONIS TERTIÆ CYRENENSIS, PRÆFECTO CASTRORUM LEGIONIS VIGESIMÆ VICTRICIS, ATIMETUS LIBERTUS PULLARIUS FECIT ET SIBI ET MARCO POMPEIO MARCI FILIO, ET CINCIÆ COLLIBERTÆ, ASPRO SATURNINÆ FILIO SUO, ET UXORI SUÆ MARCO POMPEIO MARCI FILIO COLLIBERTO ASPRO FILIO MINORI. B

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XLIII.

## DE IIS QUÆ PER SELLAM, CURRUM, FULMEN SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis. C

### AD REVERENDISS. PATREM NICOLAUM SCOMBERGUM CARD. CAMPANUM.

*Maxime vereor, sapientissime Pater, ne aliquando me tacitæ cogitationis convicio verberarit, quod tuæ erga me beneficentiæ tibi conscius, totque insuper meritorum, quæ à te summa semper alacritate profecta sunt, nullum adhuc grati animi signum in me conspexerit elucere. Sciat tamen accidisse, non negligentia, non rusticitate, non ulla tuorum erga me meritorum oblivione, sed ob eximiam commodorum, quæ abs te sum assiduè consecutus, magnitudinem. Ea quippe vel singula, pro quibus immortales tibi agere gratias debuissem, ingenium ita meum obruere videbantur, ne posterim ulla unquam meditatione parem vorborum copiam excogitare, aut ulla mihi in parte satisfacere. Dicendum enim erat, quanta me semper humanitate vir tantus amplecti perseveraveris, ut mearum omnium rerum patronus exiteris officiosissimus, ut vitæ dignitatisq; meæ rationem omnem favore, præsidioque tuo tuendam, juvandam, sustentandam, ornandamq; etiam susceperis: denisq; author fueris, ut illustris adolescens Hippolytus, quem à summo Pontifice ejus patruo mihi regendum, instituendumq; mandari procuraveras, me tandem egere vetuerit: unde factum, ut aliquando mihi asserere, & interimissa per tot annos studia repetere licuerit, quodq; parturiebam opus absolvero demum sperem: quod omnium meritorum maximum semper appellabo. Nam etsi alia perjucunda sæpe mihi fuerant, nullum tamen hoc neque opportunius accidit, neq; commodius. Cujus quidem consilii mei majorem in dies singulos fructum voluptatemque percipio. Hinc enim evenit, ut multa in amicos, quos mihi paria literarum commercia conciliaverunt, non obscura forsitan extarent officia, daretur que interim occasio, ut meum summum erga te studium inciperem omnino patefacere, quod omnium maximè cupiebam. Parum enim existimabam talia mecum cogitasse, quæ menti semper firmiter inhæserant, nisi res ipsa aliquo, utut fieri potest, signo cæteris omnibus innotesceret. Visum itaque est unum è commentariis, quæ per datum à te mihi otium con-* D

A *conscripsi, de mysticis Ægyptiorum literis tibi, si quid hoc ad rem facit, dedicare. In eo continentur Currus, Sella, & Fulmen. Sella, ut quies demum aliqua laboribus detur tuis, quos ut Rempubl. Christianam plerisq; locis convulsam firmares, bonam orbis partem ambiendo, quæque ubiq; labefactata cerneres, prudentia consilioq; tuo resarciendo, tolemsti: Currus, in quo doctrinæ sapientiæq; tuæ sublimitas provehatur. Fulmen, quod tuæ sit indicium & claritatis & famæ. Dicent aliqui, impudenter à me factum, qui de picturis, de signis, de artificum operibus instituerim cum eo fabulari, quem consiliarium, quem socium, ubi arduæ quæq; res inciderint deliberandæ, maximi quique principes sibi adsciscere contendat: agnosco quidem hanc culpam, & ineptè feciſſe profiteor, qui te nugis his obtundere cogitarim: sed mali & à te, & ab aliis desiderari prudentiam meam, quam nisi hoc qualemcumq; est feciſſem, memoriam, fidem, amorem, cultum & observantiam, officium denig; ipsum forsitan exquiri.*

## DE SEDE. Cap. I.

B SUmmorum Principum ornamenta, insigniaque & multa & varia fuisse, alibi recensuimus, sed nullum unquam sella sublimius, neq; augustius, neq; venerabilius habitum. Reliqua enim ad humanæ tantum amplitudinis decus facere videntur, hoc ad divinæ propemodũ majestatis honores proximum accedit. Quare minime arbitror me operam eluſuũ si multa, quæ de sellæ dignitate tradita sunt à Veteribus, commentarium hoc collecta, si quis hujusmodi rerum cognitione delectetur, in promiscuo usu fecero, measq; super his lucubrationes studiosis omnibus communicavero.

## PERENNITAS. Cap. II.

POrro perennitatis, æternæq; quietis hieroglyphicum esse sellam, plerisque locis toto opere disputatum est ex Ægyptiorum Sacerdotum institutis, eoq; præsertim loco, ubi sedentis Cynocephali significata percurrimus: sic enim eum statuebant, cum Æquinoctii quietem æqualitatemq; describebant: quæ quidem necesse est ibi sit, ubi nihil subsultat quod alterum inquietet, sed omnia firma stabiliaque in æquilibrio conquiescant. Quinetiam Veteres Deum infantili ætate, utpote unicum, atq; perpetuum rerum omnium principium nullo conficiendum senio, inter loti arboris ramos conquiescere profitebantur: utpote qui divinitatem ex ipso sedentis habitu internoscebant, quem nulla C unquam posset inquietatio sollicitare. Numa Pompilius Jovi flaminem assiduum Sacerdotem instituit, cui præter alia ornamenta sellam etiam decrevit, & duos illi comites, Martialem & Quirinalem. Quod vero ad firmitatem attinet, ejusdem Numæ præceptum fuit, ut Post adorationem sederent, boni ominis causa, ut Plutarchus arbitratur, quo scilicet preces esse ratas augurarentur: Religionem hanc sella super, secuti plurimum sunt Romani Principes. Hinc Macrinus Imp. cum Bassianum Antoninum inter Divos referri procuraret, tum multa alia, tum præcipuè duas etiam statuas sedentes civili habitu illi decrevit, Divos eos, ex eo quod sederent interpretatus. Nasamones autem, quod ab obitu ad Deos evolare se arbitrabantur, eo quod fierent Diis ipsis propiores, cum morituri erant, inter expirandum sedere, ac sedentes etiam sepeliri volebant.

*Cynocephalus.*

## ÆTERNITAS. Cap. III.

SEllam hanc æternitatis signum occulta fide perspicimus in numo quodam in quo Romæ simulacrum est in sede cum ancili & inscriptione: Romæ Æternitas, cui scilicet Jupiter apud Virg. fateatur nec metas rerum nec tempora posuisse, sed imperium sine fine decreviſſe. Nam & ipsum Ro- D mæ vocabulum, nationes nonnullæ ex patriæ linguæ significatione æternitatem interpretantur. In numo cujus inscriptio est: Clod. Sept. Alb. Aug. idem simulacrum est sedens dextera genium porrigens, læva vero jaculum terræ affigens, cum eadem Æternitatis inscriptione.

*Ausonius, Ammianus Marcellinus lib. 15. Alciatus embl. 114. Maro Æn. 1. aliiq; multi Romam Æternam dixere.*

## VESTA. Cap. IV.

EAdem æternitatis significatio effecit, ut & Vesta per sedem exprimeretur, ut sella illi ante omnia dedicaretur. Itaq; Diis reliquis apud Platonem, Phædro, duodecim ordinibus domo digressis, ac alatum Jovis currum subsequentibus, sola Vesta residet domi, eaque ubiq; sedens sculpi & pingi solita. Nam in Caligulæ numo gemmata sella sedens, dextera pateram porrigit, sinistra contum terræ affigit, cum eadem inscriptione, Vesta. In alio Titi Vespasiani, ipsi eadem sedens cum conto, dextera genium sustentat: literæ, Vesta. In numo hoc inscriptio inferne, in altero superne posita est.

ἡ ἢ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη

*At sola Vesta manet in Deorum domo.*

DIVUS.

## DIVUS Cap. V.

*Caligulæ & Titii Vespasiani numi.*

EAdem species, uti superius de Bassiano dictum, relatum quempiam in Deorum numerum ostendit, quod ex inscriptione, quæ est, Divus, intelligitur. Numus est cujus inscriptio, Divus Augustus, ab altera facie Diva Augusta, ipsa sella sedens conto innixa, dextera duas spicas porrigit. *Juliæ Augustæ & Faustinæ Piæ numi.* Juliæ Augustæ numo Dea signata est sella sedens, pinum dextera prætendens, Leone accumbente inscriptio, Mater Deum. In Divæ Faustinæ Piæ simulacrum muliebre est sedens cum lancea, signis ante affixis, quod pilam cui Aquila insidet porrigit, inscriptio, Matri Castorum. *M. Aur. Antonini Brit. M. Jul. Philippi numi.* Nam M. Antoninus ejus maritus Faustinam subito morbo exanimatam, divam à Senatu appellatam gratulatus est. Matrem vero castrorum ideo ipse vocitare solitus, quod eam secum & in æstivis habuerat.

## SECURITAS. Cap. VI.



CUm vero proprium Deorum sit perpetua frui quiete neque ullos humanæ vicissitudinis casus in posterum expavescere securitatem invenias hieroglyphicè plurimum sella compositam. In M. Aurelii Antonini Brit. numo dea sedens caput manu suffulcit, dextera radum tenet: quæ vero manus caput sustentat, eadem sellæ innititur. Inscriptio est. Securitati Perpetuæ. In altero Imp. M. Jul. Philippi Augusti Dea sedens est, quæ dextera sagittam tenet, lævam supra caput tollit innixam sellæ. Inscriptio, Securit. Orbis. In numo quodam Imp. Neronis Cæsaris Aug. P. M. Tr. P. P. P. Dea sedens ara apposita, radium læva tenet, dextera caput ab occipitio sustentat, cum inscriptione Securitas Augusti, quod mihi reducit in memoriam dictum illud: *In utramq; aurem quiescere.*

## CONGIARIUM. Cap. VII.

*Clodii Pupieni & Domitiani numi.*

JAm & congiarium dari solitum simulacris tribus pro tribunali sedentibus, in numo Clodii Pupieni cernitur. Et in numo Domitiani Cos. XIII. congiarium ipse sedens populo elargitur, cum inscriptione, Lud. Sæc. Ædes vero juxta sita est, & in tribunalis facie literæ appositæ sunt, S. V. F. P. D. quarum sententiam ita reperi à nonnullis interpretatam, *Sedem vovit firmam primo decennali.*

## ÆDITUMUS. Cap. VIII.

ÆDitumum quoq; significaturi Sacerdotes iidem Ægyptii, hominem pro templi foribus in sede statuebant, eo amictum indumento, iisque gestaminibus ornatum, quæ latè Eusebius lib. II. de præp. Evang. recenset, ubi templum Serapidis describit, & custodes hos ipsos pastophoros enumerat, à Sacerdotali scilicet habitu sic cognominatos, à Latinis alias æditumos, quasi ædium indumos, alias ædituos, à tuendis ædibus appellatos, ut apud Charisium est. Prævidit David principes Sacerdotum è Judæis futuros qui adversus Christum insurgerent, cum dixit: *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta.* *Psal. 68.* Nam & idem mos pro templo sessitandi, apud Hebræos etiam fuit. Sed cur ab Ægyptiis, à gentibusve aliis exempla quærimus, cum Divinæ ubique literæ de throno Dei tam multa protulerint? Vidit enim Michæas *Deum Israel sedentem in sede sua*, & Esaias, *Dominum sedentem super thronum excelsum atque sublimem*, & apud Hierem. *thronu gloriæ exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israël:* quæ quidem omnia firmum & stabile Dei significant imperium: &, ut inquit Adamantius, sive de Christo volueris ista intelligere, non peccabis: sive de Patre, non impie senseris: est enim thronus gloriæ excelsus & à principio, Assertor noster: propterea regnum ejus & sanctificatio nostra Christus est: quia & ille sanctificans, & nos sanctificati ex uno omnes sumus. *Ideo vero eum sedere dicimus*, ait Euthymius, *quod hinc Regiam ejus dignitatem stabilitatemque, & venerabilem judicis auctoritatem imaginamur.* Ita sedere super sedem suam dicitur Deus, qui late Dominus super omnes gentes regnat. Quin & malignus cum Scythas, Turcas, & plerosque alios à Septentrione barbaros, alios impios, alios hæreticos sibi addicendos præsagisset: *Ponam*, inquit, *thronum meum ad Aquilonem:* inde enim mali genus

*Thronus gloriæ quid. 1. Reg. 22. Esai. 6 Jerem. 17.*

A ligenus omne, per tot ætates, per tot sæcula, in quietioris vitæ provincias continenter effluxit. Cum vero super Cherubim sedere ponitur Deus, intelligitur de summa scientiæ plenitudine, quæ tum Angelis, tum viris insigni pietate præditis superastitit, de qua Salomon Proverbiis: *Anima ejus sedes sapientiæ.* At scabellum à somno sede diminutum, humilitatis & subjectionis, inquit Eucherius, indicium est, ut in Psalmo: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Accipitur & pro Christi humanitate, ut: *Adorate scabellum pedum ejus.* Nam & pedes pro Filio ponuntur in Divinis, sicut Pater, de quo loco suo.

*Esai. 14.* *Cap. 24.* *Psalm. 110.* *Psalm. 99.*

## DOCTRINA. Cap. IX.

PLerisque vero hieroglyphicis cathedra doctrinæ significatum habet, atq; ita D. Hieronymus, & pleriq; omnes interpretantur locum Evangelicum: *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi.* Ita illud Psal. 1. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit,* quod pro doctrina non sana interpretatur Euthymius, Hæreticorum ait Eucherius: beatiq; porro illi habentur, qui pro sceleratis non steterint, & cum impiis atque perversis minime sederint. Quamvis pro pestilentia nonnulli accipiant, derisores, B & pro cathedra, societatem ponant: ut sit, neque commercium habuit cum iis quorum ingenium & doctrina omnis eludendis decipiendisque mortalium animis exercetur. Quod vero Paraphrastæ nonnulli scripserint, neque socius fuit eorũ qui studio faciunt male, multo minus eo dementiæ pervenit, ut impostorum illi vita placuerit. Latinum est omnino: *Assidere cuipiam,* pro socium esse, vel similem, vel imitatorem. Hinc Horatius in Epistolis.

*Per cathedram quid. Matth. 23.*

*Parcus ob hæredis curam, nimiumque severus*
*Assidet insano.*

hoc est, par, vel socius, aut similis est insano. Sunt qui cum superiore significato consentientes, per cathedram hoc loco perseverantiam, & firmitatem in malis operibus significare velint. Nam desidere, unde deses & desidia contationem indicat hujusmodi.

## CONSULTATIO. Cap. X.

QUin & consultationem per sessum ex Ægyptiaca doctrina significari manifestum. Vulgatumque apud nos illud de Romanis, Sedendo eos vicisse, quod ea consilia referunt eruditi, ut apud Plau- C tum is, qui nimio plus sapere se sedentem asserit, & quod apud Maronem: *Turnus sacrata valle sedebat,* legitur, exponit Servius, sedere est consilium capere. Multaque apud alios etiam in hanc sententiam. Non otiose positum est in sacris concentibus, Psalm. XLIX. *Sedens adversum fratrem tuum obloqueris,* id enim καταλαλεῖς indicat. Sedens, hoc est, consulto, non subita ira aliqua percitus, non dolore concitatus, non repentina aliqua re commotus, sed animo conquiescẽte, & sponte de calumniis agitante, vel aliquid quod obesse posset, excogitante.

*Lib. 1. ep. 5. Nam sedẽdo & quiescendo sit amina prudẽs, ait Philosophus. Æneid. l. 9. Apud Varronem l. 1. cap. 2. de re rust. Virg. 6 Æneid. Vel potius quod ad artes, quam ad vires. Et cum voluptate.*

## CESSATIO. Cap. XI.

NEque desunt, qui sedere pro cessare ponunt, Horatium secuti, qui de pusillanimo dixit:

*Sedit qui timuit, ne non succederet. Epistolarum. lib. 1. epist. 17.*

Uti stare, ad expeditionem, paratum esse interpretantur. Ita Maro:

*—— Stat ferri acies mucrone corusco, Stricta parata neci.*

Ita pro deside sedentem, vel qui nihil attentet, intelligunt.

## OPIS IMPLORATIO. Cap. XII.

D ILlud non omiserim, implorantium opem fuisse morem apud hospites, quos adiissent, in foro sessitare: quod apud Alcinoum fecisse Ulyssem Homerus scribit, neque dissimulavit Apollonius. Et Martium Coriolanum patria profugum, Actii Tullii Volscorum Principis supplicem factum ad focum sedentem scribit Dionysius Halicarnasseus. De Themistocle quoque in exilium abacto, talia invenies apud Græcos historicos.

*Ac pro cunctari, & se pigre gerere ut Cicero in Pisonem. Æneid. l. 2.*

## ÆDILIS CURULIS. Cap. XIII.

ERat vero sella eburnea proprium Ædilium Curulium hieroglyphicorum, quod quidem quoniam aliis aliquot Magistratibus debebatur, animadvertendum apud Plutarchum in Mario, duos apud Romanos Ædilium ordines fuisse, quorum alter sella, quæ curvos pedes haberet, utebatur, in qua sedentes jus dicebant, huicq; honori aderat Magistratus nomen. Inferiorem alterum Popula-

rem vocabant. Quod si quis à majori honore decidisset, rursus ad alterius petitionem accedere consuerat. Pauloq; infra: Marius cum ad Herennium responderet, hujusmodi sellam ἀγκυλοπόδα memorat, quæ cujusmodi esset, in numismatis intueri licet: duæ enim hujusmodi causæ habentur super tribunali, in M. Plætorii Æd. Cur. nnmo, ut omnino inde qua fieri specie solerent sellæ illæ conspicuũ sit. Magna autem ambitio Romanis fuit eburneis hujus modi sellis ad clarissimos quosque Reges, quorum amicitiam sibi conciliassent, dono missitandis. Inter ampla quippe dona, quæ Masinissæ Numidarum Regi missa sunt, sella etiam Curulis fuit. Ad Syphacem quoque cum donis aliis sella missa, cum is se Carthaginensibus inimicum, Romanis amicum per legatos professus esset. Et Ptolemæo Egypti Regi, cum legati ad commemorandam renovandamq; amicitiam missi sunt, tulere dono, togam, & tunicam purpuream, cum sella eburnea. Et Consules, cum Magistratum inibant in sella eburnea sedere solebant. Unde apud Ovid. in Fastis:

*M. Plætorii nnmus*

*Et nova conspicuum pondera sentit ebur.*

Sed hæc missa faciamus, quæ omnium sunt historiis pervulgata: currumque protinus à sella ipsa insiliamus.

---

## DE CURRU. Cap. XIV.

PRoximus ad sedem accedit currus, multis & ipse hieroglyphicis insignis, quæ commemorare insigniti propemodum operis labor esset: sedenim ea tantum recensebimus, quæ vel in numis, vel auctorum de vetustate libris comperiuntur, & si qua facient ad pietatem, nequaquam dissimulabimus.

## TRIUMPHUS. Cap. XV.

*Statuæ triumphales.*

SAne constat, apud Romanos & gentes alias currum Triumphi significatum habuisse, cujusmodi victoriarum monumenta passim in numis, in aris, in arcubus conspiciuntur. Iis autem qui triumphassent, statuæ in curribus ponebantur, quæ ob id triumphales appellatæ sunt. Earum vero statuarum ornamenta erant, quæ Livius enumerat, Corona aurea, sella Curulis eburnea, eburneus Scipio, rota picta, & palmata tunica. Sellam autem Curulem ea de causa dictam volunt, quod curru honoris gratia soliti erant in Curiam vehi Senatotes, qui Curulem magistratum, hoc est, majorem honorem gessissent, in quo curru sella effert, supra quam considerent.

## AMPLIATOR IMPERII. Cap. XVI.

TRiumphalis autem effigies Romæ iis omnibus decreta est, qui fines Imperii ampliassent. Augustus vero memoriæ Ducum, qui populum Romani Imperium ex minimo maximum reddidissent, proximum à Diis immortalibus honorem præstitit: itaq; & opera cujusq; manentibus titulis restituit, & statuas omnium Triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus edicto, commentum id se, ut illorum veluti exemplar, & ipse dum viveret, & insequentium ætatum Principes exigerent à civibus.

## MARITIMA VICTORIA. Cap. XVII.

*M. Agrippæ numus. Carm. lib. 1. Od. 5. C pro Q, litera usurpata.*

IN numo M. Agrippæ Cos. III. ab altera facie Neptunus est Equos agens flagello sublato, ipse currui cymbæ speciem præ se ferenti insistens. Cymba inter utrumque Equum sita. In puppi ejus navigii avis est alis surrectis quæ Aquilæ speciem refert. Literæ, HIC OMNIPOTENS ÆCORIS. Unde apud Horatium illud: *Suspendisse potenti vestimenta maris Deo*, ubi animadvertendum est C, literam apud nos ordine tertiam pro Q, positam more majorum, qui Q, literam olim exclusere, ut Velius Longus attestatur, neq; Nigidio Figulo in commentariis suis unquam posita est, teste Victorino. Numi vero hujus species nimirum victoriam ab Agrippa contra Sex. Pompejum, partam ostendit, quam Maro etiam celebravit in Scuto:

*Æn. lib. 8.*

*Parte alia ventis & Diis Agrippa secundis*
*Arduus agmen agens, cum belli insigne superbum*
*Tempora navali fulgent rostrata corona.*

*Ibid. lib. 9.*

Sunt etiam numi alii in victoriæ hujus memoriam cusi, in quibus triremes tridentalibus rostris præditæ conspiciuntur, ut tandem aliquando Virgilianum illud incolumitati suæ restituatur,

*Rostrisq;*

A *Rostrisq; tridentibus*, de quo in iis quæ circa Virgilianæ lectionis castigationem olim elucubravimus, plerique dubitant.

## IMPERIUM. Cap. XVIII.

IMperium autem, aut summam rerum, speciosioresq; magistratus, aruspicina quoque per currum significavit. Nam Tarquinius cognomento Superbus cum adhuc Romæ regnaret, & Jovis Capitolini templum pene absolvisset, currum quendam fictilem Thuscis quibusdam ex Vejorum gente figendum locaverat, quem cum jam confectum figuli in fornacem intulissent, non ut reliqua fictilia humore expresso exilior evasit, quam impositus esset: sed fermentati panis instar intumuit, eoque magnitudinis concepto robore duritiaq; increvit, ut vix sublato fornacis culmine, parietibusq; disjectis, educi potuerit. Consulti super hoc aruspices, responderunt, apud quos ejusmodi currus asservaretur, felicitatem & imperium iis portendi.

## NUPTIÆ. Cap. XIX.

B EJusdem boni ominis causa, & aucupandæ felicitatis affectatione institutum apud veteres erat, ut nova nupta curru vecta traduceretur: quod Hesiodus, sive is Aristophanes Grammaticus fuit, Scuto Herculis ita describit:

*Τοὶ μὲν γὰρ εὐσώτρου ἐπ' ἀπήνης ἦγον*
*Τ' ἀνδρὶ γυναῖκα, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.*
*Hi curru invectam geniali virginem amanti*
*Traduxere viro, passimq; Hymen Hymenæus* *Excitus cantu.*

Et ligneum sponsæ simulachrum Citheronis consilio fabrefactum, pro Asopi filia suppositum, & in curru constitutum ab Jove reperias: quo Junonem, quæ divortium fecerat, illuderet. Eo vero nuptiali curru tres tantum vectari solitos, Sponsam, quæ sederet in medio, Sponsum & Parochum, Pausanias tradit. Parochum eum nimirum intelligens, quem nos hodie anuli maritalis Compatrem appellamus: *πάροχοι γὰρ παραβάται παράπομποι, καὶ οἱ συμπορεύοντες τῇ νύμφῃ ἐπὶ τοῦ ζεύγους καὶ παράνυμφοι.*

## TERRA. Cap. XX.

C QUod vero Cybelem curru invehi finxerunt, cum eadem & tellus sit, terræ ipsius libramentum in aëre pendentis indicare Lucretius putat:

*Hanc veteres Grajûm docti cecinere Poëtæ,*
*Sedibus in curru bijugos agitare Leones.* *Lib. 2.*
*Aëris in spatio magnam pendere docentes* *Tellurem.*

Illud addam, ex iis quas rerum natura partes habet, uni illi veteres maternæ venerationis merito cognomen indidisse, quando ita hominum illa mater, ut cœlum Deorum, habita est. Hæc nos nascentes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet semper, novissimè complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater operiens. Quod si quis causam quæsierit, cur turrito capite conspicua sit, eam Lucretius rationem in hunc modum expressit lib. 2.

*A Plinio lib. 7.*

*Muraliq; caput summum cinxere corona,* *Quo nunc insignis per magnas prædita terras*
*Eximiis munita locis, quod sustinet urbes,* *Horrificæ fertur divinæ matris imago.*

*Tum quod Κύβελη ἢ ῥέα παρὰ τὰ κύβελα ὄρη, Cybeli Rhea à montibus Cybelis dicta.*

D In editis enim & excelsis locis urbes ponere antiquis mos erat, non tam alterius diluvii metu, qui diu mortalium mentibus insedit, quam ut difficilior hostibus accessus foret.

## BATTI NAVIGATIO. Cap. XXI.

ERat Delphis Batti effigies in curru, quem Cyrenenses dedicarunt, posteaquam is navibus in Libyam trajecit. Auriga erat Cyrene: Libiæ vero capiti coronam imponebat. De Batto autem qui Thera insula pulsus, Apollinis oraculo in Libyam profectus, Cyrenaicis rebus originem auspicatissime dederit, alio loco diximus copiosissimè.

## CIRCENSES. Cap. XXII.

LUdos Circenses per bigas & quadrigas, quæ tot numis signatæ sunt, significari, satis omnibus innotuit, universa Græcia cum Romanis eo spectaculorum genere per multa secula detentis.

Id autem honoris habitum aurigarum factionibus, ut in victoriarum eorum memoriam nummi ipsi A bigati, & quadrigati cuderentur: de quibus in vita Veri apud Julium Capitolinum legas, postulatum interdum à populo Prasinianorum aureorum modium propter Equum ex factione Prasina, cui Verus impotenter favit. Ubi cavendum ne, ut aliquot habent codices, Parsimanorum legas, aut quid hac locutione corruptius: sed veluti Capitolinus à Veneto, Venetianum fecit, ita Prasinianum à Prasino deduxit.

## AURIGA COELESTIS QUIS. Cap. XXIII.

IN Cœlo quoque Aurigæ species ostenditur, de quo ita Theon in commentariis Arati: *Fabularum scriptores*, inquit, *Aurigam eam, qui cœlo adscriptus est, imaginem esse dicunt Bellerophontis, vel Trochili, qui Calithea filius fuit: solemniaque hujus rei sacra in Agris primum instituta, quod primus junxerit currum.* Sunt tamen qui putent Myrtili, sunt qui Cillantis, qui Pelopis auriga fuit, sunt qui Oenomai figuram esse contendunt. Atque ita Græcia demum est in unaquaque re contentiosa.

## DIVINA MAJESTAS. Cap. XXIV. B

SEdenim cur nos mortalium fabulas æquo curiosus prosequamur, cum Deus Opt. Max. sua se conspicuum authoritate nobis exhibeat? cujus summa majestas, qualisque videri cœlicolis & quata solet invehitur curru, non eo in quam Platonico, in quo *μὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεὺς πτηνὸν ἄρμα πορεύεται*, sed de curru loquor quem Hetruscorum monumenta observanda nobis vetustate ostendere, quem ex Aramæorum arcanis profundissimæ doctrinæ vir Ægydius Viterbiensis, in circum ætate nostra primus induxit. Verum super hoc quædam altius repetenda sunt. Aramæi unum eundemque librum duas esse leges dixerunt: alteram scriptam, alteram à Deo Moysi traditam: illam populis, hanc sapientibus: illam proverbii rerum humanarum, hanc lucis rerum divinarum formam gerentem, in illa historiam orbis conditi atque administrandi, in hac formulam adumbratæ atque ad effigiem expressæ divinitatis ostendi. Duo itidem Plato regna commemorat, Jovis & Saturni, regnumq; Saturni regno Jovis tamquam felicius anteponit: si quidem sub Jove, actio vitaq; humana, sub Saturno vero contemplatio divinorum significatur. De quorum temporum felicitate Platonicam ita sententiam Maro mihi videtur expressisse, ut cum Platone currum agitet ad palmam. Ait enim: C

*Currus Platonicus.*

*Aramæi.*

*Georg. lib. 1*

*Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,*
*Nec signare quidem aut partiri limite campum*
*Fas erat: in medium quærebant, ipsaque tellus*
*Omnia liberius nullo poscente ferebat.* Mox de Jove:
*Ille malum virus serpentibus addidit atris,*
*Prædarique lupos jussit, pontumq; moveri,*
*Mellaque decussit, foliis, ignemque removit:*
*Et passim rivis currentia vina repressit,*
*Ut varias usus meditando extunderet artes*
*Paulatim, & sulcis frumenti quæreret herbam:* D
*Et silicis venis abstrusum excuderet ignem:*
*Tunc alnos fluvii, &c.*

& quæ plurima de humanis fere omnibus negotiis subsequuntur. Hunc imitatus Naso utriusque regnum ita describit:

*Met. lib. 1.*

*Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,*
*Sponte sua, sine lege fidem, rectum colebat:*
*Pœna, metusq; aberant, nec verba minantia fixo*
*Ære ligabantur, nec supplex turba timebat*
*Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.* & quæ multa prosequitur.

Sed

A Sed ut ad rem nostram convertamur, utrumque duobus nominibus appellat Hebræus, illud opus BERESCIT, ac creationis hocopus CURRUS, & arcanæ intellectionis. Legis igitur secundæ hujus quæ arcana est, per Messiam & suos aperienda, per speciem Currus apud eos conscribitur ἱερογλυφικῶς. Currum hunc Ezechiel quatuor ex imaginibus excogitavit: vidit enim in divina luce tanquam ideas quatuor, atque iis veluti gemmis ac sigillis, formati à Deo sunt Angeli quatuor, omnium cœlestium mentium & Duces & Principes. A dextera Dei gemma ea prima est, unde pulchra, grata, lætaque omnia proveniunt: eamq; vim Michaelem vocant. A læva gemma altera est, unde fortia, dura, castigataq; manant, ea Gabriel nuncupata. Mixtum ex iis medicina & temperamentum Raphael. Quarto deniq; loco Uriel tertæ proximus horum trium veluti dispensator. Ita Michael & Gabriel pro duabus rotis, Raphael pro sella, quæ sit media inter rotas posita. Quarta Uriel pro axe, circa quem fabricæ hujus est totius fundamentũ. Duo illa priora nonnulli Brachia vocant: tertiũ & pectus & zonam: quartum tamquam vel pedes, vel pedum scabellum. Idcirco dictum ajunt de Imperio Romano Hierosolymæ eversore, *Donec ponam inimicòs tuos scabellum pedum tuorum.* Græca Theologia B Michaelis vim in Deo vocat Venerem, Gabrielem Martem, Raphaelem Jovem, cui sella proprie dicata est. & Solem quartum fœminæ marisque vim habentem, omnis plane generationis initium, & Urielem nominat & Adonin Hebræus. Orpheus ea quatuor uno refert versu, quod mas, quod fœmina, quod rerum genitura, quod Adonis:

*Κούρη καὶ κόρε σὺ πᾶσι θάλος αἰὲν ἄδωνι.*

Ut non ita commentitia esse videantur ea, quæ Plutarchus de Bacchi cultu apud Judæos observavit, & in Symposiacis late disputavit. Eorum enim scenopegia in Bacchi celebritatem fieri putat. Adonimque & Bacchum eundem esse. Rotis quatuor, sive gemmas, sive currus ipsius partes, aut membra libeat appellare, quinto adjiciunt loco Nurielem tamquam temonem, cui alligatus trahitur currus. Atq; quinq; hæc divini currus nomina alto mysterio una locutione scribuntur in Canticis: eam nostri ascensum purpureum interpretati sunt. Salomon scribit currum hoc modo: ARGAMAN. Prima litera fit Uriel, per A enim illi scribunt. Sequenti R, Raphael. Tertia G, Gabriel. Quarta M, Michael. Quinta N, Nuriel. Neque sum nescius, Hebræorum quorumdam juniorum super Angelis, Planetisq; C & signis, quibus imperitent, commentationes longe diversas esse, aliterque tradi in diurnis illis supplicationibus, quæ secundum doctrinam Cabalisticam institutæ dicuntur: cæterum Astrologos hi potius quam Theologos secuti mihi videntur, qui Michaelis in Deo vim ita interpretantur, ut numen incomparabile significare dicant. Unde illud in Psalm. citant: *Deus, quis est similis tibi?* Mercurium è Planetis huic ministrum esse, fandi & agendi potentem, divinæque & humanæ naturæ totius interpretem: cujus lætiores receptus sint, sive (ut Græci dicunt) οἰκοδεσπότ: è cœlestibus signis Gemini atque Virgo: hujusmodique genio die quarta preces allegandas. Et nostri Michaeli munus illud attribuunt, quod Mercurio Græci veteres: qui scilicet animas cœlo inferat, atque alias sub tristia tartara mittat. Ad hæc trutinam in manu ejus statuunt virgæ loco, ut pote, qui merita inquirat, bona malaque compenset, proindeque utut quisque apud superos vixerit, aut pœnis, aut præmiis afficiatur. Sed antequam à Michaele discedamus, quamvis cuipiam κατ' πάρεργον dictum videatur, præterire nolo id, quod Rabi Tedacus Levi libr. de duodecim numerationibus ait, Michaelem Occidentali vento præpositum, ut magna mihi de causa institutum à Gallorum pietate videatur, quod D ad nostra tempora magno cultu perdurat, honoratissimum ordinem cohortis Regiæ D. Michaeli dicatum esse. Sed ut revertamur, Gabrielem isti Deum fortem interpretantur, minoris tamen cujusdam fortitudinis esse. Lunam è Planetis huic ministrare, cujus gratissimum hospitium Cancer esse perhibetur, secundaque ille die supplicandum. Ex Raphaelis nomine atque vi, rerum ajunt omnium medicinam emanare. Esse hunc Solem ipsum, qui & Phœbus. Nam is apud Ovidium dicit, *Inventum medicina meum est.* Leonis unius domicilio gaudere: prima illi de vota concipienda, nuncupandaque. Ac, ne Apollinis & Æsculapii fabulas irrideamus, Jovis filius Apollo censetur, hujus vero Æsculapius: ipsa nimirum Theoretice, quæ intellectum illuminat, Apollo est, Æsculapius ars ipsa. Unde Maro:

*Currus Ezechielis.*

*Michael. Psal. 89.*

*Torquatus ordo Gallorum D. Michaelis.*

*Raphael.*

*Metam. 2. l.*

*Tum pater omnipotens aliquem indiginatus ab umbris*

*Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,*
*Ipse repertorem medicinæ talis & artis*
*Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.*

*Z mael.* Arsigitur Æsculapio attributa, per quam bona comparatur valetudo: utpote quæ in curatione ipsa versetur. Est & Zamael, cujus munus ulciscendi, venenaque dispergendi esse perhibent, uberrimæ illi bonorum omnium largitioni semper oppositus. Martem hunc esse Græci volunt, Arieti & Scor-
*Nanael* pio præfectum: tertia illi die preces faciendas. Nanaelem mox enumerant, in nomineque id esse significatum autumant, ut Deum benigne nobis omnia respondere, ac omnia ipso horreo mortalibus elargiri interpretentur. Esse hunc Venerem, qui Tauro libraque delectetur, sexta illa die supplican-
*Zachiel.* dum. Zachielem inde deprehendere, qui Dei justitiam, & quinta diei sacrificia, precesque procuret: unde nonnulli quinarium justitiæ dedicarunt. Esse hunc Jovem, nam ut Maro: *Rex Jupiter omnibus*
*Caphziel.* *idem.* Isque, ut illi commenti sunt, Sagittario apud Piscibus præficitur. Caphzielem demum septimæ lucis curam gerere, eaque mortalium preces sibi deposcere. Ab eo vim frigidam emanare, qua scilicet singula inferiori mundo concreta condensentur. Nam uti calidi est dissolvere atque rarefacere, ita frigoris est solidare coagulareque. Saturnum hunc nostri vocant, qui Capricornum & Aquarium
*Platonici regna duo.* sedes habet. Sedenim ut in curru satis expatiati, metamque ipsam rite circumvecti, eodem, unde cursum auspicati sumus, revertamur, id aliqua egere videtur elocutione, quod à Platone regna duo posita diximus. Is siquidem multo ante tempore præsagisse videtur, quæ nunc demum speramus eventura. Mundi circuitum is ab Oriente ad Occidentem Jovis esse, ac perinde Fatalem dici. Apparitu-
rum vero olim alterum sub Saturno huic oppositum, ab occidente scilicet Orientem versus, in quo sponte nascantur homines, & à senio in juventutem regrediantur. Id ita Platonici interpretantur, ut Jovem mundi animam intelligi velint, cujus lege fatali manifestus, hic manifesti mundi ordo disponatur. Præterea animorum vitam in corporibus concretis ab Jove esse, sensibusque & rerum agendarum studio deditam. Saturnum vero supremum inter Angelos intellectum, cujus radiis animi etiam ultra Angelos illustrentur, accendanturque, & ad intellectum pollentem vitam continue pro viribus erigantur. Que quoties ad vitam hujusmodi convertũtur, sub regno Saturni agere creduntur. C
Sub Jove vero, cum rerum humanarum negotiis implicantur: Plotinusque regnare nos ait sub hoc vel illo, prout secundum hoc vel illum egerimus. In hac autem vita sponte regenerari dicimur, rursumque juvenescere, ac in dies magis efflorescere, cum sana bene institutæ mentis optione ad meliora contendimus: de quo Paulus Apostolus: *Homo interior renovatur in dies.* Atque passim in divinis literis de juventute nostra, quæ sit ut Aquilæ renovanda. Quod si ullo umquam tempore spes affulsit ut mortales hæc essent consecuturi, nunc sperandum maxime, cum eorum omnium ingenia, quæ aliquem veræ lucis fulgorem consecuta sunt, majorum nostrorum errores, qui tot annos uni tantum sensui adhæsere, deprendere jam incœptarunt, omnemque studiorum suorum conatum ad veritatem ipsam convertere, sanctioresque disciplinas adamare. Adjuvant insuper hanc proborum hominum voluntatem, sanctissimorum auctorum scripta, lucubrationesque & documenta, quæ de vetustatis eruta voraginibus quotidie prodeunt in lucem. Et jam ille minime censetur eruditus, quantumlibet Græce, Latineque sciat, qui Jovem scrutaturus cælestem non insiliat in currum, qui sacra non attigit, qui divina non est imbutus disciplina, qui Christum atque adeo Christianæ institutio- D
nis volumina non assectatur, quid mysteria sibi velint non exquisierit, quaque ratione Deo animum asserere possit, inspicere neglexerit. Verum ille omnium optime peritus, qui lutosas, sæceque conglutinatas alas in profluente puriter abluerit, perpurgaveritque, à terraque sublatus cœlestium Circensium pompam comitatus eo pervenerit, ubi sparsas manu veri Jovis fruges, donariaq; percipiat, opipareq; & ipse & jugales excepti, amœnissimi lautissimique diversorii otio perfruantur: quod qui fecerit, dubio procul intelliget reliquas doctrinas omnes, studiaque omnium reliqua, nihil aliud nisi summam esse vanitatem.

DE FUL-

## DE FULMINE. Cap. XXV.

JOvem igitur in alta sede conspicuum alato invecti curru consecuti sumus. Quo vero eum esse Jovem agnosceremus, nullum manifestius signum fuit, quam fulmen ejus manu prætentum: quare cum id gestaminis ad Jovem præcipue pertineat, non secus ac sella, de fulmine dicere, minime alienum est ab instituto negotio futurum.

## JUPITER. Cap. XXVI.

OMnibus utique vulgatum est hieroglyphicum illud: *Fulmen supremi Jovis gestamen esse.* Sed ut nunc fabulas dissimulemus, veram figmenti causam afferamus: si quidem hoc ipsius fulminis naturam exprimere videtur, quod quidem ita fit. Calor interdum per refrigeratum à ventis aëra conspersus, ubi contrariæ naturæ viribus solicitari cœpit, sese in globum colligit, & adversus algorem validissime reluctatur: urget algor ventis ingruentibus, ille sese magis ac magis adstringit, quoque angustius premitur, eo validior evadit, ac simulac extremam intentari sibi vim intelligit, totis erumpit viribus, crassioreq; aere, qui circumfusus est, disrupto, viam sibi cum strepitu & incendio patefacit. Suprema vero illa pars elementorum, unde calor emanat, cum Jovi sit attributa, ideo illum vetustas, fulgura & fulmina ciere confinxit, Signaq; Jovis passim cum fulmine fieri consuerunt, cum uno quidem frequentissime: sed & cum duobus fulminibus aliquando Jovi statua posita est: ut apud Elidem Olympiæ Jovis Horcii nuncupata: ea quidem severa minacique effigie, utraq; intenta manu fulmina tenebat, juxta quam pugiles in certamen descensuri super mactati Porci exta jurabant, nihil se dolo malo facturos, aut secus quam Olympiæ leges paterentur ausuros.

*Jobi cur datum fulmen.*

## FAMA LONGE LATEQUE PROPAGATA. Cap. XXVII.

ILlud vero præcipuum fulminis significatum est, ut vocem procul auditam, hoc est, famam rerum gestarum longe lateque per immensa terrarum spatia diffusam expatiatamque præ se ferat. Transit & illustrem præclari facinoris memoriam, in longam annorum seriem propagatam. Ægyptii enim sacerdotes hujusmodi gloriæ amplitudinem ostendere si vellent, Vocem, ut ipsi dicunt, aeris quippe tonitrum, hoc est, ipsius fulminis imaginem describebant. Nihil enim magis, nihil validius, nec terribilius tonitru sonare constat. Eaque de causa Apelles pictor, (uti in Armorum commentario diximus) cum Alexandri effigiem pingeret, fulmen in ejus manu posuit, quo nominis ejus amplitudinem ex rebus ab eo gestis longe lateque propagatam, & memoria numquam intermoritura celebrem indicaret. Posita ea tabula (ut Plinius ait) in templo Dianæ Ephesiæ, 20. talentis auri picta. Eo vero artificio fuit, ut digiti eminere viderentur, & fulmen extra tabulam esse. Sedenim Lysippus statuarius factum ut adulationis plenum improbavit, quare hastam ipse in manu Regis posuit: qui quidem, si vera quis de Alexandro, non fabulas conscripsisset, famam ejus ne una quidem ætate superfuturam judicaret, nedum id assequi meritus sit, ut divini honores ei decernerentur, datis ad Græciæ civitates literis, ut se decreto publico Deum instituerent. Ea res cum matrem Olympiam etiam offendisset, magnæ integritatis fœminam, Rex ipse ut incœptum excusaret, & institutum suum approbaret, insigne volumen ad matrem suam conscripsit, ut apud Cyprianum legi: quo rationes multas ostendit, Regibus suis Apotheosin decernere, atque hinc majorum Regum memoriam servari, indeque colendi & sacrificandi ritum inoleviſſe. Sane quidem Athenienses ipsi, qui doctrina & sapientia semper insignes habiti sunt, cum XII. tantum Deos antea colerent, Alexandrum tertium decimum appellavere, honoresque illi adhuc viventi instituere, qui tamen vulneribus sæpe confossus, morbisque tentatus, ac postremo vita functus, se mortalem ostendit, qui Deorum interim concilio adjectus erat. Quare Lacedæmonii literis acceptis, argute libereq; admodū more suo responderunt, ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεὸς, *Quandoquidem Alexander vult esse Deus, esto Deus*, quo decreto id declaratum voluere, nullam aliam fuisse causam, neque meritū aliud cur Deificatio esset Alexandro decernenda, nisi quod ipse ita vellet. Cæterum is, qui adhuc vivens divinis honoribus inhiabat, ne communibus quidem post obitum justis honestabatur, ad gravissimam usque Olympiæ matris

*Varia fulminis significata.*

*Nimirum Damū. Plutar. in Apoph.*

matris lamentationem. Pervulgatum tamen apud multos populos & nationes fuit, Reges suos, ut nuper dicebamus, pro Diis colere. Nam & Romani non tantum Reges pleroſq; ſuos, verum etiam eorum uxores divinis honoribus honeſtarunt, & nonnullis templa, & ſacra etiam inſtituerunt.

*Lyſimachi ſtulta ambitio.* Quantum vero pertinet ad fulmen, eo tolerabilius id Alexandro concedendum, quo inſolentius Lyſimachus ab Alexandri morte particulam ejus regni ſortitus, non quam armis virtute ve ſua ulla ſubegiſſet, ſed ex Regis tabulis adeptus eſſet, lancea cœlum tangere ſe jactabat: quod tantumdem erat, ac ſi famam aſtris terminare ſe diceret. Qua de cauſa Paſiades Byzantinus hominis vanitatem irridens, ad ſuos converſus ait: *Cavendum ne is lanceæ mucrone cœlum medium pertundat.* Quodq; impatientius aliquis ferat, Clearchus Heracleæ tyrannus fulmen geſtavit, & ex liberis unum Tonitru appellavit. Quanta vero Clyti, quanta Demetrii fuit inſolentia, quorum iſte non magna admodum regni parte ab Alexando accepta, Jovem ſe vocari paſſus eſt, reſponſa ſua pro oraculis haberi gaviſus: ille, quatuor ad ſummam navibus demerſis, Neptunus vocitari voluit, tridentemque geſtavit? Ut minus jam Salmonea miremur eo provectum inſaniæ, ut flammas Jovis, & Olympi ſonitus imitaretur. Nam, ut apud Maronem: B

*Æa. lib. 6.*

*Quattuor is invectus Equis & lampada quaſſans,*
*Per Graiûm populos, mediæq; per Elidis urbem*
*Ibat ovans, Divûmq; ſibi poſcebat honores,*
*Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen*
*Aëre, & cornipedum curſu ſimularat Equorum.*

*Fabula.* Longe vero felicius atque tutius Numa Pompilius eliciendorum fulminum rationem *invenit.* Nam cum quædam occulta ſacra ad fulmina expianda noſcere cuperet, Egeriam conſuluit, quæ reſpondiſſe fertur, ut Aventinum peteret, & fontem, qui in antro quodam erat, melle & vino generoſiore inficeret, quo ſolebant hora certa Dæmones duo ſitibundi convenire. Hi erant Picus & Faunus. Curaret vero ille ſibi latebras, in quas abditus ab advenientibus illis non conſpiceretur, ipſe tamen fonte intueretur, diſponeretq; per fontis marginem retia, prout opportunum ſibi videretur. His peractis Dii venerunt, & potus allecti ſuavitate multum ebiberunt: tamdem ſopore gravati, ibidem, ubi conſtiterant, ſomno ſe proſtravere, quos ita gravatos Numa implicuit in rete, qui videntes ſe captos, in C varias ſe formas transformabant. Sed cum nihil quicquam proficerent, ad veras tamdem effigies rediere, Numamq; ut retia ſolveret oraverunt. Rex ſe non prius retia ſoluturum dixit, quam de placando Jove docerent. Illi & hoc docuerunt, qua ſcilicet ratione cœlo Jupiter eliceretur, quoque modo fulmen expiaretur. Unde Jovi Elicio nomen datum, cujus templum in Aventino poſitum, ubi res hæc contigerat. Scio fabulam importuno loco poſitam, ſed quia non ita vulgata eſt, minime fuit diſſimulanda. Ne vero nos alienæ gloriæ detractoribus favere videamur, Alexandro fulmen merito attributum dixerim, ea de cauſa, quod annos vix tres & triginta natus, celeritate mira Orientales fere omnes nationes ſubegerat, & Oceanum ipſum enavigaverat, ut non immerito Cæſar, qui pari ſaltem animo ad eam rerum amplitudinem adſpirabat, cum Gades veniſſet, animadverſa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuerit, atque (ut Tranquillus ait) pertæſus ſit ignaviam ſuam: quod nihil tum à ſe memorabile actum eſſet in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet.

*In Cæſare c. 7.*

D

## CELERITAS. Cap. XXVIII.

Est enim fulmen ante omnia velociſſimæ omnino celeritatis indicium, quam Poetæ cum volunt exprimere, dicunt, *fulminis ocyor alis.* Idem ex antiquorum numis manifeſtum eſt: ut in eo cujus inſcriptio eſt, Q. Pilipus, Equus habetur in pernicem curſum admiſſus, cauda exporrecta, fulmine ſubſequente, lancea protenta, quod innuere videtur, provinciam ſuſceptam ſumma celeritate peragratam, negotiumque quam ocyſſime confectum. Nam & Ptolemæus, unus ex Ægypti Regibus, promptitudinis & audaciæ cauſa κεραυνὸς appellatus eſt, ait Pauſanias. Facit huic rei fidem numus alius, in quo caput humanum eſt, Capreæ coopertum ſpolio, ſub cujus jugulo fulmen eſt, & arcus ab occipitio: ab altera vero parte Pegaſus, cum ſagitta ſubjacente, omnia uti palã eſt velocitatis indicia, cum præſertim inſcriptio ſit, L. Papy. De quo quidem Papyrio (qui ob mirificam in agendis rebus feſti-

A festinationem atque celeritatem, Curſoris cognomentum meruit) multa rerum ſcriptores memoriæ prodidere. Equorum porro velocitatem in Curuli certamine fulguri comparat Heſiodus Herculis Scuto, ubi dicit:

ἐπὶ δ' ἱππείου θόρε ἴκελος ἀστεροπῇ πατρὸς διὸς αἰγιόχοιο.

Quem Statius ſecutus ait:

*Ilicet, igne Jovis lapſique citatior Aſtris,*

Et inferius idem Heſiodus de Equis in curſum à Pallade concitatis:

τοὶ δ' ἄμοδις προγένοντ' ἴκελοι πυρὶ ἠὲ θυέλλῃ.

Quod proxime accedit ad Papiniani ſententiam.

## CELEBRITAS. Cap. XXIX.

IN Angurali diſciplina fulmen tam in publica quam in privata opera vibratum, atque etiam per noctumam imaginem in ſomniis viſum, celebritatem nominis, & magnarum rerum auſpicia facit. Nam Olympiæ Alexandri fulmen per ſomnium oblatum, futuræ in filio claritatis indicium fuit. Illa
B enim priori nocte, qua ſe viro adjunxit, exiſtimavit facto tonitru in uterum ſibi fulmen illabi, ex cujus ictu magno excitato incendio, in flammas inde late diffuſas abire viſum. Quid vero hic memorem Juliæ filia Cæſaris monumentum ictum fulmine? Quid Euripidis Poetæ Tragici, atque Lycurgi ſepulchra de cœlo tacta? Quid Veliternum murum? Quid Eutimi Pictæ, aut Horatii Coclitis, aut Probi Imperatoris, aut Taciti & Floriani ſtatuas eodem modo afflatas? quæque hujuſmodi exempla plurima declamatione, quam olim de fulminum ſignificationibus edidimus, explicata ſunt: quorum ſignificata in hanc nominis amplitudinem accepta, tam Aruſpicum reſponſis, quam eventis poſtea comprobata reperiuntur.

## ELOQUENTIÆ VIS, Cap. XXX.

QUod vero de claris Eloquentiæ viris dictum, ut de Pericle & aliis reperimus apud antiquos, eos ciere tonitrus, & fulgura diſpergere ſolitos, cum orarent, tanta erat animorum percuſſio & indicentium ſententia motus, tanta verborum authoritas, de ſacra dubio procul lectione metapho-
C ram ſumpſere. Pſalmo enim centeſimo ſupra quartum & trigeſimum canitur: *Educit nubes ab extrema terra, fulgura vertit in pluviam.* Ubi per nubes viri ſancti intelliguntur, per fulgura vero perſuadendi vis, per pluviam eloquentia: de quo plura alibi, Et quod alibi. David: *Vox*, ait, *tonitrui tui in rota*, eo hieroglyphico ſignificat Evangelii voces, quæ de cœlo divinitus intonaturæ eſſent, & univerſum terrarum orbem (id enim rota eſt) commoturæ attonitumque reddituræ. Eodem modo per fulgura verba Chriſti ſignari tradit Eucherius, eoque ſpectare Pſalmi dictum: *Et fulgura multiplicavit, & conturbavit eos*, de Judæorum confuſione, qui ei nulla in re umquam reſiſtere potuerunt. Et Hieronymus primis Hebræorum caſtris, *Rameſen*, tonitrui gaudium interpretatus, divina verba, & quæ voces ſunt in ſacris literis, per tonitrum accipi docet, quod cœlitus editæ excipiantur. Fulminis vero radii deſcripti, quæ ipſæ coruſcationes ſunt, ad ejuſdem Evangelii pertinent claritatem & famam, de quibus Pſalmo: *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terrarum.*

## CLEMENTIA. Cap. XXXI.

D IN Antonini Pii, atque etiam in aliquot Nervæ numis cernere eſt fulmen in toto collocatum, quod manifeſtum & pulchrum admodum eſt clementiæ ſignum: arguit enim offendendi poteſtatem penes ipſum Imperatorem eſſe, verum ob ejus clementiam quieſcere: quod perinde eſt atq; illud quod Apum regem ajunt aculeo quidem præditum eſſe, verum eum in vulnus numquam exeri. Primam vero hujus virtutis laudem ætate noſtra tulit Julius Medices Princeps noſter, qui ſimul ac bonorum in eum ſtudiis inclinatis Pont. Max. electus atq; ſalutatus eſt, omnium ſtatim, & earum quidem atrociſſimarum injuriarum oblitus, iis omnibus eveſtigio pepercit, quos adverſarios habuerat iniquiſſimos, quos hoſtes totius vitæ curſu perpeſſus erat infenſiſſimos, quique non bonis tantum & fortunis ejus, ſed & vitæ modis omnibus inſidiati ſæpius fuerant. Quare Clementis nomen, ut tantæ manſuetudinis pignus perpetuumque monumentum, aſſumpſit, ita ſumma totius vitæ moderatione con-

servavit, req; probavit, ut Christianum demum Pontificem mortales intueri se profiterentur. Sed enim cum nobis de tanti Principis laudibus loqui non liceat, qui ejus auspiciis annos aliquot in hominum luce versati sumus, negotium aliis relinquemus, eam fuisse nostri Principis clementiam professi, ut vel hostes ad eam æternis literarum monumentis celebrandum impulsura sit.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XLIV.

## DE IIS, QUÆ PER SOLEM, LUNAM, ET STELLAS SIGNIFICANTUR

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD JOAN. BAPTISTAM MONTANUM.

*Scribis, Clarissime vir, vidisse te lemmata quædam mea in breve admodum comptudium redacta, de Hieroglyphicis, quæ per Stellas apud Ægyptios sacerdotes, in doctrinarum suarum arcanis habentur: quod ut ad se mitterem Reverendissimus Cardinalis utriusque nostrum alumnus Hippolytus Medices, tantopere flagitaverit. Addis insuper, cognovisse te rei istiusmodi argumentum non in ea tantum schedula contineri, sed à me longe copiosius conscriptum. Rogas itaque, ut tri totius Commentarium ad de mittam. Nam quicquid erat ad figurarum tantummodo formam spectabat, quibus pictor uteretur in Julio illo sidere adornando, cujus celebritatem Hippolytus ipse tanto studio foret. Nimirum video te Montane eruditissime, Leonem ex unguibus æstimare voluisse: at in re mea non Leo, sed Musculus continetur, qui se olim apud Mythologos pro Leone ausus est venditare. Quantulumcumque tamen id sit, quod ego præstare potuerim, officii mei fuit, omni posthabita cunctatione, obsequi viro, tum à primis studiorum nostrorum annis amico, tum ætatis totius demum cursu mihi semper admirando tam in Philosophiæ, quam artis Medicæ peritia, quam etiam in cultioris eruditionis elegantia, seu Græca, seu Latina quis poscat, politissimo. Accipies igitur Stellarum hieroglyphica, prout à me fuerunt interpretata. Sed nosti Stellas sine Luna desolatas quodammodo videri. Nam quo illæ rerum quæq; suarum semina conspergant, nisi in Lunaris orbis paratissimum, ut ita dicam, horreum condantur, quæ postmodum illa quasi sequestra terris demum indulgeat, aut potius uberrime largiatur? Sed neque Luna neque Stellæ sine Sole sui compotes esse possunt: quare Sol quoque his adnumerandus, imo anteponendus. Ridebis, scio, non erubescere me, quod ausus sim de Sole, de Stellis apud talem tantumq; virum totius Encyclopediæ decus & ornamentum verba facere: sed id me consolatur, quod tu, ut hæc ad te darem, jusseris: quare si quid hæc attulerint tædii vel molestiæ, uni tibi qui crabrones irritaris imputato. Utcumq; si leges hæc, quæ sunt per nos in unum veluti corpus hinc inde collecta, opto non ea tantum quæ me longe accuratius legeris, in memoriam tibi reducant, verum etiam te Pierii tibi deditissimi memorem assidue faciant.*

## DE SOLE. Cap. I.

COElestium corporum, quæ die noctèque micant, significationes dicturi, rationi consentaneum esse duximus à Sole ipso dictionem auspicari: quando nisi Sol esset, neque Luna, neque Stellæ ullæ conspicuæ essent, ut doctrina est Astronomorum, & res ipsa indicat. Cum itaque Sol reliqua hujusmodi corpora lumine illustret suo, nostrisque videnda oculis offerat, ab eo, utpote lucis arbitro, initium merito faciemus.

*Macrob. l. 1. c. 2. in Somn. Scip.*

DEUS

## DEUS OPTIMUS MAXIMUS. Cap. II.

A THeologi tam vetustæ Religionis, quam nostræ pietatis interpretes, Deum Opt. Max. & unum & lumen & bonum appellaverunt. Eaque ratione Sol cum sit unus, unde illi nomen, quippe à solitudine sit lumen, ut sensu manifestũ est: sit bonus, ut quotidiano cernitur experimento; Dei ipsius hieroglyphicum nullo alio signo addito, perhibetur. E profano vero cultu ante omnes Persæ, reliqua Deorum omnium, quam gentes ipsæ venerabantur, caterva rejecta, Solem Deum esse unicum arbitrabantur, ita ut nulla Diis templa condenda esse crederent, ea inducti ratione, quod uni Soli, quem colerent, vix mundus ipse sufficeret. Pythagoras tanta eum veneratione prosecutus est, ut adversus eum nefas esse dixerit lotium effundere: utpote quem omni cultu dignum arbitraretur. Et Hesiodus præceptum hoc summa religione observandum adhortatur. Omnino autem Gregorius Theologus id esse Deum dicit inter intellectuales creaturas (his enim locutionibus utuntur, qui divina tractant) quod Sol inter sensibiles. Quæ vero de Solis similitudine cum Deo referuntur à Joann, à Paulo, ab Hierotheo, absolutissime vero à Dionysio, qui horum documenta literarum monumentis quam diligentissime commendavit, cum ea quotidie per templa scholasq; omnes commemorata recitentur, B ea hic ego duxi prætereunda, Phœnicum interim & Ægyptiorum inventis gratulatus, qui primi omnium, ut Eusebius memoriæ proditum ait, Solam & Lunam & Stellas ita esse Deos intellexere, ut eos tantum gignendarum abolendarumque rerum omniũ causam affirmarent, quod iis congruit, quæ Plato Legum XII. de Parcis philosophatur. Nam & Anaxagoras Solem μύδρον esse, hoc est, ferrũ candefactum, arbitratus est, atq; ita omnia ex eo gigni conformariq; affirmabat. Ferrum enim ita dispositum, in quod volueris opus informabis. Magnificentius Euripides Anaxagoræ discipulus, cum eodem sentiens, Solem Auream glebam appellavit. At Socrates apud eruditissimum optimumque Xenophontem eos reprehendit, qui Solem Deum posuere, lumenque ejus & formam ad Deum Opt. Maximum refert, quod omnis ejus potestas & magnitudo à Deo sit, à quo una cum Luna fuerit creatus. Eaque ratione reprehendit & Homerum & cæteros omnes, qui Solem unicum esse Deum crediderunt.

*Sic omnes Deos referri ad Solem probat Macrob. Sat. l. 1. c. 17.*

Πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον μὴ ὀμεχεῖν, *Adversus Solem ne incito.*

Ἥλιον μίδρον εἶναι ἢ διάπυρον. *Solem candẽs ferrum esse ac penitus ignitum D. Laer. in ejus vita.*

*Socratis pia opinio.*

## UNITAS. Cap. III.

C SI quid autem est in rebus, quæ nostris objiciuntur oculis, quod unitatem significare possit, nempe Sol is est: id quod uti dicebamus, locutionis etiam etymon attestatur, à solitudine deductum, sive potius à Sole ipso fiat solitudo. Sapienter itaq; Alexander Macedo Dario amicitiam petenti respondit, nec mundum duobus Solibus posse regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum haberi posse, quam sententiam ex Aristotelis Ethicis sibi desumpserat, qui discipulo adulaturus, tum hæc, tum illam præcipue Homeri sententiam prætexebat:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Quod vero Solem in rebus egregie unum esse dicebamus, extra res Deus quoq; unus, & τοῦ ἑνὸς cognomento ab Orpheo, à Platone, & à nostris agnoscitur.

*Dictũ Alexandri Macedonis.*

*Nõ est bonũ plures authoritatem habere, sit unicus princeps ac rex.*

## VERITAS. Cap. IV.

ET qua ratione Sol unus est, eadem est veritatis hieroglyphicum, duplicia enim & multiplicia sunt veritati contraria. Simplex igitur sit, necesse est, quod verum censeri debeat. Hinc nudum effingitur ipsius veritatis signum: & quia omnia habet in conspicuo, ex eo præcipue veritas est. Hinc Py- D thagoras πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον, quempiam loqui non debere monuit, facie scilicet contra Solẽ versa, quod non esse manifestis repugnandum significare contendũt, neq; hominem loqui fere posse, quod undecumq; verum sit, cum omnem hominem divinæ literæ mendacem esse dicant. Sane de iis, quæ liquido patent, apertamq; in se continent veritatem, dici solet: *Merediana esse luce clariora.*

*Et veritas nuda ab Horatio lib. 1. Carm. Adversus Solem.*

## CHRISTUS. Cap. V.

AT sacræ passim literæ Christum per Solem imaginari tradunt, ut illud: *In Sole posuit tabernaculum suum, &, Exiit de tribu Juda cujus signum est Leo Solare animal.* Plato in Rep. ut solet mysteriis suis inhærescens, & Prophetarum quos adiit & audivit, oracula depromens, Solem visibilẽ Dei filium appellat: quippe qui Deum ipsum exscribere non audeat, & à quoquam fieri posse diffidat. Atq:

identidem intelligendum, quod ubique Christus ipse profitetur hominem imaginem esse invisibilis A
filii, qui si lux est vera, quæ mentem omnem illustrat, expressissimum habet simulacrum hunc Solem,
qui est lux imaginaria illuminans omne corpus. Hinc patiente Christo adversa Luna deficiens, con-
sensum nobis suæ naturæ perspicue commonstravit, nosq; jure optimo diem, qui Soli à Mathemati-
cis adscribitur, eum Domini vocitamus, & ejus cultui sacrum dedicamus, vel hinc ostendentes, non
esse cur amplius corporeum Solem, ut olim Gentes, colamus, quasi Regem cœli & dominum, atque
moderatorem, posteaquam Sol invisibilis, coæternus Patri & coæqualis, per quem & cœlum & ter-
*Dies Domini.* ra condita sunt, sitos in umbra mortis homines illuminavit, estque, ut cum Simeone absolvam, lu-
men, quod è gentium oculis tenebras discutiat, & electo populo gloriam afferat, nullo unquam tem-
pore defuturam. In aliquot antiquorum numis cernere est humanum caput radiis circumquaque
diffusis, cujus inscriptio est, ORIENS. Sive igitur pro Sole, sive pro regione, unde Sol oritur, imago
ea recipiatur, utroq; hieroglyphico Christum referre videbitur, de quo Zachar. Propheta: *Ecce vir,*
*Cap. 6.* ORIENS *nomen ejus, qui dominaturus esset super solio suo.* Alter quoque Zachar. antiquum hoc
dictum attestaturus: *In quibus nos visitavit*, ait, *Oriens ex alto, ut eos qui sedent in tenebris & in um-* B
*Luc. 1.* *bra mortis illuminaret.* Ideoque tam vox, quam imago Orientis, Assertorem nostrum significat, ait
Eucherius. Exorientis autem Solis imago altera erat apud Ægyptios sacerdotes, Lotos quippe ar-
*Matthiol.° in Dioscor. c. 109. l. 4.* bor aquatica, ubi infantem in ea confidentem figurassent. Hinc utique vapores illos matutinos,
qui à Sole moventur, strictiori quadam aura refrigerantes potius quam adurentes intelligi vole-
bant. Cæterum ego significatum hoc, ut exortum lotos indicet, inde sumptum crediderim, quod ea
ante Solis emersum implicata folia habeat, quæ quidem ita sensim exsinuantur aperiunturque, uti
magis ac magis tollitur jubar Solis. Maxime vero panduntur, ubi medium is iter emensus est. Eo-
dem vero decedente, folia ipsa vicissim contrahuntur, complicarique incipiunt ac insinuari, veluti
nulli parere velint præterquam numini, quod venerantur, atque ita quibus liceat modis, eo abeun-
te, sese intra claustra cohibeant. Quod, ut Proclus ait, observatum à Magis, ut sacram omnino eam
Apollini crederent, effecit.

## RESIPISCENS. CAP. VI.

*Hinc Hierarchia & Monarchia à Canonicis duob. luminarib. comparatur.*

HAbet & Aurora suum hieroglyphicum, quod aperire non pigeat. Per eam siquidem vir osten- C
ditur, qui de voraginibus emergens pravorum operum, & erroris cæcitatem derelinquat, & ad
justitiam & lucis puritatem evehatur, quæ sententia ejusdem est, quem supra citavimus, Eucherii.

## CLARITAS. CAP. VII.

ASolis vero claritate, viros omnes insignes, qui vel rebus præclare gestis patriam illustrarunt, si-
ve sublimiori aliqua doctrina mortale genus (quod egregie tu facis) instituerunt, aut vitæ san-
ctioris exemplo reliquis fuere documento, quo veram possent assequi beatitudinem, LUMINA nun-
cupare mos est. D. Ambrosius Luminaria, sanctos inquam homines, inter mortales versatos ait. Illi
*Æn. l. 11.* enim veræ participes lucis, eas animas quas erudiebant ab ignorationis tenebris educentes, lumi-
naria non injuria nuncupati sunt. Ita gentes reliquæ viros, qui præclari nominis essent, nomine Lu-
minis appellarunt, ut Latinus Rex apud Maronem queritur, *Lumina tot cecidisse Ducum.*

## IMPERII MAJESTAS SUMMA. CAP. VIII.

APud eosdem Persas, quos paulo ante nominavimus quorum quidem disciplina recentior omni-
no fuit, deducta ad res humanas similitudine, Sol eum penes quem summa esset Imperii ma- D
*Georg. l. 1.* jestas, indicabat, Solemque in ejus sublimitatis homines signa dare persuasum habebant. Unde et-
iam apud Maronem:

*Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam Tunc caput obscura nitidum ferrugine texit.*

Et ultimo Domitiani tempore corona quædam Iridi similis Solem circumdedit, quæ lumen ejus ac
radios obscurabat: quod portendebat, ut Arioli interpretabantur, fore ut is Imperator à Stephano
jugularetur.

## HUMANA VITA. CAP. IX.

TAntus vero est Soli cum humana vita consensus, ut is claritate sua insignis, vitæ identidem no-
stræ tranquillitatem: obscurus autem obnubilatusq; rerum nostrarum perturbationē ostentet.

Hinc

A Hinc apud conjectores invenias, quod etiam vester Hippocrates Medicis non otiose observandum præcipit: *Si visus Sol in somniis obscurari, occultarive, aut nusquam apparere, periculum instare ut ægroto vitam amittat. Si vero vim alicujus insequentis ipse Sol aufugiat, decumbentem in furorem agi præcipitem.* Mentis enim lumen eo signo labefactari, inquietari, ac loco exturbari suo. Quæ cum quis imaginatus fuerit, solicitus admodum est Hippocrates, ut ægroto certa victus ratione obviam eatur. Tantam vero Sol prærogativam in iis, quæ ad nutriendi rationem spectant, habet, ut Physici omnes ex calore & humore nostrum constare incrementum asserant. Nam & Hesiodus posteaquam fluviorum quorundam nomenclaturam absolvit, subjecit mox: hos esse qui mortale genus enutrirent, una cum Sole. Interpres addit: *Aquæ enim & Sol nutriendi vim habent, eorumq; beneficio res aluntur & gliscunt.* Inde Catullus de flore quodam vivido: *Artem. l. 1. cap. 36.*

*Dum mulcent auræ, firmat Sol educat imber.*

## ANNUS. Cap. X.

B Apud Aruspcies Sol annorum significatum habet, quorum ipse Dominus est. Quodque ad hanc rem facit, Cyri somnium memoratur, scilicet imaginatus per quietem sit, Solem ter manibus apprehendere frustra appetiisse: siquidem convolvebat se Sol, & elapsus abire videbatur; hinc Magi dixerunt, eum triginta annos regnaturum, quo scilicet tempore Saturnus Solem eodem assequitur puncto, unde simul deferri cœperat. Id utcumque interpretatum fuerit, tamen ipsis commentum placuit.

## GRÆCI. Cap. XI.

Ægyptii vates per Solis imaginē Græcos in prodigiis intelligi tradidere, cujusmodi rei nota est historia. Cum Alexander Macedo Tigrin fluvium superasset, paulo post Luna prima vigilia defecit, deinde sanguinis colore suffuso lumen omne fœdare visa est: quod Macedones laborum pertæsi dirum arbitrabantur, resque ad omnium desperationem processisset, nisi vates Ægyptii quorum doctrina omnis per rerum imagines explicabatur, affirmassent, bene sperandum esse, quod Sol Græcorum, Luna Persarum indicium esset: ideoque ruinam stragemq; eo ostento illis gentibus portendi, quorum signum laborare visum esset: quod effectus postmodum comprobavit. Interserere autem hieroglyphicis prodigia, somnia & ostenta licet, quia manifesta inter se congruunt germanitate.

C

## PATER, MATER, LIBERI, Cap. XII.

SEd ut ad hieroglyphica nostra redeamus, cum Sol generationis arbiter existat, Luna veluti lac humorem significat ad nutrimentum, liberi vitæ lumen à patre sortiantur, non temere apud Hebræos Josippus puer imaginatus est sopore oppressus se à Sole Lunaque & stellis undecim adorari: nam quod Patrem simul & matrem, & fratres totidem in olim facturos, tunc ostensum, eventu postea comprobatum, cum illi annonæ Præfecto, & maxima quæque negotia Regis in Ægypto administranti, cum nondum eum agnoscerent, procubuerunt. *Genesis cap. 37.*

## PRÆGNANTIA. Cap. XIII.

SEd quod ad partus attinet, manifestissimo hieroglyphico id Ægyptii figurare consuerunt, apud quod bipartitus Solis orbis, in media cujus scissura Stella imposita esset, humanum fœtum in præ-

D gnantis mulieris utero significabat: non ea tantum de causa, quod uterum in corpore medio situm solari corpori ob rotunditatem æquipararent, sed quia Sol conceptus omnes irradiatione sua vivificat: à quo vitalis virtus præcipuè demanat, quod quidem Aristoteles Physicæ Auscultationis secundo affirmat: gigni hominem ex homine & Sole professus. Veluti vero Stella lumen à Sole mutuatur, ita fœtus in utero alimentum à matre consequitur. Neque hujus eruditionis imperitus Lucretius, cum Epicurum illum suum mortalibus vitæ tranquillæ intia dedisse conaretur, ostendere, mortales reliquos Stellas dixit, Epicurum vero Solem appellavit, his versibus:

*Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,*
*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes*
*Præstinxit stellas exortus uti ætherius Sol.*

*Cur Solis ortu Stellæ extingui videantur.*

At dicet aliquis: Si Sol ex ortu suo Stellas omnes extinguit, quomodo illis lumen mutuatur? Quibus respondeo, accidere id ex oculorum nostrorum imbecillitate, qui luce illa omnium maxima perstricti, minora nequeant lumina conspicari.

## DE LUNA. Cap. XIV.

ATque hæc de Sole dicta sufficiant, non enim omnia prosequi volui, quæ super eo dici potuissent ab instituto hoc non aliena: sed occupationum tuarum ratio mihi habenda fuit, publicæ quippe professionis, lucubrationum tuarum peculiarium solicitudinis quam pro laborantibus, quotquot opem implorant tuam, benignissime suscipis atque accuratissime, à quibus si longiore sermone avertere te voluissem, in alicujus omnino commodum peccassem. Ad Lunam igitur breviter examinandam aggrediamur.

## NATURA HUMANA. Cap. XV.

SOle pro sublimioris naturæ imagine constituto, fuere qui per Lunæ hieroglyphicum naturam humanam exprimi differerent. Nam quod hæc è limo terrave constant, terra etiam lunaris globus esse perhibetur. Pythagoras enim Lunam modo Terram cœlestem, modo terrestre cœlum appellabat, ac terræ similem eam dicit Aristoteles. Varia est præterea Lunæ facies, diebusq; singulis, immutata conspicitur, neque variantiæ quicquam magis obnoxium, quam rerum humanarum conditio. Quinetiam si uniuscujusq; hominis vultum intueamur, numquam aut rarissimè *hac & illa* vice eundem esse conspiciemus, modo enim iratum, modo lenem, modo tristem, modo hilarem, modo hoc, modo illo affectu perturbatum comperiemus, ac prout diversæ rerum imagines animũ percu-

*Luna ac hominis conjenientia.*

*Diog. Laertius in ejus vitæ.*

lerint, ita varias in vultu figuras conformabunt. Hinc inter magna naturæ miracula de Socrate fertur, eum eodem semper vultu conspectum. Ad hæc, ut quæ tam manifesta sunt, missa faciamus, cupida lucis Luna, cupidum intelligendi (ea enim lux est) mortale genus. Eam modo Soli suo adjunctam, modo abeuntem, modo redeuntem aspicias. Animus quoque noster nunc ipsius veritatis lumini copulatur, nunc longe recedit, nunc ad veræ rationis intellum facta repetitione revertitur. *Aber-*

*Prov. 24.* *rare enim hominum est, & septies in die vel justus cadit.* Luna ea semper parte clara, conspicua, & illustris est, qua Solem aspicit: obscura vero, cava & inanis parte ea, qua divertit à Sole. Homo qua se parte convertit ad Solem suum, micantissimis radiis velut alter Moses illustratur: ab eo vero aversus alio, turbulentissimis omnium errorum tenebris offuscatur. Hinc dies à Deo dictus Neomeniæ, novæ quippe Lunæ, quem festum celebrare debeamus: Quod eo spectat, ut intelligit Adamantius, quando lex vetus umbra futurorum est, quod Apostolus Paulus ait, eandem ipsam

*Hebr. 10.* memorans Neomeniam, ut intelligamus justitiæ Solem Christum esse, Lunam vero Ecclesiam, quæ lumine ipsius repletur, ac cum Soli suo juncta fuerit, eique penitus adhæserit, tum festum diem agit Neomeniæ.

## PIORUM COETUS. Cap. XVI.

IGitur Theologi, qui Christum Soli æquiparant, in quo sit sensibilis humanitas & divini luminis imago, iidem per Lunam piorum, uti dictum, universitatem intelligunt: cum nulla sit gens, nulla natio, nulla sectæ cujuslibet congregatio illustrata lumine, nisi quæ, ut in Sole Luna, Christi radio verberatur. Eucherius quoque Lunam Ecclesiæ dicit hieroglyphicum, nempe quod in hac mundi nocte resplendeat. Et quoniam defectibus menstruis imminuitur, & faciem quotidie variat, nostræ sit etiam symbolum imbecillitatis, de qua superius.

## ÆTERNITAS. Cap. XVII.

APud Gentes præcipuum erat Lunæ significatum æternitatis hieroglyphicum haberi: propterea quod, cum defecisse videtur, nova iterum fit, sæpiusq; anno toto juvenescit. Quare scite admo-

*Carm. lib. 4 Od. 7.* dum Horatius, cum brevem & imbecillam humanæ vitæ conditionem lamentatur, ait:

*Damna tamen celeres reparant cœlestia Lunæ.*

In

A In Faustinæ numis aliquot simulacrum est, quod læva pallam sustinet, dextera aviculam cum Luna superstidente porrigit: inscriptio, ÆTERNITAS. Alibi enim diximus eam in Marci adulationem relatã inter divos à Senatu. In numis etiam aliquot Severi Alexandri Aug. simulachrum videre est, quod dextera novam Lunam attollit in sublime, inscriptione addita, PERPETUITATI AUG. Ægyptius autor Horus ad hujus hieroglyphici supplementum & Solem adjecit. Et Catullus noster, quæ de Luna dixit Horatius, ipse de Sole dixit:

*Faustinæ & Severi Alexandri numus.*

*Soles occidere & redire possunt,*
*Nobis cum semel occidit brevis lux,*
*Nox est perpetuo una dormienda.*

Causa vero cur per hieroglyphicum Solis & Lunæ Ægyptii Sacerdotes perpetuitatem significarent, ea perhibetur, quod eos perpetua esse rerum elementa arbitrabãtur: quippe quæ virtute propria inferiora omnia generarent, conservarent, & perennare facerent. Hujus ergo perpetuitatis, quæ semper fuit, est, & futura est in Christo, Psalmographus memor, futurum scripsit, ut Christum populi omnes revereantur per generationes omnes, quamdiu Sol & Luna circuitu se convolverint. Et Cabalistæ vi-

*Per Solẽ & Lunam cur perpetuitas significatur.*

B gesimam illam intelligentiam agnoscunt à perpetuitate desumptam, quæ per meatum Solis & Lunæ quotidie continuatur. Vita porro nostra (ut id identidem repetamus) eorum regimine ducitur, cujus cum duæ præcipuè partes sint, eæque maxime propriæ, sentire, & crescere, quorum alterum Græci αἰσθητικὸν, alterum, φυλικὸν dixere, sentiendi vim à Sole, crescendi à Lunari globo sortimur: atq; ita utriusque luminis beneficio hæc nobis constat vita, qua fruimur. Denique humore unius, & alterius calore sustentatæ rerum species prorogantur, æternæque fiunt. Ad hoc faciunt plerique Corneliæ Saloninæ Augustæ numi, cujus caput ex nova Luna prodire videtur, à quorum tergo modo FOECUNDITAS, ob id quod modo dicebamus: modo JUNO, quod eadem Lucina est: modo PUDICITIA, quod Juno Luna, Diana, & idem Proserpina numen inscriptum apparet. Horum omnium summam Catullus ita breviter colligit.

*Lunã mortalium corporum auctorem & cõditricem vocat Macro. in Som. Scip. l. 1. c. 12.*

*Tu Lucina dolentibus* *Tu cursu Dea menstruo*
*Juno dicta puerperis,* *Metiens iter annum,*
C *Tu potens Trivia & notho* *Rustica agricolæ bonis*
*Dicta lumine Luna,* *Tecta frugibus exples.*

Quod vero ad hujusmodi fœcunditatem facit, pleriq, cœlum omnium terra nascentium partem arbitrati sunt, terram vero matrem. Ipsum autem æthera propterea patrem, quod aquarum lapsus inde cadentium feminis vicem præbeant: terramq; matrem, quod matris vice has excipiat, & inde pariat. Eadem de causa Lunam, quippe quæ totius humoris domina perhibeatur quasi virilem operam in eo sumministrando præstet, à multis Lunum virili genere vocitatum reperias, quod professus est etiam Tertullianus. Et Cornelius Severus, quem Charisius citat, Phœben epitheto generis masculini adjecto dixit:

*Ut Assyrii Solem ad nomine tãquam Dei potentissimi generantes, & terrã nomine Atagartim, hic duob, omnia tribuentes. Lunæ masculino genere.*

*Igneajam cœlo lucebant sidera, Phœbe* *Fraternis successor Equis.*

Quamvis non desint Grammatici, qui eruditionis forte istius ignari, putent Successor fœminino etiam sexu dictum ab antiquis: ut, *Autor ego audendi*, de Junone. Verum illud probabilius est, quod aliquam sapit eruditionem. Sane inveteratum esse constat apud Carrenos Mesopotamiæ populos,

*Carrenamos notandos.*

D eum qui lunam muliebri nomine ac sexu nuncupandam putasset, eo supplicii genere damnatum iri à Natura rerum omniũ arbitro, ut is mulieribus addictus, eis semper servire cogeretur. Qui vero matrem eam esse credidisset, futurum ut uxori semper suæ dominaretur, neque ullas unquam muliebres insidias pateretur. Ii Hebræorum arcanis, quæ Cabalistica vocant, omnes siderum idearumq; cœlestium virtutes Lunari corpore suscipiuntur, à quo postea, uti diximus, in inferiorem materiam ut genitale semen immittuntur rerũ species, fructus, animantia, novatusq; omnes per elemẽta singula progenerantur. Alibi simulacrum Panis, quod Panopoli visebatur, attigimus, eo gestu factum, ut Lunam à dextera sitam flagello verberare videretur: quippe ut quæ apud eam quasi in penum quandam repositæ essent, rerum semina loco & tempore depromi flagitaret.

*Mensis Lunæ annus est, nam & à Luna mẽsis dicitur. Macrob. in Som. Scip. l. 2. c. 11.*

MEN-

## MENSIS. Cap. XVIII.

A

QOd si Lunam Ægyptii dejectis infra cornibus pinxissent, hieroglyphico eo mensem significari prædicabant, cum palam sit eam in ortu cornua surrigere sursum versus, eo præcipue tempore, quo signa Zodiaci vel recta cadunt, vel oriuntur, quod pars inferior tantum, eaque oculis nostris minima, propinquo occidente Sole conspicua sit. Ad coitum vero properantem, sub septimum & vigesimum itineris decursi diem plane mane conspectam, deorsum cornua dimittere: duobus enim reliquis, quos in assequendo Sole, eoque mox prætereundo consumit, omnino latet, tertio sese incipit ostentare. Hoc eodem significato Poëtæ quoque, Mensem intelligunt, ut illud: *Luna quatuor latuit*: atque eodem modo apud alios passim.

## ÆGYPTUS. Cap. XIX.

B

*Antonini Augusti Pii numus.*

INT. Antonini Aug. Pii PP. numo, qua parte inscriptio est Alexandria, videre est humanæ figuræ signum, quod ambabus manibus Lunam affectet apprehendere: sive sit is adorationis gestus. Et autem cornibus infra dejectis sita est, tribus in convexo tuberculis, duobus inferne, quæ velut guttulæ pendentes sunt. A pedibus postica parte, spicæ tres fructu prægravidæ conspiciuntur: ab antica, Crocodilus humi repit, capite in simulacrum id reflexo. Quæ omnia, ut hæ partes alibi declaratæ sunt suis quæque locis, Ægyptum ipsam significare, etiamsi non adesset inscriptio, Alexandriæ, nulli dubium relinquitur.

## SOPHISTÆ. Cap. XX.

VArietas autem Lunæ, mutatis quotidie faciebus, adeo conspicua, ansam dedit, ut nonnulli sophistas per Lunæ hieroglyphicum intellexerint: & Ægyptii Sophistæ quando Luna Ægypti symbolum est, cujus provinciæ Isis domina perhibetur, toto opere notantur. Alia tamen ratione Clitomachus, ut apud Stobæum legere est, Dialecticam Lunæ æquiparavit, quæ numquam eadem facie sese mortalibus ostentet, nunc accretione nunc diminutione luminis assidue variante, numquam interquiescat.

## INSIPIENTIA. Cap. XXI.

C

*Hinc forsan insipientes: quin & insani lunatici quod nati interlunio. Jul. Firmicus lib. 4. Mat.*

NOstri hujusmodi varietatis ergo insipientiam per Lunæ simulachrum indicarunt: quippe cum propter uniformitatis effigiem, veritatem, propter lumen in Solis corpore, ratione firma præditum intellectum innuerent. Contra per Lunæ varietatem, & nothum lumen, inconstantiam mentis accipiebant. Unde Ecclesiast. 27. *Sapiens sicut Sol permanet, insipiens autem sicut Luna mutatur.* Et Matthæi locus de juvene lunatico, qui nonumquam in ignem, nonnumquam in aquam cadere consueverat. Quod si trahas ad spiritum, animadvertas in talibus impetus quosdam quasi bonorum operum furrepentes, ita ut laudandi videantur, ab iis tamen qui dilucida in eis intervalla non agnoverunt: rursus enim eos minui videas, quodq; videbatur in eis lumen, non est diurnum, sed nocturnum lumen, quod quidem usque adeo imminuitur, ut jam penitus deficiat. Atque ii nonnumquam in ignem cadunt, id est, in ardorem concupiscentiæ, in veteres excandescentias, in ulciscendi cupiditatem, in pecuniarum amorem, & vitia reliqua. Nonnumquam in aquam, hoc est, in lubricas mortalium curas in perseverandi desperationem, in ambitionis fluctus, civilesque undas perpetua instabilitate exagitatas. Humana enim vita, ut alibi ostensum, marinæ instabilitati plurimum assimilatur. D

## PERSÆ. Cap. XXII.

QUod vero Luna Persarum hieroglyphicum esset, superius ex ostento dictum. & quid super eo senserint Ægyptiorum Magi.

## NOBILITAS. Cap. XXIII.

*προσέληνοι: Sed hæc ostentatio illis probro fuit.*

PErvulgatum & illud est, Lunæ gestamen apud Arcadas nobilitatis hieroglyphicum fuisse quidem Proselenes ea de causa nuncupati sunt, quod ab Deucalioneo diluvio primi ipsi Lunam inspexisse nascentem se credidere: quodque putarent universum humanum genus aquis obrutum

Atum periſſe, & à ſe rurſus originem propagationis emanaſſe. Erat vero geſtamen id quo uti ſoliti Arcades, fibula in Lunæ cornua porrigentis ſpeciem, qua calceamenta connectebantur: de qua ſcommaticum Herodis dictum fertur in Bradeam uxoris fratrem, qui cum generis ſui nobilitatem æquo verboſius apud Romanos oſtentaret: *Næ tu*, inquit Herodes, *generis tui nobilitatem in aſtragalis geſtitas*. Quin & Romanis, qui nobilitate præſtarent, geſtandi lunulas morem fuiſſe Plutarchus tradit, niſi ſatis ſit Martialis dictum, lunulatam pellem appellantis calceum in hanc ſententiam. Et de Quintiliano Rhetore apud Juvenalem habetur.

*Nam & Βικελίωτος Βυκελίφωνος dicti. Arcadum geſtamen. Idem obſervatum à nobiſſimis magiſtratibus Conſtantinopolitanis, Niceni auctore.*

*—— & nobilis, & generoſus*
*Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.*

Sunt qui cauſam hujus geſtaminis eam commenti ſunt, ut ſic admonerentur conſiderandam eſſe rerum viciſſitudinem, quæ præſertim in Luna ſpectabilis eſt, ne ſolo nobilitatis nomine nimium turgeſcerent.

B

## DE STELLA. Cap. XXIV.

SEd jam locus exigit, ut Stellas tuas aggrediamur, quarum ſignificata recenſere rationemque reddere, noſtræ potius fuerit indaginis, quàm alterius cujuſpiam inventum: cum præſertim in reſtituendo contextu pauciſſimorum admodum verborum, quæ Stella ſuper apud Horum Ægyptium tradita inveniuntur, cura laborque non defuerit. Sed eſt omnino in damno libellus ille tam in vulgatis Aldina impreſſione, quam etiam in manuſcriptis exemplaribus, quorum nobis copia fuerit. Sed jam ad rem ipſam.

## UNIVERSI DEUS. Cap. XXV.

APud Horum igitur legas Stellam hieroglyphicum eſſe Dei, neque fere quid amplius: quare neceſſe eſt rem ipſam paucis his incluſam verbis manifeſtius & latius aperire. Etenim cum Ægyptii luctamen & concertationem, quam Deus Opt. Max. in cœleſtibus orbibus, adverſo motu atque eo etiam vario concitatis, inſtituit, contemplarentur, neque id alia quapiam ratione deprehendiſſent, quam Stellarum motu, earumque præcipue, quas vices aſſidue variare manifeſtum, rapique univerſam mundi ſuperioris machinam ab exortu occaſum verſus, vertigine ſupra mentis captum citatiſſima, ac niſi res ipſa quotidie fidem faceret, prorſus incredibili: obniti vero contra, ab occaſu exortum verſus ſphæras ex iis, quæ nobis innoteſcere potuerunt, easque prout magis minusve à centro diſtant, pro ratione ſua eo ſegnius aut velocius ad metam properare, nimirum fieri hæc abſque Deo minime poſſe crediderunt. Quis enim tantarum molium rector conſtitueretur, qui certo temporum ſpatio omnia gubernaret, niſi mens ſuprema omnium arbiter haberetur? Cum igitur per Stellas potiſſimum in Dei ipſius cognitionem perveniſſent, ipſius univerſi Deum, per ſignum idem ipſum, quo rem deprehenderant, ſignificare inſtituerunt. Ideoque ſtellæ hieroglyphicum pro mundi totius Deo ponere voluerunt. Sententiam vero hanc Romanis etiam placuiſſe, poſſumus ex eo conjicere, quod in Pertinacis numo ſimulachrum eſt, manibus verſus ingentem Stellam ad cœlum ſublatis, cum inſcriptione: Provid. Deor. Cos. II. Ita ille Diis gratias agere profeſſus, quorum providentia rerum potitus eſſet.

*Nam Ægyptii primi planetas & ſtellas fixas deprehendere, Macr. l. 1. cap. 21. in Som. Scip.*

*Pertinacis numine.*

## PAN. Cap. XXVI.

ATque ea potiſſimum ratio eſt, cur Pana Deum ex hieroglyphico Stellarum intelligi contendebant: quin & pectus ejus variis inſigne Stellis effingebant, cum omnino per Pana totam rerum naturam interpretarentur: qua de cauſa & fiſtulam ſeptem calamis compactam, propter erronum totidem concentum, ori ejus apprimebant, de quo apud Orpheum plura. Probo autem idem & Pan & Jupiter eſt, quod πᾶν omne, univerſam quippe, ut dictum eſt, naturam ſignificet. Propterea vero & hinnulæ pellis varietate tegi ſolitum ajunt, ut ex maculis referri Stellæ videantur, de quo in Serpentis commentario plura, quod quidem iſti forſan de ſacris noſtrorum literis deſumpſere, in qui-

*Hinc Orpheus. Πᾶνα καλῶ κοσμοπατέρα θνητῶν, κόσμειον τὸ σῶμα. Pana voco magnũ, qui totum continet orbẽ.*

bus legitur: *Extendit cœlum ut pellem*, quamvis Adamantius dictum de sapienti anima interpretatur. Nimirum illa extensio in modum pellis, tamquam literis inscriptæ luminaribus & Stellis, dicitur *Rakia*, & ῥακὸς, Græcis corium est. Nos vero tentorium illud Firmamentum appellamus, & aulea picturata vulgus etiam ubique hodie Racia nuncupat. Porro cœlum propter micantes Stellas à cœlatura appellatum Probus idem putat, unde scilicet Luna bigis ferri incipit in superiorem usque cœlestium orbium partem, quæcumque continentur, ea Græcè ab ornatu κόσμος, à puritia Latinè *Mundus* vocatur, ait Varro.

*Et scitum pannum à Gallis satin dictum.*

*Cœlum à cœlatura.*

## CELEBRITAS. Cap. XXVII.

NOn temere itaque in somniis, ut apud Philistum legere est, Satyriscus est celebritatis hieroglyphicum. Nam Dionysii mater, ejus qui Syracusanorum tyrannus fuit, cum prægnans eum ipsum alvo contineret, per nocturnam imaginem visa sibi est Satyriscum peperisse. Ex quo galeatæ Siculi conjectores interpretati sunt, eum quem illa perperisset, clarissimum Græciæ sidus, ac diuturnum cum Fortuna fore. Hinc Naso etiam sidus pro nobili claritate generis posuit, ubi Maximum, ad quem de Ponto scribit, *sidus Fabiæ gentis* appellat. In Divinis quoque literis, Doctorum & pietate insignium virorum lumina per stellas significantur, ut apud Danielem, *Docti tamquam stellæ fulgebunt.* Et quæ progenies Abrahæ promissa divinitus est, tamquam Stellæ, non tam ad numerum innumerabilem refertur, quam etiam ad rerum, quibus posteri ejus illustrandi essent, claritatem. Præcipue vero Hyades in hujusmodi celebritatis hieroglyphicum delectæ, ut admonet Eucherius: siquidem ortu suo solent pluviam inducere, atque ideo per id sidus sacræ disciplinæ Doctores interpretantur. Cur vero pluvia divinæ sit institutionis hieroglyphicum, suo commentario est abunde disputatum.

*Dan. 12.*

## PROSPERITAS. Cap. XXVIII.

ARuspicum autem observationes Stellam asserunt prosperitatis, ac læti alicujus eventi signum esse, ac Atteio Capitone traditum, quod (ut Festus ait) acceperat à P. Servilio augure. Hinc locis inaugurandis Stella ex lamella ærea, qua specie reliquæ spectantur in cœlo, Stellæ, præfigebatur, Disciplinam hanc secutus Virgilius, felicissimum Trojanæ posteritatis successum Anchisæ ita præmonstratum ait:

*Æn. lib. 2.*

*— subitoque fragore*
*Intonuit lævum, & de cœlo lapsa per umbras*
*Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.*

*Suet. in Jul. Cæsar. c. 88. Ecl. 34.*

Neque immerito Cæsar Augustus crinitam Stellam visendæ magnitudinis, quæ Julio Cæsare sublato stratim apparuit, cum paucis admodum sententiam suam professus, felicitatis, quæ se deposceret ostentum interpretatus est: quamvis palam Julii Cæsaris animam in eam Stellam commigrasse dictitare solitus esset, remque testatus sit numismatum monumentis, Stella scilicet impressa in eo numo, cujus inscriptio est: Cæsar Augustus. Ab altera vero facie, Divus Julius. Adjectum etiam est insigne capiti statuæ ejus in foro positæ. Et alii plerique numi Cæsaris caput Stella supra frontem præfixa conspicuum ostendunt. Et Dionei Cæsaris astrum Virgilius hac de causa celebravit. Veluti etiam Horatius micare dixit Julium sidus, *veluti inter ignes Luna minores.* In numis vero quos Metius Macer in honorem Cæsaris cusit Cometa ab occipitio Cæsariani capitis appositus est, ut ab ejus obitu signum id subsecutum innuat. Fuerunt autem ex junioribus nonnulli, qui per Stellam tantum Julium Cæsarem intelligi voluerint, picturis publicatis. Verum hæc consignificat, non autem simpliciter significat.

*Carm. lib. 1. Od. 12.*

## FATUM. Cap. XXIX.

ADjecere Sacerdotes Ægyptii, Fatum per Stellam significari, quoniam id ex siderali dispositione consistere vulgata Doctorum opinione creditur. Per motum enim Stellarum negotia transiguntur, ut Hesiodi interpres ait super Asterie. Nam & Parcæ illæ, Clotho, Lachesis & Atropos, ut alibi ex XII. Legum Platonis ostendimus, nihil aliud sibi volunt, quam tardum in primis Saturni motum

*Quomodo per Stellam fatum indicatum.*

Amotum, quo singula maturantur, & multitudinem virtutum, quæ in firmamento sunt, per quas tanta rerum varietas in inferioribus generatur, ac reliquorum denique erronum motum quo suo quæque tempore perficiuntur. Quamvis enim à Solis & Lunæ beneficio vita constet, qua fruimur nostra tamen negotiatio tam ad ipsa duo lumina, quam ad quinque vagas Stellas refertur, ut vulgus Astrologorum putat. Quinetiam nullum in cœlo sidus, lumen nullum otiosum volunt. Et Cabalistæ nullam esse herbam, plantamve in orbe hoc dicunt, quæ non ab aliqua firmamenti Stella irradietur, foveatur, & ad incrementum adjuvetur. Errorum vero variis conjunctionibus & aspectibus, ut vocant, ea rerum vicissitudo in humanis rebus esse perhibetur, quæ Fati cognomento à plerisque nuncupatur. Tametsi clarissimi ætate nostra fuere viri, qui acriter in Mathematicos invecti, hujusmodi veterum commentationes plurimas evertere conati sunt. Cæterum, ut Divos August. & Ambros. ac plerosq; è nostris alios missos faciam, qui lapidem hunc volvere, Plotinus è veteribus nihil vi & potestate siderum hominibus evenire contendit, sed ea quæ decreti necessitas quam nostri Prædestinationem vocant in singulos sancit, ita per horum septem transitum, stationem, recessumve, monstrari: ut Aves B seu prætervolando, seu stando, futura pennis vel voce significare dicebantur, ipsæ tamen rerum indociles, ac quid agant prorsus ignaræ: quarum volatus, aut status, aut garritus, prout fausta infaustave, commoda vel incommoda portendere existimabantur, ita salutares aut terribiles habitas, cum à seipsæ neque salutem, neque terrorem ullum afferant.

*Præsertim Joan. Picus Mirandula*

## DE SIRIO. Cap. XXX.

QUam tamen præ se fert Stella Sirius præsagituram, non levi de causa, sed ex gravissimis Philosophorum observationibus adinventa est. Ajunt enim Ætæos ortum Caniculæ diligenter quotannis observare solitos, conjecturamque inde capere, salubrisne, an pestilens annus futurus esset. Ea enim Stella si obscurior ac caliginosa propemodum extitisset, pingue ac concretum esse cœlum, ac perinde afflatum ejus gravem & pestilentem futurum abominabantur: sin illustris atque pellucida apparuisset, cœlum idemtidem tenue purumq; conjiciebant, futuramque inde salubritatem præsagiebant C.

*Stella Sirii considerationis.*

## COELESTES SPIRITUS. Cap. XXXI.

CÆterum nos cum pie simus instituti, cur non etiam pie loquamur? Sane constat apud Theologos, & Dionysium præcipue, tres Angelorum esse Hierarchias, quibus in Firmamento sedes præcipue constituta. Harum suprema soli contemplationi vacat, Deumq; perrenni sono continuaq; assiduitate nullo unquam tempore defutura, collaudat, Medius autem ordo, cum sit cœlestibus, officiis atque muneribus delegatus, per Firmamentum, quod ab excellentia cœlum appellant, significatur. Postrema vero Hierarchia, etsi natura supra omne corpus est, supraque cœlum, curat tamen ea quæ sub cœlo sunt. Et cum dividatur in Principatus, Archangelos & Angelos, omniũ horum munus circa ea tantum versatur, quæ sub Luna sunt. Principatuum cura circa Resp. Principes ac Reges, ut ex Davide cognoscimus Archangelorũ, circa mysteria, & sacras cæremonias. Angelis privatis student rebus, & singuli singulis hominibus adhibentur. Euthymius porro Judæorum fuisse custodem Mi- D chaëlem nominat, ubi verba citat ex oratione Azariæ, libro Danielis *Angelus autem Domini descendit simul cum Azaria & sociis in fornacem:* cum tamen Archangelus sit. Sed enim sæpe admodum in quotidiano sermone omnes ordines Angeli nuncupationẽ usurpat. Cum igitur tertius ordo hujusmodi res humanas tueatur, & ad incorruptibile superioris dominii decretum dirigat, cuinam potius quam huic ordini Fati cognomentum dabimus? Qui demum cum octavæ sphæræ, hoc est, stellato insideat orbi, à soli ejus excellentia Stellæ significatum Fato congruere merito videtur. Neque tamen absurdum est Angelos per Stellas intelligi, qui Stellarum præsides habeantur: veluti cum apud Salomonem pro cœlo Deum intelligimus. Scriptum est enim historia Regum, *Exaudi, ô Cœlum:* ubi non cœlum tamen, sed cœli & terræ Rectorem ac Dominum, ex Theologorum interpretatione, Deum appellat. In Moseos etiam traditionibus, ut summi viri locum interpretantur, per Stellas

*Angelorum tres Hierarchia.*

*1. Reg. 8.*

*Itaque Vim fati vel Parcam Græci μοῖραν vel εἱμαρμένην dixerunt.*

perfectum reddere: si Parcis hæc, ut forte non incongruum videatur adscribere voluerimus ne pa- A nitiora hæc documenta sublimius æquo perscrutemur, Fatum id omnino esse constabit. Cui quidem opinioni subscribit Chrysippus: hos enim authores citare compellor, propter nostrorum quorundam literatorum pervicaciam, qui profanis authoribus majorem adhibent fidem, quam Christo, & à Christo patreq; ejus omnipotente Deo illuminatis. Igitur si Græcis Philosophis magis quam Paulo vel Apostolis aliis credunt, Chrysippum præcipuum ex antiquioribus audiant ita dicentem, *Fatum esse potentiam spiritalem, certa quadam ratione universi constitutricem.* Atq; alibi: *Fatum*, inquit, *est mundi ratio: vel, Lex eorum quæ in mundo providentia constituuntur: aut, Ratio ad quam omnia quæ fuere facta sunt.* Quin & Possidonius, dum Deum Jovem primum appellat, secundum Naturam, tertium Fatum, si quæ de Angelis retulimus, & alia Theologorum scripta considerare voluerimus, idem hoc, aut non multum dissimilia sentire deprehendetur.

*Fatum quid*

## TEMPUS. Cap. XXXII.

AD hæc Stella temporis etiam est hieroglyphicum, quia nihil in mundo toto statam temporis legem magis observat, quam cœlestia corpora, quæ sua quadam lege iterum ac sæpius mota, eodem semper temporis intervallo, certisq; periodis eo redeunt, unde ferri cœperant. B

## EXPLORATIO. Cap. XXXIII.

STella eadem apud Ægyptios circuitionis indicium habetur: quod sive ad orbicularem motum, sive ad cœli ipsius figuram, sive ad ea, quæ de temporum repetitionibus modo dicebamus, quis retulerit, omnia quadrabunt. Sedenim quam hi circuitionem ponunt, Explorationem potius ego dixerim: propterea quod Stellæ pervigiles facta consiliaq; nostra omnia videntur explorare. Unde apud Catullum legas:

*Aut quam sidera multa cum tacet nox,*
*Furtivos hominum vident amores.*

Apertissime vero apud Plautum exploratores per Stellas intelliguntur, si cui non satis est Christi ipsius testimonium dicentis, *vel puerulorum Angelos facta eorum omnia referre eorum Patre suo.* Nam Stellas paulo ante Angelorum hieroglyphicum agnoscebamus. Apud Plautum igitur Arcturo Stella in scenam introducta, hæc, Rudente, recitantur. C

*Qui est Imperator divum atq; hominum Jupiter,*
*Is nos pergentes alios alia disparat,*
*Qui facta hominum mores, pietatem, & fidem*
*Noscamus, ut quemq; adjuvet opulentia:*
*Qui falsas lites falsis testimoniis*
*Petunt, quiq; in jure abjurant pecuniam,*
*Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem,*
*Quotidie ille scit quis hic quærat malum.*

Romani enim veteres hæc de Stellis opinabantur, quæ nos officia Angelis attributa noscimus: cum animi illi, olim jam electi ad pietatem & religionem, cultumq; Dei, in rerum divinarum curam, qua poterant, ante omnes propensi essent: quare hi de Stellis, quæ nos superius de Angelis ex sapientissimorum hominum sententia retulimus, intelligebant. Hujuscemodi autem explorationis ergo C. Caligula novum quod excogitavit coronarum genus, Solis & Lunæ, siderumq; specie distinxit, easque coronas, novo etiam nomine exploratorias appellavit: utpote qui per Solem diurnos, per Lunam & Stellas nocturnos exploratores intelligeret. Cur vero noctem Sacerdotes iidem ex stella picta significarent manifestius est, quam reddi causam ullam oporteat.

*Corona exploratoria Caligulæ.*

D

## CUSTODIA. Cap. XXXIV.

VIdere est in numo quodam cujus inscriptio est, Urbs Roma, specum in arcum productum, cum Lupa & geminis infantibus circum ubera in medio sitis. Ab utroque autem specus latere assurgunt pueri duo colludentes: superne stellæ totidem, sive pro geniis illæ sint, quorum auspiciis infantes qui fuerant in fluvium abjecti, sospitati sint, mox famelicam lupæ rabiem non effugerint, modo, sed ab ea perhumaniter etiam fuerint educati, atque ita argumentum hoc omne, Custodiæ sit hieroglyphicum, quæ divinitus fuerit infantibus præparata. Nam & apud nos certæ sunt preces quibus Angelum nobis custodem dari deposcimus. Sive celebritatis, neque non apotheseos, quæ subsecutæ sint, Stellæ illæ signa sint. Siquidem Romulus fratris nomen etiam post mortem ejus publicis

A blicis actis adscribebat. Unde Virgilius dixit; *Cum fratre Quirinus jura dabant*, commentus quidem id Romulus, ut Remi fratris manes placaret, quibus terrificis imaginibus sæpius infestabatur. *Æn. lib. 1.*

## ANIMA. Cap. XXXV.

Est etiam id apud Ægyptios stellæ significatum, ut defuncti jam hominis animam ostendat, quod in manuscriptis codicibus habetur: quod dubio procul animæ immortalitatem indicabat: quæ scilicet deficiente corpore, vim atque vigorem suum efficacissime conservaret. Atqui vim luminis manifestam anima ipsa videtur obtinuisse, quam scintillam massæ stellaris Heraclytus Physicus asseverabat. Timæus vero Locrus unicuique animæ collegam esse, sive consertam Stellarum aliquam tradidit, quod non dissimile est à genio sospitali atque custode, quo de superius disserebamus.

## MORBUS GRAVIS. Cap. XXXVI.

Hippocrates Medicus observavit Stellas per somnium in mare vel in terram cadere, atque evanescere visas, graves indicare morbos ei apparatos, qui sibi id videre visus fuerit: cum contra, claræ & exortum versus currentes, sanitatis affuturæ indicia sint. *Vide Arte. l. 2. c. 38.*

## B CREPUSCULUM. Cap. XXXVII.

Addunt Ægyptii sacerdotes (quod impressis codicibus non habetur) crepusculum ex micantissimæ Stellæ simulacro significari, propter Hesperi, Phosphorique notabilem fulgorem, ut puto: quæ quidem eadem Veneris Stella est, nonnumquam Solem præcedens, nonnumquam subsequens: itaque per aliquot dies ante Solis exortum Stellarum omnium maxime splendescit, alias occidente eo, luce sua aliis præmonstrata, atque his quasi valere jussis, ipsum mox Solem subsequitur. Vel quia tota Stellarum ratio inter utrumq; crepusculum, vespertinum scilicet & matutinum, munus peragit suum. Vespertino siquidem excitatæ crepusculo, simul ac matutinum advenerit, suo quasi perfunctæ excubiarum munere, Soli sua data vice, Stellæ recedunt omnes. Et ut tandem Stellarum commentationem cum utroq; crepusculo absolvamus, earumque principium & finis terminetur, pauca quædam subjungam ex Divinis literis, in quibus Nox suum habet hieroglyphicum, cum præsentis vitæ tenebras, & hallucinationem significet: matutinum vero tempus pro futuro seculo ponatur: de quo Paulus, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Eoq; spectare dicit Hesychius Hierosolymitanus præceptum illud Levitici, *Ne de carnibus sacrificii salutaris quicquam in matutinum relinquatur*: quippe ne vitam nostram deprehendi sinamus imperfectam, quo scilicet tempore intercipiatur agendi facultas: quippe ubi misericordiæ opus nullum cujuspiam alterius virtutis aggredi poteris, vel exercere. Quare quinq; illæ virgines parum prudentes, ante oculos nobis proponendæ sunt, quædum lampadum suarum oleum comparaturæ retrocedunt, adventu interim Sponsi clausa janua excluduntur, non amplius admittendæ. Idem admonemur 3. Proverbiorum à Salomone: *Ne dicas amico tuo, Vade, & revertere, nam crastino tibi dabo, cum statim possis dare: nescis enim quid pariat superventura dies.* Ad hoc ita Hesychius: *Festina, neq; quicquam differas, ne forte in eas coarcteris angustias, unde expedire te nequeas, eoq; difficultatis adigaris, ut evestigio rerum omnium, quas tractaveris, rationes addere cogaris.* Epicurus, qui plerisque in aliis, res agere deprehenditur, in eo versu prudentissime se gessit, cum dixit: *Noctis hieroglyphicũ. Rom. 14. Levit. 7. Matth. 25 Sic Varro in Menip. Satyris. Nescis quid serus vesper vehat: & Maro lib. 1. Georg.*

Ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει.
*Nemo hominum est, qui non inter agendum obeat.*

D Quod si quis ætate nostra, præter bonorum omnium spem oppressus, inter agendum obiit, quis umquam majore totius Romæ luctu desideratus, quam noster Hippolytus? qui parata ære suo privata triremi, fortiq; militum manu ad Carolum Imperatorem, qui Libyam debellabat, Christoq; asserebat, priusquam instructam navem, explicataque vexilla illa Julii sideris videre posset, medio itineris veneno lethali, quo perditissimus minister ferculum infecerat, nobis tam juvenis, tam Cæsari charus, tam ejus gloriæ cupidus, miserabiliter interceptus est. Paucisq; post mensibus, nepos ejus Alexander Florentiæ Dux, Imperatoris ipsius gener, à consanguineo sibi conjunctissimo, non minori scelere mucrone crudelissime, dum dormiret, trucidatus. Sed nolo vulnera tam atrocia refricare, potiusque tibi næniam, qua infelicissimum utriusq; casum, jacturamq; & luctum nostrum deploravis, pro libelli hujus Coronide subjungam. *Nimirum à Laurentio Medice post modum Venetiis caso.*

# HIPPOLYTI MEDICEI CARDIN. ET NEPOTIS EJUS ALEXANDRI FLORENTIÆ DUCIS, MISERABILES EXITUS DEPLORANTUR.

UT cum potenti deciderit Jovis
Dextrâ, superbæ insigne latus domus,
Et stinge & ingenti fragore
Corda hominum attonita obstupescunt,
Mox, dum misertum est pulvere grandia
Cæmenta solvi, parte alia latens
Erumpat improvisa flammæ
Vis, reliquumque operis ruina
Involvat oppressum, cinis omnia
Pulvisque fiant prætereuntium
Honore & admiratione
Tecta prius celebrata, puncto
Uno auferantur temporis, omnium
Mortalium per corda pavor meat,
Considerantum quam caduca
Sint ea quæ asserimus beata:
Sic duplicato concidimus malo,
Quicumq; claras Mediceæ domus
Stellas colebamus, fideli
Obsequio, officiisq; chari.
Nam vix cicatrix illa coiverat
In altum adacti vulneris, intima
Per ossa lapsi, cum peremptum
Eximium Hippolytum abstulit mors.
Qui dum cohortes cogeret impigras,
Arma & triremes ære parans suo,
Hanc ultro opem allaturus oræ
Cæsari opes Lybicæ prementi,
Roma profectus Parthenopejum
Navale iturus, media via
Improvide interceptus atro
Fraude dato opprimitur veneno.
Hinc mille & illinc mille peraviæ
Sparsi locorum, sive domi in situ
Fletuque lugebamus, ægra
Pectora per lachrymis profusis:
Cum fœda clades huic superaddita
Oppressit incursu subito omnium
Mentes, & unda undæ nivosis
Alpium incubuit refusa.
Majora aperto vulnere vulnera
Nunc facta sunt, consanguinea ut manu
Confossum Alexandrum in cubili
Fama tulit, medioque noctis.
Sic heu misella hæc vita hominum omnibus
Injuriarum objecta periculis,
Quovis dieque horaque nostra
Assidue capiti ingruentum.
Mens nulla prudens est adeo, ut queat
Obstare fatis, vel petulantiæ
Illusque fortunæ cavere
Aut varios subitosque casus.
Sed magna Regum ô progenies Ducum
Quæ Petrum Athenis magnanimum inclyta
Olim dedisti, totque honorum
Muneribus titulisque fulges:
Quam clari enatis quam prius improba
Turcæ tyrannis & Scythicum genus
In Græciam invasisset, alta
Vi superum imperio potita.
Fato Quiritum scilicet Ilium
Eversa, Romanum imperium extulit
Gens vestra Athenis pulsa, ut orbis
Consuleret statui universi.
Atque hinc duorum Pontificum decus,
Amplum Leonis, mox venerabile
Clementis: idque iisdem tiaris
Continuis prope colligatum.
At non potentes dicere Cosmidas,
Laurentiumque & nobilium virûm
Proventum honoratum, Camœnis
Lugubribus licet, atque mœstis,
Sed flere ademptorum miserabiles
Vices, in ipso limite gloriæ, &
Primo rudimento invidendi
Nominis, egregieque laudis.
Heu quo juventus, & validus vigor,
Et promptitudo mentis, & ingeni
Atque indoles illa educata
Auspiciis sapientum avorum!
Quo purpuratus Hippolyto decor
Splendorque rerum, seu patruo comes
Puer senem adjuvaret, ingens
Pondus & Imperii subiret.

Quem

A Quem Cæsar alto in pulvere Pannonum
Vidit paratum cernere Principem
Contra superbarum catervas
Gentium: & horribiles phalangas,
Cum Turca numquam pluribus anteà
Instructus armis, crederet Italas
Vires Iberorumque robur
Et Tamesin domitare, & Albin,
Quem tota circum vis Asiatica
Nilique late gens vaga turgidi,
Et Græciæ totius arma
Atque Scythæ, atque Arabes obibant.
Verum explicatos vidit ut ordines
B Nostrorum in acri prælia spiritu
Poscentium, aufugit, reductis
Retro equitum peditumque turmis.
At qui virum se præstiterat foris,
Haudquaquam inerti pectore erat domi,
Quem multo abundantem Senatus
Consilio juvenem probabat.
Qui sæpe Romam seditionibus
Tumultuantem, irasque Quiritium
Pacasset irrumpens in arma
Fronte hilaro, eloquioque dulci.
Qui splendidas tot divitias, opes
Tantas, amicis atque clientibus
C Vellet paratas, se exhiberet
Ditem alii, sibi pauper uni.
Sive apparatu Regio penum
Elaboratum apponeret omnibus
Æqualiter, parcissimo ipse,
Et tenui & facili uteretur.
Sed quis modum vitæ omnis, & integram
Syncerimem narret? Hic omnibus
In posterum exemplo futurus,
Tam viridi excipitur juventa.
Immitis aufert Parca eadem Ducem
Illustrem Alexandrum, juvenem inclytum,
Florentiæ, Hetruscique regni
Omne decus, columenque summum,
Quò justum & æquum Principe floruit,
Servata morum est integritas, fides
Inviolata: at vis scelesta
Pulsa procul, pudor ipse tutus.
Hic glorioso Caroli erat gener
Selectus omni de grege. Filio
Hic Regio Henrico sororem
Conjugio celebri elocarat.
Hæc obfuerunt, perniciem hæc bonis
Traxere: vestræ nomina gloriæ
Vos abstulerunt. Hæc amarum.
Invidiæ stimulum incitarunt
Laboriosum scilicet est opus.
Tutum esse Regem, qui violentia
Obstet suorum, ullumque fraudi
Esse locum vetet, & rapinis.
Sic Pertinacis mens bona: Servii
Sic victa virtus cæde nefaria:
Sic multa ubique exempla, quorum
Jam numerum hoc etiam obtinebit.
At vos meum unum præsidium ac decus,
Si quid clientis Musa erit, ibitis
Numquam vel ignotis, vel ullis
Illacrymabilibus recensi.
Non vos ego inquam perpetiar mori,
Dum vis mihi adsit perpetuum quibus
Debetur excelsa in columna
Nomen, honos statuæ, æsque fusum.

NÆNIÆ FINIS.

JOAN-

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XLV.

## DE IIS QUÆ PER NAVEM, ET ALIQUOT EJUS PARTES SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD REVERENDISS. D. THOMAM CAMPEGIUM EPISCOPUM FELTRENSEM.

NUnquam putassem, Colendissime Præsul, accidere posse, ut mihi de Jure tecum differendum esset, quod nunc casus tulit, & necessitas poscere visa est. Nam cum mecum cogitarem aliquod tibi Commentarium de significatis Ægyptiorum, pro meo erga te cultu & observantia, dedicare (non enim vir tantus prætereundus eras, qui ætatem omnem, & jure publice profitendo sententiis, Romæ dicendis, sacrosancto Consilio præsidendo, & in Principum negotiis procurandis, insumpseris) argumentum quærebam quod ad hujusmodi Personæ nomen accommodari posset, opportuneque piscium meorum hieroglyphica commentaria præ manibus habebam, quæ Præsulibus, quibusdam, quos præcipue colo, honoratissime Antistes, cæperam distribuere: atq; cum non tam ipsi pisces, quam etiam instrumenta quædam nautica interserenda essent, Anchora tibi deberi visa est, quæ quod firmatæ Christianæ Reip. præsidio aliquando fuerit, antiquæ clarissimæq; nobilitatis Campegiæ domui pro insignibus argentea hinc & inde gestare concessum est, jam ex illo, quo Ugolinus ipse Campegius pisanæ classis Imp. marit imperium ab impiis infidelibus inquinatum, pacificum reddidit. Sed priusquam de Anchora dicere incipiamus, ex re me facturum puto, si animadvertendum dixero locum libro Pandectarum 14. titulo, de Exercitoria actione, capite statim primo, altero mox paragrapho, perperam interpositam esse. Anchoræ locutionem. Accursium hallucinari puto, quia corruptum sit codicem nactus: ibi enim Ulpiani ex libro ad edictum verba ita notata sunt: Magistrum navis accipere debemus eum, cui totius navis anchora mandata est, scilicet à domino. Nusquam vero legi ego Anchoram pro gubernatione poni, quod quidem manus pertinet ad clavum: usitatissimaque omnium authorum metaphora, temonem aut clavum aut gubernaculum regiminis loco poni passim observavi. Sedenim in Ulpiani verbis nulla erit ambiguitas, si velut in Pisano habetur codice antiquissimo illo, qui Florentiæ asservatur, ita legerimus, Cui totius navis cura mandata est. Castigatissimamq; lectionem hanc & in meo perveteri, & in aliquot codicibus manuscriptis, in quos nemo manus injecerit deprehendi. Elegi itaque te judicem, ut quæ aliena essent, legitimos agnoscerent possessoresque, resque omnis nautica legitime tractaretur. Tu quod Juris est videris: nos anchoram jam ablegata, quando hic standum minime necessum fuerit, ad iter institum peragendum, navim jam ipsam ascendamus.

---

### DE NAVI. CAP. I.

NAvis, atque ejus partes aliquot, armanentaque ipsa multis locis in veterum monumentis sculpta, & in numis cusa non leve cogitationis argumentum spectantibus exhibuere, dum quid hæc sibi velint plerique omnes investigant, quorum bonam explicaturi partem, à numo omnium antiquissimo exordiendum duximus. Quid igitur sibi Jani numus velit examinemus.

### ADVENTUS VEL MIGRATIO. CAP. II.

*Navi numus. Ovid. lib. 1.*

ROstrum navis alias autem puppis, vel interdum navigium in æs signatum, Jani navigationem in Italiam ostendit: ex altera enim numi parte Janus geminus, ex altera rostrum navis, inquit Plinius, & nos inspeximus. Ovidius ita etiam interpretatur:

*At bona posteritas puppim signavit in ære, Hospitis adventum testificata Dei,*

Quin-

A Quinetiam Onirocritæ obſervant, quotieſcumque quis vel navem vel ratem imaginatus fuerit ſe videre per quitem, nuncium ex longinquo peregre confeſtim auffuturum. Antiquiſſima vero eſt illa numi ſpecies, quadrans ſcilicet, Raticus nomine, in quo ratis. Moſque inde duravit, ut pueri in aleæ luſum denarios in ſublime jactantes exclamarent, aut capita, aut navim: quorum altero poſt firmatum numum conſpicuo, ejus eſſet victoria, qui divinaſſet, luſu teſte vetuſtatis. Quanquam & altero uſi ſunt numo, Ovem, Bovemque inſculptos habente, quod numi genus documento erat, veteres gregibus & armentis abundaſſe, quippe quorum omnis res in Ovibus & Bubus collocata erat, ut author eſt Plutarchus in Problematis.

*Artem. lib. 1. cap. 7.*

*Galli crucem, vel pilam, pro parte oppoſita.*

## FELICITAS. Cap. III.

ADhæc navis in aliquot veterum monumentis felicitatis hieroglyphicum eſt, ut in Hadriani numo, quæ remigio vecta, pulcherrimeque elaborata viſitur, cum inſcriptione: FELICITATI AUG. Sub navi vero S. C. COS. III. P. P. In numo etiam Auguſti cernere eſt navium longam cum remigio, cujus eadem inſcriptio: FELICITATI AUG.

*Auctore Servio Rege Rom. teſte Plin. l. 18. cap. 3. Hinc nomen pecuniæ, & Theſeus Athenis numum notationis ſignavit, teſte Plut. in problem. Hadriani numus & Auguſti.*

B

## SALUS. Cap. IV.

QUæ vero navis apud Athenienſes erat SALUTIS indicium, in Theſei memoriam coli conſueverat, ſingulisq; annis Delon mittebatur Apollini cultum allatura, ſuſcepto olim à Theſeo voto hujuſmodi, ſi civibus ſuis una ſecum ſalvis reverſus eſſet. Eoque interim tempore, quo ſacerdos Apollinis navis ejus puppim coronaverat, & Delon ea profecta eſſet, pelagoque remenſo in patriam rediiſſet, cautum erat, Athenienſium lege, ne quemquam publice interficerent. Eaque de cauſa, ſcribit Plato in Phædone, longum temporis intervallum interjectum eſſe inter judicium Socratis, & mortem ejus: quod ſententia pridie quam ſpectaculi auſpicium fieret, lata erat.



C

## CHRISTIANÆ PIETATIS SUCCESSUS. Cap. V.

HAbet & Chriſtiana pietas feliciſſimi ſucceſſus ſui ſignum, navem cum piſcatore Petro, tam in familiari ſummi Pontificis anulo, quam in aureis Apoſtolici fiſci numis expreſſam, manifeſtiſſima ejus quæ ſubſecuta eſt felicitatis indicia, tot annis antea præmonſtrata. Nam quod Ovidius dixit: *Hoſpitis adventum teſtificata Dei*, ſumptum omnino eſt ex altiori diſciplina, qua priſci Romani divinitus admoniti eſſent, hoſpitem adventurum, qui verum Dei cultum afferret, ſive Noam navigio ereptum undis, ſive Janum ſalutaria tot præcepta Italiæ daturum, navi ad nos vectum, ac navi mox inſignem in numis, ſive ipſum noſtræ pietatis authorem fluctuanti naviculæ affuiſſe meminerimus. Hoc verum ac unicum eſt adverſus ſævientis maris rabiem ſoſpitamentum: hic unicus ſalutis noſtræ portus, quem ejuſmodi navis auxilio occupare feſtinaverimus. Sapientiſſime Joan. Scholaſticus vigeſimoſexto ſcalarum ſuarum gradu pericula recenſet, in quæ per mare hoc magnum & ſpacioſum navigantes incidimus, ſcopulos, vertigines, inundationes, piratas, belluas, ſiphones, procellas ventis fluctibusq; commiſtas, ſingulorumq; adjicit interpretetiones: ut per ſcopulos, feram præcipitemque iracundiam intelligamus. Per vertiginem, res eas, quæ præter ſpem oblatæ mentem circumſiſtunt, delirioque agitant, & in deſperationis profundum rapide devoratos trahunt. Per inundationum tumores, ignorantiam, quæ boni ſpecie decipit. Malus enim & egregie ſuperbus eſt, ſibiq; omnia arrogat, quicumq; eſt imperitus. Per piratas, gloriarum ſatellites, qui noſtras opes omnibus vitæ incommodis partas, interventu ſubito diripiunt. Per belluas, noſtrum hoc corpus grave, brutum, & efferatum, ac perdifficile cicuratu: utpote quod ventri tantummodo deditum, ſolam ſibi finem conſtituit voluptatem. Per ſiphones, elationis noſtræ impetus, per quos ad cœlum uſq; ſuſtollimur,

*Nam ſunt qui eundem Noachum & Janum vocant.*

D

*Periculorũ maris enumeratio. Vide epiſtolas Guevaræ Hiſpani.*

limur, unde mox deturbati, in profundissimam tartari voraginem præcipitamur. Hujus, inquam, pelagi causa navis illa tot olim numis cusa, divinitus adventuram miseris mortalibus salutem indicavit. Ac ne de præsagio dubitemus, in ipsius Jani numis, tam gemino capite barbato, quam etiam imberbi, uti habetur in argenteo, in quo etiam navis cum rectore, literæ superne C. FONT. neque non in aliis videre passim est inscriptionem, ROMA. Romæ enim pietatis nostræ principatum, & in togata præcipue gente constituendum, ut Evangelicam interim veritatem prætereamus, vel Maro ipse supremæ intelligentiæ actus spiritu divinavit, dum Jovem inducit aserentem,

*Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

*Æn. lib. 1.*

Cui quidem imperium sine fine concessisset: quippe quod eorum institutiones essent in omnem terrarum orbem, ut Theophylacti verbis utar, exituræ, neque ullo unquam tempore desuturæ. Neque vero mirum in Marone homine divini muneris experte, & qui verum pietatis ritum adhuc abditum ignoraret, divinationis lumen illuxisse: quia verisimile est eum in hujusmodi vaticinio, ex veterum arcanis aut Marci, aut Sybillæ, aut Hetruscorum, prædictionem illam excerpsisse. Vel quoniam summus ille spiritus nullum hominum genus, nullam unquam nationem aspernari compertus est quare B Balaam legimus hominem & alienigenam, & piorum hostem, præclara tot super Israelitarum successu divinasse.

## SOSPITAMENTUM. CAP. VI.

*Usurpatur etiam pro periculo, ut in eadem navi, à Cic. lib. 2. Epist. ad Curion.*

IN Q. Nasidii numo navis est cum velo, & stella in antenna, & ab altero latere caput cum tridente, & inscriptione, NEPTUNI, subaudiendum, ope vel auxilio servatos. Hoc enim Stella *significat* in antenna sita, de qua loco suo inter cœlestia.

## MANIFESTA OPPUGNATIO. CAP. VII.

*Q. Nasidii numisma.*



C

*Non dissimile pleni velis navigare à Cicerone pro Domo sua.*

QUoniam vero obiter in velum incidimus, minime prætereundum videtur, quod dici solet, *Velificatione plena in quempiam ferri*, quod est, aperto Marte, inimicitiis minime dissimulatis, rem aggredi, hostemque lacessere.

## OCCULTA OPPUGNATIO. CAP. VIII.

*Conto navigare.*

HUic contrarium est, *Conto, remulcove navigare*, cum tacite quispiam insidiatur, atque, ut vulgo etiam dici solet, *Subaquanea uti opera*. Locum hunc ad hanc propemodum sententiam interpretatur Ammianus, rerum gestarum libro 18. dicens: Non conto neque remulco, ut ajunt, id est, non flexiloquis ambagibus, vel obscuris, sed velificatione plena in Rempublicam ferebatur, quamvis aliter expositum sit in collectaneis Suidæ, Proverbio κόντῳ πλεῖν quod quisquis ille fuerit, exponit, ἡγεμονικῶς ζῆν.

## LUNÆ VECTATIO. CAP. IX.

*Isidis navis.*

QUod navigium in Isidis honorem Ægyptii coluerint, sunt qui raptam eam ab Jove navi, cujus insigne Vacca esset, arbitrentur: sed commentitium hoc mihi videtur. Magis autem ad Ægyptiorum eruditionem quadrat, quod Plutarchus ait, Lunam apud eos navigio vehi fictam. Hanc Isidis navem Apulejus multis donariis ornat. Diodorus fabricatam à Sesostri navim ex cedro octuaginta cubitorum ait longitudine, deauratam exterius, interius vero deargentatam, quam dono obtulit Deo, qui Thebis ab Ægyptiis colebatur. Is Isis erat.

## NAVIGATIONIS AUTHORES. CAP. X.

IN Tyriorum numo navis est cusa, nimirum ea de causa, quod ipsis Tyriis commentum placet, navigationis primæ se authores haberi. In hujusmodi eorum numo legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. Est & alius cum eadem navi longa numus, in cujus altera facie caput est

cum

A cum corona irradiata, inscriptio : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΣΙΔΟΝΙΩΝ. Ita demum Phœnices inventæ navigationis laudem asciscunt sibi.

## VICTORIA NAVALIS. Cap. XI.

IN Agrippæ numis navis illa tridentali rostro insignis, qualem scilicet Maro sæpe describit, dum non uno loco ait, *rostrisq; tridentibus*, partam ab eo victoriam indicat maritimo prælio, quod adversus Sex. Pompejum commisit, id quod Maro in Augusti gratiam ita immortalitati commendavit. *Agrippæ numus.* *Æn. l. 6.*

*Parte alia ventis, & Diis Agrippa secundis*
*Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum*
*Tempora navali fulgent rostrata corona.*

Aliquot in monumentis videas & Varronis insignia navalia, qui Proprætore sub Pompejo Piratico bello militavit, à quo, ob res bene gestas navali corona donatus est.

B

## DE ANCHORA. Cap. XII.

HIeroglyphicum anchoræ non Ægyptiorum tantum est, sed à Græcis & Romanis Principibus usurpatum, ut minime importunum sit rem à plerisque tractatam repetere : ut quæ sectamur significata, loco suo manifestentur.

## MATURANDUM. Cap. XIII.

CIrcumvolutus anchora Delphinus, quod signum in aliquot Titi Vespasiani numis observavimus, maturandum, ut Latini una locutione dixerunt, omnino significat. Sed quoniam rei causam in Delphino satis explicuimus, & res jam ævo nostro lippis & tonsoribus innotuit, plura super eo dicere supersedebimus. Id pro pictura animadvertendum est, anchoram, quæ in numo Titi habetur extrema dentium in vomeris speciem dilatare, cujusmodi figuram Aldus noster imitatus est in omnibus, quos impressit libris. Alia vero forma esse, dentibus quippe in acutum recto ductu mucronatis, quam in numo veteri apud eruditissimum virum Romulum Amasæum vidimus.



*Ut & Oct. Augusti ex A. Gellio libro 10. c. 11. Noc. Att.*

C

## TUTELA, REFUGIUMQUE. Cap. XIV.

HOminem, qui rebus suis tutelam præsidiumve paraverit opportunum, per navem & anchoram significabant. Quod si sola anchora manu prætenta figuraretur, refugium indicabat, quasi vellet innuere pictura hæc si adversa ingruerit tempestas, resque nostræ fluctuare cœperint, paratum esse profugium, ut possimus ita servari. Estque dicterium apud Græcos in hanc sententiam celebre, quo Demosthenes utitur oratione pro Ctesiphonte. Et Propertius eruditionis elegiacæ columen ad hoc innuens ait : *Anchora jacta mihi.* Idem sermo apud Paulum rei nullius ignarum, epistola ad Hebræos, capit. 6. *Qui confugimus, ut spem propositam teneremus, quam veluti anchoram habemus animæ eam tutam, tum firmam.* Et Chrysostomus, de supremo firmoque profugio, concione in Lazarum IIII. hæc ait : *Sunt divinæ sapientiæ opera, hæc maxima illius prudentiæ sunt argumenta. Conscientia increpatio sacra est anchora, quæ nos nequaquam sinit in peccatorum profundum absorberi.*



*Nimirum* οὐ τὴν ἀυτὴν ὁρμεῖ τοῖς πολλοῖς *ubi Suidas subaudit anchoram, ut sit sensus : Non eadem anchora utitur, quæ vulgus.*

D

## STABILIMENTUM. Cap. XV.

QUod si firmitatem, ac immobile stabilimentum rei cujuspiam significare vellent, anchoras duas appingebant : similitudine sumpta à navibus, quæ tunc

*Ventorum temnunt rabiem fluctusque sonantes,*

cum duabus anchoris innituntur. Qua similitudine utitur Aristides Panathenaicis. Sedenim Pindarus

*Ἐπὶ δυεῖν ὁρμεῖ, subaudi anchoris :*

*Duabus anchoris nixus.*

*Aristides in Panath.*

rus duabus innixum anchoris dicit, qui duas habet patrias: unde proverbium, οἴκοθεν οἴκαδε, *Domo domum*, de commode peregrinantibus: quippe de iis, qui arrepto itinere quotidie apud amicos aut necessarios divertunt. Nam pro firmitate Pindarus idem una etiam utitur anchora. Isthmiis, ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ' ἄγκυραν, *Jam anchoram ad fœlicitatem jecit:* hoc est, firmitatem jam ad vitæ tranquillitatem assecutus est. Vitæ porro nostræ tumultus, perturbationes, cladesq; omnes, marinis fluctibus, tempestatibus, vorticosisque æstibus solemus æquiparare, quemadmodum Archilochus facit, qui cum in Thracenses calamitates incidisset, bellum marinis fluctibus ita comparavit:

Γλαῦχ' ὅρα, βαθὺς γὰρ ἤδη
Κύμασι ταράσσεται πόντος,
Ἀμφὶ δ' ἄκρα γυρέον ὄπηξ
Ἵσταται νέφος σῶμα χειμῶνος,
Κιχάνει δ' ἐξ ἀελπτίης φόβος.

Myrsilus quoque Mitylenæorum infortunia tyrannicasque procellas ita describit:

Τὸ δ' εὖ σε κῦμα τῷ προτέρῳ νόμῳ στίχει,
Παρέξει δ' ἄμμι πόνων πολὺν ἄντλην.

*Γρὰν ἄγκυραν φασιν.*

*Sacram anchoram quod ajunt.*

Atque iis urgentibus infortuniis ad sacram, ut ajunt, anchoram confugiendum. Sapientes enim fere omnes hieroglyphico utuntur anchoræ, tam scribendo quam loquendo: ut Pythagoras, quem Phocion ait super humana vita ita disserere solitum, ὅτι χρὴ βίον αἱρεῖσθαι ἄριστον, quæ si primum amaritudine aliqua prædita videatur, suavem ipsam redditura sit consuetudo. Divitiæ si optentur, sciendum eas infirmam admodum esse anchoram. Gloriam, etiamnum infirmiorem. Quæ corporis sunt, ejusdem esse tenoris. Principatus, honores, omnia hæc imbecilla, & nullo robore suffulta. Quæ firmæ igitur anchoræ? prudentia, magnanimitas, fortitudo, puas nulla procella discutiat. Nam divina lex est, virtutem solam atque unicam habere robur, reliqua omnia nugas esse.

## INTERPRES. Cap. XVI.

*Anchora Indis pro caduceo.*

APud nationes aliquot anchora fuit interpretationis signum, quo scilicet caduceatores, & internuncii pro gestamine uterentur. Præcipue vero Indi anchoram pro caduceo habuere: propterea inquit Philostratus, quod omnia tentet ac pervestiget. Eaque de causa cum Apollonius ad locum, quem Indi sapientes incolebant, appulisset, seque cum comitibus intra stadium cohibuisset, adolescens eum adiit à sapientibus missus qui auream anchoram pro caduceo manu gestabat, perq; eum in colloquium adductus est.

## FRÆNUM. Cap. XVII.

ADhæc anchora moderandi compescendique signum est, frænumque indicat, quod quidem ex Pindaro desumitur. Ille enim πυθιῶν Ode quæ inscribitur, Ἀρκεσιλάῳ κυρεναίῳ ἅρματι, frænum Argus navis dixit, ubi interpres ait, Anchoram ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἵππων διὰ τὸ ἐπέχειν τὰς ναῦς δίκην χαλινοῦ, sumpta ab Equis translatione, quod ea naves compescat fræni instar.

## SELEUCI GENUS Cap. XVIII.

*Seleuci numi.*

EXtant Seleuci numi anchora signati, propterea quod is anchora signatum femur habuit ab ipsa origine, siliiq; & nepotes ejus eodem insigniti modo anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuere. Et ut Græci sunt ad figmenta promptissimi, fabulam etiam adjiciunt. Laodicen Antiochi nuptam, Apollinis congressum per quietem pati visam, qui anulum ei quendam veluti concubitus præmium donavit, jusseritque ut mox filio eundem redonaret, futurum eum aliquando felicissimi eventus auspicium: repertumq; prima luce anulum in lecto, cujus signum anchora erat, admirationi fuisse: Seleucumq; mox natu grandem, tradito anulo à matre, de origine sua, deque futura felicitate edoctum, cum mortuo jam Alexandro, quem in Persicam militiam secutus fuerat, regnum ipse Orientis occupasset, gemmæ istiusmodi memoriam consecrasse. Nam & cum urbem Antiochiam patris nomine condidisset, campos vicinos urbi Apolloni, uti originis authori dicavit. Hæc Trogus. Appianus indignum ratus fabulas historiis admiscere, rem aliter tradit in Syro: Apollinem quippe Laodicæ per somnium mandasse, ut quem anulum aliquando reperisset, filio statim gestandum

A ſtandum daret: fore namque ut quibus in orbis locis Seleucus anulum eum amiſiſſet, eam ipſe poſtmodum regionem Imperio ſuo ſubjiceret. Is igitur cum Alexandrum ſequeretur, anulum juxta Euphratem fluvium amiſit, factusque ejus Provinciæ Præfectus in diviſione regni poſt Alexandri mortem, moxque inde deturbatus ab Antigono, Ptolomæi, cui Ægyptus obvenerat, auxilio in regnum reſtituitur.

## POSSESSIO. Cap. XIX.

ESt & obtinendæ poſſeſſionis ſignum anchora, cujusmodi ejusdem Seleuci fuit interpretatio, reperto, quem jam amiſerat, anulo, in quem anchora inciſa fuerat. Cujus quidem rei hujusmodi fertur hiſtoria, quæ ad futurum augurium ab Apolline promiſſum facit. Seleucus cum ejectus Babylone, Ptolemæi mox copiis adjutus, poſſet quidem uti vi, ex amiſſo tamen anulo in ſpem regni omnino erectus, omnia prius quam armis experiri conſtituit, ne populum, quem per benignitatem ſibi allexerat, belli metu exacerbaret. Internunciis ad rem uſus, civium comperit ſtudia erga ſe propenſiſſima: itaq; feſtinatione opus eſſe admonitus, paucis admodum, ſed iis impigris & fideliſſimis ele- *Seleuci hiſtoria.*

B ctis, Babylona verſus quanta poteſt celeritate proficiſcitur. Accidit vero, ut inter gradiendum pede lapidem offenderet, evelleretque, ex cujus impulſu tanto dolore affectus ſit, ut ibidē veſtigio ſubſiſtere, ac humi reſidere cogeretur. Ecce vero ibi amicis pedem demulcentibus, & evulſum lapidem inſpectantibus, anulus ille affulſit, qui ſublatus attrectatusque, magnæ inter ſocios mœſtitiæ argumentum fuit. Id quid rei eſſet cum Seleucus ſciſcitaretur, ſignatam illi anchoram anulo reperto mœſtitiæ cauſam dediſſe reſponderunt; ex qua captivitatem portendi interpretabantur. Tum Seleucus: *Bono*, inquit, *animo eſtote omnes: nam quam terram calcamus, & retenturi ſumus, & firmiter poſſeſſuri:* & cum dicto doloris immemor proſilit, iterque arripit alacriter. Cui paululum progreſſio adfuere obviam qui tuta & pacata omnia nunciarent, exceptusque ita omnium ſtudiis, dignitatem priſtinam & regnum illud obtinuit. Mox Indiam & Aſiam omnem ſubjugavit. Anuli vero memor, urbem in Oriente condidit, & gemmam originis memoriam conſecravit.

---

C

## DE TEMONE. Cap. XX.

IN navi autem primas omnino partes tenet temo, de quo multa ſunt apud veteres ſignificata, quæ tamen omnia in unum coeunt intellectum.

## REGIMEN. Cap. XXI.

NAm regimen per figuram ejus ſignificari manifeſtum: & cujus arbitrio res aguntur, is gubernare, & gubernaculum temo ipſe dicitur. Hinc Juvenalis, *Aut de temone Britanno decidet Arviragus*, dixit, cum Domitianum Britannia potiturum præſagit adulator ille Veiento, expulſo inde ArviragO, qui totius inſulæ imperium obtinebat. Nam ad ea tempora Britannia nondum venerat in ditionem Romanorum, tentata bello ſæpius, licet cum eorum aliquot Imperatoribus fœdera junxiſſet, quæ noſtri plus æquo forſitan extulerunt. Contra vero Nero, paucos ante dies quam moreretur, vidit per quietem ſibi navem regenti extortum gubernaculum, trahique ſe ab Octavia in arctiſſimas tenebras: quod aruſpices reſpondere, eum adminiſtratione dejectum mortem infeliciſſimam moriturum. *Sueton. in Nerone. c. 46.*

D

## FORTUNA. Cap. XXII.

QUapropter veteres cum Fortunæ plurimum tribuerent, eamque negotiorum pene omnium quæcumque mortales gererent, arbitrum opinarentur, ſimulacrum ejus dextera clavum, ſiniſtra cornu copiæ tenere finxerunt, quod bona & commoda ab eadem omnia proficiſci crediderunt: unde divitias & opulentiam, fortunas apellavere, uni illi regendi elargiendique facultatem conceſſam arbitrati. *Extat hæc imago apud Galenum in oratione parænetica ad bonas artes.*

## INCONSTANTIA. Cap. XXIII.

UT vero inconſtantiam ejus notarent, utpote quæ, ut Horatius ait, poſſit imo tollere de gradu mortale genus, vel ſuperbos vertere funeribus Triumphos, & valet ima ſummis mutare, ſedentem eam in pila ſculpebant: quod tum in marmoreis monumentis, tum in numiſmatis antiquis ob-

*Nerv. Trai. nummus.*

servavimus. Talis ejus species est in numo Nervæ Trajani, cum inscriptione, FORT. RED. S.C. ubi etiam legas, SENATUS POPULUSQUE ROMANUS, literis omnibus expressis, quod raro inveniA tur.

## FORTUNA REDUX. CAP. XXIV.

*Hadriani Septimii Getæ, Domitiani, & Antonini Pii numi.*

EJusdem Fortunæ Reducis simulacrum est in altero ejusdem Imperatoris numo, ubi Dea ipsa sede sedens temonem manu regit, qui à pedibus surrigitur: inscriptio est, FORTUNÆ REDUCI. Atque hac eadem specie & inscriptione, literisq; habetur in Hadriani numo, ubi thema insidet pilæ, in nonnullis abest pila. Eadem vero sedens cum temone & cornu copiæ est in numo Septimii Getæ, cum inscriptione, FORT. RED. Sed illud observatione dignum, quod eadem species cum temone, & cornu copiæ in Domitiani numo, quem apud Bembum vidimus, FORTUNA AUGUSTI scriptum est, prima syllaba per u vocalem ultimam, quæ passim in ea locutione per o vocalem quartam enunciari solet. Eadem pene inscriptio speciesque cornu copiæ & temonis pilæ insistentis in manu Fortunæ stantis habetur in numo Antonini Pii. De pila vero atque rotula alibi erit locus suus, ubi Fortunæ ipsius ornamenta copiosius explicabimus. B

---

## DE RETIBUS. CAP. XXV.

PEtrum in navi superius inspeximus, sed habebat idem retia, quæ tractaret. Hujus rei memoria nos quoque traxit ad sagenam, ad hamos & tridentes: quare priusquam exiliamus è navi, an possimus aliquid expiscari, videamns.

## SILENTIUM. CAP. XXVI.

*Magis mutus ipsis piscibus, in Odyss. 5. Carm. lib. 4. Od. 3.*

PEr retia silentium significari tradunt, ea quidem ratione, quod præcipuum est præceptum piscatoribus, ut dum gregem circumdant, silentio quam maximo navigent. Pisces præterea altissimo silentio præditos esse compertissimum est, paucissimis exceptis, ac præcipue Cane marino, unde etiam Proverbium emanarit, ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων Sic eruditus Horatius eos *Mutos* vocat: Sic Lucretius, *Mutas natantes* appellavit, Lib. 2. C

## PERSUASIO. CAP. XXVII.

IN Divinis autem literis retia sunt persuasionis hieroglyphicum, qua scilicet homines in veritatis cognitionem inducuntur, atque ita capi videntur. Ad hoc facere Evangelicum illud ait Eucherius *Mittite retiani capturam.*

## INSIDIÆ. CAP. XXVIII.

ANtiquissimum esse reperio, insidias per rete significari, neque ea tantum de causa, quod ejus opus omne ad insidias comparatur, quantum etiam ex historia desumptum est. Nam Pittacum memorant, unum ex septem Sapientibus, adversus Phrynonem Atheniensium ducem validissimi corporis hominem, Pancratiasten scilicet & Olympionicam, de finium controversia, quæ inter Atticos & Mytilenos erat singulari certamine dimicaturum, rete secum in occulto sub clypeo abditum tulisse, quo cum tempus visum est, jacto Phrynonem impedierit. Historia est apud Verrium, in iis, quæ Festus defloravit: neque ea tamen in vulgatis codicibus, sed antiquo manuscripto, cujus partem ultimam Romæ comperi. Hinc sane ludus à Pittaco institutus, quo Retiarius Mirmillonem in D certamen provocabat, cui adcantabatur, *Piscem peto, non te peto, quid me fugis Galle?* Erat autem eodem authore Festo, Mirmillonicum genus armaturæ Gallicum, ipsiq; Mirmillones antea Galli appellabantur, in quorum galeis piscis erat effigies.

*Ludus Pittaci.*

## DESOLATIO. CAP. XXIX.

ESt & desolationis signum retis genus, quod verriculum appellatur, ad multa siquidem in spatia in mare demissum, restibusque longissimis hinc atque inde attractum, quantumcunque spatii complexum fuerit, totum abverrit, neque ulli piscium exitum patere permittit. Transitque miserabile genus hoc venationis in urbium & agrorum desolationes. Accidit enim plerumque, ut edicto univer-

A universali oppressorum exitio agri sint everriculati. Fiebat autem everriculatio in hunc modum. Virorum manus sibi mutuo tenentes, quasi restim unam texunt, occupatisque terræ, quam desolatam volunt extremis finibus, ita late extensi progrediuntur, latentesque passim incolas venando excipiunt, nihilque reliqui faciunt, quoquoversum peragrantes. Quod olim exemplum à Darianis militibus editum in Chio, Lesbo, Tenedoque insulis vi captis, atque everriculatis. Eretrienses quoque legas à militibus Xerxis eadem everriculatione omnes abductos. *Everriculatio.*

## DE HAMO. Cap. XXX.

HAbet Hamus cum Anchora similitudinem quamdam, si figuram inspectes. Sed quantum est in Anchora officii, tantum in hamo malignitatis atque perfidiæ: quæ cujusmodi sit, hinc apparebit. *Hinc insecare pro decipere. Terentius in Adelphis.*

## DECEPTIO. Cap. XXXI.

B SUnt qui non imperite, neque improprie, deceptionem per hamum pictum significari tradant: siquidem decipere, est unum ostentare, & aliud præter opinionem inferre. Ita hamus escam esurienti offerre porrigereque videtur, saturitatemque polliceri, mox apprehendit, alligatque, & captivum facit eum, qui escam illam appetierit. Hoc habemus apud Horatium de cœnipeta: *Epistolarum Lib. 1. ep. 7.*

*—— Hic ubi sæpe*
*Occultum visus decurrere piscis ad hamum.*

Et hunc secutus Lucianus eo opusculo, quod in Romanam invidiam de Aulicorum vita conscripsit, in hac plurimum similitudine immoratur, dum spes illas clientium, qui admissi ad Principum amicitias montes statim aureos sibi pollicentur, hami istiusmodi vorationi similes esse contendit. Et de lenone in fraudem prolabente, *Meus est, hamum vomit*, apud Plautum. Longe vero aliter in Divinis literis hamum accipi videas, per quem sanctissimum Christi corpus significatur, de quo apud Ezechielem Theologi dictum ajunt: *Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campos implebo, & à volucribus omnibus impeteris, perindeque omnes terræ bestias tuo pastu saturabo.* Sicuti enim si C hamum esca coopertum piscis rapiat, non solum escam ab hamo non sustollit, sed ipse de profundo esca aliis futurus educitur: ita mundi Princeps, penes quem erat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Adamiaci Jesu, cum sub eo hamum divinitatis inclusum minime sentiret, quo devorato hæsit ipse continuo, deque profundo tractus, eductus est, ut esca fieret iis, quibus calcandi super Serpentes & Scorpiones potestas à Deo data fuerat. Idem apud Jobum 40. capite reperias: *In Bacch.* *Christi corpus per hamum. Ezech. 32.*

*Aut adduces Draconem in hamo, aut capistrum circa nares ejus appones.*

## DE TRIDENTE. Cap. XXXII.

ET Tridens inter piscationis arma connumeratur, sed cum hamo parum congruit.

## APERTA VIS. Cap. XXXIII.

D HAmus enim per fallaciam quicquid acquirit aucupatur, sed tridens aperto marte, medio veluti campo advenientem hostem accipiens, eum aggreditur, solaque fretus agilitate, conficit. Sed quid is in Neptuni manu, quid in Trœzeniorum numis, & in Mantineensium scutis sibi vellet, alio Commentario docuimus. Hæc vero plus quam satis esse, quæ ad occupatissimum virum, & otii nescium mitterentur, existimavi. Vale. *Infra l. 48.*

JOAN-

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XLVI.

## DE URNIS NILI, LUCERNA ET FACIBUS, THURIBULO, ET PHIALA, DEMUM IGNE, ET AQUIS,

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD MAGIFNICUM VIRUM BENED. AGNELLUM.

ANTONIUS AGNELLUS *Patruus tuus Vir magnifice, cum esset olim Venetiis apud clarissimum, eruditissimumque Jo. Lascarin, ea tunc in civitate Ludovici Galliarum Regis Oratorem, tanta mihi familiaritate devinctus erat, ut amicitia nulla conjunctior esse posset, quam ea, quam communis studia inter nos conciliaverunt. Incumbebam ego tunc in prima literarum tyrocinia, audiebamque in arte dicendi Prunulum, in Eloquentia Sabellicum, in varia rerum eruditione Georgium Vallam, sed rarissimum Lascarin observabam in primis, in quo magna optimarum artium scientia, summa vetustatis investigatio, reconditarumque rerum studium atque cognitio non vulgaris, atque, ut semel dicam, vir erat omni liberali doctrina politissimus. Hunc itaque frequens invisebam, probatissima ejus consuetudine melior in dies evasurus. Quod si Lascarin occupationes distinebant, aderat illic Paternus tuus, qui diem sine linea præterire minime permittebat: semper enim novi aliquid de Musarum penu depromebat num: Epigrammatum, quæ faciebat, argutias, nunc: Hendecasyllaborum amœnitates, nunc hujus vel illius numeri Poemata, in quibus multum inerat leporis & elegantiæ. In eo vero præcipue conveniebamus, quod ille numismatum antiquorum signis mirifice delectabatur, quorum festivam copiam habebat a Lascari ad quem quicquid in hujusmodi rebus venerandam saperet antiquitatem, id à nobilitate illa sponte conferebatur. Idem propemodum studium ab Urbano patruo meo erat mihi quodammodo hæreditarium, qui cum magnam orbis partem perermsset, multorumq; nosset hominum mores, de peregrinationibus suis Ægyptiis, Arabicis, Palæstinis semper habebat novi aliquid, quod scitu dignum & utile communicaret mecum. Quotidie igitur cum simul esse dabatur Agnellus aliquid habebat, quod super numismatis alicujus gestaminibus aut titulis disputaret. Ego, si quid diceret, quod ad Ægyptiaca faceret hieroglyphica, in eo summo opere delectabar. Quodam vero die tuus hic Patruus imagunculam quandam ex orichalco protulit, cujus gestus erat, ut corpore reliquo decumbente, caput manu dextera sustineret, cubito ad basim appresso: manu altera aquam ex tribus urnis una tantum ansa conjunctis effunderet: ad hæc pueriles minutissimi operis numero sexdecim circumfusi, pueriliter hac & illac per universum corpus lusitare videbantur. Super hoc Agnellus, qui argmentum hujusmodi haudquaquam temere factum arbitrabatur, quidhoc sibi vellet curiosissime percontabatur. Respondi ego, imagunculam esse Nilum amnem: tres urnas, causas itidem tres incrementi: pueruli XVI. totidem cubitos, quibus cresceret ad fertilitatem. Vix hæc summatim dixeram, & horum omnium rationem reddere parabam, cum affuit tabellarius à Gallis, quo cum literis ad Lascarin ingresso, Agnellus quoq; accersitus est vestigio. Ego digresso domum redii, ac triduo post Patruum à patruomissq; ubi Leonicum audirem: neque ex eo amplius Agnellum videndi facultas fuit, qui Principi negotiis addictus, statim ipse quoque alio migravit. Tantum id, non multo post tempore, eum diem suum obiisse renunciatum est. Postea vero quam calamitosissimis totius Venetiæ temporibus Romam me recepi, ubi locupletior mihi copia facta est hujusmodi rerum, quas alibi difficulter inveniebam: ibi vero tum publice tum privatim toto cathedra suggerebatur, incubui alacriq; in idem studiu, quo me semper oblectavera, & ice*

Nisi hieroglyphicum.

εγλυφο-

*b* ἐγλυφικῶς *plura ad amicos Commentaria conscripsi: cumq; in Roma media vidissem effodi marmoreum Nili Colossum cum XVI. illis puerulis circum lascivientibus, de quibus in maguncula Patrui tui meminimus, subit statim Agnelli memoria, præq; hominis mihi suavissimi desiderio lacrymas cohibere non potui, quod ereptam mihi videbam occasione, ne hujusmodi rerum Commentarium ei dedicare possem, qui si fuisset in humanis, nihil illi optatius accidere potuisset, neq; ego quicquam lubentius feci sem. Venit autem in mentem mihi, posse me saltem renovare memoriam ejus, quem unice adhuc colerem, si rem omnem ad te converterē, qui nepos ejus esses, in quo præsertim non alienam ab ipsius Patrui genio vigere mentem animadvertissem, videremque, si memoriam ejus apud te sustitarem, id jucundum mihi, tibi vero gratissimum fore, cum hoc à me deposcere viderentur integritas, humanitasq; tua dubio procul singularis, & reliquæ virtutes tuæ, quibus apud omnes clarus es & insignis, & quarum ergo coluerim ego te semper & observarim. Habe igitur & antiquæ amicitiæ meæ cum Patruo tuo monumentum, & meæ erga te observantiæ, signum, ut ipsemet spero confiteberis, manifestum.*

## DE TRIBUS URNIS. Cap. I.

B

FLuviorum sane fontiumq; simulachra cum urnis dedicari solita, magis apertum & obvium unicuique est, quam ulla indigeat interpretatione. Cur vero Nilus cum tribus urnis figurari soleat, non otiose quærendum est. Nam Ægyptii illi sacerdotes cum incrementum Nili tribus præcipue de causis fieri putarent, reliquis aliorum opinionibus abjectis, quæ propemodum essent innumerabiles, quo sententiam ipsi suam perpetuis testarentur monumentis, tres urnas Nilo attribuerunt, cum reliquis fluminibus singulæ singulis adhiberentur: ut illud apud Maronem, *Nilus cur tribus cum urnis figuretur.*

*Calataque amnem fundens pater Inachus urna.* *Æn. lib. 7. sub finem.*

Harum vero trium causarum primam illam asserebant: quod tellus ipsa Ægyptia aquam ex se ipsa progigneret, uberrimeque proferret, sui ipsa humoris altrix. Unde Timæus Mathematicus Nili fontem phialam appellarit, quasi ipse intra se contineret eam aquæ vim, neque aliunde mutuaretur. Est tamen eodem vocabulo in Nilo locus à figura sic appellatus, quod nihil facit ad Timæi phialam Phidias inter sculptores celeberrimus, vel ipse rerum peritus, vel ab iis, qui ætate illa peritissimi erant,
C admonitus, cum Victoriæ signum in Marathone sub Nemeseos velamento confingeret, in dextera ejus statuæ phialam exculpsit, in qua Æthiopes cælati videbantur propter Oceanum, qui Nemeseos pater habitus est: Nilum Oceanum vocari multa veterum dicta monuerunt. Quod vero gignat Ægyptus aquas, ex eo, ajebant ipsi, facile conjici posse, quod in quovis alio climate fluviorum exundationes circa hyemem plurimum accidunt, nunc imbribus coactis, nunc nivibus liquefactis: sola vero terra Ægyptiaca in medio terræ habitabilis constituta, quemadmodum in oculo pupilla, peculiari quodam aquarum profluvio æstatem mediam irrigat. Alteram Oceano causam adscripsere, à quo aquam in Ægyptum exundare incrementi tempore fama est, quæ quidem præcipua fuit Euthymenis opinio, Ægyptiorumque in primis sacerdotum, ut Diodorus attestatur, qui rei fidem non aliam faciunt, nisi quod satis sit eorum auctoritas, ut sibi fides adhibeatur, qui rerum scientiam per manus à parentibus traditam, longa annorum serie obtinerent. Juniorum inde diligentia exploratum est, Nilum ab Oceano ex Atlante monte primum emanare, ibique Dyrin appellari: Heptabolum inde lacum stagnare: inde cognomento Nigrin effluere, mox Coloem paludem efficere, inde
D Astosobam & Astaboram flumina, donec ad cataractam perveniens erumpat, ac per Ægypti campos diffluens, Nili demum cognomentum accipiat. Tertiam causam imbrium esse dicunt, qui australibus in Ægypti regionibus, Etesiis nubila, ut ait etiam Democritus, illo ferentibus ex orbe reliquo, eo maxime effunduntur tempore, quo fertilis æstiva Nilus abundat aqua. Atque uti tradit Eudoxus, Ægyptii sacerdotes imbres eos ibi fieri ob antiperistasin arbitrantur: cum enim æstus nobis est, qui viciniora Cancro loca incolimus, tunc hyems iis, qui Capricorno propinquiora habitant. Addit ad hæc Thales, mare in ora agi ultro, Etesiarum ex adverso fluminis flantium repercussu: de quibus ita Lucretius:

*Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra* *Lib. 6.*
*Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur,*

*Et contra fluvium flantes remorantur, & undas*
*Cogentes sursus replent, coguntque manere.*
*Nam dubio procul hæc adverso flabra feruntur*
*Flumine, quæ gelidis ab stellis axis aguntur.*

*Tibullus, Fertilis æstiva Nilus abundat aqua. Priscianus. Hoc fluvii pinguis descendunt flumina Nili. Plin. lib. 7. In Ægypto fœtifer potu Nilus. Hinc illud: Anima sicca sapientissima, ψυχὴ ξηρὴ σοφωτάτη. Gal. lib. Quod animi mores, &c. Nili effigies & descriptio.*

Incipit vero crescere Luna nova, quæcumque post Solstitium est, sensim modiceque, Sole Cancrum transeunte: abundantissime autem dum in Leone progreditur, mox residet in Virgine iisdem, quibus accrevit modis. Quanta vero feracitate universam Ægyptum beet alluvione fœcunda, multi prodidere: unde eum Poetæ modo fertilem, modo pinguem, modo potu fœtiferum dicunt, quod animalia, quæ ex eo bibunt, & pinguiora, & obesiora fieri compertum est: quare suum illum Apim tanta cura cultuque nutritum, ex Nilo bibere, quam religiosissime vetuerunt: siquidem & macilentiam & gracilitatem omni pondere vacuam, divinitati propiorem arbitrantur, ut Plutarchus asseverat. Quinetiam sacerdotes eadem causa plurimo uti jejunio & abstinentia consuesse, Porphyrius attestatur, ut eorum copia liberati, eorumque pondere levati, quæ intromittuntur in corpus, animi oculus à fumo fluctuque corporeo foras emicaret, neque commemoratione, neq; demonstratione jam indigeret, sui compos, vique pollens sua, ob naturalem sui solertiam, otii nesciam.

## AGRICULTURA. Cap. II.

VEteres autem legimus agriculturam hieroglyphice per Nili simulachrum indicasse. Cujusmodi vero ejus esset effigies, lepida descriptione Philostratus indicavit. Lascivire enim eum cubitulis ait circumludentibus: huic enimsese ab undis attollenti, magnitudinis quippe istiusmodi pueri ridibundo adblandiuntur occursu, sexdecim numero, quod itidem cubitis ad fertilitatem facit exundatio: infantilisque ætas ea crescendi est hieroglyphicum. Circumsistunt vero Nilum hujusmodi pueri propemodum garrientes, quorum alii humeris insident, alii de cruribus pendent implicati, in ulnis alii cubitant, lusitant circa pectus alii: ipse vero pater flores suaveolentesque herbas de sinu depromit, & in eos spargit: ex iis alii coronas contexunt, alii sese illis obvolvunt, stratique per flores somnum captant: sistra quatiunt alii, alii subjicientes alteri cuipiam humeros, scalarum vicem officiose subministrant, alterique alteris catena veluti juncta sustolluntur: neque absunt, qui plausum sonitumque ab aquis excitent, applosis manibus. Crocodili vero & fluviales Equi procul hinc summoti, imo se condunt fluvio, ne puerulos perterrefaciant, & numinis sui lusum interturbent. Hanc speciem Philostratus, & agriculturæ fœcunditatem, & rei nauticæ lucrum, & communicatam longinquis regionibus & provinciis opulentiam significare testatur. Sexdecim vero ponuntur cubiti: quia si infra xv. subsederit auctus, bona Ægypti pars non irrigatur, ac perinde redditur ad serendum inutilis. Si supra sexdecim attolatur, quanto altius inturgescit, eo magis fames expectatur: quia diutius aquis immorantibus, serendi præterit tempus, neque sata possunt ad frugem maturitatemve pervenire Auctu demum intra xv. & xvi. consistente, omnia ex voto succedunt, seminibus late jactis, & opportuno tempore maturatis.

## NILUS. Cap. III.

ILlud etiam adnotatu dignum, quod simulacra fluminis reliquibus ex lapide candido fieri solita, ut undarum nitorem exprimerent, Nilo vero ex nigro, ut Pausanias ait: propterea quod ex Æthiopia delabitur:

*Usque coloratis amnis devectus ab Indis,* ait Poeta.

*Virg. l. 4. Georg. Quasi νέαν ἰλὺν, νοῦν trahentem limum, quo oblimat Ægyptum. Servius.*

Et ipse fluvius à nigrore Melanis olim cognomentum habuit. Unde Catullus eum, ait æquora colorare: late enim longeque inficit mare, quia limosus est, & unda turbidiore: quare in mare delapsus aquam nactus nitidiorem, per longa spatia colorem servans exspatiatur. Qui tamen Nili colossus antiquis Romæ à Leone X. in Citriorum specula, ex Pario marmore factus est.

## DE LUCERNA. Cap. IV.

SEd ut reliqua prætereamus, quæ plurima Nili super dici possent, ad ignavia jam devenimus, quæ quidem hieroglyphica multa secum trahunt, quæ tam à lumine, quam ab ignis ipsius natura desumuntur:

A muntur: ea quæ & qualia ſint, explicare jam cura fuerit, proindeque lucernam, fidam ſtudiorum vigiliarumque noſtrarum comitem, ſeligamus.

## VITA, ANIMUSQUE. Cap. V.

PRimum quidem lucernæ ſignificatum eſt, ut pro vita figuretur, cui oleum ad luminis vivacitatem infuſum, vitalem eum humorem oſtendit, quo paſcitur calor, ut corpus vivificet: quo deficiente, & colorem ſimul & corpus extingui neceſſe eſt. Inde apud Euripidem plerisque fabulis vitam relicturi dicunt, χαῖρε φίλων φῶς. Quam opinionem Plutarchus ſequitur, dum lucernam corpori, animæ quippe receptaculo, ſimilem dicit, lumen vero animo. Nam & ſacerdotes in captandis auguriis lumine minime cooperto clauſove ideo uti ſoliti, ſummaq; aeris tranquillitate frui, quod animum, qui certi aliquid conjicere velit, tranquillum ab omni ventorum turbine, hoc eſt, ab impuris affectibus liberum eſſe deceat: ne veluti aves aeriæ transverſæ plerumque vi ventorum aguntur, ita internæ mundi noſtri aves, quippe mentis agitatio ſolertiaque, & hujusmodi pleraque, errore perple-
B xo diſturbentur,

*Verba ſunt Polyxenæ in Iphigenia Euripidis.*

## ANIMAM SPONTE NON EXTURBANDAM. Cap. VI.

HInc illa apud veteres ſuper igne religio, ut eum porro extinguere nefas eſſet, quem potius per ſeſe languentem deficere ſinebant. Tale quid in nobis, veluti per hieroglyphicum indicantes, ne vi animam exturbaremus, nobiſmetipſis mortem conſcientes: animam enim, inquit Plato, nobis cuſtodiæ creditam tam diu obſervare debemus, quoad à Principe repetatur, ne ſi fractis ergaſtulis, perfoſſisque carceribus effugerimus, divinas leges quotquot ſunt, in nos, nullo relicto defenſionis loco convertamus.

*Veterum ſuper igne religio.*

*Pius omnibus detinendus eſt animus in cuſtodia corporis, Scip. in Som. Ciceronis.*

## LIBERORUM PROPAGATIO. Cap. VII.

LOnge vero apertius ſexto de Legibus animam lumini comparavit, ubi cives ait oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam, quam ipſi à majoribus accepiſſent, vi-
C ciſſim, quaſi tædas ardentes, poſteris tradant. Hunc ſecutus Lucretius, ubi de animantibus agit, quæ ſucceſſione propagantur, vita per vices aliis in alia transfuſa, hujusmodi hieroglyphico rem oculis ſubjicere viſus eſt, lib. 2.

*Et quaſi curſores vitai lampada tradant.*

De ludo vero lampadum, quem dicunt à Prometheo inſtitutum, legendum apud interpretes Ariſtophanis, Ranis: apud Platonem lib. 1. de Republ. apud Pauſaniam, Atticis: apud Herodotum, Urania: & in Rhetoricis ad Herennium.

*Lampadum ludus, qui dicebatur lampadephorium.*

## HOMO. Cap. VIII.

EOdem argumento Hercules humanas victimas in lumina totidem Saturnalitiis ſacris commutavit, impietate oraculi per hunc modum perhumaniter emendata: nam Pelasgos tradit Varro poſt longos errores perveniſſe in Italiam, ibique ex oraculi Dodonæi monitis decumatos homines Diti atque Saturno ſacrificaſſe. Oraculum fuit, ut L. Manius ſe vidiſſe dicit ſuper tripode quodam
D in templo Jovis characteribus:

ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΪΔΕΙ ΚΑΙΤΩ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ,

quod ita Latinum fiet:

*Plutoni capita, eſt hominem ſacra mittite patri.*

Sedenim Hercules ex Hiſpania rediens, rei non ſacræ, ſed execrabilis immanitate offenſus, cum Deos hos lumina, non homines ſibi depoſcere docuiſſet, quod φῶς commune utrique nomen, & lumen, & hominem ſignificaret, oraculumque interpretandum:

*Plutoni capita, at genitori lumina dentur.*

obtinuit ut Diti oſcilla, & Saturno lampades dedicarentur, atque ita Saturnalia inſtituta, in quibus præter ſigillaria mos fuit cereos etiam miſſitare. Sane humanas hoſtias Saturno immolare multarum

*Hæc à Macrobio lib. 1. capit. 7. ad verbum.*

*Saturnaliorum inſtitutio.*

gentium mos fuit, sed immanius apud nullas, quam apud Carthaginenses, qui ut Diodorus tradit, A
præstantiores ex filiis suis sacrificare consuerant. Cæterum cum aliquando exuta feritate humanitatem demum induissent, aliorum filios aut clam surreptos aut emptos, pro suis educare, sacrificioque supponere cœperunt. Evenit vero ut ab Agathocle Siciliæ tyranno post Alexandri magni interitum gravissima obsidione premerentur, atque uti mos est in calamitatibus, aut ad Deos, aut ad pietatem, nonnumquam etiam ad superstitionem confugere, suspicari cœperunt, Saturnum iratum, quod honore sacrificii, quod fuisset à patribus institutum, fraudaretur, tot in eos clades immissse, cumque res palam facta esset, multique inventi essent, qui pro nobilibus & ingenuis sacrificabant, antiquum ritum instaurandum censuerunt, quoque Deos placarent, ducentos ex nobilissimis adolescentibus publice sacrificarunt: quamvis, ut in Porco scripsimus, apud Diodorum, & aliquot alios variatur hic sacrificatorum numerus adusque ccc. Sed hoc parvi refert, historia reliqua concorde. Plutarchus libro de Superstitione, ubi de hujusmodi religione meminit, eos ait qui sine liberis forent, pueros à
*Xiphilinus in Adriano* pauperibus in hunc usum emptitasse. Id genus sacrificii tangit Plautus cum dicit: *Faxo ut bubulis coriis onustus sis Saturni hostia*, Q. Curtius id à Tyriis usq; ad urbis excidium servatum tradit. D. Au- B
gustinus juvenes Saturno sacrificare etiam apud Gallos morem fuisse dicit, Carthaginenses tamen Gelon Siciliæ tyrannus legibus adscribere coegit, ut ab infanticidio desisterent, cum eos apud Himeram debellasset, author Plutarchus in Apophthegmatis, quodque alii tradidere immanem hunc morem, Cambyses rex Persarum abolere aggressus, mox & Alexander Macedo, nihil quicquam profecerunt: sed Hadrianus demum sustulit.

## VITA DIVINA. Cap. IX.

*Ignis Vestalium summa religio.* AT Vestalis ignis ille, quem tanta diligentia Romanæ virgines nutriebant, sublimiorem divinioremq; vitam præ se ferre videbatur: hunc itaque & custodia, & nutrimento adjuvabant, quod superioris illius vitæ symbolum æternum videretur. Atque inter portenta, ut & Dionysius, & alii referunt, urbis perituræ præsagium habeatur, si casu aliquo accidisset eum extingui. Hinc Camillus ad Quirites ait: *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoq; quod Imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar?* & Maro: C

*Æn. lib. 2.* *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Cernere est nonnunquam lucernam in basi alicujus simulacri: id æternitatem significare, nonnulli interpretantur.

## INSIGNE AUGUSTALE. Cap. X.

OBtinebat sane primas ignis inter insignia augustalia, ut ex Herodiano conjici potest, ita in Commodo scribente: quod consilium suum ad Marciam retulit, unam è suis concubinis, cui scilicet plurimum deferebat, ac prope uxoris eam loco habebat, sic ut præter ignem omnem honores illi velut Augustæ tribuerentur. Extant quædam Theodosianæ militiæ, & eorum, qui Theodosium aliquot ante annis præcesserunt, monumenta, Provinciarumque, & præfectorum, & Ordinum, & Manipulorum omnium, qui tunc Romano Imperatori parebant, quondam veluti rationario nomina & insignia descripta. In his videas Præfectorum abacos passim cum candelabris superimpositis figuratos, in plerisque etiam ara est in magni procerique tripodis speciem ex ære fabrefacta: quod nimirum ad hujusmodi dignitatis participationem referri debet. D

## DOCTORES. Cap. XI.

*Matth. 5.* IN Divinis literis sæpe invenias disciplinarum professores, mysteriorumque interpretes, morumque moderatores, per lucernam intelligi, quam Assertor noster hieroglyphice monet super candelabrum statuendum, ut domesticis omnibus illucescat, discussisque tenebris ad obeunda munera cuique sua lumen subministret. Addit & alibi, non occultandam esse lucem hanc, sed in frequenti quovis hominum cœtu proferendam. Quicumque igitur lucem de se daturus est, debet prius omnium vitiorum sordes perpurgare: neque enim unquam charum præstabit lumen fæculenta materia. Quod si lux vertatur in tenebras, ut recte Climace sua Scholasticus, tenebræ ipsæ, hoc est, homines ii, qui sacris initiati non sunt, in quantam tenebrarum profunditatem conjecti cæcutient, atq; hallucinabuntur.

SPLEN-

## SPLENDOR NOMINIS. Cap. XII.

A ANtiqui omnes lumen pro homine, qui vel ingenii vel corporis viribus fretus præclara facinora edidisset, hieroglyphice ponere consueverunt. Unde Maro, *lumina tot cecidisse virum* dolet. Et eadem synepeia: *Geminos terrarum lumine Reges*, vir, quem citare minime pigeat, eloquentissimus Pontanus posuit. Sed nostra potius afferamus. *Paravi lucernam Christo meo*, legas Psal. 132. ibi interpretes per lucernam, gloriam exponunt, hoc est, splendorem nominis, præclaramque famam, & victuram in illustri luce posteritatis suæ celebritatem. Alii tamen per lucernam Evangelium intelligunt, alii Joannem Baptistam, qui etiam *Lucerna ardens* dictus est. Lucernæ quippe erant & alii Prophetæ, sed illunes propemodum, quia ænigmatice fere omnes loquebantur. At Joannes manifestissima declaratione Christum ipsum intento digito commonstravit. Eucherius plerumque bona opera per lucernam in Divinis literis accipi tradit, unde dictum sit Evangelio: *Sic luceat lumen vestrum, ut videant bona opera vestra*. Matth 5.

*Æn. lib. 10. Hinc officere luminibus dicuntur, qui gloriam alterius obscurant, metaphora à Plin. in 3. l. ff. de servi. urb. præd.*

## MORTES DUÆ. Cap. XIII.

B CUm vero in hominibus duæ sint occumbendi rationes, una quæ vi fit, altera quæ natura ipsa contingit; extinctum idemtidem ignem, vi violentam mortem significare dicebant, cum scilicet quis, uti superius dicebamus, manus sibimet inferret. Quantum vero pertinet ad mortis rationem, quæ natura fieret, esse hujus simulachrum volebant ignem, quem ita sponte deficere permisissent: cautum enim erat lege, ne cui prorsus ignem extinguere liceret, neque quidem alimenta adjiciebant, ne frustra nutriretur: extinctum porro nulli ex mulieribus licebat intueri. Sed qui veterum instituta eludunt, non alia de causa cultum apud Romanos ignem asserunt, quam apud Ægyptios vel Canis, vel Crocodilus, vel Lupus enutriretur.

*Mortis naturalis imago.*

## PIETAS. Cap. XIV.

PLerisque vero monumentis ignis est pietatis hieroglyphicum. Quod si inferiora hæc ulla nos superioribus conciliare possunt, nihil est quod majore sit cum animo similitudine cum lumine polleat, & illustret omnia, ac perinde genios ac Deum ipsum nobis repræsentare videatur. Adde C quod, nihil aliud viventi magis congruit animali, animal & ipse à nonnullis existimatus: non ea tantum de causa, quod ut animalia cætera nutriatur, imo etiam omnivorus sit & insatiabilis, sed quod etiam sensu pollere videatur, quod tunc præcipue cum extinguitur apparet: quippe qui veluti principii vitalis expers minime sit, inclamat, excandescit, ulcisci studet, reluctabundusque resistit, veluti reliqua faciunt animantia, quæ violenta morte perimuntur.

## PERDITIO. Cap. XV.

IGnem alioqui belluam animatum esse Ægyptii ferebant, quæ quidem omnia absumeret, omnia depasceretur. Hinc apud aliquos videas ignem symbolum esse perditionis, cum ita omnia consumat. Animal vero esse indicio est, mori eum deficiente pabulo: quare, ut alibi dictum, cadavera apud illos cremare nefas: utpote quæ ita belluis devoranda tradi viderentur, ideoque in ignominiam combustum Amasios cadaver à Cambyse.

*Ignis cur dictus sit animal.*

## BELLUM. Cap. XVI.

D USitatissimum etiam est ignem pro bellorum significato ponere. Hinc Hieremias ollam succensam videt ad Aquilonem: unde scilicet tot in universum terrarum orbem bellorum essent incendia motibus assiduis effundenda. Hinc *tanti incendia belli*, legas apud Maronem: & *Italiam ardere bello*, apud Ciceronem. Hecuba vero face prægnans, ignes enixa jugales est, in futuri belli, quo patria caperetur concremareturque, significatum. Aruspices enim ignem in hujusmodi sæpe portentum accepere. Cujus non ignarus disciplinæ Virgilius, de Lavinia, cujus causa bellum adeo funestum excitandum erat, ita cecinit:

*Æn. lib. 1. Hecubæ partus igneus.*

*Præterea castis adolet dum altaria tædis,*
*Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,*
*Visa* (nefas:) *longis comprendere crinibus ignem,*

*Æn. lib. 7.*

*Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,*
*Regalesque accensa comas, accensa coronam*
*Insignem gemmis, tum fumida lumine fulvo*
*Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.*
*Id vero horrendum, ac visa mirabile ferri.*
*Namque fore illustrem fama fatisque canebant*
*Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.*

*Postremi duo versus arguunt gloriam una cum armis.*

## SIGNA MILITARIA. Cap. XVII.

*Sic Galli vexillum Auriflammeum quōdā in prælio cælibus præferetāt.*

APud Romanos inter alia militaria signa nonnunquam & flammulas rufas invenio gestari solitas, fuisseq; flammam prosperi eventus signum ubique legas: veluti pugna quam Romani cum Sabinis ad Heretum commisere, ubi ferunt militares Romanorum hastas ad altam noctem pertinaciter ardere visas, nec, cum omnia consumat flamma, ex iis quicquam esse detritum: quo facti audentiores, veluti Deorum aliquis victoriam pollicitus esset, ubi primum illuxit in Sabinos illati, qui multitudine longe præstabant, insigni eos victoria profligarunt.

## UMBRÆ. Cap. XVIII.

HInc etiam superstitibus animis umbrarum nomen, quia fumus adhuc vel torri carbonibus pertinaciter inhærescens, diutius vaporat, nutrimento adhuc residuo. Vulgo enim creditur eorum diutius errare animas, qui ante diem violenter occubuerint. Quare ita Dido Maroniana minitatur,

*Æn. lib. 4.*

*—— Sequar artis ignibus absens,*
*Et cum frigida mors anima seduxerit artus,*
*Omnibus umbra locis adero.*

## MULIERIS AMOR. Cap. XIX.

*Amor inconstans.*

APud Onirocritas legere est lucernam ardentem esse mulieris signū, quæ sit amore capta, propterea quod levis, inconstans, & infirmus admodum sit earum amor, qui lucernæ instar, minimi flatus impulsu extingui potest.

## LUCUBRATIO. Cap. XX.

*Meminit Varro l. 1. de ling. La. Hinc τοῦ λύχνου ὄζει. Lucernam olet.*

VUlgatissimum vero est lucernam pro lucubrationibus ponere, unde Demosthenis illæ ac Aristophanis Grammatici, & Cleanthis lucernæ celebratissimæ, atque illa Epicteti tam frequenter à nostris & à Græcis authoribus decantata, ut nulla apud omnes celebrior, nulla pretiosior habeatur. Sane quidem à Pythea objectum Demostheni quod ejus enthymemata lucernam olerent: quippe quod is nihil ex tempore diceret, sed meditatione & vigiliis singula elucubraret: neque segnis in respondendo Demosthenes, qui non eodem pretio sibi & illi constare lucernam subjecerit, nocturna scilicet illi convivia exprobrans, quibus ille plus indulgeret, quam Demosthenes studio. Æschines quoque nimiam hanc hominis diligentiam incessans, λογογράφον eum appellat, sive quod semper, uti dictum, ex scripto diceret: sive quod, ut nonnulli ajunt, in utriusq; partis favorem aliquando scriptitarit. Unde jocus ille apud Aristoph. Irene, de lucernarum fabro, & quod omnia jam consilia sint ad lucernam consultaturi. Sed ut ad lucernam redeamus, Plato cum summi boni, qua poterat cognitionem pervestigaret, id minime explicare posse contendit, sed ex diutino contubernio, tanquam ex igne statim prosiliente, succensum ait lumen animam irepere. Sed longe ante Platonem magnus dixerat Propheta: *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.* Et, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et, *In lumine tuo videbimus lumen.* Hinc illa Esaiæ celebris adhortatio: *Illuminare, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum,* & pleraque hujusmodi de adventu Jesu, qui verum & unicum est lumen. Passim vero apud hos ignis fidei symbolum est, lucerna scientiæ, quas in manibus habendas divina institutione commonemur. Et Psalmo 18. illuminandam à Deo lucernam prædicitur, ubi nonnulli interpretes per lucernam, intellectum, per tenebras corpus exponunt. Cedunt vero tenebræ, ubi veræ scientiæ lumen effulserit. Quod vero pro lucubratione lucerna accipiatur, in causa sunt nocturnæ vigiliæ, quæ meditationi maxime commodæ sunt, & ad excogitandum

*Ignis fidei symbolum. Demosthenes scilicet, tum quod descripto diceret, tū quod ὑδροπότης, & abstemius. Vel etiam à bene sapiendo.*

propter

A propter silentium aptissimæ. Unde illud, plus olei, quam vini quosdam absumpsisse, qua de causa Poetæ noctem εὐφρονὴν, à meditationis promptitudine vocitant. Epicharmi dictum est, si quid scitu dignum quæras, nocte meditandum: & ut semel dicam, nihil ad studia nocte commodius. incongruum lucubrationis symbolum est lucerna, cum præcipue frequens Ægyptiorum mos fuerit, per instrumenta sæpius eorum usum significare.

*Plut. in Symposiacis. Deca. 7. Addit ad hæc apud Lacedæmonios fuisse νυκρίτιον ὀν σύλλογον, nocturnum conventum gravissimorum. Et Maro Georg. 3. Uritque videndo fœmina. Æn. lib. 4. Ibidem. Amor cum facibus & alis cur.*

## DE FACIBUS. Cap. XXI.

ADdemus lucernæ faces, utpote quæ in eundem cum lucerna veniant usum: nam & Cicero aliquid se ad ligneum lychnum non sine delectatione scripsisse profitetur.

## AMOR. Cap. XXII.

ÆGyptii sacerdotes, qui odium per aquas intelligebant, sub hoc tamen nomine mare ipsum accipientes, per ignem amorem exprimi voluerunt, ideoque faces passim Cupidini dedicarunt: notum enim illud de amore captis, uri eos intimis medullis. Et apud Maronem: *Regina cæco carpitur igni.* Alibi: *Est mollis flamma medullas.* Atque eadem: *Uritur infelix Dido: Ardet amans Dido.* Cyrus apud Xenophontem, ignem ait urere homines, qui eum tangant: amorem vero non præsentes tantum, verum etiam longe absentes inflammare. Meritoque Porcius Licinius dixit hominem ob amorem non esse ignitum, sed ipsum ignem, cum ait: *Quæritis ignem? ite huc: quæritis? ignis homo est.* Vulgatum & Isidori dictum authoris Græci de amore loquētis, ea de causa cum facibus & alis amorem pingi solitum, quod nonnunquam cupiditate impatientius exurat, nonnunquam vero præ satietate abvolet. Nam & Propertius alas illi in hujusmodi usum, traditas arbitratur, ut ejus ostendat instabilitatem, dicens:

*Idem non frustra ventosas addidit alas,*
*Fecit & humano corde volare Deum.*
*Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,*
*Nostraque nos ullis permanet aura locis.*

Sed cum amorem firmissimam in se uno tantum posuisse sedem indicare velit, ita subjungit:

*Sed certe pennas perdidit ille suas.*
*Evolat is nostro quoniam de pectore nusquam,*
*Assiduusq; meo sanguine bella gerit.*

*In Opere.*

Sed quod ad faces pertinet, Hesiodus cum terram, aquam & aerem genitos posuisset, quarto loco amorem genitum subjecit, per quem interpretes hieroglyphice igneum elementum intelligunt.

## AMOR MUTUUS. Cap. XXIII.

DUæ faces vinculo constrictæ divaricatæque, nimirum indicia sunt amoris mutui, quæ Græci ἀντέρωτα dixerunt, uti ἀντίθεον πολύφημον Homerus. Finguntur vero hæ accensa parte sursum versus erecta.

*Odys. lib. 1. vers. 70.*

## AMATORES MORTUI. Cap. XXIV.

QUæ si pingantur inversæ, amatorum funera indicant, ut in Elegia, qua Tibulli mortem deflet, Naso legere est.

*Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,*
*Et fractos arcus, & sine luce faces.*

Sed rem Ægyptiacam, qua ratione quis evasisse de amoris ergastulis indicare possit, in Erycinæ Veneris templo sculptam, idem admonuit II. de Amoris remedio:

*Est prope Collinam templum venerabile portam*
*Imposuit templo nomina celsus Eryx.*
*Est illic lethæus amor, qui pectora sanat,*
*Inq; suas gelidam lampadas addit aquam.*
*Illic & juvenes votis oblivia poscunt,*
*Et si qua est duro capta puella viro.*

Erycinæ vero Veneris templum non tantum loco hoc ad Erycis filii memoriam respicere videtur, quam

quam verum tacite innuit Græci nominis significatum, hoc est, asserticis, quippe ab ἔρυκω & ἔρυμαι, assero, libero, defendo: unde ἔρυμα, munitio, propugnaculum. Inde etiam Eryci epitheton celsus, quod editioribus locis arces olim fieri solitæ.

## NUPTIÆ. Cap. XXV.

*Romanorum mos in nuptiis.*

ERat & nuptiarum index fax illa, quam prætextatus puer apud Romanos patrimus matrimusque præferebat, duobus aliis ejusdem ordinis & conditionis nuptam deducentibus. Noctu autem prima aut secunda hora ducere mos erat, ominis causa: quod ita optima ac secundissima eventura sibi proponebant: quod nonnulli tradunt in honorem Cereris institutum. In hoc autem sacro ea superstitio accesserat, ut fax ea ab utriusque amicis raperetur, perfuncto munere, quod ea incesserat religio, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulcro comburendam curaret: siquidem utroque mors propinqua alterutrius captari putabatur: Addemus, tametsi παρὰ ἔρχομαι, institutum apud Romanos fuisse, ut virgo, cum ad virum trahebatur, de matris gremio, aut alterius, quæ proxima necessitudine esset, rapi simularetur: eo scilicet omine, quod ea res feliciter Romulo cessisset. Hinc illa apud Catullum:

*Hesperе, qui cælo lucet crudelior ignis,*
*Qui natam possis complexu avellere matris,*
*Complexu matris retinentem avellere natam.*
*Et juveni ardenti castam donare puellam:*
*Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?*

*Græcorum mos in nuptiis. Euripides in Troadibus id tribuit Vulcano.* Ἥβαισε δαδοχεῖς μὴ ἐν γάμοις βροτῶν, id est, *In nuptiis mortalium Vulcanus fers faces. Æneid. l. 4.*

Sed ut ad facem revertamur, apud Græcos ad id ministerii ancillæ adhibebantur, ut cernere est in Herculis Scuto apud Hesiodum: opus enim id antiqui illius esse Apollonius & Stesichorus agnoscunt. Ibi novam nuptam plaustro vectam videas:

Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας αἰόλυφαζε — χερσὶν ὑπὲρ δμώων.
*Ardentes late spargebant lumina tedæ,* — *Quas manibus famula gestabant.*

Quamquam moris etiam invenio apud Græcos fuisse, ut mater nuptiales eas faces prætenderet, unde apud Euripidem:

ἐγὼ δ' ὅτε σοὶ πυρὸς ἀνῆψα Φῶς
Νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πέπῃ μητρὶ μακαρία.
*Atqui nec ignis prætuli lumen tibi,*
*Nempe ut beatam in nuptiis leges monent*
*Decere matrem,*

Æneas apud Virgilium cum se maritali conjugio devinctum abnegaret, ait:

*Nec conjugis unquam Prætendi tædas.*

## CERES. Cap. XXVI.

ET etiam Cereris gestamen fax, in ejus enim manu alicubi cernitur, quam ajunt ab ea incensam in Ætna, cum filiam perquirere instituisset.

## ILITHYIA. Cap. XXVII.

QUinetiam Ilithyiæ hieroglyphicum est, cum face in una manu, altera passa & exporrecta, a capite ad pedes tenuissimo panno contectum, prout apud Æginenses fuisse Pausanias meminit. Fax vero illa, vel partum, ob dolorem ignis violentiæ assimilari ostendit: vel lucis illius quam nascentes indipiscimur indicium est. Exporrecta discapedinataque manus eo significato ponitur, quod solvi gravidam partu dicimus. Amictus per se patet.

---

## DE THURIBULO ET PHIALA. Cap. XXVIII.

QUoniam vero multa super Urna prius & Phiala dicta fuerunt, contrariaque his addita Lucerna, & Faces, consentaneum est visum, ut quid utrumque simul junctum significet, videamus. Propositа autem sunt pro hieroglyphico Thuribulum & Phiala.

DISCOR-

## DISCORDIA. Cap. XXIX.

A Sunt enim qui thuribulum, aut aliquod aliud vas igniarium cum aquario pictum, unde scilicet ignem & aquam ineſſe perſpiceretur, quippe ſi ex uno ignis promicaret, in altero aqua deſidere, discordiæ ſignum eſſe tradant: quod ea naturæ ſint maxime contrariæ. Unde *Ignem aquæ permiſcere* dictum de iis, qui ſe ea præſtituros pollicentur, quæ fieri nequaquam poſſint. πῦρ ὕδατι, ἢ μίγνυσθαι. *vas.* *Nimirum* ἀδύνατα. *Proverbium.*

## PURITAS. Cap. XXX.

Sedenim Ægyptii ſacerdotes per ignem & aquam, quippe thuribulum & phialam, labes maculaſve deterſas elutasque optime ſignificari volebant: quin etiam ignorationem hallucinationemque doctrinæ ope ſummotam, ubi præſertim ita illæ officerent, ne quis diſcernere aut internoſcere potis eſſet, ubi veritas latitaret, quod per hujusmodi elementa rerum omnium defæcatio peragatur, ac puritati ſuæ reſtituatur, ut qualis ſit appareat: aqua enim maculas eluit, quæ vero aqua efficere non poteſt, ignis exequitur. Hinc illa apud veteres aliarum quoque gentium appellata *Sufficio*, quotiens qui funus proſecuti fuerant, quod pol uti haberentur, ignem aqua ſparſi ſuperingredi conſuerunt, purB gationem ſcilicet hinc fieri perſuaſum habētes, & quavis pollutione infectos ita liberari. Unde nonnulli per aquas quæ ſuper cœlos ſunt, purificatorias virtutes, ut ait Ambroſius, interpretati ſunt. Aquas vero ſuper orbes ætheris eſſe, idem die ſecunda validiſſime contendit. Docte autem Catullus cum in aqua puritatem hanc intelligeret, dixit, *Aut quilibet, qui puriter lavit dentes*, hoc eſt, aqua ſola lavit, unam eam allutionibus aptam non ignarus, humores vero reliquos aut inficere, aut medicamentum eſſe. Ignis autem, ut noſtri veteres tradidere, purgat, aqua expiat, luſtratque. Hinc ille Plautinus jocus Aulularia.

*Sufficio.*

*Quid impunte, quamquam Volcano ſtudes,*
*Cœnæ ne cauſa, aut mercedis gratia.*
*Nos noſtras ædes poſtulas comburere?*

Et apud Lycophronem legas Thetim indignatam ſe Deam mortali Peleo in matrimonium collocatam, filios quotquot oriebantur in ignem exurendos conjicere ſolitam: quod ita rebatur mortalitatem exuri, & quod immortale eſſet perpurgatum conſervari, veluti aurum ære confuſum ignis ope C purgatur poſteaquam quicquid admixtum erat æris, in fumum & ſcoriam verteri. Atque ita ſex jam filios abſumpſerat, donec ad Achillem ventum, quem pater ſuperveniens ab igne exemit, Chironeque curandum commendavit. Sacræ vero literæ apud nos Deum eſſe ignem conſumentem aſſerunt, igneoſque fluvios hunc præcedere: quin & eundem ipſum inſtar ignis omnia conflantis incendere: in quo nimirum nequitiæ intelligetur, quæ à Deo conſumatur, cum omnis ab eo ſit purificatio: nempe unumquodque opus quale ſit probat ignis. Referta autem eſt natura humana tum plumbo, quo animi noſtri pergravati ad terram inclinant: tum aliis impurioribus metallis, quæ rubiginē inducūt, vel auri & argenti naturam adulterant, ut ait Adamantius: quare divino illo igne opus eſt, ut quæ undequaq; immixta eſt animi nequitia deleatur. In quam ſententiam peccanti populo dictum in ſacris literis: *Habes carbones ignis, quibus inſidias, hi erunt tibi in auxilium.* Sed nuſquam apertius quam in Eſaiæ viſione purgatio hæc oſtēditur, ubi unus de Seraphin à Deo mittitur, qui pruna de alteri incenſo forcipe apprehenſa, Eſaiæ labra tetigit dicens: *Ecce abſtuli iniquitates tuas, & peccata tua circumpurgavi.* labia enim immunda ſe habere profatus erat, & in medio populi labia immunda habentis habitaD re. Transfertur nimirum ignis ad thuribulum, per quod in Divinis literis linguam Dominicam intelligunt, lingua vero ignis, in quo Spiritus. Unde David, *Carbones ſuccenſi ſunt à Deo*, qui ſcilicet nos calefaciant ad pietatem, impellantque mentis noſtræ impetum ad doctrinam Dei, ut oratio noſtra in conſpectu ejus tanquam thymiamatis odor aſcendat. Aromata enim ſuper ignem impoſita, hieroglyphice orationem ſpiritalis doctrinæ ſignificant, ut traditum à Theologis oſtendit Hieroſolymitanus Heſychius Præcipue vero thus gratiarum actiones & oblationem ſignificat, non ſolum quia dicatum eſt Deo, ſed quia, ut Medici dicunt, multas oculorum ſanat ægritudines. Quod vero thus, idque luciditſimum, ſuper XII. propoſitionis panibus XXIV. Levitici poni jubetur, LXX. Sal reddiderunt, quod Apoſtolorū doctrinam ſignificaret: illi enim Sal terræ. Hebraica tamen lectio *Lebon* habet, hoc eſt, thus. In iiſdem Divinis literis mentio fit de carbonibus deſolatoriis eos eſſe dici Eucherius, qui

*Thetis indignatio.*

*Acq; ab eo tempore diſtus Pyriſcatus tamquā ab igne ſervatus, & Achilles, quod Peleo labro careret.*

*Deus ignis conſumens.*

*Aromatum hieroglyphica.*

*Ut Dioſcor. lib. 1 c. 79. ubi Matthiolus. 9. Galenus etiam lib. 7. ſimpl. Medicam.*

peccata dissolvunt: hujusmodique fuisse illum, qui ad labia Esaiæ Prophetæ appressus est, ut quæ is à contraxerat vitia, perpurgaret. Ponuntur etiam pro igne charitatis, aut exemplorum, aut pœnitentiæ: quamquam de coronibus his aliter in Junipero traditum. Facit ad hunc locum id etiam, quod Ezechielem legimus, Deum uti corpus visum, à cujus lumbis vero usq; ad pedes membra omnia igne conflagrabant, à lumbis vero usq; ad caput electri species erat, quo nihil magis est hieroglyphicum. Nimirum indicat hoc, renes lumbosque, & quæ partes ad terram tendunt exurendas esse: illecebras quippe, nequitiam, & voluptarios affectus omnes perpurgandos ita enim quæ à renibus supernè existunt, supraq; mollitudinis & nequitiæ opera attolluntur, in purissimam electri materiam evadent: electrum enim auro pretiosius esse contendunt. Si nostrum igitur corpus Dei corpus esse volumus, vitia ejus igne percrememus: eo quippe quem Deus immittit, ut ita sordibus exuti, loti, perpurgatique, electri speciem per ea, quæ ad sapientiam pertinent, exhibeamus.

## VESTA. Cap. XXXI.

DUplex vero apud veteres erat ignis consideratio, quippe qui materialem hunc nostrum longe diversum à superiore illo dictitabant. Eum sane in sublimi positū, Volcanum appellantes, quasi Volicanum dicere voluissent. Vestam vero ajebant domesticum hunc nostrum esse, ut alibi dictum authore Varrone: quamvis Ægypti translucidum & purum illum ignem Palladē esse volebant, hunc vero, qui materiæ applicitus est, Vulcanū intelligebant. Sed hujus argumenti consideratio examinatur in Vulture locupletius. Quantum autem pertinet ad Vestam, simulacrum ejus strongilari figura, obrotunda quidem, & in acutum prominente, quæ circa modios humeros resideret, cujusmodi est coagmentatæ figura erræ. Eadem & sedentis habitu statuebatur, & apud Græcos ἑστίαν παρὰ τὸ ἵστασθαι, τὸ ἰδρύσασθαι, quod sedes ponere significat, appellatam ajunt. Sessum vero ad divinitatis perpetuitatem spectare, alibi commodius differendum est. Quod vero περὶ τὸ ἰδρύσασθαι dicebamus qui vulgi dicta confectantur, ab ea tradunt ædificationis principium esse. Scriptores enim rerum affirmant artes nullas à mortalibus inventas, priusquum ignis repertus esset, quo deprehenso, ejusq; usu cognito reliquæ omnes artes inde in dies magis ac magis profecere, cum unusquisq; ignis commoditate adjutus novi aliquid semper excogitarit, & modo hoc, modo illud opus mortalium usui propositum.

*Nec tu aliud Vestam quam vim intellige flammam Ovid. lib. fast. 6.*

## NUPTIALIA, VEL PURITAS MARITALIS. Cap. XXXII.

QUod vero purificatione super dicebamus, nonnulli ajunt inde sacris nuptialibus ignem & aquā præferri solitam: nam & hujusmodi donaria novæ nuptæ apponebantur, quæ scilicet uxorē puram & castam permanere oportere docerent. Qui vero instituti hujusmodi rationem altius rimātur, naturæ vicem hinc intelligi interpretantur. Ignem siquidem ajunt actionis vim obtinere, & agendi elementum esse: aquam vero patiendi. Hinc Philosophi non defuere, qui rerum formas ex aqua per admixtionem ignis produci existimarint, atq; ita auspicatissime ignis & aquæ sacramento nuptiarum fœdera sanciri. Apponebantur vero hæc in limine domus, qua sponsus & sponsa intraturi essent, ut ea oblata species, memores eos redderet quorsum essent hujusmodi sacris initiati:

*Ex aqua & igni rerum formæ.*

## ÆRUMNÆ. Cap. XXXIII.

SEdenim Græcus Poeta quidam acerbe nimium rem hujusmodi interpretatus est, cum dixit:

Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία,

tria quippe accidere mortalibus ærumnosa, mare, ignem, & fœminam. Et Theologi nostri ignem in Divinis literis pro ærumnis & calamitatibus quæ probent hominis fortitudinē, poni dicunt, in eamque sententiā dictum autumant Psal. 66. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, quodque ibidem est: *Transivimus per ignē & aquam*, calamitates quaquaversum ingruentes, omneq; genus ærumnarū uno impetu effusum intelligi volunt: quasi nihil jam atrocius, neq; miserabilius esse possit, in ullo malorum genere, quod exantlatum non esset: alterum enim horum atrocissimo cruciatu conficit, alterum inimicissimo animæ mortis genere suffocat: quippe quæ cū ignea sit, nihil indignius pati se posse putat, quam per adversarii sui violentiam exturbari. Ita & illud in Evangelio, *Frequenter eū & in ignem & in aquam misit, ut eum perderet*, quod pro periculosis eventis positum ait Eucherius.

*Dudum à M. Catone Censorio usurpatum Sic & D. Petrus epist.*

NECES-

## NECESSITAS. Cap. XXXIV

SEd ut ad nuptias revertamur, longe honestius Metellus, qui de uxore ducenda sententiam interrogatus, uxorem esse malum haudquaquam inficiatus est, malum tamen id esse necessarium: igitur per ignem & aquam necessitatem interpretabimur, quæ ducere uxores jubet, non tantum ob sobolem, quæ præcipua causa est: verum etiam ut sit, quæ domus & familiæ totius cura susciplat, & quodam veluti gubernaculo administret ac regat. ἀναγκαῖον κακόν.

## VITA. Cap. XXXV.

UT cumque vero senserint alii, scimus ignem & aquam vitæ prius auspicia dedisse, vitamq; quandiu vitales auras carpimus, conservare. Quis vero ignorat, sine maritali copula brevi periturum esse humanum genus omne, cæterorumque animalium species desuturas? Quare exules, qui vita censebantur indigni, aqua & igni privabantur. Sane Poetæ cum fingunt Saturnum amputasse genitalia patri Cœlo, eaque in mare abjecisse, indeq; natam Venerem, id significare volunt, igneum semen admixtum cum humore, generationis fuisse principium, *Conjugii necessitas. Quia humido & calido constat humana natura & vita.*

## CONJUGII COMMODA. Cap. XXXVI.

NOn absurde etiam voluptatem & usum, quæ soleant ex uxoria consuetudine, unanimiq; concordia percipi, qualem Homerus mirifice commendat: per hujusmodi ignis & aquæ fercula interpretabimur, cum nihil feresit in rerum natura igne jucundius, nihil utilius aqua, quæ sola ex rebus omnibus necessitatibus innumeris opem affert, quare aquam Pindarus *Optimam*, Aristotele etiam comprobante, nuncupavit, igneum etiam ardorem auri pari elogio prosecutus.

## MAJORIS LUMINIS VIOLENTIA. Cap. XXXVII.

ET ne longius à Pindaro recedamus, argumentum is pulcherrimo hieroglyphico submínistavit, Ode Olympiorum prima, ubi fulgorem ignis celebraturus inquit, αἰθόμενον πῦρ ἅτε λαμπέπαις νυκτί: non ignarus scilicet, ignem soli expositum amittere omnem splendoris gratiam, quæ noctu suam habet commendationem. Elegantia igitur ingenia virtutem cujuspiam præstantioris alicujus interventu obnubilatam, labefactatamve, significare cum vellent, ignem Soli expositum, pingere cogitarunt: siquidem ignis splendor, ut palam est, Soli expositus, vim amittit suam, noctu vero prævalet, & ut in suo regno pervigescit. Atque hoc est quod Pindarus ait, λαμπέπῃ νυκτί.

## NUMEN. Cap. XXXVIII.

CUm tot igitur sint ex igne utilitates, totque magnarum & admirabilium rerum similitudines habeat, non immerito à Persis in primis, & Sacer, & Æternus vocabatur, quem quacumque rex exercitum duceret, magni numinis instar argenteis altaribus impositum præferebant. Super hoc Maximus Tyrius: *Persæ diurnum ignem adorant, nimirum divinitatis signum, insatiabilem, voracẽ.* Huic cum sacrificant, illi alimentum præbentes his verbis utuntur: *Ede, ignis domine.* Neq; Persarum tantum est ignem colere, ut idem Tyrius refert, sed Lyciorum etiam, apud quos Olympus ignem emittit, hunc sacrum habent. Ferunt autem ignis, quo Zoroaster conflagravit, reliquias tanquam ignis divini à cœlo delapsi, à quodam susceptas, ad Persas, ut perpetuis excubiis servaretur, esse delatas: atque hinc apud eos ignis cultum habuisse principium. Fuit vero Zoroaster is, ut à veteribus accepimus, Chamis filius, Mezraim nomine, qui Magia per manus à patre accepta, signa quædam, veluti Stellarum scintillas de cœlo deducere, & alia hujusmodi ostentare solitus, divinitatis sibi nomen asserebat, donec fulmine tandem ictus interiit: mortalium tamen imperitia, qui tunc erant, ita raptum eum fulmine & cœlo illatum credidit, mutatoque nomine Zoroastrum, quasi vivum astrum appellavit, subsecutaque deinde ætas omnia quæ fulmine tacta essent sacra existimavit. Sane Orpheus, à quo nocem alibi diximus Luminis parentem appellatam, æthera πύρπνοον vocat, quippe igneum spiraculum. Euripides autem *Vides excelsum qui illum infinitum ætherem, & terram undequaq; circumplectitur humentibus ulnis, hunc crede Jovẽ, hunc arbitrare Deum.* Quem secutus Ennius: *Aspice*, inquit, *hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovẽ*, Veteres hunc Diespitrem, & Lucetium dixere. Græci ζῶα, à ζῶ quod *Persarum super igne religio, & Lyciorum. Zoroaster quis. Macro. Saturn. l. 1. c. 15.*

quod vivere est. Unde Joan. *Vita erat.* Plato Cratylo Διὸ dum vocat, transfert ad præpositionis vim, ut Joannes idem: *Per quem omnia facta sunt.* De splendore vero: *Et erat facies ejus sicut Sol*: ut apud Malachiam: *Orietur vobis timentibus Sol justitiæ.* Sed quæ plurima pertinent ad Solis hieroglyphicum, cum ea commodiore loco plenius dicta sint, in cœlestium corporum commentario, breviter hæc tacta sufficiant. Quam vero attonita propemodum veneratione apud Persas coleretur ignis, ex eo manifestum est, quod gravissimus apud eos mos supplicandi fuit, cum quis igne in manus accepto supplex interminabatur, eum se in aquam injecturum, si voto excidisset: non esse illi fas ducebant eum rejicere, qui sic preces allegasset. Sedenim ut imprudentiæ nonnullorum modus imponeretur, neque ulli violandi ignis occasio permitteretur, lege sanxerunt, ut qui eo supplicandi genere usus esset, supplicio multaretur. Author Plutarchus.

*Romani quidem Lucetium à luce, Salii Sidelicet, Dispitrem, quasi diei patrem ut & Cretenses, Διὶ τλῶ ἡμέρᾳ. Macrob. ibidem.*

## TENTAMENTUM. CAP. XXXIX.

Fuit & apud quosdam è nostris populos, juramenti atque judicii species super ferro candenti, superstitiose potius quam pie per æditumos templi, in Livonia præsertim observata. Nam sceleris alicujus accusati, ad ferri candentis judicium vocabantur, & id subire nonnumquam vel invitis compellebantur. Id erat ejusmodi, ut criminis reus ferrum candens, è mediis prunis exemptum, in manus caperet accusatoribusque & judicibus ostentaret, sique adustione nulla subsecuta illæsus esset, absolveretur: Si autem vim eam pati non posset, objecti criminis ita convictus, damnaretur. Purgabant vero se prius jejuniis, confessione, & Eucharistia: mox ad horrificum illud experimentum accedebant: id, quia periculosum erat, & insontes aliquando ex eo condemnabantur, præcipue vero contra Christianæ pietatis mores erat, Deusque tentari videbatur, Honorius III. fieri per gravissimum edictum vetuit, ut Decretalium lib. 5. tit. 36. *de injuriis*, c. 3. habetur.

*Ad verbum à Plutarcho in libello cui titulum fecit. περὶ πεώτης ψυχῆς. Juramenti in Livonia observatum*

---

## DE FUMO. CAP. XL.

AC, ne fumum etiam prætereamus, postquam super igne multa diximus, quod fumi significatum esset, jam aperiemus.

## IGNIS. CAP. XLI.

ORtus à terra fumus, & in cœlum se attolens, ignem, ait Horus, significare perhibetur. Porro ignis Aristoteli nihil aliud est, quam fumus incensus, & apud Homerum totiens fumus expetitur, unde ignem ac mox habitabilem esse regionem conjicere detur. Eo vero hierglyphicum fumi tendere videtur, ut suspicionem aliquam non temere obortam esse intelligamus. Nam cum rumor aliquis in vulgus emanat, dici solet, *Absq; igne fumum nullum oboriri.* Et Petrus apud Clementem *Fieri minime potest*, inquit, *ut consurgat fumus ubi non sit ignis.* Quinetiã ubi Pindarus. Nemeis, inquit, ὁδὸς καπνῷ φέρειν ὄνον, certet aquam apposuisse fumo: fumum, ait interpres, pro igne posuit, ex sequela scilicet signum quod præcedit indicans. Et Psalmo 17. legas, *fumum ascendisse in ira Dei*, & vestigio ignem exarsisse, ubi quidam ajunt interpretes, invectum quidem primo in Dæmonis pervicacia comprimenda, mox ad vitia reliqua extirpanda aggressum. Alii fumum hoc loco initia futuræ compunctionis intelligi volunt, & ita sentit Eucherius, quod ad Ægyptiacum accedit hieroglyphicum: quamquam & Dei comminationes significare posse non inficiatur. Nam, ut etiam apud Plautum, *flamma fumo est proxima.* Quæ omnia nostri multo ante literarum monumentis mandavere. Sic Ecclesiastici 22. legas: *Vaporem fumumq; emanare in altum ante ignem*, ita & contumelias & minas sanguinis esse prævias.

*Plaut. in Curculion.*

## PERDITIO. CAP. XLII.

PErditionem multi per fumum intellexere, & mos est, opes divitiasque magnas, Regna, & unamquamque rerum amplitudinem. *In fumum abiisse* dictitare, cum ita consumpta fuerint, aut ita collapsa detecerint, ut ne vestigium quidem pristinæ majestatis relinquatur. Jocatur in hanc sententiam Horatius, ubi Mennium paternorum maternorumque bonorum abliguritorem omnia in fumum ac cinerem vertisse dicit. Ad hoc succurrit Demonactis Philosophorum omnium festivissimi dictum, qui à quodam interrogatus eludendi causa, ut pleriq; literatos ita tentare solent, quot fumi minæ ex mille

*Nepe Galli. Idem pollet illud Plautinum Á Ciceronc in L. Pisonem, è Trinumo.*

A mille lignorum minis combustis educi possent: *Cineres expendendos esse*, respondit, *reliquum in fumum abiisse*, quod ea ratione supputatur, qua Archimedes detractum fraude aurum à Redemptore ex votiva Hieronis corona deprehendit, de qua late apud Vitruvium. Quod vero ait Hesiod. *Argentum decoctum* οἴχεται.

Αἶψα δὲ πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο.

*Quamprimum fumo properes clavum imposuisse.*

præclari admodum interpretes, *Posteaquam combusseris*, exponunt: utpote qui nolit fratrem ulterius rei maritimæ dare operam, sed solam exercere agricolationem.

## SOLICITUDINES. Cap. XLIII.

SUnt tamen qui loco hoc Hesiodiano philosophari malint, & pro Fumo, vitæ nostræ solicitudines accipiant, quæ intellectum ac rationem ipsam obtenebrant. Difficulter enim posse nos pura sensuum claritate, hoc est, tranquillitate frui, ubi illa ingruerint quæ mentis oculos lancinent & cæcutire faciant.

## BONA VOLUNTAS PER ERROREM OFFUSCATA. Cap. XLIV.

SUnt qui per fumum bonam proficiendi voluntatem, quæ tamen sit erroris tenebris offuscata, interpretentur: cui si fomes adhibeatur, hoc est, si recta accedat institutio, flatuque verborum adjuvetur, ignem promicaturum, hoc est rectorum operum effigiem apparituram. Hinc Esaias, lignum, à quo vel tenuis admodum fumus exhalet, minime extingui debere præcipit: ubi fumus, tantillæ illius pietatis quæ sit in delicioso divite signum esse videtur: quam sententiam acutissimus etiam Scotus claro fretus lumine cognovit.

## IMPERITIA. Cap. XLV.

SAne fumus etiam imperitiæ symbolum, cum lumen sit doctrinæ signum, cujus contrarium est caligo ipsa: unde caligare errantes dicimus: fumus vero est, qui caliginem inducit. Transfertur & ad vitia, ut Alexandrinus Clemens: *Vitia*, ait, *veluti fumum immensum esse*, qui universam mundi hujus domum repleverit, atque hæc institutionem malam, sodalitates pessimas, consuetudinem improbam, colloquia prava, opinationes haudquaquam rectas invexisse: unde primum error, inde contemptus, tum infidelitas, atque militia, parataque semper ad nocendum versutia, avaritia, vana jactantia, atque alia hujusmodi exoriantur. *Vitia fumus immensus.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XLVII.

## DE IIS QUÆ PER LYRAM, ET ARMA QUÆDAM ALIA MUSICA SIGNIFICANTUR,

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD MARCUM MANTOUM JURISCONS. PRÆSTANTISS.

*Scribonii Libonis numisma.*

*SCribonius Libo, magnæ olim apud Romanos celebritatis, inter opera multa quæ magnifica & præclara posteris reliquit, numum eum argenteum signavit, in quo putealis, quod pro judiciali fecerat, exemplum expressit, victurum operis à se instituti monumentum. In eo vero multi non incuriosè quæritare solent, quid sibi velint lyræ ad singulos putealis angulos adsculptæ. Quorsum enim, ajunt, lyra ad litigiosa dissidia, discordesq; contentiones? aut quid putealis aquæ silentium & quies, ad ullam facit harmoniam, aut clamosi strepitum fori? Quibus ego respondere soleo, sapienter à Libone ornamentum illud eo loco excogitatum: utpote qui ob oculos ea posuerit, quæ his, qui locum eum frequentarent, & utilia & salutaria viderentur. Litigantibus quidem, ut concordia memores, ad pulcherrimum suavissimumque ejus fructum oculos intenderent, quo quidem nihil humano generi accidere possit utilius, neque commodius. Causidicis, si clientibus consultum vellent, congruentia susceptæ materiæ dicerent: ab iis quæ incongrua & discrepantia essent, abstinerent. Qui autem judicaturi consedissent, rationum & argumentorum, quæ allata essent, consensum, veritatem, aut non levem saltem verisimilitudinem acriter inspicerent. In cujusmodi sermonem cum proximis diebus apud communes amicos incidissem, evenit ut jucundissima tui recordatio è re nata surreperet, quod antea diu multumq; cogitaverã aliquod ex hieroglyphicis meum commentarium tibi (Marce præstantissime) deberi, quando te potissimum impulsore labor hic omnis susceptus est & exantlatus. Ipsa autem Lyra magis conveniens visa est, quam res alia quæpiam, quæ tibi donaretur, quam tu scilicet suaviter adeo, seu linguam causis acuas, seu civica jura respondere paras; concentu tam mirifico resonare facis, ut omnium mentes, tamquam Amphion alter, quoquo velis trahas: neq; sanè tantum moveas, sed vel adamantina destinatorum hominum corda, quotiens adlibuerit, arbitrio versis tuo, sive disertissimè discutiendo de cathedra intones, sive in foro agendo fulmines, sive mare terraeque publica vel privata tempestate perturbatas, clarissima ingenii tui serenitate tranquilles. Sed quoniam multi longe quam ego sim facundiores in laudes incumbunt tuas, ego ne decus tuum culpa detenum ingenii, ab aliorum me provincia cohibebo, & quod destinavi commentario procumbo.*

*Ab Horatio, epistola ad Julium Florum.*

---

### CONCORDIA. Cap. I.

IGitur, ut palam est, Romani veteres per Lyræ hieroglyphicum concordiam figurarunt, cujus tamen alia quoque sunt significata, eaque multis antiquorum tum Poëtarum, tum Philosophorum præconiis celebrata: sed nos ea tantum seligemus, quæ ad hieroglyphicum institutum facere videbuntur: tamen, ut meus est mos, si res exigere videatur, numum, quo de meminimus, diligentius examinabimus. Ejus inscriptio est, Paulus Lepidus Concord. à cujus altera parte legitur, Puteal Scri. on. Libo. Ibi figuram Putealis videas, de quo scriptores plerique meminere. Hinc autem à singulis angulis Lyræ appensæ sunt, co



*Liboniani numi hieroglyphica interpretatio.*

rymbis

A rymbis & sertis medio intervallo dependentibus. Ajunt vero Libonem primum tribunal & subsellia prope Arcum Fabianum collocasse. Hinc Horatius: *Forum putealq; Libonis mandabo siccis*: quia scilicet forensia præcipue sibi deposcunt sobrietatem. Et Ovid. de remedio: *Epist. lib. 1. epist. 19.*

*Qui puteal Janumq; timet celeresq; calendis.*

hoc est, qui se rapi timet in jus, & qui alienum pascit æs, quod scilicet calendis singulis efflagitatur. Neque illud dissimulandum fuerit, in numi ipsius inscriptione duo esse observatione non indigna in Scribonii nomine ꝏ literam jacentem atque supinatam, & PAULLUS gemino LL, notatum ex Terentii Scauri sententia atque præcepto, neque non ex antiquorum usu, quod in plerisque monumentis observavi: neque proprium tantum nomen, verum & adverbium PAULLUM eadem lege scribendum Grammatici veteres censuere, ut illud Romæ: HOSPES QUOD DEICO PALLUM EST ASTA ET PELLIGE: & hujusmodi pleraque.

## JUDICIUM COMPOSITUM. CAP. II.

B ATque illud in Lyra præcipuum, quod hominem compsiti judicii, quique aures eruditas haberet, significabat: ea siquidem diversas componit voces & concordi omnes tono temperat: quod munus in diversæ rationis affectibus componendis videtur homo præstare, ut non immerito Diogenes Cynicus carpere sit solitus Musicos, qui cum Lyræ chordas congruenter temperarent, animi mores inconcinnos haberent. Eadem mordacitate Isidorus Cynicus Neronem transeuntem in publico clara voce corripuit, quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona malè disponeret, neq; ullum in vitæ tenore temperamentum adhiberet. *Ἀνάρμοστα δὲ ἔχειν τῆς ψυχῆς τὰ ἤθη. D. Laer. in D. Cynico. Suet. in Nerone capit 39. Pausanias in Eliacis prioribus. Mercurius cum Lyra quid.*

## INÆQUALIUM CONCORDIA. CAP. III.

STatuebatur & in Mercurii manibus Lyra, idque hieroglyphicum ostendebat, concentum omnem ex vocum inæqualitate constare: concentus vero hominum est, cum variæ voluntates in consensum unum contrahuntur. In C singulis vero mortalium concentus ille est, quo quis beatitudinem assequitur, ubi scilicet res & congruenter temperavit, & ad amussim exploravit, Plato animam in Timæo concentum & concordiam vocat. Aristoxenus & Dicæarchus harmoniam dixerunt. Lyræ igitur merito dominus Mercurius,



*Æn. lib. 6*

*— Qui animas nunc evocet Orco*
*Pallentes, alias sub tristia Tartara mittat,* ut Maro.

## BONA DISCIPLINA. CAP. IV.

EST & Musarum insigne Lyra. Musas Eusebius à μυέω dictas arbitratur, quod significat honesta bonaque disciplina instituere: easque Orpheus & Proclus in hymnis religionem hominibus commonstrasse dicunt, quemadmodum D & Orpheo id attribuunt, ut suavisonæ testudinis concentu, hoc est, placidis & apte compositis verbis fera hominum corda mitigarit, agrestes mores expoliverit, & dispersos vagosque mortales in cœtum unum congregarit. Apud Aristophanem legas, per citharæ callentem, hominem sapientem, & Gratiis omnibus ornatum, à veteribus judicatum. Divinæ quoque literæ citharam pro morali virtute acceperunt, utpote quæ in actione consistat. Et in hujusmodi significatum Theologi dictum volunt Psalm. XLIII. *In cithara tibi confitebor.*



*Hinc Homerus cantorem morum correctorem appellavit Odys. lib. 3. Sic Plato animum harmoniæ nomine appellavit.*

RATIO.

## RATIO. Cap. V.

A

ATHANASIUS in iis quæ contra gentiles scripsit, rationem Lyræ comparavit, ubi de anima, mente & sensu disserit: quippe id Lyræ haud dissimile videri ait, quæ rectæ temperata sit, & Musico, qui eam resonare faciat, non imperito. Est enim in Lyræ nervis suus cuique sonus, gravis, acutus, medius, argutus, atque alius aliis. Concentus autem nullus discerni aut internosci potest, nisi fidicinis ars accedat. Tum vero modulatio & varia soni svavitas ostenditur, cum qui Lyram tenet, nervis increpuerit, singulosque apte percurrerit. Eodem modo, cum sensus in corpore sint tamquam Lyra compositi, si docta mens illis imperavit, discernet animus, quid absonum quid concinnum sit, quale sit unicuique rei temparamentum adhibendum, ut nihil denique facere, aut meditari aggrediatur, quod modulis & tonis non respondeat, unde concors concētus exaudiatur. Et nonnulli concordiam inde dici putant, quod chordæ variæ in unam conveniant harmoniam: tametsi alii concordiam à corde deductam malunt, qui Tullio innituntur Tusculanarum primo dicenti: *Alii cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur*, ut in Cordis commentario disputatum: eamque afferunt rationem, quod id locutionis in monumentis antiquis aspiratione careat. Qui chordis insistunt concordem à Græcis σύναυλον dici opponunt consuesque ajunt veteres elocutiones plerisque in Latinitatis usum receptis, adjectam consonantibus aspirationem summovere quatuor tantum admissis, quæ Scaurus enumerat.

*Concordia unde.*

B

## MATRIMONIUM CONCORS. Cap. VI.

SEd nos ut ad concordiæ significata redeamus, illud ex Onirocritarum disciplina deprompsimus, ut si quis nuptiarum tempore Lyram per somnium videre imaginatus fuerit, concordiam, id inter maritum & uxorem futuram significare.

## MUSICA. Cap. VII.

*Neronis numisma. Idq; adeo, ut citharam à judicib ad se delatam adoraverit. Suet in Nerone c. 12.*

QUæ vero Lyra est in Neronis numo, studium ejus in arte Musica, & victoriam ex certamine eo partam significare crediderim. Fidibus enim eum oblectatum ad insaniam usque, & in theatris Musica decertasse, non sine majestatis Imperatoriæ dedecore atque ignominia, Scriptores eorum temporum omnes prodiderunt. Nam is præter numos ea nota percussos, statuas etiam sibi citharœdico habitu posuit.

C

## POMPONIUS MUSA. Cap. VIII.

*Pomponii Musæ numisma.*

EST & Pomponii Musæ numus: à cujus altera parte muliebre signum est cum Lyra & Plectro, id quid sibi aliud velit, quam ejus cognomentum, non video: sive is Pomponius Poeta fuerit, de quo apud Plinium, sive qui in bello Mithridatico captus, cum multis vulneribus saucius ad Mithridatem adductus, interrogatus ab eo esset, an amicus futurus esset, si opera jussu regio daretur, ut curaretur: respondēs, *Si tu*, inquit, *populo Romano amicus fueris, aliter me quoque semper inimicum habebis.*

## AMOR. Cap. IX.

*Unde illud ἐμαυτὸς φιλέστερος μοι ἔφυς. Similitudo mater amoris. Ar. l. 8. Moral.*

QUoniam vero voluntatum, studiorumq; consensus atque similitudo amorem parit, celebratur à Platone Lyra inter amatoria monumenta; libro de Anima. Proclusq; ubi Venerem Cytheream ab Homero & Hesiodo appellatam exponit, adversatur Hesiodo, neq; dictam ὅτι περσκυμένη κυθηρεῖς, οἵδε μὲν δὴ τὴν κύθηρα, κυθηρειάδε ἡ καυπεμένην ἔχουσι ἑαυτῇ πόσις τῆς ἐρωτικῆς φιλίας. Non assentitur, inquam, Proclus ut Cythera dicta sit à Cytheris, ubi illi templum arœque tot frequentissimo mortalium conventu colebantur: quia inquit, κύθηρα vocantur insulæ illæ, & *alta Cythera* etiam apud Maronem, cujus scilicet vocabuli syllaba media per η vocalem longam perscribatur. Dictam vero Cythereamait, quod universæ consuetudinis amatoriæ vim intra se occulat. Nam & alii Cythereamab occultanda turpitudine dictam voluere, & illi in abdito templum fuisse alibi diximus. Lyra autem cum omnem in se suavitatem complectatur, quamdam cum Amore, cum Venere, cum Gratiis

*Æneid l. 1. Cytherea unde dicta. Hinc de Arte poetica Dictum*

D

A Gratiis similitudinem præ se ferre videtur, pariq; cum iis illecebra homines illectare. Demumq; hæc illa videtur Amphionis Lyra, cui sponte saxa etiam paruisse perhibentur: cujus rei mentionem facit Apollonius Argonauticis, & Antimenidas primo, donatamq; Amphioni Lyram eam dicit à Musis, quamvis Dioscorides ab Apolline, à Musis tamen etiam Pherecydes Hist. lib. 10. *& Amphion & Saxa mouere sono testudinis Lib. 1. Historiarū.*

## SEDATUS ANIMUS. Cap. X.

RIdiculum forte nostris videatur, si quis non unum hominem tantum armis instructum quippe Achillem cithara canentem pinxerit, verum & universum exercitum in aciem descendentem, ad citharæ modulos progredientem fecerit quoniam neque citharœdi quicquam commune cum armis habere judicantur, neque milites, ferocesque homines ullam hodie liberalium artium disciplinam assequi dignantur. Verum si Lacedemoniorum disciplinam & instituta respiciamus, inveniemus eos ad Lyram cytharæque sonum acies instruxisse, rejectisque tubis, & classicis aliis, ad ejusmodi modulationis sonum pugnam inire solitos, id quod indicat illos sedatiori quodam animo præ-
B lium aggredi consuesse. Nam & Homerus strepitum & tumultum in congressu primo barbaris dedit, cum Græcos sensim & taciturnos progredi dixerit. Hanc tamen in Pompejo contationem reprehendit Cæsar, cum in Pharsalia victor evasisset.

## HUMANA VITA. Cap. XI.

QUi vero per Lyram humanæ vitæ rationem exprimi dixerunt, tam eorum, quæ superius de sensibus, atque anima, deque mortalium institutis attulimus, rationem habuisse mihi videntur, quam etiam de naturæ nostræ conditione rem ipsam perpendisse. Nam cum in Lyra septem discrimina vocum celebrari comperissent, humanæ vitæ tenorem eadem assidua agitari varietate animadverterunt: septima enim hebdomada mas in utero fabricatus existit: septima post partum hora manifestum aut vitæ aut mortis argumentum affert: septimo post die umbilicus astringitur, ac solidescit, post bis septem manifestum est luminis indicium, post septies septem obtutus firmitas, atque cognitio. Videmus mox à mense septimo dentes pullulare, post bis septem sessionem esse tu-
C tam, post ter septem verborum articulationem, post quater septem incessum, post quinquies septem lactis horrore suboriri, post annos demum septem primoribus dentibus expulsis validiores enasci, ac perinde vocis sonum integrum fieri: secundo vero septenario pubescentiam, ac emittendæ genituræ facultatem, roburq; jam ad virilitatem spectare: tertio lanuginem, & crescendi finem: quarto robur, & membrorum plenitudinem. Quinta vero hebdomada, cum virium augmentum, quantum unicuique esse datur, absolutum sit, congruum nuptiarum tempus à Platone conscribi, quod septimo Legum habetur. Sexta autem, partas collectasque vires incolumes servat, ac prudentiæ vigorem affatim subministrat. Septima, diminutionem quippe virium, sed perfectum intellectus & rationis incrementum habet: quare soliti sunt milites ea ætate rude donari, & consiliis rebusque publicis adhiberi. Atque hac de ratione Horatius ad Mecœnatem scribit, se jam donatum rude: nam qui undenos Decembres quater jam, ut ipse de se dicit, expleverat, per septimam hebdomadam deferri jam occeperat. Octavo mox septenario perfectionem & in intellectu, & in ratione videre est,
D cimus vitam finiendi plerumque desiderium: quæ omnia versibus elegiacis Solon luculentissimè complexus est, Lyramq; suam ita temperavit, ut humanæ vitæ concentum, sonoramque vocalitatem anno septuagesimo terminaret, quem ubi mortales excesserint, desipere jam, & corda modo hac, modo illa subinde videntur aberrare. Neq; multum ab hujusmodi consideratione, quod Magnus Basilius per citharam corpus interpretatur: nam & alii Theologi Psalm. 57. *Exurgere psalterium & cithara:* per psalterium animam, per citharam corpus intelligi volunt, quod ita pluribus esse locis acceptum Euthymius observavit. *Obloquitur numeris septem discrimina vocum. Æn. lib. 6. Tenor humanæ vitæ Epistola 1. Idem David psalmo 40.*

## LYRÆ FORMA. Cap. XII.

SI quis vero Lyram qua fuerit apud antiquos specie, intueri velit, non ignoret constare illam ex binis cornibus, jugo, testudineaq; testa: talem enim, ut in Amphione Philostrati est, Mercurius

excogitavit, compegitque: qua posteaquam, ut ajunt, Apollinem & Musas honestavit, Amphionem etiam, uti dictum superius, donavit. Cornua vero illa sublimipetæ Capreæ fuisse volunt, quibus Musici, antequam ligni usus ad hoc commodus haberetur, ad Lyras conficiendas uterentur. Ex lignis vero quæ Lyræ apta censeantur, buxum maximè laudant, utpote quæ solida sit materia, & ad polituram aptissima. Potentiores huc ebenum adhibuerunt. Rhæti atque Norici acerem arborem egregiè crispatam exhibuere: utpote quæ mirificè colorum varietate delectet, quæque fissa non fallat, neque excavata dissiliat. *Elephas*, ait Philostratus, *nihil ad Lyram.* quocirca sciti viri neque animal ipsum magni quicquam faciunt, neque cornibus ejus utuntur, quãquam nostri, *pectine pulsat eburno*, libentissimè dixerint. Videtur vero natura ipsa opera perquam diligentissimè dedita, testudinis testam, ut huic inserviret usui, fabricasse, ita illam excavavit, & vas veluti quoddam vocum repercussioni collectionique præparavit: vacua quædam foramina hinc inde fecit, in quæ umbilici inseri possent, atque alter alteri apprimi: chordæ enim ex una parte, quippe in imo, quadræ suæ applicantur, ex altera umbilicis obvolvuntur. Atque hæc in illis ratio potissima consideratur, ut rectè in Lyram ductæ æquis inter se distent intervallis, & parallelos binæ quæque efficiant: quæ quidem species in hodiernis adhuc quodammodo refertur, quamvis cornua non in vacuum, ut olim, sed in ipsum Lyræ corpus inflectantur. Atque hæc ea quidem species de qua Græci scriptores, & Romani Græcos secuti, inventionis laudem partim in Mercurium, partim in alios conferunt. Sed Hebræorum literæ Tubalem appellant, qui primus omnium & hujusmodi instrumenti, & Musicæ inventor fuit. Sedenim quam Lyram à Mercurio inventam tradunt, trium tantum chordarum fuisse dicunt: voces enim ab eo tres trium instar temporum inventas ajunt, acutam quippe, gravem & mediam, prout tria tantum apud Ægyptios fuere tempora, æstas, hyems, & ver, singula quadrimestria. Sic æstati acutus sonus attributus, hiemi gravis, veri medius. Thebarum tamen portas ea ratione septem institutas Græci dicunt, ut totidem in Lyra tonos repræsentarent. Et memorabile illud Emerepis Lacædemonii factum celebratur, qui cum Ephorus esset, cujus scilicet magistratus censuræ Græcia universa olim acquiescebat, Phrynidi Musico duas è novem chordas bipenni excidit, dicens, *Musicam ne depraves:* de quo nono Symposiacõn apud Plutarchum. Adhæc ipsa hominis constitutio cum sit quatuor ex clementis, & anima, & quaternarius numerus multis de causis corpori competat, ternarius vero animæ de quo alibi copiosius: juncta hæc, & in concentum excitata omnem reddunt harmoniam, quæ tam ex operibus, quam ex cogitationibus nostris percipitur: ut non immerito humanam vitam tot septenariis variari paulo ante disputaverimus.

*Testudinis testæ forma. Æn. l. 6.*

*Mercurii Lyra.*

*Ab Amphione.*

*Quin. Erasc. citat Plut. in Apophthegmatis. Chil. 4. cent. 3.*

*Μὴ κακοῦργει τὴν σικήν.*

## DE FISTULA. Cap. XIII.

FAcit ad hoc & fistula, ut chordis Lyra septem, ipsa quoque septem compacta cicutis: cujus forma conspicua est passim in Panos & Satyrorum manibus.

## RESIPISCENTIA. Cap. XIV.

*Fistulæ munus.*

HOminem Ægyptii diu quidem mente captum, postea vero quasi somno excitatum, ad intellectus officia redeuntem, & vitæ suæ jam modum imponentem significare si vellent, fistulam, inquit Horus, pingere consueverunt: hujus enim munus, animum ab odiosis & gravibus atque etiam impuris cogitationibus avertere, & curarum oblivionem, ut diceret Hesiodus, inducere, & ut exemplo Pythagoræ comprobatũ est, impotentiores etiam lascivientis animi sedare motus dum composita soni suavitate animum arbitrio suo versat & moderatur. Facit hoc ad illud Antiphanis, sive, ut alii, Bionis, qui Bucolica scripsit, *ἀλλὰ καὶ αὐτὸς τεχνᾶσθαι σύριγγα, πέλει δέ τοι εὐμαρὲς ἔργον. Tu tibi fistulam ames cera conjungere, quando non labor aut opus hoc magnum.*

## ADULATIO. Cap. XV.

EAdem vero, ut alibi dictum, cum Cervo picta perniciosam indicat adulationem, ob historiam scilicet quæ super ea & Cervo fertur, animal id ejus suavitate modulisq; mulceri, & ad stuporem usq; delectari: unde accidat, ut dum Cervus intentior in eam incumbit, incauto illi abalienatoque mors inferatur.

DE

A

## DE TUBA. Cap. XVI.

SEd jam altius insonemus, neque semper in molli Lyra aut fistulis immoremur, sed & Tubam strepitu procul ære canoro exauditam, ad Musica instrumenta reliqua adjiciamus. *A. Virgilio Æneid 9.*

## CELEBRITAS. Cap. XVII.

SIgnificat tuba famam & celebritatem, unde Romani in Saturniæ ædis fastigio Tritonas tubicines imponebant, caudis abditis & absconditis: id scilicet eo hieroglyphico significantes, quod historia gestarum rerum ab Saturni commemoratione ad nostram usque ætatem in obliteranda celebritate, nota, clara, & quasi vocalis esset: quæ vero ante Saturnum gesta fuerint, obscura & incognita in tenebris delitescere: idque sibi velle Tritonum caudas ad humum inclinatas, absconditasque. Erant vero Tubæ Marti dicatæ, uti etiam nunc sunt: in acie enim mos est *Tritonum Tubicines quid.*

*Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.* *Æn. lib. 6.*

B

## ERIGENDÆ MENTIS SIGNUM. Cap. XVIII.

IN sacris vero literis tuba suum habet intellectum. Nam quæ memoria tubarum celebranda mandatur à Deo prima septimi mensis die, nihil aliud sibi vult, ut interpretantur Theologi, nisi debere nos Prophetarum oracula memoria repetere, Evangelicas voces omnino recogitare, Apostolorum prædicationes cœlestium tubarum instar, quarum sonus in omnes terræ fines exire destinatum erat, reminisci, & ita initio mensis tuba canamus, & in Psalmis Deo jubilemus. *Num. c. 9. Esaiæ c. 58. & Oseæ c. 8. & passim in Psalm.*

## DE TIBIIS. Cap. XIX.

SEd tibiæ Veneri sacræ ferebantur, eaque de causa in ovatione tibiis & myrto Romanos uti solitos Plutarchus ait in Marcello.

## SENSUS. Cap. XX.

C EÆdem Pani perinde ac etiam fistula, attributæ, quippe quem sensilis mundi rectorem intelligebant: sonus enim non nisi sensu percipitur. Atqui Apollinem etiam ajunt à Pallade doctum libenter tibiis cecinisse: & in altera simulacri ejus, quod Deli erat, manu, tres insidebant Gratiæ, quarum una Lyram, alia tibias, tertia fistulam, quæ inter has media erat, gestabat: & dona legas ab Hyperboreis Delum missa, Cithara, tibiis & fistula comitantibus.



*Apollinis in Delo simulacrum.*

## SACRORUM TEMPUS. Cap. XXI.

TIbia sane rei sacræ signum erat, præcationumq; faciendarum tempus indicabat, quasi adesse jam Deum per eam admonerentur, qui sacris assistebant. Nos quoq; cum in sanctis ædibus sacra facimus, æris tinnuli sono divini libum mysterii adorandum innuimus. Sed quod D ad tibiam spectat, minimè recens, neque imperitæ plebeculæ dicterium est de cessantibus tibicinem expectare, sed antiquum & nobile, quippe quo Scipio minor usus est in Pompejum, qui tibicinis filius credebatur. Pompejus enim C. Lælio Consulatum ambiente, cui Scipio maxime favebat, negaverat Scipioni se petiturum, ad futurum vero Lælio, eumque deducturum: quem dum expectarent, auditum est eum jam candidatum prehensare obvios. Tum Scipio ridens: *Næ*, inquit, *nos egregiè stulti sumus, qui perinde ac Deos, non homines præcaturi simus, tempus terimus tibicines expectantes.* Hinc ansam arripuit Cornelius Tacitus, ubi lib. 14. de Octavia Messalinæ filia loquens: *An quia*, ait, *venim progeniem penatibus Cæsarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Ægyptii sobolem imperatorio fastigio induci?* Nempe propter Pompejum, qui, uti dicebamus, Tibicen à Scipione vocatus est. Octavia vero à Scribonia Augusti uxore descendebat. *Quin & qui à cœnic Pontificalibus aderant lauteque immunes vivebant in eos dictum, Tibicinis vitam vivis, Αυλητῆ βίον ζῇς.*

## DE TYMPANO. Cap. XXII.

*Laudate Dominum in tympano & choro, ſſ. 249. verſ. 4.*

TVmpano etiam & choro laudari gaudet Deus. Per tympanum Gregorius lib. Epiſt. ſexto ad Anaſtaſium, abſtinentiæ tenuitatem ἱερογλυφικῶς interpretatur, à materia ſcilicet ipſa qua conſtat tympanum: nam id dubio procul corium eſt ex pelle jam arefacta, quæ tamen prius diu fuerit macerata: ita vir jejunio confectus, ab omni luxu alienus, parce & duriter vivens, qui laudes Deo canat.

## DE TINTINNABULO. Cap. XXIII.

CIere ad ſe nos videtur etiam tintinnabulum, quod Moſaicus Sacerdos, de quo 28. Exodi, ornatu Pontificio geſtare jubebatur: ad imas enim tunicæ fimbrias aurea tintinnabula, malaque punica alterna appendebantur, ut eorum ſonitus, quotiescumque Pontifex ingrederetur, egrederetur ve Sanctuarium, exaudiri poſſet. Significabat id, oportere ſacerdotem, ut etiam in Cane dictum, aſſidue vocalem eſſe, nunc docendo, nunc arguendo, nunc exhortando, ſæpiſſimè vero conſolando, quod noſtra ſibi fragilitas depoſcit, oportuna remedia conquirendo. Itaque tintinnabulum prædicationis eſt & inſtitutionis hieroglyphicum, de quo plura Gregorius idem lib. primo Epiſt. xxiv. Tintinnabula hujusmodi antiqui operis domi habemus: ſunt autem ex orichalco, meſpili cavi forma cum fibula ſuperne ad appenſum apta. Intra concavum ærea immiſſa pilula eſt, quæ motata ſonum impulſu reddit argutum, atque admodum ſuavem.

*Tintinnabuli forma Nimirum Tin tin.*

## DE LITERIS SEPTEM. Cap. XXIV.

ATque ut ad Muſicam redeamus, aliis quoque ſignis ea pingi ſolita eſt, non iis tantum, quæ propria ſunt illius inſtrumenta: quare ſupereſt ut quid Ægyptii per vocales numero VII. ſignificarent, afferamus, & ita Muſicos hos numeros abſolvamus. C

## MUSA. Cap. XXV.

ILli ſiquidem digitos duos literis ſeptem inſignitos præferentes Muſam, ut Horus ait, ſignificabant. In quo advertendũ vulgatos Hori codices fœde depravatos circumferri, qui πρώγματα ſeptem, non χράμματα, habent. Cur vero nos Vaticanæ bibliothecæ codicem in quo χράμματα ſcriptum eſt, caſtorem judicaverimus, ea in cauſa ſunt, quæ apud veteres tradita reperimus ſuper ſeptem vocalium ſignificato, quibus Muſica omnis exprimi ſolita. Nam Demetrius Phalereus in Commentariis περὶ ἑρμηνείας, Ægyptiorum fuiſſe morem ait, ſeptem vocalium modulata enunciatione Deos collaudare. Septem porro vocales Plutarchus Muſicæ totidem vocibus accommodat. Et Phurnutꝰ ex veterum dictatis obſervat, ſeptem eſſe diverſos tonos, quibus olim tota modulatio conſtaret. Vox vero ipſa ſeptem patitur qualitates, acutam, gravem, circumflexam, denſam, tenuem, longam, brevem. Ac veluti eſt apud Philonẽ, ſeptenarii numeri proportio eſt valde Muſica, quippe qui ſex ad unum ſexcuplarem habeat: ſexcuplaris vero ratio maximum in re propoſita intervallum facit, quo quidem acutiſſimũ à graviſſimo ſeparatur. Cæterum & quinque ac duo vim plurimam in harmonia demonſtrant, ipſi τῷ διαπάσων fere æmulam. Et ut ſemel dicam, hebdomada cum ex ternario quaternarioq; conſtet, harmoniã omnem amplexatur, quippe διὰ πασῶν διὰ πέντε, & διὰ πασῶν. Omnes quoq; proportiones, Arithmeticam, Geometricam, & Muſicam. Quod vero diximus ex Plutarcho, vocales eas fuiſſe literas quibus forte uterentur Ægyptii, ne qui Græcè neſciunt, dictum mirentur, ſciendum apud Latinos vocales duas, E, ſcilicet & O, figura unamquamq; eadem vi tamen & tempore & enunciatione diverſas eſſe, quarum unaquæq; apud Græcos ſuo inſignis eſt charactere, atque ita ſeptem omnino eſſe, ad humanæ ipſius vocis conditionem excogitatas. Ex his notum

*Sic Boetius lib. 1. de Muſica tradit antiquitus harmonicã rationẽ heptachordatantũ conſtitiſſe, hoc eſt, fidibus ſeptem quarum ſummæ νήτη, ἱμαχὴ νήτη. Vocalium ſedes.*

A notum est, A, sedem habere in imo barathro pectoris, quam enunciatam palma ad pectus admota ibidem trepidare sentimus. E, in faucibus, qua manu itidem deprehendimus, atq; illa duplex, acuta, & gravis. Gravis enim (nam eam sono E, Latinæ literæ veteres enunciasse, paulo post in B. litera ostendemus) vocalis hæc tunc exauditur, cum spiritus aliquanto inferius contrahi videtur, & suppresso quodammodo sono enunciatur. Acuta vero sub signo ε apud Græcos, E vel e apud Latinos cum ad aperta usq; labra porrigitur, & vocaliore sono se prodit. I, tanquam columna quædam, ad cujus imaginem figuratur, palatum medium inhabitat, idq; sustentare quodammodo videtur. O item duplex, acuta, & gravis. Acuta, cum emissum ab imo pectore spiritum circa dentes sistit, & expedito cum ore resonare facit. Gravis, cum usq; ad dentes emissum interius revocat, & aliquantulũ remoratur, quod ex ipsa etiam figura quodammodo replicata, ω vel Ω Græci constare voluerunt. V, dubio procul in labiis tota conquiescit. Vocalis ea apud Græcos non habetur, sed ejus soni vice diphthongum ponunt ου, quam Latini, cum uno charactere ȣ sæpe scribi observassent, contracta in acutum parte inferiori, V, suam fecere, per quam suum illum usitatissimum peculiaremque sonum exprimerent.

B Verum multa etiam quæ Græci per υ scriptitant, ipsi per vocalem hanc suam signare instituerunt, ut δύο, duo πυῤῥός, Purrus (ita veteres scribebant, ut antiquæ indicant inscriptiones aliquot) nos ad Græcos redimus, & Pyrrhus facimus. Quod ne dictu leve adeo videatur, Verrius Flaccus ita commentatur. Quod illi dicunt κύμινον, nos cuminum: quam illi κυπρέσσον, nos cupressum: quem illi κυβερνήτην: nos gubernatorem. Neq; negarim cum Scauro Græca nomina plurima in nostrum sermonem admissa τὸ ὑψιλὸν sonum & figuram conservasse, ut hymnus, hyacinthus, de quo plura Victorinus. Sed ut argumentum susceptum prosequamur, ex literis mutæ novem (tot enim Græci ponunt) eodem authore Plutarcho, Musis totidem dicatæ. Octo inde semivocales, voces musicas reliquas absolvunt una cum vocalibus septem, quas natura ipsa commode variare potest, ad quintumdecimum usq; gradum ascendendo. Neq; vero hic Sophistas audio, neque superstitiosa multorum conamina in hoc albo reposuerim, qui ad unum & vigesimum usq; gradum ascensum dari disputant, qui quidem stridor potius est, quam humanæ vocis sonus. Verum ego satis habiturus sum, si cum Josquino Musico ætate nostra clarissimo senserim, qui materiam hanc in Theoreticis lucubrationibus ab Ægyptiis, à Plutarcho, & Marone, minime diversas, accuratissime pertractavit.

*Ratio figuræ O longi vel magni Græcorum.*

*Ratio figuræ vocalis quintæ Latinorum.*

C

## MUSÆ CUM APOLLINE. Cap. XXVI.

VErum hæc alii viderint, nos ad Musarum hieroglyphica revertamur, quorum illud præcipuum, ut si lingua dentes quatuor è regione oppositos incutiat, eo gestu Musæ cum Apolline significentur, dentes enim Musarum instar sunt: per linguam vero, quæ illos pulset, Apollinem uti plectrum aliquod intelligimus. Nam & Romani linguam simílem plectri dentes chordarum dicere solebant, ut lib. de Natura deorum Cicero. Et Ambros. in Hexam. linguam veluti plectrum esse dicit. Tranquillus de Claudio: *Plectra linguæ titubantia.* Sedenim cum quatuor tantum Musæ positæ sint, altior inquisitio est, cum semper multiplices habitæ sint apud eruditos. Cur autem eas nonnulli novem posuerint, non linga tantum, aut dentes quatuor, sed tota oris facies discutienda: quia sic ea per totidem oris instrumenta repræsentari tradidere, quæ sunt dentes, quos nominavimus, quatuor: labia mox duo, quæ cymbalorum usum ad augendum sonitum præbent: inde palatus, in cujus concavitate

D sonus inturgescit: gutturis fistula, quæ spiritum immittit: pulmo denique, qui veluti æternus follis spiritum concipit, & pro usu rei temperatissime remittit: denique in medio residens Phœbus omnia complectitur. Singula hæc contarentur, nihilque proficerent, ignavia veluti quadam torpescentia, nisi sedulæ linguæ plectra excitarentur, & ad solicitam operis properationem accenderentur: quorum omnium rationem Anaximander Lampsacenus, Leophantes Heracleopolita, Pisander Physicus, & Euximenes latius explicuerunt. Neque tamen desunt qui nonarium numerum pro pluralitate positum contendant, ut apud Nicandrũ, ubi de Scorpii cauda σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, quasi cauda ejus novem esset spondylis compacta, quæ nodis septem tantum insignis est. Quinetiam Nicander idem ἐννεάκνημον dixit de eo, qui duos tantum aculeos haberet, observatũ ab Apollodoro. Sic apud Maronem, *Novies Styx interfusa, & porrecta novem per jugera corpus:* & quod observat Theon in Arati carmi-

*In ejusdem vita c. 10.*

*Musæ quatuor, novæ, plures, & quæ.*

*Georg. lib. 1.*

carmine, ἐννεάγηρα κορώνη; non quod novem, inquit, ætates vivat, sed perquam diu. Et apud Alcæum hydra ἐννεακέφαλος, quæ πεντηκοντακέφαλος est apud Simonidem, quem imitatur Maro:

*Æn. lib. 6.*

*Novem capitum.*

*Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.*

*Quinquaginta capitum.*

Itaque qui Musarum numerum supra novem augent, eo nituntur argumento, quod scientiæ plurimæ sunt, non autem novem tantum: unicuique enim scientiæ suam esse Musam præsidem oportere. Ex eorum vero numero qui tres tantum Musas ponunt, est Eumilus Corinthius, qui etiam earum nomina hæc prodidit, Cephiona, Apollonida, & Euristhenida, quas Apollinis fuisse filias fabulatur. Aratus quinto de astris, quatuor enumerat, Argen, Meleteam, Thelyonem, Aæten. Qui has quinque posuere, nomina his à quinque sensibus indidere. Epicharmus in Hebes nuptiis septem ait, & filias Pierii Pimpleidosque Nymphæ, quarum nomina, Nilus, Tritone, Asopus, Hebtoporta, Achelois, Titoplus, & Rhodia. Apud Hesiodum in Theogonia novem sunt, hæque Latinis jam celebres, quarum inventa sunt toni tres, ἁδρὸς, μέσος, ἰσχνὸς, plenus, medius, tenuis. Accentus totidem, acutus, gravis, circumflexus. Tempora itidem tria, præsens, præteritum, & futurum, quæ si ad Musicam referantur, præteritum longi temporis instar erit, quod ab eo quotidie longius abscedamus: futurum pro brevi accipietur, quod illi quotidie propinquiores efficimur: præsens vero communis, quam Græci μέσον vocant, instar erit syllabæ: instantis enim temporis natura est, uno eodemque momento prætereuntia venientibus conjungere. Alii hunc Musarum numerum alio atque alio modo interpretantur: atque ex his qui quatuor statuunt, nonnulli linguarum quatuor differentiam excogitarunt: utpote quod Musarum inventum fuerit, Jonicam, Atticam, Doricam, & Æolicam linguam à communi distinguere, & pleraq; insuper quaterna ad ostentationem usq; dinumerant. Qui quinarium earum numerum recensent, quinq;, uti dicebamus, sensus ab eis animadversos, distinctæque cognitioni traditos prædicant. Qui septem, septichordem lyram, septemq; compactam cicutis fistulam, climata septem & Planetas totidem, vocalesq;, uti initio commonstravimus, memorant. Qui novem esse contendunt, historiam Clius inventum ajunt, plantandi rationem Thaliæ, conjugalia & saltationem Euterpes, agriculturam Polymniæ, Astrologiam Vraniæ, Calliopes Poeticam, atq; ita demum unicuiq; invento, quod ad mortalium usus faceret, sua est cuique Musa excogitata: unde necesse est infinitum earum numerum constituere. Sed hæc nullo apud Græcos fine disputantur. Apud Ægyptios, uti palam fecimus, compendiosius colliguntur, ambagibusq; evitatis, recta per planissima toto constrato itinere traducuntur.

*Et Cicer. l. 3. de natur. Deor. quarum tres colendas ait Pausanias in Bœoticis.*

*Quaternarius.*

*Quinarius.*

*Septernarius.*

*Novenarius.*

## A Cap. XXVII.

Cujusmodi vero essent literarum characteres apud Ægyptios, si quæsierit quispiam, putarim ego partim instrumentorum aliquot, plurimum vero animalium effigies fuisse. Illud enim ex Plutarcho constat, Mercurium, qui primus literas Ægyptiis communicavit, Ibin primam esse literam voluisse. Refert quidem ea in ingressu triangularem effigiem, cruribus ita dispositis, ut loco suo dictum, & quæ prima apud nos & Græcos litera est, ad isoscelis trianguli faciem accommodatur. Atq; ita conjicere possumus, reliquas quoq; literas, vel 15. vel quotquot fuerint, alicujus animalis effigie membrove figuratas, quæ tam longa inde annorum serie sint abolitæ, atque ab eo præsertim tempore, quo Ptolemæi Græcas literas in Ægyptum deduxere: Ægyptiacorum porro characterum formæ, una hac excepta, fere omnes absolvere.

## B. Cap. XXVIII.

Quod si ejusmodi exemplis insistendum esset, forte B, per pictam pecudem figurari possit, aut membrum statumq; ejus aliquem qui Ovem saperet, quod proprium est illi literam ejusmodi articulato proferre sono. Agnoscunt hoc interpretes etymologici, Cratinumq; citant διονυσαλεξάνδρῳ,

ὁ δ' ἡλίθιος, ὥσπερ πρόβατον, βῆ βῆ λέγων βαδίζει.

*Stolidus tanquam pecus pecus, Be be dicens ambulat.*

Atque ita nonnulli, uti paulo ante monuimus, H. tertiæ apud Græcos vocalis sonum per Egravem pronunciant, quod Latini receperunt, Penelope, Anchises, Aristoteles, naturæ quidem in Ove sonum imitati.

Γ Cap. XXIX.

A Quinetiam Γ aliquid habet quod hieroglyphice notari possit : siquidem authores Græci literæ hujusmodi etymon πρὰ τὸ ἀμᾶν, quod metere est, deduci volunt, & simulacrum ejus saltem ponunt.

Δ Cap. XXX.

Delta dubio procul per stellas tres æquidistantes fere, easq; in trigonum sitas notant : & ea de causa signum cœleste inter æstivum & æquinoctialem circulum supra caput Arietis Δελτωτὸν vocant : & Ægyptum Græci à triangulari forma nuncuparunt. Verum hæc curiosioribus relinquemus; id unum dicam, signum id æquis esse lateribus duobus, uno breviore, sed prope reliquis æquali.

DE PENTALPHA. Cap. XXXI.

Quoniam vero incidimus in literarum notas, & cunctarum rationes reddere difficilimum, & inexhausti laboris opus est, & quod fortasse fastidium potius quam delectationem ullam sit allaturum, πεντάλφα inter has minime præteribimus, ex qua præter delectationem, usum etiam & utilitatem aliquam percepturi sumus. Signum B id ex alpha quinque numero complicitum : lineis enim à pentagoni recti punctis alternatim ductis ea prosilit figura, de qua multa scitu digna minime sunt dissimulanda. Antiochum ferunt cognomento Soterem, antiquum illum à quo reliqui Syriæ Reges Antiochi mox dicti, cum adversus Galatas acie decertaturus esset, per nocturnam imaginem videre visum adstitisse sibi Alexandrum, qui mandaret, ut militibus tesseram daret ὑγιαίνειν, cujus dicti hieroglyphicum olim jam adinventum erat triplex triangulus inter se complicitus, ex quinque paribus lineis sese invicem in puncto contingentibus : quo non cunctanter à se facto, pentagrammoque hujusmodi tum in vexillis imposito, tum & singulis, & reliquis militaribus indumentis superaddito assutoq;, admirabilem mox est à Galatis victoriam consecutus. Antiochi porro numus argenteus passim habetur, C istius rei memoria sempiterna, in quo nota ea impressa est, additis singulis per angulorum intervalla literis ΥΓΕΙΑ, in eum quem hic vides modum. In militia vero Imperatorum, qui præcipue Byzanti claruerunt, ordo qui sub illustri viro Magistro peditum merebat propugnatores nomine, cæruleam præferebant parmã, cujus margo purpureus erat, viridis autem umbilicus intra πεντάλφα hujusmodi contentus, quicquid aut erat spatii reliquum inter umbilicum & lineas quæ pentalpha illud describebant, purpureo erat colore illitum. Merito autem propugnatorum iis nomen datũ, quorum opera salus exercitui comparabatur. Sed quoniam hæc parum forte suavia videantur, multa hujusmodi præterire consilium fuit: tum etiam, quia non æquum erat virum gravioribus D deditum rebus exilibus his legendis occupare. Sed illud minime dissimulare possum, posse nos in veræ salutis significatum accipere quinq; Christi vulnera, pectoris unum, manuum duo, totidẽ pedum, quæ in propatulo posita pentalpa ipsum commode constituunt: patefactis enim manibus, quæ deorsum à lateribus porrigantur, pedibusq; ipsis modicum divaricatis, puncta æquidistantia quatuor assignãtur, quintum vero in ipso pectore costas inter: à quibus punctis lineæ quinq; numero æquales omnes, quæ altera alterius punctis se contingant, πεντάγραμμον faciunt, duæ quippe à pectore ad utrumq; pedem duæ alteræ in chiasmi ferè modum decussatæ à dextera manu ad pedem lævum, atq; à læva ad dexterum, quinta ab alterutra manu ad alteram. Neq; πάρεργον id fuerit, si quæ



*Sic Lucian pentagonũ salutis symbolũ ait, ubi agit de quodã, qui lapsus erat inter salutandum.*




*Idem Agrippa de occulta Philosophia libri 1. & infra & 60.*

*Antiochi Soteris numus. Id est, sanitas.*



si quæ de salutatione Lucianus collegit, saluti subjecerimus χαίρειν ait ille, hoc est, *Gaudere*, antiquam fuisse salutationem, cujus exempla complura ponit. Platoni demum visam esse amicabilem hanc compellationem in εὐπράττειν quod bene agere est, convertere: unde noster Horatius utrumq; complexus morem, epistolam ad Celsum ita exorditur:

*Hor. Epist. 8 lib. 1.*

*Celso gaudere, & bene rem gerere Albivano.*
*Musa rogata refer.*

Verum Archytas Pythagoram secutus, una cum plerisque ejusdem sectæ χαίρειν atq; εὐπράττειν repudiatis, ὑγιαίνειν induxere, quod mox alter alteri scribentes usurparunt. Latini horum sententiam approbantes, SALUTEM, ut apud Tullium & alios frequentissimum, perscripsere. Existimarunt vero sapientissimi viri, compellationem hujusmodi & animæ & corpori esse maxime congruentem, & simul omnia intra se mortalium bona complecti. Quinetiam Epicurum ferunt, qui voluptatem maxime omnium adamavit, in quibusdam doctis admodum epistolis non χαίρειν, sed ὑγιαίνειν, præscripsisse.

## INFINITUM. CAP. XXXIII.

*Nullam habere experientiam. Nam πειράω, hoc est; experior, tento Πέρας, ατος finis, & περατόω, finio, termino.*

SEd ut jam ad priores illas vocales redeamus, earundem literarum numerus infinitum significat, si quem sequimur codicem fidelis est, quod alii vulgata exemplaria secuti. Rudem, alii inexpertum traduxere, quod ἄπειρον apud Horum habetur. Neq; sum nescius ἄπειρον dici posse παρὰ τὸ μὴ ἔχειν πεῖραν: verum iisdem authoribus etymologicis dicitur etiam παρὰ τὸ μὴ ἔχειν πέρας, quod finem aut terminum non habeat. Hori vero authoritate dicunt ἄπειρον significare tunicam, quæ non habeat exitum, eoque significato Sophoclem in Polyxena dixisse.

Χιτών σ' ἄπειρος ἐνδυτήριος κακῶν.
*Multorum amictus tunica te exitu carens,*

subintelligendum, perdet. Et apud Euripidem in Oreste:

Ἡπόσιν ἀπείρῳ περιβάλλου σ' ὑφάσματι,
*Texto maritum impermeabili induens.*

Est & alia ratio cur hic infinitum significare locutionem eam contendamus, quam, ex ipsius numeri ratione desumimus, quem Pythagoras immobilem dixit, suaq; firmitate solidum, adeoque plenum, ut quod infinitum in rebus est, ipse comprehendat. Sed enim super hoc loco suo in numerorum hieroglyphicis locupletius.

## PRINCIPIUM ET FINIS. CAP. XXXIV.

*Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ Ω. Apoc. cap. 1. ἀρχὴ καὶ τέλος, principium & finis.*

ET ne ab infinitate hac discedamus, quæ germana est æternitati, minime prætereundum videtur, quod hieroglyphicum primæ hujus apud omnes literæ significatum, quod in Divinis habetur literis, principium exprimit, veluti Ω apud Græcos ultima, finis est indicium: unde illud jam omnibus cognitum: *Ego sum* A & Ω. Apostosus autem Epistola quam ad Ephesios scribit, Deum proposuisse dicit in semetipso, ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput, id est, ad initium reciprocare universa in Christo, quæ sunt super cœlos, & super terras in ipso. Et duas Græciæ literas, primam scilicet & ultimam, sibi induit Dominus, initii & finis concurrentium in se figuras, uti quemadmodum A ad Ω replicatur, ita ostenderet in se esse, & initii decursum ad finem, & finis recursum ad initium, ut omnis dispositio in Ω desinens, per quem cœpta sunt, per verbum scilicet Dei, quia caro factum est: proinde desinat quemadmopum & cœpit, & à Deo in Christo omnia revocarentur ad initium. Repetuntur hæc à Tertulliano lib. de Monogamia, ubi secundas impugnat nuptias. Apud Hebræos, quorum tam multa cum Ægyptiis communia sunt, magna est significationum sylva, singulis in literarum characteribus: sed enim hæc, quia latissime apud Cabalistas explicantur, ne actum agerem, præterire consilium fuit: ea siquidem nos tractanda desumpsimus, quæ per rerum figuras, non per literas scribi consueverunt.

FATUM

## FATUM. Cap. XXXIV.

A Addunt & Fatum, sive Parcas, per eandem vocalium designationem intelligi: non tam ob Planetas septem, qui Fatorum ministri sunt, uti latius in Stella diximus, quam ob id, quod imago Dei habetur Septenarius, dux idem & princeps universorum, immobilis, indomitus omnium victor, gubernator omnium: de quo plura eo loco habentur, ubi de numerorum significationibus ordine suo disputatum est.

## DE LIBRO. Cap. XXXV.

A Literis ad librum transire ipsa rei natura compellit: literæ siquidem locutiones adstruunt, locutiones orationem, librum oratio.

## ANTIQUITAS. Cap. XXXVI.

B Descripta folia, codicilli vel liber quomodocumque compaginatus obsignatusve antiquitatis hieroglyphicum esse perhibetur. In manuscriptis enim Hori codicibus παλαιότητα δηλοῖ, legitur, non παλαιόν τον. Folia quidem codicillique propterea quod antiquorum mos fuit in foliis, & quarundam arborum corticibus scribere, unde & Codicis & Libri cognomenta permansere. Et apud Maronem Æneas orat, ne Sybilla foliis mandet nomina: *Æn. l. 6.*

*Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.*

Ideo vero obsignatus liber, ut superius, quod in eo vel veteres sapientum disciplinæ, vel res gestæ, longæ posteritatis memoriæ commendentur, atque ita liber ut diceret Horat. *Longum scriptori prorogat ævum.* Stesichori Poetæ statuam senilem, incurvam, cum libro, temporibus suis fuisse in Sicilia tradit Tullius in Verrinis. Et nos Romæ apud Raphaelem Urbinatem marmoream Philemonis statuam validæ senectutis vidimus, qui una manu volumen replicatum continebat, alteram ad mercedem operis pasam porrigebat: de cujus avaritia in scriptis suis vænundandis alibi meminimus. *Liber obsignatus.* *De arte poetica.*

CSed quoniam de literis sermo fuit, quæ Musicam significant, Musica vero tam animi quam morum concordiam & concinnitatem ostendit, ut in Lyra commonstravimus, succurit mihi quam memorabile sit commentum illud Athenodori Philosophi, qui Augustum Octavianum docuit Philosophiam. Nam cum videret hunc ad iracundiam facile commoveri, ne asperum aliquid statueret, ex quo postea pœnitentia subsecutura esset, eum monuit, ut ubi irasci cœpisset, quatuor & viginti illas Græcas literas memoria recenseret, ut illa concitatio, quæ momentanea est ac brevis (ut Horatius ait) furor, alio traducta parvi temporis interjectu langueseret: quod & alii Augustum imitati non sine fruge fecerunt. Salvete igitur literæ vere sacræ, vere cœleste donum beneficio summo mortalibus elargitum: sive vos Musicam, sive concordiam, sive animi concitatioris impetum componatis. At quanta mox in dictionibus, quanta in orationibus virtus, si pura ipsa, nuda, simplicia, & inania propemodum elementa tantum habent virium, ut soni, quem singulæ reddunt, commemoratione saltem, à perperam factis incœptisque abstinere compellant? *Athenodori commentum.* *Epistola ad Max. Tullium 2. Ira furor brevis est.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XLVIII.

## DE IIS, QUÆ PER INCUDEM, MALLEUM, ARATRUM, FLAGELLUM, FRÆNUM, LAQUEUM, CATENAS, JUGA ET UNCUM SIGNIFICANTUR.

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD ERUDITISS. ARNOLDUM. ARLENIUM.

*NOn sum nescius, Arnolde eruditissime, ubi commentarii hujus tibi dedicati titulum inspexeris, animo te concitatiore ac subirato forsitan dicturum esse, quorsum mihi incudes has & malleos aratra, flagella, fræna, laqueos, catenas, juga, & odiosum ubiq; nomen Uncum, id genus proposueris: an ego veluti Vulcanus alter, fabrilem facere jubeor? an alia quæris vincula mihi superinjicere, quã quibus opprimor, tot Ægyptiorum nugis, ut recta & castigata prodire possint procurandis? Tolle, tolle ista, & exquire aliquid, & excude quod me deceat, vel unde optatissimum mihi possim otium comparare. Responsurus sum, Bona verba, quæso Arnolde mi nullum hinc tibi bellum intentatur, nullum paratur incommodum; mea instrumenta sunt ejus generis, ut vel sedens, vel stratus, nullo labore singula possis attrectare: quod si quid in his laboris desumendum fuerat, id à me jam exhaustum tibi persuadeas. Memineris tantum Pierium tui memorem esse, nihilq; cogitasse, quod tibi vel molestum, vel injucundum accideret, aut minime liberale: voluisse vero in hac commentariorum suorum divisione, te sibi unamini amicitiã necessarium: in adoptionẽ ad rerum suarum participationem admittere, herciscundæ familiæ jure. Quod vero instrumenti tibi evenisset, ne ulla hæredum cavillatione auferri posset, donationis etiam nomine censeri: sed quæ simplex donatio sit, nulla Homerici carminis additione facta.*

δὴ τό τε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα.

*Sed hæc plus nimio, cum amicitiæ nostræ simplicitas omnia boni consulere debeat, nullaque indigeat ratione, quicquid dictum factumque sit. Quid vero sibi velint instrumenta tot facile disces ex eorum unoquoque quod in manum sumpseris.*

---

### DE INCUDE. Cap. I.

INter instrumenta primum non injuria locum occupant Incus & Malleus, quorum quidem opera ea fiunt instrumenta, quæ faciundis reliquis ministerium præbent. Ab Incude igitur prius exordiamur.

### DURANDUM. Cap. II.

JUniorum inventum esse putaram olim, ut ad casuum damna ferendo vindicanda, Incudem quis proponeret: sed posteaquam in Græcum distichon incidi, luculentum quidem, sed incerti authoris, figmentum hoc antiquum quid sapere perspexi. Est id hujusmodi:

ἄκμων μέγιστος ὃ φοβεῖται τοὺς ψόφους, *Strepitus nec incus maxima horrescit, neque*
καὶ νοῦς ἐχέφρων πᾶσαν ἕλκουσαν βίαν. *Mens firma quaqua traxeris violentiam.*

*ἄκμων sic dicta quasi ἄκαμων, quod nullis ictib. fatigetur.*

Incus igitur hieroglyphicum fortissimi ponatur animi, sive pro præcepto, quo in adversis durandum admoneamur, neque ullis procellarum sævientium tempestatibus moveamur, sed contra Fortunæ quantumlibet injuriosæ ictus enitamur, ne ullus labefactandi locus illi relinquatur. Neque aspernatus est Cicero hieroglyphicam hujusmodi similitudinem lib. de Orat. secundo, ubi dicit, *Assiduis uno opere eandem incudem noctemque tundentibus*, de iis qui *perstante*, ut Lucretius ait, *labore*, vincunt, quod designarunt facere.

TERRA

## TERRA ET AQUA. CAP. III.

A SEd quæsierit hic forte aliquis, quid sibi voluerit Homerus per incudes duas, quas Jupiter se Junonis pedibus appendisse dicit, quam prius aureo funiculo suspenderat. Atqui fabularum ubique aerem per Junonem intelligimus, Funiculus autem aureus æthram stellarum globis conspicuam ostendit. Incudes vero duæ terram & aquam, inter quæ Juno ipsa suspensa configitur. Hinc Fulgentius ex authoritate Theopompi in Cypriaco carmine, & ex Hellanico ὁ ἐν τῇ τοῦ διὸς φιλολογίᾳ, Junonem ait ab Jove vinctam catenis aureis, & incudibus ferreis degravatam, quamvis prave quidam depravatam legunt; sed longe fœdius interpretantur, dum exponunt Devirginatam: & quod magis rideas (a-



*Incudes duæ Junonis pedib. appensæ, quid. Vide Macrob. in somn. Scip. l. 14. & infra l. 59.*

B nimadverte hominis phrasim & impudentiam) depudicatam, imminutam, incudibus, veluti stragulis & lecto geniali præpositis, ob nimii tendoris & libidinis impatientiam (sic ille stolidus insanit, & enormia longe magis sibi confingit super Angelis.) Nec tamen me præterit, alicubi legi Angelos quosdam depravari, & compedibus coerceri: sed ibi depravari non significat depudicari, ut stupor iste putat, sed gratia lumineque Dei privari. Homeri autem carmina, unde hæc à Theopompo & Hellanico desumpta sunt, habentur Iliad. ο.

ἦ ἐ μέμιφ ὅτι κρέμω ὑψόθεν, οὐκ ἔτι ποδοῖσιν
ἄκμονας ἦκα δύο, πρὶ χερσὶ δ' ἐσμοὶ ἔπλα,
χρύσεον ἀῤῥυκτον, σὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι
σκηρίπω· πλάζεσθαι δ' ἔθοι κὰτ' μακρὸν ὄλυμπον, λύσαι δ' οὐκ ἐδύναντο.

*Non memor es cum te de summo pensilem Olympo*
*Demisi, utq; pedes geminas grave pondus ad imos*
*Appendi incudes, manibusque tenacia vincla*
C *Ex auro injeci: aeris tu in nubibus alte*
*Pendebas, fremuere Dii per aenea cœli*
*Templa indignantes, neque te dissolvere quisquam* *Evaluit.*

## DE MALLEO. CAP. IV.

INcudi Malleus, ut diximus, non indecenter adjungitur: de quo quidem apud Ægyptios nihil habetur, apud Divinarum literarum authores multa reperiuntur.

## MALORUM IRRITAMENTUM. CAP. V.

VIdetur vero Malleus pro malorum irritamento accipi, arma siquidem, pugiones, cuspides, & cultros malleus excudit, unde mala tot in mortales oboriuntur. Eo etiam fiunt tubæ ductiles, per quarum clangorem animemur in



*Hic potuit adjici illud Origenis Theologi in Hieremiam, Inter malleum & incudē, de iis, ait ille, qui anxietatib. & ingentib. malis premuntur. Malleus figura Zabuli.*

D bellum. Eo franguntur opera, & quæ solida sunt conteruntur. Quare nonnulli Divinarum literarum interpretes Zabulum per mallei figuram intelligunt, à quo malæ omnes procedunt cogitationes, pravaque consilia, & bonorum operum perturbationes. Hunc malleum ἱερογλυφικῶς universæ terræ confractum contritumque intelligit Hieremias adventu Christi, subindeque confringi quotiescunque pravis posthabitis operibus, ad rectam vivendi rationem convertimur. Unde ait Apostolus: *Deus autem conterit Satanam sub pedibus vestris quam ocyssime.* Sed super hoc plura legas homilia tertia in Hieremiam apud Adamantium. Zabuli vero

nomen, quo Theologi veteres plurimum utuntur, idem est quod Diabolus, uti Zacynthus per resolutionem Diacynthus. Theocritus, καλὰ πόλις ἀζάκυνθος, quod & alibi notavimus.

## DE SISTRO. CAP. VI.

Æneid. l. 8. SIstrum in Cleopatræ manu Virgilius statuit. Idem in Isidis sacerdotumque & Regum aliorum manibus spectatur, mysticum quidem instrumentum, sed quo crepitum admodum sonorum prociebant, de quo apud Maronem legas:

*Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.*

Interpretes quidem situlam & sistrum Niliaci accessus & recessus hieroglyphica fuisse dicunt. Sed enim necesse est hoc altius atque diffusius explicare.

## RERUM VICISSITUDO. CAP. VII.

*Eleganter ejus forma. erat autem musiū instrumentū cornu recurvū, quo Ægyptii in sacris usi, argutum & sonorum dum percutitur.*

*Sistri forma ex Plutarch.*

SIstrum itaque, cujus usus totus erat in motu, eam rerum vicissitudinem, quam juniores Alterationem vocant, continuumque formandi deformandique motum indicabat: nam ejus quassatio assiduum rerum motum ostendebat. Cæterum quia quæri solitum à plerisque, sistri species quænam esset, pro re fecerim, si priusquam partium ejus significata tractare aggrediamur, formam instrumenti ejus à Plutarcho traditam describsero. Erat sistri species orbicularis, & æque cava, in cujus circumferentia mobilia quatuor veluti tintinnabula appendebantur. Portio siquidem ea, quæ generationi corruptionique obnoxia est lunari subjicitur globo, infra quem omnia commutantur, alternantque vices variabilis ævi: quippe quæ sint ex elementis quatuor, igne, terra, aqua, & aere conflata, & in hanc vel illam speciem conformata. In apside vero, summo verticis loco, felem effingebant, quæ faciem humanam haberet: infra vero sub mortalibus illis orbiculis, hinc Isidis, inde Nephthyos effigiem: quibus quidem figuris ortum & obitum indicabant, cujusmodi sunt elementorum quas vocant alterationes & motus. Quid vero sibi felis vellet, suo commentario dictum, ut scilicet Lunæ symbolum esset: quod animal id temperaturam cum Luna perquam similem habeat, sive coloris varietatem, sive astum, sive nocturnam potius quam diurnam exercitationem, sive procacem admodum salacitatem consideremus. Quid vero illud quod ajunt felem unum primo partu xxix. edere, secundo duos, ac singulis ita vicibus usque ad septenos unum addere, ut tot deniq; tota vita ..... pariat natos, quot in Luna dies connumerantur? Jam vero pupillarum incrementa decre- ..... mentaque pari cum Luna consensu omnibus innotescunt. Humana vero facies nihil aliud ..... sibi volebat, ait Plutarchus, nisi ut intelligeremus animal id peritiam & rationem mutatio- .... num, quæ lunari globo accidunt, habere, quando uni homini per rationem intelligere datum est.

## DE TRIDENTE. CAP. VIII.

EX sistri figura igitur elementarem omnem plagam intelligimus: ex incude, terram & mare. Si vero quis mare tantum hieroglyphice signare voluerit, habebit ex numis unde figuram sibi desumat.

## MARE. CAP. IX.

*Sed & pro triplici ejusdem potestate. aut tripli ci aquarum genu. Nat. Com in Neptuno.*

IN promptu siquidem est tridens, qui in Neptuni manu positus, symbolum, uti Plutarchus ait, erat tertiæ regionis ab igne: qua de causa ita & Amphitriten & Tritonas appellant. In numis fane passim pro symbolo Maris ponitur, ut multis est locis cernere.

## TROEZENII. CAP. X.

ALiquot vero numi tridentis nota signati, Trœzeniorum indicant rempublicam. Siquidem cum illi Neptunum religiosissime colerent, hieroglyphicum tridentis in numis cultus sui testimonium imprimebant, autor Plutarchus idem. Et ποσειδωνιάς aliquando Trœzen ipsa dicta, hoc est, Neptunia, ut apud Stephanum habetur: tametsi ea sit olim aliis atque aliis nominibus appellata.

A lata, quippe nunc Aphrodisias, nunc Soroniam, nunc Apollonias, & Anthanis. Peloponnesiacam autem hic intelligo: nam alia est omnino Trœzen juxta Massiliam, quæ pertinet ad Italiam, à qua provincia etiam ipsa Trœzenis olim nuncupata. Sed, ut ad priorem revertamur, Pausanias Palladem & Neptunum de regione ea certamen iniisse tradit: pugnam Jovis sententia diremptam, qui regionem communem utriq; eorum esse sanxerit: eaque de causa Palladem apud ipsos Πολιάδα & Σωτείραν nuncupatam, Neptunum vero Βασιλέα, effecq; in eorum numis una parte tridentem, in altera autem Palladis ipsius caput.

## MANTINEA. Cap. XI.

IN Mantineensium etiam scutis tridens signatus erat, quare ejus urbis civis per gestamen id cognoscebatur, ut est apud Pindarum.

## LEGIO VIGESIMA. Cap. XII.

B SPectare est Brixæ antiquo in monumento tridentem in insignium quorundam militarium medio positum, in candelabri quodammodo speciem figuratum, supra quem literæ sunt. Leg. xx. Inscriptio est, quæ Lucium Antonium Pa. Quadratum in torquibus & armilius à Tito Cæsare bis donatum indicet.

---

## DE ARATRO. Cap. XIII.

TAnta fuit olim agriculturæ reverentia, tantusque honos illi semper habitus, ut veteres sceptra Regia in Aratri formam effigiarent, quo & ipsi quoque Sacerdotes perinde ac Reges utebantur.

SCEPTRUM REGIUM.



## DEMOLITIO. Cap. XIV.

C CIrcumducendi vero aratri observatio non in condendis tantum urbibus reperitur, verum etiam in evertendis delendisque. Quare illud apud Modestinum Digest. lib. VII. tit. *Quibus modis &c.* observandum, *Aratro in civitatem inducto, civitas esse desinit*, ut passa est Carthago. Eoque spectat Horatianum illud primo Carminum.

*Imprimeret quæ muris*
*Hostile aratrum exercitus insolens.*

Et secunda Philippica M. Tullius: *Ut vexillum videres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ penè perstrinxisti.*

## AGRICULTURA. Cap. XV.

*Scipionis Africani numus.*

NImirum etiam est aratrum agriculturæ frumentariique proventus, signum, ut in numo argenteo cernere est, cujus inscriptio est ab occipitio, Scipio Imp. cujus caput Elephantino est in-

*Pacis omine enim Christus salutat suos, nihil illis præter pacē donat & relinquit: eam Christo nato canunt Angeli.*

D signe capite, quod dubio procul Africanum signat: inferne aratrum pulcherrimè factum. Ante faciem spica, inde literæ, Q. Metellus. Ab altera facie sigillum nudum, cujus dextera innititur femori, læna supra magnam spicam toto brachio exporrigitur: literæ hinc, Reg. f. inde, Epius. De frumentaria vero Africæ feracitate alibi sæpe dictum. Quod vero Prophetæ olim dixerunt, *Ex Sion prodet lex, & verbum Domini de Hierusalem, corriget q; vim magnam populorum, ut concidant gladios suos in aratra, frameas suas in falces*, Irenæus lib. in Valentinum quarto, pacificum Christi dogma præmonstrasse tradit. Christiana igitur institutio ad pacem, ad concordiam, ad unanimitatem comparata est. At quo nos decidimus? quæ nobis tempora destinata sunt? quibus quæ plurima tam publice quam privatim Christianis accidant mala, non aliunde sint, quam & ipsis Christianis.

*Aratrum in sacris quid.*

## DE FLAGELLO.

### AUGUSTUS MENSIS. Cap. XVI.

Juniorum inventum est, per flagella duo frumentaria in transversum alterius alterum posita, Augustum mensem indicare, quod eo potissimum tempore tritura peragatur, inter messem scilicet & vindemiam, nisi hoc fiat, agricolis vix quod agant, habentibus. Sedenim cum non eadem sit regionibus omnibus triturandi ratio, hieroglyphicum hoc iis tantum inserviet, quibus id instrumenti usui est.

### IMPERIUM. Cap. XVII.

ID receptius apud veteres est, ut per flagellum imperium significetur, quod sæpe in Consularibus numis cusum observes. Quinetiam in conjecturali disciplina nihil ab hoc diversum notat, quod vel ipsius M. Tullii Ciceronis somnio satis innotuit, cum is C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, Augusto viso affirmavit ipsum esse, cujus imago sibi secundum quietem observata, cœlitus aurea catena demissa, cui Jupiter flagellum obtulisset.

*Plutarchus in Cic. vita, & Suet. in Augusto cap. 94.*

### TOLERANTIA. Cap. XVIII.

ESt & tolerantiæ symbolum per se manifestum satis flagellum ipsum, quo uno signo Laconum patientia verberibus tolerandis assueta, clara & illustris habebatur. De qua Tertullianus: *Certe Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sanguinis fuderint.*

## DE FRÆNO.

### REX. Cap. XIX.

AB officio vero gubernandi regendique, habenæ quoque in Regis significatum veniunt. Hinc frænum nonnulli in fortunæ manu statuunt. Hinc plerisque locis eadem clavum tenet navigii gubernaculum. Sed habenas tenere, pro regere, passim apud autores usurpatum. Quia vero funem ex corio primum fuisse constat, ut naves apud Homerum στρεπτοῖσι βόεσσι ligantur, funes interdum habenas vocitari comperias. Et nostri Bellunenses, toto agro, validissimos funes ex crudo corio in ligulas longas secto in tricasque mox arcte complicato conficiunt, quos etiam rusticorum vulgus funes appellitat. Quin & Virgil. vetustatis amor dixit, *classique immittit habenas*, cum funes intelligeret velo regendo aptos, ut Cælius Urbanus antiquus Grammaticus interpretatur. Quamquam eruditissimi nostro tempore sint, qui eo loco habenas metaphoricè pro clavo positas arbitrentur.

*Et laxare habenas pro sistere vim dominandi &, Μὴ ἄπεσθαι ἡ νίων παιδίον ἄπειρον ὄν, Im. peritus non tractet habenas, id est regimen. Æneid. l. 5. Hinc Philostr. in Antæ. ἐμβεβληκέτε ἡνίαν τῷ θυμῷ frænum injecit, pro moderatus est iram. Camus & frænum. Psalmo. 32.*

### TEMPERANTIA. Cap. XX.

EAdem porro ratione qua clavus in navi moderationem significat, frænum tum moderationem, tum quam Theologi nostri temperantiam appellant, significare dicunt: Nam quod temo navibus, in Equis frænum est. Jocatur in hanc sententiam Plautus, Rudente, navem pro Equo intelligens, ubi Sacerdos ad puellas ejectas ait: *Nempe Equo ligneo per undas cæruleas estis vectæ.* Camus & frænum idem sunt, quamvis camus ad inflectendam cervicem comparatur, frænum ad oris, ac perinde totius corporis regimen. Horum significatum est, malarum incitationum coërcitio, ut exponunt Theologi eo loco, *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Dicitur autem κάμος ab inflexione παρὰ τὸ κάμπτω, quod domare est. Hujusmodi enim fræni genere desultores utuntur ad pullorum cervices intactas edomandas. Nemeseos porro signum ab antiquis celebratum, insigne cubiti mensura manu prætenta, neque non fræno, in hunc scilicet modum:

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχεϊ, τῷ τε χαλινῷ,
Μήτ' ἄμετρον τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

De

A De qua ita nos:

*Una manus cubitum ostentat, gerit altera frænum:*
*Illa, modum serva hæc admonet, os cohibe.*

## DE TURBINE PUERILI. Cap. XXI.

HAbenarum mentio turbinem in memoriam attraxit, quia turbinis concitatio ab habena est. De hoc autem Græci Latinique potius quam Ægyptii, quantum investigare potui, meminerunt. Quoniam vero clari admodum viri similitudinem à rhombo, qui turben est, desumpsere, quid in eo lateat hieroglyphicum, exponere visum est operæ pretium.

## VEHEMENS MENTIS AGITATIO. Cap. XXII.

*Rhombus quid. Galli, une pirouette, une trompe.*

EST autem rhombus, ut hinc exordiamur, lignum buxeum, vel ex solidiore aliqua arbore tornatum, plana lataque primum basi, cono sensim in angustum abeunte cujus apex clavo armatur
B ferreo. Usus ejus in puerilibus ludis cum antiquissimus fuerit, Florentini, apud quos plurimum exercetur, eum vulgo *Palæon* appellant, vocabulo ipso vetustatem indicante. Implicatur is à cuspide prælongo loro, atque ita ludo puerili, quanta vi fieri potest excussus, basi superne cuspide inferne versa solo alliditur: dum vero ab intorto se loro explicat, in raptissimam concitatur vertiginem, atque ita volubiliter rotatus, spatiis ampliter curvatis hac illac fertur: pueri superinstantes flagello illum exagitant, acrique intorta plaga impetum vehementiorem adjiciunt: Turben hic à Tibullo, à Marone autem turbo, ut Sosipater Charisius observavit, dicitur. Ob eam igitur concitatissimam vertiginem agitationemque, Poëtæ mentis volubilitatem, quæ nullo possit loco consistere, rationeve separari, quod plurimum in furore accidit, expressere. Atque ita Tibullus amatorio furore exagitatus, de se dicit:

*Namq; agor ut per plana citus solet verbere turbo,*
*Quem celer assueta versat ab arte puer.*

Ludum hunc Maro dilucidius pinxit, ubi correptam furiis Amatam Reginam nusquam consistere *Æn. lib. 7.*
C posse, ita luculenter ostendit, ut versus hi, vel decies repetiti, nullius umquam tædio recitentur:

*Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,*
*Quem pueri magno in gyro vacua atria circum*
*Intenti ludo exercent: ille actus habena*
*Curvatis fertur spatiis: super inscia turba*
*Impubesq; manus mirata volubile buxum*
*Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo*
*Per medias urbes agitur, populosq; feroces.*

Quoniam vero inter furoris species quinque à Platone memoratas, amatorius locum obtinet, rhombum Magi alliciendis amatoribus aptum veneficiis adhibuere: de quo apud Theocritum, Pharmaceutria.

---

D

## DE COLU ET FUSO. Cap. XXIII.

NEque quidem in mystico hoc scribendi genere contemnendæ sunt colus & fusus, cum ex iis antiquissima quædam referantur significata.

## FATUM. Cap. XXIV.

PEr colum autem & fusum significari fatum, longe manifestius est, quam ulla debeat commentatione ulterius explicari: plena siquidem sunt Poëtarum volumina, fatum ipsum per flumina, per fusum, per colum, per fila ubique significantium. Tres vero Parcas illas hujus negotii arbitras, qua de causa vetustas finxerit, Platonem latissimè interpretatum alibi diximus. Tres autem illas esse, quarum una colum sustineat altera neat, tertia adactis in fila forficibus modo hæc, modo illa occæcet; ita rebus quotquot in mundo sunt, ortum, auctum, interitum esse proprium, ignorare neminem

*Plato lib. 10 de Republ. Parcarum pictura.*

*Vulgatus: sic hic versus: Clotho tenet stamen, Lachesis trahit, Atropos occat.*

nem crediderim. Si vero tabulæ hujus seriem quis delineari sibi cupierit, ita picturam digeramus, ut Clotho vestem induta versicolorem, cum corona septem stellis insignita colum teneat ingentem admodum. Lachesis veste passim stellata in signis, in pendentium magno numero fusorum stamina missis, modo hunc, modo illum torquere videatur, utraq; palma ad torturam composita. Atropos astrata insultet filis forfice detruncandis. Fusi solo passim jaceant, alii modico, alii plurimo obvoluti stamine. Fila variis sint picta coloribus. Minimè vero dissimulanda sunt, quæ filo super ex Divinis literis tradit Hesichius: subtegmen qui idem mortalium intentionem indicare, stamen vero Deum, utpote firmius, eaq; gratia quæ stabilis atque incommutabilis in nobis permanet, quæ nostræ intentionis subtegmen admittit, ut boni operis indumentum contexatur.

## NUPTIÆ. Cap. XXV.



*Colus & fusus novæ nuptis dantur, & quare. Bellunenſium mos in ſolemnibus novarum nuptarum.*

Quod vero colus & Fusus novam nuptam indicet, aliquis forte dubitarit. Sciendum autem id inde sumptum boni ominis causa, quod C. Cæciliæ, quo alio nomine Tanaquil Tarquinii Prisci uxor fuit, lana cum colu & fuso in templo M. Anci diutissime adservata perdurarit, cujus rei mentionem facit Varro. Et quoniam res Tanaquili feliciter cessit, institutum ut nubentes virgines comitaretur colus corrupta, & fusus cum stamine. Hinc gratulari libet antiquitati patriæ meæ: ubi toto territorio adhuc hujusmodi observatur, ut postero die quo nova nupta traducta fuerit, mane præsto sint domestici conjunctiores sponso, cum colu & fuso, quos novæ nuptæ offerant, armaq; alia quibus opus aliquod domesticum fieri soleat: quamquam vulgus interpretatur id ea de causa fieri, quasi subinnuere velint, hesternum quidem diem & genialem & festum fuisse, postero autem ad officia muliebria redeundum. Nam & alibi de olla meminimus, quam nova nupta postero à nuptiis die jubebatur à socru petere, quam illa peracerbe conviciis etiam superadditis abnegaret. Sedenim tam pervulgatus de colo fusoque mos antiquitatem illam sapere mihi videtur.

## PAULATIM QUID EFFECTUM. Cap. XXVI.

Separatim autem per fusum glomo obvolutum, sunt qui paulatim quid effectum intelligant, quod apud veteres nusquam inveni. Nam fila ipsa dum nentur, paulatim coëunt, sensimque torquentur, & ex molli vellere linove per patientissimam contationem in eam soliditatem ac firmitudinem, quæ operibus faciendis apta sit & idonea, coalescunt.

## MORS. Cap. XXVII.

*An quod Jovis & Themidis filiæ perhibentur. λαγχάνω, sortior, quia omnium sortes moderatur Atropos qui mutari aut vertine quitur: Clotho, quod omnia coordinat.*



At colus atque pensa tantum, staminibus abruptis, mortis habere significationem tradunt vulgata quam citavimus Parcarum fabula, quarum munus esse diximus, suum unicuiq; rei finem præscribere: inde etiam ficto nomine, quod, ubi fatalis advenerit dies, nemini parcant. De vi autem earum, quam ἀμετάτροπον esse dicit Plato, nos inconvertibilem dicere possumus, quoq; pacto non circa stabilem corporis sanitatem tantum, verum etiam ad animos in legum cultum & observantiam inducendos munus exerceant suum, quin legibus & sanctionibus firmam præstent incolumitatem, duodecimo Legum libro circa finem Plato differit, ibidemq; interpretes de fixarum stellarum orbe multa. Lachesin quippe firmamentum esse (ut superiorem fabulam apertius interpre-

temur)

A temur) in cujus ſtellis vires ſortesque inferiorum omnium contineantur. Clotho vero Planetarum cœtum, in evolvendis rerum ſortibus firmamento ſubminiſtrantem. Atropon denique Saturnum, quòd ſtabilitate ſua eductas in effectum ſortes immutabiliter confirmet: quæ quoniam late apud eos diſputantur, à me nunc prætereuntur. *Λάχεσις, πεπρωμένη, Homero, ſilicet ſilicet fatum.*

## DE LAQUEO. Cap. XXVIII.

HÆc vero Parcarum lina in opus deducta, laqueum neverunt, artificique aſtu compoſuerunt: de quo dicere non fuerit importunum,

## AMOR. Cap. XXIX.

LAqueus vel vinculum, nunc rete, nunc decipula quælibet, amorem hieroglyphicè ſignificat, quippe qui artibus his homines convenetur taciteque aggreſſus incautos in inſidias trahat. Addunt etiam nonnulli hamum, de quo loco ſuo dictum. Quod ad laqueum facit, aliqua ſpe propoſita voluptatis ita decipimur, veluti feras quoque, appoſita eſca, ſpe boni, capere moris eſt. Neminem enim facilius decipias, & arbitrio colligaris tuo, quam amantem: unde etiam vinculum, & vinciendi, & captivum reddendi, ſignificatum habet.

## VENUS. Cap. XXX

IPſi vero Veneri amoris genitrici à vinculo nomen inditum: ſiquidem à viere, quod ligare eſt, dicta ait Varro. Quod vero apud Lacedæmonios Venus cognomento Μοχφώ, pedicis circa pedes obvolutis oſtendebatur: nam Tyndarum ferunt conjeciſſe Venerem in vincula, quo filiarum opprobria, quæ impulſu ejus acciderant, ulciſceretur. Sedenim Pauſanias figmentum hoc à vulgi fabula ſummovet, remque eruditius hieroglyphicè interpretatus, ea ſpecie ſignificari tradit, quod debeant mulieres erga viros ſuos in fide firmiter & conſtantur permanere. Noſtri in univerſum caſtitatem & ſobrietatem ita comparandam monuere, ſi tali utamur hieroglyphico, dum ajunt: *Cum Calypſone.*

C *Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum.*

## DIANA. Cap. XXXI.

APud eosdem Lacedæmonios, Dianæ ſimulacrum, quod Iphigenia & Oreſtes ex Taurica regione detulerunt, vitice colligatum colebatur, nempe quod eam auferentes viticem faſciculo obvolutam occultaverint. Huic quondam homines ſorte ductos immolabant, quod ſacrificii genus Lycurgus in Epheborum ſtagra commutavit, ſimul ut aram Dianæ, quod ipſa oraculo ſibi deposcere viſa erat, humano ſanguine conſpergeret, ſimul ut plagarum cotemptu fortiorem redderet juventutem.

## DIANA STRANGVLATA. Cap. XXXII.



APud Caphyatas Arcadiæ populos, Dianæ ſtrangulatæ ſimulachrum, atq; eidem templum erat. Significabat id non hieroglyphice, ſed hiſtorice, rem ſuper ea geſtam: propterea quod pueri quidam circa templum ludentes funiculum repertum ſimulacri collo injecerunt, ſe Dianam ſuſpendiſſe dicentes, quos Caphyatæ lapidibus obruerunt, oraculo inde moniti eos ſepelire, & ſacra quotannis facere, cum eorum uxores omnes abortivos partus ederent. Author Pauſanias.

D

## FIRMITAS. Cap. XXXIII.

SUum vero [a] ἐυδέλιον Lacedæmonii pedibus vinctum colebant, cujusmodi vetuſtiſſimam apud eos ſtatuam fuiſſe Pauſanias atteſtatur, ne ſcilicet aliorſum ab urbe ſua ſecederet, ſed in ea firmus ſtabilisq; permaneret. Cujusmodi inſania Tyrios etiam vexavit, quo tempore ab Alexandro Macedone obſidebantur;

a *Martem. Sic Saturn. in compedibus ſiſeba. tur per am. n m lane,*

*Vinculo cujus mortis causam red. dit Macrob. Satur. lib. 1. c. 6.*

nam & Apollinis ipsi sui basin aurea catena religarunt, cum quidam in concionem progressus affirmasset, visum sibi per nocturnam quietem Apollinem dicere, velle se transire ad Alexandrum: post quod vinculum injectum super eum Tyrii Alexandrinum cognominarunt. Sedenim aliorum quoqs deorum statuis Plutarchus in Problematis Tyrios vincula solitos injicere, id scilicet indicantes, quod lento gradu in scelerum castigationem ferantur. Et Horatii locum de pœna quæ *claudo incedit pede*, in hanc eandem sententiam Porphyrio interpretatur.

## JUNONIUS. Cap. XXXIV.

*Milonis statua.*

ETahenea Milonis statua in Olympia fuit, quæ super discum posita vinctis simul pedibus inniti videbatur. Malum autem Punicum sinistra tenebat. Dexteræ digiti recti, & rigentibus similes apparebant, vittaque caput habebat redimitum. Rem ita interpretatus est Philosophus Tyanæus, ut Milonem athletam dixerit Junonis Sacerdotem à Crotoniatis institutum, idque mitram & redimiculum indicare. Arborem vero malum Punicam solam in Junonis honorem plantari.

## FORTITUDO ATQUE TEMPERANTIA. Cap. XXXV.

*Minerva obligata quid.*

QUamquam alii eruditionis hieroglyphicæ non ignari, dicunt pedes colligatos, id significare, quod fortissimus is athleta nullius viribus ex eo loco, ubi semel constitisset, dimoveri posset. Malum manu comprehensum, digitorum ejus fortitudinem indicare, quod identidem nullius conatu avelli posset. Porrectionem vero digitorum eodem roboris argumento significasse, quantum illi virium inesset, quod à quoquam vel robustissimo, neque inflecti, neque dimoveri potuerint. Per vittam vero temperantiam hominis ajunt indicari: athletæ enim vires suas ea potissimum ratione custodiebant, quod ab iis, quæ corpus enervant, libidinibus, studiose admodum abstinebant.

## MINERVA ARCADICA. Cap. XXXVI



NEque quidem Dianæ tantum simulachrum obligatum erat apud Arcadas, verum etiam Minervæ signum obligato crure ostendebatur. Significabat id vulnus, quod ipsa à Teuthi Arcadum duce acceperat, dum illi suadere, & obstare conaretur, ne Græcorum societatem desereret, quam ipse ob simultatem in Agamemnonem repudiaverat. Teuthis autem apud Arcadas colebatur, & certamen id cum Minerva illi laudi adscribebatur. De stupore vero, & imperitia Arcadum, qui nihil cum Minerva commune aut sociale habuerint, in Quercu, atque etiam in Asino, satis dictum.

*Notantur quoque à Luciano, in Astrologia, ab Athenæo, lib. 14. & Aristoph. in auribus.*

## SEMEN IN UTERO. Cap. XXXVII.

*Saturnus alligatus.*

SAturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & solvi ante diem sibi festum mense Decembri: atque inde proverbium, *Deos habere pedes laneos*. Hinc vero significari semen in utero animatum (nam à satu Saturno nomen) in vitam grandescere, ac donec erumpat in lucem, quod decimo fieri mense, & Virgilii & aliorum testimonio, iis quæ recte ferunt, comprobatur, molibus interim naturæ vinculis detineri. Sunt vero qui referant id ad tempora, quæ certa naturæ lege connexa sunt: vel quod fruges omnes vinculis nodisq; quibusdam alternentur: vel quod in Tartara conjectus, propter loci, in quo versatur, profunditatem, quasi quibusdam ibi vinculis detineatur, ut deportatus. Alii fictum volunt ob motus tarditatem, de quo alibi.

*Adverbum à Macrobio lib. 1. cap. 5. Saturn.*

## ARTIFICIOSUM OPUS. Cap. XXXVIII.

*Hinc artificiosa & ingeniosa Dædala Homs.*

QUæ vero vincula statuis, quas Dædalus elaborasset, injici solita sunt, id sibi volunt artificiose adeo fuisse fabrefactas, ut abire viderentur: quocirca vinculis compescendæ essent. Meminit hujus

A hujus rei Plato in Menone, *Dædali signa*, inquiens, *ni religata fuerint, abire & fugam arripere: ubi vero revincta sunt, consistere.* Proinde siquis aliquod ejus habeat, & solutum esse sinat, incertam eam esse possessionem, perinde ac si quis servum habeat fugitivum, & 1. Politicorum Aristoteles Dædali statuas memorat, quas vulgus moveri, & opus facere dictitasset. Neque desunt qui ligneam Venerem à Dædalo fabricatam autument, quæ argento vivo infuso moveretur. Hinc quotiens opera hujusmodi & pulcherrima & absolutissima esse ostendere voluerimus, si Platonis sententiam approbemus, eorum pedibus, aut quæ opportunior fuerit parti aliquid adalligabimus.

*rus, & Pindarus in Olympiis, dixere, & Virgil. Dædalũ Circem. Æn. lib. 7. Nimirum Aristoteles l. 1. de Anima, refelles opinionem Democriti.*

## NEQUITIA. Cap. XXXIX.

JUniorum incœptum esse volunt nonnulli quantivis pretii viri, amorem obligatis oculis pingi: neque id antiquam sapere eruditionem, cum eum ipsi dicant oculatissimum. Plerique tamen veterum, ut Theocritus, Menander, Archilochus, & è nostris præcipuè Virgilius, amori cæcitatem attribuerunt, eum scilicet amorem intelligentes, cui assidua est comes nequitia. Affectum enim in turpitudinem cœcum esse, nemo non dixerit. Appetentia enim quæ ab oculorum sensu est, intellectum concitat ad voluptatem: ea vero tali orta principio, quæ putat in conspectu esse bona, ea tantum concupiscit, addictaque sensui à contemplatione avertitur, neque sui compos est, ut possit eligere. Impetu igitur raptatur, & in furorem fertur. Furor dubio procul intellectum obcæcat: quique ita affectus est, is *cæco carpitur igni*. Qui vero electionis est compos, auream colit Venerem, nihilque prius curat, quam cæci stimulos avertere amoris: cæci, quia dubio procul affectus ille à sensu rectus, aut exoculatus est, aut ita oculos habet obligatos, ut nec quæ attingunt ad rem, nec sumptus videat. Quod vero sint qui, *Cæco carpitur igni*, exponant, cæco, validiore, quia dixerit Ovidius, *Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis*, cur non dixere potius, cæco, intellectus & rationis lumine privato? Id tamen active, quia non videbat omnino Dido quo raperetur, in quantam ærumnarum tragœdiam se præcipitaret. Amat Scyllam Glaucus: Scylla lupis est canibusque succincta, quod meretriciam protervitatem & impudentiam ostendit. Glaucus idem vel cæcus, vel, ut significantius loquamur, luscitiosus, & glaucoma cæcitas Latinis est. Sed cur non ea etiam de causa laqueum amoris insigne dixerimus, quod ubi quis perdite insanire cœperit, extremo sibi aufugio, & miseriarum liberationi laqueum agnoscat? ut elegantissimus ille monet senariolus:

*Amor cæcus quid.*

*Æn. lib. 1.*

*Si sapis amentẽ dicas non Lector amantem.*

*Lib. 4.*

ἔρωτα παύει λιμὸς εἰ δὲ μὴ, χρόνος.
ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φόγα σβέσῃ,
θεραπείησοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος.

Quod ita Latine reddere possumus:

*Fames amorem sedat: hæc si non potest,*
*Non grande saltem tempus efficit: nisi*
*Præstare tempus hoc queat, reliqua salus*
*Est laqueus, aptes quem tibi.*

D Passim vero Poëtæ amoris retia decantant, quæ statim declinare studeamus. Nam, ut sapientissimè admonet Lucretius,

*Nam vitare plagas in amoris ne laciamur,*
*Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis*
*Exire, & validos Veneris perumpere nodos.*

## VENATOR. Cap. XL.

SEdenim cum venationis præses Diana fingatur, jure illi & laquei & retia sunt attributa, utpote præcipua venatorum arma. Unde Ps. 90. scriptum. *Libera me de laqueo venantium.* Et 125. canitur: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Ubi animadvertendũ est apud Græcos quidem

*Arma venantium præcipua.*

θηρευόντων legi, quam literam nostri secuti sunt, sed apud Hebræos vocabulum esse, quod ajunt significare Sidonios, populum Judæis semper infestissimum: venatores enim Sidonii, inquit Adamantius. A
Neque ignoravit hoc Maro noster, apud quem Venus mater Æneæ filio:

*Æn. lib. 1.*

*—— Media sese fert obvia sylva,*
*Virginis os habitumq; gerens & virginis ara* *Spartanæ.*
*Namq; humeris de more habilem suspenderat arcum*
*Venatrix, dederatq; comam diffundere ventis,*
*Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.*

Curque hoc venatricis habitu incederet, causam mox infert:

*Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram*
*Purpureoq; alte furas vincire cothurno.*

## ANNONA. Cap. XLI

*Venationis hieroglyphicum.*

QUinetiam ipsa venationis locutio aliquid præ se fert hieroglyphicum: siquidem venatio tum victum, tum annonam, & quicquid in humanæ vitæ usum comparatur, significare dicitur. Venatui enim primæ ciborum deliciæ comparatæ. Quare videas locum Psalmographi: *Viduam ejus præcipuè benedicam*, quod in antiquis Græcorum exemplaribus θήραν, non χήραν, legitur, quod venationem significaret: ex qua locutione Theologi omne ciborum genus quod ad pulpamenta comparatur, accipiendum dicunt. Nam & qui Hebraicam lectionem sequuntur, aliquid simile deprehendere, cum pro, *Viduam ejus benedicens benedicam; annonam illius*; alii, *præcipuè benedicam*; alii, *amplificabo, copiosissimamq; faciam*, reddiderunt. B

## DOLI OCCULTI. Cap. XLII.

*Hinc in laqueum inducere, & illud Platonis in Sophista, haud facile esse omnes laqueos effugere, id est omnes dolos.*

SEd ut ad laqueum revertamur, id instrumenti occultos dolos & calliditatem, insidiarumq; indicat cogitationes. In occulto enim tendi solent insidiæ, quemadmodum & laquei, & in ejusmodi sententia à fatidico vate Davide positum invenias. Idem alibi mortis laqueum memorat, pro morte per insidias intententata. Nam quod laquei venatoribꝰ adversus feras id insidiæ in hostes præstant. Dubio procul enim ubi in Psalmo legitur, *Laqueum paraverunt* dolos omnino significat Eucherius. Atque alibi in iisdem sacris literis de meretrice legas, vinculum in manibus ejus de vitiis: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis jugum ipsorum, ut contrito laqueo liberemur.* Nam hæc quamdiu rupit Samson, inimicos vicit. C

Τὰς ἀπάσας ῥάδιον εἶναι διαφεύγειν.

---

## DE CATENA.

### APERTA VIS. Cap. XLIII.

CAtena vero vim apertam significat, quia victis palam catenæ injiciuntur, neque ullam exigunt occultationem. D

### VITIA. Cap. XLIV.

THeologi nostri veteres catenas vitia significare contendunt: quod vitia se invicem gignere, atque arctissimè complecti consuevere. Nam qui de moribus disputant, necesse ajunt multa illi inesse vitia, in quo vel unum tantum fuerit in conspicuo: usque adeo peccatum esse transire lineam, finivere. Sic è manibus Petri Apostolum principis catenæ ceciderunt: sic illi solvendi jus divinitus attributum. Hoc tamen significato juniores libentius dixere.

CON-

## CONJUGIUM. Cap. XLV.

A SUnt tamen & maritalis vitæ indicia, propriæque similitudines catenæ, quæ pedibus, quæque manibus injiciuntur. Nam pedicæ vitæ liberioris progressum impediunt, hominemque intra certæ rationis ergastula cohibent, neque licentius evagari permittunt. Manicæ vero sunt negotiorum impedimenta, quibus implicari necesse est familiæ patrem, firem, liberos, domumque suam recte administratam, institutamque velit.



*Hinc Seneca in dialogo affectus & rationis, compedes aureas uxorem formosam vocat, & Horatius amicam formosam, gratam compedem.* χρυσαῖ πέδαι:

## DE JUGO. Cap. XLVI.

INter vinculorum genera & jugum est, cujus varia omnino sunt significata. Sed quoniam de maritali vinculo quid cœpimus, eidem hoc adjicimus.

## PAR COPULA. Cap. XLVII.

B PRo vita conjugali, vel ipso nomine rem indicante, honestiori argumento jugum accipi, Ea siquidem est conjugatio & copula maxime maritalis, unde conjugium & vincula jugalia, & parem deniq; conatum, curam, amoremque, & studium in consortibus esse debere indicat, atque hoc est, quod apud eruditos dictum invenias, *Pari jugo.*

*Conjux, & conjugium.*

*Theocritus in Vita de amore mutuo,* Ἀλλήλας ἢ ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ, *pariq; jugo sese invicem amabant.*

## SUBJUGATIO. Cap. XLVIII.

APud Horatium jugum aheneum, pro violenta subjugatione positum reperias, ut Carm. lib. 1. od. 33.

*Sit visum Veneri, cui placet impares*
*Formas atque animos sub juga aënea*
*Sævo mittere cum joco.*

Nam & subjugare, militare verbum, & sub jugum mittere, passim apud historiæ scriptores invenias. Erat vero hujusmodi jugi species, ut in Armorum commentario diximus, ad similitudinem Græcæ C literæ, duabus scilicet hastis in terra defixis, tertiaque ad summum earum deligata, sub qua victi hostes omnibus armis exuti subeuntes, transire per ignominiam jubebantur.

*Jugum militare.*

## SERVITUS. Cap. XLIX.

INvenias & pro servitute jugum poni, ac perinde pro fatigatione: unde *subdere colla jugo*, pro trahi in servitutem & labores, passim apud Poetas, à Bobus nimirum sumpta metaphora, qui ad hoc junguntur, ut laboribꝰ exerceantur. Hoc significato Assertor noster, qui calicis amaritudinem suis pollicetur, de promptæ voluntatis alacritate loquens, *suave esse jugum suum, & onus leve* profitetur.



*Jugum Domini suave.*

## LEGES. Cap. L.

D SUnt qui per ejusmodi dictum leges intelligi putent, quod appellatione jugi legum onus fuerit etiam à Davide nuncupatum. Omnino vero leges pro subjugatione & imperio vicissim à Marone dictum: *Legesq; viris & mœnia ponet.* Nam qui legibus parent, similitudine quadam colla jugo subdere videntur: & qui potentiorum arbitrio subjiciuntur, subire jugum identidem.

*Alias mores Æn. l. 1.*

## PATIENTIA. Cap. LI.

SUnt qui jugum significato patientiæ præferant, quo plurimum insigniri gavisus est Leo X. P. M. Cum enim ab ineunte ætate Virgilianum illud admirari cœpisset, quod solitus sit ille, ut ajunt, dicere, nullam homini virtutem patientia commodiorem esse, eam sententiam ita carmini mox inservit:

*Superanda omnis fortuna ferendo est.*

*Æneid. l. 5. Leonis X. P. M. patientia tessera familiaris.*

Nullum unquam is opus neque publicum, neque privatum, etiam cum ad Pontificatum evectus est, faciundum locavit, cui jugorum insignia non apposuerit, cum inscriptione, SVAVE, ut scilicet ad virtutis ejus fructum percipiendum alacrem esse necessariam voluntatem innueret, jugumque id suave futurum, quod libenti animo toleraretur. At contra nihil tam facile, quin difficile appareat, quod invitus facias. Postea vero, cum is rerum potitus esset, ad insigne id ea accommodata est interpretatio, quæ orta est ex re ipsa, eo scilicet principe justam & clementem, atque adeo suavem humano generi servitutem obtigisse.

## JUPITER. Cap. LII.

SEd quid illud, quod ipsius Jovis symbolum est, jugum? Jugare siquidem Jovis inventum esse veteres tradiderunt, & à Jovis nomine Græci ζεῦξαι deduxerunt. Ipsum autem ajunt primum jumenta junxisse, ut ea in frugum satu frugalem nobis operam præstarent. Nam

*Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.*

Nec ignoravit hoc Naso, cum scripsit de Jove ipso:

*Georg. l. 1. Ovid. lib. 1. Metamor.*

*Semina tum primum longis Cerealia sulcis*
*Obruta sunt, pressique jugo gemuere Juvenci,*
*Post quam Saturno tenebrosa in Tartara misso,*
*Sub Jove mundus erat.*

## DE CLAVO. Cap. LIII.

HAbet quid simile cum jugo, cumque laqueo, clavus, quantum pertinet ad colligationem, applicationem, unionem: quare locus exigit, ut super eo quoque aliquid disseramus.

## SISTERE. Cap. LIV.

CLavus utique sistendi firmandique signum habitus apud antiquos. Et Dea ipsa Necessitas adamantino clavo insignis fingebatur, quæ ubi quid faciundum decrevisset, non licere vel Diis ipsis intercedere, Homerus ait. Hinc apud Horatium Fortunam ipsam, quæ rerum humanarum domina fingitur, semper anteit *sæva Necessitas, sive*, quod in antiquissimis codicibus observavi, *serva Necessitas*,

*Sic Horat. Figit adamantinos summis verticibus dira necessitas Clavos.*

*Clavi hieroglyphica. Carm. Ode 35.*

*Clavos trabales & cuneos manu*
*Gestans ahenea, severus*
*Uncus abest, liquidumque plumbum.*

Eodem utitur hieroglyphico Tullius in Verrinis, ubi ait: *Et ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, & de consilii sententia Mamertinis se frumentum non imperasse pronunciat.*

## SOSPITAMENTUM. Cap. LV.

QUi vero clavus aheneus, nonnumquam & ferreus in postico pariete templi, quod Minervæ dicatum erat, in Capitolio visebatur, præsentanei remedii ad mala quæ impendere viderentur signum habebatur, atque amuletum erat præcipue contra pestilentiam, eoq; vim morbi sisti persuasum fuit. Figebat eum Consul solenni sacro. Et aliquando Dictator solius figendi clavi causa creatus est: quo in albo Cincius Manlius, Cn. Quintilius, & alii nomen habent apud rerum scriptores. Cujusmodi rei adhuc Romæ extat monumentum hoc:

M. HORATIUS CONSUL EX LEGE
TEMPLUM JOVIS OPT. MAX. DEDICAVIT ANNO POST REGES EXACTOS.
A CONSULIBUS POSTEA AD
DICTATORES, QUIA MAJUS IMPERIUM ERAT, SOLENNE CLAVI
FIGENDI TRANSLATUM EST.

ANNUS.

## ANNUS. Cap. LVI.

A ERat & alterius generis clavus, qui Septembribus Idibus figebatur per annos singulos in sacrarum ædium parietibus, ad annorum numerum colligendum, quia parvus tunc erat literarum usus isque clavus annalis appellabatur. *Clavus annalis.*

## DE CUNEO. Cap. LVII.

COntra vero Cuneus, quæ vel natura sunt solida, vel arte compacta, conglutinata & applicita sunt, discutit atq; dissolvit, discissaque separat, & à clavo totus diversus abit. Ideoque inter instrumenta necessitatis, quæ fortunæ operam suam subministrat, appingitur. Super eo est igitur differendum.

## DISSOLUTIO. Cap. LVIII.

B POsito siquidem firmandi signo, quod per clavum indicatur, ubi scilicet fortuna quippiam stabiliviſſe videatur, cum & ejusdem munus sit, ea quæ firmissima judicentur in humanarum rerum ludibrium dissolvere, loco dimovere, discutere, atque disjicere: additus est ad necessitatis insignia cuneus, qui nimirum, uti dictum, dissolvendi, discindendi, atque separandi symbolum est. Et veluti per clavum firmatum aliquid ostendimus, ita per cuneum, infirmatũ aut loco dimotum indicamus. Additum & ahenea hæc gestari manu, ut vicissitudinis hujus perpetuitas numquam desutura commonstretur: siquidem, ut sæpe alibi docuimus, perpetuitatem indicat æs: propterea quod rubigine non absumitur: ideoque Vegetius probat æreos clavos configendis navibus, quos ferreis anteponit, quod eos tempore & humore celeriter rubigo consumat: illos etiam in fluctibus permanere incolumes manifestum sit. *Hinc Hora. lib. 3. Car. ode 31. Exegi monumentum Ære perennius.*

## DE UNCO. Cap. LIX.

C QUæ vero de Unco & Plumbo subsequuntur apud Horatium, eandem faciunt sententiam: siquidem unco trahi, quo loco dejecti fuerint, læsæ præsertim majestatis rei, solitum, apud rerum scriptores sæpe legimus: quare congruit uncus cuneo. *Quinetiam forsan rapacitati, hinc Pythag. Γαμψόνυχα μὴ τρέφειν. Qua sunt unguib. uncis, ne nutrias.*

## DE PLUMBO. Cap. LX.

PLumbum vero clavo perquam simile est, propterea quod eo infuso, & statuæ, & aliæ operum ædificiorumque moles cohæresunt, & firmitate stabiliuntur: & suapte natura est adeo ponderosum, ut etiam si non ad operis adhibeatur firmitatem, quam difficulter loco dimoveas, per se valeat significare.

## HEBETUDO. Cap. LXI.

D ALioqui plumbum hebetudinis indicium est. Nam cum velocissima esse debeat mentis agitatio in eo, qui acutioris ingenii laude commendandus sit, ubi quem tardiorem ad ea excogitanda, consulenda, constituenda, adeunda, peragendave, quæ usu veniunt, inspexerimus, à contatione ipsa, vel ab immobilitate, plumbeum ingenium per cavillum exprobramus. Unde in Tusculanis Cicero: *Ni sane in Physicis plumbei sumus.* Et pro inefficaci & inutili, atque inani sermone plumbeum gladium, aut pugionem, apud eumdem Tullium invenias. *Plumbeum ingenium. Cicero in epistolis ad Atticum. Lib. 4. de finib. bonor. & D. August. libr. 3. contra Julianum.*

## INIQUITAS, Cap. LXII.

ILlud etiam in Divinis literis observatur, quod iniquitas per plumbum intelligitur. *Iniquitas enim* secundum Zachariæ Prophetæ visum, *super plumbi talentum sedet.* Vetus enim ponderis modus est talen-

talentum. Ideoque Pharaonis exercitus, utpote qui in iniquitate permansit, tanquam plumbum in imas aquas pessum iit, ibique supinus in cavo profundi alveo recubuit, ut ait Adamantius.

## DE VECTE. Cap. LXIII.



Quid pondus significaret indicavimus: sed reliquum est instrumentum ponere, quo magna quantumlibet pondera facile moveantur.

## ARS NATURÆ VICTRIX. Cap. LXIV.

Is vectis est, per quem, artem humana industria comparatam, quæ naturam longe vincat, indicamus, negotiave perdifficilia minimo conatu confecta. De vecte sane, deq; aliis machinis Antipho Poeta senariolo eo, quem citat Aristoteles in Mechanicis, arte nos ea superare docet, quibus rei natura ipsa repugnare videbatur. Magnas enim rerum moles loco dimovemus adacto vecte, hypomochlio, quem nostri Suppressam vulgo vocant, centri loco summisso, pondera supra omnium, qui rem non inspexe, fidem tollimus: & eorum qui inspexere, sed causam non intellexere, admiratione, huc illuc arbitrio nostro promovemus. Atque hoc est, quod in primis admirabile dicit Philosophus, quod quispiam pondus virium imbecillitate loco movere non potest, id ipsum facile commovere, & hac illacque ducere, adjuncto vectis pondere tam exiguo, si reliquæ molis motæ magnitudinem contempleris.

*Vestis usus.*

## DE CLAVI. Cap. LXV.

Præstat utrumque clavis, quod & cuneus & clavus: eadem enim aperit & claudit, hoc est, ligat & solvit, & in manu Jani præcipue statuebatur.

## PUDOR. Cap. LXVI.



De qua quidem multa Poetæ nostri. Sed ut figmenta, ubi agitur serio, prætereamus, Fabii Pictoris si modo legitimum est id opusculi, interpretationem afferemus, qui Janum dicit ad pudorem & sanctimoniam, domorum primum valvas, seras & claves excogitasse, ab eoq; januas appellatas: unde claves in simulacris, in beneficii hujus memoriã gestet.

*Januæ unde.*

*Apollo κυραῖος. Quin & clavis ad linguam silentium notat. Hinc Æschylus citatus à D. Clemente strom. 5. Ἀλλ' ἐστὶ κἀμοὶ κλεὶς γλώσσῃ φύλαξ. Et nostra profert lingua custodem clavem loquens.*

## SECURITAS. Cap. LXVII.

Alii dicunt securitatis ejus signum esse, quæ passim eo regnante fuit: domos enim omnium religione ac sanctitate munitas fuisse prædicant. Alii à cludendi aperiendique anni officio, quod munus ejus esse Dei putabant, claves additas arbitrantur: eaque de causa Clusium & Patulcium appellatum. Ad hujus instar Apollo cognomento κυραῖος, colebatur apud Græcos, quod ineuntis & exeuntis anni arbiter haberetur. Janum vero eundem esse ac Solem, à multis ubique disputatum.

## PORTUNUS. Cap. LXVIII.

Neque tamen Janus tantum cum clavibus, verum & Portunus cum clavi figurabatur in manu: nam & portarum Deus esse putabatur.

## PARTUS. Cap. LXIX.

Erat etiam olim ritus, ut nuptialibus inter alia clavis quoque mulieribus traderetur. Id ajunt boni ominis causa geri solitum ad partus scilicet facilitatem illis comprecandam. Et hoc significato in sacris literis sæpe invenies, *Vulvam aperire.*

JOAN-

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XLIX.

## DE IIS QUÆ PER LAPIDEM, ET ALIQUOT ÆDIFICIORUM PARTES SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD MAGNIFICENTISS. VIRUM ALOISIUM CORNELIUM.

*Cùm mecum reputo, Vir magnificentissime (nulla vero non hora reputo) quantus sit tuus erga me amor, quæ beneficentia semper extiterit, suffundi me verecundia necesse est quod tibi nunquam aliarum tione respondere cogitarim, quam redamando, beneficentiæ vero hactenus immemor mihi fuisse videar. Nam quod ad amorem attinet, commune id est cum plurimis, cum tu innumeros alios, imo quotquot semel allocutus fueris, ad te amandum, colendumque, trahas, & jucundissimo suavis naturæ tuæ blandimento novos quotidie amicos pares: adeo singularis est integritas illa tua dubio procul incomparabilis. Sedenim quamvis hoc maximi faciendum sit, longe majoris ponderis apud me est benignitas, qua me semper es tam libenliter prosecutus: cui si parem referre gratiam non poteram, saltem ejus prædicatione liberarem me à dissimulationis suspicione: quæ merito suboriri potest, nisi aliquando eam confessus essem. Nunc igitur cum labores meos Ægyptiorum hieroglyphica, qualiacumq; sint, publicare constituerim, pro amicorum moribus & ingenii convenientis materiæ commentaria in hunc & illum distribuere consilium fuit: atque ita hoc de Lapide & fabricis nonnullis tibi deberi existimavi, quando hodie nemo privatorum hominum fabricæ rationem, pulchritudinem & elegantiam te uno melius intellexit, intellectamq; in usum & artem evexit. Quod si digna magnanimitatis tuæ fors fato aliquo tibi obtigisset, ætas nostra nulli veterum in rei tam præclaræ amplificatione cedere judicaretur. Accipies igitur, Lapides meos primam ædificiorum omnium materiam, eosque ita tractabiles, ut vel in aere mansurum opus ædificare possis, quod contra fulminum casus incolume resistat, nullam fluviorum illuviem pertimescat, terræ motus, hiatus, eructationesque omnes, aspernetur: quæ si tibi aliqua parte arriserint, magno ego beneficio affectus mihi videbor, qui multis olim à te commodis acceptis, per nugarum mearum distributionem obligationis illius meæ partem aliquam tibi depensam existimaveris.*

## DE LAPIDE. Cap. I.

ANtequam ad ædificia aggrediamur, de Lapide prius dicere consentaneum est: non enim quispiam nisi materia prius comparata, fabricare incipit. Sedenim & rudis lapis sua apud antiquitatem omnem habuit significata. Neque forte Romani temere Jovem lapidem jurabant, apud quos futurum erat, ut veræ pietatis fundamentum ex petra solida jacerent. Petra enim erat Christus, de quo paulo inferius dicturi sumus: nunc enim à Gentibus incipere visum est. Multipliciter siquidem apud hos & illos lapis in cultu fuit: ut apud Thraces colebatur saxum, in quo vestigium Herculis impressum esse persuasum habuere. Et Arabes, ut legere est apud Maximum Tyrium, tetragonum colebant lapidem. Apud Romanos lapis alter extra portam Capenam erat, qui cum siccitas temporis frugibus officeret, intra urbem solemni pompa ferebatur, & *Lapidis juramenti præsagium.* *1. Cor. 10.*

*Petra Manalis.* statim pluvia, ut memoriæ proditum est, cadebat: propterea que Manalis appellabatur, quod ejus beneficio impetraretur, ut aquæ à cœlo manarent.

## PERPETUITAS. Cap. II.

*Saxum Capitolii.* APud eosdem lapideus Terminus in Capitolio Divinis est honoribus celebratus: authoresque sunt, saxum illud fuisse, quod Saturnus devorare non potuerit propter magnitudinem, cum Jovem deglutire se crederet. Nam vetusta illa superstitio omnis comminiscendis fabulis implicabatur. Cassiodorus, ut quæ recepta sunt ponam, meminit aruspicem interrogatum, quando imperium Romanum casurum esset: respondisse, quando saxum Capitolii cadet: addidisseque insuper si eveniret, ut unquam caderet, futurum ut post xxx. annorum millia iterum resurgeret: tanta ejus artis fuit impudentia: nisi aruspex is per tantæ multitudinis numerum perpetuitatem intellexerit, quam apertius explicuit Maro:

*Æneid. l. 1.* *His ego nec metas rerum, nec tempora pono,*
*Imperium sine fine dedi.*

Atque alibi:

*Æneid. l. 9.* *Capitoli immobile saxum.*

*Iliad. lib. 2. Serpens in lapidem versus.* Nam & Serpens apud Homerum post novem Passeres devoratos in lapidem mutatus, significasse dicitur, captæ everſæque Trojæ gloriam nullo unquam tempore perituram, ut scilicet Calchas attestatus erat, ὃ κλέος ὃ ποτ' ὀλεῖ: quamquam super hoc aliter alibi.

*Cujus gloria nunquam perit.*

## FIRMITAS FOEDERUM. Cap. III.



SEd ut significationes, quod nostrum est institutum, prosequamur, illud omnibus constat, lapidem fœderum firmitatis hieroglyphicum fuisse, quod teste lapide apud veteres fœdera sint firmari solita: quæ ut homines rata scirent fore, Fecialis Agnum læva manu, dextera silicem retinens, si falleret, Jovem cæterosque precatus Deos, ita se mactaret, quemadmodum ipse Agnum: & secundum imprecationem saxo caput pecudis elidebat: quæ latius explicata sunt apud Polybium libro tertio in fœdere cum Carthaginensibus primum icto, quod æneis tabulis inscriptum in æde Capitolini Jovis diutissime permansit. Et tale aliquid VII. Epistolarum, quas vulgus Familiares vocat, apud Tullium, epistola ejus libri prima, ubi de histrione Æsopo loquitur. Erat & juramenti species per lapidem simpliciter, ut Athenienses jurare soliti, quod Aristoteles & Philochorus subinnuunt: & Demosthenes contra Cononem, τὸν τὰ πατρῷα καὶ ἕνα ἡμῶν ἅπαντ' ἀπολέσαντα, καὶ ἐξορκοῦντες. Id quod sacratissimum intra se continet veræ divinitatis arcanum: nam apud Hebræos, Ab, pater: Ben, filius: Aben, lapis. Hic vero lapis ille est, si mysticum sensum introspicias, quem non temere Propheta memorat, & Petrus principibus populi & senioribus objectat, quod eum reprobaverint ædificantes, atque mox constitutus fuerit in anguli caput.

*Ut apud Arabes ex Herodoto l. 3.*

*Quibus modo firmabantur fœdera antiquitus.*

*Hinc juramentum per lapidē apud Cicer. Epistola ad Trebatium lib. 7.*

*Et Apulejus libr. de Deo Socratis.*

*Quid igitur jurabo per Jovem lapidem, Romano vetustissimo ritu.*

## FIRMA PROSPERITAS. Cap. IV.

NOn præteribo illud lapidem è cœlo lapsum felicissimi, constantisque successus in gerendis rebus aliquando fuisse signum: ut qui ad Ægos flumen visendæ magnitudinis è cœlo delatus traditur paulo antequam Lysander angustissimo temporis spatio, tam magna, tam continua felicitate, tam glorioſe faceret adversus Athenienses. Quamvis pernicioſum augurium Aristotimo Ælienſium tyranno præstitit saxum è sublimi loco ab Aquila demissum in eam tecti partem, sub qua tyrannus cum uxore cœnam, quæ instruebatur, opperiebantur: nam paulo post ab Hellanico & aliis civibus fœdissime trucidatus est.

## PIETATIS NOSTRÆ STABILITAS. Cap. V.

SEd quod ad saxum ab ea volucre demissum facit, in Aquilæ Commentario statutam firmiter sedem per Lapidem in nido ab ea alite positum significari docuimus: quippe & cujusmodi ille lapis esset,

A esset, quæque ex eo utilitates habentur, antiquorum secuti opiniones, commemoravimus. Ut vero nunc Ægyptiorum commentum magis approbemus, quidnam aliud Petra quam firmamentum & stabilitatem affert? Unde Psalmo xxx. qui apud Hebræos xxxi. est, habetur: *Quia petra mea, & munitio mea*, quippe veluti arx in rupe sita, & turribus munita. In vulgatis, *robur* legitur; interpretes alii *fortitudo mea*: Romanus *firmamentum* habet. Nam cum nos passim Christum Assertorem nostrum petræ nomine accipi legamus, per petram nimirum pietatis nostræ stabilimentum intelligimus, super qua Ecclesiam ipse suam ædificaverit, quod vere sit divinitus decantatum passim, *Capitoli immobile saxum*. Romano enim Pontifici hæc promissa sunt, quippe Petro, qui Romæ (nemo hoc inficiari, nisi imperitus ausit) sedem fixit: cui, ut Evangelia testantur, potestas data est in orbem universum: quem locum etiam Theophylactus diligenter examinans: *Non uniui*, inquit, *Ecclesiæ, non unius provinciæ imperium est Petro & successoribus ejus demandatum, ἀλλὰ πάσης τῆς οἰκουμένης, sed universi, ait, terrarum orbis.* Adhanc sententiam facit Nabuchodonosoris somniũ, quem ναυοκοδονόσορον appellat Strabo, qui per quietem imaginatus est, se statuam cernere visendæ magnitudinis, cujus caput aureũ

B esset, humeri & brachia argentea, ex ære venter, & femora: crura & pedes ferrei, luto ferruminati: ac saxum mox ingens, impulsore nullo, repente jugo montis avulsum in statuam procubuisse, eamq; in cursu ejus prostratam & attritam in pulverem abiisse, qui ventorum mox flatu dissipatus est: saxum mox adeo crevisse, ut totam sua magnitudine terram occuparet. Cujus quidem ita conspecta statuæ significatum Daniel, qui & Azarias Propheta potius quam conjector, ita explicavit, ut per caput aureum diceret Assyrium regnum demonstrari. Brachia & humeros argenteos, duos esse Reges, qui Imperium illud eversuri essent, atque horum alterum æramento simile, moturum ab Occidente in hujusmodi regni perniciem & eversionem. Mox rerum summam ferreum excepturum, lateq; omnia obtenturum. Alii post rem gestam faciliore conjectura, imo animadversione potius oblata, ex subsecuto rerum eventu ita statuæ rationem accepere, ut dicerent aureum illud caput Assyrium quidem regnum significasse, quod primum omnium fuit in terris constitutum. Sed per argentea brachia, hinc Arbacem Medum, illinc Cyrum intelligunt, quorum alter, Assyrio sublato Imperio, regnum Medicum, alter Persicum constituerit. Per ventrem & femora ahenea, Alexandrum Macedonem, qui

C rubicundo colore fuit, significari, qui ab Occasu Profectus Orientem subegit: cujus regnum post ejus mortem à successoribus, quos per femora possis intelligere, scissum est. Per ferreos pedes Romanos interpretantur, qui magis adhuc Occidui quam Macedones fuere, Macedonumque opibus eversis, late sunt terris omnibus dominati. Hæc quidem illi tam vere, quam etiam ingeniose, omnibus dubio procul approbanda protulere.

*Æn. lib. 3.*

*Daniel. 2.*

*Somnii Nabuchodonosoris explicatio.*

## CHRISTUS. Cap. VI.

SEd quod ad saxum pertinet, neque hi exequuntur, neque Josephus explicare voluit, consulto se interpretamentum illud præterire silentio professus: quoniam ex historica lege, præterita scriberet, non futura. Quod quidem homo Judæus ideo mihi videtur subticuisse, ne quæ de Christo subsecutura manifeste conspicere poterat, prodere cogeretur. Cui enim dubium sit, per saxum illud, quod universam statuam, atque adeo totum uniuscujusque statuæ cultum sustulit atque dissipavit, Christianam intelligi pietatem, cujus sonus, pervulgata quippe doctrina, in omnem terram esset exi-

D turus, Pontificemque summum Petrum, & successores, non uni tantum provinciæ impetraturum, sed ut Theophylacti verba repetamus, universo terrarum orbi leges & salutifera præcepta præscripturum? quod etiam tradit Cyprianus lib. contra Judæos altero, cap. 15. 16. 17. Quod vero dictum est à Daniele lapidem sine ullius manibus impulsum, id porro eo spectare ait Hesychius Hierosolymitanus, quod sine congressu viri & mulieris conceptus ejus processit & partus. Ita alibi: *Quod si aliud adre lapideũ feceris mihi, non excitabitis illud de sectis lapidibus: si enim culterũ admoveris ei, polluetur*: neque enim secta, neq; dolata est Christi caro ab ulla hominis manu. Apud Esai. quoque celebre est, Christum hieroglyphice per lapidem intelligi, ut eo loco, *Ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem honorificum*: quæ omnia agnoscit & Petrus epistola prima, addito, *futurum ut qui crediderit in eum, minime sit abernaturus*. Ipsa ad Esaiæ verba ait Irenæus, uti non ex volũtate viri, sed ex voluntate Dei adventum ejus, qui secundum hominẽ est, intelligamus. Nam & quod

*Ampliat somnii Nabuchodonosoris, & sacræ historiæ expositio.*

*Christi adventus.*

*Exod. c. 20. vers. 2. 5. Esaiæ 28. Cap. 2.*

Daniel lapidem sine manibus excisum ait, hoc idem significat: id enim sine manibus est, quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum, qui solent lapides cædere, nulla scilicet viri opera ejus in hunc mundum adventus futurus erat: hic enim lapis à terra ex virtute & arte constat Dei. Et apud Hebræos Psalm. 28. primo statim versu: *Clamo ad te Domine, qui petra, ne sis præsidium meum mutes*, quo scilicet hostes numquam accedere potuerunt. De petra hac Tertullianus, ubi circumcisionem utramque comparat: *Circumcisis*, ait *nobis petrina acie*, id est, Christi præceptis: petra enim Christus, multis modis & figuris prædicatus est.

## PRAVARUM COGITATIONUM EXCUSSIO. CAP. VII.

*Psal. 137.*

QUoniam vero, ut Theologi consentiunt, petra Christus est, animadvertendum in Psalmis, ubi de parvulorum allisione ad petram sermo est, id nobis omnibus ita faciendum, ut scilicet cogitationes, affectuum pravorum plenas, pueriles & fatuas, priusquam adolescant, firmitatemque consequantur, deliberationique adhæreant, esse quamprimum ad Christi petram allidendas, ita sentit Euthymius, idemque prius dixerat Adamantius. Hic ille omnino lapis est, ut sæpe dictum, qui ad Angeli statuitur caput, quem ii reprobaverunt qui usum ejus non agnoverunt. Repudiabant enim eum inter Judæos sacerdotum principes, & ut Samaritanum explodebant, seductoremq;, & novarum rerum authorem criminabantur: cum ecce in ædificii angulum à Deo translatus est, ibiq; positus, & firmiter stabilitus, duos conjunxit parietes: Judæorum unum, eorum, inquam, qui pietatem hanc secuti sunt, & Gentium alterum, qui Baptismum susceperè:



*Matth. 18. Psal. 118. Matth. 21. Esaiæ 28.*

*Hinc dictũ Aristippi de erudito in theatro sedente ubi non sedet lapis super lapidem, & Plautus in Mercatore stupidissimum lapidem maximum vocat.*

## SENSUUM EXPERS, CAP. VIII.

PLerumque autem per lapidem expertem sensus hominem intelligimus, unde illud apud Comicum: *Quia stas Lapis?* Et Amaryllis à Theocritiano pastore tota lapis dicitur, quod nullis amiculi, ut idem ait, precibus moveatur. In hanc vero sententiam vir sanctitate ante alios mortales omnes insignis, vatesque summus, clamat in deserto, solitarioque fecessu: *Potest Deus è lapidibus istis suscitare filios Abrahamo:* quippe de stupidis, peneque brutis hominibus, qui nihil adhuc divinum sapiunt, propterea quam lapides sine sensu sunt. Nam qui lapides adorabant, lapidibus similes, ut in Psalmo est, evadebant. In Exodi Cantico scribitur: *Veniantur in lapides, donec pertranseat populus tuus, Domine:* quem locum ita interpretatur Adamantius, ut intelligat de gentibus dictum, quas tantisper lapidescere supplicetur, donec pertranseat populus Judæorum, cum illud subsecuturum esset, ut deletis illis, & à Deo recedentibus, gentes lapidem exuturæ essent, proque duro & stupido corde, viventem, sensusque & intelligentiæ participem rationem, per Christum susceptura. Nam & Cyprianus epistola libri secundi tertia: Evangelium illud, ex lapidibus excitari filios Abrahæ de gentibus colligi ex Joannis ipsius verbis interpretatur. Græcis quidem, qui lapides totiens in populos mutari fabulantur, ansam dedit vocabulorum vicinitas & similitudo, quibus λᾶς λᾶος & λᾶας λαὸς lapis est, λαὸς vero populus, cum forte existimarent tam facilem esse mutationẽ ex lapidibus in populos, quam parvo momento λαός paroxitonus in λαὸν oxytonum transire potest Sed joci satis. Sane apud Esaiam primo supra quinquagesimum capite in hujusmodi similitudinem legas, *Attendite ad petram unde excisi estis*, quod paulo post explicat, *Attendite ad Abraham patrẽ vestrum* Ut



*Exod. 15.*

*Locus pervetustus Græcorum.*

vero

A vero ad Evangelium redeamus, Eucherius secutus Originem, ipse quoque de insipientibus dictum intelligit, cum præsertim alibi dicant Divinæ literæ, *Auferam cor lapideum de carne vestra.* Irenæus ita suscitari filios Abrahæ ex lapidibus, cum nos à lapidum religione removit, à dirisque & infructuosis cogitationibus transtulit ad potiora, & fidem Abrahæ similem in nobis constituit atque firmavit. *Ezech. 11. & 36.*

## DE MOLA. Cap. IX.

ET Mola lapis est, unde molares lapides, pro ingenti massa & pondere. Ipsa vero in Divinis literis hieroglyphicum habet suum minime contemnendum.

## HUMANÆ VITÆ COMMERCIA. Cap. X.

B SUnt enim qui per molam humanæ vitæ commercia significari velint: propterea quod molæ semper duæ: atque alterius altera ita ope indiget, ut singulæ opus nullum faciant: unde amicitiæ nostræ necessitudines appellantur, quod unicuique necesse sit habere amicum, cum quo sua consilia conferat, qui se mutuo adjuvent, & alter alterius officiis subievetur. Unde recte, *Væ soli*, dictum. Eucherius locum Evangelii, *Duæ molentes in mola*, eo trahit, ut per molas utrumque intelligatur testamentum (utar enim ejus verbis, quæ per annorum millia in disciplinæ nostræ traditione receptissima sunt, & maxime propria) quarum scilicet molarum opera, labore quippe differentium, veteris Testamenti triticum in farinam, quippe pastum Evangelii, convertatur. *Amicitiæ hieroglyphicum. Hinc illud: Amicus magis necessarius, quam ignis & aqua Plut. in l. de Discrimine amici & adulatoris. Recte enim Zenodotus.* Εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνὴρ, *Unus vir, nullus vir.*

## DE ARIS, ÆDIBUSQUE ET JANIS. Cap. XI.

SEdenim ædificationem jam incœpturi, nihil prius quam aras excitare videmus admoneri, ut quod auspicatum esse cupimus, à divum immortalium cultu principium assumat.

## DEI SAPIENTIA. Cap. XII.

C SI tamen prius id explicuerimus, cur in Divinis Hebræorum literis aquæ de petra profiliunt: *Petra*, inquit Philo, *firmam Dei sapientiam demonstrat*, unde firma idemtidem exhauritur doctrina. Nam aquæ passim in Divinis literis, ut suo docuimus Commentario, ita pro disciplina accipiûtur, ut apud Ægyptios ros pluvius, id quod etiam de manna pluvio in solitudine affatim redundante possumus interpretari. Sed hæc alibi, nos ad Aram.

## PIETAS. Cap. XIII.

EA vero præcipua est aræ significatio, ut nostræ erga Deum pietatis indicium sit, precesque nostras igne, ut veteres opinabantur, internuncio ad Deum deferat. Unde apud Maronem, *Tango aras, mediosque ignes*, dictum, quod inter humanam naturam & cœlestem, ignis medium ita obtineat, ut merito dici possit internuncius. Materiæ autem adhæresçit, & in sublime semper fertur, tanquam rerum omnium nostrarum conscius inferiora hæc cœlicolis manifestare videatur. Hinc sacrificiorũ ritus eo tempore, quo naturæ tantum leges observabantur, non temere instituti sunt: & posteaquam D clarior illuxit veritas, ignis ita sacris nostris adhibitus, ut si absque igne Deo preces allegemus, vix litare posse nos persuasum habemus. Quod si, ut alibi latius disseruimus, inferiora hæc ulla nos superioribus conciliare possunt, nihil est, quod majore sit cum animo similitudine, utpote qui & lumine pollet & illustrat omnia, ac perinde genios, ac Deum ipsum nobis repræsentare videatur. Quamvis impia improbaque perditorum Anabaptistarum factio tempore hoc, nos ignes modo ritusque sacros omnes in pietatis nostræ signum exhibitos, extinguere, perdereque conentur, sed & etiam bonos mores, ipsumque Dei cultum profanere aggrediantur. Dedicata vero nimirum ara sacrificiis faciendis, & precibus allegãdis, quibus divum animi nobis concilientur. Qui tamen esse apud veteres probatus sacrificandi ritus, pauci admodum prodidere. Deo siquidem Deorum omnium supremo, mente & intellectu solo, sine sermone, sine sono sacrificabant. (Unde Crocodilus, quod elinguis est, *Æn. lib. 12. Non enim sola litabat oratio nisi orans aram manu apprehenderet. Macro. Sat. lib. 3. c. 2. Ignis internuncius hominum & cælestium.*

Divini silentii ratione habita, cultus apud Ægyptios) Spiritibus & beatorum animis laudes adhibebant. Cœlestibus materia constantia, quæ scilicet similitudine aliqua ad eos facere viderentur, ut ignem Solis & hujusmodi pleraque toto hoc hieroglyphicōn opere perquisita; malis vero dæmonibus, ne nocerent, vel ut eorum impuritas arceretur, libaminibus & nidore carnium faciebant. Cæterum Ægyptii veteres pecudibus aut sanguine præclare Deos semper abhorruerunt, precibus & thure solo contenti. Adegerunt vero eos Ptolomæi sacra Saturni Serapidisq; susc ipere, quod facere coacti, fana eorum extra pomœria posuerunt, quibus hostiæ de more mactari debebant. Quamquam illaudato Busiridis exemplo, homines postea immolari occeptum, cum is apud proxima Nilo loca tyrannidem occupasset. Sed quod ad aras & pietatem attinet, in numis T. Ælii Cæsaris Antonini simulachrum est utraq; manu passa, ara apposita, cum inscriptione, PIETAS. Manus porro passæ, ut in Cynocephali Commentario docuimus, adorationem significant. In Hadriani Augusti idem simulachrum eodem habitu, ab cujus uno latere Ciconia adsit de qua loco suo: ab altero ara est corymbis ornata inscriptio, PIETAS AUG. In numo Divæ Augustæ Faustinæ simulachrum est, quod læva pallam sustentat, altera in ignem, qui de pulcherrime facta ara promicat, libamina porrigit, cum inscriptione, PIETAS. Est & ara posita ante signum, in cujus manu patera est libationi parata in numo Lucillæ: inscriptio, PIETAS. Eadem Inscriptione pietas ipsa in Antonini numo dexteram exporrigit passam, læva in subjectam aram libat. Illa porro passa dextera, adorationis, ut alibi loco suo declaravimus, indicium. Supplicationes porro fieri solitæ, aut cum vota facimus, aut cum damnati votis gratias agimus. Hinc aliæ atque aliæ inscriptiones in numis inveniuntur, omnes tamen ad pietatem ipsam referuntur: sive divini numinis auxilium imploremus, sive vota persolvamus. In Juliæ Piæ Felicis Aug. numo signum est læva pallam in ulnam sustollens, dextera in aram porriciens: inscriptio, VOTA PUBLICA. At in Adriani numo cernere est duo simulacra quorum stat unum ipsius Imperatoris effigie, alterum læva palmæ surculum tenet, dextera pateram offert Principi: inscriptio, ADVENTUI AUG. Est & Domitiani numus cum ara & igne super accensa, cujus inscriptio est, PRINCEPS JUVENTUTIS. Pulcherrima vero omnium, quas viderim, ara est in ipsius Cæsaris Domitiani numis, in quo ansas illas, unde aræ nomen nonnulli volunt, apertissime licet intueri.

*Ad verbū à Macro. lib. Sat. 1. c. 7.*

*Ara in numis plurimorum.*

*Nimirum Varro Divinarum libro 3.* *Et clarius l. 3. de nat. Deo.*

*Quod vos cum facere non potestis tanquam in aram confugite ad Deum.*

## PROFUGIUM. CAP. XIV.

Fuisse vero aras apud veteres, uti etiam nunc sunt sanctioris asyli loco, nulli non exploratum est. Hinc apud Maronem Priamus, omni alia salutis spe abjecta, ad aram confugit, cui dixerat uxor: *Hac ara tuebitur omneis.* Et M. Tulli dictum pro Roscio Comœdo: *Sicut in aram confugit ad hujus domum.* Et apud Terentium: *Nemo te accusat, Syre; ne tu arum tibi, aut deprecatorem parasti* Et Ovidius de tristibus:

*Unica fortunis ara reperta meis.*

## MISERATIO. CAP. XV.



APud Athenienses ara peculiaris fuit miserationi sacra, de qua Papinius Poëta, & Lactantius Grammaticus, neque non Apsinis in Rhetoricis, meminere: & Plutarchus libro de Superstitione, ψούξιμον βωμὸν eam appellat. In profugii sane significato Vestam pro ara poni apud Xenophontem invenias rerum Græcarum libro secundo: ἀκούσας ταῦτα ὁ Θηραμένης, ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὴν ἑστίαν, *Hæc cum Theramenes audisset, ad Vestam sibi profugium panvit.* Et sacrificalis ara Vesta est Polluci, præcipue vero quæ in Prytaneo fuit, ubi inextinctus ignis asservabatur. Et triginta curiarum Vesta collocata apud Dionysium Halicarnasseum antiquitatum secundo. Tale quiddam & apud Tranquillum in Tiberio.

*Βοιμὸς, θυμιατήριον, Ἑστία ara, acerra, Vesta. Nat. Comes &c. l. 8. c. 19.*

## XII. JANI COLONIÆ. CAP. XVI.

A Quod vero XII. Jani simulacro adsculpi solitæ sint, sunt qui ob id factum putent, quod Janus pomœria & aras duodecim Hetruriæ coloniis sacrasset. Alii aras illas XII. ad mensium numerum dedicatas ajunt, quod Janus pro anni tempore sit Romanorum religione pingi solitus. Nam de CCCLXV. diebus, quos gestu manuum referre, alibi diseruimus.

## TERRA. CAP. XVII.

ROtundam ædem Vestæ Numa Pompilius Romanorum Rex consecrasse fertur: quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit. Eam ad pilæ formam esse, ut sui simili templo Dea coleretur. Pro eorum vero sententia, qui per Vestam nil aliud quam puram flammam intelligebant, de strogilari lapide, qui Deam figuræ similitudine referret, alibi diximus. *A Plutar. Decad. 8. probl. Sympos. addito, mensæ antiquorum rotundæ Vestæ dicatæ.*

## MUNDUS. CAP. XVIII.

B ET mundo ædem veteres ea, qua conspicitur forma, posuerunt, Mundumq; eam appellavere, ab eo mundo, inquit Cato in commentariis Juris civilis, quem Festus citat, qui supra & infra nos est. Ejus inferiorem partem veluti Diis manibus consecratam clausam omni tempore custodiebant, neque nisi ter in anno patefaciebant, ut ait Atteius Capito, quippe diebus his, prostridie Volcanalia, & ante diem sextum Idus Novembris, & ante diem tertium Non. Octobris: quos dies, ait Festus, etiam religiosos judicaverunt: propterea quod eo tempore, quæ occulta & abdita religionis deorum Manium essent, veluti in lucem adducerentur, & nihil eo tempore in Republ. geri voluere. Itaque per eos dies non cum hoste manus conserebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in Republica, nisi quod ultima necessitas admittebat, administrabatur. Volcanalia autem antiqua monumenta in Circo Flaminio X. Cal. Sept. celebrare solita comperimus. In aliis, Fer. Volca. N. X. Calend. Junias. Ibique N. litera diem nefastum notat, apud Ovidium Tubilustria Volcano XIII. Calend. Jun.



*Volcanalia.*

## DII OMNES. CAP. XIX.

OMnibus vero Diis, Agrippa templum rotundo ambitu Romæ dedicavit, eaque de causa Pantheon appellavit: in quod quidem minus quam in alia veterum monumenta sæviit ipsa vetustatis injuria: idque nunc Virgini Deiparæ dedicatum, magno mortalium concursu invisitur, & ab ea, qua factum est forma nomen habet. Sane Augustus Cæsar, qui templum id excitavit, licet Agrippæ inscribi dedicatione ipsa voluerit, nulla commodiori forma deos omnes complecti poterat, quam orbiculari: de qua quoniam alibi dicturi sumus, ulterius nunc de figura hujusmodi loqui supersedebimus: si tamen id dixero, Aristotelis dictum esse, veteres gavisos diis templa rotunda specie dedicare, cuiusmodi sane multa Romæ supereſſe adhuc, vel magna ex parte diruta, vel nostræ pietatis diis instaurata conspeximus. *Pantheon Romæ templum hodie la Rotonda.*

## JANUS. CAP. XX.

JAno contra templa quadrata specie dedicari solita, quatuor quippe pilis, quæ totidem fornicibus jungerentur, perviosque à frontibus quatuor aditus patefacerentur, qui tamen in primario Jani templo solemni sacro pacis tempore claudebantur.

## MENSARII. CAP. XXI.

ERant autem & alii Jani, in quibus trapezitarum mensæ, ubi mercatorum conventus, & omnium, quæ ad rem pecuniariam pertinent negotia tractabant: de quibus Horatius: *Epist. lib. 1. epist. 1.*

*O cives, cives, quærenda pecunia primum est,*

*Virtus*

*Virtus post nummos: hæc Janus summus ab imo*
*Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata, senesque,*
*Lævo suspensi loculos tabulamq; lacerto.*

Hujusmodi generis ædificia plurima Romæ erant: nunc unum minus dirutum in velabro perdurauit juxta ædem, quæ D. Georgio dedicata est.

## PAX BELLUM. Cap. XXII.

*Hujus rei causam tradit Macrob. lib. 1. c. 9. Diræ, &c. claudentur belli portæ. Æn. lib. 1. Templa in numis habita.*

Quod vero Jani templum in numis habetur, quadrata & ipsum specie, sed clathris, repagulis, & foribus præmunitum, ipsi tantum Deo dedicabatur. Clausum hoc, pacem indicare: adapertum, belli tempus, non tam ex Virgilii carmine cantatissimo, quam etiam ex numis passim in conspicuo, est. Sed illud præcipuum numisma tum opere tum etiam inscriptione spectabile, in quo legitur, PACE P. R. TERRA MARIQUE PARTA JANUM CLUSIT. Fuit vero is, ut ex altera numi parte habetur, IMP. NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GERM. TR. P. P. P.

## PROVIDENTIA. Cap. XXIII.



ALia etiam atque alia templorum exempla multifariam in numis habentur, quæ prosequi ad fastidium potius quam ad delectationem inclinaret. Illud dicam, in numo cujus inscriptio, DIVUS AUGUSTUS PATER, ab altera parte legi PROVIDENT. Idem templum est in Imperatoris Constantii numo, cujus inscriptio est, PROVIDENTIA AUG.

## SALUS. JUNO. DIVUS. Cap. XXIV.

IN Domitiani numis templum est SALUTI AUGUSTI inscriptum. In Volusiani, Dea in delubro sedens cum inscriptione, JUNONI MARTIALI, de quibus dicere, hic nullum est operæ pretium. Neque vero veteribus tantum Dis, sed & iis, quos apotheosi consecrabant, templum etiam dicare mos erat: ut videre est in Antonini numo, in quo templum est cum inscriptione, DIVO PIO.

## SUBDIALES QUIBUS. Cap. XXV,

TOta vero ædium sacrarum forma antiquitus pro conditione numis ædificari solita: quare ex ipsa statim ædis facie numinis qualitas intelligebatur. Jovi siquidem, fulguri, cœlo, Soli, & Lunæ subdiales, ut Vitruvius monet, ædes, quæ Græce ὑπαίθρα dicuntur, ædificabantur, quorum numina, potestates, vimque ac effectus omnes sub dio spectemus.

*Orientem Solem excipiendo, ut liber esset prospectus. Plut. in Numa. M. Vitruvius l. 4. c. 1 & in eundem Gul. Philander. De hu tribus columnis Plin. lib. 36 c. 23. & Vitruvius l. 4. c. 1.*

## DORICÆ QUIBUS. Cap. XXVI.

MInervæ autem, Marti & Herculi numinibus, ut idem ait, virtute ipsa memorandis, ædes opere Dorico erigebantur: nullis quippe deliciis, neque lascivioribus florum ac foliorum ornamentis, neque denticulatis coronis, ac guttulatis metopis, sed rudi ac hispido potius aspectu: qualis dignitas in viris expetitur, à peregrino omni cultu aliena.

## CORINTHIACÆ QUIBUS. Cap. XXVII.

AT Veneri, Floræ, Proserpinæ, & fontanilibus Nymphis, numinibus quippe delicatioribus, ob mollitiem atque nequitiam Corinthiacæ constituebantur: genus quidem ædificii tum gracilitate operis, tum florum ac foliorum lascivia, volutarumq; multiplici perplexitate, triglyphorum, ac aliorum ornamentorum varietate visu admodum delectabile.

## JONICÆ QUIBUS. Cap. XXVIII.

JUnoni vero, Dianæ, ac Libero Patri cæterisque ejusdem ordinis numinibus Jonicum adhibebant opus, medio quodam inter Doricum & Corinthium temperamento: quippe quod neque horrorem

A horrorem & austeritatem ipsa operis simplicitate præ se ferat, neque quidem enarvatam illam mollitiem ex tot ornamentorum luxuria commonstraret.

## DE COLUMNIS. Cap. XXIX.

NEque quidem templa tantum, verum etiam columnæ non sine mystico aliquo intellectu fieri consueverunt, quarum & rationes retulisse non incongruum videatur: siquidem hæc haudquaquam sunt ab Ægyptiacis inventis dissimilia, dum aliæ firmitudinis, aliæ rei præclare gestæ, famæque supra mortalium conditionem ad usque cœlum attollendæ, aliæ captivitatis, aliæ profligationis, aliæ opprobrii sint indicia.

## TERMINUS. Cap. XXX.

CÆterum antiquissimum fuit per columnam terminum significare, quod columellas in terminis ponere mos fuerit. Hinc regionum multarum fines terminosque columnas appellamus, ut in Hispania Herculis: eo enim usque & imperium & labores ille suos extendisse fertur. Eodem modo B in Africa sub Atlante monte, & Asia ad Euphratem fluvium, & supra Armeniam terminos Romani *Imperii* columnas dixerunt, & eo significato Atrides Protei, Menelaus adusque columnas exulat, apud Virgilium legas, quod pro Ægypti finibus positum notat Servius. *Columnarum hieroglyphica.*

## GLORIÆ SUBLIMITAS. Cap. XXXI.

IN sepulcris vero, neque non monumentis reliquis, columnarum ratio fuit, ut cujus nomini dicatæ essent, gloria supra cæteros mortales attolleretur. Hinc illa Ennii de Scipione verba: *Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quæres tuas gestas loquatur?* Hinc in argenteo numo videas columnam, cui mediæ ancile affixum est, urna in summo superposita, duabus hinc & inde laureis appensis, quam senatus Divo Augusto Vespasiano decrevit. Sed ut reliquas præteream: duæ adhuc Romæ visuntur, quæ Roma- C næ potentiæ atque splendoris testimonium faciunt, Trajano una, altera Hadriano erecta, summam quarum altitudinem, quæ admodum excelsa est per interiores gradus coclitis in modum circumductos commodissimus est ascensus: non enim in re tam omnibus obvia nobis immorandum est. Decretæ autem in columnis statuæ à Senatu plerisq; fuerunt, quos enumerare, nostri non est instituti rerum enim quæ tractandæ sunt multiplicitas breves nos esse cogit. Illud admonuero, quod apud Plinium legitur, Senatum Galbæ ut primum licitum fuit statuam decrevisse rostratæ columnæ superstantem, placere nonullis ut striatæ legatur. Antiquam autem esse celebritatem statuarum in columnis, ex eo manifestum, quod C. Menenio supra columnam statua dicata est, qui Latinos priscos dejecerat una cum Camillo collega, quæ res, inquit Livius, rara illa ætate fuit. Et illa adeo celebris Trajani columna colossum habuit superimpositum, cujus rei fidem faciunt ejus numi.



*Hinc Pindarus in Olympiis, Hectorem inexpugnabilem & immobilem columnam vocat. Trajani & Hadriani columnæ.*

## DE OBELISCIS. Cap. XXXII.

D HOrum loco Ægyptii suos erexerunt obeliscos, & Græci ὄβελον ὀβελίσκον dixerunt, cui maximi quique honores deberentur. Non ineptum autem fuerit animadvertere Ægyptiorum statuas, quæ antiquitatem sapiunt, graciliores esse & truncis oblongis propemodum similes: quod quidem non est artificum vel stupori vel imperitiæ imputandum, sed eorum potius diligentia studiumque consiederandum, quippe qui ita facerent, ut divinitatem minime corporatam esse ostenderent. Quare Euphranor pictor, idemque fictor nominatissimus, quem in omni specie admirandum perhibent, non ita forte reprehensioni obnoxius: propterea quod in universitate corporum exilior fuerit, in capitibus articulisque grandior, cum is præsertim primus dignitates, ac herorum insignia dicatur expressisse. *Nempe Suidas & adag. Collect. Ch. 1. centur. 8. prover. 14. Euphranoris pictoris statuæ.*

## HEROES. Cap. XXXIII.

*Malebant enim videri, & esse maximi quam optimi, hinc colossi.*

SEd quoniam in Heroas incidimus, id minime dissimulabo, quod Romani Græcos potius quam Ægyptios imitati, Heroum statuas, & eorum, qui bene de Republic. meriti essent, eo majores faciebant, prout eos majori honore dignos arbitrabantur, de quo apud Macrobium. Hinc jocosum illud M. Tullii dictum in fratris statuam: nam cum in Provincia, quam ille rexerat, clypeatam ejus imaginem conspexisset ingentibus lineamentis usque ad pectus de more pictam: erat autem Quintus staturæ parvæ: *Frater*, ait, *meus dimidius major est, quam totus.* Apud Virgilium vero Dido cum voluntariam mortem excusat, quasi ea omnia absolvisset officia, quæ à se exigi potuerint, nihilque à se ulterius expectari posse, quod ad apotheseos gloriam pertineret, ita secum ratiocinatur:

*Jocus Ciceronis in statuam fratris.*

*Æn. lib. 4.*

*Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi,*
*Et nunc magna mei sub terras ibit imago.*

Cur vero magnam speret, enumerat merita:

*Lib. 2. Epistol. 1. Epist.*

*Urbem præclaram statui, mea mœnia vidi,*
*Ultra virum, pœnas inimico à fratre recepi.*

Oppida autem concedere, inter ingentia ea facta recensetur, propter quæ

*Ibidem.*

*Romulus & Liber pater, & cum Castore Pollux.*

Deorum in templa recipi meruerunt, ut est apud Horatium. Cum itaque majores justo statuæ vita functis fieri solitæ essent, Onirocritæ, qui, ut sæpius ostendimus, hieroglyphicis adhærescunt, ubi quis supra humani modi staturam fieri se magnum conspexerit per quietem, mortem illi præsagiunt affuturam: & qui filium parvulum ad virilem magnitudinem imaginatus fuerit excrevisse, ejus identidem mortem expectandam. Hinc Virgilianum illud super oblata visui defuncti corporis anima, *Et nota major imago:* nempe quod corporeis claustris veluti prælis exoluta anima post mortem latius dilatari videatur. Sedenim illa de honoribus opinio & verior est, & probabilior.

*Æn. l. 2.*

## CHRISTI VICTORIA. Cap. XXXIV.

ILlud minime prætereundum, sextidecimi Psalmi inscriptionem apud Græcos esse στηλογραφίαν: alibi aureum insigne Davidis, ubi interpretes antiquorum repetunt morem, qui columnas imagines, aut statuas iis, qui strenue feliciterque militiam exercuissent, erigere consueverant. Id vero laudis victori Christo attributum, eo Psalmo declarari.

## PRO PATRIA OCCISI. Cap. XXXV.

*Ubi sepeliebantur pro patria occisi operibus Praxitelis nobilitatum.*

APud authores Græcos locum Athenis fuisse legas, Ceramicum appellatum, columnis undecumque frequentem, quæ in eorum memoriam erectæ erant, qui pro patria pugnando cecidissent, inscriptione adjecta quo quis prælio oppetiisset.



## CLARITAS EX POETARUM SCRIPTIS. Cap. XXXVI.

PIndarus Timarcho Æginetæ Nemeis:

στάλαν θέμιν παρίου λίθου λευκοτέραν:
*Ponatur alte structa saxo Candidior pario calumna.*

ubi interpretes per columnam Poema intelligunt. Nam statim subdidit ipsemet Poeta: quantum claritatis addant Poemata in præstantis alicujus viri laudem elucubrata.

## TELESILLA. Cap. XXXVII.

*Statua Telesillæ.*

TElesillæ Argivæ poetica facultate celebri, galeata statua erecta est in columna, libris circa pedes adjectis, ut alibi diximus: quod maribus Argivorum, qui prodierant ad bellum, ad unum cæsis, fœminas armarit, & contra hostes eduxerit, eosq; urbis diripiendæ spe profectos retrocedere coegerit. Exemplum muliebris virtutis inter paucissima sæpe commemorandum.

ISOCRA-

## ISOCRATES. Cap. XXXVIII.

A Isocrati vero Eloquentiæ magistro, statua in columna decreta est ab Athenienſibus: quod octo jam & nonaginta natus annos ab institutione numquam cessaviſſet.

## APOLLO AGYIEUS. Cap. XXXIX.



*ἀγυιεὺς, columnæ ante fores ſtans, in ſumma parte acuta.*

Conſpicuæ fuerant apud Græcos columnæ quædam in coni formam deſinentes, quas ante fores erigebant Apollini ſacras, ut vero quidam dicunt, Baccho, ut plerique alii, utriquè: nam idem utriusque nomen eſſe, oſtenſum alibi. Hinc Apollinem Horatius Agyieum nuncupavit. Eas nonnulli aras vocarunt, ſed columnarum omnino habere ſpeciem non inficiantur. De his apud Sophoclem:

*Ignibus odoris aræ Agyienæ nitent,*
*Suffitu halantes myrrhæ lachrymas barbaro.*

B Sed cur non Græcos potius verſus apponimus:

λάμπει δ' ἀγυιεὺς βωμὸς ἀτμίζων πυρὶ
σμύρνης τε λαμβὰς βαρβάρου εὐοσμίας,

Ea vero de cauſa Agyieus dicebatur, quod hujusmodi columnæ in compitalibus vicaneisque viis erigi conſueverunt: ἀγυιαὶ enim viæ quæ ab utraque parte exitus habent.

## VICTORIA DE PERSIS. Cap. XL.



*Perſica porticus.*

Excogitatæ etiam ſunt columnæ trophæorum vice, quæ victoriam oſtenderēt, cujusmodi porticus conogmento Perſica Lacedæmone viſebatur, victoriæ illius index, quam Pauſanias Ageſipolidos filius conſecutus eſt in Platæo prælio, ubi parva manu ingentes hoſtium copias profligavit: in cujus præclari facinoris memoriam ſtatuas habitu Perſico pro columnis porticu ſubjecere.

## C CARYATARUM OPPROBRIUM. Cap. XLI.

Simile in Caryatas Peloponneſi populos exemplum editum, quorum mulieres matronali habitu ſtola quippe ad pedes usque demiſſa, in captivitatem abductæ ſunt, viris prius ad unum cæſis, totius Græciæ in eos conſpiratione facta, quod Perſicas partes adverſus Græciam ſecuti eſſent. Hiſtoriam in exemplo poſuit Vitruvius.

*Caryatidum nomine intelligit ſtatuas muliebres in columnis: meminit Plin. l. 36. cap. 5.*

## BELLUM. Cap. XLII.

Aliqua etiam columna belli ſignificatum habuit, ut quæ Romæ olim erat ante Bellonæ templum, ſuper quam quotiescunque bellum cuipiam indiceretur, haſtam jaciebant, ejus ſcilicet ominis cauſa, quod ſpes eſſet per hujusmodi ſuſceptum bellum, aut hoſtes à finibus ſummovendi, aut ultra præſcriptos fines imperium proferendi. Ea autem columna Bellica dicebatur.



*Columna bellica.*

## SECURITAS. Cap. XLIII.

Invenire eſt in numis aliquot columnam ad ſecuritatem additam, ut in eo quem Imp. Cæs. Val. Hos. Mes. Quintus Augustus cuſit. Ibi enim muliebre ſignum molli & enervato habitu ſtans, læva columellæ innititur, dextera palmæ ſurculum tenet ſupra verticem exporrectum: inſcriptio eſt, Secur. Aug. Quæ quidem ſpecies cum forte antiquitus fieri ſoleret, facile credendum purpureos Tyrannos hinc ab Horatio dictos:

*Lib. 1. Car. Od. 35.*

*—— Fortunam* *Injurioso ne pede proruat,*
*Purpurei metuunt tyranni* *Stantem columnam, &c.*

## FIRMITAS. Cap. XLIV.

*Columnæ Doricæ*

NAm vetustissimum omnino columnarum inventum ad firmitatem fuit, quæ præsertim Viriles appellatæ sunt, quas alio mox vocabulo, uti superius dictum, Doricas vocaverunt. Nam cum Græci olim in colonias missi per Asiæ loca Caribus finitima regionibus quibusdam occupatis ædem Apollini Panionio ædificare statuissent, nullaque adhuc esset symmetriæ proportio, nulla dimensionis norma, commenti tamen sunt à pedis mensura, quæ sexta pars est virilis corporis, columnas dimetiri, rati sic firmitatem ædificiis duraturam apposuisse: easque columnas nudas, sine ullo prorsus ornatu, ut virilem omnino speciem præ se ferrent, erexere. Author Vitruvius. Sedenim & in Divinis literis columna pro firmitate accepta est ubi de Prophetico ore dicit Dominus: *Ego confirmavi columnas ejus*, de terra loquens, non utique quod eam columnis subnixam esse diceret, sed virtutem, quæ terram in medio rerum omnium sitam suffulcit, sustinetque, per eam loquendi figuram symbolicam, seu dicere mavis, hieroglyphicam, nobis indicavit, eam utiq; firmitatem columnas appellari Basilius etiam interpretatur, & aliis sæpe locis Testamenti veteris eodem significato columnæ accipiuntur.

*Ut 20. Judicum, & Exod. 13.*

## MULIEBRES COLUMNÆ. Cap. XLV.

CUm vero Dianæ etiam ædem construere vellent, gracilitatem in columnis, ad muliebris corporis effigiem, commenti sunt, easque octava parte crassitudinis produxere, spira etiam pro calceo supposita, capitulo volutisq; uti capillamento concrispatis, atque aliis muliebrem mundum referentibus ornamentis additis.

## VIRGINALES COLUMNÆ. Cap. XLVI.

ADditæ his Virginales etiamnum columnæ, quæ Corinthiæ nuncupatæ sunt, & gracilitate & ornatu, propter ætatis teneritatem, & hilariores, & venustioret. Puellæ siquidem & sumptuosius, & magnificentius ornari solent, quam matronæ quas cum vitiis stola satis deceat ad honestatem. Neque negarim succrescente indies hominum diligentia, aliis atque aliis dimensionibus columnas excidi cœptas.

## CALATHUS CERERIS. Cap. XLVII.

*Hæc à Vitruvio l. 4. cap. 1.*

OBservatio calathi, qui locorum ubique Cereris capiti superponitur, de quo multa in alio commentario, cur id facere consuessent Ægyptii, disseruimus, effecit itidem, ut capitula in calathiscorum effigiem columnis præsertim Corinthiacis superaddi placuerit: quamvis Græci omnia suis inventis libenter adscribunt, & Callimachum quendam cognomento Catatechnon prædicant, qui genus id capituli primus excogitaverit, verisimili etiam fabula, ut ad confingendum felicissimi sunt adinventa. Mulierem quippe Corinthiam quandam, amissa filia corpus sepulturæ mandasse, ac super tumulum calathum rebus iis oppletum, quibus maxime nata dum viveret, oblectabatur, statuisse, atque demum testa superimposita coopertum reliquisse: accidisse vero ut calathus ille casu super achanti radice ibi nata insideret, quare verno adveniente tempore gramen id pullularet, & calathum foliis primum amiciverit mox & floribus ornarit: cumque cauliculi procrescerent, obstaculo superstratæ testæ concurvati, capreolos in volutarum speciem complicarunt: quo quidem observato ingeniosus faber venustam eam capitulorum speciem meditatus sit omnium applausu conformare. Commentum quidem hoc eo favore legentium exceptum est, ut architecturæ magistri sine ulla prorsus contatione illi assensisse videantur.

*Itali & Galli hanc brancham ursinam vocant,*

---

## DE MUTULIS. Cap. XLVIII.

OBservare etam est in omnibus fere veterum ædificiis imagunculas quasdam nunc virili, nunc Bovilla, nunc alterius animalis facie, quæ vel mutulos vel coronas sustentant. Id ab Ægyptiacis inventis non omnino alienum suo legitur significato.

## ATLAS. Cap. XLIX.

*Atlantes*

NAm quantum ad humanam pertinet effigiem, Atlantem, totius quippe ponderis patientem, id significare dicunt, & hujusmodi sustentacula nimirum à Græcis Atlantis nomine nuncupantur, quæ

A tur, quæ cur à Latinis telamonas vocari nonnulli dicunt, & antiquis architectoribus & nobis in compertum est: si cui tamen ariolari licet, τελαμῶνας scimus esse lora, quibus sustinetur clypeus, quibusq; brachium insertatur, atque etiam vinculum, quo ensis vel appenditur, vel manui nonnunquam, ne vehementiori aliquo excutiatur ictu, adalligatum: quare crediderim à sustentando desumptum nomen: τελάσαι enim τολμῆσαι καὶ τλῆναι est, quod pati & tolerari Latini dicunt. Illud super Atlante vulgatum, gestare eum humeris universam mundi machinam, de quo Maro, *Telamones.* *Æn. lib. 6.*

*—Ubi cœlifer Atlas*
*Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Inde scilicet fabula conficta, quod is omnium primus Solis & Lunæ cursus, syderumque omnium motus, ortus, & occasus, certa quadam moveri lege deprehendisse creditur, eaque diligenter observata mortalium usui promulgasse. Quod vero pro Atlantibus Bovilla etiam capita fieri solita dicebamus, vidimus id apud Melinos Romæ: habet enim Petrus compater meus Bovillum caput aheneum quatuor circiter unciarum magnitudine, pulcherrime fabrefactum, eo gestu, ut aliquid o-
B mnino sustentasse videatur, de quo tamen alibi diximus. *Auctor Zezæ histr. lib. 1. Chiliade 5.*

## DE PERPENDICULO. Cap. L.

Quando vero in hæc ædificiorum opera provecti sumus, quid sibi velit etiam Perpendiculum, explicemus. *Perpendiculi formã docet G. Philander in Vitruv. lib. 6. c. 11. & l. 7. c. 3.*

## ÆDIFICATIO, VEL POSITUM. Cap. LI.

ÆDificationem, vel positum aut constructum opus, per id appensum linea, libratumque, denotabant. Nullo enim pacto erigi possent ædificia, nisi facierum, angulorumque rectitudo per perpendiculorum indaginem exploraretur: eaque præcipua est observatio in ædificiis moliendis, ut structuræ omnes perpendiculo respondeant, neque proclinationes, ut vocabulo utar Vitruviano, in partem ullam habeant.

## RECTUS TENOR. Cap. LII.

C TRansit & ad res alias id significatum, & ad perpendiculum amussim adjiciunt, cum quid undecumque & quoquo versum delibratum directumve significare voluerint: utriusque enim numus est, ut justus tenor, ipsaque rectitudo adinveniatur. Sed perpendiculum in iis deservit, quæ surrigenda sunt: amussis, & planis, & obliquis, & omnibus denique uniuscujusque corporis lateribus, per quæ recta linea fuerit deducenda. *Ad amussim, id est. recte, perfecte, κατὰ σταθμὸν Doricum proverbium.*

## DE CARDINE. Cap. LIII.

AD fabricam omnino pertinet cardo: quare si quid super eo dicendum sit, hoc potissimum loco differendum. *Ad perpendiculum, exactè, absolute, κατὰ κάθετον Cardinis significata.*

## AUTHORITAS VEL REI SUMMA. Cap. LIV.

HAbet vero significatum ab eo munere, quod in valvis, ostiisque sustinendis præstat, lita ut nunc dignationem, nunc authoritatem, nunc rei summam significet, ex arbitrio scilicet aut ministerio, cujus res unaquæque pendeat, cuique rerum pondera innitantur. Hinc in litibus & causis tale
D aliquid appellatur cardo, à quo scilicet tota persuadendi ratio pendere videatur, quove omnia conferuntur argumenta: sitque status is, circa quem tam rei quam accusatoris conatus omnis undecumque exerceatur. *Huc alluſit Virg. Haud tanto cessabit cardine eorum. Æn. lib. 1.*

## CARDINALES SACERDOTES. Cap. LV.

HAbet & pietas nostra dignationis gradum à cardine nuncupatum. Nam veluti cardines in ostiis admittendi excludendique arbitri videntur, ita illi admittendorum exigendorumque operum, quæ ad Christianam faciant pietatem, concessamque summo Pontifici authoritatem potestatemque tuendam, authores honorificentissimi perhibentur. Fratres hos appellat Pontifex M. decretaque omnia, legesque in comitiis istius ordinis perlatæ, de consultatione eorum, tametsi omnia per se possit, sancire se profitetur. Is enim honos eis habetur, ut hujusmodi sententiarum rogationes in acta summa cum fide referantur.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER L.

## DE IIS, QUÆ PER PALMAM ET LAVRUM SIGNIFICANTUR,

### Ex Sacris Ægyptiorum literis.

### AD HIERONYMUM FRACASTORIUM.

QUamvis parva admodum inter nos consuetudo fuerit, eoque secessu Olivetano Veronensis agri, quo mihi per continuum triennium frui temporum eorum permisit quies, dum tu Verronæ tuæ, ego ibi meis tum studiis tum negotiis incumbebamus, vix ter facultas data, ut esse una possemus; neq; antea te Patavii, quo me ad Philosophiæ studia contulerim, videre licuerat, quod inde paulo ante discesseras, quam ego advenissem: tua tamen te virtus in mihi ex eo tempore conciliaverat, ut quem ob summum ingenium summamq; doctrinam plus te uno diligerem, certe neminem haberem: omnium enim voce commendationeque politissimis literis, & liberalium omnium artium studiis florebas, claruque & celebris habebare: unde meus erga te, quem adhuc ex facie non agnoscebam, cœpit cultus, qui mox cum ætate accrevit simul, majoribus scilicet in dies ad virtutem profectum que tuum additis incrementis. Ab eo vero tempore, quo bella illa calamitosissima, tam aspera, tam continua, non modo ex tranquillo eo secessu exturbaverunt, verum tota etiam patria expulerunt, quamdiu foris profugus errabundus inops vixi, tui semper memor, atque solicitus fui, quod vicem etiam tuam, & bonorum omnium ingemiscebam, & ubicunque locorum cives tuos dispersos etiam ipsos comperissem, nunc per Aligeros fratres Petrum & Ludovicum, nunc per Alithæum, Zavarisium, Turranios, nunc per alios amicos tuos, quos doctrinæ nomine veneror, curabam ut meus erga te amor tibi fieret perspectissimus: idq; officii ab aliquibus ex his mihi non indiligenter præstitum confido. Sed quoniam vel his testibus tam locupletibus mihi nondum satisfaciebam, decrevi tandem quaqua ratione possem aliquod hujusmodi mei erga te animi signum manifestius exhibere. Igitur cum labores meos in Ægyptiorum hieroglyphica explicanda recenserem, pleraq; id genus commentaria in amicos distribuerem, tuq; non in postremis esses plantas duas insigniores elegi, Palmam & Laurum, eas q; à nostratibus longe diversas, ex Ægyptiorum quippe lucis à me primum in Italiam translatas, quas tibi dono mitterem, Palmam quidem, ob sublime illud ingenium tuum, quod ad excelsa quæque prospero eventu sese attollere contendit, cujus evectus pennis toto primum cœlo Epicyclos summovisti, totque priorum Astrologorũ machinas demolitus, facilem & permeabilem Planetis viam complanasti. Laurum autem, quia tu, re optime in cœlo gesta, ad infima mox terræ loca descendi, tanquam Hercules alter triumphabundus: sed quin superiorem orbem non ut ille, de visceribus terræ Cerberum traxeris, qui aconitum ad mortalium perniciem evomeret, sed ab Antipodibus Siphylam illam tuam admirandi vigoris plantam asportares, quæ morbis omnibus tam cognitis, quam incognitis, præsentanea remedia, & incolumitatem efficacissime conferret. Quod vero ad plantas attinet, spero eas à te benigne suscipiendas, deque earum surculis amicitia nostra firmitatem colligari posse, quam diuturnam perpetuamque fore mihi persuadeo: quia meus erga te amor, cultus, & observantia, talia mihi pollicentur; tuque ut ameris ac omnibus, ingenii, doctrinæque tuæ monumenta, uno Doctorum omnium ore celebrata deposcunt: quorum quidem operum, studiorumq; tuorum omnium felicitatem agnoscimus, & omnium posteritati celebrem & illustrem fore plurimum & ex animo gratulamur.

### DE PALMA. Cap. I.

PAlmæ significata plurima traduntur, quorum præcipue quatuor ex gravissimis authoribus seligere visum est: quippe annum, mensem, justitiam sive æqualitatem, atque victoriam: quorum significa-

A significatuum causæ diligentius examinandæ sunt. Reliqua, utpote manifestiora, sponte nulla solicitata cura provenient.

## ANNUS MENSISQUE. Cap. II.

*Cur annum & mensem Palma significet.*

CAusæ vero cur annum Palma significaret, tres esse perhibentur, eaque omnium primâ: quod sola omnium arborum per ortus Lunæ singulos, ramos singulos progenerat. Atque ita etiam significatum mensis observaverunt, ut per singulos Palmæ surculos, menses totidem adnumerarent. Par itaque ut si annus exprimi debeat, Palma duodecim ramis prædita figuretur. Sedenim, etiamsi hæc non adfuerit curiositas, annum omnino significabit, vel quantum ad mensem attinet, quod in osficulis ejus ea maxime figura expeteretur, quæ lunata esset, quam contra fascinationes pollere plurimum arbitrabantur. Lunam autem maxime cavam, qualis est cum octo & viginti dierum numerum explevit, cornibus scilicet inferne dejectis, mensis indicium esse in cœlestibus loco suo dictum. Dianaque ipsa apud Homerum Apollinis hymno, mensis & annis arbitros paritura, Palmam amplexata describitur. Altera causa est, quod Palma, uti Babylonii tradunt, referente Plutarcho, trecentas

B & sexaginta utilitates mortalibus elargirur, ideoque anni simulacrum & insigne: tot enim diebus annus constat, intercalaribus quinque, de quibus in Vulture, subductis. Alia ratio est, quod palmæ fa- *Plin. idem lib. 13. c. 4.*
tus quatuor ex lignis, sive Ossa ea maluerimus appellare, quæ, uti paulo ante dictum, in ejus fructibus insunt, fieri solet, quæ bina juxta composita subter, binaque superne colligantur, pronaque omnia seruntur, quorum inde radices amplexu mutuo connectuntur, atque ita primi ortus promiscui coalescunt, & unus ex cunctis caudex conficitur.

Annus quoque solaris quatuor qualitatibus constat, quæ tamen ita mutuo connecti videntur, ut fallente de die in diem qualitatis ipsius mutatione, unus quasi caudex fieri videatur.

## TEMPORIS DIUTURNITAS. Cap. III.

*Virtutis locus, & sedes.*

NOn dissimulabo quasi κατ' παράδρομον, quod Quintius Græcus author asperum quendam locum, & admodum editum, superatuque perdifficilem ponit, in cujus vertice Palma consurgat, cujus

C in cacumine insideat virtus: ex montis utique asperitate labores varios, ex Palma temporis, ut Hesiodi interpres ait, diuturnitatem innuens. Non enim putabat quempiam ad perfectam aliquam virtutem pervenire posse, nisi per labores, quos diu toleraset. Temporis autem diuturnitas quo convenientius signo figuretur, quam per id, quod anni & mensis habetur hieroglyphicum adeo manifestum? Sententiam hanc ita sibi desumpsit Quintilianus: *Desinit in adversa niti qui pervenit ad summum: scandenti circa ima labor est.* Quod nos in adolescentia ita retulimus:

*Incipit oppositam pedibus qui repere molem,*
*Eximio superat grande labore jugum.*
*Ut tenet aerei placidissima culmina montis,*
*Languida felici membra quiete levat.*
*Pastus amaritiem rigidæ mdicis acerbam,*
*Molliculi glutit dulcia mella favi.*
*Hoc sophiæ asperioris iter, Superantule, pergas,*
*Dummodo post fellis pocula nectar habes.*

*Exat in Epigrammatibus Pitrii.*

## ÆQUALITAS. Cap. IV.

ÆQualitatem vero ea de causa significabat, quod cum initio Soli dicata fuerit ante Laurum, gravissimi authores asserunt, & Phœbum, & victores hac, non alia quapiam arbore coronari solitos. Quæ cum æquale esset victorum omnium præmium, æqualitatis inde symbolum assecuta est. Sane Plutarchus & Pausanias authores sunt, Palmæ pretium, qua multis in certaminibus victores æque coronarentur, à Theseo primum institutum, cum à Creta reversus in Delum applicuisset, & Apollini ludos edidisset. Sive ea de causa sit excogitatum, quod arbor ea foliis sit maxime æqualibus, ideoque victoribus conveniret, quod æqua eorum laus atque præmium esset,

*Pausan. in Arcadicis, & Plutar. in Conviv. alib. &c. l. 8.*

JUSTI-

## JUSTITIA. Cap. V.

*Palmæ proprietates variæ. Semper folia habens & ἀειφυλλία, foliorum perpetuitas. Cui sua folia firmiter manent, & folia non amittens. Ps. 91. v. 13.*

FRuctum præterea reddit pari cum foliis æquilibrio, atque hinc justitiam significari volunt. Præter hæc incorrupta est Palmæ materies, ac propemodum senii nescia, perinde ac decet incorruptos esse, neque umquam temere flecti aliorum quorundam arbitrio, Justitiæ administratores. Folia demum, nisi vi tollantur, numquam amittit, quare illam congruenti epitheto ἀείφυλλον, atque etiam ἐμπεδόφυλλον appellaverunt, cum & Laurus, & Oliva, & Myrtus, ac aliæ quædam, quibus est perennis foliorum viror, succrescentibus aliis priora decuciant. Eademque immobilitas expetitur in Justitia. Quod vero ponderibus resistat, & in adversum incurvetur, facere idem Judices debent, atque reluctabundi, seductores, pellacesque omnes detrectare, neque mulieribus, neque violentiæ cedere. In hanc sententiam Levitico celebrandis feriis xv. mensis septimi, Palmarum surculos, quos Græci spathalas à gladii forma vocant, Legislator sumendos præcipit. Theologi per eos juvenescentia Justitiæ germina interpretantur. *Justus enim*, ait Psalmagraphus, *sicut Palma germinabit*: propterea quod nihil est in universa Palma, quod respui debeat, ita tota ab intima medulla ad extremum usque folium humanæ necessitatis usibus est commoda, idque multipliciter, perinde ac in iis, qui juste vivunt, nihil reperias, quod non undecumque utile sit ac commendabile.

## SOL. Cap. VI.

NEque quidem ea de causa tantum Palma Solis hieroglyphicum est, quod anni vicissitudines referat, quantum quod figuram solarium radiorum imitari quodammodo videatur. Unde sacerdotii veteris autores, qui (ut Proclus ait) à rebus apparentibus superiorum virium cultum adinvenerunt, ab hac similitudine solare quid in Palma esse arbitrati sunt. Et apud L. Apulejum legas, mystico eo sacro quo initiabantur Isidi, caput ad solarium radiorum similitudinem ostendendam, Palmæ candidæ foliis in modum ratiorum prosistentibus redimitum.

## VICTORIA. Cap. VII.

*Lib. 7. Problematum A. Gel. libr. 3. cap. 6. & Pluta. l. 16 c. 424. Neronis numq. Suetonius in Augusto c. 94.*

VIctoriæ demum in Palma significatum, ex numis, picturis, sculpturisque omnibus universæ jam plebeculæ manifestum est. Eaque elocutio toties usurpata Ciceroni: *Docto Oratori Palma danda est. In quadrigis qui Palmam primus acceperit. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent*, & similia. Et causam multi prodidere, præcipue vero Plutarchus Symposiacōn octavo: quam etiam posuerat Aristot. nempe si super arboris eius lignum, magnum quantumlibet pondus imponas, Palma minime deorsum cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur in contrarium fornicata. Eaq; de causa in certaminibus Palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam, uti dictum est, ingenium ejusmodi ligno est, ut urgentibus prementibusque non cedat. Videre vero est Palmam caudicibus sursum versus collectis in numo Neroniano, ubi idem ipse Aprum impetit veru, victoriæ nimirum, quam de confecta fera consecutus esset, hieroglyphicum. Et felicis augurii causa Augustus Palmam inter juncturas lapidum enatam ante domum suam, in compluvium deorum Penatium transtulit, utque coalesceret magnopere curavit, Cæsaris factum secutus, qui castris locum capiens, inter sylvas, quas cædebat, repartam Palmam conservari ut omen victoriæ jussit. Adhæc Cæsarianæ victoriæ adversus Pompejum in Pharsalia prælio commisso Trallibus Palma ostentum dedit, exorta repente eodem ferme tempore, quo hæc gesta sunt penes Cæsarianæ statuæ basin, quæ in templo Victoriæ dicata erat: quamvis omnis circa statuam locus natura solidus, & durissimo lapide instratus esset: atque hujus generis ostenta multa apud veteres memorantur. Minime vero prætereundus est numus æreus cum ingenti Palma, eaque dactilis fæcunda, cujus inscriptio est AL. Æ. quæ dubio procul victoriam Alexandriæ Ægyptiacæ significat: quod ut magis explicetur, ab alta faciè spica est cum inscriptione, ΚΑΙΣΑΡΟΣ.

## JUDÆA. Cap. VIII.

DEsumuntur hieroglyphica plerumque à rebus quas egregiè aliqua regio ferat: ut Cyrenaica per Silphium, quod in Batti numis cusum videas. A palmarum vero feracitate Judæa ejus arboris pictura significatur. Sane in Titi numis passim videre est ejus provinciæ simulacrum arbori Palmæ adalligatum, cum inscriptione, JUD. CAP. Ubi vero inscriptio est Cæsaris Vespasiani, atque ibidem

A dem JUDÆA CAPTA, mœsta sedet ipsa manu quasi faciem complodens, adstat ipse juxta Palmam. In alio cum eadem inscriptione signum est, quod dextera alte innititur pilo, læva sceptrum gestat, lævumque pedem jacenti galeæ superponit.

## JACTURA. CAP. IX.

COntra vero, vel dejecta, vel casu aliquo vitiata, jacturæ imminentis prodigium habebatur: veluti ænea illa, quam Athenienses in Delphici Apollinis templo dedicarant, rei adversus Medos feliciter gestæ monumentum. Paulo ante quam adversus Syracusanos moverent, infaustæ signum expeditionis fuit: quod ejus fructus, qui ex auro constabant, Corvi, alites inauspicatæ, pluribus diebus impetierunt, eosque partim devorarunt, partim dejecerunt.

*Palma ænea Atheniensium.*

## NUPTIÆ. CAP. X.

SEd cur nuptiarum etiam significatum in palma dissimulemus? qui picturā hujusce rei tam elegantem legerimus apud Philostratum, Imaginibus: qui paludibus & fluviis hoc superaddit ornamentum, Palmarum quippe veluti fornicibus ductum, pontem fluvio superinjectum. Nam cum Palma-
B rum alia mas, alia fœmina sit, invicemq; maritali quadam copula conjugentur, maresq; attrahant ad sese fœminas, neque illæ congressum, quantumcumq; adniti possunt, aufugiant, sed ultro ramis ab utraq; vicissim contra ad osculum quodammodo exporrectis, manifesta dent mutui desiderii signa, is duas, & hujus scilicet & illius sexus Palmas in ripis fluvii oppositas è regione statuit. Hic vero mas amore correptus plurimum incurvatur, alteq; sese supra fluvium protendit. Fœmina vero, quantumlibet procul sita sit, neq; apprehendi possit, inclinat se tamen, & obsequii quoddam & ipsa studiū præ se fert. Aquam itaq; quodam veluti ponte conjungunt, difficili tamen & inaccesso transitu, propter foliorum asperitatem. Hanc utiq; speciem ex Philostrato qui pinxerit, nuptiarum & conjugalis amoris hieroglyphicum, ex ipsius naturæ gremio desumptum, summa etiam cum venustate descripserit. Quo vero major huic argumento sit fides, eam palmarii diligentiam adhibent, ut mares eo saltem intervallo à fœminis distent, ut pulvis ventorum flatibus à foliis sublatus in fœminarum folia incidat, quod satis ad fœcunditatem facere compertum est. Sed mirum dictu, quod si qva procul, à mare absti-
C terit, ut neq; pulvis, neq; aura, odorve ejus ad eam permeare possit, excogitaverunt coloni funem à mare religatum ad fœminam usq; producere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam, masculo viru clanculum per funem irrepente fœcundam fieri, quæ prius in ea sterilescebat solitudine. Diophanes author Græcus, Florentinum citat, qui suis in Georgicis multa de Palmæ amore conscripsit, contabescere eam maris desiderio, quod nulla dissimulatione profiteatur, modo radices versus eum porrigens, modo verticis in eum proclinatione, fructum ferre pernegando, agricolamq; demum cogi amantem huic investigare, qui multas Palmas mares manu amplexuq; contingat, mox ad amore perditam rediens, eam amplexetur, attrectetq; manibus. Flores quoq; mari prius impositos tollat, & supra fœminæ verticem imponat. Quæ ne quis fabulosa suspicetur, istiusmodi amoris exemplum atque conjugii nostro dedere tempore. Siquidem vir clariss. Jo. Pontanus, homo minimè futilis, & quem fabulas pro historia, de re maxime suo tempore omnibus conspicua, scribere puduisset, duas celebrat Palmas, marem unum Brundusii, fœminam alteram Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: ubi vero tantum a-
D dolevere, ut sese invicem conspicere potuerint, longo quantumlibet multorum stadiorum tractu dissidentes fœtificare cœperint. Sed cur non ipsum audiamus?

*Palmæ, maris & fœminæ amor.*

*Quinetiam addit Plin. lib. 13. c. 4. Adeoq; est Veteris intellectus ut coitus etiā excogitatus sit ab homine, ex maribus flore & lanugine, interim vero tantum pulvere insperso fœminis.*

*Brundusii satis longe viret ardua terris*
*Abor, Idumæis usque petita locis.*
*Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma,*
*Illa virûm referens hæc muliebre decus.*
*Non uno crevêre solo, distantibus agris,*
*Nulla loci facies, nec socialis amor.*
*Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor*
*Utraque, frondosis & sine fruge comis.*
*Ast postquam patulos suderunt brachia ramos,*
*Cœpere & cœlo liberiore frui.*
*Frondosique apices se conspexere virique*
*Illa sui vultus, conjugis ille suæ:*
*Hausere & blandum venis sitientibus ignem,*
*Optatos fœtus sponte tulere suæ:*
*Ornarunt ramos gemmis (mirabile dictu)*
*Implevere suos melle liquente favos.*

Est idem amor in pistaciis, ex quibus semina cum panguntur, mas & fœmina committi debent conjunctis naturis, ita tamen ut mas ad Favonium, dorsum vertat, ut monet Demageron. A

## INNOCENTIA. Cap. XI.

Cantic. 7. NE vero nostratia prætereamus, in sacris nostrorum literis eo loco ubi, *Statura tua similis facta est palmæ*, legitur, Ambrosius significari ait viriditatem pueritiæ, atque naturalem ejus innocentiam, quam à vitæ primordio receperimus, servandam esse, & ut fructu nullo foliorum de suvio suo tempore maturemus, admoneri. Idque de Assertore nostro piorum concentus canere, *Justus ut Palma florebit.* Tarde vero proficit Palma, sed diu in viriditate persistit, ait Eucherius: ita Ecclesia sancta per multas difficultates ad firmum fidei statum venit, auctaque jam & propagata, statura nimirum diu. Psal. 92.

## PIORUM VITA. Cap. XII.

SIgnificat & piorum vitam Palmæ species: propterea quod sicut interior ejus caudex & tenuis est, & corticum scabritie perplexitateque visu minime jucundus: superior vero pars visenda, tum trunci tum ramorum amplitudine, amœnaque pulchritudine viriditatis expanditur, ita piorum conditio prima facie contemptibilis videtur, sed in mirificam demum exit morum virtutumque pulchritudinem. Sed cur non ipsa Eucherii sanctissimi doctissimique viri verba subtexam, in hanc sententiam? Habet quiddam aliud Palma, quo à cunctis arborum generibus differat. Omnis enim arbor quæ in suo robore juxta terram vasta subsistit, crescendo superius angustior evadit, & quantum paulisper sublimior, tanto in altum redditur subtilior. Palma vero tenuis ac imo inchoat, & juxta ramos aut fructus ampliori robore conturgescit. Quibus itaque alia arbusta nisi terrenis mentibus assimilari possunt, inferius vasta, superius angusta? quia nimirum omnes mortalium in hoc sæculo degentium delectationes in terrenis rebus sunt fortes, in cœlestibus debiles. Pro temporali enim gloria, usque ad mortem appetunt desudare: pro spe vero perpetua, ne parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro cœlesti mercede vel tenuissimas unius verbi contumelias ferre non possunt. Ut terreno judici totos dies assistant, fortes sunt: in oratione vero coram Domino vel unius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, vigilias, famem pro acquirendis divitiis & honoribus tolerant, & multa se abstinentia cruciant: quod bis aut semel in hebdomada pati pro salute animi, gravissimum ducunt. At contra ex æqualitate Palmarum designantur justi, qui vita proficiunt, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, & in cœlestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam seculo fuisse meminerunt. Recte itaque, uti supra dictum, *Justus ut palma florebit.* Illud addam ex sextis Hebræorum castris apud Hieronymum: *Veluti* XII. *dulcis aquæ fontes ad Elim reperti.* XII. *indicarunt Apostolos, de quorum fontibus aquæ derivatæ, universi terrarum orbis ariditatem affluenter irrigarunt: ita Palmæ numero Septuaginta cibum ostenderunt, quem mortales à totidem secundis Apostolis appositum essent accepturi.* Cibus enim doctrina, uti sæpius dictum. Quoniam vero Crux Domini, quæ Palma ea est, in quam ascensurum esse Dominum Prophetæ prædixerant, longo stipite & in altum surrecto, in transversumque late porrecto fuisse fertur, significasse etiam videtur illud antea dictum, *Cum exaltatus fuero, omnia trahamad me:* ipsa enim manuum extensio duos populos, Israeliticum & Gentilem ad Deum trahere, & in unum congregare videbatur, ut seniores dixisse scribit Irenæus: non absre fuerit, ut piis quacumque ratione possumus satisfacere studeamus, signum id & victoriæ & salutis, quo pacto pii veteres figurarint, adscribere. Contus erat prælongus, cujus apex in ę, Græcæ literæ simi-

*Justi ex æqualitate Palmarum designati. Nempe Apostolorum discipuli.*

*Crucis Christi hieroglyphicum,*

Joan. 12.



A similitudinem incurvabatur: inde paulo infra X, Græca idemtidem litera sua insignis decussatione addita erat, id Christi nomen ostentat. Inde qui Crucis signum faceret bacillus transversus, cui velum aut mappula solebat appendi vexilli loco. Hæc duo significant apud Græcos, quorum characteribus signata erant, CHRISTUS PASSUS, aut CRUCIFIXUS. Inde pro delubro pedamentoq; aliquo, vasis alicujus forma, orbiculis, aut ovis, aut aliis gestaminibus castrensi more altero super alterum suffixis subjiciebantur, in hunc scilicet modulum. Quod ultimo loco subjecimus, forma loculi est, in quem vexilla figebantur, de quo alibi plenius. Agite vero qui signum hoc sequimini, & in ejus imperium juratis, salutem vobis atque victoriam inde certissimam pollicemini. Non enim tumultuarium hoc, aut temere concitatæ cujuspiam multitudinis fortuitum est signum, quod elementa porro omnia, quod humana omnis natura, quod bruta, qua licet, exprimere conantur. Dissecatur terra punctis quatuor, à quibus ductæ lineæ crucem figurant. Puncta, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Sanctius in ea animal Homo, brachia cum precatur in crucem extendit, vel saltem pectus signat à fronte, ad umbilicũ, ut descensum à cœlo in terras nostri numinis indicet, mox B ablæva, à corde quippe ad dexteram papillam (in dextera enim bonorum operum motus) crucem delineat. Per mare vero quæ volitant navigia, si optatum cursum arreptura sint, antennas malo in crucis effigiem applicant: quæque cœlum alites secant, passis alis crucem ostentant. Nos igitur faciem & pectus cruce signati, tutius & animosius unumquodque virtutis opus aggrediamur, fluxarum cogitationum inundationes transeamus incolumes, præpetiq; volatu supra cœlum attolamur, adminiculo signoque crucis omnia feliciter executuri, stratisq; & superatis dolosissimi hostis insidiis, ejusque conatibus eversis, in Domini nostri cruce tantum gloriati, trophea, more veterum, victoriarumque triumphos ipsa cruce designata suspendamus.

*Appositis & pia parænesis.*

---

## DE LAURO. CAP. XIII.

C VUlgatum illud est, Laurum Apollinis insigne perhiberi, ejusque fronde, Palma jam posthabita, ejus simulacra coronari. Neque tantum ea de causa, quod Laurus in ore palumbi vim medicam indicet, quæ plerisque volucribus præsentaneo est remedio, quantum quia sit, ut Eusebius ait, ignea, ideoque à dæmonibus maxime odio habetur. Usta præterea resonat, quod quandam prædicendi vim habet. Ignispicium enim non tantum splendore, verum etiam crepitu portendit, frequentissimo Poetarum omnium assensu. Ferunt vero Empedoclem, qui animam esse igneam statuebat, Lauri natura considerata dicere solitum, si homini sit in animalium quodpiam transmigrandum, optandum maxime ut in Leonem transiret: commodissimum enim id animæ quæ hominem incoluisset hospitium futurum. Sin vero arbor esset subeunda, in nullam commodius quam in Laurum fieri transmigrationem. Pindarus atque Callimachus Apollinem memorant interfecto Delphico Dracone Lauream induisse quasi supplicem: erant enim supplices coronati apud veteres. Aristophanes dominum & servum oracula consulturos coronatos inducit, Pluto. Quin & Liber Lauro coronabatur, in qua ex Indis triumphasse fertur, diesque in illum solemnes, magna olim corona D dicebantur, ut tradit Tertullianus. Laurea itaque Apollini & Baccho sacra, illi ut Deo bellorum, huic ut Deo triumphorum. Quamquam & Myrto milites redimiri soliti: ita Claudius Saturninus, qui librum edidit de coronis. Est & alia ratio cur Laurus Apollini sacra dicatur: legimus enim apud Serapionem Ascalonitam, Lauro ad dormientium caput apposita, vera videri somnia. Id ipsum Antiphonem, Philocrum, & Artemonem, qui de somniorum interpretatione scripserunt, asseverasse comperimus. Neq; quidem Eustathii interpretamentum super hoc parvi fecerimus, qui Daphnen ideo dictam ait, quod δα intensionis particula, & φαείν, quod loqui & canere est, in compositionem accedant. Apud Hesiodum interpres Theogoniæ, Laurum ait ἐυσεγῆ εἶναι πρὸς τὰς ἐνθουσιασμούς. Hinc vaticinantes Lauro coronari solitos ait interpres Aristophanis. Et qui bella sequebantur Vates, in summa galea Lauri conum gestabant.

*Lauro palumbes pleræq; aliæ aves annuum fastidium purgant. Mattheol. in Dioscor. l. 1. c. 90. Corvus occiso chamæleonte, fronde Lauri devorata, virus exstinguit. Matt. ibidem Laurus vis Medica. Ad hoc Macrob. libr. 6. Saturn. c. 4. citans Lucilium. Sit efficax ad afflatum poetici furoris.*

## VATICINIUM. Cap. XIV.

*Vaticinatricem plantam. Δαφνηφάγοι cur dicti Vates.*

QUocirca non imperite Aphthonius Laurum vaticinii symbolum esse dicit, quam μαντικὸν φυτὸν Dionysius in præceptis de Panegyricis scribendis appellat. Nam quod Vates Δαφνηφάγοι vocitarentur, non ex eo tantum, quod ille dixerit, *Laurumque momordit*: & Sibylla apud Tibullum, *Sic usque sacras innoxia Lauros vescar*, desumptum est, verum etiam ex Sophoclis Cassandra dicentis, δάφνῳ φαγὼν ὀδόντι πελέξ τόμα, Eodem modo Lycophron, δάφνῳ φαγὼν φοίβαζε λαμπῶν ὅπα. Porro Daphnem puellam, ut Plutarchus scribit in Agide, Pasiphaes nomine Spartani coluerunt, quæ oracula, ut ajunt, certissima sit dare solita.

## CUSTODIA. Cap. XV.

PRo custodia vero Laurum poni, & incolumitatis esse symbolum ex Proclo didicimus, qui veteres ait Laurum tutelæ consecrasse, & in sacrificiis, & in locis ubicumque vel sata, vel affixa fuerit incolumitatem præbere; cujus rei non ignarus Ovidius, tutelæ hujus ergo illud de Lauro dixit: *Mediamque tuebere quercum*, quod ita mihi libet interpretari, ut ad civicæ coronæ sospitamentum & tutelam statueretur: id quod ex numis quibusdam intellexi, in quibus civica posita est, quam duo Laurei rami circumplectuntur, non ipsi in coronam deducti, sed ad osculum quodammodo adcurvati. Literæ OB CIVES SERVATOS. Duo hujusmodi sunt apud me, in quorum uno literæ circumductæ, C. GALLIUS. C. F. LUPERCUS III. VIR AAA. FF. In altero, L. NEVIUS SURDINUS. III. VIR. AAA. FF. Quid vero sibi velint elementa illa, quippe A triplex, & F geminum, si quis quæsierit, sciat id significare, Auro, Argento, Ære, Faciundo. Inveniuntur vero & in Augusti numis, & alibi. Eadem vero specie civicam eam fuisse crediderim, quam Augusti foribus affixam Ovidius scribit, quamvis nonnulli arbores ipsas satas putant, quia ita scriptum à Poeta sit:

*Numi cum Lauro civica.*

*Postibus Augustis eadem fidissima custos*
*Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.*

Idem sibi vult numus argenteus, in quo duo Lauri furculi cum radicibus, in quorum medio erecta est columna Jonica, supra cujus capitulum carchesium est, in medio parma affixa, cum literis S. C. Nam ab utraque columnæ parte in albo singulatim. Literæ S. X. adscriptæ. Altera inscriptio est, Divus Augustus Vespasianus. quod apotheosin ipsam sapit. Sed ex his satis superque est ostensum, Laurum pro custodia & tutela poni, & eorum, quæ perpetuo sospitari, conservari, ac vivere volumus signum, accedit & illud ad sospitamentum: quod ejus arboris folia fulmen non icit: eaque de causa Tiberius, cum fulmina coruscationesq; supra modum expaveseceret, cœlo turbido Lauream sibi solitus est imponere, non secus ac eadem de causa Augustus ex Vituli marini pelle cingulum gestare.

*Ideoq. Αλεξίκακος dictus. Sueton. in Tiberio cap. 69. Suetonius in Augusto. c. 90.*

## POETICA VIS. Cap. XVI.

QUæ quidem perennitatis aut diuturni temporis vita cum à nullo magis, quam à Poetis ipsis expetatur, merito Laurus una cum hedera, cujus circa vetustatem opus omne, Poetis dedicatæ sunt: aliorum enim scriptorum authoribus non tam fama quam utilitas etiam quæsita, sola Poetis gloria, & victuri nominis cupiditas insita est, *nec*, ut eleganter & vere dixit Ovidius, *penitur sacris nisi tantum fama Poetis*. Quod vero datum sibi Laureum sceptrum à Musis canit Hesiodus, laborem & diligentiam scribentis indicat, propterea quod veluti sunt amara Lauri folia: ita virtutis sudor, vel ipso eodem teste, laboriosus. Unde chartas Cornelii laboriosas Catullus pro magna laude celebrat. Nam cum Hesiodus pauperibus fuerit parentibus genitus, virisimile est eum non sine magna difficultate proficere potuisse. Ita enim Zezes, quod Musæ novem eum Lauro coronarint, labores & amaritudinem ejus in doctrina comparanda commonstrat.

## AUTHORITAS IMPERATORIA ET TRIUMPHALIS HONOS. Cap. XVII.

ESse vero Laurum insigne triumphantium, non ex eo tantum quod apud Ovidium legitur, *Tu*

*Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum*
*Vox canet, & longas visent capitolia pompas:*

quantum ex multis veterum monumentis innotescit. Illud quoq; satis constat, Imperatores triumphi Lauream ad Jovem Capitolinum ferre solitos, atque eam in ejus gremio relinquere. Laureatæ vero Imperatorum capita in numis passim habentur. Atque hic non incongruum fuerit ea, quæ de Laureto, unde triumphaturi Laureas sibi decerpere consverant, memoriæ prodita sunt, repetere. Liviam quippe olim post Augusti statim nuptias Vejentanum suum revisisse, ibique tum illi Gallinam albam, quæ ramulum Lauri rostro tenebat, à prætervolante Aquila, quæ illam rapuerat, in gremium demissam, cumque nutrici alitem, pangique ramulum placuisset, tantam pullorum sobolem proveniisse, ut Tranquillus ad sua usque tempora villam eam, *Ad Gallinas*, vocitatam attestetur. Tale vero Lauretum fuit, ut triumphaturi Cæsares inde Laureas boni ominis gratia decerperent. Fuitque mors triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere. Adeo vero Laurus triumphantium propria fuisse videtur, ut observatum sit in hujusmodi Laureto sub cujusque obitum arborem ab ipso institutum elanguisse. Ex quo etiam prodigii causam intelligas, quod Julii Cæsaris eadem præmonstravit, cum pridie Idus Martias avis Regaliolus cum Laureo ramulo Pompejanæ Curiæ sese inferens, à varii generis volucribus ex proximo nemore persequentibus ibidem discerpta est. Novissimo vero Neronis anno, in quo Cæsarum progenies defecit, sylva illa Vejentana radicitus omnis exaruit, & quicquid ibi Gallinarum erat, interiit. Tali portento fuit Alexando Severo Laurus alia ingens & antiqua, quæ in palatio cujusdam civitatis, à qua proficiscebatur, ad bellum quod contra Germanos paraverat, subito collapsa, mortis itidem ejus indicium habita. Contra non temere boni ominis Lauri folia, quæ circa Pompeji fasces illigata fuerant, cum longo itinere per arida & inculta loca jam exaruissent, eo tempore quo in vico quodam Galatiæ cum Lucullo in colloquium descendit, detracta, & à Lucullianis lictoribus recentia & viridia, quæ penes eos plurima erant, liberaliter suffecta: quod summam gloriæ rerum à Lucullo gestarum ad Pompejum transiturum interpretatum est, ut paulo post subsecutum. Et Romæ lamentabunda Luculli vox audita, *Pompejus res meas in Asia gestas elevavit.*

*Laureti um.*

*Suetonius in Augusto c. 94.*

*Sueton. in Jul. Cæsare c. 81.*

*Sueton. in Galba c. 1.*

*Laurus alexandro Severo portentosa, boni ominis Pompejo.*

## PURGAMENTUM. Cap. XVIII.

SExtus ait Laureatos milites currum triumphantis sequi solitos, ut quasi purgati à cæde humana intrarent urbem. proindeque suffitionibus omnibus Laurum adhiberi solitam fuisse, vel quod medicamento siccissima sit, vel quod omni tempore vireat, boni ominis causa perpetua Reipublicæ viriditas hinc optabatur.

## VICTORIA. Cap. XIX.

QUantum ad aruspicinam pertinet, Laurus victoriam aliquando præmonstravit, ut ea quæ in domo Alexandri Severi jam infantuli nata juxta Persicum arborem, intra unum annum Persicum ipsam incremento mirabili superavit: unde Aruspices futurum prædixere, ut puer is olim Persas evinceret, quod eventu postea comprobatum est: sub eo enim primo Persæ servi apud Romanos fuere. Quare apud Virgilium ex ea desumptum doctrina legas de victore: *Virig. advelat tempora Lauro.* Notum illud est, solitos esse Imperatores Romanos, re bene gesta literas Lauro revinctas mittere, victoriarum & lætitiæ nuncios, quæ Laureatæ dicebantur, quod in Epistolis ad Atticum & alibi habetur. Hinc Ovidius:

*Alexandri Severi Laurus.*

*Æn. lib. 5.*

*Non ego victrices Lauro redimire tabellas,*
*Nec Veneris media ponere in æde morer.*

Apud Marcellium, ubi de vanitate Constantii loquitur, suorum ducum victorias sibi adscisentis, Laureatas literas missitatas invenies. Quare Plinius xv. Laurus Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarumque nuncia, additur literis, & militum lanceis, pilisque. Unde legere est in Pompeji gestis, cum is in Arcadia equestre certamen ageret, ludi gratia, advenisse tabellarios ex Ponto, gestantes jaculorum cuspides Lauro coronatas: ex quo læta nunciare antequam literas redderent cogniti sunt.

Mithridatem enim sibi mortem consciviſſe nunciaturi venerant. Victores Delphis Pythiis certaminibus, ea peculiariter Lauro coronabatur, quæ Delphica nominabatur, cujusmodi genere & triumphantes Romæ: ea enim longe viridior eſt, maximis baccis, æque ex viridi rubeſcentibus: unde nonnulli commentati ſunt, in quatuor certaminum præmiis, quæ recenſentur ab Archia, permalum grandiores has Pythiæ Laurus baccas intelligi: de quo apud Lucianum videas de pomis in templo Apollinis decerptis.

## JURGIOSUS. Cap. XX.

*Bebrycia Laurus.*

Quod vero jurgioſum notari per Lauri ramum alicujus manu prætentum nonnulli dicunt, Græcorum commentum eſt, non Ægyptiorum, idque deſumptum ex hiſtoria. Nam Bebrycia Laurus erat in Amyci portu, à qua ramum quicumque decerpſiſſet, tamdiu fieri jurgia ſolebant, quoad abjiceretur: quod traditum eſt ab Apollodoro lib. primo de Pontificis Heroibus. Sed enim particularia hæc inter hieroglyphica locum non habent, quia neceſſe eſt, quod rectè ſit exprimendum, id univerſo generi competere, unde ipſa deſumitur ſignificatio.

## REMEDIUM. Cap. XXI.

*De virtutibus Lauri Dioſcorides lib. 1. cap. 15. & ibi Matthiolus. Galen. l. 6. ſimp. medica. & Plin. l. 15. Foliorum Lauri remedium.*

Quæ vero de Scipione Laureo memorantur, ſignificare id remedium contra pericula & inſidias, quæ à quopiam intententur, ut apud Suidam legitur non ea tantum cauſa eſt, quod contra venena pollere Laurus creditur, ſed huc faciunt ea omnia, quæ ſuperius recitavimus, ubi tutelam & cuſtodiam per Laurum ſignificari docuimus. Quin & Æſculapii caput Laurea redimitum non alia de cauſa dicunt, niſi quia ea arbor plurimorum ſit remediorum. De medicina vero divinitus revelata, quæ per Lauri ramum aut folium in Columbæ roſtro oſtenderetur, in Alitis ejus Commentario diximus. Præſtant & hordeo condito incolumitatem Lauri folia, ſi ſicca grumis immiſceantur aut ſuperne ſternantur, diuque à vitio conſervant, ut Demagerontis præcepto admonemur, in iis quæ à Conſtantino Cæſare ſelecta ſunt. Quin Romani, ut apud eundem Cæſarem Laurum boni genii plantam ſunt appellare ſoliti: perſuaſumque habuere, locum, ubi Laurus eſſet, neque à ſacro ullo morbo, neq; à dæmone infeſtari. Et ſalutaris ominis gratia folia ipſius à populo Calendis Januarii Magiſtratibus offerebantur, una cum caricis.

## DE CEDRO. Cap. XXII.

*Perſius, & Horat. de Arte Poet. Carmina linenda cedro, ait. De Cedri virib. Matthiolus in Dioſcoridē lib. 1. c. 89.*

Ad Palmam & Laurum pro Poëtis, & Cedrum & Myrtum adjungere glorioſum eſt, cum de præſtantibus inſigne dictum illud proferri ſoleat, *Et Cedro digna locutus.* Ante alias enim arbores Cedrus æternitatis hieroglyphicum eſt, quia materia ejus neque putreſcit, neq; cariem patitur. Hinc Arca fœderis ex Cedro fabrefacta eſt. Et Cedro digna loqui dicuntur illi, qui ea ſcribunt quæ nulla temporis injuria ſint abolitura.

## EXCELLENS. Cap. XXIII.

Alibi Divinis in literis excelſioris potentiæ viros indicat, Pſ. 92. *Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Et 2. Eſa. *Confringet Dominus Cedros Libani,* hoc eſt, potentiores. De medulla vero Libani ablata à Rege barbaro, pro nobilitate protrita, dictum in Aquilæ Commentario. Sed jam ad Myrtum.

## DE MYRTO.

## GENIUS ET VOLUPTAS. Cap. XXIV.

*Formoſa Veneri myrtus gratiſſima. 6 Virg. Ecl. 7.*

Satis quidem exploratum eſt omnium ferè Poëtarum lectione, Genium & Voluptatem ex Myrto ſignificari. Arbuſculam eam omnium delicatiſſimam ajunt, perpetuo tam virore ſpectandam, quam foliorum ſpecie, ſuaviſſimoque odore præſtantem, ut non immerito ſit Veneri Deæ omnium delica-

A delicatissimæ dedicata, unde meruerit Pelops Hippodamiæ nuptiis potiri certaminis victor auxilio Veneris, quod ei simulacrum ex pullulante Myrto fecisset.

## VENUS. Cap. XXV.

NAm qui Venerem pingunt, libenter illi myrteam coronam imponunt, qua coronatam eam in judicio Paridis astitisse, Nicander ait Alexipharmacis, atque ea de causa hujusmodi arbusculam & Junoni & Palladi odio habitam in posterum. Apud quem animadvertas, Dictynnam Palladem appellari, quamvis glossemata quædam aliter exponant. Neque vero dissimulandum, Myrtum pudendi muliebris habere significatum, unde apud Aristophanem legas, οὐδὲ τῷ μύρτῳ θίγεις ἐῶντι, πρὶν ἐξ ἑνὸς λόγου σπονδὰς ποιησόμεθα πρὸς τὰν ἑλλάδα, quod ita reddemus: *Neque rem aggredi veneream, priusquam Græciam fœdere junxerimus.* Sed Myrtum Pollux carunculam intra pudendum muliebre ponit lascivo quodam motu interim subsultantem: quo forsitan spectat Aristophanicus ille jocus, ubi chorus senum Lysistrate ait: *Ensem posthac gestabo in Myrti ramo.* In Commentario Ser-
B pentis Hecates fabulam recitavimus, quam multis modis Faunus pater solicitaverit ad stuprum, cum eam paternæ petulantiæ reluctantem modo virga myrtea verberaret, modo vini tormentum adhiberet, mox in Anguem conversus spiris totam implicaverit, atque voti compos evaserit. Ibique virgam myrteam, nequitiæ imaginationem, vinum mentis hilaritatem, anguem multiplices voluptatis nodos hieroglyphicè significare ostendimus. Nam quod ad Myrtum attinet, apud Maronem:

*Pollux l. 1. Nempe à bacca myrti similitudine. Hecates fabula. Æn lib. 6*

*Quos durus amor crudeli tabe peredit,*
*Secreti celant calles, & myrtea circum*
*Sylva tegit.*

## OVATIO. Cap. XXVI.

MYrtea vero corona triumphantium militum capiti gestata, rem bellicam sine sanguine confectam significabat: vel cum quid bello non indicto per occasionem captum fuerat: tunc enim
C ovatio decernebatur, non triumphus, atque ita myrtea utebantur corona, facilitatis indicio, cum in triumpho ob victoriam cum labore partam laurea gestari solita esset, de qua superius.

## HILARITAS. Cap. XXVII.

ERat & hilaritatis indicium ramus Myrti, quem veteres inter vina alter alteri porrigebant. Mos enim fuit in conviviis eo circulato ramo unumquemq; discumbentium ad cantandum excitare. Singuli enim convivarum accepto in manus Myrti ramo, partes canebant suas: quem morem in Symposiacis Plutarchus late disputavit. Et Horatius adveniente verno tempore, quo se undecumque patefacit hilaritas, dum Cytherea choros ducit Venus, decere ait viridi nitidum caput impedire myrto. Atque ubicumque conviviorum lætitiam celebrat, coronas è myrto inferri jubet.

*Sympos. l. 1. hinc canere ad myrtum. Paramiog. Ch. 2. cent. 6. pro. 21. Æneid. l. 3.*

## ARMA BELLICA. Cap. XXVIII.

IN prodigio autem, quod ad Polydori tumulum Æneæ sese obtulit, corneis virgultis, & Myrti densis hastilibus, ad evulsionem sanguinem stillantibus, Tib. Claud. Donatus per id genus virgulta, ho-
D stilem illic esse locum significari dicit: quippe quod duo ea genera lignorum hastilibus bellicis apta sint proindeque pacis auspicium nullum illic esse potuisse. Ac per hoc sacrificanti in novæ civitatis causa, portendi, id quod accidit, crudele illic hominum genus, & humano infestum sanguini. Sed enim crediderim ego potius Maronem nostrum locum hunc de sepulcrali myrto mutuatum ab Elpenoris tumulo: quandoquidem Theophrastus ait ad Circeum in Italia locum esse eminenti quodam situ, densissimo variarum arborum nemore, sed arborosis præcipuè myrtis densum, ubi parvus visitur locus, quem incolæ Elpenoris tumulum perhiberent. In eo, qui supini hominis mensuram non excederet, myrtos coronarias nasci, minutis quippe foliis, & odoratioribus quam latifoliæ sint, neque alibi toto tractu eas quam, angusto eo spatio reperiri. Sane Myrtus corona quoque funebris est, de qua Pindarus in Isthumii, ut in Cupresso diximus;

ἔνθα λευκοθεὶς κάρα μύρτοις ὁθ' ἀνήρ.

Thebis enim qui vicerant Jolea, Myrto coronabantur, ea de causa, inquit interpres, quia funebris est. Jolam enim heroem Thebani colunt, ad cujus tumulum Jolea celebrabant.

## AMORIS VULNERA. Cap. XXIX.

*Myrtus folia habens perforata.*

EST Myrti genus, quæ folia habet perforata, ea Trœzeniis latissimè provenit: per hanc amoris vulnera, mœroremq; ipsum, quo plurimum amantes ex desiderio conficiuntur, significari tradiderunt celebres doctrina viri. Alii (dicenda enim omnia sunt) fabulantur ab acu, quæ Phædræ capillos coërcebat, ea foramina processisse: de quo, ut nullam esse fabulam tam ineptam, quæ apud Græcos authore careat, admoneamur, apud Pausaniam lib. 1. videndum.

## GANYMEDES. Cap. XXX.

SUnt qui per myrtum Ganymedem referri putent, quod persuasum sit eam ibi latissimè natam, ubi puer is pedum vestigia pressisset. Argumento esse locum in Chalcide Harpagium à re ipsa nuncupatum, quod ibi Ganymedem ab Jove raptum fabulantur, ibidemq; Myrtos pulcherrimas, atque admodum copiosas nasci. Quod ea de causa à Chalcidensibus confictum ajunt, quod insulares illi impurum genus fuerint, puerilium amorum turpitudini quam deditissimi, pudore omni posthabito. Id quoque apud Pausaniam.

## PAPYRII VICTORIA. Cap. XXXI.

IN numis aliquot aspicere est Papyrii caput myrtea corona redimitum. Significat id Sardos ab eo in campis Myrteis superatos, ob cujus rei memoriam myrtea ipse corona usus est.

---

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER LI.

## DE IIS QUÆ PER QUERCUM, HEDERAM, FERULAM, MILACEM ET AMYGDALAM SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD ILLUSTR. HIERONYMUM ROBOREUM VICINOVI DOMINUM.

*ECce vero tibi Quercus tua, honoratissime Hieronyme, quam ex Ægypto advectam tibi dari tantopere cupiebas, neque id immerito, neque temere: nam cum ea arborum validissima vulgo à robore nomen consecuta sit, sive potius vires ipsæ ab arbore Quercu, quæ robur ipsa est, nomen acquisierint, cui potius dari debuerat, quam illi qui de clarissima Roborea stirpe prognatus, duorum ætate nostra maximorum Pont. Sixi IV. & Julii II. illustris gloria, clarissimum quemq; eorum decorare videatur? Nam Sixtus Saonæ ortus cum veluti postliminio Taurinum veterem patriam studiis florentem revisisset majorum tuorum, quos agnatos habebat, liberalitate adjutus paratam sibi ad Pontificatum viam invenit: tantum enim virtute & disciplinis optimis profecit, ut vel ante ætatem primos in congregatione sua titulos sit honorificè consecutus: mox doctrinæ & præstantis ingenii nomine Sacerdos Card. factus, integritate hominis cognita, nullo negotio fuerit ad summum Pontificatum evectus, ac tum ipse, tum Julius II. qui ei paulo post successit, progeniem, unde fuerant oriundi, honestissimis titulis & honoribus ornaverunt.*

Sed

A *Sed ne singula referam quæ & alias à me dicta sunt, & paucis explicari non possunt, quid magni illi Gallorum Reges, nonne Roboreos semper magni fecerunt, & eorum aliquem apud se foverunt? teque adeo ipsum sapientissimus Rex Franciscus, ac deinde Henricus ejus filius, singulari humanitate sunt amplexi? quibus tu bonarum disciplinarum studio politioris q; eruditionis nomine gratus in primis extitisti, eiq; opinioni, quã omnes de te concepimus, in hac ipsa adolescentia non avare cœpisti respondere: unde ipse etiam Rex Henricus tua adres gerendas operæ atque industriæ uti in animum induxerit. Itaque non plus tibi familia tua splendoris adjungit, quam abs te illa accipiat, eique indies magis accessurum esse videtur. Quod autem ad Quercum attinet, Hedera quoque se illi applicuit ad ornamentum, prog; septo Myrtus, & Ferula, Milax q; cum Amygdalis accessere, quibus venustè ædium tuarum hypetron poteris convestire, amœnioribus q; umbris festive admodum opacare. Vale.*

## DE QERCU
## CIVIUM SERVATOR. Cap. I.

B INter coronarum genera querna in primis celebratur, quæ civis in bello servati signum magno apud veteres in honore semper habita. Cur vero civicas ex Quercu fieri sit institutum, plures enumerantur causæ. Alii enim dicunt honorem hunc Arcadibus attributum, quos oracula solita sint ob vetustatis honorem Glandiphagos appellare. Alii ea de causa, quod facilem & promptuarium cibum Quercus sit militibus afferre solita. Alii quia Jovi sacra sit, in cujus tutela sunt civitates, congruens q; haberi, ut qui civem servasset, ea coronaretur fronde, quæ civitatum omnium tutelari Deo dicata esset. Apud Celtas autem, ut Max. Tyrius tradit, altissima Quercus deligebatur, eaque erat Jovis signum. Sunt qui eam tradant primam Plantarum omnium genitam, atque ita populorum altricem fuisse, & primariam oraculorum authorem. In numo quodam, cujus Dorica inscriptio, AΠΕΙΡΟΤΑΝ. Aquila habetur fulmine subter pedes dejecto, & rami duo querni in coronam flexi, quæ dubio procul Epirotarum moneta glandes Chaonias, & oracula Dodonæa significat. Quantum ve-
C ro pertinet ad servatos cives, quamvis in Lauro de C. Gallii & L. Nævii Surdini numis rem explicuisse satis esse possit, non importunè tamen loco hoc repetetur quod Ovidius de Quercu ad Laurum dixit, cum in arborem eam Daphne transmutaretur, *Mediamq; tuebere Quercum*. In numis quippe aliquot coronam civicam esse positam, quam duo Laurei rami circumplectuntur, non ipsi in coronam deducti, sed ad osculum quodammodo incurvati: literæ, Ob cives Servatos, quorum duo hujusmodi apud me sunt. Qua specie civicam eam fuisse crediderim, quam pro Augusti foribus affixam scripsit Ovidius:

*Postibus Augustis eadem fidissima custos*
*Ante fores stabis, mediamque tuebere Quercum.*

Quamvis nonnulli arbores ipsas eo gestu fatas fuisse putant. Libet autem & aliorum quorundam addere monumenta. In numo C. Caligulæ civica tantum cum glandibus spectatur, in quo literæ sunt hujusmodi, S. P. Q. R. PP. Ob cives servatos. In Sergii vero Galbæ Aug. numo civica eadem
D est cum inscriptione, S. P. Q. R. ob c. s. Eadem in Vitellii Germanici, in cujus medio hæ literæ sunt, S. P. Q. R. ob. civ. ser. In numo etiam quodam aureo, & aliis plerisque observavi, civicam hanc Neroni etiam ex S. C. dedicatam: quamvis alia non adsit descriptio, idem tamen est significatum. Eodemque S. C. Antonino numus datus est cum Porca fœta & natis sub ubere, quibus imminet quercus, quod animal id dubio procul glande plurimum pascatur, unde antiqui omnino cibi admoneamur: quam causam Plutarchus præcipuam putat in civicæ coronæ dono, quamvis primas Jovi partes tribuat, cui sacra sit arbor, & in cujus tutela, uti dicebamus, sunt civitates. Videas & in numo quodam Augusti Cæsaris, quercus arbores duas cum ingenti patina in medio earũ sita, circa quam literæ sunt ad quadrati posituram $\frac{S.P.}{Q.R}$ Neque sum nescius civicam etiam ex Ilice fieri solitam: nam & ipsa glandifera est, Cæciliumq; Comicum Poëtam coronam civicam ligneam appellasse, omnino enim lignea

*Corona civica ex Quercu, & quare.*

*In Dodone mõte Chaonũ Molossorum regionis.*

*De corona quernea Lib. 1. Servati civis refertur.*

*Tempramia quercum. Hæc omnia à Plin. libr. 16. c. 4.*

lignea primo fuit. Rationem Festus tradit, quod frondem præ se perennem ferat: postea vero magis placuit ex esculo Jovi sacra, ubique custodito honore glandis. ut Plinius author est. Nota sunt quæ & quanta tribui solita sunt iis qui civicam meruissent. Ea quippe uti licebat perpetuo in ludis. Induenti assurgi etiam à Senatu moris erat, Senatuique proximus erat locus assignatus, Vacatio munerum ipsi, patrique & avo paterno dabatur, quod filium adeo publicæ rei utilem genuissent. Nec vero temere daretur, arctiores additæ sunt leges, ut quippe civis qui servatus esset, servatam se esse interetur, aliter testes in eo negotio nihil proderant, neque si quempiam alium quàm Romanum civem servasset, quantumvis Regem. Ciceronem civica ad donandum L. Gellius censuit, quod ejus opera esset atrocissima Catilinæ conjuratio detecta, vindicataque, atque ita non civis unus, sed universa Romana civitas servata, meritoque ut ait ille:

*Tum quod Græcos universim quamcumq; arborem glandiferam significat.*

*Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

## AMULETUM. Cap. II.

HEcate quoq; quercu coronari solita est, in cujus manum hasta imponebatur, & homeros multis Draconum spiris implicabatur. Hujusmodiq; Deæ simulacrum ante januam dedicari solitum Æschylus tradit, ibique incantationum amuletum habebatur.

## VIRTUS. Cap. III.

*Clava Herculea.*

HErculeam vero clavam illam valido plurimum de robore fieri solitam, virtutis simulacrum esse, optimi quique authores tradunt. Tum etiam numus Gordiani Pii declarat, in quo Hercules nudus cum clava spectatur, cum inscriptione, Virtus Augusti. Nervæ autem Trajano ex S. C. quod in numis apparet, decretum est Leonis caput clava supererecta, cum inscriptione uni illi maxime attributa, quæ est, Optimo Principi. Nec præteribo Commodi vanitatem, in cujus numo vidimus ingentem clavam cum inscriptione, Herculi Romano Aug. S. C. & ad hæc coronam civicam circumductam. In aliis ad adulationem hujusmodi cusis, Hercules est facie ad ipsius Commodi similitudinem informata, cum spolio & clava in læva, dextera coronam trophæo superimponens: literæ, Herculi Romano Aug. Accepit enim is statuas Herculis habitu, eique immolatum est ut Deo. Harum unam adhuc integram cum clava & Hyla, Julius II. restituit pro foribus aulæ superioris palatii Pontificii, ubi nunc porticus Leoniana. Sedenim Leo X. statuam amoveri jussit, neglectamq; in angulum rejici. Neque vero clavam Herculi semper ex Robore fuisse perhibent: verum & ex Oleastro, cujusmodi ea fuit quam Mercurio πλυγίῳ dicavit, quam iterum pullulasse fama est. Nam Trœzenii Oleastrum ex ea clava natum ostentare olim consveverunt. Pisander & aheneam Herculi clavam fuisse dicit.

## FORTITUDO. Cap. IV.

*Sumitur etiam per translationem pro animi fortitudine, nedum corporis.*

JAm vero fortitudinem validasque vires Quercum significare mos est multorum, sive nomen ipsum sequantur, quæ roboris elogio censetur; viribus enim præstantes viri, ut Festus ait, robusti à robore nuncupantur: robur vero à robo colore rufo, quod ea materia plurimas ejus coloris venas habet, sive insitam illi vim admirentur, quo incorrupta materies, & ad ædium perennitatem facere, magnis inde acceptis utilitatibus, comperiatur.

## DIUTURNITAS. Cap. V.

*Sueton. in Galba c. 4.*

EAdem autem de causa diuturnitatem etiam significat Quercus, quod ejusmodi sit ejus vis, ut in seros usq; annos prorogetur, præcipue cum vel defossa, vel aquis macerata per tempus aliquod fuerit. Quare augures non injuria avo Galbæ fulgur procuranti, cum extra de maribus Aquila rapuisset, & in frugiferam Quercum contulisset, summum, sed serum imperium portendi familiæ responderunt: quod eventus mox comprobavit.

*Quin Rheæ ara frondib. quernis coronabatur.*

## IMPERIUM FIRMUM. Cap. VI

IMperii firmitatem per sceptrum ex querno trunco significatum invenio. Sceptrum autem cum foliis quernis in columna quadam ex alabastrite Viterbii spectare licet, inferioribus quippe ramis ampu-

A amputatis, superioribus autem ita mutuo complexis, ut oculi speciem reddant. Plutarchus Osirim hujusmodi signo redditum arbitratur, qui, ut nonnulli prodidere, non Ægypti solum, verum & Italiæ, & totius ferè terrarum orbis imperium obtinuerit. Ajunt vero sceptra hujusmodi ita pluribus ramis ornari solita, ut plures erant provinciæ, quibus is imperitaret, cujus honori & nomini dicatum esset id monumenti. Quercus enim Rheæ, quæ terra est sacra, ut Apollodorus, 3. de Diis, ait. Quin eos omnes quernis coronari tradit, ob utilitates quas arbor ea tam in ædificiis, quam in primo victu præbuit.

*Apollonius lib. 1. Argon. Profert etiam plurimu alias res quas recenset Theophrastus libr. c. 8. & 9. de plant. hist. Macr. lib. 1. Satur. c. 21. Ad verbum à Suetonio in Vespas. c. 5.*

## OSIRIS. Cap. VII.

MAcrobius in hac oculi specie, quæ ab incurvatis ad complexum hinc inde ramis, ut in nobilitatis vestræ gestaminibus spectare est, cum Osiridis nomen agnoscit, tum Solis id esse signum contendit. Oculi vero similitudinem ideo poni, quia Sol regali potestate cuncta despiciat, unde illi oculi cognomentum apud antiquos. Sedenim de oculo eo commentario disputatum, quo per singulas humani capitis partes, quæ aliquid significant, decurritur.

B

## PRINCIPATUS. Cap. VIII.

CÆterum & in Aruspicum disciplina Quercus principatum ostendit, quod multis olim auguriis observatum est: ex quibus illud præcipuè referendum videtur, quod in suburbano Flaviorum Quercus antiqua, quæ Marti sacrata erat, per tres Vespasiæ partus singulos repente ramos à fructice dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati. Primum quidem exilem & haud ita multo post arefactum, ideoque puella nata non perennavit. Secundum prævalidum ac prolixum, & qui magnam portenderet felicitatem. Tertium vero instar arboris: quare patrem Sabinum ferunt aruspicio insuper confirmatum renunciasse matri nepotem ei Cæsarem natum. Contra vero sceptrum novissimo Neronis anno de Augusti manibus excussum fulmine, imperium Cæsaribus divinitus abrogatum indicavit.

*Flaviorum Quercus. Suston. in Galba. c. c.*

## FERITAS. Cap. IX.

C Quorundam etiam inventum fuit animi feritatem ex Quercu significare, quod etiam non ignobiles Poëtæ agrestes homines, immites, atque sævos, nullisque humanis moribus expolitos, duro ex robore natos dictitabant: de quo interpres Hesiodi: Veteres ait filios in quercubus aut petris exponere solitos, urbium tectorum ve commoditate nondum adinventa, datamque hinc ansam, ut ex petris aut roboribus geniti viderentur.

*Hom. Odyss. T. Namque fatidica quercu fatus es.*

## OBSCOENITAS. Cap. X.

HAbet & glans ipsa suum significatum, idque obscœno satis intellectu, ob eam scilicet qua prædita est figuram, pudendi virilis mucroni pene similem, atque hinc Arcadum obscœnitatem incessi reperias, quod βαλανοφάγοι essent. Unde Diogenes ejusmodi notæ adolescentem Arcadem dixit, is cujusmodi videretur esse interrogatus: intelligebat enim Arcadiam infamem esse, utpote quæ luxu deliciisq; barbaricis corrupta esset. Alii referunt ad stuporem, unde dixerit etiam Juven. *Læva in parte mamillæ nihil Arcadico juveni subsultare.* Sed cum priore sententia facit alterum ejusdem Cynici dictum, apud quem cum mentio fieret de puero quodam qui male pudicitiam tutabatur, Diogenes cujusnam is esset interrogatus. Tegeates, respondit, ludens scilicet ex ambiguo: nam Tegea civitas est Arcadiæ: Tegos autem interdum pro lupanari ponitur.

D

*D. Laertius in ejus Vita. Quia cellula tecti instar.*

## IRA DELINITA. Cap. XI.

IPsa deniq; arbor Quercus, ea insignis asperitate, quæ omnibus conspicua est, non immerito fertur usque adeo inimica oleæ, ut eam juxta se positam extinguat. Olea vero cum sit pacis, mansuetudinis ac lenitatis indicium, excogitatum est Quercum olea complicare, cum iracundiam atque inexorabilem animi asperitatem sese ad lenitatem dedisse significandum fuerit. Contra addam κατὰ πάσεσθον & ea, quæ beneficium à Quercu consequuntur: scriptores enim naturalium rerum, hederam quercinam, viscum quercinum, & polypodium quercinum optimum dicunt,

*Plin. lib. 24. cap. 1. Videndus Theophrastus, ubi supra.*

## DE HEDERA. Cap. XII.

HEdera autem non quercina tantum, sed qualiscumque esset, haudquaquam obscuræ celebritatis erat apud Ægyptios: quippe quæ propter continuum virorem vitibus etiam præferebatur in sacris, quod illæ à fructu folia identidem amittant.

## BACCHUS, Cap. XIII.

EA vero in primis quæ corymbos nigros fert, sed & sine delectu coronamentis accepta Dionysio sacra quod æque est ac apud Ægyptios Osiridi, à quo etiam isti nomen: Chenosiris enim eorum lingua nominatur, quod Osiridis planta interpretatur. Præterea Dionysius, Nysa urbe à se posita in extrema fere India, hederam quam sevit, æternum nominis sui monumentum esse jussit.

## NOCUMENTUM ABSCONDITUM. Cap. XIV.

*Tum quod Baccho initiati hedera coronabantur Euripides in Bacchis, & Dionysium in Cosmographia. Macr. lib. 7. Satur. c. 1.*

THyrsis vero, quod telum est ligneum, circumfusa Hedera coopertum vini nocumentum hieroglyphicè indicat sub ipsius suavitate latitare. Hinc Macrobius Liberum Patrem ait ferire per obliquum, circumfusæ hederæ latitante mucrone. Neque aliud sibi vult vitis supra caput Hecates prætendi solita, quæ nimirum ostendit Fauni patris insidias, quas in natam vini opera construxit, de quo latius in Serpente.

## TENACITAS. Cap. XV.

*Nec ullum omnino nodum in corpore habere, teste Fest. Pomp.*

USque adeo vero adhæsit hæderæ tenacitatis nomen, ut illigandi complectendique significatum, ut olim apud nostros flamini Diali non modo eam tangere ominosum esset, verum etiam nominare, ne inde illigatus aliquo modo, vel re, vel cogitatione deprehenderetur. Eaque de causa neque anulum quidem ei gestare licebat, libera siquidem omnia esse volebant sacrificiis. Unde sacrum factura Dido apud Maronem, *unum exuta pedem vinculis in veste recincta* legitur. Manifestum autem est hederam vincire quicquid fuerit, ad quod se applicuerit. Hinc Horatius *Carm. lib. 1. od. 63. lascivis hederis ambitiosior* dixit. Hinc Catullus mentem amore revincens, *ut tenax hedera hac & illac arborem implicat errans.* Et Gallienus Imperator:

*Ex lib. 4.*

*Brachia non hederæ, non vincant oscula concha.*

Ea denique sive ab hærendo, sive ab eo quod edita petat, sive potius ab edendo ea, quibus adhæserit nomen habeat. Libero Patri dedicata est, ut initio dictum, quod ita semper vireat, ut & ille semper juvenis. *Nam, Solis æterna est Baccho Phœboque juventa*, vel quia mentes hominum ita Liber liget, uti ea quæcumque tetigerit impedit: ebrius enim quamvis solutum eum vel in angusta paupertate dicat Horatius, & Lyæus à solvendo nomen acceperit, irretitam tamen habet mentem, neque sui compos est.

## ASSERTOR. Cap. XVI.

*Epist. 5. ad Torquatum, lib. 1.*

IN numis plerisque caput hedera redimitum aspicias cum assertoris inscriptione: ut illud cum cornibus, ab cujus altera parte sigillum est cum racemo in dextera, in læva spolium gerit: literæque legi possunt, ΔΙΟΝΤΣΟΤ ΣΩΤΗΡΟΣ. In aliquot aliis caput identidem hedera redimitum, ab altera vero facie Hercules cum clava & spolio literæ sunt, ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ ΣΩΤΗΡΟΣ: infra vero, ΘΑΣΙΩΝ. Sed dicerem ego populeam potius esse frondem, nisi flexuosus viticulæ ambitus hederam potius referret. Sunt vero Thasii ab insula, quæ Thraciæ adjacet, unde Herculis progenitores oriundi, quo nomine illi sibi plurimum plaudentes, imaginem ejus numis exprimere instituerunt.

BAC-

## BACCHEIA SUPELLEX. Cap. XVII.

A VInaria vero vascula, quæ Cissibia plurimum appellant, orificium ad hederacii folii speciem informatum habent: κισσὸς enim hedera: cujusmodi vasa quamplurima, quæ longam sapiunt vetustatem, ubiq; Romæ videas. Et quæ nunc etiam è luto formantur, ad eandem pene formam rediguntur, à foliisq; vulgo nomen habent, nam Folietæ nuncupantur. At bona pars Italiæ vasa vinaria quotidiani usus Boccalia, quasi, ut puto Bacchalia dicere velint, appellant. quamvis βακκάλιον pro vase vinario sit apud Homerũ. Qui κισσύβια dicta putarunt, quod vasa olim ex hedera fieri solerent, hallucinari mihi videntur: nam neq; quidem lignum satis idoneum, neq; materia commoda est, cum satis constet, si poculo hederaceo mixtum infundatur, vina transfluere. Neq; ego nunc poculorum genera perquiram, quæ copiose satis ab aliis enumerata fuerunt: illud ostendisse satis fuerit, qua de causa bona eorum pars hederam supremo margine assimularent, quinetiam in nonnullis juxta ansam impressum hederæ folium observes: & apud Maronem *Pastoralibus quibusdam poculis super addita vitis, Diffusos hedera vestit pallente corymbos.* Qua vero specie esset cantharus, qui Baccho dedicabatur, ut scyphus Herculi, si quæsierit quis, picturatione commodius quam verbis explicabitur. Pedem enim habet à latiori ambitu in angustum flexuoso interius ductu se contrahentem, ita ut ea pars tota desidentibus incurvis costulis describatur: mox intumescit in calicem, quod nomen nostris in sacrificiis tot jam ab hinc annis, specie nihil quicquam immutata, receptum est: hinc iterũ angustari incipit, totoq; ambitu intro versus incurvari, quo ductu ubi aliquantulum processerit, rursum aperitur, & cratera in summo patefacit. Adduntur hinc atq; inde ansæ, quas Aures Græci libentius appellarunt, sed aures ego eas alia quam ansæ sint forma factas intelligo: utpote quæ quidem prostarent à summo vase, seu minime ad inferiora flecterentur. In morem autem Delphinorum alias ansæ, alias anguium figuras, plerumq; volutarum in modum fieri solitæ. Sed & una tantum ansa præditos plerisq; locis cantharos in antiquorum monumentis aspicias, cujusmodi apud Virgilium est. Silenianus ille,



*Cui gravis attrita pendebat cantharus ansa.*

*Nomen ... iam poculi Lugdunensis. Legimus tamen apud Serenum Samonicum Mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis. Legendus Macro. l. 5. c. 21. super Cymbio & Cissimbio. Cantharus Bacchi. A Plin. lib. 16. ca. 35. Eclog. 3.*

*Eclog. 6.*

## POETA. Cap. XVIII.

QUod vero Poetis hedera decerneretur, ut una cum Lauro coronam eorum perficeret, non tam perpetuus utriusq; viror, qui diuturna eorum opera significaret, in causa fuit, quam ut ostenderetur, eos, qui dignos hedera evasissent, Laureamq; meruissent, & ingenio & arte præcelluisse: per Laurum enim insitam in ingenio vim, ac venæ fœcunditatem Apollinis irradiatione locupletem intelligebant: per hederam vero artem & industriam pervigili labore partam. Cujus rei id est indicium, quod hedera suapte vi admodum imbecilla humi semper reperet, neque se umquam attolleret: pertinaci tamen labore artificiosoq; conatu pervincit, ut vel arboribus vel parietibus adhærescens, paulatim irrepens supra omnium fastigia victrix evadat, & supremo in vertice dominetur, utroque enim opus est, si quis velit excellere: nisi vero excelluerit, nihil quicquam profecit, quia *Mediocribus esse Poetis, non homines, non Dii, non concessere columnæ.* quare sapientur ait Horatius:

*—Ego quid studium sine divite vena,*
*Ne rude quid possit video ingenium: alterius sic*
*Altera poscit opem res, & conjurat amice.*

*Hinc Maro Eclog. 6. Pastores hedera crescentem ornate Poetam.*

*Hedera cur poetis dicata. Horat. de Art. poet. Ibid.*

In eandem sententiam apud Pindarum legas, ut in Ape diximus, Poetas lacte simul & melle pasci: quorum lac naturam facundiæ ubertate affluentem, mel artem laboriosumq; proficiendi conatum ostendit. Non enim sine magno labore, industria & artificio comparatur. Apud Athenæum, quod minime dissimulandum est, legas, ex Seno Eliensi Grammatico desumptum, Aurocabalos, qui postea Jamborum Poetæ nuncupati sunt, hederacea corona uti solitas: Ithyphallos vero talari tunica ma-

ca manicatos, ebriosorum personas ridiculum in morem gestasse. Hinc apud Virgilium:

*Æneid. l. 6.* *——Threicius longa cum veste sacerdos*
*Obloquitur numeris septem discrimina vocem.*

Et quod ad manicatos facit, elusum alibi:

*Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.*

*Æneid. l. 9.* Sed ut ad Athenæum revertamur, Phallophoros demum ait (ideæ sunt hæ impudentioris Musicæ, lascivæque apud veteres ceremoniæ) serpyllo & pæderotæ herbis faciem occultasse, sertaque sibi ex viola & hedera nexuisse.

## VETUSTAS. Cap. XIX.

PRæter hæc vetustatis symbolum est hedera, cum semper circa vel arbores, vel ædificia, vetustate consumpta ruinosaque saxa maxime versetur: quin etiam ex eo Baccho sacra, veluti vina etiam de vetustate commendantur. Pindaricum porro est vinum à vetustate commendare, ut Epharmosto in Olympiis, αἶνεῖ δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον. Ita Horatius passim:

*O natam mecum consule Manlio testam.*

*Nimirum quia jactarent pervetustam generis nobilitatem, qua Juvenalis veteres ceras dixit.* Sic Tibullus, ut corrupta obiter lectio corrigatur, lib. Amorum secundo, Elegia prima:

*Nunc mihi fumosi veteres afferte Phalernos*
*Consulis, & Chio solvite vincla cado.*

Fumosi enim Consulis, non Fumosos Phalernos, ut imperiti nonnulli putant, eadem synepeia apud Juvenalem habetur:

*Fumosos equitum cum Dictatore Magistros.*

*Hedera cur vetustatis symbolum sit.* Notum enim quemadmodum Romani studiosissime curarint, ut atria sua majorum illustrium imaginibus complerentur, ad excitandam scilicet posteritatem, ut quod sibi ad imitandum proponerent, assidue conspicerent. Fumosos igitur, præ vetustate quadam veluti fuligine coloratos. Hedera autem cogere in senium arbores creditur, ipsaque non nisi senescentibus libenter adhærescit. Extant super hoc luculentissima Laberii carmina, quorum ea duo tantum afferam, quæ ad sententiam, qua de nunc agitur, congruere videntur:

*Hinc à Siceron. in Pisonem, Obrepsisti commendatione fumosarum imaginum.*

*Ut hedera serpens arborum vires necat,*
*Ita vetustas ambitu annorum necat.*

Neque quidem ea tantum de causa, quia vetustas vinum commendet, & hedera sit vetustatis indicium, ea Baccho sacra perhibetur, sed quoniam, ut super ejus vi Plutarchus disserit, commanducata hederæ folia ebrietatis speciem quandam repræsentant, & proclives ad furorem mentes incitant.

## FUROR POETICUS. Cap. XX.

ATque hinc demum existimant eruditissimi viri coronas hederaceas Poetis attributas, siquidem motus ille divinitus fit, ut author est Plato, quo Poetarum mens concitata, imagines rerum tot supra naturam concipit, & in ea interdum mysteria scriptis mandat, quæ paulo post ipsi abeunte furore vix intelligunt. Unde non immerito excludit sanos Helicone Poetas Democritus, eosq; tantum admittit:

*Horat. de arte Poet.*

*——Quos cantor Apollo* *Nubila, quæque Deûm in penetralibus addita cernunt.*
*Non patiur versare lutum, sed ad aurea cœli Atque ubi jam sese rediere in somnia mente*
*Limina sublimes Jovis omnipotentis in aula Attonita repetunt, & quæ inspexere reposcunt,*
*Sistit, & ætheri monstrat commercia cœtus, Et plerumque suas non percepere Camœnas,*
*Ambrosiamq; libens nectarq; propinat, & illi Usque adeo humanis præstant cœlestia rebus.*
*Magna canunt afflante Deo, mortalia ponunt.*

*Ut nuper Torquatus Tassus Italicus.*

## DE SMILACE. Cap. XXI.

QUoniam vero Milax, ut vocabulo utar Æginetæ, quadam cum hederæ foliorum viticisque similitudine ita congruit, ut ea multi magno ceremoniarum errore pro hedera usi sint, ignorantes funestam esse, & omnibus sacris & coronis infaustam, ideo visum est in hoc hederæ commentario mea

A tam dissolvere ambiguitatem. Quatuor enim distinguitur speciebus : arborea una, quæ nostris taxus est virgulto assimilis : sed aspera & spinosa, furculis, ramis, pediculis,& foliis paluri instar hamatis, labruscæ propemodum racemis prædita,quam Venetiis in semotioribus Lignipedum hortis in pergula surrectam aspexi. Hederæ aliæ duæ propiores,quarum una Lævis,altera Hortensis appellatur, sed usque adeo sibi invicem assimilatæ,ut utramq; plerique unam tantum speciem existimarint. Siliquis hæ lupinorum tunicas magnitudine adæquantibus fœcundissimæ, in quibus grana ad faseolorum similitudinem renunculorum figuram referentia delitescunt pressiora in aliis,in aliis torosiora. Colorum multa varietas, in aliquibus lutea,in aliquibus purpurea, nigra alia, alia variegata ex nigro & albo, furculo in omnibus junceo ad admirandum altitudinem excrescente:foliis propemodum hederaceis, nisi quod hederis unicuique singula, his passim trina : hederæ tenacia, & perpetua, & lævore quodam placida, his asperiora debiliaque , & cum vento simul interdum abeuntia Autumno prorsus decidua. *Hederæ species quatuor.*

## FUNESTUM. Cap. XXII.

B Flos harum coronis intextis funestum habet hieroglyphicum.Florem vero ferunt violis admodũ similem, colore in aliis candido, in aliis puniceo, in aliis etiam subpallido, ex quibus lugubres coronas fieri Plinius attestatur,infandosque esse dicit omnibus sacris & coronis : causamque affert, ob crocum in eam herbam amore similacis conversum : quam quidem fabulam Naso 4. Transmutationum libro, unico eo versu tangit : *Plin.lib. 16, c.3.hæc omnia.*

*Et crocon in parvos versum cum smilace flores.*

De qua quidem fabula cum nihil aliud extaret, nos olim de cultu ejus herbæ viticulive justum opusculum hexametris cecinimus fabulæque totius argumentum explicuimus.Idem Plinius ait *Vulgus ignorando, hancque hederam existimando, festa sua polluere.*Nam & Poetis,& Libero Patri,aut Sileno, Smilax jam pro hedera sacrabatur ab iis,qui omnino quibus coronandi essent ignorabant.Legumen hoc diu nostris regionibus ignotum, nunc nuper allatum è Sicilia Romam, multorum hortos tota jam Italia cœpit multiplici fruge fœcundare.Oblectat mirifice fructus tum lepida colorum varietate, nitoreque gemmarum instar arridentium, tum opere topiario furculus, qui foliorum sylva densissima in metas erigitur altissimas, & muris applicata paucorum dierum spatio ad celsa quantumlibet ædium fastigia prorepit, turres exuperat,nullius arboris proceritate superatus. Ideoque in spatiosas scenas latissimaque tentoria, quo præcipue anni tempore magis expetuntur , mirabili pamporum feracitate contexitur. Tum cibus leguminis non, ut multi tradunt, abominabilis, sed gustu gratus atque suavis : nam & discluſus à tunicis, & cum teneris adhuc siliquis aqua incoctum, lautis etiam cœnis apponitur. Quam vero medici damnant, forte trachea illa est, paliuri spinis prædita, quæ racemulos quosdam ad instar labruscæ producit. C *ADioscor. c.140. ibid. Matthæol.*

## DE AMYGDALA. Cap. XXIII.

Quoniam vero nobilissime Hieronyme, spem eam quam de præclara ista indole tua optimam omnes conceperant, vel ante tempus explere, tam in bonarum artium studiis,quam in insignium morum elegantia jam dudum occœpisti,Amygdalam tuum esse hieroglyphicum animadverti : D ea enim arbor ante alias omnes floribus induta, non suæ tantum spem ostentat opulentiæ, sed & aliarum frugum annum feracem pollicetur.UndeMaro cum videret eam primam omnium florere,nihil vel Januarii rigore deterritam, ex florum ejus multitudine lætæ idemtidem fœturæ spem in frumentis concipere nos posse monet his versibus : *Georg. 1.*

*Contemplator item, cum se nux plurima sylvis*
*Induet in florem, & ramos curvabit olentes,*
*Si superant fœtus , pariter frumenta sequentur ,*
*Magnaque cum magno veniet tritura calore,*

Quod si spes, ut Speusippus Platonicus definit, est expectatio boni, velut è converso metus animi concitatio in expectatione mali,sicque floribus inspectis usum inde fructuum expectare solemus, nulli

nulli dubium erit, quin flos sit futuri boni prænuncius, & frugem paulo post succrescentem pollicetur: nam & Themistius jucundissimam & floris speciem fructuum prænunciam esse dicit.

## JUVENTUS. Cap. XXIV.

*Juventus spei semper plena. Hinc Virg. de obitu Marc. juventam florentem, Oui. 3. Amor viridem dixere, & Chærea in Eunuchio, puellam 15. annorum florem vocat.*

AD hæc flos omnis juventutis habetur hieroglyphicum: juventus autem omnis semper spei plena, cum senectus contra omnia desperet: sive hoc accidit juvenibus ex exiguo rerum usu, senibus vero ex irrita multorum votorum experientia: sive quia juvenes natura vegetiore, quæ cupiunt ardentius futura etiam sibi proponunt, spemq; impendio pascunt, senes debilitate confecti, præ timore etiam cum assecuti sunt, diffidere videntur, ideoq; bonis minus gaudent. Alii dicunt æquius ideo sperare juvenes quam timere, quia spes est de futuro tempore: in senibus autem multa memoria residet, ac earum præcipue, quæ spem plurimam elusere, tum autem memoria ipsa spe quodammodo contraria constituitur.

## SENECTUS. Cap. XXV.

*Eccles. c. 12.*

PORro senectus, quæ sese hic obtulit facit ut ad amygdalam rursum revertamur, ejus siquidem hieroglyphicum in Divinis literis accipitur pro Canitie, quæ manifestum est senectutis indicium. Amygdala autem potius quam alia quæpiam ex plantis, quia, ut etiam ex Maronis descriptione vidimus, arbor nulla densiorem florum ubertatem reddit quam Amygdala. Locus autem est *in hanc* sententiam apud Salomonem ad calcem Ecclesiastæ: *Florebit Amygdalum, & pinguescet locusta, & dissipabitur capparis, atq; hæc incœptabunt, homine jam in domum æternitatis suæ profecturo.* hoc est, ut apud Eucherium, canescet homo, tumebunt pedes, & concupiscentia frigescet: nam hæc plurimum homini in postremo vitæ tempore accidere consueverunt, ut inde in terram, quasi in æternitatis suæ domum redeat. Proculdubio autem indicium appropinquantis mortis est, cum canis caput albicat capillis. Mitto illud quod D. Hieronymus notat, quosdam interpretari per amygdali florem sacram spinam, quod decrescentibus natium carnibus spina succrescat, & floreat: nam hoc & illud senii est.

## CONTINENTIÆ FRUCTUS. Cap. XXVI.

APud Hieremiam primo capite, ubi se is virgam vigilantem videre asserit, Theodotio reddit amygdalinam. Unde colligitur, amygdalum castioris hieroglyphicum esse temperantiæ: nucem enim eam videmus amarissimum habere putaminis corticem, testaque lignea, eaque durissima cingi, amaritie corticis difficultatem indicante, integumenti duritia virtutem ipsam: fieri autem ut cum putamina illa & amara & dura summoveris, fructu fruare suavi admodum & delicato. Sic continentiæ castigata coercitaque custodia, amara primum videtur, perdifficilis, & ab omni delectatione remotissima, sed ex qua fructum colligas dulcissimum suavissimumque: ait enim Hesiodus, virtutis radices amaras esse, fructus vero suavissimos.

---

# DE NUCE JUGLANDE.

## NUPTIÆ. Cap. XXVII.

*A Plin. lib. 15. cap. 22, b. c. Eccl. 8.*

AB amygdalo ad nucem juglandem transire non incongruum, cujus est hieroglyphicum ut nuptias præ se ferat. Credidere multi, ait Plinius, quia nuces cadendo tripudium sonumque faciant: qua de causa dictum illud. *Sparge marite nuces.* Sed verisimilior causa est, quam ipse comminiscitur; ob integumentum duplex, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis, quali propemodum operimento fœtus muniantur.

---

## CAPPARIS. Cap. XXVIII.

*Capparis Hebræis Avion.*

UT vero & Capparim absolvamus, super eo multa & varia tam Hebraici interpretes, quam Latini & Græci commenti sunt, dum Hebraicam vocem, quam nos Capparim dicimus, illi AVIONA, modo amorem, modo desiderium, modo concupiscentiam, & his similia elocutionibus suis circumscribunt. Sed qui diebus nostris scripsere Capparim libidinem perfrigerare, hoc loco, teste eo, decepti vi-

A pti videntur, quod minus animadverterunt Salomonem id notare voluisse, cessare tunc libidinis ardorem, cum Capparis nulla esse cœperit: id enim aperte signat, *Dissipata fuerit:* perinde ac si Græci per fabulas suas philosophentur, tunc ardorem Leandri gelidis aquarum fluctibus superari, *Eccles. c. 13.* cum primum Herus lucerna fuerit extincta.

---

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER LII.

## DE FUNESTIS ARBORIBUS, ET CORONIS ALIQUOT.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD LAURENTIUM GRANAM.

*Luctuosissimo illo die, quo Celsi Melini justa, Academia universa deposcente, pervetusto majorum ritu celebravimus, memini te (facundissime Grana) dum funeris apparatus instruebatur, multa de me quærere super funestarum arborum significationibus, quod nonnullam hujusmodi rerum inquisitioni operam dare me non ignorabas. Tuque meminisse debes pauca admodum ea fuisse, quæ mihi tunc, tanti ac talis amici casu consternato, memoriæ succurrissent: tum quod eo totus conversus eram, ut quæ multa in prærepti juvenis desiderium à doctissimo quoq; conscribebantur, sedulo colligerem collectaq; publicarem: tum quod nolebam eo tempore te nugis meis occupare, studiorum tuorum socium laudare meditantem. Quem quidem tu non laudasse tantum, sed diuturniori, vel æternæ potius vitæ visus es mihi restituisse. Dignus quidem Celsus, qui tam eruditum, tamq; elegantem funeris sui laudatorem sortiretur: Dignus tu quoque, qui de juvene tam præstanti, tam docto, tam probo verba faceres, quamvis id lætiori argumento factum omnes maluissemus. De qua quidem oratione tua multa alii præclare prædicant: nos exuperasse te & nostram & omnium expectationem, qui de optima quæque conceperamus, verissime profitemur. Tibi vero an ego responsurus sim in iis quæ percontatus eras, adhuc ambiguum est mihi: curavi tamen, ut si quid per diligentiam assequi possem, tuæ me flagitationis memorem fuisse comprobarem. Itaque Cupressum, & Pinum, & Populum, & pro corona Smilacem, & quædam alia, quæ funesta sunt, perquisivi, de quorum significatis commentariolum hoc ad te conscripsi. Illa vero meminisse debes, cum de coronis quæreretur, quibus cenotaphium cingeremus, respondisse me, ex Salice, ex Moro, ex Caprifico & Loto demum serta contexenda. Ex Moro, quoniam similem prudentiam tam juvenili ætate præ se ferebat, Ex Caprifico, quia cupiditatibus omnibus, quas innumeras ea ætas afferre solet, ipse jugum imposuerat. Ex Salice propterea quod summa erat adolescens continentia præditus. Ex Loto, ad divinum ejus ingenium, & omnifariæ doctrinæ studium: quorum quoq; omnium rationes poteris ex hoc libello nostro cognoscere. Sed enim in his nihil forte novum tibi, gratam tamen futuram spero industriam, quæcumq; esse potuit, meam, quod non contanter satis amico facere procurarim. Esto igitur apud te nostri hoc amoris qualecumque monumentum: neque id horrori sit, quod fœmlia donamus: utpote qui Philosophus non minus rerum fines, quam ortus progressusq; sit contemplari solitus. Sed jam quid hæc sibi lignorum strues velit, inspiciamus.*

---

### DE CUPRESSO. Cap. I.

Cupressi significata apud Horum nulla sunt, apud Latinos & Græcos pleraque memorantur.

## POLLUTUS MORTE LOCUS. Cap. II.

*Quia Diis sacra, ideoque pro signo funebri ad domos posita. Plin. l. 16. c. 33.*

ATque illud in primis, quod pollutionis aut incestati de alicujus morte loci, aut funeris signum fuit, feraliq; illi apud omnes cognomentum: quia cum minime recidiva sit, humanæ conditionis sortem referre videatur. Quamquam Herodotus unam solamq; Pinum ex arboribus recisam minime repullulare tradit, esseque, ut ipse ait, πανόλεθρον. Nimirum animadverterat homo multæ diligentiæ, recisam Cupressum in Creta beatiore insula repullulare, quod de Pinu nusquam observarat.

## CRETA. Cap. III.

*Palma pro Judæa cur.*

QUoniam vero Cretæ id præcipue concessum, ut renascentes, quæ præfectæ fuerint, Cupressus videat, nonnulli Cretam per ejusmodi arborem significari tradiderunt, non aliter, quam Palmam pro Judæa poni in Vespasianorum numis observatum: Palmæ siquidem & lætius & frequentius in Judæa proveniunt, quam usquam alibi. Cupressata porro Gnosiorum celebrat Plato, in quibus assiduo

*Suet. in Vespasiano c. 5.*

die de legibus commentum à Megillo & sociis tradit. Non immerito autem magno habitum ostento, cum arbor Cupressus altitudine conspicua in Vespasiani agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus repente procidit, ac insequenti die viridior atq; firmior eodem vestigio resurrexit, grande, ut inquit Tacitus prosperumque, assensu aruspicum & summa claritas juveni admodũ Vespasiano promissa. Apud Plinium legas, ubi de prodigiosis arboribus disserit, arbores multas, sine tempestate, ullave causa alia, quam prodigii, cecidisse, ac sua mox sponte surrexisse quæ fuerint fausti ominis & ostenti. Sedenim ne nostra negligamus, vetustis rebus nimium applaudentes, in Mediceis ædibus quæ ther-

*Medicearborisprodigiis mirandum.*

mis Alexandrinis dirutis incumbunt, hoc Romæ vidimus, quod huc inserviſſe minime fuerit importunum. Paucis admodum ante diebus quam Leo X. Pont. Max. moreretur, Medicam arborem, proceræ admodum magnitudinis, sed magna sui parte in latitudine ramos ad parietem affixam, ut perpetuo virore aulæa, quæ dicuntur, facere viderentur, casu nescio quo, noctu solutis pergulæ compagibus ita concidisse, ut cacumine terram attingeret, & à porticu in xystum prodeuntibus præaltæ curvatu-

*Quia præceptor Agnostes Caroli 5. Imp.*

ræ arcum exhiberet. Subsecuta mox clarissimi principis mors. Neglecta arbor, omni tunc familia aliis negotiis occupata. Creatur interim Hadrianus VI. Pont. Max. ab extremis usq; Morinis in Italiæ ludibrium perquisitus. Insequitur statim ab electione, maxima hyemis inclementia, nives juges, & in multos dies terræ, pertinacia Romano solo insolita, inhæsitantes, qualem tempestatem & nivium altitudinem, asperitatemq; acris nemo quantumlibet natu maximus Romæ se vidisse profitebatur. Sæviit ea hyems in citreos lucos, & viridia omnia, Medicis arboribus consita perstringit, & ad radicem usq; adurit: omnesq; illæ hujusmodi arborum deliciæ, quæ Romæ plurimæ frequentissimæq; erant, auferuntur: sola è nostris illa observata incolumis, quæ ante Leonis obitum procideratac omnis ille ordo, qui ad eundem parietem adhæ rescebat, minima jactura læsus, cæteris omnibus ad repullulationem succisis ad imum caudicem. Quod si altero vix anno completo Clementẽ VII. Leonis prærmortui fratrem patruelem ad Pontificatus fastigium evectum vidimus, cur Medicam illam arborem in ejus ædibus, & inclinatæ fortunæ dejectam, & felicissimi successus, ab hyemis tam horridæ sævitia servatam, fuisse prænunciam affirmare vereamur.

## SEPULCRA NOBILITATIS. Cap. IV.

*Lib. 3. Arcæ ex Cupresso.*

SUnt qui Cupressum funus quidem & sepulcra, sed non nisi nobilitatis significasse contendant: quod & Lucani testimonio confirmatur, ita dicentis: *Et non plebejos luctus testata Cupressus.* Sane Thucydides libro historiarum II. arcas fuisse dicit ex Cupresso, in quibus eorum efferrentur ossa, qui pro salute patriæ mortem oppetere non dubitassent. Hujus autẽ instituti, ut Cupressus defunctis accommodaretur, principium nonnulli ad historiam referunt: ajunt enim Asclepiadis authoris gravissimi testimonio, Boream Celtarum Regem cum filiam Cyparissam nomine amisisset, arborem hanc in ejus tumulo sæviſſe, à qua inde nomen inditum Cypariſſo: mox à fatu illo luctuosam feralemque haberi cœptam.

## MORS. Cap. V.

*Unde avè deſanctori,*

NAm & in ostentis mortis indicium fuit, quod tum aliis eventis tum Imper. Severi casu comprobatum est, cum Æthiops quidam claræ inter scurras famæ, cum corona è Cupresso facta illi obviam

A viam processisset, quem cum ille iratus removeri ab oculis præcepisset, coloris tactus omine, respondisse ille dicitur. *Totum fuisti, totum vicisti, jam Deus esto victor.* Paucis vero post diebus Severus est vita functus. Quod vero pertinet ad colorem, fertur & Hadrianus Imp. ex Mauri occursu extrema sibi jam ingruere concepisse.

*seu tumulis cupresso ornabantur. ut Polydor. Æne. lib. 3. & flores demorum. Severi Imperatoris casus.*

## DIS. Cap. VI.

Cupressus porro in tutela Ditis Patris, & ejus arboris rami sepulcris affixi, adsculptive, Dis Manibus commendari defunctos indicant. Atque hoc est, quod apud Horatium legas, arborem nullam hominem ad inferos sequi, præter invisas Cupressos.

## JUNO. Cap. VII.

Ex ea autem arbore simulacra Junoni Reginæ fieri jussa, in Plerisque prodigiorum expiationibus observatum: ut Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Coss. Cupressea simulacra Junonis Reginæ posita per virgines viginti septem, quæ Urbem lustraverunt.

*Simulacra ex cupresso.*

## ORPHEUS. Cap. VIII.

B Et in Lebetharis Orphei simulacrum ex Cupresso cultum, quod cum Alexandri temporibus sudorem multum emisisset, omnibus eo prodigio perterrefactis, responsum est ab Aristandro viro sapiente, bene sperandum, siquidem quod nunc opus Alexãder aggrederetur, ob rerum gestarum magnitudinem maximum esset sudorem & laborem Poetis ac Musarum cultoribus allaturum.

## PULCHRITUDO SINE FRUGE. Cap. IX.

Indicat etiam Cupressus rei cujuspiam sublimitatem atque pulchritudinem, ex qua tamen nullus percipiatur fructus. Quare Phocion, cum Leosthenes Athenienses in bellum impulisset magnaque spe ad libertatis & principatus nomen erexisset, illius verba dicebat Cupressus esse similia, quæ cum proceræ admodum sint & pulchræ, fructum tamen non habent. Cessit inde res in proverbium κυπαρίττου κάρπος, de re speciosa quidem visu, sed prorsus inutili. Spectatu quidem jucunda est Cupressi proceritas, effigiesq; illa metas imitata, fructu tamen supervacua est baccisque torva, diceret Plinius.

*Hinc Plin. l. 16. c. 33. illã ait morosam fructu supervacuum.*

## PERPETUITAS. Cap. X.

C Cur vero Diis simulacra ex Cupresso fieri solerẽt, in causa est materiæ perpetuitas, odorisq; suavitas, quæ perpetui thymiamatis loco esse videretur. Cupressum enim neq; cariem, neq; vetustatem sentire tradunt, neq; temere rimam aperire, ullave parte fatiscere. Simulacrum Jovis in Arce ex Cupresso à condita Urbe sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum, tempore adhuc suo durare Plinius attestatur, qui quidem anni essent circiter, c c. Plato leges publicas acta decretaque sacris monuit inferendas tabulis Cupressinis, quod eam materiem ære perenniorem arbitraretur. Quantũ vero pertinet ad odorem, Inde Cupressum inter aromata propemodum venerantur.

*Diis simulacra ex Cupresso cur fiebant. Plin. ibid. Lignũ ejus nulla tẽporis diuturnitate suaveolentiam exuit. Mat. in Dioscor. lib. 1. c. 87.*

---

## DE PINO. Cap. XI.

Et Pinum, mi Grana, non parvam habere cum Cupresso similitudinem, exploratum est.

## MORS. Cap. XII.

D Nam mortis ipsa quoque indicium est, de qua idem observatum ubique, arborem excisam semel minime subpullulascere. Unde Staphylus Poeta, πεύκης τρόπον, hoc est, *in morem piceæ* dixit. Et apud Homerum βέλος ἐχεπευκὲς, lethale telum exponunt interpretes vetustissimi, quamvis alii ad solam referant amaritudinem & acerbitatẽ, qua sit arbor ea præcipue prædita: quandoquidem amaritudo ipsa ita est morti affinis, ut vice versa mors interdum pro amaritudine usitatissimo mortalium sermone proferatur: neq; hodie tantum, verum & apud vetustissimos hominum ita fieri solitum inveniamus. Nam 4. Regum, cum Prophetarum grex apud Elisæum esset, & eorum unus egressus in agrum colocynthidas agrestes legisset, easque conscissas in ollam pulmentariam parasset, neque eorum quisquam propter amaritudinem gustare posset, clamaverunt ad Elisæum dicentes, *Mors in olla est:*

*Amaritudinis in sacris significatio.*

*est*: hoc est, tanta est pulmentarii amarities, quanta mortis est. Eodem modo paucis ante diebus, A cum post raptum in cœlum Heliam, Hierichonta se recepissent, quæsti sunt ejus loci cives, aquas esse apud se pessimas, quas divinitus cum dulces reddidisset, numinis dictum citaverat: *Sanavi aquas has, & non erit ultra mors in eis*, Sed ut ad piceam revertamur. Herodotum nonnulli carpunt, quod holem piceam præfectam non repullulare dixerit, cum & Cupressum, & alias quasdam plantas ipsi agnoscant, quæ idem patiantur. Sed quantum ad Cupressum, attinet, diximus nos Herodotum ad Creticam respexisse, quas repullulare constans fama est. De Pino vero, quod Staphylus Pini more diit, pro abolitione, excidioque supremo, in memoriam adducit terribilem eam Crœsi denunciationem, qua per caduceatorem Lampsacenis interminatus est, eos ut Pinum exterere, nisi Miltiadem, quem per insidias ceperant, missum facerent. Cumque Lampsaceni inter se quærerent, quid illud esset, quod Rex se ut Pinum diceret, extriturum, à grandiore natu cive edocti sunt, eam arborem semel excisam numquam amplius subpullulascere. Quod illi excidium veriti, Miltiadem confestim è vinculis exemptum liberum abire permiserunt.

*Citatus à Diogeniano meminit & Suidæ.*

## ISTHMIA. Cap. XIII.

*Isthmia quid.*

Isthmiaci quoque certaminis præmium Pinus erat. Neque vero Pinu tantum, verum etiam aridoB olim apio sacri ejus victores coronabantur. Funestum enim esse etiam apium, suo loco docebimus. Quæ vero apii corona Nemeorum victoribus dabatur, ex eo viridi texebatur apio, ut interpretes Pindari monuerunt. Erant vero Isthmia in Melicertæ memoriam instituta. Et Pausaniæ adhuc temporibus Pinus apud aram Melicertæ germinabat, quem puerum à Delphino delatum expositumque, Sisyphus rei miraculo motus in Isthmo sepelisse fertur, & certamen illud instituisse.

## NATURA. Cap. XIV.

Naturæ imaginem esse Pinum dicit D. Ambrosius: quippe quæ semina à primo illo divino cœlestiq; privilegio accepta custodiat, partusque suos quadam veluti annorum vice & ordine referat, neque nisi vi caloris admota excludat. Atque eadem ipsa nux flammæ speciem imitatur, lacunatis in turbinem toris reticulato opere circumductis.

## CYBELE. Cap. XV.

*Quia ab ea Attys pastor in Pinii conversus fertur.*

*Numi cum capite Cybeles explicatio.*

Eodem argumento & causa Cybeles Deæ symbolum erat Pinus: nam & ipsa Dea rerum omnium C mater habebatur. Videre vero est numum, in quo caput Cybeleium est de more turritum, ab altera cujus parte corolla impressa est ex duobus ramis Pineis, intra quos literæ sunt ΜΥΡΝΑΙΩΝ. ubi illud quoque adnotatione dignum, quod litera Σ in eo numo figuram habet Latinæ aspirationis in latus prostrata, ac solo projectæ, Ͻ Hinc enim crediderim multa ea Græcorum vocabula, quæ apud eos à vocali incipiunt aspirata, per S à Latinis enunciata, utpote qui aspirationem Sliteram esse arbitrati sunt. Sic ἑπτὰ septem, ἕρπω serpo, ὗς sus. Sive ea literæ Z nota fuerit, quod veteres inscriptiones plurimæ Z pro S litera ponunt: ut Zmyrna Romæ in Divæ Anastasiæ, & in Campo Floræ in Vejentibus arce castri novi, Os suis Zmaragdi: in foro Trajani, Æmilius Zmaragdus. & innumera alia, de quibus Grammatici viderint. Per Hetruriam vetusta pleraq; conditoria Pinum insculptam habent, sive funerali argumento, sive quod apud eos Cybele olim vere coleretur.

## ÆSCULAPIUS. Cap. XVI.

Apud Sicyonios Pinea nux Æsculapii symbolum habebatur. Nam & Pausanias author est, eum D Deum cum sceptro, & nuce Pinea in manu altera, sculptum esse.

---

## DE POPULO. Cap. XVII.

*Quæ arbores ferales*

Accedit his Populus, multæ & ipsa apud antiquos venerationis, quamvis inter infelices damnatasque religione recenseatur: quo in numero sunt omnes, quæ neque feruntur, neque fructum ferunt.

FUNUS.

## FUNUS. Cap. XVIII.

A EA quoque apud aliquos inter ferales habita. Nam apud Rhodios ludi funebres in honorem Tlepolemi celebrabantur ab impuberibus pueris Populo coronatis.

*Quod nunquam semen neque fructum ferat. Plin. lib. 17. c. 10.*

## TEMPUS. Cap. XIX.

PEr eam tempus etiam indicabant: propterea quod arbor ea bicoloribus sit foliis prædita, ex quo præcipuas ipsius temporis partes, quippe diem ac noctem referre videatur. Ideoque Probus Herculi dicatam ait, quod Physici tempus per Herculem interpretantur. Quinetiam hoc habet Populus commune cum tempore, quod ejus folia post solstitium circumaguntur: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum, ait Plinius. Sunt vero & aliæ arbores, quæ foliis bicoloribus variæ conspiciuntur, ut salices, oleæ, citri: in illis tamen color pene idem, licet ab una parte dilutior, ab altera densior atq; coloratior habeatur. In populo vero, hac præsertim quæ alba nuncupatur, nam B ea est Alcidæ gratissima, ut Maro, & in ejusmodi accipitur significatum, candor ex una parte pene niveus ac cerussatus, ex altera porracei folii instar validissimus. Narrant nonnulli fabulam, Herculem cum ad inferos descendit, ejus arboris coronam gestasse, atque eam foliorum partem quæ foris conspicua erat, fuligine tetri chaûs obscuratam, quæ interius condebatur sudore ablutam candidiorem evasisse: inde cum surculos eos in Acheruntis ripa sevisset, seminium id late propagatum. Sedenim ut apud Pausaniam est, Hercules Populum albam ex Thesprotide regione juxta Acherontem fluvium genitam ad Græcos transtulit, atque hinc locus fabulæ datus. Acheron enim Thesprotidis fluvius leucem, quæ alba est Populus, passim fert, perinde ac Alpheus oleastrum, Asopus Bœotiæ juncos, Menander myricas, Perseam Nilus.

*Lib. 16. 53. Eclog. 7. Olympionicus in libro de plantis. Fabula.*

---

## DE APIO. Cap. XX.

C EX herbis vero ante alias omnes maximè ferale est apium. Neque tamen hic ego contenderim, utrum Selinon atque Petroselinon idem sint, an aliquid inter se dissideant, quam provinciam sibi doctissimi hac ætate viri suscepere, satis habiturus, si, quæ ad hieroglyphica quomodocumque pertineant, significata commemoravero.

*Plin. lib. 13. cap. 8. στέφανος ἐν Νεμέᾳ ἐκ σελίνων πεπλετμένος. Corona in Nemeeis ex apio connexa. Lucianus, De Gymnasiis.*

## NEMEES VICTOR. Cap. XXI.

HOminem apio, verum eo viridi, coronatum, Nemeeorum victorem significare magis vulgatum est, quam ulla indigeat repetitione. Quodque ea certamina in Archemori, ita ab Amphiarao vocitati, celebritatem instituta essent: quamvis nonnulli dicant, Herculem Nemeeo Leone domito certamen id sacravisse, cujus pretium apium esse voluerit. Ideoque Leonis herbam apium appellatum, de qua Pindarus Numeeis Alcimedæ Æginetæ, βοτάνα τένιν ποθ' ἁλέοντος νικάσαντι. Historia tradit herbulam hujusmodi ex Archemori sanguine progenitam. Alii volunt inde Leonis herbam dictam, quod apium in Nemea lætissimè vulgoque proveniret, qua Leo ibi versatus affluenter admodum pasceretur.

## LUCTUS. Cap. XXII.

D NImirum igitur apium luctus indicium est, quandoquidem herba ea, ut Pindari interpretes ajunt, est inferis sacra, luctuique dedicata. Nam, ut Græci authores prodidere, terrestre admodum est: effunditur enim libenter humi, plurimumq; occari gaudet, ut solo propinquius adhærescat. Satum ejus semen, ut aniculæ nostræ fabulantur, ad inferos proficiscitur, prius quam enascatur. Orta inde fabula, quod ob soliditatem atque duritiem, qua præditum est, aliquanto diutius quam alia intra terræ viscera morari videatur. Itaque mortalis Opheltes, qui mox Archemorus, terreno fuit honore decorandus: ex quatuor enim illis insignioribus certaminibus, Olympiis, Pythiis, Isthmiis, Nemeis, ut Archias:

*Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.*
*Sunt duo mortali, sunt duo sacra Deo.*

*Quia mortem Amphiaraus & à principio vita esset vaticinatus ἀρχὴ principium, μόρος, mors.*

Mortales Archemorus, & Melicerta, qui & Palæmon Dii, Jupiter & Apollo. Præmia, Apollini Laurus, quæ pomi etiam nomine nuncupatur, ob grandiores baccas, quæ Laurus Delphica producebat, unde coronæ illæ decerpebantur, de quo vide apud Lucianum. Jovi oleaster, Palæmoni pinus aut aridum apium, viride vero Archemoro, olimque olea. Minime vero prætereundus hic locus est, ad utrumque significatum funeris & victoriæ optime accommodatus: quippe cum Timoleon copiarum Græcarum dux, audito Bomilcaris & Asdrubalis Carthaginensium adventu, qui classe bene magna comparata missi fuerant ad Græcos tota Sicilia pellendos, ipse cum quinque tantum peditum millibus, & equitibus mille, hostibus occurrere statuisset, profectusque Syracusis cum ad Crinisium amnem, quo sciebat hostem venturum, processisset, factus est obviam mulis apium ferentibus: perterrefactis omine militibus, qui apio sepulcra coronari non ignorabant, quem morem Plutarchus in Symposiacis enarrat: vulgatumq; erat inter Græcos adagium, incurabilem valetudinem apio indigere. Imo, inquit Timoleon, Coronæ vobis vel ante victoriam offeruntur, ad id scilicet alludens, quod Isthmiis victores apio coronabantur: dictumque eventus comprobavit, Carthaginensibus postridie victis profligatisq; majore suorum civium strage, quam unquam antea passi essent, insignique ac memorabili victoria Timoleonti acquisita. Sane plerisque in antiquorum monumentis, & in adscultis cantharis atque carchesiis, apium observes, quippe mortis atque luctus indicium. Eo autem sepulcra, & alia mortuorum conditoria substerni solita priusquam cadavera inferrentur: eaque de causa cum veteres in conviviis omnibus fere aliis coronamentorum generibus uterentur, flores & herbas omnes huc admiscerent, uno in primis apio, utpote quod nihil ad hilaritatem faceret, abstinebant.

*Timoleontis apophthegma & stratagema.*

---

## DE MYRTO. Cap. XXIII.

*An quia prima fertur Circeis in Elpenoris tumulo visa.*

EST & Myrtus inter funestas arbores adnumerata, qua Thebis qui vincerent Jolea, coronabantur, de qua Pindarus in Isthmiis, ἐθαλεκοθεῖ κάρᾳ μύρτοις ὁ δ' ἀνήρ. Fuit autem Jolaus heros apud Thebanos divinis cultus honoribus, ad cujus tumulum Jolea ludos celebrabant, & hujusmodi conam ex Myrto præmium instituerant: propterea quod, inquiunt interpretes, funebris esset arbor. Verum cum longe plura sint ab ea & genii & voluptatis significata, inter funestas has Myrtum prorsus inserere noluimus, sed eam cum lætioribus, Rosa, Hedera, & quibusdam aliis conventiori loco pangendam existimavimus.

---

## DE SALICE. Cap. XXIV.

POstea vero quam justa iis, qui præclaro fuerunt ingenio, rite persolvimus, tempus est ut ad lætiora convertamur argumenta. Promiseram enim superioribus diebus (Grana) tibi, priusquam funus hoc incideret, de Salice, de Maro, de Caprifico, de Loro, quæ deducta essent hieroglyphica præscribere. Ea igitur in hunc modum disponemus.

## VINCULUM Cap. XXV.

SAlicem in primis esse vinculorum symbolum, tum ex quotidiano ejus virgulti usu manifestum, ad id enim plurimum comparatur: tum Divinæ etiam literæ attestantur, cum Judæos dicunt patriis abductos sedibus, miserrimo Babylonis incolatu organa sua in salicibus suspendisse, de quo paulo post.

*Psal. 136.*

## CASTITAS. Cap. XXVI.

*Ideoque à Græcis agnon dicta, Plin. lib. 24. cap. 9.*

QUod autem nonnulli ajunt salicem castitatis indicium esse, tametsi de ea nihil Ægyptii, non incongrue tamen confictum est: sive sit propter vinculi significatum, quod ejus materia sit plurimum apta vinculis, atque ideo coërcitionis indicium sit: & castitas ipsa modo zona, modo campestri modo alio atque alio vinculo coërcenda præcipitur. Sive sumptum ab Amerina salice quæ lectis accubilisque imposita, castitatem inducit. Sive ab eo, quod plerique authores tradunt, folia hujus arbo-

A arboris contrita & pota, intemperantiam libidinis efficaciter frænare: sæpius vero sumpta, usum in totum auferre. Unde Homerus sapienter, salices ὠλεσικάρπους, nostri veteres *Frugiperdas* appellarunt, vel infructuosas, cujus scilicet semen in potu acceptum efficit ne conceptus subsequatur. Sane Porphyrius in iis, quæ circa Homerica philosophatur, salicem ab eo ὠλεσίκαρπον vocari tradit, quod semen prius quam maturescat abjicit. Sed idem ea potius de causa dictum putat ὠλεσίκαρπον, quod semen illud, sive fructum appellare quis malit, ex vino propinatum sterilitatem faciat seminali omni vi protinus labefactata. In Divinis porro literis, ubi jubetur populus Dei tabernaculorum festa celebrare, quippe in tentoriis omnes habitantes Palmarum ramos, ac frondes salicis manibus prætendere, nimirum per salicem continentiam intelligimus. Idq; volumus admonitum, apud Origi. homil. 9. super Exodum, in qua de tabernaculo agitur, eo loco in damno esse impressos codices, ubi legitur: *Arbor autem populi & salix, virgulta sunt castratis*, ubi dubio procul legendum est, *virgulta sunt castitatis*. Forte autem non temere id scripsere aliqui, credentes saligna corona coronandos eos, qui juxta Esaiæ dictum, *quasi salix super fluentem aquam oriuntur*. Neque alia de causa credidB rim apud gentes lasciviissimo, quem fingunt, hortorum custodi salignam falcem adhibitam, nisi ut Veneris pruritum, & impudicas cogitationes castitatis falce resecandas admoneremur.

*Ad Venereæ impetus inhibet. Ibidem Plin. Salices eæ frugiperdæ dictæ sint. Hom. Odyss. & Theop. de Plant. lib. 3. c. 21. Plin. l. 20. c. 21.*

## STERILITAS. Cap. XXVII.

SAlicem porro sterilitatis hieroglyphicum intelligi voluerunt, Maronem secuti, qui salicem inter infœcundas memorat plantas: ubi Servius semen salicis esum infœcunditatem ait mulieribus gignere, quippe qui Maronem ajunt eam infœcundam appellasse, quin semen non habeat, norint salices habere in foliis grana quædam, quibus vis seminis ineft, ut eo commisso terris arbor surgat tanquam surculo defosso, vel æquè ac si de semine pullularet. Sciendum tamen eam ocyssimè semen perdere, quippe quod ante maturitatem in araneam abeat. In Creta tamen insula fructum ad maturitatem ferre perhibetur.

*Plin. d. l. 24. c. 9.*

## OTIUM. Cap. XXVIII.

CEuthymius ubi, quod superius attigimus, legitur, *In salicibus suspendimus organa nostra*, per salices otium interpretatur, propterea quod arbores hæ sunt infœcundæ, quippe sine ullo utili, ut dictum est, semine. Nam cum Judæi in eam tracti captivitatem prope Babylonis flumina desedissent, captivitatemque suam tantam deplorarent, nihil habebant quod eos ad cantus hilaritatem invitatet. Ignavam igitur per otia vitam trahere cogebantur.

*Psalm. 137.*

## PRÆMATURUM INCREMENTUM. Cap. XXIX.

SUnt qui per integram hanc & adultam jam arborem præmaturum incrementum, adolescentiamque ante annos mira auctam proceritate, significari velint. Manifestum enim unicuique est, quam cito, quantaque ramorum densitate constipata crescat salix. Hinc Verrius eam ita dictam interpretatur, quod ea celeritate crescat ut salire videatur. Quamvis non ignoro sententiã hanc à Festo Pompejo irrisam, qui etiam id damnat, quod non virgulti genus potius, quam arborẽ jam appellarit. Sed hæc austerea nimis est Grammatici censura. Levitico feriis quæ xv. septimi mensis colligendis fructibus celebrantur, *salices de torrente* sumi præcipiuntur. Theologi pleriq; omnes hic quoque per salicem castitatem interpretantur, moderatiq; conjugii continentiam, sive, uti superius dictum propter vinculorum ex ea usum: sive, quia fructum non facit, veluti Eunuchi, quos viros vocat Evangelium, de quibus apud Esaiam: *Non dicat Eunuchus aridum se lignum esse, quia in domo mea dabo eis locũ nominatũ à filiis filiabus*. Mox attestationibus loco subjungit: *Dabo inquam eis sempiternũ nomen*. Pœnitentiã Quod vero loco hoc positum est, *salicem de torrente*, sunt qui orationis & pœnitentiæ hieroglyphicũ esse velint, ut eo identidẽ loco Psalmographi: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra*. Orationes enim & quæ pœnitẽdo lachrymæ,

*Levit. 23. Esai. 56. hieroglyphicum. Psal. 137. Esai. 44.*

lachrymæ oboriuntur, indigent invicem commisceri, de quibus Esaias: *Sicut salices super præterfluentes aquas.* Alii torrentem loco hoc pro præsentis vitæ decursu capiunt, in quo subita tot incommoda quotidie nobis ex improviso ingruunt, qualibus Christus noster exerceri voluit, qui & ipse de torente, qui secus hanc viam præterfluit, bibere non recusavit.

## DE MORO. Cap. XXX.

IN quibusdam arborum variarum commentariis, in amicorum quorundam gratiam conscriptis fortitudinem ex quercu, justitiam ex palma, temperantiam nuper ex salice significari ostendimus. Nunc autem (Grana) quartam etiam his addemus Heroinam, quæ quidem prudentia est.

## PRUDENTIA. Cap. XXXI.

*Ad Verbum à Plin. libr. 16. cap 25. Morus quo tempore germinat.*

EAm per morum ex arboribus significari ex eo compertum est, quod una omnium prædicatione prudentissima censetur: utpote quæ non ut multæ, properat, quæ ubi primum lenioris mitiorisque aliquantulum auræ spiraverit, erumpunt in germina, & flores exsinuant magna interdum strage, ob temporis inconstantiam. At morus ne pruina lædi possit, quam hostem sibi perniciosum agnoscit, non ante germinat quam frigus penitus fugatum esse cognoverit, atq; ad amœnissima adulti veris tempora perventum omnino sit. Addit hoc, quod rem propere conficit, & quod sapientis illius præcepto mandatur, τὸ παρὸν εὖ ποιεῖ. Una enim ferè nocte tota germinat, fœtum celerrime grandit & maturat, ne caloris etiam adventantis injuria lædi possit.

*Hinc forsan i lud Æschili apud Atheneum l. 2. μόρου πεπαίτερος. Moro maturior.*

## DE CAPRIFICO.

## TEMPERANTIA. Cap. XXXII.

*Temperantiæ definitio. A Plin. libr. 27 cap. 7.*

SEdenim cum salicem pro castitate posuerimus, quæ bonæ mentis vinculo uti zona coërcita sese probet, eamque temperantiam etiam esse interpretati simus; cum virtus hæc ad alias quoque cupiditates coërcendas, frænisque atque catenis compescendas progrediatur, sitque omnino temperantia, ex Ciceronis definitione, moderatio cupiditatum rationi obediens, optimè videntur Ægyptii fecisse, qui virtutem hanc per Caprificum expressere: ea siquidem collo Tauri quantumlibet lascivientis alligata, animal ferocire minimè permittit, sed lascivia ejus atque petulantia omni cohibita, eum obtemperantem reddit, neque quicquam sinit immodestius facere.



## JUNO. Cap. XXXIII.

*Ad Verbum à Macrob. Satur. lib. 1. cap. 11. Philotis ancillæ sententia laudabilis.*

QUod vero alicubi videas Caprifici ramum simulacro Junonis appositum, ea de causa factum quod Nonæ apud Romanos erant Caprotinæ nuncupatæ, quibus, ut author Varro est, matronæ sub ficu Junoni sacra faciebant, & ex Caprifico virgam adhibebant, nempe ob memoriam pudicitiæ servatæ: cum Philotis ancilla Senatui suasit, ut pro matronis & virginibus, quas hostes dari sibi obsides petebant, ipsa cum ancillis aliis habitu matronali cultæ submitterentur: cujus laudata sententia, cum omnes hæ secum potiones meracas in lætitiæ signum attulissent, conviviumq; simulassent, hostes lætabundi, comessatione & potu gravidi, post jocos quieti se dederunt. Hic Philotis signum dedit ex Caprifico, per quam de mœnibus, ubi nata erat, propendentem

dentem irrepserat. Romani exciti impetum in dormientes faciunt, eosque cædunt, & clade fœdissima fugant, potitiq; victoriam, sacrum id instituere, ut ancillæ matronis æquatæ Iunoni, quam à Caprifico Caprotinam appellavere, sacrificarent. Ad hoc sacrum respexit Ovid. cum in arte dixit;

*Porrige, & ancilla qua pœnas luce pependit,*
*Lusa maritali Gallica veste manus.*

## DE LOTO. Cap. XXXIV.

INTER arborum significata nulli apud Ægyptios major honos habitus quam Loto mirificæ omnino arbori, & quæ magnum cum cœlestibus consensum habeat, sitque veluti nostrarum rerum ad superos internuncia.

## ORTUS SOLIS. Cap. XXXV.

B ERAT vero Lotos apud Ægyptios Sacerdotes exorientis primum Solis imago quædam, ubi infantem in ea residentem apposuissent: hinc utiq; vapores illos matutinos, qui à Sole moventur, strictiori quadam aura refrigerantes potius quam adurentes, intelligi volebant. Cæterum Solis ipsius significatum, exortum quippe, Lotos indicat: idque inde sumptum crediderint, quod ea ante Solis emersum implicata folia habeat, quæ quidem ita sensim exsinuantur aperiunturq; , uti magis & magis tollitur jubar Solis: maxime vero panduntur, ubi medium Deus iter emensus est. Eodem vero decedente, folia ipsa vicissim contrahuntur, complicariq; incipiunt, ac insinuari, veluti nulli patere veli it quam numini quod venerantur, atq; ita quibus liceat modis, eo abeunte sese intra claustra cohibent. Quod, ut Proclus ait, observatum à Magis, ut nulla prorsus contatione sacram eam esse Apollini crederent, effecit. *Has à Theophrasto lib. de plantis. cap. 10. hãc Serapi Hãdachocham vocat.*

## VESTALIUM INITIA. Cap. XXXVI.

ERAT & Romæ maxima in celebritate Lotos capillata, cui Vestalium virginum capilli cæsi deferebantur, veluti puberum adolescentium Apollini, vel Æsculapio ejus filio. Græci vero fluminiC bus patriis cæsariem offerebant, illis eam dicebant, offerebantq; , quod quandam omnino cum Lotoratione alimoniq; præ se ferebat, perinde ac arbor ipsa felix cognominata, tum ea, quam superius attulimus ratione, quod Deo tam familiaris habeatur, ut sedes ejus statuatur, tum quod irriguo semper solo pullulet. Neq; me fugit quas arbores Verranius dixerit felices, sed quæ ille scripsit, ad augurandi disciplinam retulit. Nobis hæc Ægyptiaca de ipsius naturæ vi satis fuerit desumpsisse. *Apud Macrob. lib. 4. c. 19.*

## DEI ADVENTUS. Cap. XXXVII.

VT vero ad Solis ortum revertamur, minime prætereunda est Memnonis statua sedens, nigro è lapide, quæ magnæ religionis celebritate in Æthiopia visebatur in quam ducem ipsum postea quam ab Achille confossus fuit, transmutatum fabulantur. Erat ei dicti advenientis indicium, ut Auroræ filius maternum officium imitaretur. Eo autem artificio fabricata erat, ut Sol primo statim ortu radios suos in os ejus ejacularetur, ac veluti plectrum aliquod ibi sonum excitaret, vocalique siD gnificatione jam adesse Deum annunciaret. *Ad hæc pegrata Costalii cap. 1. Thebii.*

## MUNDI MOLES PLENA DEO. Cap. XXXVIII.

ALII mundi molem ex ea specie, Deumq; in ejus medio compositum residentemque intelligere maluerunt. Interpretatur hoc Jamblichus ad Porphyrium scribens: commentumque hoc ideo ab Ægyptiis excogitatum ait, quod Lotos limosis præcipuè locis fructificet, sitque in primis aquatica: quod veteres illi præcipuum generationis argumentum contendebant, qui Oceanum rerum parentem omnium dictitarent. Observaverant autem in ea demum omnia orbiculata & rotunda, quippe folia atq; poma, ex qua quidem effigie perfectissimaque forma mentis actionem perfectioni intentatam ostendi profitebantur. Deum verò infantili ætate, utpote unicum atque perpetuum rerum omnium principium, nullo conficiendum senio, neq; ipsum ulli, ætatum variantiæ obnoxium, super *Imo & Deorum, unde Orpheus in hymnis Oceanum dicit patrem, Tethymq; parentem, Vade ortus Divis.*

actionem ejusmodi in seipso totum consistere, ac principatus reliquos exuperantem, sanctum, incorruptum,& ubiq; venerandum conquiescere. Nam divinitatem ex ipso etiam sedentis habitu internoscebant. Sessum enim Deo in primis accommodabant, quem nulla unquam potest inquietatio solicitare, commovereve. Quin & sedentem Cynocephalum statuebant, cum æquino ejus quietem æqualitatemq; describerent, quæ quidem necesse est ibi sit, ubi nihil subsultat quod alterum inquietet: sed omnia firma, stabiliaq; in æquilibrio conquiescant. Quod vero initio diximus infantem insidentem in medio Loti poni solitum, observata sunt etiam ab Ovidio, apud quem mater ita loquitur 9. Metamorph.

*Hunc tamen infantem maternis demite ramis,*
*Et date nutrici, nostraq; sub arbore sæpe*
*Lac facitote bibat, nostraq; sub arbore laudat.*

Sic infantem hunc videmus apud Poëtam in Loto sedem figurari.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIB. LIII.

## DE IIS QUÆ PER OLEAM, VITEM, ET FICUM significantur.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. REGINALDUM POLUM CARD.

FAMILIARIS mihi tota vita mos fuit, optime clarissimeq; Reginalde, ut clarorum hominum, quos præcipuè colerem, moribus contemplandis non parum adhiberem studii atque diligentiæ, ut scilicet qua quisq; parte excelleret, ea præcipuè commendaretur. Nam, ut optime nosti, Deos homines q; a partibus laudare Homerus instituit. Cum itaque, quatenus inprimis laude præstares mecum examinarem, perspiciebam, Virr arissime, tria esse, quæ de laudum tuarum principatu inter se contendere videbantur. Hinc enim bonarum literarum, optimarumque artium doctrina primum sibi locum asserebat: inde admirabilis ea morum suavitas, quâ & summa benignitas, & singularis humanitas comitabantur, doctrinam sibi cedere imperitabat. Urgebat tertio loco pietas integerrima, vitæ moderatione conspicua, divinarum rerum studio fervida, omnibusque probitatis numeris absoluta: quæ licet ab omni esset ambitione alienissima, nilque præcisum in propatulo jactaret, suaq; se virtute involuens, aliena nihil opis indiga, si uni sibi pretium esset, satis habere videbatur: quo tamen magis ab ostentatione aliena erat, ea admirabilior illustriorq; apud omnes evadebat. Quocumq; me igitur animo & cogitatione convertebã, ambiguus quam tibi præcipuæ partẽ attribuerẽ, mecũ aliquãdiu dubitavi. Nã si tu cũ reliquis & probis literatis viris, quos tu semper unice liberaliterq; fovisti, ad mensã meã Ægyptiacã, adhibendus eras, consentaneũ videbatur, ut quã tu symbolã in talĩ convivarũ sodalitiũ conferres agnosceretur, quiq; tuus esset nuptialis ornatus appareret. Sed enim animadverti demũ nullã earũ, quæ in te cõspicuæ sũt, virtutũ partẽ ab alterutrius societate disjũgi. Quorsũ enim doctrina, nisi qui per doctrinã mores cõparãtur, ita præsto sint, ut & doctrinæ laus moribus optimis adjuvetur, & mores ipsi doctrinæ, firmãẽto innixi stabilitiq; fulciãtur? Divina vero illa pars vix apud illos umquã illustris habita, nisi & mores & eruditio sidissimi cõites accessissent;

A *ſet, adv ũinatiõe n. biſulcæ etiã unguleæ quærebãtur. Quæ cũ in te omnia ita nimirũ eluteſceret, ut vel regiã ipſã ſanguinis tui ſublimitatẽ facile ſuperare putarẽtur, cognovi demũ te nõ à partibus, ſed à toto celebrandum: quæ quidem omnia in uno apud te conjunctа eo nunc acciderunt illuſtriora, quod hac fama impulſus Paulus III. P. M. ſponte, te nihil tale cogitantem in ſacroſancti Senatus Collegium adſcivit, non modo, ut virtutem ornaret tuam, ſed ut tu quoq; non parvo patribus eſſes ornamento: qui quidem noſtræ pietatis partes, hoc præcipue tempore labefactatas, tam acriter defendendas ſuſceperis, ut multas ſæculi noſtri infectas labes tum authoritate, tum eruditione tua deterſeris eluerisq; tum exemplo vitæ laudatiſſimo optimi atq; integerrimi Præſulis formam præbueris ad imitandum. Quoniam vero clientium mos eſt, ut patronis ad hujusmodi honores evectis, eorum nomina gentilia q; inſignia, corymbis ſertis, floribus, foliisq; honoratioribus redimita poſtibus quisq; ſuis affigant, horum ego ſecutus ambitionem, ſertum inſignibus tuis ex olea, vite, atq; ſicu circumducendum inſtitui: ex olea, ut tuæ eſſet manſuetudinis & ſerenitatis indicium: ex vite ut & meam & literatorum omnium lætitiam*

B *indicarem: ex ſicis, ut tuorum indeſinentia morum oſtenderetur. Sed enim quid hoc rerum ſit, ex ipſo jam Commentario apertius inſpicias licet.*

## DE OLEA.

### PAX. Cap. I.

PAcificum in primis Oleæ hieroglyphicum eſſe, tam apud Poëtas quam Oratores vulgatiſſimum eſt, cujusmodi illud eſt Maronianum: *Aenti. li. 9.*

*Pacifera q; manu ramum prætendit olivæ.*

Et Ariſtophanes in avibus, ubi Herculis legationem exponit; à Deis ſe veniſſe, conciliandæ pacis gratia; atqui, reſpondet Piſtotherius, ἔλαιον δὲ ὐδὲν ἐν ληκύθῳ, *olei in lecytho prorſus nihil.* τὸ δ' ἔλεος, misericordia dicitur, quæ qui contingit iis, quibus pax datur, olea apud Probum pacis eſt hieroglyphicum. Sed enim non à Græcorum fabulis, neq; ab alienigenarum gentium commentis, ſed divinitus, vel ab ipſo fere novi mundi primordio, ineſſe oleæ pacificationis vim nobis demonſtratum eſt. *Ideoq; imbellu à Valer. Flacco, l. 2. dicitur.*

C Diluvio enim ceſſante ab Noë columba emiſſa, quæ præpeti volatu regionis aliquantulum circumlata, paulo poſt olivæ ſurculum habens in arcam reverſa eſt: eoque argumento lætatus Noë, ſenſit tempeſtatem diluvii jam tranquillatam, terramque ipſam placatam, & remittente inundatione jamdudum in emerſu eſſe. Sed quid illud? Cum ferrum, ferrique uſus bello in primis inſerviat, & ſymbolicè pro bello ponatur, tantam ineſſe oleo vim, ut id emolliat, & ad feriendi uſum ineptum, & inutile reddat: ſiquidem fabri, qui ferrum lenteſcere & emolliri volunt, candefactum id oleo intingere conſueverunt. *Ad verbũ à Paræmiogr. Chil. 3. cent. 7. Prov. 73.*

### DURITIES EMOLLITA. Cap. II.

QUare nonnulli mollitam eſſe duritiem hieroglyphicè ſignificare ſi vellent, cultrum in aliquot oleæ baccas impactum facere inſtituerunt. Quod illi non ſeciore ſignificato propemodum ſimile eſt, quod oleæ ſurculum querno ramo quidam implicare excogitarunt, immortalis odii diſſidium compoſitum eſſe ſignificantes: propterea quod quercus & olea tam pertinaci odio diſſidant, D ut altera in alterius ſcrobe depactæ moriantur. *Quin & mare tranquillat in oreurinantu. Plin. lib. 2. Odii compoſiti hieroglyphicum.*

### AGRICULTURA. Cap III.

SUnt qui oleæ ramuſculum in Mercurii manu propter agriculturæ ſtudium poni dicant, cum ipſe initium & fructiferarum arborum ſoſpitator habeatur, eumq; honorem olivæ potius, quam alteri cuipiam arbori habitum, ut pro agricolatione poneretur, quia longe plures utilitates ex olea deſumuntur, quam ex quavis alia fructiferarum arborum. Neque tamen deſunt qui rem ad pacis ſignificatum deferant, quod ille rerum internuncius pacem feratur conciliare, de quo multa diximus in Caducei Commentario. Operæpretium vero eſt videre veterum monumenta, in quibus Olea inſigne pacis ubique prætenditur. Nam in Hadriani numo quodam ſimulacrum habetur flexo genu, quod dexteram ipſi Hadriano ſtanti porrigit, læva oleæ ramum humero demiſſum tenet: inſcriptio, Restitutori Hispaniæ. In alio Imperatoris ejusdem, provincia eadem humi ſedens lævo cubito *Nulla enim eſt ars quæ non olea beneficio utatur. N. C. lib. 4. c. 3. Myth. Hadrani nummi.*

cubito lapidum tumulo innititur, dextera ramum oleæ habet: inscriptio, HISPANIA, quo ex argumento pacata quietaq; provincia subintelligitur. In ejusdem alio, signum est cum olea in læva, cum genio in dextera, quod forte refertur ad augurium ex oliva, sorte sibi oblatum, unde aspirare cœpit ad Imperium, sortibus Virgilianis fretus, cum ei versus illi obvenissent: A

*Æneid. li. 6.*

*Quis procul ille autem ramis insignis olivæ*
*Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta*
*Regis Romani, primus qui legibus urbem*
*Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra*
*Missus in imperium magnum.*

Quibus quidem ramis olivæ insignem Maro fingit Numam ab Anchise præcognitum, cui ob justitiam & integritatem nemo umquam bellum intulit, ipse ultro pacem semper fovit. Quocirca Hadrianus Imperio potitus æquè pacis studiosus fuit, expeditiones enim sub eo graves nullæ fuerunt, bella etiam silentio pene transacta. In numo vero Severi Pii August. togatum est simulacrum cum oleæ ramo cujus inscriptio, FUNDATOR PACIS. Quamvis vero vidisse juvet in Maximiani numo simulachrum quod oleam prætendit, cum inscriptione, PAX AUGUSTI: Illud tamen mihi magis arridet, quod in numismate Philippi patris sigillum illud est olivæ ramum tollens, cum inscriptione, PAX ÆTERNA. B

## FELICITAS CAP. IV.

QUon vero olea adjecta caduceo felicitatis hieroglyphicum habeatur, multa veterum numismata indicio sunt, quæ in ipsius Caducei Commentario continentur. Apud Pausaniam legas Pacem gestare in ulnis Plutonem puerum pectori appressum, eo quidem significato quod pax opulentiam alit, educatque: ubi vero opulentia, ibidem & maxima felicitatis pars, eaque nimirum omnibus expetita.

## CONDONATIO. CAP. V.

*Olea in sacris hieroglyphica.*

IN Divinis Hebraicæ vetustatis monumentis oleum condonationis, veniæ, ac misericordiæ signū habetur. Et in Evangelica historia Assertor noster condonaturus adulterii pœnam mulieri, quæ rea agebatur à Pharisæis, ex oliveto in templum perrexerat. Et apud Athenæum non absimile, βυμὸν ἐλέου quæ tamen omnia ex Hebræorum sacris deprompta sunt, quibus jubemur crustulum absque fermento quod oleo sit irroratum, offerre Deo. Et alibi, *ubi anima donum affert, simila erit ejus oblatio, fundetq; super eam oleum, & panes absque fermento conspersas oleo* Et alibi oleum esse pro peccato legas, & hujusmodi pleraque, quæ omnia delictorum hujusmodi condonationem indicant: siquidem, ut Adamantius ait, *omnis anima eget oleo divinæ misericordiæ, ut sospitari possit.* Hinc Hilarius super Matthæo. *Oleum fructum misericordiæ cœlestis esse, propheticus quoque sermo profitetur.* Ergo cum jejunamus, oleo caput nostrū inungemus, bonis quippe operibus caput nostrum, id est, vitæ nostræ sensus ornabimus: quia intelligentia omnis in capite est. Jam, ut Hierosolym. Hesychius interpretatur, fere passim in Levitico superfusum oleum pro eleemosynis accipitur, uti thus, orationes, & preces interpretantur. Quod vero scriptum est animam quæ peccaverit, offerre donum similam cum oleo, virum nulla vel ingenii sublimioris, vel doctrinæ gratia præditum, sed vita tantum hominē professum, alioqui vel mercaturæ, vel agricolationi, vel piscatui, aut militiæ, aut sellularii artibus deditum Cyrillus intelligit, qui simplicitatem suam, cujus simila est indicium, quærat Deo per oleum divinæ misericordiæ commendare. Neq; prætereundum quod aliquorū historiæ prodiderunt, Augusti temporibus è tabernæ meritoria trans Tiberim oleum erupisse terra, totaq; die nulla intermissione fluxisse: quod forsitan ad ortum Christi, & eam quæ subsecuta est mortalium, quæ summa ejus fuit misericordia, redemptionem, & gratiam per omnem terrarum orbem longe lateq; diffusam, referri potest. Sunt qui de fossi in terram cadi de fluvium illud olei fuisse dicant, cumque apotheca, ubi vas condi- C D

A conditum fuerat, in ripæ Tyberinæ summo margine sita esset, amphora casu aliquo vitiata, liquorem inde sibi viam aperuisse. Utcumque, maximi omnino ostenti loco habitum, ejusque rei monumenta longa annorum serie posteritati commendata. Epopæus Thessalus, qui Coraci Sicyoniorum Regi successit in Imperio, à Nicteo Thebanorum Rege bello impetitus, commissaq; pugna gravi accepto vulnere cum victor evasisset, Palladi templum erexit, qua rogata ut signum aliquod ostenderet, ex quo an id gratum deæ donum fore conjicere posset, ajunt oleum sponte ante templum fluxisse, simulq; Epopæum haud ita multo post vulnere negligentius curato periisse. Ex Gentilium enim religione observatum est, Deos tunc suæ in nos misericordiæ signa exhibuisse, cum ex carcere corporis migrare jussi essent, id quod aliquod exemplis declaratum est. Simile fuit in Cleobe atque Bythone fratribus juvenibus, qui pientissimi erga matrem Junonis deæ sacra petituram, jumentis aliis deficientibus, altro ipsi jugum subiere, pro quorum pietate merita à Junone filiis dona mater cum poposcisset, mane ambo inventi sunt animam efflasse. Quod vero ad misericordiam & veniam imploratã attinet, quæ multis veterum exemplis per oleum significata fuerint, interpretari libet Ælii Lampridii locum in Heliogabali vita: Sybaritas eo anno periisse, quo missum ex oleo & garo commenti sunt: quod si quis ad cibi genus id & ganeæ delicias referat, subfrigida admodum causa videatur: sin ad oraculum, cujus mentionem ex Stephano Hermolaus Byzantius facit, Ægyptiacum aliquid, hoc est, eruditius oleet. Tunc quidem Sybaritas petituros oraculum nunciavit, cum major olim honor mortali cuipiam quam Diis habitus esset, forteq; evenit, ut servus heri sævitiam subfugitans, ad aras deorum confugiens, nihil profecerit: ut vero ad patris herilis monumentum se recepit, veniam implorarit, atq; ita oleum garo, piculento quippe ac perinde profano, ut in piscibus habetur, pulmentario, commixtum: condonatum quippe crimen profanæ reigratia, posthabita divina.

*Epopæi rei ligio.*

B

## ELEEMOSYNA. Cap. VI.

PLURIBUS vero locis olea in Divinis literis virum probum indicat, qui misericordiæ præcipue fructibus abundet, de quo in Psalmo: *Oliva fructifera in domo Domini.* Contra oleaster minimæ C frugis hominem, vel idololatram ostendit. Paulus: *Si autem tu ex naturali excisus es oleastro.* Tum lucernas in tabernaculo testimonii à vespere usque mane illucescere jubet Dominus, hoc est, juge esse commiserationis opus. Nam Salamon, *Oleum*, ait, *de capite tuo non deficiat.* Coram Domino autem illa accendi debet, quia, in abscondito fieri debet eleemosyna, & uni Deo tantum innotescere, ut ignara sinistra sit quid fecerit dextera. Quod mundissimũ esse vult candelabrum; ostendit opus hoc tãpium ãcolluvie ostentationis & hypocriseos absterssum esse debere. Aliter lucerna super candelabro mundissimo posita semper in conspectu Domini, candelabrum Evangelica est doctrina, in qua Christus virtutes, lucernæ instar, splendere præcipit, absurdum esse dicens sub modio eam occultari: oleũ vero quod his lucernis infunditur, ipsa est eleemosyna: unde jejunium, virginitas, oratio, justitia, & alia vitæ nostræ lumina irrigantur & ut perpetua inextinguibiliq; flamma vigeant custodiuntur.

*Psal. 51. Rom. l. 11.*

*Eccles. 9.*

## SUPPLICATIO. Cap. VII.

IAM vero notum est illud imbellem olivam à Valerio Flacco quinto Argonautiõn appellatam, de qua Statius non alia de causa dixit,

*Ramumque precantis olivæ.* atque alibi:

*Vittaæ lauras & supplicis arbor olivæ.*

D Ramus enim oleæ laurive lana circumvolutus, manibus legatorum supplicantium gestari solitus erat: quo de more Probus Æmilius in Pausania. *Id postquam Lacedæmonii resciverunt, legatos adeos cum lana miserunt*, Maro quoq; morem hunc tangit:

*Optime Grajugenum, cui me fortuna precari,*
*Et vitta comptos voluit prætendere ramos.*

*Olea ramus à legatis gestabatur. Æneid. 8.*

Quod quidem hieroglyphicum Servius ad imbecillitatem indicandam institutum putat: nam qui precantur, & supplicant, suam arguunt imbecillitatem. Ex lana vero velamentum id accipi solitum, quod Oves alieno semper auxilio egeant. Hinc sacra illa *ixmeia*, de quibus in Theseo Plutarchus:

nam Theseus oleæ ramum sertis coronatum vovit Apollini, si Minotauro interfecto incolumis rediisset. Hinc ὀσχοφορία, πυανέψια, κυαμέψια. A

## MANSUETUDO. Cap. VIII.

*Nam motum aut percussum non strepit, late diffundiurt non, luctatur cum igni sero successit, emollit plurimum ac lenit, corpus tepefacit, & contra algores munit.*

QUANTUM autem pertinet ad mansuetudinem, sunt qui illius ergo Deorum simulacra fabricari ex olea contendant, quasi benignitatem illam, qua superi sunt præcipue præditi, ita ad unguem referre videatur. Hinc apud Herodotum Terpsichore, orta in Epidauriis sterilitate, consultum abiis oraculum respondit, Damiæ & Auxesiæ simulacra ex olea erigenda. Non immerito itaq; sacra oleæ stirps apud Milesios tunc sponte sua conflagrasse dicitur, cum illi inter se omne crudelitatis & immansvetudinis genus truculenter exercuissent. Ajunt vero oleo contra furorem tantam inesse vim, ut effusum in perturbatos vesanientis maris fluctus, tempestatem efficacissime tranquillet. Hinc Joannes Synæ monachus: *Velut uter oleo repletus fluctuum rabiem in serenitatis tranquillitatem commutabat.*

## ÆTERNITAS. Cap. IX. B

*Deorum simulacra eur ex Olea.*

*Geor. lib. 2.*

ALII, qui ligni naturam & soliditatem exploratam habebant, æternitatis ratione habita id fieri crediderunt: ea siquidem materies æterna est, quam neq; tempestas, neq; caries, neq; vetustas labefactat. Eadem non in muro tantum obstrusa, sed & in substructionibus, & in terra obruta, & in aqua defixa, collocatave, sempiterno propemodum officio perseverat incorrupta. Cumque Maro dicat solum ignem inimicissimum oleæ, quo si comprehensa semel fuerit, non à stirpe valere, non cæsam reverti posse, atque *ima similem revirescere terra*, illud Athenis admiratione dignum olim evenit, quod eo tempore quo urbis Medorum incendio conflagravit, simul arsit olea, qua de lis illa inter Palladem & Neptunum orta fingitur: sed eandem ajunt eodem die in duorum cubitorum mensuram excrevisse: author Pausanias, à quo nonnihil diversus abiit Herodotus, Urania. Atque hoc illud est, quod libro de Legibus ait Tullius: *Nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerunt.*

## GYMNASIUM. Cap. X. C

*Meminit Plin. lib. 15. c. 4.*

*Epaminondæ ojocus perligans.*

Corporis autem exerciitationes, & gymnasii labores, per oleum significari passim invenies, quamquam non sum nescius Anacharsin Scytham oleum concitandæ insaniæ pharmacum appellasse, quod Athletæ eo peruncti magis ac magis insanirent: putabat enim, aut putare se fingebat, eam oleo inesse vim, ut eo qui delibutus esset, inde ad certandi furorem concitaretur. Sed hæc ut Philosophus Anacharsis, qui tecto gauderet & umbra, quiq; olei usum apud Scythas suos nullum esse viderat. Contra vero Epaminondas permoleste tulisse fertur multum olei se intra corpus recepisse, cum ejus coquus impensarum redderet rationem: *Maluissem enim*, inquit, *id extra consumpsisse*, nempe ad exercitationes alludens Idem apud Horatium significatum, ubi libro Carminum primo, Sybarim dicit amore perditum deliquescere: quærit enim cur is olivum sangvine viperino cautius vitet. At Artis Catulli galliambico ait:

*Ego gymnasi flos, ego eram decus olei.*

*Vt Aristophanis & Cleanthis.*

*Nimirum Ciceronis l. 2. de Oratore. Epicharmi dictum.*

Neque quidem ad corpus tantum, verum ad mentis etiam labores & exercitationes propter vigilias & lucubrationes refertur: unde dictum de studiosissimis nonnullis, plus olei quam vini eos insumpsisse. Et ad alicujus veteris & præclari viri lucernam aliquid elucrubratum, cum ejus imitationem exprimere voluerint. D

## NITORES. Cap. XI.

*Sed & olea coronis Romæ turmæ equitum, Idibus Iulii & minoribus.*

Quos vero λημύθους vel Marci nostri, vel alterius cujuspiam celebrati videmus, inde nitores quosdam, & inspersa lucubrationibus fulgura quædam intelligenda, quæ splendidiorem orationem reddant. Id à balnearum usu sunt qui depromptum putent, quod lecythi usus eo potissimum loco inserviat, in quo oleum ad hujusmodi nitores & elegantias comparatum, infusum sit. Qui vero ad lucubrationes & vigilias rem deducunt, eas ajunt, meditationi maxime commodas, & ad excogitandum propter silentium aptissimas. Epicharmi enim dictum est, si quid scitu dignum quæras, nocte meditandum: ἐν νυκτὶ γὰρ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται.

VICTO-

## VICTORIA. Cap. XII.

*triumphis ovantes utebantur.*

A NVero eâ de causa victoriæ hieroglyphicum per oleam indicari nonnulli prodiderint, quod ex ea veteres trophæa constituere consuerint, an quia victorib. ex oleastro corona plurimum pararetur, in ambiguo est: dubio procul enim Olympionicæ oleastro coronabantur, ut Aristoteles, oleæ specie, quæ quidem ea de causa φιλοσόφου appellatur: folia enim coronis hujusmodi dedicata, contrario quodam modo habent cum reliquis foliis; alia siquidem quod albicat interius claudunt, virore forinsecus patefacto: hæc vero intra se quod viride est insinuant, quod candidũ habent foras spectandũ exponunt. Ajunt vero Herculem Pæoneum, Epimedem, Jasiumq; & Idam fratres, ex Ida Cretensi in Elidem delatos, ibiq; Herculem, qui natu maximus erat, reliquis certamen fratrib. proposuisse, victoremq; oleastro coronasse, quam plantam ipse ex Hyperboreis regionibus in Græciam detulisset: cujus rei meminit Pausanias Olympia. Et apud Pindarum legas eum ex oleastro lucum sevisse, quem victoribus dedicarit. Nam & Aristander & Alexandri Magni vates oleum victoriæ, sed laboriolæ signum esse interpretatus est. Cum n. Rex ad Oxum flumen applicuisset in Sogdianos movens, castris positis non procul ab ejus tabernaculo gemini fontes repente exorti, alter aqua, alter oleo fluxere. Consultis vatibus, Aristander respondit, olei fontem, laborem quidem, sed & victoriam promittere: unguntur enim athletæ, & olea victores coronantur. Unde in antiquorum memoriis nonnunquam legas legatum oleum, ut Reate, T. Fundilius Gemilius VI. Augustalis H.S. xx. dedit, ut redditu ejus summę, die natali suo IIII. Kal. Febr. præsentes vescerentur, & ob dedicationem statuæ decurionibus & seviris, & juvenibus sportulas, & populo epulum, & oleum eadem die dedit: oleum nimirum ad gymnica certamina quæ funeralibus celebrari consuerunt. Neq; vero prætereundum Panathenaicis, quæ in Palladis gratiam celebrabantur, olei vas plenum victoribus dari solitum, quod olivum invenerit Minerva quamvis non desint, qui oleam inventam à Mercurio tradant, non à Pallade. Sed enim cur oleæ ramus in Mercurii manu poneretur, superius exposuimus. Sane quidem non ignoramus ministros triumphantium oleagineis coronis uti solitos in honorem Minervę, quæ belli dea putabatur, & hinc illi Bellonæ nomen. Unde illud apud Maronem, *Præses Tritonia Bellis.* Xerxem tamen fefellit insomnium, quo sibi visus est coronam oleagineam gestare, ex arbore, cujus ramis terra tota occuparetur, quod eum maxime impulit, ut tanto belli apparatu in Græciam trajiceret, ubi postmodum magna victus clade, turpissimam fugam arripuit.

*Plin. lib. 15. c. 14.*

*Athenis quoque, ibidem.*

*Ænid. l. 11*

*Xerxis somnium.*

## PINGUEDO. Cap. XIII.

SAcræ nostrorum literæ ubertatem interdum per hieroglyphicum oleæ acceperunt: nam eam pinguedinis & lætioris cujusdam ubertatis signum esse ex eo perspicias, quod libro Judicum cum ad sterilibus arboribus olea ad imperium accerseretur, respondit ea, nolle se pinguedinem suam derelinquere, quæ usui & Diis & hominibus haberetur. Apud Horatium, lecta de pinguissimis oliva ramis arborum, habetur.

*Iudic. c. 9.*

*Horat. l. 3. Carm. Ode 11.*

## HILARITAS. Cap. XIV.

ET pro hilaritate oleum poni in iisdem Divinis literis invenias: ut Psalm. xcii. *Senectus mea in oleo pingui*, ubi interpretes per oleum hilaritatem exponunt, citantq; ex alio Psalm. nempe 104. locum, *ut exhilaret faciem in oleo.* In iisdem Divinis literis invenitur cibus panis non fermentati, collyridonque oleo conspersarum, & obunctorum oleo laganorum: per quæ, ut Hierosolymitanus Hesychius interpretatur, Apostolorum doctrina, legis eloquium & mystica Prophetarum verba intelliguntur. Obuncti Prophetæ, quia res non ita liquido, neque tam opulenter explicuere. Conspersæ collyrides quia passim doctrina Christi, legis utitur testimoniis: de Christo enim Moyses locutus est. Panes vero nulli non adjiciuntur obsonio, pleniſſimeque hominem pascunt, magisque omnino nutriunt, veluti Apostolorum traditiones, quæ eædem & Christi documenta sunt, in omni vitæ tenore coloreq; usui veniunt, & opulentissime sufficiunt.

*Mysticus olei sensus.*

## SPES. Cap. XV.

*Hinc genua virent apud Horat. pro*

ESt & spei simulacrum olea propter continuam viriditatem: nam nostro etiam tempore Virorem multi pro Spe ponunt. Hinc similes nos esse oleæ Basilius cuperet, quo gravidi refertique fructibus,

*Iuvene ad huc spei pleno.*

bus, numquam spe denudaremur, & quia miserationis etiam indicium eam esse ostendimus, omni, ut idem inquit, tempore misericordiæ munus exercentes, fœcunditatis ac ubertatis ejus, quę semper uberrima est, æmuli evademus. Quod verò proditum est Jovem olea coronari solitum, id ea de causâ factum Phurnutus putat, quod in ea viriditatis perennitatem & pinguedinem animaduerterant: itaq; Deum omnium bonorum authorem, fœcundissima utilissimaq; omnium arbore insigniri placuit. Alii dicunt propter glaucedinem, quæ sit cœlo propemodum similis: nam & id ad historiam additur, ut à Pallade, quæ Glaucopis dicitur, producta credatur, de qua quidem fabellam ex Marco Varrone recitare non pigeat. Enata forte in Athenarum arce oliva arbore, sed & quarum scaturigine mox emanante, Cecropem per id temporis Regem, animo ad hæc prodigia obnoxio, sane quam territum, & ne futurarum forte calamitatum hæc portenta forent prænuncia, sciscitatum Apollinis oraculum missos certos homines, qui & ostenti causam perquirerent, & averruncandæ Deorum iræ, si quid illi minitarentur ostento, rationem discerent. Legatis vero post sciscitationem respondisse Pythiam, jussisseq; interim illis bono essent animo, neque enim ostentum id hominum malo aliquo factum, sed deorum duorum contentione certantium inter se, uter eorum Athenis imponendi nominis author esse debeat: per oleam enim Minervam, per undam Neptunum significari, & quæ sequuntur ad hoc pleraq; alia, quæ de industria missa facio. Porro de deorum concilio, ut apud Ovidium est, plerique omnes tradidere, decrevisse eos, ut is imponendi nominis author esset, qui rem humano generi utiliorem protulisset. Oliva quidem quantas habeat utilitates nemo non novit. Unde vero quanto sit mortalibus usui, loco suo declaratum à nobis est. Sed enim oleam ideo prælatam ajunt, pronunciatumque pro Pallade, quia arbor ea pacis indicium haberetur. Pacem vero bonorum omnium opulentiam & ubertatem secum afferre, parentes nostri forsitan experimento cognovere. Nos Italia universa per tot annos assiduo continentique bello afflicta, vix ejus felicitatis famam, ut diceret Homerus, audivimus.

*Ovid. lib. 6. Metam.*

## FRUGALITAS. Cap. XVI.

*D. Laert. in Diogene Cynico. Minerva cur detur olea.*

QVAMVIS autem tanta sit læta pinguedine, est tamen & frugalitatis indicium oliva, de qua sæpe legas, ejusmodi baccas apud veteres parsimoniæ causa appositas, & à Platone lauto etiam convivio, deliciis contemptis, esitatas. Eodemq; constat in convivio quodam oleis vescentem, irrisum à Diogene, qui dixerit, *Si sic prandisses, non ita cœnares*: qui scilicet sentiret, non esse id frugalitatis, sed stomachi lauto prandio gravati. Quod vero pertinet ad Minervam, quæ innupta, quæ virgo perhibetur, merito eo sibi oleam asciscit, cum puritate pudicitiaque non minus olea quam Minerva delectetur. Græci enim, ut Rutilius Taurus ait jubent olivam, cum plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandum, credo, inquit, recordati, arbori huic esse præsidem castitatem Florentinus quoq; libro *De re rustica*, adeo puram esse oleam tradit, ut collectores etiam non nisi puros amet, qui cum ad olivationem accedunt, jurant se non aliunde quam ab uxore sua venire: ita ut anno insequenti uberiorem proventum exhibeant. Præcipue vero ajunt Anazarbi, quæ Celiciæ est civitas, oleas esse fœcundissimas, quoniam à castis tantummodo pueris colantur. Sed neq; illud dissimulandum, tametsi ridiculum, quod apud authores Græcos, qui nihil non ausi sunt mandare literis, invenias, amuletum præsentaneum ad capitis dolorem esse si oleæ folio Minervæ nomen, ΑΘΗΝΗ scilicet, inscribatur, ipsumque folium filo religetur ad caput in coronæ modum.

## DE VITE. Cap. XVII.

OFFERT vero se post oleam Vitis, neq; minoris ipsa utilitatis, ut non immerito multis & his insignibus atque præclaris sit hieroglyphicis decorata.

## LÆTITIA. Cap. XVIII.

QVORUM illud præcipuum & omnium præconio celebratum, ut per eam lætitia intelligatur: id non Ægyptii tantum, verum & Philosophi & Poëtæ Latini Græcique omnes eodem admisere consensu. Sed ut plurima super hoc à Platone & ab Homero dicta, dissimulem, nonne Divinæ etiam literæ

literæ ſententiam hanc eandem pleriſq; locis proſequuntur? cujusmodi illud eſt, quod requiſita vitis ad alliorum arborum imperium reſpondit, non poſſe ſe deſerere vinum ſuum, quo Deus atq; homines læti redderentur. Quare Socrates apud Xenophontem, Sympoſio, vinum ait non aliter mœrori mederi, quam mandragora hominibus, lætitiamque non aliter excitare, quam oleum inſperſum ignis flammam adauget. Et conjectores, vel modici vini hauſtuin ſomniis attentari viſo, læti alicujus eventi ſignum arbitrantur. Apud Philoſtratum vinitor ſub vite conſidendum Phœnici ſuadet, quod ex ea aſpirare ſoleat lætitia. Epigrammatarius Poëta quidem non inelegans nec infacetus, acerbe in eum invehitur qui racemum immaturum aſpernatus humi abjecerat, & inſuper pedibus conculcaverat non immerito quidem indignatus, propterea quod primo eo guſtu deceptus, vitem omnem male acceperit, & in præciſo racemo ſuccreſcentem lætitiam extinxerit. Ita enim dicit:

*Iud. c. 9.*
*Artem. l. 1. c. 6.*
*Vinum lætificat cor hominis, David Pſ. 104.*

Τὶς πτ' ἀκαλέντους οἰνοτρόφου ὁμφακα βάκχε
Ἀνὴρ, ἀμπελίνη κλῆματ' ἐξέπεσεν
Καὶδὲ τὸ φθονεῖς ἀπὸ μὲν βάλει ἀς ἀν ὁδὶ πὰις
Ἐμπατέρῃσι τριβαῖς σκύβαλον,

Εἰηοι διόνυσ' ἀναξιο' εἰπαλυκέρυ,
Ὅτπιον αὐξομένου ἔσβεσεν ἀφροσύνω
Τῶδὶ γὰρ ἂν ἔφθη τις ἀφ' πάματ', ἢ ἀεὶς ἀσιδὰς
Ἤλυθεν, ἢ χρεῖ κἀὶ ἔχει λύσιν.

cujus hæc propemodum eſt ſententia:

*Quæ feritas? quisquis donaimmatura Lyæi*
*Ante diem è vitis palmite ſuſtulerat,*
*Labraque perſtrictus vecors abjecit, ut eſſet*
*In pedibus trita vile putamen humo;*

*Huic pater inſtauret Lenæus digna Lycurgo,*
*Quando ita naſcentem ſubſtulit Euphroſinē.*
*Nāq; aliquis vino hoc hilaris cantaſſet, amaſſet,*
*Aut poterat curas dememineſſe graves.*

Nos vero adoleſcentes jocati contra ita reſpondimus:

Κῶ' ἀεστίνους κ' οἰνοτρόφου ὄμφακα μισῶ,
Ὅς βάλε τὸ σκύβαλον ἐμιδαῖς χαμάδις,
Κλῆμα τ' ἐξέπεμψε τῷ ὅλῃς ἀπὸ ῥίζης,
Ὅς τὼ αὐξομένω ἔσβεσεν ἀφροσύνω,
Τῶ δὶ κε σὺν βαχὴς λάβ' πάματ', ἢ ἀεὶς ἄσμα,
Ἤλυθ' ἀνὴρ αὐτῶ πίκρα λάθη στόμα.

quorum ſenſum ita Latine reddemus:

*Male animis quisquis vinum hoc immite peroſus,*
*Alliſit putri vile putamen humo,*
*Ramoſque & plantam totam ab radice recidit,*
*Atque ita gliſcentem ſuſtulit Aphroſynem,*
*Namque aliquis poto hoc vino gravis iſſet ad arma,*
*Aut decoris poterat dememineſſe ſui.*

Sed ut lætitiæ huic modum imponamus, Sapiens ait: *Exaltatio animæ & cordis, vinum moderate ſumptum*: ad jucunditatem enim creatum eſt, non ad ebrietatem, quæ te vita defraudet. *Eccleſ. 13. c*

## ACERBITAS. Cap. XIX.

AT non in omni uva ſuavitas, neque quidem in ulla, niſi maturuerit, niſi aëris clementia, locique & ſitus opportunitate adjuta fuerit. Nam uvæ pleræq; neq; tempore, neque loco ſuo decerptę, amaritudinem potius quam ſuavitatem ullam præ ſe ferunt: quare ſuum eſt omphacio ſignificatum, ut ſcilicet in ſuave, acerbum & intolerabile aliquod damnum per immaturam uvam indicetur. Hinc illud in ſacris literis: *Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes noſtri obſtuperunt*: quam ſententiam divinitus Cicero mihi videtur explicuiſſe, ubi ad Brutum ſcribit: *Nec vero fugit, quā ſit acerbum parentum ſcelera filiorum pœnis lui.* Sed hoc præclare legibus comparatum eſt, ut charitas liberorum amiciores parentes Reip. redderet: & quæ mox de Lepidi crudelitate in liberos ſubſequuntur, quæ omnia in parentis ſcelus aggeruntur. *Ier 31. Ezech. 18.*

## HILARITAS. Cap. XX.

EAdem ratione qua lætitiam ſignificat vitis, publicam etiam hilaritatem oſtendere videtur, quare apud Maronem Trojani longa navigatione & ſæviſſima mox tempeſtate fatigati, Dei Bacchi lætitia *Adſit lætitia Bacchi dator, &c.*

*Sua Iuno, Æneid. l. 1.*

lætitia exhilarantur, atq; alio etiam loco, adesse eisdem lætitiæ datorem Bacchum votis precantes videmus. Tum apud Horatium, si qua celebratur hilaritas, vel ipsa pavimenta vino natant. Triste vero & perturbato homini Plautus propinandum monet, qui bilem diluat. Cui simile id, quod apud Ciceronem 3. Tusculabetur: *Huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat.* Quin & ipsa Musica, quæ tota ad hilaritatem comparata est, non alio magis stimulo concitatur quam suavis vini gustu. Hinc apud Ovidium legas:

*Carminũ Ode 37.*

*Stimulus Musicæ.*

*Erant & festa vinalia.*

*Ingenium faciente canunt.*

*Necnon & carmina vino*

*Plin. l. 13. c. 29.*

quod ex Tibulli synepœja dictum. Ille enim cum Osirim vitisatorem laudaret, ita de vino cecinit:

*Illo liquor docuit voces inflectere cantu,*
*Movit & ad certos nescia membra modos.*

Hinc Æschylus quasi nimium oblascivicns, dictus est tragœdias suas potando scriptitasse, de quo Plutarchus in Symposiacis. Contra reprehensus est Gorgias, qui tragœdiam suam Martidedicavit, cum Baccho potius tribuenda fuerit; nam ea de causa dictum: κάνιν ἐν διθύραμβῳ, ἀν ὕδωρ πίνων ullam quippe adesse hilaritatem ei, qui aquam bibat. Quam sententiam sibi desumpsit Horatius eo Epistolarum loco, ubi festive admodum bibacitatem hanc eludit ad Mecœnatem:

*Epist. 10. l. 1*

*Priscos si credas Mecœnas docte Cratino,*
*Nulla placere diu, neque vivere carmina possunt,*
*Quæ scribuntur aquæ potoribus.*

Mox & illa per jocum acriter demorsa:

*Ibidem.*

*Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma*
*Prosiliit dicenda, forum putealque Libonis*
*Mandabo siccis, adimam cantare severis.*

*Anacharsis super vino judicium.*

Agnovit hoc & Anacharsis Scytha, quamvis super vino severe nimis judicaret: quippe qui cum in convivio quodam vitisatores quosdam cantilenam admodum variam crispata voce cum sibilo simul emodulantes auscultaret, interrogatus, an in Scythia tales essent modulatores, respondit illico: *Neq; quidem vitis:* utpote qui innuere vellet, non aliam esse causam emodulationis cujusmodi, quam potum vinum, atque hinc dicterium, *Nemo cantat sobrius.* De his queritur David Psal. 68. *Vini potores contra se canere.* Anacharsis dictum ab Aristotele commemoratur eo loco Ἀναλυτικῶν, ubi argumentorum quædam genera à causa desumi solere ostendit. Idem Anacharsis tres in unaquaq; vite racemos inveniri dictitabat, qui diversa inter se vi pollerent: primum enim voluptatem afferre, ebrietatem alterum, tertium molestiã. Sed utcumq; Scytharum suorum sobrietatem prætendit Anacharsis, Cleomenem tamen Sportanorum Regem apud Scythas ut alibi diximus, vino versum in insaniã accepimus, quod scilicet cum eis meri potationibus contendere voluisset. Merito autem Plato, ubi secundo de Legũ ferendarum ratione disserit, optimum futurum existimat, si Carthaginensium more miles in castris numquã vinũ gustet, sed toto expeditionis tempore aquam biberit. *Servis ne vinum unquam concedatur. Magistratus, quamdiu munere funguntur, abstemii sint. Præsides & judices, eo tempore quo negotia causarum tractantur, vinum penitus non attingant. Et qui magnis de Resp. rebus consilio adhibentur, remq; publicam administrant, aquam omnino bibant,* quam sententiam Philosophus ille summus ex xxxi. Proverbiorum Salomonis capite sibi desumpsit. Sane Romanorum in hoc quoque prudentiam, qui sobrietatem in imbecillo fœminarum genere accuratissime custodirent, multi commendare. Sed Tertullianus egregie, qui mulieres Romanas ait olim usque adeo vino abstinere civitatis ejus instituto jussas, ut matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos suiinedia necarint. Sub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune à Mecenio marito trucidata sit: idcirco & oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu indicaretur, exploratũq; inde esset, an tẽetũ oleret.

*D Laert. in ejus vita.*

*Sententia Platonis super vini abstinentia*

*Val. Max. l. 2. c. de Instit. antiquis.*

*Val. Max. l. 2. Ibid.*

*Et apud Heliopolitas urbe Bœotiæ Eleutheras*

## LIBERTAS. Cap. XXI.

QUod vero & libertatis indicium sit vitis, ipsa Bacchi nuncupatio, quæ apud Græcos Lyæus est, apud Latinos Liber, argumento esse potest. Tum apud Platonem invenias, explorandis adolescentium

Ascentium ingeniis convivia nonnumquam indulta, quo illi ad pocula sese benignius invitarent, eoque tormento coacti, ab intimis sese præcordiis expectorarent, utpote qui nihil tunc simularent, sed cupiditates omnes suas, studiaque omnia propalarent. Unde sapienter Horatius:

*Quid non ebrietas designat: operta recludit.*

*rius, id est, liber dictus Epistola 5. ad Torquatum lib. 1.*

& quæ sequuntur. Idem ibidem.

*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*
*Contracta quem non in paupertate solutum?*

Merito itaq; apud Spartanos Dionysius cognomento Φίλαξ dicitur idiomate Dorico, quod pennatum significat: vinum siquidem mentem, non secus ac alæ corpus, attollit, & modo huc, modo illuc volitare facit perquam agiliter: cujus rei meminit Pausanias, tertio. Facit ad hanc libertatis significationem quod ab Heliogabalo profectum est, ut vindemiarum festivo liceret unicuiq; multa in dominos jocosa atq; scurrilia, petulantissima quadam licentia ipsis etiam audientibus dominis jactare; quem morem adhuc in agro Neapolitano vigere passim vidi, cum eo forte tempore ad visendam ejus honoratissimæ civitatis Academiam illo me contulissem. Et quoniam vinum in lætitiæ libertatisq; significatum abiit, libet ex Mosæos historia quod ad rem facit exemplum recitare. Cum Pharaonis pincerna qui eodem custodiebatur loco, quo & Iosippus, ob custoditam innocentiam, ut nocentissimus detinebatur, per quietem existimasset se triplicem videre palmitem ternis præditum racemis, quicum tempestive maturuissent, essentq; à se resecti & expressi, subito Regi mustum propinasset: ex quo Iosippus bono eum esse animo jussit, futurum sane ut triduo liberatus eo situ, quo intabescebat, in pristinam dignitatem restitueretur: atq; ita uti à Iosippo prædictum fuerat, tertio post die liberatus, & honori suo redditus, conjectorem haudquaquam vana nunciasse comperit.

*Dionysius cur Φίλαξ dictus.*

## FELICITAS. Cap. XXII.

Ejus enim scientiæ periti scribunt, ubi significata vitis examinant, uvam in somniis visam, etiam extra tempus, felicis esse præsagii. Cujusmodi etiam vitis fuit quæ visa est Astyagi per quietem nocturnam de Mandanes gnatæ suæ genitalibus oboriri, universamq; Asiam palmitibus inumbrare: quod de Cyro nepote ejus eventu adeo felici postmodum comprobatum est: terrarum enim latitudinem id significabat, quæ Cyri esset imperio subjuganda. Rheæ siquidem vitis sacra est, & ejusmodi dee de vite fieri simulacrum tradit Euphorion. Fuit autem hoc attestatum ostentum, ad alterum, quo prius imaginatus fuerat Astyages idem videre se micturientem filiam, quæ Regiam urbem cum universa Asia inundaret. Et quamvis Rex quid utrumq; sibi vellet à Magis edoctus, contra filiam & infantem natum multa esset machinatus, fatalem tamen necessitatem evincere non potuit. Everso enim Medorum regno, Persicoq; constituto, Cyrus mirum in modum crevit.

*Æsculapius tantum tribuit vino, ut ejus utilitatem aquari vim deorum potentia diceret. Plin. lib. 23. cap. 1. Sophocles in Electra. citra laborem nihil bene est. Vitis imbecillitas.*

## LABOR. Cap. XXIII.

Neque tamen ita felix tranquillumq; est hieroglyphicum vitis, ut non & laboris plurimi sit etiam argumentum: si quidem arborum nulla majore indiget cura. Usq; adeo imbecilla est, ut nisi humana diligentia excolatur, pergulis sustentetur, vel arboribus maritetur, falce comprimatur, ac annis singulis præcidatur, multo deniq; labore custodiatur, brevi admodum tempore vel pereat, vel in labruscam degeneret. Quare non imperite dixit Hesiodus, sive is Apollonius fuit, qui scutum Herculis doctissimis carminibus celebravit:

Οἶα δίνυσσ' ὁδὸν ἀνθρώπῳ χάρμα, καὶ ἄχθος.

Ut lætitiam & laborem simul hominibus à Baccho datos affirmaret. Neque sum nescius, τὸ ἄχθος ad animi etiam anxietatem atq; mœstitiam referre posse: siquidem compertum est eos, qui meraco plurimum utuntur, melancholicos fieri, atq; inde tristiori esse corde: tum oblivioso, ut Florentinus in re rustica ait, inprimis fieri, ut ea taceam, quæ per ebrietatis furorem infanda pleraq; perpetrantur: quorum omnium memor Maro noster, ne unum plus æquo laudaret, ita cecinit:

*Bacchus & ad culpam causas dedit, ille furentes*
*Centauros letho domuit, Rhetumque, Pholumque,*
*Et magno Hyleum Lapithis cratere minantem,*

*Georg. l. 2*

Habet & illud incommodi, quod linguam vinum præpedire solet, eaq; de causa Mercurio, non vino, sed lacte supplicabatur, ad ipsam etiam eloquentiæ dulcedinem indicandam, idq; Romæ vico etiam Sobrio nuncupato fieri solitum. A

## TITILLATIO. Cap. XXXIV.

*Terent in Eunucho.* Νυκτὸς ἀφροδίτη δημητρὸς καὶ διονύσου δίχα.

ET quod ajunt sine Cerere & Baccho Venerem frigere, adducit in memoriam, Lampsacum ex de causa salaci Deo sacram olim dictitatam, quod optima generosissimaque vina proferebat. Sobrium enim illud Veneris & Bacchi filium fuisse antiquitas fabulatur. Citat Stephanus Demosthenei, qui rei istiusmodi causam memoriæ prodiderit. Cum itaq; vinum præcipuum sit nequitiæ fomentum, merito signum Virginis vitem aversatur, cavendum enim, ut Orpheus monet, ne Luna signum Virginis præcurrente vitem seramus: eam enim virgo odio prosequitur. Atq; ne ullus unquam sit fabulæ modus, alii dicunt, propter Icarium patrem, qui ab ebriis colonis fuerit interfectus.

*Mortuaves Venus sine Bacchо & Cerere. In Græcorum scholiastæ.*

## SANGUIS. Cap. XXV.

*Nox & amor vinum que nihil moderabile fundent.*

FUIT & sanguinis signum oblatum in sacris vinum, atq; eo nonnumquam cognomento nuncupatum: quare quod apud Maronem, B

*Vidit Thuricremis cum dona imponeret aris,*
*Horrendum dictu, latices nigrescere sacros,*
*Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.*

non tantum ostenti loco positum, sed antiquum videtur significatum attigisse, quod & pro vino sanguis, & pro sanguine vinum acciperetur. Nam à Mose secundo Deuteronomii cantico: *& sanguinem uvæ biberet meracissimum*, & à Psalmographo dictum, *Sanguinem uvæ biberunt*. Sane quidem Ægyptii sacerdotes vino pertinacissime abstinebant, & antiquissimi eorum reges: nam & illi tunc non nisi sacerdotes erant, ut tradit Hecatæus. In Deorum tamen ceremoniis vino utebantur, coq; libebant, utidem author scribit, non gratam siquidem cœlestibus oblaturi, sed eorum sanguinem, qui contra Deos pugnassent propinaturi, indeq; sibi nomina conciliari arbitrabantur: persuasum enim habebant Ægyptii, vitem ex fuso in terram Gigantum sanguine pullulasse, unde & amentia & furor inesset vino. Quamquam posteriores Reges, Psammetticho inprimis authore, vinum sed certa mensura, mensis adhibuere. Ponit vero & Hesiodus mensuram, qua sit ad salubritatem bibendum: C

*Ovidius. Mus. lib. 4*

Τρὶς μὲν ὕδατος ἐπέχειν. τὸ δὲ τέτρατον ἤδυ οἴνου.
*Tres miscelis aquæ partes sit quarta Lyæi.*

*Aristoph. in Equitibus Tres partes aquæ duas vini.*

Et venustum admodum est Epigramma Meleagri, quo à Meraco salubriter exterremur.

*Pollux lib. 10. c. 21.*

Αἰ νύμφαι τὸν βεβροντὸν ἐκ πυρὸς ἔλουσαν ἐν ὕδατι.
Νήϊαι ὑγρὸς πῦρ ἔσβεσε κεραυνοῦ.
Τοῦνεκα νῦν νύμφαις ὀξὺς φίλος, ὡς δὲ τὸ πάροιθε
Μίσγεται, δίζῃ πῦρ ἔτι κεκμηκός.

*Ardentem ex utero Semeles lauere Lymphæ.*
*Najades, extincto fulminis igne sacro.*
*Cum Nymphis itaq; est tractabilis, at sine Nymphis*
*Candenti rursum fulmine corripitur.*

*quatuor aquæ, duas vini partes adhibet.*

Hæc autem miscendi meri admonitio, adducit in memoriam mihi locum in Divinis literis quem nefas est præterire: *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.* Calix Domini mixto plenus, idem est, ut sentit Eucherius, ac si diceretur misericordia & judicium. Inclinatur vero ex hoc in hoc, cum de misericordia in judicium divina severitate transitur. Fæx autem non exinanitur, quia adhuc ultimum judicii reservatur: ea siquidem erit vindemia, quæ ipsis in divinis literis hieroglyphice ponitur, significatq; rerum finem, quam Theologi seculi consummationem vocant, aliquando depopulationem, ut Psalmo: *Vindemiant eam omnes qui transgrediuntur viam.* Pro fine vero rerum Joel: *Mittite falces, & vindemiate vineam terræ, quia maturæ sunt uvæ ejus.* Et ne hoc imprudentibus excidat, vindemiæ ipsius instrumentum torcular, nomen in sacris literis hieroglyphicum, per quod scilicet, tum alia quædam, tum præcipue tempora ærumnosa, pressuræ, vexationesq; significantur: quam in sententiam totus fere Psalmus evagatur, cujus inscriptio est, *In finem pro torcularibus.* D

*Psal 7. 3. Vindemia hieroglyphica.*

## FERACITAS. Cap. XXVI.

NON inepte vero quispiam feracitatem hieroglyphice significaturus, vitem cum racemis pinxerit. Inter enim fœcundiores plantas principatum obtinere vitem nemini dubium, si arbusculæ

A uniuscujusq; ratione habita, vini copiam expenderimus. Addam etiam, eam alicubi esse racemorum magnitudinem, ut racemi singuli singulos expleant currus, cujusmodi fertilitas est Eucarpiæ minoris Phrygiæ urbe. Quin etiam currum medium ibi diffractum defecisse unici racemi pondere Metrophanes tradit. Ita rectè Plinius, nullum apud Græcos mendacium esse dicit, quod teste careat: utcumque ramen, hæc, & alia super hujusmodi urbe à Stephano memorantur in iis, quæ defloravit Hermolaus Byzantius. *Eucarpiæ fertilitas.*

## PIORUM CONVENTUS. Cap. XXVII.

SEd ut de vite simpliciter sermo sit, debere nos, ait Basilius, rationem ejus contemplari, qua Dominus sese vitem, & Patrem agricolam esse, vinitoremq; dixit, nosq; singulos in piorum conventu per fidem satos, Palmites appellavit: hinc nos ad uberrimi fructus feracitatem invitat: ne ut inutiles atq; superflui ludibrio simus, & à fœcundorum palmitum consortio recisi amputatique igni destinemur. Assertor verò noster nusquam cessat animas nostras vitibus comparare. Vinea namq; facta est dilectio, dicit, in cornu, in loco pingui: & vineam sevi, septumq; circumposui. Animas humanas plane vineas dicit, quas circumdedit septo, tum ea securitate atq; tutela, quæ resultat ex præceptis, tum ipsa gemmarum custodia. Dictum est n. *Versabitur Angelus Domini in circuitu metuentiũ eum.* Deinde quasi valla nobis defixit positos in Ecclesia primum Apostolos, mox Prophetas, mox Doctores alios: inde animum nostrum, ne dejectus despectusq; humi reperet, & prætereuntium pedibus conculcaretur, majorum nostrorum exemplis, qui per summam innocentiam & probitatem clari & illustres habentur, in altum erexit, eorumq; vestigia sequi jussit, qui per virtutem & integritatem, ad summum evasere. Adhæc vitem Ambrosius plebem Ecclesiæ significare contendit, quæ veluti quadam fidei radice plantatur, propagineq; humilitatis reprimitur: ubi vero circumfossa fuerit, religatur, erigiturq; ne reflectatur in terram. E sarmentis alia reciduntur, propagantur alia. Reciduntur quidem ea quæ inani sylva luxuriant, de quibus Pythagoras symbolicè dixit, μὴ σπόδιον ἥρτε ἐξ ἀμαξιτοῦ ἀτράπευε, pura purgataq; omnia esse volens quæ Diis offerantur. Ea vero propagantur, quæ bonus agricola fructifera judicarit. Adminiculorum vero ordines jugationisq; concinnitas, vere atque manifeste docent æqualitatem in Ecclesia servari debere: ut se se nemo quantumlibet dives & honoratus extollat, nemo pauper animam despondeat, seq; despectum atq; contemptum esse vereatur: ignobilis nemo desperet, verum æqua sit omnium conditio, pariterq; omnium mens ad superiora sustollatur, suamq; in cœlis futuram consuetudinem atq; commercia sibi proponat. Ne vero illis ingruentium tempestatum procellis vexari, loco ve de turbari dejicive possit, claviculis quasi charitatis amplexibus proximos quosq; complectitur, & in eorum conjunctione requiescit. Appellat nos Jesus vitis suæ palmites, propterea quod, inquit Origenes, palmes arbore connectitur, & claviculis tanquã manibus vitis stricta confirmatur à lapsu, quo freta adminiculo ventos turbinesq; contemnat. Futurorum id bonorum indicat spem: quia fideles quiq; non solum in iis, quæ gerunt, sed etiam in iis quæ sperant & credunt, perfectum salutis statum expectant: quapropter quasi ad quendam patientiæ ardorem spe juncta atq; confirmati, naturalium motuum procellas, cupiditatumq; turbines insultusq; perferunt atq; contemnunt. Hæc & hujusmodi pleraq; commentationibus in hieroglyphica nostris libenter inseruimus, quo mihi sint æquiores ij, qui studium in hac re meum acrius incessunt, quorsum id tendat ignari, cum viderint similitudinariam hanc loquendi figuram non tantum ab Ægyptiis quos iiimerito contra Dei præceptum abominantur, inventam, verum etiam ab antiqua & nova lege receptam: quin etiam ab ipso nostræ institutionis conditore Christo Jesu frequentissimè in usum deductam; nihil enim aliud est hieroglyphicè loqui, quam divinarum humanarumq; rerum naturam aperire. Addenda vero huc fuerant ea quoq; de Juda Israëlis dicta: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum*, sed quoniam hæc copiosè sunt à sacrorum interpretibus discussa, præsertimque ab Adamantio, ad ultimam ejus homiliam in Genesim unumquemque pietatis studiosum accedere cohortamur. *Vitis mystica sensus.* *Ioan. 15.* *Psal. 33.* *Non sacrificabis Diis ex vitis sectionem non passa.* *Palmites cur nos appellat Iesus.* *Genes. 49.*

## DE FICU. CAP. XXVIII.

INchoavit, honoratissime Domine, oliva apparatum nostrum, accessit uva, quæ plurimum fortè attulit saturitatis: pro bellariis addere ficus libuit, ut si quid amaritudinis in oliva fuit, si acerbior uva, quod nostri quippe Bellunensis cœli rigor eam plerũq; matures cere non sinit, errorem omnem missus tertii suavitas emendet.

## DULCEDO. CAP. XXIX.

DE ficu sane quicquam, quod magnam mihi affert admirationem, apud Horum Ægyptiam, Captifico excepto, non invenimus: pauciſſima enim admodum ejus authoris fragmenta temporis injuriam evicerunt. Apud Authores alios inter arbores primas celebratam passim comperimus: atq; illud præcipuum ejus est hieroglyphicum, ut per eam dulcedo intelligatur, eaq; tam in gratã hominũ consuetudine, ac morum suavitate, quam in cæteris rebus, quæ jucundæ amabilesq; sunt, ac voluptatis plenæ. Hinc illud apud Theocritum de suaviter canente: καὶ τὰ μὲ αἰγίλος ἰχάδα πάρει, *& meditrag, cibus tibi ficus Athenis.* Ab Ægilo vero dictum, quod ea sit ex Athenienſium tribubus, & suaviſſimus Athenis ficus esse Dion etiam testatur. Ita vero ficus ad victus humani commoditatem nata, ut Hipponax Poeta vetus eam auro prætulerit, dum scazonte illo suo licentioso dicit:

*Hinc illud Aristophanis in Vespis* οὔκουν αὐτὰ, *ficum cupit pro delicato victu usurpatur.*

Εἴ τις καπίζει χρυσὸν ἐν δόμοις πολὺν
Καὶ σύκινον δύο ἢ τρεῖς ἀνθρώπους:
Κτῶ χάσιν τὶ σύκινον ἢ χρυσὸ κρέσσον:

*Si quis domi recondat auri plurimum,*
*Ficumq; paucas, comparetque servulos*
*Duosve, tresve, indicabit illico*
*Auro domi præstare ficum plurimo.*

Sane φιλοσύκους nonnulli appellant purioris manſuetioris que vitæ duces. Harum vero commendationem auget summo opere Artaxerxis cognomento Mnemonis testimonium, qui junioris Cyri frater fuisse fertur: is cum aliquando arrepta fuga commeatuq; direpto, coactus esset ficus, & hordeaceum panem esitare, indoluisse fertur, ob regalem effluentiam apparatioresq; lautitias tantæ se voluptatis expertem tandiu fuisse. Quid vero quod ruta, sua satis insignis amaritudine, si juxta ficum seratur, mitior evadit? Merito itaq; ficus apud Israëliticos judices nequaquam velle se ait dulcedinem suam delinquere, ut reliquis arboribus, à quibus in imperium adsciscebatur, dominaretur. Ut vero alibi legimus in iisdem Divinis libris, justos & sanctos homines sub ficu requiescere perhibent, hoc est, tranquillam atq; suavem vitam agere. In veterum etiam numis suavitatis istiusmodi significatum observes. Nam in quodam, ficus est inter duos tumulos sita: unius tumuli inscriptio est, AMBPOZIA. Alterius ita detritæ literæ sunt, ut legere non potuerim: puto tamen ex nota N literæ, quæ vix dimidia discernitur, NEKTAP esse debere: quasi ficus utriusq; vicem gerat. Sane conjectores inspectam in somnis ficum, albam præcipue, atq; suo tempore, bonorum multorum præsagium habent.

*Idque forsan propter famis condimentum* et *Darius ab Alexandro fusum hauſtum aquæ turbidæ suaviſſimum dixit. Iudic. c. 9. Artem. l. 1. c. 71. Fici prodigiosa omina.*

## SUAVITAS SUBLATA. CAP. XXX.

NEque caruit omnibus ficus, quæ sublatam suavitatem extirpata significaret, eo præsertim tempore quo publica civium Ro. suavitas & dulce commercium: extincto Alexandro Severo, adepta est. Paulo enim ante quam is fatis concederet, arbores fici tres, quibus tentoria Imperatoria adnexa erant, quæq; ficus eas ferebant quibus Alexandrinarum nomen est, subito ante illius tentorium prociderunt. Idem in Caprifico portentum in Messenios accidisse memoriæ proditum est. Nam cum illi sylvestrem ficum τράγον appellarent, quos nos imitati sumus Caprificum appellantes, oraculum super excidio suo hujusmodi habuerunt:

Ἔστ' ἂν τράγος πίνῃ νίδας ἐλικοβρόου ὕδατος,
Οὐκέτι μεσσήνη βούλομαι σχεδὸν ἦ ὀλέσθαι.
*Namq; Nedes simulac curvas Caper hauserit undas,*
*Tunc Messena vale, tibi enim gravis exitus instat.*

Accidit

A Accidit vero ut Caprificus in Nedes fluvii ripa nata, ramos eo usq; declinarit, ut aquis profluentibus rami alluerentur: quod cum Thæolcus vates animadvertisset, instare dixit Messeniorum exitium, ut oraculo Pythio prædictum fuerat. Rem tangit Pausanias, quarto. Sed cur ficum Idumæam dicere contamur, ad quam Assertor noster à Bethania rediens, fructum ex ea capturus accessit, famescebat enim. verum cum fructum in ea nullum invenisset, arborem devovit, ne ullo unquam tempore fructum ferret. Sane mystice factum hoc, ut tam multa alia: nimirumq; ficus hæc populus Judaicus erat, ad quem famelicus Dominus venit; in quo cum nihil præter quandam speciem vitalem sine ullo profectu comperisset, eum in æternam perfidiam execratus est: Fructum enim ipse è synagoga quærierat, quem nullum invenit: quia ea, ut inquit Gregor. folia legis habuit, sed fructum operis non habebat, de qua dictum ait Euthy. ab Abacunte, ficum fructum non allaturam. Quod vero per tres annos frustra quæsitus fuerit hic fructus: Eucherius tria vult tempora intelligi, ante legem, sub lege, & gratiæ tempore, quibus Judæi ipsi fuerint semper à Domini præceptionibus alieni, & nullum boni operis B fructum protulerint. Eodem facit quod ait Dominus Nathanaëli: *Cum esses sub ficu, vidi te*: quippe cum in originali labe Judæorum ritu consisteres, adieci animum ut te redimerem.

*Mat. c. 21.*
*Marc. c. 11.*
*Ficus Idumæa.*
*Nam cum videret frondes ficuum, & fructu ex ea non inveniret, arborem devovit.*

## FATUITAS. Cap. XXXI.

ET sycomorus aliquid habet hieroglyphicum, quam Zachæus inscendit: nam arbor ea cum sit ficus fatua, indicat eos, qui, ut Eucherius refert, mundi sapientiam humiliter sectati, eligunt, mox Dei sapientiam subtiliter aspicere. Prudenter enim ait is, sycomorum ascendimus, si proinde eam quę divinitus præcipitur, laudabilem & sapientem fatuitatem tenuerimus. Quid enim inter mortales insipientius, quam amissa non quærere, possessa largiri, rapientibus reluxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, sed juxta præceptum Dominicum, in omnibus præstare patientiam?

*Zachei sycomorus.*

## CONTEMPTIBILIS. Cap. XXXII.

C CÆterum quod ad opera ex ficu facta pertinet, Græci ficulneum pro imbecillo & contemnendo ponunt, quo significato Sermonibus apud Horatium:

*Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:*

hoc est, minimi pretii, minimiq; usus, de quo scilicet faber merito ambigeret, faceretne scamnum an simulacrum pudendum, Deum omnino despicatissimum, nam sici materia paucissimis est, & iis admodum exiguis fabricis idonea. Eoq; spectat proverbium de Mandronis navi, quæ ficulnea fuerit: cum is notatur, qui tenuissima olim re angustoque patrimonio despicabilis, ad amplissimos honores emerserit, nihilo tamen venerabilior habitus ob insolentiam importunamq; superbiam, qua sese intemperantius efferat. Nam Mandro, ut pleriq; alii, à remis ad imperium venit, neq; ob id tamen ullam assecutus est authoritatem. Ita deniq; veteres per fici nomen nullius frugis hominem, imbecillum & abjectum significabant: nam & Græci olim hunc ξύδεμα σύκινον, dixere, ut apud Theocritum Ergatinis, & apud Aristophanem sæpius invenias. Et nunc quoq; vulgus stupidos & ineptos, ficones appellat.

*Serm. lib. 1. Satur. 7.*
*συκίνη αὖς*
*Aristoph. in Pluto* ξύλινον, σύκινον, *Deum ficulneum & mox* τὸν ξύλινον, *aliquem ficulneum subvirum, & in Fucu,* ξύλον σύκινον *lignum ficulneum.*

## BACCHUS SYCITES. Cap. XXXIII.

D LAcedæmonii ficum à Baccho inventam opinantur, eaq; de causa eum Sycitem nomine, ut Sosibius tradit, coluere. Apud Naxios simulacra ejus nunc ex vite nunc ex ficu fieri solita sunt. Milichius à nonnullis appellatus Bacchus, quod Milica pro Ficis nonnumquam accipiuntur. Et Dionysiis præter vini amphoram, & vitem, quæ præferebatur, & præter hircum qui trahebatur, cophinum etiam gestare mos erat, in quo caricæ forent: author in Moralibus Plutarchus.

## PROGRESSIO. Cap. XXXIV.

VT vero ad folium revertamus, quod Thrion appellatur, progressionis olim signum fuit. Veteres aliquo profecturi ficulna folia suspendebant progressionis cæremonia, atq; ita sibi auspicatum iter fore augurabantur. Ea autem de causa Thrion dicitur hujus arboris folium, ut interpretes Theocritiani

*Ficus enim folia ei sacra, propter Sycen in ficum versã.*

critiani volunt, quod in tres partes divisum est, visendo inter utrasque partes intervallo, scribique & trion tenui, & thrion aspirata, atq; etiam thriambon, quin & θριαζειν dicunt hujusmodi folia colligere, & in aliquem usum parare. A

## SEPTENTRIO. Cap. XXXV.

*Thrion in Serapidis Osiridisq; sacris.*

PArabatur autem Thrion religiose admodum Serapidis Osiridisq; sacris, gestamen scilicet foliceum, quod capiti superponeretur gestandis hydriis aut calathis commodum, eratq; illi suum etiam significatum: siquidem & Regem, & Septentrionalem regionem, polum quippe Arcticum, perintort ille gestamen hujusmodi intelligebant. Regem, quia polus cœlorum omnium rotatum regere videtur: & circulus ille foliaceus in gerulicapite orbiculum Arcticum exscribit, ab axis illius quippe oculis est similitudine.

## GENITALE. Cap. XXXVI.

QUinetiam præter motum, cujus primarias partes illi tribuebant, rerum etiam omnium semina inde demitti plerique veterum magno ex argumento arbitrati sunt: inde enim actionis esse principium, quæ Mathematici veteres latissime disseruerunt: quocirca Thrion cum & humoris redundantiam, ob viridis crassiq; folii viriditatem, & motum omnium, ob convolubilem texturam significaret, pari quadam natura cum genitali æstimabatur, atq; ejus esse simulacrum videbatur, uberrate scilicet humoris & motu ad prociendæ genituræ principia convenientibus. Sed hæc in Serapidis calatho locupletius. B

## DELECTATIO. Cap. XXXVII.

HUjus generis fuisse prædicant Adami pomum, præter ipsius Dei præceptum nimis expetitum: id enim delectationem & voluptatem, quę sensu percipitur, significasse plerique Theologorum docuerunt. Nihil enim mentem nostram è tranquilla Paradisi statione facilius exturbat, quam nimia voluptatum consectatio. Istamen suæ prævaricationis amaritudine exacerbatus, fici folis semet velare pudoremq; obtegere properavit. Ficum enim fuisse tradit Irenæus. Tertullianus autem eare super ait: quod in novo corpore indebitum adhuc pudori erat protegere festinans, ficulneis foliis interim circumdat. Ad hoc addit Irenæus, non alterius arboris aut herbæ, quæ molliori tactu esset, ad indicandum pœnitentiæ duritiem atque cruciatum, propter scabritiem scilicet & asperitatem, qua folium hujusmodi præditum est. Et quia cingulum id, & sibi & uxori suæ circumligavit, nonnulli exponunt, ut petulantem carnis impetum retundere se polliceretur, id veluti continentiæ frænum adhibuisse: quoniam scilicet stolam eam, quam habuerat à Spiritu sanctitatis, amiserat, eo tegumento, quod nullam prorsus delectationem afferre posset, sed morderet potius ac pungeret, uteretur. C

*Cur Adamus se fici foliis velavit, & Evam.*

## FOLIA RELIQUA. Cap. XXXVIII.

FOlia vero reliqua Divinis in literis pro ipsa, ut ita dicamus, legis litera hieroglyphicè accipiuntur: quia quemadmodum arborum fructus foliis velatur ac tegitur, ita sub legis litera spiritus occultatur. Idcirco nos, ait Hesychius, literæ folium aperimus, ut qui latet interius fructum spiritus inveniamus, de quo Hierem *Si vindemiatores ingressi fuissent in te, saltem reliquissent racemum tibi.* Et Virgilianus Æneas apud Sybillam, cum ambages & verborum involucra cupiat evitare, & rerum eventa aperte sibi declarari comprecetur, quod folia omnia conturbarent, id unum orat: *Folia tantum ne nomina manda.* Sedenim quantum pertinet ad voluptatem, de qua satis, cum hoc ipsum argumentum sequeremur, in Serpentis commentario disputatum. Illud hic potius memorabo, ficum non eo tantum rerum primordio humano generi calamitatem & assiduos labores attulisse, verum annis volventibus in causa fuisse, cur potentissima opulentissimaq; regna duo ad interneciõem atq; corruerint, Carthaginis Imperium, & Romana potentia. Carthago quidem, quia ficum ex hortis suis decerptum velocissima festinatione tertio post die Romæ repræsentavit: doluitque Cato, & in Senatu D

*Hierem. 49. Æneid. 6*

*Cur ficus causa fuerit eversionis Carthaginensis. Plut. in vita Catonis.*

A Senatu conquestus est, hostes non triduo magis procul Roma proprias habere sedes. Romana vero potentia, ac universum Italiæ robur à Transalpinis gentibus esse nobis totiens superfundentibus, ea de causa quassari confringique cœpta, quod, ut Plin. inquit, Hellico quidam Helvetius, qui Romæ ob fabrilem artem aliquamdiu commoratus fuerat, in Galliam remeans ficum siccam, & uvam, oleique & vini præmissa secum tulit, quorum usu delicato suavique concitati feroces populi, ad hanc usque diem assiduis non calamitatibus affligere numquam destitere: quamvis natura ipsa Alpibus, & tam inexuperabili munimento Italia procul Gallias atq; Germanias coërcuerit: quorum feritas si quando gravis Italiæ fuit, nullo certe umquam tempore calamitosior extitit, quam quinto jam & vigesimo ab hinc anno, quibus universa Italia cædibus, rapinis, incendiisque desolata pervastatur, hinc Germanis, hinc Hispanis extremum ejus excidium assidue meditantibus.

*nis, & prolixè Plinius l.15.c.18.*

## ALIMONIA. Cap. XXXIX.

B SEdut querelæ facessant, adeo ficum alimentis idoneam esse compertum est, ut eam Cereris donum dictarint, prosq; alimoniæ symbolo susceperint. Quantum enim ficus humanæ prosit alimoniæ, vel eo manifestum esse potest, quod athletas siccis ficubus pascere moris fuerit, ut author Plinius: experimento enim comprobatum est, eo cibo frequentius sumpto, corpora & vires mirum in modum adjuvari. Quod vero Attica eo fructuum genere magnam est nobilitatem assecuta, Pausanias ait, Cererem primum in ea regione ficum Phytalo cuidam hospitalitatis præmium donasse, ejusque rei monumentum extare his versibus celebratum:

*Nimirum Phytalo hospitii gratiam referrat Pausanias in Atticis.*

ἔνθα δ' ἀναξῆναι φύτιον περὶ δέξατο σταλὸν
Δήμητερ, ὕνα πρώτην ἐπὶ χθονὶ καρπὸν ἔφηνε,
τὴν ἱερὴν συκῆν, θηπῶν γάνος ἐξοχα δίων,
ἔρδε δὲ μιν φυτάλκης γλυκερὸν ἄχος ἀγήνωρ.

*Hic quondam hospitii Pytalus susceptit honore*
*Legiferam Cererem, quæ molli cortice poma*
*Primæ dedit, dixêre sacram mortalia ficum*
*Ora, genus Phytali decus hinc insigne secutũ est.*

## ADULATORIBUS DEDITUS. Cap. XL.

C DIvitem hominem adulatoribus deditum Thebanus Crates per ficum arborem in prærupta asperaque rupe fatam describebat: quippe quo sit hominibus difficilis accessus. Ejus vero fructus à cervis & mulviis tantum decerpi; ita horum opus ab impuris tantum & adulatoribus depasci. Idem de reliquis etiam arboribus quotquot fructiferæ essent, Diogenes dicere solebat.

*D. Laert. in ejus vita.*

## DULCEDO VERITATIS. Cap. XLI.

ET Mercurius sibi ficum vendicavit, cui undevigesimo primi mensis die Ægyptii sacra faciebant melle & ficu, quæ sacra eo clamore prosequebantur, ut quod hieroglyphice in eis latitaret exponentes, idem tidem clamitarent, γλυκεῖ ἀλήθεια quod dulcem esse veritatem significat.

*Ficus sacra Mercurio.a*

## CYRENENSIUM PIETAS IN SATURNUM. Cap. XLII.

STatuæ vero pleræq; ficis coronatæ, Cyrenensium religionem indicabant, quia & Saturnus decus in agricultura suum meruit, quem agri colendi authorem, & insitionis putationisq; & stercorationis repertorem memorant, neq; minore quam Cererem honore honestandum existimabant. Huic D Cyrenenses cum rem divinam faciebant ficis recentibus coronari consueverant, quod & alimonia in iis, & gustus suavitatis egregiè vigerent. Hæ sunt honoratissimæ Principes, arbores illæ ad ingenii tui naturam accommodatæ, quas desumpsi ex hortis meis ductilibus, limoq; Nilotico in arcas ingesto, mecum quaqua iter est circúvecto. Neq; vero folia his arboribus ulla umquam decidunt tempestate: licebitque deinde tibi, si plantis his delectari cœperis, eas hoc terreno pactas in Britannias usque tuas asportare: quæ mundi pars, cum olea, vite, & ficu careat, illas aspiciant non modo suo tempore frondescentes, sed toto etiam anno, folio numquã deciduo, perpetuo virides admirentur. Sedenim, ut serio loquar, eas tu si pertractabis earumq; vim diligenter inspexeris, cordi ita insitas, tuo comperies, id nihil tui simile esse, etsi modestissimus es, confiteri necesse habeat. Nam boni quicquid in Divis illæ significant, ea omnia tuæ congruunt pietati.

*Hinc à saltatione. Macrobius l.1.c.10.*

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIB. LIV.

## DE IIS QUÆ PER POMUM ITALUM, PERSICUM ET PUNICUM significantur.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ERUDITISS. ALOISIUM, PRIULLUM PATRICIUM VENETUM.

HERI (Pruille doctissime) cum veterum signa quadam singulari opere artificioq; perfecta hic & illic inspecturi per urbem equitaremus, multisq; prateritis Capitolium demum inscendissemus, Herculis ibi signum summa nobilitatis ex aere conspectum est, quo non facile quicquam tota urbe dixerim me vidisse pulchrius, neq; praclarius, sive hæc ea fuerit statua, quã Q. Max. capta Tarento, opus Lysippi, obtulit Capitolio, sive quã Fabius Verrucosus eo transtulit, sive aliorũ fuerit dedicatio: utcũq; antiquissimum omnino opus est, & Græcis scriptoribus honorificè celebratum. Nam præter Leoninum spolium lævo injectum brachio, clavam manu dextera retinet, lævatria poma cydonia præfert. Quæ cum comites, qui te multi sequebantur, eruditi viri animadvertissent, de spoliis & clava dixerunt cognoscere se mentis præstantiam, & generosum animi robur, quibus virum, qui veram virtutis gloriam affectet, præditum esse debere commonemur. Herculem vero posítum à veteribus: quia quicquid præclare geri potest, id totum Herculi attributum. Nam & Arrianus ubi petram Lapidis memorat, difficillima quæque & maxime ardua, quæ humano quopiam conatu vinci minime posse videantur, Herculi attribui solere dicit. De pomis, quid ea sibi vellent, dubitari cœptum, nisi ea Hesperidum esse quis arbitraretur. Tuq; ad me conversus, Ægyptiacum quidpiam poma hæc mirum sapiunt, addidisti: tuum igitur, Pieri, fuerit id explicare, qui studiis istiusmodi delectaris. Respondi, atretrat, esse ibi etiam alios eruditos, qui me forsitan eruditius rem, quam petebas, explicare possent: sed quoniam me appellaveras, ne rusticus viderer, quid ego sentirem, non dissimulaturum. Græcos quidem per tria illa mala manu contenta, virtutes tres, quibus vir quisque probus & sapiens insignitus esse debebat, interpretari, quarum unam esse volunt, non excandescere: alteram, non esse deditum avaritiæ: tertiam, liberum à voluptatibus animum sibi comparasse. Incidit hinc, uti fit, de Pomorum significationibus alius atque alius sermo: quem cum tu avide admodum excipere visus esses, in eam spem adductus sum, ut si quid hujusmodi tibi destinassem, quicquid id esset nugarum, gratum tamen acceptumq; esses habiturus. Domum itaq; reversus, selegi statim ex pomario meo Ægyptiaco plantas tres, quas tibi dono mitterem: Italam unam alteram Persicam, tertiam vero Punicam, ob tres scilicet virtutes, quas idemtidem in te sitas optime noveram, insignem quippe humanitatem, miram in omnes beneficentiam, & singularem quandam animi moderationem, quibus semper fuisti egregiè clarus: sive tu adolescentiam temperares tuam, sive amicis præsidio atque ornamento esses, ultra etiam quam ætas tua deposcere videretur, sive bonarum omnium artium, & veræ pietatis doctrinam tanto sis studio complexus, ut nihil in humanis divinisque rebus esse velis, quod tibi non cognitum & perspicuum sit. Quare bene ominor pomis meis, quibus ad te transferri contigerit, apud quem culturam mea longè fructuosiorem consecutura. Tu modo pro tuo prompto alacriq; animo ad arborum, quæ tua jam sunt, polituram aggredere.

DE

## DE MALO CAP. I.

INter fructiferas arbores malo nulla voluptuosior, pulchrior nulla, nulla delicatior. Sed quoniam pleraq; sunt quæ ad alia quoque fructuum genera accommodari possunt, multasq; intra se malus species complectitur, hic malum eam intelligimus, quæ plerisque Italiæ locis nomen suum tutata est, nisi vulgus syllaba prima fructum ipsum Græcæ potius enunciationis vocem, quam Latinæ sequeretur. Malum enim dicunt, atque ita omnes ultra citraq; Apenninum gentes. At circa Padum, ad ipsum usq; Timavum, pomi vocem sibi unicè usurpavit. Horum vero pomorum cum jucundus sit non gustatus solum, diceret Cicero, sed odoratus etiam & aspectus, amoris in primis hieroglyphicum ex ejus simulacro excogitatum est.

*Mele Italè, μῆλον, Græcè.*

## AMOR. CAP. II.

*Malum amoris symbolum.*

QVique amorum agmina pingere delectantur, lusitare eos malis, & inter arbores ejusmodi lascivire, poma decerpere, abrodere, jactareq; confingunt. Hinc apud Theocritum βωκολιάσται, βάλλει τις πολύφαμε τὸ πέρσικον· ὡμαλακτιᾷ μάλοισι. Et, *Malo me Galatea petit*, Damœtas ait apud Virgil. *Malo Cydippen Acontius venatur.* Mala non temere Hyppomene Venus elargitur, quæ usque adeo grata fuerunt Atalantæ, ut zonam abstulerint diu ligatam, de quo Theocriti carmen non indiligenter animadvertendum:

*Ecloga. 3.*

*Quod inscriptum in Cydippes gremium missi.*

*Ovid. l. 2. Metam.*

Μᾶλα μὲν ἐν πόλποισι διοτρόφα φυλάσσων,
*Mala sinu condens Bacchi de tempore sumpta.*

quod interpretes exponunt amabilia, amorem quippe facientia. Mala enim illa Philetas ait de coronatis Bacchi temporibus decerpta: non enim quispiam in amorem ferretur, nisi prius lætitiæ titillatione concitaretur: lætitiæ vero datorem Bacchum Poëtæ passim celebrant, ut in vitis commentario latissimè declaratum. Apud Lucianum dialogo qui Toxaris inscribitur, legas, καὶ στέφανοι ἡμιμαράνθινοι, καὶ μᾶλα πικὰ ἀποδεδηγμένα. Corollas quippe magna ex parte flaccidas & ambesa quædam mala, morsuve tacta, in amoris indicium à Chariclea matrona nobili Diniæ cuidam dono missitata. *Et missum sponsi furtivo munere malum*, memorat Catullus, quod adventu matris excussum è castæ virginis gremio profilierit. Jam & apud Onirocritas mala venerearum illecebrarum plurimum indicia sunt, præcipuè verò, iis quorum cogitationes ad amicas suas tendunt. Et mala demum, præsertim dulcia, Veneri esse dedicata autumant. Philo insuper in hanc sententiam primam illam malum, cujus fructibus nostri generis authoribus interdictum fuerat, ex mystico sensu ab iis, quæ posuimus, non admodum alieno deducit, quæ Theologi tam Græci quam Latini multis & magnis voluminibus tractavere, nobis id afferre nunc satis fuerit: parentes illos nostros Dei Opt. Max. manibus informatos, vitam primo beatissimam egisse, calamitatum & ærumnarum omnium expertem terra sua sponte omnia ferente. Cæterum lege aberrantes, quia qua fuerat eis arbore interdictum, non abstinuissent, amœnissimo incolatu pulsos, solum flebiliter vertisse: atque hinc constare, mali ejus gustum omnium fere malorum causam mortalibus extitisse. Quæ quoniam ex veterum sententiis in Serpente nostro fuse lateque disputata sunt, minimè mihi videntur hic ad repetendum necessaria.

*Artem. l. 1. cap. 79.*

*Interpres Aristophanis in Nebulis, ibi,* Μάλῳ ἔλασε, *malo percussus scribit malum esse symbolum amoris, quia Veneri est dicatum.*

## AMORIS PROGRESSUS CAP. III.

FAvero de causa malus potius, quam arbor alia, est amori dedicata, quod ejus facies omnem rerum amatoriarum progressum ostendere videatur, earum enim arborum trunci coërciti primum recti surgunt, à medio vero, ubi dilatari cœperint, in spatia diffunduntur: cujusmodi etiam in amatore ratio est, qui munus suum semper ab ingenuo pudore quodam cohibitus auspicatur: inde ubi paululum processerit, frontem perfricat, ac verecundiæ compedibus expeditus, quaqua voluerit libere pervagatur. Fructus præterea fert aureos & rubicundos, palloris eadem & erubescentiæ, ut ita dicam, signa. Nam apud Horatium *tinctus viola pallor amantium*: & apud Catullum *quid tam inaurata*

Malus cur Amori dedicata. Cæsar. li. 2.

est pallidior statua. Poma vero ita magis rubescunt, uti magis exposita Soli ab eo contingantur: perinde ac amator eo magis erubescit quo nequitia palam magis profertur, et in aperto deprehenditur. Sub ipsa malo Amores ludo editi confinguntur, sub qua illi cursitantes variis mollium herbarum involucris impediuntur: quiq; ita sunt implicati ut sese nequeant exolvere, labore conatuque quodammodo delassati, somno se dedunt, cujusmodi lascivia gressus amatorios occupat, & in ergastulo cohibet: mox luxu inhæsitantes soporat, profundissimoque opprimit veterno. Auro insignes eorum pharetræ, aureæ quæ inde promuntur tela, auro Danaë capta, auro comparatur, auro detinetur amor. Nudi illi omnes, lætique ac alacres obvolitant magno numero circum unamquamque malum. Amicula eorum variis texta coloribus, multiplicique arte laborata, in herbis negligentia jacent, multitudine florum involuta: quorum vis magna circumquaque toto eo agro pullulat: neque tamen illi capita coronant, utpote quibus comæ illæ flavescentes, nitidæ, crispulæ, satis afferant ornamenti. Alarum pinnulas habent cæruleas & piniceas, nonnullæ etiam aureas Psittacorum, Pavonumq; instar, quibus quodam veluti concentu, sonoroque strepitu aëra diverberant. Sed quid ego de calathiscis, in quos mala congerunt, dicam? quanta illos gemmarum Sardonicarum, quanta Smaragdorum, quanta Margaritarum vis debacchatur? Vulcanum id opus effinxisse putes. Iucundum vero visu est, ut sponte sua, ac suapte vi, ad quantumvis alta, summotaque mala provolant, ut nulla his scalarum necessitas sit ad scandendum. Sed ne interim alios saltitantes, alios cursitantes, alios quiescentes memorem, vel qualem in abrodendis malis lætitiam præ se ferunt, illud spectata præcipue dignum, quod ex his quatuor omnium speciosissimi certamen ineunt, quorum duo malis invicem se petunt, alii duo sese confodiunt telis, alternis sese ictibus lacessentes: neque dum mutuis vulneribus confodiuntur, vulnera depellere, prohibere, vel declinare quicquam curant, verumultro alter alteri pectus obiectat, ipsisque vulneribus exponit, eo quidem consilio, ut in medio omnes pectore insideant sagittæ.

Hæc à Philostrato in imaginibus, cap. de amoribus.

## AMOR MUTUUS. Cap. IV.

EXiis autem certatorum paribus duos illos qui malo lusitant, voti compotes esse dicas. Namqui jaculatur, exosculatum prius malum emittit, quod alter sublatis supinisq; manibus excipit, nec; ulla contatio futura videtur, quin idem comprehenso malo sit oscula relibaturus, atq; ita in socium pari certamine remissurus.

## AMOR PERDITUS Cap. V.

EX illo vero sagittariorum pari, unus alteri vincula injicit pene moribundo, insultatque ferocius, ut captivum faciat. Ille contra nihil molitur, nihil reluctatur, sed tanquam perdita re manus vinculis objectat: proinde qui lusitant, amorem auspicari; qui se feriunt sagittis, nullum amori finem appetere videntur.

Ibidem.

## INIQUUS AMOR. Cap. VI.

SUnt & alii ad quos innumeri spectatores confluunt, hi manus in palæstram conferunt animosiores, ac Athletarum alter, manibus ad alterius humeros appressis, complexus hostem quodam veluti suffocandi studio collidit, subditque crura astu artificiosa complicata, ut pede post colluctatoris calcem obfirmato, una ipsum protrudat, & in lapsabundum super & ipse corruat: neque tamen alter animum despondet, ac erectus contra instat & obluctatur, quaque maximè angitur parte colluctatoris manum solvere conatur, uno digitorum obtorto, quo ita aliis facultatem eripiat firmiter apprehendendi. Qui vero digito læditur, dolore percitus hostis aurem admordet, quo animadverso Amores cæteri graviter indignati in perperam & insolenter facientes, ac luctarii certaminis leges, jura, fas, atque mores transgredientem feruntur, malisq; illum certatim impetentes, toto in unum agmine concitato eum in fugam avertunt, totisq; hortis ejiciunt eliminantq;. Atq; ita demum ludi Amorum omnes circa mala versantur.

Ibidem.

FUEL-

## PUELLARES INEPTIÆ. CAP VII.

ET mala puellarum ludicrum vocat Nicander in Alexipharmacis. Τοιαὶ δ' ἔρμ Ἐμέμνη παῖζον τὸ ἐφήμενα κύμβης. ἐφήμενα τὰ παιγνία, exponit interpres: ludunt enim puellæ, oblectanturq; malis. Multa vero hujusmodi, quæ ad insaniam propemodum tendunt, inter ineptientes amatores fieri videmus, ut merito nonnulli dicant ἀφροδίτην dictam, παρὰ τὸ φρένων, id est, à desipiendo, cum præsertim Euripides dicat, Θνητοῖς δ' ἅπασι' Ἀφροδίτης ἔρωτες. *Mortalium esse ineptias quæcunq; Veneris causa fierent.* Atque ob hoc ipsum Catullus amicum Flavium veretur, ne quid ineptiarum faciat.

*Sed & μῆλον etiam exponitur, ἔρως, amor quod μῆλον sit illecebra ad Venerem, ex Theocr. Idyll. 6.*

## VENUS. CAP. VIII.

IPsa etiam Venus malo insignis est. Nam apud Sicyonios statua ei erecta erat cum malo in manu una, papavere in altera: ex malo quidem amorem, ex papavere vim prolificam, ac seminis copiam significantes. Nam & lepus illi ob fœcunditatem dedicatus, id quod in Amoribus Philostratus, ut ejus animalis commentario alibi explicuimus, summa narrationis lascivia percurrit. Idem author Venerem in antro statuit molliter in stratis floribus recubantem, juxta quam fons irriguus vitrea perspicuus claritate prosilit. Ibi amatoriam Veneris suppellectilem pyxidas, pectines, specula, cymbala cum crotalis, omniaq; arma pruriginis, amœnitatumq; & illecebrarum alia atq; alia illectamenta recensere possis, quibus collustrandis oculos quidem delassari sentias, satiari vero numquam. Quod vero in antro cubitet Venus, apud Græcos est μυχῷ ἐν Ἀφροδίτη, *Mychea Venus*, quod secessu & abdito loco gaudeat, μυχοὶ γὰρ οἱ δόλιοι καὶ ἀπόκρυφοι τόποι, *interiores, maximeq; remoti, & occulti obscuriq; loci.* Tum ipsius Deæ munera Latini Furta nuncupavere, quia celari vult sua furta Venus. Quare Daphnis apud Theocritum in Venerem indignatus, eam in Idam montem remittit ad Anchisem, ubi quercetum est, in quo scilicet occultari possit, nulloq; rubore in molli cyperi prato lascivire.

*Hinc Musæus eam secretam Apuleius clandestinam, & Ovid. lib. 2. de Arte, furtivam vocant.*

## NEMESIS. CAP. IX.

FErat & mali arboris ramus in manu læva Nemeseos, quam Marathoniæ pugnæ monumentum Phidias lapide Pario dicitur excidisse Athenis, corona cujus, & cervis, & parvis quibusdam victoriæ insignibus: dextera vero phialam tenebat cum Æthiopibus insculptis, propter Oceanum fluvium, quem Æthiopes accolunt. Ea vero de causa mali ramus Nemesi gestandus dedicatur, quod Veneris habitu Nemesis dea sit primum solita figurari, ut habetur in Suidæ collectaneis: nam alterum illud de statua Phidiaca, apud Pausaniam est.

## SACRUM HERCULIS. CAP. X.

NEque tamen ierim inficias, aliis quoq; diis malum fuisse gratam, ut victimarum loco nonnumquam acciperetur, ac felicissime litaret. Nam si quando Bos, quam Herculi sacerdotes immolare voluerant, aufugisset, malum illi ramis quatuor compositis, quadrupedis illius instar sacrificabant. Hujus rei mentio est apud Suidam, neq; non apud Pollucem. Narraturq; res super historia de Bœotorum hostia, quæ fluvio Asopo ita aucto, ut transiri non posset, eo loco unde victima erat adducenda, ne qua sacrificio mora fieret, pueros ajunt malum quatuor stipulis vice pedum sustentasse, duasq; loco cornuum addidisse, atq; ita Herculi obtulisse: cumq; ita litare visi essent, rem in consvetudinem processisse, atque μῆλον inde Herculem appellatum, quasi Pomonum dicamus. Alii eventum hujus pomi pro Bove oblati ad Athenienses transferunt: nam Bœoticum sacrum loco arietis fuisse volunt, Apollodoro hæc apud Zenodotum tradente.

*Pollib 1. de vocabulis rerum. Bœotorum hostia Herculi.*

*Hinc proverbium μῆλον πρὸς βοῦν, Pomarius. Hercules Chil. 2 cen. 7. proverb 7. de spem magnificeo, sed re ipsa impotente.*

## APOLLO. CAP. XI.

QUin & Apollo malicoronam, priusquam laurum seligeret, adamavit, eaq; victores in certaminibus coronari voluit, ut in luculento Archiæ transticho legitur: Τὸν περιμαλίδιον ἀγῶνα. quod Epigramma in omnium jam manibus versatur. Apud Pausaniam legas statuam Apollini μηλιάδη erectam, sive à malo quo gauderet, sive ob pastoralem, quam per aliquot annos vitam egit. Nam ἄλλα proprie πρόβατα καὶ ποίμνια. Unde uniuscujusque quadrupedis tergus melote dicitur, ut obiter Pauli locus animadvertatur ex epistola ad Hebræos cap. xi. *Circumierunt in melotis.* Sed & μηλωτὰς καμήλου,

*Auctor Isther. lib. de Coronis. Præsertim ovas. Psalm. 1. Homer. Il. lib. 6.*

quippe, ut etiam apud nos unumquemq; denotat fructum. Ab ea vero æquivocatione factum ut Herculis sacro, quo de paulo ante dictum, æquipollere malus pro Bove indicaretur: cum & minimè redargui posset, quin quadrupes, & eodem nomine victima censeretur. Fructiferarum autem arborum plantatio hieroglyphice in Divinis literis accipitur pro disciplina Doctorum, ut sentit Hesychius. Hinc David: *In lege ejus meditabitur die ac nocte, & erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Et, *Ego plantavi, Apollo rigavit*, ait ad Corinthios Paulus. Ad hoc pertinet, quod de plantatis arboribus lex jubet primo, secundo & tertio anno decerpi nihil: quarto quæ leguntur, offerri Deo, quinto etiam reliquis usus permittitur. Ex quo tempora quatuor significantur à tempore legis usq; ad Davidem, à Davide usq; ad transmigrationem Babylonis, à transmigratione usq; ad adventum Christi, quibus annis fructus inutilis omnis fuit, sed spes tantum promissa bonæ frugis. Christi autem tempus proventum Deo dicavit annusq; sanctus appellatus. Anno autem quinto facta omnibus copia, permissusque fructuum usus tam Judæis quam gentibus. Apostolis eos liberalissime effusissimeq; distribuentibus. Sed quod ad Pythia spectat, quamvis victores lauro mox coronari cœperint, mala tamen ex Apollinis templo decerpta, ut Lucianus ait, coronis inserebantur. Hinc illud apud Apuleiũ de Paride: Tunc animo volenti Phrygius juvenis malum, quod tenebat aureum, velut victoriæ calculum, puellæ tradit. Sunt qui, uti superius suo loco dictum, Delphicam laurum baccas tantæ magnitudinis habuisse dicant ut poma dici meruerint. Plinius maximis quidem eam baccis fuisse memorat sed nihil ad pomum. Et Archiam in ea sermonis puritate quicquam improprie posuisse, mihi persuadere non possum. Si cui tamen de baccis illis grandioribus commentum placet, contra ego haut sane multum contenderim: nam hodie uniuscujusq; arboris fruticisve baccas Pomella vocitamus.

## TRES HERCULIS VIRTUTES. Cap. XII.

*Poma tria in Herculis statua quid.*

QUod vero ad Herculem pertinet, initio diximus statuam ejus esse in Capitolio egregie factam exære Leonino insignem spolio, & clava, quæq; tria læva manu poma contineat: eas significare tres in Heroe virtutes insigniores, quarum una esset excandescentiæ moderatio, altera avaritiæ temperamentum, tertia generosus voluptatum contemptus. Verum quod fabulantur illum, quo mala hæc ab hortis Hesperidum auferret: draconem extinxisse, qui pervigili custodia hortos eos tueretur, significat illum concupiscentiæ modum imposuisse, ut alibi per Draconem voluptuosam libidinis mollitudinem intelligi de claravimus ex Philone. Spolium vero Leonis dubio procul generosum animi robur, mentisq; præstantiam ostendit. Quid vero clava sibi velit, alibi explicuimus, cum illam & rationem & disciplinam significare contenderemus, quoq; præstantiores hæc in Hercule vigescunt, eo illi ex firmiori validioriq; trunco, quippe ex quercu materia incorrupta clavam attribuunt. Firmitatẽ enim & vires indicari ex quercu superius ostensum. Nodosa vero fingitur clava, propter scrupulos & difficultates, quæ virtutem indagantibus, qua duce veram virtutem agnoscere possumus, se se contra magno errorum agmine contracto frequenter objiciunt ac omnibus occurrant locis.

*Plin. & Solinus interpretantur æstuarium maris meatu flexuoso instar Draconis.*

## ASTRA SOLQUE. Cap. XIII.

*Quæ & Atlantides à Patre Astronomiæ peritissimo. Nam heros eleos, aeris gloria, Soli maximè competit.*

QUæ quamvis ita habeant, non desunt tamen, qui aliter philosophentur, & prout quisque huic vel illi deditus est disciplinæ fabularum sensum in eam trahit sententiam, quam professionis studiorumve suorum conditio suggerit. Nam qui moralem sequuntur Philosophiam, ea de malis, quæ superius recitavimus, commenti sunt. Qui Astronomia delectantur, per aurea mala astra significari contendunt, præsertim apud Hesiodum, ubi Hesperides Noctis filiæ commemorantur, Herculem vero Solem esse dicunt, quo decedente preciosa illa messis passim oboriatur, & mortalium oculis offeratur.

## VERI AMORIS FRUCTUS Cap. XIV.

SEd ut ad amorẽ unde digressi sumus, revertamur, ipsa etiam numismata omnium ætatum testimonio pomum Veneri dedicatum ostendunt: sed ei Veneri de qua fructus expetitur, propter quem rerum natura amoris vim universo animantium generi elargita est: nempe ut satis rite seminibus, rerum

rum omnium ſpecies prorogentur, æternæq; fiant, quatenus rerum opifex hanc mundi molem du-
A rare permiſerit. Ad hanc igitur fœcunditatem numiſmata nos invitant, in quibus ipſa prolis ſuſce-
ptio monumentis celebrata eſt. Nam in Juliæ Piæ Aug. numo Dea ipſa cum pomo ſeſe oſtentat, cu-
jus inſcriptio eſt, VENUS FELIX. In alio ab una facie, FAUSTINA AUG. ANTONINI AUG. FIL. Ab al- *Iulia Pia numus.*
tera ſignum molliter ſtat læva conto innixum, dextera pomum exporrigens, cum inſcriptione, VE-
NUS S.C. Quoniam vero plurimæ ſunt hujuſmodi ſpecies, quotidieque hominum manibus attre-
ctantur, his modum imponemus.

## DE PERSICO.

### PERSICA MILITIA. CAP. XV.

ILud addam, molles Perſarum reges ſelectorum ſuorum mille numero thoraces malis inſignire
consueſſe: qua de cauſa Mellophori appellabantur. Sed quoniam hoc forte Perſicum erat ma-
B lum, patriæque nomen ſecum afferebat, invitat nos nominis recordatio, ut de Perſico pomo dictio-
nem noſtram proſequamur, rei quidem ſerie idipſum depoſcente.

### ACUTUS. CAP. XVI.

SUnt qui pomi hujus acore conſiderato, qui guſtus appetentiam mirifice, quantumlibet etiam *Hinc illud Plauti, acetum in patore, in Bacchi dib. & Horat. in Art. Poët. Italo perfuſum aceto. Ingenia acutiora ubi. Satyra 10.*
maturi, expergefaciat, acutum hominem ex Perſici vocabulo ſignificari putent, cum præſertim a-
pud Plautum legerint, *Qui Perſicus ſapis.* Cæterum hoc non à pomo, ſed à gente deducitur, quam tali
præditam ingenio authores tradunt. Quibus enim purius eſt cœlum, eo acutiore ſunt ingenio: &, ut
inquit Cicero, *perſpicaciores ſunt qui ad Orientem, quam qui ad Septentrionem habitant:* quod nul-
lalia de cauſa provenit, niſi quod actus mentis ex calore naſcitur, & vigorem inde ſuſcipit. Quare
multa majora & veriora contemplamur æſtate, quam hyeme, quoniam brumali tempore ex craſſi-
tudine aëris hebetiores ſumus, & frigore pigriores: vis enim ipſa mentis ab igni, id eſt, à cœlo eſt:
tametſi quod veriſſimum eſt. Juvenalis ait,

*Summos poſſe viros & magna exempla daturos,*
*Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci.*

### IN ALIENO COELO MELIOR. CAP. XVII.

C *Nemo enim propheta in patria. Sic Scythia Anacharſin Cappadocia Baſilium magnum. & Nazianzenum Græcia.*

ALii hominem qui domi vel ſeditioſus, vel tetro aliquo flagitio inſignis fuerit, in alieno tamen
cœlo, aut patria profecerit, in viamq; redierit, omni animi depoſita pravitate, per Perſicum o-
ſtentant, propterea quod ajunt, pomũ id in Perſide, unde translatũ eſt, veneni vice fungi, eaq; de cau-
ſa transmiſſum, ut nobis venenum eſſet; in Italia tamen mutato ſolo naturam etiam mutaverit, & ſa-
lubre repertum ſit: quam quidem opinionem admittit Columella, dum ſcribit:

*---- Pomis quæ barbara Perſis*
*Miſerat, ut fama eſt, patriis armata venenis,*
*At nunc expoſiti parvo diſcrimine lethi,*
*Ambroſioſi præbent ſuccos oblita nocendi.*

Hinc pomum ejus innocuum ægris expeti, ait Plinius, neque alium eo pomo innocentiorem eſſe ci- *Plin. l. 15. c. 12.*
D bum. Dioſcorides ſtomacho Perſica tradit accommodata, quæ ſi matura comedantur, aluum leni- *Pomi Perſici virtus.*
ant: ſi acerba, ſiſtant, quorum alterutro pro tempore & loco opus eſt. Et nos Romæ aliquando le- *At Perſicorum omne genus damnavit Galenus l. 1. de aliment. facultatib.*
thali correptimorbo, quo ſtomachus nihil cibi prorſus admittebat, & imiſſum evomebat veſtigio,
poſt diurnam inediam non alio cibo adjuti per tres continuas hebdomadas, quam ſingulis pomis
hujusmodi in ſingulos dies ex vino acceptis, hac una opella præter amicorum omnium, atque adeo
Medicorum etiam ſpem, reviviſcere potius quam convaleſcere viſi ſumus. Sed enim quod de fructus
hujus transmigratione à Perſis fertur, vel ut plures tradunt, ab Æthiop. in Ægyptum maſo animo
transmiſſi naturam ſoli benignitate commutaſſe, aliter ſentire Callimachus videtur, qui Perſicum in
Ægypto primum ſatam inquit è Perſeo verbis his: καὶ τερπνὸν ἀξῶν ἐπώνυμον, ἐξ ἐρίβαμπος ἀέξατο
παιπαλόεσσ. Nicander vero Mycenis primum ſatam contendit his verſibus,

Hinc

Πέρσιδος ἣν ποτὲ πολλὰ λιπὼν κεφαλῆς ἀπὸ γαῖαν
Αὐχὴν ἀπορμήξας ἄφθιτα γοργόπα μήδεα
Ῥῶμα μυκλοδίωνι σὺν ἐξόανα δόμεν.

*Quam quondam, Perſeus, poſtquã Cepheia liquit*
*Littora, præfecta clarus cervice Meduſa*
*Dona Micenæ telluri tradidit.*

*Not. Mattheolus in Dioſc. l. 1. c. 131. & 146.*

Et eruditiores negare Plinius inquit, eam ex Perſide propter ſupplicia translatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam, & obid Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe, in honorem atavi ſui. Fabulatur autem eam ſemper folia & poma ſubnaſcentib. aliis habuiſſe, cujusmodi eſt citriorum natura. Qui vero pomum hoc venenatum in Perſis gigni putaverunt, decepti forte ſunt nominis vicinitate, nam id de Perſea diligentiores tradunt, quæ omnino alia eſt, myxis rubeſcent b. ſimiliſ (pruna eſſunt ſorbis inſita) in Æthiopia lethalis, in Ægypto ſalubris, quamvis Columella poëtica licentia utramq; confundere videatur, quæ tamen ille ex Nicandro mutuatur, apud quem videnda Commentaria, ubi de phalangis agit.

## SILENTIUM. Cap. XVIII.

INter picturas omnino multas, quibus Ægyptii ſilentium ſignificabant, Perſicum etiam his admiſcuere, eaq; de cauſa arborem eam Harpocrati dedicarunt: fructum enim habet cordi, folium linguæ ſimile, quaſi ſermonem, qui fructus eſt intelligentiæ, ſedẽ in corde, non in lingua habere decet.

## COR. Cap. XIX.

SAne cor per id pomum oſtendi ita vulgo innotuit, ut id repetere ſuperfluum videatur, tum noſtro præſertim ævo juvenes puellæq; paſſim Perſico telo transfoſſa miſſitent, quæ cordis ita exulcerati indicia ſint. Quin & Medici pomum id cordi tradunt mirifice conferre, naturamq; ejunt cordis figuram impreſſiſſe, ut cui eſſet genitum parti vel ex ipſa ſpecie patefaceret. Ea quoq; manifeſta ſunt, quæ Plutarchus libro de Iſide & Oſiride conſcripſit, arborem hanc Iſidi fuiſſe ſacram, quod pomum ejus humani cordis figuram, folium vero linguæ præ ſe ferat. Nam cum Iſis νοερὰ dicta ſit, ſapientiam hoc indicat intellectu primam concipi, ſed parum hoc prodeſſe, niſi etiam in mortalium uſum enuncietur.

*Scio, intelligo.*

## VERITAS. Cap. XX.

QUod ſi pomum adhæreſcente folio uno tantum pinxiſſent, veritatis id ſignum erat: quippe quod ea ſpecies linguam cordi conjunctam oſtendit, ac perinde ſermo cordis ipſius penetralia aperiat, non aliud quippe ſentiat, aliud proloquatur: cujusmodi orationem ingenue & citra fucum loquentis eſſe debere diximus in Bulla. Quare Gregorius ad Joan. Epiſcopum Ravennatem ſcribens, Chriſtiani viri officium eſſe monet, ne aliud ore loquatur, aliud in corde habeat.

## CÆDES MULTIPLEX. Cap. XXI.

SUnt qui cædem multiplicem, omni truculentia perpetratam, ſtragemq; multa edita occiſione, ſignificare ſi velint, nucem ipſam Perſicam corne ſpoliatam præferant: nempe quod in ea teſte, vel oſſeo malumus dicere in tegumento, omnium telorum, quæ punctim cæſimq; feriãt, & quibuscumque modis lædant, ſigna vulneraq; impreſſa conſpiciuntur: ut in nulla propemodum re magis quam in eo cortice multipliciter dilaniando naturam ſcivire geſtiverit.

## CURÆ VARIÆ. Cap. XXII.

ALii ſignificatum ad animum transferunt, qui variis curis ſolicitudinibusq; ſit undecumq; exulceratus, ut nullum ſit ærumnarum anxietatumq; genus, quo ſe non afflictatum ſentiat, vicemq; ſuam miſerrime deploret.

*Non aliud fugacius, longiſſima decerpto bidui mora eſſe cogitq; ſe vinundari.*

## BONA CITO LABENTIA. Cap. XXIII.

FUerunt & qui ætatis florem, & unumquodque bonum, quod celerrime deficere videretur, atq; adeo humanæ ipſius vitæ imbecillitatem per decerptum Perſicum & in lance poſitum non ineptum diceret hieroglyphicũ. Pomũ enim nullum aliud fugacius, longiſſimaque decerpto bidui mora ſit, cogatq; ſe quam primum venũdari: quod non immerito mirantur rerum naturalium ſcriptores, cum ad ejus pretia reſpiciunt: nullius unquã majora, cũ memoria proditũ ſit, tricenis numis ſingula nonnum-

*Hæc Plin. l. 15. c. 12.*

A donnumquam æstimata. Quare huc forte illud accommodabitur, quod aliore quodam sensu non temere aures vellicet, à Philodemo, vel, ut alii tradunt, ab epigrammatario Platone dictum nobili disticho:

Μῆλον ἐγὼ, βάλλω σὲ φιλῶν· σὺ δέ μ' ἐὰν νόον ἔχῃς
Ἔμβαλε τοι· κἠγὼ σὸν μεταμῳμένος ἔσσομ.

quam sententiam nos jure nostro ita reddidimus:

*Pomum ego, quique tibi me dat, te deperit, audin*
*Flavia, marcescam nempe ego, tuque etiam.*

## DE MALO PUNICO. CAP. XXIV.

MAli Punici apud Ægyptios nulla reperiri significata: Græcorum nonnulla sunt, sed longe plura quæ in Divinis habentur literis.

## POPULOSITAS. CAP. XXV.

B ERat vero illud præcipuum ejus mali symbolum, ut populos gentesq; varias uno collegio congregatas significaret. Id ea de causa factum, quod grana illa sua folliculis quibusdam aliquo numero ab aliis segregata, provinciarum veluti limites quosdam præ se ferre videantur, & singula hominum vel collegia, vel nationes potius ab aliis distinguere. Varii enim loculi cicco quippe suo dirempti, cum granis suis, varias itidem gentes, suis quasq; finibus terminatas, indicant.

## JUNO. CAP. XXVI.

GUm vero Juno regnorum præses haberetur, malum illi Punicum dedicarant, quod in ejus manu Mycenis spectabatur, cum sceptrum altera teneret, eo opere quod Polycleti fuisse ferebatur, de quo apud Pausaniam. In Junonis itaq; gratiam reginæ cum sacrificabant, incurvatam ex malo Punico virgulam in capite gestabant, quam à veteribus Inarculum appellari reperias. Sed enim cum satis constet Carthaginem Punici regni sedem in Junonis tutela fuisse, facile potuit insigne illud eidem accommodari, quo res ipsa significaretur.

*Malum Punicum Junoni sacrum. Sic. n. Venerem lunæ alloquens mœnia Carthaginis suæ vocat. Æne. lib 4.*

## POENI. CAP. XXVII.

C NAm in aliis quoq; veterum monumentis animadverti fercula Punicis malis ornata præferri, in eorum celebritatem, qui de Pœnis victoriam consecuti essent. Ea Africam ipsam muliebri specie apud Pactios Florentiæ vidi, in cujus manu altera, læve quippe quæ decumbentis molliter capiti sustinendo subjecta est, malum Punicum habetur: in altera flabellum, ad tegendos arcendosq; ardores inserviens. Pro puluillo undæ duæ, utrumq; mare significant, Oceanum & Mediterraneum, quorum citra se ambitum ut ostenderet, annulos etiam duos in extremos digitos induxit.

*Africa figura.*

## MULTARUM GENTIUM SOCIETAS. CAP. XXVIII.

PUnicum malum tintinnabulo adjectum, cujus species apud Hebræos potissimum reperias, ut olim Eucherius, mox Gregorius Pontifex interpretatur, unitatem Ecclesiæ ex multis gentib. in eundem sonum, hoc est, in eadem præcepta convenientium indicat. Sicut enim, ut ille inquit, D in malo Punico uno exterius cortice multa interius grana uniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Quod vero piorum conventus canit, *Et cortex mali Punici gena tua, & floruit vitis floruerunt mala granata*, ut Ambrosius ait, bonum fidei fulgorem, confessionisque prætendit, tot Martyrum sanguine pretiosa, &, quod est amplius, CHRISTI cruore decorata, simul plurimos intra se fructus unius istius pomi sub una munitione servat, & virtutum negotia multa complectitur. Sentit idem Hieronymus, ubi sextodecima Hebræorum castra, Remon Phares dicta, tradit, quod *ἐκ τοῦ ἀποκοπῆναι* Græci reddidere: Latini, mali Punici dissepimenta Arboris enim hujus fructum granorum numerositate refertum, indicare ajunt pii hominem turbam credentium, in Ecclesiæ uno gremio quasi cortice contentam. Addemus, id eo magis unitatem hanc in Christianis malo granato convenire, quod pomum id hoc habet præcipuum, ut quot in uno grana sunt, tot in reliquis reperiantur. Nam, ut Africanus ait, parva & magna granata non eo inter se dissident, quod hæc

*Malum Punici sensus mysticus.*

*Cantic. 6.*

plures, illa pauciores habeant acinos, sed quod parva minores, magna grandiores nutriat: ita Chri- A
stianæ pietatis opera non quam multiplicia sint considerantur, sed quatenus uno eodemq; numero,
cum fide, spe & charitate in unoquoq; deprehendantur, & sine terminove uno concluſa: uno quip-
pe cortice divinæ gratiæ comprehensa: pro uniuscujusq; virtutis magnitudine vel exiguitate præ-
mia consequantur.

## NÆVUS. Cap. XXIX.

QUONIAM vero nullum malum Punicum invenitur, in quo non sit aliquod granum subputre, indicium est, nullum humanum corpus esse absque nævo aliquo vel cicatrice: nullum quippe hominum reperiri, qui vitio sine nascatur, cum vel justus homo septies in die prolabatur. Ita neque collegium ullum est, in quo non aliquis sit prævaricator. Usurpabat similitudinem hanc Thebanus secta Cynicus.

## SIMULATOR. Cap. XXX.

*Vulgus Italicorum hos assignat castanea.*

SED ENIM plurimum ita homines sunt, ut apparere potius quam esse studeant, malumq; Punicum emptorem egregie ante omnia poma ludificetur, & se probantib. imponat, purpureo scilicet, rubicundo, lepidoq; cortice spectantibus adblandiendo, mox interiora aperientibus plerumq; situm, putorem marcoremq; patefaciendo: hinc factum est, ut pleriq; veterum simulationem probitatis per id genus pomum significari dixerint. Unde Scholasticus ille severioris doctrinæ magister: *Superbus*, inquit, *malum Punicum est, quod interius putridum sit, exterius vero mirabiem præ se decorem ferat.* Hoc hominum genus ita notat Horatius: B

*Epistol. lib. 1. ep. 16.*

*---- Vir bonus est quis?*
*Qui consultæ patrum, qui leges, juraque servat,*
*Quo multæ magnæq; secantur judice lites:*
*Quo resjonsore, & quo causa teste tenentur,*
*Sed videt hunc omnis domus, & vicina tota*
*Introrsum turpem speciosum pelle decora.*

Lucianus hos tragœdiarum codicibus auro purpuraque vestitis æquiparat, qui mira ipso compaginationis ornatu pulchritudinem ostentent, adaperti vero non nisi parricidia, incestus, stupra, horores, ærumnas, luctus, familiarum urbiumque excidia, & atrocissima profligatissimaque scelera quæque contineant. C

## VITIUM EMENDATUM. Cap. XXXI.

EUM deniq; hominem, qui vel morum aspectitatem, vel vitium aliquod in melius verterit, ac virtute commutarit, significare qui volunt, cuneum ex Pino per mediam arborem Punici mali adactum pingunt. Siquidem evenire ait Basilius, ut si cuneus ejusmodi in acidas Punicas impingatur, ita ut per mediam medullam adigatur, mala saporem ex acido & austero in dulcem atque suavem commutent. Id autem fieri solet ima in parte radici propinqua stipite perforato. Ac perinde magnus ille vir docet, posse unumquemque sibi vitii medelam enanciscí, quando agricultura stirpium qualitates commutare potest, curam autem & studium in animi virtutibus consequendis morbos omnes evincere. Nam si modo quis, ut inquit Horatius, *culturæ patientem accommodet autem,*

*Horat. Ep. 2. lib. 1.*

*Nemo adeo ferus est ut non mitescere possit.*

## AMICITIA. Cap. XXXII.

AMICITIAM modis plurimis hieroglyphice pingi sculpive posse, toto opere diximus, ut in Palma & fœmina, quæ quamvis mira sit, in suo tamen genere est, majus nescio quod in hedera cum vite, maximum in Punica cum myrto: amant enim se invicem & myrtus & Punica, ideoque, ut observavit Florentinus, & asserit etiam Dydimus, ad Punicorum feracitatem myrtus juxta serenda est. Quin, ut ait Democritus, ita se amant, ut etiam aliquando procul positæ radices mutuo complicent, ideoque mutua earum insitio mirifice fœtificat. Si quis igitur fructiferam amicitiam Ægyptiorum in morem scribere voluerit, apte coronam myrteam malis Punicis ornatam faciet. Coronæ enim ipsius forma amicitiam, qua quis mutuo devinctus est, poma illa fructum & utilitatem inde susceptum indicabunt. D

*Idem Matthiolus in Dios. lib 1. c. 117.*

JOAN.

# A JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER LV.

## DE IIS QUÆ PER ROSAM ET FLORES ALIQUOT SENTICETAQUE SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægygtiorum Literis.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISS. CARDINALI, DOMINO MEO, IULIO MEDICI, FLORENTINÆ
B Reipub. præsidio singulari.

INTERROGASTI *me superioribus diebus (Reverendiß. & Illustriß. Domine) quo exprimi posßit hieroglyphico sententia illa, quam toto vitæ tuæ cursu unice adamasti, qua nulla moribus integritatique proprior convenientiorq; excogitari posßit,* ALIORUM *quippe* PRAVITATEM BONORUM OPERUM OPE PERVINCENDAM. *Cujus quidem argumenti apud Ægyptios figuræ, apud Græcos symbola, apud nostros documenta innumera comperiuntur, quæ nunc inepta admodum esset morositatis enumerare, cum tu breve quid, Laconicum scilicet dictum aliquod, si fieri posßit, monosyllabum figuræ unius compendio elaboratum deposcere visus fueru. Ego vero si in hujusmodi brevitatis angustias includar, à vobis potius, hoc est à clarißimo patre tuo Iuliano, Magni Laurentii fratre, argumentum quod in promptu est, mutuabor. Animadverti siquidem in manu dextera imaginis ejus, quam Florentie magno in honore habetis, Rosam candore niveo insignem adpictam, quam pollice folii superimposito continere videatur. Hoc est mihi breve & expeditum illud hieroglyphicum, quod quæris,* MALA BONITATIS OPE
C SUPERARE. *Nam Rosa quid aliud præ se ferat, dum pulcherrimam floris speciem ex calicibus explicat, depulsa spinarum asperitate, quæ floris tam elegantis amœnitatem opprimebant, eamq; quodammodo strangulare videbantur, nisi illa virtute, conatuq; suo semetipsam expedivisset, commodißimeq; patefecisset, indicareq; ita voluerit, nullum esse tam pertinacem in pravitate conatum, nullam tam gravem difficultatem, quam bonitas non posßit evincere, dißipare, & imperio suo subjicere? Quoniam vero (præstantißime Domine) in theatrum me jam induxisti, ubi Rosam agerem, quæ flores etiam secum aliquot alios trahit, reliquos eorum actus prosequar, ita tamen digestos, ut ubicunque volueris, fabula desinat. Nam vere esset in publica peccare commoda, eum principem nugis longioribus implicare, qui tot tantaque magnarum rerum negotia sustineat. Sedenim qua modestia, quoque temperamento tua & publica omnia moderaris, parva etiam hæc & exilia, quæ nos præstare possumus, per otium invisere non aspernaberis.*

---

### IMBECILLITAS HUMANA. CAP. I.

D AC de bono quidem, quod suapte vi pravitatem evincat, satis superq; suffecerit Patris tui gestamen pro hieroglyphico tam congruo, tam proprio. Subsequitur alterum non minoris efficaciæ, quod flos is tam venustus, tam suavcolens, tam pulcher visu, tam suavi odore delectabilis, humanæ sit imbecillitatis hieroglyphicum, ac boni momentanei signum: tam brevis illa vita, tam caducus decor, ut quo die florens vigensq; enituerit, eodem ipso defloreat, & elangueſcat. Hinc elegantißimus Poeta quicumq; ille fuit, qui Rosam, quæ Maroni adscribitur, celebravit, vel deploravit potius, repentinam hanc jucunditatis rapinam ita lamentatur:

*Mirabar celebrem fugitiva ætate rapinam,*
*Et dum nascuntur consenuisse rosas.*

Quantum vero illud habet invidiæ, & acerbæ in rerum naturam querimoniæ?

*Quam longa una dies, ætas tam longa Rosarum,*
*Quas pubescentes juncta senecta premit.*

In univerſum autem flores pene omnes decerpti, ſine foliis conſpecti, fragilitatis humanæ, aut fugientis boni indicia ſunt. Unde apud infelicem amatorem Theocritus roſam veſtigio tabeſcere, violam cito ſeneſcere, lilium parvo poſt tempore marceſcere, & veluti album nivem illico liquaſcentem effluere lamentatur. Quod vero in antiquorum memoriis aliquot obſerves lilia & roſas & flores alios adhiberi in ſepulcrorum ornatum, vetuſtum eſſe morem multa hujus generis dona Manibus mitti ſolita indicant. Imo quosdam teſtamento etiam caviſſe legas, ut iis vel illis floribus quotannis ſibi parentaretur; cujusmodi memoria Ravennæ lapis ita inſcriptus:

*Sepulcra ornata floribus.*

OB MEMORIAM PATRIS SUI DEC. VII. COLLEGII FABR. M. R. H-S. ꝑ. N. LIBERALITATE DONAVIT SUB HAC CONDITIONE UT QUOTANNIS ROSAS AD MONIMENTUM EJUS DEFERANT, ET IBI EPULENTUR DUMTAXAT IN V. ID. JULIAS. QUOD SI NEGLEXERINT, TUNC AD VIII. EJUSDEM COLLEGII PERTINERE DEBEBIT CONDITIONE SUPRA DICTA.

Et Comi in æde D. Benedicti lapis eſt ſtratus memoriis cujusdam Valerianæ, & Apii Valeriani filii ejus, in quo mandatum eſt PER OFFIC. TESSERARIOR. QUODANNIS (ita enim per D. ſcriptum) LECTISTERNIUM PONATUR ET PARENTETUR, ITEM CORONÆ MYRT. TERNÆ, ET TEMPORE ROSÆ IULIO TERNÆ EIS PONANTUR. Item Appius Eutychianus maritus ejusdem Valerianæ, ſcholæ vexillariorum largitus eſt magnam pecuniæ vim, ut quæ ibi notata ſunt, fiant demum OLEUM ET PROPITIATIONEM PER ROSAM PRÆBEANT. Como Mediolanum proficiſci invitat brevitas itineris roſas hujusmodi decerpturos. Nam in propyleo D. Ambroſii porta Vercellenſi legas:

PETRONIO IUCUN. VI. VIR. SENI
PETRONIA MIRA. L. F. PATRONO QUÆ H-S. ɔɔɔɔ. LEG. POSSESSORIB. VICI BERDOMAG. IN HERM. TUEND. ET ROSA QUOTANNIS ORNANDUM.

Ubi Adria Tuſcorum, pars inſcriptionis cujusdam eſt, in qua ſeſtertia numero quadringenta data ad roſas & eſcas ducendas cuidam Ottitio Scroniano omnibus annis. Eſt etiam monumentum, de quo alibi, P. Corneliæ Anniæ, quæ ne in deſolata orbitate ſuperiveret, vivam ſe ultro in arcam cum viro defuncto damnavit, ubi ſcriptum eſt mandaſſe illam ſacrificio ſuper arcam Plutoni & Proſerpinæ peracto roſis eam exornari. Hinc mendum corrigere poſſumus in appendicibus Virgilio adſcriptis, ubi eleganti admodum in Coppam Elegia, poſtquam ſuaſum eſt aureo redimiculo caput nectere, & indulgere genio: quippe ubi omnia comparata eſſent ad voluptatem,

*---- Tum croceo viola de flore corollæ  Sertaque purpurea lutea mixta roſa.*

ſubjungitur demum:

*Quid cineri ingrato ſervas benevolentia ſerta?*
*Anne coronato vis lapide iſta tegi?*

Hic tegi mendoſe legitur, quia legendum, *Coronato vis lapide iſta legi?* Interrogat enim Poeta, an ſeverus is, & priſcorum in morem ſupercilioſus, velit ideo roſas ſpargere, ut in ejus defuncti memoriis legatur teſtamento cautum, ut quotannis roſæ ad monumentum ei deferantur? Hæc fuerunt [illegible], non tamen bonis ingeniis inutilia. Nunc ad hieroglyphica redeundum.

BO-

A

## BONUM DE MALO DELIGERE. VEL, BONUM MALO CIRCUMSEPTUM. CAP. II

ILlud etiam memoratu dignum, quod rosæ simulacrum, bonum significat, quod undiq; circumseptum sit malis, ac perinde voluptates nostras amaritudinis & asperitatis plenas. Nam, ut Ambros. in Hexamero philosophatur, rosam spina sepsit, tanquam humanæ vitæ speculum ostentaret, quæ quod esse potuit suavitatis, finitimis curarum stimulis sæpe compunctum, amarescere videatur, vallata enim est elegantia vitæ nostræ, & quibusdam solicitudinib. obsepta, ut tristitia semper adjuncta sit hilaritati: quare non illepide Catullus Venerem, quæ jucunditatis hilaritatisq; author præcipuus habetur, spinosas ait in pectore curas serere. Quod autem rosa & rubet & pungit, affectus amatorii signum esse Placiades affirmat, utpote qui sine verecundiæ rubore, & facinorosi criminis exulceratione esse non possit. Rosam primitus spinis caruisse Basilius tradit, postea vero pulchritudini floris abditos esse aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperi-
B mus, propinquo inde dolore exulcerati, qui ex delicti recordatione emergit, statim amittamus. Cujus rei monumentum spinas tribulosq; tellus ipsa nobis passim ostentat.

*Rosa cur rubet & pungit.*

---

## DE VEPRIBUS.

### SCELERA. CAP. III.

ATque adeo Vepris omne genus hieroglyphicè ad delicta nostra referuntur, eaque de causa CHRISTI caput spinis coronatum, ut indicium hoc esset nostrorum scelerum, quæ supra caput suum expianda suscepit, Spinas terra germinat Adamo: quia propter ejus prævaricationem peccata pullularunt. Apud Salomonem *Spinæ nascuntur in manu temulenti*, actiones ejus sceleribus & perperam quibusq; factis plenas esse commonstrantem. Esaiæ cantico legitur cap. 5. *Expectatum,*
C *uti vinea uvas daret, eamq; spinas protulisse*: ait Eucherius loco hoc, hieroglyphicum sunt iniquitatis, ut uva justitiæ. Sane ager, ut Hesychius, in Divinis literis pro divina accipitur institutione, quam Prophetæ, JESUS & Apostoli tradidere, cujus vitis Christus agricola Pater, in quo absconditur thesaurus, id est, salutaris prædicatio. Semen, verba doctrinæ. Poma, bonorum operum proventus. Spinæ, scelera, pravæq; consuetudines atq; pestilentes.

*Genes. 3. Prov. 26. Spina quid in Divinis.*

### ODIUM. CAP. IV.

NAm & Sia apud Hebræos, apud nos rubus est, cujus id est hieroglyphicum, ut odium significet, ut octavis apud Hieronymum Hebræorum castris habetur.

### ASPERITAS. CAP. V.

USque adeo vero rubus in asperitatis significationem abiit, ut homines ingenio moroso & difficillimo præditos, qui præ suo vivendi instituto omnes aliorum mores impendio fastidirent,
D per Rubum siccam indicarent: eam enim ita affectam frangas potius, quam minimum flectas. Denique rhamnus, urtica, carduus, sentes, paliurus, & herbæ reliquæ aculeis armatæ, in sacris literis significant homines immites, dolosos, insolentes, & omnino improbos, quos nemo ex probis & mansuetis attrectare potest, contingere vel castigare, sine doloris compunctione, dicerit Eucherius.

*Rubi hieroglyphica.*

### PERTURBATIONES ANXIETATESQUE. CAP. VI.

SUnt præterea omnia hæc perturbationum, quæ menti nostræ accidunt, hieroglyphica. Rubus, ut sentit Hesychius Hierosolymitanus presbyter, afflictatio ea est, quam nostri Tentationē vocant, asperū quippe virgultum, & quod difficulter manibus attrectare possis. Hinc vero curæ, oppressio-

*Est enim Αγιαμπτοτατος βατος ἄνος, rigi-*

*dissimus rubus aridus, Vita spinosa. Vt Matt. 13. Marc. 4. Luc. 8. Ceciderunt in spinas Per spinas divitiæ.*

nes, adversi casus omnes intelliguntur, quibus corda nostra vellicantur, lacerantur & æruminosa fiunt: de quibus Paulus 2. ad Timoth. *Omnes qui volunt pie vivere, Christo Jesu debiti, persecutionem patiuntur.* Ita apud Græcos dicterium, βίος ἀκηδής, pro vita incommoda atq; perdifficili.

## DIVITIARUM CURÆ. CAP. VII.

HIEROGLYPHICE passim loquitur Evangelium, ut ad hanc sententiam semen ait inter spinas concidisse, unde anxiæ divitiarum curæ significantur. Sed durum fortasse videatur, divitias per Spinarum vocabulum intelligi, nisi Dominus noster JESUS CHRISTUS, qui eo usus est hieroglyphico, dictum ipse suum explicuisset. Quis enim mihi crederet, ait summus Pontifex Gregorius, si spinas divitias interpretari voluissem, maxime cum illæ pungant, istæ delectent, & tamen spinæ sunt; quia cogitationum suarum punctione mentes lacerant: & cum usq; ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruciant: & quæ plurima in hanc sententiam disputat. Expectet vero aliquis, ut huc citem locum ex 32. Psalmo: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Sed loco satis fuerit Lectorem admonuisse, in Hebræo codice nullam esse hic de spina mentionem, sed de aristarum spiculis, quæ per æstatem torrefactæ facile confringuntur. Hebraicæ prorsus litetæ sensus est, ut paulo altius repetam, *conversum esse Humorem*, quod alii pinguedinem reddidêre, *in eam jam ariditatem quæ spicis accidit eo præsertim tempore, quo aristæ triturantur.* Nam tritura cum magno plurimum calore venit, ut Maro diceret. Dicendum igitur, *Humor omnis meus ita exaruit, ut aristæ* (nam hæ ab ariditate nomen habent) *eo æstatis tempore quo tritura fervescit.* Et hoc sibi vult illud, *Dum configitur spina.* Nisi forte spina in linguis aliquot aliis spicæ etiam significatum habet.

*Georg. li. 2.*

## GRATIA. CAP. VIII.

*Rosa sine spinis hieroglyphica.*

UT vero diu per senticeta tot peregrinati, postliminio tandem ad rosam redeamus, ea sine spinis considerata, tum venustatis, tum amoris, in primis autem gratiæ ejus signum est, qua quis præditus omnium in se amorem contrahat, omnium sibi animos conciliet. Inde factum est, ut purpureum rosæ colorem Veneris sanguinem esse Poëtæ dixerint, qui quidem ex icto ejus pede defluxerit, & rosam, quæ prius ubique alba erat, aspergine sua continxerit:

*Illa quidem studiosa suum defendere Adonin,*
*Gradivus stricto quem petet ense ferox,*
*Affixit duris vestigia cæca rosetis,*
*Albaq; divino picta cruore rosa est.*

Et Europa, Theocritus: *Dum regiæ puellæ alios alia flores legunt, ipsa Regis filia purpureum manu rosam legerat, qualis Venus inter Gratias excellens.* Inde rosas loqui, proverbium, de re gratissima jucundissimaque. Et Persianum illud, dum nutricula gratiam omnium alumnulo comprecatur, Deos votis onerando ait: *Quicquid calcaverit hic rosa fiat.* Sed quod alii fabulose dicunt, Philosophi illi veteres, qui rerum omnium originem altius perscrutati sunt, odorem coloremque illum à Venetis ipsius stella proficisci autumant. Hinc Maro Venerem roseo semper ore loqui dicit. Quod denique ad afflatum pertinet, nemo luculentius expressit, quam idem explicuerit; ejus enim id de Rosa opusculum, de cujus authore dubitatum diximus, Charisius agnoscit. Ait vero Poëta:

*Ænei. li. 4.*

*Vidi Pestano gaudere rosaria cultu,*
*Exoriente novo rosida Lucifero.*
*Rara pruinosu canebat gemma frutetis*
*Ad primos radios interitura die.*
*Ambigeres, raperétne rosis tunc aura ruborem,*
*An daret, & flores tingeret orta dies.*

*Ros unus, color unus, & unum mane, duorum*
*Sideris & floris est domina una Venus.*
*Forsan & unus odor: sed celsior ille per auras*
*Difflatur, spirat proximus iste magis.*
*Communis Paphiæ Dea sideris & Dea floris,*
*Præcipit unius muricis esse habitum.*

*Magis Indicis Rosa in quanto pretio fuerit.*

Quo vero Gratiæ significatum inesse rosis apertius intelligamus, Indorũ etiam monumenta conquiremus: siquidem eorum Magi rosam tanti fecerunt, ut ad conciliandos magnorum principum animos, non alia re quapiam libentius quam rosis uterentur. Libet vero ex eorum dictatis unũ hoc, quod ad argumentum facit, recitare. Ajunt illi, si Princeps quispiam sacer profanusve sit adeundus, quem

A quem tibi conciliatum velis, ut & te amet, & votis tuis faveat atque benigne respondeat, observandum esse cœli situm, cum Sol vel in Ariete vel in Leone gradu eo ascendente fertur, quem Luna læto feliciq; aliquo aspectu intueatur. Hic tu phialam rosacco nitidissimo plenam in manū dexteram sumens, facie adversus Solem conversa, sumis pedibus insistens, & phialam prætendens in hæc verba duodecies repetitione facta, voce clara orationem habeas. Saluere te jubeat Deus, ô Planeta tuo potens lumine, ac omnigenæ fœlicitatis fœcundissime, qui tam formosus, tamq; omnibus exoptatus, tam beneficus oriris radiorum diffusione micantissimus. Tu Sol ille es, qui luce, spiritu & vigore tuo mundum universum regis: tu cœli lampas, tu rerum omnium lumen, tu eorum quæ ubiq; gignuntur author: tu per vim, quam tibi Deus Opt. Max. infundit, tibi omnia devincis: tu quatuor mundi cardines continuo infatigabilique cursu pervestigas: tu lumen & pulchritudinem ex ipsa divinitatis facie mutuaris: tu viam luminosam, & perpetuæ usum lucis nullo interposito velamento Lunæ liberaliter elargiris: tu reliquos stellarum globos luminis tui lampadibus accendis. Quæ si ita habent, exoratum te velim, ut amicitiam, benevolentiam, amplexum, & affectum erga me omnium B benevolentiæ in hoc oleo mihi concedas, ita ut me omnes appetant, & amicitiam meam ultro concupiscant, ac perinde maximos minoresq; Pontifices, Reges, Principes, reliquosq; potentiores, Senatum, populum infimumq; gregem, mihi amore atq; charitate conciliem. Hic quo illi appellarentur nomine profitebantur, rogabantque insuper & adjurabant, obsecrationibusque adigebant per ejus potestatem, ut amicitia hæc & amor & pietas ita in horum cordibus & linguis & operibus insideret, ut magno se affici gaudio experirentur, quotiescumq; hominem ejusmodi intueri atq; alloqui facultas esset. Proinde Sol virtute & potestate sua, ut mores etiam congruerent, hominisq; præsentiam illi omnes admirarentur, honorarent, & esse quantumvis pretii existimarent, efficeret. Ad hæc quædam geniorum nomina intermiscebant, quorum interventu eadem fieri supplicabant, præcipueq; nomen illud quod amores & amicitias vivificat, & amantum corda in unum conflat, insolubilique copula conjungit. Ea vero tum quia videbantur absurda (sunt enim, ut Lucianus ait, βαρβαρικὰ πάνυ καὶ ἄπιστα ὀνείματα καὶ πολυσύλλαβα) tum quia ex Christianæ pietatis instituto profana jam habentur, de industria prætermisi. Id rite cum exegissent, oleum summa veneratione susceptum ob- C servabant, quo faciem obungerent, quotiescumque Principem aliquem adituri essent. Quo minime ridiculum videatur, Ulysi in Phœniciam appulso, fracta quippe navi, mari ejecto, & omnium egeno, Deam Pallada oleum attulisse, quo ille perunctus, omni abjecto squallore, quem ex maris salsugine inediaque per quatriduum tollerata contraxerat, χάριεσσι καὶ κάλλει φίλλων, dignior & venerabilior effectus est. Rosaceum vero Homero fuisse cognitum ex eo conjicimus argumento, quod ἰῶδες ἔλαιον Venus Hectoris cadaver obunxerat, quod à canum injuria, quibus id Achilles objecerat, inoffensum præstitit. Tantam inesse Rosæ vim, Homerus persuasum habuit. An nos autem oleum aliud à Venere quam ex rosa sua comparatum existimemus? aut alia quapiam ope usam crediderimus, quam ea ipsa vi, quam rosis ipsamet infundit, cum in Carthaginis templo

*Restitit Æneas, claraq; in luce refulsit,*
*Os humerosq; Deo similis: namq; ipsa decoram*
*Cæsariem nato genitrix, lumenq; juventæ*
*Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.*

D Sed quoniam rosa super satis superq; jam provecti sumus, præteribo Ælii Veri Imperatoris lectulum, minutulumq; reticulum foliis rosæ repletum, quem sibi substerni jubebat, in quo Persicis odoribus perunctus recubare consueverat, majore inde sibi gratiam adepturus. Dissimulaboq; fabulas Apulejanas, in quibus Lucius ipse prius in Asinum ex homine conversus, rosis toto terrarum orbe perquisitis, tam multa pertulit incommoda, donec demum oblata earū copia, quas decerperet, humanæ formæ restitutus, pristino decori & venustati est redditus. Quod autem pertinet ad odorem, rosa sordidissimum animal Scarabeum, cui res plurimum est cum stercore, ut alibi diximus, odore enecat suo. Ῥόδον autem eam ideirco appellatam Plutarchus ait, ὅτι ῥεύμῳ πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, quod ingenti odoris redundantia diffluat. Divinæ lit. ræ, ut Cyprianus ait, gloriosam famam appellare solent

*Oratio Magorum ad Solem, plane magica & impia.*

*Oleo rosaceo, ᾧ ἰῶδες ἔλαιον, & odorifero oleū, Odyss. lib. 2. verb. 339.*

*Æneid. l. 1.*

lent odoramenta. Unde Paulus, *Christi bonus odor sumus.* Et quod unguentum in Aaronis Pontificis A barbam diffluebat, bonæ index est famæ, quam sibi sacerdos quilibet comparare debet. Et pro martyribus hieroglyphicè poni rosas à rubore sanguinis, ait Eucherius.

## DE LILIO. CAP. IX.

*Florum prærogativa.*

UT vero coronam ipsam nostram elegantius contexamus: purpureis aderunt lilia mista rosis. Sciendum autem in primis, unumquemq; florem hieroglyphicum esse spei. Nam si spes, ut Speusippus Platonicus finit, est expectatio boni; velut è converso, metus, animi concussio in expectatione mali: sique floribus inspectis, usum inde fructuum sperare solemus, nulli dubium erit quin flos sit futuri boni prænuncius, & frugem paulo post succrescentem polliceatur. Nam & Theophrastius ait per florem, ubi prævius apparuerit, in frugis inde nos spem surrigi. Sed quamvis sit hæc florum omnium prærogativa, ut nos bene sperare jubeant, unus tamen præcipuus, quippe lilium, uno omnium consensu hieroglyphici hujus primas obtinet. Hic in antiquorum monumentis cum B inscriptione SPEI, lilii potius figuram, quam alterius cujusquam floris speciem ostentat. Nam in

*Numi Imp. Alex. Pii, Imp. Æmiliani, Impe. Claud. August. Hadriani August.*

numo Imper. Alexandri Pii Aug. ab altera facie Dea lilium dextera prætendit, cujus inscriptio est, SPES PUBLICA. Eadem inscriptio cum lilio manu Deæ prætento in Imper. Æmiliani numis habetur. Nusquam vero frequentius neq; manifestius hæc lilii facies pro spe ponitur, quam in Imper. Claudii. P. T. Aug. numis, quorum vis magna proximis annis in Bellunensi agro effossa est, in quibus Dea ipsa pallam læva sustinet, dextera lilium prætendit, cum inscriptione, SPES PUBLICA. Et in Tib. Claudii numis eodem gestu Dea, palla quippe sublata, lilioq; dextera porrecto, cum literis, SPES AUGUSTA. Eodem statu habituq; in Hadriani numo dea lilium prætendit cum inscriptione, SPES P.R. Ac ne tædio sit horum multiplicitas & numerus, hieroglyphici hujus non ignarus Ma-

*Æneid. l. 6.*

ro noster, cum spem de Marcello conceptam significare vellet, tacita quadam ad clarissimum illum allusione, eruditius sane quam fronte prima polliceatur, hæc scripsit:

*Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos*
*In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam* C
*Ullo se tantum tellus jactabit alumno:*

*Ibidem.*

& quæ sequuntur usque ad versum illum:

*--- Si qua fata aspera rumpas.*
*Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.*

Lilia poscit Anchises, quibus donis nepotis animam cumuler, ut inde præreptam iri spem publicam populi Romani prout ex superioribus numis ostensum, indicaret. Hinc Flaccus cum spes nostras sæpe fallere animadvertisset, indolisq; bona de manibus sæpe rapi conspexisset, postquam vivax apium dixit, breve mox lilium subjecit.

## CHRISTUS, ANGELI. CAP. X.

*Cantic. c. 2.*

IN Divinis literis lilium, præcipuè album, nunc Christi, nunc Angelorum hieroglyphicum est, à candore quippe justitiæ, ad quod spectasse volunt Salomonem, cum dixit: *Flos campi, & lilium* D *convallium.* Hilarius in Matth. 20, præcipuum Angelorum hieroglyphicum ponit lilia, de quibus dictum Evangelio, *Non laborant, neque nent,* quibus scilicet extra humanæ scientiæ eruditionem, fuisq;

*Hinc lex Salica hieroglyphicè.*

operis mercedem, à Deo gloriæ candor indultus atq; indutus est, ne quid ex principio labore & arte existimarentur habuisse. Ea autem est istius germinis natura, ut cœlestibus Angelorum substantiis

*Lilii natura.*

aptissimè comparetur: hoc enim efflorescens, cum à stirpe detentæ humi radicis avellitur, naturæ suæ virtutem, licet arusse videatur, occultat, & redeunte tempore rursum lilii sui honore vestitur. Ex se igitur reflorescit, sibique redditur: quod sit, quod vigeat, nec radici nec terræ debet, cum ille qui se suggerit succus ex se dimanet & suffundatur, atque ita annuæ hujus viriditatis exemplo, virtutem cœlestis substantiæ æmulatur, cum tamen ex eo tantum quod intra se divinitus acceptum habet

A habet, alatur in florem. Ideo ergo lilia non laborant neq; nent, quia virtutes Angelorum ex ea, quam adeptæ sunt originis suæ sorte, ut sint semper, accipiunt. Generatim vero florem Eucherius hieroglyphicum esse dicit eorum operum, quæ bene riteq; fuerint inchoata: & Canticorum cantico ea de causa Sponsum dicere, *Fulcite me floribus.* *Cant. ca. 2.*

## PULCHRITUDO. CAP. XI.

EST & pulchritudinis signum lilium sive formam, sive colores ejus contemplêre, Susasq; mollem delicatamq; Persarum urbem, ubi Regum erant hyberna, ob mitissimam cœli plagam & amœnitates alias, inde cognominatam tradunt, quod Susa Persarum lingua lilium sit. Volentes itaque loci pulchritudinem signare, nomen à lilio fecerunt, quamvis Stephanus à multitudine potius liliorum, quæ passim illic & feracissimè proveniunt, cognomentum urbi inditum inscripsit. Utcunq; vero, velut à liliis Susæ, non immerito inter Italicas urbes à flore Florentia nuncupata, ut-

B pote quæ, Domine mi præstantissime, patria hæc tua, quam tam libenter incolimus, tam forma quam situ, & incomparabili rerum omnium amœnitate, totius sit Italiæ flos; ut invide mihi facere videantur, qui Fluentiam antiquum urbis nomen sibi somniant.

*Florentia à flore dicta.*

*Vo Politianus, epist. li. 2. epistol. 2.*

## PUDICITIA. CAP. XII.

PUdicitiæ, virginitatisq; florem esse lilium, Hieronymus adversus Jovinianum interpretatur, dum Canticorum cantico Sponsa illa cœlestis *fratrueleni suum inter lilia pasci* canit, hoc est, inter candidissimos virginum choros. Illa enim tota speciosa, nulla notabatur macula, neque etiam ruga, ut Apostolus addidit. Et quod à Libano accersitur λευκασμὸς, id est, candor interpretatur. Sane Nymphis qui sacra faciebant, etiam Gentium Sacerdotes, lilia præsertim candida offerre soliti erant, ita apud Propertium Tarpeia:

*Cant. ca. 6. & Cant. c. 4. Gamelii pascuntur in liliis.*

*Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,*
*Romula ne faciam lædere hasta Tati.*

C Sciendum tamen in universum flores λείρια dici ab Apollonio, ut Argonauticon primo:

Ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιῤῥέζουσιν μέλισσαι.
*Pulchra fremunt ut Apes pascentes lilia circum.*

Quamvis proprie flos est qui lilium appellatur, quem Theophrastus libro de plantis, narcissum esse dicit, alii autem lilium. Et licet & pulchra & delicata lilia sint, ea tamen invita Veneri ait Nicander in Alexipharmacis, quod olim de candore cum Dea certare voluerint, eamq; indignatam lilia inanimi pudendi formam transmutasse, adeo nihil tam ridiculum, tam ineptum, quod sibi Græci non permittant.

*Lilia invisa Veneri.*

## JUNO. CAP. XIII.

VErum odium hoc in lilium, inde potius processisse videri potest, quod flos Junonius lilium esse dicitur, ut ex Deæ lacte progenitum, cum subjecto clam Herculi ubera admovisset, doloque statim cognito se retraxisset: guttas vero lactis ajunt aliquot in terram decidisse, ex quibus mox lilia pullularint. Meritoq; flos Regius etiam appellatur, non à Junone Regina tantum de-

D nominatione sumpta, sed à Regia qua præstant celsitudine, quod tanta proceritate super flores alios attollitur, ut ad tria interdum cubita surrigatur.

*Regina florum hodie & flos regum, nimirum Francorum.*

## DE CARDUI SCOLYMO. CAP. XIV.

ET quoniam hodierna dictio per flores volutatur, bonaq; eorum pars, boni parum admodum pollicetur, ut conditionem quisq; perpendat suam, de cardui Scolymo, deque Fremio quædam minime dissimulanda.

## IMBECILLITAS HUMANA. CAP. XV.

IMbecillitatem humanæ vitæ Sacerdotes Ægyptii nullo significantiorẽ ostendebant hieroglyphico quam cardui flore figurato, quem Græci Σκόλυμον vocant. Unicaulis enim carduus simulac scolymo in calicem apparuerit, florem purpureum mittit inter medios aculeos celeriter concrescentem, & abeuntem cum aura: perinde ac spes nostræ plurimum evanescunt, & minima quaque de causa homines plerumq; exanimantur.

## MORBI. CAP. XVI.

SI vero morbos, quibus plurimum tentatur affligiturq; humanum genus, significare voluissent, Fremi fecissent flores: vel quia rerum natura flores odoresq; de die in diem gignit, magna bo-
Esaiæ 40. minum admonitione, quæ spectatissimè florent, evestigio marcescere, & ut apud Eliam est: *Omnis*
*Verè fœnum est populus.* *caro fœnum, & omnis gloria ejus flos agri*: sive ut Cyprian. reddit, *omnis ejus claritas, ut flos fœni*: simulac enim fœnum aruit, decidit & flos: id quod fatidicus etiam Rex lamentatur, cum ossa sicut fœnum aruisse clamat. Vel quia tradunt Magi, colligi anemonas (sic enim Græci vocant) tertianis & quaternis remedio, postea alligari florem panno roseo, & in umbra asservari, ita cum opus sit adalligari. Florem hæc habet aut phœniceum, aut purpureum, aut lacteum, qui se nunquam aperit, nisi vento spirante, unde & nomen accepit, ἀπὸ τῦ ἀνέμου scilicet. Quamvis non sum nescius, eruditos esse authores, qui hoc nomine flores omnes intelligant in hujusmodi significatum, quod floribus omnibus contingat, spirante vento aperiri. Ad eorum vero quæ pulchra, grata, & amabilia potamus, imbecillitatem in dicandam, Catullus affectus aliquot accidere ait, velut prati ultimi flos prætereunte postquam tactus aratro. Quam sententiam dixisse semel non sat habuit, quare alibi eamdem repetit:

*Ut flos in septis secretus nascitur hortis*
*Ignotus pecori, nulli contusus aratro,*
*Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,*
*Multi illum pueri, multa optavere puellæ.*
*Idem cum tenui carptus defloruit ungui,*
*Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ.*

Quem Maro imitatus ait:

*Purpureus veluti cum flos succisus aratro* *Languescit moriens.*

Æneid. li 9. Herba hieroglyphicũ. Neque forte importune dixerim, loco hoc herbam in Divinis literis, ut apud Euchetium, hieroglyphicum esse jucunditatis, nonnunquam indicare quædam animæ proficientis rudimenta, quæ mox florem, hoc est, spem, inde semen, hoc est, fructum datura sit. Ad superiorem vero sententiam Hilarius in Matthæum, sub hieroglyphico fœni nomine gentes à Deo sæpe nuncupatas ait: *Germen*, inquit hic, *illud est quod virtutis suæ flore dilapso, ad calorem Solis arescit. Igitur requies nulla gentibus: neque mortis, ut volunt compendio quies dabitur, sed ipsis corporibus etiam æternitas destinabitur, ut ignis æterni in ipsis sit æterna materies, & in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna.* Et hoc illud est quod Paulus ait: *Omnes quidem resurgimus, sed non omnes immutabimur.*

## DE AMARANTHO. CAP. XVII.

DE humanæ vitæ imbecillitate, bonisq; caducis & ante diem ereptis, hæc per florum imagines Ægyptii afferre consueverunt.

## INOFFENSA VALETUDO. CAP. XVIII.

COntra vero si quem inoffensa valetudine vixisse corporis ad extremum usque dignitate vitibusq; servatis, hieroglyphicè ostendere voluissent, amaranthi corollam capiti ejus imponere

mos

A mos erat. Est autem amaranthus spica purpurea verius quam flos aliquis, asservaturque decerpta, ac postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit, & hybernas coronas facit: summaque ejus hæc natura nomen invenit ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι id est, propterea quod minime marcescat, Amaranthus sit appellatus. Hinc Thessali ad tumulum Achillis libamina & expiationes quotannis oraculi Dodonæi admonitione ferre jussi, cum omnia quæ sacrificio rite operando necessaria essent, ex solo patrio asportare consuessent, duos quippe Tauros, album unum, nigrum alterum, utrumq; vero mansuetum: sylvam ex monte Pelio cæsam, ignem ex Thessalia, molamque & aquam ex Sperchio haustam. Coronas insuper amaranthinas primi omnium excogitaverunt, easq; ad sacrum ejusmodi ferri sanxerunt, ut si forte venti navem repulissent, aut alia quapiam de causa mora injecta esset, coronæ tamen neq; flaccidæ, neq; deformes suspenderentur.

*Hæc à Plinio l. 21. c. 8*
*Idem Matthæus in Dioscor. l. 4. cap. 52.*

## DE FERULA.

B

### CASTIGATIO INGENUA. Cap. XIX.

QUam Baccho sacram, & inde ῥαβδηφόρους ministros ejus multi tradidere. Sed quod ea de causa Baccho dedicetur, quia Asini ea vescantur avidius, quam animalibus reliquis, ut tradit Plinius, præsentaneum sit venenum, leve commentum forsan videatur, quamvis non ignoremus animal id gratissimam fuisse Libero patri victimam. Id vero magis arridet quod à Plutarcho accepimus libro de instituendis mulieribus: hic enim & ferulam & oblivionem Baccho dedicatas ait: Ferulam quidem, propterea quod virga ea admonitionem significat, qua pueros castigare soliti sunt veteres, ut se quoq; subduxisse manum ferulæ profitetur Juvenalis: itaq; innuere voluerint, quæ per ebrietatem admissa tantum sunt, puerili indigeant castigatione. Oblivionem addidere, puto, per lyncis ejusdem Bacchi simulacrum, quæ pascendo si casu aliquo avertat oculos, propositi cibi obliviscatur, ut ajunt, & alium quærat. Ajebant vero eorum recordari non oportere, quæ inter vina dicta factave essent: notum enim illud est, μετὰ μαίνεσθαι σωφρονεῖν. Quod si quid est cujus meminisse debeat ebrius, ea dubio procul omnia, ut Pythagoræ sententia est, non tantum reminiscí, sed idemtidem etiam animo repetere debet, quæ in ebrietate ridicula aut perniciosa dixerit fecerive: id enim unum esse evitandæ ebrietatis remedium. Nam & Anacharsis ita nos docuit ebrietatem cavere, si quæ ebrii faciant, inspexerimus. Quod vero Plutarchus admonendis mulieribus ferulam adhibet, aurem nobis vellere videtur, ne distichi illius immemores simus, quod toto terrarum orbe cantatissimum est:

*Plin. li. 22. cap. 1.*

C *Ebrietatis evitandæ remedium.*
*Odi memorem compotorem.*
*D. Laertius in ejus vita.*

*Nux, asinus, mulier, similes sunt lege legati:*
*Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.* Sed joco jam satis.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHIGORUM LIB. LVI.

## DE IIS QUÆ PER SPICAM, ET CEREALIA QUÆDAM ARMA significantur.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

### AD JOANNEM ANTONIUM POLLIONEM, GELOUM PRIMATEM.

*Qui vero libentius Spicas & Cerealia quædam arma donarim, quam tibi tam præstanti viro, tam frugi, tam probo, tam benigno, tam liberali? qui præsertim spicam habes in gemma domesticæ nobilitatis insigne: addam etiam, qui Siculus es, magnoque ingenii acumine præditus, verum quo non nisi modeste utaris, atque sapienter. Ero enim ego semper hujus rei testis, qui prudentiam moderationemq; tuam tamdiu expertus sum, cum in eodem convivebamus contubernio, ad idem munus tecum à Clemente P. M. delegati, qui nepotes suos adolescentulos nobis commendarat, quos tanta rerum perturbatione vexatos, infelicissimo illo tempore huc & illuc peregrè circumduximus, cum hostica essent omnia, adversa omnia, omnia suspecta. Tot illæ erant insidiæ, quæ illi etiam ætatulæ parabantur. Nos tamen per tot rerum omnium difficultates evicimus, ut sospites eos Clementi tandem restituto redderemus, atque ita moribus excultos, quantum in utroque nostrûm fuit, ut nihil jam ad nobilissimæ indolis institutionem desiderari posset. Neque vero Legationes tuas illas memorabo, Germanicas, Noricas, Pannonicas, Bohemicas, Gallicas, Britannicas, & alia tibi sæpe munera demandata, quibus gerendis talem te præstitisti, ut ob sapientiam & probitatem omnibus esses admirationi. Quod si consiliis tuis faciliores accessissent aures, in tot, quæ mox perpessi sumus calamitates minimè incidissemus: tot erant ea, quæ desperata ab aliis, tua tu dexteritate restitueras, nisi obstitissent fata, quæ prudentiæ tuæ sese opposuerunt adversaria, vel, cum te vera loqui, optima sentire, salutaria consulere homines cognoscerent, quod plerumque accidere solet, optima videntes, ad deteriora tamen spontè non declinassent. Sed hæc missa faciamus. Id unum profiteri numquam desistam, quam jucundum, quam suave mihi tum fuerit totum id vitæ tempus, quod in ea non nostra tantum, sed Italiæ totius communi calamitate unæ conviximus: quantumque me tibi debere intelligam, qui non minorem mei consolandi, cum desperarem omnia, rationem habueris, quam eorumdem, qui nobis commendati erant principum. Quæ vero utrique nostrûm res præter omnium acciderint expectationem, quamque varia fuerit rerum fortuna, longè magis quam vellemus insident memoriæ, neque quidem si oblivisci velimus, ullo modo possumus. At dices, Quorsum hæc rerum publicarum commemoratio, si de Spica & Cerealibus futurus est sermo? nempe quod eo me trahit earum rerum recordatio, quæ toties deambulando, sedendo, obequitando, super iis quæ ad nos & Principes nostros attinebant, fuere sæpius à nobis non modo prævisæ, verum etiam deploratæ. Idcirco neque ad Pollionem scribere, neque cum eo loqui, neque quicquam meditari, quod mihi non suggerat eorum sermonum memoriam, qui tam frequentes, tam necessarii quotidie intercidebant. At effluxere omnia hæc effluxerint. Ut te igitur audiam, nobis quid nunc agendum, posteaquam studium, fides, industria, conatusque noster omnis iis nihil profuit, quibus omnia prospera, felicia, faustaque cupiebamus, sed eversa omnia sunt, fatone dicam, an eorum culpa, qui recta consulentes aspernabantur? Velimusne nos aliorum causa in perpetuo esse mœrore, an nostri studii, nostri officii memores ea meditari, quæ aliquam ærumnarum oblivionem afferre possint: Ego nempe post rem certa jam desperatione conclamatam, ad studia me mea retuli, commentationibusq;*

illis

*illis hieroglyphicis, de quibus sæpe tecum, nunc totus incubui: quas cum per sua quæque segmenta disponerem, visæ mihi sunt polliceri, fore, ut hujus industriæ meæ aliquis fructus iis, qui politiores has literas affectantur, acquiri possit: quare labori nihil quicquam peperci, donec rem omnem digessissem. Ea vero quoniam in partes dividenda fuit, quæ ad te pertinere arbitratus sum, tibi dedicavi. Utinam eo tu atque alii animo hæc suscipiatis, quo à me studio atque benevolentia conscripta sunt.*

## DE SPICA. CAP. I.

ONyx ille tuus, Antoni Pollio, modiolo, qui spicas duas continet, insignis, ab cujus utraq; parte copiæ cornua arte admodum eleganti incisa conspiciuntur, vetustatis omnino venerandæ monumentum, signum olim aut Ædilium fuisse, aut eorum qui rei frumentariæ præerant facile credere possumus. *Insigne Antonii Pollionis.*

## CERES. CAP. II.

B

VIdere enim est Juliæ Piæ numum, ab cujus altera facie sigillum est læva conto innixum, dextera spicam gerens, calatho ante pedes proposito, cujus inscriptio est, quarto casu Cererem. *Iulia Piæ numus.*

## ANNONA. CAP. III.

ESt & T. Cæsaris Vespasiani numus, in quo simulacrum est, quod dextera sigillum exporrigit, in cujus una manu libella est, in altera cornu copiæ, apposita navi, & calatho cum spicis: inscriptio, ANNONA. In ejusdem aliquot aliis eadem omnia sunt præter cornu copiæ: ejus loco caduceum spectes: nam & is, ut alibi diximus, in felicitatis significatum accedit; quod pax ipsa, cujus symbolum est caduceus, rerum omnium copiam & affluentiam inducit. *T. Cæsaris Vespasiani numus.*

## AFRICA. CAP. IV.

C

SPectare vero est, Africæ picturam eo libro, quem de Imperio, magistratibus, & militiæ ordinibus Theodosianis temporibus conscriptum vidimus. Ibi enim, ubi de Proconsule Africæ legitur, urbesque & officia & magistratus tota ea provincia distributa continentur, mulier quædam inspicitur, pileo in primis cooperta caput, cærulea palla hinc inde ab utroque humero rejecta, eaque ad humum usque fusa, interiore vero tunica rubra, imo limbo ad pedis unius altitudinem albo, cujus superiorem inferioremq; marginem aureæ fibræ duæ circumeunt. Brachia nuda utrimq; exporriguntur, binas utraq; manu spicas ostentantia. Sub pedibus naves duæ frumento onustæ, adpictæ sunt literæ superne, PROCOS. AFRICÆ. Apud Horatium sane de tertæ hujus feracitate frumentaria legas: *Africa picturæ.*

*Quicquid de Libycis verritur areis.* *Carm. libr. 1. od. 1. Fruciferam & frumentiferam Libyam.*

desumptum quidem ex Pindaro, qui πυροφόρον λιβύην in Isthmiis dixit.

## BRACCATI MILITES. CAP. V.

D

IN iisdem monumentis observavi gestamen cæruleo colore subobscuro pictum, circulo nigro juxta marginem circumducto, à summa cujus parte stella adpicta est radiis octo prædita: in medio orbiculus est cum umbilico, utroque coloris aurei: ab eo orbiculo usque ad circulum, qui juxta marginem est columella summissa coloris rubri: à lateribus columellæ spicæ duæ utrimque surgunt singulæ, quas aviculæ totidem volatu suspensæ impetunt. Insigne hoc erat eorum militum, qui BRACCATI IUNIORES appellabantur, militabantque sub militum Præsentiali tunc nuncupato, qui titulus eorum erat notæ, qui Viri illustres vocabantur. Sed ut ad annonam revertamur, in Hadriani quoque numis corbis est cum spicis, & in Antonini, spicæ & cornu copiæ cum eadem ANNONÆ inscriptione. *Hadriani & Antonini Imppp. numi.*

## PROVENTUS. CAP. VI.

*L. Livinei Reguli numisma. Ad verbum ab Artem. lib. c. 25. Spicæ in divinis quid & stipulæ. Matt. c. 9.*

QUÆ vero spicæ duæ, dolio vuis pleno in earum medio constituto, spectantur in numo L. Livinei Reguli, proventum bonorum, fructuumq; copiam & feracitatem ejus viri magistratu uberem ostendit: nam ubi consultum est iis, quæ cibo potuq; inserviunt, annona omnis large populo videtur erogata. Usq; adeo vero spicæ proventus indicia sunt, & apud Conjectores reperias eum, qui natas in aure spicas per nocturnam imaginem videre visus fuerat, & delapsa inde grana manibus collegerat, fratris mox demortui hæreditate locupletatum: spicis quippe proventus, aure fraternitatem ostendentibus: germanas enim invicem esse aures manifestum est. In Divinis quoque literis spicæ, hoc est, messis eodem modo proventum hieroglyphice significant, dicente Domino, *Messis quidem plurima, operarii autem pauci admodum.* Humanam enim messem uredini, procellisq; objectam, cupiebat ille in horrea æternitatis suæ transferre. Hesychius Hierosolymitanus pro messe accipit virtutes, quæ ex Divini verbi semine oriuntur. At stipula pro nullius boni operis fructu ponitur: unde Propheta lamentatur: *Hei mihi, ut factus sum sicut qui colligit stipulam in messe.* Idem paleæ, ut illud, *Paleas autem uret igni.*

*Esaiæ 17. Luc. 3.*

ÆSTAS, ET FRUGUM INVENTOR.



## CAP. VII.

*Li. 1. Meta.*

SAne plerumq; invenias æstatem ipsam per spicarum fasciculum significari. Unde apud Nasonem: *Stabat nuda æstas, & spicea serta ferebat.* Nonnumquam vero messem ipsam, alias & frugum inventorem.

## MESSIS. CAP. VIII.

*Iulii mensis symbolum.*

SEd enim Hesiodus in Theogonia, falcem pro messe posuit, ubi dicit, τεύξας μέγα δρέπανον, subjiciunt interpretes. Drepanon messis tempus. Hinc juniores spicas duas, manipulos spicarum interdum duos in transversum adclinatos, pro mense Julio ponere excogitarunt, quod nimirum eo mense messis omnis triticea demetatur.

## TEMPUS. CAP. IX.

*Macrob. li. 1. c. 8. Eclog. 9. Macrob. li. 1. c. 10.*

ET quod pertinet ad falcem, quoniam tempus omnia metit exsecatq; & aufert, ideo falcem Saturno attributam nonnulli volunt. κρόνος enim Saturnus, cui tempora subjiciuntur, quæ voce eadem Græci sola adjecta aspiratione pronunciant, quippe κ in χ versa. In hanc sententiam Maro, *Omnia fert ætas.*

## AGRICULTURA. CAP. X.

ALii falcem agricolationis totius signum arbitrantur, quod insigne Janus Saturno dederit à messe & fertilitate, cui posteritas rationem etiam inserendi, & artem faciendi surculos fert acceptas. unde Saturnum à satu Latini vocitarint.

## FRATRES ARVALES. CAP. XI.

*Spicea corona hieroglyphica.*

ALioqui spinea corona fratres Arvales indicabat, quam primam Acca Laurentia Romulo sacrificanti dedit.

## SACERDOTES ARVORUM. CAP. XII.

*Instituti, ut arua fruges ferrent.*

SI vero spicea corona vitta alba alligata esset, sacerdotes arvorum significabant, quorum illud erat insigne. At Cereris caput spicis redimitum spectavimus, in numis quibusdam, ab altera quorum parte spica magna est nonnunquam sola, nonnunquam cum caduceo & lituo, eo quo retulimus significato.

## PAX. CAP. XIII.

QUin & pacis simulachrum cum spinis figuratur: unde Tibullus,

At

A *At nobis pax alma veni, ſpicamque tenato,*
*Proſtuat & pomis candidus ante ſinus.*

*----Pax enim candida primum*
*Duxit araturos ſub juga banda boves.*

Item.

*Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,*
*Funderet ut nato teſta paterna merum.*

*Pace bidens vomerque vigent: ac triſtia duris*
*Militis in tenebris occupat arma ſitus.*

## DIANÆ TRICLARIÆ SACRUM. CAP. XIV.

ERat & ſpicea corona inſigne atque geſtamen eorum adoleſcentum, qui Dianæ Triclariæ ſunt immolare ſoliti apud Patrenſes, molliendæ numinis indignatione, quam Menalippus atque Camætho templo deæ turpiter violato in cives contraxere.

## DE LOLIO. CAP. XV.

B TRiticeæ coronæ geſtaminive contrarium eſt lolium, quod quantum ſeges ipſa felicitatis aſfert, tantum hoc infelicitatis, & incommodi: ſecum enim invidiam, & quandam animi pravitatem trahit.

## PRAVI MORES. CAP. XVI.

MOrum enim corruptorum id omnino indicium eſt: quare Antiſthenes non temere dicere ſolebat, abſurdum eſſe triticum à lolio non repurgare, qui ſentiret ex hoc invidos à Repub. ſummovendos, ut Plutarchus interpretatur: tam enim inutiles invidi ſunt civitati, quam lolium eſt tritico; qui vero invidus eſt, ſuam ipſe ſibi fovet infelicitatem: quandoquidem Horatius ex Phalaridis ſententia dicto ſumpto,

*Invidia Siculi non invenere tyranni* *Majus tormentum*, ait.

Et quod ad corruptos degeneresq; mores facit, ita Virgilianus paſtor lamentatur,

*Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis,*
*Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.*

*Idem D. Laert. in Antiſthene. Epiſtola 2. Et in Evangelio, Inimicus ſuperſeminavit zizania, id eſt lolium, inter triticum.*

C

## DE MILIO. CAP. XVII.

VIrtus ideo humano generi utilis atq; commoda, qua milium egregie pollet, efficit, ne ab hieroglyphicis expelli debeat. Nam ſi quis hominem, qui declinare ſciat infortunia, hoc ſcripturæ genere oſtentare voluerit, apte Serpentem pinxerint milii ſurculo circumvolutum, anguis ipſius capite deorſum dejecto, cauda ſuperne ſita: quandoquidem ex milio panis præſumptus, incolumem ſoſpitemq; præſtat à veneno, naturæ beneficentia, quæ mortale genus remedio tam parabili, atq; omnibus obvio præmunire voluerit contra peſtem adeo perniciоſam. Idq; tradit Dydimus in iis, quæ de re ruſtica ſcripſit.

*Hominū providi ſymbolum.*

## INNUMERA. CAP. XVIII.

D SUnt etiam qui ſpicam milii hieroglyphice pro millenario numero ponant, ac perinde pro innumeris, quia tale etiam eſt millenarii ſignificatum. Neque deſunt, qui numerum ipſum mille, à milio dictum velint.

*Sed potius milium à mille.*

## DE MODIO. CAP. XIX.

SEd ut ad onycē revertamur, modius in ea inciſus eſt: is quid ſibi velit explicemus. Sed quoniam in numis, in picturis, in ſculpturis, atq; aliis antiquorum monumentis ſpectare eſt alibi modium, alibi late patentem urnulam, nonnumquam & cyathum, ſæpius vero calathum, & quicquid vel humoris, vel ſolidorum eſt corporum capax, in Serapidis capite ſuperpoſitum (illi enim plurimū vaſa

hæc

hæc dedicabantur, quod divitiarum & omnium proventuum numen haberetur) necesse erit hæc & omnia colligere, ac (veluti vetustas fecit) in unum commiscere.

## FRUGUM OPULENTIA. CAP. XX.

*Bonorum largitor. Modii sive Calathi usus: Ab ipso canistro.*

SIve igitur modius, sive calathus sive quid hujusmodi figuretur, frugum id opulentiam indicabit, quas ipse sive Serapis, sive Osiris, sive quocunq; nomine δεσπότην nuncupari placeat, humano generi, satu invento, & aratione commonstrata, comparasse dicitur: de quo multa alibi, & quo pacto Osiris quoq; in hujus inventi participatum admitteretur, disseruimus. Illud vero constat, cujarias opes & donaria in canistris offerre, & antiquorum fuisse morem, & nunc palam omnibus esse: quin etiam ubi liberalius, opiariusq; aliquid erogatum significare volumus: κατὰ κανῶ dicere consuevimus. Hinc apud Maronem ferunt nymphæ calathis pallentes violas, & alia dona. Alibi Cererem canistris expediunt ministri. Osirim quoque, neq; non Ceremem, eodem insignitos gestamine Diodorus attestatur, & antiqua pleraq; signa ostendere. Neq; vero hic repetenda sunt ea, quæ plurima docuimus eo commentario, quo de Capitis, atque adeo Tricipitii significationibus agitur, utrum scilicet Serapis pro Sole, an pro Jove, an pro mundi totius machina, ut Nicocreonti Cyprio Regi ipso est oraculo proditum, accipiendus sit, quoniam eo loco hæc omnia sunt explicata.

*Eclog. 2. Æne. lib. 1.*

## AQUA. CAP. XXI.

*Vnde cur Osiridi dedicata.*

SEd enim urnam potius Osiridi dedicatam videas, idque ea de causa factum, quod cum non vini tantum, verum totius humoris dominum intelligebant, eumq; Oceanum, perinde ac Isidem Thetin. Præferri enim urnam in sacrificiis, qua Deum colerent, mos erat. Hydriam enim quandam ingentem summo cultu, & attonita pene veneratione prosequebantur, quam obtectam, & casta religione susceptam, in sacram ædem solenni pompa gestabant, quo cum perveniissent, terræ procumbentes manibus ad cœlum sublatis iis gratiam agebant, qui primi divinæ benignitatis munera mortalium usui communicassent: utpote qui ex humore oriri omnia persuasum haberent.

*A Thalete, ut D Laer. in ejus vita.*

## CANOPUS. CAP. XXII.

*Canopi figura unde.*

ALii, qui philosophiam eam eludebant, quorum è numero Ruffinus est, Canopum quendam C apud Ægyptios in hydriæ speciem figurati solitum ajebant, quod invento callido, cum in certamen contra Persas deventum esset, victorem ignem evicerit. Persæ enim, ut alibi sæpe ostendimus, ignem numinibus omnibus anteponunt. Is itaq; minutioribus quibusdam foramnib. hydriam, quam contra ignem in periculum adducturus erat, à fundo perterebraverat, ceraq; diligenter obturaverat, qua super ignem solenni certamine posita, vi caloris soluta ignis extinctus exstinxit. Quoniam vero de urnis locupletius alibi dictum, reliqua nunc vasa persequemur.

## NON CESSANDUM IGNAVITER. CAP. XXIII.

*Ænigma Pythagoræ.*

SEd id quoq; nescio quid Ægyptiacum sapit, quod Pythagoras super modio sedere nos vetat; quippe rationis portione eam, qua anima ipsa metitur, explorat, atq; examinat omnia, non esse otiosa desidia remittendam, habendamve negligenter: verum omni exercitatione modoq; & regula dirigendam, assidueq; per cogitationis spatia agitandam. Cæterũ D. Hieronymus hoc subindicare D dicit, non debere nos de victu solicitos esse in diẽ crastinum, prout etiam Dominicis præceptis admonemur: quunquam Cyrillus priorẽ sequitur sententiam. Plutarchus in Sympos. iacis symbolum ita exponit, ut ex præsenti mensa semper aliquid in futurum relinquamus, & crastini diei hodierno meminerimus. Re siquidẽ parata non erit ulterius consultandum, ut nudipes ille Phrator hospitem

*Facetæ historia.*

elusit, eam satur recederet, & ex reliquiis capum integrum coctum in manicam conjeciisset: interrogante hospite, quid eo facturus esset, in crastinum se asportare, dixit: cui cum subjecisset hospes, *atqui lex nobis descripta est, ne de crastino cogitemus*: suscepit ille Phrator, *Pareo igitur legi, qui hac mihi prandio ultimato, nihil quicquã ero super crastino solicitus.* Sed ut in re seria facessãt joci, Plutarchus ad eorũ mores, quibus mensas inanes tollere magna erat religio, symbolũ videtur accomodare. Nam Chæremem

pro

A pro diurno victu capi, quam Latini Sportulam appellarunt, tum ex eo manifestum est, quod apud Herodotum legitur, Regibus Spartæ ad cœnam non euntibus, binas farinæ chœnices mitti solitas, tum quod Alexarchus chœnica vocat ἡμεροτρόφιδα. Significaret igitur symbolum, non debere nos in sportulis vitæ nostræ totius ita spem collocare, ut sede in eis statuta, totum vitæ tempus ignaviter desideamus: sed aliquam ineamus rationem, consiliumque capiamus, ut nobis aliquando vivere possimus, opesque nostræ tandem in nobis ipsis, non in alieno arbitrio sitæ sint. In Divinis literis Modus hieroglyphicum est dogmatis atq; doctrinæ, quam Judæi profitebantur, veritatis lumen sub eo recondentes: quam sententiam explicat Hilarius super Matthæo: ideoque proferendam esse lucernam Jesus admonet Apostolos, & quæ apud eum copiose. *Diarios cibos.*

## DIALECTICA. Cap. XXIV.

ZEno multipliciter solitus Dialecticorum argutias eludere, sed eo præcipuè dicto, quod eam justis quidem mensuris æquiparavit, quibus tamen non frumentum, sed paleas, fimumq; quis dimetiretur. Ita hieroglyphicum Zeno faciebat, Dialecticam ostensurus paleas modio dimensas. *D. Laert in ejus vita.*

## B ANIMUS. Cap. XXV.

VAs obturatum plerumque animi significatum habere perhibetur. Unde Lacenæ mulieres Ollas in Regum suorum justis pulsitabant per urbem discurrentes, ut ita civitatem orbam Rege, animo carere significarent, quemadmodum ollæ illæ inanes erant. In Divinis vero literis, ubi Psalm 72. legitur: *Pene effusi sunt gressus mei*, de rupti aut inversi vasis similitudine sumptum ajunt interpretes: uti enim liquor è vase in terram effusus perditur & evanescit, ita cogitationes suas & animi sententias dicit pene effusas, in vanas scilicet & inanes rerum fabulas evagatas: quod forte de nobis nugas has scribentibus dici possit. In quo tamen illud me consolatur, quod multa omnino in his nugis disciplinę veteris arcanæ, quæ hactenus sepulta jacuere, nēine ante me lapidem hunc movente, industria nunc primum mea cœpere in lucem proferri, & tibi similibus, quod satis est mihi, & aliis, oblectamentum aliquod afferre. In Chaldæorum quoq; scriptis animus appellatione Vasis accipitur: ut illud, *Vas tuum* C *inhabitant bestiæ terræ*: ita videlicet & libido, cupiditatesque aliæ quos affectus communes cum belluis habemus, & quod infelicius est, tantæ interdum apud nos autoritatis, ut ad brutalem sæpe nos vitam impellant. Hoc illud est, quod Plato ait libr. de Repub. alere nos domi diversa brutorum genera, quæ Deus ad hominem, ut in Divinis literis habetur, accersivit adjumento futura, ea tamen omnia interturbant, omnia subruunt, cum fręni impatientia nullo possunt regimine, nulla castigatione coerceri: id quod tunc accidit, cum nostri vigoris, nostræ immemores ingenuitatis, iis sponte nosmet dedimus in servitutem. Concitatus enim animus, nisi parere cogatur, imperium sibi arripit, & dominationem exercet. Vas animæ vocat Paulus carnem nostram, quam etiam honorifice tractandam monet. Nōnunquam tamen eandem exteriorem vocat hominem. Vas vero capacitatis nomine dicta est, qua ipsam capit animam & continet. Homo vero de communione naturæ, ut Tertullianus diceret, quæ eam non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium. Apud Hieronymum septimis supra tricesima Hebræorum castra, invenias nos mortales hieroglyphice pro fictilibus vasis intelligi, in quibus preciosissimum thesaurum reconditum habeamus, quæ cum ita fragilia sint, ut vel minutissi- D me confringi possint, omni studio, cura atq; diligentia cavendum, ut cor nostrum recte muniamus, sepimentisque validioribus circundemus, ut ad ictus quoslibet firmum integrumque servetur. Olla, ait Eucherius, cum sit condimentorum, quæ ad humanum victum pertinent, receptaculum, in Divinis literis pro sobole vel progenie solet accipi: nam veluti ex olla desumitur, quod ad victum facit, cujus beneficio humana vita sustinetur, ita de humano vasculo genitura depromitur, quæ in multas hominum ętates propagatur. Ideo Psalmo 60. legas. *Moab olla spei meæ*: hoc est, Ruth, quæ Moabitis fuit progenies, illa est, quam spe concepi: nam Christi generatio, quantum ad humanitatem, per Ruth ipsam in posteros propagata est. Eodem spectat Apostoli dictum: *In domo magna nō sūt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, alia quidē in honorē, alia porro in contumeliā.* Et inhonoratus est Jechonias, quasi vas cujus nulla esset utilitas: quoniam cum in domo Dei ex numero esset familiarum, se turpitudinibus sceleribusq; summisit, ideoque ea super homine scripta sunt, *Nunquid vas fictile,*

*Vasis hieroglyphica.*

*Pierii deprecatio hieroglyphicorū.*

*Genes. c. 1.*

*Sic σῶμα, Plato σῆμα corpus tanquam sepulchrum.*

*Olla hieroglyphicum in divinis.*

*2. Thim. 2*

*Rom. 9. Sustinuit vasa ira. In lib. Opera & dies.*

ctile, curtumq; vel attritum vir iste Iechonias? At bone Deus, quid aliud clamat Oedipus apud Sophoclem? *Ita me tuopibus bellum educastis vas repletum sordibus?* Alibi adapertis thesauris vasa indignationis à Deo prolata comperias, hoc est, rejectos animos, in quibus & ira, & pravi affectus reliqui concluderentur, de quibus plura apud Theologos. Hesiodi quoq; interpretes dolium vas allegorice pro vitæ animiq; nostri sustentaculo accipitur, eo Agriculturæ loco:

Ἀρχέμεν δ' οὔπω μέλε᾽ ἐμμεναι ὑμετέροιο θυμοῦ,
Μυκτίζοι φειδοῦς.
*Desumpto satiare cado, & cum cœpit adimum*
*Desicere, at medio memor esto parcius uti.*

ubi dictum ajunt de pueritia, virilitate, & senectute, quippe pueros & senes jucundiorem vitam agere debere, genioq; liberius indulgere: viros vero, ætatem firmiorem, parce omnia sibi permittere, modumq; voluptatibus omnibus adhibere, vitamq; undecumq; laboriosam adamare. Utrum vero Hesiodum hoc sensisse dicamus, an quod Alexander Aphrodiseus interpretatur, de viri parte meliori, viderint alii: nam ad Alexandri sententiam accedit etiam proverbium vulgo dictatum, *Seram esse in fundo parsimoniam.* B

## PERSUASIBILITAS. Cap. XXVII.

*Doliola Plutarchi.*

APud Platonem in Gorgia, legas Socratem ex Italia cujusdam viri elegantis commento, eam animæ partem in qua vigescunt cupiditates, propter persuasionem crudelitatemq; lubricam Dolium appellatum, quod Græci nominis vox πίθος, non à πίνω, sed πείθομαι deduci videatur. At quæsierit fortasse aliquis, quid sibi voluerint dolia duo, quæ olim in sacello quodam Romæ ad cloacam maximam, via quæ ad Carinas ducit, habebantur: quo quidem in loco spuere nefas erat: quod porro sacellum Doliola Plutarchus vocatum ait. Nempe nihil aliud, ut nonnulli tradunt, nisi duo fuisse dolio, alterum in quo Numæ sacra quædam olim reposita fuerint, alterum inane, sed in quo Gallorum Senonum irruptione sacra quædam à Vestalibus virginibus abscondita servataque fuerint, cum ipsæ metu perculsæ, deserta Urbe fuga sibi consuluissent. Ibidem ajunt simulacra duo fuisse militari habitu, quæ sedebant, & pelia manibus tenebant, quibus titulis suberat, DI PENATES. Significabat vero sessus, firmatam Imperii sedem: pelia, hostes summotos, procul arma reliqua, Romani populi virtutem, & munimentum, ut apertius alibi singula pertractavimus. C

## LIBIDINES. Cap. XXVII.

*Dolium perforatii. Sic Plaut. in Pseudo- Io dolium pertusum vocat obliviosum.*

SEd ut ad Platonem redeamus, eam animi partem, quæ libidinibus agitaretur, Italus vir ille prosapiente citatus à Socrate perforatum dolium existimabat, cujusmodi essent dementes profani, & judicio damnati viri inexplebili incontinentiâ præditi, qui propter infidam animi compagem, oblivionemq; fluxam eorum, quæ honesta justaq; percepissent, nihil quicquam infusum continere possent. Idcoq; Lucretius hunc secutus ait, lib. 3.

*Deinde animi ingratam naturam pascere semper,*
*Atq; explere bonis rebus, satiareq; nunquam,*
*Cum redeunt fœtuq; ferunt, variosq; lepores,*
*Nec tamen explemur vitai fructibus unquam,*
*Hoc, ut opinor, id est, ævo florente puellas*
*Quod memorant laticem pertusve congerere in vas,* D
*Quod tamen expleri nulla ratione potestur.*

*Danaides.*

## HUMANI AFFECTUS. Cap. XXVIII.

*Philosophorum super modo sententia Epistola 2. Lib. 1.*

PHilosophi, qui sacras literas ad morum tantum rationem trahunt, cum in arcam Noe omnes ferarum species introductas legerent, arbitrati sunt intelligi debere ex hujusmodi historia, in humanum corpus ferinos omnes affectus, cupiditates, & appetentias introductas. Sunt vero ex iis, quæ difficulter exterminari cicurarive, aut mansuescere possint. Quare clamat Horat *Regendum animus, qui nisi paret, imperat:* hunc frænis igitur, hunc catenis compescendum. Rerũ itaq; opifex terram affluentibus aquis expurgaturus, hoc est, ut Philo ait, animum ab iniquitatibus expurgaturus, Noam in arcam,

A arcam, animi quippe vas, septem ex puris jumentis deferre jubet, visum scilicet, auditum, olfactum gustatum, tactum, sermonem ac concupiscentiam quos defæcatos habere decet sapientem, cum mala innumera ab exlegibus & rationis expertibus animæ portionibus erumpant: à quibus maximum assiduumq; bellum insurgit, eo præcipue tempore, quo mortale genus otio desidiaq; torpescit. Quare Persius, udum & molle lutum ne obdurescat, & ad opus fiat inhabile, properandum, & acri fingendum sine fine rota monet.

## INANIS ANIMUS. Cap. XXIX.

IDem animum fideliæ comparat, percussamq; sonare vitium ait, maligneq; respondere, quæ viridi informata limo non satis excocta sit. Et futile illud & apertile vas animum prorsus inanem ostendere profitetur, cum dicit, *Effluis amens, contemnere.* Apud nostros etiam vas corpus est: Paulus enim corpus Tabernaculum vocat: nam dubio procul corpus animæ receptaculum est.

## SERMO. Cap. XXX.

B QUod vero monuit Pythagoras, στίτον εἰς ἀμέθα μὴ ἐμβάλλειν, Plutarchus sermonem urbanum, qui cibus est animi, in improbi hominis animum non immittendum esse interpretatur. Epictetus quoq; cum sermonem Ægyptiorum more pro liquore, aut rore pluvio, vel unda profluente accipiat, in minime syncerum vas, ne acescat computrescatve, infundendum vetat. Ad quod nimirum respexit Horatius, cum dixit: *Cibum in matellam ne immittas.*

*Syncerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.* *Epist. 1. li. 10*

## OBLITERANDA MALI MEMORIA Cap. XXXI.

ILlud etiam ad animi significatum facit, quod ubi ollam à cinere sustuleris, Vestigium turbandum Pythagoras censet: hoc est, simulatq; deferbuerit atq; resederit animi tumor, mali præteriti memoriam obliterandam, & iracundiæ vestigium omne penitus tollendum, ut Plutarchus in Symposiacis interpretatur. Eoq; divinum præceptum facit, *Sol non occidat super iram vestram.*

## FERENDA MAJORUM DIFFICULTAS. Cap. XXXII.

QUam vero ollam nuptæ novæ postridie nuptias à matre sponsi petere jubebantur, quam illa & jurgiis & convitiis asperius intortis abnegaret, institutum ferunt apud Leptitanos Libyæ populos, ut sponsa vel ab ipso primordio socius difficultatem patienter ferre consuesceret, *Ephes. 4.*

C

## SERUITIA. Cap. XXXIII.

A Ministerio autem vasa servitutis indicia sunt: unde apud Plautum legas de insolentissimo adolescente, qui omnes pro solutis scopis habebat: *Nisi mihi matulam dederitis, vos habebo pro matula.* Inter enim vasa vilissimi usus lotiaria sunt. Et tale aliquid apud Lucianum olfacies, περὶ τῶν ἐπιμισθῷ συνόντων, ubi potentiorum fastum tangit εἰς ἀμέθα mingentium. Id utcumque, in Divinis quoque literis vasa pro servitiis ponuntur, propterea, quod non nisi in ministerium aliquod comparantur. Hinc nonnulli quem Psalmi 60. locum ex Eucherio citavimus. *Moab lebes spei meæ*, simplicius intelligentes exponunt, *Moabitæ ad servitium meum sistendi sunt.* Iam illud de Paulo vulgatissimum est, quem pro vase, verum eo pretioso, Dominus noster Jesus Christus se professus est elegisse. Ita plurimum calathus hieroglyphicum est servitutis, sive corbes, sive cophinus appelletur. Unde illud de Josippo ex Psalm. 80. citat Eucherius: *Manus ejus ad cophinum servierunt.* Nam & geruli dicuntur viri gestandis oneribus conductitii & Venetiis passim foro plurimum cetario, olitorio & boario qui operam hanc præstant, Cistę autem nuncupatione accersuntur. Et quoniam cibum alibi referri ad animi pastum ostendimus panemq; esse doctrinæ symbolum, duodecim illæ fragmentorum corbes, quæ de profusa Christi liberalitate superfuere, duodecim Apostolorum doctrinam, ut idem Eucherius sentit, indicasse videntur, quæ ne perirent accuratissime procuratum. *Vasa servitutis indicia.* *Act. c. 9.* *Psal. 80.* *Cestarelli.*

D

## AMICITIÆ CONFIRMATIO. Cap. XXXIV.

POcula vero vicissim porrecta, invitationesque ad compotandum, amicitiæ confirmationem esse, tam nostri temporis mos est, quam antiquorum omnium institutum. Hinc apud Maronem *Poculum porrectum amicitiæ symbolum.*

Idem Athenaus in princip. l. 5. Iuppiter ni mirum Xenius, i hospitalis.

Dido cum Hospitali Iovi libasset, mox Bitiæ dedit, inde alii proceres ad poculum invitati. Sed nihil pigeat temporariæ hilaritatis ergo Virgilianum super hoc carmen repetisse, Æn. lib. 1. A

*Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,*
*Implevitq; mero pateram, quam Belus & omnes*
*A Belo soliti: tum facta silentia tectis,*
*Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)*
*Hunc lætum Tyriisq; diem Trojaque profectis*
*Esse velis, nostrosq; hujus meminisse minores.*
*Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.*
*Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.*
*Dixit, & in mensa laticũ libavit honorem,*
*Primaq; libato summo tenus attigit ore,*
*Tũ Bitiæ dedit increpitãs, ille impiger hausit*
*Spumantẽ pateram, & pleno se protulit auro.*
*Post alii proceres.*

Tantali phiala.

In hujusmodi significatum trahunt Tantali phialam ex qua Brachmanæ Philosophi prius bibere soliti essent, quam somno indulgerent, humore per se numquam deficiente. Philostratus enim amicitiæ confirmandæ causa ejusmodi compotationem apud eos institutam autumat. Moris hujus meminit D. Hieronymus in veteris Instrumenti liminari pagina, sed pro phiala fontem ponit, eodem omnino significato, quo super quidam Grammaticorum proceres diutissime concertarunt. Mihi vero B videtur fontem dixisse Hieronymus, ad vim illam uberem & inexhaustam ostendendam, cum liquor ille, veluti ex perenni fonte, manare quotidie videretur. De mystico autem liquoris ejus significato in Roris pluvii commentario est abunde disputatum.

## CONCORDIA. Cap. XXXV.

Orbiana, Iuliæ Paulæ, & Sabinæ Aug. numi.

ADamicitiæ confirmandæ significatum signa etiam veterum numorum accedunt, in quibus frequentissime pateram exporrigi videas: ut in Orbianæ numis, quorum inscriptio est, Concordia Augustorum. Sed & ipsa Dea sella, patera per dexteram porrecta, læva duo copiæ cornua tenet. Hæc eadem sunt in numo Juliæ Paulæ Augusti. cum inscriptione, Concordia. Sed in Sabinæ Augustæ numis, sigillum id quod sella sedet, læva innititur lanceæ, dextera pateram porrigit; inscriptio, Concordia Aug.

## CLEMENTIA. Cap. XXXVI.

HÆc eadem habentur in numo Antonini Augusti Pii, cujus inscriptio est, Clementia Aug. C

## LIBERALITAS. Cap. XXXVII.

SUnt qui patinam expansam inter hæc Ægyptiorum commenta liberalitatis indicium esse dicant, quod ego nusquam apud veteres, quod meminerim, observavi: feliciter tamen excogitatum non negarim, habereque cum calatho similitudinem: de quo multa superius, ubi de modio disseruimus.

## UBERTAS. Cap. XXXVIII.

ALii pelvim & guttum eodem pene significato, vel etiam ubertatis significatione describunt: quæque defunctorum cippis signa hujusmodi hinc inde passim apposita conspiciuntur: nimirum indicant justa rite atque liberaliter persoluta, neque esse ut manes quidpiam alind à pietate nostra desiderent. Speciem vero hanc antiquam esse ex plerisq; veterum monumentis asserimus, sed ex ea præcipue sculptura, quæ mihi omnium in hoc genere pulcherrima visa est Romæ in Æsculapii pronao, ubi sepulcrum est, à fronte cujus prima patinam & guttum, & corymbos omnibus fructuum D generibus, cum pediculis & foliis suis artificiosissime laboratis suspensos videas, à capite vero speciosissimum candelabrum duabus lauris hinc inde adfixis, cum baccis & foliis suis subtiliadeo arte fectis, ut ad obtutum tremere & crepitum ciere videantur. In Divinis vero literis multa super calice proponuntur, quæ si omnia complecti velim, nullus umquam erit operi finis: quare paucissimis contentus, satis habebo locum aliis intento digito commonstrasse, Argumentum enim hoc totum pertinet ad Theologos.

Sculptura Romæ pulcherrima.

SUPPLI-

## SUPPLICIUM CAPITALE.

### CAP. XXXIX.

A FREQUENTISSIMUM est in Divinis literis poculum aut calicem pro capitali supplicio ponere, quod inter sanctiones suas Athenienses præcipuè susceperunt. Iudicii enim capitalibus vel cicutæ succum, vel venenum aliud sontibus propinabant, ut ex Socrate & aliis manifestum est. Et Psalm. 10. calix pro mortis cruciatu ponitur. Et in Evangelii eodem significato: *Calicem quem ego bibo vosne potestis bibere?* Et: *Pater si fieri potest, summoveatur à me calix iste.* Apertissimè quoq; eo versu Psalm. 74. *Quoniam calix in manu Domini vini meri mixtione plenus:* ubi de pœnarum dispensatione sermo est, ut Græci Theologi disputant: Dominus enim uno calice merum propinat, hoc est, amaritudinem suppliciorum. Amariora enim vino tum Catullo, tum aliis dicuntur, quæ meraciora sunt. Altero mistum, hoc est, aquam misericordiæ ad pœnarum temperamentum, quod subsequentia statim verba declarant: *Et effudit ex hoc in hoc,* quamvis qui literam Hebraicam sequi se profitentur, longe aliter rem exposuerint. Illud enim, *Calicem salutaris accipiam,* Euthymius ita interpretatur, ut dicat,

*Psal. 10. 15. 74. &c. & Apoc. ca. 15.*

*Domino alloquente filios Zebedæi.*

*Luc. ca. 22.*

*Psalm. 115.*

B *Quoniam tot & tam magna sunt beneficia quæ Dominus in me contulit, ut nullo possim modo parem illi gratiam referre, ita me comparabo, ut si usu veniat, animam propter amorem ejus sim audacter effusurus, quippe quovis martyrii cruciatu emoriturus.* Hinc nulla tormentorum atrocitate territus clamat heros Rotatus meus, quem tu libenter adeo legebas:

*Ne me effuse cruor, neu me terrete minaces*
*Mucrones, radiique.* Mox,
*Dum carnis grando, dum sanguinis imber inundat,*

Ita precabatur:

*---Cape prima cruoris*
*Libamenta pater, vivo hoc me flumine ab omni*
*Labe, & ab incestu mortali perlue, ut inde*
*Hostia pura tuas feriar mactandus ad aras.*

C Non igitur temere prius in tyrannum dixerat:

*Ut libet hos artus lacera, suspende, trucida,*
*Et meus est hæc passus amor.* & hujusmodi alia.

Quamquam salutaris calicem & Chrysostomus, & pleriq; alii aliter acceperunt, quod brevitatis causa prætereo.

## SAPIENTIA. CAP. XL.

QUEM vero tripodem aureum Græci Apollini dedicarunt, ejusq; capiti gestandum superimposuere, sapientiæ hieroglyphicum esse nemo dubitarit, qui norit historiam super eo traditam: extractum quippe tripodem aureum è mari, sapientissimo adjudicatum Apollinis ipsius oraculo: cumq; mortales ad Socratem munus id detulissent, quod ei deberi publico omnium judicio decretum esset, remisit is tripodem, & Apollini deberi, non cuipiam alteri, respondit.

*Tripos aureus Apollinis.*

D

## DE CORNU COPIÆ CAP. XLI.

RElique sunt in Onyce tuo Cornua copiæ duo, de quorum significationibus disputare superfluum videtur, propterea quod nihil his vel universo vulgo notius: quia tamen antiquorum numum commemoratio, quæ plurimum ad hoc negotium facit, non injucunda futura est, hanc quoq; partem nihil gravi tractare aggrediemur.

*Propter Acheloi fluminis cornu ab Hercule coercitum.*

## LIBERALISSIMA BENIGNITAS. CAP. XLII.

ILlud sane & antiquum, & maximè celebratum est, in liberalissimæ benignitatis & largitionis effusissimæ signum Cornu copiæ figurari, quod tum in fluviorum, præsertim navigabilium, tum in aliorum numinum manibus, ubi larga significanda sit opulentia, spectatur. Multa vero passim in

numismatis ejusmodi cornua videas, nunc liberalitatis, nunc felicitatis, nunc concordiæ, nunc pacis, nunc annonæ, nunc hilaritatis, nunc hujus vel illius indicia commoditatis & boni, ut quicquid denique lætum aut oportunum humano generi sit, inde nobis afferri videatur. In numo enim Antonini Aug. Germ. simulacrum est læva cornu copiæ tenens, dextera vero ventilabrum cereale, cujus inscriptio est, LIBERALITAS AUG. Eadem insignia cum eadem inscriptione habentur etiam in Hadriani numis aliquot. Quem vero L. Septimius Geta Cæsar cusit, sigillum habet cum caduceo in dextera, in læva vero Cornu copiæ, cum inscriptione, FELICITAS TEMPORUM. Duo vero cornua semicirculum facientia vasculis sursum versus erectis, juxta vero mucronem invicem colligata, habentur in Antonini Pii numis. inscriptio, FELICITAS. In alio ejusdem Antonini simulacrū est læva Cornu copiæ gestans, dextero vero intenta face arma à pedibus strata incendit ac perit cum inscriptione, PAX ÆTERNA AUG. Sed enim & clarissimæ fœminæ non dissimili fere argumento numismata meruere, veluti Iulia Paula, cujus numum in patera citavimus, cum inscriptione, CONCORDIÆ. Et Marcia Otacilla Severa Aug. in numo pateram, & copiæ cornua duo præfert, cum inscriptione, CONCORDIA AUG. Eadem inscriptione in Orbianæ Aug. numo, de quo paulo ante. Sunt vero cornua hæc non adversa, ut quæ in superiore Antonini numo pro felicitate posita sunt, sed invicem cohærentia.

*Antonini Aug. L. Septimii, & Antonini Pii numismata.*

## HILARITAS. CAP. XLIII.

COncordiam non immerito sequitur hilaritas, quare venit in mentem mihi numus Faustinæ, in quo sigillum est quod læva Cornu copiæ, dextera thyrsum à solo ad caput usque frondibus & corollis ornatum tenet: unde sumpta inscriptionis occasio, quæ hujusmodi est, HILARITAS. In alio quodam surculum palmæ videas à solo supra caput assurgentem, quem medium dextera Dea ipsa comprehendit, læva Cornu copiæ gestat: inscriptio est, HILARITAS. Non temere vero ubi pax æterna, ibi concordia: ubi concordia, ibidem hilaritas: ex his autem oritur felicitas, quam in Vespasiani numo caduceo insignem, & Cornu copiæ ornatam videas. cum inscriptione, FELICITAS PUBLICA. Caduceusq; idem, atq; idem cornu copiæ in Trajani numo est, cum inscriptione, FELICITAS AUG. Horatius quoque hilaritatem & felicitatem hujusmodi eo tempore universæ Italiæ scribit obtigisse, quo tempore rebus ab Agrippa contra Cantabros, à Claudio Nerone contra Armenios optime gestis, eo loco erat res Romana, ut ex voto omnia succederent: eoque, ut ille ad Lycium ait:

*Faustina numus.*

*Epistola 12*

*Epist. lib. 2. epist. 22.*

*---Aurea fruges Italiæ pleno diffudit copia cornu.*

## FORTUNA AMATORIA. CAP. XLIV.

ERat olim Ægyræ (ea Achaiæ civitas est) Fortunæ idolum cum cornu copiæ, juxta quam Amor astabat, indicio ut Pausanias arbitratur, ea quoque quæ ad amorem pertinent, fortuna magis quam pulchritudine secundari. Quod vero divitias fortunas appellant, neq; incongrue, neq; novo invento factum. Pausanias enim Bubalum aut omnium primum Fortunæ simulacrum Smyrnæis effinxisse, in cujus capite polum statuerit, in altera ex manibus τὰ τῶν ἀγαθῶν πάντα κερατόμορφα quæ nunc vulgo divitiarum cornua nuncupamus. De polo Pindarus qui τὸν ὄφρυσι φερεσθένει appellavit. Hoc facere videntur κατακυπτήματα illa, de quibus meminit Aristophanes, Pluto: quæ servorum noviciorum cum primum domum ingrederentur, capitibus ante focum profundebantur. dactyli quippe palmarum, numuli, legumina, caricæ, nuces, & hujusmodi bellaria cum servis omnib. impune dispensa, quæ quidem in annuæ ubertatis omen fieri consueverant, vel ut ipsi frugi esse meminissent. Institutum mox idem ex Theopompo didicimus fuisse boni auspicii causa, in sponsi caput.

*Fortunæ simulacrum*

*Fortunam polum ferentem.*

*Bellaria quib. profundabantur sponsi, & sponsa & servi ne-uti primum domum ingressi.*

## POCULA. CAP. XLV.

PRæbuerunt autem olim cornua poculorum usum cum nondum vasa excogitata essent, ut apud Nicandri interpretes legimus: indeq; κερόω, quod miscere est, a cornu deductum. Sive quod potatores taurinum quiddam esse quantur: quippe animos, ferocitatem, & pugnacitatem, neq; dicto neq; facto parcant, sed ut animalia quæ cornibus prædita sunt, ad feriendum sese paratiores ostendat. Vnde

*Cornua pro poculis olim.*

Unde Horatius dixit, ebrietatem ad prælia vel intermem trudere: eaque de causa Bacchum taurinis
A cornibus insignitum ajunt. Atq; hoc illud est quod convivas coronari mos fuit. Nam coronam à cornu fluxisse in Commentario suo, & quæ plurima ad hanc rem faciunt, ostendimus. Apud Xenophontem tamen de Græcorum reditu plerisq; locis invenias, eos non nisi corneis poculis acceptos, quod apud Gentes innumeras cornua vasculorum usum submini strarent: quare Nicandri dictum ad historiam potius, quam ad Philosophiam referendum. *Epistola ad Torquatū.*

## CLEMENS ANIMUS. CAP. XLVI.

VIdere vero est Cornua illa copiæ nuncupata, & vasa reliqua, variorum modo fructuum, modo arborum, modo herbarum plena. Quale igitur significatum habet id quod ex vase pullulat, tale aliquid insidere animo intelligendum: quippe si fructiferę oleæ ramusculos inspicias, clementem animum interpreteris: si Palmam, invictum & victoriæ compotem: si Laurum, ab humilibus negotiis, caducisq; rebus alienum, cœlestiaq; & permansura semper attentantem.

## ARTES DISCIPLINÆQUE INANES. CAP. XLVII.

B PArimodo vasa sterilibus arboribus, & inutilibus fructibus oppleta, hieroglyphicè inanes artes, vanasq; disciplinas ostendunt. Per steriles enim & inutiles fructus in Divinis literis artes illæ intelliguntur, interprete Philone, quæ contra veritatem justitiamq; comparantur. In quibus medicinam in primis enumerat, ubi non ad sanitatem, sed ad lucrum comparata sit. Cui mox oratoriam adjungit, advocatoriam scilicet illam & mercenariam, non ad justitiam, sed ad decipiendos fallacibus suasiunculis auditores intentam. Iis dialecticam illam comitem adhibet, quæ nihil ad mores, hoc est, ad veros animi fructus facit; utpote quæ nugarum tantum argutiis & subtilitatibus gallinaceum hic ex illo suo copiæ cornu propinare se polliceatur, cum tamen sit rerum omnium inanis, ollasque tantum, ut Plutarchus de iisdem ipsis ait, ostentet. Invehitur & Origenes in hos ipsos, ubi eos piscibus squâa pinnisq; carentibus similes esse dicit, hæsitareq; semper in luto, nec ad aquarum superficiem, aerisq; participatum umquam attolli esseq; hoc genus illud piscium profanum, quod à sacris omnino pellitur. *Steriles fructus in Divinis.* *In libello de Auscultando.*

## VERA FOECUNDITAS. CAP. XLVIII.

C Ornu vero copiæ verum illud est, quod ab animo, qui veram profiteatur agriculturam, impletur. Ea vero est quæ ab agro suo insipientiæ, intemperantiæ, iniquitatis ac fortitudinis arbores exciderit, & à radice penitus extirparit: voluptatis insuper, cupiditatis, iræ, furoris, & venenorum aliorum plantas ad cœlum usque porrectas ita eradicarit, ut neque vestigium earum ullum relinquatur, ac quicquam aliud, quod occulta tacitaque propagine prorepens aliquando subpullulare contendat. Cujusmodi vero sint arbores quæ pravos indicent affectus, ostendit Horatius, cum de spinis pluribus exemptam unam, nihil aut parum juvare disserit. Atq; alibi, *Vera agriculturæ quæ.*

*Certemus* (inquit) *spinas animone ego fortius an tu*
*Evellas agro, & melior sit Horatius, an res.* *Epist. li. 1. epist. 14.*

His inquam evulsis, earum mox loco subpullulent pangantur ve plantæ, quarum fructibus repletum
D cornu offeramus Deo, ut illud: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, quem Deus numinis sui rore fœcundarit, & ad optimam frugem jusserit pervenire de nobis dici mereamur. *Gen. 27.*

JOAN-

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIB. LVII.

## DE IIS QUÆ PER PAPYRUM, FABAM, CICEREM, ARUNDINEM, SINAPIM significantur.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD MAXIME REVERENDUM PATREM LUDOVICUM BECCADELLUM, ARCHIEPISCOPUM Ragusinum.

*CVm ea plurimum de causa, honoratissime Pater, Venetiis, omni Bellunensium hortorum meorum amœnitate posthabita, substiterim, quod & tua, & aliquot aliorum præstantium amicorum jucundissima consuetudine frui posse mihi pollicebar, accidit (ut quod ætas jam plusquam septuagenaria spontè afferre solet) modo pedum, modo stomachi imbecillitate laborare cœperim: unde coactus sum me domi, tamquam intra caveam continere, non ita tamen ut non omnis mea cogitatio ad vos tenderet, & qua ratione congressu vestro frui possem, assiduè cogitarem. Habebam autem ante oculos labores meos in Ægyptiacæ disciplinæ, non injucundam forsitan interpretationem, quam inter amicos impertiebar, meæ erga illos observantiæ futurum internuncium. Cum dies aliquot, quodnam ex his Commentariis (id enim operi nomen) Baccadello tam præstanti viro mitterem, examinassem, visum deniq; est, Papyrum illi, Fabam, Cicerem, Arundinem, & Sinapim dedicare, quod ad ejus frugalissimos mores ex amussi facere viderentur. Memineram enim sermonum eorum, qui nobiscum Patavii olim cum infelicissimo illo adolescente, tam multum fæto, ad superos, Cosmo Gerio Phanensi jam Præsule habiti fuerant, cum juvenis ille non tam Græcarum Latinarumq; literarum eruditione dubio procul admirandus, quam sanctissimorum morum & pietatis in primis nostræ propugnator acerrimus, tam doctè, tam copiose disserere consuerat. Nam cum de frugalitate sermo è re nata inter nos incidisset, egoque Papyrum in exemplum ab Ægyptiis desumpsissem, per quam illi victus parsimoniam, frugalitatemq; significare soliti essent: Atqui, Cosmus inquit, quam multa ea quoq; sunt in hanc sententiam tum nostrorum, tum exterorum Ducum, Regum, & Imperatorum responsa, factaq; scite & sapienter, quæ victus queant petulantiam castigare: cujusmodi est nostri illius, qui militibus frustra vinum peti respondit, quibus à vicina Nili ripa liceret aquari. Quem secutus Pescennius Niger, Militibus vinum idemtidem efflagitantibus respondit:* Nilum habetis, & vinum quæritis? *Idemque tumultuantibus his qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus:* Vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erubescite, *inquit*, illi qui nos vincunt, aquam tantum bibunt. *Cumque nos taciti eum libenter auscultaremus, ardore ille juvenili, honestissimaque ambitione concitatus, prosecutus est: Quid autem Alexander Macedo? cum illi Regina Carum Ada, obsonia quædam exquisitissima, magnaque impensa, nec minori arte & diligentia condita missitaret, quam sapienter eam illusit, quæ coquos etiam se missuram offerret, obsonia lautiora, & peritiores coquos habere se domi respondens, nocturnum quippe iter, quod prandium pararet: matutinam frugalitatem, quæ cœnam instrueret. Vnde Philosophi clarissimi dictum,* Nullum obsonium fame melius. *Apud Max. Tyrium legas Mithecum quemdam ganeæ magistrum Sparta ejectum, quod illi labore potius, quam per condimentorum lenocinia edendi desiderium quæritarent. Illud præcipua memoria dignum, quod Guefacto Ægyptiorum Regi Bacchoris filio accidisse memorant, qui licet & ipse inductis à Rege Menideliciis & imbutus & educatus esset, & ferè enervatus, generositamen animi specimen præbuit, cum exercitũ per Arabiæ solitudines ductaret: deficiente commeatu cibũ despicatissimũ quemq; mendicare humanæ*

*Socratis, teste D. Laertio, & Cicerone lib. 2. de finibus.*

A *mane necessitati commoda locorum ubiq; satis opulenter suggeri perspexit, ac Regiis demum apparatibus luxu & opulentia posthabitu, nullo umquam exquisitiori condimento ex eo usus est, victu eo contentus qui pro locorum natura suppeteret, parcissimè pervixit, remq; sacris annalibus describendam Thebis in templo non incuriose demandavit: ut reliqui ad frugalem hanc recte vivendi normam exemplo subinvitatis, quietius degerent. Hujusmodi frugalitatis Cyrus Rex etiam fuisse traditur, qui, ut apud Ammianum legitur, rogatus ab hospite quidnam ad prandium sibi juberet apparari? Nihil, inquit, quam panem. Hic tamen tam parcus cibi à Platone reprehenditur Legum III. quod non & Cambysem filium in eadem parsimonia educandum curaverit: perinde ac Darium etiam appellat, qui se tantum defraudans, filium negligenter educari permiserit. De Artaxerxe, cognomento Mnemone, memorabile illud constat, cujus direpto in fuga quadam commeatu, cum aridis ficubus & hordeaceo pane vesci coactus esset: Dii boni, inquit, cujusmodi voluptatis hactenus expers fui? Hæc, inquam, ut tu quoq; meminisse potes, Cosmus noster ex antiquorum historiis referebat, cum ego circa Ægyptiaca tantum insisterem, & quam ipsi sententiam ex rerum suarum usu sequerentur, commemorarem. Declamaveram enim ut cibum illi per Papyri figuram significarent, aut prisciu illis herbaq; quoq; palustres, caules, & radices, quas gustu mites experti essent, victum large subministrarent, sed omnium maximè Papyrus.*

B

## DE PAPYRO.

### VICTUS. Cap. I.

MErito quidem pro victu Papyrus poni solita est, tam ob cibi copiam, quam etiam ob raram quandam ejus herbæ naturam. Licet enim fructus habeat infœcundos, radicem tamen eam fert, quæ præter quod ignis gratia vellitur, summam tamen frequentissimamque opem in re cibaria præstat. Omnes quidem incolæ, & crudam, & assam manducant, & elixa etiam utuntur, succo tantum devorato, cum alioqui manducamentum exputant. Frugalissimis enim viris, & tenui cibo contentis, satis ad alimoniam succus ille facere videbatur.

*Papyri commendatio ob radicem. Ægyptii eam manducant, succum tantum devorantes, & mansam expuunt. Dioscor. lib. 1. c. 98.*

C

### PARVO CONTENTUS. Cap. II.

CUm itaq; tam larga Papyrus cibi commoda subministraret, inde factum ut quotics hominem parvo contentum innuere vellent, simplici quippe naturaliq; cibo utentem, quique in medio positorum, ut diceret Horatius, abstemius herbis viveret, illud dictitarint:

Βίβλος δὶ κυρτὸς εὐκ αἰτεῖ μίγαν χάκυν.

hoc est, non esse ut graviorem pleniorem q; aristam disquirat is, cui papyri fructus victui necessaria suppeditare potest. Neq; enim Helisæus in præbendis epulis vilis habitus, quamquam oleribus sylvestribus amicos exciperet. Invenio traditum à Chæremone Stoico, quem Martialis, ut factionis suæ maximè contrarium, eludit eo epigrammate:

*Quod nimium laudas Charemon Stoice mortem,*
*Vis animum miser, suspiciamq; tuum.*
*Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,*
*Et tristi nullo qui tepet igne focus.*

D & quæ sequuntur calumniosa omnia Ægyptios olim omnibus negotiis curisq; rejectis, semper in templo perstitisse, rerumq; naturas, causasq; & rationes siderum contemplari assidue solitos, mulieribus numquam se miscuisse, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem vidisse, ex eo tempore quo cœpissent divino cultui famulari: carnibus item & vino semper abstinuisse, imo etiam hac rato vesci solitos, ne stomachum onerarent, quæ si quando comederent, tunsum pariter hyssopum sumebant, ut escam graviorem illius calore decoquerent: oleum tantum in oleribus noverant. Ecquid loquar, inquit Chæremon idem, de volatilibus, cum ovum quoque pro carnibus vitaverint, neq; non lac, quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore tantum mutato? Cubile eisdem ex foliis palmarum, quas βαΐας vocant, fuisse, assuetosq; bidui atque

*Ægyptiorum mos cultui divino intiatorum. Nimium papyro.*

Q. Curtius & Plutarc. in ejus vita. etiam tridui inediam sustinere. Quare minimè mirum est in tanta victus parsimonia eorum corpora, quod plerique authores tradunt, vel nullis odoribus delibuta, sponte suam suave olentem emisisse, odoratasq; transeuntium umbras miram inspirasse fragrantiam. Quamquam & Alexandri Macedonis corpus suapte vi aromaticum quid oboluisse Theophrastus asseverat: sed facilius in Rege cura, quod in illis negligentia, præstabat. Quid vero Chæremon scripturis, si nostri generis eremitas per deserta Thebaidos, & montem Sinam inspexisset? Quid, si universa interdum collegia ad durissimam corporum maceration spontanea etiam supplicia, flagra, labores addidisse cognovisset, nullumque neque nocte cruciatus alicujus vacuum tempus sibi permisisse? Sedenim multa Ægyptiis attribuuntur, quæ nostræ pietatis proceres præstitere, præclaraq; illa patientiæ documenta, dissimulatis nostrorum nominibus, in regionis tantum, quam incolebant, laudem transtulerunt. Neq; tamen Ægyptii solum, de quibus Chæremon Stoicus tam multa disseruit, herbis & arborum tantum fructibus victitarunt, verum & gentes reliquæ, ut Porphyrius attestatur, hoc cibi genere usæ sunt aliquamdiu primiq; sacrificantes, non animalia, sed herbas, floresque, deinde arbores sacrificarunt, atq; aromatum suffitu operati sunt, cujusmodi sunt thymiamata apud Orpheum.

Metam. lib. 15. Qui vero primi animalibus vesci cœperunt, penuria frugum id facere coacti perhibentur, quare suculenter simul ac eruditè Ovid.

*At vetus illa ætas cui fecimus aurea nomen,*
*Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis*
*Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.*

Ibidem. Quantum vero illa delectant, quæ tam eleganter Pythagoras apud eundem disserit?

*Parcite mortales dapibus temerare nefandis*
*Corpora, sunt fruges sunt deducentia ramos*
*Pondere poma suo, tumidæque in vitibus uvæ:*
*Sunt herbæ dulces, sunt quæ mitescere flamma*
*Mollirive queant: nec nobis lacteus humor*
*Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.*

Varius variarum gentium cibus. & quæ plurima in hanc sententiam modulatur. Quin & Græcos illos veteres, tamquam proximè Deo genitos, optimos fuisse natura Dicæarchus Peripateticus asseverat, nullumq; animal occidisse. Vetus autem Athenienſium cibus, ficus: Arcadum, glans: Indorum, calami: Carmanorum, palmæ: Meotiorum Sauromatumque, milium: Persarum, cardamum ac Terebinthus, ut observavit Ælianus. At Eusebius homines ferino ita victu prius ali solitos, rerum imperitiæ videtur adscribere, ubi dicit: τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς γενηθέντας, τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἀγαθίστους, καὶ θηριώδει βίῳ κατεσχολακότας ἐπιτηδείως τοῖς τότε καιροῖς ἐξάγειν, καὶ ἀστοργίαν τῆς τε βλάστης τὴν αὐτοφυᾶ, καὶ τὰς αὐτομάτους ἀπὸ τῶν δένδρων κάρπας. *Homines quippe rerum principio genitos, ajunt parabili ferinoq; victu pasci solitos, sparsimq; in pascua prodisse, deq; graminibus, quæ mitiora viderentur, cibum sibi comparasse, atq; etiam fructus qui sponte, nulla mortalium cura culti, nascerentur.* Sed enim utrumque senserit Eusebius, fuit tamen Theologorum veterum præceptum, animantium nullum sacrificandum, sed usque ad farinam & mel, terræque fructus atque flores. Novit enim Deus (ajebant illi) virum pietatis veræ cultorem, etiamsi minimum quodque folium altaribus intulisset, atq; ipsum, quantum quisque animo, non quantum manibus afferat, intueri. Quod vero ad carnes attinet, earum usum Porphyrius libro de Abstinentia, dicit ad salubritatem minimè conferre, sed ei potius impedimento esse, eo argumento, quod per quæ recuperatur bona valetudo, per eadem conservatur: eam si quando amiserimus, per victum tenuissimum, & præsertim à carnibus alienum, recipimus: per eundem igitur salubritas in incolumitate perseverat sua. Sed ne tam multa quæ ille conscripsit in hanc sententiam compilem, & Chrysippi Medeam repetam, ad nostra regrediendo, quæ apud pios domi nascuntur apponam, qui quidem ipsius Dei summi providentia simplicem victum, & natura ipsa provenientem, recusis cibis antelatum aurumant, perinde debere nos idem approbare. Terra enim antequam Sol creatus esset, germinare jussa, cibum sobrietatis prius eduxit, quam reliquos deliciarum atq; luxuriæ

Porphyrii sententia de carnium usu.

Perelegans simplicis victus disquisitio.

A xuriæ, quibus quamvis humana improbitas sit nunc usque adeo dedita, ut jam unusquisque supra etiam vires & censum, exquisitiores uberioresq; epulas disquirat, ille tamen cibus divino primum effusus munere, sine satu, sine semine productus, tam dulcis & gratus permansit, ut etiam repletis dissentisque, voluptati atq; usui sit, & avidius appetatur, primis deniq; mensis appositus, secundis minimè fastidiatur, atq; ita simplex divinitatis opus humanam omnem exuperat industriam. Nostri vero temporis helluones institutum jejunii sacrosanctum ad pietatem nihil facere arbitrantur, totque jam voluminibus in sanctos mores invecti, nostram hanc vivendi temperantiam nihil antiquum sapere contendunt, mulierecularumq; superstitiones esse: cum tamen & illi ipsi veteres qui nondum veritatis lumine fuerant irradiati, jejunia tam multis cæremoniis indixerint. Præcipue verò Romani jejunia Cereri feruntur instituisse, M. Acilo Glabrione, P. Cornelio Scipione Coss. post victum Antiochum Syriæ regem. Reliquum esset sanctissima tot nostræ pietatis collegia recensere, quæ ut sanctius atq; castius Deo famulentur, perpetuo sibi carnium usu interdixere: sed quoniam hæc in omnium oculis versantur, satisq; omnibus innotuere, iis nunc præteritis, ad reliqua Papyri significata stylum direxisse præstiterit.

*Helluones damnantur.*

*Jejunii commendatio.*

B

## ANTIQUA PROGENIES. Cap. III.

Cum verò apud Ægyptios nihil eo cibo antiquius haberetur, factum est ut si progeniem antiquam describere vellent, papyraceum fascem pingerent: tametsi nobilitatis nullum inter ipsos discrimen habebatur, sed omnes pariter nobiles censebantur. Herbam vero illam magna veneratione susceptam in manus, quoties cumque diis supplicaturi essent prætendebant, quod è limo se quoque genitos profitebantur, atq; una cum ipso caule se idemtidem esse palustria propemodum animalia. Eoq; spectare videbatur præclarum Romanorum institutum, qui multis in rebus, tum inea præcipuè prudentes, cum hominem re bene gesta summis honoribus decorare instituissent, triumphales illos currus in tunica Jovis decernebant, idq; sapientissimè caverant, ut ne supra modum insolescerent à tergo esset qui *Hominem memento te esse*, idemtidem sueclamaret, ita Tertullianus. Sanè Plinius maximum esse dicit victoriæ signum, cum herba traditur, quia per eam se indicant esse de terra altrice, atq; humatione cedere, quamvis Servius eo carmine Virgiliano,

*Romanorum in Triumphis institutum*

C *Et vitta comptos voluit prætendere ramos.*

Aliter ex Varronis Ætiis dare herbam exponit. Sane Virgilius terream & ipse progeniem hominum agnovit, Lactantio ita versum ejus referente: *Æne lib. 8.*

*Terrea progenies duris caput extulit arvis,*

quod in vulgatis exemplaribus habetur *Ferrea*, id quod nihil ad ea primordia, quæ Maro tangit. Tollenda tamen ex Lactantii codice verba sunt illa *procreata ex lapidibus*, quæ itidem ex Servii commentario, importune sunt eo translata. Sed ut ad Papyrum revertamur, vel ob eam, quam retulimus causam, vel ob humilem naturalemq; ortum, ut Diodorus ait, vel quod magis humidis quam siccis cibis victus humani constet alimonia, parem sibi cum Papyro generationem existimabant. *Georg lib. 1.*

## SACERDOTIUM. Cap. IV.

Ipsos vero Sacerdotes suos hujus nobilitatis gratia papyraceis calceis insigniebant, neq; eos iis ex alia quapiam materia contextos ferre licebat: usq; adeo illa omnia evitabant, quæ vel minimam D imputatis suspicionem afferre pollent. Hinc etiam apud Romanos nostros, hujus puritatis ergò, Flaminicis mortuæ per se pecudis corio calceos aut soleas fieri nefas habebatur, sed aut occisæ alioqui ut illud Homericum, ἰφι δαμάσσας, aut immolatæ, quoniam hæc macta essent, sua vero morte exincta omnia, vetus illa superstitio funesta esse decreverat. Atqui etiam Assertor noster præcepit Apostolis suis ne calceamenta pedibus inducerent: quod ita interpretatur Adamantius, ut ipsorũ pedes, quiad annunciandà felicissimæ viæ perpetuitatẽ properabant, omni carerent mortalitatis indicio. Nam & Moses cum exiret de terra Ægypti calceamenta ex mortuis pellibus induxerat, quibus veluti quadam mortalitate constrictus erat: cum vero cœpit per virtutem proficere, & ad montẽ Dei conscendere, ibiq; immortalibus ministrare mysteriis, tunc ei præcipitur, ut lora calceamenti solvat,

*Papyraceorum calceorum symbolum.*

quia locus in quo consisteret, sanctus esset; hoc est, ut indicia mortalitatis, quæ in pelliceis calceis designantur, abjiceret. Quantum vero ad papyracea Ægyptiorum calceamenta pertinet, nonnulli nihil aliud inde quæsitum autumant, quam puritatis argumentum. Nam eadem de causa pietas nostra indumenta ex lino Sacerdotibus imperavit, in quibus omnium fere gentium & nationum consensus fuit: & eo vestis genere Apollonius Tyaneus semper usus est, quoniam illa vestis purior & syncerior videtur, quam vestes ex lanarum aut vellerum pollutione contextæ. Papyrus autem non tantum calceis conficiciundis cōmoda, verùm & ad multa utensilia vasorum aptissima; quin & ad navigia texenda, velaq; & tegetes, nec non vestem stragulam, ad funes è libro conficiendos: & nulla denique herba sit, quæ tot & tam variis modis humano consulat usui, & majores pluresque afferat utilitates.

*Ad verbum à Plin. li. 13. ca. 11.*

## DE FABA. Cap. V.

FAba Ægyptiis instar venerandi numinis fuit, tantæ religionis, ut eam neq; sererent, neq; comederent, quin etiam aspicere vererentur, quod Theon Grammaticus apud Plutarchum in Symposiacis enarrat, & alii pleriq; tradidere.

*Hæc & sequentia ex parœm. Ch. 1. cen. A fabu abstineto.*

## IMPROFANABILE NUMEN. Cap. VI.

PEr eam velo coopertam improfanabile numen intelligi volebant: quamvis Herodotus vulgi opinionem secutus, id ea de causa factitari solitum dicat, quod impurum adeo legumen id existimarent, ut non tactu gustuve tantum, verum etiam visu profanum haberetur.

## FUNUS LUCTUSVE. Cap. VII.

NAm & apud Romanos fama inter funesta recensebatur, neq; Diali fas erat eam tangere, neque quidem nominare, putabantq; omnino ad mortuos pertinere: nam & lemuralibus jaciebatur larvis, & parentalibus adhibebatur sacrificiis: in flore enim ejus luctus quædam inesse literæ videntur, ut Festus Pompejus attestatur: & quod ad parentalia pertinet, fabacium epulum in funeralibus ad nostra usq; tempora perseverat. Sane Varro ea de causa Flaminem ait ea non vesci, quod in ejus flore literæ illæ luctus indices inveniantur. Aliorum fuit opinio, mortuorum animas in fabis habitare: inde Pythagoras cum percussores fugeret, & in arvum fabis consitum incidisset, qua tutus ei dabatur exitus, si se in eam segetem immisisset, ab inimicis potius trucidari, quam fabas animarum conceptacula conculcare maluit.

*Pythagoræ opinio. D. Laertius in Pythagora.*

## NEQUITIÆ FRÆNUM. Cap. VIII.

SUnt qui fabam eam velo coopertam nihil aliud sibi velle disputent quam amovendas à manibus oculisq; nostris omnes nequitiæ causas, ut castiorem agamus vitam: eosq; spectare Pythagoricum præceptum, ut à fabulo abstineamus, quam sententiam Empedocles ita pronunciavit:

Δειλοὶ πῶς δειλοὶ κυώμου ἀπὸ χεῖρας ἐλέσθαι.

*Ah miseri à fabulo miseri seducite dextras.*

Cyamon vero, ut inquit Gellius, multi Fabam intelligi voluerunt, peritiores tamen pro testiculis accipiunt, quos ita apertè ac symbolicè Pythagoras appellarit: quia scilicet fabæ mollitudine sua, & ingenita quadam tumoris efficacia, humanæ genituræ vim suggerant, atque insuper facillimæ sint corruptionis, & deniq; testiculis ipsis forma quam simillima. Idcirco Empedoclem versu illo non à fabulo edendo, sed à rei Venereæ proluvio voluisse homines avertere, quibus veluti animi ergastulis liberati, possimus ingenio expeditiorem navare operam.

*Faba pro testiculis. D. Laertius de hoc nihil.*

## NEGOTIA PUBLICA DECLINANDA. Cap. IX.

SEd enim Plutarchus commentario de Liberis instituendis, Aristotelem secutus, abstinendum ex hoc monet à tractandis Rerumpub. muneribus, quod in creandis magistratibus fabæ calculorum vice usui essent: quem morem pleræq; adhuc civitates obtinent. Romani calculis usi videntur, iisq; albis

*Hinc Martialis probat togam rotam.*

albis aut nigris, quorum niger in comitio funestum significabat, ut alias Romuli morti destinatus, sed non usu obvenit. Aristoteles hinc opinatus est civiles administrationes à Pythagora improbatas, ut ex ejus libro de Fabis Laertius observavit: usq; adeo omnes aliorum dictata sententiasq; suis studiis accommodare contendunt. In Suidæ collectaneis, ubi proverbium est, *Neq; fabas, neque allium contendum* fuisse morem apud antiquos legitur, ut in judiciis fabas esitarent, ne obdormiscerent; id hodie Romæ ludis testaceis ad moræ tædium leniendum, in lupinos aqua maceratos, viliq; per gradus omnes à solis Judæis institoribus venditatos, conversum est. Quod vero allium admiscent adagio, notum est & allia & cæpe cibum esse militarem dicterioq; nos admonitos, si tranquillam agere vitam velimus, neque bellica, neq; civilia negotia attingenda.

*Ibidem D. Laertius.*

*Ad verbum ex Ch. 4. cent. 1. pro. 17.*

## CASTIMONIA. Cap. X.

IDem tamen Plutarchus dictum in Problematibus aliter quam in educatione puerorum exponit: facere enim ad castimoniam leguminum abstinentiam docet, quod eos, qui sancte & immaculate vivere curant, pura & tenuia corpora habere oporteat, legumina vero maxime vires corporis corroborant. Unde institutum ut Carnæ deæ, quam vitalibus humanis præesse veteres confixerunt, pulse fabacia & larido sacrificaretur, quod eo ciborum genere vires corporis egregie roborentur. Constatq; calendas Junias ea de causa Fabarias vulgo vocitatas, quod sacrum institutum est à Junio Bruto, à quo etiam mensi nomen. Eadem præterea tum ob ventositatem, tum ob plenioris cujusquam nutrimenti redundantiam, plurima itidem purgatione indiget, atq; ita Venerem ciere perhibetur. Atqui jubet Plato sic ad somnium proficisci corporib. affectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemq; afferat. Didymus Amphiaraum ait primum omnium fabis abstinuisse, quod is vaticinio per somnium uteretur: impediunt enim aut obturbant fabæ somnia, ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ait Cicero 1. de Divin. ne faba vescerentur, quæ res habet inflationem magnam, ac perinde cibus is tranquillitati mentis vera quærentis omnino contrarius est. Idem Didymus ait, fabas corda eorum qui eis vescantur hebetare: sed ea primum de causa prohibitas à Pythagora suspicatur, quod lugubres illæ literæ in earum floribus observentur, de quibus supradictum. Quantum vero ad Ægyptios pertinet, devitabant illi ea omnia, quæ animam corpori pertinacius affigere possent, neve sensu voluptateq; invalescentibus eam profundius in corpus immergerent, ut Porphyrius attestatur, ideoq; operam dabant impensissimam, ut non vitiorum tantum effectus, verum & affectus ipsos radicitus extirparent. Hac eadem de causa D. Joannes Nazaræus locustis tantum & agresti melle toto vitæ tempore nutritus, eo simplici tenuiq; cibo contentus, ne corpus ipsius crassioribus pulmentis pinguesieret, & exquisitarum dapum copia gravaretur. Hujusmodi quippe naturæ corpora nostra sunt, ut escis supersluis gravia reddantur, cumque ita corpus aggravatum fuerit, animam quoq; ipsam, quæ per totum diffusa corpus, ejus tentatut motibus, identidem onerari, segnioremq; fieri necesse est. Namque, ut Sammonicus Poeta dictitare solitus, à comessationum cruditate vitiato stomacho rectos à cerebro sensus averti manifestum est: & Plotini sententia, qui ventri penitus obediunt, periculum esse ne senuiscescant. Sed undenam verius sententiam hujusmodi conquiramus, quam à Divinis literis, ubi de crassitudine animæ tam multa traduntur? Illa nimirum à Deo verba emanarunt: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Porro anima quæ peccat, crassior efficitur, contra vero virtute attenuari, graciliorq; reddi fertur: virtus siquidem quicquid in ea corporeum est, absterget & perimit, illaq; sublata ita fece, veluti igne examinata purior efficitur. Quare Protogenis pictoris continentiã nonquam satis laudaveris, qui in Jalyso pingendo parce adeo & duriter vitam duxit, ut non nisi lupinis frigida maceratis victitarit, qui simul famem sustinerent & sitim, neq; sensus nimia dulcedine obstruerent. Dignus ille quidem propter quem Demetrius Rex Jalysum civitatem, cum ab ea parte sola posset Rhodon capere, ne tabulas cremaret, non incenderit, dumq; picturæ parcit, victoriæ occasionem amiserit. Invenies apud nostræ pietatis proceres, & fabas, & legumina reliqua tantum aqua macerata, in continentioris vitæ usum sumpta. Extat Eutychiani Pontificis ad Bæticos epistola, ubi legas, fabas tantum, & uvas, & quædam hujuscemodi, ab Apostolis instituta, super altare offerri solitas.

*Ad verbũ à Macro. Satur. lib. 1. c. 12.*

*Quia hoc mensa adultæ fabæ divinis rebus adhibebantur.*

*Ibid. Macr. Fabis cur abstinendum.*

*Matth. c. 3.*

*Genes. 6. Protogenis continentia.*

## DE CICERE. Cap. XI.

NEque illud est contra hieroglyphicam legem, si quis vel legumen, vel fructum aliquem nomini suo consonum, pro nomen ipso usurparit, lentem quippe pro Lentulo, Fabam pro Fabio, A

## CICERO. Cap. XII.

*An quod Cicer Venerem stimulet, & generet semen, unde Venerium dicitur, Plin. li. 18. c. 12.*

FEcit enim idem Cicero, qui cum poculum argenteum Diis esset dedicaturus, prænomen a nomen literis signavit, sed pro Ciceronis, ciceris figuram insculpsit: nihil veritus, quod jamdudum cognomenti verterat in cavillum, ad gravem usq; amicorum expostulationem monentium, ut ad ludibrium evitandum aliud sibi cognomen adsciscceret, quod numquam impetrare potuerunt. Cur enim ipse legum inis honorati, maximeq; utilis nuncupationem abhorreret quod honestissimis familiis olim esset summa cum laude datum, ut quisque scilicet aliquod optimum genus sereret? ita Piso, Lentulus Fabius vocabatur.

## INCOLUMITAS. Cap. XIII.

SUnt qui per ciceris imaginem rerum indicent perennitatem, siquidem ciceri tantum nullæ bestiolæ in horreis innascuntur: quin etiam ad olerum incolumitatem excogitatum sit, cicerem una seri, propterea quod erucas eum arcere experimento compertum est. B

## ARIES. Cap. XIV.

*Plin. ibid.*

AFiguræ vero similitudine pro arietino capite ponitur, cui vero nihil similius videas, sive ejus pecoris rictum, sive tortuosam in eo cornuum reciprocationem contemplere: unde optimo ejus generi nomen etiam Arietino, ut Plinius tradit, idque religio pervigilio solita est adhibere.

## MUNIFICENTIA. Cap. XV.

*Munificentia Romana.*

INvenies & inter Romanæ munificentiæ partes cicerum largitionem ab Ædilibus populo erogitam, cujus rei mentionem apud Ciceronem invenias, ubi *Quæstores magnificentius facere potuisse dicit, si quantum in cicere expensum est, in aliis, quæ Rempublicam adjuvarent, insumptum esse.* Unde Horatius de largitionibus ambitiosis.

*Sat. li. 2. Satyra 3.*

*In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,*
*Latus ut in circo spatiere, aut æneus, ut stes* C
*Nudus agris, nudus nummis insane paternis.*

*Florentinorum vitium.*

Quamquam rem omnem alii referunt ad suffragia, quæ per legumina ferrentur. In Florentina civitate, utpote antiquissima Romanorum colonia, utrumq; observavi, fabis quippe ferri suffragia, & festo D. Præcursoris die, qui apud eos maxime omnium sanctus atq; venerabilis est, ciceres à popularibus in siliquis suis publice tota urbe perfunduntur, ut omnibus esitare volentibus usui sint.

## DE ARUNDINE. Cap. XVI.

AD papyrum addere libuit arundinem, propterea quod maximam cum ea originis habet similitudinem: utraq; enim palustris est, terrenoq; gaudet plurimum limoso, multaq; & varias afferunt mortalibus utilitates. D

## LITERÆ. Cap. XVII.

SUnt vero plures arundinis species, ac perinde diversa significata, sed quemadmodum juncus literas significabat: propterea quod apud Ægyptios eo uterentur in scribendo, ita calamorum fasciculus, quibus nos utimur, eadem ratione literas indicat: ut apud Persium,

*Virg. Æne. 4. arundinem lethalem, Æne. 5. volantem vocat.*

*Indeque manus chartæ nodosaque venit arundo.*

## SAGITTÆ. Cap. XVIII.

ALii calami sunt longioribus internodiis, lævore, proceritate, rectitudine, & soliditate præstantes: per hos sagittas innui, ob usum, quem his conficiendis præbent, Poetarum fere omnium testimoniis comprobatur.

RESI-

## RESIPISCENS. CAP. XIX.

A Quoniam vero ex latioribus arundinibus fistulæ plurimum fieri consueverunt, cicutis aliquot cera compactis, Ægyptii sacerdotes fistulæ conditione considerata, per eam hominem mente olim captum, postmodum tamen & mentem & rationem adeptum, quiq; vitæ suæ modum imposuisset, significabant: inanis enim arundo mentis identidem vanitatem indicat: verum ubi juncta spirituq; animata concentum harmonicis numeris reddere cœperit, rationis se quodammodo participem effectam ostendit. Ad hæc, tanta illis vis, ut furibundum hominem composita modulatione possit in meliorem sedatioremq; mentem restituere, cujus exemplum rei à Pythagora editum in omnium jam ore versatur: neque alia de causa Mercurio adsculpebatur, quem etiam harmoniæ inventorem fuisse tradunt, nisi quod proprium est caduceatoris munus, in diversum abeuntes animos atq; dissonas voluntates ad concordiam & concentum revocare. *Fistulæ vu.*

## FRAGILITAS. CAP. XX.

B Alioqui arundo humanæ fragilitatis indicium habebatur. Hinc illud apud Esaiam, *Arundinem quassatam non confringet*, quam sententiam acutissimus Scotus ita dilucidat, ut ex eo debere nos miseratione prosequi peccatores admoneat. Interdum & auxilium infirmum. Idem Esaias: *Quid confidis in baculo isto arundineo Ægyptio?* cui si quis incubuerit, conquassabitur, & perforabit manum ejus. *Citatur à Matthæo c. 12. Esa. c. 42. Sic Ægyptius & Ægyptirex baculus arundineus dicitur, Esa. ca. 36. & Ezech. c. 29.*

## CALAMITAS. CAP. XXI.

AB ejusdem calamitatis significato illud etiam deducitur, ut per distractas prostratasq; arundines, ærumnæ, damna, jacturæ, & quæ miseris mortalibus accidunt mala, significentur, vocabulo inde etiam apud Latinos facto, ut hujusmodi incommoda Calamitates appellentur. *Calamitatis etymon. Nempe grandinem.*

## INANITAS. CAP. XXII.

VUlgatissimum vero illud est, per arundinem mane aliquid significari, cujus rei causa magis re ipsa patet, quam verbis explicare necesse sit. Illud minime prætercundum, quod arundo in Assertoris nostri pro Rege salutari manum tradita, mysterium fuit vani fragilisq; sceptri, super C quod Gentes omnes prius innitebantur, de quo Esaias 36. Ezech. 29. Regum 4. 18. Confidebamus enim in arundinea virga, vel Ægypti, vel Babylonis, vel cujuscumq; alterius principatus, qui Deo contraria sentiret. Eum igitur calamum Jesus de manibus nostris accepit, ut de illo triumphans pro vano & inani, infirmo fragilique bacillo validissimum firmissimumque nobis sceptrum compararet. Idem Assertor noster ad inanitatem hujusmodi respexit, ubi dixit: *Num quid spectatum existis arundinem vento agitatam?* Et Psalmo 68. legas, *Exstimula feras ex arundineto*: per feras ajunt interpretes, Leones intelligendum: propterea quod apud Jobem legitur, *sub omni arbore dormire Leonem, juxta quam densentur arundineta*, essecq; Leones illos rugientes, hoc est, dæmones, qui cubile sibi sternunt in arundineto: quippe inter eos homines dæmonem habitare, qui leves inanesque sint, atq; etiam instabiles, quos scilicet in petra firmare nequeas, utpote qui vento vel levissimo expositi, continuo huc & illuc agitentur dissipenturque. Deq; eadem instabilitate dictum Psalmo altero supra 80. *Ut arundinem vento expositam.* *Arundinis Jesu Christi hieroglyphicum. Matth. 11.*

## MENSURA. CAP. XXIII.

D IN numo argenteo C. Mamilii, ab una facie Mercurius cum pileo & caduceo, ab altera Mamilius ipse cum arundine & Cane, qui à pedibus illi allatrat. Supra Canem literæ LI. MEAN. quæ omnia magistratum ejus indicant, qui limitibus metandis præfectus fuerit. Arundo enim propter internodia, quæ modo pedum, modo palmorum speciem præ se quandam refert, mensuræ signum habetur. Canis fidei, quam præstare debet is, qui ejusmodi negotio præficiatur. Et à tergo Mercurius concordiam ostendit, quæ ex ipsa limitatione consequi debeat. De arundine id insuper animadvertendum est, in hanc usq; diem aliquot Italiæ locis usitatissimam mensuram pedum circiter senum vulgo Cannam vocitari. Id etiam animadvertas in literis numo impressis, MEĀN, ubi figura Ā Græcæ litera pro TA posita est. *C. Mamilii numus.*

SUR-

## SURDITAS. CAP. XXIV.

SUnt qui surditatem ostendi velint per arundinis panniculam illam densam, oblongam, teretem, gravem, villo uti sericeo præditam, ac arctissime constipatam: ejus enim flos, sive potius flocus, si aurem intraverit, exiurdat: ideoq; plerisq; locis Surdones vocitantur. Lanugines eas Latini Pollulas appellarunt, est quibus strata fieri consueverunt, sed quæ nihilo secius auribus nocent.

*Sed & in Tolosagii præsertim Tholosa.*

## DE SINAPI. CAP. XXV.

SEd jam quid sibi Sinapis velit, inspiciamus: quamquam, ut verum fatear, eram partem hanc prætermissurus, quasi superfluam: quia postquam super Sinapi ea collegeram, quæ nostra præbere poterat imbecillitas, venit in mentem mihi videre, si quid Theologi nostri, præter quos sequimur Græcos, ea super philosophati essent, cum ecce primo atq; secundo statim sermone, qui Ambrosio attribuuntur, comperi, & copiose & erudite, utile salutiferumq; ex sinapi condimentum esse confectum: quod quidem sive Ambrosii sit, sive cujusquam alterius, dubitare cœpi cum hoc, extante illo, & fatuum & insipidum forte omnibus appariturum. Postea cum me collegissem, & alia me condiendi ratione usum animadvertissem, multasq; in domo Domini mansiones esse recordarer, & nullius generis vasa in ea esse, quæ non alicui apta usui essent, resumpsi animum, porrigente mihi manum Origene, & prudenter, ut decebat, viridia hæc ingressus, alia quædam super Sinapi, quæ Papyro tuo, clarissime Beccadelle, subjungeres, tanquam spicilegus in unum eundemque manipulum congesta colligavi. Sed illud præmonebo, sinapin ab Ægyptiis positam me non invenisse. Sacras vero nostrorum literas, Græcorumq; veterum monumenta habere multa, quæ nostra ex eo locupletare possunt hieroglyphica. Quare non temere feciſſe visus fuero, si hujus quoq; granis significationes explicuero.

## FOECUNDITAS. CAP. XXVI.

*Matth. 17.* PRæcipuum autem ejus significatum, ut ex tenui admodum principio lætissimæ sit feracitatis indicium. Unde illud Assertoris nostri dictum, *Si quis habeat fidem quantum est sinapi granum unum, jussu illius montes transferri, eaq; omnia fieri, quæ nullius conatu imaginationeve effici posse videantur.* Exiguum est enim sinapis semen, & pusillo illud corpore scribit Athenæus: id tamen fœcundæ terræ demandatum, quam diligens & laboriosus agricola poliverit, omnium olerum maximum evadit, demumque abit in arborem vel volucrib. sustinendis idoneam. Talis quippe fœcunditas rerum ex antiquæ Theologiæ nostræ lectione feracissime provenit, cujus quidem semina primo aspectu pusilla admodum videntur, verum ubi à perito agricola sata fuerint, in immensum coalescunt, augenturque in arborem, in ramos, & in virgulta undequaque prorumpentia, in quibus aves cœli congregentur, ut in sacris habetur institutionibus. Aves igitur, hoc est, disputatores, quod interpretatur Adamantius, quippe Rhetores, qui velut aves cœli levibus pennis verborum duntaxat elegantium nitore freti, disciplinarum excelsa prius sectari, & ardua quæq; appetere videantur. Pennata enim Homero verba. Et per bracteatas argento columbæ pennas, sermones Dei Theologi ajunt intelligendos. Hujusmodi igitur Rhetorum alites, simul ac nostram in sinapin incident, ipsis deniq; rationibus, & rei ipsius veritate allectæ, non ingratam sibi sedem in ea delegerunt. Ex cujus quidem ramis non admodum delicate frondescentibus, vi tamen sua consistentibus, vellus forte loquendi decor, sed optimæ vitæ tantum ratio, quæ sola sit appetenda, decerpitur. Quamquam Hesychius Aves loco hoc Evangelico accipi contendit pro hominibus contemplationi deditis, qui si terrena aliqua tractare necesse habuerint, hoc est, si super sinapis ramo quiescere contigerit, paulo post tamen volatu repetito, non ignaviter in sublime tollantur.

*Sinapis fœcunditas qualis.*

*Aves cœlestes quid.*

## INTELLECTUS EFFICACIA. CAP. XXVII.

INdicat vero semen ipsum (ut nos quoque de puteo nostro aliquid hauriamus) magnam altissimi intellectus efficaciam, quæ sub exili ac propemodum contemptibili semine lectionis, ne multi

purant,

putant, etiam fatuæ, delitescebat. Nam simulac semen id ori ingestum est, ac mandi cœptum, acutissimi vi saporis os omne incendit, omnemq; reliquorum ciborum fatuitatem temperat, condimentumq; omne cui admixtum fuerit, miri fice commendat, commanducatum capitis pituitam purgat, perq; os egerit. Sic sacra lectio gravedinem intellectus emendat, abstergitq;, ut purificatus, per os, quippe per Doctorum verba, divina possit mysteria degustare. Nam, ut ait Horatius, *Vires seminis ipsius sinapis.* *Epist. 1. li. 1.*

*Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,*
*Si modo culturæ patientem commodet aurem.*

Sed quid indigemus Horatio? cum Dominus noster dicat, *Scrutamini scripturas*, quas ne fastidiamus, utpote quæ nonnullis gustu asperiores videantur (fuerunt enim qui dicerent, *Durus est hic sermo*) sinapis hujus condimentum efficiet. At lacrymas ciet, quod illi objicit Poëta quidam dicens: *Ioan. 5. & 6. 5.* *Columella*

*Seque lacessenti fletum factura sinapis.*

Sed ô dulces lacrymas, nulla salsuginis amaritudine vitiatas! O amœnissimam lacrymarum vallem, ô
B jucundas, ô amabiles, ô semper appetendas lacrymas, si quis ita sit felix, ut lectulum ubiq; suum lacrymis irroret, eas instar panis ducat, & ad surrectæ Crucis conspectum, confixiq; in ea Servatoris nostri lacrymulam saltem unam aliquam expresserit, quam videat Dominus erumpentem! Quid vero si uberiores fuerint, & donec omnis totius corporis inarescat humor, emanare non desinant? Quicumq; enim ita seminarit in lacrymis, lætissimam frugem postmodum est in exultatione demessurus. At inde nomen sinapis habet, quod olfactu luminibus officiat. Nam etymon illi, παρὰ τοῦ σίνεσθαι τοὺς ὄπας, ut medicorum tradit disciplina. Unde acrem & incommodam ejus naturam incessit Græcus Athenæus. Fac olus id incestum oculis & perniciosum nostrum quod ex agro Domini colligimus, cor in primis exhilarat, cerebrum illustrat, oculos aperit, ut videant sicut Agar fontem aquæ vivæ: paulatim lenit, & ad Ambrosii verèq; cœlestis cibi gustum reddit idoneum: faucium asperitatem emollit, ut nullius unquam uvæ afficiatur incommodo. Prodest etiam sine ficu adhibitum auribus, ut illæ angelicæ etiam fiant harmoniæ capaces. Alopecias emendat, omnemq; pruritum extinguit, ut nullo prorsus vitio contaminatum corpus offerre Deo properemus. Contra lepras inungitur. Quid enim aliud lepra in sacris monumentis, quam vitiorum sordes, malæq; consuetudinis contagiones. *Psal. 126.* *Sinapis etymon & virtutes.* *Tritum cum ficu aurium gravitati prodest, Dioscor. li. 2. c. 98.*

## C FIRMITAS DOCTRINÆ. CAP. XXVIII.

QUid autem illud, quod semel satum difficulter extirpari potest? Nam semina simulac decidere, haud ita multo post & virent, & feracissime pullulant: unde doctrinæ stabilitatem & propagationē ex eo possumus interpretari. Nam qui semel nostræ hujus sinapis suavitatem gustare cœperit, ab ea numquam amplius, tanquam Ulyssis comites à loto, avelli poterit. Pullulabit in corde quotidie caulis amœnissimus, totaq; spiritus conceptacula seminibus his confarcientur, neq; hunc proculcabit Lupus aut Ursus, aut rugiens Leo: non effrænis Equus, non Taurus ferox, non dolosa Vulpes in pabulum absumet, non frigus aduret, non æstus desiccabit, non aratrum deniq; contundet: virebit in dies magis, & ad procellas & conculcationes omnium tanquam insuperabile crocū lætius proveniet. *A Plin. li. 19. c. 8.* *Nam crocum gaudet calcari, & melius ita provenit.*

## EXPERGEFACTIO. CAP. XXIX.

ADhæc sinapis expergefactum ac minime somno gravatum significat intellectum: siquidem terrestris illa contra lethargos, deraso prius capite, illinitur. Noster hic sinapismus deraso circumcisoq; cordi contra hujusmodi morbum admovetur. Quid enim aliud lethargus est, nisi somnus in-
D expugnabilis? Atqui quotidie ut vigilemus, & Deo preces allegemus, suavi huius nostri pungimur acrimonia. Gustu ejus scimus quando hora est de somno surgere, ne gravati eo, longe scilicet desidiæ indormientes, obtorpeamus ignaviter. Nam Gallicantu, non æris tinnuli strepitu, non ullius ortu sideris indigemus, ut mane, sed plane mane excitati corpus strato corripiamus, atq; tunc, & in dies septies laudes Deo concinamus. *Nam sinapi lethargis deraso capite illinitur. Diosc. li. 2. c. 98.*

## SUBLIMIUM APPETITOR. CAP. XXX.

QUid vero quod per sinapis ramusculum, quem quis ore decerpat, mentem & cogitationem in sublime sese attollentem accipimus? propter præsentaneam excitandi virtutem, quam in eo se- *Sinapis ramusculus quid ore decerpens,*

Plin. libr. 8. c. 29. mine Pythagoras maxime omnium admirabatur: qui vix illius terrestris folia degustaverat, præcipuo tamen unum illud amore prosequebatur, quod vim ejus in sublime ferri conspiciebat, perinde ac si in cœlum niteretur, cum per nares in cerebrum penetraret, omniaq; hinc purgatiora, & ad vitam mentis vegetiora fieri asseveraret. Maxime itaq; studendum, ut cibos omnes oleris hujus intingamus pulmentario, cum præsertim modico ejus in ollam invecto, legumina omnia, ut Democritus ait, facillime decoquantur. Agite igitur, agite ferculis omnibus, tam æstate quam hyeme, tam mane quam resperi, vel grana, vel succum ejus admisceamus. Utuntur hoc libenter probi omnes, hoc Pontificiis cœnis adhibuit assidue Clemens VII. Nulla enim unquam vel publica vel privata cœna est ab eo instituta, quin nostræ hujus sinapis agricolæ politoresq; plenis adstarent calathiscis jucundum; inter eos certamen oriretur, quis eorum id melius vel serere, vel condire didicisset. Idem nobis faciundum, ut noster exemplum nobis Pontifex dedit, ut ita nos neq; fames occupet, neq; sitis etiam molestet: supra enim nectar, supra omnem, quod ajunt, ambrosiam cibus hic, & melle & favo suavior, mortalibus ad vitam est omnibus profuturus.

# JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIB. LVIII.

## DE IIS QUÆ PER CÆPE ET HORTENSIA QUÆDAM ALIA SIGNIFICANTUR.

### Ex sacris Ægyptiorum Literis.

FRANCISCO FANTONO BIDIZOIENSI, MEDICO SALODIANO.

*QUantum risurus sis, Fantone doctissime, super apophoreto nostro, non sum nescius, quippe qui odoratissima suavissimaque citria, Salodiana scilicet, quibus nusquam prestopera nascuntur, à te dono acceperim: ego contra Cæpe, alliumque, tam olida, tam insuavia tibi & Medico Salodiano redonare cogitarim, reliquorumq; olerum corbes, quorum tu sic vel hortos integros uno asse comparare possis. Sed quid facias? non eadem sunt omnibus ingenia. Attamen si quanti hæc, qualiacumq; sint, mihi steterint noveris, fortenonita vilia esse dona æstimabis. Non enim cœlo nostro hæc nascuntur, sed ex Ægypto intima huc usq; magno portorio transferuntur. Neq; sperandum ut hic sata his similia renascantur, quia talia sunt, ut in alieno solo semina corrumpantur, vel omnino degenerent. Dices: At malo ego nostratia, sapores quorum & cognovimus, & quibus apti condimentis sint, toties experti sumus. Sed vide ne fallaris, priusquam nostrorum experimentum facias. Memineris Ægyptios olim & doctrina & ingenio plurimum claruisse, neq; temere ex tota Græcia viros summos doctrinæ nomine ad eos transmeasse, cum tamen ii Cæpe tanti facerent, ut id numinis loco colnerint, quod à tam celebri natione factum nos minime ridiculum existimare debeamus. Vtcumq; autem, ne hic totam Commentarii rationem alieno loco explicandam suscepisse videar, ex ipso omnia loco suo videnda tibi proposui, quorum multa, licet antiquitate jam obsoleverint, solent tamen vel eruditis aliquam afferre delectationem, quæ veteres quomodocumq; tradiderint: propterea quod exquisitioribus juniorum inventis magis ex comparatione gaudere consueverimus.*

### D. CÆPE. CAP. I.

OLera igitur & sagminea quædam collecturus, ordiar à Cæpe: propterea, quod inter herbarum bulborum, caudicum, surculorumq; genera memoriam sibi primam Cæpe apud Ægyptios vendicavit, quinetiam inter hortensia eorum rumina principatum prorsus obtinuit.

LUNA.

## LUNA. CAP. II.

*Allium capitq; interdies jurejurando habet Ægyptius. Plin. lib. 19. c. 6.*

EA enim tota lunaris est: cumq; nullum apud nationem eam numen vesaniore cultu habitum fuerit, quam Luna ipsa, in unius Lunæ honorem cæpe coluerunt. Nam ut taceam, quod ea dissecta multiplicem Lunæ ipsius effigiem, & quas Græci φάσματα nuncupant, omnes ostentat: sive ea curvata in cornua, sive æqua portione divisa, sive protuberet, sive quotidiana facie varia sinuetur, nũc inmensa sit orbe pleno, ac repente nulla. Habet autem Cæpe hoc peculiare, quod Plutarchus 4 in Hesiodum Commentario tradit, ut revirescat & congerminet decedente paulatimq; deficiente Luna, contra autẽ increscat adolescente, quasi ipsa pro alimento corpus exponat suum. Quamvis rem aliter acceperint Pelusiotæ, qui Cæpe profanum adeo existimarint, ut cibum ejus pollutum esse crediderint: ideoq; mẽsis inferri vetuerint, propterea quod solum olerum omnium contra Lunæ aucta atq; damna vices minuendi & augendi habeat contrarias. Quod vero cibus tam acris tamq; vehemens in mensarum etiam delicias venerit, Socrates apud Xenophontem Philosophorum symposio, bellatorum vires acriter eam excitare dicit, & ejus esu vino commendationem augeri, ibidem legas. Laudat eam etiam qui squis ille est Apitius, quod ad omnia condimenta optima sit & idonea. Quamquam Morus ille Florentinus, cognomento Nobilis, parasitorum omnium, quot sunt, quotq; fuerunt, festivissimus, cum Cæpas Pontificis Leonis X. cœnis avidius appeti, trucidariq; in dignissime ferret, aspera declamatione contra oleris ejusmodi esitationem invehi solitus est, impios, impuros, intestabiles eos omnes dictitare atq; reprehendere, qui humanum corpus tam puro elementorum candore munditiaq; compactum ab optimo maximo numine, dignitate facieq; sibi perquam simili fabrefactum, quod idem ipse rerum opifex spiritu afflasset suo flammeisq; stellarum scintillis animasset, isti per spurcissimum cæparum alliive cibum, maleolenti, & usq; adeo fœtido putore contaminare, fæce tam sordida, tam profana polluere, ipsius demum sanctioris animalis animam reddere diis hominibusq; abominabilem conniterentur.

*De cæpe Pelusiotarum opinio.*

## PROFANA. CAP. III.

SEd ut ad Ægyptiaca nostra revertamur, alia insuper affertur causa, cur profanum hoc aquid aliquos olus haberetur: sed ea fabulosa, atq; ex vulgo sumpta, forsitan à calumniatoribus in ejus gentis irrisionem excogitata. Ajunt enim cępis ideo non vesci Ægyptios, quia Dictys Isidis alumnus, dum has in Nili ripa enatas avellere conaretur, in amnem decidisset, extinctusque hac inde sit memoria coli cœptus, ut olus id, quasi necis patratæ causa, profanum haberetur. Alii rem in religionem convertêre, quod numen ultione ea sese improfanabile esse commonstrarit.

*Cur Ægyptii capita non vescerentur.*

## LACRYMÆ CAP. IV.

*Horũ enim odor est lacrymosus. Plin lib 2. Ege jubet Alyatti à te pas edere. Plinius ibidem l. 2. c. 3*

ID non omiserim, apud quosdam cæpe lacrymarum hieroglyphicum fuisse, eaq; de causa imperatũ esse à Biante Philosopho Alyatti Regi cum ad amicitiæ suæ fructum amicæ benevoleq; accersenti, ut cæpe vesceretur. Ita enim tetricum ejus Philosophi dictum ferunt, ἵνα μὴ ἀλυκάζῃ κλαίων παρόμενα ἑστίων. Nã quod cæpe oculos acriter mordeant, lacrymasq; vel sola contrectatione cieant, omnibus exploratum: apteq; Columella lacrymosam eam vocat. Iam & Dionysius apud Aristophanem interrogatus, cur ita fleret, cæpe olfacere se respondit, & ea de causa κρόμμυον Græcis dicitur, ὅτι κόπτει τοὺς ὀφθαλμούς, *quod comedentes jubeat oculorum pupillas occludere.* Dantur vero remedio contra caliginem oculorum, quod eam vel olfactu purgent.

## PER INIMICITIAS ILLUSTRATUS. CAP. V.

*Inimicitiarum commoda.*

SI quis vero velit quempiam indicare, qui ex inimicorum obtrectationibus & injuriis creverit, longeq; illustrior atq; potentior evaserit, quo adversaria magis vis in eum incubuerit, pro hieroglyphico furculum rosę flore præditum, emergentem è cępe figurabit. Experimento siquidem comprobatum est, rosas violasq; juxta cæpe vel allium satas, fragrantiores fieri: ita unius fœtorem ad alterius benevolentiam conferre. Tangit rem Plutarchus, ubi ea recenset commoda & utilitates, quas consequi possumus ex susceptis inimicitiis: fieri quippe nos vigilantiores ad vitia declinanda, & ad virturem capessendam ardentiores, atq; in his omnibus majori conatu laborare, ut quæ veram gloriam pariturafint, omni studio solicitudineq; complectamur.

## ALLIUM.
### MILITIA. Cap. VI.

*Allium & cæpe cibus militaris*

Vnum tantum ex allio hieroglyphicum inveni, ut per id militiam intelligamus, propterea quod & allium & cæpe cibum esse militarem constat. Atq; hinc proverbium apud Suidam, *Neque allium, neq; fabas esitandas iis, qui tranquillum sibi vitæ statum proposuere:* per summotum allium bellica negotia dimittenda, per fabas civilia non attingenda; quæ latius in Fabæ Cõmentario explicuimus. Sed quod ad militarem cibum attinet, Aristophanes, Equitibus, milites memorat, qui coëmptis allii & cæpis naves inscendissent. Et chorus jam antea Allantopolam incitans, dixerat: *Vt inalliatus strenue magis pugnes.* Neq; rem tantum bellicam adjuvat allium, sed rusticæ etiam opem affert. Siquidem ut Africanus ait, oleum in quo allium contritum fuerit, mire prodest vitibus eo obunctis, ne pediculos gignant, & absq; oleo tritum oblitumq; arborum truncis, ne ab erucis infestentur, opitulatur.

## RAPUM.
### SOL. Cap. VII.

APud Ægyptios sacerdotes veluti cæpe Lunæ, ita rapum Solis erat hieroglyphicum, numinibusque alterum, & alterum suis dedicabantur: corpus enim rapi solidum immutabilem Solis effigiem refert: veluti cæpe, ut dicebamus, multiplicitas illa tam multiformis tunicarum, Lunæ varietates ostendit. Sane authores sunt, rapum è plumbo dicatum olim fuisse in templo Apollinis Delphici, quod Phœbei corporis soliditatem ostenderet.

## FUNGUS. Cap. VIII.

ET fungus nescio quid sapit hieroglyphicum, qui tametsi apud Ægyptios quos sequimur, nusquã apparet, apud Græcos tamen & Latinos non illepido celebratur significato.

### REPENTE QUID ET INSPERATO FACTUM. Cap. IX.

NAm id præcipuum fuit, estq; adhuc apud omnes hieroglyphicum fungi, ut quotiens novi aliquid præter expectationem repente factum apparuerit. Fungum id dictemus. Poëtas quippe Funginos, Oratores, Historicos, Philosophos, Jurisconsultos, unius tridui studio autoritatem adeptos, & quæ plurima sub Leone X. Pont. Max. miracula vidimus, nocte una præstantes aliquot, tamquam in Parnasso somniassent, haberi cœptos, eoq; processum temeritatis, ut ex iis nonnulli milites etiam sibi compararint, qui non applaudentibus mortem minitarentur.

*Quin & arte eduntur quolibet tẽpore fungi. Mattheo. in Diosc. li. 4. c. 78.*

*At rerum natura parens nil edere magnum,*
*Spectandumque solet, longo nisi tempore adultum.*
*Ipsa etiam majora suos animalia partus*
*Iussa diu gestare: decem bos Luca per annos*
*Parturit, ingentem prolem paritura, nitensque*
*Dentis ebur, decora ampla virûm, decora ampla Deorum.*

*Issiphilus in Trajano ex Dione. Hæc ad verbũ à Paræmiog. Chil. 4 cen. 2 pro 38 & Chil. 4 cent. 10. prov. 78.*

Sed ut ad fungos revertamur, proverbium est, quod de re subitaria & insperata fertur in primis, nocte una fungum nasci. Quare apud Dionem legas, Trajani vita, fungum quendam magnum in Decebalis castris à barbaris circumlatum, Latinis etiam literis inscriptum. Literas non ponit author: sed ex iis quæ subsecuta sunt manifeste percipitur, admonitionis aliquid id fuisse, cavendum scilicet Trajano, ne se tantis tamq; ferocibus copiis committeret: rpente enim oriri solere, quod nemo unus umquam expectasset. Quod ut existimem id admonet, quod in exercitu vociferationes etiam exaudiebantur à brutis præcipue, atq; aliis gentibus cum Romanis societate cunjunctis, Trajanum ad pacem hortantibus, & ut salvis rebus retro domum abiret admonentibus.

FATUI-

## FATUITAS. Cap. X.

A Apud Plautum in Bacchidibus, fungus fatuitatis, & stupidæ admodum credulitatis hieroglyphicum est:

*Adeon' me fuisse fungum, ut illi crederem?*

Quod quidem significatum Nicobulus eadem fabula manifestius declarat, dum se omnes quicumque ubiubi sunt, qui fuere quiq; futuri sunt posthac stulti, stolidi, fatui, fundi, bardi, buccones, blenni, anteire longè stultis & indoctis moribus profitetur. Et prius de re nihili Chrysalus:

*Tanti est, quanti est fungus putridus.*

---

## DE CUCURBITA. Cap. XI.

B Cucurbitam apud Ægyptios non inveni in suas literas receptam, apud alios tamen in hoc genere minimè præteritam.

## SPES INANES. Cap. XII.

NAm apud Onirocritas cucurbita spes inanes præsagit: ut pote quæ cum ventricosam admodum speciem præ se ferat, multumq; idem tidem nutrimenti polliceri videtur, illud tamen & tenue, & nisi condimento aliquo juvetur, egregriè fatuum est. *Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.*

## SALUBRITAS. Cap. XIII.

NEque tamen cucurbitæ fautores desunt, ut qui pro salubritate poni eam contendunt, ansa, ut puto, capta ex proverbio, κολοκύνθης ὑγιέστερος, quod ex Epicharmo sumptum memorat Athenæus, libro 3. *Artem l. 1. cap. 59. Cucurbita salubrior.*

---

C

## DE PAPAVERE. Cap. XIV.

PApaver nonnulli inter segetes enumerant, propterea quod Maro id Cereale dixerit: quasi non & olera, & edulia omnia è terra nascentia, Cereris esse munera cognoscāt. Ab hac igitur parte significata ejus exordiemur. *Georg. li. 1.*

## CERES. Cap. XV.

PApaver quidem Cererem, atque adeo terram omnem humano commercio habitatam hieroglyphico suo referebat, neque quidem hoc una tantum de causa: orbicularis enim figura ejus perinde ac terræ, protuberat undecumque, convallibus quibusdam veluti subsidentibus, montium quodammodo jugorumq; specie, locorumq; reductorum effigie: interiora deniq; folliculis quibusdam distincta gerit, veluti etiam nationes hominum & fluviis, & montibus, & urbibus dispertiuntur. Innumera præter hæc includit semina, est & hoc terræ benignæ proprium. Neq; quidem hoc cibum, nisi concutiatur, & obtundatur, & ventiletur, emittitur: neq; terra, nisi exaretur, sarriatur vertatur, obteratur, multisq; modis excutiatur agiteturq;, quicquam proficit. *Papaveris hieroglyph. terra.*

## IUSTITIA. Cap. XVI.

PRopter vero receptacula æquis inter se intervallis disgregata justitiam, ac legum lationem, quæ Cereri attribuuntur in primis, hieroglyphicè commonstrat: eaque de causa Dea ipsa & legifera, & justitiæ autor appellata est: sive, ut arbitrantur quidam, propterea quod semina penes se deposita magno cum fœnore reddere consueverit. Sane Virgilius & his, quæ superius dicta sunt, consideratis, non immerito *Cereale papaver* appellavit. Sunt qui nihil, quod ad eruditionem faciat, investigantes, *Cereale papaver* à Poëta dictum autument, quod Cererem in Proserpina filia conquiren- *Vel quia agrypniam ob filiæ molestiam contractam papaver sustulit.*

quirenda cibos sibi ex papavere confecisse tradant, quasi per somnium ea fuerit investiganda; quæ A meræ sunt nugæ.

## VENUS. Cap. XVII.

*Veneris statua.*

APud Sicyonios Venus, ut author est Pausanias, cum papavere in altera ex manibus contento figurabatur, quod dubio procul ad seminii copiam referendum est. Nam quantum ad amorem pertinet, in altera manu malum habebatur, quo de commentario suo dictum. Erat vero ejus Deæ statua auro eboreq; fabrefacta, in summo cujus vertice poculum insidebat, quod hieroglyphicum eo spectat, quod Maritum Græci, vel dicere velimus Amatorem, potionis nomine nuncupabant: πόσις enim utriusq; nomen, & πόθος Platoni amor.

## AMOR. Cap. XVIII.

*Sortilegium amoris*

NImirum autem papaver florens amoris indicium habetur apud sortilegos, cujus quidem folium qui amoris periculum facere volunt, pugno superponant, alteraq; passa manu illud allidentes, ex crepitu conjiciunt quod quærebant. Explorant enim, an amantes redamentur; nam quo clamosius insonuerit, eo se magis amari putant: quod si sonus oblanguerit, contemptui se habitos arbitrantur; cujus rei tum eo loco meminit Theocritus: B

οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτὶ μαξάμενος πλατάγησεν,
ἀλλ' αὐτὸς ἀπαλῷ ποτὶ πάχει ἐξαμάρανθη.

quod uno dici potest versu:

*Nec supercusso crepuêre papavera pugno.*

HUmani vero generis hieroglyphicum præ se ferre videtur, non ex iis tantum quæ superius de granorum dissepimentis dicta sunt, sed eo etiam constat, quod compitalibus, quæ in compitis Laræ, sive Larundæ, vel Maniæ Larum matri fiebant, humana capita sacrificabantur. Sed Junius Brutus Consul sacrificii genus abominabile & abhorrendum, suppositis puerorum loco allii papaverisq; capitibus, celebrandum instituit. C

## CAPITA. Cap. XX.

*Capita papaverum detrahere. Plin lib. 19 cap. 8. lib. 1.*

EST enim illud haud obscurum papaveris significatum, ut omnino capitis hieroglyphicum habeatur, adeo nullus olerum fœtus insigniore capitis honore conspicuus est: forte vastior fructus cinaræ, sed aut spinarum, aut integumentorum, quibus confertim circumvallatur, asperitate horridior, cum papaveris & lævore delicatus, & Regia corona redimitus, majestatem quandam præ se ferat. Jam & apud interpretes Theocriti μήκων λέγεται ἡ κεφαλή. Sed mihi videtur locus, potius ex historia desumptus, ubi Tarquinius cognomento Superbus, per hortum inambulans, nullo responso dato ei nuncio quem Sextus ejus filius, quid sibi agendum in Gabios esset sciscitatum miserat, tantum baculo eminentiora papaverum capita decutiebat. Ex quo Sextus intellexit, proceres populi paulatim summovendos. Sed hoc vetus fuit Corinthiorum exemplum, à quibus oriundi Tarquinii. Siquidem ferunt Periandrum, qui Corinthi tyrannidem exercuit, cum perfidum nuncium Thrasybulum Milesium consuluisset, quanam arte quave vi sibi principatum stabilire posset, nullum ab eo responsum accepisse: vidisse enim se tantum nuncius memorabat, eum in campum triticeæ segetis ingressum, eminentiores spicas baculo decussisse, atq; ita Periandrum instructum, capitibus civitatis cæde & exilio sublatis, tyrannidem occupasse. D

---

## DE VERBENA. Cap. XXI.

CApitis quod in papavere, est significatum, verbenæ reminisci facit, in qua de capite idemtidem non incuriosa & nunc est, & olim fuit investigatio.

CAPITA

## CAPITA DEORUM. Cap. XXII.

A VErbenarum fasciculi pulvinaribus dicati, Deos apud veteres significabant. Struppos eos vocitabant. Erat vero mos olim dona ejusmodi Deorum capita nuncupare. Sane apud Tusculanos fasciculus, vel corona herbacea imposita pulvinari Castoris, Struppum vocabatur. Alii struppum idem, quod strophium intellexerunt. Unde apud Falisco s Struppearia nuncupabantur festa, quibus ambulabant coronati. Atte jus Philologus Græcum esse vocabulum struppum putat, quippe στρόφον, & insigne fuisse, quod Sacerdotes in capite ornando gestarent, sive ea corona esset, sive aliud gestaminis pro corona: de quo videndus Festus, sed in codicibus emendatis. *Struppi quid.*

## DIVI PRÆCURSORIS CAPUT

### Cap. XXIII.

B NOn temere vero in nostram usq; diem mos plerisq; Italiæ civitatibus perduravit, unam è verbenis speciem, eamq; & grandiorem & odoratiorem in D. Johannis Præcursoris memoriam celebrare. Herba enim ea lato folio est, crispato que, aspera admodum lanugine, coloris cineritii multis scissuris corrugato, acutissimi odoris ac perjucundi, caule prælto, ramoso, quadrangulari, puniceis floribus ad bugloss æ propemodum similitudinem condensatis, intra quorum calices grana quatuor singulis, veluti panici papaverisve reperiuntur, quibus excussis pediculo pars adjuncta remanet, quasi quædam macilenti capitis effigies, idq; D. Joannis caput vulgus dictitat, herbamq; ejus nomini dicatam, non sine pietatis ostentatione pulvinaribus imponit, eademq; privatarum ædium januas parietesq; ornat, tamquam amuletum sit minime contemnendum. Nec me latet verbenas pro quibuscumq; sagminibus in sacris acceptas, & coronationum ritibus herbas quascumq; è Capitolio decerptas, pro verbenis habitas: ipsam autem verbenam multis à Dioscoride nominibus appellatam, & quæ super ea plurimi ætate nostra conscripsere, quæ hic repetere superfluum esset. *Verbena descriptio, & usus.* *A Plin. lib. 22. c. 2. Vna cum sua terra.*

## NOVA NUPTA. Cap. XXIV.

C QUi vero puellam pingunt verbenam sub amiculum occultantem, hieroglyphicum hujusmodi novam nuptam significare tradunt. Siquidem mos erat nuptiarum særo faciendo, ut nova nupta corollam de verbenæ floribus à se lectis sub amiculo gestaret. Sunt & alii verbenæ sive verbenacæ usus aliis atq; aliis antiquorum ceremoniis, magicis etiam elusionibus accommodati: sed nos ea tantum delibamus, quæ ad alicuj us hieroglyphici significationem pertinent. *Plin. lib. 25. c. 9.*

---

## DE FILICE.

### VOLATUS. Cap. XXV.

FIlix quoniam Struthiocameli pennis assimilatur, sunt qui volatum per herbam eam figurare cœperint, quod mihi non usq; quaq; approbatur. Nam l cet unaquæque penna volatus hieroglyphicum sit, instrumentumq; ejus rei proprium, cum tamen manifestum sit Struthiocamelum ex omnibus alitibus unum ob vasti corporis molem, vix posse sese humo attollere, alis vero uti ad cursum tantum adjuvandum, congruum mihi nō videtur ab eo significatum id desumere, quod ipse sibi natura repugnante præstare minimè possit. Sed de Struthiocamelo satis inter alitum significata. Id de filice proditum, non Struthiocameli tantum causa herbam eam Pteryga vocari à Græcis, sed quod ejus universum folium pennis alitum simile: de quo & Dioscorides & alii plura. *Dioscor. li. 4. c. 78. & 79. Plin. lib. 27. c. 9.*

### SECURITAS. Cap. XXVI.

MAgis autem placet illud quod securitatem per filicis hieroglyphicum indicari quidam memoriæ prodiderunt, propterea quod ejus herbæ odor serpentes fugat, animantium quippe genus

nus omninò pernicioſum: eaq; præcipuè de cauſa ruſticos ejuſmodi foliis grabatos ſuos farcire con- A
ſueſſe, ut interpretes Theocriti tradiderunt.

## ODIA CAPITALIA. Cap. XXVII.

*A Dioſcoride lib. 4. c. 78.*

ID etiam eſt filicis hieroglyphicum, ut arundini adalligata capitales indicet inimicitias: adeo enim inter ſe diſſident, ut altera alteram enecet, coronæ modo circumducta, vulneribuſq; alteris ſimpe factis: contuſa altera & impoſita efficaciſſimè medeantur. De quibus ita Celſus: *Peſſima ex ſarmentis arundo eſt, quia aſpera eademq; offenſa etiam in filice eſt, ſed uſu cognitum eſt, utramq; adverſus alteram medicamentum eſſe, ſi contrita ſuperimponatur.* De diſſentione ita Plinius: *Filices ajunt non renaſci arundine ſecta, aut exarata arundine vomeri impoſita: ſimiliter & arundinem exarari vomeri impoſita filice præcipiunt.* Quod vero adſupradictam pertinet medicinam, apud eundem lib. 24. cap. 11. eadem quæ Celſus tradit, legas.

*Plin. Ibid.*

B

## DE ABSINTHIO. Cap. XXVIII.

QUid ſibi vellet Abſinthium de favo mellis enatum, in Apis Commentario Lucretianum ſecuti carmen indicavimus: quid ſimplex ſibi velit, exponamus.

## SALUTIFERA CASTIGATIO. Cap. XXIX.

*Abſinthii & Mellis virtus contraria. A Dioſcor. li. 3. c. 23.*

SIgnificat enim graminis hujus hieroglyphicum objurgationem, quæ cuipiam ſalutem attulerit; qua ſcilicet increpitus qui tota aberrabat via prolapſus in ſcelerum voraginem, in meliorem mox regreſſus ſemitam, abjectis à ſe vitiis vitam inde degat inculpabilem. Amariſſimum eſt enim Abſinthium guſtu, perinde ac objurgationes unicuiq; videntur acerbæ, ſed ſi hauſtum non revomatur, omnem perpurgat inteſtinorum fæcem: contra vero mel, quæ placidæ ſint adulationes, bilem augent. Dicit enim Horatius ex medicorum dictatis, *Dulcia ſe in bilem vertunt*, ideoq; hominem in morbi alicujus incommodum trahunt: qua de re ſatis in Cervo, qui ſiſtulæ ſonantis adulationæ deceptus venatoris jaculum in ſe directum minus advertit. C

## SACERDOTIUM. Cap. XXX.

*Dioſcor. li. 3 cap. 24. Plin. 27. cap. 7.*

ERat vero Abſinthium marinum, quod quidam Seriphium vocant, Sacerdotum Iſiacorum geſtamen: hujus enim ramum illi præferre ſolemnè habebant oleaginorum ramorum loco, ut apud Dioſcoridem lib. 3. Quod vero Seriphium Abſinthium, quod & marinum dicitur, author idem, neque non Plinius ajunt Taphoſiri in Ægypto lætiſſimè provenire, Taphoſirin urbem Stephanus ideo dictam ait, quod ibi ſepultus ſit Oſiris.

## SANITAS. Cap. XXXI.

QUod vero poculum Abſinthii quadrigarum agitatoribus propinatum legas, indicat id Latinorum victorem: his enim feriis qui quadrigis vicerat, Abſinthium in Capitolio bibebat; idq; majores noſtri ſanitatem interpretabantur, quod magni ſatis præmii loco dare ſe profitebantur. D

## HYSSOPUS.

## ELUTIO. Cap. XXXII.

*Divina Hyſſopi ſignificatio, Pſal. 51.*

HYſſopus in Divinis literis hieroglyphicum eſt gratiæ ſpiritalis, perquam inquinati labe aliquid eluimur. Ejus aſpergine mundatur quoddam lepræ genus. Lepra paſſim humana delicta ſignificat, ſive peccatorum maculas appellare libeat. Hinc apud Pſalmographum, *Aſperges me Domine hyſſopo,*

A *lapo, & mundabor*, habetur. Eucherius eam pro humilitatis patientiæq; hieroglyphico ponit, propterea quod humilis admodum herba est, & lapidi, cui nascendo adhæresci t, aditi tecta: cujus radices saxum etiam dicuntur penetrare. Ipsa vero præcipuè pulmones curat. In pulmone sedem habere dicitur superbia, in quo scilicet tumor, & anhelitus. Cicero de natura Deorum: *In pulmonibus in est varitas ad hauriendum spiritum aptissima.* Quod vero Spiritus pro superbia vel animi elatione ponatur, idem oratione pro P. Sylla: *Res gestæ credo meæ me nimis extulerunt, & mihi nescio quos spiritus extulerunt.* Ibi autem apertius: *Nunc Capuæ Campano præsidio ac regio spiritu cum viderem, Blosios illos mihi videbar videre, ac subellios.*

*Matthæol. in Dioscor. lib. 3. c. 26.*

## DE ASPARAGO.

### EX ASPERITATE SUAVITAS. CAP. XXXIII.

B Multe aliquid & lene, quod ex aspera, duraq; re proveniret, significare qui vellent, hieroglyphicum Asparagi faciebant, surculum quippe jam maturum & seminibus instructum. Nam spina est, quæ semen illud fert, quo fato molles inde asparagi succidantur. In Bœotia sane qui novam nuptam comebant ornabantque, eam spinoso asparagi frutice coronabant, quoniam (ut apud Plutarchum est) de Conjugali vita, sicut suavissimum ille fructum de asperrima spina producit. Sic uxor viro primam illius asperitatem ac duritiam minus aspernanti, dulcem postmodum & suavem convictum præbet. Qui vero, ut idem Plutarchus ait, primas virginum rixas ferre nequeunt, similes profecto sunt iis, qui prima uvarum acerbitate offensi, eas etiam cum maturuerint, abhorrent.

*Dioscor. li. 2. cap. 12.*

*Bœotiorum mos in novæ nuptis.*

### CITO CONFECTUM. CAP. XXXIV.

Atque hæc de spina, Teneriores vero coliculi significatum habent rei quam ocyssimè paratæ, vel ipsius Augusti dicterio, cui frequentissimum illud erat dicere, *Citius quam asparagi coquantur*, cum quid momento minimo properatum innuere volebat. Ita illud apud Dioscoridem animadvertendum, ἐν ὀλίγῳ ἑψοῦσι, quod in antiquissimæ traductionis codice, Latina quidem phrasi, sed literis Longobardicis scripto, quem perlegi Florentiæ, quemq; Marcellus translationis suæ ducem habuit, *brevi coctura elixum*, legitur. Philemon Comicus, victitantibus asparago, perinde ac thymo etiam ac cappari, extenuationem corporum videtur exprobare, ubi ruralis parsimoniæ pœnitentem virum in scenam producit, querentem scilicet quod rus, ut medici, convenientia ægrotis tantum esculenta subministret. Addit illud:

*Suetonius in Augusto c. 87.*

C

*καὶ τὴν διὰ*
*τὴν πιτυοῦσαν τυνὶ ἁβρὰ, κἀσπάραγον,*
*θύμον, ἀσπάλαθον, αὐτὰ ταῦτα γὰρ δέδοικ'*
*μὴ λίαν ἰσχνάνωσιν μὴ ποιήσωσιν νεκρόν.*

quorum versuum hic est sensus:

D

*Atque per jovem*
*Innata petrus obsoniola, capparim,*
*Thymumq; & asparagum, & alia hujusmodi*
*Quam vereor, extenuatione præmia,*
*Ne me cadaver exanimum humi deserant.*

Quod vero Philemon πὶ πιτυοῦσα dicit, vide apud Dioscoridem quoq; in petrosis nasci asparagum, nulla facta de sativo, quo nunc plurimum utimur, mentione.

*Non quidem Dioscorid. sed Galenus eum qui petrum vocat. l. 6. simp. medicam.*

## DE CAPPARI. CAP. XXXV.

SEd quod ad Capparim attinet, ad hanc Philemonis sententiam facit Dioscoridis locus, qui eam nulli rei dixit esse utilem; nempe adeo tenue esse nutrimentum ejus, ut nullam afferat utilitatem.

## DE MANDRAGORA. CAP. XXXVI.

*Quin & perniciosum si Dioscoridi credendum, vomitum ciens, quod negat Matthæolus.*

MUlta super Mandragora dicenda essent, sed ea vel insuavia, vel abhorrenda: quarum in iis quæ humano generi perniciem afferunt, temperamento utendum est, quoniam etiam nescire quædam inter virtutes reponi solet.

## SOMNICULOSUS. CAP. XXXVII.

ID omnino non dissimulabimus somniculosum hominem per id genus herbam significari, propterea quod vis ejus media est inter venenum & soporem. Nam si quis vinum ea medicaverit, bibentem in profundum adeo somnum injiciet, ut expirasse credatur, memorabili Annibali exemplo, qui missus à Carthaginensibus in Afros qui rebellaverant, non ignarus ille gentem esse vini avidam, magnum ejus modium mandragora permiscuit, mox levi cum eis commisso prælio ex industria cessit, nocte inde intempesta relictis intra castra quibusdam sarcinis, & eo vino quod infecerat, fugam simulavit: cumq; Barbari occupatis castris gaudio effusi medicatum vinum hausissent, jacerentq; strati defunctorum in modum, reversus Annibal nullo negotio eos trucidavit: Rem Fronto exemplis suis adjecit. Quod vero ponit historia vinosos Afros, Cyprianus quoq; de Afrorum suorum bibacitate multa conqueritur, quæ propemodum jam, ut nunc apud Germanos, in civilium laudum locum irrepsisset. De soporifera vero Mandrogoræ vi Medici multa tradidere, idq; præcipuè, quod plurimus & efficacissimus est ejus usus in soporandis iis qui vel inurendi vel secandi sunt: altissimum enim per quatuor fermè horas somnum, potionem ita medicata exhausta, perleverare, ut neq; ignem neq; ferrum sentiant.

*Stratagema bellicum Annibalis.*

## AMATORIUM. CAP. XXXVIII.

*A Dioscoride l. 4. c. 61.*

PRoposui de veneficiis à mandragora nihil me dicturum, præsertim ea quæ pertinent ad amatoria, de quibus aliquid omnino habetur in sacris literis: sed nunc majoris illud curæ pretium esse duco, ut radicis ejus figuram, non temere tam insignem à Deo, sive à natura, ducente Deo, conformatam enarrem: cujus altera est virili specie, capite capillamento veluti quodam undecumque cooperto, pube etiam densissimis radicularum filis pudenda virilia cooperiente. Altera fœmina, iisdem velamentis, si quis curiosius rem ipsam inspectare voluerit, naturæ miraculum occultantibus, quotidianis testimoniis veritatem ipsam comprobantibus. Quod miros à quibusdam tam pertinaciter negari, cum præsertim vulgatum sit, Pythagoram herbam hanc ἀνθρωμόρφον appellasse, quo vocabulo nihil manifestius ad humani corporis formam exprimendam. Sed, si Deo placet, Pythagoram isti dicunt mysticum aliquid per id nominis intellexisse, eam quippe Philosophi locutionem ad poma ea spectare, quæ putant nonnulli Melenzana esse, quod ovalis figuræ sint, acpetinde testibus assimilentur. Lævis hæc est conjectura, siquidem ὄρχεως utriusq; generis vocabulum est, testiculi vero forma ad marem tantum pertinet. Sed quod arbitrari videatur Hermolaus Barbarus, vir undecumq; doctissimus, Melenzana apud Ligures, quasi mala insana dici, quam quidem conjecturam, ut inferius apparebit, puto eum ex Columellæ desumpsisse, cur non abamatore potius, quo, nisi condiantur, egregiè prædita sunt, dici ea arbitrentur? quod quidem propius ad Ligustici vocabuli simplicitatem accedit, qui Marezana ea vocant. Cæterum cum Dioscorides & reliqui Medici hanc & aliam Mandragoræ speciem frequenti usu sumptam inter venena connumerent, Marezana vero, quæ totius litteralis Liguriæ tractu modo recentia in jusculentis, modo condita aceto fœniculoq; superinsperso, in acetariis & frequenter & copiosè anno toto eduntur, nihil afferunt incommodi, sed & grata gustui, & corpori salubria sunt, nullo mihi pacto videntur inter mandragoras recensenda. Ad hæc cum Dioscor. Mandragoræ poma ovi vitelli similia dicat, avellanæ nucis alii Marezana nihil habent quo vel ovorum vitellis, vel id genus nucibus æquiparari possint: imo totius ovi speciem & magnitudinem præ se ferunt, plerumq; iis etiam grandiora, coloribus simillima, quod punicei colobris fimbriis ab ea parte, quæ Soli exposita est, non sine spectantium ap-

*Radicis Mandragoræ descriptio.*

*Nimirum à Matthæolo in Dioscor. l. 4. c. 61.*

*Ibid. Matthæolus contra Brasavolum & Fuchsium.*

*Melenzana seu Marezana.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A plausu & oblectatione dispescuntur: cumque valde maturuerint, totæ puniceæ fiunt, parte à Sole tacta semper densius colorata. Sed ut ad formam radicis quæ verè mandragora dicitur, reuertamur, id etiam miror, cur una cum Pythagora Columellam etiam nihili pendant, qui Pythagoricam secutus nuncupationem, ita super ea canit:

*Quamvis semihominis vesano gramine fœta,*
*Mandragoræ pariat flores, mœstamque cicutam.*

Quod vero Columella *vesano gramine* posuit, ad herbæ vim respexit, quæ aliter & Morion dicitur: ea enim, ut Medici tradidere, drachmæ unius pondere, vel in polenta, vel esculentis aliis data, fatuitatem inducit. Eucherius super hac in Geneti, nihil aliud dicit, nisi mandragoram genus pomi esse parvo peponi simillimum; quæ quidem forma ad Liguſtica, quæ dicebamus Amarezana, proximè accederet, nisi obstarent reliqua veneno super tradita.

## LÆTITIA. Cap. XXXIX.

B Sed ut mandragoram ab omni absolvamus ignominia, Xenophon eam pro lætitiæ argumento citat, apud quem in Sympósio Socrates ait, vinum non aliter mœrori mederi, quam mandragora hominibus, lætitiamque non aliter excitare, quam oleum inspersum igni flammam. Porro si mandragora venenum esset, aut mansa incommodum aliquod afferret, cur 30. Geneseos cap. Ruben triticeæ messis tempore in agrum exierit mandragoras reperturus, quas ad Liam matrem suam deferret, & Rachel explorata repetierit à sorore, ut in ejusmodi plantæ participatum admitteretur? cui Lia responderit: *Parumne tibi videtur, quod maritum mihi præripueris, nisi mandragoras etiam filii mei industria conquisitas tibi vendicare cogites?* & quæ de nocte mox pacta sequuntur mandragoræ pretio concessa. Unde suspicari possum, apud scriptores nostros parum de mandragora liquere, antiquissimum ejus usum & utilitatem esse temporibus nostris incognitam. Quod vero manifestissimum est, prisco illi seculo, ex historia sacra, cibum omnium pretiosissimum fuisse apparet: nostro autem tempore, si ea Liguſtica Amarezana est, cum tot condimentis inserviat, & olerum omnium per universum annum sit usitatissima, facessere jusserim eos qui eam infamem imaginantur. Sed qui plura super ea quæsierit, ad Plinium se conferat, l. 25. c. 13. *Genes. 30.* *Matthæolus in Dioscor. ibid.*

## DE BULBIS.

### NUPTIÆ. Cap. XL.

Sunt qui nuptias, atq; maritalem copulam (ita enim Græci γάμον intelligunt) per hieroglyphicum Bulbi significati velint: eo enim plurimum veteres utebantur ad languentem Venerem excitandam. Et viri in novis nuptiis prima die, authore Varrone de vita Patrum, bulbos comedebant. Hinc illud apud Martialem facetè dictum: *Dioscorides l. 2. c. 165. Bulborum usus.*

*Cum sit anus conjux, & sint tibi mortua membra,*
*Nil aliud bulbis quam satur esse potes.*

D Sed hoc Martial. ex Aristoph. desumpsisse videtur, ubi juvenis, Concionatricibus, à duabus vetulis distractus, quærit ab eis; quanam possit ratione duo eodem tempore navigia agitare? respondet una, Postquam bulborum ollam devoraveris. Docet vero M. Varro bulbos aqua decoquere ad usum Veneris. Apitius addit nucleos pineos, & semen erucæ cum pipere. Καὶ φαγὼν βολβῶν χόρον: *Qui devoraret bulborum ollam.*

## DE CICUTA. XLI.

Sed quoniam nequitiæ satis ubiq; est, longe utilius fore existimo si quæ ad ardorem Veneris potius extinguendum proponantur, quam quæ lasciviam fovere doceant, commemoremus.

## CASTIMONIA. Cap. XLII.

*Dioſc. li. 4. cap. 74. Cicuta efficacia. Pollutiones nocturnæ. Quo Socratem mori coegerunt. Dioſc. li. 3. c. 45. & Plin. l. 20. 23.*

CIcutam nonnulli pro hieroglyphico caſtimoniæ poſuere. Cauſam ego eam eſſe crediderim, quod ſi ejus herbæ ſucco teſtes illinantur, Venus cohibetur, præcipueq; ἐφίστιον γεγονὸς, quæ ſcilicet per ſomnium accidunt Veneris imaginationes compeſcuntur.

## SUPPLICIUM. Cap. XLIII.

UBi vaſa quædam, quid ſibi quæq; velint, recenſuimus, incidimus in calicem, cumq; non alia de cauſa ſupplicii de aliquo ſumpti hieroglyphicum eſſe docuimus, niſi ob cicutæ ſuccum, qui ſontibus capite damnatis propinari ſolitus eſſet, idq; præcipue Athenienſium inſtituto: ibique de calice in ſacris etiam literis diſſeruimus.

# DE RUTA.

## CASTIMONIA. Cap. XLIV.

*Ruta proprietates varia.*

EAdem ratione Ruta quoq; hieroglyphicum eſt caſtimoniæ, qua cicuta, diverſa tamen naturæ vi: illa, quia plurimum refrigerat; hæc quia ſupra modum exſiccat: atque, ut Dioſcorides tradit genituram in potu ciboq; extinguit ruta. Theophraſtus ob ſiccitatem durare, & ob caliditatem exurere dicit. Utcumque, ita Ovidius:

*Utilius ſummas acuentes lumina rutas,*
*Et quicquid Veneri corpora noſtra negat.*

Eſt & magis arcana cauſa, quam ſiccitas caliditasve nimia, quæ ratam continentioris vitæ hieroglyphicum eſſe juſſerit. Nam cum Serpens, ut ſuo loco dictum, voluptariæ nequitiæ ſignum ſit, ruta nimirum cum tota ſit Serpentibus adverſaria, eosq; vel odore fugat ſuo, ut pleriq; veterum tradidere, quamquam vim eam ineſſe uni ſylveſtri tradunt, merito pro caſtimonia ponitur. Ad id porro quod acuere lumina dicit Ovidius, Apulejus rorem ejus herbæ matutinum prodeſſe tradit, vel cum matutino maduerit, ſuccos in hunc uſum colligendos. Atque alibi, roſcidæ folia decocta in ſculo vitreo decoquenda, vino veteri admixto, atq; ita inungendum. Cur vero Serpentes rutam etiam horreſcant, cauſam eam Philoſophi comminiſcuntur, quod Serpentes frigiditate ſiccitateque ſint præcipua præditi, unde non immerito terrarum orbis per Serpentis effigiem oſtendatur. Siccum enim & frigidum eſt elementum terræ, & Saturno Anguis, ut alibi dictum, in manu ſtatuitur, cujus ſidus & frigiditate & ſiccitate cenſeri autumant Aſtronomi. Ruta vero quamvis calida admodum, ipſa tamen ſiccitate longe præſtat, adeo ut affluentiori quadam ariditatis vi apta ſit ad ſimile corrumpendum, eodem modo quo Proclus non aliam ob cauſam Galli cantum Leonibus horrori eſſe putat, niſi quia ſolaris virtus utrique inſita ſit animali, ſed longe præſtantius Gallo, quam Leoni. Neq; diſſimulanda eſt vis rutæ prorſus admiranda, quæ non Serpentes tantum fugat, verum etiam Feles (ita Foinas nonnulli vocant, de qua loco ſuo in Æluro) prohibeat ne adrepant, ſi ejus herbæ ramuli in columbarii feneſtris & ingreſſibus aliis ſuſpenſi fuerint, traditur à Florentino in Conſtantini Cæſaris collectaneis. Quod vero venenis ruta reſiſtat, Muſtelæ ſunt documento, quæ cum Serpentibus dimicaturæ, cibo ejus armantur, unde eam à nonnullis Viperalem appellari, tradidit Apulejus. Et Mithridaticum illud adverſus venena medicamentum nulli jam non innotuit: regem quippe Ponti Mithridatem cum fratris ſui timeret inſidias, rutæ folia xx. cum duabus nucibus juglandibus, & totidem caricis, admixto ſalis grano, jejunum quotidiè accepiſſe.

*Plin. li. 20. c. 13.*

*Dioſc. ibid. Matthiol. Ibid. Plin. li. 8. c. 27. & li. 20. c. 13.*

# DE CONIZA.

## ABLIGURITOR. Cap. XLV.

*Abligurizorum indicium. Hor. Epiſt. lib. 2. Ep. 2.*

ÆGyptii Sacerdotes hominem qui bona ſua abligurifſet, &, ut Horatius diceret, *paternas maternaſq; res fortiter abſumpſiſſet*, ſignificare ſi vellent, pecudes caprasve Coniza depaſcentes, hieroglyphico facere conſueverunt: ſiquidem conſtat animalia ea, quæ Coniza veſcuntur, inſatiabili

A bili inde siti confecta deficere. Quoniam vero peculium Ægyptiorum fere omne in gregibus consistebat, unde universa ea gens Pastores à nonnullis in opprobrium vocitati, quamquam, ut alibi diximus, sacerdotes eorum, quiq; sacro cuipiam initiati essent, Pastores ita abominabantur, ut ne alloqui quidem eos fas putarent, notum ex historia sacra, cum Pharao coloniam Josippi parentibus & fratribus indulgere meditaretur, non admittendos in Ægyptiorum commercia censuit: quia Josippus industriam eorum omnem in armentis esse confessus erat, eos tamen & commode & liberaliter, opportuno feraciſſimoq; loco, seorsum à suorum consortio habitare jussit. Utcumq; autem, censum Ægyptiorum per Oves & Capras exprimere moris erat. *Gen. c. 47.*

## AMATÆ REI DESERTOR. CAP. XLVI.

SEd enim quæ vis herbæ ejus esset in polypos, curq; hominem amata relinquere pernicem, subito tamen eventu aliquo abalienatum, per conizam admotam Polypo, sacerdotes ipsi commonstrare soliti essent, in Polypi commentario inter pisces enarratum est. Exigere vero res mihi videtur, quoniam de coniza faccre mentionem sæpe contiget, super ea loco hoc quædam aperire, quæ apud authores tam Græcos quam Latinos varie tradita sunt, atq; ea quidem perplexe admodum.

B Origanum herba est vulgo nota Romæ, atq; aliis universæ Italiæ locis, κονίζα Græce, Cunila plurimum Latine dicta, quam, utpote præcipue suam, Ligures littorales Cornabuliam vocant, putri, ut proverbio fertur, aptissimam salsamento: nomen ab ea specie sumptum, quæ Cunila bubula appellatur. Cæterum cum permultæ ejus species ab authoribus referantur, eademq; variis cognominatis appelletur, diligentiori cura ad Medicos delegata, satis nos habituri sumus, si Cunilam bubulam eam acceperimus, quæ Origani species est, quam à testudine cum eam Viperam ederit, ad incolumitatem carpi dicit Aristoteles, & ab eo Plutarchus. Apud Plinium legas, contra Serpentes privatim in vino bibi, quæ Cunila bubula appellatur. Apud Aristotelem, Ciconiæ cum vulnus acceperint (eas enim cum Serpentibus assidue dimicare cognitum) Origanum plagæ imponunt. Theodorus Gaza, vir accuratissimus, Origanum libenter Cunilam vocat, alicubi Pulicarem, quia pulices necat, stratis supposita, strataq; sub lecticis. Cunilam hanc nostratem Saturejam à rusticis vocari tradit lib. 10. Columella. Horum testimonia ferunt adducenda, quia sunt nonnulli, qui Cunilam

C bubulam eandem & Origanum esse pertinacius negant. Addam & illud, cum inter tres præcipuas Origani species Onites connumeretur, doctissimos ætate nostra viros de hac non parum dubitare, eamq; sibi incognitam ingenue profiteri. Nostri Bellunenses agrestem quandam Origani speciem vulgo provenientem, caule, foliis, & floribus grandioribus, odore tantum non usquequaq; suavi, sed vastiore, Pulelium asininum vocant, quæ nimirum Cunila bubula est, quæ in Liguribus Cornabulia, & eodem apud nos usu, quo apud Ligures, salsamentis inspersa. Putarim vero Onitis vocabulum ἀπὸ τοῦ ὄνου, qui Asinus est, commodissime deductum. De Formicis vero nostræ hujus odore fugatis, experimentum ipse feci, quod ad biduū post insperſionem efficaciter succesſit, ut locū omnino desererent. Ne vero cuipiam mirum adeo videatur, gramini huic eam ineſſe vim, Ambrosius herbam quandam memorat, Gillam appellatam, cujus folia turtur nidis suis exclusō fœtu superjaciat, eoq; pacto pullos à Luporum incursu deprædationeq; tutetur: Lupus enim folium ejusmodi usq; ad fugam abhorret. Leopardus vero allium ita sibi sentit abominabile atq; contrarium, ut si quis eo locum, ubi ille morari sit solitus, confricuerit, exilire cogatur, & aufugere. Ælianus 1. de Animal

D naturis scribit, Noctuas à Ciconiis suo nido procul summoveri, platani eo foliis importatis, quorum contactum Noctuæ ferre nequeant, ex eo in torporem dilabentes, Ciconiasq; ita pullorum suorum incolumitati prospicere, quibus assidue Noctuæ inimicabiliter insidiantur: de quarum aliarum inimicitiis suo loco dictum. Neq; vero Ciconiæ tantum, Turturesve, aut Testudines medelam sibi nanciscuntur naturæ ductu, verum etiam & Canes, & Sues, & ex brutis pleraq; alia. Canes quidem cum Fellis vitio laborant, gramen illud suum depascuntur. Sues si cephalalgia crucientur, fluviales Cancros investigant. Mustelæ rutam, si venenatum quid comederint, carpunt. Angues marathro lippientes oculos depurgant. Hujusce rei quænam sit causa non otiose quæritur à quibusdam: quippe cum animalia hæc neq; talia didicerint ab aliis, neq; quidem doceri potuerint, cur ita

*Origani Græcis Conizæ, amplа descriptio, ejusq; virtutes.*

*Ita & Dioscor. lib. 3. c. 28.*

*Lupi Gillæ herba fugantur. Leopardus allio.*

*Canes, Sues, Angues, naturæ ductu remedia sibi propria comparant.*

norint quæ suis sint ægritudinibus utilia. Putant igitur accidere, quemadmodum favi odore solo Apes ad sese alliciunt, & cadavera Vultures, vel procul absentes, sic etiam Cancri Sues illectent, Origanum Testudines, Uesam Formicæ, de qua suo loco diximus, id vero nulla ratione fieri, neq; quod sensus & facultatis ejus, qua vel intelligere vel cognoscere queant, participes habeantur, commentiq; sunt corporum conflaturas, diceret Plinius, in causam adducere, quæ hujusmodi appetitus in animalibus concitent, quæ humorum mutatione varios, dum laborant, appetant vel acores, vel dulcedines, vel alias, uti usui venerit, qualitates, fieriq; plerumq; id importune, ac præter metum, & indecenter: id quod in mulieribus præcipue videre est, quædam prægnantes sunt, & lapides, & terram, & sordes alias, & humanam interdum carnem appetunt ad vescendum: quod superioribus annis in Insubria accidit, ubi matrona quædam nobilis, cum oculos in coloni sui torosiores musculos, qui de coxendicibus protuberabant, injecisset, tanta arrepta est aviditate carnis ejus frustulum gustandi, ut nisi compos fieret, defecturam se profiteretur, aut abortum facturam: quo metu conjux ejus commotus maxima mercede cum colono convenit, ut abscindi sibi musculi partem pateretur, ne patrona sua exanimaretur: ille pretii lenocinio ductus, conditionem accepit, succisumq; est frustum, modicoq; insperso sale prunis tostum quo illa devorato incolumis quam primum evasit. Quocirca Medici cum in effrænatas hujusmodi appetentias incidunt, quæ salubria, quæ minus, novisse debent: nam aliquid hujusmodi fere graviter decumbentibus accidere interdum solet. Scribit Mnesitheus medicus in pneumoniæ principio, quendam qui cæpe concupierat, evasisse: quendam vero qui ficus appetierat, periisse: propterea quod appetitio corporis, qualitas vero teturaq; ipsa, ut quæq; est, morbis obsequitur. Ex quo manifestum esse autumant, feras quoque, cum in pernicioſas & lethales ægritudines inciderint, non alia de causa in hujusmodi appetentias ferri, quam ob naturæ ipsius (utar Lucretiano vocabulo) composituras, quæ illas ad ea sponte incitant, quæ saluti futura videantur. In hunc modum disputant hi, qui nihil aliud brutis animalibus concessum volunt, quam sentire & pasci. Antiquiores tamen Philosophi pleriq; bruta etiam inmentis intelligentiæ participatum admittunt, quorum nos argumenta validiora alibi, & in Elephanti & Formicæ commentariis recitavimus. Iis vero hic contenti, quæ ad veterum hieroglyphica facere videantur, prosequamur.

*Mirum de muliere gravida.*

*Appetentiarum eventus.*

## DE HELIOTROPIO ET SELENOTROPIO. TERRENORUM CUM COELESTIBUS TEMPERATURA. CAP. XLVII.

QUod si cognationem, consensumve, aut temperaturam, quam inferioris naturæ istiusmodi res cum cœlestibus habent, infimis quippe suprema, & supremis infima, occultis quibusdam vinculis colligata esse ostendere voluissent, nullo evidentiori signo, proptioreve hieroglyphico id exprimere consueverunt, quam cum herbas duas, Solisequam & Lunisequam figurassent. Liceat vero mihi ἡλιοτρόπιον & σελινοτρόπιον, ita Latina facere: illa enim ad Solis motum Solem versus movetur, hæc vero ad Lunam vertitur. Sunt vero & alii flores tam arborum quam herbarum, qui hoc imitari videntur, sed his duobus nulli manifestius. Proin Ægyptii eandem rerum omnium rationem esse contendebant, ut intellectu alia, ut ratione alia, alia natura, alia sensu superioribus devincirentur, & suam quæq; concordiam affectarentur.

*Plin. li. 22. c. 21. De lunisequa nihil constat.*

## DE LUPINO. CAP. XLVIII.

TRahit similis quodammodo natura, ut Heliotropio Lupinum subjiciam: nam id quoq; ad Solis cursum vertitur.

*Plin. lib. 18. c. 14. Rusticorū clepsydra. Necnon à Plin. li. 18. c. 14. Plin. ibid.*

## HORÆ. CAP. XLIX.

PEr ejus autem figuram temporis dimensio, vel horæ hieroglyphice significantur: quæ quidem ab eo furculo tam manifeste distinguuntur, ut agricolæ peritiores diurnas horas, aere etiam nubiloso ex ejus motu conversioneq; deprehendant. Traditum ab Apulejo lib. de Re rustica.

SUIS

## SUIS VIRIBUS POLLENS. CAP. L.

A ET quoniam in ingenium est lupino ut coli nolit, sitq; negligentia ipsa fertilis, apte quis fecerit, si hominem, qui suopte ingenio vel industria sibi necessaria comparet, ejusmodi surculi gestamine insignivierit.

## DE NICTERETO. CAP. LI.

SI vero hominem occursum cujuspiam rei natura expavescentem ostendere curassent Ægyptii, Nyctereton herbam & Anserem faciebant. Ferunt enim Anserem ad primum conspectum ejus expavescere, unde & χηνάμυκος vocatur. Herba est coloris, ignei, foliis spinæ, nec à terra se attollens, noctibus interlucens, & quoniam è longinquo etiam noctibus fulget, νυκτιφίλος appellatur.

*Hæc omnia à Plin. libr. 11. c. 11. Vel Nyctilopa, ut ibi Plin.*

## DE BLITTO.

B

## FATUUS ET INSULSUS. CAP. LII.

FAtuum & insulsum turpiq; deditum inertiæ hominem, per Blittum herbam significare mos erat. Stupidi enim saporis herba omnino est, neq; ullam habet acrimoniam: unde convitium in fœminas mariti faciunt apud Menandrum, βλίτιδα eas appellantes. Et Truculento Plautus non infacete dixit, *blitteam meretricem*, quæ non saperet in vino ad rem suam: qui locus imperite satis à nonnullis invertitur, qui Bletetam & Bletem nescio quod incommodi calceamenti genus exquisivere hujusmodi contemptum. Laberius dixit bipedem blitteam belluam. Et Empedocles, ut apud Varronem est, humilem humani generis conditionem ostensurus, natos homines ex terra ait, ut Blittum. Sane illi nomen herbæ a stupore est: βλαξ enim stupidus Græcis, stolidusq; & ignarus.

*Qua idea à Plin. interp. li. 20. c. 22. & à Dioscor. nullius usus in medicina l. 2. ca. 110.*

*Hinc forsan Gallicum convitium balisire.*

## DE BETA. CAP. LIII.

C SUnt qui betum & blittam idem esse sentiant, Martialis puto carmine decepti, qui scripserit,

*Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,*
*O quam sæpe petet vina piperque coquus.*

quas aliter paratas nihil sapere exquisitioris ganeæ proceres profitentur. Sed enim Dioscorides blittum à beta secernit, & blittum quidem apud Ægyptios Æclororipem apud alios Eriplem, apud Romanos pariter & Græcos blittum appellari: edi oleris modo, ventrem tantum dejicere, medicas vires habere nullas: cum beata ea sit, quæ Atticis πύτλον nuncupetur, olus ubiq; locorum celeberrimum usitatissimumq; alicujus omnino suavitatis, quodq; à civilibus mensis minime rejiciatur, quæ pluribus apta medicinis, multas humano generi conferat utilitates, quas qui nosse voluerit, Dioscoridem legat lib. altero, cap. 110. Theophrastum 8. Æginetam 6. Plinium 19. item alios.

*Li. 2. c. 110. Beta & Blitti differentia.*

## MOLLITIES. CAP. LIV.

D PEr ejus vero hieroglyphicum cynædica petulantia, mollisq; & enervis lascivia notatur, pervulgato illo Cynici Diogenis dicto, qui cum à petulcoribus quibusdam pueris convitio incessetur: quod Canis esset, ac subinde fugitarent, quærente eo cur fugerent, *Ne mordeas*, respondentibus: *Bono estote*, inquit, *animo, Canes non edunt betulas.*

*Quinimo folia sunt delicatissima ad instar Catti, quem Cardenem decimum, præ pauca.*

*Diogenis Cynici dictum. D. Laert. in ejus vita.*

## DE CAPILLO VENERIS.

## EBRIETATIS REMEDIUM. CAP. LV.

QUi significare hieroglyphice volunt hominem ebriositate laborantem, ac sibi remedium commiscentem ut præmonstrarunt Ægyptii, Upupam & Capillum Veneris herbam faciebant.

*Capilli Veneris varia nomina, & etymologia. Plin. li. 22. c. 11.*

*Vide Matthaeol. sub finem c. 132. li. 4. Dioso.*

bant. Upupa siquidem uvis vescitur immodice, ita ut plerumq; inde ebria fiat: verum simulac se A tentari senserit, Capillo Veneris decerpto, efficacissime sibi medicatur. Herbam hanc Adianton Græci vocant, ἀπὸ τοῦ μὴ διαίνεσθαι, hoc est, à non marcescendo: neq; enim brama, ut herbæ reliquæ, marcescit, neq; aqua perfusum mersumve καλλίτριχον multi, hoc est, pulchricomum, alii πολύκομον, id est, multicomum, utrumq; ab effectu vocant, licet πολύκομον, nonnulli canocomum interpretentur, quin etiam ab effectu Saxifragum appellarunt. Capillum vero Veneris ideo Latini dicunt, quia capillum præcipue tingit: ad hoc decoquitur in vino cum semine Apii, adjecto oleo copioso, ut crispum densumq; faciat. Defluere vero prohibet, Ursino adipe & ladano admixtis.

## DE APIASTRO.

### POPULUS LEGE COERCITUS. Cap. LVI.

*Vide Plin. li. 21. c. 12.*

APem suo commentario populum inter alia significare diximus. Eum vero legibus coercitum hieroglyphico aliquo figurare qui vellent, Apem & apiastrum herbam proponebant: qua si B perungantur alvearia, non fugere Apes tradunt: nullo enim magis gaudent flore, eaque de causa μελιαστόφυλλον; & melitænam appellatam constat, quæ marrubium est nonnullis.

## DE BRASSICA. Cap. LVII.

*Athenæus dipnos. Theophrastus & Plin. li. 20. c. 9.*

QUod autem ad modo memoratam Upupam & Adiantum facit, auxilio etiam esse ajunt brassicam: ubi quis ebrietate tentetur. Nam ante cibum sumpta, largiores potationes ne lædant, efficit, ut authores pleriq; tradunt, præsertim Græci.

### INTERTURBATA LÆTITIA. Cap. LVIII.

*Plin. Ibid.*

UNde qui lætitiam interturbatam importunitate cujuspiam hieroglyphice notatam volunt, Brassicam inter duos vitium surculos adsitam constituunt. Vino enim, quod præcipuum est lætitiæ hieroglyphicum, ea, ut apud Plinium est, aversatur, in primisq; est vitib. inimica, vitesq; illi, ut C perniciosa alterutri foveant inter sese odia. Nam vites, ut secundo de Divinatione Tullius, à caulibus Brassicis, si propter sati sint, ut à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur: & quamvis rei cujuscumq; adminicula claviculis pervestigent, quæ tanquam manibus apprehendant, atq; ita se erigant, hos tamen, uteumq; prope adsint, nulla ex parte contingunt. Ad hæc Beritius, ubi & sua, & Tarentini sententia, nihil in vinetis seminandum censet, Brassicam præcipue summovendam præcipit, utpote quæ vitibus egregie contraria sit: & cum propter naturæ suæ siccitatem multo indigeat humore, evenit ut juxta adsita vitibus alimentum subtrahat. Tanta vero inter vitem & brassicam dissensio est, ut si quis vinum dum ea coquitur instillaverit, ne postmodum coquatur, efficiat, & oleris colorem vitiet. Quiq; prius crudam brassicam ederit, vino quantumvis largiter hausto tentari non poterit, quia vis ejus occursu brassicæ hebetatur, fractaq; labascit. Hinc plerisque Italiæ regionibus, & totius etiamnum Europæ provinciis mos inolevit, ut cum calendæ Augusti vulgo Baccho dicatæ habeantur, permissa eo die unicuique volenti largius epotandi licentia, sympositisque ad hoc institutis, & curiosissime celebratis, in quibus Augustum se capessere glorientur, brassicas idemtidem ut ebrietatis antidotum in ferculis præsumant. Affirmat & illud Beritius, quod ex Cicerone retulimus, si juxta deposita vitis sit, ultro eam effugere, & in contrariam partem sarmenta convertere: id quod nos in hortis nostris Castalioneis fieri vidimus extra quorum septum excitata pergula, quam juxta positæ vites inscenderent ad meridiem, accidit ut hortulani incuria differtim brassicæ subseminarentur, tum vites quumprimum pampinos emittere cœperunt, brassicarum juxta surgentium odore offensæ surculos converterunt, omissaque percommode parata pergula, ultra septum ad septemtriones sese porrexere. Abfueram ego tres menses, dum hæc nulla curantur diligentia. Reversus autem avulsis inde caulibus coactus sum bonam earum partem pedamentis ac ridicis alieno loco sustentare, quod præter spem feliciter cessit, pergula intra

*Vitis & Brassicæ dissensio mirabilis. Plin. ibid.*

A ra & extra hortos duplicata. Citat Varro Neſtoris Alexicepon, elegiaco numero conſcriptum, in quo harum inimicitiarum cauſa decantatur. Bacchum quippe furibundi Lycurgi timore perculſum in mare ſe proripuiſſe, in eoq; delituiſſe, mox ab emerſu clandeſtino Lycurgum in inſidiis invaſiſſe, quem vite devinxerit: illum indignabundum cum improviſam capturam ferret impatienter, lacrymas emiſiſſe, ex quibus enata ſit braſſica: atq; hinc orta diſſidia, & implacabilis plantarum earum contrarietas. Tabeſcere enim eam neceſſe eſt, ſi fortiori viti proxima fuerit: vel vitem, ſi tenella ſit, ipſa tabefaciat. Uſq; adeo vero odia hæc in uvæ nomen exercentur, ut (quod idem Varro tradit) quod incommodum uva in humano gutture appellatur, odioſum admodum, ſi nimia deſtinatione laxata fuerit, cohiberi, retrahiq; facillime poſſe credatur, ſi crudæ braſſicæ ſuccus capiti ſuperfundatur. Sed mirum eſt admodum has foliis & pampinis inſitas eſſe adverſus vinum inimicitias radici vero conciliationem ineſſe. Nam qui vinum in acetum trium horarum ſpatio verti docent, inter quos Varro ipſe eſt, radicem betæ contuſam in dolium conjiciendam monent: ſin vero reſtituere vinum malueris, braſſicæ radicem eodem modo præcipiunt immittendam. *Fabuloſa antipathia braſſicæ & vini cauſa.*

B

*Hieroglyphicorum Ioann. Pierii Valeriani Finis.*

---

# ERUDITISSIMI VIRI HIEROGLYPHICORUM COMMENTARIORUM LIBER PRIOR, EA CONTINENS, QUÆ PER VARIA DEORUM ET HOminum ſimulacra ſignificantur.

## AD BASILIUM AMERBACCHIUM J. C. PERITISSIMUM.

C

*CVm difficillimum ſit ea in lucem edere, ob ingeniorum moroſam ſæpe varietatem, quæ omnibus placeant, opus eſt illa alicujus viri authoritate fulciri, qui & calumniatores ac detractores deterrere poſſit: & ſi quid in controverſia fuerit, dijudicare, rectaque & vera comprobare falſa autem refellere. Unde etiam ſit, ut virtutes illorum quibus ſcripta dicantur, ejuſdem ſæculi hominum teſtimonio celebrentur, & ſic patrocinii ſui præmium amplum referant; memoriam videlicet earum virtutum, quarum quamvis docti ipſi ſint, nulla fama ipſorum ſcriptis ad poſteros perveniret. Nam Principum quidem atque Heroum res geſtas memoriæ mandant Hiſtorici: eruditionis ſuæ monumenta alii docti viri relinquunt; horum autem omnium humanitatis, ſapientiæ, virtutum teſtes & præcones non alii ſunt, quam omnis generis ſcriptores, qui illis monumenta ſua inſcribunt. Quamobrem æque prudenter mihi rebus ſuis conſuliſſe videntur, & qui ſcripta ſua doctorum patrocinio commiſerunt, & qui itarationes ſuas inſtituerunt, ut & docti ipſi eſſent, & à bonarum literarum ſtudioſis celebrarentur. Illi enim ſcriptis ſuis authoritatem conciliarunt, hi virtutes ſuas ab oblivionis tenebris vendicarunt. Hos igitur ego imitari cupiens, quem alium huic meo Hieroglyphicorum priori commentariolo patronum conciliarem potius quam te, qui & tanta eruditione atque authoritate es, ut tuo fretus patrocinio libere in omnium manus venire poſſim; & familiæ noſtræ ita conjunctus, ut primæ ætatis bonam partem ſimul tranſegerimus, cujusque humanitatem ſingularem ac benevolentiam quotidie experimur? Hunc igitur meum laborem eodem animo complectere, quo me noſtramq; domum jamdudum amplecteris. Vale.*

D

# DE ENEPH, ÆGYPTIORUM DEO. CREATOR ET CREATIO MUNDI. CAP. I.

*Eneph explicata descriptio.*

PEr Eneph, quem pro Deo colebant Ægyptii, ipsum totius mundi atq; universitatis creatorem opificēque pulcherrimo hieroglyphico ostendebant: cui hominis formam tribuebant, eumq; cœrulea veste indutum, zonamq; tenentem & sceptrum pingebant, ac ejus in capite pennam ponebant: ut testatur Eusebius in libris de præparatione Evangelica. Penna enim in capite, significat difficilem inventu esse creatorē, & nemini conspicuum, sed sublimem, non modo supra sensum verum etiam supra humanæ intelligentiæ captum: humana vero forma, eundem vitæ authorem, & motu qui intellectu comprehendi possit, circulatum indicabat, quoniam ut hominis corpus quidem cernitur, mens vero ipsa quæ hominem à cæteris animantibus disjungit, estq; ejus naturæ propria, cerni à nullo potest: sic etiam Dei ac summi opificis actiones & motus, quæ ipse in sacris literis *Posteriora* vocat, non secus atq; Aristoteles effectus *Posteriora*, causas vero *Prima* nominat, ab humano intellectu cerni possunt: mens vero ipsa & Divina natura, quæ illa moderatur & gubernat, in hujus corporis carcere absolute cognosci non potest: & ideo cœrulea veste indutum eum pingebant, ut cœlestem illum esse significarent, & in cœlo habitare, nullius coloris vel accidentis, mixtionisve participem, etiamsi nobis ea fortasse suscipere videatur: & modo irasci, modo placari, quemadmodum cœlum ipsum, cum nullius coloris sit, propter intervalli longitudinem cœruleum videtur: & sic simul quoq; ejus naturam tantum à nostra distare indicabant, quantum cœlum aetera distat. Sceptrum vero potestatem ejus regiam in universam naturam significat, & zona vinculum, quo creata omnia colligat, & quo vitæ necisq; fata continet: hoc est, ortus atq; interitus, & rerum naturalium causas. Est autem zona circulus ille, quem Astronomi Zodiacum vocant. Præterea hunc Deum ovum ex ore producentem faciebant, quod mundum significabat Dei verbo creatum, ut etiam Sacræ literæ testantur.



# DE PANE ARCADIÆ DEO, VEL SATYRIS ET FAUNIS. UNIVERSUM VEL MUNDUS. CAP. II.

*Panes figura, ejusque explicatio hieroglyphica. Eadem figura & hieroglyphico. Pierius lib. 10. cap. 44. Idē Macro. Saturn. lib. 1. c. 22.*

PAne, quem & Innuum & Faunū vocavere, sic pingebant veteres; Caprina facie, rubro colore, hirtis cornibus, varia Pantheræ pelle indutū, infima sui parte hispida, & caprino pede: alteram manu fistulā septē calamorū tenentem, altera pedum sive baculum incurvum: hacq; figura universi symbolū contineri volebant. Faciem, rubens æthera significat, bina cornua Solē & Lunā, Pantheræ pellis cœlestiū siderū varietatem. Pars ejus inferior hispida singebatur, propter arbores, virgulta & feras: caprini pedes terræ soliditatē ostendunt: fistula septē calamorum, harmoniā cœli,



in qua

A in qua septem soni sunt, & septem discrimina vocum: virga recurva annum qui in se recurri, & ideo πᾶν, id est, totum appellatus. Sic autem symbolum hoc interpretātur Eusebius, Phurnutus & Servius.

## INDIGENA VEL NOBILIS. Cap. III.

EJusdem Panos simulacro indigenam significari, testatur Virgilius his carminibus:

*Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,*
*Gensque virum truncis & duro robore nata.*

Nam Deorum filios ajebant esse Faunos, è terra & divino semine genitos, Faunorum vero liberos heroas, & demum ab heroibus homines natos; unde recte per Fauni simulacrum etiam generis nobilitas significabitur: est enim in magna parte nobilitatis, non advenam, sed indigenam esse. Quamobrem legimus apud Platonem Atheniensium nobilitatem ideirco cæterarum civitatum nobilitati præstitisse, quod illi ex ipsa terra geniti essent, nec alio commigrassent.

*Sed diversos esse Pana & Faunū plerique omnes Æne. lib. 8. Qui & αὐτόχθων & ἐγχώριος. Idem Virg. de Latinis. Ænei. l. 12. Pan, quomodo verus & falsus.*

## SERMO Cap. IV.

B PEr eundem Pana & sermonem significari, tradit Plato, Ægyptiorum arcanorum interpres in Cratylo, quod non secus ac Pan vagari ac circumire fingitur: sic sermo omnia complectatur, & per omnia vagetur, versetq; cuncta: & geminus sit, verus ac falsus. Quod autem verum est ex ipso, id quia leve ac divinum est, & superne apud Deum habitat, pectore & capite significari: quod vero falsum, quia inferne inter vulgus hominum manet, inferiore parte quæ hispida est & hircina, ob asperitatem turpitudinemq; ostendit: & ideo à Græcis πᾶν, appellatum dicit, id est, totum, quia sermo totum comprehendit & versat.

*Nimirum imo & intimo pectore ac corde. Vbi insunt sensus omnes. Qui & parvus mundus dictus.*



## MUNDI HIEROGLYHPICUM. Cap. V.

C MUndum alio etiam modo Ægyptii hominis effigie pingebant, complicatis pedibus eum facientes, vestem variam ad talos usq; indutum, & aureū globum capite sustinentem. Pedibus quidem complicatis, propter terræ firmitatem, varia & oblonga veste indutum, propter elementorum ac rerum quæ ex illis gignuntur, & quibus terra vestitur varietatem & copiam: aureum vero globum capiti ejus imposuerunt, qui cœlum significaret sphæricum, & circularem ejus motum.



## SOLIS SIMULACRUM. Cap. VI.

D SOlem pingebant juvenili & rotunda facie, eumq; in navi collocabant, quam crocodilus ferebat: per navigium motum ejus in humido significantes, hoc est, in æthere vel intelligentiis: nam & æther multi humidum esse putarunt, & in sicco tam diuturnum motum fieri non posse, & cœlos aqueos dixerunt: unde in sacris literis tam sæpe cœlestium aquarum mentio fit, & Angeli ipsi Aquarum nomine à Davide comprehenduntur. Per Crocodilum vero aquam pluviam, cujus causa Soli tribuitur.

*Ideoq; ab Ovi. 1. Metam. liquidum dictū. A Pier. lib. 38. in doctrina cœlesti. Psal. 148. v. 4. alii tamen cœlum decimum aqueum & crystallinā empyreo proxime inferius exponunt.*

## OSIRIS.

### SOLIS ET LUNÆ CONJUNCTIO. Cap. VII.

*Sic Osiris Ægyptiis pro Sole Macro Saturn. lib. 1. c. 21.*

IN Elephantinopoli Ægyptia urbe Osiridis simulacrum colebatur, viri corpus habens cœrulei coloris, caput vero arietis, quod Solis ac Lunæ conjunctionem significasse tradit Eusebius. Cœruleus autem color ei propter humiditatem tribuebatur, quia Lunaris conjunctio humidior est nec ea, quia noctes cœruleas facit: tunc enim potissimum noctibus serenis cœruleum videtur cœlum.

### LUNÆ SIMULACRUM. Cap. VIII.

IN Heliopoli vero ejusdem provinciæ urbe, Lunæ simulacrum hoc symbolo consecratum erat: Homo accipitris habens faciem, lancea Typhona interficiens. Pingitur autem Typho fluviatilis equi forma: & totum hoc simulacrum candidi coloris erat, qui color ab alio lumen accipere Lunã significaret: accipitris vero facies à Sole eam lumen capere indicabat, unde & spiritum attraheret. Sol enim accipiter dicatus erat, qui ut etiam Pierius testatur, lucis ac spiritus symbolum est, tum propter motus velocitatem, tum quia alii altiora & lucidiora petit.

*Pierius lib. 21. in Deut.*

## PLUTO.

### OCCULTA CONSILIA. Cap. IX.

*Pluto galeatus, occulta principia generationis indicat. Pier. li. 42. in Galea.*

VEteres cum consilia & cogitationes occultas esse debere significare volebant, Plutonem pingebant galeatum, & Proserpinam rapientem, tum quod subterranea, quorum Deus dicitur Pluto, lateant absconditaque sint: tum quia raptus clam fiunt: tum denique, quod cum in capite consilii sedes esse putetur, galea illud tegens apte consiliorum occultationem significet.

### INFERIOR VEL MINOR POTESTAS. Cap. X.

*Aqua obcæcatus dicitur.*

EIusdem quoq; Plutonis hieroglyphico, breve sceptrum in manu ejus ponentes, minorem inferioremque potestatem, ut ejus qui alium majorem Principem agnoscit, innuebant: propterea quod Pluto inferorum rex dicatur, & tamen Iovis imperio subjectus.

## SILENUS.

### SPIRITALIS MOTUS. Cap. XI.

*De graphica Sileni figura Lucianus in Concilio Deorũ. Adhoc - ratus in li. de signis aquarum & ventorum.*

SIlenum, quem senem & dormientem pingebant, spirabilis motus symbolum fuisse, testantur veteres: cujus caput candore fulgens propter cœlestem motũ faciebant, cæsaries vero longa crassitudinem terrestris aeris significat. Dormire autem illum ebrium finxerũt, quia crassiores spiritus & vapores caput quasi ebrietate quadam gravant, somnumq; inducunt.



### VULCANUS. IGNIS. Cap. XII.

*Vulcani effigies. Huc spectat Pierii traditio. l. b. 18. Ibid. Ignis duplex.*

IGnis virtutem sub vulcãi, hoc est, hominis forma pingebant, in cujus capite pileus erat cœruleus, æthereæ symbolum regiõis, ubi integer purusq; ignis invenitur:

nam

A nam qui è cœlo in terram delapsus est, cum imbecillior sit, materiaq; indigeat & fomento, claudicans fingitur, ut qui seipsum, nisi baculo innixus, sustinere non possit, cum æthereus ille absq; ullo fomento seipsum sustineat, alat, & tueatur.

## HERCULES.
### ELOQUENTIA. Cap. XIII.

*Hercules Luciani.*

VIsum est nobis hic recensere hieroglyphicum, quo Galli antiquitus Eloquentię vim exprimebant. Id autem ex Luciani libello de Hercule Gallico conscripto, sumemus ad verbum, quemadmodum vertit vir Doctus. Sic igitur inquit: *Herculem Galli lingua gentis vernacula Ogmium vocant. Porro Deum ipsum nova quadam atq; inusitata figura depingunt. Decrepitus est apud illos, recalvaster, reliquis capillis, si qui reliqui sūt, planè canis, cute rugosa, & in aterrimum exusta colorem, cujusmodi sut nautæ isti. Charōtē potius aut Iapetū, quāpiāve ex iis quæ apud inferos versantur, diceres. In summa, quidvis potius quam Herculē conjiceres ex imagine. Atq; tali specie cum sit, tāen Herculis ornatum gerit, ut qui cum Leonis exuvium indutus sit, tum clavam dextera teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum tensum læva prætendat. Deniq; modis omnibus Hercules est. Hæcequidem arbitrabar in Græcanicorum deorum contumeliam facere Gallos, cum ejusmodi pingerent effigie, quo nimirum illum talibus picturis ulciscerentur, quod olim regionem ipsorum incursasset, prædas agens, id temporis cum Geryonis armenta vestigans, Occidentalium gentium plerasq; regiones pervastavit. At nondum dixi id, quod erat in imagine maximè novum atq; mirandum Siquidem Hercules ille senex, ingentē admodum hominum multitudinem trahit, omnibus per aures revinctis. Porro vincula catenulæ tenues auro, electrove confectæ, pulcherrimis monilibus similes, Atqui cum vinculis usq; adeo fragilibus ducantur, tamen neq; de fuga cogitare videntur, cum alio qui commode possint, neq; prorsus obnituntur, aut pedibus adversus trahentem obtendunt, sese resupinantes: verum alacres ac læti sequuntur, ducentem admirantes. Vltro festinantes omnes & laxatis funiculis etiam antevertere studentes: perinde quasi graviter laturi, si solverentur vinculis. Neq; illud quidem pigebit referre quod mihi videbatur omnium absurdissimum. Etenim cum non inveniret pictor unde catenularum summas ansas necteret, videlicet dextera jam clavum, læva arcum tenente, summam Dei linguam perterebravit: atq; ex hac religatis catenulis eos trahi fecit: ipse nimirum ad eos qui ducebantur, vultum & oculos convertebat arridens. Hæc ego cum diutius adstans essem contemplatus, admirans, hæsitans, indignans, Gallus qui proprius adstabat, nostratium literarum non ignarus, id quod declaravit Græcè optime loquens, Philosophus opinor, ex eo genere Philosophorū, quod apud eos esse fertur; Ego tibi hospes, inquit, picturæ istius arcanum explicabo: nam videris vehementer ad eam attonitus ac mirabundus. Orationē nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurium, quemadmodum vos Græci, verum Herculi illam tribuimus: propterea quod hic Mercurio lōgè robustior extiterit. Nā quod senex fingitur, nihil est quod mirere: siquidem facundia solet in senecta demū absolutam vim ostendere. Si modo verū vestri dicunt Poetæ.*

*Hercules orationis numen.*

*Hom. Iliad a ἀπογλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥεν αὐδή.*

Obduci juvenum densa caligine pectus.

*Huc spectat quod Servius 6. Æneid. annotat ad illud Tartareū ille manu custodem in vincla petivit.*

D *contra senectam posse quiddam dicere rudi juventa melius ac præclarius. Hinc videlicet apud vos, & Nestoris lingua melle profluit, & Trojanorum Oratores lirioessam edunt, videlicet floridam quandam vocem; nam liria, si satis memini, flores appellantur: proinde quod auribus ad linguam vinctos trahit senex hic Hercules, qui non aliud quam ipse est sermo, ne id quidem debes mirari, qui quidem non ignores linguæ cum auribus esse cognationem. Neq; vero ad contumeliam illius illud pertinet, quod ea perforata sit: nam memini, inquit, & jambicos quosdam versiculos apud vos dicere, viris loquacibus extremam linguam perforatam esse omnibus. Quin de eodem hanc in summa habemus opinionem, ut quicquid egit, id illum oratione facundiaq; egisse putemus: utpote virum sapientem, ac persuadendo plerosq; sibi subegisse. Iam tela illius nimirum rationes sunt acutæ missiles, citæ, atq; animum sauciantes unde pennigera dicta fuit oratio.* Hæc Lucianus, quæ ad hujus hieroglyphici explicationem sufficere opinor.

## RATIONIS CUM APPETITU PUGNA CAP. XIV.

*Herculis cum Antheo pugna hieroglyphicum. Huc spectat nomen Anthei contra rictatis nimirum.*

HErculis Antheum interimentis simulachrum in multis antiquis numismatibus cernitur, quod quid significet, nunc explicabimus. Hercules animæ rationis participis, spiritusq; symbolum est: Antheus vero corporis Herculis pectus sapientiæ sedes, atque prudentiæ: quibus perpetua est cum appetitu ac voluptatib. pugna; semper enim appetitus rationi obsistit, nec potest ratio superare, nisi corpus ita in altum, & procul ab terrenarum rerum intuitu extulerit, ut pedes, hoc est, affectus, nullum amplius fomentum à tellure accipiant: imò cupiditates & affectus quiterræ sunt filii, prorsus interficiat. Quo de genere mortis loquitur D. Paulus, Coloss. 3. cum ait: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est, cum Christo in Deo.* Et David, Psa. 116. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Et Servator ipse: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ioann. 12. Et hæc est omnium victoriarum præstantissima, unde in Scipionis Africani tumulo legitur hic elegantissimus versiculus:

MAXIMA CUNCTARUM VICTORIA, VICTA VOLUPTAS.

& Boëtius hoc ipsum Herculis factum celebrans ait, SUPERATA TELLUS, SIDERA DONAT.

## INGENIUM VEL INTELLIGENTIÆ VIS CAP. XV.

*Pierius, hic tres virtutes Herculi attribuit l. 54. ex simulacro Capitolii. Sagitta trium cuspidum quid.*

SYmbolica non solum Ægyptiorum, verum etiam Græcorum Theologia Herculem pro humano ingenio vel intelligentiæ vi ponit, pingitque illum arcu trium cuspidum sagittam jaculantem: propterea quod humani ingenii acumen, cœlestia, terrena & inferna scrutetur: vel propter tripartitam Philosophiæ distributionem, quia ingenio Mathematicas disciplinas, rerum naturalium causas, & divina mysteria indagamus: aut alio modo, ex Socraticæ scholæ divisione in disserendi subtilitate, naturæ obscuritate, vita & moribus eo utimur, ita ut sagitta trium cuspidum aut triplicem mundum, aut triplicem contemplationem, aut tripartitam significet.

---

## PROMETHEUS.

## ARTES ET INGENIUM, VEL ARTIUM INVENTORES. CAP. XVI.

*Facula de artium origine Platonis.*

PLato in Protagora sub persona Socratis, hujusmodi narrat de Artium origine fabulam. Erat, inquit, aliquando tempus, quo dii quidē erant, mortalium autem genera non erant. Postquā autem & his tempus fatis constitutum venit, ut crearentur, formabant ipsa dii intra terram ex terra & igne permixtis & ex iis quæ igne ac terra permiscentur. Quum vero in lucem jā illa producturi essent, illorum ornandorum facultatūq; singulis, prout deceret, distribuendarum curā Prometheo & Epimetheo demandarunt. At Epimetheus sibi distribuendi munus deposcit, & Prometheo, dum ego distribuo, dicit, Aspice & considera. Sicque illo persuaso distributionem facit. Hic vero aliis robur absque celeritate apponebat, alia debiliora velocitate ornabat, alia armabat, aliis inermi data natura, aliā quādā facultatē ad salutē excogitabat. Quæ enim ex ipsis parva fecerat, iis



*Vt qui prudentissimus ἀπὸ τῆς προμηθείας à providentia mens & cognitio.*

volati-

volatilem fugam aut subterraneam habitationem tribuebat. Quæ vero magnitudine auxerat, ea hac
A ipsa servabat, & reliqua hoc modo exx quans distribuebat: ea industria, ut caveret, ne quod genus interiret. Postquam vero mutuæ corruptionis effugia ipsis suppeditasset, facilitatem anni, tempora & varias cœli tempestates sub diu ferendi excogitabat, induens illa densis pilis, & solidis pedibus quæ & hyemem & æstum arcere possent: & quæ singulis cubilia petentibus proprium ac naturale stratum itidem essent; sub pedibus alia ungulis, alia pilis & coriis solidis ac exunguibus munivit. Necnon alimenta aliis alia suppeditabat, his herbam ex terra, illis arborum fructus, aliis radices, quibusdam vero arborum animalium laniatum in alimentum dabat. Et his quidem paucam sobolem tribuebat, his vero quæ ab illis dilaniarentur, multam, quo genus ipsum conservaretur. Proinde Epimetheus, ut qui non usqueadeo sapiens esset, non animadvertit, se facultates in bruta animantia expendisse. Restabat adhuc ipsi inornatum hominum genus, & quid cum ipso ageret, ambigebat. Quo dubitante, venit Prometheus, inspecturus distributionem, & videt reliqua quidem animalia accuratè omnia habere, hominem vero nudum, non calceatum & inermem, jamq; fatalis dies aderat, qua etiam homi-
B nem ex terra in lucem prodire oportebat. Consilii itaque inopia prehensus Prometheus, & quamnam homini salutem reperiret nescius, Vulcani & Minervæ artificiosam sapientiam una cum igne furatur. Fieri enim nullo modo poterat, ut illa absque igne ab ullo possideretur, aut ulli utilis esset: & sic illam homini largitur. Sapientiam itaque circa parandum victum hoc modo homo accepit: artem vero versandi in Republ. non habebat. Illa enim apud Jovem erat. Prometheo autem Jovis arcem ingredi non licebat, quoniam Jovis munitiones horrendæ erant: at in communem Minervæ & Vulcani domum, in qua artes exercebantur, furtim ingressus erat, & furto sublata ignea Vulcani arte & alia Minervæ, eas homini contribuit. Et ex hoc contigit homini victus facultas. Prometheus vero post eam quæ fertur furti pœnam Epimethei caussa dedit. Postquam autem homo di-
vinæ sortis particeps factus est, primum quidem propter Dei cognitionem ex igne contractam, solus inter omnia animantia deos esse putavit, iisque aras & statuas dicavit. Deinde vocem & nomina brevi per artem articulavit, habitationes, vestes calceos, strata, & alimenta ex terra invenit. Hoc autem modo instructi initio homines sparsim habitabant, nullas habentes civitates. Cumq; feris imbecilliores essent, passim ab illis interimebantur. Ars namq; opificiorum ad alimentum quidem idonea erat auxiliatrix: verum ad bellum contra feras manca: Reip. enim artem nondum habebant: cu-
C jus pars est ars militaris. Quærebant autem quomodo congregarentur ac servarentur condentes civitates. Quum vero congregati essent, injurias mutuo inferebant, ut qui artem gubernandæ Reipubl. non haberent, quare rursus dispergebantur ac peribant. Jupiter igitur timens generi nostro ne in totum aboleretur: Mercurium mittit, ut pudore & justitia homines imbuant quæ, civitatum essent ornamenta & vincula, & amicitias inter homines conciliarent. Interrogat itaq; Mercurius, quomodo justitiam & pudorem hominib. distribuere debeat. Num ut artes distributæ sunt, ita & has distribuam? artes enim sic sunt distributę, ut unus qui artem medicam aliave quampiam teneat, multis imperitis sufficiat. Ita ne ergo & justitiam & pudorem inter homines ponam? aut in omnes distribuam? In omnes, inquit Jupiter, ut omnes ejus participes fiant. Neq; enim constabunt civitates, si pauciillarum participes fuerint, velut ex aliis artibus. Legem item nomine meo promulges, ut qui pu-
D doris & justitiæ particeps esse non possit, tamquam pestis civitatis occidatur. Ex qua narratione colligimus, per Prometheum facem accensam, quæ ignis furtum significet, tenentem, ingenii vim in inveniendis artibus, artiumve inventionem & ipsum inventorem denotari: fax enim animæ illa vis est, quam Aristoteles intellectum agentem vocat, quam Plato & Ægyptiorum Theologia cœlestem igniculum lumenve extrinsecus adveniens appellarent, cujus proprium munus est artium inventio.

*Cognitio à rerum eventu, cujus filia pœnitentia.*

*Hinc Horatius Audax Iapeti genus libr. 4. Carm.*

## GRATA ACCEPTI BENEFICII MEMORIA. CAP. XVII.

HOminis prope rupem arduam stantis, annusumq; ferreum ex catena, quæ monti alligata est, exemptum cum adnexo lapillo in digito habentis imago, gratam accepti beneficii memoriam signifi-

significat: in eo præsertim cui delicti pœna condonata est. Ajunt enim Prometheum, ob ignem dii A
surreptum, & cum mortalibus communicatum, ab Jove Caucasi montis rupi ferrea catena alligatum
fuisse; & paulo post ab eodem ejus miserto solutum, in hujus beneficii memoriam unum ex illius ca-
tenæ annulis cum saxi portione ex rupe sumpta, digito alligasse, indeque post annulorum & lapillo-
rum jungendorum morem emanasse: quo fit ut etiam solus ferreus annulus, quo diu Romani usi
sunt, id possit significare.

*Annulorū origo.*

## DELICTI POENA, VEL ULTIO DIVINA. CAP. XVIII.

IDem Prometheus rupi alligatus, pœnam delicti divinam q; ultionem imminere denotat, vel justum judicium esse, & calamitatem flagelli loco divinitus immissam, quemadmodum ipse Prometheus divino judicio ob ignem cœlitibus furto ablatum, turi alligatus traditur.

B

# MERCURIUS.

## ORATIO, VEL ELOQUENTIA. CAP. XIX.

*Horat. 1. Carmin. Mercuri &c. qui feros culeos voce formasti.*

MErcurius orationis vim interpretandi q; virtutem & eloquentiam significat, utpote Deorum nuncius atq; interpres, unde Virgilius dixit:

*Interpres divûm cœlo demissus ab alto.*

Fingitur autem protensus atque erectus, propter orationis vim, alas in capite & pedibus habens, ut significet volucrem per aëra ferri sermonem: nam & Homerus ἀγγελίην, hoc est, *alata verba* appellavit.

*Mercurii varia hieroglyphica, Odyssæ vers. 22. Nam & mentis potens.*

## VELOCIOR SENSUS, VEL INTELLECTUS AGENS. CAP. XX. C

AMmianus Marcellinus scribit, Julianum Cæsarem media nocte, ut Mercurio supplicaret, emergere solitum, quo menti suæ lumina præferret, quia Mercurium velociorem in mundo sensum esse motus mentium excitantem, quem vulgo Intellectum agentem vocant, ex Philosophorum arcanis acceperat. Ex quo colligimus in sacris per Mercurium, intellectum agentem, & celerem animi sensuumq; motum significatum fuisse.

*Mercurius, ejusque stella ad Apollinis nomen refertur Macrob. Sat. l. 1 c. 19.*

## FIRMITAS ET GRAVITAS ORATIONIS. CAP. XXI.

CUm autem orationem, gravem, firmam solidamq; esse debere indicare volebant, Mercurium in quadrata basi sine pedibus pingebant, quod veri sermonis firmitatem ac robur indicabat: tum etiam, quia sermo sine manuum vel pedum adjumento suo fungitur officio.

*De Mercurii sermonis efficacia aliter Pier. l. 23 ibi efficax sermo. Hinc dicitur Βεσπέσιος. valde urbanus Odyss. 6.*

## MERCATOR, VEL MERCATURA ET LUCRUM. CAP. XXII. D

PEr eandem quoq; Mercurii imaginem, quæ marsupium manu teneret, gallū ad ejus basim ponentes, lucrum, mercaturam, mercatorem ve significarunt: quod is mercium & lucri Deus haberetur; quia sermonis ope omnia mercimonia & contractus fiunt. Gallum vero idcirco illi apponebant vigilantiæ symbolum, ut indicaret mercatores decere vigilantes esse, nec totas somno tribuere noctes.

## FUR ET FALLAX. CAP. XXIII.

FUr quoque & furandi ars, atque fallacia, Mercurii Apollini Boves furantis imagine significatur, quod illum ejus artis & fallaciarum ac doli fraudisque inventorem Poetæ tradiderint, unde

& illi

A & illi cognomentum κλεπτης, Phurnuto & Suida authoribus, est inditum: ideoque sic de illo cecinit Horatius. *Horat. lib. 1. Carm. Ode 10. Battum pastorem quem ob perfidiam in saxum mutavit. Ovidius 24 Metam.*

*Callidum quidquid placuit jocoso*
*Condere furto.*
*Te Boves olim, nisi reddidisset,*
*Per dolum amotas, puerum minaci*
*Voce dum terret, viduus pharetra*
*Risit Apollo.*

& Prudentius:

*Expertes furandi homines, hac imbuit arte,*
*Mercurius Maja genitus.*

## HYDRARGYRON. Cap. XXIV.

B PEr eundem Mercurium Chemicæ artis professores, argentum liquidum, quod vulgo vivum, Græcè hydrargyron appellatur, propter ejus mobilitatem intelligunt: nam illi singulis metallis Planetarum nomina attribuunt: ut plumbo Saturni, stanno Jovis, ferro & chalybi Martis, auro Solis, æri Veneris, argento Lunæ, ut Plato in Timæo facere videtur.

---

# TALARIA.

## VELOCITAS. Cap. XXV.

TALARIA Mercurii, velocitatem motumq; significant, quod is sublimis per aëra feratur, ut Virgilius ait: *Æneï. l. 4.*

*---- Et primum pedibus talaria nectit*
C *Aurea: quæ sublimem alis, sive æquora supra,*
*Seu terram rapido pariter cum flamine portant.*

adeo ut si cuipiam significare velimus fugiendum esse apte talaria depingere possimus: unde fit ut etiam communi sermone dici soleat; *Addere pedibus alas*, pro celeritate. Item Virgilius:

*Pedibus timor addidit alas.*

---

# CADUCEUS.

## POTESTAS ET VIS FATI. Cap. XXVI.

EST & alia Caducei qui Mercurio attribuitur significatio, præter eas quæ à Pierio sunt enumeratæ. Caduceus enim fati potestatem significat, vel afflatum quendam divinum dictumque, D quo non modo mentes nostræ, verum etiam creata omnia moventur & gubernantur: atq; vinculum quo cum Deo colligati sumus, ac inter nos ipsiusq; fati necessitatem omnia stringentem. Quod præclarè indicasse videtur Virgilius his verbis: *Æneï. li. 6. ab Homero Odyss. 1. & ω. & lia ω. Mac. lib. 7. c. 19. & idē Pierius omnino lib. 15. in Caduceo.*

*Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco,*
*Pallentesque alias sub tristia Tartara mittit.*
*Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat:*
*Illa fretus agit ventos, & turbida tranat*
*Nubila.*

Sic enim pingebatur ab Ægyptiis Caduceus ille, Macrobio authore, in specie Draconum maris & fœminæ conjunctorum, qui parte media voluminis sui, invicem nodo, quem vocant Herculis, obligabantur, primæque partes eorum reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungebant: & *Caduceus quomodo ab Ægyptiis pingebatur*

postmodum caudæ revocabantur ad capulum Caducei, ornabanturque aliis ex eadem capuli parte A nascentibus.

## CONCORDIA. CAP. XXVII.

*Idem Pier. libr. 15. in Concordia. Hinc caduceatores legati, fœcialesque, pacis & concordia sequestres. M. Antonii Triumviri numus.*

IDem Mercurii Caduceus angues illos circumvolutos habens, quos ipse; ut Poëtæ narrant, pugnantes cum invenisset, diremit, ita ut ambo Caduceo ejus adhæserint, Concordiæ symbolum est, ut in antiquis numismatibus apparet, ac inter cætera in M. Antonii triumviri numismate quodam, in cujus una parte, mulieris laurea corona sub capitis velamine redimitæ caput est, cum his literis, III. VIR. P. C. in altera duæ manus junctæ Caduceum hunc tenentes, cum hac inscriptione, M. ANTON. C. CÆSAR. quod proculdubio pro Concordiæ, quæ tunc inter Cæsarem, Antonium & Lepidum erat, symbolo positum fuit: idemq; Caduceus res quæ eandem vim habent, similesve sunt, denotat, duobus Serpentibus, ejusdem videlicet generis animalibus.

---

## ARGUS.
## MUNDI MACHINA. CAP. XXVIII.



Argus circa totum caput oculos habent, de quo sic canit Ovidius, *Metam. lib. 1.*

*Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,*
*Inq; suis vicibus capiebant bina quietem,*
*Cætera servabant, atque in statione manebant.*

& Statius:

*Spectatin occiduis stellatum visibus Argum.*

*Hæc à Macrob. libr. 1. cap. 19. παρὰ τὸ ἀργὸν τάχυ. Ibid. Macr.*

hic, inquam, universæ mundi machinæ typus est: cujus caput cœli præ se fert imaginem, oculi stellarum, quæ inferiora omnia custodiunt & fovēt. Voluerunt enim Theologi Symbolici mundum animal esse: idq; sub Argi imagine significarunt: & terram quoq; moveri dixerunt. Ait enim Mercurius Trismegistus in Pimandro, terram non solum moveri, verum etiam vario motu agitari: sed tamen ita, ut cum reliquis elementis comparata propter motus tarditatem, immota videatur: idq; hujusmodi argumento probare nititur: *Non est*, inquit, *credendum, illam quæ omnia nutrit, fovet, concipit & parit, motus expertem esse, fieri enim nequit, ut quod non movetur, gignat & pariat.* Vt igitur stellæ ac sidera hujusce mundi oculi sunt, sic herbæ, arbores & plantę omnes capillorum locum obtinent: metalla vero & lapides, ossium: nil mirum igitur, si sub Argi imagine mundum universum comprehendit Ægyptiorum Theologia.

---

## ENDYMION.
## PIORUM OBITUS. CAP. XXIX.

*Mortis genus optimum quod.*

CUm plura sint mortis genera, illud maximè & à sapientibus Gentium, & Sacrarum literarum testimonio comprobatur, & commendatur: cum quipie & sancte vixerunt, jamq; altero illo genere mortis, de quo in Hercule Antheum interimente diximus, mortui, hoc est, pravis cupiditatibus devictis, & ad Deum anhelantes, ac cū eo conjungi (quod in hoc corporis carcere fieri non potest) cupientes, ab eo in cœlum trahuntur, corpore, non secus atque altissimo somno morte consopito: quemadmodum mori cupivit Paulus, cū diceret, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo* Hoc autem genus mortis osculum vocavere Symbolici Theologi: de quo videtur loquutus esse Salomon in Cantico, cum

*Philip. 1.*



Cantic. 1.

At Lucian. in Astrologia ait illum primum mortalibus Lunæ rationem ostendisse.

A comait: *Osculetur me osculo oris sui*, quod, sub Endymionis quem Diana in monte altissimo consopitum somno oscelatur, imagine adumbrarunt. Ajunt enim Dianam, ut quæ siderum vim quam ipsa recipit, ad inferiora transmittat, reginam esse & dominā cœlestium proportionum atq; intelligentiarum: Endymionem vero animam hominis pii significare, cujus amore capti cœlites, ut illam sibi conjungere possint atque osculari, in alto monte hoc est, dum cogitationem & mentem in cœlum attollit, somno altissimo consopitam, id est, morte hujus corporis. Nam cum corpus impedimento sit, quo minus perfecte Deo conjungi possimus, sequitur eo soluto nos libere in cœlum evolaturos. Quod quantò citius fit, tanto majores Deo gratias habere debemus: nec tamen recusare quamdiu ei visum fuerit, hujus corporis carcerem æquo animo ferre: sed assiduè illum rogare, qui solus omnia bona largitur, ut interea saltem cupiditates nostras, quæ nos ab ejus complexu abstrahere possunt, interimat. Quod ut faciat, clementiam ejus supplex manus tendens rogo & obsecro.

## PACIFICATOR HABITUS. Cap. XXX.



Num eadem statua, de qua Pierius li: 35. in pacificator. gestus hic refertur aliter à Pierio lib. 26. in Pacificatio.

Favoris, & contrarii figura.

Idem à Pierio li. 36. in Favor. traditur.

Noluimus hic omittere, priusquam viriles imagines absolveremus, quin ea adjiceremus, quæ Quintilianus de pacificatore habitu scribit. Sic enim ait: *Fit & ille habitus, qui in statuis pacificator esse solet, qui inclinato in humerum sinistrum capite, brachioq; abunte protenso, manum erecto pollice protendit: quiquidem maximè placet iis, qui se dicere sublata manu jactant:* cujusmodi habitus hodiè cernitur Romæ in pulcherrima statua, quę pro ędę Lateranēsi stat.

C

## QUOMODO PINGI SOLERENT A VETERIBUS FAVOR. EIUSQUE contrarium. Cap. XXXI.

Cum iis qui de Pacificatore habitu diximus, faciunt, quæ de favoris ejusq; contrarii symbolo scribit Politianus in miscellaneis: favorem enim pollicibus pressis, & ejus contrarium versis significari solitum ait, idq; Horatii, Juvenalis, Plinii & Prudentii authoritate probat. Sic namq; ait Horat. in primo Epistolarum, 18. Epist.

*Consentire suis studiis qui crediderit te,* *Fautor utroq; tuum laudabit pollice ludum.*

D Juvenalis vero hoc modo:

*- - - - Et verso pollice vulgi,*
*Quemlibet occidunt populariter.*

Plinius autem libro Naturalis Historiæ vigesimo octavo, *Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur.* Et Prudentius,

*Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa*
*Delicias, ait esse suas, pectusque jacentis*
*Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.*

Ex quibus patet, eos qui faverent, pollicem premere; qui vero favorem denegarent, vertere solitos.

# FIDIUS DEUS.
## FIDES. Cap. XXXII.

*Deus Sabinorum.*

*In platea quæ Arenula dicta, penes patricios Santaceiceos. Vide Embl. 9. Alciati, cum & in idem Minoem.*

PRæstantissimum extat Romæ in antiquo marmore Fidii simulachrum, sic expressum: Vir est imberbis quidem, sed tamen maturam præ se ferens ætatem, cui adjectum est nomen HONOR: hic VERITATI, quæ virginis forma expressa est, manum porrigit prenditque: in medio autem AMOR est pueri ætate: quod hæc tria sint, quibus Fides nititur, quæque illam inviolatam conservant: nempe honoris studium, veritas promissorum, ut videlicet ab utroq; serventur, & amor, qui nisi adsit & faveat, facilè fides corrumpitur: nam fidem honos sustinet, veritas parit, amor nutrit.




# SOMNUS.
## VERA ET FALSA SOMNIA.
## Cap. XXXIII.

*Veri falsiq; somnii symbolum.*

IMago virilis facie resoluta & languenti, candida subtus veste & supra nigra induta, quasi diem & noctem indicaret, cornu manu tenens, Philostrato authore, somnum significat: quod cum vera somnia immittit, nigrum cornu habere fingitur: cum verò falsa, eburneum: unde & geminæ somni portæ à Virgilio finguntur, his verbis:

*Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur*
*Cornea, quæ veris facilis datur exitus umbris,*
*Altera candenti perfecta nitens Elephanto:*
*Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.*

*Aenei l. 6.*

*In Som. Scip. c. 3.*

quoniam, ut inquit Macrobius ex Porphyrii authoritate, latet omne verum: hoc tamen anima cum ab officiis corporis somno paulum libera est, interdum aspicit, nonnunquam tendit aciem, nec tamen pervenit. Et cum eum aspicit, tamen non libero & perfecto lumine videt, sed interiecto velamine, quod nexus naturæ caligantis obducit, quod Virgilius his verbis indicavit:

*Aspice, namque omnem, quæ nunc obducta tuenti*
*Mortales hebetat visus, tibi & humida circum*
*Caligat, nubem eripiam.*

*Aeneid. 6.*

*Macrobius ibidem.*

Hoc igitur velamen, quod nigro colore significatur, cum in quiete ad verum usque aciem introspicientis admittit, cornu esse creditur: cujus hæc est natura, ut tenuatum visui pervium sit: cum autem à vero hebetatur, ac repellit obtutum, ebur putatur: cujus corpus ita natura densatum est, ut ad quamvis extremitatem tenuitatis erasum, nullo visu ad ulteriora tendente penetretur. Hæc Macrobius. Servius vero aliam adfert rationem: ait enim per portam corneam oculos significari, qui & cornei sunt coloris, & duriores cęteris membris, quia frigus non sentiunt, ut & Cicero in libris de natura Deorum testatur. Per eburneam vero portam, os, propter dentes, quod ea quæ loquimur, falsa esse possint: ea vero quæ videmus, sine dubio vera sint. Aut vero ait, corneam portam idcirco veram dici, quod, ut ii, qui de somniorum interpretatione scripserunt, testantur, quæ somnia personæ statum & fortunam non excedunt, vera sint, & simplicia, ut cornu est: quæ vero supra fortunam sunt, & nimium habent ornatum, falsa: unde eburnea quasi ornatior porta fingitur.

HONOS

## HONOS ET VIRTUTUS CAP. XXXIV.



*Honoris & Virtutis imago, ejusque explicatio. Vi qua à viro. Eadem Pier. de Galea li. 42 Et propter celebritatem. Pier. lib. 27. monimentum assignat, quod respondet prudentia.*

IN quibusdam Vitellii Cæsaris numismatib. inveniuntur pulcherrimæ Honoris ac Virtutis imagines, in quibus Virtus sic est expressa; Juvenis galeatus cum pennis supra galeam, hastam sinistra, sceptrum dextra tenens, ocreas habens, & sub dextro pede testudinem, Honorem, qui muliebri forma est expressus, intuens. Habet autem caput galeatum, ut fortitudine ad Virtutem opus esse indicet, quo nos ab imminentibus insidiis tueamur, eandemq; ob causam hastam habet: pennæ vero vel crista ingenii acumen significant & sublimia cogitanda. Sceptrum potestatem vitiorum domandorum & cupiditatum frænandarum. Ocreæ duplicem habent significationem, primum, quod qui Virtutem sectantur, semper ad locum, si opus sit, Virtutis exercendæ causa, mutandum parati esse debent. Deinde, quia pedes & crura imbecillitatem, quam ex hoc terreo corpore suscipimus, quæ nos cupiditatum ictibus obnoxios reddit Prudentia, cujus symbolũ est testudo, quam sub pede habet, diligenter muniamus, sicque gressus nostros dirigendos, Prudentia duce, ut ne nosmetipsos in peccandi necessitatem conjiciamus, semperq; in omnibus rebus honorem spectandum & intuendum, non autem opes. Honos muliebri potissimum forma depingitur, quod mulieres maxime honoris studiosas esse deceat. Est autem seminuda mulieris imago, propter opum contemptionem: eademq; cornucopiæ gestat, & galeam pede premit, quia ex Virtute omniũ rerum copia provenit, & virum in Honore propter Virtutem constitutum omnes venerantur.

## HECATE.

## LUNA. CAP. XXXV.



*Nat. Comes lib. 3. Mythe. 25. Hecates hieroglyphicum.*

LUnam sub Hecates imagine pingebant, propter varias ejus corporis figuras. Hecate enim cum tribus capitibus pingitur, quorum sinistrũ Equi est, dextrum Canis, medium Hominis. Luna n. ex Solis distãtia varias figuras sumere videtur, & cum novilunium pingere volebant, candidis vel aureis vestibus indutã atq; ardentẽ facem tenentem eã faciebant: cũ mediã ostendere volebant, cistã ei in manu ponebant, quia crescente lumine fruges maturat. Plenilunii autem virtutem ferrugineo colore denotarunt, tunc que ramũ Laureum & Papaver manu tenere fingebatur: ramum quidem Laureum, quoniam à Sole ignea sit: Laurus enim Soli consecrata est; Papaver vero propter fertilitatem multitudinemque animarum, quæ in ea, tanquam in civitate habitare putabantur. Duplicem enim tellurem Ægyptiorum Philosophia statuebat superiorem unam, inferiorem alteram superiorem q; per tellurem Lunam esse putabant, inferiorem verò hanc frugũ procreatricẽ, quanos mortales habitamus: illam in animas corpore solutas incolere putabant, quia cum Ægyptii, ex Hebræorum, à quibus multa didicerunt Theologica, esse quendam locum, in quem animæ à corpore solutæ transmigrent, ibique beatorum sedes esse, & multa præterea de cœlesti illa patria, & sancta civita-

*Auctor Xenophanes Tellus duplex Ægyptiorum.*

te, ejusq; regionibus audivissent: & in plenilunio maculas quasdam in Lunæ orbe viderent, quæ in nullo alio sidere cernerentur, & terrarum quandam montiumque & lacuum imaginem præ se ferrent, divina mysteria & arcana humana intelligentia metiri volentes: ea omnia in Luna esse putabant, eamque cœlestem illam tellurem esse ajebant. Nec defuerunt, qui duplicem mundum statuentes, unum, in quo perfecta rerum omnium, quæ in hoc nostro orbe sunt, exempla atque imagines cernuntur, ab ipso Creatore minime corruptioni obnoxiæ factæ, quas Ideas vocavere, ex quibus post & ad illarum imitationem, quæ in hoc mundo sunt omnia creata sint, mundum illum ideatum Lunam esse dixerunt. Sic enim ratiocinabantur: Ut architectus, pulcherrimam aliquam domũ templúve ædificaturus imaginem ejus perfectissimam mente concipit: quæ cum ex materia concreta non sit facta, corruptioni minime est obnoxia, nisi cũ architectus ipse corrumpitur, hoc est, aut moritur, aut mente alienatur, neque post ædificium ipsum tam perfectum & absolutum reddere potest, ut ideam illam, quam conceperat æquet: ita & summus iste Opifex atque Architectus, mundum hunc creaturus, ejus & omnium, quæ in eo esse volebat, imaginem perfectissimam concepit, quæ imago, utpote in ejus, qui omni corpore solutus est, quique omnia potest mente concepta, ita perfecta fuit, ut nihil perfectius excogitari posset, & re ipsa extitit, quia potentissimus est, qui eam fecit. Ex quemadmodum imago humana mente concepta, sine sui artificis corruptione corrumpi non potest; sic illam, quæ opificem habet nulli corruptioni obnoxium, sempiternam fore, necesse est fateri. Hanc autem imaginem Lunam esse volebant, cui etiam creator vim hæc inferiora ad sui exemplum, sed minus perfecta, gignendi dederit: quam vim Naturam appellarunt. Et sic Lunæ multitudinem animarum, vel quod in ea corpore solutæ habitarent, vel quod ab illa in mortalia corpora influerent immitterenturque, vel quod perfectissimus illarum contineret imagines, tribuerunt. Sed est & alia ratio, cur illi fertilitas multitudoque animarum tribuatur: quia videlicet Luna crescente, plantæ & fructus, necnon & animantia magis crescunt, & quia partui præesse putatur. Nec tamen absurdam processus illorum sententiam existimarem, qui hujus mundi imaginem in Luna esse putarunt, modo nec divina illa idea, ad cujus exemplar omnia sunt creata, intellexissent: quæ non magis quam Deus in se mortalibus oculis cerni potest, cum divinam illam ideam sempiternam fore sit necesse, Lunam vero & Solem mutationi obnoxium esse, Sacræ literæ testentur. Sed si hujus mundi imaginem tanquã in speculo cerni dixissent, facile illis assentirer. Lunare enim corpus speculo simile esse, solarium radiorum reflexio, quam in eo videmus, indicat: itemque aquæ naturæ, quæ in speculis est, esse Philosophorum omnium illi humiditatis ad rerum generationem causam tribuentium consensus & res ipsa docet. Cum igitur talis sit Luna, & in plenilunio terra inter Solem & illam posita, hujus modi maculæ in ejus corpore cernantur, quæ mediam orbis terrarum partem, ut illam à Geographis pingi videmus, imitentur, quis non credat maculas illas terræ imaginem esse? Nam quod illas ob corporis inæqualitatem fieri dicunt, id absurdissimum videtur in cœlesti corpore: & falsum esse testatur solarium radiorum tanta reflexio, quæ nisi ex politissimo nitidissimoque corpore fieri nullo modo posset. Quod vero alii vapores esse putant, quos illa assidue ad se trahat; primum dico fieri non posse, si vapores essent, ut semper eandem figuram situmque servarent: deinde Mathematicorum, hoc est, Opticæ certissimas verissimasque rationes id falsum ostendere. Nam cum vapores non supra mediam aëris regionem attollantur, necesse esset, Lunã à Britannis, aut Hispanis aut Ægyptiis, quorum acies supra vapores illos, qui in nostris solum modo regionibus essent, tenderet, sine maculis cerni: nam si quis forte diceret, vapores illos totam mediam aëris regionem occupare, & ideo ab omnibus videri: is sciat, si ita res haberet, nos non maculas, sed totum Lunarem orbem quasi velamine quodam obductum visuros. Ex quo patet, cum eædem maculæ æque ab omnibus gentibus cernantur, vapores eos non esse. Sed & ipsarum macularum figura optime orbis terrarum imaginem ut ex tam longinquo tractu perspici potest, præ se fert, quemadmodum quilibet videre potest.

*Opinio ideatum Lunam mundum statuentium.*

*Plin. libr. 2. c. 99. Vnde Lucina dicta, à luce, vel à circum volvendo.*

*Cujus alimentum in dulcibus aquis, ait Pl. l. 2. c. 101.*

*Imago terræ in maculis Lunæ.*

PERSE-

A

## PERSEPHONE SIVE PROSERPINA.

### SEMINUM VIRTUS ET GENERATIO. CAP. XXXVI.

SEminum virtutem & gignendi vim, quæ potissimum in terra est, veteres muliebri forma germina quædam protendentem pinxerunt, hancq; imaginem bonam Deam vel Persephonem appellarunt: semen non ante geminare significantes, quam in terram projectum aliquandiu ibi latuerit.

*Ideoq; à proserpendo dicta quia semen per terram serpat, sitq; Cereris filia.*

B

## DIONYSIUS.

### PROMISCUA GIGNENDI VIRTUS PLANTARUM CAP. XXXVII.

QUoniam verò plantæ non solum ex semine, verum etiam quædam ex surculis plantatis nascuntur, hanc promiscuam gignendi vim, sub Dionysii imagine expresserunt, quem muliebri forma & cornua habentem pingebant.

*Ideoque sepultus ac integer revixit præter plantas è propaginibus ortus.*

## JUNO.

### QUATUOR ELEMENTA. CAP. XXXVIII.

IUno catena de cœlo ab Jove suspensa, & lapides pedibus alligatos habens, ab Homero fingitur; ita ut unũ pedem contrariorem habeat altero; quæ imago quatuor elementorum symbolum est. Juno enim ipsa aërem

C significat, catena ignem quo cætera colligantur atque misceantur, lapis altiori pedi appensus, aquam, alter verò terram: quæ omnia Jupiter, quem cœli rectorem significare volunt, ita cœlo alligavit, ut ex illo pendeant, ipsi isque, qui cœlum movet, nutu gubernentur.



*Elementorum hieroglyphica figura. Iliad. 9. Hinc Orph. in hymno Junonis. Aeriam effentat faciem Iuno.*

### TEMPESTATIS MUTATIONEM, ET ARCANA TEMPORE PATEFIERI. CAP. XXXIX.

EAdem Juno nubibus undiq; septa, ita ut vix cerni possit tum mutationem tempestatis (cum Juno aëris symbolum sit) tum res alta vetustatis caligine mer-

D sas, aut alioqui obscuras absconditasque, quas tamen tempus patefaciet, tum temporis brevitatem significat.

*Hinc Æn. i. 4. illa, His egomi grantem, &c.*

### SPES FALLAX CAP. XL.

EAdem quoque Juno ex nubibus ficta, res de quibus agitur fictas, & falsas esse significat, spemq; fallacem: admonetque ut caveamus nobis ab illusoribus, vel ne falso, ut sæpe fit, amore capiamur, nosque fœminis deludendos præbeamus. Ajunt enim, Junonem ab Ixione adulterii solicitatam, illi corpus ex nubibus sui imaginem præ se ferens obtulisse, cum quo ille jacuerit.

*Plut. in Agide & Cleomene ambitioni tribuit.*

EURO-

## EUROPA.

### ANIMÆ HOMINIS IN CORPORE STATUS. CAP. XLI.



MUlier Tauro insidens, ac per mare delata, facie tamen in tergum conversa, & littus quod longe liquit respiciens, significat animam hominis, quã corpus per hujus mundi pelagus defert, cum ipsa tamen tellurem, quam deseruit, hoc est, Deum creatorem atq; opificem, avidis oculis intueatur. Et hic est Platonicus ille animæ circulus, atque rationis motus, cum videlicet mente à divinis ad humanas res cogitandas, ipsaq; creata, conversa, tandem ad Dei contemplationem homo redit: ideoque Poëtæ finxerunt, Europam Agenoris Phœnicum regis filiam, ab Jove sub forma Bovis, aut Vituli raptam, & per mare in Cretam delatam fuisse: cujus fabulæ mystica explicatio est, quam modo protulimus.

*Platonicus animæ circulus.*

*Ovid. lib. 3. Metam.*

## DIANA.

### RERUM PERMUTATIO. CAP. XLII.



VIrgo cui Mercurius vestem porrigit, Diana est, quę rerum mutationem ex incremento & diminutione factam significat. Finxerunt enim Græci Poëtæ, Jovem cum videret Dianam nudam incedentem, quod id virginem minime decere videretur. Mercurio, ut ei vestem faceret, mandasse: cumq; multas ei Mercurius vestes feciisset, nullam tamen illi aptam facere potuisse, propterea, quod illa, dum is unum pararet, assidue mutaretur, ita ut post illam non posset induere. Est ergo hæc figura incrementi & diminutionis, rerumve aut consilii & mentis mutationis hieroglyphicum.

*Dianæ hieroglyphicum, Hinc forsã Jovis Orpheo dicta, terrestris, propter generationem & corruptionem.*

## DANAE CUM AUREA PLUVIA. ANIMI PULCHRITUDO, ET COELESTIUM BONORUM AFFLUENTIA.

### CAP. XLIII.

DAnaë formosissimæ mulieri, aurum in gremio pluisse finxere Poëtæ, per Danaen animi pulchritudinem significantes, quę naturalibus virtutibus continetur, quas Deus amat: per aureum vero imbrem cœlestium bonorum affluentiam, quæ ex divino amore, ejusque benignitate sunt petenda. Omnium enim bonorum perfecta copia à Deo solo datur.

*Alii & largitiones quibus omnia patent, referunt. Aureus imber in gremio Danaes.*

PASI-

A

## PASIPHAE.

### ANIMA CUM ÆREO VEHICULO. CAP. XLIV

PAsiphaë Solis filia, & Minois Cretæ regis uxor, quam in vaccam transmutatam ex Tauro Minotaurum peperisse ferunt, qui media ex parte homo erat, reliqua Taurus, animam significat cum suo æthereo vehiculo, quo illam corpori conjungi Platonici tradidere. Ajunt enim animas nostras in beatis illis sedibus & cœlesti regione, æthereum igneumve quoddam vehiculum, quo deferantur & moveantur, habere, cum nihil quod sit expers corporis moveri possit: quod & David vates comprobare videtur, cum canit, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam urentem.* Addunt deinde Platonici illas, quamvis hoc igneum vehiculum habeant, tamen corpori, hoc est, terreo vehiculo, ob ignis subtilitatem & terræ crassitudinem, nisi aliquo intercedente medio, quod utriusq; naturæ sit particeps, jungi non posse, ideoq; illam dum per cœlestes orbes & elementa descendens, transit, paulatim crassiore se quasi veste induere, æreumq; sibi vehiculum comparare, quo B facile terreo huic corpori copuletur. Id autem facit corporis induendi cupiditate, ut iidem ajunt, accensa: Taurus enim corpus significat, Vacca ficta aereum vehiculum, Pasiphae ipsam animam ex qua copula oritur Minotaurus, id est, homo ex anima & corpore conflatus.

*Platonicorum de animabus opinio.*

*Hinc forsan ita dicta, quia præ cæteris omnib. appareat luceatque.*

## PANDORA. CAP. XLV.

PAndora mulier pyxidem in manu habens apertam, adversam fortunam, generis obscuritatem, infelicitatem, paupertatem, infamiam, ægritudinem, spei frustrationem, humanæ sortis miseriam nobis adumbrat: nam cum hæc virtutes omnes in pyxide inclusas teneret, eam, ut quid intus esset videret, aperiens, omnes elabi passa est, malis retentis, & spe sola, quæ vasculi labro adhæsit, ut narrat Hesiodus: eam enim à Vulcano factam, & ab omnibus diis muneribus, quæ pyxidi illi incluserant, ornatam, postque Epimetheo conjugem datam tradit.

*Hesiodus in Theogonia.*

C

## EURIDICE.

### APPETITUS. CAP. XLVI.

EVrydice, quam in pede momordit serpens, appetitum hominis significat, quam animi affectus exulcerant, pedes enim ac præsertim calcaneum, cupiditatum hieroglyphicum sunt: unde Servator discipulorum suorum pedes lavare voluit, ut eos ab affectibus terrenis mundos redderet, Joan. 13. Et Petro nolenti ut se lavaret, dixit, *Nisi lavero te; non habebis partem mecum.* Et in Genesi dixit Deus Serpenti, *Insidiaberis calcaneo ejus:* nec solum hoc in Sacris literis, verum etiam D in Græcorum fabulis legimus, Achillem, propterea quod puer Stygiis aquis fuisset immersus, nulla in parte vulnerari potuisse, præterquam in pedibus, qui abluti non fuerant, ut indicarent eum fortem fuisse, nisi affectibus vinceretur propriis. Neque abhorret ab hoc sensu quod tradunt, Jasonem aureum vellus petentem, unum calceum in flumine, quod solum in toto terrarum orbe nulli vento est obnoxium, amisisse: hoc est, dum virtutem sectatur, & immortalitatem aliqua affectuum parte exutum fuisse: & Virgilius, Didonem morituram unum calceum exuisse, scribit his verbis:



*Hinc forsan à late pœna subeunda ei nomen, ob concupiscentiam.*

*Per pedes ablutos quod significatur & in divinis & in profanis.*

*Ipsa mola, manibusque piis, altaria juxta*

*Aene. lib. 4.*

*Unum exuta pedem, vinculis in veste recincta*
*Testatur moritura duos, & conscia fati*
*Sidera---*

hoc est, uno affectu, nempe mortis formidine exutam, quæ Didonis figurâ repentinum furiumq; consilium significat.

## CYBELE.

### AGRICULTURA, VEL, VICTORIA POPULORUM. CAP. XLVII.

*Vide Plin. lib. 43. ibi, Terra.*

*Cybeles simulacrum & ejus interpretatio Vide Pier. lib. 1. ibi. Super igne sticitur.*

CYbeles turritam coronam habentis simulacrum, tellurem indicat, & urbes quas illa sustinet domitas, vel victoriam de agricolis seditiosis partam, vel tellurem agricultura domandam, & eam quæ habitatur fertiliorem esse ea quæ minus incolitur. Ubi enim hominum frequentia, ibi artes & industria valent. Quod verò currui ejus Leones adjunxere, ut in antiquis marmoribus numismatibusq; videre licet, id significat nullam esse terram adeo sterilem & asperâ, quę labore & industria fertilis reddi non possit, vel illâ vim gignendi à Sole capere, cũ Leo sit animal Phœbææ naturæ. Hanc ipsi non in curru, sed humi sedentem vel stantem cum circino pinxeris, Geometriæ, si cum quadrante, Geographiæ, si cum ligone vel Taurum prope se habentem, Agriculturæ simulacrum habebis.

### TRES CHARITES. CAP. XLVIII.

*Hes. in Theogonia. Quid per simulacrũ trium Charitum, ex Seneca, vel Aglaia. Ἀγλαΐα,*

TRes Charites sorores fuisse traduntur. Pingebantur autem juvenes virgines, ridentes, manibus implexis, soluta ac perlucida veste: quarum natu maxima, Hesiodo autore Ægle vocatur, media Euphrosyne, tertia Thalia. Quid autem hæc omnia significarent, pulcre docet Seneca de beneficiis libr. primo in hunc modum: *Quare*, inquit, *tres Gratiæ, & quare sorores sint, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare juvenes, & quare virgines, soluta ac perlucida veste? Alii quidem videri volunt unam esse, quæ det beneficiũ, alteram quæ accipiat, tertiam quæ reddat. Alii tria beneficiorum genera, promerentium, reddentium, simul & accipientium reddentium q;. Sed utrumlibet ex istis judica verũ. Quid ista nos juvat scientia? Quid ille conseritis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur, & totius speciem perdit, si usquam interruptus est: pulcherrimus, si cohæsit & vices servavit. Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse qui dant & qui accipiant beneficia. Juvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt & sincera, & omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec astricti. Solutis itaq; tunicis utuntur, perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt.* Hæc Seneca. Nos autem etiam illud minime silentio prætereundũ censemus, quod una faciem avertere & occultare fingitur: ut indicet, eum qui munus dat, id clam facere debere, juxta Servatoris dictum: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Et alio in loco: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* Altera Charis faciem apertam ostentat, quia ejus qui beneficium accipit, est id ostentare & prædicare: tertia partem faciei ostendit, & partem occultat, significans beneficii retributionem celandam esse, ostentandumq; ipsum beneficium.

*Hilarem datorem diligit Dominus.*

*Matth. 6.*



COR-

## GORGONES.

### ANIMÆ TRES IN HOMINE. Cap. XLIX.

GORGONES capita, Draconum squamis obsita, dentes maximos Aprorum instar, item manus & alas habere finguntur: eas tres Phorci filias fuisse tradunt; nomine Euryale, Sthenyo, & Medusa, ex quibus Medusa sola mortalis fuisse perhibetur, reliquæ duæ immortales: ideoq; Medusam Perseus decollavit. Hæ Gorgones animarum hieroglyphicum sunt. Tradit enim Ægyptiorum Theologia, & cum ea Platonica quoque schola, tres in homine animas esse, quarum singulæ apud Hebræos proprium nomen habent: una enim *Nephes* vocatur, quæ Latine *Vivens* vel *Sentiens*, dici potest: quam cum bestiis communem habemus, & hæc mortalis est, quam Medusa innuit: est enim corpori proxima, eique adglutinata & sensibus, corporisque affectionibus obnoxia, de qua acutiores Theologi intellexisse Christum, cum dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*: &, *Qui non habuerit odio animam suam, perdet eam*: ideoque finxerunt Perseum, qui divinum spiritum meliorem-que genium significat, hanc obtruncasse: debent enim, qui altiora contemplari volunt atq; divina, hanc prorsus interimere, ne quid sensus animæ, quæ rationis particeps est, obesse possit. Altera anima *Ruach*, id est, *Spiritus*, nuncupatur, quæ rationis particeps est. Tertia dicitur *Neshamach*, id est, *Lumen*, ut à Pythagora & Davide fuit appellata, quam D. Augustinus *Divinitatis partem*, & Plato *Mentem* vocat. Ideo autem dixerunt has tres sorores homines suo aspectu in saxa convertere: quia quamvis illas in nobis, illarum tamen naturam nemo absolute potest scrutari, nisi Medusa obtruncata, id est, nisi corporearum affectionum impedimento prius fuerit liberatus: imo qui eas intueri volunt, saxis eos similes esse ad alia oportet. Oculus autem, quem sibi invicem hæ tres sorores mutuo dãt, significat lumẽ quod habẽus extrinsecus, à Deo nobis dari, atq; ab una in alterã animã derivari.

*Ab Apollodoro lib. 2. Tres animæ in homine quæ. Virgilius tamẽ Æneid. 6. ad ulciscendos scelerates eas detrusit ad inferos.*

## VIRGO CAPILLOS HABENS ERECTOS.

### HOMINIS NATURA. Cap. L.



PLATO dixit, hominem arbori similem esse, verum in hoc ab illa differre, quod illa radices in terra fixas habet, homo autem in cœlo: quod capilli capitis radicum similitudinem quandam habentes indicant. Radix autem vera hominis est anima, quæ cœlitus est demissa, & per quam vivimus, spiramus, & vitales fructus ferimus, ut arbor ex radice vitam trahit: unde in Cantico legimus, *Coma tua juncta canalibus*: quod de cœlestibus rivis, ex quibus virtus in nos descendit, est intelligendum: nam quæ de capillis & barba in Sacris literis dicuntur, ea omnia ad animam referri testantur Origenes & Hieronymus. Unde si quis virginem capillos in cœlum erectos habentem pinxerit, apte animam vel hominis naturam expresserit.

*Non solum ratione capillorum, sed capitis totius, brachia vero ac pedes tamquam rami Hominis cum arbore comparatio.*

## VIRGO ABSCISSIS CAPILLIS. IMBECILLITAS ET MORS. Cap. LI.

VIRGO cui abscissi sint capilli, imbecillitatem virium ingenii, animive, aut etiam mortem significat; quia non modo in Sacris literis videmus Sampsonis robur in capillis fuisse, quibus abscis-

*Sed & apud Græcos & Latinos ra-*

*Statio capitis servitutem indicabat. Vide* Pier. *lib.* 32. *ibi, Coma Robur hominis in capillis.*

sis, facile captus victus fuit: verum etiam & Euripides finxit Alceſten mori non potuiſſe, donec illi à Mercurio cœlitus demiſſo crinis abſcinderetur: & Niſus non prius à Minoe interfici potuit, quam illi ab ejus filia pilus fatalis abſcinderetur. Nec Dido apud Virgilium ante mori potuit, quam Iris ab Junone miſſa ei flavum vertice crinem auferret.

## ASTRÆA.

### JUSTITIA. CAP. LII.



ASTRÆAM Aſtræ Gigantis & Auroræ, vel Jovis, & Themidis filiam, pro Juſtitia ſumi notiſſimum eſt: fingunt enim illam vitiis creſcentibus indignatam in cœlum evolaſſe, locumque inter Leonem & Libram medium tenuiſſe, imo etiam ipſam Libram ei tribuunt, qua quid cuique debeatur, expendat. Quamobrem ſic de illa cecinit Ovidius:

*Lib.* 1. *Metam. Astræa figura, & explicatio.*

*Et virgo, cæde madentes*
*Ultima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.*

Et Senecain Octav.

*Neglecta terras fugit & mores feros*
*Hominum, & cruenta cæde pollutas manus.*
*Aſtræa virgo ſiderum magnum decus.*

*A Gell. lib.* 14. *c.* 4.

Eam quoque, ut Gellius & Chryſippus tradunt, forma atq; filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neq; humilem, neq; atrocem, ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate pingi ſolitam, omnes fere norunt: cui noſtri pictores modo lancem, modo ſecurim, virgarumq; faſcem adjiciunt. Illud autem fere inauditum eſt, & tamen pulcherrimum, quod Alexander Aphrodiſeus ſcribit, Juſtitiam ab Ægyptis ſine capite pingi ſolitam, per manum ſiniſtram porrecta palma diſcapedinatam: quoniam ſiniſtra genuina pigritia nulla calliditate prædita, æquitati aptior quam dextra videtur. Collocatur autem inter Leonem & Libram, quia juſtum judicem intrepido & forti animo eſſe oportet, ut nullius minis aut precibus ab æquo & bono dimoveatur: eumdemq; decet crimina omnium atque merita ad lancem diſcutere & ponderare, ut cuiq; quod meritus eſt tribuat. Caput vero ei non tam ademiſſe mihi videntur, quam inter ſydera occultaſſe, ut indicarent à judice neminem videri debere: unde Athenis in Areopago, reivelato capite cauſam dicere jubebantur, ne judicum affectus movere poſſent: condit ergo caput inter ſidera, ſolum Deum intuens, & ideo à nobis cerni non poteſt: debet enim judicis mens ad extremum uſque, donec ſententia ſit lata, occulta eſſe, ne qua fraus ſtrui poſſit.

ERUDI

# ERUDITISSIMI VIRI HIEROGLYPHICORUM COMMENTARIORUM LIBER SECUNDUS, EA CONTINENS

quæ per Serpentem, Cerberum, Felem, Vitulum, Capricornum, Cancrum, Aquilam, Craterem, Lyram, Arcum, Nodum, Catenam, Quinarium numerum, Pentagonum, Pyramidem, Cubum, Octaëdrum, Isocaëdrum, Papaver, Iridem, Hyacinthum, Narcissum, Hyssopum, Myrtum, Salicem, Cedrum, Palmam, & alia hujusmodi significantur.

## AD THEODORUM ZVINGGERUM PHILOSOPHUM ET MEDICUM PRÆSTANTISSIMUM.

ALTERAM *hanc mysticarum imaginum Partem, quam cum superiore Valerianis quasi racemationem quamdam Divinis Commentariis adjecimus, tibi (doctissime Zvingere) donare atque in tuo nomine edere statui: non quidem quod tuæ famæ aliquid scriptis meis ornamenti adjicere posse sperem, quam tu ingenii tui magnitudine, atque illustribus monumentis, quibus rem literariam promoves, ab aliis illustrari non pateris: sed ut & hi mei labores nomini tuo inscripti, plus authoritatis inveniant, & tu aliquod meæ in te observantiæ indicium habeas, tenue quidem illud ac rude, longeq; impariis quibus tu nos ornare soles, sed ex candido in te animo profectũ, & tali qui libentius, si posset, majora digniora q; tibi commendaret. Sed tuæ humanitatis erit, mentem non munus spectare. Quod si feceris, & ingenii ac prudentiæ tuæ acumine, ad intimos animi mei sensus penetraveris, tanti te hoc factum non dubito, quanti regium aliquod munus, & quemadmodum me amare jamdudum cœpisti, sic hunc meum immaturum fœtum fovendum suscipies. Quod quoniam mihi certo polliceor, plura non addam. Vale. Basil. XIV. Kal. Sext. M. D. LXVII.*

## SERPENS.

### ANIMA ET CORPUS. Cap. I.

BACILLUM, cui Serpens circumvolutus est, non modo apud Hebræos, & in Sacris literis, in quibus legimus Serpentis in cruce positi aspectu populum Israëlis à morte liberatum fuisse: verum etiam apud Ægyptios & Romanos animæ atq; corporis salutare symbolum fuit. Nam cum cætera omnia reptilia crassioris & magis terreæ sint substantiæ, Serpentem spiritus & vitæ tenacissimum animal esse constat, quod & imbecillitatem corporis exuat, & ad medicinam utilissimum sit, & ad acuendum visum herbam invenisse, nec non ad sese in vitam revocandum quamdam herbam cognoscere traditur. Et cum Romani oraculo admoniti, Epidaurum misissent ad Æsculapium, quem medicinæ & salutis Deum existimabant, accersendum, Serpentem Romam advexerunt.

*Num cap. 21. vers. 9. Serpentis proprietates Plin. lib. 8. c. 27. ope fœniculi. Plin. c. 12. l. 18. & passim alibi. Marathrũ. Val Max. l 1. c. 9. Livius lib. 10 & 11.*

## CERBERUS.

### TRES COELI REGIONES, VEL TRIPLEX DEI POTESTAS. Cap. II.

VETERES tres tantum cœli regiones faciebant: nempe Ortum, Occasum, & Meridiem: nam in Septentrione inferos putabant esse, propterea quod Sol numquam eo perveniat: quemadmodum & Sacræ literæ Aquilonem interdum accipiunt, & impios ad sinistram à Deo in extremo illo judicio

*Quidam pro terra, unde carnivorus dictus, alii per avaritiæ ponunt. Cerberi hieroglyphica significatio. Vide Pier. l. 3. ibi, proles masculæ.*

judicio detrudendos. Sinistram vero in eodem Septentrione esse Theologis, quis dubitet, cum impii in eandem cum dæmone regionem sint detrudendi? ideoque harum trium regionum symbolum finxerunt Cerberum canem tricipitem, quo etiam trina Dei regna significarent, cœleste, terrenum, & infernum. A

## TRES NATURALES NECESSITATES. CAP. III.

*Æneid. l. 6.* EUNDEM Cerberum tricipitem finxere Poëtæ infernæ domus aditum custodire: eo hieroglyphyco tres necessitates naturales, quæ hominem à sempiternarum rerum contemplatione abducunt, significantes: nempe famem, sitim, & somnum; & ideo Virgilius fingit Sibyllam, quæ Æneam mentem ad magnarum rerum contemplationem convertere volentem, monet ut huic Cerbero,

*Melle soporatam & odoratis frugibus offam.*

objiciat, statimque illo relicto transeat: ut indicet, esse quidem his necessitatibus satisfaciendum, sed non prorsus indulgendum. B

## FELIS.

### LIBERTATIS APPETENTIA. CAP. IV.

FELIS, præter ea quæ de illo scripsit Pierius, libertatis appetentiæ hieroglyphicum fuit, quo prisci Alani, Burgundiones & Suevi, teste Methodio, in militaribus signis uti solebant: perinde ut Feles carcerem ferre non possunt: sic se servitutis impatientissimos esse testantes.

## VITULUS.

### CONCUPISCENDI VIS. CAP. V. C

MANSUETUS & domesticus vitulus, vel bos, concupiscendi appetendique vim, quæ in nobis est, denotat: quia constat, nullum animal æque appetitui obedire & venereum esse, atque Vitulum sive Taurum.

*Attamen secedunt interdum à vaccis, hinc illud Ἀπομαγελεῖν, ab Aristotele l. 6. de Natura Anim. Id est, coarmentari.*

## CAPRICORNUS.

### MORS, VEL DEFUNCTORUM ANIMÆ, ET SECUNDA FORTUNA. CAP. VI.



D

*Capricornus Deorum porta. Sueton. in Augusto c. 94. & Pierius lib. 1. ibi Augusti. Gen. sit.*

CAPRICORNI signum, quod in multis Augusti Cæsaris numismatibus videmus summam, ut Astronomi tradunt, sub se natis portendens felicitatem, à Platonicis Deorum porta vocatur; quia per eum tradunt, animas corporis vinculo solutas, rursus in cœlum ascendere, ubi divinæ naturæ participes fiunt, ideoq; hoc signum sidereum animas defunctorum mortemve significat, & nonnunquam secundam fortunam, summamq; felicitatem, ut diximus.

CAN-

A

## CANCER.
### ORTUS HOMINIS, VEL VITA.
CAP. VII.



*Cancer porta hominum.*

CAncer, ex eorumdem Platonicorum sententia, ortum hominis vitamq; notat, volunt enim animas per Cãeri januã in humana corpora demitti, & ut Capricornum Deorum, sic Cancrum hominum portam vocant, quod per eam egredientes animæ humanam in naturam transeant.

B

## AQUILA.
### DIVINI NUMINIS PRÆSENTIA.
CAP. VIII.

*Non absimile Pierius lib. 19. ibi, Alta cogitatio: divini enim notitia numinis aquila Hieroglyphicum Ioanni Evangelistæ dedit.*

AQuila præter ea, quæ de illa scripsit Pierius, in Sacris literis divini numinis præsentiam vel efflu-xum quendam significat, quo ad majorem superiorem q; rerum divinarum cognitionem ducimur: ut Cabalistæ tradunt unde Moses dicit, *Sicut Aquila provocans filios suos ad volandum, & super eos volitans expandit alas suas, assumpsit eum, atq; portavit humeris suis. Deuter.* 32.

## CRATER COELESTIS.
### OBLIVIO. CAP. IX.

C

*De Creatore Platonicorum sententia.*

CRater ille sidereus, qui ab Astronomis inter Leonem & Cancrum collocatur, oblivionem significat: quoniam ex Platonicorum sententia animæ cum in humana corpora demittuntur, de cœlo per Cancri januam descendentes, per Capricornum rursus corpore solutæ in cœlum ascendentes, cum descendunt ex cratere illo: quem Bacchi poculum vocant, oblivionem bibunt: & sic cœlestium rerum obliviscuntur, sed non omnes æque, verum aliæ magis, prout magis minusve ex eo poculo hausere. Ex quo patet, poculum illud, oblivionis poculum esse, ejusque imagine oblivionem significari.

D

## LYRA.
### AUDITUS. CAP. X.

*Rationem auditus Pierius ab Empedocle docet. lib. 7*

LYra duo habens foramina incurva, aures & auditum significat, quoniam ut in Lyra fidibus illis & nervis tactis aër proximus commodus ad duo illa foramina inflectitur, & eandem in Lyræ convexum, ubi quoq; aër inclusus est, reflectens sonitum edit: sic vox aërem extra aures nostras commovens in aurium foramina impellit, qui in pelliculam quandam instar tympani tensam, appulsus, aërem qui intus est, naturalem movet: his autem commotus nervos quosdam excitat, in quibus est auditus. Propter hanc ergo similitudinem Lyra auris & auditus hieroglyphicum est.

ARCUS.

# ARCUS.

## ACUTI DOLORES Cap. XI.

Gen. c. 3.

PEr arcum in Lunæ virginali forma expressæ manu positum tensumq; , acuti dolores indicantur quia nullus intensior dolor quam partus, cui Lucina sive Luna præest, esse putatur.

# NODUS.

## NECESSITAS. Cap. XII.

Sic nodum pugna apud Virg. lib. 10. Aeneid. Q. Curtius in Exordio lib. 3. Ptolom.

PEr nodum necessitas, Macrobio teste, significatur: quæ enim vincta sunt, seipsa dissolvere nequeunt: quod si nodo gladium adjicias, qui eum rescindat, fortunam, fatum & necessitatem virtute superari indicabis: quoniam Alexander Magnus, Gordium illum fatalemq; nodum gladio rescidit, & sic fatum ipsum vicit, & vetus est dictum, *Sapiens dominabitur Astris.*

# CATENA AUREA HOMERICA.

## CONNEXIO RERUM HUMANARUM CUM DIVINIS, VEL DIVINÆ PROVIDENTIÆ VIS. Cap. XIII.

DUbium non est, quin Catena illa aurea Homerica, quam pendere de cœlo in terras Deum jussisse commemorat Iliados libro 8. his verbis: *Agedum, auream restim è cœlo sustendite, eaque cuncti Dii ac Deæ apprehensa, me hinc detrahite in terra: nullo id quantolibet nixu potentis effetis. At cum mihi facere irato libuerit, in terras vos universos & in maria usque detraham. Quantum C circumligata reste ad summitatem Olympi omnia supernè attollam, ut intelligatis quantum ego Deis simul atque homines antecello:* dubium inquam, non est, vel Macrobio & Luciano testibus, quin illa rerum humanarum cum divinis connexionem, & commune quoddam vinculum, quo Deus & summus ille Pater, quum vult nos ad se trahit, mentesq; nostras in cœlum attollit, quo nos alioqui propriis viribus, quantolibet conatu ascendere non possemus, significet: adeo ut quimentem suam divinitus gubernari significare velit, is apte catenam hanc ex stella pendentem & contrahentem pingere possit. Ea est enim Divini afflatus, & igniculi illius, cujus Plato omnes homines participes esse voluit, vis, ut mentes ad creatorem convertat, & in cœlum trahat. Dixit autem Plato, omnes homines ejus igniculi cœlestis participes esse, quia qui ejus non sunt participes, quamvis formam corporis humanam habeant, non tamen homines sunt, sed belluis inferiores deterioresque. Et præterea connexio illa & alio modo intelligenda, ut eam interpretatur Macrobius: nam quæ modo diximus, ex Luciani Dialogis, cum Mercurium fingit de Jove propter hanc catenam conquerentem, adstantorum vim afflatumq; Divinum referuntur. Macrobius vero ait, catenam hanc sic constitutam esse, D ut ex summo Deo mens manet, ex mente anima, quæ & condit & vita complet omnia quæ sequuntur: cunctaq; unus fulgor illuminat, & in universis apparet, juxta Peripateticorum sententiam, in multis speculis per ordinem positis vultus unus apparet. Cumq; omnia continuis successoribus se sequantur degenerantia per ordinem, inquit, ad imum meandi, invenietur processus intuenti, a summo Deo ad ultimam usque rerum fæcem, una se mutuis vinculis religans, & nusquam interrupta connexio, quæ per catenam hanc significatur, quam Lucretius auream funem vocat, his verbis;

Nat. Com. lib. 2. c. 4. ad avaritiam & ambitionem refert. In Timæo. Vu divini Afflatus.

Ad verbũ à Macr. lib. 1. c. 1. in som. Scipio.

*Haud (ut opinor) enim mortalia sæcla superne*
*Aurea de cœlo demisit funis in arva.*

Lib. 2.

SOLIS

## SOLIS VIS. CAP. XIV.

A PLato autem in Theæteto per hanc catenam Solem significari vult, cum ait: *Et ad hæc Colophonem insuper addam auream illam catenam, qua nihil aliud quam Solem Homerus ostendere voluit. Quamdiu enim circuitus ille & Sol movetur, omnia sunt ac servantur inter Deos & homines. Si vltrò staret hoc totum velut ligatum, omnia corrumperentur, & fierent inversa.*

*Hucspectat qua de Addad & vi Solu ex Orpheo Macr. lib. 1. c. 23. Sat. ait.*

## SACRARUM RERUM COGNITIO. CAP. XV.

PEr eandem quoq; catenam sacrarum cœlestiumq; rerum cognitio mihi ex Homeri verbis significari videtur, cum ait neminem quantolibet nixu illa apprehensa Deum de cœlo detrahere posse ipsum vero eadem cuncta sursum attollere: nam & si literarum ac Philosophiæ studia, sunt quasi gradus quidam & catena, ad cœlestium rerum cognitionem, nihilominus si quis per eos gradus ipsius
B Creatoris naturam indagare velit, nullo id ingenii acumine, diligentiave aut labore assequetur: hoc enim esset Deum de cœlo detrahere, & humano ingenio subjicere. Si vero alicui Deus ipse sui cognitionem dederit, is totus illi conjunctus facillimè cœlestia assequetur. Quo hieroglyphico monemur, Divinarum rerum cognitionem non ex Philosophorum libris, sed precibus & pietate à Deo petendam esse.

*Fides enim donum Dei est. Cœlestium rerum cognitio inde.*

## MUSÆ, EARUMQUE AFFLATUS. CAP. XVI.

CAtena vero ferrea magnetem lapidem alligatum habens, ut Plato in Jone tradit, Musarum connexionem & commune vinculum, atq; afflatum illum ex quo præstantes Poëtæ vim quandam Divinam affectuum concitandorum capiunt, significat.

*Ἐνθουσιασμὸν.*

---

## QUINARIUS NUMERUS, ET QUATERNARIUS. MERCURIUS, ET ARTIUM INVENTORES. CAP. XVII.

C PEr Quinarium numerum Leo Baptista Albertus Mercurium figurari ait. Martianus vero & alii Quaternarium ejus symbolum esse volunt propter artium inventionem, ut qui numeri sint, perfectissimi. Ex quo patet, per hujusmodi numeros etiam artiũ inventionem inventoresq; significari.

*An quod ut quinarius est hermaphroditus, ita Mercurius modo ad superos, modo ad inferos adeat. Quod cubum refert solidorum corporum perfectissimum. De hoc Pentagõe quod πανπλάσιον ac πανσύνεσιν dici potest, Pierius lib. 47.*

---

## PENTAGONUM. SALUS. CAP. XVIII.

PEntagonum salutis symbolum fuisse, testatur Lucianus eo in libello in quo agit de quodam qui lapsus erat inter salutandum, ejus rei origo talis commemoratur. Antiochus is, qui ΣΩΤΗΡ cognomento dictus est, cum adversus Galatas pugnaret, nec satis ex sententia res succederet essetque in discrimine, per quietem vel vidit, vel se vidisse simulavit, ut militum animos in spem erigeret: Alexandrum Magnum se monentem, ut salutis symbolum assumeret, idque pro tessera tribunis daret, eorumque vestibus insueret, ea re fore ut victoria potiretur. Symbolum autem illi hujusmodi ostendisse, triangulum triplicem invicem ex lineis quinque constantem, in quibus ΥΓΙΕΙΑ




Cccce scriptum

scriptum erat: sic enim salus sanitasve Græcè appellatur, unde & hoc signum in veteribus Antiochi numis adhuc cernitur, quod signum Mathematici à quinq; angulis Pentagonum vocant.

# PYRAMIS.

## RERUM NATURA, VEL MATERIA PRIMA. CAP. XIX.

*Quid Pyramis secundum Metaphysicos.*

PEr Pyramidem veteres rerum naturam & substantiam illam informem formas recipientem significare voluerunt: quod ut Pyramis à puncto summo fastigio incipiens, paulatim in omnes partes dilatatur: sic rerum omnium natura ab unico principio & fonte, qui dividi non potest, nempe à Deo summo opifice profecta, varias deinceps formas suscipit, & in varia genera atq; species diffunditur, omniaq; apici illi & puncto conjungit, à quo omnia manant & fluunt. Verum & alia hujus rei ratio, nempe Astronomica reddi potest: quoniam Ægyptii summi Astronomi fuere, imo ipsius Astronomiæ inventores. Tradunt autem Astronomi, esse circulum quendam in Sphæra, vel cœlesti illa machina, sub quo Sol & reliqua errantia sidera, cursus suos circuitusq; conficiant, & in quo omnium animantium vita, rerumq; naturalium, ortus atq; interitus sit positus: adeo ut etiam Aristoteles in libris de Ortu atq; Interitu, dicat generationis atq; corruptionis, omnisq; mutationis vel incrementi causam esse accessum & recessum Solis in circulo obliquo: nam circulum illum, de quo agimus, Obliquum vocat Aristoteles: Astronomi verò, propterea quod ex eo pendeat animantium vita, Zodiacum vocavere. Hunc igitur circulum, cui soli inter cœlestes circulos latitudinem tribuunt, in duodecim partes, quas Signa nuncuparunt, patiuntur: ajuntque, cum illo dividi etiam inferiora omnia, adeo ut quicquid sub uno ex illis signis contineatur ad centrum usq; terræ, id omne in signo esse dicatur; & sic volunt esse velut Pyramidem quandam, cujus basis in cœlo sit: nam fundamentum Astronomicum cœlum est, & apex in centro terræ. Cum igitur in Pyramidibus illis omnia fiant: sitq; accessus Solis, qui est quasi punctum quoddam ad signa illa ortus, & recessus ab illis interitus rerum naturalium causa, aptè videtur per Pyramidem natura rerum omnium parens significari.



*Ægyptii Astronomiæ inventores. Quid secundum Astronomos Pyramis.*

## ANIMA HOMINIS. CAP. XX.

SEd & animam hominis sub Pyramidis forma adumbrare voluisse videntur iidem Ægyptii, qui magnifica Regum atq; Heroum sepulchra, sub ingentibus Pyramidibus fecerint: ut testarentur corpore soluto & corrupto animum superesse, quæ cum summo opifici visum esset, hoc est circulo illo triginta sex millium annorum circumacto, aliud corpus genitura & sibi factura esset non secus ac Pyramis, ut Geometris notum est, vertice immoto manente, circumacta basi circulum describit, & tato corpore conum: ut circulus annorum illud curriculum significet, conus verò corpus quod curriculo illo conficitur. Nam Ægyptiorum fuit illa opinio de rebus in eundem statum triginta sex millium annorum spatio restituendis, & ab illis se id accipisse, testatur Plato: qui etiam hoc ipsum, id est, animam nostram Pyramidis formam habere mihi testari videtur in Timæo, cum ait, sic factam fuisse à Deo animam, unam accepisse illum ex universo portionem, quæ proculdubio unita puncto illo, qui in Pyramidis vertice est, significatur: secundam autem primæ partis duplam: tertiam secundæ sesqui-

A sesquialteram, primæ triplam: quartam secundæ duplam: quintam tertiæ triplam, sextam primæ octuplam: postremo septimam, quæ partibus sex & viginti primam excederet: posthæc dupla & tripla intervalla replexisse. Quibus numeris profecto nihil aliud significat, nisi expansionem illam linearum quæ à puncto ad basim tractæ angulos efficiunt, & per intervalla ipsas superficies quæ lineis clauduntur: ex quo apparet illum hoc quoque ut alia ab Ægyptiis accepisse.

## IGNIS. Cap. XXI.

Ignem quoque Pyramidis formam habere testatur idem Plato: propterea quod cum imolatus sit circa materiem & fomentum quo pascitur, in acutam flammam, quæ cœlum spectat, desinit: nam per basim materia concreta significatur, per reliquum corpus, materia jam ad formam recipiendam parata, & quasi fermentata, per punctum ipsa informis & simplicissima substantia: unde minus mirum est, quod supra diximus, per Pyramidem animam significari, ut quæ igneæ naturæ ab eodem Platone esse tradatur, & corpori non secus ac Pyramis basi, vel ignis fomento, adhæreat.

*A quo dici videtur, vel à lapide Pyropœcilo: πῦρ enim ignis ποικίλος varius, ab ignea varietate.*

B

## CUBUS.

### TERRA. Cap. XXII.



Cubum, hoc est tesseram octo angulorum, & sex laterum, terram significare tradidit Plato ex Timæi Locrensis Pythagorici Philosophi disciplina, quam Pythagoras, ut testatur Justinus historicus, ab Ægyptiis potissimum didicerat. Terram vero per cubum depingebant, ob ejus stabilitatem gravedinemque: quia ut cubus quocumque volvatur; semper jacet, nec facile movetur, sic terra per se immobilis, si aliqua fortuita vi commoveatur, patim rursus jacens quiescit.

*Cur Terra per Cubum.*

C

## OCTAETRUM.

### AER. Cap. XXIII.



Aeri iidem Philosophi Octaëdri formam tribuere, quæ octo triangulis æqualibus, & æqualium laterum, id est, octo basibus, & sex angulis solidis, viginti quatuor vero planis continetur: quod ut melius intelligatur, explicandum est quid sit angulus solidus, quid item planus. Angelus planus, inquit Euclides, est duarum linearum in plano se mutuo tangentium, & non in directum jacentium mutua inclinatio: solidus vero angulus est, qui pluribus quam duobus angulis planis continetur, qui non eodem sunt plano, & ad ulnum constituuntur punctum. Ideo autem hanc illi formam tribuerunt, quia in ascensu ignem consequitur, & in terræ cavernas penetrat. Octaëdri enim forma ascendit in duos utrinque vertices, & aptissimè Sphæræ includi potest, ut docet Euclides.

*Anguli finitio. De Octaedro, Isocaedro aliisq; Geometricis formis figurisque videndi Ios. Scaliger, & in Sphæra Sacrobos. Clavius, Iustinus Schreckenfuschius & Peletarius in Euclidem. Isocaedrum quid, & ejus hieroglyphicum*

D

# ISOCAEDRUM.

## AQUA. Cap. XXIV.

AQUAM vero Isocaëdri figuram tenere dixerunt. Est autem Isocaëdrum, Euclide authore, figura solida, quæ viginti triangulis æqualibus & æqualium laterum, continetur: propterea quod aqua sua natura mobilis sit, & divisioni flexuiq; perfacilis. His quoque figuris ipsam elementorum ad invicem proportionem indicare voluerunt, quæ ex basium sive laterum & angulorum numero colligitur. Octaëdri enim ad Pyramidem est proportio dupla in lateribus, in angulis solidis sesquialtera, in planis vero dupla: ex quibus proportionibus fit harmonia duplices diapason & diapente: Pyramidis vero ad cubum in lateribus sesquialtera proportio, in angulis vero dupla, ex quibus diapason iterum & diapente. Cubi ad Isocaëdrum in lateribus proportio est tripla sesquitertia, in angulis sesquialtera, unde diapason, diapente & diatessaron in basibus, in angulis vero diapente. Isocaëdri vero ad Octaëdrum in basibus dupla sesquialtera, in angulis autem dupla, unde diapason & diapente in basibus: in angulis vero iterum diapason consurgit, quæ proportiones, & harmoniæ pariter & in elementis per has figuras significatis esse traduntur.



*Huc spectant quatuor anni tempestates ab Ovidio lib. 1. Met. exscripta. extat ver tepidum cinctum florente corona. Stabat nuda Æstas & spicea serta gerebat.*

*Stabat & Autumnus calcatis fordibus uvis, Ergenialu Hyems canos hirsuta capillos.*



VER.



ÆSTAS.

## VER. Cap. XXV.

CISTA florum, authore Eusebio, Ver significat: quia vere cuncta floreſcunt.

## ÆSTAS. Cap. XXVI.

CISTA spicis referta, eodem Eusebio teste, Æstatem denotat: quod æstate segetes & spicæ demetantur.

AUTU-

AUTUMNUS.



HYEMS.



## AUTUMNUS. Cap. XXVII.

Cornu copiæ uvis & pomis plenum, Autumnum indicant: quoniam tunc vina fiunt, & omnes fructus pleno copiæ cornu fundi videntur.

## HYEMS. Cap. XXVIII.

Mensa apud ignem parata, Hyemem significat: quia frigus & quies post æstatis labores parta, terræque opes congestæ ad lautius vitæ genus invitare videntur, unde Poëta, *Invitat genialis Hyems*, & Horatius:

*Virg. 1. Georg.*

*Horat. l. 1. Car. Ode 9.*

*Vides ut alta stet nive candidum*
*Soracte, nec jam sustineant onus*
*Sylvæ laborantes, geluque*
*Flumina constiterint acuto.*
*Dissolve frigus, ligna super foco*
*Large reponens: atque benignius*
*Deprome quadrimum Sabina*
*O Thaliarche merum diota.*

---

## PAPAVER. CIVITAS. Cap. XXIX.

Papaver præter ea, quæ de illo scripsit Pierius, Eusebio authore, civitatis symbolum est: quia ut in civitate multi homines habitant, sic in papaveris capite quasi intra eadem mœnia multa sunt semina; & ut civitas in vicos & domos est distributa, sic & papaveris caput in multas intus partes est divisum, multaque interstitia habet.

*At illenationes nedum terram significare ait, id est, civitates & populos. l. 18. de Papavere.*

---

## IRIS HERBA. ELOQUENTIA. Cap. XXX.

Iridem herbam eloquentiæ signum esse, nemini mirum videri debet: cum Homerus fingat Trojanorum oratores, ut qui disertissimi essent, Lirioessam, id est, Iridem herbam floridam comedisse, quod

*Nam ut Mercurius nuncius Iovis, sic Iris nuncius Junonis.*

*Oratores Trojanorum. Matthæol. & Dioſc. l. 1. c. 1.*

quod eloquentiæ præcepta illos hauſiſſe ſignificat: propterea quod ejus herbæ flos colorum varietate atque ornatu, Iridi cœleſti, quæ & ipſa eloquentiæ Dea habebatur, ſimilis ſit, & quia talem oportet eſſe orationem, nempe colorum ac figurarum varietate diſtinctam, multaſq; hæc herba eloquentiæ ſimiles vires habet: nam ut de illa tradunt Medici, iris halitus pravum odorem corrigit, gratumque & ſuavem reddit ſpiritum, & venenum repellit: ſic etiam ornata oratio quaſi ſuavis quidam halitus gratiam conciliat, & animi venena, hoc eſt, perturbationes depellit. Hanc herbam quidam volunt olim Hyacinthum appellatum: quod indicare videtur Ovid. Metamorph. lib. 10. his verbis: A

*Flos oritur, formamque capit quam Lilia, ſi non*
*Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.*
*Non ſatis hoc Phœbo eſt: is enim fuit author honoris.*
*Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & hya*
*Flos habet inſcriptum, funeſtaque littera ducta eſt.*

Sed hanc quæſtionem Medicis permittimus: nos de illa, quæ hodie Hyacinthus vocatur, mox dicemus ſeparatim, hanc vulgo Lilium cœruleum vel purpureum appellari ſcimus. B

## HYACINTHUS.

### SAPIENTIA. Cap. XXXI.

*Quin & pueros diutiſſime ſervat in pubertate. Dioſc. l. 4. c. 57. & ibi Matthiol.*

HYACINTHus, quem ab Apolline in florem converſum Poëtæ fabulantur, prudentiæ ſapientiæ ſymbolum eſt. Nam cum Apollo Muſarum, ingenii, ac literarum Deus ſit, Hyacinthum puerum ab illo ob formam adamatum, Poëtæ finxerunt: quia ſenſus naturalis minime corruptus puer eſt, hoc eſt, prudentia caret, ſed tamen formoſus eſt, quia mentem ad ſui contemplationem excitat: qua contemplatione fit, ut tandem ſenſus, juvenili ætate atque fervore illo depoſito, prudentiæ & ſapientiæ florem ex ſe gignat, ſuaviſſimis virtutum odoribus fragrantem: quorum poſt memoria literarum monumentis ad poſteros manat. C

## NARCISSUS FLOS.

### CORPORIS FORMA. Cap. XXXII.

*Narciſſi fabulæ poëtica. Ovid. Met. l. 3.*

NARCISSUS flos corporis formam, quæ cito corrumpitur, & inventæ florem, qui cito tranſit, ſignificat, ut roſa, & viola, & omnes flores, qui cito corrumpuntur: ideirco enim Poëtæ finxere, Narciſſum formoſiſſimum puerum, dum ſuam formam, quam in fonte cernebat, cupide nimis admiratur, in fontem prolapſum periiſſe, & in florem hujusmodi converſum: ut indicarent, non hanc fluxam corporis formam, ſed animi præſtantiam, & divinam illam æternamque pulchritudinem eſſe adamandam. D

## HYSSOPUS.

### EXPIATIO PECCATORUM. Cap. XXXIII.

*Matthæol. ex Moſue in Dioſc. l. 3. c. 26. Hyſſopo aqua, una cum ligno cedrino, & filo coccino. Exod. 12.*

HYSSOPUS herba pulmones purgans & caput, qua Hebræi utebantur cum ſanguine animalium, ad populum aſperſione luſtrandum, gradum divinum ſignificat, & vinculum illud, quo cum Deo conjungimur: & conjuncti à peccatis expiamur. Hinc David, *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.* MYR-

A

## MYRTUS.

### GRATIA. Cap. XXXIV.

*Ob pulchritudinem. Virg. Ecl. 7*

MYrtus Veneri dicata, & ob id *Conjugula* dicta, multis morbis sanandis utilissima, gratiæ & bonæ valetudinis symbolum est.

## SALIX.

### HÆREDITAS. Cap. XXXV.

SAlix pulcherrimo hieroglyphico præter ea quæ à Pierio scripta sunt, hæreditatem significat vel divinam, vel humanam: quoniam ut salix jucunda arbor est, quæ ad torrentes nascitur; sic ex hæreditatis abundantia, quæ etiam per torrentem adúmbratur, jucunditas lætitiaq; oritur, quod & vox
B ipsa Hebraica, qua in Sacris literis Salix nominatur, indicat, nam *vehirbe nachal* appellatur, quod & jucunditates hæreditatis, & salicem torrentis significat.

### CORPORA NOSTRA. Cap. XXXVI.

COrpora quoq; nostra salicis hieroglyphico significantur, quoniam ut salix nisi torrentis aquis irrigetur, non crescit: sic & corpora nostra, imo & nosmetipsi, nisi cœlestibus aquis irrigemur, & secundum decursum illarum plantati simus, fructum nullum ad vitam ferre possumus. Unde David de beato viro, *Hic arbori similis est ad aquæ vivum satæ.* *Psalm 1.*

## CEDRUS, SIVE CITRUS.

C

### MISERICORDIA VEL PIETAS. Cap. XXXVII.

CEdrus sive Citrus arbor, fructus gignens odore ac sapore præstantissimos, misericordiæ pietatisque symbolum est, propter magnas utilissimasque mortalium generi vires. Primum enim præbet resinam electissimam, quæ citria dicitur, dentium doloribus utilissimam, succus ejus elephantiasin curat, & pulmonis ulcera, valet contra venena, ardetq; velut facula. Unde Hebræi fructu ejus solemnem quemdam diem celebrabant, quasi Divinæ misericordiæ opem implorantes. Quos æmulati Lacedæmonii, deos suos coronare solebant iis fructibus, quos oximala Persica nuncupant, idem per illos significantes quod Hebræi per Citrum. Lignum quoque ejus corruptioni minime obnoxium facit, ut cedrus pro immortalitate æternitateve accipiatur.

*Discor. lib. 1. c. 98. & ibidem Matthæolus. Citri virtus.*

*As citrus omnino] differt à cedro de quo Matthæol. in Dioscor. cap. 131. lib. 1.*

D

## PALMA.

### HOMO. Cap. XXXVIII.

PAlma in mysticis literis celebratissima, duplici de causa hominis simulacrum esse putatur: primũ, quia fructum non fert sine coitu, sed replentur ejus rami gemmis masculeis, quasi semine quodam: deinde quia in superiore parte habet quasi cerebrum, quod Hebræi *Halulab*, Arabes verò *Chedar*, vel *Gemar* vocant, quo corrupto moritur arbor, sicut cerebro læso homo interit, quod quidem huic soli inter plantas contingit: tertio, quod comam in cacumine habeat, & ramos in manuum modum protensos, & fructus digitorum figurã præ se ferentes unde dactyli, id est, digiti sunt appellati: pulpa quoq; ipsorum fructuum caro appellatur, multum sanitati conferens, & vel ex vi quadam animali

*Palmæ cur hominis hieroglyphicum.*

animali, vel ex Phœbæa natura summæ nutritionis, adeo ut multi sancti Patres in solitudine vitam A agentes, eo solum cibo contenti fuerint, quemadmodum & hodie quoque multi in Africa populi eo tantum fructu victitant.

## JUDÆA. CAP. XXXIX.

*A Pierio lib. 59. in verbo, Iudæa,*

PEr Palmam præterea Judæa notabatur, propterea quod ea potissimum regio Palmis abunder; & quod Judæi in sacris suis ejus foliis uterentur, haberentq; diem solemnem de Palmarum nomine appellatum: unde in multis Romanorum numismatibus videmus Palmam, & mulierem mœstam sub ea sedentem, cum hujusmodi inscriptione, JUDÆA CAPTA.

*Eruditissimi viri Anonymi Hieroglyphicorum Finis.*

INDEX

# RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM LOCUPLETISSIMUS.


A Litera pag. 596. c. 598. c. 600. c

A, litera absolutionis nota. 210. d

A, litera cur prima. 37. a

A, triplex quid in veterum monumentis significet 636. b

Axte 181. a. & seq.

Aaron cur Vitulum, & cur Hircum immolarit. 36. a

Aaronis dexteræ auriculæ extremum cujus hostiæ sanguine tangebatur. 634. c

Abactoris nomen meruit Abraham 181. a

Abantes quomodo comam gestandam primi excogitarint. 386. c. d

Abderitæ à Ranis è regione sua expulsi. 355 a

Abdicatio filiorum. 253. d

Aberranti in sylvis viam monstrant Elephantes. 24. b

Abionitarum hæresim obolevit D. Joannes Evangelista. 134. c

Abliguritor omnium. 330. b

Abliguritoris indicium. 724. d

Abolitus. 364. a. b

Aborigenes quo casu Romæ manserint. 262. a

Abortus. 118. c. 174. a. b

Abradere in rotundum capillorum faciem prohibitum. 386. a

Abraham mortalem innuit philosophiam. 49. a

Abraxas Basilidis. 215. d

Absentia diuturna. 239. a

Absinthium marinum. 720. b

Absinthii symbolum. ib. d. vis. ib. c

Absolutum nihil in humano opere. 353. c. d.

Abstenius per Noctuam indicatus cur. 145

Abstinentia cibi potusque. 152. a

Abstinentiæ tenuitas 556. a

Absurda res. 38. c.

Abyssus. 482. c

Abyssum cur vocarint Dei judicia Prophetæ. 347. c

Academia nova à Carneade. 253. b

Acæna. 449. c

Acanthias. 323. a

Achelois. 598. a

Achilles Cervorum medullis enutritus, 81. b. unde dictus. ibid. Chyroni curandus à Peleo datus inviolabilis præter pedes. 434. d

Achillis ad tumulum, quæ libamina ferunt quotannis Thessali 691. a

Achilles Bochius Bononiensis. 78. a

Achillis Massæus. 280. b

Accipiter Soli dicatus. 732. a

Accipiter ejusque symbola 250. c. d

Accipiter animi symbolum. 250. d

idem & Osiris Plutarcho. 251. a. Insigne erat Sagittariorum venatorum militum. 258. a. quando fœminæ consortium appetit. 252. b.

sacerdotii symbolum. ibid. sanguinis symbolum. 255. d. sursum volari quid, & deorsum, quid. 251. c. ejus victoriæ symbolum. 257. d

Accipitris artificiosa pugna. 257. c. d.

ossa ex tibiis aurum attrahunt. 251. d. significatio in sacris. ibid. b

Accipitres septem Vulturum insectantes quid. 257. c

Accipitrina herba ad oculorum morbos cur adhibetur. 251. a

Acusator inanis. 291. d

Acerbitas. 665. c

Aceti conficiendi ratio. 729. a

Acinacem attestari Scythis maximum juramentum. 537. b

Acinaces ibid.

Acoris avidus. 316. c

Acridophagi in Æthiopia. 341. c. d.

Actæon à suis Canibus devoratus, quid. 85. a

Actæus dæmon. 496. b

Actiaca victoria. 17. a

Actiæ matris Augusti somnium. 184. d

Actii Synceri laus. 237. c. 273. b. c.

Actus in mensuris quid 449. d

Acuti hominis symbolum. 679. b

Ada regina Carum obsonia exquisita Alexandro mittit. 704. c. d

Adad quid Assyriis. 14. d

Adagartis, quid. ibid

Adam quid Hebræis. 254. a

Adami cingulū quid significet. 672. c

Adami pomum, b. c.

Adamas. 519 b

Adamanti collatus Christus & Job. 510. a

Adamantem emollit hircinus sanguis. 520. b. c.

Adelbertus Brauemburgi regulus iniquè ab Atrone Moguntino deceptus. 419. b. c.

Adianton. 728. a

Ad Gallinos, villa. 637. a. b

Adlocutio, multorum numismatum inscriptio. 401. a. b

Admetus junxit Leonē & Aprum. 2 b

Admirator sui. 75. a

Adolescentis generosi natura qualis esse debet. 59. a. 650. c

Adonis. 549. ab Apro confectus quid. 106. c. hujus simulachrum. 107. a

Adoranti convenit stare. 70. a

Adoratio. 69. c

Adoratio per circulū indicata. 486. a

per manus symbolum. 428. a

Adoraturus sedere jubet Pythagoras. 70. a

Advena 309. b

Adventus vel migratio. 568. d

Adversarius contradicens quo signo in lucem editus. 381. a

Adulatio 595.d
Adulationibus deditus 673.b c.
Adulator. 315.c
Adulator & scurra 94.b
Adulatorum Illecebræ. 143.b. infidelitas 319.d
Ab Adulatoribus pessundatus. 78 d
Adulteræ conjugis maritus 116.a
Adulteri qua pœna affici soliti, 459.a
Adulterium per Murænam. 351.c
Ædes 621. b. ædificatio. 629.c
Ædificationis principium unde 586.b
Ædilis curulis. 545. d. ædilium ordines duo ibid.d
Ædituus 544.c
Ægidius Viterbiensis 203.a.548.b
Ægilus Athenienfium tribus 670.b
Æginetarum juventuti pollices præcisi ab Athenienfibus 441.a
Ægra Achaicæ civitas 702 c
Ægon Argivorum rex ut creatus 227. a. b
Ægritudine conflictatus 253.c
Ægyptus. 209.b d. 560.a.b
Ægyptus cœli imago. 409. a. cur per cor significabatur. 387.c.d. per Crocodili symbolum. 348.b.c. humida & calida. 408. c. Romanos effœminavit. 50.d quid in Divinis literis significet. 255.a
Ægyptiacæ literæ quæ 598.c
Ægyptiaci soli fertilitas unde. 9.c
Ægypti captivitas quid 255.a
Ægypti deliciæ. 50.d
Ægypto quomodo promissa libertas. ibid.
Ægyptius sophista 354.c.d
Ægyptii summi Astronomi. 754. a. b
Ægyptii ab Æthiopibus multos ritus dicuntur accepisse. 244. b. à Cambyse divexati 11.b. à quibus significationes suas comminiscebantur. 66. c. civitates multas in Hetruria fundaverunt. 510. cadavera vitro condita diu asservabant. 60. a. divino cultui servientes carnibus abstinent & vino. 305. d. cur maritimis abstinuerint. 373. a. noctem cũ die pari horarum numero assiduè partiuntur. 350. d. a. quomodo mundum partiebantur 221.c
Ægyptii & Phœnices quomodo Solem, Lunam & Stellas Deos intellexerint. 554.a.b
Ægyptii reges ac acerdotes vino abstinebant. 668.b
Ægyptiorum opinio de mundi figura 32. a. peculium in gregibus. 714. d. 715. a. statuæ quales. 626.a
Ægyptiorum Jupiter quis. 40.b
Ægyrenses Amorem & Fortunam in eodem delubro colebant 488.c
Ægythus avis quæ Ægyptiis 306.d
Æliani locus 18.a. 132.b
Ælii Veri Imp. lectulus qualis. 687.d
Ælio Pertinaci signum datum de invadendo regno, quale 48.b
Ælurus & felis an idem animal. 162.c d. cur Lunæ simulachrum 163.d
Æluri oculi ad Lunæ vices vel majores vel minores 162.c.d
Æmatheolicæ sues solidis sunt unguibus, & non divisis. 108.b
Æoli pilæ 172.a
Æneæ Platonici locus 320.a
Æolus cur Hippotæ filius dictus 169.d
Æoli filii & filiæ ibid.
Æqualitas 268.b
Æquinoctia 70.b
Æquitas in elephanto 21.a
Æquivoca, cujus sint Xenophontis, ignoratur 386.a
Aer 475.a. 757.c
Aeris elementũ per accipitrem 258.b
Æris symbolũ per columbam 262.a.b
Ærei clavi cur confingendis navibus aptissimi 615.b
Æris signãdi mos à Jano inventus 382.c
Æris soliditas ac diuturnitas. 197.b
Ærumnæ 481.c. 586.c
Ærumnosus 504.a
Æs perpetuitatem denotat. 615.b
Æs olim pecudum nota signatũ. 121.a
Æschinem tragicam simiam vocavit Demosthenes 73.d
Æschylus primũ excogitavit colubras Eumenidũ crinib9 obvolutas 193.c
Æschyli dictum de leonis catulo, 5.d. 6.a. locus. 246.b. tragœdiæ. 666.a
Æsculapius. 191. a. 652. d. cur intonsa barba. 389.c.d. cur Serpẽtis insignia gestet. 192. c. in solitudine Titthei montis expositus. 59. c. capella alitus ibi sub anguis specie multis apparuit 192.c
Æsculapii caput cur laurea redimitum 638.b
Æsculapii simulachrum. 652. d. imberbe apud solos Sicyonios 389.c
Æsculapii simulachro cur canis adsculptus. 59.c
Æsculapio attributa ars. 549. d cur gallum se debere dixerit Socrates. 287.a.d. cur immoletur gallin. 287.a
Æstas 105.a. 694.a.b 656.c.d
Æstas & hyems 106.b
Æstryi Germani aprorum formas pro armis gestabant. 106.b
Æsymnio Megarensi quid respondederit Apollo 111.c.d
Ab ineuntæ ætate libidinosus 335.b
Ætatum distinctio varia 462.c.d
Æternitas. 338.d. 559.a. cur per basilicum indicata 170.d
Æternum perpetuumque. 43.a
Æthera cur patrem putaverunt nonnulli 511.b
Æthereus ardor 475.b
Æthiopia quid sonet Hebræis 195.a
Æthiopes pil fuerunt olim 144.b.c. publico damnati judicio sponte sibi mortem consciscebant, ib. ubi nam habitent 408.b.c
Æthiopum ad epulas cur Jupiter cum reliquis diis invitatus dicatur. ib.
Æthiopũ pedes tumori obnoxii 39.b
Ætites species duæ 275.a
Ætnæ montis lucum incolebant canes 58.d
Affectus motum ut ad affectionem perveniatur, excitat 178.a
Affectu humani 698 d. voluptarii 145.a
Affectuum malorum dissipatio. 196.c
Africa 693.c. hujus fertilitas. ibid. domita quomodo pingebatur 10.b muliebri specie effigiata. 682.c
Africæ symbolum per scorpium 195.b
Africani elegans sententia 310.b
Agamemnonis clypei inscriptio 4.a
Agamemnonem cur Homerus æquiparaverit bovi 4.d
Agathocles graci obsidione pressus Carthaginenses 580.a
Agathocles Siciliæ tyrannus à Timæo historico notatus 210.a
Agathyrsus 179.a
Agelastes 304.b.c
Ager quid in Divinis literis significet 685. c.d
Agesilai dicterium de sagittariis 537.b
Aggerum construendorum norma ex hirundinibus accepta 268.c
Aggressio 387.a
Aglaus alter, proverbium 339.d
Agmen 317.b
Agna aurea Arrei, quid 120.a
Agnus 119.a
Agni in solito colore nati quid portendant, & quibus imperium 116.b 107.a
Agricolæ 16.a. 538.b. 578.b. 605.c.d
Agricultura. 16.a. 538.b. 578.b. 605.c.d
Agricultura monstravit Saturno 382.a
Arigentini taurum Phalaridis imitate 39.d
Agrippa omnibus Diis templi dedicavit. 624.c. Sex. Pompejum maritimo præ-

mo prælio vicit 546.c.d.571.a
Ajax Locrensis draconem manſuetum in deliciis habuit 191.b
Ala animarum Platoni quæ 254.a.b
Alas pedibus addere 737.b
Alæus Telephum expoſuit in Panthium montem. 81.b
Alaſtores dæmones. 496.b
Alba cur ad Dei cultū adhibita. 485.b
Alba veſte decorabantur liberti manumiſſione accepta. 503.a
Albatæ 502.c
Albertus Magnus alitur. 7.c.170.c
Albini natale ſolum quod 227.c
Albino Clodio qui portendebant cornua. 86.a
Albis veſtibus delectatur Deus. 502.c
Albis veſtibus uti in Imperatorum Rom funeribus mos olim. 260.c
Alcathus Leonem occidit 403.a
Alcea cur leoni, cauda dicta 7.d
Alcedo. 301.c.d. rarò apparet. 301.b
Alcedonis nidus qualis 301.d
Alcedonum incubatus tempore, mare tranquillum. 302.a
Alceſte Admete regis conjux. 188.c
Alcibiadis coturnix 205.d
Alcithoe cur in veſpertilionem mutata. 300.b.c
Alcmæonis de ſapore ſententia 404.a
Alcyonii dies 203.a
Aldi Manutii inſigne 571.b
Alectoriæ gemmæ vis. 461.c
Alexandrum Æropum Theſſalis equitibus præfecit Alexander Magnus. 370.a
Alexand. Macedo Jovis Ammonis filius fabulosè creditus 5.a
Alexander puellas Darii captivas ſumma integritate ſervavit 416.c
Alexandri Bucephalus 40.a
Alexandri capiti inſidens hirundo quid 270. a. commentum adverſus ingruentem ſomnum. 211. b.c continentia 416. b. effigiem qui geſtabant, proſperè ſibi omnia ſucceſſura putabant. 498.c. mos in præbendis auribus tam reo quam accuſatori. 393.b. numima cur leoniſnum ſpoliū habeat. 2.d. 3.a. reſpōſū Adæriginæ Carum 704.c.d. Statua. 528.a
Alexandri ſtudioſiſſimus Antoninus Severi filius. 380.a
Alexandro an meritò fulmen attributum. 451.c.d
Alexandrum decimum tertium Deum ad duodecim ſuos colebant Athenienſes ibid.
Alexandri Aphrodiſæi locus. 748.c.d
Alexander Medicus trucidatus 555.d
Alexander Phereus haſtā quo Poliphe-
ranē interimit conſecravit 529. b.c
Alexander Severus ex leporinæ carnis eſu formoſus factus 154.b
Alexandri Severi mortem indicans portentum 637.c
Alexādria cur vocata Leontopolis. 3.d
Alexandriæ urbis prima deſcriptio farina ſignata. 309.b.c
Alienæ opis indigus 339.a.b
Alienigenarum procus 351.b.c
Alienus ab amore 147.d
Alimonia. 673.a
Alilat & Ora tal Arabum Dii 469.a
Alis inſignita erant capita ſacerdotum Ægyptiorum 358.c.d
Alithæus Turrianus 630.c
Allium militiæ ſymbolum 726.a
Allio incitātur ad pugnam galli 209. a. b. neque allium neque fabas eſitandas, proverb. 716.a
Allium odit Leopardus 92.a
Almæ ſignificatum 218.a.b
Alpini milites 165.b
Aloiſius Cornelius 617. 6.
Alta, & altum. 482.c
Altum nil ſapiens 300.c
Alumine oblita matēria non ſuccenditur 196.b
Amans ardet 196.b
Amaranthus 690.d
Amarities de vitæ dulcedine. 314.a
Amaſios cadaver combuſtum à Cambyſe in ignominiam 581.c
Amatæ rei deſertor 725.a
Amator 196.a
Amatores mortui 583.c
Amatoriæ deliciæ. 162. a. illecebræ. 262. b
Amatorium 722.b
Amazones è ſerpentum coriis tegumenta bellica faciebant 515.b
Amethyſtus cōtra ebrietatē ſtat. 502.a
Ambiguæ oves quæ 120.d
Ambres liber Ægyptiacus 471.a.b
D. Ambroſio puero apes in labellis conſediſſe dicuntur 311.d
Amicitia. 60.c.
Amicitia firma. 371.d
Amicitiæ confirmatio 699.d
Amicitiæ hieroglyphica plurima. 682. d.
Amicus inutilis & ingratus 269.b
Amicorū comparandorū ratio 428.b
Ammianus Marcellinus Græcanico fuit ingenio 441.a
Ammiani Marcellini locus. 736.b
Ammonius Alexandrinus Origene & Porphyrio diſcipulis clarg. 149.c
Amolitio. 405.a
Amor. 216.b.583.c.592.c 609.a
Amor fidem nutrit. 740.a
Amor alatus 675.a.b.c
Amor geminus quomodo exercendus 266.c
Amor mutuus. 676. a. occulatuſne an cæcus. 611. a.b. perditus. 676.c
Amoris firmitas 334.a
Amoris impuri ſatietas 329.c.d
Amoris indicium. 718. a. enutrimentum. 196.c. petulantia. 17.a. progreſſus. 675. laquei & retia. 611.c. radii in amantium oculis qui. 516. a. ſymbolum 686.b.c. vulnera. 526.a
Amoris veri fructus. 678.d
Amori cur alæ attributæ. 257.b
Amori perſuadendi magna vis ineſt. 307. a
Amorum agminis deſcriptio ac luſus 676. c. d. 677. a. 261. d
Amphilocus Olerius ab anſere adamatus. 291.c
Amphion à quo lyrā acceperit 592.c.d
Amplitudo nominis 184.a
Amuletum. 544.d
Amygdala pro canitie 648.a
Amygdalæ floris multitudo, aliarum etiam frugum feracem annum pollicetur. 647.c.d
Amygdalus temperantiæ hieroglyphicum 648.b.c
Anacharſis quo geſtu dormire deprehenſus. 416.b.c
Anacharſis Scythæ dictum 666.b
Anacharſis ſtatuis quid inſcriptū 416.
Anacreontis verſus de faſtu muliebri 51.c
Anaxagoras cur judicarit hominem ſapientiſſimum omnium animantium. 424.b
Anaxagoræ opinio de Sole 555.b
Anaxilas Rheginus. 156.b.c
Anazarbeni cur oleas habeant fœcundiſſimas 664.c
Anceps conſilii. 129.c
Anchoræ hieroglyphica. 571.b
Anchoræ alligatus Delphinus quid 318. d
Anchoram habuerunt Indi pro caduceo 571.b.c
Anchoris duabus inniti ibid.
Anchua piſcis 362.d
Ancile. 532.a
Andreas Phyſicus ad Nicandrum gloſſemata adjecit 351.c
Anemona. 690.a.b
Angelus Cæſius 504.b

Angelus Colotius. 171.a.400.d
Angeli. 394.a.563.c.549.a
Angelorum cura quæ 563 c. hierarchiæ tres. ib.c. nomina & munera. ibid. d.564.a
Angelos nos vocamus quos Gentiles Genios. 59.d
Angeronæ effigies qualis 442 c.d. etymon. ibid.
Anglevarii. 186.a
Anguilla 352. a. & seq. mutationem non facilè fert. ibid. 353. a. mortua ad fundum residet. ibid. c.d
Anguillæ generatio 352.b.c
Anguillarum captura copiosa quando 353.b
Anguimanos cur vocarit elephantos Lucretius. 19.a
Anguineum ovum quod. 188 c. ad judiciorum victoriam confert. ibid.
Anguineos pedes habuerunt Gigantes. 193.b
Anguipedum Syrtium historia elegans 175.c
Anguis significata. 189.d.190.a. & seq.
Anguis caudâ admordens quid 188. d
Anguis, nisi Anguem comedat, non fiet draco, proverb. 188.c
Anguis quo tempore exuvium deponat. 168.b
Anguium magica vis conglobata in Æthiopia. 188.d
Anguibus vis magna inest. 171.b
Angulus solidus. 755.c.d
Anima. 353. c.d 565.a
Anima Deus ve. 454.c
Anima hominis. 754.a
Anima cum aereo vehiculo. 745.a
Anima & corpus. 749.b.c
Anima corporis affectibus tangitur. 339.d. generat cogitationes 381.c.d purpurea 343. b.c. sanguine nutriri videtur. 254.c.d
Anima leonis cur vehementius moveatur. 7.a
Anime hominis in corpore stat 744.a
Animæ & animi differentia. 253.c.b
Animæ cum corde cõmercium. 254.a
Animæ substãtia nõ est sanguis. 254.d
Animæ per pisces indicatæ. 373.c
Animam sponte non exurbandã cur indicarint veteres. 579.a.b
Animæ humanæ vineis comparantur 669. a. b
Animæ defunctorum. 750.c.
Animæ defunctorum in fabis habitare. 708.b
Animadversio. 538.a
Animadversio severa. 381.d.382.a
Animal nullum homine diutius vivere existimat Aristoteles 258.d
Animal nullum sacrificandum putabant Theologi veteres. 706.c
Animalia fœcundiora quæ 10.b frigida & timida, quæ. 332. d. naturæ ductu in morbis sibi medentur. 725. c. rationis expertia voluptate afficiuntur 149.b
Animalia tertii generis non gignunt 148.a
Animalium curandorum causa. 516.a
Animalibus omnibus quibus sanguis iisdem & cor est. 256.b.c
Animalibus qui primi vescebãtur, penuria frugũ id coacti fecerũt. 706.b
Animus 251.d.258.c.696.a.b
Animus ad humilia dejectus 208. b alatus Zoroastri. 251.d 254.b.258.c. à vitiis depurgatus. 713. c. f. divinis intẽtus. 207. c. gratus. 319.a. regendus. 697. a.b. suavitate permulcendus. 313.a
Animus vitaque. 579.a
Animi afflictio. 317.a. candor. 274.a desponsio. 55.a. elatio descripta. 16.a puritas. 188.c.d. vis labefactata. 100. a pulchritudo. 744.d
Animi corporisque vires. 1.b
Animi feritas per quercum significata. 643.b
Animi magnitudo in canibus. 63.a
Animi patria non est corpus 239.a
Annæ Sámuelis precatio qualis. 347.b
Annibalis consilium Antiochio datum in navali prælio quale. 185.a
Anibalis stratagema 722.b
Annona 611.b.226.d
Annonæ felicitas & penuria. 34.b
Annus. 169.c.486.d.459.a.631.a
Annus mensesque. 11.d
Anno cur per palmã indicetur. 631.a.b
Annus Ægyptius. 484.a
Annus iniens. 382.a
Anni Ægyptiaci rationes duæ 491.b
Anni constitutio apud Persas 216.d qualitates quatuor. 384. d. 385.a. tempora tria Ægyptiis. 495.a
Anni symbolum cur vultur. 215 b
Annum quomodo metiebantur Ægyptii ibid c
Annũ unũvivũt passeres mares. 248 d
Annorum centen. 276.a
Annorum certus numerus. 107.b
Anser. 290. c. cur detrimenti symbolum. 291. d. cur liquidis & frigidis delectetur cibis 291.c
Anseris exempla amoris erga homines 291.b
Anseris ingenium aversum à poetica studiis ibid.c
Anseri honores à Romanis instituti 290. d.
Anseres Taurum montẽ penetrantes cur lapillis rostrã sua occulãt. 291.a
Anserum jecoribus canes pascendos instituit Heliogabalus 291.a
Anserum oletum omnia adurit 291.d
Auser poeta pessimus. ibid.d
Antegoras poeta quid respondent Antigono 372.c.d
Antevorta & Postvorta. 381.a
Anteus. 714.a
Ante9 ab Hercule collisus quid 417.a
Anthanis. 605.a
Anthia pisces 358.b
Antracinæ vestes 551.b
Anthropius taurum dedit Agamemnoni & Menelao 40.d
Antigoni dictum argutum 1.d.2.a
Antiochi numisma 733.d
Antiochi laus ab æqualitate. 324.d
Antiochus cognomento Accipiter 257. b.c
Antiochus Soter. 599.b
Antipathia inter camelũ & equũ 550.d
Antipatri epigrãma de Platone. 133.b
Antipatri parsimonia ficta. 503.b
Antiquitas. 602.a.b
Antisthenis dicterium 50. b. in adolatores. 70.a. in Athenienses 336.c
Antisthenis argutum responsum ad Diogenem 38.b
Antoninus Pius cur semper in urbe sederit. 180. d
Antonii Pii mansuetũ ingenium. 289.c
Antonino imperium portẽdit agnus vellere in fronte purpureo. 110.b
L. Antoninus Fab. Quadratus torquibus & armillis à Titio Cæsare donatus. 605.b
Antoninus agnellus. 576.b
Antoninus Bechus Tiberium oppressit. 387.b.c
Antonius Morosthicanus. 335.c
Antonius Musa viperas edendas dedit. 191.a
M. Antonius Passer. 433.b.c
Antonii ab Ulrũcino deprecatio. 417.a
Antonii triumviri numisma. 738.a 61.d
Anubis.
Anubis Cynopolitarum Deus. 373.d
Anubis & Osiris expulerunt Gigantes ex Italia. 50.d
Anularis digitus cur odoribus illinebatur ab Ægyptiis sacerdotibus. 511 d
Anuli etymon. 443.c

Anulus. 512. a. b. ornatus & signandi causa circumferebatus. ibid. d
Anulum arctum non gestandum cur dixerit Pythagoras. 443. c
Anulum gestare flamini Diali cur non licebat. 644. b. c
Anulum unum duntaxat olim habere unicuique licebat. 512. a. b
Anulorū quibus jus negabatur, ib. 443. b. c. usus unde propagatus. 443. a
Aornus fluvius pisces habet vocales. 367. d
Apaturiæ Palladi zonam virgines Trœzeniæ ante nuptias dedicabant. 506. b. c.
Apelles cur fulmen in Alexandri manu pinxit. 557. c
Aperta vis. 575. c
Aperto pectore. 406. a
Aphrodisias. 605. a
Apiastrum apibus gratum. 728. a
Apis 309. c. 310. a. d. regni symbolum 310. d. vitæ sociæ amatrix. 311. a. b
Apes D. Ambrosio, Pindaro, Platoni pueris in labellis consederunt. 311. c
d. Dionysio & Hieroni regnum quomodo præmonstrarint. 311. b
Apes ignorant venerem 315. b. c. oderunt homines à coitu olidos ib. unde generentur. 45. a
Apum artificium à Virgilio descriptum, 315. politia eleganter à Plinio descripta. 311. b. c.
Apum examen in faucibus leonis à Samsone strangulati. 314. c. in juba equi Dionysii. 311. b
Apum rex aculeo caret. 310. d
Apis cur non passi sint Ægyptii bibere ex Nilo. 578. a
Apium luctus indicium. 653. c
Apollo. 677. d
Apollo Agyieus. 617. c. Delphicus. 187. a
Apollo fidicen. 274. d. Meliates. 677. d. Thyreus. 603. a
Apollo Musarum Deus. 597. c
Apollo cur per corvi symbolum. 281. c. d. per gallum. 288. a. per lupum. 115. d. c. per gryphem. 279. a
Apollo in Delphinum mutatus. 327. b. tibiis libenter cecinit. 595. c
Apollinis affectus expressus ab Ovidio. 65. b. c. d. cum Hecate certamen. 103. a. Panionii ædem quomodo primum ædificandam putarint Græci. 618. a Musæ 597. b. d. sagittæ in Græcos immissæ. 517. b
Apollinis pedibus serpens triceps subjiciebatur. 192. d
Apollini cur cygni sacri. 373. a
Apollini Lyceo cur templum dicatum Sicyonios. 131. a
Apollini quædam animalia dicata. 288. a
Apollonius. 605. a
Apollonii Rhodii locus. 191. a. 402. c. d
Apollonius Thianæus. 88. d
Apollonii Thianæi præsagium suæ commorationis apud Barsan. 11 c. d
Apostoli. 38. d. 233 b
Apotheosis Imperatorum. 38. a. 229. b
fœminarum. 285. c. multis regibus decreta. 551. c
Appetentia. 198. c
Appetentis vis in hepate. 221. a
Appetitio affectum excitat. 177. a
Appetitus rationi obsistit. 734. a
Appion Grammaticus cymbalum mundi à Tiberio vocatus. 92. d
Appioni cor Asini objectum. 140. d
Aptera civitas unde nomen sortita. 257. a
Apua piscis. 362. c. Veneri sacra. 363. a
Apua ad ignem, proverb. 361. a
Apuarum copia cur apud Megarenses. 363. a
Apulejanæ fabulæ argumentū. 687. d
Aqua. 756. a
Aqua mihi hæret. 433. a
Aqua cœlestis. 696. b. 731. d
Aquæ vocabulo quæ signentur. 476. a. d. 481. b
Aquæductus & fontes, leoninis figuris ornati. 9. d
Aqua generationis causam putarunt multi, & cur. 93. d
Aquam ranæ dare, proverb 355. d
Aqua & aere naturam rerum constare putabant Assyrii. 274. c
Aquarum segregationes apud Mosem quid. 353. b
Aquis comparata disciplina. 576. d. 577. a
Aquila. 226. b. & seq.
Aquila Aurelianum infantem de cunis sustulit. 228. a. carmen bubulam in Maximi cellam & Jovis Ara Præstitis, sacellum abjecit. 227. d. 228. a. Claudii dextero humero cōsedit. 227. c. d. dedicata justis Imperatorum & regum 225. d. 226 a. in educanda prole iniqua 231. a. Gordii currus jugo insidens. 227. a. Jovi gestat tela. 234. b. lapidem in nido collocat. 235. a. mactandam Helenam liberavit. 230. b. c. Maximo imperii auspicium dedit. 227. d
Aquila ossifraga quæ. 230. a
Aquila panem de manu Octaviani rapiens quid 227. c
Aquila pollet visu. 233. c. quibus imperium & regnum præmonstraverit. 228. b. c. & seq. quot uno tempore pariat. 227. b. c. volucrum regina, 229. unde dicta. 32. c
Aquila vulturina. 229. c
Aquilæ conspectus felicitatem indicat. 226. c. d
Aquilæ cognomento gaudebat Pyrrhus. 228. d
Aquilæ etymon. 234. b. c
Aquilæ nidus cum pullis à C. Maria puero repertus, quid portendebat. 227. b. c. pennæ aliarum avium pennas contactu corrumpunt. 131. c. præconium ex Sosithei dicto. 733. d
Aquilæ senectus proverb. 232. e
Aquilæ cur bellum cum serpente. 192. c. cur tantum tribuerit Pindarus. 229. a
Aquilam sacrarunt Persæ ante Romanos. 226. b
Aquilæ duæ in culmine domus, ubi Alexander natus. 228. a
Aquilæ gerendis rebus se duces præbentes. ibid.
Aquilarum duarum ex auro apud Delphos significatio. 236. a. insignia quædam. ibid. pulli à vulturibus discerpti 219. d
Aquilis senescentibus rostrum magis incurvatur. 232. c
Aquilæ Pontifici opinio improbatur. 218. a
Aquilejæ expugnatio quibus indiciis prænuncia. 206. a
Aquilinus lapis ad multa remedia. 235. a
Aquilo. 749. d. & quatenus vocetur dexter, & quomodo pro dæmone accipiatur. 32. b
Aquilone spirante gignitur masculus fœtus. 31. d
Aquilus color. 33. b
Ara 621. b
Ara Dianæ dea ex cornibus cervinis. 83. a
Ara sacrificalis. 622. a
Arabes fidem in manibus colebant. 429. a
Arabia cur nullum suillum genus habeat. 100 c
Arameorum opinio de duabus legibus. 549. b
Aranearum telæ quid Aristoni Chio 324. c.

Ataneus 324.c
Araneorum telæ quid in Sacris ib.b
Arati locus 278.c
Arationis partes procuratæ 35.d
Aratrum 650.b
Araxa fœmina, 179. a. ex Hercule filios genuit tres ibid.a
Arbiter geniusve 59.c
Arbores sine tempestate cecidisse, suaq; spōte mox resurrexisse 650.a
Arbusta terrenis mentib. assimilata 634.b
Arca fœderis cur ex cedro sit fabrefacta 638.c
Arcæ Noe ligna cur quadrata 491.b.c
Arcades cur rudes dicti 102.d
Proselenes cur 560.d
Arcadum gestamen quale ibid. 52.c.
mos in eligendo rege 3.a
Arcam Domini vaccæ fœtæ traxerunt 39.a
Arcana tempore patefieri 743.c
Arcana revelata 338.c
Arcana sacrorum 409 b.c
Arcana tegenda 74.a
Archangelorum cura quæ 563.c
Archemorus celebritatis Nemeorum causa 653.c
Archidam dictum in Chiorum legatum 369.c.d
Architecturæ per hirundinem 268. c
Arcus. 525. a. b. cur fuerit dedicatus Amori 526.a
Ardea. 306. b. per coitum sanguinem ex oculis emittit. ibid. b. tempestatis signum ibid.c
in Areopago rei velato capite causam dicebant 748. d
Argaman 549.b
Arge 558 a
Argentum liquidum 337 b
Argiphon cur Mercurius dictus. 153.d
Argivi & Argivorum numi 162.c
Argivi primū usi scutis ligneis 531.a b
Argus 738.a.b
Aries 122.a.710.b.& seq.
Aries in Isocratis sepulchro cur adscriptus 123.b
Aries in Sacris literis, quid 118.c
Arietinum caput cur Hammonis signum 124.c
Arii Lacedæmoniorum regis epistola. 236.b
Arion quo habitu delphino vectus. 326.d
Aristander Thelinesius. 270.a
Aristādri themesii divisio dētiū 404.c
Aristandri sententia de oleo 663.a
Aristides Italicas res descripsit. 230.b
Aristippus quid objecerit Diogeni. 54.c
Aristippi responsum de divitibus & philosophis 469.b.c
Ariston quibus similes ajebat dialecticæ sectatores 338.b
Aristonymi dictū in adulatores. 77.d
Aristophanis locus 353.b.c
Aristoteles & Plinius de fucis dissident 317.d
Aristot. locus. 66.d 321.d. 338. a.
Aristotelis consilium Callisthenidatum quod. 291.b. scomma in Athenienses. 470. a. sententia de Taranda 333 a
Aristotelis non videtur legitimus liber, De mirabilibus auscultationibus 302.c
Aristoteli conciliatus Plinius. 358.c
Aristotimus quomodo perierit 618.a
Arithmetica quomodo ab Ægyptiis ostendatur 475.c
Arma, armorumque genera varia 524 b
Arma bellica 639.c
Arma per sapientiam administranda 527.d
Armorum apparatus sine corde irritus 84.c
Armatam Venerem cur coluerint Lacedæmonii 524.c
Armatos Deos omnes cur finxerint Græci 524.b
Armenica prima pelta 531.d
Armenica secunda pelta ibid.
Armenius mus 162.b
Armi 519.a
Armillæ. ibid a. unde dictæ. ibid.a
Armillarum donis & coronis honestati qui ibid.a
Armillarum symbolū quod ibid.a,b
Aromata super ignem quamobrem imposita 585.a c
Aromatarius 306.c.d
Aron agreste cur pascatur ursa 91.c
Aronæ stirpis mares tantum cur sacrificato vescebantur 414.a
Arriani locus 371.a
Ars naturæ victrix 616.a
Ars & ingenium 222.b.734.b
Artes cur per manꝰ significētur. 421.c
Artes inanes 703.a.b
Artes nullæ ante ignis usum sunt repertæ 586.b
Artium inventores 734.c.d
Artibus propriis elusus 308 c
Arsiones miserabilis interitus 241.a
Artaxerxes cognomento Mnemon, ficubus & pane hordeaceo vesci coactus 678.a
Artaxerxis Mnemonis de fici & hordacei panis præstantia sententia 678.a
Artemisia quale sepulchrum fruxerit 670.b
Articulus 178.c
Artificium 430.d
Artificiosum opus 364.
Arvales fratres 410.d
Arveris 694.b
Arviragus 239.c
Aruncum quid vocet Plinius 571.c
Arundo mensuræ signum 211.c
Arundinis flocci efficacia. 711.a.b
Arundinis & filicis inter se inimicitiæ ibid.c
Arundo in manus tradita Christo, quid indicaris 710.a
Aruspex 711.c
Ascia 160.b
Ascolia sacra cur Baccho instituta, 517.a
Asconii Pedani locus 112.c
Ascolopax. 108.b.114.b
Asellicens homo 290.c
Asello fabulam narrare sardo. ibid.d
Asia per tres serpentes indicata 114.b
Asil 9 319.b.c. quomodo nascatur. ib.b
Asina animal est ad onera portanda genitum. 141. a. fœtus excludit in tenebris 144.a
Asina prioris populi symbolum. 141.a
Asinæ pullus juniorem populum indicat ibid.a
Asinus Ægyptius 141.b.c
Asinus ab omni rationis usu est remotus 140.b
animal dæmoniacum. 141.b. humanæ commoditatis affectus minister 146.a
Asinus in fabulis quis 140.a.b. in lodis 140.a. ad lyram. 140.a. intermias 142.a.b. salutis augurium dedit 141.a
Sapientiæ symbolum 146.b
Asinus putandarum vitium author & præmonstrator 145.b.c
Asini auricula 140c
Asini cutis post obitum utilis 146.c
Asini portantis juventutem, & senectutem fabula 165.b.c
Asini & sali aviculæ odium unde 305.
d. 306. a
Asini umbra proverbium 297.b
Ab Asino excuti, proverbium. 142.b
Asinum currentem pingere, ibid. litteras docere 140.a ibid.a
Asinum parere

Asini Apollini mactati. 142.c. auditu præter mures cæteris præstant animantibus. 131.d. 140. b. c. ad bellum gerendum apud Saracenas adornantur. 143. c. difficulter occiduntur. 146. c. extra provinciam non peregrinantur. 139.d. omnium quadrupedum inverecundissimi 140. d
Asini Palæstini equos pernicitate provocare dicuntur 143.b
In Asinos post obitum dejici 141.c
Asinaria mola, ex Evangelio desumpta 143.c
Asininæ ungulæ abortivis evocandis prosunt 144.a
Asio aris 307. a. imitatrix ibid
Asio Favonis flantibus apparet ibid.
Aspalatho tactus cervus moritur 81.c
Aspondus 598.a
Asparagus 721.a
Eutus quam asparagi coquantur, proverb. 721.b
Aspernatis symbolum 685.c
Aspicere, quid in sacris significet. 354.c
Aspis alita ab Ægyptio 191.b
Aspis cur dicta somniculosa à Silenio 141.d
Aspidum ictus letalis ibid.
Assentatoribus nullum genus animantium perniciosius 79.c
Assertor 644.d
Assertor multorum 316.d
Asses lignei & scortei à Numa populo dati in congiario 36.b
Allidere cuipiam 545.b
Assyrii cur abstinuerint piscib. 374.c cur columbam coluerint 261.b
Astabor 577.c.d
Astasoba ibid.
Astræa 478.a
Astræa dicta Ceres Poetis 255.c
Astrologia 475.c
Astutia prava 293.c.d
Astyagis somnium 867.b.c
Atalantæ cervus dicabatur 85.c
Atecoti juniores 187.b
Athalaricus Romanum imperium attrivit 216.a.b
Athenarum arcana mysteria universum orbem eluserunt 417.c
Athenienses Ægyptiorũ coloni 382.c
Athenienses Samis ultione multati quod ursam Dianæ interfecerunt in Munychio ejus sacello natam. 137. b. hospites & advenas omni officii genere prosequebantur. 473. & Niciana clade venditi pro servis apud Syracusas 49.c
Athenienses quodnam votum fecerint Dianæ & cur. 116. a. quot deos coluerint 551.d
Athenienſium nobilitas 731.a
Athenienſium in bove mactando mos 37.c
Athenienſium male consulta noctua fortunare dicebatur 243.b
Athenodorus philosophus. 601.b
Atlantus 74.c
Atlas. 629. d. cur cœlum gestare fingatur ibid. 630.a
Athletæ oleo delibuti certabãt. 435.c
Athletæ ficcis ficubus pasti. 673.a.b
Atomis suis quid sibi voluerit Democritus 167.a
Atrati & atratæ vestes 503.d. 504.a
Atramentarius piscis lolligo 341.d
Atramentum in quas evomit sepia, atramentique vis ibid.
Atrei & Thyestis discordia unde 120.a
Atri festique dies. 359.b. 342.b
Atropos 608.a
Atrum & nigrum 342.a.b
Attica ficubus nobilis 673.b
Attilæ datum augurium per ciconiam 206.a
Attonis Moguntini Archiepiscopi impr. bonum factum 419.b
Avaritia 431.b
Audiendi promptitudo 112.a
Auditorum frequentia 91.a
Auditus 83 b
Auditus ex leporino simulachro intelligitur 153.b.c
Auditus è longinquo 106.a
Auditus promptus 32.d
Auditu quænam ex quadrupedum genere præstent ibid.
Averroes ab Aristotele dissentit in testibus 412. a
Aves cœli 712 c.d
Aves ex arborũ folliculis natas in Britania fabulantur nonnulli 311. c.d
Augurium mortis 131.d
Auguriis in captandis mos sacerdotum 462.c. 694.d
D. Augustini laus 217.d
Augustale insigne 580.c
Augustus cingulo ex vituli marini pelle confecto cur usus 637.a
Augustus infans ranas obstrepentes silere jussit 355.a
Augustus nepotes suos literas & natare docuit 74 d
Augusti Cæsaris numisma 750.c
Augusti genesis 114.b
Augustæ milites 164.d. 165.a
Augusti præsagium ex dracone 183.d
Augusto decretus currus ex quatuor elephantis 20.c
Augusto in littore deambulanti è mari ad pedes prosiliit piscis 349.b
Augustus mensis ibid.
Amicorum vita 575.b
Aureliano Imper. quo præsagio imperium ostensum. 183.c.d
Aurelius Augurellus senex scripsit Chrysopœiam carmine 273. b.c
Aureoli tyranni tumulus 350.b
Auriga cœlestis quis 548.a
Auris consecrata Memoriæ 394.b
Auriculas asini quis non habet 141.b
Auribus cur carebat Jovis simulacrũ apud Cretenses 398.b
Auritus 399.b.c
Aurũ solare metallũ Chymicis. 252.a
Auri nomen, quid 255.a
Ausonii locus 498.d. 499.d
Auspicium regium 263.c.d
Auspicia Canaria 67.a
Auspicia, portentaque felicia per aquilam 226. d. 227. a.b
Auster quomodo accipiatur 32.a
Austri flatus fœmineum fœtum producunt ibid.b
Autocabali 645.d
Authores veteres multi nostra ætate in lucem prolati 426.b.c
Authoritas 54.c. 629.c
Authoritas per manus symbolũ. 123.d
Authoritas imperatoria & triumphalis honos 636.d
Autumnus 757. a
Auxesiæ simulacrum cur ex olea 662.a
Auxiliares 383 c.d
Auxilii imploratio 269.a
Auxilii imploratio apud Scythas qualis 35.c
Azymorum calathus quid 470.a
Azymorum festum amaritudine & humilitate celebrabatur 317.a


B


Litera. 598.c.d
Baccheia supellex 645.a
Baculi & virgæ differentia 518 b
Bacchus 41.a. 644.a
Bacchus cur tauro & pardali similis dicatur ibid.a
Bacchus idem & sol nonnullis. 169.d
Bacchus Sycites 671.c
Baccho taurinis corn. insignito 703.a
Bacchi simulacrum ex vite aut ficu apud Naxios fieri solitum. 671.c.d
Baccho delphinus adpictus 327.a
Baccho cur dedicata ferula 691.b. cur oblivio ibid.b

Bajeth Ægyptiis quid, & Bai. 253 d
Balbino & Gordiano ſtatuæ cum elephantis decreta à ſenatu Rom. 24.c
Baltheus. 511.d
Baptiſmus. 503 a
Baptiſmo vera purificatio. 366.d. 367.a
Barba in Sacris literis quid. 389.a
Barba intonſa cur Æſculapius ibid.b
Barba ſymbolum virtutum. ibid.
Barbam cur ſe geſtare dixerit Diogenes 389.a
Barbam cur ſoli Lacedæmonii raſitarint ibid.c
Barbam nutrire ſacerdotibus mandatum ibid.c
Barbam perpetua declamatione laudavit Pierius 388.d
Bartholom. Carolus Picolom. 111.b
Bartholomæus Lampridius 515.a
Baſilidis Abraxas 215.d
Baſilius Magnus philoſophiæ latebras omnes penetravit 526.a
Baſiliſcûs. 170. b. in honore habitus ab Ægyptiis. ibid.
Baſiliſcus ex Ibidis ovo 210.b
Baſiliſcus ſtella 172.a.b
Baſiliſci ſanguis cur à pleriſque adſervabatur. ibid.a
Baſiliſci ſibilus quib. ſit formidabilis 170.b.c
Baſſiano Antonino quales ſtatuæ decretæ à Macrino Imperatore 543.c
Batavi milites qui 187.a
Batti navigatio. 547.d
Beatitudo futuri ſeculi 311.b.c
Bebryciæ Lauri effectus 646.a
Bechphiygibus, quid 116.c.d. 287.b
Beelphegor 287.b. 417.c
Beelzebub dæmon muſcæ hieroglyphicum 320.b.c
Belbi. 320.a
Bellator ſtrenuus 94.d. 131.c. Imperitus 278.c
Bellatori aliquando cedere neceſſe. 44. c
Bellatorem decet ſevitia 2.c
Bellerophon coercuit amoris petulantiam 17.a 113.d
Bellerophontis imago 548.b
Bellica columna quænam dicta Romæ 627.c
Bellicus apparatus vel caſtra 421.b
Bellona Minerva 663.b
Bellonæ Templum 392.a
Bellum. 44.c. 122.b. 500. d. 528. b. d. 581. d. 627. c.
Bellum indictum 525.a
Bellum marinis fluctibus comparatum 572.a
Bello inutilis. 441. a
Bembi ænea Ægyptiaca tabula miræ antiquitatis. 170. c. 237. d c. d. 392. a 278.
Benedictus Agnellus. 576.a
Benedictus Lampridius. 356.b
Benevolus. 290.c
Benignitas. 230. a
D. Bernardus. 59. a
de D. Bernardo quæ ſomniaverit mater prægnans. ibid
Bernardus Vipienius. 197.a
Bernardinus Maffæus Card. 165.c
Bernardinus Pollanus. 196. a
Bernardinus Tomitanus 438.b
Berſabea quid Hebræis 483.a
Betæ & blitti differentia 727.b.c
Bianenſes 185.c
Biantis philoſophi dictum ad Alyattum regem 715 c
Bibaces cur aquilæ ſenectuti comparentur. 232.c
Bibaciſſimus. 364.a
Biblia quo tempore converſa in linguam Græcam à LXX: interpretibus. 218.a.b
Bicipitium 381.c.d
Bifrons cur Janus 382.a.b
Bile caret columba. 264.c
Bithon & bithonis robur 41.b
Bythini judicia ex adverſo Solis cur exercere conſuerant. 393 c,d
Blittea meretrix 727.b c
Blitti ſymbolum. Ibid
Blondi opinio ventilata 208.c
Boa piſcis vocalis 367.c
Bœotii anguillas diis immolare conſueverunt. 376.d
Boetii locus. 723. b
Bœotii ſtupidi dicti. 102 c
Bonum de malo deligere. 685.a
Bonum omen 145.a.b
Bona cito labentia 635.a.b
Bona dea, vel perſephone 743.a
Bonorum obſequium. 31.a
Bonorum cœleſtiũ affluentia. 744.c
Boreas 194.b
Bos ab Argo cuſtodita cur. 35.a
Bos ad ſacrificium quomodo ducebatur à Perſis. 35. a 34.d
Bos arator triclinium Veſpaſiani aſcendit. 35.b.36.b
Bos integer à Germanis Bononiæ toſtus. 297.b
Bos per linguam inambulat. 36.b
Bos ſub jugo, proverbium. 38.d
Bovis effigies in Athenienſium numiſmate. 36.b
Bovis pretium. 36.c. ſignificatio. ibid.
37. d. ſignificatum in Sacris literis 35. d
Bovi honor habitus à veteribus. 37.a 38. c.
Bovis unde nomen. 37.a
Bovem Deliorum pecuniam paſcentem nonnulli, 36.c
Bovem occidere, antiquitus crimen. 37.a
Bovem quando ſacrificabant Lacedæmonii. 189.c
Bovem quando ſacrificabant Romani. 41.b
Boves olim vocati Itali, 37.a
Boves arantes imaginari, quid. 31.c
Boum cornua cur fœno circumligabantur. 43.b
Boum natura. 42.c
Bovillo extenſo cotio quomodo opem implorabant Scythæ. 33.b
Braccati milites. 693.c.d
Bracchiati milites qui. 187.a
Bracteatæ argento pennæ, 710.c
Braſſica vitibus inimica ebrietatem arcet. 728.c
Breſcit. 548.a
Bretti populi & brettus. 143.c
Brevis vita. 446.c.d
Briareus Centimanus. 386.a
Britannia urſorum ferocitate nobilitata. 127.a
Britanni olim anſerem religioſum opinabantur. 241.d 242.a
Bromus Bacchus. 302.a
Brumalia quando celebrantur. Ibid.
Brucia vocata olim Italia. 142.a
Brutum heberem putabat Tarquinius. 107.c
Brutorum cultus unde apud Ægyptios. 72.a
Bubalus, primus omnium Fortunæ ſimulachrum Smyrneis effinxit. 701. c.
Bubulci nomen in familias Romanas admiſſum. 37.
L. Buca numum cudit Cæſari. 488.a
Bucephali. 40.a
Bucephali equi apud Theſſalos. 1b.a
Bulla. 510. b
Bullæ geſtamen unde acceptum. ibid
unde dicta. ibid. d. puerile geſtamen fuit. 510. 510.a
Bulla cordis erat figura. 407.a
Bulla primus omnium donatus Tarquinii Priſci filius. 510.c.d
Bulbi hieroglyphicum. 733.b.c ibid.
Bulborum efficacia. 41. c
Bufiridis nomen unde. 150.d
Buteo, accipitris genus quod. Bythonis

Bythonis & Cleobis fratrum pietas 661. a

C

C Litera, condemnationis nota 210. d
Cabaliſtica 559 a. b
Cacus Aventinus 137. d
Cadavera vitro condita adſervabant Ægyptii 60. a
Caduceatoris munus 711. a
Caduceus. 187. c. d. 188. a. c. & ſeq. 737. d
Caduceis numiſmata inſignita multa 188. a
Cæcitas 159. c. d. 397. d
Cædes multiplex 680. c
Cælii Calcagnini laus 68. c
Cæpæ efficacia. 714. d. 715. a
Cepis cur non veſcantur Ægyptii 715. c
Cæſar vocatur elephas Maurorum lingua 26. a
Cæſar 536. c
Cæſar apud Gades inſpecta Alexandri imagine ingemuit 553. c
Cæſar conſternatus, non invento corde in bovis opimi extis 396. b. c
Cæſar regium nomen reſpuit 414. c
Cæſaris mors in Solis ſignis indicata 558. c. d
C. Cæſaris numi ſymbolum 26. a
Calamitas 169. a
Calamitaris ſignum 711. c
Calathiſcorum effigies columnis Ægyptiacis addi ſolita 628. c
Calathus azymorum quid 470. a. b
Calathus Cereris 628 c
Calauris Apollini ſacra 327. a
Calcaneum, ac hujus hieroglyphica 460. a
Calcaneum, & tenere calcaneum. 435. a
Calcaneum flectere 19. b. c
Calcamenta Ægyptiarum papyracea 707. c
Calceus 509. a. b
Calchas augur 248 d
Calendæ Auguſti Baccho dicatæ. 728. c. d
Calenus Megaram cepit 5. d
Calidi facultas 550. a
Caligæ 506. b
Calligare 589. b. c
Caligula Cæſar 506. b. c
C. Caligula vetera familiarium inſignia nobiliſſimo cuique ademit 519. a
C. Caligulæ coronæ exploratoriæ dictæ 564. c
C. Caligulæ ſceleratum facinus animo conceptum quod 537 b
Calix multa in Divinis literis ſignificat. 700. d. 701. a. pro mortis cruciatu ponitur. Ibid. c. ſupplicii ſymbolum 714. a
Calliditas. 179. c. doloſa. 137. a
Callimachi locus 245. b. 308. a
Calliope 598. b. c
Calvaria aſini ad loci fertilitatem facit 145. c
Calumniator 400. b
Calumniatores cur baſiliſco comparati 171. a
Calumniis afflictus 171. a
Calix 436. a. b
Calidonii apri mater quæ 99. a
Cambyſæ anima in leone reperta à Pythagoricis 11. b
Cambyſes abolere conatus eſt immanem hominem ſacrificandi morem. 580. a. b. divexavit Ægyptios 11. a. b
Cambyſes de Simadii ſepulchro aureum circulum ſuſtulit 460. c
Camelus ad duodecimum diem ſine potu perdurat 152. a. b
Camelus animal profanum 149. c. d
Camelus animantium omnium tortuoſiſſimum eſt 151. a
Camelus matrem ſuam numquam ſupervenit 151. c
Camelus quaſi Camerus 150. c
Camelus quatuor femora gerit ib. c
Cameli eſitientes à poetis ſunt appellati 152. a
Cameli māſueti biliſq; expertes 151. d
Campegianæ familiæ claritas 568. b
Campeſtre, genus indumenti 509. a
Campeſtres elephanti quales 23. c
Camus 606. b. c
Cana cur fides Virgilio 419. a
Canaria auſpicia 67. a
Cancellus pinnophilax, & pinnotheres 339. b
Cancer 337. c
Cancer cur inter ſidera collocatus 338. c
Cancer in numis quid 337. c. d
Candelabri ſignificatio in ſacris quæ 661. c
Candida vel obſcura quænam dicimus 481. d
Candulus 76. c
Canicipes 68. d
Canicula 484. a
Caniculæ ſidus frugibus inimicum 67. a
Canis cur vocatus Diogenes 64. b
Canis deſcribitur 57. c
Canis & gallus cur ad patricidii ſupplicium adhibentur 173. c
Canis in Divinis literis quid 64. c
Canis mira induſtria conjicientis lapillos in amphoram oleariam. 382. c
Canis qualis expetitur à venatoribus 65. a
Canis quomodo militis officium videatur obire. 67. d
Canis ſerpens in Tænaro 61. d
Canis ſimulachro Mercurii cur abjectus 286. a
Canis vivus in Divinis literis, quid 63. d
Canis fidei ſymbolum 711. d
Canis fidelitatis mira quædam exempla 60. c
Canis imprudentia 67. c. 140. d
Canis oculū habere quis dicatur 67. a
Canis ſignificatio in Divinis literis quæ ſit 58. a. b
Canis uſus quis 67. a
Canem comedebant Oxyrynthiæ populi 375. a
Canes per Canem quando juret Socrates. 60. b
Canes alebantur in Daulia in Minervæ templo 59. b
Canes Alexandro Macedoni miſſi ab Albaniæ rege 63. b
Canes fellis vitio medentur decerpto gramine 92. b
Canes in crucem quando rapti à Romanis 66. c
Canes laribus diis præſides 59. b
Canes quibus Diis ſacri 66. d
Canes ſepulchrales apud Hircanos 210. c
Canes mutos quos vocet Dominus. 58. c
Canities 388. b
Canities per amygdalam intelligitur 648. b
Canopi aſtutum inventum 696. c
Canterius in foſſa 55. a
Cantharis 95. c
Cantharus 93. b. 643. b
Canthari typus 94 c
Capaides anguillæ 366. d
Caper ab Hercule domito, quid 115. d
Caper cur Baccho mactabatur 111. c.
Capro inſpecto elephantus fugit 21. c
Capra in Capris an rivalitas 116. b
Caphziel 550. a
Caphiatæ 609. c
Capillus Veneris, & ejus vires 727. d
Capitale apud quos, bovem interimere 37 c
Capparis 711 d

Capparim libidinē non perfrigerare, contra recentiorū opinionē 648.d
Capra 112.a. & seq.
Capra per aures an spiritum emittat & recipiat ibid.
Capram aheneam Phliasii cur colebant ibid. c
Capram in Acropolim Athenis adire lege prohibitum ibid.c
Caprarum cornua qua ratione vitibus fertilitatem adferunt, ibid.
Capriceps avis liene caret 304.b.c
Capricornus 750.c.d
Caprificus 656.b
Caprifici ramus, Junonis simulachro cur appositus ibid.c
Caprifici vis 30.b
Caprimulgus 308.b
Caprotina Juno ibid.
Caprotinæ Nonæ 656.c
Captator 361.c.d
Captivitas 467.b
Captivitatis impatiens. 138.d
Captivitatis prudens declinator 360.a
Capti sub hasta vendebantur 528.d
Caput, ac hujus hieroglyphica 377.b
Caput abradi malum portendit 387.d
Capra in sacris, quid 113.c
Caput adjuvare & devovere 379.b
Caput Christi cur spinis fuerit coronatum 685.b
Caput humanum ad mundani orbis similitudinem compactum 378.c
Caput leonis quid notet 3.a
Capitis hieroglyphicum 718.c
Capitis rasitatio servitutem indicabat 386.b
Capiti manus imposita, quid 379.b
Capita, Cæsarum æde tacta de cœlo, omnibus statuis deciderunt ibid.c
in capite consilii sedes 732.b.c
Capitibus brutorum humana corpora insignierunt Ægyptii 389.c.d
Capys 181.a.b
Car Cyrum vulnerans quo præmio honestatus ab Artaxerxe 289.b
Carboni, de abrosis fasciis à muribus, quid responderit Cato 161.b
Cardamus circumpullantes herbas exarescere cogit 230.d
Cardinales sacerdotes 629.c
Cardo ibid.
Carduus in sacris quid 685 d
Cardui scolymus 689.d
Carneæ deæ sacræ 709.b
Carneades ad summam pervenit senectutem 253.c
Caro subfrigida, & humoris plena somnos ciet 155.a
Carnes lupinis dentibus laceratæ cur dulciores 111.b
Carolus Magnus purpuram imperatoriam ab interitu primus vindicavit 219.b
Carpere 404.d
Carpocrates hæreticus 400.b
Cartadulorum regio 72.b
Carthaginensium immanitas in sacrificandis nobilibus adolescentibus Saturno 580.a.b
Caryatarum opprobrium 627.a
Cassander Antipatri, Aberitis à ranis profligatis agrum in Macedonia concessit 355.d
Cassita Gallii considerata 204. d. 207. d
Cassus lumine 394.d
Castigatio 11.a.538.b
Castigatio ingenua 691.b
Castigatio salutifera 720.b
Castimonia 509.c
Castimonia è concupiscentia 419.b
Castimoniæ symbolum 714.a b
Castitas 263.a.654.d
Castitas per apes 315.b
Castorea 158.c.d
Castorum capita pileata cur 497.b.c
Castra bellicusque apparatus 421.c
Castra quomodo fabricata, & castrensia ornamenta, honoresque 540.b.c
Cataracta 480.d
Catena 612.c
Cathedra 545.a
Cato grammaticus dictus Latina Siren. 249.c
Catonis in lurconem dictum 404.d
M. Catonis Proprætoris numus qualis 427.a
Catonis sententiæ in Romanorum luxum 372.b
Catonis scomma in Lentulum 405.a
Catuli locus. 7. a. 156. d. 367. a. 395. c. 557.a.559.b.584. b
Catulina carne epulæ celebriores olim 66.d
Catulus leonis in Republica non audendus 5.d
Cattus 262.c
Cavertianus vicus 15.d
Caucaso alligatus Prometheus 736.a
Cauda 411.a.b
Cauda, leonini index animi 7.a
Caudex Comicis, quid 403.d
Cecinna Volaterranus cur hirundines secū in expeditionib9 ferebat. 271.a
Cecropis an evocata anima 9.a
Cecropis effigies biceps cur 232.c
Cedrus. 759. b. c. ejus virtus ib.
Cedrus æternitatis est hieroglyphicum 693.c
Cedri consideratio ibid.
Cedro digna loqui qui dicantur ibid.
Cesonii Posthumi augurium de oblata testudine 386.a
Celebritas 352.d.361.a.555
Cenchrenæ, leones vocatæ 114
Cenci hasta proverb. 713.c
Censorinus quo tempore floruerit 106.a
Centauri forma duplex, quid 51.c.d
Centaurorū forma & significatio 46.b
Centenariæ cœnæ quæ 104.d.13.d
Centipeda piscis 304.d
Centum, & centenarius numerus 415.a
Centurio 418.a
Centurionis signum quomodo figurabatur apud veteres 542.a
Cephalus piscis 359.c.d
Cephali quomodo capiantur Veneris 1iis ibid.
Cephas nomen Divo Petro convenit ens 38.b.c
Cephion musa 398.c
Cephus avis 277.c.d
Ceramicus 616.c
Cerberus 749.b.c
Cerberi hieroglyphica 61.a
Cercopithecus cur cynocephalus 63.a
Cercopithei 71.b
Cercopitheci sibimet aliquando cudas abrodunt 331.d
Cerebrum & cor regitur à Sole 402.a
Cerebro læso homo interit 718. c
Ceres 55.c.83.b.584.c.693.b
Ceres unde dicta 83.b
Celeritas 45.a.10.a
Ceres eadem & Venus 53.d
Ceres legifera 35.a.38.d
Ceres vecta draconibus 194.a
Ceres & Falcralis flamen 503.d
Cereri sacrificatur sus 94.a
Cervarii lupi septentrionalibus regionibus frequentes 236.a
Cervus 78.d
Cervus acerrimi auditus est 32.d
Cervus fistula pastorali demulcetur 78.d
Cervus Indicas & Græcas voces intelligens 30.a
Cervus post coitū solitarius in sylvis delitescit 33.d
Cervus torquem aheneū collo gestus ab Agathocle interfectus 36.d 57.a
Cervi ætas quatenus ex cornibus & dentibus noscatur. 85. c. 86. d. 87.a
pugna cum serpente 80.b. rumination. 81.a.86.a. vivacitas 83. c

Cervum enecans Hercules, quid 83.a
Cervi in Dianæ tutela ibid. a. unde dicti ibid.b
Cervi quando ab Sicilia in Calabriam transnarant 81.c
Cervi vocati fugitivi 81.b
Cervis Achaicis corona decidua recidivaque annis omnibus 87.c
Cervini cornu suffitus ad abigendos serpentes remedium 80.b
Cervix superbiæ symbolum 390.a
Cervix audaciæ & ferocitatis symbolum ibid.
Cervix summissionis ibid.c
Cerulus avis 302.b
Cessatio 545.c
Cespitatio 51.b
Chabriæ Athenienſis dictum. 4.b. 84.c
Chalos amnis manſuetos fert piſces 174.c
Chamæleon 332.c.d
Chaos 106.d
Chares 84.d
Charitas 261.c.d
Chedar Arabibus, quid 659.d
Chelidonia herba 271.b
Chenoſiris 644.a
Cheppa Venetorum piſcis quis 362.b
Cherubin ſpecies quæ apud Ezechielem 517.c.d
Cherubin ſuperſedere quid 545.a
Chius è Darianis militibus everricula 571.a
Chii Homeri imaginem numis impreſſerunt 379.c
Chimera, 113.c. deſcriptio. 17.a. ſymbolum 178.b
Chirō. 52.c.d. ā Achillē inſtituerit 81.a
Chlamydes 505.b
Chœnix 696.d
Chœnices farinæ binæ Regibus Spartæ ad cœnum non euntibus mittebantur ibid.
Christus 479.d. 555.d. 619.c. 688.c
Chriſtus homo Deus 15.c
Chriſti anima nequaquam apud inferos paſſa 4.a
Chriſti humilitas 245.c
Chriſti quinque vulnera per pentalpha 599.d
Chriſti ſepulturæ ſymbolum ex ſacra hiſtoria 3.d
Chriſti ſymbolum per pelicanū 241.b
Chriſti victoria 626.
Chriſtum geſtare humeris, quid 190.b
Chriſtianæ pietatis ſucceſſus 569.c
Chriſtophori veri quinam 190.a.b
Cibariæ donationes caniſtris offeruntur 696.a
Cibus antiquitus Athenienſibus ficus, Arcadibus glans, Caramanis palmæ, Indis calami, Mæotiis milium, Perſis cardamum 706.c
Cibus pro doctrina 634.c.d
Cibus in ſacris literis, quid 470.a
Ciborum varietate fatur 202.c
Cicada 321.d
Cicada ore caret. 322.a. per quamnam corporis partem emoduletur. ibid.
Cicadæ cantus unde ibid.b
Cicadæ maximè indigenæ ibid.
Cicadæ fœminæ taciturnæ creduntur ibid.
Cicer 710.a
Cicer erucas ab oleribus arcet ibid.c
Cicero 710.a
Ciceronis locus. 110. a. 247. d. 248.a. 291.d. 320.a. 371.b. 406.b. 418.b. 436. c. 533. c
Ciceronis & Virgilii lectione Taciti Imp. offendebatur 316.d
Ciceronis falſum dictum in Metellum 281.c
Ciceronis ſomnium de Auguſti imperio 606.a
Ciceroni objectum quod homò novus 323.b
Ciconia 203.a.b.c.&ſeq.
Ciconia lingua caret. 207. b. menſis inferri vetita. 106. d. cur vigiliarum, cuſtodumque urbium ſignum 206.a. qui ſe à noctuarum inſidiis defendat 205.d
Ciconiæ perpetuum bellum cum ſerpentibus 208.a
Ciconiæ quomodo pullorum ſuorum incolumitati proſpiciant 725.c.d
Ciconiam occidere multis gentibus capitale fuit, & cur 206.d
Cicuma 205.a
Cicurare leonem quid portendat 5.b
Cidaris 415.d
Cinædum cur vulpem vocarint Siculi 157.b
Cinaræ fructus 718.a
Cincius Manlius 614.c.d
Cinclus avis, cur alienis nidis ova ſua ponat 309.a.b
Cinctus Latinis, quid 412.b. 507.b
Cingani unde dicti 309.b
Cingulum Hieremiæ 507.d
Cinnamus avis 306.a
Circulus 485.c.d
Circulus obliquus 354.b
Circulus cœli, vocatus Jupiter à Perſis ibid.d
Circulus principiū miraculorū 488.c
Circumactu corporis adorandum jubet Pythagoras 486.a
Circunciſio. 72. a. antiquiſſima apud Ægyptios ibid. d. Abrahamo ut ſignum Hebræis data 73.a.b
Ciſſibia 72.a
Cithara 322.c.d. 592.c.d
Citheronius Leo vocatus Hyllus 2.d
Cito confectum 711.c
Citrus 759.b
Civis oppreſſus à peregrino 32.b
Civium ſervator 641.b
Civibus genuinum eſt invicem ſibi invidere 340.b
Civilis 500.b
Civilibus ſeditionibus creſcens 353.b
Civica corona quamobrem ſit ex quercu facta 641.b
Civica corona donatis quæ & quanta tribui ſolita 161.d
Civitas 757.b
Cladis præſagium 65.a
Claritas 556.c
Claritas ex poetarum ſcriptis 626.c
Clari viri 492.b
Claudiani locus 166.a. 384.d
Claud. Cæſar in ſpectaculis exhibuit pantheras Africanas 134.b
Claudium Aſellium quomodo eluſerit Jubellius Taurea 55.b
Claudus cur fingatur Vulcanus. 224.a
Clavis 617.b
Clavus 614.b
Clavum in Minervæ templi poſtica parte quis fingebat ibid.c
Cleanthis reſponſum 146.c
Clearchus 236.c
Clearchus Heraclienſis fulmen geſtavit 552.a
Clementia 10.c. 700.c
Clementia Imperatorem præcipuè commendat 24.c
Clemens Agrippæ Poſthumi ſervus cur in Hetruria latuerit 386.a
Clemens animus 703.a
Clementis recognitionum opus 94.c
ex eodem locus recognitus ibid.
Cleobes 41. c. matrem currui impoſitam ad Junonis templum vexit ib.
Cleomedis opinio de mūdi figura 31.a
Cleomenes cum Scythis meri potationibus contendit 666.c.
Cleo cur ſic vocatus Larus Ariſtophani 277.d
Cleopatræ virilis animus 389.a
Clepſydrarum uſus ubi primum 71.c
Clibanus 409.b
Clio 598.b
Clipei & culpei differentia 533.c.d
Cliti inſolentia quæ 552.d

Clitor fluvius pisces progenerat vocales 367.d
Clotho 562.d.608.a
Clupea 362. c. Lunæ naturam imitatur ibid.
Clypeum neutro genere 533.c.d
Clypeus aureus in D. Claudii honorem Romæ in curia affixus 534.a
Clypei Agamemnonis inscriptio 4.a
Clypei Græcorum Neptunum, Trojanorum Minervam pictos habebant 533.d
Clypei militibus ab Imperatoribus honori dabantur 534. a. Diis dedicabantur ibid.a
Clypeos qui merebantur 534.a
Clypeis inscribebantur facta pulchra ibid.b
Clupeiæ lapis quartanæ medetur 362.c
Cnidum missa navis à Periandro cur in alto mari remorata 357.c
Cochlea Romanas delicias auxit. 341. b
Cocis vel cotionis exemplum 63.a
Coccygium 303.d
Cocoyx 304.a
Coci 337.d
Cœleste rerum omnium promptuarium 417.a
Cælestis spiritus 563.c
Cœlestium bonorũ affluentia 745.c.d
Cœlibatis hasta quæ 529.a
Cœlum 409.a.488.a.526.c
Cœlum cur cœruleum 730 b
Cœlum decimum 521.a
Cœlum nil nisi sanctum profert 29.c
Cœlum quo motu rotetur 31.a
Cœlum veteres pro capite 378.b.c
Cœlum fœcundum cur dixerit Hesiodus 477.a.b
Cœlum unde dictum 565.a
Cœli tres regiones 749.d
Cœli alieni impatiens 353.a
Cœli fœcunditas 415.a
Cœli virilia Saturni falce recisa, quid ibid. a. b
Cœlo alieno melior effectus 699.c
Cœli aquei 731.d
Cogitatio alta 234.a
Cogitatio vel sensus imaginationem creat 177.a
Cogitationes generat anima 385.c
Cogitationum procellis quomodo obviam itur 475.b
Cohortes, earumque insignia 184.d
Coitus incepti indicium quod 461.d
Collegiũ nullum sine prævaricatione 580. b
Collyrides conspersæ 663.c.d
Coloes 577.c
Color niger Soli dedicatus. 28.c
Coloris nigri signum quod 260.c
Coluber gaudet latebris 175.a
Coluber terræ filius & indigena 188.a
Colubrorum ingens vis in Sardium suburbanis locis quando visa ibid.
Columba 260.b
Columba aeris symbolum 261.c
Columba argentea cui aurum in dorso, quid 264.d
Columba caret bile 264.a
Columba cur ab Assyriis colebatur 263. a
Columba fusca Prophetis, quid 261.a
Columba munda & simplex 263.a
Columba quieta 264 a
Columbæ esus contra contagiũ 264.c
Columbæ & vespertilionis discordia 300. a
Columbæ etymon 261.a
Columbæ felix auspicium fuere Æneæ & Julio Cæsari 263.c.d
Columbæ natura actionesque mysticæ explicata, & quomodo ad usus transferendæ 266.a b.c
Columbæ obsonium Regibus parabatur grassante peste 264.c
Columbæ oculos habere quid 266.b
Columbæ cur parcant Syri 262 c
Columbarum alæ gypso illitæ summisque tectis affixæ quid 264 a
Columnæ, ac earum symbola 625.a
Columnæ muliebres, virginales 628.b
Columnæ Trajano & Hadriano erectæ 625.b.c
Columnarũ significatio in sacris 628.a
in Columnis statuæ plerisque à Senatu decretæ 625.c
Columna hastilia 109.c
Colus 607.d
Colus & capilli in sacris quid 385.c.d
Comessationes perniciosæ valetudini 175.a
Comethus Dianæ templum violavit 695.a
Compotatio amicitiæ causa instituta 699.d
Conditorium 411.a
Condonatio 660.c
Concētus cur odori comparatus 470.c
Concha Veneri dicata 340.c.d
Conchylium 344.d
Concordia 590. c. d. 591. b. per caduceum indicata 188. b. c. per cordis symbolum 411.a. per cornices indicata 246.b. per mel & lac 315. a per pavonem 285.b
Concordia unde dicta 591.a.b
Concordia rei familiaris. 593.c
Concordia rerum 593.c
Concordiæ symbolum. 240.a
Concordiæ discordiæqs effigies 338.a
Concupiscentia 211.d
Concupiscentiæ signum umbilicus 419. b
Concupiscendi vis 713.d
Concupiscere quid 411.d
Congiarium 544.c
Congri & polypi certamen 331.a
Congruere vocis etymon 211.d
Conjugium 443.a.b.611.a
Conjugii commoda 587.b
Conjugii fidem non violant columbæ 260.c
Conjugis mores ferendi 362.b
Conjugula myrtus cur dicta 719.a
Conjunctio maritalis 595.b
Coniza animalibus perniciosa 714.d
Conscientia igne examinata 449.d
Consensus 402.b
Consilium 511.a
Consilium per cordis symbolũ 407.a
Consilia occulta 731.b
Consuetudo perniciosa 303.b
Consularis magistratus annus 499.a
Cõsulatus primi hieroglyphicũ 495.a
Consultatio 545.b
Consultorum benestabilitas. 383.d
Consummatio 211.c
Consummationis sacrificium 401.a
Constantia 502.a.596.a
Constantii Imper. pompa Romam ingrediens 384.d
Consternatio multitudinis 211.a
Contatio 565.a.b
Contemplatio 399.d
Contemptibilis 671.b
Contemptor divum 334.b
Contentio laudis 155.c
Continentia 178.a.416.a
Continentia in quibus rebus consistat 501.b
Continentiæ exemplum in tauro 29.a
Continentiæ fructus 648.b
Contrarietas 487.a.537.a
Contumacia 172.d
Contumax 301.c 400.b
Contumelios us 594.b
Conversio hyemalis quæ 334.c
Conviciorum contemptor 230.d
Convivia lautiora piscibus olim erãt opipare instructa Romanis 572. b 205 c 427.a
Cor
Cor, animæ receptaculum 407.a. rolunaris fons 211.a. consiliũ & rerũ agendarũ radicẽ continet. 407.b.c
cor

Cor Dei in sacris, quid 407.a
Cor habet & jecur omne animal quod sanguine præditum est. 407.b
Cor hominis anniculi duarum est drachmarum 253.a
Cor in senium vergens immittitur ibidem
Cor, per anularem digitum. 253.a. per anuli hieroglyphicum 512.d
Cor omnibus, qui sanguis 256.b
Cor quibus dicatur exedi 253.c
Cordis aperta simplicitas 73.b
Cordis cum sanguine commercium. 256 b
Cordis figura cur bulla 407.a
Cordis significata 411.a
Cordis symbolum 398 d
Cora Hetruriæ promontorium 386.c
Corax primus Rhetoricam docuit Syracusis post Hieronis obitum. 251. b. c
Corbes fragmentorum duodecim doctrinam duodecim Apostolorum significant 699.d
Corculum 407.a
Cordatus 398.d
Corii usus in militaribus tegumentis 500.b.d
Corinna molico carmine superavit Pindarum 414.b
Corinthiacæ ædes quibus Diis sacræ 624.d
Corinthiacæ columnæ 625.a. 628.a
Cornabulia 725.b.c
Cornabulia Liguribus quæ 91.d
Cornea pocula 702.d. 703.a
Cornea porta 734.d
Cornelia Annia vivam se ultro in arcam cum viro defuncto damnavit 684.c
Cornelius Museus Bitontinus præsul 114.b
Cornelius Tacitus mendacii arguitur 141.d
Cornelii Gastalii Feltrensis epigramma festivissimum 370.a
Cornelii Nepotis sententia improbata 207.a
Cornicari 246.d
Cornix 245.d. duo tantum ova excludit ibid.
Cornix aliquot hominum ætates dicitur vivere 247.a.b
Cornix concordiæ symbolum. 246.b
Cornicis & noctuæ confusus sanguis coire non potest 244.c.d
Cornicis sepulchro & columnæ honos habitus à Marrhe rege 247.a
Cornices ad Palladis aream non advolabant Athenis 246.c
Cornicum oculos configere, proverbium 148 a
Cornu copiæ 702.b
Cornua 517 b
Cornua antenarum 43 b
Cornua cervi 87.b
Cornua elephanti speciosa 22.a
Cornua fluminib. attributa cur. 33.d
Cornua honoris & potestatis signum 87.c
Cornua in libris quæ vocentur 418.d
Cornua multa in numismatis, multiplicis commoditatis indicia sunt 702.a
Cornua poculorum usum præbuerunt 703.a
Cornum differentia in bove mare & fœmina 37.d
Cornuti milites 86.c
Corona unde dicta 517.b.c
Corona aurea quæ ibid.c.
Corona civica non temere data 641. c. d
Corona urbs 246.c
Coronæ Musarum ex pennis 257.a
Coronæ poetarum ex quibus constabant 645.c
Coronæ Regiæ quot radiis constabant 87.d
Coronæ Regiæ forma 417.b
Coronis se ornarunt veteres convivia celebrantes ibid.
Corpus 496.a
Corpus animæ receptaculum 699.a
Corpus humanum quod perfectius à pictoribus & statuariis habeatur. 492. a
Corpus Lunare 362.c
Corpus nullum sine nævo 682.a
Corpus vel immunditia 456.c
Corpus vas appellatum 699.a
Corporis forma 690.d. 691.a
Corpora nullis odoribus delibuta auram suaveolentē emiserunt 703.a
Corpora per ætates & secula immiuuntur 436.b.c
Corpora nostra salicis hieroglyphico significata 759.b
Correctio 261.a 496
Corrugare frontem 7.a
Corruptor omnium 197.c
Corsicum mel parum suave 313.b
Cortonacenses milites qui 185.b
Corvus 279.c. animal inauspicatissimum 281.c
Corvus contumaciæ nota inustus. 280. d. ibid. c
Corvus cur Apollini sacer 281.c
Corvo emissus à Noe, quid 280.d. 281.a
Corvus lapideus Diodori rhetoris sepulchro impositus à Metello 281.c
Corvus lauro sibi medetur 264.c
Corvus à Phœbo missus, ut aquam adferret 280.c
Corvus quo tempore pullos excludat 279.c.d
Corvi crociatus frequentioris pluviæ indicium 281.b
Corvi lapillos in vasa fictilia conjicientis mira historia 282.c
Corvi ovo nihil efficacius ad intingendum capillum 279.d
Corvi quibus malum augurium fuerint 280.b.c
Corylus vitibus vicinitate sua nocet 112.d
Corythaliæ Dianæ quodnam sacrum fecerint Lacedæmonii 116.a
Cosmas Gerius 365.c
Cosmi Medicis laus 18 b. 28.a. 376.b
Cossi. 317. b. coturnix 294.c.d
Coturnix Alcibiadis è sinu volans 205.d. cur Herculi sacrificabatur. 296. a. simulac biberit, reliquam aquam turbat 295.c. cur impura habeatur. ibid.a. cur maligna, ibid.c. cur veratrum appetat. ibidem d. ejus impietas adversus Lunam. 295.c. cur ea vescebantur Ægyptii. 295. c. cur à mensis summotæ à nonnullis medicis 295.d
Crabrones ex asini cerebro 45.a
Crapula 12.d
Crassus uxores tres absque luctu sepelivit 452.c
Craticula 410.b
Cratis Pergameni historia de aquila 230. b
Creatio 730.a
Creator mundi ibid.a
Crepusculum 556.a.b
Crescendi vis à Luna est 559.b
Cretā per cupressum significari 650.a
Cribrum 469.b
Cribrum cur sub sepia ponant Ægyptii 469.b
Crimen 414.b
Crispi Passieni dictum de adulatione 79.b
Crocodilus 345.c.d. 731 d
Crocodilus elinguis est 345.d
Crocodilus ibidis admota penna obtorpescit. 211.c.b. ubinam ova sua ponat 346.d
Crocodili adeps ad quid utilis. 347.d
Crocodili morsus incurabilis ibid.d

Crocodilii ovum quale 346.d
Crocodili robur in cauda 347.b
Crocodili & scorpii genninum odium 149.c
Crocodili tergus corticosum, durumque 349.a
Crocodili visus in aquis hebes, in terris acerrimus 347.a
Crocodili ubinam vescebātur 348.a b
Crocodili mansuefacti ib.
Crocodilorum hostes cur delphini 329.a.b.
Crocuta 133.a
Crœsum Lampsacenis excidium interminatur 652.a
Cromyonia 99.a
Crotoniatæ bonæ valetudinis laude insignes 178.d
Crucis Dominicæ signum minime fortuitum 635.a
Crudelitas 535.a, animadversionis severitatisque indicium ib.
Crura fœmoraque concidua 150.b.c
Cubica figura cur semper recta 491.d
Cubitus geometricus 448.a
Cubitus in mensura quis ibid.b
Cubitus regius quis ibid.b
Cubus 194.d
Curculus 301.d, timidissimus ibid.
Cuculus boni augurii est avis 394.a
Cuculus in Junonis sceptro 303.d
Cuculū cur parvæ aves fugiant ib.b
Cucumeres infanti febricitanti appositi ut cutem contingant, fervorem omnem in se recipiunt 147.a
Cucuphæa 205.a.b.c
Cucurbita quid præsagiat 717.a
Culex 316.c
Culices ex cossis generantur 317.b.c
Culicum sævitia in Leones 8.a
Cultus canis 66.c
Cumis in antris responsa dati solita 496.h
Cuneus 615.a
Cuniculus 150.c
Cunicula bubula 92. a. 725.b. contra serpentes valet ibid.c
Cunilam & pulicariam herbam reformidat polypus 333.c.d
Cupiditas late profusa 495.d
Cupiditates & affectus terræ filii 734.a
Cupressus arbor funesta 650.a
Cupressus carie & vetustate immunis 651.c
Cupressus in tutela Ditis 651.a
Cupressus mortis indicium 650.d
Curæ variæ 680.d
Curarii juniores 136.a
Curis 528.a
Curuca 302.a
Currus 546.b
Currus in sacris 548.b
Curru nuptiali quot, & qui vehebantur 547.b
Curulis sella 546.b
Curvunguia animalia non alenda 3.d
Custodia 123. b. 211. b. 290. d. 381. c. 544.d
Custodiæ symbolum 636.a
Custos 182.b. 393.a b
Cyamon 708.c.d
Cybele 652.c
Cybele, quæ & tellus, cur mater hominum dicatur. 547. c. cur capite turrita ibid.c
Cybeles currum cur trahant Leones 16 b
Cybeles symbolum pinus 652.c
Cybyra 262.c
Cychrei templum in Salamine 183.a
Cyclopes monoculi cur 396.a
Cygnus 172.d. 273.a. & seq.
Cygnus morti proximus dulcius canit 272.d
Cygni cur Phœbo sacri 273.a
Cygni dedicantur nautis 275.b
Cygni suavius canunt Favonio flante, ibid.b
Cygni symbolo poetæ nuncupantur 273.c.d
Cylabræ heroi Phaselitæ offerebant Salsamenta. 369.d
Cylleuius cur vocatus Mercurius 413.d
Cylonem cur trucidarint Athenienses 7.b
Cynica familia unde 57.d
Cynici 321. a molesti & impudentes ibid.b
Cynocephalus describitur 6. d. & sequent
Cynocephalus cur in fontiū apicibus statuebatur 72.c. Mercurio sacer 71. a
Cynocephalus pari consensu cum. 69.a.b.c
Cuna afficitur 69.a.b.c
Cynocephalus piscē nō vescitur 72.b.c
Cynocephalorum lacte vivebant Numidæ 69.a
Cynomia 321.b
Cynopolitarum Deus quis 375.a
Cyoniæ Deæ cur sacra fiebant 67.a
Cyparissa Celtarum regis filia 650.c.d
Cyparisso unde nomen ib.
D. Cypriani laus 261.a
Cyprus Veneri sacra 261.c
Cyrenensium pietas in Saturnū 673.a
Cyrnii populi cur longævi 313.b
Cyrillus adversum Julianum Apostata scripsit 393.c.d
Cyrilli locus emendatus 488.b
Cyrus à cane nutritus cur 66.c
Cyrus mulus est dictus 147.c
Cyrus & Ochus idem apud Terentianum 147.c
Cyri somniū de solis contactu 197.b
Cythera. 291.c.d
Cytherea unde dicta ibd
Cytheraciam pectinem cur dixerit Sappho 311.b.c

D

Litera cur usurpata pro quingentis 466.d
Dædali nepos cur Athenis ab arce præceps datus 296. b. idem in perdicem mutatus quid ibid.c
Dædali statuis cur vincula injecta. 610.d
Dæmon malus 274.c
Dæmon præses nascentibus 183.d
Dæmones aquei lasciviæ præfecti 374.a
Dæmones improbi ibid.a
Dæmones leonina fronte visi 9.b
Dæmones per anas 375.a
Dæmonum genera sex infra Lunarem globum 456.a
Dæmonum varia nomina ibid.a
Dæmoniaca natura ibid.b
Dactyli 719.d
Dagon Palæstinorum idolum collapsum 430.d
Damageri status qualis 491.b.c
Damiæ simulachrū cur exoleta 662.a
Damnatio 527.c
Damnum & utilitas 367.b.c
Dan serpens à Moyse factus 279.c
Danaus cur ædem Apollini Lycio roverit 130.b.c
Daniel Ranerius 380.546o.c
Daphne puella à Spartanis nomine Phasiphaes culta 636.a
Daphne cur sic dicta 635.d
Dardanus in Samothraciam navigavit 510.a
Dardano nupsit Pallantis filia ibid.a
Dardanorum pecunia, & Dardaniæ nomen 289.a
Darii vagina ornatu Græcanico, quid 537.c
Darii palla quæ, qualisve 507.b.c
Dasypus an idem cum lepore 196.a
Dasypus & lepus uterque hirsipes dicitur ibid.
Debiliora à validioribus absumuntur 133.a
Decempeda 449. b. decempedator. ibid. 575.c
Deceptio Decemvir quibus notis indicabatur Decius 519.b

Decius cur aurea corona donatus 519.b
Declinator insaniæ 21.b
Decussatio 124.a
Deditio 533.a
Deditii qui ibid. 499.a
Defensio 531.d
Defensores milites qui 186.b
Dei triplex potestas 750.a
Delectatio 174 d. 672.b
Deliciarum torrens; Psalmographo quis 480.c
Delicios us 441.c
Delicta humana 40.b
Delicti pœna 73 6a
Deliberativum genus orationis 17.c
Delyrii piaculum 108.a
Delio natatore indigere 75.a
Delphinus 326.a.b
Delphinus amoris simulacrum 55.d anchoræ circũvolatus, quid, 571.b 328. d. cur Baccho appingebatur. 327. a. à Cupidine alato frænatus. 329.a.futuræ tempestatis indicium, ibid.c. omnium animalium velocissimus 327. c. d. piscium rex 327. c.d. veneratione prosecutus à veteribus 326-d.327.a
Delphini beneficio servati Arion, Palæmon, Phalantus, Taras, Telemachus, & alii 326 c.d
Delphini imagine colebatur Neptunus Sunii 327.c.d
Delphinum pingit in sylvis. proverbium 329.d
Delphinum natare doces, proverb. 328.b
Delphinii cur crocodilorum hostes 319. a. humani generis amatores ibid. quibus diis dicati 327.a.b
Delphis aquilæ duæ ex auro, quid 236.a
Delton vocata Ægyptus 209.b
Demadis dictum ad Philippum quod 84.d
Demetrii vana insolentia 551.a.257.a
Demetrii Triclinii opinio expensa. 157.a.210 b
Democratia 211.c
Democritos quid per aromos indicare voluerit 167. a. quod consilium fratri datum 89.b
Democriti responsum ad longiorem vitam assequendam quale 313.a
Demolitio 605.b
Demonactis festivis responsum de fumi minis 588.d
Demonstrativum genus orationis 17.c
Demosthenes notatus 36.b
Demosthenes quænam objecit Philocrati 372.c
Demosthenis enthymemata lucernam olebant 583.c
Demosthenis in octuæ cultum exclamatio 242.b.c
Demosthenis locus 243.b
Dena 460.b
Denario numero finivit omnia Romulus quæ instituit 496.a
Dentes in infantibus quando primo pullulant 59.b
Dentes suos aliquando exeutiunt elephanti 22.c
Dentium divisio ex Aristandri sententia 404.d
Deosculatio Hebræis, quid 428.b.c
Depontani senes qui appellati 201.a
Depopulatio 91.c
Dercero & Atargare 574.d
Desidere 545.b
Designatio & scopus 219.b.c.
Desolatio 574. d
Despicatus 64.c
Detrimentum per Anserem 291.c
Detrimentum per dentium symbolum 404.d
Deucalionis enatatio qualis 212.a
Deus Opt. Max. 555.a
Deus à quibus circumdetur 474.b
Deus in humano corpore 94.a
Deus per accipitrem indicatus. 251.d per ciconiam 287. b. per circulum 485. d. per crocodili symbolũ 345. d. per oculi symbolum 293. c. per septenarium numerum. 459. b. per spithamæ appellationem 447.c
Deus non delectatur nisi in albis vestibus 502.c
Deus pater 388.c
Dei advẽtus 657.c. cognitio cur paucissimis innotuit 347.b.c. dextera, quid, 425. b. sapientia 621. c. vis. 340.a
de Deo cognitionem ex operibus perpendimus 141.a
de Deo & sacris alienus 100.b
de Deo, disputare non est omniũ 414.c
disputandum sobrie 426.b.c
Deorum capita 719. a. coronæ ex variis herbis ac plantis 516.b. cultum instituit Mercurius 420.a.rotæ cur octo radiis compactæ 450. a. b. simulachra cur ex cupresso fieri solita 651. c
Dextera manus in sacris, quid 428.c.d
Dexteræ manus symbola 425.c
Dexteræ & sinistræ mundi partes, quæ 32. a. b
Diabolus 115.d
Diadema 513.b.c.&c.
Diadumeno ambulanti in agro pileum abstulit aquila 227.b
Diagoræ Rhodii statua 492.b
Dialectica 432.a.473.d.c.475.c.d
Dialectica Lunæ æquiparata à Clitomacho 560.b
Dialectica per aranèam 334.d
Dialectica qui indicata 317.a
Dialectica quæ nihil ad res facit inanis est 703.a.b
Dialectæ sectatores quibusnam similes dixit Ariston. 338.b
Dialecticam polypi similem cur dixerit Carneades 330.c.d
Diana 40.c.559.b
Diana Lucina per mulum 360.c
Diana regina cœlestium proportionem & intelligentiarum 744.c.d
Diana strangulata 609.c
Diana Ταυροπόλος καὶ Ταυρώ 40.c
Diana vel Hecate triceps 62.a
Dianæ ædes sacræ quæ 624.d
Dianæ ædem quomodo construendam putarint veteres 628.c
Dianæ ædem sacravit in Aventino Servius Tullius 83.a
Dianæ Corythaliæ quod sacrum fecerint Lacedæmonii 116.a
Dianæ simulachrum alatum 14 a
Dianæ simulachrum apud Lacedæmonios 609. c. mammosum 299.c
Dianæ Solvizoniæ templum 507 b
Dianæ Triclatiæ sacrum 695.a
Dianæ vel Hecates simulachrum 384.c quis primus triceps excogitaverit, ibid.c
Dianæ votum factum ab Athenienfibus & quod 116.a
Dianam gaudere telis & capreis ac fugacibus cervis, quid 85.b
Diaulus 450.b
Dicacitas 307.d
Dicacitatis castigatio 322.b
Dictatori cur nefas equitare 54 b
Dyctima, Pallas vocatur Nicandro 639. a
Dido 748.a
Didrachma 225 a
Dies atri festique 159 b
Dies per pavonis symbolum 285.a
Diespiter 587 d.588.a
Difficultas 55.b
Difficilis atque morosus 343.d.451.c
Digitus 438.c.446.d
Digitus anularis 443.a. cur odoribus illinebatur ab Ægyptiis ibid.
Digitus auricula 444 a

Digitus Dei 439.a
Digitus medius 441.a,b
Digitus mensurarum omnium minima. 444.d
Digito uno caput scalpere 439.c
Digiti & Numeri 451.c.453.a
Digitorum divisio ibid.
Dignitas sacrosancta 87.c
Dii 529.b
Dii laneos habent pedes proverb. 610. c. d
Dii lares 59.b
Dii manes 381.d
Dii marini cur cæteris fœcundiores a poetis ponantur. 370.c
Dii omnes 623.c
Dii Penates 519.b.c
Dii præsides homini nascenti quatuor 235.c
Dii secundum Lacedæmonios quomodo invocandi 422.c
Dii Tutelares 530.c.d
Diis templa rotunda cur dedicarint veteres 623.c
Diluvium. 481. d. dimensio 444.d
Dingua 472.a
Diocletiano datum oraculum quod 2.d
Diocletiani milites Joviniani vocati 236. d
Diodorus rhetor quo honore jam defunctus à Metello discipulo affectus sit 281 b.c.
Diodorus Siculus in hieroglyphicis indagandis non incuriosus fuit. 380. d
Diogenes cur barbam se gestare dixerit 389.a. cur vocatus canis. 64. b. cur carpebat Musicos 591.b
Diogenes quid responderit Alexandro mittenti ossium plenam sportulam 64.b
Diogenis anceps interrogatio 52.c
Diogenis Cynici dictum 725.c.d
Diogenis dictum de adulatore & obtrectatore 79.c
Diogenis dictum in adolescentem luxu deli ciisque corruptum 643.c aliud ejusdem de puero impudico. ibid.
Diogenis dictum apud Xeniadem serviens 1.b
Diogenis jocus in athletas 99.a
Diogenis opinio de sapore 404. a
Diogenis salsum dictum. 13. c. quid ei objectum ab Aristippo 54. c. quid ei responderit Anthisthenes. 318.b.c
Diomedes cur templum excitavit Hippolyto 508.d
Diomedis filiæ 52.b
Dionysius Ægyptiis Osiris dicitur ibid. d
Dionysius cur ad mare fugisse fingitur 327.a
Dionysii Halicarnassæi locus 219. a
Dionysium cur taurina specie figurabant antiqui 30. a
Diophanes 313.b
Diophanes Lacedæmonius 110.d
Dioscorides Astrologus 233.a
Dioscoridis versio castigatur. 721. b. c
Dipsas 197.c.d
Dipsadem quid vocarit Apollonius poeta 198.c
Discessio subita 333.c
Discinctus 412.b.555.a
Discincti milites 519.a
Disciplina bona 591.c
Disciplina tota aquis comparata. 456.c.d
Disciplina vera 189.d
Disciplinæ divinæ 472.b
Disciplinæ exoticæ 313.d
Disciplinæ humanæ 472.a
Disciplinæ per Mercurium 402.c
Disciplinarum ordinem primus excogitavit Salomon. 474.d
Discipulorum pedes loti in cœna Domini, quid 434.d
Discordia 121.d.585.a
Discordia militaris 180.b
Discordiis civium locupletatus 353.b
Diserta proles 41.c
Dissimulator ingenii 133.a
Dissimulator turpitudinis 164.c
Dissolutio 615.a
Distinctio 100.d
Dithyrambum vincens bovem assequebatur 41.a
Ditis pectora adamantina cur 519.d
Diti & Saturno significarunt decumatos homines Pelasgi 579.d
Dives avarus 433.d
Divitum variæ avocationes. 150.b
Divina majestas 548.d
Divina providentia 221.d
Divina in occulto 74.b
Divinorum ab humanis separatio. 369.a
Divinitas per capitis symbolum 377.d
Divinitatis indicium cur triangulum æquilaterum 494.d
Divitenses, Gallicana legio 258.a
Divitiæ an sapientia prius optanda 469.d
Divitiæ elatum faciunt 284.c
Divitiæ fortunæ appellatæ. 702.d
Divitiæ vicissitudinariæ 284.c
Divitiarum flagellator 286.b
Divitiarum turpitudo 238.b
Divitias per spinas intelligi in Sacris literis 686.a
Divus. 544. a. diuturnitas 642.d
D. M. literæ, quid 381.d
Dochme 427.b
Docilitas 402.a
Docilitatis & obsequii memorabile exemplum in cane 64.a
Doctor virtutis 118.c
Doctoris munus 288.c.d
Doctores & Propheta ibid. c. & 580.
Doctrina 545.a
Doctrina cœlestis 476.c
Doctrinæ firmitas 713.c
Doctrina imperiove præstantes, 379.c
Dodonæum oraculum, 579. c. quomodo interpretatus sit Hercules ibid.d
Doli fallaciæque 194.a
Doli occulti 612.b
Doliches 450.c
Doliosa sacellum Romæ 698.d
Dolia duo, quid indicabant ibid.b
Dolium, quid in Platonis Gorgia, ibid. & dolium perforatum, quid ibid. c. d
Domestica animalia duo nunquam mansuescentia sunt, hirundo & musca 310.c.d
Dominator 4.c
Dominium 183.c.378.a
Dominium æquum 398.b
Dominicus Michael Venetus 36.c
Domitia Augusta quæ 185.b.c
Domitianus muscas perfodiebat 22. a
Domitianus cur Medusæ caput pro pectore gestare solitus 381.a
Domitiani instabilitas in Domitium uxorem 285.b.c
Domitiani nocturna visio de aureo gibbo, quid 265.d
Domitiani mors per Solis signa cognita 556.d
Domitiani sigillum 188.a
Domus regia cur in medio imperii totius sita debeat esse. 180.d
Dores vertunt γ in δ. 194.a
Doricæ ædes quibus Diis sacræ 624.a
Doricæ columnæ ibid.
Dorsum 392.c
Drachma 215.a.b
Drachma argenti 11.a
Drachmæ duæ sive cor 214.c.d
Draco ab Æsculapio educatus 192.b

conspe-

conſpectus, felix prodigium 183.d
cur Palladi dicatus 182.c
Draco Heſperidum, hortorumque cuſtos 167.c
Draco quinque jugerum magnitudine 193.d
Draco Tauri pater 41.b
Draconis etymon 179.c.182.d
Draconis multa διαφοραὶ 36.c
Draconi viſus acutiſſimus 242.b
Dracones inter ſerpentes qui 181.d
Draconum involucrum in caduceo 187.a.b
Draconibus vecta Ceres, qui 194.a
Draconarii 184.d
Dromoclidis avara improbitas 430.a
Druſi à continentia commendatio 29.c
Dualis numerus cur immunditiam ſignificet 456.c
Ducenta ibid.d
Dulcedinis ſymbolum 670.a
Dulcium appetitus 312.c
Duo 456.c
Duo millia 463.b
Dutandum 602.c
Duritas & firmitas oſſium leonis 7.b
Durities emollita 659.c
Dyris 577.d

E

Elitera 587.a
Ebrietatis remedium 304.d
Ebrietas 211.a quomodo vitãda 691.c
Ebrietates deteſtandæ 175.a
Ebrioſitas in panthera 133.a.144.a
Ebrioſitatis remedium 728.b
Eccleſiæ vanitatis ſymbolum 681.c
Echeneis unde dicta 357.b
Echidna Heſiodo, quid 17.c
Echidna cur dicta Nympha 167.c
Echinus marinus 343.d
Ecchinus terreſtris 96.b
Echini etymon 344.a
Echini terreſtris duo genera 96.b
Echinus unum novit magnum ib.d
Edomitum à virtute vitium 200.c.d
Educatio uniuſcujuſque vitam inſtituit 203.c.d
Effœminatio 153.c
Effœtus 465.
Electores Imperii quando conſtituti 216.c
Elementorum concordia 298.a
Eleemoſyna 661.b
Elephantiaſis curatio 759.c
Elephantus fugit inſpecto capro 21.b
Elephas murem capiens, quid 22.a
Elephas porco viſo fugit 22.c
Elephas ſolus diutius homine vivit, ac animal aliud nullum 247.b
Elephantis dotes 19.a
Elephantis ſtudium Romæ ad umbram Lunæ 23.c
Elephanti campeſtres aliis dociliores, montani pravi & inſidioſi, paſtres & leves 23.c
luſtres dementiores
Elephanti cur turbidam aquam bibant 21.b
Elephanti Luna nova flumine ſe purificant: ſermonem patrium intelligunt 24
Elephanti cum ſerpentibus certamen aſſiduum 26.
Elephanti partus longiſſimus 22.c
Elephanto cur duplex ineſt, ſecundum Mauros 25.a
Elephantum nulla belluarum prudentior 23.b
Elephantum mirabilis hiſtoria qualis 24.c.25.a.b
Elephantorum genera tria 23.b
Elephantum natu maximus gregem ducit 24.b
Elephantum cur Lucam bovem vocarunt 22.c
Eleus ager equorum generoſitati conſecratus 148.a
Elienſes mulieres cum Baccho preces funderent, quid petebant 30.a
Eloquentia 733.a
Eloquentia grata per apes 311.d
Eloquentia per caduceum expreſſa 189.b. per manum dilatatam 432.a
per pittacum 276.c
Eloquentiæ neceſſaria calliditas & prudentia 189.b.c
Eloquẽtię ſymbolũ per Sirenas 249.c
Eloquentiæ vis 401.c.d.554.a
per Herculem expreſſa 401.c.d
Elops piſcis 358.d
Elorus cicures piſces producebat. 372.a
Elpenoris tumulus 639.d
Eluſus ſuis artibus 308.c.d
Elutio 720.d
Emanſor per corvum 280.c
Emerepes Phrynidi muſico cur duas chordas è lyra bipenni exciderit 594.a
Empedoclis carmen de ſeipſo 122.b
Empedoclis de anima ſententia 631.c
Empedoclis opinio de corde expenditur. 253. b. c. de mundi partibus dexteris aut ſiniſtris 21.d
Emunctæ naris quis dicatur 399.a
Encœniare 366.b.c
Encobomata 505.a.b
Encyclopedia 472.c
Endymion 738.c
Eneph Ægyptiorum Deus 730.a
Enhippi ſcutum 531.a
Ennenſium nemus 418.b
Epaminondas 183.a
Epaminondam cur ſocium muneris cooptavit Pelopides 383.d
Epandytis 502.b
Ephemerus 321.c
Ephod 520.c
Epigramma ab oraculo in Nicocreontis regis gratiam enunciatum. 378. b
Epigrammatum locus 665.a
Epidaurus 187.d.749.c
Epies Ægyptius 171.c
Epimetheus 734.c
Popæus Palladi templum erexit 661.a
Equæ vento gravidæ 53.a
Equarum ſilveſtrium copia in Syria 53. a
E. Q. victoria 49.a
Equitare habetur magnificum 54.c
Equus cur leone ad bellũ aptior 44.c
Equus cur prophanus Ægyptiis 54.b
Equus fluvialis 349.c
Equus Marti immolabatur 56.a.b
Equus multifariam in numis diverſis conſpicitur 48.d.49.a
Equus Platonis 51.c
Equus Soli & ventis mactatus à Lacedæmoniis 56.b
Equus vivus dicatus Jovi, à Salentinis in ignem conjectus ibid.c
Equi apud Sardos colubros quo tempore devorarunt 188.b
Equi charactare inuſta frons Athenienſium captivorum apud Siracuſas 49.c
Equi & equitatus Domini, quid Abacho vocati 47.d
Equi fabrefacti à Dionyſio Argivo quales 53.b
Equi fluviales impietate notati 173.d
Equi ſacri quibus Diis 56.a
Equi ſignificatio in Divinis literis 45 d. 47. d. 52. b
Equi ſoluti & paſcentes, quid 48.c
Equi Theſſalici 40.b
Equorum affectus in dominos 48.a
Equorum zelotypia 53.a
Equis albis quo tempore vehuntur Romæ præſules 54.a
Equis cur comparatur Diomedis filiæ 52.b

Equis & velis, proverb. 45.c
Equis quando cœperint Romani esse superiores 49.b
Equinis à pedibus sede procul, proverb. 52.a
Erasmus Roter fallitur 461.c.465.b
Erasmi Roterodami laus 29.b
Erasmi Roter. mordacitas de esu piscium 373.a.b
Ercynæ simulachra 194.a.b
Eremita 143.d
Eremitæ per deserta Thebaidos, & montem Sinam 706.a
Ectrienses è Xerxis militibus everriculatione abducti 575.a
Erichtonius cur invidiâ indicat 200.c
Erinacius 97.d
Erotes malo navis affixus 294.d
Erucæ ab oleribus quomodo arceantur 710.b
Eruditus impurus 231.a
Eruditus quis verè censendus 549.c
Erycinæ Veneris templum 583.d
Erithacus 309.a
Esaiam sustulit Manasses 385.a.b
Esth Hebræis quid 223.c
Eth Ægyptiis quid 253.d
Ethicæ philosophia 475.a.b
Euboici opisthocomæ 386.
Enchemus Arcas 2.d
Eventus inexpectati 148.c
Everriculatio quomodo fiebat 574.d
Eviratio 414.c.d
Eumolpus Athenienses profligavit, 188.a
Eunomi citharœdi statua 323.c
Euphranor 626.d
Europa 744.a. à Jove rapta ibid.a
Euphratis symbolum & etymon 255.b.c
Erysthenis musa 598.a
Euterpe ibid.b. & seq.
Euthymonis sententia de Nili exundatione 577.c
Exanimatus minima de causa 463.a.b
Exanguis de nequitia redditus 306.b
Excœcare oculos populi, quid 397.d
Excandescentiæ causa 6.d
Excellens 638.c
Excessus 469.a.b
Excubiæ 288.b
Excubias disponunt grues 211.b
Exulratores 187.b
Exhæredator filiorum corvus 279.d
Exosculationes cur apud Romanos sanctæ 262.a
Exossare catulos suos leo cur pingatur 7.b
Expectationem frustratus 277.c
Expergefactio 713.c.d
Expiatio peccatorum 758.d
Explicationis sacrificium 400.a
Exploratio 523.a.564.b
Externæ aves ex Hispania missæ in Italiam 294.b
Extincta libido 416.d
Exundare 239.d
Ezelino portentum oblatum à pica. 277.a.b

F

Fæminum ut in antiquorum monumentis intelligatur 636.b
Faba Ægyptiis instar numinis 708.b
Faba funesta habita ib.b.c
Fabæ esus prodigiosa somnia parit. 709.a
Fabæ in judiciis cur olim esitatæ ib.a
Fabis abstinendum ibid.b
Fabis suffragia ferri ibid. a.b
Fabariæ calendæ ibid.b
Fabius Calvus Ravennas 415.b
Fabius Maximus cur Oviculæ cognomentum adeptus 117.c
Fabii cantatoris virtutes 54.d
Fabio Max. primum concessus equus 54.d
Q. Fab. Eburnus Jovis pullus 292.b
Fabius Tigil. Spoletinus 48.d.98.d
Fabio Valenti augurium ab aquila oblatum. 228. b. c. Vitellio contra Othonem ibid.c
Fabella de leone, ursu & cane 11.a
Faber lignarius 362.b
Fabricæ præfecti, quinâ milites 186.c
Fabrilia instrumenta in squatinæ capite 361.a.b
Fabula oraculi Jovis Ammonis 5.a
Facelitis dea 374.c
Faces, 583. a. Cupidini dicatæ ib.c
Facienda nescîri tutissimum in expeditionibus 42.a
Falconarii milites 186.c
Falsum cur ex speculo significatum 523. b
Falx. 538. b. Saturno cur tributa 694.
Fama 46.b.528.a
Fama longe lateque propagata 551.b
Fames. 64.c.341.a. id famis vocabulis ibid.
Fame moriens significatur per aquilam 232.c
Familia prodiga 144.d
Familiæ amplitudo 499.
Familiaris rei accumulator 530.b
Familiaris rei concordia 293.c
Familiarum imagines & picturæ quando invectæ 180.d.235.c.d
Farina Hebræis quid 496.d
Farre victitavit pop. Rom. diu. 36.d
Fascia ad diadema pertinet 47.c
Fascia candida Regum infigor ibid.d
Fascia moleni Æliam Romæ habent 51.a
Fatum. 508. c. 562.d. 601.a. 607.d. unde 47.d
Fati definitio ex Chrysippo 564.a
Fati potestas 737.c
Fatuitas 671.b
Fatuitatis symbolum 717.a
Fatuus & insulsus 705.a.b
Fatuus per cepphum 278.b.c
Faunus 26.a
Faunus anguis 176.a
Faunus & Picus quo pacto in rete implicati à Numa Pompilio 552.b
Favor 440. b. ejus contrarium 624. a.b
Fautoris signum oculus 594.c
Faustina visa sibi in somnis serpentes parere, quid indicarit 193.d
Faustinæ cur aquila virorum mortem 285.a
consecratione data
D. Faustinæ Piæ simulachrum 544.c
Favum & mel in sacris, quid 314.d
Febris lethalis à Sole 95.c
Febris medela 77.a
Febris quid, & undè dicta 7.b
Febris sæpe capras molestat 114.b
Febre torquentur leones 7.c
Fel à Marte regitur 112.b
Felis 376.b
Felicitas. 116.a.189.a.660.b. 667.b
Felicitas animorum futura 265.d
Felicitas unde oriatur 702.a
Felices seniores milites 265.a
Felis an idem animal cum aluro 162.c
Feles cur Lunæ comparati 604.b
Femoralia 508.c
Fera peculiariter dictus Leo 7.a
Feracitas 211. d. 668. d. hieroglyphica cum ejusdem 669.a
Feracitatis præcognitio 304.c
Ferdinandi II. Neapolitani regis mus 400.c
Feritas 643.b
Fermentum 470.c
Ferocia belli fracta 524.c
Ferocia emollita 135.a
Ferocitas 111.a b. evitanda. 432.a. in ti- midicatem versa 87.a
Ferocitas per cervicem 350.a.b
Ferocitate posita assumpta mansuetudo 56.c
Ferox à mansueto superatus 306.b.c
Ferre in oculis 397.c.d
Ferula cur Baccho dicata 691.a

Fescenina locutio 506.b
Festinantia 362.d
Festi opinio de mundi partibus 32.a
Festi Pompeji locus emaculatus 373.d 437.e
Fiber, & ejus etymon 358.c.d
Fibri cur in venatione sibi testes avellant ibid.c
Fibri partes posteriores cur piscium loco à multis habitæ ibid.d
Fibulare 509.a
Ficulnus pro imbecillo & contemnendo 671.b.c
Fiscus alimoniæ symbolum 673.a
Ficus Carthaginis & Romani Imperii ruinæ causæ 672.d
Ficus dulcedinis hieroglyphicum 670.a.b
Ficus & oliva quàm latè sint ab alieno solo plantandæ 449.c
Ficus quandoque ominosa 670.c
Fici materia fabricis minimè idonea 671.c. sub ficu requiescere, quid 449.c
Fides 60.b.428 511.740.
Fides cana cur Maroni 429.a
Fides lubrica 405 b
Fides per manum dexteram 428.d
Fides vel hosti servanda 429.a.b
Fidei creditum 503.c
Fidem honos sustinet 740.a
Fidius Deus ibid.
Fidem in manibus cur colebant Arabes 428.d
Fidelitatis rara quædam exempla in cane 60.c
Fidelium simplicitas per asellum exprimitur 141.a. & seq.
Filius per vulpanserē indicatus 241.d
Filii alieni pro suis educati 702.c
Filii conspirantes in matrem 173.c
Filii in patrem justæ vindictæ historia 103 d
Filix cur Pteris vocetur à Græcis. 719.d
Filix serpentes fugat ibid.d
Filix Struthiocameli pennis assimilata ibid.c
Filicis & arundinis inter se inimicitiæ 710.a
Fimus in divinis literis quid 420,b
Finis 593.a
Finis per pedem indicatus 435.a. per umbilicum 418.b
Firmitas 609.d.628.a
Firmitas amoris 334.a
Firmus Ægyptii tyrannus adipe crocodili cur se perunxerit 347.d
Fissa ungula 101.a
Fistula 694.c
Flagellum 426.d.606.a
Flamen assiduus Jovi institutus à Numa Pompilio 541.b.c
Flamines unde dicti 499.a.b
Flaminio Consuli ostentum quondam accidisse Aretii 55.a
Flaminicis sacerdotibus quales fiebant calcei 707.c.d
Flamma prosperi eventus signū 581.a
Flammeum 501.c.d.502.c
Flammeo cooperta nova nupta ducebatur ad maritum 502.a
Flammis vermis quis Apulejo 169.c
Flectere genua, quid 19.b
Flos futuri boni prænuntius 647.d
Flos juventutis hieroglyphicum ib.
Flos regius 689.c
Florentia semper leones aluit 18.b
Florentiæ situs amœnus 689.a
Florentini scriptoris de re rustica laus 114.b
Florius Maresius 57.a
Florum significatio 41.b
Florus avis 305.b.c
Fluctuare 481.c
Fluctus exundantes in sacris quid significent 481.a.c
Flumen & flumina 479.d.480.a
Flumina cum sole cur dicantur genus humanum enutrire 557.a
Fluminibus Cæsariem offerebant Græci 657.c
Fluvialis equus cur dissidii symbolum 369.a.b
Fluvii 33.c.655.c.d
Fluvii cornigeri cur appellati 33.b.c
Fluviorum fontiumque simulachra cum urnis figurantur 577.c.d
Fœcunditas 120.d.155.a.286.d.712.c
Fœcunditas vera 703.b.c
Fœdus 218.b
Fœderum firmitas ibid.c
Fœmina boum graviorem marem vocem habet 33.a
Fœminæ & pavonis naturæ consensus 285.c
Fœminæ vocabulū in sacrificiis, quid 414.b.quid eam deceat 30.a
Fœminæ loquaciores turtures vocatæ Theocrito 167.d.168.a
Fœminæ maribus morigeræ quæ elogio honestabantur 252.b
Fœminarum consecratio 285.a
Fœminarius interitus 387.b
Fœminis Romanis capitalē erat vinum gustare 262.a
Fœni manipulos pro vexillis habuit Romulus 506.b.c
Fœnum habet in cornu 45.a
Folia quid in Divinis literis significent 671.c.d
Fontes 479.a
Fontes & aquæductus, cur leoninis figuris ornati 9.d.& seq.
Forma 484.c.d.531.b.c
Formica 88.a
Formica Soli cur immoletur in Isthmo 89.a
Formicæ & vespertilionis discordia. 295.d
Formicæ Neroni mortis appropinquantis præsagium attulere 90.d
Tiberio ferales fuerunt ib.
Formicæ quomodo fugentur 726.a
Formicarum esu, morbi opem sibi comparat ursa 91.b
Formicas candicantes habet Paphnus insula 91.a
Formicas qui post obitum abeant in 90.d
Formicaria bona 90.c
Formidator inanium 127.c
Formido 81.d
Formido sublata 83 a
Formidolosus & imbellis 414.a
Formidolosiora sunt animalia, quæ frigidiora 82.b.c
Fortis 150.c
Fortis significatio 45.a
Fortitudo 519.c.642.c
Fortitudo per Tigrim amnem 255.d
Fortitudinis simulachrum 2.c.d
Fortuna. 573. c. d. 488. b. hujus simulachrum ibid.d.& 489.a
Fortuna secunda 750.c
Fortuna amatoria 702.c
Fortuna Redux 574.a
Fortunæ adversæ domitor 132.c
Fortunæ idolum Ægiræ 702.c
Fortunæ simulachrum 49.b
Fortunæ speciosæ in constantia 87.b
Fortuna ab exili in altum evectus 299.a
Fortunarum contemptus 336.a
Fossa 482.b
Frænata ferocitas 47.a
Frænum 606 b.c
Frænum Corinthi inventum à Pallade. 47. d. Lapitharum inventum 46.a
Frænum per anchoram indicatum 572. c
Fragilitas humana 511.a
Fragilitatis indicium arundo 711.a.b
Framea 530.d
Franciscus Bandinus 111.c
Francisci Robortelli laus 438 a.b

Fridericus II. elephantos in Italiam ex Idumæa transvexit 25.a
Frigidi facultas & vis 550 a,b
Fringilla 307.a
Frontem glabram imaginari per somnium, quid 386.c
Frontes cur abradendas jusserint Lacedæmonii ibid.c
Fructus ex laboribus 37.d.340.b
Fructus per quem exprimitur 120.c. 340. c
Frugalitas 664.b.c
Frugalitatis varia exempla 312.c.705.a
Frugem lætam prænuntiantia 35.c
Frugum opulentia 35.c.696.a
Fuca piscis 361.c
Fucus à fure differt 317.c.d
Fuga 64.d
Fuga populatis 314.b
Fuga per dorsi symbolum 390.d
Fugacitas 81.a
Fugientia sequi sine spe 353.a
Fulgentii locus 603.a
Fulgura in sacris literis, quid 553.c
Fullonis officium quod 433.d
Fulmen 551.a
Fulmen, Jovis supremi gestamen. ib.
Fulmen lauri folia non icit 639.c
Fulminis natura 551.a.b
Fulmine nil celerius 552.d
Fulminũ eliciendorum rationem invenit Numa Pompilius ibid.b
Fulminum significationes & naturam descripsit Pierius 553 b,c.d
Fumus 588.b
Fundamentum 431.b
T. Fundilius Gemilius cur inter cætera oleum legaverit 661.b
Fungi hieroglyphicum 736.b
Fungum una nocte nasci, prov. ibid.d
Funes primum ex corio 606.c
Funibus metiebantur terram Ægyptii 451.a
Funiculi mensura ibid. & seq.
Funus 110.b.623.a
Furacitas 424.c
Fur & fallax 736.d
Fures & fuci qui 317.d
Furiis agitandum quem dicant Astronomi 41. c
Furor familiaris Leoni 7.a
Furor implacabilis 371. c. d. indomitus 7.c
Furor per Crocodilum 348.a
Furor poeticus 646.c
Fusus 607.c.d
Futuri seculi beatitudo 312.b.c
Futurũ opus, vel quid agendũ 401.c.d
Fy 401.b.c

G

Gabriel 549.a.& seq.
Gabrielis vox & vis in Deo, quid 425.c
Gæon amnis 255.a.412.b
Galba quid instituerit Nerone mortuo 537.b
Galbæ quale occupandi imperii præsagium ostensum sit 388.b.c
Galea 539.a
Galeni & Aristotelis diversa sententia de testibus ibid.b
Gallienus ambitiosus & impurus 85.c
Gallieni Imp. carmen 261 b
Gallina 286.a
Gallina auri venenum. 286. b. cur Æsculapio dicata 287. a. seq. quid Theologis 286.d
Gallinæ per quietem visæ, quid ibid.
Gallinæ quomodo à sese tutæ 287.a
Gallinago 290.b.c
Gallonii gula notata 207.a
Gallus vigilantiæ signum 736.c.d
Gallus gallinaceus 289. b. Apollini dicatus. 288.a.b. Lunæ dicatus. ib. b. cur in parricidæ culeum insuebatur. 290. b. cur maximè animal solare 92. b. cur Mercurio dicatus 288. b
Gallus insidens Tiberii humero quid 287. c
Gallum nutrire quid Pythagoræ ib. d. immolabant Lacedæmonii parta victoria. 289. c. quando sacrificabant Spartiatæ. 42. b. cur perhorrescat leo 8. c. pro vinearum incolumitate mactabant Methonenses 289. d
Gallum se debere Æsculapio cur dixerit Socrates 287.a
Gallo infignitus clypeus Idomenei 288. b. in Gallo mira vis 290.a
Gallinaceus pullus exclusus in manu Liviæ, quid 287.c
Gallinacei pugnacissimi in Rhodo insula 289.b.c
Galli allio incitantur ad pugnam 289. a. in Perside primum orti 289. b,c. & seq.
Gallorum exemplo pugnantes confirmavit Themistocles ibid.c.d
Gallorum spectaculum quot annis Pergami solitum edi. ibid. c. Athenis etiam à Temistocle institutum ibid.c
Galli populi quas artes studiosius exercuerint olim 401.c.d
Galli te cantando excitarunt, dictum Neroni 287.b.c
Galli sacerdotes Deum Matri mitigabant
Galliarum tumultus contra Neronem
Gallicum genus leporum 287.c
Gallorum mores in osculo 116.b
Ganea 183.a
Ganges fluvius 101.a.371.c. & seq.
Ganymedes 214.d
Garamantes struthiorum ova cur perquirant 640.a
Garamantum pilei unde 198.d
Garrulitas 499.c
Garrulitas vana 246.c.d.269.d.377.a
Gedeonis petitio à Deo quæ 311.c
Gelanor à Danao expulsus 477.b.c
Gelon Carthaginenses debellavit apud Himeram 130.b
Gelonem quomodo servavit lupus 131. b
Gelonus 179.a
Gemar Arabibus quid 719.d
Gemmæ 519.b.520.a.per totum.
Gemmæ alectoriæ vis 289.b
Gemmæ in ornatu Veneris 344.d
Gemmarum cura morosa ridetur. 521. c
Generatio 93.b
Genesis 187.c.d
Generiæ mactabantur canes 66.d
Genetrix per E media syllaba, & Venus Genitrix 415.a
Genitale 672.a
Genitura humana unde 401.a
Genium ex myrto significari 656.d
Genii nobis appositi 59.c.d
Genios præ se ferunt Lares ibid.
Gensericus quo tempore Romam ceperit 216.a
Gentes per pisces indicatæ 374.a
Gentium doctrinæ 476.b
Gentium multarum societas 681.b
Genua flectere, quid 19.a.253.b.436.c
Genus humanum 339.d
Geometria 75.c.447.a.b
Geometricus cubitus 448.b
Georgius Anselmus 31.a
Georgium Vallam docentem audiens Pierius 576.b
Gephyreorum simulachrum in exercitu 384.a
Geranius mons unde dictus 211.b
Gerendarum rerum summa quibus rebus consistat 380.a.b
Gerenius cur vocatus Nestor 474.a
Germani bovem integrum Bonasum in Caroli V. coronatione servarunt 317.b
Germa-

Germanorum institutum olim in ducendis uxoribus 38.b
Germinatio 276.a
Geruli qui dicantur 699.c,d
Geryon cur multis manibus & pedibus dicatur præditus 383.d
Geryonis boves abacti quid 34.a.383.b
Geryones Hercules oppressit 383.b
Gibberosus homo quis 390.c.d
Gibberosi astuti 329.c
Gigantes quamdiu persecutus est bello Osiris 387.a
Gigantes quos vocaverit Commodus Imp. 193.b
Gigantum anguinei pedes quid 435.a
Gillæ herbæ virtus 92.a
Gladius 535.a
Gladii ancipites in sanctorum manibus 536.a
Gladium cur portet judex ibid.a
Glandis significatum 643.c
Glanis piscis 522.b
Glaucem citharistam adamavit & anser & aries 291.c
Glaucoma 611.b
Glaucopis cur vocata Pallas 199.c,d
Glaucopis Minerva 242.b
Gloriæ calcar 274.b.c
Gloriæ sublimitas 615.b.c
Glorioſus 285.a.511.d
Gordino tertio quadrigæ elephantorum decretæ 24.c
Gordii currus jugo aquila insidens 227.a
Gorgię tragœdię cur reprehēsę 566.a
Gorgoneum caput adsculptum scuto Minervæ 242.b
Graculæ lauri folio annuum fastidium purgant 264.c,d
Gradus in mensuris, quid 448.c
Græci 557.b
Græculus Romæ ferocem taurum quomodo ducebat 31.a
Graphum quid vocet vulgus 95.b
Gratia 528.c. gratia relata 229.c. gratiæ symbolum 6. b. 371 686. gratiam qui vocent Theologi 393.c.d
Gratiarum pullus quis 86.d
Gratus animus 60.a b.205.b
Gravis anima, quo symbolo solet exprimi 11.d.12.a
Gregorii Patriarchæ Constantinopolitani hæresis 324.b
Grillus conciliando somno eligitur 240.a.355.a
Grus avis 211.a.b.& seq.
Grus biceps feracitatis indicium 213.a
Grues cur in sublime volantes lapidem assumunt 211.a
Gryphi 278.d
Gryphus Syriæ rex 279.a b
Gufa étus Ægyptiorum rex cibum mendicare coactus 704.d
Guido Ascanius Sforti a Card. gula multatus 343.b
Gustatus 402.d
Gustus perfectus in qua parte consistat 403.a
Gyges centimanus 425. d. cur hyemem denotet ibid.
Gygis anulus qualem habuerit lapidem 188.c
Gylippus depeculator 243.c
Gymnasium 662.b
Gymnica certamina funeralibus celebrari solita 663.b


H


HPro S. apud antiquos nonnunquam ponebatur 440.d
Habenas tenere 606.c
Hadrianus Imp. æqualitatis studiosissimus. 268.b pacis studiosus. 659.d pavonem Mycenis in æde Junonis dedicavit 284.a
Hadriani Sexti P. M. ingenium 232.a
Hæreditas, hæredipeta 110.a.b
Hæreditaria portio sorsque 451.a
Hærere aquam 432.d
Hæres invisus 75.c
Hæreticus 298. c. hæretici ranæ hieroglyphico notantur 354.d
Halieuticon opus à Nigidio elucubratum 360.a.b
Hallus cur dictus pollex 440.d
Hamnum 123.b.c
Hamus 575.a.b
Hamno Ammonita Davidicis nuncis barbam abstulit 389.b
Hanno Carthaginensis cur exul 5.b
Hannonis elephantis mirum ingenium 25.c.b
Hara & ex hara productus 102.a
Harpagium locus in chalcide 640.a
Harpocrates 442.a
Harpocrates, silentii signum figillum cur in anulis gestabatur 345.d 441.c
Hassida avis 207.d
Hasta 527. d. gestamen inter maximos honores habitum 518.b
Hastam appellarunt sceptrum regium Agamemnonis Bœotii 525.b.c
Hasta donantur viri fortes ibid.d
Hastæ puræ ibid.c
Hastas pro diis coluerunt veteres 529.d
Hazir Arabes suem appellant 208.c
Hebdomada in albis quæ & cur 503.a
Hebetior in venerem ex esu pulmonium 265.a
Hebræi quanam in re reprehensi ab Apione & Juliano 120.a
Hebræorum gens salacissima 313.d
Hecate triceps 62.a.741.c
Hecates & Apollinis certamen 163.a & seq.
Hecates fabula 176.a.b.
Hecates simulachrum 639.a
Hecatombe 229.c
Hector comam per terga fusam gestabat 387.c.d
Hectoris cadaver oleo rosaceo obunxit Venus 687.c
Hedera cur Baccho sacra 646.c. celebris apud Ægyptios 644.a. Dionysio sacra ibid. Libero Patri cur dicata ibid. non nisi senescentibus adhærescit 646. a. suffumigata occiduntur vespertiliones 300.b
Helias quomodo Baalis sacerdotes riserit 346.a
Helei serpentis ope victoriam adversus Arcadas consecuti 191.c
Heledo polypi species unde dicatur 330.c
Helenam mactandam liberavit aquila 230.a
Heliogabalus perdicum plumulis instratis usus 292.c.d
Heliogabali luxus. 104.d. cipedum & quadrupedum spurcissimus 115.b
Heliopoli primum phœnix ortus, 238.a.& seq.
Heliotropium 726.b.c
Hellico Helvetius 673.a
Helluo per crocodilum 348.b
Helluones taxati 707.a
Helvidio Pertinaci quodam spectrum ablatum ante mortem 537.b
Henricus Imper. quando declaratus 216. c
Hepar à Jove regitur 402.a
Heptoporta 598.a
Heptrabolus lacus 577.c
Heraclides jocose à Ptolomæo illusus 146.a
Heraiscus 442.a
Herbam dare 440.c
Herbæ aculeis armatæ quid in sacris literis indicent 685.c.d
Herbis plantisque variis dii varii coronati 516.b
Hercules 617.d.733
Hercules Ægyptius primus Leonis gestavit insignia 13.b
Hercules benigne interpretatus est oraculum Dodonæum 579.c

Hercules cancrum devincens quid. 338. b
Hercules cervum enecans quid 83. c
Hercules cur dictus aurea mala secum absportasse 119. d
Hercules Gonzagæ Cardinalis Mantuanus 469. b
Hercules Libycus Syrtes anguipedes effugiens quid 176. a
Hercules oleastro fratrem victorem propositis certaminibus coronavit 663. b. ex oleastro lucum sevit ibid. d
Hercules omnium virtutū idea 178 c
Hercules populum ad Græcos transtulit 653. a. b
Hercules puer in cunabulis angues profligavit acelisit 179. a
Hercules Pylo bellum intulit 47. a
Hercules Thestii filiabus virginitatem imminuit 115. d. primus Junoni capras immolare instituit 116. a
Herculis ad inferos descensus 653. b
Herculis clava 642. b. 644. d. a. b. 678. b
Herculis columnarum symbolica interpretatio 476. b. c
Herculis furor in liberos 6 b
Herculis nodus 187. c
Herculis progenitores unde oriundi 644. d
Herculis sacrum 677. c
Herculis signum summæ nobilitatis ex ære Romæ etiamnum extat. 674. b
Herculis simulachrum in Capitolio interpretatur 678 b
Herculis virtutes tres ibid. b
Herculi quare sacrificabatur coturnix à Phœnicibus 296. a
Herculem qua forma Galli faciebant 401. d
Herculeus taurus 23. a
Herculiani juniores, seniores 236. c
Herculianus Leo quid 13. b
Herculianus morbus aquilino lapide exploratur 235. a
Hermaphroditi an apud solos Lunenses 212. d
Hermea forma cur quadrata 491. c
Hermæa signa qualia 431. c. d
Hermes unde dictus 401. b
Hermolaus Byzantius Stephanum in compendium redegit. 243. a. 327. b
Herodes Athenienſis in Neptuni templo dicavit delphino insidentem Palæmonem 328. b
Herodis scomma in Bradeam 561. a
Herodotus putat leænam semel tantum parere 10. a
Herodes & heroum statuæ quales 616. a
Heroibus cur draco sacer 182. d
Herſilia filius cur bullæ gestamine decoratus 510. c. d
Herus & Leandri fabula quid 417. a
Hesiodus contra Proclum defensus 207. b. 271. b
Hesiodus quare difficulter profecit 636. d
Hesiodi an germanum poema de scuto Herculis 200. a. c 584. b
Hesiodi locus 46. d. 167. b. 248, c. 270. a. 311. d. 330. 446. b. 547. b. 589. a
Hesiodi versus duodecim è Theogonia cur sustulerit Seleucus, & quos 522. c
Hesiodo laureum sceptrum à Musis datum, quid significet 636. c
Hesperus 565. b
Hesychii Hierosolymitani laus d. 422. d. 517. c. d. 377.
Hetruscorum doctrina de prodigiis à quibus manarit. 396. c
Hexapus 449. a
Hierarchiæ angelorum quot. 563. c. d
Hieremiæ locus 134. b
Hieroglyphice loqui, quid 668. d
Hieroglyphici sensus celebritas & divinitas 265. d. 266. a
Hieron cur laudatus à Pindaro 49. c
Hieron puer à patre expositus 321. b
Hieronymus Fracastorius 630. a
Hieronymus Mandolus 111. a
Hieronymus Vuolfius 376. a
D. Hieronymi locus 435. a. opinio de Pelecano 241. a
Hilaritas. 397. a. 517. a. 640. c. 664. c 665. d
Hilaritatis symbolum 666 a
Hippicum mēsuræ genus quod 450 b
Hippobinos homo quis 52. c
Hippocervum nostra vidit ætas dono missum Francisco Galliarum Regi à Friderico Mantuæ Duce 87. b
Hyppocrates cur pileatus 499. b. ab ibid. b
Æsculapio oriundus
Hippolytus Medices Card. 554. b
Hippolyti Medicei liberalitas 161. b. c
Hippolyti Medicei mors 565. d
Hippolyto cur templum excitarit Diomedes 506. d
Hippomanes 53. a. b. c
Hipponis sententia de cœli figura 409. a. de procreatione 363. c. d
Hippora Nestor 46. d. 47. a
Hippopornos 52. b. c
Hippopotamus. 350. b. c. huius perversitas ibid. b
Hipporhoontis poetæ sententia 3. a
Hircus animal libidinosum. 104. a. formosarum puellarum colloquio gaudebat Mendesio civitas ibid. a
Hirci hœdique immolandi in ferias quid ibid. b
Hircini adipis vis in vite 222. a
Hirpi & Hirpini 237. a
Hirquitilare & hirquitalli 401. d
Hirundo 36. a
Hirundo in Pyrrhi tabernaculo nidum posuit 274. b
Hirundo 284. a
Hirundo literas ad pedes alligatas portans 270. c
Hirundo volitans supra caput Alexandri, quid 270. a
Hirundinis ars & ingenium 263. c. d
Hirundini caput se habere qui imaginatur, quid denotet 230. b
Hirundines ædium conſtuentarum normam commonſtrarunt 288. c. d
Hirundines cur à tecto abitarit Pythagoras 269. a
Hirundinum Musæ Aristophani quæ 270. a
Hiſpania 316. b. c
Hiſpania per Geryonis symbolum. 383. c
Hiſpanicum leporum genus 236. a
Hœdi in Divinis literis, quid 115. b
Homerus nullius diſciplinæ neſcius 408 c
Homeri defuncti anima qua specie evocanda 271. b. c
Homeri locus 182. c. 231. a. 264. b 278. a. 318. b. c. 603. b. 711. a
Homerum in pavonem abiisse, cur dixerint Platonici 264. c. d
Homo 579. c. 713. d
Homo bulla 510. a
Homo ingluviosus, intemperans, in ſues condendus 203. c. d
Homo arboris ſimilis 740. c
Homo mentis impuræ 390. a
Homo nihili ac nequam 72. d
Homo raræ confuetudinis 389. b
Homo qui vel ſuam vel alienam ſenectatem edomuerit 92
Homo quomodo vertitur in belluam 91. c
Homo ſolus an comitiali morbo laboret 256. a. b
740. c
Hominis natura
Hominis ætas ut plurimum annorum octoginta & unius 278. a. b
Hominem cur ſapientiſſimum omnium

nium animantium judicavit Anaxagoras 414.b
Homine diutius nullum vivit animal præter elephantem 247.b
Homines utriusque naturæ 222.d
Homines in lupos transmutati 130.a
Homolottorum sacrificiū quale 35.b
Honor summus 28.b
Honos fidem sustinet 740.a
Honor & virtus 741.a
Honorē quib9 tribuerit vetustas 34.a
Honores 533.b.c
Honoriani juniores 185.
Honoriani milites 107.b
Horæ 725.d
Horæ nomen 350.d
Horæ Græcis Latinisque,quid 385.a
Horæ perfluvialem equum 350.c.d
Horæ quæ,& unde nomen 405.b
Horarum observandarum ratio prisca 70.b
Horatii locus 17. b. 29. a. 69. c. 97. a 111. b. 169. a. 174. c. 182. c. 204. a. 207. a. 262. c. 270. b. 275. a. 284. b. 303. a. 312. b. 419. a. 429. b. 495. b. 605. c. 623. d. 739. c. 757. a
Hortii Jovis statua 108.b
Hordei à vitio conservādi ratio 638.b
Horomazes quot deos in ovum incluserit 405.c
Horrificum 193.c
Horoscopus 405.b
Horti in tutela Veneris sunt 416.c.d 442.c
Horus Ægyptiis quis 405.c
Horus apparuit Osiridi 44.c
Horus Apollo à Philippo quodam Græce redditus 392. a. mutilus & imperfectus ibid.
Hospitalitatis jura 191.b
Hostia humana 109. c. quibus Diis immolabatur ibid.d
Hostis infensissimus 528 a
Hostis profligatus 206.c.d
Hostis victus 131.c
Hostium cædes mutua 194.c
Hostium mutua detrimenta 244.b
Hostibus quæ optanda dixit Antisthenes 84.c
Humana vita 556.d
Humanæ vitæ lubricitas 46.b
Humanæ vitæ commercia 621.a
Humanæ rotæ 490.a. cur sex tantum radiis compactæ ibid.b
Humeri quid in sacris literis 391.a
Humanitas 495.c
Humilitas 251.c.437.a
Humor patens omnium rerum secundum Ægyptios & Thaletem Mile-sium 408.a
Hyacinthinus color 501.b
Hyacinthus in florem mutatus 758.b
Hyæna 131.b.c
Hyæna an alternis annis mas & fœmina ibid.c
Hyænæ & pantheræ odium 133.a
Hyantes 103.c
Hyca 364.d
Hydra 200.a.b
Hydrargyron 337.b
Hydriam in sacram ædem gestabant venerabundi Ægyptii 696.b
Hyemale solstitium 334.c
Hyemalis conversio quæ ibid.c
Hyems 757.a
Hyemis inclementia Romæ maxima 650.b
Hyemis symbolum per cornicē 248.c
Hyllus Herculis filius 2.d
Hymnus 524.b
Hypenemia ova quæ 334.b
Hypocrita 298.c
Hypocritæ simulachrum 245.b
Hypoditis 501.b
Hypomochlium 616 b
Hyssopi symbolum 720.d
Hysteria festa 109.a

I.

I Litera 597.a
Jacob contemplationem indicat. 475. a
Jacobus Sadoletus 250.a.274.a
Jacobus Sanazarius, qui & Actius Syncerus, senex scripsit poemata 273. b. c
Jacobi Ziegleri præstantia in mathematicis 75.b
Jactura 633.a
Jactura per calvitium 389.a.b.c
Jalysus civitas ob picturam Protogenis servata 710.d
Jalysum quanta diligentia pinxerit Protogenes ibid.d
Jamblichi laus 402.c
Jamidæ 58.b
Jana olim vocata Diana 169.c
Janus & Jani templa quadrata 623.c.d
Janus æris signādi morē invenit 382.c
cur aliquando quadrifrons 384. d.
cur biceps absque manibus, & pedibus 439.c.d.cur bifrons 382.b
Janus Clusius & Patultius 616. c.
Geminus barbatus. 382. primum vas, seras & claves excogitavit 616.c
Jani etymon 169.c.filiæ quatuor 385.a
duodecim coloniæ 623. a. templa quadrata specie 624.a
Janum Saturni filium cur rustici sæpidibus obruerint 585.a
Jani 621.b
Janiculi numi aliquot 382.c
Janus Vitalis Panormitanus 496.c
Januarius Læneus 302.a
Jasoni Venus cur iynga dederit 307.d 308. a
Jaspis gratiam hominū conciliat 521.c
Iberis olus,ejusque natura 231.c
Ibis avis 209.a. cur Mercurio dedicata ib.c.cur salutis simulachrum ib. c.duas ponderat drachmas ib.c
Ibis prima litera Ægyptiis 210.c.598.c
Ibidis ovum basiliscum profert 210.b
Ibes candidæ & nigræ ubi 209.a
Ibes cur Ægyptum significent 209.b
Ibidum præsidio Moses quomodo exercitum per loca à serpentibus occupata duxerit 210.a
Icarius 501.c.d
Icarus pater ab ebriis colonis interfectus 668 a
Ichneumon quo pacto crocodilum interficit 348.b c
Ichthiophagorum genus unde 371.a
Ilsocaedrum 756.a
Ictu uno exanimatus 343.b
Ideas Platonis cur τὰ ἰδέα vocavit Aristoteles 321.c.d.323.a
Idomenei clypeo gallo insignito 288.b
Idumæa fico à Christo cur devota 671.a
Jechonias inhonoratus 697.d
Jejunio curantur venereæ voluptates 178. a b
Jejunia Romani Cereri feruntur instituisse 707.a
Jejunia à veteribus recepta ibid.
Jejunus 359.c.d
Jephthæ detestabile facinus 110.a
Jesus quomodo asserverit nos in libertatem 39.c
Ignarus homidumq; locorumq; 139.c
Ignavia 143.b.424.b.435.a
Ignavia honorata 513.a
Ignis 732.c.d.735.a
Ignis ab Assertore nostro in terram missus 138.b.580 d
Ignis à Prometheo furato quid 222.b
Ignis consideratio duplex 585.c.579.c
Ignis cur internunctus dictus 621.c
Ignis ex collisis leonis ossibus 7.b
Ignis hieroglyphica 580.a.& seq.
Ignis duplex 223.d
Ignis per fumi symbolū 588. a.& seq.
Ignis significatio in sacris quæ 587.c
Ignis Vestalis 580.b
Ignē adorabant Persæ, & Lycii 587.c
Ignem aqua permiscere 585. a
Ignem formidat leo, & cur 8.a

Ignem gladio dissecare 536.b
Ignem Persæ omnibus numinibus anteponebant 696.c
super Igne solicitus 8.b
Ignobili à genere ad claritatem evectus 348.b.c
Ignobilitas 307.a
Ignominia 464.a
Ignorantia 374.b
Iliados Minervæ templum 59.b
Ilignei folii calcati à leone vis 8 c
Ilithya 501.b
Illecebræ amatoriæ 261.b.584.c.d
Imaginat. excitat appetitionem 177.a
Imagines & familiarum insignia non sunt recentioris ætatis inventa. 180. d. 236. a
Imagines in anulis gestare solebant veteres, & quorum 512.d
Imaginibus majorũ illustriũ cur Romani atria sua compleverint 646.b
Imbecillitas 161.d
Imbecillitas & mos 683.c.d
Imbecillitas humana 683.c.690.a
Imbecillus fortiori assurgens 301.a
Imbellis 414.a
Imbres aliis aquis magis nutriunt 577. a
Imbres per corvi symbolum 280.c.d
Immortalitas 758.c
Immoderatus impetus 50.a
Impatiens alieni cœli 353.a
Impatiens famis 129.a
Impedimentum 357.b.c.424.d.436.c.d
Imperator 180.d
Impp. duo 181.a
Imperatoris optimi munus 206.c.d
Imperatores qui paribus cum Augusto honoribus honestandi 20.c
Imperatorum & regum justis dedicata aquila 229.b.c
Imperatoria majestas 238.c
Imperitia 589.b.c
Imperitia & imperiti hominis simulachrum 389.c
Imperitus disceptator 149.d
Imperitus literarum ne de divinis disserere audeat, lege cautum est 491.a
Imperatorum præcipitium 490.a
Imperium 48.a 537.c.547.a
Imperium firmum 642.d
Imperii Romani tres insignes mutationes 216. c. d
Imperii ampliator 564.c
Imperii majestas summa 558.c
Imperii summa 518.d
Imperio doctrinave præstantes 379.c
Imperfecti symbolũ per ranam 353.c.d
Impetus 105.c.d
Impetus hostilis 481.d
Impietas per hippopotamum 349.c
Impietati prælata pietas 204.b
Impius ingratusque 262.d
Imploratio 163.a
Imploratio auxilii 269.d
Importunitas ac impudentia 319.d
Impostura 282.b
Improbitas 133.b.348.a.b
Improbitas edomita 350.a.b
Improbitas meretricia 127.b.c
Improbitas per anserem 291.b
Imbrobi probique viri descriptio & parallelon 304.d 205.a
Impudentia 67.b.76.b.140.d
Impuritas 294.d.295.a
Impurus 287.c
Impurus amator 65.a
Impuri amoris conditio 329.c.d
Inæqualitas 99.c
Inæqualium concordia ibid.
Inanis animus 699.a
Inanis gloria 91.a
Inanitatis significatum 711.b.c
Inaquosum, quid in sacris literis sit. 476. b
Inarculum 681.b
Incantatio 327.d
Incœpta magna irrita 339.a
Incolumitas 92.b c
Incolumitatis symbolum 636.a
Inconstantia 338.a.382.d.573.d
Incontinentia reprehensa 29.c
Incrementum nostrum ex quibus constet 557.a
Incrementum præmaturum 655.b
Incubones 115 c
Incus 602.c
Incudes à Jove ad Junonis pedes appensæ, quid 603.a
Indemnis fuga 128.a
Index digitus. 441. b. idem Medicus, Lichanus, Salutatorius dictus 442. b. c
Indicti belli signum apud Romanos quod 515.a
Indici elephanti ferocissimi 23.b
Indicum mare magnas habet testudines 336.a
Indigena vel nobilis 731.a
Indorum mos in trajiciendis fluviis elephantis 21.b
Indorum oratio pro concilianda sibi principum benevolentia 686 d
Indorũ quædã gens lõgæva cur 192. b
Indocilitas 102.c.142.b.145.a
Indulgenta 465.d.145.c.402 b
Indumenta 500.a
Inexpugnabilis 519 c.d
Infamia 442.d
Infernum 482.b
Inferorum rotæ cur quatuor radiis tantum compactæ 490.a
Infinitum 600.a
Infortunium 162.a
Infortunii magni tutela 128.c
ab Infortuniis potentior 3.a
Infrænis oris finis infortunium 70.b.c
Ingenium 734.b.c
Ingenium velox 233.c
Ingenii acumen 74.b
Ingenio acutiore, cur sint quibus purius est cœlum 693.c
Ingenia recta debilitantur verecundia 331. d. 330. a. perversa confirmantur audacia ibid.a
Ingluviosus 360.d
Ingrati erga parentes 414.d
per Inimicitias illustratus 715.d
Iniquitas 655.d
Iniquus amor 676.c
Injuriarum ultio 305.d
Innocentia 118.c.414.b.634.a
Innocentia per manum symbolum 422.a
Innocentia per piscem 373.d
Innuus 730.c
Inquietudo 248.b
Inquilinus 338.d
Insatiabilitas 363.a.b.415.d
Inscitia cur vespertiliones 300.a
Insidiæ 574.c
Insignium causæ 515.d
Insipientia 240.a.198.d.360.c
Insolentia 51.b
Insomnia vide Somnia
Insomnia tribuunt leoni 3.b
Instauratio 238.a
Instauratio per echinum 344.c
Institutio 469.d
Institutio ex elementorum natura spectatur 474.d.475.a
Institutio per cœli symbolum 475.d
Institutio per hirundinem 268.c
Insulares homines pessimi habiti. 369.b.c
Incontaminata munditia 162.b
Intellectus agens 736.b
Intellectus æthereus 267.d
Intellectus efficacia 711.d
Intelligentiæ vis 734.b
Interitus 91.a
Interpres 572.b.c
Interquiescens 82.b
Inverecundus 354.a
Investigatio 89.a
Invictus 349.a
Invidia cur per Hydrã indicata 100.b

Invidiæ

Invidiæ amuletum 511.c
Invidi civitatibus inutiles 695.b
Inundatio 9.c
Involucrum draconum in caduceo, quid 187.c
Jo.Antonius Pollio 81.d. Geloum primas 692.a
Jo.Baptista Montanus Veronensis 545 b.doctissimus medicus ibid.c
Jo. Cornelius Fantini F. 509.c
D.Jo.cur per aquilam indicetur 234.b c. cur locustis tantū & agresti melle nutritus 707.c
Jo.Grymanus Patriarcha 321.b
Jo.Jacobi Fuggeri laus à literis literatosque juvandi studio 375.a
Jo.Lascaris 576.c
Jo.Petrus antea vocatus Pierius 214.a
Jo.Sicus 438.b
Jo.Manardi Ferrariensis laus 421.c
Jolaus apud Thebanos divinis cultus honoribus 654.b
Jolea Thebis celebrata 640.a
Jonatha mel gustans, quid 313.c
Jonicæ ædes quales, & quibus diis ædificatæ 624.c.d
Jordanis allegorice, quid 190.a
Jordani Bonizii domus eversa 206.a
Jordanis conversus retrorsum, quid 370.d
Josippus à fratribus venundatus 34.b idem somniorum interpres c
Josippi parēces ac fratres in Ægyptiorum commercia non admissi 715.a
Josippi somnium de Sole, Luna, Stellis 674.c
Joviani Pontani carmen de Palmarū amore 633.c
Joviani & Joviniani juniores & seniores milites 236.d
Jovii ordines militum 107.b
Jovis Ammonis oraculi fabula 5.a
Jovis cerebrum vocatus scarus 360.b
Jovis Horcii statua qualis 551.b
Jovis Labradei simulachrum 537.d
Jovis providentia 396.a
Jovis pullus dictus. Q. Fabius Eburnus 292.c
Jovis regnum quale Platoni 543.d
Jovis Serapidis simulachrum apud Sinopenses quale. 378. d. apud Megarenses 385.a
Jovis simulachrum absque auribus, quid 398.b
Jovis simulachrum cupressinum perv etustum 651.c
Jovis statua in subdiali ara qualis 396 a. b
Jovi stantes sacrificabant 69.c
Jovem Ægyptii spiritum dicebant 171 c. d
Jovem fulmina jacere cur confinxerit vetustas 551.b.c.
Iphicrati duci quomodo animos adjecerit Socrates 289.c
Iphigenia & Orestes Dianæ simulachrum ex Taurica regione detulerunt Lacedæmona 609.c
Iphigenia in quænam animantia mutata dicatur 85.c
Ira 138.a
Ira delinita 643.d
Ira lacessita 24.c.d
Iracundia 73.c
Iracundia justa & necessaria quæ 138.b
ejusdem effectus ibid.
Iracundia ex tarditate ferocior 26.b
Iracundiæ non obnoxius 264.a
Irenæi laus 101.b.451.b
Iris cœlestis 758.a
Iris herba 757.d
Iris cur acripes & procellipes 261.a
Irrisio 171.c.d.207.b
Irritatio 536.b
Irritum 432.d
Isaac cur quadragenarius Rebeccam duxerit 464.a
Isaac naturę philosophiā indicat 475.a
Isachar asinus à patre appellatus, Genesis 139.d
Isis 484.a
Isis cultum animalium instituit 72.a
Isis legum inventrix 469.d
Isis prima repertas spicas capite circumtulit 516.d
Isis superius hemisphærium 61.d
Isidis navis 570.c.d
Isidis numē maximum Ægyptiis 173.d
Isidi dicatæ tæniæ quales 485.a
Isidorus Cynicus Neronem in quibus carpebat 591.b
Isigoni Cirni sententia de viperina carne 191 d.591.c
Isocrates quanam ætate scripserit Panathenaicam orationem 271.b
Isocratis sepulchro cur magnus aries adsculptus 124.a
Isocrati statua decreta Athenis 627.a
Israeliticus populus cur nonascendebat in montem Domini 416.c
Israeliticis quo loco lex data 255.a
Israeliticos appellavit pastores ovium Appion ignominiosè 118.a
Isthmia cur instituta 652.b
Isthmiaci certaminis præmium ibid.
Itali vocati boves olim 37.a
Italia ibid.a
Italiæ olim bruttia vocata 243.a
Italicum leporis genus quod 156.b
Italicum stadium quot pedum 449.a
Iteratio frequens 444.a
Ithyphalli 645.d
Jubari stellæ nomen unde 2.a.13.b
Jubellius Taurea quomodo eluserit Claudium Asellium 55.b
Judæa 760.a
Judæa per palmæ symbolum 632.d
Judæi 38.d
Judæi asini caput adorare consuerunt 143. a
Judæi etiamnum hodie humano sanguine sacra faciunt 110.b
Judæi piscem, nisi pinnatum & squamosum non attingunt 366.b
Judæorum scenopegia in Bacchi celebritatem fiebant 549.b
Judex 430.a
Judices integri esse debent 511.a.b
Judicium statuæ Thebis sine manibus cur 430.a
Judiciale genus orationis 17.a
Judiciorum severitas 344.a
Judicium absolutum unde 211.d
Judicium compositum 591.a.b
Judiciis capitalibus cicutæ succum propinabant Athenienses 643.d
Jugare, Jovis inventum est 614.a
Jugerum 449.d
Jugum 519.a.613.a
Jugum aheneum Horatio, quid 613.b
sub Jugum mittere 519.a
Jugi species quæ 613.b.c
Julianus Imper. vigilantia præditus maxima 211.c
Juliæ piæ numus 415.a
Julii Cæsaris cædem præmonstrans prodigium 637.a.b
Julii Cæsaris equus humanis propemodum erat pedibus 48.a
Julii Capitolini locus 548.a
Julii Firmici incuria 30.a
Julii Medicis laus clementiaq; 553.d
M. Junius Nypsus 445.a
Juniores quos vocet Ser. Tul. & quos Varro 462.a
Juno quatuor elemētorū symb 743.b
Juno 109. b. 284. a. 397. b. 559.b.651.b. 757.b.c.689.c
Juno ab Ixione adulterii sollicitata 743.d
Juno à Jove vincta catenis aureis 603 a. cur dicta Lucina 397.b
Juno conservatrix. 181.c. domina. ib.c
Juno pronuba 285.c.d
Juno regnorum præses habita 681.b
Junonis simulachrum apud Argivos quale 113.d.303.d.304.a

Junoni cur oves ambiguæ sacrificabantur 120.d
Junoni quales olim hostias immolabant Ægyptii 109.c
Junonius 610.a
Junonis flos 689.c
Jupiter 40.b.384.c.491 d.551.a.614.a
Jupiter cum reliquis diis eur ad Æthiopum epulas invitatus 408.b.c
Jupiter Elicius unde 552.c
Jupiter Latialis 109.c
Jupiter mundi anima 550.a
Juramentum super ferro candenti in Livonia 588.b
Jurare per altare, quid 408.d
Jurgiosus 638.a
Juriscõsulti cœno implicati qui 366.c
Jus in armis 524.b
Justitia 35.d.219.a.631.a.748.a
Justitia per Euphratem fluvium 225.a per oculi symbolum 392. b. c. per ternarii symbolum 495.a. per struthiocamelum 297.c.d
Justitia speculatrix ac vindex 381.a
Justitiæ cultus 15.d
Justitiæ locus Platonicis quis 511.b
Justitiæ severitas 535.d
Justitiæ symbolum 717.d
Justitiam quomodo depinxerint veteres 536.a
Justitium 301.d
Juvenalis locus. 12. a. 42. b. 246. 238. b. 511. 561. a
Juventus 648.a
Juventus renovata 232.d
Juventus semper plena 233.a
Juventuti redditus 168.b
Jynx 307. c. linguam habet longam ibid.d
Jynx à Venere cœlitus allata 308.a

L

Labor indefessus 98.d. servilis 145.a
Laboris alieni fructus 317.c.360.c
Laboris tolerantia 111.d
à Laboribus quies 39.b.48.c
Labrax piscis 278.a
Lac gallinaceum 703.a
Lac quid Pindaro 312.b
Lac sanguis est colore tantum mutato 705.d
Lactis & mellis gustu imbuebantur infantes à lavacro 315.b
Lacte & melle fluens terra, quid 312 a.b
Lacedæmonii cur frontem abradendam jusserint 386. c. equum ventis immolabant 56.b. Judæorum consanguinei per Abrahamum haberi volunt 236.b
Leuctrica pugna propemodum oppressi 289.c
Lacedæmonii per aquilam indicati 236.b
Lacedæmonii quid responderint Alexandro, cum Deus haberi cupiverit 551.d. eorum inhospitalitas 473.c.d
Lacedæmoniorum mos jam parta victoria 289.c
Lacerta exiccata viperam mutatur. 173.c
Lachesis 608.a
Lachrymæ 344.d.521
Lachrymarum hieroglyphicum 715.c
Lacones 534.b
Lacones pileati pugnabant 497.c
Lactantius de Phœnice poema, non historiam scribit 238.c
Lactantius Ptolemæus 111.a
Lactantii locus 411.d.524.c.707.c
Lactantii Tertullianique opinio improbatur 238.d
C. Lælius eodem semper vultu 66.c
Lælius Taurellus 28.a
Læna vestis 504.d
Lætitia 24.a.664.d
Lætitiæ interturbata 728.b
Lætitiæ dator Bacchus 675 b.c
Lætitiæ indicium 723.c
Læva manus quemnam indicet merum 451.d.452.d
Læva vis in Deo quæ 425.c
Laïdis tumulo lexnæ simulachrum oppositum 11.c
Lais quo pacto fuerit obruta à Thessalis matronis 336.b.c
Lamachum socium sibi cooptavit Nicias, & cur 383.d
Lamma 482.a
Lampadum ludus 379.a
Lampsacum cur falaci Deo sacra 668.a
Lampridii locus 661.a
Lampyris 196.c
Lanata in pelle cur nova nupta sedebat 120.c
Lancea 528.a
Lanceam dare & accipere ibid.
Lanuii clypei abrosi à muribus 161.a
Laodice 572.c.d
Lapis 617.d
Lapis è cœlo lapsos, quale signũ 618.d
Lapis & caudex quid Comicis 181.b
Lapidem tetragonum colebant Arabes 617.d
Laqueus 609.a
Laqueum mellitum quid vocarit Diogenes 311.d
Larræ, sive Larundæ humanis capitibus sacrificatum 718.b
Largitio cicerum
Larus 710.b
Larus cur Herculi dicatus 277.c
Larus cephus, proverb. ibid.d
Larum vocavit Cleonem Aristophanes 278.a
Lares cur caninis tergoribus vestiantur 177.d
Larvarum lacessitor 1.b
Larvis non terretur Leo 192.c
Lascivia mollities 12.
Lasciviæ pœnitentia 417.c.d
Lason 38.d
Latebræ 401.c
Latebris gaudere colubrũ quid 52.c
Latini manumissi qui 175.a
Latro 459.a
Latrocinium 206.c
Latum unguem cedere 348.b
Laudabilia facienda 445.d
Laudatio similis irrigationi 51.c
D. Laurentius qualis 476.a
Laureatæ literæ 410.d
Laurei sceptri Hesiodo dati significatio 617.c.d
Laurus Soli consecrata 746.d
Laurus 635. b. c. Apollinis insigne ib.
ejusdem ignea vis ibid.c. vetat respirare ibid.c
Laurus Bebrycia 638.a. Delphica carens præstantior ibid.a
Laurus suffitionib. adhiberi solita 637.a
Laurus cur Apollini sacra 635.c. cuspidiæ seu torteæ consecrata 636.a
Laurus triumphantium insigne 636.d
Laurus varicinii symbolum ibid.a
Lauri Delphicæ baccarum magnitudo 638.c
Lauri folia fulmen non icit 636.a
Lauri folia viridia Pompeji fascibus à Lucullianis militibus illigata quid 637.b
Lauri folio annuum fastidium purgant graculæ, merulæ, palumbes, perdices 264.c.d
Laurus lætitiæ victoriarumque nuncia 637.d
Lauro ad dormientium caput apposita, vera videri somnia 637.d
Laurum fugiunt anseres 291.a
Lauri milites, eorundēq; insignes 358.a 356.c.d
Lazarus Bonamicus 164.d
Laureũ scipionem gestare quid 242.c.d
Laurium 10.a
Lexnæ partus rarior cur quibusdam visus

Lexnæ ſcorsi ſimulachrum 11.b
Lexnam ſemel tantum parere putant Ægyptii 10.c
Legifera Ceres 268.c
Legio viceſima 605.a.b
Legumina, vel fructus pro gentilitiis nominibus uſurpata 710.a
Leguminibus cur abſtinendum 710.a
Leliuron 496.a
Lenonum improbitas 76.d
Lenti qui 536.a
Leo cur cœlo adſcriptus 2.c. cur ſolare animal 3.b. cur 14.d. ſuperatus fingebatur ab Hercule 13.b
Leo dominator animalium 4.c. dominus ab homine, quid 4.d
Leo & aper junctiab Ameto 2.b
Leo gallum cur perhorreſcat 9.d
Leo parciſſimi ſomni cur 8.b
Leo percuſſorem mira obſervatione noſcit 11.a
Leonis anteriora membra robuſtiora 2.b
Leonis à Samſone ſtrangulati examen apum faucibus favos ingeſſit 314.c
Leonis X. Pont. inſignia 613.d
Leonis effigies 1.b
Leonis etymon 2.a
Leonis herba 653.c
Leonis herbæ natura 8.c
Leonis magnanimitas 1.a.b.c
Leonis membra ſingula myſtici ſignificati argumentum præbent 1.a.b.c
Leonis partes anteriores & poſteriores, quid 15.b
Leonem ex unguibus æſtimare, undenam ortum 445.a
Leonem Megara devaſtantem confecit Arcathus 403.a
Leonem quid vocet Martialis 11.a
Leones animoſiores qui 1.a.b. pavidi magis qui 2.a
Leones domiti, & Magnæ Deæ currui ſuccedentes, quid 16.a
Leones inſomnes cur nonnulli putaverint 3.b
Leones ſemper febri cruciantur 7.c
Leones ubi locorum à culicibus infeſtentur 8.a
Leonina ſocietas 4.d
Leoninũ caput per ſomnium, quid 3.b
Leonini capitis ſignificatio 2.c
Leonis excandeſcentiæ ſignum 6.d
Leonardus Juſtinianus 216.a
Leontopolis vocata Alexandria 3.d
Leopardus allio fugatur 625.c
Lepos obortus in mœſtitia 314.b
Lepus ἀπὸ τοῦ λάειν dicitur, quod aſpicere eſt 153.b
Lepus cur Veneri dedicatus 677.a
Lepus Græcum vocabulum 156.a
Lepus impurum animal in divinis habetur 153.d
Lepus marinus 363.c.d
Lepus mas & progenerat, & fœtum concipit 155.b
Lepus oculos inter dormiendum pertefactas oſtentat 153.a.b
Lepus palpebris clauſis vigilat, adaperitis dormit ibid.b
Lepus quaſi levipes 156.a.b
Lepus tute es, & pulpamentum quæris 153.d
Lepus Veneri præcipue debetur 154.b
Leporis occurſus ominoſus & imperſper 154.b
Lepores auriti à poetis vocati 153.b.c
Lepores maſculo fœminæ omnes ab Archelao vocati 135.b
Lepores qui primus in Siciliam portaverit 156.c
Leporum tria genera ibid.b
Leporina caro melãcholiam alit 155.a
Leporinæ carnis eſus formoſiores facit homines 154.c.d
Leporinus ſomnus 153.a
Lepra quid in ſacris literis ſignificet 710.d
Leprianorum inſtitutum 699.b.c
Lerii peſſimi 369.d
Lesbia virgo à delphino ſervata 326.d
Lesbus à Darianis militibus everriculata 575.a
Lethalis febris 95.d
Lethargi remedium 713.c
Leucadica virgo mirificè à pavone adamata 285.a.b
Leucothoe cur in veſpertilionem mutata 300.b.c
Leuctricarum puellarum necem indicavit canis 60.c.d
Leucus piſcis ſacer Theocrito 358.c.d
Leutychides Lacedæmonius 193.d
Levitæ cur juſſi abradere pilos omnes corpotis 385.d
Levitas 323.a
Levitas in moribus 66.c
Lex, legisque appellatio Hebræis, quid 469.d
Lex quando data 40.a
Legis jugum impoſitum Judæis 39.c
Leges 516.d.613.c
Lex divina de plantandis arboribus myſtice interpretata 678.a
Leges, vetus & nova 503.b.c
Legum inæqualitas 314.c
Libani medulla ablata à rege barbaro quomodo intelligendum 638.c
Libet 167.d.168.d.601.a
Libero patri ædes ſacræ quæ 624.d
Libero Patri gratiſſima victima aſinus 691.
Liberalitas per manus ſymbolũ 415.b
Liberorum propagatio 579.b
Liberorum procreatio, quorum inventum 221.b.c
Liberales artes quæ 469.c
Liberaliſſima benignitas 701.d
Liberalitas 700.c
Liberatores patriæ 498.a
Libertas 497.d.503.a.666.d
Libertas & liberatio à moleſtiis 386.c
Libertas Chriſtianorum vera quæ 39.d
Libertas per explicatas manus 425.a
Libertas triplex 498.d
Libido 113.c.d.195.a.698.c
Libido extincta 416.d
Libidinis antidotum 178.a
Libidines 698.c.d
Libidinoſus ab ineunte ætate 339.b
Libidinoſus quomodo per oculi indicium 395.b
Libitinariorum munus 60.a
Libri 479.a
Lichanus 441.b.441.b
Lien quænam ad te trahat 66.b
Lienis vitia 65.c
Lienem tenuiſſimum habet canis ib.
Liene laborantibus riſus difficillimus 66.b
Lilium purpureum 688.a
Liliũ flos Junonius, cur itẽ Reg. 689.c
Lilium ſpei ſymbolum eſt 688.b
Lilia offerebant Nymphis Gentium ſacerdotes 689.b
Limi oculi 522.a
Limpidæ aquæ 482.c
Lingua 401.b.c.&c.
Lingua coercenda 345.d. diſſecta in ſacris præconi tradebatur 402.b. Mercurio ſacra 402.a. optimum & peſſimum in homine ibid.b.c. plectri inſtar 403.d
Lingua ferrea, veritatis indicium Pindaro 403.c
Linguæ cum auribus cognatio 733.b.c
Linguæ victimarum Mercurio adolebantur 402.d
Linguaces 307.d
Lingua civitas quæ 243.a
Linum, linique opificium 507.d
Lintea veſtis 505.a
Linteæ veſtes in ædes ſacras inferendæ 508.a
Liria 757.d
Lirioeſſa ibid.d
Litatio 510.b

Literæ 71.a.348.b
iteræ lauro revinctæ 637.d
Literæ septem 696.b
Literarum Ægyptiacarum characteres 598.c
Literarū honos apud Ægyptios 469 b
Literarum symbolum 710.c
Liviæ Augustæ lauretum 637.b
Liviæ currum cum elephantis decrevit Claudius 26.c.
Livius Podochatarus Cypri Archiepiscopus 335 a
Livor 211.b
Loca aurorum explicata vide in propriis eorum nominibus
Loculi in quem vexilla figebātur, forma 638.a.b
Locuples 213.c
Locupleratio 379.a
Locupletatus discordiis civium 353.b
Locusta marina 331.a.b.340.b
Locustæ & polypi inimicitiæ 32.a.b
Locustæ segetes depopulantur saltu pernices sunt ib.c
Locustarum certamen 341.a
Locustis quibusnam vescebatur Jo. Baptista 340.c.d
Locustis aluntur multi in Æthiophia ibid.c
Logium, Pontificum ornamentum quale 520.c
Lolium 595.b
Lolligo fundit atramentum 341.d
Longævi ex doctis qui 253. a.b.313.a.b
Longo post tempore prodiens 354.c
Longo tempore aliquid effectum 22.c
Loquendum rarissime & jucunde cum regibus 291.a.b
Lotos arbor 657. a. cur Apollini sacra ibid. capillata ib. ubi potissimum fructificet 657.b
Luca bos 22.c
Lucani scarabei 95.b
Lucani locus 32.c
Lucas Evangelista 42.b
Lucas minoritanus 452.a.b
Lucerna 578.a
Lucerna ardens dictus Joannes Baptista 581.a
Lucernæ Aristophanis Grammatici, Cleanthis, Demosthenis, Epicteti 572. a. b
Lucernæ significationes ibid.c.d
Lucerius 588.d.589.a
Luciani libellum de Mercede conductis convertit Pierius in Linguam Latinam 313.c
Luciani locus 324 a.b.733.a
Luciani locus emendatus 314.a
Luci dare quid 300.a
Lucifuga 299.d
Lucina 559.b
Lucina cur dicta Juno 360.a.397.b
Lucina dicta Diana 306.c
Lucretii locus. 9.b.16.b.80.b.166.169.c 178. b.224.d.246. 296. a. 323. d. 547. a.579.c.698.c 415.a 573.d
Lucrum 399.c.d 736.c
Lucrum per capitis signum 379.b
Luctus 397.b
Luctus & querimonia 270.a
Lucubratio 581.b.c
Lucubrationes per lusciniæ symbolū
Lucumon Hetruscus 510.b
Ludi Circenses 547.d
Ludi Taurii quibus Diis, & cur instituti 33.b.c
Ludi testacei Romæ
Ludovicus Aliger 630.b.c
Ludovicus Beccadellus Archiepiscopus Ragusinus 704.a
Ludovicus Podocatharus Card. 335.b
Lumbi per Veneris symbolum 441.d
Lumen in divinis literis, quid 244.a
Luminis majoris violentia 387.d
Lumina & luminaria cur vocentur viri elati 556.b.c
Luna 14.a.69.a.b.163.d 559.a & sequent.
Luna cur lunus virili genere aliquādo 559.b.c
Lunare corpus 741.d
Luna mensisve 383 c
Luna Persarum indicium 557.b
Luna quæ & Isis 484.b.c
Luna quid Pythagoræ 558. b. qua parte semper clara & conspicua ib.
Luna τρίγωνος cur dicta 187.d
Luna comparata dialecticæ 560.b
Lunæ simulachrum 732.a
Lunæ & Solis conjunctio ib.b
Lunæ & Solis certamen 163.d
Lunæ facies varia 558.b
Lunæ ortus 69.c
Lunæ symbolum 715.a
Lunæ varietas admirabilis 484.b
Lunæ vectatio 570 c.d
Lunæ novæ adorandæ mos 69.c
Lunata pellis Martiali quæ 561.a
Lunulas gestādi mos Romanorum ib.
Lupa intra quot dies pariat 129.c
Lupanaria unde dicta 127.c
Lupercalia 67. a. à quo primum instituta ibid.b
Lupinis dentibus laceratæ carnes cur dulciores 21.b
Lupus 125.a 126.a.& seq.
Lupus ab Athenienſibus cultus 126.b
Lupus scillæ cōtactu convellitur 118.c
Lupi & equi antipathia 79.b.80.a
Lupi nomen in sacris, quid 116.c
Lupi saxum extimescunt 118.c
Lupum tenere auribus proven. 119.c
Lurconem quomodo taxaverit Cato 405.a
Luscinia 574
Luscinia modulationis studiosissima 276.a.b. pullos suos erudit 275.d
Luscinia quo tempore assidue tantum 276. a
Luscinæ Druso & Britannico discipulæ fuere Græco Latinoque sermone 275.d
Luxuriosæ deliciæ 103.c
Lyæus à solvendo dictus 644.c
Lyæi nomen unde 442.a
Lycisca cur Messalinæ cognomentum 117.c
Lycabanta per annum dicimus 116.a
Lycopolitani lupum colunt ibid.a
Lycurgus sacrificium humanum Dianæ offerri solitum in Impbebetā flagra converrit 609.c
Lycurgi de liberorum institutione concio 103.d
Lycus dæmon 496.b
Lydiæ rex 537.d
Lydorum equi Cyri camelorum odore consternati, infidens præcipitaverunt 191.d.192.d
Lynceus classem Carthaginensium à Lilybeo Siciliæ promontorio prospectare & recensere solitus 116.b.c
Lynx in genere luporum recenseri à plerisque 116.a
Lyncis acutissimus obtutus 196.b
Lynci Cervario cognomentum indi-tum 136.a
Lynces convexa montium visu penetrare feruntur 136.c
Lyncei oculi à lynce ibid.
Lyncei oculi à Lynceo Idæ fratre Argonauta dicti ibid.c
Lyncurius lapis ex concreta lyncis urina 136.a
Lyra 590.a.d.& seq.
Lyra cur in manu Mercurii statuebatur. 591.b.& quot chordarum 594.a
Lyræ forma 593.d
Lysander fœliciter adversus Athenienses pugnavit 619.d
Lysimachi insolentia arrogantiaque 551.a hujus vanitatem quomodo riserit Pasiades ibid.a
Lysippus cur hastam in manu Alexandri 538.a.611.c
dri posuerit 193.d
Lytræ

M.

M Litera 534.b.c
Macarii hæresis 324.a
Macedo 130.c
Macies ex inedia 137.a
Macilentia echini symbolum 344 b.c
Macilentia gracilitasque divinitati proprior quam obesitas 578.a
Macriana familia Alexandri effigiem quasi sibi familiarem habuit 480.a
Macrinus Imperator quas statuas decreverit Bassiano Antonio 543.c
Macrobii locus 740.d
Magna mater 309.d
Magnanimitas leonis 1.a
Magnanimitas per pudenda 413.b.c
Magni Dii qui 529.d.530.a
Magnorum Deorum simulachra unde advecta & quo translata ib.
Magnus conatus cum dolo 158.a
Mago annulorum ingentem acervum effudit in Curia apud Carthaginenses 513.a.b
Maja 109 b
Majorum ferenda difficultas 699.b
Majoribus parendum vel apum exemplo 310.d
Mala cogitatio 137.c
Mala bonitatis ope separanda 683. c.d
Mala Veneri dedicata 675.b
Maledicentia 538 a
Maledicus 343.a
Maleficiorum amuletum per vespertilionem 300.b.c
Malignitas perditissima 295.b.c
Malleus 603.a
Malum ex bonis initiis subsecutum 109.b
Malorum irritamentum 603.c
Malvæ sylvestris succus vespis adversatur 318.b.c
Malus Punica in Junonis honorem plantatur 610.a
Mali arboris & fructus hieroglyphica 673.a.& seq.
Malus dæmon 177.a.b
Mammæ somnium de Alexandro filio 183.d
Manalis lapis 618.a
Manardus medicus 68.c
Manasses quincuceps 385.a.b
Mandragoræ soporifera vis radix ejus usus nunc incognitus 722.b
Mandri in India 340.c
Mandro à remis ad imperium venit 671.c
Mandronis navis ibid.c
Manes cur dicti 381.d
Manethon Ægyptius fallitur 3.b
Mania Larum mater 718.b
Manicæ 613.a
Manilii locus 367.a.371.c
Manipulus 506.a
Manipularis ibid.c
Manobarbuli 236.d
Manus earundem usus 422.a. b. & seq. 605.a
Mantinea
Mantuani numis impresserunt Maronis imaginem 379.c
Manus ad digitos usque involuta. 428
d. versa ad osculum exposita, quid 428.a. coccino præligata 505.d
Manus Dei, quid 422.d
Manus dextera & læva quem numerum indicent 432.a
Manus in triclinio Vespasiani visa, quid 423 d
Manus manum scabit, proverb. 436.a
Manus sinistra compressis digitis 433.b
Manum admovere 436.b. eam deosculari solent adorantes 468.a
Manus artium ministræ 422 b
Manus complicatæ non sunt amicis tradendæ 431. b. inter loquendum non movendæ 439.b
Manus post tergum rejectæ, quid. 427.a
Manuum ablutio quid veteribus. 423. a. impositio 428.d
Manus plures se habere qui somniaverit, quid 430.b.c
Manus remittere 425. b. tollere 428. b
Manumittendi rationes quot, & quæ 499. a
Mansuetudo 24.a.42.c.118.d.662.a
Mansuetudinis miræ exemplum in elephanto Romæ 24.c
Mappa 504.a
Marassus 181.b
Marathro lippientes oculos depurgant angues 92 b
Marcelli laus 49.b
Marcia & Martia 501.d.502.a
Marciæ concubinæ plurimum tribuebat Commodus Imp. 580.c
Marcii Aurelii statuæ forma considerata 440.b
M. T. Ciceronis locus 616.a
Marcomani 185.d
Marcomani juniores 178. d. Seniores ibid.b.c
Marcus Grassus agelastos 66.b
Marcus Crassus cur dicteriis non carpebatur à Sicinio 43.b
Marcus Evangelista cur Leonis imagine figuratur 4.c
Marcus Montanus Patavinus jureconsultus egregius 590.a.b
Mare 481.a 604.c.d
Mare. ἀτρύγετον 371.b. cur perniciem vocarint Ægyptii 368.a. mundi venter 378. d. nihil Jove dignum produxit 366. a. nullius frugis esse dixit Homerus 368.c
Mare perturbatum in insomnis, quid 318 c
Mare per ventris symbolum 419.c
Maris aqua ad purificationem adhibetur 366.d 367.a
Maris imperium 317.c.d
Mare cur Saturni lachrymas vocarit Pythagoras 368.a
Mares inter animalia gravius sonant fœminis præterquam in bobus 33.a
Mares animi 414.a
Mares animi mari attribuit 56.a
Maris & fœminæ fœtus quibus indiciis cognoscatur 31.b.c
Martium interitus 587.b
Maritalis conjunctio 529.a
Maritalis copula per cornices 246 a.b
Maritima antiquitus omnia sacra 358. c
Maritus conjugis adulteræ 116.a
Marius Bandinus 111.b
Marius Maffæus 190.b
Mars & Mavors unde dicti 126.c
Mars & Venus per duos Ancipitres 252.a.b
Mars Ultor 524.d
Marti cur sacer canis 67.a
Marti equus sacer 56.a
Marrhes rex quem honorem habuerit cornici 247.a
Marsias cur suillam dicatur caudam habuisse 102.d
Martialis locus 12. a. 56. c. 210. a. 258. d 344. a. 358. d. 418. d. 419. a. 504. a.b 508.b
Martialis & Quirinalis socii 543.b.c
Martes animal 162.c
Mas & fœmina boum quomodo distinguantur 37.d
Masculeus & fœmineus fœtus quomodo deprehendatur in tauro 31. b. c
Masculi vocabulum in sacrificiis. 414. b
Massinissæ Regi munera missa cum sella curuli à Romanis 546.a
Masurii interpretatio de Angeronæ simulachro 441.d
Mater sive naturæ genius 217.a
Matris nomen in divinis literis 223.a

Materia prima 753.a
Materia formaque 584.c.d
Mathematicus 116.d.117.a
Matrimonium concors 591.b
Matronarum impudicitia 148.c
Matthæus Macingus Venetus 345.a
Maturandum 571.a
Maturitas 324.c
Mauritania 49.a
Maurialites milites 186.a
Mauri feroces 49.a
Mauri occursi Hadriano fatalis 651.a
Maximiani Imperat. milites cur Herculiani vocati 138 c.d
Maximini imperium serpentis judicio præmonstratum 183.c.d
Maximino Imp. aquila dedit auspicium Imperii 227.d
Mecœnas præcipuus Augusto amicus 355. c
Medicæ arboris casus Romæ Leoni X. P. M. fatalis 650 b.c
Medici prudentia qualis esse debeat. 199.c.311.d
Medici tam manus quàm cor eruditæ debent esse 241.c.d
Medicos esse in Ægypto cur dictum 209. d
Medicina multifariã ab oraculis peti solet 264.d
Medicina lucrum non sanitatem quærens inanis ars est
Medicina petita à Diis 264.c
Medicinæ symbolũ per ciconiã 206.a
Medius digitus 431. b. Idem medicus, infamis, impudicus ib.c.& 456.d
Medium 418.a
Medium hominis ubi ibid.b
Meditatio 439.b
Medulla carent ossa leonis 7.b
Medus asinus primùm vim equæ intulit 147.c
Medusa 199.a
Medusæ caput quid 46.c
Medusæ caput Domitianus cur pro pectore gestare solitus 381.a
Medusæ figmentum unde 515.b
Medusæ cur serpentium caput 199.a b
Megaelis Athenienſis censura de Hesiodo ibid.c
Megalesius dæmon 496.b
Megarensis cur apuis abundat 363 a
Megarensium factum ad fugãdos Antipatri elephantes quale 21.d
Megatensium mores, & megaricæ sphinges 12.b
Megarensium stratagema adversus Antipatrum 99.d
Megarensibus quid acciderit feratum 5.d
effractis carceribus
Mel, ac ab eo metaphoræ diversæ. 312.d
Mel adulationis symbolum 710. b. c. cur in sacrificiis offerri prohibetur 314.a.quid Pindaro 311.a.b
Mel Corsicum aliquid amari habet 313. b
Mel & favum in sacris, quid 314.d
Mellis usus vitã diutius producit 313 b
Melle & lacte fluens terra, quid 311.c
Melle & lacte imbuebantur infantes susceptí à lavacro 315.a b
Melle sæpe usi Pythagorici 313.a
Melampus 88.d
Melas & melã cur vocatus Nilus 234.a
Meleta 298.a
Melicerta 327.d. hujus corpus in Isthmo à delphino expositum ibid.d
Milicerta, qui & Palæmon 654.a
Melissæ historia 316.b
Melisti Emboici sententia de olere 273 d
Mellophori 679.a.b
Melo vocatus aliquando Nilus 578.c
Melon & Mellus Hercules 121.a
Melote, quid 677.d
Memnonis statua 657.c
Memoria grata accepti beneficii 735.d
Memoria 60.b
Memoria diuturna 538.a
Memoria mali obliteranda 699.c
Memoria post obitum extincta 332.c.d
Memoriæ consecrata auris 400.a
Memphi templũ Serapidis 378.d.379.a
Memphitica inscriptio de Ægypti libertate 51.a
Menalii equi quales Pharmis 52.b
Menalippus Dianæ templum violavit 595.a
Menandri locus 204.b
Menander Samarita hæreticus 176.d
Menapes seniores milites 185.a
Menabii 63.c
Mendacium 342.a
Mendacium in extrema parte nigrescit 277.b
Mendacia, cur imbecilla 403.c
Menippea fabula qualis 177.d
Menis rex cur Ægyptiis male audivit 103.c
Menoni inuxorẽ data Semiramis 263.b
Mens quid Tullio 171. d. à sensu decepta 176.c.verborum fons 58.b.c
Mentis attonitæ consternatio 333.b
Mentis erigendæ signum 595.a.b
Mentis frater est os 58.b
Mentis vehemens exagitatio 60.a7
Mensarii 623.d
Mensis 360.a
Mensis cur bos appellatus 29. b. cur per palmam 610.a
Mensis singuli diis singulis, & quibus attribuit 170.a.b
Mensium Græcorum divisio 381.c
Mensura à quibusdam principium sumere debeat 447.a
Mensura digitorum filia 444.d.445.a
Mensura qua sit ad salubritatem bibendum 444.c.668.c
Mensurarum nomina 445.c.d
Mensurarum & ponderum ratio cur incerta 446.a.450.a
Mephibosepha Jonathæ filius 64.c
Mercator & mercatura 738.c
Mercatorum stationes in Janis habebantur 384.d
Mercurius 35.c.401.a.737.b.752.d
Mercurius vel efficax sermo 415.b
Mercurius Εὐρύγλωσσος. 189.b. Deorum præco 402. b. concordiæ signum 737. a. cordis & sermocinationis Dominus 209.b.c. cur vocatus Cyllenius 431. d. cum Latonæ committitur ad Xanthi fluvii ripam 401.a. magno silentio colebatur ab Ægyptiis 345.d. primus literas Ægyptiis communicavit 598.c. primus verba in ordinem redegit 402.b.c. rationis & veritatis Deus 491.c. sermonis præses 402.b
Mercurius Trismegistis 719.b
Mercurii simulachrum apud Corinthios cum ariete cur 123. a.b. apud Tanagræos quale ibid.b
Mercurii simulachro cur canis adjicebatur 402.b.c
Mercurio cur arundo adsculpta 711.a cur dicatus Gallus 381.b.c. lacte cur supplicatum 668.a
Mercurio linguæ victimarum à quibus adolebantur 403.a
Mercurius in sacris quid denotetur 419.c
Mercurium Nilo prognatum putabant Ægyptii 346.a 11.a
Meretrix 383.c
Meretrix per mel 51.d
Meretricia petulantia per equinam imaginem indicatur ib.b
Meretricia procacitas 79.b
Meretrices quænam amatoribus suis comprecantur 335.b.c
Meretriculas quamnam poesin vocarit Plato ibid.
Meropa 204. d. hujus pietas in parentes 402.a
Merulæ lauri folia annum salubrium pur-

purgant 264.c,d
Messalina 127.c
Messalinæ salacitas 162.b
Messenii 534.b
Messeniorum exitium unde animadverterit Theolcus vates 671.a
Messis in divinis literis, quid 694.a
Messis per falcis symbolum 694.b
Messoris ab aquila libertati historia 230.a.Meta 471.d
Meta triangularis & quadrangularis quæ 495.b.c.d
Metallis singularis Planetarum nomina tributa 737.b
Metellus corvum lapideum imposuit sepulchro Diodori rhetoris 281.b.c
Meteora 396.a
Methona 289.c
Metriculosus 22.b
Metrodorii Sceptii ridicula observatio in cantharides 95.c
Metus quid 647.d
Metus comes potentiæ 22.b
Michael 549.a.c
Michael angelus occidentali vento præpositus ib.c
Michaelis vox quid 425.c
Michael Silvius 25.b
Michaelium familia Veneta 36.b.c
Midas cura sininis auribus fuisse prædicetur 140.b.c
Midas Satyrum capiens, quid 115.c
Midæ puero formicæ in os tritici grana congerebant 90.c
Midæ quomodo Phrygiæ regnum præmonstratum 227.a
Migratio 568.d
Melanionis cervus dicebatur 81.c
Milichius à nonnullis appellatus Bacchus 671.d
Miles 61.d
Miles Romane, Ægyptum cave, cur dictum 50.c
Milites cur vulpibus assimilati ab Aristophane 157.b.c
Milites fugientes galati lepores vocati à Cornificio poeta 154.a
Milites mulierosi 195.d
Militaris disciplina 206.b
Militaris ordo 107. b. doctrina 434. c
Militaria signa vocalia & muta 42.a
Militia 716.a
Militarium ordinum insigne 42.a
Milium 695. c. ex milio præsumptus panis, incolumitatem præstat contra venena ibid.
Militiæ antiquæ vestigia Rom. apud Massæos 183.a
Mille 93. cur taciturnitatis signũ 460.
Millenarius numerus quibus signis notabatur 460.c,d
Millenarii numeri nota, & reliquorum quæ 640.d.463.d.464.a
Milliarium 450.b
Milo Crotoniades Junonis sacerdos 610. cur in certaminibus invictus 289.b.cur à Theocrito celebrat9 41c
Milonis ahenea statua in Olympia ejusdēq; significatio explicata 610.a
Milvius 213.b
Milvii Britannis sacri 214.c
Milvis procumbere proverb. 213.c
in Milvios qui dicantur converti ib.d
in Mondæmon 496.b
Mimus 303.a.b
Minæ & pax 188.a
Minerva 735 b
Minerva Arcadia 610.b,c
Minerva Pythagoricis cur per triangulum æqualitatum 495.a. cur Trigemina ib.a.b
Minerva πτερωτός 40.d
Minervæ clypeo adsculptum Gorgoneum caput 241.b
Minervæ symbolum per noctuam ib.
Minervæ tertium uniuscujusq; mensis diem dedicarunt Ægyptii 595.b
Minervę Operatrici sacer gallus 288.d
Ministerium 430.d
Minotauri effigies quando extollebatur 42.a
Minutio Auguri cur bos aurata posita 34.d
Miseratio 218.241.c.621.c
Misericordia vel pietas 759.b
Misericordia per genu 436.d
Mithridatis contra venena remediũ 724.d
Mittere sub jugum 519.a
Mitra 514.a.b
Mitylenæi Sapphus imaginem numis impresserunt 479.d
Mixta 16.c
Moderatio 507.b.c
Moderatos 392.d
Modestia 30.a.503.b
Modestini Jurisconsulti locus 605.c
Modius 695.d
Modio supersedere, quid 696.a
Mola 621.a. molaris lapis ibid.
Molles per comæ symbolum 386.d
Mollities 364.b.727.c
Mollities lascivia 439.c
Monarchiam probavit Isocrates 231.b
Monocerotis descriptio 27. a. de ejus hieroglyphico vide Rhinocer.
Monodos cur vocatus Prusiæ regis filius 133.a
Monstra domita ab Hercule, quid 61.a
Montani elephantes quales 23.c
Monumenta aliquot vetusta diversis locis extantia 684.b.c
Monumenta vetusta in agro Bellunensi 265.b.688.b
Mora 300.d
Moralis philosophia discenda. 565.a
Morbos ad Deorum iram referebant veteres 264.c
Morborum singulorum singuli erant medici apud Ægyptios 209.d
Morborum transitus in rebus inanimis 147.a
Mordacitas 337.b
Mores civiles imperfecti 318.c
Mores conjugis ferendi 351.c.d
Mores occulti 110.c
Mores pravi 695.b
Morum dissolutio & instabilitas 132.a
varietas 134.a.b
Moribus aliorũ accommodatus 215.a
à Moribus bonis alienus 190.b
Morositas 534.b.c
Morosus atque difficilis 343.d
Morpho Venus 609.b
Mors 399.b.530.d.537.a.608.d.650.d 651. c
Mors difficilis 337.a
Mors & imbecillitas 747.d
Mors in divinis literis, quid 244.a
Mors per pellis hieroglyphicum 421.a
Mors pro amaritudine 651.d
Mortis hieroglyphicum per noctuam 243.d
Mortis indicium Cupressus 650.d
Mortes duæ 581.b
Morsus canis rabidi 65.c
Morsus jejuni hominis pestilentior. 178.a
Mortui exenterati & aromatibus delibuti Alexandriæ diutissime conservabantur 253.a.b
Mortuorum ventres cur eximebant Ægyptii 105.c.410.a
Morus abor 656.a.b
Morus parasitus in ceparum allii que comedones invehitur 715.a
Moses cornibus insignis effingitur 87 c. d
Moses infans in profluentem expositus, à Thamura Pharaonis filia servatus 576.d.577.a
Moses rogatus ab Israelitis, ut velata facie loqueretur, & cur 517.b
Mosi cur ab aqua nomen inditum 476. c. d

Mosis

Mosis serpens æreus, quid mystice, 178.b
Motacilla 307.c
Motus à dextris partibus oritur 435.c
Motus omnis à corde initium habet 408.d
Mula equum peperit pilo flavo 148.c,d
Mulorum partus ostenti loco habitus 148.b
Muli cur vehiculo lunæ adhibiti sunt 147.a.b
Mulorum usus tempore belli plurimus 147.c
Mulier ad delinquendum proclivis 414.a.b
Mulier male morigera 144.a
Mulieris amor 582.b
Mulieris gravidæ appetentia effræn. 726.a
Mulieres castigandæ admonendæque 690.b
Mulieres à Luna debent esse diversæ 336.b
Mulieres honoris studiosas esse debere 741.a
Mulierosus 83.c
Mulieris curæ vanitas quæ 522.c
Muliebris salacitas 164.a
Mulieris statura 492.c
Muliebris virtus 524.c
Muliebre officium 120.c
Muliebres columnæ 928 b
Mulus ter anno parit 360.c
Munditia inanimata 162.b
Mundus duplex 742.a
Mundus 93.a.550.b.623 b
Mundus vel universum 730.c.d
Mundi machina 113. a. 166. b. mens Sol. 392. d. moles 169. b. 378.b. moles plena Deo 657. c. partitio apud Ægyptios 222. a. hieroglyphicum. 731.a
Mundi partes quænam dexteræ, & quæ sinistræ 31.d.32.a
Municipibus injuriis suis 273.c
Munificentia 20.c 710.b
Munimentum 158.b.c
Munimentum ab insidiis 204.c
Mulatus de gula 343 a
Multimammia Diana 299.c
Multiscius quo signo in lucem editus 385.b.c
Multitudo per novennarium numerum 459.d
Multitudo,& unus à multis,quid 239.c
Multitudo infesta 90.d
Multitudo per vicenalem numerum 459. d
Multivolus 298.b
Murænæ 351. c. an serpentibus copulentur ib.
Murænæ & thrissæ evocantur concentu & tintinnabulis 80.a
Murænis exponebant olim servitia Romani proceres 352.a
Muri pro corona accepti 517.c
Mus 161.a
Mus albus quis dicatur 162. b. auditu præstat 33. d. in convivio candelam tenuit 71.a
Muris arrosio pernitiosa protendit. 161.b.c
Muris salacitas 162.b
Murium palatum in gustu sagacissimum 161.c
Mures negligit elephantes 22.a
Musa 380.d.596.c
Musæ cum Apolline 597.c
Musæ tres Apollinis filiæ, quæ 598.a
Musæ unde dictæ 591.c.d
Musarum coronæ ex pennis 257.a
Musarum fons in Parnasso excitatus à Fama 46.c
Musarum afflatus 753.b
Musas meretriculas appellavit Plato 314.a
à Musis & Gratiis alienus 371.d
Musæa hirundinum, quæ 270.a
Musca 319 a.& 320.a & seq.
Musca in sacris literis, quid 320.b
Musca, insigne in Laconum clypeis ibid. c
Muscæ pertinacia ab Homero improbata ibid.a.b
Musica 592.c
Musica suavis vini gustu concitatur, 666.a
Musica per cicadam 323.b.c per cygnũ, 274.c.d. per lusciniam 275 c.d
Musici cur reprehẽsi à Diogene 591.b
Mustela cur inauspicatũ animal 160.b
Mustela cur à Theban. colebatur ib.d
Mustela marina 361.b
Mustelæ genitale, stranguriæ remedium 160.a
Mustelæ rutam carpunt ab esu colubrorum 92.b
Muta signa militaria 42.a
Mutili 628.d
Mutua officia 149.b
Mutuo muli scabunt ibid.c
Mycenarum portis statuebantur leonis effigies 3.c
Mycenis pavo in æde Junonis ab Hadriano dedicatus 284.a.b
Mycerinus Ægypti rex 29.d
Mycerini Ægyptii colossi quales 430 d
Mychæa Veneri sacra 171.a
Myiodem muscarum Deum imprecatus Hercules 311.a
Myonia 162.a
Myrias 433.a
Myrillo cur iratus Cæsar 411.d
Myrmidonum fabula 95.a
Myrtillus 548.a
Myrtus 655.b
Myrtus ab Hecates templo summota 176.b
Myrtus corona funebris 639.b.c
Myrtus pro pudendo muliebri 639.a
Myrti Veneri dedicata ibid.a
Myrti consideratio 638.d
Myrti ramus hilaritatis indiciũ 639.c
Myrto coronari soliti milites 516.c
Myrtea corona triumphantium militum capiti gestata quid indicarit. 639.b
Myrteæ virgo hieroglyphica significatio ibid.b

N

N Literæ nota 534.c
N.D. Literæ quid indicent ib.d
N.L. literarum notæ, quid 210.d 234.d
Nabuchodonosor 102.a
Nabuchodonosoris somnium 619.a.b
Nabuchodonosor Hierosolymam cæpit 235.c.d
Nævii locus 318.c
Nævus 681.a
Nanael 550.a
Narcissus flos 758.c
Narcissus puer in florẽ conversus ib.
Nares in sacris quid 398.d
Nasamones quo pacto sepeliri voluerint 543.c
Nasones vocati Gryphes 229.b
Nasturtii oleris vis 231.c.d
Nasus 389.a
Nasus simus petulantiæ signum 329.b
Nasi adunci signum quod 228.d.233.a
Nasonis admonitio 157.d
Nationes totius terræ in quot partes divisæ 75.a
Natorum obsequium erga parentes 16.a
Natura humana 558.a
Natura rerum varietate delectatur. 173.c.d
Naturalis philosophia 474.a
Navigatio 415.a
Navigatio cita 318.b.c
Navigatio secunda 275.b
Navigatio tuta 344.a
Navigationis authores 570.d
Navis 568.d.& seq.

Navis

Navis apud Athenienſes colebatur in Theſei memoriam 570.d
Nebrias 360.d
Nebridi quid a Juliano petierit 303.d
Nedes fluvius 671.a
Neceſſitas 587.a
Neceſſitas in caduceo ſignificata 187.d
Neceſſitates tres naturales 759.a
Neceſſitudinis averſator 306.a
Neceſſarium, primum eſſe debet 37.c
Nefaſtus dies 534.c.d
Negotia publica declinanda 708.c
Nemea certamina quare inſtituta. 655.c
Nemeeus victor ibid.c
Nemeorum victoribꝰ ex apio viridi corona texebatur 651.b
Nemeſis 677.b
Nemeſeos ſimulachrum ibid.b
Nemeſeos ſimulachrum & inſcriptio 448.b
Nemeſeos locus ubi 443.d
Nemeſeos ſignum 606.d
Neomenia dies quis 558.c
Nephthe 215.c.d
Nephthys inferius hemiſphæriũ 62.a
Neptunus 33.a
Neptunus delphinis imagine ubinam colebatur 327.c.d
Neptunus piſcis cujusvis ſignum ib.
Neptuno ſacrificabant thunnum piſcatores 367.c
Nequitia 329.b.370.b.611.a
Nequitia immoderata 291.d
Nequitia inveterata 415.d
Nequitia in temperantiam verſa 51.c
Nequitiæ facinoroſitas 114.d
Nequitiæ frænum 708.a
Neritos taurus 41.a
Nero Claudius quonam ætatis anno ſublatus eſt 388.c
Nero ſerpentis ope ſervatus 191.c
Neronis ſomnium de formicis 184.a
ſomnium de aſturcone ſuo 48.c
Neſciri facienda tutiſſimum in expeditionibus 40.a
Neſſamah 572.a
Nicarchi epigrammatis explicatio 455.c
Nicagoræ apparuit Æſculapius ſub anguis ſpecie 192.b
Nicandri locus. 52.a.170.c.173.b.195.c 197.d.199.b.459.d
Niciæ imbecillo fuit corpore 383.d
Nicippus Cous 4.d
Nigidius opus halieuticum elucubravit 360.b
Nigra præcordia Homero quæ 482.b
Nigræ Veneris ſacellum ubi 416.d
Nigris fluvius 577.c.d
Nigri coloris ſignum quod 260.d
Nigrum & atrum 342.a
Nico Attica meretrix cur vocata 114.c
Nico dæmon 496.b
Nicolaus Cordatus 283.c
Nicolaus Leonicenus 391.c
Nicolaus Leonicus Thomæus ibid.
Nicolaus Leonicus Patavii Ariſtotelem Græcè prælegit 333.a
Nicolai Leonici Thomæi laus 274.a
Nicolaum Leonicum docentem audivit Pierius 333.a.576.c
Nicolai Rodivili præſtantia ac laus 541.c
Nicolaus Scombergus card. Campanus 588.b c
Nicoſtrati Jambi in garrulitatẽ 270.a
Nilus 598.a
Nilus per aquilam indicatus 233.a fertilis, fœtifer, pinguis 577. d. cur cum tribus urnis figuretur ibid. b
cur Melas & Melon vocatus 234.c
totius humoris fons 407.d
Nili diluvium 407.c.d
Nili diluvium quonam anni tempore 9.c.d
Nili fontem phialam appellavit Timæus 577.b
Nili ſimulachrum quale. 578.b. cur ex nigro lapide ibid.d
Ninus Bactrianus Semiramidis inditia expugnavit 263.c
Niſus à Minoe interfectus 748.a
Nidula vermis 196.c
Nitores 662.c.d
Nixidia ſigna. 437.c. cur ſic dicta. & à quo Romam portata ibid.
Nobilitas 497.a
Nobilitas generis 333.a
Nobilitas per anulũ indicata 413.a.b
per Lunam indicata 560.d
Ægyptios 707.a
Nobilis, vel indigena 731.a
Nocte meditandum 662.d
Nocua 242.a.& ſeq 349.b
Noctua fortunare dicta Athenienſium etiam malè conſulta ib.b
Noctua in Hieronis haſta viſa 242.c
d. inſidens haſtæ Pyrrhi. 244. b. lethale quid & inauſpicatum affert 243.d
Noctua noctis domina 244.a.b
Noctua volat, prov. 244.a.b
Noctuæ & cornicis immortales inimicitiæ 243.d.244.c
Noctuæ Lauriotiæ quæ 243.d
Noctuæ qua ratione pecuniam ſignificabant 243.c
Noctuarum artificioſa pugna 258.a
Noctuis pugnantibus opem fert accipiter ibid.a.b
Noctuina ova vini odium indicunt 496.b
Nocumentum abſconditum 644.b
Nodus Herculis 678.c
Nonaginta 467.b.c
Nonæ Caprotinæ 636.c
Nomadum ruſticitas aſperrima 261.a
Nomiſmatis Lyſimachi origo 4.c
Noricæ alpes quales lepores progignant 156 b
Noſora vel noſola 371.a
Nothus 147.a.b
Novacula in fortunæ ſimulachro. 588.b c
Novenarius numerus multitudinem ſignificat 200.a.b
Novem, nonaginta 459.d
Nox in ſacris, quid 565.c
Nox per pavonem 284. d. pro morte 243 d. ſtudiis commodiſſima 583 a
Nubes 478.c
Nubes belli Virgilio, quid 581.c
Nucis juglandis hieroglyphicum 9.c.d
Nullius frugis opus 536.b.c
Num, Ægyptiis, quid 9.c
Numa Pompilius invenit rationem liciendorum fulminum 551.b
Numa Pompilius Jovi Flaminem aſſiduum ſacerdotum inſtituit 543.c
Numa populo dedit in congiario lineos & ſcroteos aſſes 36.b
Numa Pompil. quomodo deceperit 648.c d
Picum & Faunum dæmones 552.b
Numæ ancile 531.b
Numen 587.c
Numen improfanabile 708 b
Numeroſa proles 397.b.c
Numidæ cyrocephalorum lacte vivebant 69.a

NUMI.

Numus L. Ælii Aurelii Commodi. 349.b
T. Ælii Cæſaris Antonini 621.a
L. Ælii 427.a
M. Agrippæ 328.a.571.a
M. Agrippæ Coſſ. III. 547.c.d
Alexandri Pii Imp. 683.c
Antonini Pii 3.c.189.a.229.d.359.a 427. a.489. c. 497. d.532. a.b 553.d 574 a 621.a.624.b.693.d
Antiochi 13.c.599.b.751.c.d
Argivorum 161.c
Aſia recepta 184 b

Athenienſium 36.b
Auguſti 16. d. 114. b. 349. b. 562. c. 569. b. c. 750. d
Auguſti patris 229. d
M. Aurelii Antonini Britt. 544. a
Aurelii Cæſaris 169. a
M. Maurelii Severi Alex. 181. a
Cæſaris Dict. III. 184. c
Caligulæ 543. d
Caracallæ 497. d
Celphalæniorum 497. d
Cibiratici numi conſideratio 262. c
Claudii P. T. Aug. 688. b
Clodii Pupieni 544. a
Conſtantini Imperatoris 924. b
Corinthiorum 46. c
Domitiæ Auguſtæ Imp. 285. b
Domitiani 574. a. 622. b. 624. b. c
Domitiani Coſſ. XIII. 544. c
Druſi 189. b
Fabatii 170. c
Fauſtinæ 16. b. 246. c. 284 a. 487. d 489. b. 599. a. 622. a
Galieni 45. c. d. 85. c. 123. c. 134. a. 279. a 347. d. 525. c
Germanici Imp. Cæſaris Aug. 489 b. c
Ser. Galbæ 498. a
Gordiani Pii 427. a 432. c. 499. d
Gratiani 427. d
Hadriani 49. a. 46. c. 85. c. 195. b. 203. b 219. d. 429. c. 589. b. 622. a. b, 659. d 688. b. 693. d
Hadriani tertium Conſulis 383. c
Hadriani Trajanique Impp. 429. d
Hetrenniæ 502. d
Hieroni 49. c
Jani 382. b. 568. d
Jani bicipitio imberbi 382. c. d. & ejus bicipitio barbato ibid.
Juliæ Auguſtæ 544. a
Juliæ Mamææ 181 c. 189. b
Julæ Piæ 217. b. 679. a 693. b
Juliæ Piæ Felicis 284. a. 679. a
M. Jul. Philippi Aug. 359. c. 544. a
L. Livinæi Reguli 694. a
Lucillæ Auguſtæ 359. c. 678. a
Lyſimachi 4. b
C. Cæſaris 20. a
C. Mamilii 66. b. c. 711. d
C. Marii 35. c
Q. C. Marii 20. a. 209. b
Divæ Marianæ 286. a
Maximiani Pœnti 493. a
Maximiani 660. b
Divæ Maximinæ 285. a
Metii Macri 562. c
Q. Naſidii 328. a. 570. b. c
Neptuni imagine 327. d
Neroniani 49. b
Neronis Cæſaris Aug. 544. b. 592. b. c 632. c
Neronis Claudii 327. d
Nervæ 48. c. 489. b. 544. b
Nervæ Trajani 490. a. 574. a
Noctuarum numiſmata varia 243. a
Octaviani Auguſti 229. c
Otacillæ 502. a
Papiriani 49. a
L. Pap. Curſoris 46. c
Divæ Paulinæ 285. c
Peloponnenſium 337. c
Pertinacis 229. c
Divi Petri Pii patris 229. c. d
Philippi Imp. munus 20. c
M. Pletorii Æd. Cur. 546. a
C. Poblicii Q. F. 2. d
Pomponii Muſæ 592. c
C. Poſthumii 65. d
Pyrrhi 229. a
Romanorum 760. a 229. a. 327. d. 349. a. 358. c. 429. d. 435. a. 501. c. 543. c. 551. b. 555. c. 564. a. 605. c. d. 632. c. d. 636. b. c. 641. c. 644. b. c
Divæ Sabinæ Auguſtæ 229. d
Sabinæ Aug. Hadriani Aug. 501. d
Saloninæ 123. c. 559. b
Sagittarii nummi qui 527. b. c
Sapphus imaginem numis impreſſere 379. c
Mitylenæi 29. b
Scipionis numus argenteus 590. d
Scribonii Libonis 36. b
Scortei 41. b
Seleuci numus 574. a
Septimii Getæ 20. c
L. Septimii Severi 559. a
Severi Alexandri Aug. 189. b
Severi Macrini Aug. 660. a. b
Severi Pii 33. b. 49. d
Syracuſanorum 49. d
Tarentinorum 327. d
Tenedius munus 382. a. 538. a
Tib. Cæſaris. M. L. Thorii 297. b
Tib. Claudii 189. a. 497. d. 688. b
Tigranis 413 c
Titi numus 632. d
Q. Titi 35. c
Titi Veſpaſia 328. d. 544. a. 571. b. 692. b
Veſpaſiani 35. c. 189. a. 219. d 741. a
Vitellii Cæſaris 20. a
Numi aliquot Herculis clava ſignati 642. b
Numi argentei à ſenatu Auguſto decreti conſideratio 625. b. c
Numi argentei cujusdam inſcriptio. 70. a
Numi bigati & quadrigati 547. d
Numi cancri figuram habentes 338. c 400. a
Numi continentis muliebre caput gerentis conſideratio 381. c
Numi cujusdam argentei habentis angues tres conſideratio 184. b
Numus Cybelerũ habens caput 618. c
Numi duos ſerpentes continentis conſideratio 184. b
Numus gallinaceorum conſimilis ſignatus 189. a
Numi, in quo quadriga cum victoria, conſideratio 195. b
Numi nocturarum varii 243. a
Numi ranam habentis conſideratio 355. d
Numi ſcortei 36. b
Numus ſerratus quis 538. c
Numi veteres 542. a
Numi victoriati 256. d. 257. a
Numiſmata Athenienſium 36. b
Numiſma tripicitis Serapidis 383. b
Numiſmata aquilã præferẽtia 229. b. c
Numiſmata plurima cum ſerpentibus 192. a. b
Numorũ aliquot conſideratio 114. b 229. a. 327. d. 349. a. 358. c. 429. d. 435. a. 501. c. 543. c. 551. b. 555. c. 564. a. 605. c. d. 632. c. d. 636. b. c. 641. c. 644. b. c
Nupta nova 719. c
Nupta nova cur in pelle lanata jubebatur ſedere 110. c curru vecta traducebatur 547. b. quib. modis ducebatur in domum ad mariti 384. a. c
Nuptæ novæ offertur colus & fuſus
in agro Bellunenſi 608. b
Nuptiæ 304. a, 546. b. 584. a. 603. b. 633. a. 648. c. d
Nuptiæ per tricenariũ numerũ 489. c
Nuptiarum fœdera cur ſacramento ignis & aquæ ſanciebantur 586. c
Nuptiarum hieroglyphicum per cornices duas 246. b. c
Nuptialia 71. c. 586. c
Nupturæ olim camelis virginibus ſupplicabant 151. c
Nuriel 549. b. nurſiæ antrum 496. b
Nutricationis facultas 259. b. c
Nycteretum herba 727. a
Nyctícorax 245. b
Nympha cur dicta echidna 167. c
Nymphis fontanilibus ædes ſacra 674. d

O

O Litera 636. d. 637. a
Obcæcatus in ſacris quis dicatur 394. d
Obdurari & excæcari quempiam à Deo, quid 208. c. d
Obedientia per autium ſymbolum
Obeliſci Ægyptiorum 615. d 691. b
Oblivio cur dedicata Baccho 225. a. b
Obſcœnitas 643. c

Obscura vel candida quæ dicantur. 181.c.d
Obsequium 63.c
Obsonatores 372.c.d
Obtutus amatorius 30.d
Occasus 347.a
Oceanus Nemeseos pater 577.c
Oceanus rerum parens Homero 93.c
Occisi pro patria 626.c
Occultum consilium 42.a.712.b
Ochus avaritia famosus 145.c
Ochus compulit Ægyptios imaginem asini auream adorare ibid.d
Ochus Persarum rex ab Ægyptiis per asini simulachrum notatus ibid.
Ochus Persarum rex Apin jugulavit 535.a.b
Ochi crudelitas ibid.a
Octaedrum 755.c
Octaviani epistolæ ad Tiberium locus explicatus 424.b
Octaviano panem de manu rapuit aquila 227.b
Octo, octingenta 459.a.b.c
Octoginta 467.b
Oculus cur Dei signum 393.c
Oculis mentis quando rectè cernit 134.b
Oculus, Solis cognomentum apud antiquos 643.a
Oculus Veneree quid Hesiodo 395.a.b
Oculi Dei in divinis, quid 364.c.d
Oculi emissiti, hominis dolosi inepticque signa sunt 355.b fores animi Polemoni 391.d. morientibus operiebantur, in rogo patefiebāt 355.d
Oculorum caliginis remedium 715.c 724.a.b
Oculis explicantur motus animorum 391.c.d
Oculos justitiæ quales dicebat Chrysippus 392.b.c
Oculatus 398.c.d.
Odoacer Italiam afflixit 216.c
Odium 685.c
Odium per piscem interpretatum 363.c
Odia capitalia 720.a
Odoramenta in divinis literis, quid 688.a.b.c
Odorari in sacris, quid 399.a
Oedipus Coloneus in senectute conscriptus à Sophocle 271.b
Oenomai equi qua ratione terrefacti 129.a
Oenotria 243.a
Oestrum fluvialis materia producit 319.b.c
Offensionis illatæ pœnitentia 528.b
Officium muliebre 120.c
Officia mutua per manus 426.a
Olea 659.a.b.& seq. quid in sac. 660.c
Olea Athenis conflagrata litem excitavit inter Palladem & Neptunum 662.b. de ead. ibi enata fabula 663.b
Olea à quibus inventa 663.b. cur Anazarbi Ciciliæ civitate fœcūdissim. 664.c. cur Jupiter coronari solitus 654.a.663.b. cur Minervæ sacra ib. c. inimica quercui 643.d
Oleæ æternitas 661.a.b
Oleæ baccas vetetes parsimoniæ causa apponebant 664.b.c
Oleæ ramus lana circumvolutus à quibus gestari solitus 661.d. ramusculus cur in Mercurii manu 659.c d. ramum sertis coronatum vovit Apollini Theseus 662.a. sacra stirps quando sponte conflagrarit apud Milesios 662.a
Oleis vescens Plato cur à Diogene irrisus 664.b.c
Oleaster in sacris, quid 661.b
Oleastro coronabantur Olympionicæ 663.a
Olfactus 65.a.b.c
Oleum in perturbatos maris fluctus infusum, tranquillos facit 662.a
Oleum legatum à nonnullis ad gymnica certamina 663.b
Oleum cur concitandæ insaniæ pharmacum vocarit Anacharsis 662.b cur extra corpus quàm intra absumi maluerit Epaminondas ib.c
Oleum terra erupisse trans Tyberim Augusti temporibus 661.a
Olei fons repentè exortus ad Oxum flumen in Alexandri exercitu 663.a
Olei significatum 313.a significatio in sacris. 660.c. vas plenum in Panathenaicis victoribus dari solitum 603.b
Oliva quàm longè ab alieno solo plantanda 449.c
Olivæ surculum columba in aream Noe importavit 659.b.c
Oliva plantanda legendave, Rutilii Tauri præceptum 664.c
Oliverius Caraffa rosarum odorem ferre non potuit 96.a
Olla in divinis literis, quid 697.d
Olla succensa & à Hieremia visa, quid 581.b
Ollas pulsitabant per urbem Lacenæ mulieres in Regum suorum justis 767.b
Olor 271.a.d.273.a
Olor cur in hospitalis Pindaro 274.d
Olores sese mutuò depascentes ibid.
Olympia Alexandri matri fulmen per somnium oblatum, quid 553.b
Olympiæ somnium de dracone quid portendebat 183.d
Olympiacum stadium 460.c
Onesili Regis caput cur honorificè sepultum 311.c
Onites cunilæ species 92.a
Onirocritarum commenta à quibus sumpta 397.b
Onocrotalus 239.c.d
Operis laboriosi finis, ad fructum respicere debet 120.b
Opera laudabilia 518.d
Ophiomachus 340.c
Opis 109.b
Opis imploratio 35.b.345.c
Opis Deæ simulachrum quale 426.b
Opis Deæ simulachro serpentes appositi, quid 181.c.d
Opi sedendo rem sacram faciebant. 70.a
Oppiani locus 330.c
Oppida condere, inter ingentia facta recensebatur 616.b
Oppidis condendis quis mos 268.c
Opisthocomæ vocati Euboici 386.c.d
Opportunitatis captator 96.b
Oppugnatio manifesta 570. b. occulta ibid.
Optio 261.c
Opulentia 90.c.120.c
Opulentia felicitatis pars 660.b
Opulentus 162.a
Opus 422.a.b
Opus & labor 37.c
Opus inane 324.a
Oracula consulta ut medicina multifariam peteretur 264.c.d
Orta Sargius 512.b
Oratal & Alilat Arabum Dii 429.a
Oratio, vel eloquentia 736.b
Oratio ardens 408.c.d
Oratio ornata 758.a
Orationis profectus 508.d
Orationis firmitas 736.c
M. Oratius consul 614.d
Oratores vani notati 366.c.d
Oratoria ars mercenaria inanis est. 703.b
Oratoriæ partes tres 17.b
Orbis dominium 181.c
Orbis terrarum 75.a.489.a
Orbem in quot partes diviserint Astrologi 75.a
Orbitas 397.c
Ordinis observator 212.c.d
Ordines equestres Tarentini 49.c

Perditio per maris ſymbolum 481.a
Perditio rerum 286.c
Perditio 291. b doloſus & aſtutus 293.c.d
Perdicis impetens ſalacitas 292.d
Perdicis ſignificatio Theologis quæ 295.b
Perdicem virili genere appellandum putavit Marcellus 292.c
Perdices quæ nobiles, quæ ruſticæ 294.a
Perdicum plumulis in ſtratis uſus Heliogabalus 292.c.d
Perdicum dolus in fallendo venatore 294.c
Peregrinantes in Ægypto barbam & comam nutriebant 387.a.b
Peregrinatio 271.a
Peregrinus 130.a
Perennitas 542.b
Perfectio 444.c.486.c
Perfectum nihil in opere humano 353.c.d
Periander pueros nobiles caſtrandos juſſit, decretumque mox revocavit 357. d. qua arte ſibi principatum ſtabilierit 718.c
Pericles cur pileo uſus, & quare σχινοκέφαλος dictus 299. c. 539. d
Periclis ſtatuæ cur caſſide tectæ 539.d
Periclymenus 47.a
Periculi vitandi ſolertia 359.d
contra Pericula munitus 57.a
Perioculorum fuga 317.c
Periculis in evitandis aſtutia 293.d
Periculoſus 530.c.d
Pernicies 99.a.b.193.a.347.d
Pernices ſummota 318.a
Pernicitas equi mira 45.b
Perdendiculum 619.b
Perpetuitas 618.a
Perpetuitatem cur Ægyptii per Solem Lunam collocarunt 559.a
Perſephone 743.a
Perſæ 527. b. equum Soli ſacrificant. 56.b. homines aquilino naſo commendabant 228. d. per Lunam ſignificati 560.d
Perſæ milites cur vocati galli 279.b.c
quo pacto ducebant bovem ad ſacrificium 34.d 35.a. ſacrarunt aquilam ante Romanos 226. b. c. per Solem Deum unicũ putarunt 555.b
Perſarum mundities 164.c
de Perſis victoria 626.c
Perſeverantiſſimi mores 252.c
Perſeus 46.c. Pinnipes cur 47.a
Perſica militia 679.a.b
Perſicum pomum cordi mirifice conferre 680. b. Iſidi cur ſacra 680.b
unde translatum 679. c. 680.a. cordis ſymbolum 680.b
Perſici pomi efficacia 679.d
Perſpicua poma ſingula tricenis numis quandoque æſtimata 680.d
Perſii locus 207.b.213.c.342.b.c.411.d. 469.b.485.b
Perſuaſibilitas 698.a
Perſuaſio 554.c
Pertha canis & civitas Alexandri 68.a
Pertinacia 51.a.310.a
Pertinax ſacrificans, cor in extis bovis non invenit eo die quo occiſus 407.c.d
Perturbator 310.c
Pes in menſuris quis 448.a
Pes ſupra pedem poſitus, quid 436.d 437. a
Pes lævus ante porrectus, quid 435.b.c
Pedes ac horum hieroglyphica & ſignificata 431.d 433.a.b
Pedes in Deo quid 434.b
Pedes anguinei Gigantum, quid 435.b
Pedes per locuſtas indicati 341.a
Pedes recti & retorti 435.b
Peſcenii Nigri continentia 29.c
Peſcenii Nigri reſponſum militibus 704.c
Peſtilentia 131.a.527.b
Peſtilentia in mulieres gravidibus ſæviens Romæ quando 33.b
Petalum 514.d
Pera quid in ſacris 619.a
Petronii Arbitri locus 281.d
Petrus Alexander 325.c
Petrus Aliger 630.b.c
Petrus Melinus 38.a.309.d.387.b 504.b
Petrus Victorius 44.a
Petro piſcatore quibus in rebus opus 569.a.574.b.c
Petulantia 76.b.140.c
Petulantia domita 115.d
Petulantia pernicioſa 249.b
Petulantiæ finis 178.a
Petulantiæ frænum 30.b
Petulantiæ ſupplicium 159.a
Petulantes juniores 67.d
Phœaces à piſcibus olim abſtinebant 372.a
Phalangiæ parricidio infames 171.d
Phalantus ubi naufragiũ fecerit 326.c
à delphino ſervatus ibid.
Phalaris ſcomma in fratres de mutua perverſitate inter ſe contendentes 370.a.b
Phalaridis Taurus in mare projectus ab Agrigentinis 31.d
Phaleræ 58.c
Phallophori 648.a
Phanes 167.a
Pharao uſus conſilio Joſippi decumodo famẽ ab Ægypto depulit 348.c
Pharaonis cor indurare, quid 348.c
Pharetra 384.c
Pharſelitæ offerebant ſalſamenta Cylabræ heroi 316.d
Phiala 384.d
Phidias cur teſtudinem Veneris ſimulachro ſubjecerit 384.b
Phidia Victoriæ ſignum in Marathone cum phiala ſculpſit 577.b.c
Phidias viſo leonis ungue totam feri magnitudinem repræſentavit 445.a
Phigalenſium Cereri qualis 55.c
Philautia 77.b
Philemon lucubrationes ſuas ſolitus erat care dividere 410.a
Philemonis avaritia 601.b
Philippus quidam Hori & ſacerdotum Ægyptiorum lemmata in Græcam linguam vertit 322.a
Philippi Imp. numus 20.c
Philippi ſomnium poſt Olympix nuptias quale 31.c.d
Philocrati quænam objecerit Demoſthenes 370.c
Philomela in hirundinem mutata 270.c.d
Philonis laus 174.c
Philonis pharmacum, ἡσυχία 265.a
Philoſophia communicata 61.a
Philoſophia, politioresque literæ à Chriſtiano homine minime contemnenda 192.a.b
Philoſophiæ triplex partitio indicata in Abraham, Iſaac, & Jacob. 471.a
Philoſophi viri munus 61.b
Philoſophi cœno involuti qui 366.c
Philoſtrati locus emaculatus 23.a
Philotis ancillæ memorabile facinus 657. d
Philoxenus gruis gulã optabat 405.a
Phiſon Hebræis, quid 254.d
Phialii cur ahenam cæpram inaurarunt 112.c
Phocæ coriũ fulmine nonicitur 550.a
Phoca 150.d. ſomniculoſa 258.a
Phocion orationum Demoſth. ſecuris 537.d
Phocylidæ carmen reſtitutum 369.c.d
Phœbe maſculino genere 539.c
Phœbus Grypheneus 279.a
Phœbus inventum medicina 549.d 558.a
Phœnix avis Phœnix

Phœnix Orientales habitat solitudines ibid. unicus est ib.
Phœnicis mors & origo ib.b
Phœnices ad cuculi cantum messem faciebant 304.b
Phœnices inter homines qui dicuntur 239.c.d
Phœnices plantas divinis honoribus coluerunt 516.b
Phœnices cur Deos cũ loculis & crumenis finxerint 524.b
Phœnices duos aliquando visos qua ratione dictum 238.b.c
à Phœnicib. honor habitus bovi 37.a
Pholis piscis 362.a
Phormis Menalii equi quales 53.b
Phosphorus 13.b.565.b
Phratoris lepidum responsum 696.d
Phryges imbelles notantur 289.a.b
Phthia in columbam mutata 262.c.d
Phthirfasis 121.a
Physiognomica indicia in facie humana 71.b
Phytalus Cereris hospes 673.b
Pica buccinatorũ cantũ imitata 277.a
Pica cur Baccho dedicetur ib.
Pica & hujus docilitas 276.a
Picturæ in Palladis templo confideratio 368.b
Pierius libellum de Fulminibus scripsit 554.b.c pro sacerdotum barbis declamationem conscripsit 388.d
Pierius quonam astu circumventus à Rolandino Virdunensi. 183.a. sacrarum literarum studiosissimus 215.c
Pierii nomen ex Petro Sabellicus authori primus imposuit 215.c
Pierii Græcũ epigramma, alteri Græco respondens 665.b. epigramma de Petri Melini nomine 319.a.b epigramma de virtute per labores acquirenda 631. c. d. epigramma in Framarianum 198.b. epigramma in Simiæ improbitatem 77.a Nenia in Alexandrum & Hippolytum Mediceos 566.a. opusculum de satione croci 647.b. præceptores qui 576.b. protestatio de hoc colligendo hieroglyphico argumento 338.b.c. studium in hisce Commentarius 29.b
Pierio Commentarius de Scarabeo quomodo surreptus 95.c
Pierius pater Musarum septem 596.c 598.b
Pietas 41.b 90.a.204.c.581.c.d
Pietas & amor in filios 623.c
Pietas impietati præferenda 349.d
Pietas in elephante 41.b
Pietatis nostræ stabilitas 618.d.697.a
Pileus 497.b
Pileus libertatis signum ibid.d
Pilei forma 499.b
ad Pileum vocati servi, quid 498.b
Pilea quibus ex rebus consui solita apud Romanos 499.a
Pili veterum cogitationum indices. 385. c. d
Pimpinelus 375.c
Pimpleis Nympha 598.a
Pindarus cur multum aquilæ tribuerit 229.
Pindari dictum in stolide judicantes 77. b
Pindari laus 481.c
Pindari locus 84.b.308.a.331.c.477.a 481. c
Pinguedo 663.c
Pinna 339.a
Pinnæ in mœnibus 297.d
Pinus excisa semel numquam repullat 651.b
Pinus Isthmiaci certaminis præmium 625.c. mortis indicium 651.c. naturæ imago 652.b
Pinum pro abolitione, supremoque excidio ib.
Piorum cœtus 558.a.669.a
Piscatorii ludi, ubi & quo tempore celebrati 373.d
Piscis ganeæ symbolum 371. a. natura vorax est. 366.a. nequam nisi recens ibid.a
Pisce non vescuntur Judæi nisi pinnato & squamoso ibid.b
Pisce taciturnior, proverb. 367.c
Pisces ad jejuniorum consolationem indulti 373.a.b
Pisces vocales qui & ubi ib.d
Pisces argenteos in templa Facelitidis detulerunt Syrii 374.c
Pisces mansuetos fert Chalos amnis 374.c
Piscibus cur abstinendum dixerit Pythagoras 373. d. cur abstinuerunt Assyrii 374. c. opipare instructa lautiora Romanorum convivia. 375. b. vesci solis sacerdotibus licuit apud Ægyptios 373.d.394.a
Piscibus orientibus geniti dicacissimi sunt 368.a
Pistaciorum maris & fœminæ amor. 634. a
Pittacus quomodo Phrynonem vicerit 574.c.d
Pithecusæ insulæ 376.c
Plagæ sllagris inflictæ Asiniatæ vocatæ 140.a
Planetæ Fatorum ministri 601.a
Plani pisces sacri Plinio 359.a
Plantæ ratione loci magis minusve pollent 53.c
Plantarum gignendi promiscua virtus 743.a
Plantatio fructiferarũ arborum quid significet in divinis literis 678.a
Platani solium arcet noctuas 205.d
Platani folio Ciconiæ arcent nouas à nido suo 92.b
Platani folia arcent vespertiliones 300.d
Platea avis & platalea 239.d
Plato cur equo conscenso statim desierit 54.c
Plato senex scribendo moritur 273.c
Platonis locus 734.c.752.c.d.753.a
Platonis Axiochi locus castigatus 174. c.d.178.a.254.a.359.a
Platonis epitaphium 133. b. equus 51. b. ideas cur tererismata vocarit Aristoteles 312.c.d. institutum in eligendo Academiæ loco improbatur 296. d. regna duo quæ 548. b 550. b
Platoni puero apes in labellis consederunt 311.d
Plausus 424.c.533.b
Plauti locus 108.a.126.d.134.b.158.d 269.b.301.d 302.a.585.b.727.b
Plebicula 501.a
Plenilunium 742.a
Plegyę filiam compressit Apollo. 59.c
Pleni lunii vis in cõchyliis quæ 339.c
Plethrum 450.a
Plinii locus 15.c.85.a.188.c.270.b. 307.b 319.b.328.a.624.d.739.d
Plotes 359.d
Plumbum 616. c. plumbei homines, plumbeumque ingenium ibid.
Plurimi, per quinquagenarium numerum 465.b
Plutarchus antiquitatis indagor curiosissimus 155. b. c. d. author fide dignus 64.a. Romanorum historiarum hostis 227.c
Plutarchi locus considerandus 258.b 294.a.539.c.d
Pluti oculos cur angues duo dicantur lambere 182.c.d
Pluto 106.c.732.b
Pluto Adamus cur 519.d
Pluto Græcis qui Ægyptius Serapis 379. a
Pluto puer pacẽ in ulnis gestat 666.d
Plutonis caput galea tectum 539.b
Plutonis cor ab Herculea sagitta vulneratum qui 526.a

Plutonem

Platonem cur Solem interpretentur nonnulli 539.b
Pluvia per araneum 324.c
Pluviæ indicium per corvi frequentiores crocitatus 282.b
Pluviæ vocabulo quæ signentur 477. a. b. c
Pocula 703.a
Podagrosus 39 b
Poderes 505.c
Poematis genus circulus 487.a
Pœnitentia 410.c
Pœnitere 526.a
Poesis 333.b. cur polypo similis ibid.c
Poeta 645.c
Poeta cygni symbolo 273.b.c
Poetæ encomium 355. a nomine Deus colitur ibid.c. symbolum per ranam ib.
Pontæ gloriæ studio trahuntur 274. b.c. mali qui 366. c.d. qui laudandi, quive improbandi ibid a
Poetarum coronæ quibus contextæ. 645.c
Poetis cur hederaceæ coronæ attributæ 646.c
Poetis sola gloria, & victuri nominis cupiditas insita 636,c
Poetas immerito taxat Origenes 355.a
Poetas lacte simul & melle pasci, quomodo intelligendum 645.d
Poetica vis 636.c
Poeticæ amœnitas 312.a
Polemon quo pacto solœcismum inepti actoris manu factum reprehenderit 432 b.c
Pollex sublatus quid 440. b. versus, quid ibid.c
Pollicis etymon ibid.d
Pollices cur sponte sibi nonnulla amputaverint 441.a
Pollices inter se vinciendi mos in societate constituenda 439.d
Pollulæ 711.a
Pollutus morte locus 650.a
Polluti in tabernaculum non admittebantur apud Mosen 473.d
Polygnoti opus 144.c
Polymnia 598.b
Polyphranes ab Alexandro interemptus 529.b.c
Polypus multa devorat 330.a
Polypus atramentum in aquas effundit 341. c.d. aversatur dulcia 333.d 534. a. colorem mutat 331. b. c. cur pacum vivat 334. a. cur poetices symbolum 333.b cur Veneri adsculpebatur 334.b famis impatiens 330.b.c
Polypus ingenti magnitudine Puteolis repertus 334.c. patricidio notatus 173. d. salaci limus 333.c
Polypi caput horrenda somnia parit 333.b.c. caro qualis 331.b
Polypi & congri certamen 331.a
Polypi similem dialecticam dixit Carneades 330.c.d
Polypo super in diversa abeunt Plinius & Plutarchus ibid.c.d
Polypi cur formidolosi 331.a
Polis vocatus Sol 239.b
Cn. Pompejus mollitiei signo notatus 439.c
Pompeji Magni currum quando subierint elephanti 20.b
Pompejo cur objectum, quod regiæ majestatis affectaret insignia 413.c
Pompilus 358 d
Pomponiæ Scipionis Africani matri draco circumfusus 383.d
Pomponii Lætilaus 274.a
Pomum pro bove Herculi oblatum 677. c
Pomum veneri dedicatum 678.d
Pomorum hieroglyphicum 675.a.b
Poma in armum legere, quid 524.c
Ponderum & mensurarum ratio cur incerta 444.b.c. 450.b.c
Ponere pedem 433.b
Pontanus omniū ingenia fovit 274.a
Pontanus senex scripsit Uraniam & Meteora 273.b
Pontani laus 585.d
Pontifex 536.c.d
Pontificis Hebræorum gestamen pectoris quod, qualeve 520.b
Pontus cur polypos non habet 333.d
Papa 37 c
Populus arbor ab antiquis venerata 562.d
Populus temporis symbolum 563.a
Herculi dicata ibid.
Populus Judaicus asino assimulatus 141.a
Populus lege coercitus 728.a
Populus regi suo obsequens 310.d
Populositatis symbolum 681.a.b
Porca sulcus 107.c.d
Lavinii 105.b
Porcare 107.d
Porcus 98.b. & seq. animal profanum 149.c.d. Cereri mactabatur 108.b.c
Porcus fœminino genere 107.d
Porci cultus 107.a
Porci grunnitu audito fugit elephas 21. c
Porcum immolabant insania laborantes 105.a
Porcum tangere non licebat Flaminī Diali 102.a
Porci à Megarensibus in Antipurri extremitatibus immissi 99.d
Porci quonam astu Patavii abigebantur 162.a
Porcos in pugnam instruebant Spartaci 102.c
Porositates exhalabiles insunt rebus omnibus 312.b
Porta cornea 384. d, eburnea ibid.
Portæ inferorum adamantinæ 519.c.d
Portenta & auspicia felicia per aquilam 227.a
Portentosi partus qui habēdi sint ib.c
Porticus Perlica Lacedæmone 627.b
Portunus 326.b.626.d
Positum 629.b
Possessio 573.a
Posteriora in divinis quid significent 266.a
Potentia pernitiosa 231.a
Potentia quo pacto evadit amabilis. 268. b
Potentiæ comes metus 22.b
Potentiæ excelsioris hieroglyphicum 638.c
Potentioris ditionem redacti 336.a
Potestas Dei triplex 745.d
Potestas inferior 711.b
Præcipientia 502.a,b
Præco deorum Mercurius 402.a
Præconi tradebatur lingua in sacris dissecta ibid.b
Præcox præfectus 295.a
D. Præcursoris caput 611. a.b. victus quis 340.c
Præ fame moriens 312.c
Præfectus militium 284.c
Prægnantia 557.c
Prægnantiæ dissimulatrix 144.a
Prægnantium incrementum 655.c
Præfagitura 219.d
Præfagium 160.a
Præsentialis magister militū quis 45.
Præstantia 395.c
Præstare & excellere, exundationis vocabula 239.b.c
Præcexta Romanorum insigne 205.c 206.a
Prætextatæ fabulæ 584
Præsiniani & Præsina factio 584
Pravitas edomita 80.c. innocua 155.a
Pravarum cognitionū excussio 610.a
Pravitatem aliorum, bonorum opprimendam 613.c.d
Preces 432.b
Primus ad statuam Jovis in subdiali ara confugit 396.a.b
Priapus

Priapus 417.b
Priapi simulachra in hortis quid ib.b
Primogenita sacrificari præceptum, homine & asino exceptis 146.d
Princeps 62. b. imbecillus 138.b. sibi tantum studens 232.b
Principis æqualitas ad populorū animos conciliādos mire efficax 268.b
Principes ex quibus sacra faciebant pro expiandis delictis 21.b
Principum sceptri cujusdam descriptio 349.d
Principatus 643.b
ad Principatum ineptus quis sit 50.a
Principatuum cura circa quæ sit 563.c
Principatū ad quem referendū 485.a
Principium anni cur aries 124.b.c
Principium & finis 600.c
Principium egregium cito destitutum 142.a
Principium per ventris symbolum. 439.c
Principii symbolum per caput 377.b
Principia occulta 539.b
Principiis obsistendum 157.d
Probi viri quietus animus 305.a.b
Probi viri à potentioribus ignominiose accipiuntur 118.b
Probi liber de notis antiquis parum castigatus, & cur 460.a
Procellæ 481.c
Procidere 437.b
Procli sententia de gallis & Angelis solaribus 8.d
Proclivus ad vitia 437.b
Procne in luscīniam mutata 270.d
Procrastinationis damna 97.b
Procreationis partes quatenus à viro &fœmina 363.c
Procuratoribus pro spongiis utebatur Vespasianus 364.a
Procus vetulipeta 123.a
Prodigus 385.b
Prodigii quid ad Polydorii tumulum Æneæ se obtulit, interpretatio 639.c.d
Profanus 54.b.101.d
Profanus per anguillam 352.d
Profectionis olim ceremoniæ 671.d
Profectus cum ætate 136.d
Profugium 612.c
Profugus 46.d
Progenies antiqua 707.b
Progrediens longo post tempore, 335.c
Progressio 671.d
Progressus vitæ 451.b.c
Proles mascula, & proles fœminea. 31.b
Proles numerosa 397.b.c
Prometheus 734.d
Prometheus quibus legibus à vinculis liberatus 443.c
Promethei cor à vulture arrosum, quid 221.b.c. cor arrosum ab aquila 234.a
Promptuariū cœleste rerum omnium 437.a
Promuscis elephantis 18,d
Pronubus digitus & anulus 443.b
Properantia 129.c
Prophanum 366.a
Propheta 58.a
Propheta cani assimilatus ib.
Propheta Hebræis cur dicatur Videns 471.a
Prophetæ 439.a.478.c
Prophet.apis nomine appellati 314.d
Prophetæ Videntes appellantur 581.a
Prophetæ quinam olim vocati 58.c
Prophetæ & doctores 288.c
Prophetarū munus 45. oracula 314.d
Propitiatorium qua longitudine fieri demandatum 457.a
Propertii locus 348.b.357.b.360.c 500.c
Proselenes cur vocati Arcades 560.d
Proserpina 109.b.539.b.743.a
Proserpina & Serapis magnorum dæmonum principes 379.a
Proserpinæ canes mactabantur 66.d
Prosper Publicola Sanctutius 70.a
Prosper Sancta crucius 125.a
Prosperitas 131.b.562.b.226.c.d
Prosperitas firma 628.c.d
Prosperitas rerum per aquilam 247.a
Prosperitas vitæ 247.a
Protheus cur in varios se mutare vultus fingatur 515.c
Protogenis pictoris continētia 709.d
Proventus 416.a.430.b.694.a
Providentia 89.b.c.d.137.d.614.b
Providentia divina 380.b.c
Provinciæ princeps 182.a
Provinciarum subjugatio 20.c
Prudentia 191.c.d 199.a.232.a. cur per morum arborem 656. a. per Gangem fluvium 254. c. per Jani bicipitium 382.a
Prudens captivitatis declinator 360.a
Prudentii locus 739.c
Pruina in sacris, quid 479.a
Prunulus Pierii præceptor 576.b
Prusiæ stratagema in prælio navali 185.a
Psalmi circulares qui 487.a
Psammetichus 116.c
Psaphon Libycus qua ratione divinos honores assecutus 276.c
psittacus 276.b
psittacus cur humanam vocem propius referat 276.c
pteropholi qui Plutarcho 258.b
ptoemphanes canem vivum pro rege elegerunt 62.c
Prolemæus Alexandro cur magnam pecuniam miserit 5.a
Ptolemæi Lagi beneficio Biblia conversa in linguam Græcam à LXX. viris 218.b
Ptolemæi Lagi superstitio 379.a
Ptolemæus quidam cur βασιλεὺς vocatus 552.d
Ptolemæo Ægypti regi quæ dona missa à Romanis 546.a
publia Corn Aunia se vivam ultrò in arcam cum viro damnavit 259.a
pudenda 413.a
pudicitia 501.c.689.b
pudicitia quare velata facie pingebatur 267.b.c. columbis prima & peculiaris 260. d. in quibus consistat. 501.c.d. turturis symbolum judicata 267.b
pudor 506.a.b.616.c
pudoris cura apud Ægyptios maxima 336.c
pudoris simulachrum cur & ubi ab scario erectum 501.c
puellæ ab Athenienſibus ursæ appellatæ 137.c
puellæ innuptæ domi clausæ custodiebantur ib.
puellarum quam matronarum ornatus olim sumptuosior 628.a.b
puellas Darii captivas magna integritate servavit Alexander 416.c
puellaris ætas 137.c
puellares ineptiæ 677.a
pueri recens nati cor duas ponderat drachmas 209.c
puerorum senumq; vita qualis 698.b
pueritia 461.c.d
puerperium 507.b
pugilum juramentum quale 108.b
pugiones 540.a
pugna anceps 538.d
pugnæ initium 533.a
pugnacitas 44.d.288.d.318.a
pulchra incepta turpiter cedēria 341.c
pulchritudo 689.a
pulchritudo sine fruge 651.b
pulicaris 725.b.c.
pulicum defectus 383.c
pulicum significatio mystica ib.
pullaria arca vel cavea in castris 540. a.b.c

Pullus color lugubris 260.d
Pullus gallinaceus [excluſus in manu Liviæ 287.d
Pulli columbarũ quibus conveniant 262.d
Pulvis in ollam injectus ab elephanto cur 21.a
Pulpa 758.c
Puniceis pennis terretur cervus 81.c
Punici mali ſymbolum 681.a
Punica mala tam magna quam parva, granorum numero non diſſident. ibid. c
Punicorum ferocitatem myrtus juxta ſola plurimum juvat 681.d
Purgamentum 637.c
Purificatio 366.d
Purificator 413 c.d
Puritas 508.b.585.a
Puritas animi per gallum 287.d
Puritas maritalis 586.c
Puritatẽ adamarunt Ægyptii 370.b.c
Purpura 343.a
Purpura vorax 343.a
Purpuræ linguæ acuta & valida ib.a
Purpuræ quomodo capiantur ib.a.b
Purpureæ anima quomodo intelligendum ibid.b.c
Purpureum & purpurascere ibid.c
Purpureus color pudoris indicium 506.b
Puteal 590.d
Putei, & puteorum foſſuræ 481.d
Pygmæorum ſtatura 447.b.c
Pygon 448.a
Pylos quomodo capta 47.a
Pylo cur bellum intulerit Hercules ibid.
Pyralis ac pyrauſta 196.c
Pyramis 754.a
Pyramidis baſis 493.a.494.d
Pyramides in Ægypto à quo ædificatæ 493.a b
Pyrrhus Aquilæ cognomento gaudebat 228.d
Pyrrhi haſtæ inſidens noctua 244.b
interitus quis ibid c. in tabernaculo hirundo nidum poſuit 271.b
modeſtia in uſurpãda gloria 228.d
Pyrrhi cujusdam hæreſis 330.b
Pyrrhæ boves in Epiro 29.b
Pythagoras cur mare vocaverit Saturni lachrymas 368 a
Pythagoras jubet adoraturos ſedere 71.b. Tyrrhenus fugit 510. b. Ægyptios adiit ibid.c
Pythagoræ præceptum de anulo arcto non geſtando 443. c. de animalib. curvos ungues habentibus 5.d
Pythagorici plurimũ melle uſi 313.a.b
Phythicum ſtadium 450.a
Pythones 193.a
Pythones dæmones & ſerpentes conſulendos prohibuit Deus 177.c ib.

Q.

Q Literam veteres olim excluſerunt 546.c.d
Quadragenarium numerũ in flagris & plagis excedere, ignominioſum apud Hebræos 464.a.b
Quadraginta ib.b
Quadrans Raticus 569.a
Quadrantalia deorum ſepulchra apud Arcades 491.d
Quadrantaria fœmina 492.c.d
Quadratum 491.a
Quadratus vir 491.d.492.a
Quadriennium 484.a
Quadrifrons 384.d
Quadrifrons cur aliquãdo Janus ib.b
Quadrigarũ agitatorib. abſynthium propinatum 720.c
Quadrigas Soli conſecratas Rhodii quotannis in mare abjiciunt 56.d
Quadrigati numi 758.c
Quadringenta 458.c
Quadrupedis Moſaici vitia 51.c
Qualitas unius cujusq; rei tribus plurimum propoſitionibus comprehenditur 431.a
Quatranas ſanat clupeæ lapis 362.b
Quatrodecimani 237.a
Quaterna millia 464.d
Quat Hebræis, quid 239.d
Quatuor 457.d
Quatuor anni qualitates 384.d
Quatuor Dii præſides homini naſcenti qui 187.c.d
Quercus fortitudinis ac diuturnitatis ſymbolum 641.c
Quercus juxta nucem in glandem ſata emoritur 231.c
Quercus oleæ inimica 643.d
Quercus principatum oſtendit ib.b
Quercus unde dicta 641.b
Querna corona quare data ib.
Quercus & oleæ odium 659.c
Quies 71.a
Quies à laboribus 39.b.c
Quietã columbam quid Græci 264.a
Quinarius & quaternarius numerus 757.c
Quingenta 458.c.598.b
Quinquagenarius numerus multitudinem denotat 200.b
Quinquaginta 465.b
Quinque 458.a
Quintæ legionis ſignis adpingebatur elephanti, & cur 10.b
T. Quintii feſtivum dictum 337.c
Quintiliani locus emaculatus 440.a
Quintiliani locus expenditur 494.d 739.b
Quintiliani ſententia de oratoriſtu 431.a
Quintilii de agricultura ſcripſerunt 372.c
Quinti Cæcilii Metelli dictum celebre 40.a
Quintus Fabius Eburnus Jovis pollex 292.c
Quirinalis 543.b.c

R.

R Abidi canis virtus 65.c
Rabioſi canis urina calcata nocet ibid.
Rabies in cane à ſplene eſt ib.
Rabies in homine quando cognita ibid.d
Racemorum magnitudo incredibilis 669.a
Radices hyſſopi ſaxa penetrant 311.a
Radius 507.b
Radii ſolares 515.b
Raja 361. c. ejusdem machinamentorum ibid.d
Rana. 352.c. cum grillo 355. a. Mecœnatis 355. b.c. prædita eſt verecundia 354. a. ſanguinem non niſi in oculis habet 374.a
Ranæ dare aquam proverb. 353.d
Ranæ ubinam obmutescant ibid.c
Ranas obſtrepentes ſilere juſſit Auguſtus ibid.c
Rapacitas 213.c.d
Raphael 549.a.b
Rapina 353.c
Raptor 117.a
Rapum, Solis hieroglyphicum 716.a
Ratio 591.a
Ratio & cupiditas 51.a
Rationis modus brevis 495.c
Rationis cum appetitu pugna 734.a
Ratiocinatio 113.c
Rationale ornamentum Pont. quale 522.b.c
Receptus tutus 128.a.b
Recordationis hieroglyphicum 400.a 629.b.c
Rectus tenor 464.c
Redactus in potentioris ditionẽ 381.a
Redemptio 251.a
Reditus in viam 503.a
Refibulare 91.c
Reflandum non eſt in ventum 571.c
Refugium

Regimen 573.b.c
Reginaldi Poli Card. laus 658.a
Regnum 518.b
Regni solicitudo 231.a. symbolum per apes 311.b.c
Regressus 435.c
Remedium 435.d. 638.b
Remedium in febrem nactus 7.c
Remedia contra scorpiones 195.c
Remeligo 358.a
Remittere manus 425.b
Remissio 465.c
Remora 142.b
Renes à Venere reguntur 402.a. in Veneris sunt potestate 411.c. d. unde dicti ibid.d
Repandi rostrum animal delphinus 326.c.d
Reptatus serpentū quid mystice 175.a
Reptile 167.b
Repugnantia rerum 147.d
Repulsa ignominiosa 281.a
de Repulsa pudor 84.a
Requies, ignaviaque 435.d
Res gesta cominus 320.c
Rei domesticæ studiosus 361.c
Reipub. negotia alacri animo suscipienda 311.a.b
Rerum divinarum cognitio unde petenda 753.a
Rerum omnium gerendarum summa quibus rebus constet 380. c. progressus per calceum 509.a. prosperitas per aquilam indicata 226.c.d vicissitudo 604.a.b
Rerum mutatio 744.b.c
Rerum natura 753.a
Resina Citria 759.b
Respiscens 556.b
Respiscentia 410.a. 694.c
Respiscentia per hirundinem 271.b
Respisoentiæ symbolum ib.a
Restitutor 428.c
Retia & retium hieroglyphica 574.b
Reverentia in matres 151.b.c
Rex 606.c. per apis symbolum 310.d per elephantum designatus 19. c. d optimus 181.a.b. potens imbecillioris artificio peritus 26.c. tutelaris 181.b. vilium affectator 21.a
Regis inter apes munus 310.c.d
Regis pii & misericordis symbolum 230.a
Regi suo obsequens populus 310.c
Reges fulminare dicuntur 351.a. pro Diis habiti à multis nationibus. 552. a. b
Regum aures innumeræ 140.c
Regibus etiam mortis imperandæ jus per internuntium sacerdotibus Memphiticis erat 244.c
Regia claritas 515.a
Regia potestas 513.c
Regium augurium 11.b
Rhadamantibus truculentos ursis ingenere solitus 138.a
Rhamnus in sacris, quid 685.d
Rhea dea cur ab Assyriis colebatur 374. c. cum Saturno rem clam habuit 215.c
Rheginorum moneta quæ 156.b.c
Rhemmii Palæmonis arrogantia 98.b
Rhetor Corax 281.b.c
Rhinoceros 26. a. ejusdem cum elephanto pugna ibid.b
Rhinocerontis effigies missa Leoni X. ab Emanuele Lusitanorum rege 27. a
Rhodia 598.a
Rhodii quadrigas Soli consecratas quotannis in mare jaciunt 56.d
Rhodos insula pugnacissimos habuit gallos 289.a.b
Rhombus 607.a
Risus 66.a
Risus levitatis signum ibid.b
Rivalitas 122.c
Robur 2.b.c 376.c
Robur per pollices significatū 440.d
ex Robore nati qui dicti 643.b
Robustus 26.d
Robustus & robur unde dicta 642.c
Rodere 404.d
Rodolphus Habsburgi comes 216.c
Rolandini Galli Verdunensis impostura 282.c
Roma capta à Genserico 216.a. domita ab Odoacro ibid. b. quadrata 492.d. vetus 492.d
Roma per mulieris caput 381.b
Romæ antiquum nomen Cephalon fuit ibid.
Romæ caput galeatum 539.c
Romæ nomē publicari vetitum 381.b
Romanæ virgines nutriebant diligentissime Vestalem ignem 580.b
Romanus per togam 500.b
Rom. Coss. 537.d
Romani cur equum mactare soliti 56. b. originem suam ad Martem referre student 381.b. quando cœperint esse superiores etiam equis. 49. b
Romanorum numisma 760.a
Romanorum mos in sacrificiis 42.a
Romanum imperium quot annos duraverit 216.a
Romani imperii mutationes tres ib.c
Romulus & Remus cur Martis filii dicti 131.b
Romulus ubi educatus 493.b
Romulus Amasæus 83.a.365.c.471.b
Roris vocabulo quæ signentur 477.c
Rosa humanæ imbecillitatis hieroglyphicum 683.c
Rosa sine spinis considerata venustatis amoris & gratiæ signum est 686. a. b
Rosa spinis septa, humanæ vitæ speculum 685.a
Rosæ afflatum quomodo descripserit Virgilius 687.c.d
Rosæ odor scarabeum enecat ibid.d
Rosam quanti fecerint Indorum Magi ibid.a
Rosæ in sepulchrorum ornatum adhibitæ 684.a
Rosæ quomodo fragantiores fiant id.
Rosarū halitum multi oderunt 96.a
Rosas loqui, proverb. 686.c
Rosaceum Homero cognitum 687.c
Roscii histrionis claritas 183.c
Rota & rotæ deorum 490.a
Rotæ humanæ & inferorum ibid. a.b
Rota currulis quot constet aspidibus 376.c
Rotunda templa cur veteres Diis dedicarunt 623.c
Ruab. 747.b
Rubecula avis, vel sylvia 308.d. 309.a
Rubera rana quæ 315.b.c
Rubi symbolum 685.c.b
Rubicunda vestis 504.c.d
Rufus Prætorius cur scazonte prosciissus 207.a
Rugitus leonis animantibus formidabilis 4.b.c
Ruminatio 86.b 87.a. 100.d
Ruminatio in sacris, quid 86.a
Ruminantia animalia, carent altera dentium parte 360.b
Rusticitas per ranam 355.c.d
Ruta continentioris vitæ hieroglyphicum 714.a.b
Rura si juxta sicum seratur, mitior evadit 670.c
Rutam cur exhorrescant serpentes 714. a. b

S.

S Pro H. nonnumquam apud antiquos ponebatur 440.d
S. quid Romanis, & cur triclinüis & dixtariis forib. superponatur 442.a
Sabaci Ægyptiorum regis successus. 39.c

Sabech 122.c
Sabellicus 274.a
Sabellicus aliquando noctu vidit 393. d. ab Urbano didicit Græcas literas ibid. Pierii præceptor 214.c
Saccium 504.a
Sacer piscis quis Homero 358.c
Sacer scriba Ægyptiis cur 471.a
Sacerdos 72.b.414.c
Sacerdotis boni munus 57.c
Sacerdotis negligentia, error maximus 58.b.c
Sacerdoti Ægyptio non licebat equo vehi 44.b.c
Sacerdotes Ægyptii 503.d
Sacerdotes assentatores & aulici magna in orbem importantes mala 252. c. Arvorum 694. d mali taxantur 367.b.c
Sacerdotes tantum circumcisi erant apud Ægyptios 72. a. Memphitici supra Reges erant 244.c
Sacerdotũ Ægyptiorũ eruditio 166.d
Saccrdotum amictus qualis 508.a
Sacerdotibus idumenta ex lino cur imperata 708.a
Sacerdotib. licuit piscibus vesci apud Ægyptios 371.d
Sacerdotes quales esse oporteat 385.c
Sacerdotium 707.d.710.c
Sacerdotium summum 510.d
Saccrdotii sacro sancti symbolũ 172.b
Sacoma corona qua ratione deprenderit Archimedes 281.b.c
Sacrarum rerum cognitio 753.a
Sacramentum 108.b
Sacrificium 108.a
Sacrificia in lustratione quæ ibid.c
Sacrificiorum ritus quo tempore instituti 621.c.d.622.a
Sacrificandi homines immanem morem quis sustulerit 580.b
Sacrificantes primi, herbas & flores non animalia adhibuerunt 707.b.c
Sacrificatio quibus licitum vesci 531.a
Sacratum literarum professor 57.c
Sacrorum initia 17. c. arcanæ 419.b. c temporis 595.c
Sacris initiatus 312.a
Sævitia occulta 296.d
in Sai picturæ consideratio 368.a.b
Sagacitas 398.d
Sagacitas & sagire 66.a
Sagacitas juvenilis senili experientiæ præposita 249.a.b
Sagitta Herculea vulneratũ cor Plutonis, quid 526.a
Sagittæ 525.a.b
Sagittarum symbolum 710.d
Sagittarii Nervii 386.d
Sagittarii seniores Orientales 50.b
Sagittarii Venatores 258.a
Sagum 500.d
Sagunenses milites 195.a
Sal & mare cur aversabantur Ægyptii 270.b.c
Sal cur hospitibus ante alios cibos apponitur 374.d. in mensa everte-re, cur ominosum ibid.
Sal, quo passim utitur Germania, unde colligatur 369.a
Salis significatio in divinis quæ 370.d
Salacitas 105.a.per crocodilum 348.a
Salacitas prolifica 249.a
Salacitatis nomen, quid 371.b
Salamandra. 195. d. & seq. an ignem extinguat 196.a.b
Salamandra impune vescũtur sues ib.
Salii 130.c.534.d
Saliorum ornatus quis 534.d
Saligna falx cur Priapo attributa 645.b
Salix 654.b.759.a
Salix an fructum ferat 655.b
Salix castitatis indicium 654.d
Salix vinculorum symbolum ibid.c
Salicis etymon 654.c.d.655.a
Salicis semen in vino potum sterilitatem inducit 655.b
Salicem cur ἀλεξίκακον vocarit Homerus 655.a
Saliva jejuni hominis serpentibus lethalis 178.a
Salmonei insana arrogantia 551.a
Salomon Trecensis 427.a
Saltatio per turturis symbolum 267.d
Salubritas 264.b.c.123.a.269.c
Salubritas per gallinæ symbolum 287.a.b
Salubritatis indicium 717.b
Salus 191.c.357.d.531.a.569.a
Salus per capitis signum 379.b.c
Salus avis asino inimica cur 306.a
Salutatio 427.d
Salutatorius digitus 441.b
Samnitium armatura 297.d
Samphoræ equi 534.d
Samsonis robur in capillis 747.d
Samsonis coma 388.a
Samsonis quæstio Palæstinis proposita 314.c
Samuelis anima an per incantationes evocata 177.c
Sandrocottus Indus 11.c.19.c
Sanguis animæ vehiculum nonnullis 255.c. d. à Marte regitur 402.a
antiquitus pro vino positus 668.c
Sanguis cur libaminibus, quæ pro animæ fiebant, apponebatur 395.d
Sanguine placare Deos improbatur Ægyptiis 621.a
Sanguinarius 362.a
Sanitas 704.c
Sapientia 591.a. cur in quadrum lapi. de constituta 718.b.c
Sapientia. 531. b.c.701.c per animum symbolum 398. b. c. per noctuam symbolum 241. d. homini ingenita 718.a
Sapientiæ arma firma & stabilia 540. a. vis 537.d
Sapientiæ perfectæ vir 471.c
Sapientiæ vanæ studium 242.d
Sapor quomodo exploretur 404.a.b
Saporem ubi collocet Aristoteles ib.b
Sapor rex quid Constantino Imperat. suadere conatus sit 159.a
Saporis Regis gestamen quod 124.a
Sapphirus 530.d
Sardanapali incuria 152.b
Sargus 360.d
Sarmatæ 56.c
Sartago 400.a
Saturnus 62. b. falce Cœli pudenda abscidit 415.a. 548. b. filios devorans, quid 167.a. in equum versus, quid 451.c. laneo vinculo ligatus. 610.c.d
Saturni beneficia 381. a. etymon 610.
d. regnum quale Platoni 548.b
Saturno decumani homines sacrificati 530.a
Saturno quæ gentes sacrificabant 710.
venes & proprios filios 110.a
Saturnalia 578.c.d
Satyrum capiens Midas, quid 181.c
Satyri quibus in locis 113.d
Sauromatæ equos alunt ad sacra & cibum 56.c
Saxum in quo Herculis effigies colebant Thraces 617.d
SBO quid Ægyptiis 449.d
Scabellum 545.a.553.b
Scalenus figura quæ 493.b
Scaphos olus 231.b.c
Scarabeus 92.d
Scarabeus in aquis primum in lucem perdit 93 b. rosæ odore necatur 657 d. signum Romanorũ militum 95.a
Scarus 360. a. Jovis cerebrum Ennio ib.b. quomodo captivitatem declinat ib. Solus piscium ruminat ib.
Scaurobates in Semiramin invectus 563 b
Scelus 531.a
Scenopegia Judæorum in Bacchi celebritatem fiebant 549.a.b
Sceptrum

Sceptrum 518. a. Augusti manibus fulmine excussum quid indicarit 643.b.ex querno trunco quid significet 642.d. regium 505.b
Sceptri cujusdam descriptio 349. d 393.b.d
Sceptra regia ciconiæ capitibus insignita 204.b.c. schœnus 450.d
Scillæ cõactu convellitur lupus 158.c
Scineus vel scingus 348.a 519.a
Scipio 638.b
Scipio laureus quid significet 734.a
Scipio Africanus
Scipionis dictum de scuto & gladio 531.d. celebre dictum ad Antiochi legatos 47.b
Scomma in Pompejum 595.d
Scipionis numi argentei inscriptio 20.b
Scipionem laureũ gestare, quid 264.d
Scolopendra piscis 361.d
Scorili exemplum de seditione 63.a
Scorpius 194.b
Scorpii cauda quot habeat compages 195.c.559.d
Scorpii cœlestis vis 195.a.b
Scorpii & crocodili odium mutuum 194.c
Scorpio quænam corporis partes dedicatæ 195.a
à Scorpio ictus si super asinum sederit, transibis in illum dolor 146.d 147. d
Scorta unde dicta 421.a
Scortæ & ostracinæ pecuniæ 36.b.c
Scribonius Libo 590.d
Scriptorum sanctorũ lucubrationes quid præsidii attulerint nobis 550. a.b
Sculptura antiqua Æsculapii pro nova Rom. 700.b.c
Scutum Herculis, an Hesiodi Opus. 199.d
Scuta 531.a
Scuta hastis illisa, quid 533.a
Scutis continebãtur imagines 533.a.b
Scutis ligneis primum usi Argivi 531.a
Scytha Herculis filius 179.a
Scythæ ab Ægyptiis instituti 537.a
Scytharum juramentum maximum quod ibid. mos in ope imploranda 35.b
Sagittæ quo veneno infectæ 174.b
Sebastianus sagittis impetitus 527.c
Sebastianus Corradus, atque hujus Quæstura laudatur 406.b
Secespita 526.c.d
Secessus 343 c
Secundi Theodosiani 50.b
Securis 537.c
Securis & Lydorum & Romanorum gestamen ib d
Securim cur ream constituerint in judicio Athenienses 37.c
Securitas 397.d.544.a.616.d.676.d
Securitas otiosa 359.a.b
Securitas periculis libera 359 a
Securitas per gallinam & rutam 287.a
Securitas per vespertilionem 300.b
Securitatis symbolum in multis veteribus numis 359.b.c
Securitatis symbolum 719.d
Sedatus animus 593.a
Sedda olim quæ nunc sella 401.c
Sedechias in captivitatem abductus 235.a
Sedere 545.c
Sedes 543.a
Sedes firmiter statuta 235.a
Seditiosus 340.a
Segnities 337.a
Segregationes aquarum apud Mosen, quid 369.a.b
Selenotropium 726.a
Seleucus Antiochiam condidit 673. a. b. cur versus XII. ex Hesiodo sustulit 522. c. d. res composuit cum Scandocrotto 19.b
Seleuci genus & numi 573.a.b. & anulus ibid.c
Sella, vel sedes 543.a
Sella Curulis 546.a
Sella eburnea sedebant Consules cùm magistratum inibant ib.b
Semel tantum enixa 10.a
Semele 176.a
Semen in utero 610.c
Semen quando prolificum 461.b
Semen quid in sacris literis 686.a
Seminum virtus & generatio 743 a
Semicrinitum caput 387.a
Semicium triste leonum cur dixerit Lucretius 7.b
Semiramia procacitas 263 a
Semiramis cui nupserit 263. a effecit ut Persæ matrem filiarumque suarum conjugia non abhorreant ib. b. immoderatæ libidinis fuit ib. b
Σεμίραμις vocata ibid. b. ubi nata & educata ib.c.b
Semiramin sub specie columbæ colebant Assyrii ibid.b
Semita quid Theologis, quid via 490.c
Senecæ locus 220.a.506.b
Senectus 388.b.c
Senectus cur omnia desperet 648.b
Senectutis indicium ibid.
Senectus misera 387.b.c
Senes & seniores qui 461.a
Senex musicus 272.d
Senibus cur supercilia grandiora 397.a
Seniorum inter se certamen 204.a
Sensus 458.b.595.b. c. voluptate deceptus 176.c. maximæ brutus 99.b
Sensus velocior 738.b
Sensus & intellectus significatio 177.a
Sensum quinam admirati sint, quive aspernati 99.c
Sensus communes in corde 254.a
Sensus quinque per virgines prudentes & fatuas indicati 176.d.177.a
Sensuum expers 620.c.d
Sententia præpostera 436.a
Sentiendi vim à sole habent homines 559.a.b
Sentes in sacris, quid 685.c
Sepes 517.a
Sepia 341.c.469.b.c
atramentum in aquas evomit 341.c
Sepia melanuros 342.a
Sepiæ machinamentum 361.d
Sepias promontorium 341.d
Septem, & septingenta 458.d
Septem & septuplum quid Hebræis 444.b
Septenarii numeri proportio valde musica est 596.c
Septentrio 672.a
ejus hieroglyphicum ibid.
Septentrioni inest vis masculæ 32.a
Septima decoctio perfectionem indicat 444.c
P. Septimii Getæ numus 488.d
Septuaginta 467.a.b
Septuaginta interpretes quo tempore Biblia verterunt in linguam Græcam 218.a
Sepulchri significatum per cor 411.a
Sepulchra nobilitatis 560.c
Sepulchrorum aliquot inscriptiones 684.a.b
Sepultura 481.b
Serapis cur à multis colebatur 378.d 379.a
Serapidis epigramma de totius mundi mole 378.c.d
Simulachrum 34. d. simulachri caput quod 379.a
ejusdem significatio ib.a
Serapidis tricipitis numisma 384.c
Serapi cur magnifica templa dedicata & ubi 378.d.379 a
Seres populi longævi 247.c
Seriphium absinthium 720.b
Sermo 431.c.731.a.b cur cibo comparatus

ratus 410.b. efficax vel Mercurius 415.b. inanis ibid. d. pro liquore aut rore pluvio acceptus 699.a per oculi hieroglyphicum. 394.b urbanus, cibus est animi 699.a.b
Sermonis intellectus duplex 431.d 432.a
Sermonis præses Mercurius 402.a
Sermone nimio extenuantur corpora 140.c
Serpens 749.b.c
Serpens Apollinem provocans in Delphis 193. a. caudam depascens, quid 166. a. gignitur ex humano cadavere 45.a
Serpentes effigies à Mose ex ære in contum surrecta cur 19.a
Serpentis effigie quid commonstrabant Valentiniani 187. d. spolium Neroni pro amuleto commendatum à matre 184.a
Serpentes alatæ volant ex Arabia in Ægyptum 210.a
Serpentes puellarum amasii reperti 178.d
Serpentium symbolica tractatio 166. a.b c. & seq.
Serpentium coria Amazonibus tegumentorum bellicorum usum præstabant 515.b
Serra 538 c
Serra pugnare ibid.c d
Serra & squatinæ piscis ossis similitudinem effecta 362.b
Servii locus 741 d
Servi fugitivi vocati olim cervi 83.a
Servilis improbitas 494.b
Servitia 613.c.699.c
à longa. 399.b.c. per anuli symbolum 443. c. per asininas aures 399.c per pedum symbolum 434.a per rasitationes capitis 386.b
Servitutis indicia inter somniandum quæ 47.c
Sesonchosis 413.c.d
Sesostres ib.c
Sesostris Ægypti rex 524.d
Sesostris navis 570.d
Sessio 531.a
Sessus 71.a
Sessus Deo accommodatus 637.d
Severi Alexandri Imperatoris numus 427.d
Severi imperium quo præsagio prænonstratum 183.d
Severitas peculiaris senibus 397.a
Sexagenarius numerus viduitati dicatus 466.d
Sexaginta ib.c
Sexta Parthica legio quæ 186.b
Sexcenta 458.c
Sex & senarius numerus ibid.c
Sextans 446.a
Sextodecimus numerus 461.b.c
Sibi soli natus 352.b
Siccus pro paupere 364.a
Siciliæ umbilicus ubi 418.b
Siciliis quo signo figurabatur 460.d
Sicinius cur dicteriis non lacessiverit M. Crassum 43.b
Sicinius Dentatus quodnam sacrum primus fecit Marti 109.b
Sicinius Dentatus donatus torquibus 518.c
Siclus 225.a.464.c
Siculi à Romanis orti 156.a
Sicyoni, Suarii Asinii & Porcarii à Clisthene vocati 145.d
Siderum, idemque cœlestium virtutes Lunari corpore suscipiuntur 559.d
Signa militaria 582.a
Silenus 732.c
Sileni 74.c
Sileni Alcibiadis ibid.
Silentium 403.b.574.b.c
opportunum 291. a
perindicem digitum 441.b
per piscis symbolum 367.b
per ranæ rubetæ symbolum 355.b
Silentii symbolum 680.b
Silii Italici locus 48.b.220.c
Silurus 364.d
Simandii regis Ægyptii signum 1.c
Simandii Regis bibliothecæ inscriptio 470.d
Simandii sepulchrum aureo circulo spoliavit Cambyses 586.d
Simeon Antiochenus 204.d
Simi nasi indicium 329 b
Simia 75.c
Simia urnam evertens, ac sortes dissipans 76.a
Simiæ pastione liberatur à febre leo. 7. d
Simiam cur tantopere oderit leo ib.d
Simiæ tristes Luna cava 69.b
Simulacri Cereris apud Phigalenses explicatio 55.c
Simulatio per picam 277.b
Simulationum involucris objectus 342.a.b
Simulator 681.a.b
Sinapis unde nomen habeat 712.a.b
oculis infestum 713.a.b
Sinapis allegorica consideratio ibid. b.713.a. & seq.
Sinus 505.a
Siphonum & tubotum aquæ erupen leonina capita eructare solentes.b
Sirenes 140.a
Sirenum aureæ illecebræ suspensæ in Apollinis templo ibid.c
Sirius 464.b
Sirius stella 94.b
Sistere, sistendique signum 614.b.c
Sistrum 604.a
Siticulosi tas 158.a
Sitis cur per corvi symbolum 141.b
Sitis ex morsu dipsadis, epota thenica sedatur 158.a.b
Sitis & sitibundi significatum ibid.d
Smaragdus 254.c.510.b
Veneri dicatus ibid.
Smerdes magus 257.c
Smilacis cū hedera similitudo 646.d
Speciebus quatuor distinguitur ibid.
647. a
Smilacis flos coronis intextus quid significet ib.b
Smilacis fructus elegantia ibid.b.c
Smynteus cur etiam vocatus Sorex 163. a
Smyrneorum Fortunæ simulachrum 49.b.c
Sobrietas 117.a.511.a
Sobrius nemo cantat 664.c
Sobrius vicus Romæ 668.a
Societas 474.d
Societas leonina 4.d
Socrates eodem semper vultu 66.c
Socrates cur dixerit se gallum debere Æsculapio 287.d
quando jurat per carnem 60.b
Socratis opinio de Sole 555.b
Socratis somnium de Platone per cygni imaginem 273.c
Sol. 46.a.55. a. 214. c. aurea gleba Euripidi 555.b. Græcorum indicium 557. b mundi mens 393. a. unde dictus 555. a. cur Centimanus dictus 426 d. cur per palmam 631.b per accipitrem & cur 250.d. per crocipium 384.b
Serapidis 134.c
Sol & Bacchus idem numen 134.c
Sol & flumina cur dicantur mortale genus enutrire 587.a
Sol & terra 54.a
Sol, ejusque hieroglyphica 554.d
Sol, solisque vis 417.d
Solis simulachrum 558.d
Solis & Lunæ certamen in procreandis animalibus 143.b.c
Solis ortus cur per lotum arborem indicatus 657.a.b
simulachrum per Phœnicem 235.b
symbolum. vitæ 387.c.718.b
vis 81

vis & beneficium 187.d
Solis vis ibid. 353.d
Solis & Lunæ conjunctio 732.a
Soli cur dedicati leones 2.b.c
Soli equus mactatus à Lacedæmoniis & Persis 56.c
Solem, Lunam stellasque quomodo Deos intellexerint Ægyptii & Phœnices 555.b
Solem Osiris apud Ægyptios significat 732.
Solem quomodo alloquebantur Indi pro conciliandâ Principum benevolentia 687.a
Solem variæ gentes Deum putaverunt 555.a
Solaris annus 491.b
Solares radii 525.b.c
Solini locus 212.b
Solitaurilia 108.b
Solitudo 241.c
Solitudo per aquilæ pullum indicata 231.a
Solitudines 589.a
Solitudinarius 155.b.c.308.a
Solojuncus 469.b.c
Solstitium 316.b
Solstitium hyemale 334.c.434.c
Solstitium vel tempus annuum 144.b
Solstitiales mundi partes appellaverunt dexteras Ægyptii 31.d
Solvere zonam 507.a
Solvizoniæ Dianæ templum 507.b
Somniculosa cur aspis dicta 172.c.d
Somniculosus 351.a.722.a
Somnium pincernæ Pharaonis à Joseppo interpretatum 667.b
Somnia astyagis ibid.b.c
Somniavera & falsa 740.b
Somniis admoniti ad aliquid aggrediendum qui 265 b
Somnus 402.c.d.740.b
Somnus Nestoris persona compellans Agamemnonem 181.b.c
Somnia, somniorumque interpretationes variæ: ut si quis per quietem somniarit aures plures se habere 399.a
boves arantes imaginari 35.b.c
caput caninum vel equinum se habere 47.c
caput ingens se habere 378.a
capitis partem dexteram denudatam 387.a.b
caput leoninum 3.c
cervum instantem tergo 80.c
dentes amissos dextera parte 31.c
equum qui se portet 47.c
formicas 99.a
frontem capillis glabram 386.a
fulmen vibratum 553.
gallinarum gregem ad se venientem 286.b
hyram nuptiarum tempore videre 592.b
manus plures se habere 430.b
manus pulchras 422.a
mare perturbatum videre 429.c
mulierem se in virum commutatam 387.b
nasum non habere 398.d.399.a
navem vel ratem videre 568.d
occipitium calvum 387.c
oculos tres se habere 357 c
pectus sibi transfixum 526.a.b
puer in senem se mutari 388 c
Senex se in puerum mutari ibid.
Solem obscurari 556.d.557.a
Spicas in aure natas 694.a
Statura se vastæ magnitudinis esse 626.a b
Stellas in mare vel terram cadere 565. a.b
Supercilium coloratum & densum 397.a
vini haustu se attentari 665.a
umbilicum, & quæ circa eum uniones 417.d
uvam se videre 667.b
Somni parcissimus est leo 3.a
Somnum captantes Mercurio victi marum linguas adolebant 402.d
Sophistæ per cancri symbolum 338.b
per ranæ symbolum 354.c.d
Sophistæ 100. a, 100. b. 560.b. evitandi 100.a
Sophistarum nugæ 155.a.b
oppressio 338.b
Sophocles in senectute scripsit Oedipum Coloneum 273.a.b
Sophoclis locus 627.b
Sorex Hecaten, proverb. 163.a
Soricis erymon 161.d
Soricis & suis consensus naturæ 162.a
Sosithei dictū in laudem aquilæ 233.d
Sospolis Deus ab Heleis cur colebatur 191.c.d
Sospitamentum 570.b.614.c
Spartiatarum mos in sacrificiis 42.a.b
Spartanorum origo 283 c,d
Spathalæ 632.a
Speculum 523.a
Spes fallax 743.d
Spes certa de re ambigua 353.b
irrita 430.c
per florum symbolum indicata 638.a
Spei definitio 643.a.b
frustrator 337.d
simulachrum per oleum 663.d
Speusippi vel Antipatri epigramma ad Platonis sepulchrum 233.b
Sphæra ænea de Maximi statua delapsa Antiochiæ quid portenderit 488.c.d
Sphærica figura 487.c
Sphinges cur appellatæ meretrices 12. b. humanicipites 17.d. ubi nascantur 73.d
Spica 693.a.b &c.
Spicas repertas Isis prima capite circumtulit 694.b
Spina dorsi 411.a.b
Spinæ pro divitiis 685.b.c
quid indicent in sacris literis ib.c
Spiræ serpentum quid mysticè 175.a
Spirillum quid vocet Opilius 111.b
Spiritalis motus 732.c
Spiritus 171.d
Spiritus pro superbia & animi elatione 721.a
Spiritus almus 439.d.440.a
Spiritus Sanctus, ejusq; dona septem 444.c.d
Spiritus Sanctus in columba 261.d
Spiritus sibi redditus 536.d
Spiritum quid vocavit Anaxagoras 171.d
Splen à Saturno regitur 402.a
Splene laborantibus risus difficillimus 66.a
Splendor nominis 581.a
Spolium leoninum, virtutis signum 13. c
Spongia 363.d
Sportula 697.a
Sportulam ossium plenam dono misit Diogeni Alexander 64.c
Squamæ in sacris quid 374.b
Squatina 362.b
Squilla 339.a.b
Stabilimentum 571.d
Stadium 449.d
Italicum quale ibid. Pythicum ib. Olympiacum ibid.
Stare 271.a
Stare convenit adoranti 69.d
Stare in divinis literis, quid ibid.c
Starnæ aves quæ nunc Romanensibus 294.b
Stathmus 451.c
Statii locus 200.a.552.b.738.b
Statuæ Ægyptiorum quales 626.a.b
Statuæ giganteæ obtortis sunt cruribus 191.b
Statuarum celebritas in columnis, antiqua est 625.a.b


Statua-

Statuarum triumphalium ornamenta quæ 546.b
Stella 581.a.b.c & seq.
Stela crinita Julio Cæsare sublato statim apparuit 562.c
Stellæ aliquot Arctica polo affixæ repelluntaquam à terra 424.c
Stellæ cur exortu Solis extingui videantur 558.a
Stellæ mundi oculi 338.b
Stellæ per somnum in mare vel terram cadere visæ, quid 565 a.b
Stellarum significatum in sacris, quod 563.c.d
Stellio 340.b.c
Stephanum de Gentibus Hermolaus Byzantius in compendium contraxit 327.b
Stephani de Urbibus locus 206.d 381.c
Serilitas 147.d.655.b
Sterilitas multarum propria 148.a
Stipula in sacris literis, quid 694.b
Stola 503.c
Stoliditatis ludibrium 142.a
Stomachus 442.b
Stomachus à Luna regitur 402 a
Strages Megarensium à Leonibus edita 5.c.d
Stratoclis improba avaritia 430.a
Stenuus 528.c.531.a
Struppearia festa 719.
Struthiocamelus 197. b. & seq. ambiguus inter terrestria & aëria. 298 a.
Struthiocamelus currit perniciissimè ibid. b. incubatu ova non fovet, nec pullos nutrit ib.c
Struthiocamelus cur colla tantum frutice occultet 297.d
Struthiocameli pennæ æquales 298.a b. earundem usus ad conos bellicos & galeas adornandas 297.d
Struthiocameli stoliditas 298.d
Struthiorum ova dissecta in æquas partes Garamantibus præbent usum pileorum 499.c d
Struchiorum ova cur perquirant Gatamantes 198.d
Studiorum profectui, corporis officiunt incommoda 296.d
Studiosus otii 306.d
Stultitia 117.b
Stulti ad cribrum, proverb. 475.c
Stupidus tardusque 103 b.c
Stupor 23.a.b
Stupor & admiratio 199.b
Sturio an silurus 364.c.d
Suavitas ex asperitate 721.a b
Suavitas sublata 670.c
Subare 105.b
Subdere colla jugo 613.c
Subdiales ædes quibus Diis ædificantur 624.c
Subjugatio 613 b
Subjugare ibid.
Sublimitas 251.a
Sublimium appetitor 713.d
Sublimium rerum indagator 212.b
Subsidium 519.a
Subucula 501.c
Subulci templa non ingrediebantur apud Ægyptios 544.c
Subventanea ova quæ 217.c
Suburranensium & Sacraviensium contentio super equino capite 56. b
Successus voti 171.a
Suesanorum pecunia 289.c
Suetonii locus 486.b
Suffeni Catulliani 77.b
Suffibulum 502 d
Suis viribus pollens 18.d
Suos tantum curans 291.a
Subtilii Galbæ canterius prolapsus in ipsa longi itinetis porta 55.a
Summa 629.c
Summa calliditas ingenii 5.a
Summissio 390.c
Sumptus publici privatique 487.b
Superbia 51.b
in pulmone 221.a
super cervicem 390.a
Supercilium 397.a
Supercilium in tutela Junonis 397.b
Supercilium in luctu veteres solebant vellicare ibid.
Superciliorum contractio 7.a
Supercilioli qui dicantur 399.d
Superflua summota 387.d
Superhumerale sacerdotale Ægyptiorum 520.b
Superstitione nationes omnes aliquando contaminatæ 123.d.126.a
Supparum 505.a.b
Supplex 427.a.b
Supplices apud veteres coronatos fusse 635.c
Supplicatio 661.c
Supplicationes quando fieri solitæ 612. b
Supplicium capitale 701.a
Supplicii significatum 724.a
Suppressa 616.b
Surditas 83.b.308.d
Surditatis symbolum 711.a
Susæ unde dictæ apud Persas 689.a
Sus Bœotia 103.
Sus cur in Creta sacra 107.a
Sus Minervam 109.c
Suis grunnitum fugit elephas 97.d
Suem tangere non licebat Ægyptiis 100.d
Sue nullum animal pluribus utilius condimentis aptius 98.c.100.c.d
Sues Æmatheolicæ solidis suis guibus 101.b
Sues agrestes semel pariunt in anno, idque æstate 105.a
Sues cephalalgiam curant esu carnium crorum fluviatilium 91.b
Suibus dentes atterebantur apud Sabinos laminios 58.a
Suilla caro aciem ingenii obtundit ibid.
Suillæ carnis laus 104.a
Suillum genus cur nullum in Arabia 100.b
Suillo generi cur pepercerint Ægyptii. c
Sybaritarum interius quando 668.a.b
Sybaritarum mollities cur gallinaceos in urbe non patiebantur 288.d
Sycomori hieroglyphicum 671.b
Sydus 502.a.b
L. Syllæ legionum exemplum 63.a
Sylvia avis, vel rubecula 103.a
Symeon puerulus tridentinà Judæis in sacrificium trucidatus 143 c
Syncerus Actius Sanasarius 317.c
Synodi sextæ locus emendatus 119.c
Syphaci cus dona missa sint à Romanis 546.a
Syracusana mensa quæ Platoni 104.d
Syracusani 43.c
Syracusanorum numus 33.b
Syri cur columbæ peperciint 262.c
Syrii detulerunt pisces argenteos in templa Facelitidis deæ 374.c
Syrtes anguipedes 175.c

T.

Tabanus 320.b
Tabellacii fides 247.a
Tabularum in Theodosii interpretatio 380.b 469.c
Taciturnitas 11.c
Taciturnitas lexnæ 11.c
Tacitus Imper. amariores cibos appetit 316. a. Idem Virgiliani carminis dulcedine offendebatur, & Ciceronis lectione ib.
Tænia quæ 458 a.b
Tæniæ, Isidi dicatæ quales. ibid. c. Osiridi quales ib.a 737.b
Talaria 258.c
Talaria pennata Mercurii Talpa.

Talpæ 159. c. liquidus audiē ib.d
Talpæ cor ad præsagium confert ib. d.
Thalthibius, cur porcum, quem Agamemnon pro juramento statuerat in mare præcipitem dedit 108.b
Talus, princeps libidinis locus 434.d
Tanagræorum pestilentiam quomodo Mercurius expiaverit 123.a
Tanaquil. in templo M. Anci diu adservata 608.a.b
Tantali symbol. interpretatio 434.a
Taranda 331.a
Taras delphino vectus 326.b
Tardas aves quas vocent Hispani, 300.d
Tardi grada testudo 337.a
Tarentini 49.d
Tarquinii Prisci filius cur omnium primus donatus bulla 510.c.d
Tarquinio Prisco ex itinere pileum abstulit aquila 227.b
Tarquinius Superbus papaverum capita decutit 718.c
Tarquinii Superbii currus fictilis 547. a. metus angue conspecto, quid 181.a
Tarquiniorum origio 718.c
Tarvisi leones, quid 17.d
Tauri populi qui 40.c
Tauricæ Dianæ sacrificium quale 109.c
Taurii ludi quibus diis, & cur instituti 33.b
Taurina specie fluvii qui 31.d
Taurus animal venereum 750.c
Taurus describitur 29.b.c. & deinceps lupo superatus apud Argivos, quid 37. b. dextro obligato genu mansuere ducitur 35. a. Soli à Persis dedicatus ib.
Taurus celestis cur veneri dicatus. ejus figura. 39.b. 29.b
Taurus Herculeus 30 b
Tauri auricula, quid 32.d
Tauri collo alligatæ caprifici vis 656.b.c
Tauri significata 28.c.d
Tauri significatum in sacris 43.a
Tauri temperantia 28 c. robur ibid.c
Taurum quando sacrificabant Spartiatæ 42. Tauricipites fluvii 33.c
Taurorum immolatio Hebræis, quid. 30.1
Tauros cur immolabant Neptuno, & quales 33.b
Taygeto in monte ventis equum immolabant Lacedæmonii 56.b
Tegea Arcadiæ civitas 643.c.d
Tegos pro lupanari ibid.
Telemones 629.a
Telemachus delphino servatus 326.c
Telesillæ cur galeata statua erecta. 626.81.b
Telephus 741.d
Tellus duplex 547.c
Tellus cur hominū mater dicta 515.b
Telum unde dictum 573.b.c
Temonis hieroglyphica
Temonem manibus immittere à quibus dicerint homines 214.a
Temperantia 340. b. 440.b. 411.d. 507. c. 607. c. 656. b
Temperantia, modestiaque 340.b
Temperantia elephanti 21.a
Temperantia per cubiti symbolum. 440.b. per Nilum 255.a
Temperantiæ vis 178.a
Tempestas per ardeam 306. c. per sepiam 342.d
Tempestatis mutationē patesieri 743.c
Tempestatis præsagium per echinum 344.a.b
Templa sacra, Floræ, Herculi, Marti, Lunæ, Proserpinæ, Soli, Veneri quæ 624.c.d
Tempus 168.d. 564.a.b. 653.a
Temporis diuturnitas 631.c
Temporis significatio varia 169.a.b
Tenacitas 644.b
Tenebræ funestumve 347.a
Tenebræ in divinis literis quid 244.a
Tenedia securis 381.d 381.d
Tenedus quomodo à Darianis militibus vastata 575.a
Tenediorum regis lex quæ 55.b 538.a
Tenor humanæ vitæ 593.b
Tentamentum 588.a.b
Tentoria ex quibus rebus fieri solita 421.b.c
Tercenta sexaginta quinque 457.c
Tereus Thrax Procnen duxit in uxorem 279. d. Philomelam defloravit 271.a
Terga dare 390 d
Terjungi milites 156 c
Terminus 219.c. 436.b. 471.d
Terminus lapideus Capitolii 606.a
Terna millia 463.d
Ternarius numerus cur Palladi & justitiæ dicatus 495.c
Terra 188.b. 547.b. 623.a
Terra & aqua 603.a
Terra cur omniū mater credita 559.c
Terra frugifera 34.d
Terra, quæ & Maja 109.b
Terra per Scorpium indicata 195.b
Terra filius coluber 188.a.b
Terræ fines omnes in Dei manu esse cur dixerint veteres 413.d
Terrarum dominatio 235.c
Terrarum umbilicus 236.a
Terrenorum cum cœlestibus temperatura 726.c
Terrenis addictus 341.b
Terrificus leo 4.a
Terror 199.a. 381.a
Terrenis in sacris, quid 555.a
Tertii Theodosiani 498.c
Tertio decimani 63.c
Tertulliani laus 238.d
Testacea plenilunio magis pinguescunt 338 d
Testa 595.a
Testamentum novum eget auxilio veteris vetusque novi 481.a
Testamentorum tabulæ apud veteres quomodo signabantur 512.b.c
Testes fibri Pontici præstātiores 159.b
Testes quantum ad genitutam conferant 413.a
Testes virtutis indicia 413.c.d
Testiculos sibi secuisse vel abstulisse quis dicatur 413.c.d
Testimonia servorum contra dominos nulla 243.c
Testudo 335.d. ejus forma 595.a
Testudo cur Veneris simulachro apposita à Phidia 316.b
Testudo prudētiæ symbolum 741.a.b
Testudo ore robustissima 337.b.c
Testudinis munimentum 336 c.d
Testudinis segnities districho expressa 337.a
Testudines ubi magnæ 336.a
Tetragrammaton 314 d
Tetragrammaton nomen ineffabile 346.a
Teuthis 610.c
Thaipsali milites 185.b
Thalia 598 b
Thallus mercator 114.c
Thamura Mosen puerum ex profluente exemit 576.d
Thebani unde oriunde 183.a.b
Thebarum insigne fuit draco ib.a.b
Thebis cur judicum statuæ sine manibus 430 a
Thebiorum natio pestifera 171.a
Thelesilla, ejusque statua 539.b
Thelyo 598.
Themistocles gallorū exemplo confirmavit pugnantes 289.a.b
Themistoclis argutum responsum 54. 363.a. 477.a
Theocriti locus 53. b. 116. b. c. 308.a
Theocriti Pharmaceutria ex Euphorionis Minis translata 363.a

Theodori Gazæ laus 92.a
Theodosianæ militiæ insignia 498.b
Theodosiani ibid. Secundi ib.
Tertii ibid.c
Theodosii insignia qualia 380.b
Theodotionis Ephesii opinio rejecta 218.a
Theognidis locus 331.d
Theologia 298.b.300.a.b.490.c.d
Theologiæ munus 474.a.b
Theophrasti de viperis sententia 174.a
Theriacum 192.a
Thersites cur dicatur in simiam mutatus 76.c. τιθηκόμορφος dictus 77.a
Theseus barbam tondere noluit 389.a
Theseus primus anteriorem capitis comam Apollini Deliaco, dedit 386.c.d.389.a
Theseus primus palmæ pretium instituit 631.d
Thessali coronas amaranthinas primi excogitarunt, & libamina quotannis ad Achillis tumulum ferunt 691.a
Thessalis quinam erant bucephali 41.a
Theslii filiæ quinquaginta ab Hercule vitiatæ 115.d
Thetis indignatio 585 b.c
Thetis in sepiam commutari solita 342.a
Theu Platoni quis 346.a
Theutates Proportio quis ib.a
Tholos 342.b.c
Thomas Campegius episcopus Feltrensis 568.a
Thomas Miliarius 296.c.d
Thomas Petrosanctius 459.a
Thorax 539.d. & deinceps thoracum indago in paludibus explorandis qualis 158.b
Thrasybulus Milesius 718.c
Thrasybuli simulachro cur adsculpta mustela 160.b
Thrasybuli statua in Olympia 58 b.c
Thrion fici folium cur dictum 71.d
Thronax mons 303.d
Thunnus 365.a hujus captura ubi ib.
Thunnum piscatores Neptuno sacrificabant 366.d
Thuribulum 408.584.d
Thus in Sacris. quid 585.c
Thyrsus circumfusa hedera coopertus quid significet 644.b
Tiara 514.d
Tibiæ Veneri sacræ 595. b Pani attributæ ibid.c
Tibicines expectare, proverbium ib.
Tiberius à quo oppressus 287.c
Tiberius fulmina corruscationesque expavescens, lauream sibi imponere solitus 636.c
Tiberius Gracchus quo gestu se populō commendarit 379.b
Tiberius Imp. noctu vidit 393.d
Tiberii Cæsaris serpens à formicis corrosus quid portendebat 148.a
Tib. Cæsaris numus 197.c
Tib. Claudii Cæs. numus 424. d. 425. a.
Tib. Gracchi oppressio per angues in galea significata 193.c
Tiberii humero insidens gallus, quid 287.c
Tiberii Imper. nequitia ibid.c
Tibulli locus 168.c.262.c.691.a.646.b
Tigranes candidam fasciam ad Pompeji pedes abjecit 513.c
Tigris 134.c.d.& seq.
Tigris audito tympani sono insanit, ita ut semetipsam dentibus impetat 135.a
Tigris cur vocata sagitta ab Arme. 526.c.d
Tigris equum citissimum ter repetito cursu assequitur 135.b
Tigris fluvius unde dictus 255.b
Timidus minima quaque de re 302. d.
Timo Demeam assentatorem ligone percussit 79.c
Timoleon cum Bomilcare & Asdrubale feliciter pugnat 654 a
Tinea 324.c.362.a
Tintinnabulum 596.a.b
Tippula 325.a
Tiresias 88.d
Titanum genitalia desecta, quid 416.d
Titii Livii imago Patavii qualis 441.b
T. Livii locus 32.a.b.534.a.b
Titi Vespasiani numus 328.d
Titillatio 411.a.668.a
Titoplus 598.a
Titulus 514.c. Numa rege factus ib.c
Titii jecur, à vulture cur fingatur abrodi 220.a
Toga & togata comœdia 500.b
Toga picta 506.a
Toga utebantur & viri & mulieres. 500.c
Tolerantia 606.
Tondere in sacris, quid 385.d
Tonitrus 34.a
Tonitrus vocatus filius Clearchi 552.a
Torcularis hieroglyphicum in sacris literis 668.d
Torpedo piscis 356.d
Torpedini pisci ignavia præditus cur assimiletur 357.a
Torques 518.c
Torques aheneus in corvi collo inventus, qui ab Agathocle vocando interfectus fuit 15.d
Torquem qui meruit duplam consequebatur annonam 518.c
Torquium species ibid.
Torquibus donatus Sicinnius Dentatus ibid.c
Torquilla 307.c
Torrens 480.b
Tortuitas unde dicta 30.a
Torvum tueri 31.a
Toto & aperto pectore 31.b.c
Tractabilitas 151.d
Tragelaphi in Divinis literis qui 87.a
Trajana aqua 490.b.c
Trajani columna, colossum habuit superimpositum 625.b.c
Trajani Hadriani numus 430.d
Tranquilli locus 321.c
Tranquillitas 301.d
Transmutatus 303.b
Transversum digitum non secedere 445.a
Trapezitarum mensæ in januis habebantur 384.d
Trecenta 457.b
Trepidatio 154.a.264.b
Tria 417.b
Tria mala quæ 586.c.d
Trias 474.c.d
Triangulum æquilaterum cur divinitatis indicium 495.a. cur Minerva, Verticigena Tritogenia ibid.b.c
Tribas mulier per gallinam 286. a.b
Tribunitia potestas ab Imperatoribus usurpari solita 506.c
Tributum remissum Italiæ à Nerva 48.c.d
Tricarenus Geryon 382.a.b
Tricenarius numerus 456.a.b
Tricipitium 383.a
Tridens 575.c.d.605.a
Triginta 463.c
Trigla 360.d
cur Dianæ dicata ibid.
Trium & trinitas rerum 454.b
Tripos aureus Socrati adjudicatus 594.b
Triticum à Iolio repurgandum 595. b.
Titobœtis, quid 495.b
Tritogenia ibid.a

Triton, cur biformis pingebatur 367. b.c
Tritone 598.a
Tritones tubicines in Saturniæ ædis fastigio 595.a
Tritonia cur vocata Pallas 495.a
Tritura quo anni tempore potissimum fit 593.c.d
Triumphator 434.a.b
Triumphus 646.b
Trochilus 548.a
Trochili ad hiantem crocodilum accedunt pabuli gratia 348.b.c
Trœzen 605.d
Trœzenii Neptunum colunt 605.a
Trojani belli tempus ex passeribus auguratus Calchas 248.d
Trophonius, ejusque simulachra 194. a.
Triphoniana oracula ibid.b
Truculenta 440.c
Tub. 395.a. Marti dicata ibid.
Tuborum & siphonum aquæ cur per leonina capita soleant eructare 11.c
Tumultus 525.a.b
Tunica & tunicatus 501.a
Turbidam aquam cur bibant elephanti 22.b.c
Turbines 481.c
Turbo puerilis 607.a
Turcarum matutinales acclamationes quales 486.a
Turdus 308.c. sibi mortem cacat ib.d
Turdus surditate laborat ib.d
Turibulum 584.d.585.a
Turtur 266. d. 267. a. & deinceps.d
Turtur tibiarium cantu delectatur. 267. d
Turturis continentissima viduitas. 267. a. oblatio in sacris quid 267.a c. pulli, quid 267.b
Turturum par quis dicatur obtulisse ibid. quando Deo offerimus ibid.
Tutela 572.b.c
Tympanum 596.c
Tyndarus cur Venerem conjecit in vincula 609.b
Tyndarus raptæ filiæ injurias quomodo putavit ulciscendas 56.a
Typho 732.a
Typho latrociniis infamis 348.a.b.ab Osiride domitus 350.b
Typhon 215.c
Typhonis suem insectantis fabula 102.a
Tyrannus per polypi symbolum 331. a
Tyranni symbolum per noctuam. 245.a
Tyrii Apollinem suum cur Alexandrinum cognominarunt 609. d. cur Deorum statuis vincula injiciebant 610.a
Tyrii cur Carthaginem ædificare intermiserint 38 b
Tyriorum numus 570.d
Tyrrheni navigandi facilitate claruerunt 328.c. Delphini cognominati. ibid.c

V.

Vacca Veneri dedicata 33.a
Vaccæ vox quid in sacris lit. 39.a
Vacillatio 433.a
Valentiniani quid per serpentis effigiem commonstrant 187.d
Valentianenses milites 156.c.d
Valeria Luperca ab aquila liberata. 230. d
Valerianus Soranus cur neci traditus 441.c
Valetudo inoffensa 690.a
Valetudinis diuturnæ prosperitas 313 a
Validior à deteriore superatus 133.a
Vanæ sapientiæ studium 242.d
Vaniloquentia 99.c.d
Vaniloquentia evitata 21.
Variæ, genus Pantherarum 134.b.c
Varietas rerum grata 174.c
M. Varro literarum porcus appellatus à Palæmone 99.c.d.103.a
Varro navali corona donatus à Pompejo 571.a
Varronis opinio de mundi partibus 31.d.32.a
Vas animæ quid D. Paulo 697.d
Vasa indignationis quæ 697.a
Vasa pro servitiis ponuntur 699.c
Vastitas 193.c.d
Vaticinium 636.a
Vaticinii symbolum laurus ibid.
Vaticinia ex cane quis primus desumpserit 58.b.c
Ubertas 700.c
Vectis 616.a
Vehemens cupiditas 308.a
Velamen simulachri fidei album fuit 419.a
Velia 306.d
Vedius nebulo reprehensus à Cicerone 72.a
Vehemens appetentia 82 d
Vejentana sylva quando exaruit 637.c
Velocitas 327.d.526.c.737.b
Velocitas Negotiorum 41.c
Venator 611.d
Venationis antiquæ ratio in Sicilia dum cervos venantur 81.c.d
Veneficiorum amulerum 130.a
Venenatarum sagittarum ictus quomodo sanabantur 265.a
Venia 443 d
Venus 106.b.c.339.c.639.a
Unde dicta 609.b
Venus ἀλεγενὴς 370 c. cum pectine cur Romæ aliquando colebatur 522. b. cur eadem barbata ibid.
Venus Genitrix 425.a. eidem templum erectum, & à quo ib.b
Venus in antro statuta, & quare 677.a malo insignis ib.a
Venus Morphã 609.b
Venus θιμοβρὴ vocata 263. b. verecunda 416. b. vult crapulatum non famelicum 105.a
Veneris armatæ simulachrum cur apud Lacedæmonios 524. b. currum cur trahant passeres 249. a. digressio ab Erycis monte 261.b.c
Veneris Erycinæ templum 583.d
Veneris in tutela sunt horti 416.d
Veneris Micheæ sacra quæ 175. d. nigræ sacellum ubi 416.d. prophanatæ templum 336. b. c. sedes in lumbis 261.c. simulachum insidens arieti 122.d. symbolum 718. a. statua ibid.
Veneris simulachro cur testudinem adjecerit Phidias 336.b.c.
Veneri cur adsculptus polypus 334.b cur dedicatæ columbæ 261. b. c. dicata concha 341.c
Venerem cur compedibus constringendam finxerint veteres 416.b cur in vincula conjecerit Tyndarus. 609.b. languentem excitantia 753. c.
Venerem spinosas in pectore curas serere 685.a
Venter 419.c. originis indicium ib.c
Venter caret auribus, proverb. ib.
Venter mare aliquando denotat ib. c.d
Ventris varia significata ib d
in Ventrem pugnos ingerere 420.a
Ventri loqui qui dicantur in sacris ibid.a.b
Ventum attestari, Scythis maximum juramentum 537.a b
Vento gravidæ factæ equæ 53.a
Ventorum præsagium per echinum. 344.b

Ventis equum immolabant Lacedæm. 56.c
Venuſtas 154.b.c.521.c
Venuſtatis ſymbolum 686.b
Vepres delictorum ſymbola 685.c
Ver 756.b.c
Ver & hyems 213.a
Ver hyems, ſol 213.a
Vera diſciplina 189.d
Veratrum cur appetant coturnices. 295.d
Verbenæ deſcriptio 718.d.719.a
Verbum quid Theologis 234.c.d
Verba per gladii ſymbolum 535.b
Verborum fons mens eſt 58.a
Verecundia 405.a
L. Veri Aug. numus 489.c
Veritas 511.a.515.c.d
Veritas fidem parit 740.a
Veritas, veritatisque ſignum nudum 555.c.d
Veritatis dulcedo 673.c
Veritatis ſymbolum 680.c
Vernum tempus 213.b.269.c
Verni temporis amœnitas 124.c
Verriculum 574.d
Verſicoloris veſtis 504.d.a
Verſipellis 332.c
Verticigena 495.a
Veſontes 532.a
Veſpa unde procreetur 318.a
Veſpæ 44.d.45.a.318.a
Veſparum habitationes & cellæ quales 318.c.d
Veſpis advertatur malus ſylveſtris. ibid.b.c
Veſpaſiæ partus treis, per quernos ramos fatales totidem præmonſtrati 643.b
Veſpaſianus aliquot ex plebe miraculo ſanavit 480.c.d
Veſpaſianus de lotio vectigal exigebat 12.a. procuratoribus pro ſpongiis utebatur 364.a
Veſpaſiani ſignum 199.c.d
Veſpaſiani triclinium aſcendit bos arator 35.a
Veſpaſiano recens electo defuit authoritas 480.c
Veſpertilio 299.a
Veſpertilio ſola volatilium lac & mammas habet 299.b
Veſpertilionis & columbæ diſcordia ibid.d
Veſpertilionis & formicæ diſcordia ibid.d
Veſpertiliones arcentur platani foliis 300.a. occiduntur hedera ſuffumigata ibid.b
Veſpertiliones in ſacris quid ſint. ibid.b.c
Veſpillo 602.
Veſta 22.3.c.530.b.c.586.a.b
Veſta ſedens ſculpi pingique ſolita 543.d
Veſtæ rotundam ædem Numa Pompilius conſecravit 613.a
Veſtæ ſimulachrum quænam figura erat 586.a.b
Veſtales virgines 502.d
Veſtalium initia 657.b
Veteres minus vitioſi in philoſophando 646.a
Vetuſtas 413.b.c
Vetuſtas quibus honorē tribuit 34.d
Vetuſtatis ſymbolum hedera 646. b.c
Vexatio 420.d
Ugolinus Campegius 568.c
Via in divinis literis, quid 434.b
Viæ & ſemitæ differentia 490.c
Viæ per pedes ſymbolum 434.b
Victimæ quales & quæ nominibus immolabantur 109.c.d.110.a
Victor hoſtis 131.d
Victoria 42.a.514.b.632.b.c.637.c
Victoria & gloria per accipitrem 256. c.d
Victoria maritima 546. c. navalis 571. a. perpetua 257.a. per galli ſymbolum 289. c. per noctuam apud Athenienſes 242. b. cur per oleum indicatur 663.a.c
Victoriæ Davalæ Piſcariæ principis laus inſignis 259.b.c.& deinceps.
Victoriæ præſagium 65.a
Victoriæ ſignum cur alatum 257.b
Victoria uti neſcius 331.a
Victoriati numi 256.d.257.a
Victoriani rhetoris locus 70.c
Victus frugalis commendatus 707. c.d
Victus proviſio 22.c.d
Videntes appellantur Prophetæ 385. a.b
Vidua perſeverantis continentiæ 200.b
Viduitas 466.c.d
Viduitas continentiſſima 267.a
Viere 609.b
Vigilantia 153.a
Vigilantia cuſtodiaque 3.a
Vigilantiam præſtant ranæ oculi, luſciniæ carne 354.b
Vigilia perpetua nullum utitur animal 3.a
Vigiliæ ſpeculationesque 206.a
Viginti 462.b
Vincentius Caprilis 402.d
Vincula jugalia Maroni quæ 443.a
Vinculum 443.b
Vinculum per anuli ſymbolum. 443.b
Vincula 430.b
Vincula jugalia 197.a
Vindemiæ proventus plenus mœſtæ præſagitur 304.c. hieroglyphice. 668.c
Vindemiarum licentia in regno Neapolitano 665.a.b
Vindices milites qui 186.d
Vindicata 11.a
Vinearum incolumitas 289.d
Vineas inveſtant *Africi* venti ibid.d
Vinitor 145.b
Vinum ad jucunditatem, non ebrietatem creatum 663.d.666.a
Vinum in acetum converſum quomodo reſtituatur 719.a. in ſacris oblatum, ſanguinis ſignum 665.b.
maritima commixtum aqua facilius conſervatur 317. a. menſem, non ſecus ac alæ corpus, emollit. 667.a
Vini odium ex eſu ovorum noctur 245.a
Vino apud Carthaginenſes quibus interdictum 666. intemperantiæ utentes melancholicos fieri 665.d. nullum tormentum efficacius ad veritatem elicicndam adhibetur. 277.a. olim abſtinebant Romanæ mulieres, quarum una ob reſignatos cellæ vinariæ loculos ſui medii necata 666.d. ſe ingurgitare cur adoleſcentibus quandoque permiſſum 667.a
Vina vetuſtas commendat 646.a
Violæ quomodo fragrantiores fiant 715.d
Vipera an mariti caput amputet, incertum 173.a
Viperæ dente tactus nulla deinceps venena reformidat. 191. d. jecur conditum adverſus ſerpentum ictus remedium 192.a
Viperæ edebantur in deſperatiſſimis morbis 196. a. in Arabia cur innoxiæ. 192. a. quomodo abortum mulieribus adferant. 174.b
Viperarum uterus an à catulis exſtatur 173.d
Viperis conditis veſcentes diutiſſime vivunt 191.d 714.a
Viperalis herba 192.d
Viperino ictui vipera remedium eſt.

39.f.d
Vir probus 493.d
Vir frugi, uxor prodiga 144.b.c
Vir paterve cur dictus scarabeus 94.a
Vir undecumque perfectus 86.a
Viri amor in mulierem infidam 341.c
Viri probi animus quietus improbi inquietus describitur 305.b. ferm. 406.c
Viri symbolum per barbã. 388.d.389.a
Viris loquacibus extrema lingua perforata 733.a.b
Virago 137.b.160.d
Vires 518.a
Vires cedere sapientiæ & eloquentiæ 11.c
Viribus suis pollens 727.a
Virga cur Palladi accommodatur. 189.c
Virgæ & Baculi differentia 518.b
Virgilii locus. 38.c.41.d.47.c.53.a.109. b.d.135.a.169.c.179.b.181.d.220.a 221.b.248.d.264.b.265.c.375.b.c 378.b.c.315.c.316.a.346.d.349.b. 384.c.411.b.c.414.a.432.b.435.c.444 b.417 b.481.a.489.a.501.a.502.d.518. 530.b.c.531.b.c.541.c.546.d.548.c. 552.b.562.c.578.c.d.580.b.581.d.582. a.b.595.a.598.a.601.a.612.a.660.a 661.d.690.d.731.a.736.b.740.b.c. 745.c.
Virgilii locus in appendicibus 684.c
Vigilii opusculum de rosa 686.c
Virginales columnæ 628.b
Virginitas 521.b
Virginitatis imago per apes 315.b
Virgo abscissis capillis 747.d
Virgo capillos erectos habens 748.a
Virginis signum cur vitem aversetur 144.a
Virginem parere non absurdum 217.d
Virgines armatæ quæ 524.b.c
Virginum custodia 336.b
Virgula divina quæ Ciceroni 189.a
Virtus 131.b. 642.b. enervata deliciis 95.d. solida 518.c
Virtus indagatrix cur draconi assimilata 179.c
Virtus munimentum quod auferri non potest 539.d
Virtutis decor 388.a
Virtutis doctor 118.c
Virtutis ac Honoris imagines 624.e
Virtuti cedit improbitas 350.a.b
Virtutes labore comparantur 396.b.c
Virtutis radices amaras esse, fructus vero suavissimos 648.c
Virus hippomanis quale 53.b
Vis aperta 611.d.375.c
Vis leoni peculiaris 2.c
Vis animi labefactata 100.a
Viscum unde proveniat 308.c
Vita 407.b.587.a
Vita brevis 439.d
Vita humana 556.d
Vita divina 580.a
Vitalis 253.a
Vita animusque 579.a
Vitalis per cordis hieroglyphicum 407.b.c
Vitalis morsque per oculi symbolum 395.d
Vitæ brevitas 4.c.446.d
Vitæ humanæ conditio 366.b
Vitæ humanæ cursus 444.d
Vitæ progressus 451.b.490.c
Vitam instituisse sapienter qui dicantur 79.b.c.d
Vitellii Cæsaris numisma 741.a
Vitelliana dominatio crudelis 35.
Viterbiensis columna cum duabus accipitribus quid denotare videtur 257.d
Vitii emendati signum 682.c
Vitis 611.d
Vitiis divitiisque nomen, idem 151.a
Vitiis quis dicatur liberari 50.c
Vitiosus 39.a.b
Vitis Rheæ sacra 667.b.c
Vitis supra caput Hecates prætendi solita, quid sibi velit 644.
Vitis cui Christus se comparat, palmitumq; ejus consideratio 669.c.d
pro vitibus sacrum 112.b
Vitula indomita descripta ab Horat. 50.d
Vitulari & vitulantes, quid 34.a
Vitulus 750.b.c
Vituli hieroglyphicum quod 34.a
Vituli significatio in sacris quæ 43.b
Vitulum offerre quid 29.d
Vivacitas 85.c.d
Vivificare in sacris literis, quid 244.a
Ulna 449.b
Ultio 135.a.315.d
Ultio divina 736.a
Ultio per digitos commorsos indicata 439.b
Ulysses ordinis desertor 212.d
Ulysses πολύτροπος 331.b
Ulyssis capus pileatum, 497.b. genus nobile ib.c
Ulyssis socii non nisi necessitate coacti piscantur 372.a
Ulyssis socii quomodo virga vel in bruta, vel in homines transformati 189.c
Ulyssi naufrago Pallas oleum attulit quo perungeretur 687.
Ulyssi quid responderit Palamedes 212.c
Ulyssis etymon 141.b
Umbra 581.a.b
Umbræ odoratæ miram inspirarunt fragrantiam 706.a
Umbilicus, & ejus significata 417.d
Umbilicus terrarum ubi 236.a
Uncia 445.d
Uncus 615.c
Undecim & duodecim 461.b
Ungendi cadavera mos Ægypr. 754.d
Ungi & unctio, & non ungi, in sacris, quid 434.b.c
Unguentum in Aaronis barba, quid 688.a
Ungues demordere, & rodere 439.b
Ungula bifida 86.b.fissa.101.a
Ungula duplex ibid.b.c
Ungula bifida in sacris, quid ibid.a
Unicornis quomodo capiatur 27.a.b.
Unigenitus 93.d
Uniones gemmæ 521.d
Unitas 555.c
Unitas & unio 594.b
Universalia rerum multis voluminibus explicavit Mercurius 402.a.b
Universum vel mundus 730.c
Universi Deus 561.b
Unus diei vita 321.c
Vocalia signa militaria 42.a
Vocalis prima 37.a.210.d
Vocalibus septem musica expressa 596.c
Vocis qualitates quot quæve ibid.
Vocum compositiones apud Ægyptios quam vim habeant. 253.d. 254.a
C. Voctienus cur à Senatu punit. 441.a
Volare verba, Horatio quid 257.a
Volcanalia quando celebrari solita. 623.b.c
Volcanus 586.b
Volcani templum apud Ætnam 59.d
Volumen 194.a
Volumen unde dictum 418.d
Volumina serpentum quid denotent 175.a
Voluminum cornua quæ 418.d
Voluntas bona per errorem obfuscata 589.
Voluntatis fons cor 221.a
Voluptas 461.c. ex patientia 441.d. mature extincta 178.c. vera quæ. c. vires eneruat ibid.d
Voluptatẽ ex myrto significari 638.d
Voluptates quomodo coercendæ. 422.c

Voluptatum ac majorum affectuum dissipatio 208.a
Voluptuaria Venus 149.a.b
Vorago 482.b
Vortuna 489.b
Vot. XX. notæ in numis & aris quid sibi velint 461.c.d
Voti ineffícacia 210.c
Vota concepta, & nuncupata 408.d
Vox humana, quid 347.a.b
Upupa 304.c
Upupa quid Theologis ibid.
Upupa uvis vascens immodice, quomodo ebrietati medetur ibid.d
Ur Hebraica lingua quid significet 138.a
Ur Madianitarum rex ablsraelitis occisus, quid significet. 138.a
Urbanus Bolzanius Pierii patruus 391 b.c.400.c
Urbanus Græcas literas docuit 275.d
Urbes cur olim editis in locis ponebantur 547.c.d
Urbium origines variè ab authoribus traduntur 181.b
Uriel 549.b
Urina rabiosi canis 65.c
Urinator 75.c.351.a
Urna Osiridi dedicata 696.b
Urnæ tres 577.b
Ursa aversis vestigiis cavum irrepit 137.d.fœmina mare ferocior ibid.b fœtum edit sine oculis 136. fœtum lambendo perficit 137.a
In Ursas abire, quid ib.c.d
Ursus quomodo capturam evadit ib.d
Ursi caput imbellicum 138.c
Ursi primum antra habitationibus commoda ostenderunt 137.b
Ursi ex Britannia adducti ad pop.Rō. spectacula maximæ admirationi fuerunt ib. c. quamdiu pedum suctu vivunt ib. b. salutis ergò alvearia incessunt 138.c
Ursis nomen ab irritatione olim impositum 138.a
Ursina ferocia Hierosolymitani excidii indicium ibid.b
Urtica in sacris literis quid 685.c
Urus aut difficulter aut nunquam capi potest 138.d
Urus bos Germaniæ ibid.d
Utilitas & damnum 387.b.c
Uva in somniis visa, quid portendat 667.b
Uvæ laxatio quomodo cohibeatur. 728.c
Vulcanus 731.d
Vulcanus claudus cur fingatur 224.c
Vulcani parentes qui ib.d
Vulcano juncta Pallas, quid ibid.
Vulcano piscuti pro animis humanis dabantur 373.d
Vulcanum & Pallada masculo fœminas judicarunt Ægyptii 221.a
Vulpanser 241.d
Vulpeculæ pelli assuenda Leonis spolia, proverb. 158.a
Vulpes 256.a
Vulpis lepidum responsum ad pardū 157.b
Vulpis lupiq; nomen à Prophetis nūquam ad bonum usurpatum ibid.b
Vulpi quid responderit leæna de prolis fœcunditate 10.b
Vulpem cur Siculi cinædum vocarint 157.a.c
Vulpinari quid & unde ib.a
Vulnus amatorium 174.a
Vulnera amoris 526.a
Vulnerat culex susurrando 151.a
Vultur. 215.a. & seq. à vento concipit 216. b. 217. a. quot ova parturiat ib. c. viva non attingit 219.a.
Vulturis cœlestis afflatus quamnam habet vim ib.d
Vulturis cor amuletum ad varia ib. c. d. nidum nemo vidit 110.d. præsagitura ubi strages futura sit, ac acies concursuræ 219. d. studium in educandis pullis 218. d. visus & odoratus exquisitissimus 219.c
Vultures omnes fœminæ 217.a.b.c
Vultures pro sepulchris apud Iberos 220.c
Vulturum ova zephyrea & hypenemia 217.d
Vulturnia aquila 214.b
Vulturnia penna parturientes adjuvat 217.d
Uxor cur ducenda 587.a. inimica marito 153. a. malum necessarium 587.b

X.

Xenophontis nomine liber de equivocis 262.b
Xenophontis locus 217.c
Xerxen fefellit insomnium 669.b

T.

Græcorum sæpè apud Latinos y 597.a

Z.

Pro S veteres frequenter usi 652.c
Zabulum 603.c.d
Zachariæ Chimios dictū quod 469.d
Zadchiel 550.a
Zamael ibid.
Zamolxis sententia de oculis 391.d
Zaræ manus de matris utero porrecta quid 505.d
Zelotypia 131.b
Zelotypia equorum 53.a
Zeno dialecticorum argutias eludebat 657.a
Zenonis Cittiei responsum de convivii hilaritate 136.b.c
Zononis sententia de Dialectica 215.a
Zenobia commendatur 13.c
Zenodoti error 196.c
Zephyrea sunt vulturum ova 217.a
Zephyro flante canunt suavius cygni 274.c.d
in Zerintho Samothraciæ oppido immolabantur & epulabantur canes 67.b
Zodiacus 730.b.734.a.b 606.c.d
Zona 606.c.d
Zonam virgineam, vel diu ligatam solvere ibid.c.d
Zopyrus Pyrrhum jugulavit 244.b
Zoroaster 287.c.d
Zoroaster recentior 8.c
Zoroastris flumina quatuor 254.b
Zoroastris sententia de animo ibid.a

FINIS.

# GRÆCARUM VOCUM QUÆ TOTO OPERE OCCURRUNT INDEX


A.

Ἀγκυλοπῦς 545.d
Ἀγορά 617.b
Ἀδήτου ὕπνος 304.d
Ἄδυτος lapis 235.a
Ἀέθλου palma 661.a
Ἄζυξ 157.a
Αἰλητοφορος scarabeus 94.a
Αἰσιδάκτυλος 440.c
Αἰσχυντῆρ ἐπιπηδᾷ 289.a
Αἰσχύνης Venus 370.c
Αἰσχρὸν εἰπεῖν 284.d
Αἴσιμα 440.d
Αἰσχυνέζειν, καὶ αἰσχυνάειν 157.a
Αἰτίη 599.a
Ἀμβίκιος Luna 484.d
Ἀνάγκη nascentium Deus, 187.d
Ἀηδὼν avicula 305.c
Ἀηδόνιος 235.a
Ἀντίμας 583.a
Ἀπλομαγεῖν 203.b
Ἀπύρηνος 440.d
Ἄξιον ὀβελίσκου, proverb. 615.d

Ἄπιος 600.d
Ἀπίων γῆ 589.a
Ἀπεκορακίζειν, Ἀπεκορακισμός 281.b
Ἀργυφότοξος Mercurius 406.d
Ἀρχαῖος ibid.d
Ἄργος 284.d
Ἀρτιλὸ ἀναφαίρετον ὄπλον εἶναι, dixit Antisthenes 539.d
Ἀρτίως Poluci quid 137.c
ἐκ Ἀρχῆ 487.d
Ἀσφάλιον 484.a
Ἀταμοι boves quæ 30.a
Ἀταμχελῶν ibid.
Ἀταμβολῶν 484.c
Ἀτηγενεῖς 467.b
Ἀτήγενον mare 371.b
Ἀτιμίης ὑπίχνεται τὸν χόρον ἡ ἀποθάνων prov. 361.c
Ἀφύη 371.c
Ἀφύη 361.d
Ἀφωνίτερον τῶν ἰχθύων. 574

B.

Βαλανεφάγοι 643.c
Βατάχου ὕπνος 354.355.a
Βάτιον 348.b
Βλίτου τροφεῖον 30.b
Βῶμα 448.d
Βυβάλιον 28.d
Βυγνὸς, vocatus Dionysius 30.a
Βυλὴ 223.b
Βυλιμία 64.c 23.b
Βῦς ἐπὶ γλάυκῃ βέβηκε 36.a
Βῦς ἐπὶ φάτνῃ 39.b
Βύβης 39.d
Βύβιος 37.c
Βοῶπις 30.d
Βῶ 35.c
Βωμὸς φεύξιμος 599.d

Γ.

Γ Litera 599.d
Γ in δ vertunt Dores 194.a
Γαῦρος 38.b
Γαμψώνυχα ζῶα 5.d
Γαστὴρ καὶ θάλασσα 419.c
Γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα ibid.c
Γαστρίζειν ibid.
Γλαυξ ἵπταται 243.c.d
Γρυπὸν genus duplex 218.d
Γυμνίτης 230. a. pullos ibid. suos fastidit

Δ.

Δ Litera 599.a
Δαφνοφάγοι 636.
Δεκαδόσιον multa Draconis 36.c
Δεκανὸς 449.c
Δίλοφος 599.a
Διλοφιόσημος Ulysses cur. 326.c.d
Δῆγμα ἀσπίδος 172.c
Δήμητερ 194.a
Δημοφάγοι 43.b
Διάκτορος Mercurius 402.b
Δίκης ὀφθαλμός 291.b
Διομήδεια ἀνάγκη 51.b
Διχόπτης Luna 484.d
Δράκων 538.b
Δωδεκάχια ἐξ ὑπάτων δύο numi inscriptio 181.d
Δωδεκαθεῶν convivium Augusti quale 170.b
Δῶρον 435.c.448.a

E.

Ἐᾶν 306.b
Ἐγίλωπι ὁ λίαν, παροιμία 7.b
Ἐδώ 321.d
Ἑκατηβελέτης Apollo 193.a
Ἐκβόλιος 415.a
Ἑκατερεώνη 346.b
Ἑκατιζειν 294.b
Ἔλαφον ἄνδρα quemnam vocent Græci 82.c
Ἐλαχὲς τὸ μ, prover. 534.b
Ἐλέφας Ἀλφίοιος ἀδίκως 23. b
Ἐλικοβλέφαρος oculus quis 395.a
Ἐμπλοκαι 331.a.b
Ἐνεάζυγον κορεῖον 247.c.459.d
Ἐνεάδες μυς φάσουλος 459.d
Ἐπάκτιος καὶ ἐπαδίσιμος 459. d
Hydra, ἐπτακέφαλος καὶ πεντηκοντακέφαλος 459.d.466.a
Ἐξίφιος 461.d
Ἐξιχνεύω 451.b
Ἐξωτίζειν 6.a.7.a
Ἔπια πλεῖστα cur dixit Homerus 257.a
Ἐπιδημία 411.c
Ἐπίκτητος 458.b
Ἐπικούριος 7.a
Ἑρμῆς Mercurius 402.b
Ἑρμᾶς 584.a
Ἑρωδιὸς unde dictus 396.b
Ἔρως dæmon nascentium 187.d
Ἑστία 223.c
Ἐυμβρίδης 120.d
Ἐυπατάτην 600.a
Ἐυρύσεσμος leo 4.c
Ἐυφρὼ 583.a

Z.

Ζεῦξαι 614.b
Ζῆνα cur Jovem Græci 588.a

H.

Ἡμιόχροφος χίνξ 697.d
Ἡγεμόνια 124.a
Ἡυγίων leo 1.d

Θ.

Θὼς unde dictus 194.c
Θεῶν χῆρις Philonis Pharmacum 265.a
Θῆρα 612.b
Θυρεὸς Mars 2.c
Θόη 347.a
Θυμελίωνες 3.b
Θῶαι 108.b

I.

Ἰδὲ πῶς ἀφίη 362.d
Ἰέναι ὑγίαινε 253.d
Ἰξύς 358.b
Ἰόβοτρυς 661.d
Ἰπποδὼ 213.d
Ἱππόδη 45.a
Ἰχθύων μὴ γίνεσθαι 367.c

K.

Κυρεῖος Apollo 616.c
Κακὴ τρίπτυα χρὼς 331.c
Καλλιχίλιοι obolus 337.c
Καλλάμη σφωτίσης 93.a
Κάππα 534.c
Καρδίαν μὴ ἐσθίειν, quid Pythagoræ 235.b
Κερκοπίθηκοι Græci cur, 386. d
Κερκὼν θῦμα 67.a
Κερκὼς 430.b
Καλαφύζειν 86.c
Κατασχύνιος Jupiter 396.b
Κνωδαξία 91.a
Κορακῶς cur vocatus Ptolemæus 552.d
Κορείνη 359.d
Κεγκαλίζειν 309.b
Κίκλης σφόμβος 308.c
Κοινὸς πάρεδρος vocatus Agathocles 251.a
Κοττῷ πλεῖν 570.c
Καππάπαι equi 534.c
Κόρυ ἴχνη καὶ μίλαι 311.d
Κωπικοσκίνιον, prov. 353.b.c
Κόσμος 263.a
Κελὶς ἀπλογοκίζειν 122.d
Κρόμμυον 715.c
Κρεπιὰς ὑγιάσιμος 178.d
Κρώζειν 247.a
Κυανοψία 662.a
Κύων ἡλίῳ cur dixerit Theocritus 274.a
Κύλλος 431.d
Κωμωιδία 67.c
Κυπαιρίττη κατρεὺς 361.d
Κύω καὶ ὦν 65.b
Κωλλάνη 270.a

Λ.

Λ in Lacedæmoniorum scutis 534.b
Λάας, λαὸς, Λάαος, λαὸς, 619. d
Λαγὼς unde formetur 153.c
Λαγῶς 401.c
Λείριον 689.b
Λευκασμὸς ibid.
Λέοι ὑγίαινε 7.b
Λευκοὶ 662.d
Λιβὸν πυροφόρος 693.c
Λιπαρὸς salamandra 196.d
Λοχαίαρος vocatus Demosthe-

mosthenes ab Æschine 581.c
Λόγ☉ quid D. Joanni 334.c.d
Δυκηγενίτης 116.a
Λύκ☉ περὶ τ βοῦς απιδεν 118.b
Λυκοπάδαι ibid.d
Λυκόφρυς 126.d

M

Μαγδὼν 167.d
Μάχιμος ὀξίμο δὲ πτέρψ. 535.c.d
Μελαν ὑφαν μὴ γένεσ 242.a
Μέγιστε homines 104.d
Μῦλον 119.d
Μὶνοεῖδὲς Luna quæ 484.c
Μήτι τοῦ, μήτε χρᾶμματα 74.d
Μιτᾶ μνάμονα συμπόσιον 442.a
Μιμόνωσιν gemmis insculptum 400.d
Μειόκεμος 27.d
Μικόκεμος μόσχ☉ quid Orphæo 30.a.b
Μορφὼ 524.c
Μυδὼν Solem esse putavit Anaxag. 555.b
Μυὸς ἅλεξ☉ 161.d
Μυίωψ 319.b
Μοκνὸν cur vocabant Neptunum 33.b
Μῦρμηξ ἡ κάμηλ☉ 90.c
Μυχὸς 195.a

N.

Ναεζηνοφόρος 691.b
Νῦς 377.d
Νῦς quid Anaxagoræ 171.d
Νεκλυπόλεος 717.a

O.

Ὀβελίσκος ἄξιος 627.d
Ὀιγ☉ 319.b
Οἰωνὸς 317.c
Ὀλολύζων φωνὴ 354.a
Ὀλόσχω☉ 342.a
Ὀμφαλὸς χαλιδόνας μὴ ἴσχει. quid 269.d
Ὀν☉ quid significet 140.b.c
Ὄνου pagus Phrygiæ ib.c
Ὀξέλιξις 432.c
Ὀξύγονον καὶ ὀξυβόειν χαλιδὼν 275.b
Ὀφεως ὄμμα 182.c
Ὀχηφορία 662.a
Ὀφιν θάλπης, καὶ αὖθις 171.d
Ὀφθαλμὸς ὕφαμ☉ Luciano quis 395.b
Ὀφιάδης Spartani 183.b
Ὀφιοῦχ☉ Argiphon 193.d
Ὀψοφαγοι 372.c

HoriApollinis loci aliquot vel emaculati, vel accuratius expensi 6.b.22.d.37.d.182.a.205.b.217.b.240.b.241.d.a.244.a.249.a.258.b.295.a.299.c.334.c

Π.

Παλαιστὴ mensura quæ 446.d
Πανδαμι☉ 123.a
Πανσέλην☉ Luna 484.d
Παρωνυχία quando sublata 230.b
Πάσχοι qui 475.b
Περιφόρβιος σφενδονῶν 486.a
Πηχὺς 448.b
Πιθηκόμορφ☉ cur dictus Thersites 77.a
Πίθ☉ 698.a
Πίνδικος πῶς καὶ σκίλος 294.a
Πισκαλίνοις 331.b
Πισκίσκη 261.c
Πλιγαὶ 332.b
Πολέμεως 81.a
Πολίαις. 605.a
Πολύτροπος. Ulysses. 331.c
Πορφύριοι. 342.a
Ποσειδῶνας. 604.d
Πόσις καὶ πόθος. 718.a
Πρωτόπορος σῦς ἱερᾶ. 204.a
Πρῶτον. 119.d.
Πρῶτον βίον ζῆν, καὶ πρῶτα τὰν ἡδύ. 223.a 117.b
Πτερύγια ἵππε. 257.a
Πυκνόψιν. 662.a
Πυρετὸς. 7.c
Πύριπ ος. æther cur Orpheo. 587.d
Πυραφόρος λιθὸς. 693.c

P.

Ῥ ἀ 519.d
Ῥακὸς 562.a
Ῥιπίσκος 27.a
Ῥιὸς 196.d
Ῥόδα ἴσομος 687.d

Σ.

Σ in equis quid 534.c
Σάλος 433.a.b
Σκοπιὰ 309.a.b
Σιμικὰ decæ quæ 120.d
Σιῦλος 727.c
Σκιοπικὸν atramentum 342.c
Σφίγξ 605.a
Σφηκία 289.a
Σκύζον 7.a
Σκῶπες 245.b
Σπῦδὲ ὀφθαλμὸς 318.d
Σπιθαμὴ 445.d.446.b 447.b
Σορὸν 161.d

Στέφανος μὴ ὀρέπτω 517.c
Σφηκοχαφία 626.b
Συγκεχυμένα corpora 166.c
Σφενοκέφαλος cur dictus Pericles 499.c.539.c
Σῶκρ mercurius 402.b

T.

Τερατπίζον 49.d
Τάνγεως Neptunus cur 481.c.d
Ταυροειδὸν βλίτη 30.c.d
Ταυροφόδες scarabeus 95.b
Ταυροκέφαλοι fluvii cur 33.c
Ταυροπόλος Diana, & cur dicta 40.d
Τῶς Φίλιον χῶρε 179.a

X.

Χαίρε 600.a
Χαῖρε χῶρε πρὸς prover 416.a
τὸν Χῶρε ἐπόνυμ ibid.b
Χελιδονίζει 269.d
Χλωάμενον 727.a
Χιλὰς 81.a
Χλωὰν 304.d
Χρυσοκαλῶν 105.a
Χρυσόμαλλε quemnam vocarit Diogenes 117.c.d
Χρυσόμιτρα Mercurius 190.a

Ω.

Ὠδινδὸν 363.c
Ὠτῆτι 331.b


Τ Ε Λ Ο Σ.

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

*IN SEX LIBROS, ORDINE ALPHABETICO DIGESTA,*

Et nunc primum

## JOANNIS PIERII VALERIANI, ET ERUDITI ANONYMI

*Sexaginta Hieroglyphicorum Libris addita.*




*FRANCOFURTI,*

Sumptibus CHRISTIANI KIRCHNERI,

Typis WENDELINI MOEWALDI,

ANNO M DC LXXIIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

## *LIBER PRIMUS.*

### AD LECTOREM, DE HIEROGLYPHICIS, PROLEGOMENA.

ΙΕΡΟΓΛΥΦΙΚΑ dicta, sunt ænigmaticæ quædam in rebus arcanis sculpturæ, & sacra apud Ægyptios monumenta. Illi enim prius quam usitatissima esset literarum ac scripturæ ratio, vel ne facilè vulgo sacra profanarentur mysteria; non literis hæc, sed Sculptis rerum animaliumque figuris designabant, quem morem ab Hebræis mutuasse videntur. Clemens Alexandrinus, Strom. lib. 5. ait Ægyptios & Hebræos symbolis usos fuisse reconditis, ut sapientiæ divinæ eos participes efficerent, qui rebus sacris essent initiati. Addit etiam nefas existimatum Platoni, eum qui minimè purus esset, ad purum quidpiam attrectandum accedere: quam ob causam sacra vaticinia ænigmatis olim reddita fuisse constat, nec vera mysteria ostendi iis solita, qui temerè & impudenter accederent, sed qui primum purgati essent, seseque diligenter præparent. Observat idem eos qui ab Ægyptiis docerentur, primo quidem sequutos esse rationem, quæ ἐπιστολογραφικὴ dicitur. alteram qua ἱερογραμματεῖς utebantur: tertiam & postremam ἱερογλυφικὴν nominabant, nempe sacram quandam sculpturam vel cælaturam; ex quibus maximè celebris ea fuit quæ συμβολικὴ dicebatur. Omnes autem quotquot vetustis temporibus de rebus divinis aliquid scriptis mandarunt, tam Barbari quam Græci, rerum principia occulta esse voluerunt; & ipsum τὸ ἀληθὲς ænigmatis, signis, symbolis, & allegoricis quibusdam figuris tradiderunt. Eadem fuere celebrata illa Græcorum oracula: unde Apollo Pythius λοξίας & flexiloquus cognominatus est, quod obscure ac obliquè responderet. Plutarchus lib. de Iside & Osiride veterum Ægyptiorum institutum illud fuisse ostendit, ut vel ex ordine Sacerdotum aut eorum qui militiæ nomen darent, ab iis reges legerentur: eo quod alii ob fortitudinem, alii autem ob sapientiam magni ac celebres haberentur. Ex bellicosis rex delectus, statim se sacerdotibus erudiendum tradebat, idemque sapientiæ particeps efficiebatur,

ejus inquam sapientiæ quæ mythologiarum involucris pleraque occultabat, & obscura quadam verborum fascia veritatem complectebatur.

Certè antiqua illa Pythagoræ symbola hujus Philosophiæ usum non minimum præbuere; quæ cum à Tyrrhenis (apud quos fuit educatus) vel ab Ægyptiis, quorum scholas perlustravit, accepisset, ita excoluit, ut magnam suæ doctrinæ partem hisce mysteriis occlusam esse voluerit. Tradit enim Jamblichus, eos olim designasse per navis gubernatorem supremum Deum primum motorem, & primam illam causam rerum omnium, ut ostenderent omnia Dei nutu administrari sicut per mundi lutum materiam generationi aptam, ipsumque corpus intelligi volebant. Atqui & interdum non alio symbolo Deum designabant, quam oculo depicto, cui & baculum seu sceptrum subdebant: quandoquidem Deus unus est, qui omnia videat, & penes quem sit præcellens regiaque dignitas. Nonnulli tamen stantem oculum ad aliud referunt, nempe ad naturam divinam ἀνυπερβλητον καὶ ἀκίνητον. Hanc Ægyptiorum philosophiam Chæremon complexus est, ut & Horapollo Niliacus, qui Græcè editus exstat; auxit Pythagoras, illustrarunt excellentes quidam Philosophi & scriptores nobiles, Athenæus, Clemens & Cyrillus Alexandrini, Origenes Adamantius, Pausanias, Porphyrius, Plinius, Apulejus, Plutarchus: quamque nostra ætate pene intermortuam magno labore, laudabili industria, imò vero admirabili peneque divino ingenio excitavit suisque perfecit numeris Joannes Pierius Valerianus, magnis illis ἱερογλυφικῶν commentariis. Hujus primæ sapientiæ usum retinuerunt multo ante Pythagoram Moses, Jobus, David, Salomon, aliique Hebræorum sapientes. Sunt & qui de Chaldæorum Symbolis ex Commentariis Pselli, quibus Magica oracula Zoroaster exequitur, nonnulla posteris reliquerunt. Sic enim ex figuris plantarum florum, animalium, astrorum, rerumque aliarum pleraque involvebant, ut minimè putem commodius sapientiæ veterum quasdam reliquias ad nostra usque tempora transmitti potuisse. Id vero si quis velit aliquo exemplorum specimine sibi demonstrari, statim colliget, pro fertilitatis symbolo Papaver usurpatum, Cupressum pro morte; Olivam esse Hieroglyphicum seu symbolum pacis, Lauram & Hederam ingenii semper virentis, Malum Cotoneum concubii notam iisdem habitam fuisse, ut Satyrum & Capram libidinis, Leonem terroris, iracundiæ, dominatus, Solem anni, Lunam mensis: & cætera alia longè multa, quæ immenso labore parique doctrina idem Pierius est exequutus.

De Hieroglyphicis autem ita Lucianus in Hermotimo, nullis olim literarum figuris, sed signis quibusdam & characteribus sortes connotabantur, cujusmodi per multa literarum loca depingunt Ægyptii, puta homines caninis aut leoninis capitibus. Porro illud non omittendum, referente Plutarcho, solitos fuisse Ægyptios ad templorum limina Sphynges locare, ut innuerent eam quam de rebus sacris doctrinam profitentur, ea sapientia constare quæ obscura sit, & involucris quibusdam lateat. Quemadmodum verò Hebræi arcanas suas sententias & sacrosanctæ religionis interpretationes mysticas omnibus indiscriminatim, literarum monumentis manifestare noluerunt, sed potius per certam, & ordine continuato propagationem ac vivam vocem parentes filiis, atque hi suis posteris per manus tradere studuerunt (unde etiam Cabalam, id est, depositum atque hæreditariam, ut ita dicam, acce-

acceptationem vocarunt, quam Chrysostomus in priorem ad Corinthios ἀγραφα quoque ab ipsis dicta fuisse commemorat:) ita consvetudinem hanc imitantes finitimi populi, potissimum Ægyptii & Indi, longo tempore, præsertim iis in rebus, quæ ad medicamentorum facultates spectant, eandem observarunt. Verumtamen cum eorum Sacerdotes postea deprehenderent, hunc modum instituendi & docendi, ob vitam nostram brevem, caducam & fluxam, nimis fore incertum ac dubium, pauloque post plane forsitan interiturum, alium faciliorem & stabiliorem excogitarunt, notis scilicet quibusdam & figuris, quæ tamen obscuriores essent, & sine autorum indicatione vix ab aliis intelligerentur, sacras suas ac arcanas disciplinas hac ratione describentes. Hunc morem adhuc apud Chinenses, extremæ Asiæ latiss. populos (quos Sinas esse apud Ptolemæum docti existimant, alii ad Seres referunt) vigere, testantur recentiores rerum Indicarum scriptores. Diodorus Siculus lib. 1. eadem ἱερογλυφικὰ, nempe γράμματα αἰγυπτιακὰ, vocat αἰθιοπικὰ, & ἱερὰ, id est, sacra, illa, (lib. 3.) opponens τοῖς δημώδεσι, quæ δημοτικὰ Herodoto, lib. 2 Plinius lib. 36. cap. 8. Sculpturæ illæ effigiesque, quas videmus, inquit, Ægyptiæ sunt literæ, de quibus etiam Diodorus lib 4 Philo Jud lib 1. de vita Mosis vocat τὴν διαγεγραμμένων φιλοσοφίαν. Clemens Alexandr. Stromat. lib. 1 & 5. μυστικὴν, ἢ τὴν αἰγυπτίων γραμματικήν. Ignorabiles literas nominat Apulejus, lib. 2. Metamorph Meminit etiam eorum Plutarchus, præsertim lib. de Isíde & Osiride. pluribus item locis C. Tacitus lib. 2. Annalium, & Ammianus Marcellinus, lib. 17. his verbis, formarum innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas obelisco Ægyptio undique vidimus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad ævi quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatius perveniente memoria, promissa vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc literarum numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest ita prisci quoq; scriptitarunt Ægyptii; sed literæ singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam integros sensus significabant. Cujus rei scientiæ in his interim sit duobus exemplum Per Vulturem Naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has alites inveniri, rationes memorant physicæ: perque speciem Apis mella conficientis indicant Regem moderatori cum jucunditate aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes, & alia plurima. Libro autem 12. idem historicus, de Ægyptiis agens ait, excisis parietibus, volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras, quas hieroglyphicorum literas appellarunt, Latini ignorabiles, Lucanus libro tertio linguas magicas vocat.

Ægyptiorum Sacerdotum inventioni tam ingeniosæ sapientes posteri multum ornamenti suis libris & disputationibus adjecerunt. Permulti etiam nobiles & generosi virique principes, bellicis olim negotiis præfecti, quo sui nominis atque familiæ splendorem quam latissimè propagarent, stemmata quædam & symbola, alii sacra, alii profana omnibus usurparunt & certè omnibus penè gentibus in more positum fuit, ut speciale aliquod signum militare haberent, quo facilius cogi possent, & in unum convocari locum milites qui vel sparsi vel fusi extra castra essent. Diodorus lib. 1. initium ejusmodi schematum à temporibus Osiridis repetere vide-

tur, & Pindarus canit Amphiaraum in expeditione Thebana pictum Draconem in clypeo circumtuliſſe; Statius Capaneum Hydræ, Polynicem Sphingis imagine fuiſſe uſos in ſcutis. Agamemnon in bello Trojano pictum habuit in ſcuto Leonem una cum Epigrammate, οὗτος μὲν φόβος δὴ βροτῶν. Ulyſſes Delphinem: Hypomedon Typhonem ore fumos efflantem; Perſeus Meduſæ vel Gorgonis caput. Neque enim dubitare poteſt, quin & cæteri nobiles ſuæ inſignia familiæ, ſeu ſymbola quædam propria ſibi vendicarint. Virgilius lib. 8. Æneidos id minimè ſibi prætermittendum putavit, cum Turni auxiliares copias memorat, quorum hominum arma ſignaque diligenter & ſtudioſe perſecutus eſt. Cimbrorum & Teutonum bello illo horribili, qui in Mario Plutarch. deſcribit, id memoratu dignum obſervat, eos populos, quanquam immanitate barbaros, ſuis in peltis, aliisque id genus bellicis inſtrumentis, non modo nitorem armorum habuiſſe, ſed & depictas ferarum imagines. Primis imperii Romani temporibus in expeditionibus bellicis, cum acies eſſet educenda, vel etiam prælium committendum, pro ſigno fœni manipulis utebantur: unde legiones manipulares primo appellatas eſſe conſtat. Quum vero imperium creviſſet, ſigna alia ſibi finxerunt, qualia fuere Lupi, Equi, Capri, Minotauri, pro vario Principum arbitrio qui militibus præficiebantur. Sed ut ea demum Aquila uſurpari cœpta eſt, pro publico & perpetuo imperii Romani ſymbolo, ſic uſus invaluit, ut quæcumque legio diſtinctas inſignium notas haberet. Quod poſteris ita transmiſſum eſt, ut ejus rei memoria, quamquam longa temporum intercapedine, longoque ſpacio, & pene vetuſtatis oblivione demerſa, ſcriptorum beneficio tamen nondum intermori potuerit. Dio tradit Pompeji Magni annulo expreſſa fuiſſe trophæa tria, ut ante Sylla dictator fieri ſibi curaverat. Plutarchus vero ait in eo ſummi pretii lapillo, qui Pompeji fuit, quique poſt mortem ejus Cæſarem coëgit ad lachrymas, Leonis conſpicuam fuiſſe imaginem enſem tenentis. Alexander Macedo ſerpentis imagine ſymbolo uſus eſt, quod ſeà Jove Ammone ſub forma ſerpentis eſſe genitum credi vellet. Auguſtus Cæſar magnam animi ſui moderationem, alienumque ab omni temeritate judicium, id eſt maturitatem in rebus gerendis oſtenſurus, in altera numi aurei parte, quem cudendum ea maximè cauſa juſſerat, Papilionem una cum fluviatili Cancro ſculpi voluit: altero tarditatem, altero celeritatem ſignificans, & lente feſtinandum eſſe præcipiens. Eandem & Sphingis imaginem in ſigillo ſumpſiſſe memorant: quo plerique conjiciunt eum deſignaſſe ſuam in rebus obſcuris illuſtrandis, & conficiendis negotiis alioqui perplexis admirabilem ſolertiam, quod tamen ſignum commutavit Republica primum compoſita, & Alexandri ſymbolo poſtea fertur uſus, fortaſſe ut Monarchiam, qua ſe dignum putabat, intelligeret: quam ubi magna planeque inaudita felicitate conſecutus eſt, non alia delectatus eſt imagine quam ſua. Mecœnas eques, Auguſto familiariſſimus, Ranam uſurpavit, fortaſſe Seriphiam, ut quibusdam placet ad arcani fidem, quam unice obſervabat ille, deſignandam. Titus Veſpaſianus, Auguſtum æmulatus, proprium ſibi ac peculiare ſchema vel ſymbolum habuit, quod maturandum eſſe præcipiebat, Delphinum anchoræ alligatum. Narratur hiſtoriis Eccleſiaſticis, & D. Hieronymi Commentariis, literam Hebraicam TAV ſalutis fuiſſe olim ſignum etiam Paganis ipſis habitum, quod

quod parietibus templi Serapidis passim visum est. Nullus est ex nostris quin audierit aut legerit memorabilem illam Constantini Magni expeditionem adversus Maxentium, qua, maximè signis militaribus, signum Dominicæ Crucis tum primum cepit: & certe crux merito pro salutis nota usurpari cœpta est, quod T. literæ, quod fuit olim absolutionis signum, videtur respondere, si picturam & lineas spectes. Schemata vero, seu insignia vel arma, quæ vocantur gentilitia, imagines & peculiaria hominum, vel publica nationum aut civitatum symbola vetera vel recentia describere, vel explicare nostri non est instituti. In Opere Pieriano quædam occurrunt. De nonnullis aliis fortasse pauca alia addentur! Unum hic apponamus. Verba significant, inquit Jurisconsultus, Comment. in tit. de rerum & verb. significat. res significantur; tametsi & res quandoque significent, ut hieroglyphica seu sacræ Ægyptiorum literæ. Ad hieroglyphica accedunt emblemata, symbola, insignia, quæ quamvis nomine differant, reipsa multis modis convenire videntur. Alia imaginum gentiliarum ratio, quamquam ad eundem fortasse finem olim Romani sumpsisse videntur imagines, ut posteriori & hodie nobiles sua illa stemmata. Ii certè nobiles dicebantur, qui sui generis imagines pro nobilitate usurpare sit auctorib. familiare. Eas Romæ patricii inprimis sibi tribuerunt, & qui soli majores magistratus, nempe Ædilitatem majorem, Præturam, Censuram, Consulatum obtinebant. Quæ imagines quales fuerint docet Polybius lib. 6. Plinius lib. 35. cap. 2. ut etiam M. Tullius permultis locis. Erant enim simulachra quædam oris similitudinem artificiose fictam coloribus pigmentis adumbratam referentia, quas insigniore domus parte positas armaria lignea includebant. Eas autem imagines festis diebus exornabant apertis armariis: cumque è propinquis aut affinibus aliquis mortuus efferretur, in funere circumferebantur imagines, addito, ut magnitudine quamsimilimi apparerent, reliquo corporis trunco; eas demum cereas fuisse monet Plinius, ut inde appareat majorum imagines posteris etiam temporibus nominatas, non ita tamen usurpatas. Nam insignia nobilium imagines habent illas quidem, sed non humani vultus, ut fuerunt olim Romanorum. Pro quibus posteriora sæcula habuerunt sua illa quæ vulgo arma vocitantur, id est insignia gentilitia; quæ ut ad honorem & gloriam veteribus usurpata sunt, postea virtutis præmia rerumque præclare gestarum aperta testimonia fuerunt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

B

## *LIBER PRIMUS.*

### ABJECTA *& vilia prosunt.*

DE Alce tam veterum quàm recentium autorum descriptiones non parum inter se discerpare videntur. Quam enim Cæsar lib. 6. De bello Gallico Alcen, Doctiorum judicio est Machlis Plinii, lib. 8. cap. 15. quam in Moscovia adhuc reperiri sunt qui dicant. Prutenica autem & Suecica Alce, Germanis vocatur Elend. q. d. miseria ipsa, cùm timidum sit animal admodum, statimque homines olfaciens fugiat, ac præterea quovis parvo vulnere accepto moriatur. Ajunt etiam epilepsia laborare crebro, & ungula posteriore auri appositа inde liberari, quod tamen apud quosdam incolas nondum fidem reperit. Scaliger in exercitationibus cum Rangifero (ut & alii) confundere videtur. Jubatos Bisontes nominari à Plinio, de Scythicis animalibus loC quente, putat Apollonius Menabenus Sveciæ regis Medicus, qui etiam peculiarem de eo commentarium conscripsit. Dodonæus existimat Strabonem, Solinum, Paulaniam, quamvis plenam illius cognitionem non habuerint) de nostra Alce esse intelligendum. facultatem autem ungulæ singularem ineſse asserunt, quamvis infimæ parti corporis, contra epilepsiam & hysterica mala, non solùm intra corpus, sed amuleti quoque instar adhibitæ. De Cornibus idem alii affirmant, non pauci negant, tametsi contra venena, instar cervini cornu, usurpari posse docti asserunt. Inde vero discimus, sæpe etiam abjecta contempta, humilia, vilia, non exiguam in se continere utilitatem. Quare Plinius rectè dicit, lib. 15. cap. 14. Nihil tam parvum esse, quod non gloriam & utilitatem parere possit. Inde distichon;

*Vilior haud pars est Alci nec dignior ungue:*
*Ergo etiam parvis gratia magna data est.*

### ABSURDA.

D

SApiens, Proverb. 26. v. 1. Quomodo, inquit, nix in æstate, atque pluviæ in messe: sic indecens est stulto gloria. Omnibus non tantùm ex meteorologia, verùm etiam ex quotidiana observatione notissimum est tantam nivium vim mensibus æstivis nequaquam effundi posse, quin annorum ac tempestatum vices planè invertantur. Eodem spectat alterum illud de pluvia in messe, quæ apud Judæos ita raro conspiciebatur, ut ingentis esset miraculi loco. 1. Sam. 12. vers. 16. 17. Quamvis autem in temperatis regionibus, etiam tempore messis, pluviæ frequentiores decidant: omnes tamen fieri cogimur, eas tum admodum esse intempestivas & noxias. Nam & collectionem frugum impediunt, & iisdem accedente ad æstivum illum calorem nimia humiditate, facilè putredinem inducunt. Ad actiones absurdas hæ notæ hieroglyphicæ possunt accommodari, tum



vero

vero imprimis ad præposteram illam facilitatem qua tituli & gradus honorum conferuntur in homines impios, stolidos, nonnunquam etiam manifeste facinorosus, quos εἰς κόρακας mitti, atque in crucem tolli æquius erat. Applicationis causæ cuivis sunt obviæ. Primum enim, planè absonum, atque à justitiæ legibus alienum est, si honore digni cum ignominiosis comparentur, aut (quod gravius est) ab iisdem etiam superentur. Deinde hæc confusio non tantum inconcinna, verùm etiam apprimè damnosa est. Impii enim sublimi rerum fastigio collocati, pietatem labefactant, bonos opprimunt, & justitam omnem evertunt. Et ut maximè nihil violenter suscipiant, tamen exemplo suo virtutem segetem ac frugem corrumpunt. Plerique enim si videant eodem ordine haberi probos atque improbos, strenuos & ignavos; omissa virtute, ad quævis flagitiorum genera convertuntur. Quamobrem Salomon istiusmodi homines, quos stultos nominat, à gubernaculis Rerumpublicarum aliisque dignitatibus arcet. Græci quoque indignis honorem exhiberi vetant trito dicterio ὄνῳ κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρῳ. id est, *Asini caput ne laves nitro.* Et Publius Syrus proximè ad Sapientis mentem hoc mimo accedit;

*Loco ignominiæ est apud indignum dignitas.*

Ad idem hieroglyphicon referri potest aliud Salomonis proverbium, v. 8. ejusdem 26. cap. Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem. Per acervum lapidum D. Hieronymus intelligit ἑρμαῖον, quod Suidas nominat σωρὸν τῶν λίθων, εἰ τῷ Ἑρμῇ ἀνέφεροντο Nam ut idem ille autor paulo post commemorat, λίθον σωρὸς ἀφίεραν τῷ Ἑρμῇ ἐν ταῖς ὁδοῖς τοῖς ἀδήλοις. Veteres acervos lapidum in triviis aut viis obscurioribus Mercurio consecrabant; ita ut viatores adjicerent lapides cumulo, vel ut vias superstitione ducti repurgarent, vel ut statuis & itinerum notas collocarent in triviis, vel ut lapidum acervo Mercurialis imago prætereuntibus notior fieret. Est autem D. Hieronymi sententia. Qui insipienti, id est, hæretico honorem docendi confert, non minus delinquit, quam qui idola delubraque Gentilium cultu veneratur inani. Hæc ille, lib. 3. in Proverb. ad cap. 26. vers. 8. Alii legunt, Qui stultum honore adficit, perinde facit ac qui lapidem in funda ligat. Alii, Ut qui applicat lapidem balistæ, ita facit qui stolido præbet honorem & ita exponunt; Qui stolidæ personæ aut verbis honorem habet indebitum, manu furioso gladium porrigit, & ei quadammodo arma subministrat ad nocendum, eumque confirmat in malo; perinde ac si quis lapidem aut missile quodvis gravissimum imponeret tormento illius qui temerè ejaculaturus esset. Alii autem, ut lapis preciosus annulo iuclusus in acervum lapidum conjectus: ita qui stulto dat gloriam. Vel perinde facit qui stultum honore prosequitur, ac si in acervum lapidum gemmam aureo annulo inclusam conjiceret. Gloria nihil pretiosius. Illam stultis tribuere, absurdum plane, & veluti in Sterquilinium temere conjicere gemmam pretiosissimo affabrè annulo inclusam. Cæterum, ne quid omittamus, quidam acervo lapidum intelligunt locum publicum, ubi sontes extremo supplicio corporis afficiebantur. Judæi enim damnatorum cadavera plerumq; ingenti lapidum cumulo penitus obtegebant, sicut ostendit Achanis, regum Chananæorum & Absalonis historia, Josu. 7. 25. & 8. 29. & 10. 27. & 2. Samuel. 18. 17. Quemadmodum autem omnes natura duce à funestis ejusmodi locis, & crebra illorum inspectione abhorremus: *ita longè indignius* est gemmas eo conjici, quas olim quocumque modo violari nefas erat, quod veterum judicio (Plin. lib. 37. procem.) rerum naturæ majestatem in arctum coactam ostenderent, ideoque non immeritò annulis aureis inclusæ summi ornamenti loco ducerentur.

## ABUNDANTIA COPIA RERUM.

VAriis hieroglyphicis notis pingitur in volumine sacro. 1. Nomine aquarum, ut Job. 3. 24. tanquam inundantes aquæ. & 15. 16. Bibit iniquitatem, quasi aquas. & 34. 7. Bibit subsannationem quasi aquam. Psal. 36. 8. Potabis eos voluptate, sicut torrente, &c. notat enim delicias abundanter effusas. Prov. 18. 4. Aqua profunda verba ex ore viri, ut torrens redundans fons sapientiæ. Esa. 48. 18. Pax tua sicut flumen: justitia tua sicut fluctus maris. & 66. 12. Declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium. Thr. 2. 19. Effunde sicut aquam cor tuum, id est, in summa calamitate totum cor atque omnes ejus cogitationes Deo suppliciter expone: ut Psal.

62. 9.

A 62.8. dicitur, effundite coram ipso corda vestra. Nahum.2.8. Quasi piscina aquarum: de Nineve, quæ antea tam hominibus quam facultatibus aliunde importatis erat refertissima, ut totius prope mundi opes in eam confluxisse viderentur, itidem ut aquæ in piscinam solent. II. Nomine terræ & arenæ quæ est in littore maris. Job.27.16.16. Comportavit argentum, quasi terram, præparavit vestimenta quasi lutum. Genes. 13.16. Sicut pulvis terræ. Gen. 22.17. & 32.12. & 41.49. Judic.7.12. 1.Sam.13.5. & 1.Reg.4.20.29. Psal. 78.27. & 139.18. Jerem. 33.22. Ose. 2.1. Rom. 9.27. Hebr. 11.12. Velut arena quæ est in litore maris. III. Nomine Stellarum. Gen.26.4. & 27.17. Exod. 32.13. Deut.1.10. & 10.22. & 28.62. Nehem.9.23. Nahum.3.16. Hebr. 11.12. Sicut stellæ cæli.

## ABUSUS *rerum.*

VInum sanos & commodè degentes juvat, atque cor hominis lætificat: febricitantibus verò si vel guttatim paulum hauserint, perniciem & interitum continuo parit. Ita fit ut eadem res, eodem modo sumpta, uni quidem vitam, alii verò mortem conferat. *Orig. homil. 5. in Lib. Judic.*

B Et mellis satietas vomitum movet quantumvis mel sit. Ut Salomoni, sic & mihi videtur suum cuique negotio destinatum esse tempus. Et videmus quæ per se bona sunt, si non bene quoque tractentur, boni gratiã amittere, non aliter atq; hybernis mensibus sunt intempestivi flores. Nec mulieres virilis, nec viros muliebris ornatus decuerit. Ut nec luctui convenit musica, nec in potum lacrymæ. *Nazianzen. lib. 1. de Theologia.*

In rerum natura quæ spectatissima florent, celerrimè marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: & in hominum vita quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diversum. *Plin. libr. 9. capite 15.*

Polypus stupidum alioquin animal in captandis conchyliis incredibili utitur solertia. Quidam ad solum quæstum suum sapiunt, alibi pecudes meræ. *Plin. lib. 9. cap. 29.*

Vina vasis è taxo factis infusa mortifera sunt; salutaris alioquin eruditio, si in hominem pestilentem inciderit, moribus illius redditur noxia. *Plin. lib. 16. cap. 11.*

Si multi vino inebriantur, non ideo vites amputamus, sed propius fontes sunt admovendi. Nec
C protinus abjiciendum scientiarum studium, quo multi abutuntur, sed adhibenda cautio, ut fiat salutare. *Plutarch. in Moralib.*

Prometheus Satyrum ignis amplexus ambientem monuit ut à proposito desisteret, & gauderet lumine commode captato. Sic eadem res & utilis & pernicios fit prout ea uteris. *Plutarch. in Moralib.*

## ACTIONES *præclaræ.*

ALoe quod vulgo, ob perpetuam viriditatem in Italia *Semper vivum* quoque vocatur, imprimis fovetur à Sole, & cum ejus radiis flores illius elegantissimi circumaguntur. Ita quoque actiones præclaræ & laudabiles à Sole justitiæ, id est, Deo Optimo Maximo conservantur semperque durant; nec à malis ac invidis hominibus, tanquam crassioribus nebulis unquam possunt obscurari vel labefactari.

*Sol prius à cursu, quam mens proba tramite recto*
D *Flectatur, semper vindice tuta Deo.*

## ADMONITIONES.

EQuis non in ipso cursu, sed ante cursum, frenum injicimus. Iracundi vel libidinosi ante rationibus ac monitis refrenandi sunt, priusquam in periculum ventum sit. *Plutarch. in Moralib.*

Oculo lippienti non est admovendum lumen. Animus affectu laborans non admittit increpationem, huic admisce laudem, & sic de mederis. *Idem.*

Helleborum, tametsi efficax, medici non propinant senibus, aut pueris, aut exilibus. Admonitio sic est temperanda, ut eam is ferre possit, quem cupis emendare: nec solum spectandum est vitium, sed natura quoque hominis, cujus vitio studeas mederi. *Plinius lib. 25. cap. 5.*

## ADOPTIONIS *Gratia.*

INtueris Oleastrum? vide ut de gratia tuæ adoptionis, & de vera animi modestia cogitans memoria repetas gravissimum Apostoli dictum, Roman. 11. cap. vers. 17. &c. Si nonnulli rami defracti sunt, tu verò quum esses oleaster, insitus es eorum loco & particeps radicis ac pinguedinis olex factus es; Ne gloriare adversus ramos: quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices igitur, defracti sunt rami, ut ego insererer. Rectè: per infidelitatem defracti sunt, tu verò per fidem stas; noli altum sapere, sed time.

## ADVERSA *Constantiam desiderant.*

MUscæ in speculi superficie tanquam nimis glabra & expolita non possunt consistere, indeque levi momento decidunt, at in corporibus scabris & duris inhærere diutius & validius illis creditur. Non aliter viri constantes in rebus duris & adversis omnia magno animo agunt, & quidem stabilius ac alacrius, quam in secundis, quas Xenophon ait difficilius esse moderate ferre quam adversas. Et Plutarchus in erudito commentario περὶ μυθικῶ ad Apollonium, inter alia egregia dicta, quæ huc pertinent, hoc quoque exponit: πεπαιδευμένου γὰρ ἔθει καὶ σωφρόνων ἀνδρῶν, πρὸς τὰς δοκούσας εὐτυχίας τὸν αὐτὸν εἶναι, καὶ πρὸς ἀτυχίας φυλάξαι τὸ πρέπον, id est, *Rectè enim instituti hominis est atque cordati, neque mutari ob eventum rerum quæ videntur prosperæ, & constanti animo decorum in adversitatibus servare.* Minimum enim illi obesse fortuna potest, qui sibi firmius in virtute quam in casu subsidium collocavit, ut author in Rhetoricis ad Herennium inquit. Videtur etiam ita non inconcinne accommodari posse ad innocentiam probitatemque vitæ, quòd in ea nulla sordes adhærescere, nulla malevolorum reprehensio, nullus fortunæ impetus locum invenire possit, sicuti viro bono fecit Ausonius,

*Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus:*
*Externæ nequid labis per lævia fidat.*

Et ante ipsum Horat. lib. 2. Serm. Satyr. 7.

*In seipso totus teres atque rotundus,*
*Externi ne quid valeat per læve morari,*
*In quem mancaruit semper fortuna &c.*

Poëta noster autem,

*Rebus in adversis sis fortis, nempe ea parva*
*Laus est virtutis, prosperitate frui.*

## ADVERSA *Fortium pabulum.*

CArduelis (ut Isidorus ait) ita nominatur, quia spinis & carduis pascitur, quare Græcis est ἀκανθὶς. Apparet autem ex Aristotele lib. 9. Carduelem potius esse veterum θρανίδα quemadmodum etiam Plinius & Gaza verterunt, ἀκανθὶν verò spinum sive ligurinum. Nostrum, verò carduelem, ut nomen indicat, spinas quoque appetere, ac illis vesci Aristoteles ait. Ad eundem modum viri fortes & strenui, res difficiles & asperas pro pabulo suæ virtutis habent, & inde ad omnia pericula subeunda promptiores & alacriores efficiuntur. Quod imprimis facitant homines militares & vera disciplina bellica exercitati, qui pro religione & patria semper intrepide in armis versantur, & necessitate postulante se vitamque suam ideo fortiter hostibus objicere non dubitant. Quibus planè dissimiles sunt mercenarii nostri quidam, quorum (secundum Claudianum) emta est fides, venalesque manus, venalia castra, ut ex Lucano ait Duntherus: quos vir eruditissimus ingeniosè laniis comparat, nam quemadmodum hi pecudes, sic illi homines spe lucri ingulant. Cæsar Capuccius Neapolitanus scribit alio quodam sensu hoc hieroglyphicon usurpasse quendam suum amicum, virum probum & sapientem, cui uxor esset non quidem formosa, sed virtute ac moribus eximia, cum Italico dicto, ED'ALTRO NONMI CALE, id est, hæc mihi sola placet: quod Seneca in Octavia quoque subjicit.

*Probi-*

*Probitas, fides, mores q; pudor q; conjugis*
*Placeant marito.*

Et Lucretius:

*Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis*
*Morigeriq; modis & mundo corpore culta,*
*Ut facile insuescat secum vir degere vitam.*

Poëta noster autem hieroglyphicon explicans, ita canit,

*Adversos casus fortis sua pabula ducit,*
*Pro victu ut spinas mollis acanthus habet.*

## ADULATIO.

LUpus animal est Cani simile. Adulator, adulter, parasitus amico similis est. Epictetus apud Stobæum, Serm. 3. Delphini, quo usque unda subest, comitantur natantes: in littus verò nunquam egrediuntur. Adulatores in sereno rerum statu semper manent, in adverso, ut muscæ, foco extincto, recedunt. *Sotion Serm. 12. Stob.*

Ligna dum augent ignem ab ipso consumuntur. Opem dum alunt adulatores, ab eis ipsis pereunt, *Aristonymus apud Stob. eod. Serm.*

Actæon à canibus suis discerptus est. Adulatores eos à quibus aluntur pessundant. *Phavorinus ibid.*

Corvi cadaverum oculos effodiunt. Suis laudibus adulatores corrumpunt hominum animos. *Plutarchus de adulatoris & amici discrimine.*

Præterfluens aqua refert colorem subjecti soli. Adulator sui dissimilis est, pro re nata sese adaptãs.

Vix deprehenduntur feræ quæ ad similitudinem loci colorem mutant. Adulatores non facilè deprehendunt, qui chamæleontis instar, ad quæcunque dicta & gesta sese flectere norunt.

Speculum quicquid objicitur imitatur & refert: Sic adulator.

Simia cum nec domum servare possit ut canis, nec onera gestare quemadmodum equus, nec arare sicuti boves, parasitatur, ac risum movet. Adulator cum ad seria & gravia sit inutilis, voluptatum est minister.

Umbra, quicquid agas respondet & adest. Adulator, quoquo te vertas, sequitur.

Chamæleon omnem imitatur colorem præterquam album. Adulator in turpibus nihil non imitatur: solum quod honestum est imitari non potest. *Plinius lib. 8. c. 33.*

Nihil insidiosius melle venenato: & nihil magis cavendum quam blandus hostis. *Lib. 21. c. 13.*

Hyæna, sicut & ichneumon, nunc mas est, nunc fœmina. Quidam sui dissimiles nunc fortia loquuntur, nunc mollia: nunc Philosophi sunt, nunc nepotes: nunc amici, nunc inimici. *Lib. 7. c. 2.*

Hyæna vocem imitatur humanam, & nomen alicujus edidicit, quem evocatum lacerat. Quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant. *Ibid.*

Cupresso non innascuntur cerastæ, propter amaritudinem; nec buxo propter duritiem: Ita pestis adulationis fugit severa tristiaque ingenia, mollia captat & facilia. *Lib. 7. c. 24.*

Quod oleum est muscis, formicis, fereque reliquis insectis, id est adulatio stultis principibus. Siquidem illa oleo peruncta moriuntur: hi assentatione & palponum obsequiis in exitium trahuntur, ipsi trahunt rempublicam. *Lib. 11. c. 19.*

Heliotropium herba spectat semper in eam partem qua sol est, & eo condito florem contrahit. Nonnulli ad regis nutus omnes obsecundant, & in quodcumque viderint propensum, in id feruntur & ipsi. *Lib. 18. c. 27.*

Vitrum mirè crystallum imitatur, res vilissima longè pretiosissimam. Adulatio amicitiam imitatur, res pessima longe optimam. *Lib. 37. c. 2.*

## ADULATOR.

IDem evenit adulatori quod Chamæleonti, inquit Plartarchus, lib. de amici & adulatoris discrimine, hic enim omni colori se potest similem præstare demto albo: & adulator in iis quæ digna sunt

ſtudio cum ſe ſimilem præſtare nequeat, nihil niſi turpe imitando exprimit. Cum autem parum abſit, quin totum corpus ejus pulmone impleatur, is ſpiritu plenus ob raritatem & pellucidam cutim ita diſtenditur, atq; aptam ad mutationem reddit ſuperficiem corporis. Plinius vero paulo aliter lib. 8. c.33. hæc de eo recenſet. Ipſe Celſus hianti ore ſolus animalium nec cibo nec potu alitur (notandum tamen, interdum muſcis, formicis, & aliis inſectis veſci) nec alio quam aeris alimento. Et coloris natura mirabilior: mutat namque eum ſubinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, redditque ſemper quæcumque proxime attingit, præter rubrum candidumque. Quæ profecto aſſentatoribus optime conveniunt, quorum ſcopus eſt omnia imitari, & aſſenſum cunctis præbere, præterquam iis, à quorum ingenio longe abſunt, qui ſcilicet candido ſimplicitatis & innocentiæ decore, ac pudoris verecundiæque rubore ſunt præditi. Quare Seneca epiſt. 44. recte ait, Veritas in omnem partem ſui ſemper eſt eadem. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi. Tenue eſt mendacium, perlucet, ſi diligenter inſpexeris. Vide proverbium, Chamæleonte mutabilior. & Alciatum Emblem. 53. & Pierium lib. 27. in Chamæleonte.

## ADULATORES *perniciosissimi.*

INter ſymbola Octavii Stradæ, Cæſaris antiquarii, hoc de balæna cum piſciculis colludente Eduardo III. Angliæ Regi, qui devicto Joanne Gallorum Rege res maximas geſſit, tribuitur, quo forte innuere voluit, vel nocere hos grandiſſimæ belluæ, ſi nimis ſe indulgentem illis præſtet, vel certe ab illis allectam in minus tuta loca deferri, cum ejus certo exitio. Nobis enim & de inventore, & de inventionis argumento veritas nondum comperta eſt. Hoc igitur teneamus, etiam maximis quibuſq; animalibus, à minimis ſæpe paratam eſſe perniciem. Nam & Crocodilum, vaſtum illud Nili monſtrum, ichneumon, exiguum animalculum interficit. Nempe, haud aliter adulatores, homines contempti, & quos nulla re lædere, ne dum Principibus damnũ adferre aliquod poſſe putares, maxime tamen noxii ſunt, & ampliſſima ſæpe imperia concutiunt ac evertunt. Argute Antiſthenes malle ſe dixit incidere: εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας incidere illos quippe mortuos, hos vero viventes devorare. Stobæus autẽ ex Phavorino citat: ὥσπερ ὁ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν τρεφομένων ὑπ' αὐτοῦ κυνῶν ἀπέθανεν οὕτως οἱ κόλακες τοὺς τρέφοντας καταλύουσιν. *Quemadmodũ Actæon à canibus, quos ipſe enutriverat, dilaceratus fuit, ita adulatores hos, qui ipſos alunt, evertunt.* Sed Plutarchus pulchre ait, adulatores more aucupum vocem ſuam ad imitationem Regum componere, itaque eos ſubire ac decipere. Mellitum enim eis venenum eſt, ut Plinius loquitur, & rectiſſime Diogene orationem adulatoriam μελιτίνην, ἀγχόνην, *melleam præfocationem*, appellavit, quod aſſentatione quidem delectaret, cæterum mendacio ſtrangularet admittentem. Gravis etiam eſt Ariſtonymi apud Stobæum ſententia: τὰ μὲν ξύλα τὸν πῦρ αὔξουσι, ὑπ' αὐτῶν τούτων διαφθείρεται. ὁ δὲ πλοῦτος ἐκ τρέφων τοὺς κόλακας, ὑπ' αὐτῶν διαφθείρεται. i.e. *Ligna dum augent ignem, ab ipſo conſumuntur. Opes dum alunt adulatores, ab eis ipſis pereunt.* Hic refert etiam diſtichum,

*Vilis adulator blande mentitus amicum,*
*Si ingeris, admiſſus maxima damna dabit.*

Quamdiu Adulatores Principem circumobſident, ægrotat Reſpublica, quæ convaleſcit iis de medio ſublatis.

*Ipſe ſui eſt morbi medicus leo: vos quoque Reges.*
*Aſſentatores pellite ſponte malos.*

Referunt Phyſiologi leonem febricitantem, Simia animali ridiculo & ad adulationem facto, veſcentem convaleſcere. Aſſentatores & paraſitos Comicus δημοπιθήκους, populares ſimias feſtive vocat. Eoſdem tineas & ſorices palatii Conſtantinus Imperator nominare ſolitus eſt. Curtius eoſdem regum malum perpetuum appellare non dubitavit. Et Bias rogatus, quænam bellua omnium maxime noxia putaretur à ſapientibus: Inter feras (reſpondit) tyrannus; inter cicures adulator. Principum omnium præſtantiſſimus David, Pſal. 101. canebat, Qui clam obtrectat proximo ſuo, eum funditus perdam. Oculi mei intenti erunt ad eos, qui in terra veritati ſtudent, ut mecum verſentur. Non habitabit domi meæ qui dolum facit; qui mendacia loquitur, nihil firmi apud me habebit. Et hæc quidem utinam Chriſtiani Principes ſerio, quamvis ſerò meditentur.

ADU-

A ADULATORES *arcendi ab aulis Principum.*

Dioscorides & alii rerum simplicium scriptores tradunt Cupressum non solum blattas & tineas ob suam acrimoniam non ferre, sed eas repellere : quin etiam dissectas ligni particulas aliis rebus appositas ejusmodi animalcula inde arcere. Atque ideo apud veteres simulachra potissimum ex hac arbore fiebant, ob materiæ perpetuitatem, cum cariem non sentire dicatur. Unde simulachrū Jovis Romæ in arce ex cupresso ab V. C. sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum, suo adhuc tempore durasse Plinius testatur annis circiter ducentis. Admonentur hoc hieroglyphico principes & magni viri, ut suam gravitatem & recte administrandi studium in omnibus rebus suis semper observent, ac imprimis adulatores, gnathones, & ejusmodi farinæ homines, reipub. pestes, singulari severitate à se repellant, nec eorū consuetudine sese oblectent, multo minus aures faciles ipsis præbeant. Sic interrogatus Demosthenes, quodnam animal pessime morderet respondit, ferorum quidem calumniatores : cicurum autem, Assentatores. Et Clemens Alexandrinus dixit Adulationem esse amicitiæ morbū. Aut enim laudat vituperanda, aut contra sæpe vituperat omni laude digna. Seneca etiam adulatores suorum dominorum non tam arrisores quam arrosores apposite nominat. De quibus integrum commentariolum doctissimum composuit Plutarchus. Cæterum, lepido disticho cupressus nebulones istos perstringit,

B *Ite leves procul hinc aliorum in prædia blattæ :*
*Noster adulantes nescit amare decor.*

## ADULTERIUM.

In Græca editione vetere bibliorum, Proverb. nono legitur, Ἀπὸ ὕδατος ἀλλοτρίου ἀπέχου καὶ ἀπὸ πηγῆς ἀλλοτρίας μὴ πίῃς, id est, *Ab aliena aqua abstine, nec ex alieno fonte bibas.* Vetat hoc hieroglyphicon ne quis rem habeat, aut corpus commiscat cum aliena conjuge. Quod qui faciunt, dicuntur Καταβαίνειν εἰς ὕδωρ ἀλλότριον, id est, *Descendere in alienam aquam*, & ὑπερβαίνειν ποταμὸν, ἀλλότριον, alienum fluvium trajicere. Hebræi libro, qui inscribitur, *Pirké Aboth*, id est, Capitula vel
C apophthegmata patrum, referunt Jose filii Jochanam, dictum illud, Omni tempore quo homo multiplicat colloquium cum muliere, accersit malum sibimetipsi, & impeditur à studio legis, tandemque descendit in gehennam. Eodem libro dicit Rabbi Akiba, Risus & levitas capitis assuefaciunt hominem ad scortationem. Huc referre placet sententias quasdam Ben Syræ, vetustissimi Hebræi, Propter formosam mulierem, inquit, multi perierunt : & ob eam robusti quique fuerunt interfecti. Abstrahe carnem tuam à muliere venusta, tanquam à carne prunarum instar adurente. Absconde oculos à muliere formosa, ne forte te capiat rete ejus.

Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Prov. 9. 17. Verba sunt mulieris impudicæ, quæ in foribus desidet, ac prætereuntes observat, ut illos pelliceat ad se blandis verbis. Intelligit autem per aquas furtivas adulterinum concubitum. Quidam existimant metaphoram à re
D rustica ductam esse. Quemadmodum enim in pratis irriguis, vicinorum alter alteri, vix inde digressо, aquam rursus eripit, eam in fundum suum deducturus, ita mœchi, maritis absentibus, statim in illorum ædes clanculum irrepunt, & uxorum amorem paulatim in se derivant, donec tandem optato harum congressu potiantur. Unde apud Latinos Rivales dicti, qui eamdem amarent mulierem, sive ea virgo esset, sive jam marito juncta, quod expressit artis hujus magister his verbis :

*Ite tibi rivalem, si juvat, esse veta.* Eodem referenda sunt sequentia dicta de *pane abscondito*, qui nimirum proximo subducitur, & in occulto devoratur. Cæterum toto hoc dicto nihil aliud agit impudens adultera, quam ut stolidis persuadeat illicitam & furtivam Venerem longe dulciorem esse honesta consuetudine piorum conjugum in legitimo matrimonio. Nam ea est mentis humanæ perversitas in plurimis, ut nolint sese ad certum thori fœdus adstringi, sed in exercendis libidinibus temere vagari cupiant : imo illas vehementius appetant, quarū conversatione ipsis divina lex interdixit. Sic David, quamvis multas admodum uxores aleret, 2. Samuel. 12. unicam tamen Bathsebam, Uriæ conjugem, impotenti amore deperibat. Et plerumque adulteri, cum domi formosissimas habeant

beant uxores: nihilominus furiosa dementia perciti, turpissimas meretrices & adulteras sectantur. Quod vere est, τὸν πηλὸν ἀφέντας τὸν καθαρὸν, ἐπὶ τὸ βορβόρου τὸν ὀχετὸν τρέχειν, id est, *puro fonte relicto ad immundi cœni cloacam currere:* quemadmodum D. Chrysost. in 13. c. epist. ad Rom. homil. 24. commentatur.

Similia dicta, cum in Sacris, tum etiam apud profanos scriptores, passim reperiuntur. Syracides utramque picturam in eadem causa est imitatus, priorem quidem de *aqua*, capit. 26. vers. 15. Mulier procax, inquit, sicut viator sitiens, ab omni aqua proxima bibit. Posteriorem, de *pane furtivo*, cap. 23. v. 24. homini scortatori quilibet panis dulcis est. Inter Ethnicos primus omnium Pindarus hanc sententiam à Salomone mutuatus videtur. Is enim teste Clemente Alexandrino, lib. 3. Pædag. cap. 11. dixit:

Γλυκύ τι κλεπτόμβρον μέλημα Κύπριδος. Id est,
*Res dulcis est, furtiva cura Cypridis,*

Huic respondet Senarius, quem citat Plutarchus in Erotico; ubi postquam detexit nebulonem, qui supercilia tollens, & se philosophum professus, nimirum foris, metu legum, noctu dum alii quiescunt, reipsa dicit,

Γλυκεῖ ὀπώρα, φύλακος ἐκλελοιπότος:
*Suave pomum, si quidem custos abest.*

Similitudine petita à pueris furacibus, qui hortos alienos observant, & quamprimum vident ὀπωρο-φύλακιον custode suo destitutum, sepem transcendunt, & fructus arborum furtim decerpunt. Hinc istarum obscœnitatum professoris carmina:

*Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.*
*Ferreus est, si quis, quod finit alter amat.*

Et alio loco idem:

*Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.*
*Sic interdictis imminet æger aquis.*
*Quicquid servatur cupimus magis, ipsaque furem*
*Cura vocat: pauci, quod finit alter, amant.*
*Indignere licet, juvat inconcessa voluptas.*
*Sola placet (timeo dicere) si qua potest.*

Verum his profanis cogitationibus opponendæ sunt divinæ comminationes de gravissimis pœnis, quæ adulteris omnibus imminent. Harum nonnullas etiam Ethnici modestiores annotarunt. Menedemus apud Diogenem Laërtium jactabundo cuidam adultero dicebat, ἀγνοεῖς, ὅτι οὐ μόνον ῥᾳφανίδος χυλὸν ἔχει χρηστὸν, ἀλλὰ καὶ ῥαφανίδος; id est, *Ignoras non modo brassicæ succum inesse jucundum, sed & raphano?* Suavis primus gustus raphani, sed postremus amarus, & tandem esus difficilis concoctionis. Alludit forsitan Menedemus ad pœnam veterum temporibus in mœchos constitutam, de qua procax illa Pythias apud Terent. Eunuchum act. 5. Scen. 5. Suidas in voce ῥαφανιδοῦσθαι, & Aristoph. in Nubibus, act. 3. Scen. 3. Pindarus autem in Isthmiis, Od. 6.

——τὸ πὲρ δίκας
Γλυκὺ, πικρότατα μοῖρά πλάτει.
*Quod præter honestatem dulce est, finis manet amarissimus.*

Sed hæc omnia illustriora sunt in Salomonis contextu, præsertim v. 18. ubi de æternis & horrendis istorum suppliciis agit, At juxta D. Hieronymi sententiam, Aquæ furtivæ & panis absconditus doctrinam adulterinam indicant, quæ stultis ac perditis suavior videtur, quòd dictum adulterii corporalis & spiritualis analogiam respicit.

Cap. 20. Proverb. v. 17. Suavis est homini panis mendacii, sed postea implebitur os ejus calculo, Hæc Salomon non tam de adulteris, quam de adulatoribus, parasitis, mensarum assectis,

*Qui bona summa putant, aliena vivere quadra.*

Furibus, fœneratoribus & rapacibus hominibus, intellexisse videtur.

Salomon Proverb. Cap. 6. v. 27. Scortationis & adulterii periculum hieroglyphico elegantissimo designat;

A designat; Numquid potest, inquit, homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Interrogata Hebræorum affirmationem continent. Ignem vero in sinu vel intra vestimentum portare dicuntur, quicumque domi suæ malum aliquod intestinum alunt, quod paulo post flammæ instar omnes ipsorum facultates depopulatur. Sapiens hoc loco phrasim illam in specie ad meretrices & adulteras accommodat. Quemadmodum enim ignis tametsi hominibus aliquamdiu calore suo suaviter blandiri, eosque molliter fovere videatur, tandem tamen iis accidit idem quod evenisset Satyro, nisi Promethei voce fuisset mature ad saniorem mentem revocatus, Plutarcho teste. Cum enim ignem, ut primùm ei apparuit, Satyrus osculari & complecti vellet, Prometheus exclamavit, Heus hirce. Lugebis miser barbam tuam: tangentem adurit. Ignis, ut ex Xenophonte refert Stobæus, serm 50. tangentes solum urit: pulchri vero etiam procul distantes inflammant. At interdum etiam nutrimentis & viribus acceptis, integras domos cum cuncta supellectile ignis in cineres convertit: Ita ejusmodi mulierculæ, simulata sua benevolentia, stolidos amatores bonis omnibus exuunt, & in horrendas calamitates præcipitant. Pythagoras dicere solitus est, Idem esse in ignem ac in mulierem
B incidere. Et apud Comicos Scortum fundi amantium calamitas sæpius appellatur. Porro adulterii atrocitas insacris literis hac eadem similitudine sæpius exaggeratur, præcipuè verò Jobi 31. cap. v. 12. ubi flagitium illud appellatur ignis, qui usque ad perditionem devorat, & proventus omnes eradicat funditus.

Potest etiam paulo aliter exponi, ut in illos competat, qui primum quidem ad tempus sua scelera clandestinis artibus tegere conantur, sed tandem deprehensi rapiuntur ad supplicium. Id confirmat Sapiens in parabolæ ἀντιπροσώπου. Eodem modo (inquit) nemo impunè habiturus est, qui proximi sui uxorem attinget: tandem enim, etsi pede claudo, veniet dies vindictæ, scelus admissum in lucem proferens, & adultero pœnas infligens debitas. Hinc natum Socrati adscriptum Sermon. 6. Stobæi dictum, ὅτι πῦρ ἱματίῳ ἀφανίσαι δυνατὸν, οὐκ αἰσχρὸν ἁμάρτημα χρόνῳ, id est: *Nec ignem veste occultare possibile est, nec turpe peccatum diuturnitate temporis.* Ut enim ignis veste superinjecta nequaquam opprimitur, sed ardentiorem flammam sub illa concipit, ac postea majore violentia erumpit: in hominibus.

C *——alitur vitium, vivitq; tegendo,*

quo magis occultatur, eo magis interim crescit, atque iram Dei exasperat, quæ, ut eleganter scribit Valer. Max. lib. 1. cap. 1. lento gradu ad vindictam sui procedit, & tarditatem supplici gravitate compensat. Tarditas illa vero, sicut loquitur S. Petrus est admirabilis illa patientia qua clemens & benignus Dominus omnes, etiam ferocissimos quosque, ut tempora Noachi arcam construentis tentantur, variis modis invitat ad resipiscentiam.

Etsi quæ de Viperæ cum Muræna coitu litteris consignata sunt, falsitatis coarguant Rondeletius, hipp. Salvianus, Baldus, Angelus: jucunda tamen & valde hieroglyphica sunt, quæ de illo apud scriptores complures leguntur: Viperam nimirum veneno prius posito consortem murænam sibilo evocare è mari: hanc autem sponte illi morem gerere, atque in littore cum illa commisceri. Tradunt hoc constanter Horopollo in hieroglyphicis, Oppianus, Ælianus, Philo in Jambis, Licinius Macer apud Plinium, & Achilles Statius graphicè admodum lib. 1. de Clitophonte & Lencippe: Aristoteles quoque & Theophrastus murænam non raro in siccum exire testantur, pluresque qui eadem
D asserant, commemorat Scholiastes Nicandri in Theriacis ejus. Sequuntur illos Basilius Magnus & B. Ambrosius in hex. uterque ad matrimonio convenientem reverentiam, & conjugale obsequium rem eruditè transferens. Quo sensu etiam Alciatus hoc hieroglyphicon accepit, & lepidissimo Epigrammate descripsit. Sed cum non ejusdem generis sint hæc animalia, idcirco longe rectius ad violationem thori alieni referri forte posset. Nam & in murænarum genere, teste Aristotele, mares sunt, ut alienigenam sectari necesse non habeant: & pulcherrimè Basilius dicto ante loco ait: ὅτι μοιχεία ἐστὶν οὐχὶ ἡ Φύσεως ἢ ἐχίδνης καὶ μυραίνης ἐπιπλοκή: veluti adulterium quoddam naturæ esse hunc viperæ & murænæ concubitum. Et idcirco eos, qui alienæ matrisfamilias corruptores sunt, considerare debere cujusmodi bestiæ sint similes. Ægyptios sane hominem ἀλλοφύλων μίξεως μῶμον muranæ typo expressisse etiam Horapollo scribit. Pulchrum sane est Euphronis illud:

οὐκ ἔστι μοιχῷ μεῖζον ἄδικον κακόν: *Non est adultero ullum majus malum:* A
ἐν ταῖς γὰρ ἑτέρων βάλλει ἀτυχίαις τρυφάν. *In aliorum enim infortuniis delicias querit.*

Omnibus Divinis & humanis legibus damnatur sacri concussio lecti.

Nauclerus in portu naufragium faciens, neutiquam veniam assequitur. Et vir, post nuptialem portum aliena conjugia invadens, vel mulierem alienam curiosius spectans, nullam habebit defensionem, tam apud Deum, quam apud homines, etiam si sexcenties naturæ voluptatem præstat. Chrysostom. *Serm. 9. de Ozia.*

In adulteros rotundum extat & elegans epigramma, quod describere libet.

*Vis orbem excindi? Subvertito funditus urbes,*
*Vis urbes ipsas tollere? tolle domos.*
*Vis delere domos? careat fac conjuge conjux,*
*Vanaq; sint sancti fœdera conjugii.*
*Ergo perire domos, urbes, urbemq; necesse est:*
*Orbe vel expelli quisquis adulter erit.* B

## ÆQUANIMITAS.

DE Sphingibus, Diodorus Siculus & Plinius multa tradunt, & Natalis Comes caput peculiare habet, nempe 8. lib. 9. suæ Mythologiæ, ubi ad finem, per Sphingis fabulam, inquit, id significatum fuisse ab antiquis sapientibus crediderim: suam fortunam æquo animo cuique esse ferendam, quam tamen si quis ægerrimè ferat, omnino ferre necesse sit. Nam quid significant alæ? an non fortunæ inconstantiam? Aut cur ungues in prædam flexæ illi tribuuntur? nonne quod undecumque libuerit omnia potest auferre? Cur humana est facies? quia humanum est subjici calamitatibus & vicissitudinibus fortunæ. Leonina pars forti animo esse ferenda adversa significat, quæ vel vi omnino sunt ferenda. Si quis enim miserias prudenter sustinere nequiverit, aut nisi se sapienter inter adversa custodierit, ille ab ipsa Sphinge crudelissimè torqueretur & laniatur. Atque, ut summatim dicam, nos monere per hanc fabulam sapientes voluerunt, aut prudentia & Minervæ consilio fortunæ iniquitatem esse superandam: aut si minus istud fecerimus, nos ab illa superari oportere. Nam quid agitur in ænigmate Sphingis? an non de humana imbecillitate? cum nihil nascatur homine debilius aut calamitosius. Hoc sensu Sphingē etiam dictam possumus afferere ἀπὸ τοῦ σφίγγειν, id est, constringere vel vincere, quod divina providentia (quam Ethnici forturam finxerunt) nos sibi potenter subjiciat, ita ut ducat volentes, nolentes trahat: nec penes nos sit tantæ sapientiæ nodos solvere, vel arcana rimari, sed æquis oporteat animis ejus scita & mandata sequi. Huc pertinent disertissimi versus Cleanthis, quos Seneca Latinos fecit, epist. 107. C

*Duc me, parens, celsiq; Dominator poli,* *Malusq; patiar, quod pati licuit bono:*
*Quocumq; placuit. nulla parendi mora est.* *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*
*Assum impiger. fac nolle: comitabor gemens,*

Addit ille Sapiens: sic vivamus sic loquamur. Paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mavult Deos, quam se. Sequens tetrastichon instituto nostro conveniens etiam appingamus: D

*Humana vita pluribus molestiis* *Prudens sequetur ergo quo ducet Deus,*
*Est mixta, quæ vitare nullis est datum.* *Fortique mente damna quævis perferet.*

Cæterum Ægyptii Sphinges in templorum suorum vestibulis collocasse videntur, quod mystica dogmata, præsertim de divina rerum administratione, mentes humanas veluti ænigmatum nodis obligare debeant, & sint pia quadam ignoratione colenda. Alciatus emplem. 187. ad rerum ignorantiam Sphingis hieroglyphicum retulit, quod ex Cebetis tabula ejus interpres confirmat. Sed addit ex Clemente Alexandrino 5. Stromat. & Dione Chrysostomo Orat. 10. alias significationes, de ingenii solertia, de corporeis viribus, & de justitia. Porro superius dicta de æquanimitate & in adversis constantia Deum sequente nobis sufficiunt.

Dum

A Dum autem manum tollimus de tabula, occurrit Joann. Goropius, hieroglyphicorum lib. 8. pag. 124. Collocari solent (inquit) Sphinges pro templorum foribus, & in ipsa etiam Palladis galea, ut monerentur homines in iis quæ viderent, se mentem suam & omnem intelligentiam captivam dare debere ipsis religionis arcanis, nec fas esse de iis judicare, nisi mox leoninum divinitatis robur, & celerem vindictam exspectare vellent. Redigenda enim erat in captivitatem intelligentia, dum sacros ritus & ceremonias, quarum causas ignorarent, homines videbant. Hermathenæ autem libr. 6. pag. 131. idem, erat (inquit) Sphinx, non animal, cujus Diodorus Siculus & alii meminerunt, in Simiarum genere; sed hieroglyphicum religionis signum, templis maximè præponi consuetum: quo obscurè indicaretur quæcumque in veterum religione fierent, ænigmata esse, omnesque ceremonias & ritus alia prorsus signare, quam prima fronte viderentur. Alia autem quæ subjungit Goropius quum Ægyptiis & aliis Ethnicis ante apostolorum prædicationem ignota fuerint, sciens volens omitto.

## ÆQUANIMITAS.

B IN omnibus rebus bene agendis ac recte administrandis nimia vehementia & austeritas summopere improbatur; at contrà facilitas quoque modum omnem excedens non parum nocet, mediocritas vero sicut aliis in rebus universis, hic quoque locum habet & plurimum commendatur, æquanimitas scilicet quædam ac benevolentia conveniens. Nam & ramus paulatim flectendo obsequitur, vi autem attractus rumpitur. Sic Terentius in Adelphis præclaram sententiam nobis proponit:

*Et erat longè quidem mea sententia,*
*Qui imperium credat gravius esse aut stabilius*
*Vi quod sit, quam illud quod amicitia adjungitur.*

Et Cicero secundo libro de Officiis; Malus (ait) custos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Atque idem autor alibi dicit; Omnibus odio est crudelitas, & amori pietas ac clementia. Sunt autem versus integri apud Ovidium:

*Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:*
*Frangas, si vires experiare tuas.*

C Atque id quidem locum habet apud homines liberales & tractabiles, non autem barbaros istos Scythas & Moscos nimirum, duriori disciplinæ assuetos, in quos potius congruit Agesilai dictum, teste Plutarcho, quod de Asiæ populis nonnullis solitus est referre; Si libertate fruerentur (inquiens) malos, sin servirent bonos esse.

## ÆTAS *hominis.*

IN oculo cæci vitium, nocte durante, cæcitatis est, sed non apparet, nec discernitur inter videntem & cæcum, nisi luce veniente. Sic in puero vitium non apparet, donec ætatis provectioris tempus occurrat. D. *Augustinus, De verbis Apostoli.*

Ex amphora primum, quod est sinceriſſimum effluit, graviſſimum quodque turbidumque subsidit: sic in ætate nostra, quod optimum id primum est. *Seneca epist.* 109.

Illa herba, quæ in segetem frugemque ventura est aliam constitutionem habet tenera & vix eminens sulco; aliam cum convaluit, & molli quidem culmo, sed qui ferat onus suum constitit; aliam,
D cum flavescit & ad aream spectat, & spica ejus induruit: in quamcumque constitutionem venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia est ætas infantis, pueri, adolescentis, senis. Ego tamen idem sum, qui & infans tui, & puer, & adolescens. *Idem, epist.* 121.

## ÆVUM.

ÆVum innuentes Ægyptii, referente Horapolline hieroglyphicôn libr. 1. cap. 1. Solem ac Lunam pingunt, quod hæc æterna sint, ævique fluxum producentia elementa. Quin & aliter ævum pictura exprimere volentes, serpentem delineant, cujus cauda reliquo involvatur ac tegatur corpore. Hunc Ægyptii quidem lingua sua Uræum, Græci vero Basiliscum appellant. Eumdem ex auro conflatum Diis circumponunt. Cæterum hoc animali ævum significari propterea Ægyptii dicunt, quod

cum tria sint serpentium genera, solum hoc ex omnibus immortale est, cetera mortalia: utpote cum quodvis aliud animal solo afflatu absque ullo morsu serpens hic interimat. Unde & quoniam vitæ necisque potestatem habere videtur, merito sane Deorum capitibus inseritur. A

## AFFECTUS *cæcus.*

INimicitia perpetua laborant mustelæ & bufones. De mustelæ remediis in pugna contra eosdem & serpentes testantur naturalis historiæ scriptores. Nihilominus perhibent hoc cautum & astutum alioqui animalculum, nescio quo errore impulsum, sponte sua interdum in os bufonis inimici sui irruere, atq; ita nonnumquam perire, haud aliter quam viperam caput maris ori suo insertum præmordere quidam ajunt: sed apud veteres Scriptores nusquam reperitur annotatum. Quadrat hieroglyphicum illud in illos qui satis caute ac prudenter in aliis suis rebus versantes, interdum tamen cæco iræ, libidinis, avaritiæ, ambitionis, vindictæ affectu rapti, se à tramite virtutis abduci sinunt, ac ita sæpe ruunt in manifestam perniciem. Quem affectum violentum Seneca duobus locis egregie depingit, prior extat in Hippolyto: B

*—Furor cogit sequi*
*Priora: vadit animus in præceps sciens,*
*Remeatq; frustra sana consilia appetens.*

Alter est in Medea:

*Cæcus est ignis stimulatus ira,*
*Nec regi curat, patiturq; frenos:*
*Haud timet mortem, cupit ire in ipsos*
*Obvius enses.*

Et fortissimis quibusque ratio placidis dictis semper occinit, Vince animum, qui cætera vincis. Et qui nimium suo affectui indulgens in pericula gravissima incidit, confestim Minerva occurrit, & veluti suum Achillem retrahens, clamat, C

*Cætera qui vincis, tibi cur dominata voluptas*
*Te haud improvisum mergit in exitium?*

## AFFECTUS *compescendi, frenandi, moderandi.*

OCulorum acies pura & lucida acute omnia intuetur, neque in deprehendendis tenuissimis corporibus laborat. Verum si quis malus humor à capite, vel caligo aliqua ad oculum ascendit, densa quidem ante pupillam nebula objicitur, quæ ne quidem crassiora corpora videre sinit. Quum omnis perturbatio quæ animam offenderat, purgata est, intenta objecta omnia prospicit. Sed quando plurimis turbatur affectibus, vim omnem illam amittit, & nihil altum intueri potest. *Chrysost. homil. 1. in Joann.*

Qui contudit caput serpentis, reliquum corporis longum syrma necavit. Qui primos vitiorum surculos eradicat, etiam cætera quæ inde proveniunt, sustulit. Hoc vero numquam eveniet, nisi postibus nostris effusus fuerit cruor ejus (nempe Christi) qui interfectorem interfecit. Bifariam necantur affectus, scilicet primogenitis pereuntibus, & nostris januis, ob sanguinis aspersionem in turum collocatis. *Procopius in Exod.*

Feræ blanda manu si demulceantur, levi cicurantur conamine. Et libidines, pavores, animi mœrores, aliaque ejusmodi veneficia mala consuetudine sopita, nec perpetuo irritamento efferata, virationis mansuetiora deinde fiunt. *Basilius Magus ad Gregor.* D

In Magno fluctu non sistitur navis, nisi hanc retineat pondus anchoræ alto vado infixæ. Et in magnis procellis rerum summa ratio animum cohibere debet, ne ab affectibus auferatur. *Plutarchus.*

Pro navis magnitudine velis est utendum. Et cupiditates pro virili sunt moderandæ. *Idem.*

Equi jam mansuefacti, etiamsi auriga non moderatur habenas, tamen sua sponte viam ineunt. Et affectus à ratione jampridem domiti assuefacti, nec in somnis, nec in morbis, sopita ratione quicquam tentant quod turpe sit. *Idem.*

AFFE-

A

## AFFECTUS & RATIO.

PLatonis Phædrus, seu Dialogus de Pulchro hieroglyphicum pingit equi indomiti & domiti, quibus omnis generis cupiditates significare voluit, quæ si Rationi obtemperent bonæ sunt, sin minus pravæ evadunt. Quapropter ira, superbia, aliique pravi affectus, si Rationis rectæ quasi vinculo & freno non coërceantur ac confringantur, homo suæ potestatis amplius esse nequit, sed efferatur in omnes partes, & extra se rapitur. Contra

*—— Diis proximus ille est,*
*Quem ratio, non ira, movet;*

inquit Cladianus in Mallii Theodori panegyrico. Et sane,

*Affectus quisquis mentis moderatur habenis,*
*Fertur equo domito: qui vagus, ille fero.*

Est autem Ratio nihil aliud quam de humanis divinisq; rebus, quatenus tamen eæ ad nos spectant, verum judicium ac purus sensus. Opinio vero, de iisdem est futile fallaxque judicium. Cicero lib. 1. B de Offic. Ratio præsit, appetitus obtemperet. Quæ magis theologicè explicat Dives Chrysostomus hom. 5. in Isaiam: Anima laxans (inquit) habenas cupiditatibus extra rationem positis, quovis rapitur, nec aliter quam equus ferociens, ubi frenum ore, sessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocius, omnibus obviis intolerabilis. Ergo timore Dei qui Christianis est vera ratio, undique constringendæ sunt cupiditates, & intra suos limites continendæ.

## AFFECTUUM *tormenta.*

VIs ignis absumit omnem objectam materiam. Affectus excandescens corrumpit quicquid sit obvium. *Philo.*

Oculus turbatus aliud pro alio cernit, & mens pravarum cogitationum confusione perturbata idem patitur. *Chrysostomus.*

Venti quidam feri atque immanes, cum in serenum irruerint pelagus, ipsum totum à fundo per- C turbant, adeo ut & arena sæpius undis misceatur. Animi affectus cum irruperunt, cuncta miscent, superiora ad inferiora detrahunt, excæcantq; mentis clarissimum lumen. *Idem.*

Subitis procellis crescentes amnes legitimum excedunt alveum, & super segetes vel plantarum culturam præcipites lati, rusticorum operum salutem atque ornamentum evertunt. Sic & animus affectum nimia vi à rectis ratiocinationibus depulsus, falsis atq; improbis opinionibus corrumpitur, quæ ejus menti pro ebriorum more, quibus nimia crapula interiores concire solet ægritudines, velut ex latibulis repentia quædam animalia confundunt mentem, ab iisque cogitur proprias eorum voces personare. Si vero manifestioribus exemplis opus sit, improbitatem animi inconditæ plebis assimilabimus imperio. *Maximus Tyrius, Serm. 17.*

Timidi, & qui nauseæ navigando sunt obnoxii, existimantes se meliuscule habituros, si sedes mutaverint, nihil tamen proficiunt, bilem timiditatemque secum circumferentes: ita aliud vitæ genus animo non eximit ea quibus gravatur & turbatur, nempe rerum insciiam & rationis imperfectio- D nem, ac illud vitium quod nequit & nescit recte præsentibus uti. *Plutarch.*

Periculosior est tempestas quæ non sinit in portum appellere, quam quæ vetat navigare. Et graviores sunt animi motus, qui hominem consistere non sinunt, ratione perturbata, sed in fluctus commotos auferunt præcipitem. *Plutarch.*

Hominem vehementer ægrotum, vel lunæ deliquium, vel ventus asperior, vel maris decessus, aut hujusmodi quæpiam levis commutatio tollit de vita. Sic animos imbecilles & affectibus corruptos quæ- is offensa perturbat: cum qui firmis sunt animis istiusmodi non sentiant.

Podagra laborantes ad levissimũ tactum acerbe conqueruntur, & dolore gravi perculsi gemunt: animi pravis affectibus oppressi nullam monitionem sustinent.

## AFFIXI *rebus caducis.*

D. Bernardus Serm. 1. de Adventu; Quibus assimilabimus, inquit, homines generationis hujus, aut quibus comparabimus illos quos videmus à terrenis & corporalibus consolationibus avelli separarique non posse? Profecto iis similes sunt qui submersi periclitantur in aquis. Ninium videas eos temere nec ulla ratione prehendere, quod primum occurrerit manibus, quicquid sit illud, licet sit tale aliquid, quod omnino non possit prodesse, ut sunt radices herbarum cæteraque similia. Sic pereunt in hoc mari magno & spatioso miseri, dum peritura sectantes omittunt solida, quibus apprehensis emergere & salvare possent animas suas. Neque enim de vanitate, sed de veritate dicitur, Cognoscite eam, & liberabit vos. Hæc Bernardus. Ad eundem modum Clemens Alexandrinus stultos ait non veris ac solidis rebus, sed iis tantum quæ specie tenus absque opinione sunt animum adjicere: perindeque illis, ut mente captis accidere, qui alba nigra esse sibi fingunt. In D. Bernardi dictum hæc Billius,

*An sapit is, pressus qui fluctibus accipit algam;*
*Nec solidis nixus littora tuta petit?*
*Haud magis ille sapit, qui vitæ in fluctibus hujus*
*Præponit solidis fluxa, miserq; perit.*

*Ut fugias tanti discrimina ponti,*
*Nec caput ista minax obruat unda tuum:*
*Spemq; fidemq; agapemq; tene, fluxa omnia linquens,*
*Has nihil in tabulas ulla procella potest.*

## AFFLICTIONES.

1. Sol diu nubibus obtectus lætius postea splendet, & ver post hyemis tristitiam est acceptius: jucundior tranquillitas blanda, & mare quietum post ventorum seditiones & perturbationem aquarum littoribus allidens: sic post afflictiones nobis vita tranquillior. *Nazianzen. in orat. de Cypriano.*

2. Nisi præcesserit pugna non potest esse victoria: cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus corona. Nam gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est cum periculum abest, conflictatio in adversis probatio est veritatis. Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur: & Navis quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus, nec fertur. Et quando area fruges terit, grana fortia & robusta Ventos contemnunt: inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic & Paulus post naufragia, flagella, post carnis & corporis gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in adversis. D. *Cyprian. serm. 4. de Mortalitate.*

Sicut ab uno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: Ita una eademq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atq; blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisq; patiatur. Nam pari modo exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat ungventum. *D. Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 8.*

Non caret admiratione parvulam ac elengatem plantam Rorariam, plerumq; fabulosis ac udis locis, interdum etiam umbrosis sylvis provenientem, & quæ cum capillaribus herbis magnam habet affinitatem, veteribus forsitan ignotam, ad multos morbos tamen efficacem, quantumvis etiam æstate ardentissimis Solis radiis sit exposita, nunquam tamen folia ipsius, cava instar pusilli cochlearis, roscido quodam humore destitui, eorumque lanuginem admodum teneram guttulis quibusdam pellucidis semper madere, unde etiam nomen sortita est, ut Rorem solis ac Rorariam recentiores nuncuparint. Illustris profecto hæc imago est, nos etiam in summis æstibus ac coloribus calamitatum & afflictionum nunquam flaccescere aut succumbere, si ex sacratis. verbi divini fontibus vividum semper ac roscidum succum, qui nos subinde recreet, alat ac sustentet, hauriamus. Quilioquin nimis rerum humanarum ac caducarum cupiditate dissipatus ac consumptus, perpetuum marcorem & tandem interitum pernicioſum producit, unde Chrysost. in epist. ad Corinth. Homil. 26. Roraria igitur,

*Syrius*

*Syrius ut flagret, viret ac perfusa liquore est.*
*Candida sic durant pectora, firma fide.*

Seneca in lib. de providentia: Id, inquit, in quoque solidissimum est quod exercuit. Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam ventus frequens incursat. Ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit: fragiles sunt quæ in aprica valle creverunt. Pro ipsius ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, & æquo animo ferre quæ non sunt mala, nisi male sustinenti. Hæc ille. In hanc vero sententiam adhuc multo nervosius D. Chrysostomus, Homil. 32. in Genesin breviter hæc commentus est: ut arbores quæ radices altius miserint, quamvis summum ventorum excipiant impetum non frangi aut evelli possunt: sic orationes quas pius animus Deo suo reddiderit perquam tuto affixæ efferunt sese in excelsum, nulloque pervertuntur aggressu cogitationum. Hæc Chrysostomus. Ventorum incursionibus certe arbores solidantur. Animus enim recte institutus multisque ærumnis ac adversitatibus exercitus, eo fortius in malis resistit, & radices constantiæ firmiores agit. Quo spectat apud Thucydidem Periclis egregium dictum, ὡς ὅτινες πρὸς B τὰς ξυμφορὰς γνώμῃ μὲν ἥκιστα λυποῦνται, ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσιν, ὅτι καὶ πόλεως καὶ ἰδιωτῶν κρείσσονες εἰσι. id est: *Nam qui in calamitatibus animo quidem minimè tristantur, re autem & operibus maximè obsistunt, hi optimi sunt sive privati homines, sive civitates fuerint.* Sed districho sacro de afflictionum utilitate dicta obsignemus.

*Ventorum adversis solidatur flatibus arbor:*
*A cruce & à precibus mens pia robur habet.*

Myrrha, quamvis acris & amara, tamen vulnera sanat, & prohibet putrefactionem. Piorum afflictiones, etsi carni insuaves & molestæ, tamen minimè exitiales, quinimo sunt salutares: teste sancto Apostolo, Hebr. 12.

## AGRICOLA. COLONUS.

INter plurima antiquitatis monumenta & μουσειώματα elegantissima, formis Lafrerianis in ære ante aliquot annos Romæ impressa, pictura quoq; hieroglyphica admodum ingeniosa præstat, ex vetusta tabula marmorea desumpta, quæ asservatur in ædibus Octaviani Zeni, prope theatrum Pompeji & campum Floræ. Hæc cum de re rustica egregia in se præcepta contineat, & charta breviores terum notas tantum expresserit, interpretationem præclari hieroglyphici subjecimus. Primum itaque *Colonus* apparet, pileatus & ocreatus, habituq; solutiore & viliore distinctus, qualis sane ad æstus solis imbriumque injurias, atque alias ejusmodi rusticas molestias sub dio perferendas conveniens esse solet. Ipse vero, facie juvenili, vultu alacri, humeris latis, lacertis torosis, corpore denique robusto (quæ omnia in Agricola requiruntur) præditus, uno pede *Taurum* sive Bovem insistendo & comprimendo conficere conatur, id est, Terram ipsam, suæ industriæ suisq; laboribus potissimum destinatam, strenuè exercere, & domando sibi quasi obsequentem reddere studet. Hujus Coloni manu sinistra bovis os comprehenditur: dextra vero *Gladiolum* sive cultrum in ejus corpus magna vi adigit: quare conatus rusticos, & in colendo atque tractando solo, tanquam subjecto proprio, Agricolarum labores assiduos designare voluerunt. Unde illud Ovidianum,

D *Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,*
*Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.*

Et Horatius canit quod

*Nil sine magno*
*Vita labore dedit mortalibus.*

Et sauciato vero corpore quasi cruor emanat, id est, ex terra diligenter subacta, sæpius proscissa, ac quasi vulnerata crebra oratione, fructus uberes & ad sustentandam vitam necessarii enascuntur. Qui intra corpus assumti, si nutrimentum conveniens præbere nobis debent, prius in sanguinem quoque converti necesse est. Post ipsum Colonum *Spicæ* duplicatæ apponuntur: quibus admonemur frugum convenientem copiam & commeatum necessarium diligenti colono semper in promptu esse debere;

ne (quod dicit breviter & eleganter M. Varro) sumtus fructum superet. Fuerunt olim quoq; spicæ A symbolum Ædilium, qui rei frumentariæ Romæ præesse solebant, & cornucopiæ, Cereris, Annonæ, proventus boni, ubertatis, regionis fertilis pacis denique notis in antiquis numis adduntur. Spicam vero à spe deduci, idem Varro tradit lib. 1. de re rustica.



Cum vero omnium fructuum quæ terra nobis suppeditat, atque agriculturæ beneficio habemus, proventus lucis tenebrarumq; alternis vicibus creentur, producantur, ac denique colligantur, eam ob causam ante Colonum *Arbor diurna* adhuc arida, & sterilis, una cum capite bovis & face ardente ponitur; quibus omnibus incrementi diurni atque uniuscujusque diei diligentem imprimis habendam esse rationem, indicatur. Quid caput bovis designet, lector viderit. Ex adverso *Arbor nocturna* pomis onusta virescensque apparet: cui additur *Scorpius*, quibus generatio & procreatio rerum D quasi insensibilis, præsertim per amica silentia noctis, ut Poëta inquit, Serpens, & laboris diurni opera prius adaucta ostenditur. Solebant autem Chaldæi, secundum suam artem superstitiosam partes generationi destinatas in homine scorpio tribuere, ac nescio quid præterea de illorum fœcunditate, qui sub illo sidere nati essent, commentari.

Supra etiam Colonum nostrum *Corvus* volitat, illiusque cervicibus quasi imminens, & crocitans, ad assiduitatem & perseverantiam adhortari videtur, è cujus clamoribus indicia tempestatis impendentis deprehendi autor est Plutarchus. At cum in hoc rustico negotio ante omnia fides & amor ad mutuas tradendas operas requiratur, ideo bovi *Canem*, assilientem & quasi comitem fidum ipsi conjunxe-

A junxerunt. Hunc sequitur *Leo*, fortitudinem & robur quoddam hic expeti innuens. Columella autem libri primi initio, non solum diligentiam, fidem ac robur, sed etiam prudentiam, solertiam ac providentiam ad agriculturæ studium plurimum requiri; quapropter hic quoq; Cani ac Leoni *Serpens* additur, cujus allegorica explicatio in sacris etiam literis habetur, dum summus Magister jubet suos discipulos prudentes esse sicuti serpentes, quo reptili notatur vigilantia, industria & singularis in rebus curandis & expediendis prudentia.

Infra Bovem *Scorpius* ac *Cancer* collocantur, quibus & creationem & generationem omnium ex terra nascentium significare voluerunt. de Scorpio supra aliquid dictum, cui addimus, si glebæ sumantur ex ruderum illorum terra in quibus Scorpii reperiuntur, eæque collocatæ inter duos lateres coctos, & tempore suo terra irrigatos, æstivis caloribus sub dio exponantur, spatio paucorum dierum Scorpios inde oriri certum est, atq; experientia confirmatum: quapropter etiam hoc nomine merito generationis symbolum esse possunt. Cancer vero vitæ humanæ ortum & propagationem Platonicis denotat. Supra hæc omnia Sol Oriens radiis undique fulgens apparet qui autor est terrestris fœcunditatis, quorum vi abdita in terræ visceribus semina foventur atq, excitantur: quamobrem Ho-
B ratius ipsum Almum vocat, quod ejus lumine & calore vivifico supra universam terram omnia alantur & foveantur: sintque hæc ad generationem rerum singularum necessaria. Ciceroni moderator est & dux temporis, qui sua luce cuncta lustrat & complet. Equi quatuor quibus vehitur celeritatis modum judicant, & varios Solis effectus, Huc refero Ovidii carmina:

*Interea volucres Pyroeis, Eous & Æthon,*
*Solis equi, quartus Phlegon, hinnitibus auras*
*Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.*

Prope Solem forma muliebri fasciis involuta *Naturæ* assistit. Cujus occulta & abdita aut omnium rerum primordia Solis lumine ac efficacitate & terræ diligenti cultura, producuntur atq; conservantur. Tres præterea *lampades* prope collocatæ sunt, tria Solis tempora indicantes, Ortum nimirum, Meridiem & Occasum, quæ tamquam certi indices, & laborum atque operum rusticanorum notæ convenientes, in omni diurno negotio, ceu faces quædam præ lucentes, præferri debent, quarum ob-
C servatione plurimum opus esse solet. Ex altera parte *Lunæ* bigis insidens quasi ἀνηφόνως φερ, equis nõnihil defatigatis & jamjam procumbentibus vecta sese occultare velle videtur. Noctu enim humor sideris hujus reficit & humectat quod sæpe nimius calor Solis interdiu langueſecit. *Faces* autem quatuor juxta ipsa positæ quatuor ejus φάσεις sive σχήματα repræsentant, nove scilicet, crescentis, plenæ, & decrescentis Lunæ: quæ omnia quam diligenter à rei rusticæ studiosis observari, & propemodum ad unguem præsciri necesse sit, nemo est qui non intelligat. Rursum autem & huic *Naturæ simulacrũ* muliebre adjungitur, idque alatum, Lunæ celerem cursum consequens, atq; insuper serpentum gyris circumvolutum, hastæque innitens, quasi leges quasdam sua naturali prudentia & rediviva procreationem omnibus rebus nascentibus præscribens. His expositis erudita antiquitas ostendere voluit Colonum peritum non solum oportere duorum Luminarium cœlestium diligentẽ rationem habe-
D re, sed omni tempore sedulo hoc agere, ut singula ἐυκαίρως fiant: atque in primis diei ac noctis partes recte distribuere ac observare studeat; quod innuitur postremo loco duabus *facibus* ad agricolæ latera collocatis, quarum una erecta & ardens diurni laboris est nuncia, altera vero quasi sese occultans inversa Noctis tenebras adesse indicat, & ad quietem defessum agricolam hortatur.

## ALASTORES.

SAlamandram, bestiam feralem, non nisi horrida tempestate exorta, sævientibus nimborum procellis, coruscantibus fulguribus, cœlo tonante imbribusque omnia longe lateque inundantibus & vastantibus, infausto partu in lucem prodire multi Scriptores perhibent. Ita quidam Androcledæ & Alastores, non nisi Ecclesia aut Republica majorem modum turbata, inter seditiones & motus civiles emergunt, classicum canunt, antesignanos agunt: ac tum non tam in claresc unt quam passim fiunt abominabiles, cum ex eorum κακοτροπίαις & polypragmonicis gestis infamiæ plurimum, veræ gloriæ nihil plane ad eos redeat. Docti nonnulli Salamandram, sicut pingitur, in natura rerum ex-

tare negant: & de lapide Salamandra, apud Tartaros invento, qui in igne durat & nitidior sit, dictum volunt. Est etiam lapis quem Pyrimachum vocant, & ajunt ab igne nihil pati, ac nec calefieri quidem. Cum autem Salamandra iisdem quibus Stellio notis depingatur, an eadem sit cum Stellione incertum. Omnia porro conveniunt, signa, figura, color, fœditas corpor. Prunis injecta, inquit Scaliger exercit. 185. extinxit eas, non (ut puto) frigiditate, sed lentore: id quod ab aliis quoq; fit carnibus ipsa tamen interit, idcirco Nicander eam ἀπύρωτον appellavit, quod esset pingui corio, id est. Tantum abest, inquit Bodinus, Theatri libr. 3. ut Salamandra flammis delectetur, ut etiam lumen sua frigiditate carbones ardentissimos ante restinguat quam uratur: & ita languida est & stupida, ut nisi impulsa, vix loco moveatur, quod ipsi in agro Tholosa vidimus: frigiditatis maximum argumentum; nusquam vero nisi locis valde frigidis & humidis versatur. Alastores etiam quicquid loci & coloris est in hominum societate suo corpore ad bonum facilè exstinguunt.

## AMBITIO.

1. Æque mortuus est conditus in odoribus, & tractus unco. Æquè etiam sunt infelices & qui voluptatibus indulgent, & qui ambitiosis negotiis vacant. *Seneca.*

2. Chamæleon maximum habet pulmonem, nihil habet intus: & quidam præter ostentationem & ventosam jactantiam nihil possident. *Ex Plinio, ut & sequentia.*

3. Taurus avis, cum sit pusilla, tamen boum vocem imitatur. Et nonnulli, quamvis nihil sint, regna Satrapiasq; loquuntur.

4. Columbo in volatu pernicitas, sed dum plaudit in aëre, sibi placens implicatis strepitu pennis, capitur ab insidiante accipitre. Multi dum ostentant suas vires, nec eis commode utuntur, sunt præda inimicis.

5. Pavo non explicat pennas nisi laudatur: & quidam putant se non habere quod habent, nisi sint qui mirentur.

6. Gallus victor ilico cantu superiorem sese testatur: quidam sua facinora jactant ipsi, & seorsum laudum ridiculi sunt tubicines.

7. Ventus Cæcias ad se trahit nubes: & ambitio simultatem, invidiam, luxum, &c. *Ex noctertio.*

8. Minimi cancri quos pinnoteras vocant, quo tutiores sint, inanium concharum testis se condunt, & cum accreverint migrant in capaciores. Quidam majorum titulis sese tuentur, cum suis diffidant virtutibus.

9. Ova plena fidunt, inania fluitant: veris virtutibus aut eruditione solida prædiri, minus se ostentant quam qui secus.

10. Venti desituri vehementissimè spirare solent. Quum maximè sese efferunt, tum ad exitium festinant.

11. Chamæleon, quoniam aura non cibo pascitur, semper hianti est ore. Qui gloriolis & auris popularibus aluntur, semper ejusmodi fumos captant quibus inflantur miseri.

12. Vitis nisi amputes, latè sese spargit, palmitibus suis omnia complectens & implicans. Princeps ambitiosus semper aliquid è proximis suo adjungit imperio, nisi subinde coërceatur.

## AMBITIOSUS. AVARUS. GULOSUS.

ONocrotali dictionem græcam volunt esse, à voce asini rudentis desumptam, Itali hodie adhuc *Grotto* vel *Agrotte* vocant, Galli *gouttereſe*, quasi gutturosam, ab ingluvie quæ strumæ instar dependet. Olim à Trua vasis genere, (ut vult Verrius Flaccus) dicebatur, Truo, unde Cæcilius comicus, secundum Festum, irridens quendam ob nasi magnitudinem, Truonem nominabat. Huc refertur Avis illa Mechlinicatis quam vulgo *Vogel Hein* nominabant, & ultra octoginta annos vixisse dicitur, de qua plura non sine admiratione apud Gesnerum & alios leguntur. Bellonius in observationibus hodœporicis, refert ad Gazarim Ægypti urbem se vidisse greges Onocrotalorum versos mare volantium. Plinius sapius indicato libro capite 47. ita describit. Olorum similitudinem Onocrotali habent, nec distare existimantur omnino, nisi illis inesset alterius uteri (quidam legunt ventris genus.

A genus. Hue omne animal inexplebile congerit, mira, ut si capacitas, mox perfecta rapina sensim inde in os reddita in verum alvum ruminantis modo refert. Gallia hos septentrionali proxima Oceano mittit. Qua icone repræsentatur egregiæ gulæ & ingluvici deditus, qui Græcis est γαστρίμαργος, & Iulio Polluci γλωσσόδουλος, sua helluatione & voracitate omnia consumens,

*Et quibus in solo vivendi causa palato est,*

secundum Iuvenalem.

Quod vitium sanè detestandum, quamvis nimis vulgatum, Lucanus non parum reprehendit, libro 4.

*--- prodiga verum*
*Luxuries, num quam parvo contenta parato.*

Potest quoq; intelligi de alio, nimia cupiditate habendi, & immodico appetitu laborante: præsertim avaritiæ causa, cum immensæ opes per fas ne fasq; cum aliorum maximo damno corradantur.

*Qui nequit explere ventrem, mentemve, vel arcam,*
*Piscivori effigiem cernito Onocrotali.*

## AMICI. *Amicitia.*

B AUrum igne probatur: amici, benevolentia in rebus adversis. *Menander.*

Ciconia tametsi demigrat, tamen revertens semper eosdem repetit nidos. Ob intermissam vitæ consvetudinem non oportet oblivisci amicorum, sed illorum memoriam semper nobiscum circumferre. *Plin. lib.* 10. *c.* 23.

Adamas si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant. Ita arctissima necessitudo si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem: & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia. *Idem, lib.* 37. *cap.* 14.

Abies adeo cohæret glutino, ut prius scindatur, qua solida est, quam qua glutino ferruminata. Ita post reditum in gratiam firmior debet esse amicitia: & arctius cohærent quos copulavit mutuæ benevolentiæ glutinum, quam quos natura coniunxit. *Idem, lib* 16. *cap.* 2.

C Crystalli fragmenta sarciri nullo modo possunt. Et difficillimum est eos reconciliare, qui ex arctissima familiaritate in mutuum odium venerint. *Idem. lib.* 17. *cap.* 3. *& lib.* 37. *cap.* 2.

Pyrites gemma non aperit vim igneam, nisi tetigeras, tum enim digitos adurit. Ita quorundam malitiam non sentias, nisi cum illis consuetudinem aut rem habueris. Vel, non senties Philosophiæ vim nisi exercueris. *Idem, lib.* 37. *cap.* 11.

Ixion Iunonem persequens in nubem incidit. multi etiam in fucatam amicitiam incurrunt. *Plutarchus.*

Orabanche ciceri infesta est & ervo, ut æra tritico, hordeo festuca quæ vocatur ægilops, lenti securidaca: atq; hæc quidem omnes complexu necant. Ita quorundam amicitia pestilens magis est quam inimicitia. *Plin. lib.* 18. *cap.* 17.

Luna quo propior est Soli, hoc minus habet luminis: & plus fructus atq; dignitatis est iis qui proclabsimi à magnis Principibus. *Plin. lib.* 2. *cap.* 9.

D Arithmeticorum digiti, nonnunquam plus aliquoties minus, aut nihil valent. Et regum amici sæpe quidvis possunt, rursum mutata in fastidium gratia nihil possunt. *Plutarchus.*

Stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frenos. Et stultissimus, qui amicum asciturus eum è vestitu aut opibus æstimat. *Seneca.*

Hirundines sub hominum tectis nidulantur, & tamen non assuescunt, nec fidunt homini: Ita quidam amicos semper habent suspectos. *Plin. lib.* 10. *cap.* 24.

Equi virtutem in bello exploramus: amicum in calamitate & infortunio. *Philo.* Asini usum arguit vitæ asperitas: amicum benevolum calamitates ostendunt. *Maximus Serm.* 6. Numum exploras, num sit adulterinus, priusquã utaris & amicus probandus priusquam eo sit opus. *Plutarch.* Diligenter cõpingitur navis, quæ sit præsidio futura, & ager casibus variis oppositus: ita diligenter probandus amicus, quo sis usurus ad omnia. *Idem.* Discussis spinis nos complectentibus ad vitem tendimus aut oleã.

Ita non quemvis obvium oportet in amicitiam admittere; sed ad idoneos aliis rejectis, eundum est. *Idem.* A

Frumentum non ideo bonum est, quod ex agro pulcherrimo natum sit, sed quod commodè nutrit: Sic bonus & verus amicus est, non qui genere clarus, sed qui moribus egregiis fuerit præditus. *Socrates apud Stob. Serm.* 84. Apem propter aculeum non adisti, sed propter fructum foves & tueris. Amicũ acerbè objurgantem ne adverseris, sed ama propter benevolentiam. *Cato apud Maxim. serm.* 6. Mel exulcerata mordet ac purgat, alioquin utile & dulce: amici etiam libertas quod vitiosum & corrigẽdum est carpit. *Plutarch.* Poma quædam suaviter acerba sunt, & in vino nimium veteri delectant: ipsa amaritudo amicorum defunctorum memoria mordet animum, sed non sine voluptate. *Idem.*

Muscæ in popinis non manent, si desit nidor. Et vulgares divitum amici non perseverant, si non adsit utilitas: *Plutarch.* Nandi imperiti, dum auxilium ferre volunt iis qui submerguntur, nocent magis quam prosunt, atq; suffocantur cum illis: Sic amici qui in rebus adversis tantum collachrymant amico. *Idem.* Creon filiam nihil adjuvit, sed eam complexus cum illa combustus est. Ita quidem felicibus amicis non fruentes cum infelicibus pereunt. *Idem.* Hirundo æstate advolat: ita infidus amicus rebus lætis præsto est, commutata fortuna deserit amicum. *Plin. lib.* 10. *c.* 34. 24. Veri amici nota hieroglyphica in avibus Seleucidibus conspicitur. Hæ numquam conspiciuntur à Casii montis incolis, nisi cum illarum præsidio est opus adversus locustas, nec unde veniant quove abeant cognitum. *Plin. lib.* 10. *cap.* 27. B

## AMICI *sinceri.*

VLmum proceram arborem vitibus solere adjungi, & olim usitatum fuit, & nunc etiam ubiq; in Italia, præsertim in Campania felici circa Neapolim atq; alibi fieri consuevit. Quamvis autem hæc senio arefacta, & pristino vigore destituta, nihilominus tamen vitem retinet ac sustentat, non aliter ac antea crescens & virescens factitare solebat. Ulmo etiam aridæ vitis constanter adhæret. Amicitiæ sinceræ tabella hieroglyphic. Comparemus nobis, quantum fieri potest, amicos qui nec rebus adversis, nec temporum diuturnitate, neq; locorum distantia, vel ulla deniq; re à nobis temere desciscant, & nos amare desinant. Quod Phocion ille sapiens referente Stobæo, nos facere jubet, ζητεῖν, inquit, δεῖ καὶ ἄνδρα καὶ τέκνα, καὶ φίλους τοὺς κατὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ βίου παραμένοντας, id est. *Quærere convenit maritum & liberos, & amicos qui usq; ad vitæ exitum tales permaneant.* Eruditissimus Alciatus hæc omnia emblemate 159. complexus est quod hic reponimus: C

*Arentem senio, nudam quoq; frondibus, ulmum*
*Complexa est viridi vitis opaca coma:*
*Agnoscitq; vices Naturæ & grata parenti,*
*Officii reddit mutua jura suo:*
*Exemploq; monet tales nos quærere amicos,*
*Quos neq; disjungat fœdere summa dies.*

Alciati commentator subjicit Catullianos versus nuptiales, idem hieroglyphicon spectantes, quos etiam adscripsimus: D

*Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,*
*Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam.*
*Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci.*
*At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,*
*Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.*

## AMICITIA *mutua.*

HEdera vincire quasi quibusdam brachiis quicquid apprehenderit, arctissimeq; continere solet: vicissim ergo murorum rudera ea sustentantur ne cornuant, ab illis quoq; hedera conservatur ac erigitur, ut hac ratione neutrum sine altero consistere possit. Amicitiæ veræ constantisq; hieroglyphicon, de qua in primis Cicero aureolum libellum illum, qui utinam quemadmodum omniũ manibus

A manibus teritur, sic etiam in universa vita à cunctis observaretur, accuratè conscripsit. In amicitia (inquit inter cætera) & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilli valent, & (quod difficilius dictu est) mortui vivunt. Paulo post subjungit, Amicus est tamquam alter idem. Lælius quoq; circa finem commendans amicitiam, quæ fuit inter Scipionem & ipsum arctissima, addit, Mihi quidem Scipio, quamquam subito ereptus, vivit tamen, semperq; vivet. Seneca epistol. 67. Nihil, ait, æq; ægrum reficit sicuti amicorum affectus. Non video me mori cum illos superstites reliquero: puto, inquam, me victurum non cum illis, sed per illos.

*Muri hederam, hæc illos, alterno munere, firmant,*
*Hic typus expressus mutuæ amicitiæ est.*

## A M I C U S.

BEne olet unguentum, bene olet & pharmacum: verum illud ad nihil utile, nisi ut delectet: hoc, præter odorem, majorem utilitatem habet. Sic adulator tantum jucundus, amicus etiam utilis & B necessarius. *Plutarch.*

Pictura colores habet jucundos; sunt & pharmaca quædam grati coloris. Sic amicus ideo delectat ut juvet; adulator tantum pascit inaniter aures. *Idem.*

## A M I C U S *certus in re incerta cernitur.*

INsignis fides & mirè ingeniosa calliditas Scaros pisces celebrat. Scarus enim, teste Plinio, inclusus nassæ non fronte erumpit, nec infestis viminibus caput inserit, sed adversus caudæ ictibus crebris laxat fores, atq; ita retorsum erumpit. Quem luctatum ejus si fortè alius scarus extrinsecus viderit, apprehensa mordicus cauda adjuvat nixus erumpentis. Quæ ad verbum ex Plinio exscripsit Isidorus. Rem porro ipsam Ælianus quoq;, Oppianus, Plutarchus, Ovidius in fragm. halieut. & Joan. Tzetzes satis superq; confirmant. Propterea apud Athenæum λάβραξ ὁ πάντων ἰχθύων σοφώτατος dicitur. Nam profecto admiranda hæc illius cum ad se, tum ad socios liberandos solertia est: & fides non minori laude digna, quam vel Thesei & Pirithoi, vel Damonis & Pythiæ, vel Orestis & Pyladis, vel C quorumcumq; aliorum, quos sinceræ amicitiæ cultus immortalitati inseruit. Præclare autem Val. Max. libr. 4. cap. 7. disserit: Sinceræ fidei amicos præcipuè in adversis rebus cognosci: in quibus quidquid præstetur, totum à constanti benevolentia proficiscatur. Et quæ ibi sequuntur plura, lectu utilissima. Quibus omnino conveniunt illa Orestis Euripidei:

τοὺς φίλους
Ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν.
*amicorum in malis*
*Prodesse amicis convenit.*

Ubi & ratio subnectitur eadem, quam Valer. Max. exprimit. Nervose Seneca in Agamemn.

*Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.*

Igitur non male, ut puto, hæc nostra inscriptio hieroglyphico huic convenit, quæ est Lucan. vers. lib. 8. de bello civili.

D *Adversis non deesse decet, sed læta secutos*
*Nulla fides umquam miseros elegit amicos.*

Atq; ut neotericus quidam disticho expressit, picturæ ingeniosæ addito,

*Ecce scari socios prendant ut vimine clausos:*
*Scilicet est veræ hoc symbolum amicitiæ.*

## A M I C U S *inimicus.*

SAlmoni, ad delicias nostras nato, variæ à piscatoribus struuntur insidiæ, cum retibus majoribus tum machinis in fluminibus exstructis. Est & hæc ejus capiendi ratio, cum alibi, tum præcipuè in Anglia. Salmonem viventem fœminam funi alligant, inq; flumen demittunt. Astat navicula aut ponticulo in aquis facto piscator, observans, si quos forte alios sui generis alliciat hic proditord,

Quod ubi fit, ille de longe adventantes prospiciens, funem paulatim ad se retrahit, sicq; Saltriones vel fœminæ desiderio, vel pugnandi caussa insequentes incautos ex improviso obruit, stimulisque adhibitis paratis conficit, aut in casses optatam prædam conjicit. Sane autem istiusmodi insidiis omnis nostra vita plena est, ut longe difficilius sit amico non fidere nimium, quam hosti manifesto resistere. Quotusquisque enim, cum moribus sit improbissimis, amicitiæ tamen prætextu non & bonus videatur, & alios reddere sibi quam similimos? Nam ut Plautus dixit in Trinummo, *Maxime bonum maxime se vult, ut sit sui simulis.* Convenit etiam hoc in mulierum impudicarum blanditias, de quibus alibi. Convenit & in proditores & Sycophantas, qui suis versutiis & dolis incautos in discrimen adducunt, & non raro misere perfundant: quibus voluptati etiam est, ubi contra sanguinem suum insidiantur, & in animas suas fraudem moliuntur, ut Salomon loquitur. Illorum igitur casses qui evitare volet, semper in animo Syracid. illud habeat: Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende. Quo & Martialis illi decantatissimi versus pertinent. lib. 12. epigr. 34.

*Si vitare voles acerba quædam,*
*Et tristes animi cavere morsus;*
*Nulli te facias nimis sodalem.*
*Gaudebis minus: & minus dolebis.*

Multi dum aliis officiosi videri volunt, suis sunt exitiosi. Cæterum,

*Hostis aperte, at est clam falsius nos perdit amicus:*
*Nec quisquam est structis tutus ab insidiis.*

## AMOR *causa omnium.*

CÆsar Trevisanus, ut hieroglyphicon illud explicaret, curavit in libro commentario depingi quatuor diversi generis animalia, eo modo ut unum alterum respiceret. Inter illa aquila & leo è regione superius & inferius Siren, cum dracone conspiciebantur. Illis autem animalibus amorum quatuor genera voluit repræsentare, nimirum desiderium & amorem veræ gloriæ & famæ, secundum virtutis, & præstantiæ animi, tertium pulchri, quartum divitiarum. Quibus eorum proprietates accommodat, nam ad primum quod omnia inferiora in altum ducit, & famæ ac gloriæ erebus præclaris & laudabilibus conquisitæ incumbit, aquila pertinet, quæ inter omnes alias aves volatu suo partes superiores cœli petit, & acie præterea oculorum singulari prædita est, unde veteres poëtæ Jovis esse ministrum fabulati sunt. Solæ autem aquilæ corona incapite est addita, quæ amorem sanctum & divinum circa res cœlestes designant. Leo secundo generi accommodatur, qui robore & quasi fortitudine quadam cæteris universis animalib. dominari dicitur, adeo generosi animi, & timiditatis atq; ignaviæ expers, ut auctores rerum naturalium scribant, quod hominibus dormientibus, vel interram, quasi mortui essēt, prostratis, vel etiam infantibus parcat, nec illis ullam noxam inferat, ac præterea in campis apricis & latentibus securus, spretis venatoribus, non mutato consueto ingressu procedat: quod virtutis & magnanimitatis conveniens est exemplum. Ad tertium genus amoris, quod in verarum pulchritudine appetenda consistit. Siren additur, cui, ut fingunt poëtæ, tam suavis vox est, ut omnes qui audiant ita demulceat, quod etiam somno inde corripiantur, (Alibi tamen ad illicitum amorem hanc similitudinem transferri non est ignotum.) Draco ultimo generi comparatur, quod versatur circa divitias & opes mundanas, nam his illum præsidere, ac custodire eas perhibent & oculis quoq; utitur acutissimis, quæ omnia divitiis conquirendis non malè possunt applicari. Quod si cum [illegible] quoque, id est parvo mundo, sive homine hæc conferre voluerimus. Aquilæ semper in altis locis viventi, & prædæ inhianti caput respondet, in quo est intellectus in perpetua rerum inveniendarum meditatione occupatus, deinde, os quoq; illi ad cibum ingerendum inest. Leoni cum pectore convenit, in quo consistit fortitudo. Sireni tanquam voluptuariæ, & in aquis degenti inferior venter, & tandem Draconi per terram repenti pedes, & crura attribuentur. Circum hæc vero animalia undiquaque flamma mollis, & lucida conspicitur, qua nobilitas & excellentia amoris denotatur, nam inter alia elementa ignis præcipuū locum obtinet, tanquam magis efficax reliquis. Occupata autem hæc flamma universum spacium circa quatuor animalia, quoniam ipsius vis & potentia per cunctas res

penetrat

penetrat atq; sese diffundit. Quod etiam catena indicat, quibus animalia invicem colligantur, & sæpe
A unum ad alterum pertrahitur. Est autem illa in superiore parte aurea circa Aquilam & leonem, cum
amor divinus, & universalis sit præstantiss. circa inferiora autem animalia plumbea, humanum, atq;
etiam bestialem significans. Huic μεθολογικῷ figmento auctor addidit inscriptionem Græcam hanc,
ὁ ἔρως ἁπάντων αἴτιος, & πρὸς αὐτὸν ἅπαντα, id est, Amor causa omnium, & ad ipsum omnia: quod nimirũ
ex amore vero omnes res originem ducant, primumq; rerum sit principium. Ingeniose hæc sane, &
eleganter excogitata fateor, quæ tamen in schola pietatis Christianæ multum melius & rectius expli-
cantur. Nam ut taceam de Amore Dei erga genus humanum (cujus vim & præstantiam nulla unquã
lingua humana satis exprimere vel laudare potest) primum est Amor sive dilectio quo Deus diligitur
propter se & proximus ptopter Deum, ut docet B. Augustinus de doctrina Christiana: qui lib. VIII.
de Civitate Dei quoq; ait, Platonem non dubitare hoc esse Philosophari, scilicet Deum amare, de quo
habemus præcepta sacrarum literarum plurima, quę nunquam ex animis nostris sunt deponenda. Est
deinde amor erga proximum, qui proprie Charitas dicitur, qui ex priore quasi uberrimo fonte pro-
B manat: qui enim Deum amare negligit, diligere proximũ nescit, ut veterum quidam dixit. Et secundũ
S. Paulum, 1. ad. Tim. 1. Finis præcepti est Charitas ex corde puro, conscientia bona, ac fide non ficta.
Ac Salvator noster, Io. XIII. certum ac indubitatum signum suorum discipulorum dicit esse mutuã
dilectionem. Huc etiam referri debet amor patriæ: nam quid illa nobis potest esse proximior? quam
Ethnici etiam adeo magnifecêre, ut pro illa mortem sæpe obierint. Et Seneca dicit,

*Præferre patriam liberis regem decet.*

Maximè autem charitati adversatur amor sui: cum quo congruit amor hujus sæculi quæ Græcis est φ-
λαυτία, quæ omnium vituperabilium affectionum dicitur esse principium, sicut superbia est finis. Hũc
stultum & improbum merito appellat Horatius, & Aristoteles VI. Ethic. infamem, alii cæcum; à quo
vitio omnes quam longissimè abesse debemus. Est deniq; amor honestus & laudabilis in rem aliquam
vel animatam vel inanimatam (quem Plato etiam videtur describere in dialogo quem symposium sive
de amore inscripsit) qui longe lateq; sese extendit, ea tamen conditione ne ullo modo limites honesti
excedat. Atq; extat egregium dictum apud Dionysium (ut fertur) Areopagitã in libro de divinis no-
minibus amorem sive divinum, sive angelicum, sive spiritualem sive animalem aut naturalem dicas in-
C sitam quandam intellige & connascentem virtutem, quæ superiora quidem ad inferorum Providen-
tiam prolicit. Æqualia rursum ad socialem sui invicem communionem conciliat, ac postremo infima
quæque incitat, ut ad sublimiora potioraq; convehantur, imo veluti fomite quodam igneo amplius
succensa resiliant, Hæc ille. Postremo loco est inhonestus voluptuarius amor, priori plane contrari-
us, præsertim ille impudicus & ἐρωτικός, qui belluarum similes homines reddit, atq; ideo θηριότητα quan-
dam Aristoteles vocat. Quantum vero libidines vagæ nocuerint omni tempore, & quo pacto pro-
pter illas non solum privati homines à Deo puniti graviss. Sed etiam ideo sæpenumero integra re-
gna funditus eversa fuerint, tam sacræ quam profanæ historiæ plurimæ testantur.

## AMOR *Cæcus sobolis.*

Simiarum generi, inquit Plinius, lib. 8. c. 54. præcipua erga fœtum affectio. Gestant catulos quos
mansuefactæ intra domos pepererunt, omnibus demonstrant, tractariq; gaudent, similes gratula-
tionem intelligentis. Itaq; magna ex parte complectendo necãt. Oppian. lib. 2. Cyneget. paulo aliter
hæc exponit. Simias enim ait ex duobus, quos pariunt, alterum amare, atq; alterũ odisse, hunc sta-
D tim arctiore complexu necare, quæ Solinus quoq; in hunc modum commemorat. Immoderatè fœ-
tus amant, adeo ut catulos facilius amittant quos impendio diligunt, & ante se gestant, quoniam ne-
glecti pone matri semper hærent. Tabella est convenientissima nimiæ parentum erga liberos indul-
gentiæ, quæ sæpe illis detrimentosa, vel etiam exitiosa esse solet, ut rectè monet vetus dictum.

Τὸ πρᾶον πατέρων διαφθείρειν τέκνα πέφυκεν. id est:

*Exitium natis parit indulgentia patrum.*

Recte etiam dicit ingeniosus poëta simiam pingens

*Est cum & amare nocet. Suffocat simia amando*
*Simiolum exemplum hoc ô fugitote patres.*

Nam

Nam ut Plato, libr. 5. de legibus annotat, πᾶς ὁ φιλῶν περὶ τὸ φιλούμενον, Id est, *Amans omnis A fit cæcus circa rem amatam*; cujus indulgentiæ plurima mala & incommoda post Salomonem multis in locis Syracides enumerat, & exempla sæculis omnibus extant illustria quæ hieroglyphicon illud explicant.

## AMOR *immensus Sobolis est subitorum.*

PElicanus sive Pelecanis, quæ Græcis est πελεκάν, describitur ab Aristotele, libr. 8. Animal. & libr. 9. quam avem Plinius & eum secutus Gaza, verterunt plateam, estq; apud Ciceronem libr. 2. de Natura Deorum platanea, nisi sit error scribarum. Oppianus lib. 2. de Aucupio, non Pelecanum, sed πελεκᾶνα nominat, nec videtur ab Onocrotalo distinguere quod tamen Physiologus improbat. Quamquam vero de sauciante proprio nostro pectus, & pullis ex eo sanguinem excipientibus, apud veteres scriptores (quantum ego sciam) nulla fiat mentio, & Isidorus quoque lib. 12. orig. dubitanter de hoc loquatur, ubi ait: fertur enim, si verum est, eam occidere suos natos, eosq; per triduum lugere, deinde seipsum vulnerare, & aspersione sui sanguinis vivificare filios: cum tamen tam sacri quam profani au- B thores hac similitudine crebro utantur, & omni laude digniss. Rex Alphonsus hieroglyphico uti voluerit, nos quoque hoc loco ejus facere mentionem non inconveniens fore putavimus. Quo indicare voluit, nihil sibi esse antiquius, quam populum sibi commissum & vera justitia ac æquitate regere, & simul ab omni via adversariorum illos salvos & incolumes conservare. Seq; ideo non solum opes omnes suas, sed sanguinem quoq; & ipsam vitam constituisse impendere. Potest etiam ad παιδοφιλίαν, & amorem parentum, & qui eorum loco sunt, in libros referri, de quo legitur Ravennæ ad pelicani picturam additum hoc distichon.

*Magnus amor, per magna fides, quam maxima virtus,*
*Alterius vitam morte parare sua.*

Quare sancti patres, hoc mystico sensu ad CHRISTI nostri Salvatoris unici sacrosanctam passionem pie admodum retulerunt, ut videre est apud D. Hieronymum, & D. Augustinum, ac imprimis C in Physiologo S. Epiphanio ascriptus.

*Sanguine vivificat Pelecanus pignora, sic Rex*
*Pro populo vitæ est prodigus ipse suæ.*

## AMOR. *meretricius.*

SArgorum mirum erga capras amorem, & quæ sit ejus occasione illorum captura, cum Oppianus admodum poëticè describit, tum rem ipsam Ælianus quoq; Phile in Iamb. & Plinius confirmant. Æliani locum, ut eum Gellius vertit, ascribam: Sargi capras vehementiss. amant, namque cum caprarum prope littus pascentium, unius aut alterius umbra in litore apparuerit, protinus gaudio exliĕtes, summo studio adnatant, ac saltu (non admodum ad saltandum idonei) capras contingere affectant, sensum caprini odoris percipiunt, etiamsi sub fluctibus natent, itaq; voluptate gestientes ad eas D accedere student. Quod autem tanta amoris insania in capras existunt, ex iis idcirco capiuntur, quæ tantopere desiderant. Nam piscator caprinam pellem extractam cum cornibus induens, insidias parat, sole à tergo relicto, atq; farinâ caprino jure madefactum in eam matis partem spargit, ubi habitare solent Sargi, qui tanquam philtro quodã odoris allecti accedunt, farina vescuntur, pellis assimilatę capræ conspectu permulcentur: ex his autem piscator multos hamo robusto capit, &c. Miranda mehercle hujus piscis cum à natura ad amorẽ quadrupedis & terestris animalis inclinatio, tum ex eodem noxia stultitia. Sed eo hieroglyphico meretricius amor rectè exprimitur, quod est Alciati 75. emblema ubi elegantiss. epigrammate rem depingit. Apud Athenæum, nisi fallor, Nico Attica meretrix, ait, *Capra* cognominatur, quod Thallũ adolescentẽ, qui in Atticã mel & caricas empturus advenerat, abliguriviss̃et. Et plane jucundũ est de capra & hœdo Sẽis Plautini somniũ in Mercat. act. 2. sc. 1. Satyri quidem

A quidem capripedes finguntur esse monstra libidinosiss. De quibus præter alios videantur Plinius & Pausanias. Si lectori placet hieroglyphicon Sargi illustrare repetat Socratis cũ Aristippo & Theodota dissertationes 2. & 3. lib. Commentar. Xenoph. quales sunt fallacis fructus amoris videbit:

*Vt stolidus Capitur Specie deceptus amatæ*
*Sargus, Sic Capitur quisquis amore furit.*

A M O R *Prolis.*

OPpianus eximius poeta, v. μλ. scribit, contra cœlitum fœdera impios Thraces delphinem audere insequi, & tridente ad id parato configere, & primum quidem vulnerari ab ipsis teneram ejus sobolem, quam misera mater continuc subsequens, ita illi adhæreat ut nulla vi, nullis ictibus inde queat abigi, quin simul & ipsa capiatur & interficiatur una cum filio, cum quidem ante alterum ex filiis, incolumem adhuc, ac effugiendum pene adduxerit. Quod similiter Ælianus & Jo. Tzezes tradunt: etiam pertinent quæ de vulpansere Horapollo & Ælianus referunt. Quod si brutis animalibus tam ingentem φιλοτεκνίαν natura instillavit, quid non homines ratione præditos æquum est facere? Profecto enim pietatis & affectus plena est vox illa.

B *Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.*

Igitur non inepta est Angeli Aretini, celebris inter I.C. doctrina; Amorem descendere, non ascendere: Et quod etiam vulgo dicitur minore molestia patrem alere decem liberos, quam decem liberos unicum parentem. Quo referenda est Aristot. disputatio lib. 8. Eth. cap. 12. affectum parentum erga liberos tam vehementem ex eo esse asserentis, quod liberi sint veluti sanguis & radix eadem cum parentibus. Quamvis ejus ratio illa, cur videlicet mater ardentius amet sobolem, quod nimirum ex se genitam illam esse certo sciat, quam tamen Homerus quoq; Menander, & juris civilis auctores tangunt, sane videatur leviuscula: cum tanta sit στοργὴ φυσικὴ erga prolem etiam in bestiis, quantam hic expressimus, quarum tamen nulla est cogitatio, quid magis minusve suum sit.

*Mirus amor Sobolis mater quod comprobat ecce*
*Delphini, captæ quæ Sobolis immoritur.*

C A M O R *parentum erga liberos.*

PAlumbos, quos vulgo Torquatos vocant, non nisi peracto solstitio parere, auctor est Plinius lib. 10. cap. 34. & in lib. 39. ait, Transisse Solstitium caveto putes, nisi cum incubantem videtis Palumbum: Alciatus vero Emblemate 193. ait, Palumbos in frigore nidificantes sibi proprias plumas evellere, ut pulli mollius foveantur, etiam cum suo incommodo, exemplum appositum admodum φιλοστοργίας. Sed in Græco Epigrammate, Antipatri, unde sumpsit Alciatus, gallinæ fit mentio, idq; integrum propter ejus elegantiam adscribere visum fuit.

Χειμερίαις νιφάδεσι πολιωμένα λῶβά ἐρίθις
τίκτοις ἰυιαχὰς ἀμφίχνοα πτερύγας,
μέφαμεν ὑρσίνες κεν ἀλεεν, ἢ γὰρ ἰμοῖσι
αἰθὶ ὑπὸ ἐρεθίσαν ἀντιπάλοι σεῦσιν.
σχέτλη καὶ μόνον κατ' οἶδ' ἀιδόκησεν

D μητέρες, ἐρίλιπα τέκνα ἐιδυκομίσαι. Id est,

*Undiq; ad hiberna gallina nive obruta matrix,*
*Alas in pullos explicat, hosq; fovet;*
*Nec prius absistit, quam frigore mortua cœli*
*Sic quoque defendens permanet usq; nives.*
*Medea & Progne si quid sentitis ad orcum,*
*Talia nonne avium cernere facta pudet.*

De magnitudine autem amoris parentum erga liberos præclare disputat Xenophon lib. 2. ἀπομνημ. in colloquio Socratis cum filio, & Plutarch. in peculiari libro περὶ φιλοστοργίας, in quo non pauca exempla quoq; ex brutis desumpta, nimirum Alcyone, fele, uria, Perdice & Gallina proponit, quæ hic verbotius exponere non est nostri instituti.

A M O R *sui.*

Columella refert equas, conspecta in aquis forma sua, agi in rabiem. Et quidam nimium admirantes sua redduntur insolentes ad insaniam usque.

Formica sibiipsi tantum laborat: Sic nonnulli mortales sibi duntaxat consulunt, suaq; modo negotia tractant, de aliis nihil quicquam cogitantes.

Fœtus suos asinus & simia impensius amant, indocti suas nuges seriis aliorum laboribus præferunt, & veluti Ixion nubes cupidissime amplectuntur.

## AMORIS *ignes.*

A Carnanis piscis est marinus, pagri vel erythrimi forma, cum quibus etiam confundi eum plerunq; scribit Rondeletius. Ab Athenæo dicitur ἀκαρνὰν, & commodatur à dulcedine. Acarne apud Plinium legitur in Catalogo piscium. Aristoteles autem Acarnam scribit æstate laborare & extenuari, 8.hist.anim.19. Unde nobilis quidam Italus in ludis equestribus symbolum hoc ostentavit, quemadmodum refert in suis Impresis (utamur enim hac voce usu fere facta latina) Scip. Bargaglius Senensis. Non autem dubito, quin inventor more gentis ad amoris sui ignes respexerit, est enim, ut de Didone canit Virg. *mollis flamma medullas.* Et ut Delphis ille apud Theocritum ait Idyll. 2.

ἔρως δ' ἄρα καὶ Λιπαρείου
Πολλάκις Ἡφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.

*amor enim vel Lipareo*
*Sæpe Vulcano flammam ardentiorem excitat.*

Quo etiam pertinet pulcherrimum epigramma Græcum 4. ἀνθολ. quod vertit Alciatus Emb.107. Et quæcunq; apud Poetas passim de amoris ignibus leguntur. Quin & B. Augustinus etiam in sacris literis non semel ignem pro amore usurpari observavit, ut Job.31. & Psal.57. Caveat igitur sibi unusquisq;, ne dum amoris illecebras veluti Solis sui radios excipit, aduratur ab iis, & sic non tantum corpore & facultatibus extenuetur, sed quod longe gravius est, in animæ quoq; periculum, ac veluti Phædria Terentianus in exitum ruat voluntarium. Argute sane & lepide atq; ad hoc hieroglyphicon non incommode de Thrasilli amoribus L. Apulejus 8. Metam ait: Quidni? Cum flamma fævi amoris, parva quidem primo, vapore delectet, sed fomento consuetudinis exæstuans, immodicis ardoribus totos comburat homines.

*En radii possint quid Solis, & æstus amoris:*
*Ii torrent piscem: torret at hic homines.*

## AMORIS *illiciti lethalis exitus.*

DIpsas ex genere viperarum serpens est, qui secundum Dioscoridem, lib.6. cap.50. vocatur quoq; πρηστὴρ & καύσων, propter continuam sitim, qua illos, quos morsu læsit, afficere ac veluti urere soleat. Idem Galenus lib.9. de Simpl. Medicam. facultatibus tradit, easq; in Lybia non in Italia reperiri ait. Aetius vero lib.13. prolixius insuper describit, ac dicit esse magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinentem, cum notis fulvis & nigris per totum corpus, capite autem angustiore. Sitis vero, secundum eundem, est intolerabilis ex ipsorum veneno, ut si etiam multus potus exhibeatur, ea non sedetur, nec tamen per urinas vel vomitum aut sudorem quicquam excernatur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non sumant, aut ob ejusdem repletionem nimiam venter rumpitur, idq; infra circa inguina, vel imum ventrem, ut in aqua inter cutem sæpe evenit. Eadem Ælianus lib.6. cap.51. & Lucianus in Dialogo, quem ad amicos mittit, copiose describunt. Notatur autem hoc loco per Aquilam tanquam invictam avem à dipsade in pectore ictam (quemadmodũ Hieronymus Ruscellus exponit in Italicis Impresis) vis & ardor nimius amoris, qui secundum Plautum in Mercatore, in pectore & in corde facit incendium, & ex conspectu & consuetudine mulieris adamatæ, semper majores vires & desideriũ ardentius sumere consuevit. Cui tam venenatæ bestiæ & rabioso animali omni ratione & cura statim in principio obviam eundum, ac totis viribus resistendum est, illiq; priusquam vulnus immedicabile infligat, præsentibus ac efficacibus remediis sobrietatis occurrendum, & animus vera ratione, & salutaribus præceptis instructus ad meliora convertendus. Quod Ovidius quoq; 1. lib. de remedio amoris recte monet,

*Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi,*
*Et tuus incipiens ire resistat equus.*
*Nam mora dat vires, &c.*

Alibi vero idem principiis obstandum esse jubet: nam si quis vulnus alit venis & cœco carpitur igni sero medicina parabitur.

*Reginam volucrum dipsas necat: ardor amoris*
*Sic animum accendens te dabit exitio.*

AMO-

A

## AMORIS *nimii levamen.*

TEmporum magna differentia avibus (inquit Plinius sæpius laudato libro cap.25.) perennes sunt ut columbæ, semestres ut hirundines, trimestres ut turdi & turtures, quædam cum fœtum eduxere, abeunt, ut galguli, upupæ. Abeunt autem hirundines, ut idem author priore ex Aristotele refert, hibernis mensibus circa pridie Id. Septembr. ad Arcturi ortum, & ultra illud tempus deprehensæ pereunt, redeunt vero circa 6. Cal. Martii. Sed in vicina abeunt, apricos secutæ montium recessus, ubi repertæ sunt nudæ ac deplumes, secundum Aristotelem quoq; lib. 8. de hist. Anim. c. 16. Sunt tamen nonnulli, qui existimant eas etiam mare transvolare instar aliarum quarundam avium, præsertim in locis mari propinquis. Quod etiam Petrus Martyr affirmat lib. 2. Legationis suæ Babylonicæ his verbis: Hiematum Alexandriam hirundines, milvosque cæterasq; volucres, pontum hyeme adveniente è nostris regionibus Europæis transvolantes tendere cognovimus. Quemadmodum igitur hirundo vernum tempus tanquam amœniss. totius anni partem expetit, ac ante illud non apparet: ita quoq; se habet amantis ratio, qui amore non capitur, nisi sensibus animi & corporis infixis in aliquod subjectum pulchrum. Est autem quatuor affectibus amans subjectus, lætitiæ ac

B spei, qui ambo cum veris amœnitate, quam hirundo tantopere desiderat, conferri possunt, nec non timori ac dolori, asperæ hyemi convenientes. Unde Ovidius:

*Pessima mutati cœpit amoris hyems.*

Sed qui laudabili proposito ac singulari generositate flammas & illecebras amoris nimii absentia sua restinguere, & propterea ad alia loca ubi hyems minus sit aspera, id est, impetus cupiditatum sedatior, sese conferre student, sapienter faciunt: idq; monet quoq; Ovid. 1. lib. de remedio Amoris hoc distichо.

*Tu tamen & quamvis firmis retinebere vinclis,*
*I procul, & longas carpere perge vias.*

Et poetæ nostri distichon,

*Ardorem quisquis fugere optat tempore amoris,*
*Dum ferret, fugiat: namque hyeme arcta fuga est.*

C

## ANIMA.

ÆGyptiis accipiter pro anima pingitur, inquit Horapollo, juxta nominis interpretationem. Siquidem illis accipiter Bajeth dicitur: quod nomen si diviseris animam & cor sonat: Bai enim anima est, & Eth cor. Cor autem ex Ægyptiorum sententia animæ ambitus est. Itaq; compositum nomen hoc animam cordatam notat. Unde & accipiter ob eum quem cum anima habet naturæ consensum, aquam omnino non bibit, sed sanguinem, quo & ipsa nutritur anima. Horapollo l. 1. c. 7.

## ANIMA *humana.*

LAtet, inquit Lactantius, *Lib. de Opificio Dei, cap.* 18. mens oppressa somno, tanquam ignis obducto cinere sopitus; quem si paululum commoveris, rursum ardescit, & quasi evigilat.

Igni (inquit Plutarchus) si extinctam subito facem admoveas, statim redaccenditur: & animus si statim evolet à corpore, facile redit in suam naturam.

## ANIMA *sancta.*

D UNiones, etsi nascuntur in mari, cum cœlo tamen, cujus splendorem referunt, plus habent cognationis. Ita sanctam animam, etsi in his terris corporis sui domicilium luteum & fragile incolit, non tamen terrena, sed cœlestia quærere decet. Quum enim à cœlo ducat ortum, à cœlo pendere, non autem terrenæ glebæ & plane sordidæ hærere affixam, prorsus æquum est.

De Columbæ innocentia dicitur: Estote prudentes ut serpentes, & innocentes ut columbæ. Anima sancta temperamento simplicitatis & prudentia delectatur, & id sibi dictum intelligit, quod Paulus hisce verbis expositit, volo vos sapientes quidem esse in rebus bonis, innocentes vero in malis. Roman. 16. 19.

Noti sunt versus, quibus Columbæ natura maxime expressa videri potest.

*Et sine felle, gemit, rostro non lædit, & ungues*
*Possidet innocuos, puraque grana legit.*

Anima Deo devota sine felle iracundiæ & amarulentiæ est. Caritas etim quæ non irritatur, summæ ei curæ est. Novit sibi dictum, Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia, tollatur ex vobis, cum omni malitia. Ephes. 4. 31. A

Sardonix, D. Hieronymo teste, nigredinem in imo, candorem in medio, & ruborem in summo habet. Pictura hieroglyphica est piæ animæ è tenebris in lucem prodeuntis, & inardescentis sancto & æterno Christi sponsi, cujus sanguine redemta & respersa est, amore & desiderio.

Ad piam animam, humilem, innocuam, parvo contentam, sobriam, castam, Deum sitientem, cœlestia meditantem, in luctu precantem, in lætitia corde canentem, charitate præditam, communionis sanctorũ studiosam, superna quærentem pertinent ingeniosi versus scripti de proprietatibus Columbæ, cujus symbolum Christus suis commendavit, jubens ut simplices essent sicut columbæ.

*Felle columba caret, rostro non lædit, & ungues*
*Possidet innocuos, granaque pura legit.*
*Estq; frequens ad aquas, pennaq; per aera fertur*
*Prapete, pro cantu lugubre voce canit.* B
*Educat alterius pullos, volitatq; gregatim,*
*Et studet in tutis nidificare locis.*

## ANIMÆ *domicilium.*

Qui in aliena domo habitant multis anguntur incommodis, semperq; de aliqua domicilii parte queruntur. Animus etiam nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio quæritur: significans se esse non in suo domicilio, sed in ergastulo unde brevi sit emigrandum. Hæc *Seneca.*

## ANIMÆ *inconstantia misera.*

Cancri facile capiuntur insidiis, eo quod alias antrorsum, alias retrorsum incedant. Sic anima nunc risui, nunc deliciis, mox luctui dedita, nihil proficere potest. *Clemens apud Anton. part. 1. Serm. 17.*

## ANIMOSI *viri.* C

Picarum (Pica autem Græcis est κίσσα) duo habentur genera, quorum unum est illud varium & caudatum ubiq; notum, olim tamen, ut apparet ex Plinio, in Italia rarius: alterum picam glandariam sive garrulam vocant. Utrumq; genus sermonem humanum addiscit, minor tamen illius nobilitas (ut Plinii verbis utar) quia non ex longinquo venit *Ovidius* 5. Metamorph. Pieri silas in has aves mutatas fingit. Constantinus Landus doctiss. Comes in veterum Numismatum eruditis interpretationibus docet hieroglyphica Ægyptiorum pro homine sibimetipsi medente pinxisse vel picam lauri folium ore tenentem, vel leonem simiam comedentem, de quo alibi. Sed in hieroglyphicis Horapollinis nuper ab eruditiss. viro Davide Hœschelio, Rectore Scholæ Augustanæ, græce ac latine editis, hoc legitur de Palumbo, quæ φάσσα est græcis, non multum absimili dictione a κίσσα. At quomodocumq; hæc se habeant, hieroglyphicon hoc non male convenit cordatis & animosis, qui non ab aliis pendentes & auxilium eorum experentes, seipsos in rebus adversis sua virtute, patientia, & ἀνδρεία sustentant, & sibi satis firma remedia inde conquirunt: quales tanquam publice privatimq; optimos esse apud Thucydidem lib. 2. Pericles ait, ἄνπερ ὡφελῆς πρὸς ξυμφορὰς γνώμη μὴ ἔκπλεω λυπεῖσθαι, ἴσχυι δὲ μᾶλλον ἀντέχεσθαι, καὶ ἰδιωτῶν κρατιστοί εἰσι, id est, *qui in rebus adversis non franguntur animo, sed reipsa maxime resistunt, & in Republ. & in vita privata sunt optimi.* D

Sapienter etiam monet poeta noster,

*Ne pende ex aliis, in te tua cuncta repone:*
*Id te etiam volucris, se medicata, docet.*

## ANIMUS *ager discursationibus non curatur.*

Qui animi æger, & multis curis atq; ærumnis affectus, arbitratur non alia ratione se posse dolori mederi, atq; mentis inquietudini consulere, quam hinc inde vagando & discursando, inseras vera sui mali remedia negligens, assimilatur cervæ fauciatæ,

Quam

A *Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit*
Pastor *agens telis:*
*------illa fuga silvas saltusq; peragrat Dictaeos.*

Frustra: quoniam
*------haret lateri lethalis arundo.*

Celeri cursu hinc inde fugit, semper reflexa cervice respiciens ad sagittam corpori infixam. Proprium ægri est, inquit Seneca, nihil diu pati, & mutationibus, ut remediis uti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, & littora pererrantur, & modò mari se, modò terra experitur præsentibus semper infesta levitas. Animus æger fugit turbas discurrendo, non vitat. Quapropter Plutarchi dictum, lib. de animi tranquillitate memorabile videtur. Recta, inquit, ratio si accedat ad quodvis genus vitæ, & quamvis mutationem, eam reddit facilem. Quod argumentum luculenter tractavit Horatius epist. ad Bullatium, lib. I.

*------Nam si ratio & prudentia curas* *Strenua nos exercet inertia, navibus atq;*
B *Non locus effusi late maris arbiter aufert,* *Quadrigis petimus bene vivere, quod petis hic est,*
*Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.* *Est Ulubris: animus si te non deficit aequus.*

Sed, ut ii qui febriunt, jactant se inquiete & versant, atq; adeo lectum subinde mutant vana spe levamenti: in eadem causa nos, qui terram è terra frustra mutamus, ægri scilicet mentis. Aperimus morbum, non tollimus; calorem internum fatemur, cui nullam facimus medicinam. Post diuturnos & multos errores, animi pravos affectus nullo mari eluemus, obruemus nulla terra. Sequentur nos, & post pedites, equites q; sedebit atra cura. Socrates interroganti cuidam, quid ita peregrinatio sibi non profuisset? Scite respondit, Non enim te deseruisti. Simile hic dixerim: & quocumque fugies, corruptum corruptoremq; animum tecum habebit, comitem non bonum. Atq; utinam comitem: sed vereor ut ducem, quia non sequentur te effectus tui, sed trahent. Igitur,

*Omnem tolle metum, mentem nec anxius urge:*
*Lasus enim, frustra spicula fixa fugit.*

ANIMI *affectus, motus, perturbationes.*

C PAssereculus pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur. Mens nondum affectibus liberata, & ad cœlestium meditationem contendens, ab affectibus ad terrena retrahitur. *Maximus, lib. I. de charitate.*

Gubernatores se ventorum mutationibus accommodant, & viri sapientes animorum affectibus. *Stobæus, sermon. I.*

Multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem ipsa sunt, sed tamen signa felicis atque uberis soli, si quis excolat. Sic animi affectus per se mali arguunt ingenium non malum, si accedat recta institutio. *Plutarchus.*

Corpus non est capax voluptatum, nisi bene temperatum. Animus non capit veram voluptatem, nisi liber metu ac cæteris affectibus. *Idem.*

Puro vase frustra haurias è fonte turbido. Nec potes aliis jucundus esse, aut rebus obeundis accommodus, nisi malis affectibus animum purgaveris. *Idem.*

D Qui lucernam non ferunt, multo minus ferent solem: & qui mediocribus rebus perturbantur, multo magis obstupescunt in magnis. *Idem.*

ANIMI *tranquillitas.*

NOn fit mare tranquillum, nisi cessaverint venti: non extinguitur ignis, nisi materiam incendii, spinarumq; sarmenta detraxeris: nec animus erit quietus, nisi ea quibus inflammatur, fuerint abdicata. *Chromatius.*

Sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem expectat: & rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus. *Plutarchus.*

Canes feroces ad omnem vocem irritantur, ad solam notam ac familiarem mansuescunt: Sic animi morbi cum sæviunt compesci non possunt; nisi dicta adsint nota & familiaria quæ commotos corripiant. *Idem.*

Qui nauſeant inter navigandum, exiſtimant ſe melius habituros, ſi ex ſcapha in libūrnicam aut in triremem demigrarint, at nihil agunt cum ſecum pavorem & bilem circumferant: ita fruſtra mutant genus vitæ, qui morbos animi ſecum portant. *Idem.*

Nihil differt utrum ægrum in ligneo lecto, aut in aureo colloces: quocumq; illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet: ita nihil refert utrum animus æger in divitiis, aut in paupertate conſtituatur: malum ſuum illum comitatur. *Senecæ epiſt.17.*

## ANIMUS *bene inſtitutus.*

HOrapollo lib.2.cap.29.tradit Ægyptiacos pinxiſſe Aquilam geſtantem lapidem, pro homine qui tuto urbem quampiam incolat. Nam ſcribunt eum, vel è mari vel è terra ſublatum lapidem in nidum ſuum referre, quo tutior ac firmior eſſe poſſit. Hunc vero pleriq; Ætitem eſſe putant, cujus meminit Plinius lib.10.cap.3.quamvis cum gagate videatur confundere: cujus quatuor genera enumerat, lib.36.cap.21. Dioſcorides quoq; & Galenus ejus faciunt mentionem. *Oppianus* vero ad partum accelerandum hunc Aquilam nido imponere ſcribit. Ælianus lib.1.cap.35.exiſtimat id fieri, ut ſit contra faſcinationis injuriam quoddam amuletum. Georgius agricola lib.5.de natura foſſilium prolixe de eo tractat, & oſtendit in Saxonia & Miſnia quoque Ætitem repetiri, quamvis frequentior, & præſtantior ex Gargano monte afferatur. Sunt autem omnes cavi, & lapide alio vel arena quaſi prægnantes, & inde ſonitum edentes. Nec multum ab illis diſtat Geodes, quem Dioſcorides ſeorſim deſcribit, terramq; in ſe continet. Intelligi autem debet per nidum (ut Scipio Bargaglius interpretatur) lapide ingeſto ſtabilitum, animus juvenilis bene inſtitutus, cui nihil prius, nec antiquius eſt, quam ſe ſummo ſtudio munire contra omnes affectus effrenes, & vehementiores affectuum impetus, contraq; rerum caducarum vanas & quandoque perniciоſas cupiditates, idque pietatis, & veræ rationis auxilio, tanquam lapidibus admodum firmis & ſtabilibus, quibus imperare nobismetipſis, & modum ſtatuere immoderatæ libidini poſſimus. De quo plæclaro regnandi modo Horatius lib.2.od.2. ita cecinit:

*Latius regnes avidum domando*
*Spiritum, quam ſi Lybiam remotis*
*Gadibus jungas, & uterq; Pœnus*
*Serviat uni.*

Conveniens hieroglyphico diſtichon adpingamus:

*Non bene ſi primum animum abripient vaniſſima rerum:*
*Quare hunc doctrina conſtabilito gravi.*

## ANIMUS *excelſus.*

ANtiqua admodum ac celebris familia Fregoſia Genuenſis, ex qua plures Duces iſtius Reipublicæ & alii clari viri prodierunt, in gentilitiis ſuis inſignibus aquilam quoq; geſtare ſolet, cujus occaſione Galeacius Fregoſius triremium Magni Ducis Florentini generalis Vicarius, ſive, ut jam uſitato nomine nuncupantur, Locum tenens, Aquilam (referente hoc Hieronymo Ruſcello) ſymboli loco uſurpavit, magno impetu contendentem ſuo volatu adverſus mortem, circa quem cœlum exiſtit admodum turbidum, plenum pluviis, grandine, fulminibus & aliis ſævis tempeſtatibus, contra quæ univerſa Aquila nihilominus illis omnibus ſpretis alacriter contendit, aciem oculorum ad Solem ſupra montem apparentem ſemper dirigens, atq; eo tandem per tot pericula pertingens, cui inventioni Hiſpanicum dictum adjunxit, NI MATARMI, NI SPANTARMI, id eſt, nec occidere me, nec terrere, ſcilicet poteſt. Quo iſte fortiſſimus heros indicare voluit, nullum periculum, nullam rem quantumlibet terribilem, nec ipſam deniq; mortem ſibi extimeſcendam propoſuiſſe, reſpectu mandati muneris, & propter res laude dignas ab eo ſuſcipiendas. Quandoquidem in omnibus actionibus nihil aliud cogitet, nec ante oculos habeat, quam ſolidam virtutem & veram gloriam, ad quæ per multos labores & varias difficultates, tanquam ad montem altum, & adita difficilem (nam ſecundum Ovid.4.Triſt.

*Ardua per præceps gloria vadit iter.*)

animo intrepido & conſtanti aſpiret, à quorum acceſſu quamvis multiplicia genera tempeſtatum, id eſt,

A id est, fortunæ incursiones variæ & plurima alia discrimina illum retrahere & avertere conentur, se tamen ad Solem, id est, veram rationem & mentis aciem oculos dirigere, & tandem superatis omnibus difficultatibus ad optatum finem pervenire. Cuiq; etiam fortissimo heroi hieroglyphicon illud & convenit: justo item & viro illi, quem Horatius lib. 3. carm. Od. 3. vividis pingit coloribus,

*Justum & tenacem propositi virum,*
*Non civium ardor prava jubentium,*
*Non vultus instantis tyranni*
*Mente quatit solida; neque Auster*
*Dux inquieti turbidus Adriæ,*
*Nec fulminantis magna Jovis manus.*
*Si fractus illabatur orbis,*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Exclamet igitur pius & invictus animus, cœlum acribus oculis intuens:

*Nec me prærupti montes, nec fulgura terrent;*
*Quominus in summo vertice conspiciar.*

ANIMUS *generosus.*

B LAcerta viridis dicitur cum serpentibus acerrime pugnare; & si quando ab illis læsa, aut alioqui nimium defatigata fuerit, ajunt remedium vulneris vel languoris nimii petere ab odorata Chamæmeli planta, totam in eam sese involvendo, atq; hac ratione pristinas vires recuperando. Constat autem hanc odoratissimis floribus abundare, quos lassitudini mederi ac venenis quoq; resistere autor est Plinius. Sic etiam animus generosus semper sese gravibus ac infestis opponens fortunæ telis, contraque invidiæ occulta venena continue pugnans, si quando sese hisce inferiorem & quasi defatigatum senserit, subinde ad cogitationes honestas & actionum heroicarum meditationem sese confert, & in illis quasi involutus seipsum recolligit, ac pristinam acquirit industriam atq; alacritatem, qua adversus rabiem & insaniam adversariorum & malevolorum jamjam quasi triumphantium eo fortius pugnare illisq; resistere, & subinde etiam aliquid novæ laudis atq; autoritatis conquirere queat. D. Petrus Forestus, de Galega sive Ruta, Caprari avulgo dicta, cujus contactu lacerta se contra viperam ita munierat, ut tandem superior evaderet, admodum luculentam historiam commemorat, in suis commentariis de falsa urinarum prædictione. Sed nostro hieroglyphico distichon addamus:

C *Invida ut virus vincat, imitare lacertam:*
*Utq; Chamæmelo hæc, pectore te abde bono.*

ANIMUS *magnus & sacer.*

RAdii Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: Sic animus magnus & sacer, inquit Seneca, Epist. 41. & in hoc demissus ut propius divina noscamus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.

ANIMUS *sua sorte contentus.*

INter plura genera vitium, refert Plinius lib. 14. cap. 3. quoddam etiam peculiare reperiri, nullo plane indigens fulcro alterius arboris, aut palis; sed quod ipsum sese sustineat, unde etiam à Græcis ὀρθὰ πλοκὴ, id est, vitis recta nominatur. Strabo autem de talis vitis mira crassitie lib. 17. ea scribit, quæ prope fidem communem superant. Hæc profecto imago est accommoda veræ αὐτάρκειας, id est, illius, qui contentus est suis rebus suiq; ingenii dotibus, neq; ab aliis temere pendet. Quas D divitias maximas certissimasq; nominat Cicero in Paradoxis. Et Lucretius inquit,

*Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce*
*------Æquo animo, &c.*

Quod multo rectius ac plenius D. Paulus paucis docet: ἐστὶ δὲ πορισμὸς μέγας (inquit) ἡ εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας, id est, *Quæstus magnus est pietas cum animo sua sorte contento.* Et Syracides cap. 40. ζωὴ αὐθρώπου ἱκανὰ γλυκαίνουσα, id est, *Vita operarii, cui quantum satis est, suppetit, dulcis erit.* Tam magni autem veterum nonnulli hanc αὐτάρκειαν fecere, ut teste Theodoreto, in libro contra Græcos infideles, serm. 11. in quo tractat de fine & judicio, in ea ultimum hominis quidam Philosophi, authore Hecatæo, bonum statuerint. Quo pertinet etiam præclara hæc sententia Pindarica in Olympiis: Sanam si quis opulentiam irriget, contentus iis, quæ conquisivit, laudemq; adjungens, ne quærat Deus fieri, vel ultra humanam sortem sese extollere.

AN-

## ANIMUS.

A ANnum demonstrare volentes Ægyptii, Isin, hoc est mulierem pingunt, quo etiam signo Deum significant. Est autem apud eos Isis sidus: quod Ægyptio quidem nomine Sothis, Græco vero Astrokyon dicitur, qui & inter reliqua sidera videtur obtinere principatū: ut qui, dum ortus, nunc major sit, nunc minor, interim splendidior, interim vero secus. Insuper & quoniam in hujus sideris exortu, ea signis quibusdam observamus, quæ toto anno peragenda sunt; propterea nonnulli annum Isin appellant. Aliter quoque annum indicantes, palmam pingunt, quod arbor hæc sola ex omnibus ad singulos Lunæ ortus, singulos etiam ramos procreet, ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur. Horapollo in hieroglyphicis lib. 1. cap. 3. hæc profert.

## ANNUS *instans.*

B INstantem annum significantes, eodem Horapolline teste, lib. 1. cap. 5. quartam ἀρούρης partem delineant. Est autem ἄρουρα, unde Latinis arvum, terræ mensura centum complectens cubitos. Itaq; annum volentes dicere, quartum dicunt: propterea quod ab uno, ut tradunt, sideris, cui Sothis nomen, ortu, ad alterum quarta sit interjecta diei pars. Enimvero Solaris annus trecentis sexaginta quinq; diebus absolvitur: unde & quarto quoq; anno supervacuum quoq; diem computant & intercalant Ægyptii: quatuor siquidem dici quadrantes diem perficiunt.

Joannes Pierius libr. 18 de iis quæ per vulturem significantur ex sacris Ægyptiorum literis agens, pag. 179. mentionem cursim injicit deliramentorum Basilidis de numero cœlorum, cujus numeri princeps Abraxas, inquit, ab istis est constitutus. Hic autem plura de eodem commento in antiquitatis studiosorum gratiam subjicere libet. Cæsar Baronius Soranus, tomo 2. Annalium Ecclesiasticorum, addit ad pag. 68. lin. 43. editionis Plantinianæ, refert circa annum 1590. Romæ in lucem emersisse gemmam ex amethysto, quam D. Fulvius Ursinus ostendit unam ex illis imaginibus esse, quibus uti solerent Basilidiani hæretici, quas loco bullæ vel amuleti, aut alia causa superstitiose gestarent. Antica parte sculptus apparet juvenis, indusiū ad genua gestans, cætera nudus, aperto capite, super quod virga extat appositа; Dextra manu clypeum rotundum, sinistra hastam seu bidentem tenet: multis characteribus toto corpore insignitus, qui nihil nisi magiam & superstitionem spirant, atque inconditas voces vel implexas, & erronibus illis melius cognitas continere putamus. Sub pedibus C ABAANAΘAABA *Ablanathalel* scriptum legimus. Ad imam hastæ partem ABPAΣAΞ *Abrasax*, qui fuit Basilidis summus Deus: & gemmæ cælatura post Abrasax habet ΘOYΘ *Thoyth* vel *Thouth*, qui Ægyptiis Mercurius fuit, si Gyraldum audimus, Syntag. 9. Platonis & Ciceronis sententias referentem. Hæc vox fuit generis, inde *Theos*. Basilidianis Deus fuit igitur Abrasax. His namq; elementis (ut testantur Irenæus lib. 1. cap. 23. Tertullian. De præscript. cap. 46. Epiphan. hæres. 24. Aug. De hæres. cap. 4. Theodoret. hæret. fab. lib. 1.) Basilides concepit summæ Virtutis nomen, ex quo Dii reliqui dimanarent, omnes numero trecenti sexaginta quinque, secundum anni dierum numerum, totidemq; cælorum (ut somniabant) quibus singulis eodem numero Dii sive Angeli ab eo nominati præessent. Porro eorum, ut dictum est, numerus literis illis exprimitur, quibus evidens Summi omnium Deorum *Abrasax* nomen compositum est, nempe A & B unum & duo: P & A centum & unum Σ & A ducenta & unum, Ξ sexaginta sunt: quæ simul juncta summam efficiunt CCCLXV. Ita enim S. Irenæus & citati superius auctores omnes interpretantur, & numerant ex mente Basilidis. Multi ex Platonicorum & Ægyptiorum curiosis scholis ad Christianismum transeuntes, neglecta D prophetica & Apostolica simplicitate, veritatem cœlestem ridiculis istis numerorum & cœlorum figmentis obscurarunt, & dum sapere nimium voluere omnium apparuerunt insipientissimi. In gemmæ parte postica Leonis signum & tauri caput ad genituram pertinet ejus qui gemmam illam ex amethysto gestabat: sicuti solemne est ejusmodi nebulonibus his impostutis sibimet illudere.

## ANTIPATHIA *hominum.*

M URænam, quæ adeo Romanis in deliciis fuit, ut ex Macrobio, Cicerone, Plinio, Columella, & aliis constat recte, ni fallor, exhibet Hipp. Salvianus in pulcher. suo opere hist. aquatil. & in eadem illa sit cum lampetra nostra, & Ausonii Mustella, multa affert aliis non animadversa Jos. Scaliger in Auson. Lect. Ejus capitale odium cum polypo, præter Ælianum & alios Oppianus elegantiss. descri-

A describit 2, ἀλ. Posse nimirum Polypum nullis artibus, nullis viribus murænæ evitare insultus, sed cogi quamvis invitum ad necessarium prælium devenire, & frustrâ quidem miserum suis cirris, & flagellis, velut spiris ac vinculis, murænam implicare. Nam & sua lubricitate illam elabi, & denuo adorientem hostem, brachia illi abscindere & discerpere, ac ita tandem devictum conficere. Sic videlicet ratione etiam carentibus implacabile quiddam natura ingenuit. ut Ælianus quæritur. Sed cur ita? cum ubiq; fere terrarum, ut est in versu Timonis Phliasii apud Cl. Alexandr. & Euseb. libr. ultim. præparat. Evangel.

Ψευτὰ ϑ ἑρπολέϑρος ἔχας κατὰ λαὸς ἀλᾶται,
*Rixa hominum pestis stridore vagatur inani.*

Et muræna quidem in polypum, in murænam locusta, in diversum nempe à se genus piscium, odia sua exercent; at in se ipsos & genus proprium, & viscera sua sæviunt homines. Verissima igitur est Juvenalis querela: Satyr. 15.

*Sed jam serpentum major concordia, &c.*

Et eodem pertinet Plinii locus: Cætera animantia in suo genere probe degunt: congregari vi-
B demus, & stare contra dissimilia. Leonum Feritas inter se non dimicat: Serpentum morsus non petit serpentes: nec maris quidem belluæ ac Pisces, nisi in diversa genera sæviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.

## ANTISTES *improbus.*

QUod D. Augustinus, epistol. 148. De Ecclesiæ Antistibus suo tempore dicebat, hoc nostra quoq; tempestate dicere possumus: Nihil in hac vita, maxime hoc sæculo, facilius lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi aut Presbyteri officio, si perfunctorie atq; adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, tristius & damnabilius. Item in hac vita, maxime hoc sæculo difficilius, laboriosius, periculosius est Episcopi vel Presbyteri munere: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster Imperator jubet. De iis autem qui sine ullis Doctrinæ virtutumq; præsidiis functiones Ecclesiasticas, tamquam ad ignem pyraustæ temere prosiliunt, operæ pretium est audire quid sentiant Salvianus libr. 1. ad Eccles. & Bernardus lib. 2. De consider. ad Eugen. Nihil est, inquit
C Salvian. turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine & despicabilem vilitate. Quid est enim principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Bernardus autem: Absq; his insignibus, inquit, eo deformior, quo illustrior appares? Numquid abscondi potest civitatis supra montem posita? aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Simia in tecto, rex (antistes) fatuus in solio sedens. Et nunc audi Canticum meum, & quidem minus suave, sed salutare. Monstrosa species, gradus summus, & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, sermo multus & fructus nullus, vultus gravis, & actus levis, ingens authoritas & nutans stabilitas. Sed & quid eo antiquior Ambrosius dicat, Epist. 6. audiamus. Nihil in Sacerdotibus plebejum requiritur, nihil populare, nihil commune tum studio atq; usu, & moribus inconditæ multitudinis. Quid in te mirabitur, si sua in te cognoscat, si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat, si quæ in se erubescit, in te quem reverendum arbitratur offendat? Et libr. De dignit. sacerd. cap. 3. Ne sit nomen inane, & crimen im-
D mane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis. Ne sit Deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus provectus. Ne sit gradus excessus, & deformis excessus. Ne habeatur in Ecclesia Cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Qui plura cupit, legat Chrysostomi præclarum opus de Sacerdotio. Gregorii magni Pastorale, præsertim vero Nazianzeni Apologeticum. Illic enim quantæ stultitiæ ac temeritatis sit, illotis (ut dici solet) manibus tam arduum ac sacrosanctum munus attingere, discet. Hieroglyphicum vero Simiæ in tecto saltantis & Antistitis indocti atq; improbi apprime convenit.

## ARDELIONES.

PEtrus Crinitus lib. 2. de honesta Disciplina, 14. cap. pingit hieroglyphicum quod hic explicamus, sub Apologi lineis. Sata est olim Curcubita juxta Pinum arborem procerissimam. Cum

vero multis pluviis ac cœli temperamento hæc plurimùm crevisset, lascivire cœpit, & ramulos anda- A
cius porrigere jamq; in pinum serpebat, & in suos ramos audebat frondes involvere, prægrandia
sua poma ac virescentia ostentans. Tanto itaq; fastu ac insolentia intumuit, ut Pinum ipsam avita sit
hoc pacto aggredi. Vides, ait, ut te jam supero, utq; solis ac virore præsto. Tum pinus, quæ senili
prudentia præstabat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed respondit; Ego vobis
multos calores & hyemes, variasq; temporis adversitates pertuli adhuc tamen integra consisto, ta
verò ad primos rigores minus habebis audaciæ; nam frondes concident, & virescere desines. Tabel-
la est Ardelionum, agyrtarum & nebulonum, quibus etiam probis & doctis viris audacter insultare non erubescunt, ubi ad seria ven-
tum est, tanquam fumi venditores suo ipso fumo oppressi pereunt.

*Quid certat tardæ citò nata cucurbita pino?*
*Interitu celeri, quæ citò nata, cadunt.*

ARDUA *sectanda.*

ERigitur vir solidæ gloriæ cupidus, ut exigatur, Capram imitatus, quæ magno conatu se se eri- B
gens, & lauri surculos teneriores depascens, acinde tamquam ex nutrimento convenientissimo,
corpori alimentum & incrementum præbens, robustior q; inde existens, hieroglyphicum est liberi-
lium artium studiosi, quarum auxilio sperat se famam ac celebritatem nominis perpetuam consecu-
turum, quum, Horatio teste,

*Dignum laude virum Musa vetet mori, &,*
*Cœlo Musa beet.*

Capra etiam salicum & aliorum amarorum virgultorum summitates, neglectis humi nascentibus
etiam suavioribus herbis, carpens, ostendit nullos labores esse ingratos, imò studiosis videri jucun-
dissimos & suavissimos ob virtutis & aliarum rerum laudabilium acquisitionem. Quod Phocylides
testatur,

οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνθρώποις ὠφέλιμον ἔργον *Nullum sine labore est hominibus facile opus,*
οὐδ' αὐτοῖς μακάρεσσι πάρα θεὸν μὴ γὰρ ἀφίκει. *Nec ipsis Diis: labor autem virtutem valdè adjuvat.*

Et Manlius Astronomic. lib. 4. C

*Propretio labor est; nec sunt immunia tanta.*
*At nisi perfossis fugiet te montibus aurum.*
*Impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso.*

Ad prius hieroglyphicum etiam hi versus pertinent.

*Ardua sectaris scansurus culmen honorum,*
*Vt lauri Capræ summa petunt folia.*

ARMA, *Sine consilio, infirma, & noxia.*

XIphias piscis Latinis Gladius, insigni corporis robore, & rostri potissimum, quod in formam
gladii & usum à natura accepit, fretus, insolenter in mari grassari, ac obvios quosq; pisces fugare
solet adeò ut balænis quoq; sit formidabilis. Tantæ enim duritiei & acuminis est ejus ξιφοειδὲς
ὄπλον, ut Ælianus vocat; ut illo etiam naves perforet cum submersionis periculo, quemadmodum
Plinius scribit, ac idem Ælianus confirmat, qui visum ait navigium, quod reparandum erat, cujus cari- D
næ Xiphiæ caput rostro impacto infixum remanserat, & quod rostrum, dum ad cetaceam magnitu-
dinem Xiphias excrescit, simul increscat, adeò ut tandem τριήρους ἐμβόλῳ, triremis rostro, compara-
ri possit: Sed & Oppianus non minus accuratè illud describit in 2. ἁλ. Hic igitur piscis tam sævis ar-
mis instructus, ut maximis etiam pelagi belluis sit formidabilis, à pusillo tamen hoste superatur &
conficitur. Sub caniculæ enim exortum, ab æstro sive asylo infecto vix aranei magnitudine, quod
sub pinnas ejus se insinuat, percitus, adeò in rabiem agitur, sæpe ut in naves velterram exiliat, donec
tandem immensos cruciatus cum morte commutet, veluti idem Oppianus scribit, & rem ex Ari-
stot. confirmat Athenæus lib. 7. meminitque Eustathius Ὁμήρ. 10. Exemplum mebercle evidens,
quam parum prosint arma absque ratione & prudentia, imò & noxia illa sæpenumero esse.

Armis

A Armis enim non cedunt omnia, sed rationi potiùs & consilio, quibus ista regi necesse est. Igitur ex Comici scito;

*Omnia prius sapientem experiri, quàm armis decet.*

Pulchrè etiam Q. Curt. lib. 7. Nihil, ait, tam firmum esse, cui periculum non sit, etiam ab invalido. Et idé lib. 4. Patere veluti insidiis Regem.

ARTIFEX *suis artibus & machinis eversus.*

PInna fundo maris ad litora perpetuò affixa, lana quadam seu villo extra concham propendente, tanquam radice nititur. Ea lana tenuissima est, & byssus Aristot. dicitur, ex qua sunt byssinæ vestes nobilissimæ, quas I C. per byssicum opus videtur intelligere in l. ult. §. Species. D. de publican. & vectig. Certum autem est, quòd pinna hanc suam lanam, veluti manum quandam, ad alimentum attrahendum expandat, ut apud Ælianum legimus, planè ad similitudinem retis piscatorii: in quam ubi pisciculos & minuta conchilia, cæteraque maris quisquilias attraxerit, illis delicatè vescitur. Et Ælianus quidem hanc ejus lanam σαγήνην vocat: αὐτὴ δὲ ἑαυτῆς σαγήνη ἐστὶ, σιτοῦται δὲ λεπτὰ τοῖς παραπλεομένοις τῶν ἰχθύων: B *& caruncula extra conchas eminentem ex sese prætendit, tanquam escam circumnatantibus piscibus.* Sed quid fit? Ipsa pinna suis his inventis & piscatori ad retia conficienda primitus monstravit viam & simul illi ostendit, hoc ipso pacto & astu etiam se capiendam esse. Quod planè ita accidit. Nempe, ut præclarè Seneca in Hercule fur. admonet:

*Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus*
*Repetit, suoq; premitur exemplo nocens.*

Nec reprehendi potest, qui hostium artes & dolos similiter eludit, eosque propriis ipsorum inventis & machinationibus circumvenit ac superat, atque ita in auctores technas rejicit. Sic enim, ut idem Seneca ait in Thyeste:

*Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.*

Pertinent huc noti versus Ovidii:

*Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,*
*Armaq; in armatos sumere jura sinunt.*

C Etisti M. Palingenii in Capricorno:

*Nam jus fasq; sinunt, vim vi propellere, fraudem*
*Fraude, velut meritum merito pensare decorum est.*

ASTUTIA *fallax.*

EFfugia spem alunt, & fallunt. A canibus agitata Rupicapra in præcipitia montis quærens tutum effugium ibidem à canibus undique obsessa, tandem nullum fugæ exitum prospiciens capitur. Hieroglyphicum eorum, qui suis consiliis atque actionibus nimis callidis & calidis, quibus se fore tutissimos opinantur, ac ideò temerè & audacter aggrediuntur omnia, sæpissimè seipsos evertunt, vel in ea conjiciunt pericula, unde vix sese extricare possunt. In historiis innumera exempla occurrunt, quæ instituti nostri ratio prætermittit. Festivè ut ferè semper Plautus in Captivis,

*Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cùm etiam cavet,*
*Etiam cum caviſſe ratus, sæpè is cautor captus est.*

D In eare egregia occurrit magni viri sententia. Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipubl. utile, ipsis glorioſum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adjiciat ne consilio periculum suum, & si fortuna cœptis adfuerit, cui summum decus acquiratur. Equidem

*Astus sæpe nocet: qui cavit ne caperetur,*
*Hoc ipso captum commemini citius.*

AVARITIA.

HYoscyamus, sive Apollinaris herba (Altercum quoque veteribus dicta) propter nimiam suam frigiditatem inter Narcoticas plantas, id est, stuporem inferentes, refertur, sumptaque copiosior etiam propter quandam facultatem occultam amétiam parit. Unde hodie etiam incolæ vallis

Ananiæ (ut Matthiolus refert) sua lingua, propter hunc effectum Italicè nominant *distarbio*, id est, mentem turbans. Ad Hyoscyamum quoque si aves aduolent, & potissimum semine ipsius non adeo ingrato pascantur, tandem stupidæ in terram decidunt, ut facile capi possint, exceptis tamen sturno ac coturnice, quæ aves illo impune vescuntur, idque ob certam quamdam formam similem, ut vult Theophrastus. Ad hunc modum plures homines nimio auri amore capti (nam secundum Tibullum,

*Sæpe solent auro multa subesse mala)*

& dulcedine divitiarum irretiti, sæpissime à vera rationis semita aberrant, atque tandem in perniciosissimum avaritiæ vitium, fontem omnium malorum, quasi mente capti detruduntur. Hoc Seneca in suis epistolis, & libello de Paupertate, ex illis Centonum instar collecto, paucis verissime explicat. Divitiæ, inquit, inflant animos, superbum & arrogantem pariunt, invidiam contrahunt, & eo usque mentem alienãt, ut fama pecuniæ etiam nobis nocitura delectet. Quod infinitum studium accumulandarum divitiarum ubique, in sacris etiam literis, plurimum reprehenditur, & Syracidæ præsertim capit. 27, & 31. tanquam loci communes quidam de eo consuli possunt, liberales tamen opes & recte usurpatæ minime vituperantur: quas Sappho vocat πλοῦτον κεκοσμημένον ἀρετῇ, id est, divitias virtute exornatas.

*Ut volucres dementat Hyosciami gravis herba:*
*Sic insana stupent pectora divitiis.*

## AVARUS.

EST magnus quæstus pietas cum animo sua sorte contento. Fatuus autem aliena requirens, Lupum cervarium (quem nonnulli Lyncem existimant) imitatur, cui quamvis in fame mandenti, si respexerit, oblivionem cibi subrepere ait Plinius lib. 8. cap. 22. Digressumque quærere alium; & ita, ut Solinus refert, immemor præsentis copiæ, it quæsitum quam reliquerat satietatem. Quod avaris, id & aliis mundanæ vanitati addictis sæpius contingere solet, qui dementati vana spe fortunæ uberioris præsentia commoda per stultitiam negligunt. Hesiodici versiculi immemores,

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει. Id est,
*Stultus est, qui, certis relictis, sectatur incerta.*

Sophocleæ item sententiæ.

Τῶν ἀμηχάνων δ' ἔρως
Πολλοὺς ἔθηκε τοῦ παρόντος ἀμπλακεῖν. Id est,
*Non possibilium cupiditas*
*Multos fecit præsentibus frustrari.*

Huc refer, quæ mythologi de cane carnis frustum aliunde raptum & secundum flumen decurrente docent. Hujus frusti cum imago in aquis appareret, canis avidus illam quasi alterum frustum undis innatans appetit: sed dum pandit rictum ut assumat, id quod tenuerat, amittit.

*Incertis inhiat, certissima spernit avarus:*
*Ceu præsentem alium Lynx cupit ipsa cibum.*

Omnia paucis Horatius,

*Semper avarus eget.*

Et Bias apud Ausonium,

*Quis dives? qui nil cupiat? quis pauper? avarus.*

Sapiens Hebræus, Quis dives? qui gaudet parte sua. Cicero autem suis rebus esse contentum maximæ sunt certissimæque divitiæ.

## AVARUS. TYRANNUS.

POst mortem prodest avarus, nec ullus homo nobis occurrit, qui historias non teneat de isto vel illo sene pecunioso, multa pretiosa supellectile ac prædiis locuplete, ita tamen avaro simul & sordido, ut omnes alios homines contempserit & semper vacuos à se dimiserit, ut

*Qui nummos aurumque recondit, nescius uti*

Composi-

*Compositis, metuens veluti contingere sacrum.*

A Istius Euclionis nota hieroglyphica erit porcus saginatus, à quo nisi occiso, nihil commodi emolumenti capi potest, cum ex Chrysippi sententia sus amicaluto præter escam nihil habeat: & Cato dixerit, animam ei pro sale datam, ne carnes putrescerent. Hunc, Horatio teste lib. 1. serm. 1.

*Non uxor salvum vult, non filius: omnes*
*Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.*
*Miraris, cum in argento post omnia ponas,*
*Si nemo præstet, quem non mercearis amorem.*

Recte igitur existimemus cum S. Apostolo, 1. Timoth. 6. & ad Ephes. 5 avaritiam esse idololatriam, radicem omnium malorum, & secundum Chrysostomum) omnis injustitiæ fomitem, necnon *omnis malignitatis matrem*, ut ait Phocylides,

ἡ φιλαργυρία μήτηρ κακότητος ἁπάσης.

Et ingeniosus poëta hieroglyphicon illud exponens canit,

*Nec sus, ni mactes, poterit prodesse: nec ulli,*
B *Dum vivit, prodest, quicquid avarus habet.*

Alii hinc sumpserunt tyranni hieroglyphicon, sicuti etiam Stobæus in Sermon. contra tyrannidem. Nam ut porcus, quando contractatur, semper grunnit, quasi metuens ne mactetur, cum sciat se nec lac præbere homini, nullique rei esse utilem dum vivit: sic Tyrannus vel ad leviſſima timet, ne cum sibi paratum existimans. Et Seneca in Hercule est florente de tyranno dicit,

*Victima haud ulla amplior*
*Potest, magisque opima mactari Iovi,*
*quam res iniquas.*

IN Hieremia Propheta cap. 17. Hæc habentur. Clamavit perdix, incubavit quæ non peperit, fecit divitias & non in judicio in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in novissimo suo erit insipiens. Quem locum B. Hieronymus ita interpretatur. Perdix aliena ova calefacit, si propria furto omiserit. sed cum creverunt in nidis, pulli evolant, & ad parentes suos redeunt,ementitum omittentes. Eademque fere tradunt B. Ambrosius in Hexaem. & Augustinus contra Faustum libro 15. ac Isidorus libro 12. Accomodat etiam hoc hieroglyphicon B. Ambros. Epist. lib. 7. in hominem avarum, ubi ait. Quidam naturæ perdicis etiam istud aptandum putarunt, eo quod aliena diripiat ova & foveat suo corpore, atque hac sua fraude alienos studeat partus accipere. Ita avarus quoque opes malis artibus conquirit ac corradit, quas tamen mox aut invitus veris possessoribus jure reddere, aut usum earum morte præventus amittere, ac aliis sæpenumero ingratis relinquere cogitur. Pierius Valerianus aliter explicans lib. 24. hieroglyphic. scribit Theologos quosdam per perdicem malum dæmonem intelligere, qui Dei fœtum in pravitatis nido adulterina educatione sibi velit enutrire, per eam autem avem, quæ verè mater est, & ova ediderat, piorum conventum interpretari, ad quem ad legitimam matrem, simul ac vocem ejus audierint, deserta falsa esse procurrendum. Tradit idem secundum Adamantium etiam hac similitudine notari hæreticos, quorum genus instar perdicum sit malignum ac fraudulentum, ubi tamen ab aliis vera matris sanctioris quippe institutionis vox audita
D fuerit, eos deseri, atque tandem pœnas suæ desipientiæ luere.

*Quæ sunt alterius perdix illa incubat ova,*
*Quæque alius peperit possidet alter opes.*

## AUDACIA *malesuada & infœlix.*

MUrena de Polypi victoria facta ferocior, & dentium firmitati confidens, provocata vicissim à carabo seu locusta, non cunctatur, sed audacter descendit ad prælium, quod eleganter describunt Oppianus & Elianus. Ut autem ab initio superbè contemnit hostem, ita temere etiam cum illo congreditur, frustra suis dentibus locustæ aculeatum dorsum & partes duriores complectens. Nam hujus siliceis forcipibus & robustis aculeis, in quæ cœco furore ipsa incurrit, transfixa tandem sua stultitia misere occumbit. Sic videlicet, ut præclare Livius ait, sæpe contemptus hostis

cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt. Quo magis præoptum illud in omnium animis esse debet: nihil in bello oportere contemni; nec sine causa dici, metrem timidi flere non solere, ut Æmyl. Probus in Thrasybulo scribit. Poterat Muræna in suo domicilio tutò consistere, & spernere Locustæ provocantis minas: sed nimia fiducia protracta in proximum volens ruit exitium. Unde rectiss. idem Livius, temeritatem, præterquam quod stulta sit audacia etiam esse, pronunciat. Et pulchrè Polyb, τὸ προπετὲς γὰρ μᾶλλον καὶ θυμὸς ἀλογος, ἢ δὲ παρὰ καιρὸν τόλμα, ἐγκέφαλος μᾶλλον τοῖς ἐχθροῖς, ἐπιβουλίσματα δὲ τοῖς φίλοις. ὅσῳ γὰρ σώμασι ἐπιδηλοῖ σύνεσιν, τοσοῦτον ὄγκε τοιοῦτος: *Celeritas, & audacia, & impetus præter rationem, & vanitas & typhus, hostibus eadem percommoda, noxia verò maximè amicis. Nam ad omnes insidias, fraudes atque æstus obnoxium est talis.* Potest etiam hoc significari Mars ἀλκαμενέα, qui se ab alio ad alium confert, & modò harum, modò illarum est partium. Homer. ιλ. ε.

Ξωὸς ὁμοίιος, καὶ τὸν κτείνοντα κατέκτα,
*Communis Mars, inq; vicem perimit perimentem.*

Et eod. libr. ἄλλοτε δ' ἄλλῳ νίκην,
*Nunc his, nunc illis contingit vincere.*

Sed ad prius significatum sequens distichon applicamus:

*Nunc semper nimium promptis audacia fœlix,*
*Sæpius at miserum ducit in exitium.*

## AULICORUM *Conditio.*

HOrum tabellam hieroglyphicam exhibuisse nobis videtur vetus ille vanitatum humanarum censor libr. de mercede conductis. Græcam ἔκφρασιν ejus picturæ, qui volet, ex ipso fonte hauriat. Nos Latinam versionem proponimus. Libet mihi (inquit ille) Cebetis exemplo imaginem quandam vitæ Aulicæ tibi depingere, ut eam contemplatus scire queas, num ex usu tuo sit eam adire. Equidem magnopere cupiam vel Apellem quempiam, vel Parrhasium, vel Aëtionem, vel Euphranorem ad hanc depingendam tabulam adhibere. Verùm, quoniam fieri non potest, ut aliquem artificem tam egregium atque absolutum nanciscamur, in præsentia tenuem quandam pro mea virili imaginem adumbrabo. Fingatur ergo *vestibulum* sublime, atque inauratum, neque id humi situm in sole, verùm procul à terra in edito collis fastigio: præterea in accessum fermè & abruptum, lubrico aditu, ita ut plerumque qui se jam usque ad summum verticem penetrasse sperant, lapso pede præcipitati frangant verticem. Intus autem *Plutus* sedeat, totus (sicuti videtur) aureus, majorem in modum formosus, atque amabilis. Porrò amator ubi vix tandem conscendit, jamque ad fores accessit, obstupescat, oculis in aurum defixis. Deinde *Spes*, quæ & ipsa specioso vultu est, ac versiculoribus amicta, manu prehensum introducat, mirè jam ipso ingressu attonitum. Atq; ab eo quidem tempore Spes usq; illum antecedat, ducatque, tum aliæ mulieres illum excipientes, puta *fallacia Servitusq;* tradant labori, at is miserum penitus defatigatum tandem *Senectæ* tradat jam morbidum, colorecque commutato. Postremo *Contumeliæ* arreptum illum ad *desperationem* pertrahat: & hoc quidem tempore Spes avolans evanescat. Tum ille non per aureum illud atrium, per quod ingressus fuerat, sed posticum quoddam & occultum exitum trudatur pernudus, ventricosus, pallidus, senex, læva quidem pudenda occultans; dextra verò seipsum strangulans. Occurrat autem exeunti *Pœnitudo* frustra lacrymans, & miserum his etiam conficiens. Atque hic quidem esto picturæ finis. Cæterum tu, Timocles optime, ipse diligenter consideratis singulis, expende cùm è re tua sit, ut in hanc imaginem per aureas illas fores ingressus, per alias longè dissimiles tam turpiter excutiaris. Quicquid autem feceris, memento sapientis illius qui dixit, Deum in culpa non esse, sed eum qui hanc conditionem ita sponte delegerit. Hæc pictor & Censor ille.

Tabellæ addamus ornamenta quædam poëtica. Virgilius libr. 2. Georgic.

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,*
*Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis,*
*Fundit humo facilem victum justissima tellus, &c.*

Horatius,

A Horatius, Carminum libr. 3. Od. 10.

*Auream quisquis mediocritatem*
*Diligit, tutus caret obsoleti*
*Sordibus tecti, caret invidenda*
*Sobrius Aula.*

Et Epistolarum lib. 1. Epist. 18.

*Dulcis inexpertis cultura potentis amici.*
*Expertus metuit. tu, dum tua navis in alto est,*
*Hoc age ne mutata retrorsum te ferat aura.*

Idem libr. 2. Sermonum, Satyr. 2.

*----at simul assis*
*Miscueris elixa simul conchylia turdis,*
*Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum*
B *Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis*
*Cœna desurgat dubia.*

Ovidius lib. 3. Tristium, Elegia 4.

*Vsibus edocto si quidquam credis amico,*
*Vive tibi & longè nomina magna fuge.*
*Vive tibi, quantumque potes, præclustria vita:*
*Sæpius præclustri fulmen ab arce venit.*

Paulò post in eadem Elegia:

*Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra*
*Fortunam debet quisque manere suam.*

Tandem concludit,

*Tu quoque formida nimium sublimia semper;*
*Propositique precor contrahe vela tui.*

C Seneca tragicus in Thyeste.

*Stet, quicumque volet potens,*
*Aulæ culmine lubrico.*
*Me dulcis saturet quies.* Paulò pòst.
*Illi mors gravis incubat,*
*Qui notus nimis omnibus*
*Ignotus moritur sibi.*

Idem in Hercule Oeteo,

*Colit hic reges, calcet ut omnes,*
*Perdatque aliquos, nullumque levet.*
*Tantum ut noceat cupit esse potens.*
D *Quota pars moritur tempore fati?*
*Quos fœlices Cinthia vidit,*
*Vidit miseros abitura Dies.*
*Rarum est fœlix idemque senex.*
*Cessent, Tyrio mollior ostro*
*Solet impavidos ducere somnos.*
*Aurea rumpunt tecta quietem,*
*Vigilesque trahit purpura noctes.*

Martialis Epigrammatum lib. 9.

*Nemo suos (hæc est Aulæ natura potentis)*
*Sed Domini mores Cæsarianus habet.*

canus

Lucanus lib. 8. De bello Civili.

*---exeat aula*
*Qui volet esse pius: virtus & summa potestas*
*Non coeunt.*

Anthonius in Epigrammat.

*Fortunam reverenter habe quicumque repente,*
*Dives ab exili progrediere loco.*

Inter poetas recentiores innumeri occurrunt. Ex ingenti acervo grana pauca exhibemus.

1. *Vana Palatinos quos educat Aula clientes,*
*Dicitur auratis nectere compedibus.*
2. *Aulam reperit qui bonam, & utilem, & fidelem,*
*Me auctore sequatur, Duce me, meque sequente.*
*Si quis quaritur, nec fugit; hujus miserebor.*
3. *Odisse verum, sape fucis oblini,*
*Parumque cautis ora sublimere viris,*
*Illudere imbecillo, & absentes male*
*Accipere: ea sunt aulicæ dulcedines.*

Attandem tollamus manum de tabula.

## AULÆ *Principum.*

PArdus odoris gratia allectas ferasinvadit, atque interficit. Ita quidam blandiloquentia irretitos fallunt ac perdunt. Sic etiam principum aulæ habent nescio quid blandum, quod invitat perniciem. *Plin. libr. 8. cap. 17.*

## AUDITUS.

ÆGyptii, teste Horapolline, libr. 1. cap. 47. auditum demonstrantes, tauri auriculam pingunt. Ubi enim concipiendi desiderio vaccastimulatur (idq; non amplius quam trihorio) vehementer mugit. Protinus vel ex longissimo intervallo audit taurus, cumque eam intelligat Venere excitari, mox accurrit: id quod soli huic ex animantibus omnibus, in congressu peculiare est:

## AUXILIUM *Dei.*

QUamquam hedera sit ex numero earum plantarum quæ numquam folia amittunt, sicuti quoq; Olea, Myrtus, Palma, Pinnus, Cupressus, &c. nihilominus tamen levi momento, vel propter ipsius temporis incommoditatem, vel soli imperfectionem, aut alia de causa decrescit & interdum plane exsiccatur. Emblema est, quod fidelis servus Domino alicui strenue & diligenter inserviens, ac vicissim illius benevolentiam ac favorem experiens sibi accommodare poterit. Sed musto adhuc rectius ad verum Dei cultum & honorem transferre hoc licebit. Nam sicuti videmus hederam, vitem, lupum salictarium, & alias hujus generis plantas, propter imbecillitatem, innixu ad arborem, palum, vel murum egere: ita persuasum esse nobis debet, nos non posse alia ratione ulla assurgere, crescere vel florere, quam accessu ad Deum Opt. Max. & gloria ejus pro viribus tuenda.

*Pyramidis surgentem hedera munimine cervis:*
*Talis stat pietas fulta favore Dei.*

HIERO-

A

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

## *LIBER SECUNDUS.*

### BELLA *Civilia.*

D

DE Draconis & Aquilæ cruenta pugna locus est apud Homerum ἐλ. μ. quem Cicero vertit in Mario, ex quo ejus versus referuntur libro de Divinatione elegantissimi:

*Hic Jovis altisoni subito pennata satelles*
*Arboris è trunco serpentis saucia morsu, &c.*

Imitatus etiam est Homerum Virgilius XI. Æneid. ibid.

*Utq; volans alte raptum cum fulva Draconem*
*Fert aquila, &c.*

Plinius ancipitem Aquilæ & Draconis in aere conflictum esse scribit, ita ut sæpe simul decidant. Tangit idem breviter Plutarchus quoque Commentario περὶ φθόνου καὶ μίσους. Est autem hæc imago mutuo se Marte conficientium, qualis fere conflictatio potentiorum inter se belligerantium esse solet, maxime in bellis civilibus, ut Pompeji & Cæsaris congressus docere possunt. Unde proverbium ex Sybillæ Erythrææ vaticinio natum:

κλαίει ὁ νικηθείς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν:
*Flet victus, sed victorem mors atra peremit.*

C Sic videlicet, ut in Pace Aristophanes ait,

Καὶ πίτθος πληγεὶς ὑπ' ὀργῆς ἀντιλάκτισεν πίθῳ:
*Ac recalcitrans per iram testa testam vulnerat.*

Qua de re vide Proverbium *Testa collisa testæ.* Et alterum: *Cadmea victoria*, ipsis scilicet victoribus haud fœlix, cujusmodi Græcorum fuit, quorum nulli non magno constitit capta tandem Troja. Argute, sed vere Pyrrhus Epiri Rex, cum duobus præliis vicisset Romanos, multosq; amicorum & ducum amisisset, si adhuc semel, inquit, Romanos vincemus, actum est de nobis. Agesilaus etiam cum ad Corinthum Lacedæmonii vicissent Athenienses, multitudine occisorum audita exclamavit: O infœlicem Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad universos vincendum Barbaros! Utrumq; refert Plutarchus in apophth.

*Victor uterq; cadit: proh quam victoria acerba est,*
*Cum trahit in præceps una ruina Duo!*

### BELLATOR *Strenuus.*

D

AUt mors, aut vita decora, vel ut nostro sæculo nonnulli, Victoria numeris omnibus absoluta, vel pax tuta, vel mors honesta.

*Dixeris hos fortes, quos nec formidine mortis,*
*Pro patria lætos occubuisse juvat.*

A canibus venaticis agitatus Aper, & summa vi in venabulum irruens, quod aut excutere conatur, aut ab illo confici cupit, hieroglyphicon est viri fortis ac plane imperterriti, præsens periculum minime fugientis, quem Petrus Angelius Bargæus lib. 4. Cynegætic. ita describit:

*------ Non ille iras, non ille superbos*
*Demittitq; animos, aut sæva pericula vitat*
*Ignavus, neq; etiam cursu pedibusq; salutem*

*Quarit, & hostiles præceps evadere terras:*
*Sed ruit in medias hominum canumque cohortes* A
*Ultor, atrox, certuq́, mori, quem cæperat unum*
*Ante locum tutatur habens, nec deserit unquam.*

Non aliter magnanimus & strenuus bellator, urgente necessitate, omnia alia contemnit, plane sibi persuadens, quod, secundum Horatium,

*Dulce & decorum est pro patria mori.*

Et Virgilius intrepidum militem armis hostilibus oppressum, sociosq; suos ad prælium adhortantem inducit inter cætera dicentem, lib. 2. Æneid.

*Una salus victis nullam sperare salutem.*

Estq; etiam Musonii (citante Stobæo) præclarum in hanc sententiam præceptum: ἁρπαζε τὸ καλὸν ἀποθνήσκειν, ὅτι ἔξεστι μὴ μετὰ μικρὸν, τὸ νῦν ἀποθνήσκειν σοὶ πᾶσιν, τὸ δὲ καλὸν μηκέτι ἦ. Id est, *Arripe, dum licet, mortem honestam; ne paulo post moriendum sit tibi quidem, sed honeste facere tibi non sit amplius integrum.* Othoni primo vere magno imperatori hieroglyphicon illud gratum, & in usu fuisse docti viri referunt. B

## BELLICOSUS.

Quo acrior equus est, inquit Plinius lib. 8. cap. 49. eo altius in bibendo nares mergit. Sic quoque vir fortis ac bellicosus, quo majora pericula ipsum circumstant, eo alacrior & acrior redditur, intrepide admodum pergens ad propositum, ut scilicet virtutis suæ specimen illustrius exhibere possit. Apud Lucanum lib 9. Cato Uticensis exercitum in Lybiam ducturus, militibus suis inter alia hæc suggerit,

*------Serpens, sitis, ardor, arena,*
*Dulcia virtuti: gaudet patientia duris,*
*Latius est, quoties magno sibi constat honestum.*

Claudianus etiam præclarè,

*Vile decus, quod non erexit prævius horror.*
*Ingentes ingeminant discrimina magna triumphos.* C

Et qui Plinii mentem expressit, ita Districho ludens,

*Totus equus naso ceu fertur anhelus in undam*
*Præsenti, adversis obvius ite malis.*

## BELLI *alea dubia.* RERUM *vices varie.*

Non caret admiratione pugna Falconis cum ardea, nam si hæc accipitrem vel falconem in sublimi potest superare, & sibi illum subjicere, suis excrementis in eum emissis, pennas ipsius corrumpit, & ad putredinem perducit. Quare falco hoc quanto potest studio evitans, & naturali instinctu sibi cavens, tamdiu ex obliquo cum illo in aere contendit, donec tandem occasione oblata superior factus Ardeam magno impetu deturbet. Quis magis evidenti similitudine belli incertos ac fallaces eventus repræsentari posse existimet? De quo omnium veterum scriptorum plurimæ graves extant sententiæ, & notus est versiculus Homericus. ἰλ. τ.

ξυνὸς ἐνυάλιος, καὶ τὸν κτείνοντα κατέκτα. Id est, D
*Communis Mars, inq́ vicem perimit perimentem.*

Seneca quoq; Naturalium Quæstionum, lib. 4. Ubi de Pompejo ac Lepido illi sermo est, cum ille alienum exercitum fugeret, hic vero suum; inquit. Ex quo liquere mortalibus posset, quam velox foret ad imum lapsus ex summo, quamq; diversa via magnam potentiam fortuna destrueret. Legitur quoq; ascriptum, *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes*, ex Virgil. xi. Æneid, item Claudiano lib. 1. in Ruffinum;

*------Jam non ad culmina rerum*
*Injustes creviisse queror: tolluntur in altum,*
*Ut lapsu graviore ruant.*

Cum

A Cum quo congruunt versus poetæ veteris, relati ab Aristot. 2. Rhetoricorum,

*Fortuna multos sæpe in altum provehit,*
*Non quod bene illis esse consultum velit;*
*Sed ut inde casu insigniore corruant.*

Et Poeta noster ingenioso Disticho:

*Sunt dubii eventus incertaq; prælia Martis,*
*Vincitur haud raro qui prope victor erat.*

BELLUM *civile.*

MIserias bellorum civilium hieroglyphice descripsit poetarum Gallorum facile princeps in nobili poemate, quod Hebdomas dictum est. Hujus aurei versiculi aliu Latinus expressit; In iis Draconis cum elephante pugna, mutuam civium lanienam & fœdam internecionem depingit. Ab altis ramis Draco elephantem velut ex insidiis & excubiis moratus.

*Desilit, & circum sinuosa volumina fundens,*
B *Nodosis elephanta modis & nexibus angit,*
*Nuda cui laxare sinus & vincla potestas.*
*Ergo amens elephas trunco rupive propinquat,*
*Flictu illusurus sævum quem longius hostem*
*Si ferat, extremos gemitus effundat in auras.*
*Protinus exsolvit nodos, & corpore lapsus*
*Crure draco spiris asper sic implicat arctis,*
*Ferre, ut is alterius nequeat præ compede gressum.*
*Dum nodos elephas pugnat laxare tenaces*
*Vana fremens, adhibetq; manum, simul impius anguis.*
*Inserit os oris penitusq; illapsus in altum*
*Spirantes animæ caulas atq; ostia claudit.*
*Atqui Cadmeo similis fortuna triumpho:*
*Nam submissus humum vita fugiente petessens,*
*Immani barrus victorem pondere frangit.*
*Mutua causa necis. Francum de more, cruentas*
*In sua, proh rabies! vertentum viscera dextras;*
*Dum cives temerare manu vis suadet, & amens*
*Relligionis amor, Druidum quo sanguine campi,*
*Et Moncontoriæ late rubuere novales,*
*Totam incestarunt tumulis & funere gentem;*
*Et patriæ florem patrio mersere sepulchro.*

Iidem versus de dissidiis civilibus Judæorum, Græcorum, Romanorum, patrum item nostrorum memoria Guelforum & Gibellinorum in Italiæ campis & civitatibus exponendi videntur. Etenim C in iis, civium præliis commoritur dimicatio, victusq; corruens, pondere complexum victorem elidit, Plinio teste, lib. 8. cap. 11. Paucis omnia, victus ejulat, victor autem lacrymas nequicquam effundit: & sero Phryges sapiunt.

BELLUM *civile.*

ARistoteles lib. 9. de hist. Animal. cap. 1. inter alias inimicitias innatas quibusdam animalibus, hæc de noctua & cornice quoq; refert. Cornix cum noctua dissidet, nam cornix meridie surripiens ova noctua ea absumit; cum non clare interdiu noctua videat. Contra vero ova cornicis noctu expedit noctua, estq; altera noctu, altera interdiu potentior. Idem Plin. lib. 10. cap. pen. & Ælianus lib. 5 c. 40. affirmant. Plutarchus in libello de odio & invidia addit insuper, harum avium occisarum sanguinem non permisceri, & si etiam quis confundat, utrumq; seorsim diffluere. Sed nonne videmus quotidie ferme homines ipsos tot capitales inimicitias exercere, ac sæpe numero D absq; omni justa caussa ἄσπονδον πόλεμον, id est, irreconciliabile bellum inter se gerere? Quod si ista vehementia & inimicitia contra communes hostes, Turcas istos & Scythas aliasq; similes barbaras & crudeles gentes usurparetur, non quidem esset culpanda, sed hoc inter illos, qui debebant esse conjunctiss. fieri, quantopere est deplorandum? Sic Euripides quoque in Iphigenia Aulidensi conqueritur fratrum iras esse acerbissimas.

δεινὸν κασιγνήτοισι γίγνεσθαι λόγους,
μάχας θ', ἥνων ποτ' ἐμπέσωσιν εἰς ἔριν. Id est,
*Res dira verbis invicem altercarier,*
*Dictisq; fratres dimicare mutuis*
*Si quando lis inciderit aut contentio.*

Quod cum magno probrorum & pacis amantium dolore, nimis esse nostris temporibus tristissimis tam in politicis, quam in ecclesiasticis rebus usitatum, experientia comprobat.

*Non tenebris cornix, non luce est noctua tuta,*
*Alterius sævis hostis ab insidiis.* A

## BENEFICENTIA.

VItis Lauro fulta rectius fructus suos ad maturitatem hoc modo producere potest, quamvis Laurus ipsa quoq; non parum utilitatis hominibus præbeat, atq; ita utraque stirps non sibi, sed aliis hanc quasi operam mutuam tradat. Quapropter nos quoq; quibus humanitatis virtus proprie competit, cuncta nostra consilia ac universas actiones eo semper dirigere debemus, ut non solum nobis, sed aliis quoq; prodesse possimus. Nihil enim melius neque præstantius bonitate ac beneficentia. Ex balsami frutice liquor nobilissimus, vulnerato vel sacrificato cortice in æstate destillat, hodie etiam in Ægypto illius magnus usus est ad omnia vulnera ac ulcera difficilia ac sordida, aliosq; plures ejusmodi affectus. Docemur hoc hieroglyphico de mutua inter homines præstanda benevolentia ac prompta opera, etiamsi interdum aliquid propterea laborum & molestiarum sit suscipiendum. Nihil enim, ut ait Cicero, bonitate ac beneficentia est melius aut præstantius. Quod quidem S. Paulus multo efficacius ac verius in epist. ad Coloss. cap. 3. monet, inquiens, B Induite viscera commiserationis, benignitatem, animi humilitatem, lenitatem, clementiam.

## BENEFICI *& liberales.*

SEleucidatum avium (ut Plinius refert lib. 10. cap. 27.) adventum à Jove precibus impetrabant Cassii, vel secundum alios Caspii montis incolæ, fruges eorum locustis vastantibus. Nec unde veniant, quove abeant compertum, nunquam conspectis, nisi cum præsidio earum indigent. Has doctiss. Jacobus Dalechampius in commentariis huic authori additis existimat esse ex Elotorum genere. Meminit autem harum quoq; Galenus lib. 6. de locis affectis: ac Anthonius Galatheus in libello de Japygiæ situ, annotavit simili ratione avem quandam marinam, quam in Apulia Gaiam nominant, bruchos ibidem copiosissimos non solum devorare, sed etiam ova & fœtus eorum ubique consumere. Sic Ælianus lib. 3. de Animal. cap. 12. idem scribit de monedulis Locustarum fruges vastantium ova & fœtus perdentibus, unde tanquam bene meritis Thessali, Illyrii & Lemnii illis victum publicum præbendum decreverunt. Potest autem hieroglyphicon illud convenire omnibus C beneficis & liberalibus, & nihil nisi commoda & utilitatem aliorum imprimis egentium & calamitosorum spectantibus. Quod recte etiam militibus strenuis sine privato emolumento patriæ tantum juvandæ causa suam operam aliis præstantibus accommodari poterit, quorum utinam hisce temporibus periculosissimis, ob Turcarum immanissimam tyrannidē plures numero quam (proh dolor!) fieri solet, existerent: cum videamus potius (secundum Aurelianum) lachrymis sociorum quam præda hostium multos ex illis delectari. Sed consulatur hac in parte eruditiss. Justus Lipsius lib. 5. cap. ult. de re militari Romanorum secundum Polybium, quo in loco nostram militiam cum antiqua accurate confert. Utiliter etiam legetur Adrianus Turnebus in Panegyri de Callisio capto, ubi illum locum gravissimo hoc versu concludit,

*Vig in Christicolas, in Turcam fœmina pugnat.*

Et Poeta noster,

*Qui prodesse aliis studet, is sua commoda spernat;*
*Ne pereat turpi gloria pulchra lucro.* D

## BONIS *mala cedunt in bonum.*

GArsias de horto & Nicolaus Monardes referunt lapidem Bezoar, hodie nominatissimum, cujus magna vis contra venena esse perhibetur, repetiri in ventriculo, vel potius in receptaculo quodam fasciæ modo formato, & ventriculo parte interiore adhærente. Animal dicitur esse figura hirci vel capræ. Clusius cervicapram nominat, propter similitudinem, quam habet cum utroq; animante. Præfertur autem lapis ex montanis ejusmodi capris ablatus, cum sit ob pabulum odoratissimarum plantarum aliis multo præstantior. Addunt nonnulli hoc animal serpentibus quoq; vesci, partimq; in succum & sanguinem, partim in hunc lapidem eos convertere. Quo hieroglyphico declaratur Bonis vitiis mala etiam ipsa cedere in bonum, & ab iis vitiis, vel rebus etiam adversis, quibus aliis

A alii succumbere, aut prorsus perire solent, cordatis ac piis nihil periculi vel incommodi esse metuendum, sed insuper inde propter constantiam & recti judicii robur magis confirmari, spiritus etiam acriores & alacriores colligere.

*Nulla venena probis vitii, sortisq; malignæ*
*Obsunt; quin potius robora dant animis.*

Huc referri potest celebri Horatii de justo & propositi tenace viro carmen, lib.3.Od.3. quem

*Si fractus illabatur orbis*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Ille etenim, ut canit Psaltes,

*Securus atras inter & aspides*
*Deget, ferarum & pignora tigridum,*
*Tutusque calcabit dracones,*
*Et Lybicæ catulos leænæ.*

B Quin & ipsos, imo mortem ipsam, superabit & devorabit.

## COELESTIA *Spectanda.*

URanops piscis est Græcis, (Latinum enim nomen non habet, unde & Plinius Græcum retinuit) qui iisdem καλλιώνυμος dicitur, ut ex Athenæo & Plinio liquet. Oppiano ἡμεροκοίτης dicitur. Ejus oculi supra caput siti recta in cœlum semper erecti sunt, unde & illi nomen, & Latinus interpres *cœli speculatorem* vertit. Hinc argute Galenus ridet eos, qui existimant ideirco hominem erectum stare, ut cœlum prompte suspiciat. Nam illos hunc piscem nunquam vidisse ait, qui etiam invitus cœlum semper intueatur: hominem autem si contemplari illud velit, collum retorquere necesse sit. Rideret igitur Galenus Ciceronem & Ovidium, huncq; sequutos Claudianum, Silium Boetum & Manilium. Rideret multo magis ipsum Platonem in Cratylo, cui ἄνθρωπος est ὁ ἀνακρῶν ὄπωπας & Etymologum, qui deducit παρὰ τὸ ἄνω θεωρεῖν, quod debeat

*Erectos ad sidera tollere vultus.*

C Rideret denique B. Augustinus Ambros. Lactantium, & alios, & imprimis Lactantium, qui toties idem inculcat, & lib.2. de orig.err. velut in sublimi aliqua specula constitutus, Persianum illud proclamat:

*O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!*

Cœlum potius (inquit) intuemini: ad cujus spectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit; vos in terram curvamini: vos altas mentes & ad patrem suum cum corporibus suis erectas, ad inferiora deprimitis; tanquam vos pœniteat, non quadrupedes esse natos. Igitur tantum absit, ut Galeni nos impietas moveat, ut potius semper in corde nobis sit S.Pauli 3. ad Coloss. τὰ ἄνω φρονεῖτε.

*Sursum oculos, ô Mens, vani obliviscere mundi,*
*Te manet in cœlis non peritura domus.*

## COELESTIA *quærens terrena non curat.*

D AVis quædam pulcherrima & rarissima, qualis jam exsiccata cum plumis apud nonnullos visitur, in Moluccis reperitur insulis, mole corporis satis parva, ob pennas vero longiores putatur mediocris magnitudini. Hæc (ut incolæ affirmant) nunquam in terra est conspecta viva, sed interdũ exanimis in eam ex alto aere decidit, ac inventa apud istos populos in magna habetur veneratione. Appellant autem lingua vernacula *Manucco diarta*, id est, Aviculam Dei, quia putant eam in paradiso nasci, quare apud nos quoq; inde nomen sortitum est. Hanc pedibus omnino carere constat, quamvis Aristoteles neget talem in avium genere reperiri, cum hirundines ἄποδες, sive κύψελλοι, secundum eundẽ; pedes habeant pilosos, sed ita minutos ut his carere videantur. In maris vero dorso fila gemina, nigra cornuũ instar utrinq; in rectum extensa, tres & amplius longa observantur, quorum usum peritiores rerum Naturalium esse existimant, ut fœmina dum ova fovet in eodem dorso caviratem efformante, istis vinculis mari alligetur, atque ita in ipso pullos excludat. Melchior Qui-

Iandinus putat apud veteres esse Rhyntacem, cujus meminit Plutarchus in vita Artoxerxis: necnon A
Ctesias & Dion. Scriptores rerum Indicarum, alias tradunt in Mexicana regione existere aviculas,
Cinzonos dictas, carentes pedibus, & rore tantum viventes, ex quarum pennis Chinenses artificio-
sissimas picturas concinnat. Congrui autem hoc hieroglyphicon in eos optime, qui rebus ter-
restribus ac caducis spretis ac contemtis ad cœlestia & æterna semper toto animo se convertunt.
Quare alibi additum legimus: SUPERATA TELLUS SYDERA DONAT. vel ΜΕΤΕΏΡΟΣ ψυχή,
id est, *Sublimis anima*, secundum pulcherrimum Nazianzeni versum:

ὑψοῦ βλέψον ἄνω, χθόνια δ' ὑπόλιζον πάντα,
*Sursum animo specta, terrenaque spernito cuncta.*

Convenit enim nos ima negligere quorum conversatio esse debet in cœlis. &

*Fœlices nimium quorum semper æthera mentis*
*Sublatæ, cuncta hæc infera despiciunt.*

## CALUMNIATOR.

PAstinacæ, quam τρυγόνα Græci vocant, radius sive aculeus adeo venenatus est, ut tam piscatores B
quam pisces lethaliter vulneret, quibus etiam eo ictis intra paucas horas, nisi remedia adhibeantur, occumbendum est. Ea de re post Aristotelem Athen. Ælian. Micand. Plinium, inter veteres vel imprimis Oppianus legendum est, cujus pulcherrimos de Pastinaca versiculos Had. Junius Embl. 8. latine reddidit. Clam autem in mari delitescit, adeo ut stabilis ac quieta videri possit: accedentes igitur incautius pisces, radio, quem in media parte oblongæ caudæ infixum, quo vult, dirigere potest, miro astu & nocendi libidine ex occulto figit & enecat. In piscatorem quidem quod radium etiam ejaculetur, inde Proverbium natum esse quidam existimant, *Piscator ictus sapit.* Tales sunt homines pestiferi, qui cum virus suum palam in bonos effundere nequeant, latent in insidiis tamdiu, & calumniis sibi occulte ad nocendum viam sternunt, donec eos vel otio suo, vel aliena fraude securiores factos, tandem ex aperto aggrediantur, & omnibus fortunis exuant. Nam, vete Achil. Statius lib 6. ait: ἐστι μὲν ἡ διαβολὴ μαχαίρας ὀξυτέρα, πυρὸς πρόδρομος, *Calumnia est gladio acutior, igne ardentior.* Sic Dionysius Syracusarum tyrannus, cum ob facinora ferri amplius non posset, ocioso & C
inertiæ ad eximendam tyrannidis suspicionem suis dedidit, donec eam denuo consecutus, longe crudelius quam antea exercuit, ut de eo Plutarch. refert. Sed & arbores pastinacæ radius enecat, Æliano & Plinio testibus. Ex quo est Had. Junii emblema doctissimum, in delatores istidem contortum. Busbequius in itineraribus suis, pastinacam sævo aculeo metuendam à suis comitibus captam fuisse narrat, quo dum ipsos appetebat, seipsam transfixerat. Quod & Scorpioni consuetum esse sæpe vidimus. Id certe Calumniatori seipsum suis artibus evertenti apprime convenit. Poeta

*Sæva venenatæ cautus fuge spicula linguæ:*
*Plus ea quam ferro vulnera facta dolent.*

## CANDOR. CONSTANTIA. INTEGRITAS.

EXamphibiis, & Salamandra est. Eam non tantum non consumi igne, sed flammam etiam extinguere rigore suo, pleriq; veterum affirmant, Aristoteles, Suidas, Nicander Nazianzenus paræn. ad Virg. Ælianus, Plinius, & Q. Serenus Sammonicus. Quamvis autem contra disputent Dioscorides, recentiores multi, & Brodæus 3. Misc. 3. Galeni auctoritatem addocat, ipse tamen Galenus vel de mortua Salamandra agit, vel hoc sentit, non aliter eam igni succumbere, quam si nimis diu in illo moretur. At non esse fabulosam hanc ignis extinctionem, quæ Salamandræ tribuitur, etiam magus ille Scaliger ex Olympiodoro convincit. Nobis huic hieroglyphico occasionem præbuit Greg. Nazianzeni locus in vita Basilii magni, in quo Salamandram Constantiæ iconem facens, & Basilium in Athenarum δειπνοσοφιστῇ salvos & sanos esse conservatos gloriatur. Verba ejus sunt: ἡμεῖς οἱ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πάντα πυκνοὶ, δι' ἄλμης, μᾶλλον γλυκὺς, ἢ ζῶσι οὐ πυρὶ σκαῦρος, (Salamandrum intelligi patet ex ejus paræn. ad Virg. vers. 480.) ᾧ τὸ πάθος ἁλίσκεται, τῶν ἡμῖν ἡμᾶς οὐ πάνυ ῥᾴδιον ἁλῶναι: *Et si quis est aut esse creditur fluvius, dulcedinem suam in salso mari retinens, aut animal in igne saliens, à quo tan-*

*cuncta domantur, id scilicet, ego & Basilius eramus inter omnes æquales nostros.* Quidam Salamandram
A in igne etiam nutriri volunt: unde Chymistæ ex Avicenna lapidem suum Philosophicum hoc typo exprimunt. Et hoc sensu Salamandram igneam Francisco 1. Regi Gall. in usu fuisse T. Paradinus innuit, cum dicto Italico: NUDRISCO IL BUONO, ET SPECO IL REO.

*Ambulat en medios Salamandra illæsa per ignes;*
*Nempe illæsa manet semper & integritas.*

## CAPIENTES. *capti.*

NOn est usitatior, nec jucundior, utpote omnis pene laboris & periculi expers, piscandi modus, quam, ut Martialis cecinit, *piscem tremula salientem ducere dextra*: eumque dulciss. versibus graphice descripsit Oppian. init. ἁλ. ubi Antoninum Imp. hamo piscantem fingit, cui se pisces ultro ad capiendum objiciant. Hinc nata nobis hieroglyphici inscriptio ex 3. Claudian. de laud. Stiliconis, ubi de leonibus loquitur, qui à Diana se capi gaudeant. Lud. dulcis in suis Impresis, Italico verbo communiter sic dictis, addit: NON CAPIO, NI CAPIOR. Quod ut ambiguum, vel de hamo, vel
B de pisciculo intelligere possis. Quod non ineptè, quamvis à magno argumento ad rem ludicram, Senecæ illud in Thyeste referas:

*Non poterit capi,*
*Nisi carpere veller.* Ut & Proverb.

*Inescare homines.* Nihil autem melius, ut puto, hæc explicare poteris, quam insignis ille Senecæ locus Ep. 8. Clamo, vitate quæcumq; vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum suspicioso pavidiq; substistite. Et fera & pisces spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunæ putatis? Insidiæ sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deviter, in quibus hoc quoq; miserrimi fallimur, quod habere non putamus, habemus. Hinc Martialis illa:

*Munera magna quidem misi, sed misit in hamos,*
*Et piscatorem piscis amare potest?*
*Qui potes insidias dona vocare tuus?*

C Sic Plato in Timæo, Cicer. teste, τὸν ἡδονὴν δέλεαρ κακῶν, voluptatem escam malorum dixit, quod ea scilicet homines capiantur, ut hamo pisces, quod & Plaut. in Merc. vertit.

*Dum capimus, capimur: si linquimus, haud capiemur.*
*Instructas vitat, qui sapit insidias.*

## CAPTATORES. HÆREDIPETÆ.

DE vulturibus, qui Græcis γῦπες sunt, hæc apud Plinium sæpius laudato libro legimus: Triduo ante vel biduo eos volare ubi cadavera sunt. Quod Ælianus lib. 2. cap. 46. copiosius ita exponit. In hominum cadavera vultures infestissimi feruntur, in quæ incurrentes tanquam hostilia invadunt, & hominem vicinum ad moriendum quando supremum vitæ diem agat, diligenter observant. Expeditos in bello exercitus præsensione quadam consequuntur, placere scientes, quod ad bellam proficiscantur, & quod omnis pugna strages edere solveat. Idem D. Basilius, & D. Ambrosius
D in hexamero tradunt. Sic Plautus in Truculento,

*Illud est, vide ut jam quasi vulturii triduo*
*Prius prædivinant, quo die esuri sient,*
*Illorum inhiant omnes.*

Horapollo quoque lib. 1. cap. 12. tradit hieroglyphice inter alia vulturem notare rerum præcognitionem. Nam ad eam partem exercitus sese convertere solere, ubi major est futura clades, sibi ex cadaveribus alimentum seponentem & in futurum prompte reservantem. Est autem hieroglyphicon conveniens in homines avaros, rapaces, & per fas, nefasq; aliorū bonis insidiantes. Unde Apulejus captidicos & improbos rabulas forenses vocavit vultures togatos, sicuti Cicero quoq; in Orat. pro Sextio, Gabinium & Pisonem, qui pretio omnia nundinarentur, ac ad se raperent, vulturios paludatos

tos nominavit. Quo etiam pertinent hæredipetæ & testamentorum captatores, quos Martialis irri- A
det cum alibi passim, tum in illo Epigrammate:

----- *Cujus vulturis hoc erit cadaver?*

Ac Seneca lib. 15. Epist. 96. hos describens: Amice, inquit, aliquis ægro assidet, probamus. At hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadaver expectat.

*Vultur præda inhians est captatoris imago;*
*Heu quam plena etiam sunt fera vulturibus!*

## CASTITAS *Conjugalis.*

INter pisces fere omnes unius Cantharí castitas, & odium promiscuæ Veneris Oppiani versibus in 1. ἁλ. celebratur.

*Uxores sargi multas, & merulus ardens*
*Ducunt, at alii contenti conjuge sola,*
*Cantharus æneus contemnens agmina lecti.*

Idem etiam Phile in Jambis asserit. Oppianum imitatus Ælianus scribit, Cantharum pro una uxore B
decertare, non aliter, quam Menelaus olim cum Paride: quam quidem si semel sortitus sit, non attingere illum aliam: neq; ad fidem tuendam tabulis ullis ei opus esse, nec dote; neq; malæ tractationis pœnam timere, neq; Solonem vereri. Et adjungit exclamationem dignam memoria: Ὦ πάντων ἄνθρωποι, καὶ πόλεις σεμναὶ, εἰς ἀνόλβους ἄνθρωπε ἐκ ἀβύσσου μὴ κατιόντας: O nobiles vero leges, & Resp. graves, quibus libidinosi homines non parere nihil verentur! Eant igitur nunc, quibus adulteria commixtionesq; nefandæ ludibrium & jocus sunt, & piscis hujus memoria tandem se excrucient. Certe enim, ut Seneca dixit in Agamemnone,

*Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.*

Quin etiam inter quadrupedes Cameli & Elephantes, inter volucres columbæ, turtures, cornices & ciconiæ, ut rerum naturalium scriptores tradunt, unius comparis consortium norunt, turpes hymæneos detestantur. Sed insigne est de Meleagro Oenei filio exemplum ἁλ. 1. qui cum in expugnatione patriæ neq; à civilibus, neque à parentibus commoveri potuisset, tandem Cleopatræ uxoris C
precibus excitatus cives urbem excidio eripuit.

*Conjuge contentus laudatur Cantharus una,*
*Masculus & totum fœmina conjugium.*

## CAUSÆ *rerum latentes.*

ECχενὶς ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὰς ναῦς, unde etiam ναυκράτης Suidæ à retinendis navibus, Latinis Remora dicitur. Non eundem vero piscículum hac proprietate præditum veteres descripsisse, ex collatione Aristotelis, Oppiani & aliorum apparet. Oppian. enim 1. ἁλιέυτ. videtur mustelam marinam, Ausonii lampetram intellexisse, ubi Pindari imitatione pulchram sententiam subjicit:

ἀεὶ γὰρ ἀπειράτων νόος ἀνδρῶν
Δύσμαχός ἐστι καὶ ἀγχιβίοις πιθέσθαι. Id est,
*semper enim inexpertorum mens virorum* D
*Expugnatu difficilis, neq; volunt etiam veris*
*Fidem adhibere.*

Idem videtur Ælianus quoq; sensisse. Et mustelam sane seu lampetram nostram eandem vim obtinere ipse Rondeletius αὐτόψιᾳ sua evincit. Plinius limaci magnæ similem facit, testimonio eorum, qui eam videre Caji Imp. quinqueremem inhibuisse; narratq; eandem pugna Actiaca Antonii properantis Prætoriam retinuisse. Quamvis vero Plutarchus & alii in pervestiganda hujus rantæ arcanæ caussa laborent, & Rondeletius ore hujus piscículi clavo aut gubernaculo puppis affixi id velit effici, nobis tamen summi Scaligeri candidiss. placet judicium, qui non defugit hic salutare illud ipsum occultæ proprietatis, & ad manifestas deducere omnia qualitates, summæ impudentiæ esse cognovit. Hinc nostra ἐπιγραφή. Nam & Plin. ubi de adamante hircino sanguine fracto, disserit: Nec quærenda, inquit, est in ulla parte naturæ ratio, sed voluntas. Hoc igitur constet, ex Hippocratis præ-

cepto:

A ceptio: τὸ μικρὸν μεγάλοι κρεῖσσον ἐστίν, cum etiam spreta omnibus maximas sæpenumero mutationes afferant. Egregie Pausan. in Arcad. ἔδωκε δὲ ἄρα ὁ θεὸς τοῖς μάλιστα ἀπηρεμοῦσιν πρᾶγμα τῶν ὑπηρχόντων τῇ δόξῃ. *At enim viribus plerumq; rebus Deus indidit, ut ea superent, quæ maxima erant inter homines æstimationis.* Aliter sentiunt multi, quorum disputationes lubens omitto.

*Sistere currentem Remora alta per æquora navim*
*Fertur: sic vis est maxima in exiguis.*

## CHARITAS *in proximum.*

RAia à Græcis βάτος & βάτις, pro sexus differentia, ut ex Aristotele potest colligi, dicitur. Ex eo scilicet, quod caudam & dorsum recurvis aculeis, agrestis rubi instar, quem Græci βάτον appellant, armatum habeat. Marinus piscis est, & ad magnitudinem non contemnendam excrescit. Ælianus quidem non majores Argolico clypeo in India non procul à littore gigni prodidit. Sed longe maximas esse in mari Gothico Olaus M. observavit. Variæ autem sunt Rajæ species, & non raro illa cum Rana piscatrice confunditur, cum toto genere tamen inter se differant: etsi pisciculos
B capiendi eadem fere utriq; sit ratio & calliditas. Cæterum Jul. Cæsar Scaliger de Subtil. ad Cardanum scribit: Solam Ranam inter omnes pisces in mari Gothico, ubi Rocca dicatur, observatam esse, insigni pietate, naufragorum cadavera à grassatoribus piscibus tueri. Quod fortassis ab Olao M. accepit, qui commemorat hominem naufragum in mari natantem à canibus sive caniculis, marinis piscibus tanto cum numero & impetu impeti, ut non tantum crebris morsibus, sed pondere etiam in profundum eum demergant ac devorent. Ubi vero Raia caniculis illis superveniret, tum eam ut injuriarum vindicem, magno conatu (cum quidem naturalibus aculeorum armis instructa sit) grassatores abigere, hominemq; ut enatet, adjuvare pro viribus. Tamdiu etiam illum sæpe tueri, donec spiritu penitus intercluso post dies aliquot, dum mare naturaliter se purgat, sursum feratur. Unde hominem, qui afflictis calamitate opem ferat, eosq; tueatur contra improborum injurias, quiq; in extinctos pius sit, Raiæ hieroglyphico significabimus. Et Raiæ sequens distichon apposite adscribitur:

C *Sum pietatis amans, hominis nam Raja cadaver*
*Non patior pelagi monstra vorare fera.*

Vel ut Dido apud Virgilium,

*------miseris succurrere prompta,*
*Haud ignara mali miseris succurrere disco.*

## CHRISTUS. *Christi domestici. Christi vox.*

1. DOminus noster dixit simile esse regnum cœlorum (sic vocat Ecclesiam suam, in qua ipse regnat per Spiritum sanctum, lætoq; Evangelii præconio, & Sacramentorum usu, sanctos suos exhilarat) cuipiam Negotiatori, quærenti pulchras Margaritas. Qui inventa quapiam magni pretii Margarita, abiens venum dedit universa, quæ habebat & emit eam. Matth. 13. 45. Evangelium Jesu Christi Margarita illa pretiosissima est, Matth. 7. 6. quam omnibus hujus mundi opibus nos anteferre: à vili hominum doctrina prudenter seponere, Jerem. 15. 19. & cui ceu typo ita nos quoq; conformari oportet, ut vere pretiosi coram Domino evadamus, Rom. 6. 17.

D 2. Margarita Græcis dicitur à nitore splendente. Celebratur autem & lumen Evangelii gloriæ Christi irradians mentes fidelium, 2. Corinth. 4. 4.

3. Latini Uniones vocant, quod indiscreti nulli reperiantur. Sic una est Evangelii veritas, de qua Chrysostomus, Una quippe veritas est, nec in multas scinditur partes: ac velut qui Margaritam habet novit se divitem esse, etiamsi ignotum nonnunquam illud sit, quum parvo in loculo Margarita reconditur: sic & in prædicatione veritatis, qui ei adhærent, totoq; animo amplectuntur, opulentos esse non ignorant, quamvis infideles thesauri vim non cognoscentes fidelium opes contemnant.

4. Omnes autem fideles μαργαριτοφόροι Margaritarii esse debent. Margaritæ enim Sanctis destinatæ sunt: non profanis hominibus, qui canibus suibusq; comparantur. Ideo Ambrosius: Perdit (ait) cœlestis Margaritæ gratiam, quisquis eam fœdissimo peccatori dare conatur. Gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non convenit: Margarita nisi preciosis monilibus non aptatur. Estote ergo

aurum optimum; estote monile pretiosum, ut possit in vobis Margarita spiritualis includi. Margarita enim Christus est Dominus, quam Negotiator ille dives in Evangelio, venditis omnibus rebus suis emere festinavit, & maluit omnes quas habebat sæculi gemmas amittere, tantum ut unam Christi emeret Margaritam. A

5. De Natali solo Margaritarum, Indicus (ait Plinius) maxime has mittit Oceanus. Inter illiabelluas tales, tantasque, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis solis ardoribusque Indicis insulis petunt, & admodum paucis, fertilissima est Taprobane & Toidis, ut diximus, in circuitu mundi: item Perimula promontorium Indiæ. Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri. lib. 9. cap. 35. Evangelium cœlitus allatum est. Quum enim omne Dei consilium de salute nostra complectatur, Deumq; nemo unquam viderit, ἐκφώτερ τὸν ἀληθείας, unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Joan. 1. 18. & quidni Evangelicæ Margaritæ & obtinendæ & retinendæ gratia, nullis ipsi sumptibus, laboribus nullis parcendum statuamus, quando hanc solam æternam habere vim & gratiam, per fidem intelligimus?

6. Originem Margaritarum, Ammianus Marcellinus libro vigesimo tertio Plinio subscribens ita describit: Apud Indos & Persas Margaritæ reperiuntur in testis marinis robustis & candidis, permixtione roris anni præstituto tempore conceptæ. Cupientes enim velut coitum quemdam humoris ex lunari aspergine capiunt denuo ostiando. Exindeq; gravidæ edunt minutas binas aut ternas, vel uniones sic appellatas, quod ejus terræ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed majores. In Ecclesia, gratuito benevolentiæ divinæ tempore, Evangelii Margarita, simul ac fide purgatur cor, non equidem in nobis gignitur, sed nos regignit, ut renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei vivi, discamus bona opera tueri ad necessarios usus, ut non simus infrugiferi. 1. Petr. 1. 23. Tit. 3. 14. B

7. Conchæ, ait Plinius, ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes sese quadam oestratione impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea eniti, partumq; concharum esse Margaritas pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit candorem conspici: si vero turbidus, & fœcum sordescere. Evangelium, si propensa voluntate Christus annuncietur, illustrius est: sin autem σκοτέινον Christus prædicetur, obscurius minusq; purum ac sincerum. C

8. Quemadmodum autem uniones licet in mari nascantur, cum cœlo tamen cognationem habent, sicut his verbis Plinius ostendit, quum addit Margaritarum candorem pallere cœlo minante conceptum: ex eo quippe constare cœli eis majorem societatem esse quam maris, inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum: Sic mentes, Evangelii doctrina imbutæ & illustratæ, cœlo junguntur, non terræ affiguntur: superna quærunt ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superna curant non terrestria. Col. 3.

9. Ait Plinius de Conchis, si tempestive satientur grandescere & partus. Sic quum in tempore annunciatur Evangelium, sancti adolescunt in eum per omnia, qui est caput, nempe Christus, Eph. 4. 15. incedunt sicut Domino dignum est, ut per omnia placeant, omni opere bono fructum proferentes, & crescentes in agnitionem Dei, Coloss. 1. 10.

10. Scribit Plinius, si fulguret comprimi Conchas, ac pro jejunii modo minui. Si vero & tonuerit pavidas ac repente compressas, quæ vocant φοιμίγγας efficere speciem, verum inani inflatam, sine corpore: hos esse Concharum abortus. Idem evenire solet iis, qui locum dant falso doctori; umbras rerum seu fulgura: non autem Christum, qui justitiæ Sol est, docenti, cujus hæc descriptio est: nullus voluntarius moderator de vobis statuat ex subjectione & cultu Angelorum, sese ingerens in ea, quæ non vidit, & temere turgens carnis suæ sensu, Coloss. 2. 18. Etenim illi semper discunt, nec unquam tamen ad veritatis agnitionem perveniunt: ut de mulierculis quibusdam Apostolus noster loquitur, 2. Timoth. 3. 7. D

11. Athenæus Plinio nonnihil contradicens, Quando (ait) cœlum tonat & fulgurat, & horrenda est tempestas, tum majores & lucidiores fiunt Margaritæ. Quum autem Conchæ gravidæ non immerguntur fluctibus, sed innatant mari, sole rubescunt Margaritæ, candoremq; perdunt. Evangelium, quum tonat & fulgurat mundus, quumq; cœlum terræ miscere videtur, Confessores veri-

tatis

A tatis & Martyres ardentiores & illustriores sistit. Quando autem hi non premuntur, sed in sublime attolluntur, & delitiis enervantur, tum eximium ipsorum decus obscuratur. Ideo Paulus dixit: Oportet esse hæreses, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. 2. Corinth. 11, 19. Similes enim sunt domui ædificatæ supra Petram, quæ non à culmine ruit, aut etiam concutitur, etiam si descendat pluvia, veniant flumina, & flantes reflantesq; venti sæviant. Matth. 7. 24. 25.

12. Usu ait Plinius, atteri non dubium est, coloremq; indiligentia mutari. Evangelium contra, usu nitescit & augetur: diligenter autem custoditi debet, ut sincerum & impermixtum maneat.

13. Dos unionum omnis, aut idem, in Candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti; unde nomen unionum Romanæ imposuere delitiæ. Evangelii dotes sunt, quod non solum καθ' ἑαυτὸ, clarum maximum, Ephes. 3, 18. rotundum seu omnibus suis partibus perfectum, alienum ab omni asperitate & inæqualitate, summique ponderis, ac proinde σπουδαῖον est: sed etiam illuminat oculos mentis niveoque candore pectora imbuit, vere magnos, rotundos seu integros, ab omni asperitate alienos, minimeque vanos levesque
B efficit.

14. Jure autem reprehendit Plinius Lolliam Paulinam, Caji Principis matronam, quam se mediocrium sponsaliis cœna vidisse ait, smaragdis margaritisq; opertam altero textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque, quæ summa quadringenties sestertium colligebat. Addit autem, Nec dona prodigi Principis fuerant, sed avitæ opes, Provinciarum scilicet spoliis partæ. Utinam vero matronis Christianis, & virginibus nobilibus & divitibus maxime probetur ornatus non externus ille in nodis capillorum, & circumpositio auro, vel palliorum amictu: sed occultus ille cordis homo, situs in incorruptione lenis ac quieti Spiritus, qui est coram Deo pretiosus, 1. Petr. 3. 3. 4.

15. Idem merito & Cleopatram Ægypti reginarum novissimam, reprehendit, quod Antonio Triumviro magnificentissime cœnante, interrogata, quid astrui magnificentiæ posset, respondit, una se cœna centies sestertium absumpturam: atq; aceto liquefactum unionem absorbuit, judiceque L. Planco vicit. Scilicet 250000. coronatorum pretio æstimatam Margaritam tam impuræ fœ-
C minæ vanitati servire oportebat? Nos alienæ vanitatis exemplis incitati, eam fugiamus, & nobis gratulemur esum panis vitæ, quem electis suis Deus Pater præbet, & majoris fieri vult quam omnes totius mundi uniones, gemmas & thesauros.

## CHRISTUS *Redemptor & Vivificator.*

*Robore ab annoso viscum sanare caducos,*
*Quos valet Christi viva figura Dei.*

QUanquam Viscum in plurib. arborum truncis vetustioribus enatum reperiatur, tamen in quercu præstantissimum inveniri certum est, quod præ aliis ad morborum, ac imprimis Epilepsiæ remedia expetitur: quem alii morbum sacrum & Herculeum vocant, non quod Hercules eo laborarit (ut monet Becanus in Gallicis) sed quod à solo Hercule queat curari. Quemadmodum vero per hunc morbum gravissimus humani generis lapsus significatur, ita per viscum quercinum
D singulare hujus antidotum (eodem auctore) verus noster Hercules & liberator unicus Christus denotabitur. Unde Plinii verba de visco, lib. 16. cap. 44. Æneæ ramum aureum visco comparat Virgilius. Apud Platonem in Euthydemo legitur, τὸ σπάνιον θαυμαστὸν, *rarum honore dignum est.*

De Loto multa scripserunt veteres, Theophrastus, Dioscorides & Plinius, ac tradiderunt Sole Occidente comprimi, occludique, ad ortum autem aperiri; qui seorsim Nymphæam quoq; descripserunt. Est autem significatio hujus hieroglyphici cum aliis non paucis communis, nimirum omnes nostras cogitationes & actiones dependere à radiis æterni solis, Christi Dei Opt. Max. qui sua virtute & gratia suos vivificat, conservat, & in lucem profert.

Homo Christianus ad Christum conversus clamat, dum respicis, erigor. Item,

*O Sol justitiæ, sine te non fluctibus atris*
*Curarum potero tollere, Christe, caput.*

## CHRISTUS *Intuendus.*

A

ESt egregia quædam planta admitatione sane digna, ante paucos annos inter exoticas ad nos quoq; allata, & ubiq; jam in hortis colitur, quam Chrysanthemum Peruvianum à loco natali, à forma plantam Maximam, florem solis vero propter effectum & similitudinem nominant, quidam Bellionem Plinii esse opinantur, incerta tamen (meo judicio) conjectura. Hæc intra sex vel ad summum septem mensium spacium, ex quo terræ semen ipsius est mandatum, eo pervenire solet magnitudinis, ut humani brachii crassitiem, & altitudinem duodecim vel plurium cubitorum excedat. Quemadmodum vero florum densitate ac multiplici foliorum numero Pæoniæ nonnihil cedit, ita seminum copia, quibus altera caret, hanc longe superat: nam eorum ultra mille in uno cippo numeravimus. Cum itaq; hic flos etiam solem semper respiciat, atque ad ejus radios sese plurimum pandat, & superiora semper respiciat, decet nos etiam multo magis ad verum doctorem & largitorem omnium bonorum ἐπιφάνιον continue oculos mentis attollere, nec terrenis caducis ac voluptariis bonis quasi humi jacentes semper inhiare: ostendentes, secundum Platonem quoque, nos esse cœlestes plantas.

B

## CHRISTIANI.

BEryllus lucet ut aqua Sole percussa: manum q; tenentis urit, quanquam nonnulli asserunt viridis & pallentis esse coloris, & reddere hominem mitem atq; benignum. Probatissimi, inquit Plinius, sunt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur: proximi qui vocantur Chrysoberilli. Annumerat & degeneres secundum gradus, Chrysoprasum, hiacynthizontes, Aëroides, Cetinos, Oleaginos. Nos vim reddendi homines mites atq; benignos uni Spiritui S. nos regeneranti tribuimus. Laudamus autem eos maxime Christianos, qui quoniam non sequuntur peccantium multitudinem, ἐκ τῆ λεωφόρε βαδίζοντας, puri maris viriditatem, seu earum gentium, quæ colunt Deum sincero cordis affectu, splendorem referunt, & studio habent, ut per Dei gratiam mites, humiles, & mundi cordes. Id omne autem à sole justitiæ obtinent, qui eos collustrans, manus ardentis caritatis administrans, ita officiosas efficit, ut beneficentiæ prunas etiam hostium capitibus imponant.

C

## CIVIS *Optimus.*

IN lib. III. αἰθολογίας Græcum Epigramma tersissimum legitur, in quo Delphin lamentatur, se à mari, quod tamen sibi parens sit & patria, ejectum in terram: sed susceptum ab hac, decorum invenisse tumulum. Oppianus vero Delphinem jam moribundum sponte ad littus appellere, ut in terra expirans forte in ea sepeliatur ab hominibus, dulciss. versibus commemorat. Sed Epigramma illud ex Græco versum Alciatus quoq; inter Emblemata sua retulit, cujus sententia per se satis manifesta est. Cui enim Reip. vel regni alicujus vastum corpus potius, quam mari, Delphinem autem magis, quam bono vel civi vel Principi Rei, compares? fit itaq; sæpiss. ut & hi, quamvis innocentes, indigne ejiciantur aliorum invidia & malevolentia ex patria in miserum exilium. Athenienssium quidem Ostracismus notus est, quo bene meriti cives, qui vel gloria rerũ gestarum, vel virtutis opinione, multitudinis invidiã provocaverant, in decennium relegabantur: Quo etiam Aristides condemnatus fuit, tantum, quod Justi cognomen eum applausu illi tribueretur, uti hæc referuntur à Plutarcho in Aristide. Meminit & pœnæ illius Aristot. in Pol. & Jul. Pollux lib. VIII. In Rep. autem Romana Scipionis Africani & Ciceronis exilia clara sunt; & exempla quam plurima alia facile quærenti se offerunt. Diodor. Siculus lib. XI. apud Syracusios similem quandam, exemplo Athenienssium (qui tamen ipsi Ostracismum illum suum, quamvis infamia carentem, tandem, sustulerunt) relegationem, quam πετταλισμὸν appellaverint, in usu fuisse scribit, sed fatetur correctionem eam talem esse, quam non adhiberi foret melius: ut in eo medicinæ genere hanc poni conveniat, quo malum malo interdum tollere conantur. Exilii deniq; miserias & molestias etiam Syracides commemorat cap. 5.

D

*Crudeli ingratum mare Delphinem expulit æstu,*
*Sæpe etiam Civis fert bonus exilium.*

## CLEMENTIA.

ROmæ in domo Carafellorum sub effigie Leonis catulum tenentis appositum hoc distichon legitur:

*Parvum,*

A *Iratus, recole quod nobilis ira Leonis*
*In sibi prostratos se negat esse feram.*

Ocymum, vulgo Basilicum dictum, suavissimi est odoris si mollius attractetur, sin vero prematur vel plane cōteratur, ingratum spirat. De qua re extat lepida historia apud Augustinum Justinianum lib. 6. Franciscus Marchio, inquit, Jurisconsultus egregius missus à Republ. Genuensi orator ad ducem Mediolanensem, cum is nollet eum admittere, nec pactis conventis cum Genuensibus stare, captata occasione, obtulit eidem Duci manipulum herbæ Ocymi. Qui admirabundus quid sibi hoc donum vellet, quæsivit quid rei esset, cui ille respondit, ejusmodi proprietatem huic plantæ inesse, ut leviter ac suaviter contrectata præberet gratum odorem, nimis autem duriter compressa & attrita, non solum omnem suavitatem perderet, sed etiam tandem Scorpios produceret: habere autem se ingenia Genuensium eodem plane modo. Dux hoc ingenioso admodum responso plurimum delectatus, & sententiam priorem mutavit, & legatum honorifice dimisit. Clementia itaq; & lenitate plura consequimur quam nimia vehementia. Quod Claudianus quoq; brevi, sed admo-
B dum plæclara sententia monuit.

*------Peragit tranquilla potestas*
*Quod violenta nequit, mandataq; fortius urget*
*Imperiosa quies.*

## COGITATIONES *variæ.*

SCombri, ut & alii pisces non pauci, temeritatis & stultitiæ suæ pœnas luunt captivi. Nam cum alios Scombros vident reti aut nassæ vimineæ inclusos, ad eos & ipsi ingredi cupiunt, ingressi detinentur. Et dum nassa ad littus trahitur, multos in illa Scombros hærentes, ac instar cunei impactos videas utrinq; aliis adhuc ingressum, aliis vero exitum molientibus. Quod illorum sane diversum desiderium elegantiss. cermine Oppianus describit, & similitudine à pueris sumpta illustrat, qui ignis abblandientem fulgorem magno suo cum malo attingere gestiunt. Quo referantur Bapt. Mantuani versus:

C *Est facile incautos offendere: parvulus infans*
*Innocuos rutilum digitos extendit in ignem,*
*Nec, nisi jam læsus, vires intelligit ignis.*

Et eodem pertinet usurpatum à B. Hieronymo proverb. *Prudens in flammam mitto manum.* Ad Symboli autem declarationem valde congrua est Socratis illa comparatio, qua dicebat, Juvenes cœlibes similes esse piscibus, qui circum nassam alludunt, in eamque se penetrare gestiunt: contra, qui jam inclusi tenentur, exire, & pristinam libertatem recuperare nituntur. Unde idem Socrates interrogatus, τινες μεταμέλονται τῶν ἀνθρώπων, *quinam homines pœnitentiam incurrerent?* respondit juxta Stobæum, οἱ γήμαντες, *Qui uxorem duxerunt.* Sic qui hostili prælio nunquam interfuerunt, aspirant ad militiam. Nam ut est apud Pindar. γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. *Dulce bellum inexpertis est; expertus quispiam horret, si accesserit, corde supra modum.* Quod & Vegetius tangit de re militari. Animus non est omnibus idem: & scinduntur homines frequenter atque in studia contraria & incerta feruntur. Comparantur piscibus à Propheta Habacuc, cap. 1.
D vers. 14. facis (inquit, Deum alloquens) homines ut pisces maris.

*Isti intrare volunt, at hi perrumpere nassam.*
*Multi & cum Scombris desipiunt pariter.*

## COMMORATIO *& migratia nostra.*

CAncellus vulgo Bernardus eremita dicitur, quod solus in aliena domo diversetur. Eum accurate describit Aristoteles 4 hist. Animal. Scaliger vacuarum testarum inquilinum vocat. Cogitur enim in alienis ædibus habitare, quia cauda crustis careat. Conchas igitur, quas ad littus vacuas invenit, turbinum puta, buccinarum & purpurarum, ingreditur, teneriores sui partes illis abscondens. Factus grandior, capaciores usque conchas quærit, & incolit, nec unquam nisi ob jam dictam caussam eas deserit. Quo hieroglyphico an non vita hæc nostra egregie exprimitur? Nam præcla-

clare Cato Major apud Cicer. de Senect. dixit: Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. Et pulchre Clem. Alexandr. 4. στρωμ. disserit, quod libenter relinquere debeamus tabernaculum hoc mundanum, & ad cœleste potius transire. Quæ igitur insania est, tam operose & splendide ædificando thesauros profundere? cum verissima sit Horatii sententia:

*Multo ille tutius vitam exigit*
*Quicunq; parvis primus in ædibus,*
*Nullum timens, nulli timendus*
*Pelle sub exigua quiescit.*

Perpendant igitur illi, qui ac si æternum in hoc mundo victuri essent, ita domos sibi & palatia extruunt. & ista Hor. 2. Sat. 2.

*Nam propriæ telluris herum natura neque illum,*
*Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille,*
*Illum aut nequities, aut fabri inscitia Juris.*
*Postremum expellet certe vivacior heres.*

Usurpari etiam potest hoc hieroglyphicon ab iis, qui avitis sedibus, vel ob egestatem, vel alias caussas necessario relictis, in peregrino solo stationem tamen Dei beneficio tutam & commodam alicubi nanciscuntur, unde etiam non facile, nisi & hujus in melius commutandæ occasione recedunt.

*Hic nunquam certis habitamus sedidus: ast hinc*
*Ibimus ad superi cœlica regna Dei.*

## COMMUNIONIS *humanæ necessitas.*

Vitis avulsa ab ulmo, qua antea sustinebatur, & umbra frondium ipsius non parum recreabatur, humi jam prostrata sine adminiculo isto fructus maturos producere nequit. Quo significatur in omnibus rebus semper unum indigere alterius ope ac auxilio. Quod quidem potissimum locum habet inter probos & pios homines, in quibus charitas omnia præstat & implet. Quod eleganti admodum similitudine D. Chrysostomus in Matth. homil. 79. explicat, dicens: Si in rebus secularibus nemo vivit sibi solus, sicut opifex, miles, agricola, mercator ad communem usum proximi omnia conferunt; multo magis in spiritualibus hoc faciendum. Hæc enim maxime vita est, aliis prodesse. Nam qui sibi vivit, cæteros negligens, & vita ejus supervacua est, & ipse superfluus homo generis nostri. Ideo quoq; ratione & oratione nos ornavit Deus, mentem, & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, ut his omnibus & nos & proximum juvemus. Hæc ille. Quod unico versu Nazianzenus complexus est.

Ἀλλήλοισι χέρες τε, καὶ οὔατα, καὶ πόδες ἐσμέν.

Et elegans extat distichon,

*Stratus humi absentem palmes sterilescit ob ulmum.*
*Indiget alterius quilibet auxilio.*

Unde etiam Platoni dicuntur homines ζῶα πολιτικά, id est, *animalia civilia*, & ad societatem nata: Quandoquidem sola vivere sine mutuo auxilio non possunt. Unde etiam proverbium vulgare natum, *Vnus homo, nullus homo.*

## COMMUNIO *Sanctorum.*

Manus eadem, in varios dissecta dignitos, majus tamen robur obtinet, & ad operandum agilior est. Plurium etiam fides & charitas plura impetrat à Deo & præstat proximo laboranti.

## CONCORDIA *conjugalis.*

De Cornicum maritali amore, castitate simul & concordia multa apud scriptores rerum Naturalium habentur, & Aristoteles ac Plinius perhibent, cornicum fœminas solas incubare, mares vero his cibum suppeditare & incubantes pacescere. Ac secundum Plinium sola cornix pullos volantes aliquandiu alit. In nuptiis quoq; (referente Horapolline) Græci ob harum avium con-

A concordiam duas cornices appingi curarunt, acclamantes ἐκκορὶ κορὶ, cum cornicem κορὶ appellarent, prius verbum ignorantes. Romani similiter per ciconiam & cornicem in suis numis concordiam repræsentabant, ut apparet in Faustinæ posterioris numo, ubi ad cornicem ascriptum est: CONCORDIA. Ac extat proverbium huc pertinens apud D. Nazianzenum in Epistola ad Africanum, κολοιὸν δὲ ποτὶ κολοιὸν ἰξάνειν καὶ τῆς παροιμίας ἀκούεις id est, *Graculum assidere graculo vel ex proverbio audis.* Ac D. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei, cap. 21. recte ait: Quæ harmonia Musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimum atq; optimum vinculum in Republ. incolumitatis, eamq; sine justitia nullo pacto esse posse. Sed tam concordiæ encomia, quam discordiæ vituperationes à pluribus auctoribus abunde sunt expositæ.

*Juncta pudicitia si sit concordia, sancto*
*Conjugio haud quicquam dignius orbis habet.*

## CONCORDIA *invicta.*

B OMnium totius piscium generis minutissimi sunt, quos Græci & Latini Aphyas, quidam Apras appellant. Si paulo sint remotiores nihil præter oculos fere conspicitur, ut multitudo oculorum collecta videri queat, testante Aug. Niph. Plinius illos ex pluvia: Aristoteles ex spuma: (unde & ἀφρὸς, quod Jonum esse nomen tradit Archestratus, is piscis dicitur) Ælianus & Oppianus ex limo gigni narrant. Injuriis & maris & voracium piscium imprimis expositi celerrime intereunt. Subvenit tamen illis natura quoq; ad diuturniorem conservationem. Si enim Oppiano, Suidæ, aliisq; credimus, in densissima agmina conglomerati, & in se invicem veluti complicati, maxime ad maris scopulos circumnatant, & hoc modo ne magnis piscibus præda fiant, præcavent, itaque in unum conjuncti globum se tuentur, qui disjuncti, & dissipati ne unum quidem diem superesse possent. Sic scilicet est invicta concordia, & periculi expers virium conjunctio, quamvis imbecillium, quos

*Defendit numerus, junctaq; umbone phalanges.*

Ut Juvenalis cecinit. Quo etiam Homericum illud pertinet:

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.

C *Conjuncti pellent etiam vehementer inertes.*

Pulchre etiam T. Quinctius apud Livium: Adversus consentientes nec Regem quenquam satis validum, nec tyrannum fore. Nec minus prudenter Micipsa moriens apud Salustium ad filios: Regnum vobis trado firmum, si boni eritis, si mali, imbecillum. Nam concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Evidentius vero Scilurus Scytha, uti Plutarchus refert, qui moriturus filiis suis, quos LXXX. habuit, jaculorum fasciculum singulis porrexit, ac rumpere jussit. Quod cum recusassent, tanquam impossibile quid: ipse singula jacula exemit, facillimeq; confregit: concordes si fuissent, invictos: disjunctos animis, imbecilles futuros innuens. Referenda est huc & fabula Gabriæ, XXX. de tribus bobus concordib. & discordibus. Tutos conjunctio præstat, qui tametsi variis alioquin deliciis fracti, vel sicuti Aphiæ ex limo gignantur, dicere possunt,

*Nos tamen hæc glomerata simul conjunctio servat.*
*Quos facile sparsos perderet una dies.*

## D CONDEMNATIO *mœstitia, pudor.*

CApite operto esse aliquem, damnationis ad supplicium, & explosi hominis, atq; à civitate & vitæ communione abalienati hieroglyphicon fuisse apud Orientales populos intelligimus, ut ex historia Hestheræ, Amani faciem prolata à rege sententia, cap. 6. continuo fuisse velatam observamus. Solent etiam homines ipsi summa mœstitia, & magno pudore affecti sibi caput velare, aliorum occursum, colloquium, consolationem declinantes quod idem Aman fecisse dicitur Hest. 6. 11. & Aman festinavit ire in domum suam, lugens operto capite. Jerem. 14. 3. de Judæis, inquit, Confusi sunt, & afflicti, & cooperuerunt capita sua.

## CONDITIO *humilis, luctuosa, miserrima.*

HEbræi quoties conditionem humilem, mœstitiam, luctum, dolorem, animi consternationem, miserrimam rerum faciem velut ob oculos ponere volunt, hieroglyphico capitis in terram demissi,

missi,& hominis sacco induti, necnon cinere & pulvere aspersi designant,ut colligere licet ex Esaia, A cap.58.5.Jerem.48.37.& Lament.2.10. Dejecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem.

## CONJUGII *vinculum.*

AMphisbænam serpentem in Lybiæ desertis reperiri tradunt,qui geminum caput, unum in anteriore,in posteriore corporis parte alterum habeat,eumq; circulatis tractibus incidere,& alterutrum caput sive attollere, sive retrotrahere, prout usus & necessitas exegerit. Qua de re Ælianus,Plinius,Solinus,alii: Et tangit Lucanus lib.9.hoc versu:

*Et gravis in geminum surgens caput amphisbena.*

Usus autem & hoc hieroglyphico ad testandum insignem suum propter amissam conjugem dolorem fuit nobilis Neapolitanus Bern.Rota,cum scito: SUPERESSE, MORI EST, ut Scip.Ammiratus commemorat. Quo imprimis Ovidii illa exsulis in navi de conjuge sua cantata pertinent:

*O bene, quod non sum mecum conscendere passus:*
*Ne mihi mors misero bis patienda foret.*
*At nunc, ut peream; quoniam caret illa periclo:* B
*Dimidia certe parte superstes ero.*

Profecto enim cum vir & uxor in legitimo matrimonio etiam S.Scripturæ oraculo una caro,unumque corpus sint, fieri non potest, quin si unum caput ex illo corpore abrumpatur, alteri vita non quidem erepta, sed quavis morte sit acerbior. Non ignota autem sunt,atque ideo hic referenda, quæ de Alcesti Admeti uxore Euripides: de Pæti Arria,de T.Sempronio Graccho,de C.& M.Plautiis,Valerius Maximus, Plinius Secundus in Ep. & Sextus Aurelius Victor de viris Illustribus memoriæ prodiderunt: & alia exempla similia. De Admeto quidem Chorus apud Euripidem in Alcesti ait,illum hac extincta in posterum victurum vitam ἄβιοτον, hoc est, minime vitalem,ut Ennius loquitur. Sed pulchre idem Chorus sibi concinit:

Τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον (τοῦ) ἀμαχετὶς
Πιστῆς ἀλόχου; &c.
*Quod enim homini majus malum accidere potest, quam amittere* C
*Charam conjugem?*

Casta mulier vidua, & prudente marito orbata vere dicere potest, Mihi nec mors nec vita relicta est: Et vir Sapiens bona matrefamilias ei per mortem ademptæ,

*Parte mei supero, pars est mihi dempta, vel ergo*
*Cum chara præstat conjuge posse mori.*

## CONJUGIUM DISPAR.

LEpidam Plautus in Aululari a senis conjugium dispar sub bovis & asini pictura damnantis excusationem proponit his versibus:

*Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem divitem,*
*Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperrimum.*
*Nunc si filiam locasim meam tibi, in mentem venit*
*Te bovem esse, & me esse asellum; uti tecum conjunctus siem,* D
*Ubi onus nequeam portare pariter, jaceam ego asinus in luto,*
*Tu me bos haud magi respicias, natus quasi nunquam siem;*
*Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.*
*Neutrubi habeam stabile stabulum; si quid divortii fuat*
*Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus.*
*Hoc magnum est periculum, me ab asinis ad boves transcendere.*

Plutarchus sub finem lib.de institutione liberorum, sapienter ait: Parentes suis filiis uxores despondebunt,quæ neq; nobilitate generis, neq; divitiis multum eos superent. Sapienter enim dictum est, Tu tibi sume parem.

CON-

## CONJUNCTIO *Fida.*

A TUrturem, dicit Aristoteles lib. 9. historiæ Animal. uno mare contentam sicuti palumbum vivere, nec alterum recipere. De qua multa Ælianus lib. 3. cap. 44. ubi refert inter palumbos adulteri quoq; pœnam morte luere utrumq; sexum: in turturum verò & albarum columbarum genere marem tantum fœminæ ignoscere: Placuit autem hoc loco elegantissimum carmen poëtæ doctissimi ex sacris fastis adscribere:

*At tu præ reliquis avibus, blandissime turtur,*
*Exemplum fidei & specimen constantis amoris,*
*Dic mihi quid matres aris adhibenda docebas?*
*Unius & solius amor te comparis urget,*
*Cum quo dulce tibi viridi considere ramo,*
*Cum quo dulce novis implere nepotibus agros,*
*Cum quo dulce mori. Sed enim dum vivitis, unus*
*Est animus vobis, est mens, est una voluntas,*
*Non gemere aërea viduus desistit ab ulmo,*
*Implens flebilibus latè nemus omne querelis.*
*Non illum novus urit amor: memor ille prioris*
*Conjugii, solus superantes exigit annos,*
*Solus & in sterili expectat sua funera ramo.*
*Fallor, an hæc matres imitari exempla volebant*
*Turturis, ipse Deus nihil illis aptius omne*
*Conjugis officium laudatag; fœdera pingit.*

B *Una fides, studiumque unum simul occidit alter*

Typus profecto eximius matrimonii fidelis, de quo etiam Horatius lib. 1. Od. 13.

*Felices ter & amplius,*
*Quos irrupta tenet copula nec malis*
*Divulsus querimoniis*
*Suprema citius solvet amor die.*

Est; hoc hieroglyphicon inventum & celebratum cum hac pictura in gratiam sereniss. Johannæ Austriacæ, cum nuptias celebraret cum sereniss. Magno Duce Florentiæ Francisco Mediceo.

*Castæ persistunt æterno in amore columbæ.*
*Quod sint humani regula conjugii.*

## CONSCIENTIÆ *morsus.*

SAlmo veteribus Græcis cum Oceano pariter ignotus, nominatur à Plinio, eumque in Mosella eleganter describit Ausonius. Pro diversitate anni vel nomen hoc retinet, vel amittit, ut varii
C Scriptores annotarunt. Hunc piscem ob carnositatem hirundinibus valde obnoxium, atque ab iis adeo vexari & privari sanguine tradunt, ut neq; in aquis, neq; in petris, neq; saltu, neq; fricationibus molestos hospites excutere unquam possit, donec tandem continuis cruciatibus fractus, vel alicubi tabescens reperiatur, vel ad littora adnatans extinctus reperiatur. Sane etiam Aristoteles docet, pisces bestiolis quibusdam, quales sunt pulices & pediculi, frequenter exagitari, & de Oestro Xiphiam tandem etiam ad mortem adigente, hieroglyphicon alibi explicuimus. Non aliter improborum animi ultricibus furiis exagitantur. quo pertinent, quæcunq; apud Platonem, Ciceronem & utrumq; Senecam passim, Juvenalem, aliosq; de conscientiæ morsibus differuntur: & vetus dictum; συνειδησις πλήκτου τὴν ψυχήν. Nam ut Rhadamantus Luciani ait πρωτίστην ἐπόνου ἀυτης ὑμῶν ποιησὰ ἡγάσησαι πικρὸν τὸν βίον, ὅταν αὐτῶν ἀφαιρῆ ἀγκῶνα ἐπὶ τῆς ψυχῆς πρόσφορον: *Quæcunque quis malè in vita perpetraverit eorum singulorum obscura in anima stigmata circumfert.* Graviter Corn. Tacitus de Tibetio 6. Ann. Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin totmenta pectoris suasq; ipse pœnas fateretur. Nempe, secun-
D dum Plautum:

*Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.* & Ovidius

*Multa miser timeo quia feci multa proterve,*
*Exemplig; metu torqueor ipse mei.*

Orestes apud Euripidem gravissimo conscientiæ morbo se afflictum fatetur. Et Isocrates ad Dæmonicum, numquam (inquit) sperare debes, si quid turbe feceris, te latiturum: quamvis enim alios lateas, tute tamen tibi conscius eris. quod detrastricho expressum est postea:

*Scelus occuluisse proprium, immensus labor,*
*Idemq; inanis irritusque: quidlibet*
*Patris at ipsum non potes te fallere.*
*Nam se latere nullus unquam visus est.*

Sed ut Hieroglyphicon Salmonis amplius illustretur Distichon subjicimus,

*Non adeo Salmonem exugit turpis hirudo,*
*Conficit ad sontes conscia mens scelerum.*

## CONSCIENTIA *pia.*

DE Cygnis alio hieroglyphico multa dicta sunt. Ubi exposuimus veterum de cantu ipsorum ante mortem dissentientes opiniones, major tamen numerus eorum esse videtur, qui hunc musicum concentum illis attribuant, tam ex sacris quam profanis authoribus. Sic Aristoteles libr. 9. de histor. Animal. cap. 12. expresse scribit: Canere soliti sunt, ac præcipue jamjam morituri. Volant enim in pelagus longius, & jam quidam in mari Africo navigarunt, & multos canentes voce flebili, & mori nonnullos conspexere. Cum quo consentit Ovidius, ubi ait:

*Carmine jam moriens canit exequialia Cygnus.*

Et Horapollo libr. 2. cap. 39. scribit, senem musicum volentes Ægyptii commonstrare Cygnum pingunt, quod senescens ἡδύτατον μέλος, id est, suavissimum concentum edat. D. Nazianzenus etiam oratione de Theologia 2. & in carmine ad Nemesium hac similitudine utitur, sicuti quoq; D. Chrysostomus in commentar. ad Epistolam S. Pauli Philippensibus inscriptam ἐφωνίαν hanc illis tribuit. Faciunt itidem hujus rei mentionem Plato in Phædone, Cicero 1. Tuscul. quæst. Isidor. lib. 12. & alii plures. Dubitant contra de hoc cantu, Plinius libr. 10. cap. 29. & Ælianus variæ histor. libr. 1. cap. 14. quamvis in libro 5. de Animal. & lib. 10. Aristotelis locum confirmet. Usus est autem hoc hieroglyphico vir quidam magni nominis, qui mundi hujus vanitatibus valedicens, totum se tradidit divinis meditationibus, & sacris rebus, nihil aliud cogitans, quam de fœlici exitu ex hac vita, atq; ideo Cygnum sepulchro imposuit. Alii generalius viris doctis hoc tribuunt, qui ante obitum nihil aliud agunt, neq; meditantur, quam quæ posteritati, tanquam Cygneæ cantiones, plurimum utilitatis afferre possint.

*Ipsa suam celebrat sibi mens bene conscia mortem:*
*Ut solet herbiferum Cygnus ad Eridanum.*

Equidem vir piæ eruditioni & eruditæ pietati deditus, divina sibi canit & Orbi.

## CONSCIENTIA *recta.*

MOri mavult quam fœdari mens sibi bene conscia, & ut fert ingeniosum Distichon,

*Omnibus antistat recti mens conscia rebus:*
*Hoc bene emi vita tu quoque crede decus.*

Pierius libr. 13. putat Ælianum & alios per album murem intellexisse eum quem Albertus Armenium & vulgo Armelinum nominant; quem videtur quoq; sequi Georgius Agricola, atque idem existimat apud Plinium lib. 8. cap. 37. murem ponticum esse eum, quem album duntaxat conspici ait: murem autem Fennicum, vel Venerum potius, vel varium vocant, qui Agricolæ est Sciurus Fennicus. Sed Armelini proprietas fertur esse sane mira, quod nimirum fame aut siti prius moriatur, aut à venatoribus sese capi ferat, quam luto aut simili re immunda, quibus circumdata sit, suam pellem candidam & elegantem defœdari patiatur. Hieroglyphica pictura est incontaminati pudoris in quibuslibet. Nam, ut Claudianus ait,

*Nempe mori satius, vitæ quam ferre pudorem.*

Et Pindarus in Olympiis, hymno 8.

Αἴδου τοὶ λάθεται, ἅρμενα πράξας ἄνηρ. id est,

*Orci obliviscitur, qui facit ea quæ conveniunt.*

Sapienter Sapiens Romanus libr. 4. de benef. cap. 21. Conscientia etiam obruta delectat, concioni & famæ reclamat, & in se omnia reponit: cum ingentem ex altera parte turbam contra sententiam aspexit, non numerat suffragia, sed una sententia vincit. Si vero bonam fidem perfidiæ suppliciis affici videt, non descendit è fastigio, sed supra pœnam suam consistit.

## CONSILIA *Moderata.*

GRandis & annosa quercus ob ramorum pondus gravius in duas partes divulsa, à lenta ac humili salice rursum ita constringitur, ac vincitur, ut non amplius disrumpi facile queat. Non aliter

A ter nimia asperitas & superba severitas in hominibus elatis ac duris, ne gravius exorbitent, vel etiam sese in manifesta pericula ob nimium rigorem suum & animi vehementiam præcipitent, nullo aptiore vinculo contineri, atque ad quandam animi comitatem ac æquabilitatem flecti ac reduci possunt, quam humilitate ac moderatione, cum nullum violentum sit diuturnum. Et secundum Horatium,

*Vis consilii expers mole ruit sua.* *In majus; iidem odere vires*
*Vim temperatam dii quoq; provehunt* *Omne nefas animo moventes.*

In quam sententiam Claudianus quoq; inquit:

*Tu licet extremos late dominere per Indos,* *Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas*
*Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,* *Interius leges: tunc omnia jura tenebu*
*Si metus, si prava cupis, si auceps ira,* *Cum poteris rex esse tui.*

Huc que pertinet brevis quoq; sententia, sed multa comprehendens, Philonis, τὰ μὲ σὺν λόγῳ, πάντα αἰσχρὰ, ὥσπερ τὰ σὺν λόγῳ, καλά: id est, *quæ absq; ratione fiunt, omnia sunt turpia; quæ vero cum ratione, omnia decora.*

Et distichon quercui constrictæ adpictum:

*Consilio moderato animos frænato furentes,*
*Ut rigidas quercus vimina lenta solent.* id est,

CONSTANTIA *in adversis.*

EST inter alia hæc quoq; mira Struthocameli proprietas, qua (ut testatur Plinius) sine delectu concoquit devorata: & Alexander Aphrodisiensis in præfatione problematum σφθοκάμηλον ἐδωδὴν πάντων ἰδιότατα τὸν perhibet: itemq; Ælianus lib. 14. Animal. cap. 7. Hunc lapides concoquere diu in omaso prope ventriculum asservatos ait. Sed Albertus asserit, à se ferrum pluribus hujus generis avibus objectum fuisse, quod tamen illi devorare noluerint, ossa vero magna & lapides avide comedisse. Convenit autem optime hieroglyphicum viris fortibus, ad durissima ac adversissima quæq; sua virtute superanda paratis. Quare Valerius Max. libr. 3. recte ait, Æqualiter se in adversis gerere, quid aliud est, quam invictem fortunam in adjutorium sui pudore victam convertere? C Quod si insuper hoc ad fortitudinem & animi constantiam, quam pii & vera religione imbuti in rebus adversis & omnibus periculis evincendis usurpare debent, transferre voluerimus, latissimus campus tot Martyrum sanctorum nobis sese obtulerit, de quibus aliorum scripta & exempla sunt in medio. Quod etiam D. Basilius in ἐμικλία ῥητέον τοῦ αὐχμοῦ καὶ λιμοῦ præclare probat hisce verbis: κυβερνήτου μὲν γὰρ ὁ χειμὼν, καὶ τὸν ἀθλητὴν τὸ στάδιον, τὸν στρατηγὸν παράταξις, τὸν μεγαλόψυχον ἡ συμφορὰ, τὸν χρυσοῦν δὲ πειρασμὸς δοκιμάζει καὶ βασανίζει. καὶ αἱ λύπαι τὴν ψυχὴν ὡς τὸ πῦρ τὸν χρυσὸν ἀπελέγχουσι. id est, *Gubernatorem quidem tempestas, & athletam stadium, imperatorem acies, magnanimum calamitas: at Christianum tentatio probat & explorat: atq; ægritudines animam ut ignis aurum arguunt.* Dura placent fortibus. Spiritus durissima coquit.

*Magno animo fortis perferre pericula suevit,*
*Ullo nec facile frangitur ille metu.*

CONSTANTIA *invicta.*

D HOratius lib. 4. Od. 4. Romanæ gentis fortitudinem, ore etiam ipsius hostis Annibalis celebratam fuisse scribit, ut quæ bellica virtute illustris, post æquatam solo Trojam, in Italiam vexerit natos virosque, necnon Deos penates: Dein subjecit Ilicis hieroglyphicon appositiss.

*Duris ut ilex tonsa bipennibus,* *Per damna, per cædes, ab ipso*
*Nigræ feraci frondis in Algido,* *Ducit opes animumq; ferro.*

Hoc vult, Romanos per bella, clades ac cædes, contra suos hostes semper aliquid sumpsisse virium, & inde ipsorum potentiam latius crevisse auctamq; esse. Id de plerisq; in Europa populis, principibus, Republicis, præsertim vero de Ecclesia militante dici potest.

*Cladibus augescit virtus animosa: Bipenni*
*Sic ilex vires tonsa subinde capit.*

## CONSUETUDO.

A

POntica pecora fuerunt absynthio pasci, ut pulchriora pinguioraq; reddantur, ac (ut quidam volunt) sine felle. Ad eundem modum Plinius lib.24.cap.9. sues assuetas cibum capere in vasis sive alveis è Tamarisco confectis, licne carere dicit, quod multi recentiores scriptores peragant, & explodunt tanquam fabulosum. Quanta vero sit vis consuetudinis tum in bonam, tum malam partem, pluribus veterum sententiis & innumeris exemplis probant historiæ. Aristoteles lib. de memoria & reminiscentia, scribit, ὅτι μία φύσις ἐστὶ τὸ ἔθος, id est, *Consuetudo est veluti ipsa natura, nil assuetudine majus, teste Ovidio; &, quod male fers, assuesce, feres bene: multa vetustas lenit. Sed ad absynthii pontici pastum distichon addimus.*

*Felle carent Ponti pecudes absynthia pasta.*
*Ferre mala assuetus non male ferre solet.*

## CONSUETUDO *altera natura.*

B

NOtum est Lycurgi politicum Strategema ut cives suos temperantes & virtutis studiosiores redderet. Catulos duos iisdem canibus natos educavit, quorum alterum domi desidentem ad voracitatem assuefecit, alterum ad venationem. Tandem vero ambos produxit in concionem, & quid consuetudo in utroq; ac educatio effecisset exemplis commonstravit, quæ Plutarchus in Lycurgo prolixe refert. Hieroglyphicon istud docet, quæ utilitas sit rectæ & liberalis institutionis in tenera ætate, ad universam reliquam vitam recte & laudabiliter absolvendam. Et idem Plutarchus in Comment. de liberorum educatione, prudenter ait, naturæ bonitatem corrumpit locorum, pravitatem corrigit doctrinæ institutio. Aristoteles idem docet, Ethic. lib. 2. cap. 1. Non parum refert, inquit, sed permultum, sicne an sic à pueris assuescamus: immo verò totum in eo positum est. Quod Horatius quoq; Carm. libr. 4. Ode. 4. declarat.

*Doctrina, sed vim promovet insitam,*
*Rectiq; cultus pectora roborant.*

Et inter recentiores vir doctus.

*Vincit naturam consuetudo atq; reformat.*
*Cui quuq; assuesit deditus esse solet.*

C

## CONTENTIONES *fugienda.*

ANagyris, prima à Dioscoride ac Plinio descripta, plurimum crescit in agro Romano ac Neapolitano: Plauto (ut quidam existimant) Nautea dicta. fœtidus admodum est frutex, potissimum si comprimatur ac digitis atteratur. Unde ortum Proverbium, Ἀναγυρὶς κινεῖς, commoves Anagyrin, cujus meminit quoq; Aristophanes in Lysistrata. Eodem tamen nomine locus etiam quidam in Attica, authore Stephano de urbibus, ubi hic frutex copiose provenit, appellabatur. Monet autem hoc symbolum sive proverbium, res eas, quas satius est ut quiescere sinamus, temere in nostram perniciem non esse concitandas. quod potissimum hominibus maledicis, ac in aliorum detrimentum intentis, quorum quæstus est maxime obtrectari melioribus, dici poterit. Quemadmodum etiam alterum huic simile proverbium habetur, τὸ κακὸν δὲ κείμενον ἐᾶν κακόν, id est, malum prodbe quiescens non est movendum. Et illud, μὴ κινεῖν τὰ μὴ ἐγκαλοῦντα, ἀκίνητα ἔχε ἡσυχίαν. Quod utinam hisce nostris temporibus quoq; diligenter observaretur, esset que procul dubio in rebus tam sacris, D quàm profanis minus contentionum ac disputationum inutilium pertimescendum: quæ res profecto plus quàm cogitari aut dici potest, Reipublicæ tranquillitati ac incolumitati obesse solet. Proponamus itaq; nobis semper ante oculos Pindari aureum dictum in Pythiis, Oda 8. φιλόφρων ἡσυχία, id est, *Quies & tranquillitas nihil nisi humanitatem & amicitiam cogitat.*

## CONVICIA *contempta.*

FOrtis convicia spernit, ut luna luporum ululatus eanumq; latratus non curat. Hinc Alciati emblema 164.

*Lunarem noctu, ut speculum canis inspicit, orbem,*
*Et latrat; sed frustra: agitur vox irrita ventis,*
*Sequa videns alium credit inesse canem,*
*Et peragit cursus surda Diana suos.*

Mone-

A Monemur autem hoc hieroglyphico inanes minas & obtrectationes eorum quibus est (secundum Plautum) uberrimus quæstus in lingua positus, omnino esse contemnendas, Dei & Christi, sanctorumq; omnium exemplis edocti. Decet autem viros principes, Ecclesiæ servos, pios magistratus, prudentes politico & patresfamilias ad stultorum mussitationes sycophanticas obsurdescere, necnon de reddenda summo Judici suæ administrationis ratione cogitare frequenter, ut humili pede in via veritatis & justitiæ ambulent, illius distichi memores,

*Irrita vaniloquæ quid curas spicula linguæ?*
*Latrantem curat, ne alta diana canem?*

In eam rem Philemonis versus commendantur,

| | |
|---|---|
| ἥδιον κ' ἦν, ἡδὺ μακαρίτερον, | *Haud auribus concentus est jucundior,* |
| ἢ τὸ δίκαιόν τις λοιδορούμενον φέρειν. | *Quàm devorare criminantu jurgia.* |
| ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁλοιδορούμενον, | *Nam mussitando si quis hæc redarguat,* |
| μὴ ἀντιποιῆται, λοιδορεῖτ' ὀλιδορόν. id est, | *Ipsum refutant criminantem crimina.* |

Seneca totus fere in eo est, ut mentes nostras ad conviciorum contemptum informet. Ex ingenti sententiarum acervo unam & alteram seligamus, libr. 2. de ira, capit. 32. Magni animi est, inquit B injurias despicere. Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum, ex quo petatur ultio. Multi leves injurias altius demisere, dum vindicant. Ille magnus & nobilis est qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit. Sed ut hieroglyphicon nostrum de cane lunam allatrante magis ac magis illustremus, nobis doctum tetrastichon occurrit:

*Luna velut toto collustrans lumine terras,* *Sic quicquis Christum allatrat Christive ministros,*
*Frustra allatrantes despicit alta canes:* *Index stultitiæ spernitor usq; suæ.*

## CUNCTATIO *prudens.*

IOannes de Boria in Hispanicis symbolis ait, à scriptoribus rerum Indicarum speciem quamdam Psittaci describi, quæ sese mense Novembri incipiente hieme soleat in trunco alicujus arboris densæ abscondere, & ibidem dormientem usq; ad tempus vernum commorari, atq; tum pristinum rursum vigorem recipere, majoremq; alacritatem conquirere. Tractat autem Aristoteles quoq; lib. C 8. de avibus & quadrupedibus, quæ per hiemem sese abscondunt; & Plinius lib. 10. cap 9. scribit, coccyga sive cuculum vere procedere, caniculæ ortu latitare, idq; fieri in cavis arborum Agricola testatur. Sic viri prudentes & circumspecti suorum consiliorum & actionum tempestivum exitum caute circumspectant, & interea quamdiu opus esse existimant, in aliquam rei bene gerendæ occasionem intenti quiescunt. Quod Dionysius Halicarnassensis quoque paucis verbis recte subjicit: χρήσιμον μᾶλλον ἐν πολλοῖς, καὶ ἧκιστα σφαλερὸν, ἀναβολή. *Inprimis res utilis & minime periculosa est cunctatio.* Quanquam vero singulari quadam fortuna Alexandro Magno, Julio Cæsari & aliis τὸ μηδὲν ἀναβάλλεσθαι, id est, *Nihil differens vel procrastinans*, absq; tamen stulta præcipitantia ac temeritate, potius placuerit, atq; in rebus potiss. bellicis celeritas amplius prosit quam virtus, Cicero tamen in illa præclara oratione pro lege Manilia, vel potius de laudibus Pompeji, inter virtutes imperatorias laborem in negotiis, & fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, nec minus consilium in providendo commendat. Ac præceptum est alterius nescio cujus auctoris, utendum consilio in arduis, celeritate in urgentibus, mora in periculosis, & experientia in dubiis.

D Morus, Græce μῶρος, id est, stultus, per ἀλληγορίαν ita dicitur, ut pleriq; volunt, cum habeatur arborum sapientissima. Nam hæc sola nihil properat, sed cæteris præcurrere permissis, ipsa etiam tandem prodit, & grato se virore vestit, fructibusq; tempestivis prædita est. Longissimam quoque vitam consequitur hæc sua Fabiana cunctatione, & materiam præstat ad multos annos duraturam. De qua eadem Plinius quoq; scribit libr. 16. cap. 25. Novissima urbanarum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum, sed cum cœpit in tantum universa germinatio erumpit, ut una nocte peragat etiam cum strepitu. Hæc Plinius. Sic vir prudens, & in suis rebus circumspectus consulto ac mature universas actiones suas, ac sine omni præcipitantia, instituit, nec ante tempus sese effert. Nam secundum Græcum senarium σπεῦσον πολλοῖς ἐστιν αὐλὰξ κακῶν. *Multis malorum causa est præcipitantia.* Sed in omnes occasiones rei bene gerendæ citra periculum, instar Fabii Maximi perruss.

Ducis, qui cunctando Romanis restituit rem, est intentus. Quo pertinet etiam consilium Scribæ Ephesini Actorum 19. quod civibus suis dat. *Oportet vos esse sedatos, & nihil præcipitanter agere.* Idem etiam sine ostentatione progreditur, nec præter modum se effert, quodq; mature præstandum est, suo tempore, neq; nimio impetu, nec socordia utens diligenter & præmeditate exequitur. Unde alii huic symbolo dictum addunt, Tempore suo: ad alterum proverbium, quod monet τὸ καιρὸν φύλαττε, id est, *præsentia recte administrare*, vel, nosce tempus, respicientes. Huc referimus dictum poetæ,

*Festinare nocet, nocet & cunctatio sepe*
*Tempore quæq; suo qui facit, ille sapit.*

## CUNCTATIO *prompta, salutaris.*

ALio hieroglyphico dictum est testudinem esse symbolum tarditatis, quæ tamen conjunctam habeat constantiam aliquam & assiduitatem; Accipitrem vero celeritatis non quoque nimis temerariæ notam esse constat. Si igitur hæc duo, salutaris cunctatio, & bene præmeditata celeritas pro re nata recte usurpentur, actiones inde felicem sortiuntur effectum. Cum quo convenit tritum proverbium Græcum, σπεῦδε βραδέως, *festina lente*, quod à duobus præcipuis Imperatoribus Romanis, Augusto & Tito, crebro fuit usurpatum. Et Gellius lib. 10. cap. 11. eo monuisse perhibet, ut ad rem agendam simul adhibeatur & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas, ex quibus duobus contrariis fiat maturitas. Cùm maturum, secundum Nigidium, ex eodem Gellio sit, quod neque citius est, neq; serius, sed medium quippiam & temperatum. Notum autem est, quantum Fabii Maximi cunctatio utilitatis Reip. & contra Minuti ipsius Magistri Equitum præcipitantia detrimenti attulerit. Unde Plato 7. de Republ. ait, τὸν σπεύδοντα ταχὺ μᾶλλον βραδύνειν, id est, *eum qui festinat celeriter omnia percurrere, magis retardari.* Ex quo vulgaris factus est versiculus,

*Tardius absolvit, qui nimium properat.*

Est autem hoc hieroglyphicon in primis convenientissimum principibus & aliis magnis viris, qui aliis præsunt, quo admonentur, ne aut voluptatibus aut affluentia omnium rerum, aut successu prospero & nimia potentia, insolentiores facti, sua ignavia & socordia, vel ex adversa temeritate & vehementia, interdum suæ dignitati & existimationi indigna committant, & perpetrent.

*Et tardus nimis, & præceps nimis esse caveto:*
*Ille sapit, medium qui inter utrumq; tenet.*

## CURA *Vigil.*

CAnorum animal Cicero libr. 2. de divinat. gallum gallinaceum vocat, & ante lucem canere inquit, quem Plinius lib. 10. ita describit. Proxime gloriam sentiunt & hi vigiles nostri nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno natura genuit. Norunt sydera, & ternas distingunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum, quartaq; castrensi vigilia (id est, secundum Vegetium libr. 3. hora tertia post mediam noctem) ad curas laboresq; revocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; venientem nunciant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum. Idem Ælianus pluribus verbis exponit lib. 4. cap. 24. Causam hujus rei Cicero 2. de divinat. & Lucianus in Dialogo de somno sine gallo reddere conantur. Non etiam sine ratione legitur apud Jobum cap. 37. Quis dedit gallo intelligentiam? Convenit itaq; hoc hieroglyphicon homini industrio, omnia magna attentione ac vigilantia peragenti: quales in primis omnes pietati addicti, & præterea aliis in religione præfecti esse debent. Quare D. Ambrosius lib. 5. cap. 24. Hanc similitudinem eleganter explicat, ubi ait: Galli cantus suavis est in noctibus, nec solum suavis, sed etiam utilis, qui quasi bonus cohabitator & dormientem excitat, & solicitum admonet, & iter facientem solatur, pressum noctis cantora significatione protestans. Hoc canente latro suas relinquit insidias, hoc ipso lucifer excitatus oritur, cœlumq; illuminat, hoc canente mœstitiam trepidus nauta deponit, omnisq; crebro vespertinis flatibus excitata tempestas & procella mitescit. Hoc canente devotus animus exsilit ad precandum, legendi quoq; munia instaurat.

*Ut cum laude geras res, expergiscere, magnas:*
*Et tibi sit galli cura magistra vigil.*

CU-

## CURIOSI.

A QUi curiosos depingere cupit, fingit sibi Simias, hominum imitatrices; at in gesticulationibus tantum, non in ratiocinando, loquendo, & judiciose res alicujus momenti exequendo. Curiosi nihil boni præstant, quum ad omne bonum opus sint inutiles, & nihil aliud quam vulgi fabula atq; risus effusus.

2. Canes dimittuntur à venatoribus post prædam quam assequi possunt, non semper, nec omnibus momentis, sed certo quodam modo & tempore. Ita refrenanda est animi curiositas, ne in immensum excurrat, sed tantum necessaria & convenientia persequatur.

3. Serpentes veneno pascuntur, & loca tenebricosa fœtidaq; colunt: sic curiosi rerum ac eventuum tristium relatione atq; auditione animum pascunt.

## CURIOSITAS *maledica.*

MAnus hominis spinosissimum fruticem Rhamnum temere contrectans, ac inde seipsam vulnerans, indicat curiositatem sive πολυπραγμοσύνην, quam Plutarchus dicit esse φιλομάθειαν ἀπαθῆ τῶν ἐχθρῶν, id est, *studium cognoscendi aliena mala*, non solum inutilem, sed etiam sæpenumero detri-B mentosam esse, cum homines in aliena semper inquirere, & quæ non sui sunt officii cum magno suo damno peragere volunt. Unde etiam recte Plautus in Sticho dixit, neminem esse curiosum quin sit malevolus: & Menandri præclara est sententia.

Τὰ πολλὰ πράττειν καὶ λύπας πολλὰς ἔχει.
*Multa facere multas molestias continet.*

Potest idem quoq; referri ad alias res periculorum & molestiarum plenas, quibus si frui cupiamus, multa nobis discrimina sunt subeunda. Aliud Epicteti est generalius dictum, qui reliqua philosophorum dogmata, quæ ad humanæ vitæ institutionem pertinent, duobus verbis complecti voluit, ἀνέχου & ἀπέχου, id est, *Sustine & abstine.* De quo multa A. Gellius Attic. noctium, lib. 17. cap. 19. Addamus Distichon.

*Carpere parce meas frondes, qui singula carpis,*
*Vulneret audace, ne tibi spina manus.*

## CURIOSITAS *nimia vitanda.*

C DE Pelecano præter ea quæ alibi dicta sunt, in hieroglyphicis Horapollinis habetur hunc non aliarum avium more nidum suum supra terram elatioribus locis construere, sed potius quadam innata simplicitate in scrobe aliqua humili, terra egesta ova sua excludere. Sed item Horapollo vult esse typum imprudentiæ potius quam simplicitatis: nam dicit hanc avem cum circa nidum in terra constructum ex bubulo stercore aucupes ignem excitent, suis alis eum extinguere conantem, se ipsam amburere, & ita facile capi. At nos priorem expositionem tanquam magis ἠθικὴν retinere placuit, una cum ascripta sententia, quæ legitur in Syracide inter alia utilissima modestiæ ac submissionis præcepta cap. 3. Altiora te ne quæsiveris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus ejus operibus ne sis curiosus. Hæc graviter reprehendunt nimiam curiositatem & stultam animi elationem: ac contra commendant simplicitatem ac humilitatem cum circumspectione tamen & prudentia conjunctam, non fatuam & inertem. Cum quo S. Pauli in Epistola ad Romanos cap. 12. sententia insignis congruit, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, id est, *non sapere supra quam oportet sapere, sed ad sobrietatem sapere.* Hinc Distichon,

*Noli altum sapere, aut aliena inquirere, ne mox*
*Culpa det ex alto te tua præcipitem.*

## CUSTODIA *tuta.*

PLngunt recentiores Indiæ Occidentalis chirographi animal, quod Cæsar Scaliger ἀλεκτοροθήκην vocat. Refert autem anteriore parte vulpem, posteriore Simiam, eandemque habet cercopitheci, aures ferè vespertilionis, ac subter ventrē usitatum aliud gestat receptaculum instar crumenæ latioris, in quod catulos suos recipit, ibidemque occultat, donec tuto per se hinc inde vagari, & sibi

& sibi victum quærere possint. Similia de cane marino scribit Oppianus libr.1.de piscibus. Idem A
de vitulo marino refert D.Basilius 7. hexaem. & de Delphine in eruditiss. carmine Nicobuli ad patrem. Hæc Hieroglyphica indicant φιλοτεκνίαν, id est, studium & solicitudinem parentum erga liberos, qui potissimum sub fidei horum custodia vitam agunt securam & fœlicem. Custodia etiam ex tute dici potest, quum quis Biantis vel Stilponis apophthegmate nixus: Omnia mea mecum porto, vivens moriensque sibi suisq; canit lætus. Et de civibus sub pio principe vel magistratu viventibus merito dicitur,

*O tuto satis hos cives, populumq; beatum,*
*Queis velut in patrio fas habitare sinu!*

De providentia & custodia divina melius adhuc intelligitur, de qua Psaltes, Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israël. Dominus custodit te, &c. Psal. 121.4. & Psal. 144. v. 18. Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

## DECOR.

LEonem cui circa collum serpens fuit circumvolutus quidam pinxerunt, addita inscriptione B
Græca, ΟΥ'ΔΕ'Ν ΚΑΘΗΚΟ'ΤΕΡΟΝ, id est, *nihil Decentius*, ut fortitudinem cum prudentia conjungendam esse docerent. Officium enim prudentis viri est, ut Aristoteles tradit 6. Ethicor. Nicomach. βουλεύεσθαι καλῶς βουλεύεσθαι ἐστὶ τὰ αὑτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, id est, *posse recte in medium consulere de iis quæ sibi ipsi sunt bona & utilia.* Ethic. lib. 3. vult ἀνδρείαν εἶναι μεσότητα τοῦ φόβου καὶ θάρρους, *fortitudinem esse medium inter motum & confidentiam.* In quam sententiam eleganter & breviter D. Bernardus lib. 1. de consideratione, fortitudinis matrem vocat prudentiam. Paulo post, Bonus circuitus est, inquit, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet: ut si justitia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu. Huc refertur Distichon etuditum,

*Provida magnanimæ si adsit prudentia dextræ,*
*Dic mihi quæ rerum pulchrior esse queat?*

## DECOR *juvenum & senum.*

HUjus stirpis, quæ vulgo ob similitudinem corona imperialis sive regia appellatur, & quam C
Carolus Clusius ad Hemerocallidem veterum non male referri posse existimat, flos maturus expanditur, ac in suis propriis pediculis plane deorsum flectitur; at quamprimum flaccescere incipit, succedunt illi satis magna capita (ut quoque in lilio rubro fieri solet) quæ excusso flore statim sursum eriguntur, ne scilicet, si deorsum debilcerent diutius, semina nondum matura putrescant ac excidant. Sic juvenes, quantumvis ingenii, vel corporis atq; fortunæ bonis ornati, singulari modestia sese submittere, nec ante tempus (quod sæpe fieri videmus) exultare, superbire, & insolentiæ cristas erigere debent. Contra vero senes, jam prudentia & usu rerum confirmati, auctoritatem suam tueri, ac bene monendo præcipiendoq; aliis præire jure ac merito possunt. Unde etiam Cicero libro de Senect. ait: Apicem Senectutis esse auctoritatem, & vetus poëta jubet senum colloquia expeti: & versus Græcus commendat senum consuetudinem.

Ὁμιλίας δὲ τῶν γεραιτέρων φίλει.

Honestum senem modesto juveni dicentem audiamus,

*Disce puer virtutem ex me, nec flore superbi:* D
*Matura tollat fruge senecta caput.*

## DEJECTIO.

HUmilitatem & dejectionem Ægyptii hieroglyphice per Accipitrem indicant, ut ait Horapollo, libr. 1. cap. 6. quod cæteræ volucres ex sublimi in terram non perpendiculi modo, sed velut ex transverso & flexuose deorsum ferantur, solus accipiter directo ad inferiora viam carpat.

## DELATORES.

VEspæ, ignavum pecus, cum murmure tamen volitant, & pungunt acerrime. Hinc illud, quod Stobæus ex Diogenis diatribis refert, Antisthenem, scilicet aliquando à Diogene correptum quod

A quod exigua voce esset, & tamen castigaret homines, respondisse. Vespas itidem sonum haud magnum edere, aculeum tamen habere acerrimum. Lepidum itaq; est Archilochi mordacissimi poetæ Epitaphium, quo in ejus sepulchro vespæ habitare dicuntur, in 3. ἀνθολ. ex quo Alciatus Emblema suum 51. desumpsit. Sane cum vespæ à se cum noxa pungunt, & quid facient, ubi viperæ veneno spicula sua tinxerint? Quamvis autem figmenta hæc sint, (Refert tamen in Exer. Scaliger, à Cambaiæ Indiæ Rege filium veneno educatum adeo venenosum fuisse factum, ut muscæ, quæ modo solo suctu cutim perstrinxissent, turgidæ interierint.) Jucundam nihilominus & utilem considerationem habent. Per viperam enim delatores, pessimum genus hominum, qui clam apud alios innocentes deferunt, intelligere possumus. Nam veluti suppeditare hæc advolantibus vespis venenum fingitur, quod illæ postea in alios cum pernicie effundant. Per has igitur porro significabimus calumniatores & maledicos, qui quæ ab aliis per mendacium acceperunt, nihilominus pro veris dispergunt. Utriq; rei gravissimi criminis. Sed optimum est Plautini senis votum in Pseudolo:

*Homines, qui gestant, quiq; auscultant crimina,*
B *Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant:*
*Gestores linguis, auditores auribus.*

Nam ut Thucydides dicit: διαβολὰς οὐ τῶφρον οὔτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους, οὔτε ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι. Non decet calumnias neq; aliis narrare, neq; audiendo suscipere.

## DELICIÆ.

VEpres acuti, undecumque tanguntur ac constringuntur, manus cruentant: Deliciæ, manibus, pedibus, capiti, oculis, omnibus denique membris officiunt, inquit *Chrysostomus homil. 45. in Matth.*

Canthari, Scarabei, & hujus generis insecta plurima, ita fœtoribus atq; sordibus, ex quibus originem duxerunt, delectantur, ac illis sustentantur, ut contra odorum suavitate plane pereant. Ideoque rosis insidentes Scarabei vel cantharides torpescere vel tandem emori dicuntur. Ad hunc modum molles & effœminatos in suis voluptatibus ac deliciis, quæ non solum corpori, sed menti quoque obsunt, plurimumq; nocent, paulatim contabescere, ac tandem illicito luxui interitu suo meri-
C tas pœnas luere constat. Quod Claudianus libro secundo ad Stiliconem egregie hisce versibus nobis explicavit:

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper*
*Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,*
*Membraq; Circæis effœminat acrius herbis,*
*Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla;*
*Interius fucata genas, & amicta dolosis*
*Illecebris, torvos auro circumligat hydros.*
*Illa voluptatum multos innexuit hamis.*

Silius quoq; Italicus breviter hæc exposuit:

*------Nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostis,*
*Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.*

Pierius in suis hieroglyphicis refert, Hannibali alioquin duro, sed ob Capuanas delicias tandem effœminato, non abs re scutum debuisse offerri, in cujus medio Scarabeus fuisset depictus, quem undiq; Rosarũ serta ambirent, significatione eadem, quam hoc hieroglyphico exprimere voluimus.

## D DEUS.

SOlem hunc visibilem nulla alia re quam Sole ipso adjuti cernimus, & stellas ipsas sola stellarum ope aspicimus; lucis aspectum debemus luci: Deus etiam per seipsum sui illustrat notitiam, cooperante nemine; quod ea res omnium vires excedat. *Philo Jud. lib. de præmiis & pœnis.*

Sol exortu suo stellas offuscat, immenso suo splendore perfusis nostris oculis. Quoties item animæ oculi sincero, puro, fulgidissimoque Dei lucem inferentis sensibili splendore irradiantur, nihil aliud inspicere possunt. At fulgens enim ejus, qui est, cognitio nihil non illustrat, ut etiam, quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur. Idem, *lib. de temulentia.*

Communis hic Sol nobis quotidie se præbet omnibus, nec magis minus ve irradiat alium quam alium, sed in omnes ex æquo vim suam exerit & exercet. Attamen si quis acutiore visu polleat, plus

ejus splendoris recipit, non quod Sol magis in eum agat, quam in cæteros, sed propter vim oculo- A
rum eximiam. At quisquis infirmos habet oculos, ne obtueri quidem tantam lucem poterit, propter
eorum hebetudinem. Idem cogita de Sole cœlesti & æterno, ex æquo illum adesse omnibus essen-
tialiter; nos autem peccatorum sordibus conspersos, ad tantum lumen percipiendum idoneos non
esse: Christum vero, in quo plenitudo Deitatis corporaliter habitat, oculo purissimo totius luminis
cœlestis capere splendorem, utpote naturæ visibilis respectu formatum Spiritus S. opera, & à pecca-
to prorsus alienissimum. *Justin. de orthodoxa confessione, sive de sanctissima Trinitate.*

Certo scire non possumus qualis sit cujusq; stellæ essentia, magnitudo, &c. quærimus tamen ali-
quiter, oblectamurq; rationibus verisimilibus, propter innatum discendi desiderium. Licet etiam
verum illud Ens, Deum, non valeamus cernere, quærimus tamen indesinenter, quando hæc con-
sideratio vel in seipsa, licet investigabilis, res sit summe desiderabilis. *Philo Jud. libro primo de Mo-
narchia.*

Solis lux à nullo illustratur, sed seipsam ostendit. Et Deus qui nullis hominum operibus illustra- B
ri potest, divina sua essentia seipsum solus illustrat. *Idem, eod. lib.*

Hoc Dei tergum est, quicquid eum nobis suo judicio refert, ut tamen illius naturam non contin-
gat: perinde ac umbra & in aqua relucens solis imago hebetioribus oculis illum adumbrat: dum il-
lum ipsum, præ nimio purissimæ lucis fulgore, quo sensum facile exuperat, intueri nequeunt, *Na-
zianzenus lib. 2. de Theologia.*

Solem hunc sensibilem nemo est, qui non laudet, & ipsius magnitudinem, simulq; pulchritudi-
nem & radiorum symmetriam, atq; lucis splendorem admirans: si vero in eo diligentius atq; per-
tinacius intuebitur, & indies ejus aspectum considerabit, non solum quæ sentit in eo deprehendet,
sed etiam oculorum aciem debilitatus abscedet. Tali quid videor mihi pati mente, si requiratur de
Deo, quid sit. *Basilius magnus in 1. cap. Joannis.*

Quod lux est videntibus & visus, hoc Deus est intelligentibus & intellectis. *Thalassius ad Pau-
linum.*

Sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus apparet, in oculos autem lippos, qua- C
si tela aspera jaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum. Et tu
cum cœperis esse perversus, & tibi Deus perversus esse videbitur, tu mutatus es, non ille. *Augustinus
in Psalm 92.*

Sol, qui oritur die, licet sit unus (unde solem esse appellatum Cicero vult videri, quod obscuratis
sideribus solus appareat) tamen quia verum ac perfectæ plenitudinis lumen est, & colore potissimo
& fulgore clarissimo illustrat omnia. Et in Deo, licet sit unus, & majestas, & virtus, & claritudo per-
fecta est. *Lactant. lib. 2. cap. 10. de Orig. erroris.*

Respectu nivis & solis omnis albedo fusca videtur, & omne lucidum, obscurum. Respectu Dei
qui solus singulariter bonus est, omnes homines mali videntur. *Chrysost. in Matth. 7. hom. 18.*

Lucis proprium est illuminare; Dei autem misereri suorum operum. *Nilus apud Maxim. Serm. 6.*

Sed occulta corpora detegit: Deus omnia creans non solum in lucem produxit, sed omnia, quæ
prius non fuerant, condidit. *Philo Jud. de somniis.*

Lux quantumvis hominum multitudinem illuminaret, nihil splendoris remitteret: Deus ante- D
quam mundum conderet, & postquam condidit, idem perfectus atq; integer permanet, nihil tanto
& tam admirabili opificio minor, nihil imbecillior. *Chrysost. hom. 4. in Joan.*

Quod Sol est sensibus, hoc intelligentibus est Deus. Hic enim mundum illuminat visibilem, ille
vero invisibilem; & hic quidem visum corporalem illustrat, ille vero naturas intellectuales splendi-
das reddit. Sol videntibus ut videant, visibilibus rebus ut videantur vim subministrat, ipseq; inter vi-
sibilia est pulcherrimus: Deus etiam intelligentibus ut intelligant, intellectis ut intelligantur suppe-
ditat, ac ipse inter intelligibilia est altissimus, in quo omne desiderium consistit, & super quem mi-
nime fertur: nihil enim sublimius quid habet omnino desiderium, neq; mens sapientissima & inda-
gatrix seu curiosissima. *Nazianzenus orat. de Athanas. Episcopo.*

Verus sermo docet simplicem esse Deum, & unam simplicem habere operationem, in omnibus
omnia

A omnia operantem, instar solis, qui omnia fovet, & in unoquoq; secundum naturalem habilitatem, & quantum capere potest, operatur, ab eo, qui eum condidit, Deo, talem adeptus operationis virtutem. *Damascen. lib. 1. de Orthod. fide, cap. 13.*

Neque vero quemadmodum Solis radius fulgore nimio corrumpit oculos, caligantesq; reddit, sic est ipsius boni conspectio. Illustrat enim, atque oculi lucem eo magis exauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum. Velocior est divina lux, & acutior ad penetrandum; innocentia præterea & immortalitate singula complens. *Merc. Trismegist. in Pymandro.*

Igne qui vult calefieri, sufficit si accedit ad illum: nam si interius manum mittat, pro eo quod calefieri potuit comburitur. Et qui profundius vel altius de Deo disputare præsumit, pro eo quod gloriosius quis vult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem divinorum dogmatum non potest. *Hesychius in Levitic. lib. 2. cap. 6.*

Deum cum Ægyptii volunt significare, inquit Horapollo lib. 1. cap. 6. pingunt accipitrem: tum quod fœcundum sit ac diuturnæ vitæ hoc animal, tum etiam quod Solis præter cæteras volucres B simulacrum esse videatur, utpote peculiari quadam atq; occulta naturæ vi, intentissimis in ejus radios oculis prospiciens. Sol autem est visibile Dei hieroglyphicum.

Ægyptii Deum pulchre ornatum, seu gloria amictum, significantes, sidus pingunt, inquit Horapollo, lib. 1. cap. 13. quod Dei providentia victoriam decernit atq; imperat, qua & siderum orbisque universi motus peragitur. Existimant enim sine Deo nihil prorsus consistere.

Qui inconniventibus oculis solem intuentur diutius, fere obcœcantur: ita & qui divina mysteria altius speculantur sæpe obtunduntur. Proinde & hic intra sobrietatem sapere, & illis connivere satius est.

## DIABOLUS.

SErpentem venenatum & in primis noxium animal. max. invisum esse homini, utpote cujus semini perpetuæ cum eo fuerunt & erunt inimicitiæ, ipsa natura nos docet, & S. pagina confirmat. Hinc videmus, ad conficiendos & tollendos è medio serpentes, si in quos forte incidimus, imprimis nos esse cupidos, nec satiari, donec multis ictibus concisos relinquamus tandem. Utinam vero ho- C mines in concidendis & extirpandis vitiosis cupiditatum affectibus & in dispergendis fugandisque voluptatum illecebris, quæ veluti serpentes animis illorum se insinuant, tam vigilantes essent ac studiosi! Nam secundum Horat. 3. Od. 24.

*Scelerum si bene pœnitet:*
*Eradenda Cupidinis*
*Pravi sunt elementa.*

Sed nos in hoc hieroglyphico per serpentinam figuram diabolum, humani generis acerrimum hostem significare voluimus, qui nisi cœlesti manu, hoc est, virtute Dei conficiatur, nostra tela flocci solet facere. Quo præclarus ille Justini locus pertinet ex dialogo cum Tryphone Judæo: ὁ διάβολος ἐφέστηκεν ἀεὶ ἀντικείμενος, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκειν πάντας βουλόμενος. καὶ ὁ ἄγγελος τοῦ θεοῦ, τουτέστιν, ἡ δυνάμις τοῦ θεοῦ, ἡ πεμφθεῖσα ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐπιτιμᾷ αὐτῷ, καὶ ἀφίσταται ἀφ' ἡμῶν. καὶ ὥσπερ ἀπὸ πυρὸς ἐξεσπασμένοι ἐσμὲν ἀπὸ μὲν τῶν ἁμαρτιῶν τῶν προτέρων, καθαριζθέντες, ἀπὸ δὲ τῆς θλίψεως καὶ τῆς πυρώσεως ἣν πυροῦσιν ἡμᾶς ὅ τε διάβολος καὶ οἱ αὐτοῦ ὑπηρέται πάντες: *Nobis quidem diabolus instabat, semper adversans & ad se trahere* D *volens: & Angelus Dei, id est, virtus Dei, per Christum nobis missa, increpat illum, & à nobis repellit: & sumus perinde atque ex igne extracti, à peccatis videlicet pristinis purificati: atq; ab afflictionibus, & exploratione ignis probati: quâ nos exercet diabolus, & administri ejus omnes.* Hæc ille, cujus sententiæ Distichon subjicimus,

*Cœlesti auxilio vetus ille extinguitur anguis,*
*Humana elident spicula missa manu.*

## DIGNITATUM *Gradus. Sufficientia.*

QUemadmodum à spicæ collectione progredi solemus ad manipulum coacervandum, ac pariter deinde à manipulo ad fascem ipsum: sic etiam sedulitate, industria ac prudentia paulatim,



atque

atque secundum Platonem in Theæteto, σμικρὰ ἀπὸ σμικρῶν κατὰ δύναμιν addentes, infimæ sortis homines ad majora, & tandem ad maximum dignitatis gradum pervenire solent. Quod si, divina liberalitate promoti, ascenderint, rectissime faciunt, si tempestive gradum sistant, ac sibi laudibilem istam ac fortunatam reipsa αὐτάρκειαν, id est, rerum sufficientem usum, tanquam divitiarum terminum convenientissimum pro unico scopo proponant. Nam secundum Salomonem, Proverb. c. 27. *Qui custodit ficum, comedet fructum ejus.* Suntq; ejusdem sententiæ Hesiodi versus in ore omnium:

*Adde parum parvo, parvo superadde pusillum,*
*Tempore sic modico magnum cumulabis acervum.*

## DIFFIDENTIA *prudens.*

PLinius refert lib. 8. cap. 28. Vulpes in Thracia, locis rigentibus amnes gelatos lacusq; nonnisi aditum reditumq; auditus transire. Observatum est, aure ad glaciem apposita, conjectare gelu crassitudinem. Quod Plutarchus in Commentario de Animalium solertia prolixius exposuit. Vulpina hæc attentio per universam vitam nostram præceptum nobis est utilissimum, rebus ut in omnibus, singularem quamdam adhibeamus εὐλάβειαν, id est, cautionem convenientem, quæ efficit, ne temere cuivis vel homini vel rei fidem adhibeamus, neve ex opposito obstinate omnibus diffidamus. Quo pertinet Euripideum dictum in Hecuba,

Σώφρονος δ' ἀπιστίαν
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς. Id est,

*Prudenti diffidentia*
*Nil est melius, nil utilius mortalibus.*

Ac notum est illud Epicharmi, νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. quod in libello de petitione consulatus Cicero ita vertit: Nervos atq; artus esse sapientiæ, non temere credere. Idemq; etiam in epistolis ad Atticum sæpe commendat. Et Senarius proverb.

*Ab hoste dicta ne unquam amica duxeris,*

idem confirmat, & Alcibiadis responsum revocat qui amico quærenti cur patriæ de eo judicaturæ non fideret? Ego sane, inquit, ne matri quidem: vererer enim, ne insciens pro albo calculo nigrum immitteret. Sophocles in Ajace docet hostium munera non esse munera. Ensis Ajaci datus ab Hectore, & Ajacis baltheus Hectori, fuit utriq; exitio.

*Atq; ita ab hoste hosti veniunt lethalia dona,*
*Quæ studii specie fata necemq; ferunt.*

Fide, igitur juxta vetus dictum: sed cui vide, &c.

*Omnibus esto salutaris tibi cautio rebus.*
*Ni prius explores, aggrediatur cave.*

## DILECTIO *Sincera proximi.*

LIlius Gyraldus syntagmate primo historiæ Deorum ἱερογλυφικὸν elegantissimum proponit amicitiæ seu synceræ dilectionis proximi, quam picturam priore libro omissam hic reponere visum est sub dilectionis titulo. Apud Romanos, inquit ille ex veterum sententiis, amicitiam pictura antiquitus pulchre demonstrabat. Pingebatur enim juvenis forma, detecto capite, quæ erat tunica rudi indata, in cujus fimbria scriptum erat, mors & vita: in fronte, Æstas & Hyems: habebatq; latus apertum usq; ad cor, & brachium inclinatum, digito cor ostendens. Ibi scriptum erat, longe & prope, suberat & picturæ explicatio quæ ita legitur: forma juvenilis indicat amicitiam semper recentem, nullaq; temporis diuturnitate tepescentem. Nudum caput, ut omnibus pateat, & amicus nullo unquam tempore amicum publice suum fateri erubescat. Rude autem indumentum ostendit, ut amicus nulla ardua, extremamq; inopiam pro amico subire non recuset. Vita & mors in vestimento scripta, quod qui vere diligit, usq; ad mortem amat. Æstas & hyems, quia & in prosperis & in adversis æque amicitiam servat. Latus apertum habet usque ad cor, quia nihil amico celat. Brachium inclinat, & digito cor ostendit, ut opus cordi, & cor verbis respondeat. Longe & prope, quod scriptum est, quia vera amicitia nullo tempore aboletur, nec locorum intercapedine disjungitur.

A gitur. Hæc ferme totidem verbis adscripsi, quæ exoticam scilicet sapientiam ac peregrinam redolere videntur.

## DILIGENTIA *continua in studiis adhibenda.*

VEterum sapientum quidam adhortans adolescentes ad diligentiam adhibendam in suis studiis ac laborum perseverantiam & quandam ἀοκνίην, solitus est dicere, aves cohortales suavissimas habere carnes, si non abundantiore esca saginentur, sed διὰ τὸ σκαλεύειν, id est, rimando & fodiendo ipsum solum, sibi quærant cibum. Sic qui veram & solidam doctrinam & laudabilem rerum utilium cognitionem conquirere student, in eruendis & perscrutandis accurate ac sedulo veterum scriptis ac monumentis multum temporis & laboris impendere debent. Nam secundum proverbium græcum, ἐκ τοῦ πόνου κλέος, *ex labore gloria:* Vel, ut Euripides breviter, dixit, πόνος εὐκλείας πατὴρ, *labor gloria genitor:* cui simile est dictum Æschyli,

| | |
|---|---|
| -------Τῷ πονοῦντι ἐκ θεοῦ | ------ *Laboranti à Deo* |
| ὀφείλεται τέκνομα τοῦ πόνου κλέος. | *Debetur fœtus (præmium) illius gloria.* |

B Versatur quoque in ore quidem multorum, sed non semper in animo aut opere Epicharmi versus, quem etiam Xenophon lib. 2. ἀπομνημονευμάτων commendat,

πρεπόντων πόνων πωλοῦσιν πάντα τ' ἄγαθ' οἱ θεοί, id est,

*Convenientibus laboribus vendunt nobis omnia bona divi.*

Plutarchus tamen in Commentario περὶ πολυπραγμοσύνης aliter, nimirum ad curiositatem, hæc accommodat. Sicuti, inquit, gallina proposito sæpe alimento in angulum aliquem sese subducit, ubi vel in sterquilinio unicum apparet hordei granum: ita curiosi in medio sitos sermones & historias, & de quibus nemo prohibet aut indignatur quæri prætereuntes, occultata & latentia cujusq; familiæ mala colligunt.

*Rimatur vigili Sophia secreta labore,*
*Qui cupit Aonia frondis honore tegi.*

## DISCIPLINA *& institutio domestica.*

C LUscinia, tanquam lucinia, putatur dicta Isidoro, quia suo cantu indicare diei surgentis exortum solet. Varro & Plautus Lusciniolam quoq; vocant, quod luctuose canat: estque Latinis philomela, ac Græcis φιλομῆλα, quod cantus amet: itemq; ἀηδὼν, ab Æolico verbo ἀείδειν, quod similiter est canere. De pullorum vero institutione à parentibus Aristoteles lib. 4. de histor. Animal. cap. 9. ex versione Gazæ satis rem raram in medium affert. Jam vero, inquit, luscinia modulos docere suos pullos, versusque quos imitarentur tradere visa est, utpote cum non perinde locatio, ut vox per naturam proveniret, sed acquiri posset per disciplinam & studium. Unde homines quoq; locutione utentur varia, cum vocem omnes reddant eandem. Idem Plutarchus in libro de solertia animal. & Ælianus lib. 3. cap. 40. testantur. Commendatur autem hac similitudine domestica & laudabilis institutio sive parentum seu præceptorum, qui loco parentum censendi sunt. Nam secundum poetam,

*Adeo à teneris assuescere multum est.*

Quod à philosophis sumpsit. Nota enim est Aristotelis sententia 2. Ethicor. Nicom. cap. 1. οὐ μικρὸν διαφέρει, τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ παμπολὺ μᾶλλον, μᾶλλον δὲ, τὸ πᾶν. Id est, *non pa-*
D *rum refert, sed per quam multum, sic ne an sic à pueris assuescamus, imo vero totum in eo positum est.* Et Claudianus 4. Consul. Honorii idem monet,

*Interea Musis animus dum mollior instet,*
*Et quæ mox imitêre legas, nec desinat unquam*
*Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.*

Disputat autem Plato de hac puerili institutione ac disciplina, tum alibi sæpius, tum potiss. in lib. 2. & 6. de legibus, quæ omnia cognitione sunt admodum digna.

*Ut canere alma docet pullos philomela tenellos,*
*Sic genitor gnatos format & ipse pius.*

## DISPUTANTES.

A

ARtifices industrii ad silicem & focum lucernas suas accendunt, & operi se accingunt alacres. Contra nugatores à verbis ad verbera & cædes deveniunt frequenter. Ut veritas ex disputatione patet & elucescit, sic altercando amittitur. Inde Bochii epigramma:

*De Silicis venis excussa ut semina flamma*
*Excipit arenti fomite materia;*
*Inde suam accendunt pro se sibi quisq; lucernam.*
*Exemplo, & cæcas discutiunt tenebras.*

*Sic disceptando studiosi in luminis oras*
*Verum ipsum è latebris excutiunt facile.*
*Contra, altercando, nimis id plerumq; Sophista*
*Funditus evertunt insidiosa cohors.*

## DISSENSIONES *Potentum.*

DE vehementi ac continuo attritu lignorum ignem tandem excitantium ita Plinius lib. 16. c. 40. Calidæ sunt & morus, laurus, hedera, ac omnes, ex quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc usus in castris pastorumq; recepit, quorum ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, igneemq; concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facillime concipientium. Sed nihil hedera præstantius, quæ teratur, lauro quæ terat. Hæc ille. Duos tamen lauri bacillos hoc etiam præstare experientia quoq; testatur, & qui de Indis scripserunt, idem adhuc cum aliis lignis calidioribus ibidem usitatum esse fieri perhibent. Hoc vero inventum, ut alia multa (nempe in Græcia) Mercurio tribuit hymnus græcus ad ipsum scriptus. Sic etiam arboribus sylvarum ventorum vi inter se collisis ignis elicitur, unde Lucretius lib. 5. B

*Exprimitur validis extritu viribus ignis,*
*Et micat interdum flammæi fervidus ardor,*
*Mutua dum inter se rami stirpesq; teruntur.*

Non aliter ex potentiorum dissensione & ita semper graviora quam alias pericula oriri certum est.

*Damna dat atq; facit vis vi collisa potentum:*
*Ramorum attritu ut flamma resultat edax.*

## DIVITIÆ *veræ.*

EGregia, Plinio teste, etiamnum Topazio gloria est, suo virenti genere, & quum reperta est omnibus prælatæ. D. Hieronymus paulo aliter describit: Aureum, inquit, habet colorem, & ætheream claritatem; atq; quando solis ardore tangitur, omnem superat gemmarum splendorem. Deus est anima fidelis, sed auro sapientiæ, quæ est Christus: fulgore precum quæ aera penetrant, atq; ad Deum Patrem, mediante Christo, pertingunt; & gloriæ Dei, qua irradiata totius mundi gloriam omni ex parte superat. C

## DOCTRINA *Solida.*

CArpio, solius Benaci lacus in Italia alumnus, (ut vult Bellonius, cum Hipp. Salvianus etiam in lacu quodam prope Aluitum Campaniæ oppidum reperiri eum tradat) videtur esse piscis ex truttarum genere, teretiori tamen est corpore, pedem raro excedens. Facit hujus mentionem Bembus in histor. Veneta, qui & ipse affirmat, tantum in Benaco illum pasci. Cum vero optimi sit nutrimenti, & propter raritatem magni pretii, lautioribus Italorum mensis plurimum expetitur, atque ideo frixus & salitus, vel etiam aromatibus conspersus ad longinquiora loca deferri solet. Hunc auri fabulo vesci vulgo creditur, ut etiam de thymallis & aliis nonnullis piscibus traditur: & Joan. Pallazius in symbolis Italicis scribit se experientia observasse, rem ita habere. Alludit eodem & Hieronymus. Fracastorius in tersissimo carmine, quod inscripsit, *Carpio*. Omnium autem optima erit hujus rei accommodatio ad animarum nostrarum præstantiss. pabulum, quod ex sacris literis illæ petere possunt & debent. Quo pertinet insignis locus Cl. Alexandr. στρωμ. sub init. Operamini, inquit Dominus, non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam. Sumitur autem nutrimentum & per cibos & per verba, &c. Sunt enim etiam animæ propria habentes nutrimenta, & aliæ quidem augentur per agnitionem & scientiam, aliæ vero per Græcam pascuntur philosophiam, cujus, quemadmodum nucum, non est quidvis esculentum. Præclara etiam sententia est 8. Proverb. λαβέτε παιδείαν μου, καὶ μὴ ἀργύριον, καὶ γνῶσιν, ὑπὲρ χρυσίον, Accipite disciplinam meam, & non argentum, doctrinam magis, quam aurum diligite; ut habet vetus versio: D

Sit-

A *Scilicet est quovis doctrina potentior auro,*
*Has ergo ingenii collige divitias.*

DOLOSI *homines.*

REm totam hujus sive Symboli sive hieroglyphici narrat & explicat omnium pulcherrime B. Basilius in hexaem. prout hunc ejus locum selegit Simeon Logotheta, eumq; Latine vertit Simon à Maillé. Archiep. Turone. Velim itaque, ô homo, dolosorum ac maleficorum exemplum fugias, in imbecilli etiam animalculo fraudis plurimum doliq; animadvertens. Cujusmodi istud est: Cancer summo carnis ostreorum desiderio tenetur: sed propter testæ ambitum, difficilis illi est hujus præda. Teneram enim ostreorum carnem firmissimo natura munimento circumvallavit, quo fit, ut ὀστρακόδερκα, testam habere siliceam dicantur. Atque ubi duæ illæ conchæ cavæ ad amussim inter se commissæ ostreum circumplexæ fuerint, vanas atq; inutiles cancro denticulatæ forcipes sint necesse est. Quid igitur facit? Cum deprehendit prædam optatam in serenis ventoq; carentibus locis cum voluptate apricantem, atq; ad solis radios suas pandentem conchas, tum calculo clam interjecto commissuram impedit, atq; virium suarum imbecillitatem ille hoc artificio adjuvare dignoscitur. Hæc illa est animalium, quæ & ratione & voce carent, malitia. Talis est, qui fratrem dolo aggreditur, quiq; proximi angustias observat, atq; alienis calamitatibus insolentius exultat. Eodem fere modo B. Ambrosius & ipse in hexaem. Veteratoriam autem hanc cancri calliditatem late describunt Oppianus, Plutarchus, Plinius. Volunt quidam, dum ostrea pisciculis capiendis aperta teste inhiant, sic illorum dolum à cancro confundi. Unde etiam originem hujus hieroglyphici desumpsit Jul. Cæs. Capaccius. Sed vere ne ista sic se habeant, Rondeletius disputet. Symbolica certe sunt atq; ideo huc pertinet veteris poetæ apud Ciceron. illud: *Qui alteri exitium parat, eum scire oportet, sibi paratam pestem, ut participet, parem.* Adagium item: *Captantes capimur, Malum consilium consultori pessimum, Incidit in foveam, quam fecit faber, quas aliis fabricavit, gestat compedes, Perilli Taurus;* & similia.

*O bene factum! aliis qui fata inimica parabat,*
*Se magis astutum repperit artificem.*

C DOCTI *aliis minus doctis prosunt.*

REgnum Aristoteles, Plinius, & alii nominant quoq; Regem & Senatorem avium, eumq; cum Aquila pugnare ferunt: ac esse hunc alium à passere Troglodyte, quem Aetius lib. 11. c. 15. tanquam efficax remedium contra calculum tam renum, quam vesicæ commendat, facile probari posset, si brevitas nostri instituti operis pateretur. Quamvis vero à plerisq; nomina hæc confundantur, putant tamen rerum naturalium periti Regulum sive Trochilum alium esse, alium vero passerem Troglodytem, pro quo quidam recentiores perperam Motacillam, sive Græcis σεισοπυγίδα accipiunt. Notus autem est apologus, Regulum cum Aquila de celeritate volandi, qua hæc alias aves antecellit, contendisse, ac instituto certamine, clanculum supra dorsum hujus regulum consedisse, & ad præfinitum locum delatum subito inde evolasse, & ita victoriam obtinuisse: atq; ideo ajunt ab eo tempore inter ipsos inimicitiam extare. Non aliter cum multi suo ingenio vel natura parum præstare possint, sæpenumero tamen adjumenta ab aliis sibi asciscunt, quibus facile emergere, & non raro ad majora ascendere queant. Idq; si fieri concedatur absq; injuria & detrimento ac supplantatione aliorum, non adeo est improbandum. Alioquin præceptum Plutarchi, in libello de gerenda Republ. expositum, cui etiam hæc fabula eleganter est inserta, in hac parte locum habebit. Sic enim ille inquit: Tales igitur viri sunt tenendi, iisq; adhærendum nimirum, de quibus est maxima opinio virtutis & auctoritatis: nec quomodo Æsopi regulus humeris aquilæ vectus subito evolavit, & sic antevertit; ita eorum suffuranda gloria, sed ab iis amice & cum benevolentia accipienda. Lucas Contilis ascribit: NEC USITATA NEC TENUI FEROR, ex Horatio lib. 3. oda 20.

*Regulus est Aquilæ auxilio defertur in auras:*
*Sic quisquis docti nititur ingenio.*

Hieroglyphicon nobis candida mente præditis conveniens, qui Eruditorum veterum & Neotericorum scriptis adjuti, hujus additamenti initia qualiacumq; sint studiosæ juventuti consecramus.

DO-

## DOCTOR, DUCTOR, PASTOR Populorum.

A

ANubis nomen Ægyptiis familiare, nota pictura fuit. Quid de ea docti sentiant paucis verbis indicandum. Hebræi tria verba retinent, ex quibus Ægyptii hieroglyphicam tabellam Anubis sui sculpsisse videntur. Primum est *Naba*, quod significat prophetavit, vaticinatus est, prædixit ventura, prædicavit. Anubis igitur hieroglyphicon est doctoris, prophetæ, vatis qui tum in Ecclesia, tum in politica rerum administratione de rebus futuris homines admonet, quos in officio tot prædictionibus continere cupit. Sed cur caninum caput Anubi tributum est? Alterum verbum igitur & significatum attendamus. *Nabac* significat latravit, allatravit, clamavit, & de canibus nominatim dicitur. Inde fortasse βαύζειν, latrare: & si ad alia bruta extendamus βοάω, βοῶ, βλῶ, & Latinum boo, id est, clamo. Eruditissimus Physiologus de cane loquens, sunt, inquit, qui lingua Ægyptiaca Anubin canem dici affirment. Servius autem in Virgil. Anubis lingua Ægyptiaca canis dicitur, sub cujus forma colebatur Mercurius. Virgilius ipse verbi Hebræi significatum expressit, Æneid. lib. 8.

*Omnigenumq; Deum monstra, & latrator Anubis.*

B

Diodorus Siculus lib. 4. Canis tum venationi, tum ad custodiam prodest. Propterea Deum qui apud Ægyptios, Anubis vocatur, capite fingunt canino, quem volunt corporum Isidis atq; Osiridis fuisse custodem. Et paulo post Anubis (inquit) canem, Macedo lupum insigne armorum tulit. Apulæjus vero metamorph. lib xi. Ille superûm commeator & Inferûm, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis cervices arduas Anubis, læva caducæum gerens, dextra palmath virentem quatiens. Lilius Gyraldus Syntag. 9. De diis gentium habet multa de Anubi, quorum nonnulla hic appingimus, quæ tertiam Hebræi verbi *Nabbat* significationem, ut & primam respiciunt. Idem enim est, ac intueri, videre, aspicere, conspicere. Anubis igitur, inquit Gyraldus, ab Ægyptiis Mercurius vocatus est. De eo multa Plutarchus profert lib. de Iside & Osiride, Tertullianus Apologet. & D. Augustinus 2. lib. de Civit. Dei Anubin Cynocephalum appellant. Lucanus de eodem.

*Nos in templa tuam Romana accipimus Isin,*
*Semicanesq; Deos, & sistra moventia luctum.*

C

Et Sedulius in opere Paschali:

*Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit,*
*Ut volucrem, turpemq; Jovem, torvumq; draconem,*
*Semihominemq; canem supplex homo pronus adoret?*

Quæ autem tribus lineis ex Plutar. Lilius expressit, Goropius pro suo more longo verborum tractu producit Hermathen. lib. 6. Anubis, ait, capite canino pingebatur, qui in hieroglyphicis ejus tesseram gerebat, qui nobis iter ad custodiam & tutelam nostri demonstrat, quem Hermanubin etiam vocarunt. Plutar. hæc de re ita: ὁ δὲ ἀναφαίνων τὰ κρύπτα καὶ τῶν ἄνω φαινομένων ἀναπὸς λόγος, ἐοὶ δ' ἔστι καὶ ἑρμηνεὺς ὁπαδὸς ὀνομάζεται, id est. Ratio atq; sermo nobis cœlestia & superiorum lationes declarans, Anubis est, qui & Hermanubis vocatur. Credidit fortasse ab ἄνω, quod sursum notat, vocatum Anubin. Paulo post. Anubis igitur caninum caput habet, ut moneat, neminem, nisi sagacem, iter ad custodiam posse monstrare, nec iter hoc docere, nisi quod docet ipse prius norit. Demonstrat præterea eũ, qui docet animosum esse debere, & audacter latrare contra ignorantes. Canem autẽ symbolum doctoris esse, D non de vetusto tantum nomine, sed etiam ex Esaia dicas, apud quem dicit Dominus, c. 56. Speculatores ejus cœci omnes, nescierunt universi canes muti nõ valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia: & canes impudentissimi nescierunt saturitatẽ: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Hic videmus, populi sive Pastores, sive Doctores, sive Episcopos canes vocari: quoniam ipsorum sit tum scire & videre quid in omnibus fieri oporteat; tum sublata voce & magno animo docere veritatem, & lupos omnes à grege, quem custodiendum acceperunt arcere. Accusat ergo eos Deus, quod non solum non doceant & latrent contra ignorantes; sed ne ipsi quidẽ videant & sciant veritatem. Tum etiam tantum abesse, ut gregem pascentem contra lupos custodiant, ut ipsimet perpetuo prædis inhient, avaritia nunquam satianda. Non habere itaq; eos, quæ in bono cane laudanda sunt, sed ea, quæ in hoc animali sunt vituperanda, voracitatem, scilicet, impudentiam, & pro vigilia

alium

A altum soporem. Ex his itaque & Anubis interpretatione liquet, custodiæ doctoribus Anubin præsidere: cui si Hermæ nomen præponas, idem fuerit ac si diceretur, publicus monitor ad custodiam iter monstrans. Miror Pierium pro impudente hominem canino capite pinxisse; cum Anubis sic pingeretur pro eo, qui custodiam tutelamque homini demonstrat; tum quia canis custos, ut nomine suo scientiam indicat, tum quod contra veritatis & sapientiæ desertores non dentes modo: sed animum etiam & latratum habere oporteat. Præterea custodiæ doctorem sagacem decet esse, partim in rerum caussis inveniendis & explicandis, partim in discipulorum ingeniis agnoscendis atque tractandis: tum etiam vigilem, ne quis error, ne quod peccatum, ne qua fraus irrepat. Quamobrem in sacris Isidis Anubis præcedebat uti doctor & demonstrator tutelæ omnium, cujus ritus caussam nequicquam ab aliis interroges. Quod vero custodiam potissimum doceret, palmæ ramo & caduceo ostendebat, quorum hoc læva, illum dextra portabat; indicans se pacem demonstrare ac victoriam: pacem quidem cum Patre cœlesti, victoriam vero adversus Draconem & mortem; quibus rebus tota humani generis tutela continetur. Eo enim omnis religio, omnes ritus, omnes cæremoniæ spectant; ut discamus qua via, quo deprecatore, quo medio pax nobis cum æterno patre sit concilianda, & victoria
B adversus cacodæmonis, mundi & carnis insultus consequenda, quo ab interitu æterno custodiamur. Hæc Goropius. Quæ subjiciuntur eodem loco, ita videntur explicanda, nempe quod per Doctores ducamur ad Isidem, nempe Patris æterni sapientiam & veritatem, per quam (est enim via nostra) ad Patrem pervenimus. De his autem nonnulla in dictione *Sapientia æterna*. Libro autem decimosexto hieroglyphicorum idem Goropius vult Anubin fuisse Spiritus sancti ἐπιγλυφὴν: quod Spiritus Dei totam mundi machinam, & quicquid in ea continetur, in essentia & natura sua custodiat. Sed hic paucis majoreque cum observantia philosophandum esse censemus.

## DOCTI *Sapientes.*

NOnnullæ plantæ reperiuntur, quæ propter tenacem & copiosum adeo succum alimentarium, humidique proprii cum calore mistionem satis convenientem, diu integræ grato virore super-
C sunt, ac insuper à terra avulsæ, ac laquearibus ædium suspensæ, si modo nonnihil circa radices interdum humectentur, per annum & ulterius non solum virent ac crescunt, sed etiam flores producunt. Inter quas Aloë imprimis, itemque Sempervivum, ac Telephium quorundam, vulgo Crassula dicta, potissimum numerare licet. Ita viri docti & sapientes grato promptoque labore, sineque omni invidia suæ eruditionis, virtutis, ac prudentiæ monumenta libenter posteritati communicant ac consecrant, memores voti egregii apud Propertium,

*Attamen exiguo quodcunque è pectore rivi*
*Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ.*

Quare etiam recte in illis adhuc quasi vivere, & quamplurimis prodesse hoc pacto censentur, nec illorum præclara dicta ac facta ulla unquam abolere potest vetustas: ut recte Ovidius cecinit:

*Vivitur ingenio; cætera mortis erunt:*

Et alibi idem Propertius:
D

*At non ingenio quæsitum nomen ab ævo*
*Excidet: ingenio stat sine morte decus.*

## DOLOR.

IEremias cap. 31. v. 19. & Ezech. 31. 13. Eorum qui vehementer soliciti sunt ob aliquod patratum magnum scelus, aut ad triste nuncium graviter dolent, gestum exprimunt hieroglyphico hominis femur percutientis. Ejusdem meminit Plautus in Melite glorioso, Act. 2. scen. 2.

*----in femine habet lævam manum,*
*Dextera digitis rationem computat, feriens femur*
*Dexterum ita vehementer, quod facto opus est ægre suppetens.*

Et Ovidius Metamorph. lib. 11.

*Et conata femur mœrenti plangere dextra,*
*Robora percussit, &c.*

Quod Homerus pridem de Ulysse dixerat, Odyss. 13, v. 198. A

---- καὶ ὃ πεπλήγετο μηρώ, Id est,

*Et sua percussit fœmora.*

Flevisse etiam & manibus dejectis loquutum fuisse eodem loco refert.

## DOLOR *crescens.*

DE Crocodilo, terrestri simul animali & aquatili, alibi quædam dicta sunt. Qui vero accuratam illius historiam plene cognoscere cupit, legat Herodotum lib. 6. Aristotelem 9. hist. an. cap. 6 Diodorum Siculum lib. 1. Achill. Statium lib. 5. de Clitoph. & Leucipp. Heliodorum in Æth. Solinum cap. 35. Plinium lib. 8 cap. 25. & Ammianum Marcellin. lib. 22. Herodotus quidem ac Strabo urbis etiam Crocodilo polens meminere. Inter alias hæc Crocodilo esse proprietas fertur, ut quâdiu vivit, crescat. Vivit autem longiss. tempore, ut Plinius scribit, quamvis Plutarch. περὶ ἰνδ. κροκ. 60. annorum spatium non excedere eum asserat. Problema autem an semper crescat Crocodilus, & quæ sit ejus causa φυσικὴ, Magnus ille Scaliger in exerc. ad Cardan. enucleat. Ex eo sane Nobilis B vir, Bernard. Rota Neapolitan. dolorem ob amissam conjugem suum perinde crescere ac augeri, quamdiu vivat, hac Crocodili effigie exprimere voluit, teste Scipione Admirato in Dial. Italico Impressis. Quo referendi sunt Ovidii elegantiss. versus 2. Trist. 5.

*Mens tamen ægra manet, nec tempore robora sumit,*
*Affectusq; animi, qui fuit ante manet.*
*Quæq; mora spatioq; suo coitura putavi*
*Vulnera, non aliter, quam modo facta, dolent.*
*Scilicet exiguis prodest annosa vetustas,*
*Grandibus accedunt tempore damna malis.*

Præclare etiam Cicero disputat. 3. Tusc. ægritudinis ex vetustate levationem non in die esse positam, sed cogitationem diuturnam, nihil esse in re mali, mederi dolori. Hæc igitur ubi abest, frustra in tempore quæritur remedium. Sic Artemisia illa Mausoli Cariæ Regis uxor, quæ nobile illud Halicarnassi fecit sepulcrum, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemq; etiam confecta contabuit. C

*Noster sæpe dolor pariter cum tempore crescit,*
*Non secus ac Nili bellua vasta solet.*

## DOMUS *amica, & quidem Optima.*

EX Plutarchi libello περὶ φιλοσωματίας adducitur Adagium κοχλίου βίος: *Cochlea vita:* Domiporta enim hæc est, Ciceroni 2. de Divin. ut hallucinentur docti viri, qui quod à Cicerone de Cochlea dictum est. *Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam,* testudini tribuerunt. Testudinis enim sanguinem Plinius claritatem visus facere, suffusionesq; oculorum tollere asserit. Sed hoc nostrum hieroglyphicon de iis usurpabitur, qui vel à forensi luce remoti fugiunt omnem turbam ac tumultum, vel domi latitantes cavent sibi à periculis & injuriis, quibus expositi sunt, qui vivunt peregre. Celebratur enim illud: οἶκος φίλος, οἶκος πάτρα. Et Gajus IC. suam cuiq; domum tutissimum esse refugium & receptaculum dixit. Jucundum etiam est Claudiani Epigramma de sene Veronense, extra pomaria sui agelli nunquam egresso: & Ovidianam sententiam nemo nescit: *Bene qui latuit, bene vixit.* Bene qui latuit, nempe cum ratione & judicio. & ubi necessitas, forte etiam utilitas publica sic exigit. Nam & hac in parte τὸ μέτριον imprimis servandum. Inepti enim sunt, qui, ut Seneca ait, adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido esse quicquid in luce est. Inter se ista miscenda sunt, & quiescenti agendum, & agenti quiescendum est. Quidam aureum illud τὸ γνῶθι σεαυτὸν ascribunt: alii ex Persio, TECUM HABITA. Referenda item huc: quæ in laudem αὐτάρκειας alibi adducta sunt. Et simul Horatius in Epodis,

---- *fuge magna licet sub paupere tecto*
*Reges, & regum vita præcurrere amicos.*

Pulchrè etiam in hanc rem Turpilius, in Lindia:

*Profecto ut quisq; minimo contentus fuit,*

*ita for-*

A *Ita fortunatam vitam duxit maxime:*
*Ut Philosophi ajunt isti, Quidvis sat est.*

Et nos ex Neoterico addamus,

*Exemplo domiporta tibi sit cochlea, quisquis*
*Exoptas tuto consenuisse domi.*

## DONA *Dei aliis communicanda.*

NUbeculæ mites & irriguæ pluviam suavem ac utilem super prata virescentia ac florusculorum variorum amœnitate undiq; referta leniter effundentes, vivifico illo ac suavi humore intra terræ viscera attracto plurimum reficere & latiora reddere solent: absq; illis vero, siccitate & squalore plane exarescunt, Unde Propheta Jeremias, cap. 51. Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo. Similiter quoq; viri docti & prudentes multarum rerum peritia excellentes, dona sua à Deo ipsis concessa non invide occultant, sed divino imprimis auxilio adjuti de omnibus bene mereri, ac liberaliter Scriptis dictisq; suis egregiis universis prodesse student, diligenter operam dantes, ne secundum sanctum vatem Davidem sint tanquam γῆ ἄνυδρος, id est, terra sine aqua, aut (quemadmodum sanctus Judas Apostolus loquitur) nubes sine aquis, sibi tantum viventes sine ulla aliorum utilitate. Sic vir Dei sanctus Moses Deuteronomii trigesimosecundo optat ut concrescat in pluviam doctrina sua, ac fluat ut ros eloquium ipsius, quasi imber super herbam, & tanquam stilla super gramina.

## DONA *Dei.*

COmonefacit Timotheũ discipulũ S. Apost. 2. Tim. 1. 6. ut exsuscitet donum, quod accepit à Deo. Ἀναμιμνήσκω σε (inquit) ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοί, &c. Comonefacio te, ut exsuscites donum Dei, quod est in te, &c. Ἀναζωπυρεῖν significat ignem pene extinctum rursus excitare: & sæpe usurpatur pro, rursus accendere calorem in corpore pene extinctum. Est autem gratuitum Dei donum χάρισμα τοῦ Θεοῦ, viva quædam flamma in cordibus renatorum accensa, quam nituntur caro
C & Satan variis machinis suffocare. S. Apostolus igitur suum discipulum commonefacit, ut illam flammam magis ac magis foveat & exsuscitet. Nam ut flamma facile extinguitur, nisi flabello, impositis subinde lignis excitetur: Ita Dei & Spiritus S. dona in renatis paulatim dispereunt, nisi assidue excitentur: quod sit perpetua sinceræ doctrinæ auditione, lectione, meditatione, sancta invocatione, exercitiis pœnitentiæ, claritatis officiis, infirmitatum nostrarum consideratione, repugnando subitis affectum incendiis, sustinendo pericula & certamina in vocatione licita. In hujusmodi exercitiis excitatur Dei donum, crescunt gratiæ gratis datæ, spiritus imperium adversus carnem in dies apparet.

## DUX *viæ & vitæ.*

POmpilus piscis est pelagius, & circa naves frequens, quas & comitari eum, & in portum tuto deducere tradunt Oppianus, Athenæus, Ælianus, Ovidius & Plinius. De experientia autem ipsa attestatur Rondeletius. Hinc & κάλλιχθυς καὶ ἱερὸς ἰχθὺς dicitur, tanquam servator navigantium, ut apud Eustachium & Varinum in ἱερὸς legimus: Quod ubi minus secure naves agi in pelago animadvertat, prænatatione sua tutum iter demonstret, ut P. Bellonius tradit. Hinc & Neptuno & incolis Samo-
D traciæ sacratus est. Quod si nautæ huic suo duci magnam habent gratiam, & eum sanctè venerantur: quam gratiam referent memores discipuli fidis suis magistris, qui Ulyssis exemplo illorum aures adversum noxios Sirenum cantus obstruentes præter horrendos scopulos Scyllæ & Charybdis eos ad virtutis & sapientiæ portum salvos perducunt? Juvenalis quidem in hanc rem divinum votum est Sat. 7. & accurata Aristot. disputatio IX. Eth. 1. Graviss. etiam Artemidorus 2. Onirocrit. 74. dixit: Γονεῖς δὲ διδάσκαλοι. καὶ γὰρ οὗτοι ὅμοιοί εἰσι θεοῖς. οἱ μὲν, εἰσάγοντες εἰς τὸ ζῆν. οἱ δὲ, ὅπως χρὴ τῷ ζῆν χρῆσθαι διδάσκοντες. *Parentes & præceptores sunt diis similes. Alteri scilicet in vitam inducentes: alteri vero, quomodo vita instituenda sit, docentes.* Non minus recte usurpari etiam hoc hieroglyphicon poterit ab iis, qui inter varios hujus mundi casus, tanquam in Oceano quodam jactati, omnem spem suam in Deo collocant, eoq; duce & comite ex omnibus periculis emergunt. Igitur secundum Synesium in epist. θεὸς

ἡγεμὼν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ: Deus cujusvis & dicti & facti auspex esto. Quem sic alloquitur Boetius lib. 3. metropol. 9. A

*Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,*
*Principium, vector, dux, semita, terminus idem.*

Duce navis eat.

*Pompilus hic navim tuto prope littora ducit:*
*Unus sed mihi sit duxque comesque Deus.*

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

## *LIBER TERTIUS.* B

## EBRIETAS.

VErsatur in ore vulgi Sapientis Poëtæ dictum,

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Vino sobrie ac ἐπιτερπέως (ut loquitur Theognis) utendum esse monet ad virium debilitatarum recreationem & lætitiam, sed non ad ebrietatem, quod etiam ubiq; in sacris literis serio nobis proponitur ac explicatur. Unde D. Basilius, homil. de Ebrietate, hanc non immerito vocat ἀκρόπολιν seu arcem omnium flagitiorum. & Athenæus lib. 10. μητρόπολιν πάντων τῶν δεινῶν. Quod ut ubiq; hominibus inculcatur; ita certe deplorandum est, nihilominus hoc vitium maxime detestandum adhuc esse non solum nimis commune, sed apud multos ferme haberi virtutis loco, cui etiam præmia proponantur, ut olim à Mithridate factum accepimus, iis qui plurimum biberint. Hieroglyphicum exhibet in mensa tres calices, ultra quos sobrietas inebrietatem desinere videtur. De his dictum, C

*Sit tibi, ne noceat, vini moderatior usus:*
*Prima sitim, curas altera pocla levent.*

Et paulo fusius à quodam Epigramm.

*Tres vitis profert uvas, tria pocula mensa,*
*Si circumspicias, apposita esse vides.*
*Multa tribus vicibus docet hac pictura bibendum;*
*Scilicet ut sedeat pocula prima sitim:*
*Altera rancorem cruda de pectore pellant,* D
*Firma valetudo quo tua membra beet.*
*Tertia sed misce tibi pocula propter amicos,*
*Inter quos maneant gordia vincla decet.*

## ECCLESIA *Dei.*

HOrtatur Propheta pios, Psal. 122. ut quæ ad Ecclesiæ pacem pertinere videntur pro virili parte sincero cordis affectu procurare velint. Et si quis sanctæ Ecclesiæ Catholicæ membrum decorem domus Dei viventis non diligit. Hic autem mihi occurrit hieroglyphicon eximium Ecclesiæ ex Luna desumptum, quod in gratiam hujus Ecclesiæ filiorum explicare non gravabor, Theologorum vestigia sequutus:

1. Luna cum reliquis astris a summo illo mundi totius opifice per Verbum ἐμφύτου & ἐμψύχου condita

A condita est ac perpetuo conservatur: ita Ecclesiæ conditor, redemptor, & conservator est Deus Pater per Verbum & Spiritum sanctum.

2. Quarto demum creationis die, Luna plena, Soli opposita, creata est: ita Ecclesia, etsi statim ab Origine mundi cœpit, tamen quarto demum fere mundi millenario plenissima luce in toto terrarum orbe refulsit, quando nimirum Sol justitiæ Christus Deus homo, in his terris & ortus seu natus est ex Maria beata virgine, secundum carnem, & occidit vel occisus fuit, & quasi eclipsin passus est mortem pro genere humano subiens, deinde redivivus in cœlos sublatus, cœlestemque gloriam evectus est, apostolica denique atque universali illa Evangelii prædicatione, Spiritusque sancti effusione, plurimorum per totum mundum hominum mentibus affulsit.

3 Luna est una (Sicut & Sol unus est, & sosus in uundo) & radiiejus multi. Ecclesia etiam una est, quæ (ut scite D. Cyprianus ait) in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, non secus atque solis multi radii, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno plurimi rivi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, tamen unitas in origine servatur. Ecclesia vero est innumerabilibus, licet omnis gene-
B ris, nationis, sexus, ordinis, conditionis, ætatis, hominibus conflata, ac longe lateque per totum orbem terrarum diffusa sit, perque omnia sæcula extensa, tamen revera est una. Quid ita? Quia unius ac solius veri Dei, qui unus est essentia, trinus personis, cultrix est, atque veneratrix & unius patris cœlestis filia atque heres. Deinde quia unius Christi, à quo nomen, dignitatem salutemque suam omnem haurit, tanquam unius Regis est regnum, unius sacerdotis ac summi Pontificis sacerdotium, unius Domini serva, unius sponsi sponsa, unius magistri discipula, unius patroni cliens, unius fratris germana soror & coheres, unius tutoris pupilla, unius capitis corpus, unius pastoris grex & ovile, unius vitis palmes, unius architecti domus, unius lapis angularis ædificium, unius principis Palatium, unius sancti Spiritus templum: unius legis, Evangelii, doctrinæ, sacrificii, baptismi, populi Dominici, redemptionis, fidei, spei, charitatis & hereditatis æternæ consors ac socia. Vnum est illius cor cum Deo
C angelisque sanctis concordissimum, unus animus, una mens, una voluntas, unus sensus, unum studium, una dignitas.

4. Sicuti una Luna, ita etiam est universalis, quæ universo mundo, non uni tantum genti lucet:
C Ecclesia est Catholica, non uni loco & genti alligata, certorumq; locorum quasi terminis circumscripta ac definita; sed longe lateq; per totum terrarum orbem diffusa.

5. Luna cœlo in quo volvitur, ita firmiter affixa inhæret, ut ab eo minime avelli & abstrahi possit. Ecclesia, etiam in his terris adhuc militans, est cœlestis, cœlo orta, inde pendet, illuc aspirat, contendit, ac tandem pervenit, unde nulla vi avelli unquam potest. Ut igitur ridiculum est, inquit D. Ambrosius, quod nonnulli existimant Lunam cœlo magicis carminibus posse deduci: sic Ecclesia non potest de loco ac statione sua (cum super Christum fundata sit) deduci, dejici ac deturbari. Multi quidem Ecclesiam tentant, sed ei sagæ artis carmina nocere non possunt. Nihil incantatores valent, ubi Christi canticum quotidie decantatur. Galli proverbio dicunt, Deum conservare Lunam à lupis: sed multo magis cœlestem hanc suam Lunam, nempe Ecclesiam, à luporum rapacissimorum, diabolo-
D rum & impiorum hominum injuriis atq; insidiis Deus perpetuo tuetur ac protegit.

6. Sol & Luna perpetuo fœdere sunt conjuncti (unde D. Ambrosius Solem eleganter Lunæ fratrem & consortem appellat.) Inter Christum & Ecclesiam arctissimum, perpetuum ac indissolubile
D fœdus est societatis æternum duraturæ pactum. Quamobrem sanctis persuasum penitus exploratumq; habent, secundum promissionem divinam Davidi factam, fœdus hoc sacrosanctum ac inviolabile permansurum, quamdiu Sol & Luna durabunt: qua quidem promissione tutissime niti atq; confidere possunt. Quemadmodum igitur omnes vel potentissimi populi atq; reges mundi virium suarum opumq; omnium contentione nequaquam possent Lunam è cœlo detrahere, vel à Sole avellere: multo minus Ecclesiam a Sole justitiæ Christo abstrahere illamq; opprimere unquam poterunt. Ut igitur nunquam vel Sol est sine Luna, vel Luna sine Sole, ita nunquam vel Christus sine Ecclesia, vel Ecclesia sine Christo esse potest.

7. Corpus Lunæ sua natura Lucis expers opacum & obscurum, omne suum lumẽ (ut Astronomi

sentiunt) à Sole haurit. unde Solis filia Poetis dicitur: sic Ecclesia tenebris ignorantiæ in mundo circumfusa, à solo illo justitiæ Sole, fonte luminis æterni, sponsoq; suo omne scientiæ atq; virtutis lumen mutuatur. Unde D. Ambrosius: Hæc est (inquit) vera Luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi mutuatur immortalitatis & gratiæ. Fulget enim Ecclesia, non suo, sed Christi lumine & splendore, quem sibi ita accersit, ut dicat: Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus. A

8. Quemadmodum autem Luna à Sole quotidiani vices habet luminis, ita militans Ecclesia vitæ æternæ initiis & progressibus, nec non Spiritus sancti fruitur primordiis, alias magis, alia minus Dei agnitione & timore illustrata.

9. *Fraternis Luna & radiis adversa refulgens,* *Sic Christi oppositos spectans Ecclesia vultus,*
*Pleno coruscat lumine:* *Splendore luces integro.*

10. D. Augustinus in Psal. 10: Duas Astronomorum sententias recenset: unam eorum, qui Lunam propria luce destitutam omne suum lumen volunt à sole accipere. Alteram eorum, qui lunam volunt suum habere lumen, & globum ejus dimidium lucere, dimidium esse obscurum. Eo sensu Lunæ potest Ecclesia comparari, quod ex parte quidem Spirituali lucet, ex parte autem carnali est obscura, & quod aliquando pars spiritualis apparet hominibus, aliquando autem in conscientia latet, & Deo tantummodo nota est, quum solo corpore hominibus appareat. & quum oramus corde, quasi nihil agere videmur, dum non ad terram, sed sursum cor habere jubemur ad Dominum. Hæc ille. B

11. *Luna, velut fratri propius conjuncta, periisse* *Sic periisse pii vulgo quimorte videntur,*
*Stultis videtur funditus;* *Absit periisse dixeri.*
*Quæ tamen admoti spectat qua lumina Solis* *Ipso qui potius Christo qui propiore potiti*
*Longe refulget clarior:* *Quod quæsierunt obtinent.*

12. Luna quantumvis valde lucida, tamen Solis comparatione & respectu obscura est ac tenebricosa. Ecclesia, licet sit valde luminosa & illustris, tamen Soli illi justitiæ à quo omne suum lumen habet, si conferatur, magna est ejus obscuritas.

13. A Sole accensa Luna lumen, quod accessu suo & recessu mutuatur à Sole, demittit interras: & Ecclesia cœleste illud suum ac spirituale gratiæ, scientiæ, bonorum operum lumen & radios pro charitate sua cunctis hominibus liberalissime communicat. C

14. Sicut Luna, quemadmodum & Stellarum fixarum atque errantium chorus, nocte lucet (nam ut Soli diei, ita Lunæ noctis dominium à Deo fuit assignatum unde illam Varro vult esse dictam, quod sola nocte luceat. & à Græcis poetis νυκτιφολὸς & νυκτίφοιτις, à Latinis nocturna, noctiluca, noctivagua, à Plinio eleganter molle nocturnumque sydus tenebrarumque nocturnarum remedium, à Tertulliano noctis solatium, à Statio noctis moderatrix appellata fuit: etiam Ecclesia peregrinans ac militans, in hoc mundo. & sub cruce, tanquam in umbra mortis & obscura nocte clarissime resplendet & refulget ad piorum solatium atque remedium donec dies ille perpetuus & æternus secundo Solis justitiæ adventu illuxerit. Unde Origenes homil. 1. in Genesin: Christus (inquit) est lux mundi, qui & Ecclesiam illuminat sua luce. Sicut enim Luna de Sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam nox possit illuminari; ita & Ecclesia suscepto lumine Christi, illuminat omnes, qui in ignorantiæ nocte versantur. Item: Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ex cujus lumine illuminata Ecclesia, etiam ipsa lux mundi efficitur, illuminans eos, qui sunt in tenebris, sicut & ipse contestatur, dicens: Vos estis lux mundi. Et Paulus Philip. 2. Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. D

15. Luna suas habet maculas, quas Plinius nihil aliud quam ruptas terræ cum humore sordes esse dicit. Ecclesia quamdiu in hoc mundo exulat, suas habet maculas, nævos, atque labes publicas & privatas, quas Sol justitiæ suo lumine, id est, suo numine sanctoque Spiritu paulatim abstergit, in altero demum sæculo perfecte abstersurus. Quod vero S. Apostolus Ecclesiam dicit esse sine ruga & macula, id & comparatione sine respectu mundi hujus immundi dicitur, atque de imputatione justitiæ Christi, de vitæ justitiæque novæ ac inchoatæ studio in hoc mundo, denique de spe cœlestis illius sanctitatis & perfectæ instaurationis ad Dei imaginem intelligendum esse videtur.

16. Valde

A 16. Valde varia est Luna atque mutabilis, (unde etiam Ecclesiastic. 27. 12. stultus Lunæ comparatur) modo crescit, & plena luce fulget, modo decrescit, senescit, silet, prout Soli vel conjungitur, vel opponitur. Hinc variæ sunt ejus facies & formæ, diversa item nomina synodica, silens, corniculata, crescens, media, plena, &c. Ita quoque in hoc mundo Ecclesiæ status instabilis, varius, inconstans, perpetuisque mutationibus obnoxius. Nam modo crescit, augetur & amplificatur, & tunc similis est Lunæ crescenti: modo decrescit, & diminuitur, & tunc similis est Lunæ decrescenti & senescenti. Modo est ἐν τῇ ἀκμῇ, hoc est, florentissima, & tunc παντελῶς id est, plenilunio, comparatur. Nodo denique valde obscuratur, ita ut videatur plane interiisse, & tunc est veluti Luna silens vel deficiens. Unde D. Ambrosius Ecclesia, inquit, sicut Luna defectum habet, & ortus frequentes, sed defectibus suis crevit, & his meruit amplius, dum persecutionibus minuitur, & confessionum martyris coronatur.

17. Solis annos cursus Luna spatiis menstruis constanter consequitur, & iisdem perpetuo cum Sole spatiis; vagatur, quasi comes ejus fida atque perpetua: ita Ecclesia Christum solem sponsumque suum charissimum constanter comitari, consectari, imitari, seque totam ad nutum illius ductumque
B componere, & accommodare solet.

18. Motus Lunæ mutabiles quidem & varii sunt, sed tamen rati, fixi, constantes. Ecclesia sua habet in hoc mundo periodos, motus, cursus, varios quidem & mutabiles, sed firmos & constantes: quales nimirum ipse Deus ab æterno præfinivit & ordinavit.

19. In orbe suo, cui adfixa est Luna perpetuo volvitur, & orbitam sibi à Deo præscriptam ac definitam nunquam deserit, & ne latum quidem unguem ab illa deflectit. Sic Ecclesia à verbi Dei præscripto ne vel tantillum declinet, summopere cavet.

20. *Lunam interveniens ceu terræ corpus opacum*
*Atra inficit caligine:*
*Sic interveniens hominum sapientia, purum*
*Ecclesiæ infuscat jubar.*

12. Luna à Sole illuminata graviditatem partumque adfert: & Ecclesia Solis illius cœlestis atque
C Spiritus sancti radiis accensa se suosque filios fructibus justitiæ gravidos plenosque reddit.

22. Vario suo motu, ortu, obitu, accessu, ad Solem & recessu Luna quosuis corporum humanorum, animantium, plantarum humores nec non marium æstus, fluxus & refluxus, varie movendi, augendi, minuendi, concitandi, sedandi, maximam vim obtinet. Sic Ecclesiæ, verbi & Sacramentorum administratione hominum mores & affectus varie commovet, huc vel illuc flectit, modo concitat, modo sedat, & tranquillat. 23. Plinius lib. 2. cap. 8. Omnia maria, inquit, plenilunio purgantur. Et tumidum vastumque mundi pelagus Lunæ mysticæ, seu Ecclesiæ, pleno lumine, quod est verbum Dei, optime purgari potest.

23. Omnium stellarum errantium Luna est humillima, novissima, infima, terræque proxima: sic regni Christi, hoc est, Ecclesiæ, præ cæteris mundi hujus regnis & imperiis maxima est in terris humilitas, vilis & multum abjecta conditio.

24. Actionum & quorumvis operum, præsertim rusticorum, Luna est moderatrix optima; ita ut alia quidem Luna crescente, alia senescente, alia plenilunio, alia interlunio commode fiant, de quibus vide Plinium libro 18. capit. 31. 32. & rerum rusticarum scriptores. Formica quoque, ut notat
D Plinius libro decimooctavo, capite vigesimo nono, animalculum vel insectum, interlunio quiescit, plenilunio etiam noctibus operatur. Eodem modo Ecclesia humanarum actionum optima certissimaque rectrix atque gubernatrix censeri debet, nempe propter sacrum divini & sacramentorum ministerium illi commissum, ad quod tanquam regulam & normam rectissimam illæ dirigi debent. Et ut alia opera novæ Lunæ, alia senescenti conveniunt; ita aliæ ceremoniæ, alii ritus, antiquæ illi, quæ Christi in carne adventum præcessit, alii novæ, quæ post illius in cœlos ascensum extitit, congrui sunt & consentanei.

25. Neomeniæ, id est, Novæ Lunæ, seu Novilunii festivitas olim Judæi secundum Dei legem sacra fuit, quando Luna innovari incipit, & Soli proxima est penitusque conjuncta. Sic, ut D. Augustini

gustini verbis utar, quando Soli justitiæ Christo Ecclesia, quæ lumine ejus repletur, juncta fuerit, & A
penitus ei adhæserit, ita ut secundum Apostolum, qui adhæret Domino, unus cum eo fiat Spiritus,
tunc festivitatem aget Neomeniæ. Nova enim efficietur, quum abjecerit veterem hominem, & in-
duerit novum, qui secundum Deum creatus est, atque ita merito innovatione solennitatem, quæ est
Neomeniæ festivitas, gerit. Tunc denique est, quando neque videri, neque comprehendi potest hu-
manis aspectibus. Anima enim quum tota se sociaverit Domino, & splendori lucis ejus tota confes-
serit, nihilque omnino terrenum cogitat, nihil mundanum requirit, nec hominibus placere studet,
sed totam se sapientiæ, totam lumini, totam calori sancti Spiritus mancipaverit, subtilis & spiritualis
effecta, quomodo cerni ab hominibus, aut ab humanis potest affectibus comprehendi? Animalis
enim homo intelligere & discernere non potest spiritalem, & ideo dignissime diem festum aget, &
hostiam Neomeniæ Domino, utpote per ipsum innovatam, jugulabit.

## ECCLESIA *Dei.*

QUia inter germina excellit vitis, est quædam singularis analogia seu similitudo spectanda inter
vineam & Ecclesiam, ut quæ naturam & conditionem Ecclesiæ nobis propius aliquanto de- B
pingit. Semel consideremus etiam hujus similitudinis partes in scriptum potissimum expressas.

1. Stirpes vulgo nascuntur multæ in Sylvis, montibus, campis, & aliis locis publicis, quæ certum
possessorem aut Dominum non habent. Vinea vero quemadmodum & horti, non est nisi certi alicu-
jus Domini. Sic Ecclesia est populus à Deo adoptatus atque redemptus maximo pretio, hoc est, san-
guine filii Dei unigeniti, ut sit ipsius domus, hortus & vinea propria: non sit sicut aliæ gentes in mun-
do, quæ sunt absque Christo, alieni à Republica Israelis, extranei à pactis promissionis spem non ha-
bentes & Dei expertes. Ephes. 2. Sola Ecclesia adorat quod scit, aliæ gentes adorant quod nesciunt,
Joan. 4.

2. Vites in vineis, non ut aliæ stirpes, sua sponte proveniunt, sed oportet eas studio & labore plan-
tari singulas. Sic non fiunt homines Ecclesiæ membra, nisi à Deo illiinserantur, per verbum & Spiri-
tum Dei regenerati, ut dictum est, Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex volun-
tate viri, sed ex Deo nati sunt. Ioan. 1. Item, Omnis planta quam non plantaverit, pater ille meus cœ-
lestis, eradicabitur. Matth. 15. Et tamen ad hanc plantationem vineæ suæ, hoc est, conversionem ho- C
minum ad se utitur Deus ministerio Ecclesiastico: unde dictum est, Isai. 51. Posui verba mea in ore
tuo ad plantandum cœlis. Et 1. Cor. 3. Ego plantavi, Apollo rigavit, &c.

3. Vinea, postquam plantata est, præ aliis fundis requirit diligentem, laboriosam & assiduam cul-
turam, si debeat afferre fructum. Sic & Ecclesiam non satis semel colligi, sed oportet excoli, & exco-
litur à Deo assidue, variis operis, hoc est, mediis & adminiculis ad veram pietatem in ea conservan-
dam: indiget assidua doctrina, admonitione, hortatione, correctione, consolatione verbi Dei: dili-
genti inspectione totius corporis & singulorum ejus membrorum: indiget præterea scholis & studiis,
indiget hospitiis & magistratibus, qui disciplinam & ordinem politicum tueantur, &c. Indiget etiam
castigationibus divinis, & crucis exercitiis. Sine his quippe facile sylvescit & degenerat, ut ad frugem
non perveniat. Ideo tam multis ornamentis & beneficiis spiritualibus & corporalibus, Eccl siasticis
ac politicis, excultus à Deo fuit populus Israeliticus. Sicut enim plantationem, sic & culturam Eccle-
siæ Deus perficit, opera ministerii & aliorum instrumentorum, quibus utitur, ad salutem nostram D
perficiendam: ut dictum est, 1. Cor. 3. Dei cooperarii sumus, Dei agricultura estis, &c.

4. Requirit præcipue vinea solum, cœlum & tempestates commodas: sine his enim experimur ni-
mis sæpe aut nullos aut non bonos fructus eam edere: sic Ecclesia sine Spiritu S. emolliente & fœcun-
dante corda nullos adfert fructus Deo gratos. Deus est, teste Apostolo, 1. Cor. 3. qui dat incremen-
tum, plantans & rigans nihil est sine illo.

5. Vinea potissimum est obnoxia injuriis & insidiis bestiarum & furum: ideo requirit diligentem
custodiam. Sic Ecclesiæ multa sunt pericula à diabolo, à tyrannis, ab hæreticis, ab impiorum malis
exemplis & illecebris mundi. Itaque indiget perpetua Dei, & piorum ministrorum & magistratuum
custodia & vigilantia, ne qua in eam irruptio & ejus vastatio fiat.

6. Vineam oportet esse non confusam & perplexam instar Sylvæ, sed bene ordinatam & dispos-
am, un di-

A tum, undique perspicuam & perviam. Sic in Ecclesia Deus vult esse disciplinam & ordinem, non autem dissolutionem & confusionem: Sicut dicitur 1. Corinth. 14. Omnia decenter fiant & ordine. Non enim est seditionis auctor Deus, sed pacis, ut in omnibus Ecclesiis sanctorum. Itaque aliæ gentes & sectæ, in quibus idololatria, impietas & omne genus flagitiorum, licet ac regnat, collatæ ad Ecclesiam, sunt veluti densæ & asperæ sylvæ, dumeta, senticeta, & feratum lustra, collata ad hortum seu vineam pulchre ordinatam.

7. Lignum vitis est admodum infirmum, humile & vile, ac nisi uvas gignat nullum habet usum nisi cõbustionis: cum alia ligna, præsertim Sylvestria, sint firma, procera, pulchra, ad ædificia & alios usus hominum idonea. Sic Ecclesia est infirma, vilis & contemptibilis in mundo, cum impii potentia & opibus, & gloria mundana floreant. Hanc collationem facit Deus, Ezech. 15. sic loquens de suo populo: Quid est lignum vitis præ omni arbore ramosa, quæ est inter arbores sylvæ? Assumatur ex eo lignum ad formandum opus: An sument ex eo vel paxillum è quo suspendatur ullum vas? Ecce in ignem conjicitur ad consumptionem.

B 8. Vtcumque autem sit vitis lignum vile, tamen gignit præstantissimum & suavissimum fructũ, cum aliæ arbores sylvestres proceræ & validæ, aut sint infrugiferæ, aut fructus earum nihil sint collati ad fructum vitis. Sic Ecclesia producit fructus pulcherrimos & suavissimos Deo & hominibus, officia nimirum dilectionis & pietatis erga Deum & proximos, & erga omnes; sacrificia laudis, veram invocationem & celebrationem Dei, qui fructus non interit, sed in vita æterna demum perficitur. Contra vero impii nullos bonos fructus Deo ad vitam, sed duntaxat diabolo & carni ad mortem proferunt, Rom. 7. Quem fructum habebatis ex iis, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati à peccato, mancipati autem Deo habetis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem vitam æternam. Item mortificati estis legi in corpore Christi ut fructum feramus Deo. Quum enim essemus in carne, affectiones peccatorum vigebant in membris nostris ad fructum ferendum morti.

9. Ideo sicut inter fundos preciosissima & charissima possessio est vinea: sic Deo charissima & in conspectu ejus preciosissima est Ecclesia: non sua dignitate & merito, sed Dei gratuita misericordia,
C qui ex hoc vilissimo, & perse inutili ligno, suavissimum suæ laudis fructum vult educere. Ideo ab Isaia cap. 5. vocatur planta deliciarum Iehovæ.

10. Sicut in vinea sunt vites & palmites, ac nisi palmites in vite maneant, non possunt fructum afferre: Sic in Ecclesia est unica vitis per totam vineam Domini extensa, cujus palmites sunt omnes fideles ab initio mundi usque ad finem: & nisi maneant insiti huic viti, fructum non ferunt, sed exarescunt, Ioan. 15. Ego sum vitis vera, vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, id est, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis, &c.

11. Sicut in vinea palmites alii sunt vegetes & fructiferi qui excoluntur & foventur: alii sunt steriles & superflui, qui vel alias, vel in pampinatione defringuntur & abjiciuntur, ne fructum aliorum palmitum impediant: sic in Ecclesia sunt alii electi & vere sancti, & Christo vere per fidem & Spiritum ipsius insiti, ex ipso vitam & vigorem haurientes, quo fructum Deo placentem producunt: hos Deus fovet & servat, & magis ac magis erigit & confirmat ad vitam æternam. Alii vero sunt hypocritæ, qui ligno & foliis quidem luxuriant, id est, speciem filiorum Dei præ se ferunt, & eorum no-
D mine gloriantur, sed fructus pietatis veros non afferunt. Hos tandem Deus tollit ex Ecclesia, & in ignem æternum abjicit, Ioan. 15. Pater meus est agricola: omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit: & omnẽ qui fert fructum purgat, ut plus fructus adferat. Item, Nisi quis in me manserit, ejectus extra vineam statim ut palmes arescet. Deinde coguntur isti palmites, & in ignẽ abjiciuntur.

## ECCLESIA *Christi Catholica. Membra vera Ecclesiæ.*

1. IUdæa inclita est vel magis palmis, teste Plinio, lib. 13. cap. 4. Sed Ecclesia Catholica amœnissimum Iesu Christi Palmetum est, quod passim in orbe terrarum plantatum est illius manu.

2. Palma, Hebræis Thamar, Græcis φοῖνιξ, salsum solum diligit: ergo ubi non est tale, sálem aspergunt, non radicibus, sed paulo largius amandando: ut ex Theophrasto annotavit Ruellius de Natura Stirpium, lib. 1. cap. 108. Homo autem justus, Sapientiæ sale respersus, dictis & factis id profitetur

quod sibi hæc dicta voluit: nam omnis homo igne salietur, & omnis oblatio sale salietur. Bonus est A
sal: si vero sal insulsus fuerit, quonam ipsum condietis: Habete in vobis ipsis salem: & pacem habete inter vos mutuo. Marc. 9. 49. 50. Item, Col. 4. 6. Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

3. A simo Palmam magnopere abhorrere quidam perhibent. Spiritualis Palma, videlicet sancta Ecclesia, peccatorum sordibus, ceu teterrimo simo, gravissimè offenditur. Novit enim sibi præceptum, Purgemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem cum timore Dei, 2. Corinth. 7. 1. Item, Apocal. 22. 11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.

4. Comam palma habet in Cacumine circumtensam, ramos in digitorum morem protensos: ac ejus fructus, quòd digitis similes sint, palmulæ, dactyli dicuntur. Homo justus puras supplicesque palmas ad Deum tendens, preces per fidem concipit, & in Spiritu ac veritate Deum patrem adorat, non ignarus sententiæ distichi Gregorii Nazianzeni,

*Non opus est manuum melius quàm tendere cœlo* B
*Castas & toto jungere corde preces.*

Seu, eas legibus divinis præstandis prompte & dextre adhibere.

5. Ex urbano genere (ait Ruellius, veterum physiologorum sententias repetens) perpetua fronde pubent Olea, Palma, Laurus, Myrtus, &c. Idem & de justis hominibus, qui constanti honore virent, dicitur, ut testantur hæc dicta: Ego tamen ero sicut olea viridis in domo Dei: spero in bonitate Dei in sæculum & perpetuo, Psal. 52. 8. Justus ut Palma germinabit, Item: etiam germinabunt in senectute, pingues & vitides erunt, Psal. 92. 12. 14. Ponam in deserto Cedrum, lectissimam Cedrum, Myrtúque & arborem Oleosam, &c. Isai. 41. 19. Sic autem allegorice nominat præstantissimos quosque in Ecclesia homines. Pro spina alba ascendet Abies, & pro urtica ascendet Myrtus, Isai. 55. 13. hoc est, noxiis & improbis hominibus divinitus extirpatis & submotis, substituentur salutaria & utilia Ecclesiæ organa, ad Iehovæ laudem, & æternum beneficentiæ ejus signum ac monumentum.

6. Palma gaudet riguis, totoq; anno bibere quum amet, anno sitienti squalidoq; lætior est. Justus gaudet ea rigatione de qua dicitur, Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum, 1. C
Corinth. 3. 6. Item, Isai. 58. 11. Deducet te Iehova semper & saturabit in siccitatibus animam tuam ossaque tua impinguabit: & eris velut hortus irriguus, ac veluti scaturigo aquarum, cujus aquæ non deficiunt. Idem in medio afflictionum æstu spe gaudet, & gloriatur in oppressionibus, Rom. 5. 3. ac cum Apostolo, 2. Corinth. 4. 89. ait, In omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus. Persecutionem patimur, sed in ea non deserimur: dejicimur; at non perimus.

7. Folia fructum, germina prope modum cacumine gestat Palma: quippe cum vis tota genitalis in ejus vertice resideat: quare decacuminata moritur, nec (tanquam esset adusta) germinat. Pius in Christo Iesu, Capite suo, summum decus obtinet, & fructus bonorum operum profert: sine Christo nihil potest facere. Ioan. 15. 2. Bene autem habet, quod unum cum Christo Iesu factus nunquam ab eodem sejungi potest. Rom. 8. 38. 39.

8. Ut autem, Aristotele & Theophrasto attestantibus, Palma victoriæ Symbolum est, nec cedit oneri, quamlibet ingenti, nec intra se cedit, sed contra pondus resurgit: ideoque fere in coronariis certaminibus aliud præmium quam palma non dabatur. Sic de justis dicitur, Quicquid natum est D
ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vicit mundum, nempe fides nostra, 1. Iohan. 5. 4.

*Pressa sub ingenti ceu pondere Palma viresçit,*
*Sub cruce sic florent dedita corda Deo.*

9. Palmæ translatu gaudent, quanquam in Græcia loci mutatione sterilescant. Justi lætantur, se translatos esse ex morte ad vitam, 1. Iohan. 3. 14. Numquam, nusquam gentium, fiunt infrugiferi; quia Christi consortes facti, à Spiritu ejus reguntur & ad omne opus bonum instructi fiunt.

## ECCLESIÆ *Cives.*

HIacynthos Æthiopia mittit & Chrysolytos aureo colore translucentes, qui sunt in sereno perspicui, in nubilo obscuri. Ecclesiæ civibus diversum quiddam præstat Dei benignitas, ut nimirum

A nimirum etiam tempore nubilo niteſcant, & per ærumnas decus ſuum proferant, glorienturque ſub ſpe gloriæ Dei, & in medio pravæ nationis ſplendeant ut luminaria in mundo.

## ECCLESIÆ *Dotes.*

AMethiſtus purpurei eſt coloris, mixto colore roſæ & violæ, ut ait Hieronymus. Eccleſia non eſt ebria opinionibus humanis voluptatibusque, ſed tenax ſanæ doctrinæ, ſobria, temperans, ac ſanctimoniæ documentorum decora cum ſpirituali fragrantia conjungit.

## ECCLESIÆ *Dei gloria.*

VTeximſas & pretioſas eſſe debere dotes pectoris ejus qui legali ſacerdotio legislator Deus oſtenderet, in pectorali Aronis extare & conſpici voluit duodecim pretioſos lapides, Pyropum videlicet, Topazium, Smaragdum, Chryſopraſum, Sapphirum, Adamantem, Cyanum, Achaten, Amethyſtum, Berillum, Thalaſſium, Sardium, Iaſpidem, Exod. 39. Sacerdos legalis typus fuit æterni Sacerdotis Chriſti. De Eccleſiæ militantis gloria ait Deus per Prophetam. O afflicta, procellis agitata, conſolatione deſtituta, ecce ego collocaturus ſum cum ornamento lapides tuos & fundaturus te Sapphiris. Diſponam Pyropo ſpecularia tua, & portas tuas lapidibus carbunculi: deniq; totum terminum tuum lapidibus delectantibus. Et erunt omnes filii tui edocti à Domino, amplaq; pax filiorum tuorum, Eſai. 54. Scientia vero & conſcientia bona in Chriſto acquieſcens. Deinde ſancte Deo inſerviens, per pretioſiſſimum ædificium delineatur. Sed de triumphante in cœlis Eccleſia, quę libera plane eſt, & Ieroſolyma cœleſtis nominatur, magnus Theologus dicit, Apocal. 21. Erat autem ſtructura muri ejus ex Jaſpide, &c. Vide etiam cap. 22.

## ECCLESIA *militans.*

1. BAlſamum, inquit Dioſcorides, arbuſcula magnitudine violæ albæ, aut pyxacanthæ conſpicitur, folia habens ſimilia rutæ, multo tamen albidiora, & magis ſemper virentia. Eccleſia in his terris ſpecie humili & depreſſa eſt: ſed tamen luce Dei plena, caſtimoniæque amantiſſima, quibus nominibus longe præcellit acuentes lumine rutas carnisque impuras flammas reſtinguentes. Commendat autem eandem & niveus ille piorum candor, & ſemper virens ſanctificationis decus.

2. Omnibus (ait Plinius) odoribus præfertur Balſamum, vni terræ Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, Dioſcorides etiam in Ægypto naſci adfirmat. Militans in his terris Eccleſia, hoc quidem tempore, in Germaniæ, Bohemiæ, Poloniæ, Hungariæ, quibuſdam partibus, in quibus circa perſecutionis æſtum, Chriſtum crucifixum, una cum Anglicis, Scotis, Danicis, Helueticis Eccleſiis profitetur, tanquam in pacata Iudæa; eadem, in regno Galliæ & in Belgio, inter media arma; velut in Ægypto, naſcitur & ſuccreſcit, tanquam inter ſpinas lilium. Emicat autem ἀλήθεια & ſinceritatis doctrinæ cœleſtis decus in iis maxime Eccleſiis, quæ perſecutionis æſtum & pondus ſuſtinent.

3. Xylobalſamum vocant Græci fruticem, ſarmenta, ſurculos. Conſtat Paulum Apoſtolum Chriſti appellatione collective quandoque ſumpta, & Chriſtum, qui vitis, qui κλῆμα eſt, & nos, qui ſurculi inſitiii ſumus, deſignare. Sumus igitur & nos, qui de plenitudine ejus omnes accepimus, balſami ſurculi. Noſtrum itaque fuerit in eo manere, vivere, fructus ferre.

D 4. Carpobalſamum iidem vocant fructum Balſami. Eccleſia fructus Spiritus fert charitatem, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, fidem, manſuetudinem, temperantiam.

5. Opobalſamum, Balſamelæon, Balſaminum, ſuccum illum oleo ſimilem vocant, qui ex imis Balſami fruticis partibus ſcarificatis profluit: ut poſt Aëtium cæteroſque docuit Ruellius. Diverſum quiddam Eccleſiæ accidit, atque frutici Balſami. Nam illa è ſupernis à Chriſto capite, in quo omnis boni plenitudo eſt, tanquam è fonte inexhauſto, Balſamelæon Spiritus ſancti gratis accipit & eodē recreatur & vivificatur.

6. Xylobalſamum, ait Dioſcorides, probatur, ſi recens & tenuibus ſarmentis præditum, & fulvū ac odoratum, ut parum Opobalſami odorē ſpiret. In Eccleſia nova Creatio & regeneratio viget, eadē contenta eſt initiis gloriæ divinæ ac dum utitur fideli eorum miniſterio qui Chriſti bona fragrantia

sunt, fruitur victimæ Christi ἐυωδίᾳ omnium fragrantissimâ & efficacissima, ad recreandum, & refo- A
cillandum novum hominem.

7. De Carpobalsamo scribit Dioscorides, perneccessarium ejus usum esse: eligendum vero fla-
vum, plenum, magnum, gravem, in gustu mordentem, fervorem inducentem, & moderate Opobal-
samum spirantem. Ecclesiæ maxime prosunt ea dona Spiritus sancti, quæ carni quidem mortifi-
candæ, Spiritui autem vivificando, zelo cum scientia conjuncto excitando, conducunt, & Spiritus
sancti unctionem maxime redolent.

8. Opobalsamum in caniculæ ardoribus excipitur, ferreis unguibus arbuscula incisa, ut ait Dio-
scorides. Sed Plinius econtra, Inciditur, ait, vitro, lapide, osseisve cultellis, ferro lædi vitalia odit. In-
cidentis manus libratur artifici temperamento, qui ultra corticem violet. Ecclesia, ut vivum & ef-
ficacem Dei sermonem penetrantiorem esse quovis gladio anceps, ac pertingere usque ad divisio-
nem animæ simul ac spiritus, vitalia tamen non lædere; si malas cogitationes, concupiscentias & o-
pera carnis præscindi experitur: & quidem in ipsis tentationum ardoribus lacrymas per fidem fun-
dit, quarum magnum est precium apud Deum, usus magnus. B

9. Præcipua, inquit Plinius, gratia lacrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. In Ec-
clesia discrimina sunt donorum, sed idem Spiritus: discrimina ministeriorum, sed idem Dominus: &
discrimina facultatum, sed idem Deus.

10. Balsaminum variis modis vitiari docent Physici. Sed militans Ecclesia à Christo ita regitur,
ut Spiritus sancti ductum sequens, sinceritatem suam incorruptam retineat, in doctrina fidei, cha-
ritatis, spei; in liturgia divinitus præscripta, in pietatis studio, in exercitationibus dëiq; corporalibus.

11. Summa Balsamelæi probatio est, teste Plinio, ut lac coagulet, & in veste maculas non faciat.
Ideo mirum non debet videri, quod ea Sacerdotis summi vestem respersam legimus. Ecclesiam a-
spersio sanguinis Christi, qui illi Balsamelæi loco est, non contaminat, sed ab inquinamentis peccati
emundat.

12. Commemorabile autem est quod ait Plinius, Sæviere in eandem Iudæi, sicut in vitam quoq;
suam. Contra defendêre Romani, & dimicâtum pro frutice est. Quoties autem factum est, ut quum
Pseudochristiani Ecclesiæ arma intulissent. Turcæ aliud spectantes, id ipsum armis correptis sed- C
arent? Annon etiam hac ætate, impiorum λυκοφιλίαι, æmulationes, iræ, digladiationes, Syncretismi, e-
orundem διαμαχασμοὶ Ecclesiis Dei & quibusdam earum filiis nutritiis, respirandi, animum & vires
colligendi ansam præbuerunt?

13. Scribit Theophrastus, colligi lacrymam, & in caudice & in parte superna, subsidere quùm æ-
stus maxime angit: id fieri æstate tota: sed quod manat non esse multum; vix enim toto die concham
posse impleri. In Ecclesia militante summi & infimi ordinis homines, in oppressionibus, quando
eæ maxime fervent, fundunt fragrantes ad Deum preces & gratiarum actiones & confessiones, qui-
bus Deo debita gloria tribuitur.

14. Negat Theophrastus sincerum Balsaminum exportari & Græciæ vendi: & hodie Turcis tri-
buitur, quod illud ob invidiam exportari & Christianis vendi non patiantur. Sed vera Ecclesia non
solet καπηλεύειν, sermonem Dei, sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo in conspectu Dei, de Christo lo- D
qui: contra quam Pseudoecclesia agit.

15. De virtute medica lacrymarum Balsami. Dioscorides scribit, vim efficacissimam habere, quum
sint calidissimæ: detergere ea quæ pupillis oculorum tenebras effundunt: rigores solvere: purgare
ulcera: vim concoquendi habere: mederi iis qui aconitum cum lacte biberunt, aut à serpentibus læ-
si sunt morsu venenato. Sanguis Christi Ecclesiam illuminat, ejus enim fusi merito è tenebris in lu-
cem producta est: Sanguis Christi emollit corda, ut apta fiant ad motus Deo placentes: Sanguis
Christi purulentiam & sordes peccatorum nostrorum detergit: Sanguis Christi antidotum nobis
est adversus antiqui draconis morsus & vires.

16. Negat Hieronym. Balsaminum quæstus causa Tyriis vendendum. Negat & Ecclesia Religionẽ
quæstui servire debere, aut sanctum canibus dandum, aut Margaritas ante porcos projiciendas esse.

17. Pausanias in Bæoticis historiam viperarum describens, ait eas versari circa Balsamum, dele-
ctari

A ctari ejus umbra vesci succo ejus suavissimo, ac eo nomine venenum earum temperari unguento maxime odorato, ut ex lethifero mitius fiat. In externa societate, quam multas viperas ferre cogitur Ecclesia? Quam multi in bonis Ecclesiasticis deliciantur, qui non tantum sunt inutilia pondera Ecclesiæ, sed etiam vera progenies viperarum? Quam multos sanctos homines hæ viperę mordent? Sed bene habet, quos illos sanat, has perdit, omnipotens ille & verax filius hominis, cui pater omne judicium commisit.

18. Iuxta mare mortuum, inquit, Cedrenus, πάμπολυ τὸ βαλσάμον φυτόν. Et in his terris juxta mundanos homines, mortuos in offensis & peccatis, Ecclesiæ militantis membra sparsim crescunt, virescunt, fructus ferunt, Christo Jesu dominante & ovile tuente medios & infestissimos hostes.

19. Myrtus, Theophrasto auctore, Oleæ inter cætera, si generationem spectes, similis, & ligno & ramo provenit, & semper viret. Ecclesia nascitur ex immortali verbi divini semine, & Christo (qui peccata illius pertulit in corpore suo super lignum, 1. Pet. 2. 24.) inserta, in eodem manet, vivit, viret.

B 20. Idem Theophrastus lib. 6. de causis Plantarum, c. 22. de eo afferens, cur odoratis insit acrimonia quædam, aut pinguedo: (ait) Myrti odoratus, & ea quoq; aliquem odorem reddit. Illud permirum; quod anno squallente Myrti maxime odoratæ surgunt. Est & Ecclesiæ & in ea docentibus sua quædam ἐυωδία seu bona fragrantia, de qua dicitur: Odor vestimentorum tuorum, velut odor Libani, Cantic. 4. 11. Mandragoræ dederunt odorem, Cantic. 7. 13. Item, Christi bona fragrantia sumus, 2. Corinth. 2. 15. fragrantia autem hæc in adversis, quando fidei virtus confessione declaretur, maxime spargitur & Deo ipsi ac piis hominibus gratissima est.

21. Myrti amant umbras. Ecclesiæ cordi est umbra, de qua dicitur, habitans in latibulo Dei excelsi, in umbra Omnipotentis commoratur. Item, Iehova est custos tuus. Jehova est umbra tua, Ps. 91. 1. & 121. 5.

22. Myrto corticem si detrahas, perit. Ideo Theophrastus, Oleæ, ait, ac Myrti corticem nequaquam detrahendum existimant: obsepit enim conservatque arboris vitam. Sic nuptialis illa vestis,
C qua electi in Baptismo vestiti, Christum ad sanctificationem induerunt, neutiquam illis detrahenda, ne emoriantur.

23. Diligit purgationem Myrtus. Theophrastus ait, purgatione Myrtum & Oleam maxime egere. Androtion auctor est. Etenim quo pauciora reliqueris, melius germinant, fructumq; copiosius præstant, excepta vite. Ecclesia & singuli sancti militantes, circumcisione cordis, aurium, labiorum, purgantur, mortificata carne, & abjectis terrenis cupiditatibus: in Christo manentes, probeque purgati, fructum copiosum ferunt.

24. Myrtus frigore facillime læditur; quia & ipsi ramuli tenues tenelliq; sunt, & tota arbor minus calida est. Ecclesia, refrigescente quorundam charitate, admodum citoque afficitur & laborat, sed tamen in vivis Christi membris flammas sancti amoris non plane extingui, interdum autem vehementius inardescere sentit.

25. Nigredo quædam est in Myrto, quo nomine opacam umbram præbet. Canit & Ecclesia, Cantic 1. 5. Nigra sum, at desiderabilis.

D 27. Non decidunt folia Myrto, perpetua fronde pubenti: ac ejus folia augusta & dispositа Plinius esse ait. De Ecclesia & ejus civib. dicitur, est tamquam arbor plantata secundum fluenta aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo: folium ejus non marcescet: & quicquid facit prosperum est. Psal. 1. 3.

1. Halcyon, ait Basilius in Hexamero, quædam est avis, mari maximopere gaudens. Hæc fœtificare secundum littora solet, ovis in ipsa arena positis circa mediam brumam, quum crebris sævientibus flatibus, vehementibusque procellis agitatum volvitur ad littora vastum atque illiditur mare. Attamen silescunt tum omnes venti, quiescunt undæ, tumida æquora placantur, septem totos dies, quum incubat Halcyon. Tot enim duntaxat dies ipsam suos excludere pullos ferunt. Sed quum & victu ipsis sit opus, alios pro incremento suæ prolis beneficentissimus ipse Deus, huic tam exiguo præstitit animali serenos itidem septem tranquillosque dies. Id omnes etiam Nautæ sciunt, & Halcyonides illos dies nuncupant.

2. Enimvero non sunt quidem omnia Naturæ parturientis opera allegorice nobis interpretanda: quum vel eorum historia nos hortetur ad laudes potentissimi, sapientissimi, moderatissimi & optimi conditoris concelebrandas. Quia tamen vere dixit beatus ille Martyr Christi Cyprianus: dum in arbores & vites, quas videmus, oblectante prospectu oculos amœnamus, animam simul & auditus instruit, & pascitur obtutus: quid obstat quominus Basilii, Ambrosii, & aliorum exemplo, historiam Halcyonum, ut ea vere ab Aristotele tradita est, transferamus ad Ecclesiæ militantis picturam, quæ de multis bonis rebus nos commonefacit? A

3. Boni consulit militans Ecclesia, quod juxta tempestuosi hujus mundi mare, decumanosque fluctus, extrema omnia minantes, hospitiola quædam, divina providentia, sortita est. Scit enim sibi etiam in ærumnis Deo obediendum esse: lætatur tamen, quod supra petram extructa, nullis ventorum procellis, nullis imbribus & fluctibus superari potest: non enim vel inferorum portæ adversus eam prævalebunt.

4. Ut autem Halcyon asperrimo anni tempore, dum frigus maxime sævit, ovis incubat & ea excludit mari quiescente: sic periculosissimis turbulentissimisque temporibus nihilominus repressa, quum opus est, pelagi mundani tempestate, electi renascuntur per aquam & Spiritum, & à Domino quotidie adduntur Ecclesiæ qui salvi fiunt. B

5. Quum autem renatis alimento opus sit, ut adolescant in eum per omnia qui est caput, nempe Christus; sicut pullis Halcyonis semper alii dies conceduntur, ut probe nutriti crescant: sic Ecclesia alitur pane vitæ, vivifica (inquam) Christi carne quæ pro mundi vita est tradita, ut illa in Christo crescat. Hanc autem alimoniam Mundus Ecclesiæ, velit nolit, reliquere cogitur, ut ea vitæ æternæ consors sit.

6. Ut autem Nautæ dies Halcyonides observant, & iisdem navigationes necessarias instituunt: sic Dei cooperarii, Ecclesiæ fidi & prudentes Pastores & Doctores, signa temporum, inter quæ sunt & publicarum tentationum initia, media, fines, & eventus, diligenter observant: ac induciarum tempore ad nova certamina sese præparant. In ipso autem certamine, fide & spe seipsos & alios erigunt.

7. Addidit autem Basilius superioribus exhortatiunculam ad precationem fidei, dicens: hæc illis C rationis expertibus commoda divina providentia præstat, ut inde quasi lege tibi sit statutum, ea re semper à Deo, quæ ad salutem tuam pertinent postulare. Quid quæso à Deo tui causa non facit exorabile, quem ad imaginem ipse similitudinemque suam creavit; quandoquidem alitis tam exiguæ gratia, mare tam vastum, tam terribile sævumque, tranquillum esse media bruma, jussum detinetur atque quiescit?

8. Sedenim hæc ii demum credunt, qui Halcyonis in cordibus suis, vera (inquam) animi tranquillitate gaudent. De ea autem dicitur Rom. 8. Justificati fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum: gloriamque non solum sub spe gloriæ Dei, sed etiam in oppressionibus, scientes quod oppressio patientiam efficiat, patientia vero experientiam, experientia vero spem non pudefacientem.

## ECCLESIA *militans.*

1. PSalmo 73. 19 20. confertur Ecclesia in his terris militans, Deo carissimæ, apud eum gementi, & hoc unum suppliciter petenti Turturillæ, ne pro derelicta habita, accipitri lanianda & devoranda tradatur. Fatetur se esse congregationem pauperum & miserrimorum in his quidem terris, de qua sit actum, nisi Deus cum vera & æterna gratia ejus memor sit. Allegat autem illa tum fœdus gratiæ, quo quum Deo juncta sit, ob hujus veritatem & virtutem bene speret: tum tetram illam terræ faciem, quæ quum sit latronum & grassatorum latibulum facta, à justo Deo sit evacuanda & desolanda, ut Haiæ 24. 1. dicitur. D

2. Aristoteles de histor. animal. lib. 5. cap. 13. Turtures, ait, minimi inter omnes columbas. Ecclesia inermis (si carnalia arma spectes) inter aspides, Basiliscos, & leones incedens, nec magnitudine, nec numero hostibus par, ad consolationem suam, assidue repetit vocem Jesu Christi, Luc. 12. 32. Ne time, ô parve grex: nam visum est Patri vestro dare vobis regnum.

3. Inter

A 3. Inter mundas volucres, quibus etiam in sacrificiis locus olim erat, Turtures & Columbæ sunt. Sancta est & Ecclesia, quam dilexit Christus, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret purgans lauacro aquæ per verbum, &c. Ephes. 5. 25. 26.

4. Turtur est avis simplex innocens, nec tamen prudentia destituta. Tota Ecclesia, Christi dictum amplectens, temperamento simplicitatis & prudentiæ delectatur, & id sibi à Paulo dictum intelligit, volo vos sapientes quidem esse in rebus bonis; innocentes vero in malis. Rom. 16. 19.

5. Noti sunt versus de Columba, quibus Turturis quoque natura maxime expressa videri potest:

*Est sine felle, gemit, rostro non ladit, & ungues*
*Possidet innocuos, purag, grana legit.*

Ecclesia sine felle iracundiæ & amarulentiæ est. Caritas enim quæ non irritatur, summæ ei curæ est. Novit sibi dictum: Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia, tollatur ex vobis, cum omni malitia. Ephes. 4. 31.

B 6. De gemitu Turturillæ spiritualis, extant hæc verba Gregorii in 1. Capit. Canticorum, Turtur postquam parem suum perdiderit semel, nunquam alteri se jungit, sed semper solitarie habitans, in gemitu perseverat, quia quem diligebat non inveniens quærit. Sic sancta anima quæque, dum à sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat, & gemit: & dum illum, quem valde diligit, non invenit, quia ab omni alieno amore se retrahit, quasi in genarum verecundia, castitatem cordis ipso habitu & actu exteriore ostendit.

7. Ecclesia autem à fremitu abstinens, gemituq; contenta, exemplo suo pastores & Doctores monet, ut ne Periclem illum imitentur in docendo, qui tonando & fulgurando, totam miscuisse dicitur Græciam: sed ut memores sint ejus, quod Bernardus sermon. 59. super Cantica his verbis monuit: Vox turturis indicium est transactæ hyemis, tempus nihilominus putationis adesse denuncians. Id juxta literam. Aliàs turturis vox non admodum dulce sonat, sed signa dulcia. Ipsa avicula, si emis non magni, si discutis, non parvi precii est. Et vox quidem gementi quam canenti, similior, peregrinationis nostræ nos admonet. Illius doctoris libenter audio vocem qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis, gemendo id C magis quam declamando studeas oportebit. Exemplum sanctum in aliis multis, tum vel maxime hoc in negotio verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius tibi illud cognoscaris persuasisse. Validior operis quam oris vox.

8. Aliæ frugibus vivunt, inquit Aristoteles lib. 8. de histor. Animal. cap. 3. ut palumbes, columbus, vinago, turtur. Ecclesia pane alitur vitæ quem pater dat. Ioan. 6. 32.

9. De ἀντιπαθείᾳ & inimicitiis quarundam avium differens Aristoteles lib. 9. ejusdem operis, cap. 1. Turtur, ait, cum ignaria pugnat. Locus enim pascendi victusque idem est. Turtur & Luteus pugnant, occiditurque Turtur à Luteo. Ecclesiæ πόλεμος ἄσπονδος est, non tantum cum Caini posteritate, quæ ex professo inimicitias cum eadem exercet; sed etiam cum domesticis hostibus hypocritis, & cum iis qui ad tempus credunt: & ab his sæpe sancti quidam homines jugulantur. Hæc nimirum causa est propter quam multi sancti & docti viri, quantum quidem conscientia & vocatio permittunt, illud λαῖτα βίωναι libenter sectantur, & ardentem illam precationem regii Prophetæ repetũt, Timor & tremor venerunt in me, & horror me operuit: &, dixi, Quis mihi dabit alas sicut colum- D bæ: avolarem & quiescem caperem. Ecce procul discederem & commorarer in deserto, Psal. 55. 5. 6. 7.

10. Petit autem compare orbatus turtur solitudinem, & in editissimorum montium jugis gemit. Vbi, ait Bernardus, regni cœlorum facta est promissio, tunc intellexerunt homines se non habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirere tota aviditate cœperunt, & tunc manifeste sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque jam anima Christi præsentiam suspiraret, regni dilationem moleste ferret, desideratam patriam gemitibus & suspiriis à longè salutaret, nonne tibi videtur vice fungi gemebundæ ac castissimæ turturis, quæ eumq, anima in terra ita feciſſet? Hoc quippe est quod ipse ajebat: Numquid possent filii sponsi lugere, quam diu cum illis est sponsus? Venient autẽ dies quum ab eis auferetur sponsus, & tunc lugebunt: ac si diceret, & tunc vox turturis audietur. Ita est, Iesu bone, venerunt dies illi. Nam & ipsa creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc, revelationem

lationem filiorum Dei expectans. Non solum autem illa, sed & nos ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Hoc scientes, quod quamdiu sumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino. Nec vacui gemitus, quibus è cœlo tam misericorditer respondetur, propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. A

11. Brevis autem est Turturum vita, ut qui (Aristotele teste) vel ad octavum annũ vivat. Sed Sanctorum vita in Christo jam abscondita, cum æterna beatitudine & gloria conjungeretur. Quum autem multis Sanctis, ceu Turturibus Christi, nunc idem eveniat, quod toti militanti Ecclesiæ cõmune esse vident, ut tyrannos, ceu leones frementes, lupos ululantes, & piis anathema denunciantes, maledicos homines ceu canes rabiosos latrantes, indoctos hõines ceu corvos crocitantes, sophistas ceu picas & graculos ferale carmen stridentes, audire necesse habeant: è re illorum fuerit ἀπαραξίας φάρμακῳ, quod S. Biblia, quæ sunt ψυχῆς ἰατρεῖον, subministrant, uti, & cum Christiano poeta dicere,

*Vna est in trepida mihi re medicina, Iehovæ*
*Cor patrium, os verax, omnipotensque manus.*

## ELOQUENTIA. B

Effigies ejus ab ingeniosis hominibus ita depingitur. Fingunt ii statuam æream ingentem, instar Colossi, in templo fundari, super solida rupe, cujus in medio collocata est, firmissima basi, consistens hæc statua ordine duplici columnarum forma circulari circumdata, in quibus singulis conspiciuntur imagines virorum, qui in celeberrimis linguis, quæ nobis notę sunt, excelluere. Is Colossus manu sinistra tenet facem flammis coruscantem: in dextra vero vas plenum aquæ. In ejus ore apparet aurea lingua, à qua pendent aureæ catenulæ subtiles, quibus ad se trahit innumeram hominum multitudinem utriusque sexus, annexam auriculis, non vi, sed sponte, magnaq; alacritate ad eã properantem. Postremo, sub pedibus ejus jacent veluti dormientes, tres immanes belluæ, Tigris, Aper, & Ursus. Hæc tabella hieroglyphica ita explicari meo judicio poterit. Rupes indicat robur, firmitatem, constantiam præstantissimi divinique doni, eloquentiæ. Colossea statua virorum eloquentissimorum præstantiam denotat. Sicut enim Colossus sua mole & magnitudine minores statuas longe vincit; ita hi rudiores & imperitiores multis modis auctoritate & sapientia superant, & maximo in pretio ubique terrarum habentur. Exempla occurrunt in Pericle, Demosthene, Cicerone, & aliis. De quo postremo, tamquam Romanæ facundiæ principe, tale extat Iulii Cæsaris Monarchæ præconium, securitatis & honoris ergo illi concessum: M. T. Ciceronem ob eximiam ejus virtutem & egregias animi dotes per universum orbem terrarum salvum esse jubeo. Ærea eloquentię statua fingitur ob ejus suavem sonum orationis & diuturnitatem. Quemadmodum enim tinnitus æris harmonicus auditum mirifice oblectat, ita orationes disertæ, non tam suaves auribus, quam perpetuæ sunt, neq; ulla temporis iniuria interire solent, non secus ac æs, quod ærugine numquam consumitur, quodq; non modo seipsum, sed etiam res alias ab interitu conservare solet. C

Sed quid sibi vult fax in sinistra manu? Ea sane significatur vis ardens eloquẽtiæ, quæ suis persuasionibus & efficacibus verbis lucem, detectis tenebris, præbet veritati, & sicut ignis non solum purgat & consumit obstantia quæque, sed etiam splendore suo illustrat; ita hominum animos eloquentia illuminat, accendit, & reddit illustres, ut recta sequantur, falsa fucataque vitent ac fugiant. Quãobrem in dextera quoque ejus vas plenum aquæ collocatur, indicans flumen eloquentiæ & sapientię tantam efficaciam habere, ut cupiditates pravæ; & persuasiones falsæ atq; frivolæ ab ea eluantur, & sicut incendium aqua facile extinguantur. Porro catenulæ aureæ annexæ linguæ, attrahentes auriculis hominum multitudinem, non tristem, sed alacrem atque lætam demonstrent, salutares monitiones & doctrinas aureas, quæ à diserta lingua emanant, & auditores ad se melliflua oratione trahũt, animosq; hominum conciliant, sibique veluti perpetua serie & connexu devincunt. Hinc nimirum & disciplina Druydum Gallicus Hercules, dictus illis Ogmius, extitit, non solum exuviis Leoninis & clava veluti armatus, sed decrepitus, calvus, canus, rugosus magnumque hominum numerum auribus vinctorum, catenis aureis ore & lingua trahens, quibus blande comiterq; arridet. Postremo tres belluæ, alioquin ferocissimæ, accubantes infra pedes eloquentiæ, at domitæ & pacatæ, innuere viden- D

videntur sermonis atque orationis elegantiam & suavitatem compescere ac emollire ut plurimum, licet efferatissimos, crudelissemos, barbaros, & truculentissimos homines. Quo consilio veteres etiam fabulam de Amphione, Orpheo & Arione, introduxerunt. Imagines in columnis linguas præcipuas, Orationis facundæ instrumenta & ornamenta significant.

Sed veteres Galli sapienter eloquentiam Herculi fortiti, prudenti, senili experientia docto, non Mercurio imbelli, garrulo, juveni tribuerunt. Siquidem facundia consuevit in senecta demum absolutum vigorem ostendere. Hinc apud Græcos senis Nestoris lingua melle profluit & Trajanorum senes legati ἡδίστην φωνὴν, floridam vocem edunt; flores enim illis λείρια, ut speciatim lilia & narcissi dicuntur. O miseram Ogmium illum pharetram sagittis gravem atque humeris apratam gestare, tum arcum tensum læva prætendere, quæ omnia eloquenti viro non deesse rationes acutas, missiles, citas, quibus audientium mentes sauciare & transfigere valeat, satis demonstrant. Addamus & sequentes versus ex Baccianis symbolis:

B

*Dic, age Calliope, quid imago vult sibi? nempe est*
*Qui vetus Alcides, junior is fuerat*
*Olim Mercurius: nimirum dea facultas*
*Dicendi tardo prævalet in senio.*
*Mens volucris juvenum, instabilisq; vocata poëtis:*
*Et meritò, at semper firma gravisq; senum.*
*Propterea vates Smyrnæus mel senis olim*
*Fluxisse è dulci Nestoris ore canit.*

*Florida Trojanorum oratio creditur esse.*
*Ad linguam vinctos auribus ille trahit?!*
*Nec hoc est cur mirere quidem: cognatio linguæ*
*Aurium & ipsarum cognita si tibi sit.*
*Auro divina, ast Electro humana notatur*
*Cognito, majus quanihil aut melius.*

Vide Alciati emblema 180. & ejus prolixam Minois expositionem, ne diutius hîc retineatis.

## EPICUREI *Profani.*

C

SUillum pecus, immundum, terram respicit, sordes rostro proluit & eruit. Erant sues in numero animalium immundorum, quorum carnibus Israëlitis vesci non licuit. Levitic. 11 7. Sus quoque (ait legislator) quia dividit ungulam & findit fissuram ungulæ, nec ruminat, immundus erit vobis. Vox veritatis Epicureos, verbi divini contemptores, cœlestium rerum adversarios, terrenarum & fœdarum voluptatum amantes porcis frequenter comparat. Vide Matth. 7. 6. & 2. Petr. 2. 22. Apostolus œni seculi nomine complectitur cum pravas ejusmodi hominum opiniones, tum multiplicē impietatem divino cultui contrariam, quæ ut plurimum cum flagitiosa turpitudine conjuncta est, Sapient. 14. cap. v. 22. 25. 27. tum etiam μιάσματα τοῦ κόσμου, 2. Petr. 2. 20. id est, quamcunque vitæ impuritatem, & manifesta scelera, quæ contra sanæ rationis & conscientiæ dicta designantur, totumque hominem inquinant: Matth 15. v. 10. & 11. Clemens Alexandrinus in adm. ad gentes, suillos homines prolixe exagitat, accommodata ad ipsos Democriti sententia; ὗς ἥδονται βορβόρῳ μᾶλλον ἢ καθαρῷ ὕδατι, καὶ ὑπὸ φορυτῷ μαίνεσθαι. hoc est, *Sues magis delectantur luto, quam aqua munda, & in quisquilius voluptate insaniunt.*

D

2. Contra serpentum ac scorpionum ictus Tripolia valere, si seminis grana viginti ex vino vel posca assumantur, vel folia ac universa herba decocta usurpentur: ac præterea serpentem nunquam in trifolio conspici, auctores sunt Dioscorides & Plinius. Non dissimili ratione homines Epicurei, profani, fluxis rebus luxuique potissimum dediti, ab honestis ac laudabilibus præceptis abhorrent, ac imperitum vulgus pravis opinionibus imbutum vitiisque variis obnoxium utilissima monita virtutis ac honestatis respuit, illaque fugit. Inde natæ voces sapientum, *Procul este, profani*, &,

*Odi profanum vulgus, & arceo:*
*Favete linguis.*

Plato etiam, κ' ἡδομένῳ (inquit) τῷ θείῳ ἁψάσθαι μὴ ὁ θνητὸν ἐῶ. id est, Nefas est, ab eo pūrum contrectari, qui purus ipse minime sit.

2. Proverbium vetus est. *Nihil sui cum Amaracino*: id est stolidis ac impuris vel optima sordent ac displicent: non aliter ac Amaracus herba, vel Amaracinum unguentum male olet suis bestiæ fœtoribus sese oblectanti, & amicæ lato, ut ait Horatius. Servius in 1. libr. Æneid. scribit Amaracū puerum fuisse regis unguentarium, qui casu lapsus dum ferret unguenta, majorem confusione odorem excitarit;

tarir: unde optima unguenta Amaracina dici cœperunt, & ideo hunc postea fabulæ tradiderunt in herbam Amaracum esse conversum. Sic etiam sancta & suavis supra omnes suavitates cœlestis veritas, hominibus irrisoribus, profanis, Epicuri de grege porcis est adversissima, quemadmodum suillo generi unguenta odorata. Lucret. lib. 6. De natura rerum, ait A

*Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne*
*Vnguentum: nam setigeris subus acre venenum est,*
*Quod nos interdum tamquam recreare videtur.*
*At contra nobis cœnum, teterrima cum sit*
*Spurcities, eadem subus hæc tam munda videtur,*
*Insatiabiliter toti ut voluantur ibidem.*

Scribunt etiam quidam in Arabia suillum genus non posse vivere, quod ea regio sit plena odoramentorum. Unde insuper alterum proverbium enatum, ὡς ἐπὶ ῥόδοις, *Super rosas.*

## ERUDITORUM *candor.*

OLorem vult Isidorus libr. 12. originum sic nuncupatum, quod totus sit plumis albis præditus, Græca derivatione, cum ὅλος totum significet. Exprimit autem hæc avis ob suum candidum colorem apud poëtas & alios (quod & Pierius testatur) animi candorem & simplicem integritatem. Eamque ob causam hoc symbolum familiare habuit Ludovicus de Aquino, quo ostendere voluit, B eumdem animi candorem & fidem, quam majores ipsius semper erga Reges suos constanter observassent, se quoque toto suæ vitæ cursu religiose retenturum esse. Non minus autem spectat ad omnes viros egregios, placidis & apertis erga cunctos moribus præditos, quive, quantum honeste possunt, quavis in optimam partem interpretari solent. Commemorat autem Pierius Valerianus in Hieroglyphicis, ejusmodi candidorum virorum suis temporibus extitisse tria exempla maxime memorabilia. Iovianum nimirum Pontanum, nobilitatis Neapolitanæ præcipuum, quem testantur ingenia quævis bona & præclara singulari animi promtitudine fovisse ac promovisse. Alterum nominat M. Antonium Sabellicum, ipsius Pierii præceptorem, quem affirmat ne adversarios quidem apertos voluisse lacessere, sed potius omnes alba, ut dicitur, linea notasse. Tertius Romæ fuit Pomponius Lætus, nomine, re, & animo erga omnes hilaris, facilis & placidus, tantum suis studiis sine injuria, immo cum aliorum multorum utilitate intentus. Utinam nostra quoque ætas talia candidissima pectora, & cygnos unius coloris plurimos proferret, minus profecto esset ubique locorum & gentium contentionum & rixarum pernitiosissimarum. Sed hæc optare quidem licet, sperare vero vix conceditur. C

*Salvete, ingenii divum unica cura, poëtæ:*
*Pectora saluete ô candidiora nive.*

## ERUDITUS *multos erudiens.*

PIcus Martius, quod Marti sit dicatus, ab Aristotele libr. 9. capit. 9. appellatur δρυοκολάπτης, quasi δρῦν κολάπτων, *quod suo rostro arbores* (quas sub quercus nomine veteres intelliguni *tundat atque excavet.* Poëtæ fabulantur Picum Regem Latinorum in hanc avem mutatum à Circe propter denegatos amores, quod Servius in 7. Æneid. (ubi hujus rei fit mentio) ideo confictum ait, quod Picus augur esset, & domi istam avem aleret, per quam futura noscebat. Apud Ælianum libr. 1. de Animal. c. 45. Plinium & Oppianum plura de illo legimus, quomodo in cavis arborum nidificet, & foramen ab aliquo obstructum, herba nescio qua rursum aperiat. Aristoteles quidem dicit picum humi numquam consistere, sed scandere omnibus modis per arborem, aut resupinum more stellionum ingredi: & in fine addit. Iam verò miteſcens quidam amygdalum, quod rimæ inserviisset, ligni, ut fixum constanter ictum reciperet, tertio ictu pertulit, ac nucleum comedit, quod se quoque observasse aliquoties Albertus asserit. Lucas Contilis hieroglyphicon illud refert esse usurpatum à quodam nobili viro, qui suum nomen dederat privatæ Academiæ Ticinensi, quam intelligi voluit per abietem semper viridem & crescentem fore quamdiu radiis solaribus illustretur, ac foveatur, in qua arbore rara hæc proprietas observatur, quod cacumine illius abscisso, non raro deinceps tota arbor exarescat. Seipsum vero intelligit per hanc avem, indicans se animo certo ac deliberato quasi in sinu hujus Academiæ, ex qua non exiguum suorum laborum & studiorum fructum ac præmium expectat, semper cupere permanere ac conservari. Additur radius à stella Mercurii per arborem ad stellam usque per- D

A penetrans, quo doctrinam & peritiam singularem hujus Academiæ exprimere voluit; quod sane, ut nimis longe petitum, non omnibus probari apparet: de quo aliorum esto judicium. Nos autem eruditæ Sapientiæ radiis illustratum hominem significari pico putamus, qui postea suę eruditionis multos alios, tum viva voce, tum scriptis reddat participes. Vir doctissimus, qui nobis in his collectaneis præluxit, Disticho mentem suam circa pici hieroglyphicam picturam sublimiore sensu patefecit.

*Spernit humum picus, petit ardua: sic quoque virtus*
*Appetit excelsis sacra reposta locis.*

## EXERCITATIONIS *vis maxima.*

IUlius Cæsar Scaliger exercitat. 232. satis breviter aves describit cornutas, hisce verbis: Insula Catigan, quæ est in mari Sur, aves fert gallinæ magnitudine cornutas. Subtus arenas ad duos pedes ova alte condunt, unde vi solis excludantur pulli, ut per se prodeant. Sic avis cujusdam cornigeræ vel unicornis in ære eleganter incisæ, ante aliquot annos medicus quidam Romanus ita descripsit: Avis hæc Iaponica, quam hactenus à nemine visam existimo, gallo gallinaceo aliquanto major est, toto corpore nigricans, præterquam sub inguine, quod albis plumis est conspersum, oculis promicantibus, collo oblongo, rostro rubro, cui ad summam partem capitis lapidosum cornu, primum molle, deinde indurescens metæ instar ceneritio colore prominet. Hujus generis duæ aves mas & fœmina ex Insula Japonica fuerunt transmissæ Romam ad Pontificem Pium V. sed mas periit, fœmina vero plane cicur facta diu supervixit. Hæc ille. Sicuti igitur ex mollissima cerebri materia, progressu temporis natura producit solidum ac durum corpus (quod etiam non sine admiratione in tam vastis cervorum cornibus quotidie observamus) ita quoque consuetudine & exercitatione assidua, virtutem nobis comparare & paulatim tanquam habitum firmiorem conquirere debemus. Ejus rei nobis Ulysses Horatius pulchre proponit lib. 1. Epist. 2.

*Qui domitor Troję, multorum providus urbes*
*Et mores hominum inspexit, latumq; per æquor*
*Dum sibi, dum sociis reditum parat, æspera multa*
*Pertulit, adversis rerum immersabilis undis,*
*Sirenum voces & Circes pocula nosti,*
*Quæ si cum sociis stultus cupidusq; bibisset,*
*Sub domina meretrice fuisset turpis & excors, &c.*

C Et novo Disticho hieroglyphicon illud exornatur:

*Cornua ceu molli nascuntur dura cerebro,*
*Virtutem assiduus firmat alitq; labor.*

## EXERCITUS *numerosus.*

LOcustæ sunt numerosi exercitus vel ingentis copiæ hieroglyphicon, teste Scriptura S. Iudic. 6. Ierem. 46. 23. Nahum. 3. 17. Et apud profanos Aristophan. in Acarnens. act. 1. sc. 4. De Sitalce rege Thracum loquens, dicit, ut è Græco expressum est,

*Iuravit inter sacra, se laturum opem,*
*Exercitu tam forti, ut hostes clamitent;*
*Quantum locustarum agmen in nos advolat?*

Locustę enim fere gregatim, tanquam conferto agmine proficiscuntur, Proverb. 30. 27. ut nonnunquam per aëra volitantes solis fulgorem hominibus intercipiant: in terram demissæ tegant ejus superficiem universam: Exod. 10. 5, & 15. Hinc Plinius lib. 11. cap. 29. Tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur; solemque obumbrant, solicite suspectantibus populis, ne suas operiant terras, sufficiunt quippe vites, & tanquam patum sit maria transisse, immensos tractus permeant, diraque messes contegant nube, multo contactu adurentes; omnia morsu erodentes, & fores quoque tectorum. In Cyrenaica etiam regione lex etiam est ter anno debellandi eas; primò ova obterendo, deinde fœtum, postremo adultas: desertoris pœna in eum qui cessaverit. Et in Lemno Insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad Magistratus referant. Necare & in Syria militari imperio coguntur. Tot orbis partibus vagatur id malum. &c.

## EXPECTATIO *aulica.*

HYginus signis cœlestibus, in Hydra fabulam quandam satis festivam refert. Corvus, inquit, Apollinis tutela usus, eo sacrificante missus ad fontem, aquam puram petitum, vidit arbores

complures ficuum immaturas, eas expectans dum matureſcent, in arbore earum quadam conſedit. A Itaque poſt aliquot dies coctis ficis, & à corvo plurimis eorum comeſis, expectans eum Apollo, vidit cum cratere pleno volare feſtinantem, pro quo amiſſo ejus, quod diu moratus ſit Apollinem, qui coactus mora corvi, alia aqua eſt uſus, hac ignominia illum affeciſſe dicitur, ut quamdiu ſitiret conquerentur, corvus bibere non poſſet. ideo quod guttur habeat pertuſum illis diebus. Quam fabuiam Ovidius verboſe 2. faſt. exponit, & hoc Diſticho concludit,

*At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus,*
*De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.*

Voluit autem quidam Aulicus hoc hieroglyphico aliis declarare ſe apud quendam principem, cui fideliter diu inſervierat, nullam unquam potuiſſe inire gratiam, vel quicquam beneficii recipere, ſed poſtea oblata occaſione liberaliorem alium quendam herum, maturis ſcilicet redditis ficubus, id eſt, fortuna meliore aſpirante nactum, tandem pleniſſimum laborum ſuorum fructum diu expectatem cœpiſſe. Talis eſt querela duorum fratrum Anglorum, quam tetraſticho hoc expreſſerunt:

*Vitam, animum, operam, ſumptus impendimus aulæ,* B *Aula dedit nobis reſcripta notata papyro,*
*Præmia pro meritis quæ retributa putes?* *Et ſine mente ſonos, & ſine corde manus.*

Altera, Borbonii poëtæ non indocti:

*In prædivite ſum domo moratus* *Sperando, ingenuèq; inſerviendo,*
*Contriviq; bonos miſer tot annos.* *Tantorum mihi præmium laborum*
*Guſtando mala, gratiasq; agendo,* *Sunt, ſero ſapere atque pœnitere.*

## FAMILIARITAS adverſantium vitanda.

SCriptores rei ruſticæ tradunt naturale odium inter filicem & arundinem intercedere, ut ſimul enatæ non ſolum una alteram enecent, ſed etiam vulnera alterutrius ſtirpe facta, contuſa & impoſita altera rurſus ſanentur. Quod etiam Cornelius Celſus hiſce verbis memoriæ prodidit: *Peſſima ex ſurculis arundo eſt, quia aſpera: eademque offenſa etiam in filice eſt: ſed uſu cognitum utramque adverſus alterum medicamentum eſſe, ſi contrita ſuperimponatur. Plinius vero ita ſcribit lib. 18. capit. 6. Filices ajunt non renaſci arundine ſectas, aut exaratas arundine vomeri impoſita ſimiliter & arundinem exarari vomeri impoſita filice præcipiunt.* Quod ratione alimenti fieri doctiſſ. Coſtæus lib. 11. De univerſa ſtirpium natura exiſtimat. *Filix enim pinguia*, inquit, ſponte amat loca, arundo vero macris facilius provenit, quãvis inſuper addat, peculiarum formarum adverſantem facultatum illis ineſſe. Admonemur hoc modo, eorum familiaritatem nobis eſſe fugiendam, qui ita ſint animati, ut cum illis quaſi innata contrarietate nobis nihil conveniat, quique in omnibus contentioſe adverſari aliis ſoleant: cum (ſecundum Cæſarem) magna ex diſſenſionibus incommoda oriri ſoleant, & apud Ciceronem libello de amicitia recte dicatur, diſpares mores diſparia quoque ſtudia ſequi. Hinc vulgatum illud,

*Triſte ſilex calamis, filici quoque triſtis arundo.*
*Qui ſocium cupies quærere, quære parem.*

## FATUM.

HOrapollo teſtatur libr. 1. hieroglyphicõn. capit. 13. Ægyptios fatum ſignificare cupientes, ſidus pingere: quod fatum ex ſiderum curſu ac diſpenſatione conſtituatur. Et literæ ſeptem duobus incluſæ digitis illis fatum indicant, teſte eodem lib 2. cap. 19. D

## FELICITAS.

ACademici quidam doctiſſimi Ticinenſes, qui ſe Affidatos, id eſt, receptos in fidem aliorum nominarunt, pro ſuæ Academiæ hieroglyphico elegerunt avem quæ volatu ſuo ad ſtellam Mercurii tendit, infra quam pullus ex ovo quaſi proſiliens & alas quoque ad volandum expandens conſpicitur. Vocant autem avem hanc Stellinum, quod tamen nomen nec apud veteres, neque recentiores invenitur, uno excepto Aſculano, ut refert Contilis, ex cujus Italico libro hæc deſumpſimus. Alii voluerunt eſſe Aſſeriam vel Stellarem Ariſtotelis, cujus ſit mentio inter ardeas. Scribit avem Aſculinus ille de Stellino, cum pulchritudine, cœli, & imprimis ſtellæ Mercurii mirifice affici, atque avem

A que avem illam Asteriam dictam, quia tendit ad astra: intentamque in hanc stellam oculis, illiusque radiis oblectatam, ovi quod unguibus complectitur, oblitam in terram id delabi sinere, ex quo pullus enascatur, qui propter stridorem matris, ad ipsam nititur advolare. Sed cum ardea stellaris in locis potiss. palustribus vivat, ex sententia Aristotelis & aliorum, eaque raro in altum sese attollat, stellini nomen illi haud conveniet: quare hanc vocem fictam esse, sicuti quoque illud de pullo ex ovo statim delapso putant. Quicquid vero sit, docti statuūt, hanc ingeniosam inventionem inter alia hieroglyphica recte posse collocari, per quod ab Academicis istis studium & cupiditas tam ad vitam θεωρητικὸν quam πρακτικὸν amplectendam notatur. Priorem quidem per avem ad cœlum & potiss. ad sydus Mercurii aspirantem, in qua vera sapientia & rerum divinarum scientia continetur: posteriorem autem per pullum eo quoque respicientem, quæ in actionibus laudabilibus versatur: Disputat vero prolixe Aristoteles 10. Ethic. Nicom. quod perfecta fœlicitas sit θεωρητικὴ, alteram verò circa virtutes existentem priore esse inferiorem.

*Vivere præclare, ac rerum cognoscere causas,*
B *Unica & ad laudem atque unica ad astra via est.*

## FELICITAS *fluxa.*

PSaltes, cantico decimo graduum, v. 6. fluxam & evanidam fœlicitatem, quam velox interitus consequitur fœno tectorum velut hieroglyphico, & quidem admodum idoneo depingit, imprecatione concepta in hostes populi Dei. Quamvis enim gramen in tectis edito loco consistere, & longe supra hominum capita eminere videatur; tamen quia ejusdem radices succo vel alimento necessario destitutæ sunt, Luc. 8. 6. nunquam ad justam maturitatem aut frugem pervenit, sed æstu solis paululum intenso exarescit, Iob. 8. 12. ut non incommode simul ostentatum raptumq; dici queat. Sic Ausonius, in professoribus, cap. 7. De Aletio Minervio Rhetore, *Ostentatus* (inquit) *raptusq; simul, Solstitialis velut herba solet.* & antea Callidorus in Plauti pseudolo, *Quasi solstitialis herba paulisper fui:* Repente exortus sum, repentine occido. Talis fere est impiorum conditio. Nam ii quoque aliquantisper honoribus ac potentia præ cæteris florent, sed paulo post, justa Numinis vindicta, subito
C excinduntur, & maledictioni perpetuæ adjudicantur, ut canit Psaltes, hymno 92. v. 8. &c.

## FELICITAS *insida.*

VT inter quadrupedes Leo rex est: in volucrum genere regina Aquila: sic in pelago Delphines principatum obtinent, ut pulcherr. Oppianus in aureo suo de piscat. Poëmate cecinit, qui & alibi ἐναλίους ἡγητῆρας eos appellat, quasi dicas marinos principes. Illos tranquillo mari lascivientes, flatus ex qua veniunt parte præsagire, Plinius author est: ejusque rei causam ex Th. Aquinate adfert Cœl. Rhodiginus in Ant. Lect. & de tota erudite Rondeletius in opere suo de piscibus disserit. Non igitur nec placido ac tranquillo mari, cœloque sereno, quo max. colludere Delphines solent, nec fortunæ, quamvis mite blandienti, bene eruditur. Quo pertinet imprimis pulcherr. illa Palinuri in fin. V. Æncid. cygnea cantio. Gravissime etiam Livius dixit: Maximæ cuique fortunæ minime credendum esse. Et P. Syri illud in omnium ore fertur: *Fortuna vitrea est, quæ cum splendet, frangitur.* Sed & Aristoteles init. VIII. Ethic. pronunciat: ὅσῳ γὰρ πλείων (ἐντὸς) τοσούτῳ ἐπισφαλέστερος: id est, *Quanto major est rerum prosperitas tanto pluribus casibus & periculis proposita est.* Elegantissimi etiam sūt
D versus Apollodori Comici:

| | |
|---|---|
| Τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον, | *Habent perampla dona fortunæ metum* |
| Καὶ τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κτῆμ', | *Periculoq; non carent præclustria:* |
| Οὐδ' ἀσφαλὴς πᾶν ὕψος ἐν ἀνθρώπῳ γίνει· | *Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus.* |
| Ὃ περιστρέψαι ῥᾴδιον καὶ τοῦτο θεῷ, | *Quæ evertere vel invidia, vel tempus solet,* |
| Ἐπὶ τὸν ἄκρον τις τῆς κακῶς πεφρόντικεν. | *Fœlicitatis culmen ubi quis attigit.* |

Exempla infinita in omni historia occurrunt, & notiss. illud de Polycratis fœlicitate refertur aliud hieroglyphicon, de quo alibi, hoc titulo, *Prosperitas mundana dolosa.* Tu igitur cui rerum vicissitudo applaudit,

*Contrahe vela, licet ludant Delphines in alto:*
*Nam tunc tempestas non procul esse solet.*

## FEMINA *pudica & fœcundâ.*

A Junonis autem dici pavonem notum est, & inde Ovidius lib. 2. Metamorphoseos currum illius à pavonibus trahi fingit.

*---habili Saturnia curru*
*Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.*

Hinc in antiquis numis consecrationem Augustarum pavone indicari notum est, idque factum est tam propter pulchritudinem quàm fœcunditatem hujus alitis. Aristoteles, lib 6. de hist. Animal. cap. 9. hæc refert. Parit maxime pavo à trimatu, & colores pennarum varios recipit; excludit diebus tricenis aut nonnihil tardius. Semel tantummodo in anno parit ova duodecim aut paulo pauciora, nec continuis diebus, sed binis terniſque interpositis. Primiparæ octona maxime edunt. Columella lib. 8. ter anno fere partus edere, ac quæ foveat ova, totum tempus fœcunditatis aut excludendis aut etiam educandis pullis consumere. Quapropter vere icon debet esse fœminæ pudicæ & fœcundæ, quæ tam propter *φιλοτεκνίαν* honestam, quàm fœlicem *εὐτεκνίαν* merito commendatur. Cujus utriusque rei Aristoteles 1. Rhetoric. meminit, ubi ait: Si ergo ea est fœlicitatis natura, necesse est ejus B partes intelligi, præclarum genus, amicitias tum multorum, tum bonorum divitias, sobolem & copiosam & probam senectutem vegetam. Multo autem adhuc præclarior est sententia D. Augustini in libro de viduitatis bono. Non ideo, inquit, laudanda es, quia filios habes, sed quia pie illos nutrire & educare studes. Ut enim nascerentur foecunditatis; ut vivant, foelicitatis est, ut autem pie instituantur, voluntatis est & potestatis. In illis homines tibi gratulantur, in hoc imitantur. Hæc ille. Quantæ autem fuerint immunitates & privilegia eorum, qui in utroque genere *φιλοτεκνίαν & εὐτεκνίαν* excelluerunt, præsertim apud Romanos, testantur passim Iurisconsultorum libri. Dicat igitur honesta & numerosæ sobolis mater,

*Me beat & formæ & numerosa copia prolis,*
*Ut sim matronis dulcis imago bonis.*

## FESTINATIO. *præcox. mala.*

C DE Perdicis pulli nimis præcipitata exclusione Ælianus lib. 4. de Animal. cap. 12. inquit; Perdicum fœtus intra ovum nunc etiam complicatione testarum comprehensi, à parentibus sui exclusionem ex ovis minime expectant, sed à seipsis tanquam fores pulsantes ova elidunt, & jam extra eminentes se impulsu suo impellunt, ovique etiam nunc tegumento circumvestiti currunt, atque à dimidia testæ parte, si adhuc circa caudam adhæresca, semet excutientes liberant, & velocissime ad cibi investigationem procedunt. Qua similitudine repræsentatur aptissime nimis præcox & celer in rebus suscipiendis progressus, cum festinatio modum excedens & præcipitantia inconsulta in omnibus consiliis & actionibus plurimum obesse solear. Quare Herodotus recte monet, *ἐπιχρᾶσθαι πᾶσι πρήγμασι πέντε σφέλμασι*, id est, *omnia res properando parit errores.* Quod Plato etiam subjicit 7. de Repub. *τὸν σπεύδοντα ταχὺ πάντα διελθεῖν μᾶλλον βραδύνειν*, Eum qui in omnibus expediendis festinat, magis retardari. Quo etiam spectat Luciani dictum: *ἡ βραδύτης βουλὴ μέν ἐστιν, ἡ δὲ ὀξύτης ἐπιτελεμένων τῶν μετρίων ἴσχει*: quod quidam hoc Disticho vertit:

*Tardum consilium est melius quàm præcipitatum:*
D *Nunquam non jungi cui metuenda solet.*

Et notum est præceptum sapientissimum Biantis, *νέα κεφαλὴ τέσσαρα πρᾶττε*, cogita & postea rem aggredere. Itemque Euripidis in Electra præclara sententia.

*φεύγω γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ πρόσωπον μίχα*, id est, *Qui facinus ingens tentat, ille lentus est.*

Ac exempla plurima tam recentia quàm vetera in promptu sunt, quæ temeritatem ac præcocem celeritatem semper multum detrimenti attulisse satis clare ostendunt.

*Vix exclusa volat perdix: sed saperuina*
*Ingenium præcox unica causa fuit.*

## FESTINTIO.

QUi de animalibus scripserunt annotant, Pardum ac Leopardum, interdum (respectu nominum) ab auctoribus promiscue accipi: cùm quidem nomen Pardi ante Lucanum & Plinium vix in

A vix in usu fuisse deprehendatur; sed Pardalis sumebatur de utroque sexu. Leopardi vero denominatio adhuc est recentior, cujus ante Iulii Capitolini aut Ælii Spartiani tempora nemo (ut docti nonnulli autumant) memminerit. Significat autem proprie feram natam ex leæna & Pardali. Leopardus Cicuratus principibus inservit tanquam canis venaticus, quem in cervos & damas emittunt. Ac tale est hujus animalis ingenium, ut nisi intra paucos saltus (aliqui ternos statuunt) feram vel leporem assequatur, ita efferatus recedat, quem venator hausto sanguinis ex lagena, vel frusto carnis placare solet. Significat autem hieroglyphica Leopardi pictura, celeritatem seu festinationem & industriam in rebus arduis peragendis admodum esse necessariam; quæ si non habeat locum, quiescendum, optatiorem occasionem esse expectandam.

*Advigila, prensa, momento occasio constat.*
*Elapso hoc, frustra quod facis, omne facis.*

## FIDELITAS *benevola.*

B Romæ extat tabula marmorea, cujus explicationem descripsimus in Agricola, cujus est hieroglyphicum. In ea præcipue videtur Canis boni affilicus & quasi comitem fidum ipsi se adjungens. Hujus animalis fidelitas benevola non solum vivos dominos colere, & observare, sed etiam iam mortuus prosequi solet: ut etiam sæpius cum illis mori, vel paulo post se quoque conficere non dubitarint. Græcis κύων à verbo κύω, osculor, suavior. Canis enim blandus est & adulator. Fidelitatis caninæ tam veterum quam recentium historiæ pluri mæ in promptu sunt: & potissimum Plutarchus sibi. De animantium solertia rara recenset exempla, sicuti Ælianus, & Plinius libr. 8. capit. 40. Paucis multa,

*Inter quadrupedes Canis fidelis,* *Inter quadrupedes Canis patronum*
*Inter quadrupedes Canis voluptas.* *Cognoscit, veneratur, & tuetur.*

Hinc quoque in Phædone per canem, tanquam fidei symbolum, jurat Socrates. Præterea Romani in suis numis (qui multam eruditionem in recessu continent) canem fidei hieroglyphicum esse voluerunt. Huc referat Lector quæ de canum miranda sagacitate plurimi auctores scripserunt, quæ
C virtus in agricolis plurimum requiritur, & benevolæ fidelitatis comes merito dicenda.

## FIDES *Conjugalis.*

Columba est Græcis περιστερὰ, παρὰ τὸ περισσῶς ἐρᾶν, *quod supra modum amori sit dedita*; quare veteres eam dicarunt Veneri, & Æneas ideo apud Virgil. lib. 6. Æneid. maternas aves nominat, utque est apud Apuleium, Phronutum & alios, μυθολογικῶς currum Veneris, propter ipsarum puritatem & castitatem trahere finguntur. Quod Ovidius quoque 15. Metamorph. testatur.

*Perque leves auras junctis invecta columbis,*
*Littus adit.*

Adduntur faces nuptiales, quæ conjugii amorem & ardorem apud veteres innuebant. Unde hoc hieroglyphicon conjugibus unanimiter & pudice viventibus, veroque amore devinctis destinatum est. Atque hac similitudine columbarum quoque utitur Tertullianus in libro de Monogamia, & noti sunt Propertii versus lib. 2. Eleg. O me fœlicem!

*Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,*
D *Masculus & totum fœmina conjugium.*

Syracides quoque capit. 15. inquit, de tribus forma mea (dicit Sapientia) enituit, & surrexi formosa coram Domino & hominibus. 1. De concordia fratrum. 2. De amicitia proximi. 3. Tertium est vir & uxor qui se mutuo tolerant. Quo in loco multa in vituperationem improbarum mulierum adduntur, cum veterum quispiam etiam de talibus scripserit, omnium bestiarum sævitiam harum immanitate superari. Extant quoque numi argentei Faustinæ, ac Iuliæ piæ conjugis Severi Imperatoris in quibus conspicitur matrona sedens in sella, tenens una manu sceptrum, ad cujus pedes sunt duæ columbæ candidæ, indicantes puritatem & castitatem conjugii.

*Conjugii servant sociala jura columbæ:*
*Et grata est superis sancta in amore fides.*

FIDES

## FIDES *data servanda.* A

IN libello mirabilium narrationum Aristoteli ascripto, de insula Diomedæa, quæ hodie S. Maria de Tremita vocatur, hæc leguntur, ajunt in eo esse templum Diomedis sacrum, & mirabile, idque circumsideri undique avibus insigni magnitudine, quarum magna & dura sint rostra. Eas, si Græci homines advenerint, quiescere: sin vero ex vicinis locis Barbari aliqui, sub volare, & è sublimi præcipites capita eorum ferire, rostrisque ad mortem usque vulnerare. Quod tamen nostris temporibus à nemine observatum fuisse putatur. Simile quippiam de avibus Memnoniis Ælianus lib. 5. Anim. cap. 1. refert. Fabulantur autem poëtæ, Diomedis socios, cùm ipse ab Æneæ regionum illarũ rege dolo occisus esset, naufragio circa hanc insulam facto, in aves ejusmodi esse mutatos: cujus quoq; Strabo lib. 7. & Ælianus lib. 1. Animal. cap. 1. una cum Plinio meminere. Vocant adhuc nostro tempore has aves vulgo incolæ, Ardennas tanquam ardeas, cum Plinius dicat esse instar fulicarum. Paratur nunc ex pinguedine harum avium unguentum, quod in morbis articularibus in Italia magnifieri solet. Placuit autem huic hieroglyphico Duci Neapolitano de Matalona dicto uti eo tempore, quo una cum duce Albano contra Pontificem Romanum Paulum IV. propinquum suum B bellum gereret, ut eo ostenderet multo pluris se facere fidem datam adiuratam Regi suo, quam cõsanguinitatem arctiorem cum Pontifice, absque quo fuisset potius ad exemplum istarum avium suos defendere & exteros abigere voluisse.

*Quæ semel est promissa fides, servanda perenni*
*Fœdere, & est ipsa sanguinitate prior.*

Verno tempore ficus arbor speciosis floribus aut fructuum præcocium abundantia minime sese ostentat, nullamq; inanem hominibus de se spem injicit: in autumno autem fructum suaviss. ac quidem in illis reconditos quasi flores quosdam (unde in Italia adhuc vulgari lingua in quibusdam locis *fiorini* appellantur) proferre solet. Salix vero elegantes & admodum præcoces flores exhibet, sine tamen ullo fructu paulo post evanescentes. Ad eundem modum magnæ levitatis esse censetur, multis & inanibus promissis aliorum benevolentiam captare, ac minime laudabile præceptum Ovidianum, quod nullo modo imitandum, velle sequi: C

*Promittas facile, quid enim promittere ladit?*
*Pollicitis dives quilibet esse potest.*

At graviter breviterq; Horatius inquit,

*Multa fidem promissa levant.*

Quapropter in universa vita commendatur promissorum observatio, & sine omni fuco ac simulatione in omnes prompta beneficentia. Unde Cicero quoque lib. 1. de Officiis præclare scribit fundamentum justitiæ esse fidem, id est, dictorum conventorumque constantiam ac veritatem. Dehoc Petri Castalii poëma tale legitur;

*Si lubet, insignem quam mittimus, accipe ficum,*
*Forsan & hæc vitæ corriget acta tuæ.*
*Vere nullo florum vestitur honore,*
*Et tamen autumno dulcia poma gerit.*

*Quid tua me dubiam toties promissa morantur?*
*Quod spondes primum si sapis, illud age.*
*Tarda vel miseros possent promissa beare,*
*Ni structos tandem proderet arca dolos.*

## FIDES *vigilans.* MEDICUS. D

CAnum fides à polyhistoricis & physiologis omnibus celebratur. De anseribus lib. 10. cap. 22. Plinius scriptum reliquit, est anseris vigil cura Capitolio testata defenso. quod Livius libr. 5. & Plutarchus in Camillo explicant, Socrates solitus per canem, tanquam fidei tesseram, & per anserem, ceu vigilantiæ auctorem, jurare. Ex his igitur fidei vigilantis, seu vigilantiæ fidelis hieroglyphicon pingitur. Nonnulli ad probos & doctos medicos speciatim referunt, quorum princeps graviter & breviter (suo more) 6. Epidem. monet, *ωνθρ εἰκῆ, μηδὲν ἀπερεῖν*, id est, Nil temere, nil negligenter esse agendum. Quod utiliss. præceptum ad omnes totius vitæ partes recte poterit transferri. Pausanias in Corinthiacis observat à Transimede Pario fuisse sculptum Æsculapium in solio sedentem, sceptrum dextra gestantem, &c. Medici hieroglyphicon, quod Hadr. Iunius tetrastichonobilitavit & luculento commentario explicuit, sic ille:

*Sceptri-*

A *Sceptriger, & lauro, baculoq; instructus acervo,*
*Quid draco, quid gallus vult sibi, quidve canis?*
*Imperat hic ægris, operosaq; arte medetur,*
*Sedulus, & fidus, dignus honore, vigil.*

Canis & anseris hieroglyphicon Disticho boni poetæ ornamus.

*Quid vis fida canis? quid vult sibi candidus anser?*
*Sit monet integritas, sit vigilaxq; fides.*

## FIDUCIA *humana excutienda.*

OCcasio hujus desumpta est ex Apologo, quem Agellius lib. 2. cap. 29. eleganter & copiose describit in hunc modum. Cassita in segetibus nidulari solet, pullique ejus adhuc involucres fere existunt, frumentis flauescentibus. Cumque Dominus agri amicos primum coguatos, deinde & affines ad labores messis capessendos invitasset, sed illi rogati non apparuissent, valeant, inquit dominus filio, amici cum propinquis, eras ipse ego & tu frumentum nostris manibus metemus. Quod factum cassita à pullis cum intellexisset, tempus est cedendi, ait; & abeundi in alia loca: fiet enim proculdubio quod futurum dixit dominus, atque ita cassita migravit, & seges ab ipso domino fuit de-
B messa. Hinc apparet quam sæpe sit levis & inanis amicorum & propinquorum fiducia, & proinde melius est, ut in nobis tantum ipsis nitamur: alia autem omnia, quæ extra nos extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus. Unde idem auctor ibidem monet, operæ pretium esse, ut Ennianos versus de hoc Apologo scite admodum & venuste compositos, cordi atque memoriæ habere studeamus.

*Hercle puto, hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,*
*Ne quid expectes amicos quod tu agere possis.*

Quod Plautus in Mercatore argute dixit,

*Suam quisque homo rem meminit,*

Nihilominus tamen verorum amicorum opera necessitate urgente sæpe etiam utilis esse solet, quare Homer. λ. σ. quoque finxit unam ex gratiis Vulcani esse sociam, vel, ut alii, uxorem, quod nimirum ardenti quadam cupiditate debeamus amicis gratificari, nec in ejusmodi officiis multum cun-
C ctari. Est autem hujus hieroglyphici integer versus,

*Nemo quidem melius, quam sua quisque facit.*

cui Distichon conjungimus,

*Cum sua quis recte curare negotia possit,*
*Alterius stulte pendet ab arbitrio.*

## FILIORUM *erga parentes gratitudo.*

DE Ciconiæ in parentes gratitudine tam veterum quam recentiorum scripta plurima sunt in medio, & inter cæteros Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Oppiani, Æliani, Horapollinis, Plinii, Valerii Maximi Suidæ, & inter sacros auctores Basilii Magni in Hexamero, Homilia 8. ac in libello de honore quo afficiendi sunt patres in senectute, & Ambrosii in Genesin cap. 5. legi possunt. Qui quidem universi in hoc consentiunt quod gratam memoriam educationis & nutricationis præstitæ, juniores Ciconię diligenter observent, atque ideo senio confectos parentes nunquam
D deserant, sed mutuis officiis eos foveant ac magna cum cura pascant. Unde Græci elegans verbum ἀντιπελαργεῖν, id est, *reciconiare*, derivarunt. Ac Budæus in Pandectis, quasdam leges ἀντιπελαργικὰς exposuit ex Scholiaste Aristophanis, quibus cavebatur de alendis in senectute parentibus, & Petronius Arbiter vocat Ciconiam pietatis cultricem. Quod Romani quoque in suis numis observarunt, ut imprimis in Hadriani Ciconia est expressa, cum inscriptione, PIETAS AUGUSTA. Ac notus est cujusdam veteris poëtæ versiculus,

ἱκανὼς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς,
*Diu vives, senectam si parentum nutrieris.*

Quæ autem ex adverso, mala & tandem extrema pernicies sint expectanda ingratis & erga parentes injustis liberis, exempla plurima tristia & horrenda satis superque testantur, & S. Paulus in Epistola ad

Ephesios cap. 6. ostendit quartum præceptum singularem habere hac in parte adiunctam promissionem. Vnde Homerus quoque (quanquam Ethnicus) de quodam grauiter λ.δ. protulit, A

οὐδὲ τοκεῦσι

θρέπτα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δὲ οἱ αἰών.

Quos versus Pierius in hieroglyphicis ita vertit;

*Et quoniam charis nunquam genitoribus æquum*
*Reddidit officium, immatura est morte peremptus.*

Hieroglyphica tabella exhibet Ciconiam in aëre, quæ gestat parentem senio confectam, eique in os inserit ranam pro alimento, cum inscriptione, acceptum reddimus Officium, & Disticho,

*O rara illustris pietatis imago, parentem,*
*Quando humeris gestat filius ipse suis!*

Hic Æneæ Anchisen patrem ex flammis ereptum, tollentis Syracusanorumq; adolescentum parentes per medios ignes auferentium, picturæ nobis occurrunt: de quibus & aliis Valerius Maximus egregie disserit. Lepidum vero est epigramma in Neronem parricidam scriptum, quod Æneæ pietatem illustrat. B

*Quis neget Aeneæ magni de stirpe Neronem?*
*Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.*

## FORMIDO *vana.*

MAGNOS vana terrent. Leonem, animalium ferocissimum, ferunt circumactos rotarum orbes, cantus gallinaceorum, & omnium maxime faces ardentes timere. Quod ad primum atque tertium attinet, rem ita se habere rerum naturalium scriptores affirmant: alterum vero de gallinaceis Cæsar Scaliger & alij tum experientia, tum multorum relationibus rident, & cum nugis veterum longe valere volunt. At sicut ignis subito & sine causa Leonem perterrefacit, ita videmus potentioribus vana quædam & abiecta terriculamenta (Græcis μορμολύκεια) sæpe obiici, quæ ipsos nimis alioqui sese efferentes terreant, & in officio contineāt. Sed alij plurimi ex ignorantia quadam sæpe metuunt non metuenda, teste Lucretio. C

*Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis*
*In tenebris metuant, sic nos in luce timemus*
*Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam*
*Quæ pueri in tenebris pauitant, finguntq; futura.*

Et sapienter poëta quidam,

*Non est ingentis vis expers ulla timoris.*
*Sic pauet infesto percitus igne Leo.*

Alij paulo aliter hæc explicant, atque hoc indicari volunt, philosophiam esse antidoton iræ, atque vehementissimi affectus impetum non melius sedari, quam huius consideratione, ac inprimis meditatione cœlestis sapientiæ, quæ facis instar mentem nostram illustret atque regat.

*Getulus Leo non sic aliud quam metuit*
*Tædam flammiuomam, qua rabies sæva cadit.*
*Sidit trux animus vel facibus Luciferis*
*Cœlestis Sophiæ, aut supplicij terriculis.*

## FORTES.

NAVTILVS, ut de eo Aristoteles, Athenæus, Oppianus, Plinius, alijque memoriæ prodiderunt, ut, in mare veluti remigans & velificans, ut verbis utar doctiss. Scaligeri, adeo scite, miro naturæ lusu, concham suam regere nouit, ut mari tranquilliore pedes quos extra illam tanquam rudentes extendat, intra quos tenuis membrana velut velum panditur vento aspirante, subter vero alij duo aquam contingentes gubernaculis similes & domum & nauem & piscem deducunt: Sicut ad hanc similitudinem naues primum exædificatas & conformatas Oppianus existimet. Quod si mali quid alicunde immineat, tum rudenes omnes, vela, gubernacula contrahens, impletusque multa aquę in fundum maris tuto se demergit. Et hanc Nautali nauigationem elegantiss. epigrammate Callimachus quoque descripsit. Icon autem hic piscis est hominis ad utramque fortunā recte compositi. Sapiens enim, ut præclare Apuleius ait, nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis, D

sedon-

A sed rectos oculos tenet, tu Seneca loquitur, nihil ex vultu mutat, sive illi dura, sive secunda ostendantur. Quin imo dura prævidet, & declinat. Ergo unicuiq; in promptu esse debet Terētii admonitio.

*Quamobrem omnes cum secundæ res sunt, maxime*
*Meditari secum oportet, quo pacto adversam fortunam ferant.*

Nam ut pluchertime B. Basilius scripsit: οὕτως γὰρ ὑπὸ τοῦ μὴ ἀπὸ τοῦ μὴ κυβερνήτης ὁ ἐσόμενος τὸ ὑποκείμενον φέρειν, μὴ χαλόμενος τὸν μηχανισμὸν, καὶ ὁμοίως ἀεὶ αὐτὸς ἑαυτῷ διαμένων, μήτε ἐπαιρόμενος ἐν ταῖς εὐθυμίαις, μήτε κατὰ πίπτων ἐν ταῖς συμφοραῖς: *Ille demum prudens est gubernator, qui naturæ scopum, quo tendat, sibi proponens, ea quæ accidunt, moderatur, sibique semper similis, neque prosperis extollitur, neque adversis corruit.*

*Nautilus ut placidum & sævum mare sustinet æque,*
*Sic itidem fortis sorte in utraque animus.*

## FORTIS.

B VIRGILIVS. lib. 5. Æneidos. de Entello scribit.

*At non tardatus casu, nec territus heros,*
*Acrior ad pugnam redit, & vim fuscitat ira.*

Viri fortes, nisi valde irritati, & aliqua insigni injuria stimulati, non cito deponunt animi sui moderationem; sed ad justam indignationem nimium provocati, tandem sese acrius incitant & egregie viros exhibent. Quemadmodum autem ejusmodi heroicus in magnis viris merito locum suum habet, ac laudem quoque meretur, sic absque discrimine non ubique sunt imitandi, sed potius aurea sententia reponenda, *Quo major, eo placabilior.* Euripides etiam præclare monet, ἀγαθοῦ φρονεῖν ἐστὶ μεγίστη τέχνη, σῶσαι κεῖνον τὸν ἄνδρα; *sapientis esse operam dare, ut iræ moderatæ indulgeat.* Rhinoceros provocatus ad pugnam, sic effertur sum, jactat ut impositas taurus in astra pilas: & viri fortis, cujus patientia læsa fit furor est hieroglyphicum. Et profecto,

*Non temere cæcam vir fortis fertur adiram,*
*Iusta sed indigne læsus in arma ruit.*

## FORTIS *Bellator.*

C VIR fortis & patriæ imprimis amans, nihil aliud sibi proponit in bello juste gerendo, quam aut præclare pugnando vincere, aut laudabiliter succumbendo mortem oppetere. Quod ramorum duorum decussatim se mutuo complectentium hieroglyphico significatum est. Unus est palmæ, qua arbore usi sunt veteres in suis victoriis, quod plures numi, picturæ & statuæ satis ostendunt, ejusque rei reddit rationem Plutarchus, 8. Sympos. quam ante ipsum Aristoteles quoque approbavit: nimirum arboris istius eam esse proprietatem, ut urgentibus prementibusque ponderibus præ aliis non facile cedat. Alter ramus est Cupressi, funeribus destinatæ, quod cariem aut corruptionem non facile sentiat. Et Thucydides lib. 2. perhibet arcas ex cupresso fuisse efformatas pro eorum corporibus qui pro patria in bello Peloponnesiaco contra Spartanos mortem oppetere non dubitassent: qui denique ut fortiter vixerant, fortiter è vita abierant.

*Vincere pro patria, vel pulchra occumbere morte*
*Fortis amat: ramus quod monet iste duplex.*

D Nempe Cupressi & palmæ decussatim repositus. Quicquid obtigerit erit gratissima merces,

## FORTIS *mergitur, non submergitur.*

MERGVS, inquit Isidorus, ab assiduitate mergendi nomen accepit. Sæpe autem in profundum dimisso capite aurarum signa sub fluctibus colligit, & prævidens æquoris tempestatem, cum clamore ad littora tendit. Quod Plinius quoque confirmat, & hujus fabulam exponit Ovid. XI. Metamorph. quam tali versu concludit,

*Æquor amat nomenque manet quia mergitur illi.*

Græcis ut sentit Gesnerus, ex Gaza & Scaligero, putatur esse ἀπὸ τοῦ χρώματος à colore, quamvis Wottonus aliter sentiat. Hoc symbolum imprimis convenit illis qui rebus difficilibus & asperis agitati, nunquam animum despondent, sed forti animo ac constanti semper se sustentant, & tandem etiam eluctantur.

Ubi inter alia multa præclara dicta locum aliquem etiam habere potest Boëthi carmen lib. 1, me- A
tro 4. expositum.

*Quisquis composito serenus ævo*
*Fatum sub pedibus regit superbum,*
*Fortunamq; tuens vitamque rectus,*
*Invictum potuit tenere vultum,*
*Non illum rabies, minæque ponti*
*Versum funditus excitantis æstum,*
*Nec ruptis quoties vagus caminis*
*Torquet fumificos vesevus ignes,*
*Aut celsas solitis ferire turres*
*Ardentes via fluminis movebit.*

Voluit autem hoc hieroglyphico Cæsar de Aquino Comes Maturani declarare, familiam ipsius fere me submersam & extinctam, per eum rursum invicto animo avitam gloriam & celebritatem recuperasse. De cujus magnanimi viri horrissimis factis plenæ sunt historiæ Neapolitanæ à diversis editæ.

*Non raro medius vir fortis mergitur undis*
*Adversæ sortis, nec tamen obruitur.*

## FORTITUDO.

POpuli Israelitici fortitudo invicta robori monocerotis appositio hieroglyphico designatur, Num. B
23. 22. 1. & 24. 8. *ké Tohaphoth Reem lo.* id est, & altitudines monocerotis, ipsius, quod ita exponunt, fortitudo ejus (nempe Israelis) similis est cornu monocerotis. *Tohaphoth* proprie significat altitudines, ut Psal. 95. 4. *Tohaphoth harim.* Altitudines montium, quorum arduo ascensu viatores defatigantur. Et Jobi 22. 25. *keseph Tahaphoth.* Argentum altitudinis vel defatigationum, quasi Eliphas dicat, tantos argenti cumulos sive acervos, ut lassitudo membris omnibus obortiatur, priusquam illud libra pendere, vel numerare possis. Ita numerorum locis citatis, quidam non incommode vertunt Altitudines monocerotis, ob sublime cornu quod ex fronte hujus animalis prominet; unde etiam apud Hebræos nomen accepit. Raam etenim exaltari, aut sublimem esse significat. Huc pertinet traductio Rhetorica, qua David ad feræ hujus etymon alludere videtur Psal. 92. 10. *Vattazem Kireem Karni*, id est, & exaltabitur, sicut monocerotis, cornu meum. Alii vocem *Tohaphoth* μεταφορικῶς, de summa animi alacritate, & indefessa vel insuperabili fortitudine corporis accipiunt. Hæc enim fera, monoceros, viva non capitur; Plin. lib. 1. cap. 21. Idem vox divina, Iobi cap. 39. v. 12. & C
13. innuit.

Utramvis expositionem amplectamur, Balaam ostendit populum Israëliticum tanta fortitudine & magnanimitate præditum fore, ut nec Balaci nec aliorum regum viribus oppugnari queat. Similis pene locus extat Deuter. 33. 17. De gloria regni Israelitici, cujus summa tandem ad tribum Ephraimiticam è posteris Iosephi reditura erat.

Aristoteles lib. IX. cap. 12. περὶ κύνος, inquit, οἱ μὲν ἰσβλῶτες, καὶ ἰσχνόφυες, καὶ ἰσχνόπλευροι, καὶ ἀγεννεῖς, καὶ τὸν ἀεὶ ἐὰν ἄρξηται, ἀμυνόμενοι πικῶσιν, αὐτοὶ δὲ οὐκ ἄρχουσι μάχης. Quæ ita vertit Gaza. *Nec probitate vigent canes, macrum, prolix & senectutis vacant. Aquilam, si pugnam inceperit, repugnantes vincunt; ipsi autem nunquam nisi provocati inferunt pugnam.* Quod idem quoque Oppianus, Plinius, Ælianus & alii tradunt. Exprimitur autem hac similitudine is, qui sine justa causa neminem offendere, aut cum ullo contendere cupit, quive adversarios animo magno contemnit, attamen prudens quoque & cordatus non plane negligat, ac nimium provocatus ac lacessitus quoque de sua defensione cogitat. Quare Aristoteles quoque 3. Ethic. Nicomach. fortitudinem ait esse quoddam medium inter metum & confidentiam. D Quæ copiosius explicat Seneca in quadam Epistola ad Lucilium, his verbis. Fortitudo non est incōsultat temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitus, sed est scientia distinguendi quid sit malum, & quid non sit. Atque hæc quidem ut ἀγαθὰ, dicta non sunt improbanda, cum defensio justa jure divino ac humano sit concessa, sed in schola veræ pietatis Christianæ, quæ etiam inimicis benefacere jubet, adhuc multo meliora præcepta traduntur. Magna enim est virtus (inquit Isidorus) si non lædis à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. Eodemque sensu Lactantius lib. 6. cap. 16. reprehendit Ciceronem, quod lib. 1. Offic. dicens, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, nemini noceat nisi lacessitus injuria, simplicem veramque sententiam duorum verborum (nimirum lacessitus injuria) corruperit.

FOR

## FORTITVDO *Invicta pi animi.*

A THEOPHRASTVS docet, & cultores hoc testantur, Croci plantam priusquam in florem sese exerat, conculcatam nonnihil ac pedibus leuiter attritam, postea pulchrius renasci feliciusque germinare. Sic viri fortes & animosi atque ad quæuis magna & egregia facta susciepienda ac expedienda nati & parati, tantum abest ut rebus difficilibus ac aduersis frangantur, vel deterreantur, ut multo etiam inde reddantur alacriores & aptiores ad quæuis laudabilia facinora, virtutisque opera præclara subeunda atque exequenda, sequentes adhortationem Sibyllæ apud Virgil. Æneid. 6.

*Tu ne cede malis, sed contra audentior ito*
*Quam tua te fortuna sinet.*

Quod etiam ingeniosus alius Poëta, aliis versibus ita expressit.

*Qua latet ingenij bonis cessat non cognita rebus* *Pulchrior ut crescat, teritur Crocus: ô furor ingens!*
*Apparet virtus arguiturque malis.* Et alius. *Latior ut possis surgere, nollepremi.*

## FRAVDES *pernicioſa cauendæ.*

B VIGILA & time, inquit Sapiens.

*Passim fraus cæcu latet insidiosa tenebris:*
*Ne capiare caue, & sobrius aduigila.*

Apud Virgilium, Ecloga 3. hi leguntur versus.

*Quilegitis flores, & humi nascentia fraga,*
*Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.*

Qua similitudine admonemur, ne plausibilia quidem & speciosa, reipsa vero non solum inutilia, sed pernitiosa quoque dum persequamur, in opiniones absurdas, prauas & à vero nos longissime abducentes incurramus: memores præcepti Theognidei.

Παιδάει γὰρ γνώμῳ ἑκάστῳ ἰδίᾳ. id est.
*Ac mentem species fallere sæpe solet.*

Alij ita interpretantur, ut herbas ac flores elegantes accipiant pro diuitiis, quæ deliciarum ac aliarum voluptatum odores suauissimos spargunt; in quibus tamen sæpissime latet serpens iste vitiorum, superbiæ scilicet, prodigalitatis immodicæ ac luxuriæ tandem omnia labefactantis, per quę C non solum valetudinem bonam, sed vitam insuper ipsam multi amittunt. Atque eodem modo per alia quoque fœlicitatis genera licet hæc deducere: ubicumque eum modum excedimus, nec veram animi moderationem ante oculos habemus, numquam ad veram virtutem, quæ in mediocritate quadam consistit & animi tranquillitatem solidam peruenire possumus.

## FRAVDVLENTI *homines.*

VESPERTILIO à vespertino tempore dictus, à nocte græcis appellatur νυκτερὶς. Hanc auium solam animalsiue viuum fœtũ parere & lacte nutrire Plinius lib. 10. cap. 61. memoriæ prodidit. Extat autem elegans fabula apud Ovidium lib. 4. Metamorph. de Alcithoe & sororibus, Minei Thebani filiabus, ob contemtum sacrificium Bacchi in vespertiliones conuersis. Notantur vero per vespertilionem tria genera hominum (quod Alciatus quoque in Emblematis nonnihil innuit) quorum primum est qui ob malam famam, æs alienum, vel aliam similem causſam lucem & homines fugere coguntur. Alterum Philosophos nonnullos continet, qui dum nimis abdita & incerta, D & longe supra ipsorum captum posita perscrutari conantur, sæpe cæcutire solent, quod etiam Aristoteles lib. 2. Metaphys. monuit, ubi ait, ὥσπερ γὰρ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, id est, *Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen die se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.* Tertium est quorundam versipellium, & callidorum, ac plane ancipitis fidei, iam hoc probantium, jam aliud; de quibus versus commemorantur veteres ex Agathone apud Varronem de lingua latina.

*Quid multa? factus sum vespertilio, neque*
*In muribus plane, neque in volucribus sum.*

Quales fraudulenter ἀμφοτεριζόντως, neutri parti in civili discordia adhærẽtes, lex Solonis (ut in eius vita tradit Plutarchus) ab omnibus publicis muneribus removit, quod quidẽ non ideo factum

est, quod pacis & tranquillitatis necessario tempore studiosi improbarentur: sed potius ut hac ratione facilius ac commodius cives tam in concordia retinerentur, quam disiuncti rursum ad illam rectius perducerentur: Conuenit etiam hieroglyphicon illud versutis illis qui in negotio pietatis duabus sellis sedent, ut proverbio fertur, & foro atque tempori serviunt, ita ut tandem inter gravissima suspiria desperabundi misere pereant, in tenebris & mortis caligine constituti, gloriæ hominum studiosi, lucifugæ, Christi hostes capitales, atque salutis æternæ obliti. De quibus pridem dictum est Joann. 3. 19. Hæc est condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem: quia mala sunt eorum opera. A

## FRAUS *oppressa.*

CERVVM dicunt nominari ἔλαφον, quasi ἔλοφον, διὰ τὸ ἕλκειν τοὺς ὄφεις, quod attrahat serpentes vel ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τοὺς ὄφεις, quod serpentes abigat. Plinius narium spiritu dicit extrahere renitentes, quod Ælianus quoque asserit, addens eos etiam à cervis devorari. Idem Lucretius refert lib. 6. Nec aliter Nicander in theriacis, & D. Basilius Magnus in Hexaëmero. Ac secundum Oppianum 2. Cynæget. & 2. halieut. & alios, cervi & serpentes mutuo odio tantopere flagrant, ut etiam cornu cervinum, teste Dioscoride, Apollonij Scholiaste, lib. 2. & Æliano, suo suffitu abigat serpentes. Hieroglyphica nota est docens fraudem nullis latebris esse tutam & versipelles homines ac pravos simulatores pessime sibiipsis consulere, qui tametsi aliquantisper tanquam in antris suis & cæcis recessibus latitent, nihilominus tamen vi ac potentia veritatis inde tandem extrahuntur, atque ab illa opprimuntur. Sic Peregrinus apud Gellium lib. 12. cap. 9. dicebat eos errare qui spe & fiducia latendi peccant, cum nulla sit perpetua peccati latebra, eorumque falsæ imaginationi Sophoclis versus apponebat. B

*Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπαντ' ὁρῶν*
*Καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτίσσει χρόνος.* i.

*Nihil occulta ad hæc quando cuncta tuens,*
*Et cuncta audiens, omnia revelabit dies.*

Istis vero ne temporum intervallo sibi fucum faciant meminerint se ceruum in corde gestare, qui ex antris pravæ peccatisque obduratæ conscientiæ serpentes extrahat, in judicium illis, qui novos serpentes & scelera atrocibus delictis quotidie cumulant.

*Scelus occulisse proprium immensus labor,*
*Idemque inanis irritusque: quidlibet*
*Patres, at ipsum non potes te fallere:*
*Nam se latere nullus unquam visus est.* C

Vnō verbo pius sibi serpens & cervus, dici potest, Impius vero tot serpentibus scatet, ut etiamsi conscientia nonnunquam reclamet, tamen à seipso tandem conficitur, eumque scelus ulciscitur suum. At

*Dispereat fraus ficta dolis candorque triumphet:*
*Tandem illa opprimitur, ceu latebris coluber.*

Posset quoque particulatim magistratus & princeps aliquis scelerum vindex justissimus & improborum hostis acerrimus ad horum terrorem ejusmodi uti hieroglyphico. De principe & magistratu loquimur qui sit secundum Euripidem in Stobæi collectaneis,

*Τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος: τοῖς δ' ἐν κακοῖς*
*Πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.*

*Iustis quidem æquus & justus: malis vero*
*Omnium maximus hostis in terra.* D

## FRVGALITAS.

ΦΩΛΙΣ piscis Hesychio & Varino dictus, ἀπὸ τοῦ φωλεῖν nomen accepit, quod intra suum mucum, veluti pholeum quemdam, id est, latibulum se contineat, quod ex Aristot. 9. hist. 37. palam est. Pierius sub dubitat, an non idem hic piscis sit cum Tinea Ausonij, sed causam eum dubitationis non habere apparet, cum proculdubio diversi sint. Cæterum idem Pierius lib. 30. scribit, Ægyptios hominem, iis quæ sudore proprio compararit fruentem, indicaturos, pholim, piscem pinxisse. Eam enim mucorem, quem ipsa emittat, ad altam crassitiem sibi obducere, ut tota visco delibuta videatur, eoque pro nutrimento uti. Partis igitur bonis & facultatibus modeste nos uti hic piscis admonet. In quam rem sunt tot præcepta Horat. imprimis 1. Sat. 12. Sat. 3. 2. Ep. 2. Hæc si quis respiciat, facile discet, ad vitæ usum necessarium homini frugi & sorte sua contento nihil

A nihil deesse posse. Quo pertinent Euripidis versus à Chrysippo philosopho toties usurpati, teste Gellio 7. Noct. 16. quibus Cereris munus & aquæ poculum mortalibus ait sufficere, quorumque nulla unquam sit saties: In cæteris autem epulis versari lusum, ut exemplis è Varrone petitis hoc Gellius illustrat, Certe enim, ut eximie Horatius cecinit 3. Od. 16.

*Bene est cui Deus obtulit*
*Parca, quod satis est, manu.*

Pulchre etiam Chrysost. ὁ μὴ δεόμενος τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ' ἐν αὐτάρκειᾳ τοῖς ἰδίοις ζῶν, πάντων ἐστὶ πλουσιώτατος: *Nov indigens alienis, sed sua sorte gaudens omnium est ditissimus.*

*Nobis nostra satis, aliena haud indiga cura;*
*Et superûm nectar negligo & ambrosiam.*

VEL ut sorte sua gaudentis verba usurpemus, quæ ad pium virum pertinent: Est (inquit) quæstus magnus pietas cum animo sorte sua contento. Audi rationem. Nihil enim intulimus in mundum, nec efferre quicquam possumus. Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Vide reliqua 1 Timoth. 6, 9, 10.

B

## GARRULITAS *coercenda.*

DEgruum volatu, Cicero lib. 2. de natura deorum ex Aristotele (qui lib. 9. hist. Animalium illas ab ultimis Scytharum campis & Troglodytica regione advenire, memoriæ prodidit) eleganter hæc exponit: Grues, cum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli formam efficiunt, ejus autem summo angulo aër ab iis adversus pellitur, deinde sensim ab utroque latere tamquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem anguli, quem efficiunt grues, tamquam è puppi ventis adjuvatur, eaque in tergo prævolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, nam non habet ubi nitatur, revolat ut ipse quoque acquiescat. In ejus locum succedit una ex iis quæ acquieverunt, eaque vicissitudo in omni cursu conservatur. Hæc ille. Atque ex eo congruere, id est, convenire invicem, à gruibus dictum, quæ non se separant, sive cũ volant, sive cum pascuntur, ut Festus habet. Sed Ælianus insuper lib. 2. cap. 1. addit, unamquamq; gregem ante volatum lapidem devorare, ut & unde prandere possit habeat, & adversus incursiones ventorum C firmamentum assequatur. Id tamen Albertus & alii improbant. Rectius itaq; Plinius libro sæpe cõmemorato c. 23. Certum est, inquit, Pontum transvolaturas, primum omnium angustas petere inter duo promontoria Criumetopum & Carambia, mox saburra stabiliri, cum medium transierint, abjicit lapillos è pedibus cum contigerint continentẽ, & è gutture arenam: cui etiã Solinus astipulatur. Repræsentatur hoc hieroglyphico prudentia singularis, quæ apto & opportuno tempore ita verba & facta omnia moderatur, ut inde nihil detrimenti ulli accidere queat. Additur quoque VELUT PONDERE, ostendens sine labore, molestia ac vigilantia nihil laude dignum effici posse.

*Mira fides! Palamedis avis lapide obstruit ora,*
*Tu quoque ne noceat garrula lingua cave.*

Sapientes Hebræi garrulitatem adagio eleganti perstrinxerunt: Qui multiplicat verba, multiplicat peccata, Et sapiens Gallicus in tetrastichis, idem expressit, inquiens,

*Vel falsa sæpe, aut vana saltem dicere,* *Brevis loquela veritati proxima est,*
*Hominem necesse est obloquentem plurima.* *Vt fabularum inanium loquacitas.*

D

## GENEROSUS.

SENECA philosophus epist. 95. fortem & generosum virum sub equi Virgiliani, Georgic. lib. 3. hieroglyphico depictum asserit. Hæc autem Poëtarum princeps.

*Continuo pecoris generosi pullus in arvis* *Nec vanos horret strepitus: illi ardua cervix,*
*Altius ingreditur, & mollia cura reponit.* *Argutum; caput, brevu alvum, obesaq; terga,*
*Primus ire viam, & fluvios tentare minaces* *Luxuriatq; toris animosum pectus.*
*Audet, & ignoto sese committere ponto,*

Dum aliud agit Virgilius noster, inquit Stoicorum decus, describit virum fortem; ego certe non aliam imaginem magno viro dederim. Deinde perpetuum apud Stoicos fortis & generosi viri subjicit exemplum, addens: Si mihi Cato exprimendus interfragores bellorum civiliũ impavidos, & primus in-

mus inceſſens admotos iam exercitus alpibus, ciuilique ſe bello ferens obuium, non alium illi vol- A
tum aſſignauerim, non alium habitum: altius certe nemo ingredi potuit, quam qui ſimul contra
Cæſarem Pompeiumque ſe ſuſtulit, & aliis Cæſarianas opes, aliis Pompeianas fouentibus, utrum-
que prouocauit oſtenditque aliquas eſſe Reipublicæ partes. Nam parum eſt de Catone dicere, *Nec*
*vanos horret ſtrepitus.* quidni? cum veros vicinoſque non horreat? Cum contra decem legiones &
Gallica auxilia, & mixta barbarica arma ciuilibus, vocem liberam mittat, & Rempublicam horte-
tur, ne pro libertate decidat, ſed omnia experiatur, honeſtius in ſeruitutem caſura quam itura? Quã-
tum in illo vigoris ac ſpiritus, quantum in publica trepidatione fiduciæ eſt? Scit ſe unum eſſe, decu-
ius ſtatu non agatur: non quæri an liber Cato, ſed an inter liberos ſit. Inde periculorum gladiorum-
que contemptus. Libet admirantem inuictam conſtantiam viri, inter publicas ruinas non labantis,
dixere, *Luxuriat que torus animoſum pectus.* Hæc ille.

## GENEROSI, *fideles.*

FALCONES alibi nobiliſſ. (ut teſtatur Sigiſmundus Baro ad herbeſtain, in deſcriptione Moſco- B
uiæ) magnitudine eximii, quos Gyrofaliones alij appellant, in illius prouinciæ aſperis ac inac-
ceſſis rupibus inueniuntur, quos incolæ ad cygni, gruis, & aliarum auium aucupia uſurpare ſolent.
Paulus Ionius ſimiliter in libello de legatione Moſcouitica ſcribit, apud Iungros & Vgolicos in al-
tiſſ. montibus capi falcones præſtantiſſ. quorum quidam ſint candidi guttatis pennis, & herodios vo-
cat, quanquam Ariſtoteles hoc nomen potius Adeis attribuerit. Horũ ſingularem gẽroſitatẽ com-
memorat Olaus Magnus in hiſtoria Septentrionali, lib. 19. cap. 4. Nam ſub auroræ tempus auem ali-
quam, quam per noctem ad calorem naturalem fouendum in iſtarum regionum frigoribus acerri-
mis tenuerat, rurſum incolumem dimittere fertur. Hieronymus Ruſcellus, qui hoc hieroglyphicon
Nobili Anglo Richardo Scelleri aſſignat, de Phaſiano dimiſſo loquitur, eoque hunc nobilem decla-
rare voluiſſe ſcribit, ſe nihil prius neque antiquius habiturum, quam ut in omnibus dictis & factis
integram fidem retineat, generisque ſui nobilitatem ſartam tectam conſerver, parendo inferiori-
bus, & erga omnes comitatẽ & benignitatem ſingularem uſurpando. Non aliter Claudianus quo-
que lib. 2. cum Stilliconi clementiæ laudem tribuiſſet, adiũgit illi ſimul germanã ſororem ipſam fidẽ. C

*Huic diuæ germana fides eademque ſororis* *Corde tuo delubra tenes.*

Et paulo poſt,

*Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,* *Ingenium, paruæ ſtrepitu nec vincula rixæ*
*Manſuroque adamante ligat, nec mobile mutat* *Diſſolui patitur.*

Nihil viro nobili, Principi, Regi, convenientius, quam clementer & fideliter agere cum ſubditis.

*Non necat accipiter, tenuit quem nocte volucrem:*
*Sic ſeruare fidem mens generoſa ſolet.*

## GLORIA.

ÆLIANVS lib. 8. de Animalibus, cap. 2. ſcribit, Omnem canem venaticum, ex eo quod ceperit
feram, non mediocri voluptate affici, & tanquam præmio, ſi venator ei permittat, ea capta vti
ſin vero hoc illi denegatur, feram ſeruare integram, donec venator aduentarit, deque illa capta pro
arbitrio ſtatuerit. Quod ſi inciderit in aprum vel leporem iam mortuum, non attingere quidem, D
nec alienorum laborum ſe participem facere, ne quicquam quod ad ipſum haud pertineat ſibi vin-
dicare velle videatur. Ex quo, inquit Ælianus, apparet φιλοτιμίαν, id eſt, cupiditatis gloriæ non eſſe ex-
pertem. Non enim carnes, ſed victoriam amare videtur. Plutarch. lib. De animalium ſolertia com-
memorat leporem, ſi ſe mortuum ſimulet, relinqui à cane, qui adſtans & caudam mouens, quaſi in-
dicare vult, ſe non prædæ, ſed victoriæ cauſa certaſſe. Vnde Ouidius.

*Pugna ſuum finem cum jacet hoſtis, habet.*

Eſt autem gloria laudabilium factorum approbatio conjuncta cum judicio rectè ſentientiũ: ſicu-
ti Ambitio, κενοδοξία vanam gloriam captat ex applauſu imperitæ multitudinis, vel etiam aliorum ob-
trectationibus. Ariſtoteles 4. Ethic. τῶν ἀγαθῶν (inquit) γέρας δόξαν ἡ τιμή, καὶ ἀποδίδοται τοῖς ἀγαθοῖς, id eſt,
*virtutis præmium eſt honor, & tribuitur bonis viris.* Unde Romæ quoque, ut Livius refert Decad. 3. lib. 7.

A lib.7. bina templa inter se quasi contigua virtutis & honoris conspiciebantur, quorum in hoc nonnisi per illud aditus cuiquam pateret.

## GLORIA *humana.*

MOMENTO transit gloria mundi: nam ut canit poeta,

*Vita fugax, quam causa levis tua stamina rumpit?*
*Pulsa levi flatu, sic Anemona cadit.*

Flos Adonidis apud poetas. Anemone vocari videtur, cujus plures sunt species, flores elegantes, sed caducos profert, phœniceos, purpureos, luteos & albos quoque. Alii florem Adonidis vocant quandam plantam, quam Herbarii Chamæmelum rubrum quoq; appellant. Flos itaque Anemones ut est pulcherrimus, sic levi ventorum impetu, aut solis calore languescit & decidit, ejusque semen pariter facile in pappos abit. Est typus vitæ humanæ brevis ac fragilis. Quidam referunt ad pulchritudinem sexus muliebris, qua sese nimium superbire, seseq; efferre solent fœminæ: cum secundum Senecam in Octavia, florem decoris singuli carpant dies. Suntq; noti versus ingeniosi poetæ.

B *Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos*
*Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.*

Alii habent, Gloria vento discutitur. Nam Anemone nunquam se aperit, secundum Plinium, lib 25. capit.23. Nisi vento spirante, unde & nomen accipit, & facile rursum eodem vento flores & semina discutiuntur. Quod gloriæ vanæ & instabili, quæ non virtute solida nititur ac confirmatur, recte possumus accommodare.

## GLORIA *mundana fugienda.*

D. Augustinus, epist.119. hunc Scripturæ locum, *Stultus ut Luna mutatur*, ad Adamum ejusque posteros accommodans: Quis est ille stultus, inquit, qui tamquam Luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens à Sole justitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, & eo magis ma-
C gisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis. Sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem: omnisq; lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, & à terrenis quodammodo aufertur, ut magis magisque sæculo mogrediens, & in vita sua projiciens intima sua. Et hoc terræ, id est, jis qui terrena sapiunt, deterius videtur, cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Mutatur autem in melius cum intentionem suam & gloriam à terrenis, quæ in hoc sæculo apparent, paulatim advertit & ad superiora ab inferioribus convertit. Et hoc terræ, id est, jis qui terrena sapiunt, deterius videtur. Idem alibi locum lobi exponens, si præcepit Lunæ, non lucet: forte, inquit, rationalis animæ natura figurata hic insinuatur, cui sol intelligibilis est lumen illud verum, quod illuminat omnem hominem. Et quo-
niam tanto magis Luna lucet terrenis aspectibus, quanto magis recedit à Sole; cum autem approna atque mortali, qua splendor ejus apparet terreno sensu videntibus, appareat, propinquet & subjugetur sapientiæ: quo ejus luce secretissima exultans, caveat facere justitiam suam coram homi-
nibus ut videatur ab eis; sed cum gloriatur, in Domino glorietur: quia & cum apparet hominibus, dono Creatoris apparet. Hinc illud Bilii Ant. lib.1.

*Quo magis à Phœbo distat soror, hoc mage nobis*
*Fulget: at à super a lumine parte caret.*
*Cum vero fratri juncta est, non lucida nobis*
*Illa quidem est: supero fulget ab orbe tamen.*
*Esse Deo quisquis cupit ergo fulgidus, ipsi*
*Hæreat, & mundi spernat inane decus.*
*Nam quo mortales quisquam est magè fulgidus inter,*
*Hoc minus est magno fulgidus ille Deo.*

## GRATITVDO.

APVD veteres maximæ commendationis fuerunt equi Theſſalici, quibus bovilli capitis notam A
incolæ inurebant, à qua dictos volunt Bucephalos, non quod capite bovis eſſent præditi: fuit autem κατ' ἐξοχὴν ita nominatus Alexandri Macedonis equus Theſſalicus, qui nullum alium quam regum ipſum ſeſſorem admittebat. Qui cum in prælio, quo Alexander Porum Indiæ regem vicit, fuiſſet interfectus, accepti beneficii memor Macedo princeps, ad Hydaſpim Indiæ fluvium, urbem Bucephalam ab equo ſuo ſic denominatam condi juſſit: teſte Stephano de urbibus, & Plin. lib. 6. c. 20. Beneficiorum memoriam nullo pacto ſeneſcere ſinamus; & gratitudinem quandoque non ſolum ad homines, ſed & ad animalia de nobis bene merita extendamus.

Plutarchus lib. de animalium induſtria ſcribit Trochilum avem ex earum genere, quæ circa lacus & fluvios verſantur, Crocodilum cuſtodire, non proprio victu, ſed ejus reliquiis enutritam. Cum enim ſentit Ichneumonem luto, ſicut athletæ pulvere ſolent, oppletum crocodilo dormienti inſidiari, vociferans & tundens roſtro hunc excitat. Crocodilus viciſſim ita ſe huic cicurem præbet, ut eum aperto ore intromittat, gaudeatque eo tenues carnium particulas, quæ dentibus ſuis inhæ- B
rant, roſtro ſenſim legente & deradente auferre, ac ubi jam os claudere vult, leniter mandibulam inclinans id ſignificet, neque etiam prius demittat, quam trochilum evolaſſe ſenſerit. Et hoc inſigne exemplum gratitudinis, &, teſte Xenophonte, ἀγαθοὶ μεγάλα ἀντὶ μικρῶν ἐνίοτε ἀποδιδόασι. Id eſt, *Boni proparvis magna beneficia conferre ſolent.* Ac Cicero in orat. pro Cn. Plancio ſummopere hanc virtutem pluribus verbis commendans: Hæc, inquit, eſt mater omnium virtutum reliquarum. Paulo poſt: Equidem nihil tam proprium hominis eſſe exiſtimo, quam non modo beneficio, ſed etiam benevolentiæ ſignificatione alligari: nihil tam inhumanum, tam immane, tam ſævum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videare.

*Vel trochili meritis Crocodili gratia conſtat,*
*Præclare meritis tu quoque redde vicem.*

## GULOSUS.

NESCIT gula modum. In Lituania & Moſcovia voraciſſimum eſt animal, inquit Matthias Michovius lib. 2. Sarmatiæ Europeæ, magnitudine canis facie felis, colore nigro. Olaus C
Magnus, Septemtr. hiſt. lib. 18. tribuit illi colorem muſtelinum, nigricantem, nitentem in pilis longis, nec adeo mollibus, crura brevia, caudam vulpis, breviorem tamen. Cadaveribus veſcitur, quibus ita repletur, ut tympani inſtar diſtendatur, atque vi per duas arbores proximas ingreditur, & ita ventrem exonerat. Sic extenuatum, ad cadaver properat & rurſus impletur. Multis Roſomace, Scaligero in exercitationibus contra Cardanum vultur quadrupes dictum. Forſitan natura tam inſatiabile animal in illis regionibus produxit, ut homines ſimili voracitate laborantes redarguat. Fugiamus & nos ingluviem, quam multi hodie ſectantur,

*Quibus in ſolo vivendi cauſſa palato eſt.*

Ac diligenter obſervemus Socratis præceptum, edendum & bibendum, ut vivamus: non autem vivendum ut ventri inſerviamus, & theogaſteres dicamur, quemadmodum de ſeſe apud Euripidem gloriatur Cyclops. Ac noti ſunt Horatii lib. 2. Satyr. 2. verſus elegantiſſimi,

*------ Quin corpus onuſtum* D
*Heſternis vitiis, animum quoque prægravat una,*
*Atque affigit humo divinæ particulam auræ.*

Servator noſter Luc. 21. cap. graviter ſuos monuit, dicens: Cavete ne corda veſtra graventur crapula & ebrietate.

## HOMINES *imſimi.*

INFIRMITATEM hominum Scriptura ſancta locuſtarum hieroglyphico pingit, Numer. 13. v. 34. & Eſai. 40. v. 22. priore loco de exilitate ſtaturæ & membrorum in corpore humano, poſteriore de hominis nihilitate verba faciens. Exploratores enim referunt longe minorem eſſe proportionem Iſraelitarum ad immania Gigantum corpora; & Eſaias quoſcumque homines, ſi cum Deo conferan-

A conferantur, quam locustæ corpusculum ad maximam viri staturam. 2. Aliis locis, nempe Iob. 39. 23. & Psal. 109. 23. nimia timiditas eadem imagine adumbratur. Nam locustæ cum alias, tum vero imprimis seniscecii tempore, graminis arescentis strepitu vel quocumque alio sono territæ, in fugam conjiciuntur. Et quibusdam κατ' ἀντίφρασιν locustæ, quasi loco stare nescientes, dicuntur: & Gallis sauterelles quod indesinenter subsiliant.

## HOMINIS *status absolutissimus.*

ITA res habet in homine, ut in Republica, in qua cum mali melioribus imperant, metuendum est, ne idem fiat quod navi, amoto perito nauarcho, & in ejus locum substituto rei nauticæ ignaro, accidere solet. Quid enim hic aliud fieri potest, quam ut orta tempestate, & navis submergatur, & pereant quæ in navi sunt. Hoc est quod gravissime admonet Theognis: cum bajuli bonis imperant, metuendum est ne navem fluctus absorbeat. Status igitur hominis absolutissimus in eo videtur positus, ut anima imperet, & corpus animæ imperio subsit: deinde ut animæ facultates suum quæque tueantur ordinem: ut sit anima sana in corpore sano.

B

## HOMO *homini lupus.*

PLINIVS scribit proœm. in lib. 7. non sævire pisces, nisi in diversum â se genus. Idem ex Aristot. 9. hist. 1. falsi convincitur, tum ex Polyb. lib. 15. Horapollo etiam ait, pisces non parcere suo generi, unde piscem rei abominandæ fuisse symbolum Ægyptiis, Cl. Alex. 6. στρωμ. & Plutarchus lib. de Iside ostendunt: & sacerdotes Ægyptios ejus esu & usu in sacrificiis abstinuisse, idem Plutarch. auctor est. Symp. q. 8. Lucium certe sui etiam generis minusculos & persequi & vorare, docet experientia. Et Scaliger in exerc. ad Cardan. se integrum Luciolum in Lucii ventre vidisse affirmat. Hieroglyphicon est hominum in alios homines, etiam sanguine aliisve necessitudinibus sibi junctos crudeliter sævientium, cum tamen, ut est in proverbio, *Lupus non voret lupum.* Veriissime B. Ambrosius: Auaritiæ, inquit, potentiorum subjecti ubique inferiores sunt. Quo quisque infirmior, eo prædæ magis patet. Minor esca majoris est. Rursus ipse major à validiore invaditur, & fit C esca alterius prædator alieni. Nam ut Ovidius 1. Met. cecinit:

*Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus, &c.*

At ne putent isti truces, quibus miseros conculcare & consumere jocus est, semper hoc ipsis impune fore. Nam, ut breviter, sed vere Seneca, Thyeste:

*Omne sub regno graviore regnum est.*

Consentit & alter Seneca gravissima me hercle sententia: Quod regnum est, cui non parata sit ruina & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis ista intervallis divisa: sed horæ momentum interest inter solum & aliena genua.

*Lucius in proprium ut sua viscera congerit aluum,*
*Sic ipsi sese conficiunt homines.*

## HOMO *regenitus.*

PLORVM nullus est, qui carnis & Spiritus pugnam molestissimam in seipso non experiatur, ac sæpenumero deploret S. Paul. certe tristes ob eam causam plerisq; locis querelas edit. Gregorius D Nazianz. in poëticis opusculis, præcep. ad virg. carnem appellat Remoram, quod, ut Remora naviũ cursum sistit, ita caro animam ad vitam æternam omni studio ac diligentia tendentẽ, pro viribus remorari atq; inhibere soleat. Vox autem Spiritus designat creatam qualitatem seu sanctitatem à Spiritu sancto in hominis mente, voluntate, corde, atq; affectu progenitum: Caro autem denotat naturæ ingeneratam corruptionem, pravitatem & inclinationem mentis, voluntatis, cordis, seu affectuum ad ea, quæ sanctæ Dei legi repugnant. Hi duo hostes in homine non sunt disclusi sejunctis locis, ac si caro in alia parte & facultate animæ, spiritus vero in alia resideret. Vtraq; pars confligens per omnes animæ vires de facultate diffusa & conjuncta est. Altera pars mentis non est Spiritus, altera existente carne. Sed tota mens partim caro est; partim spiritus; tota voluntas hominis partim caro, partim spiritus est. Spiritus & Caro, hoc est, gratia & corruptio, non loco, sed ratione distinguuntur. Quidã conflictum illum perpetuum inter carnem & spiritum in homine regenito Goliath.

philisthæi gigantis & Davidis adolescenti pusillæ statutæ hieroglyphico deplanxerunt. Alii Centauro assimilarunt. Nonnulli hominem Tragelapum appellarunt. Et D. Augustinus hoc animal, qua parte cervus est, mentum significare ait, legi Dei secundum hominem interiorem servientem: qua autem parte hircus est, videt alteram legem repugnantem legi mentis suæ, atque captivantem eum legi peccati. Id autem dicere videtur D. Augustinus quia cervus mira pedum levitate præditus est; hircus autem ad libedinem pronus est, ingratique odoris. At vero impii Severiani, ut refert Ephiphanius hæres. 45. hominem partim Dei esse, partim diaboli contendebant; Dei nimirum ab umbilico sursum, diaboli autem ab inferioribus partibus. A

## HONOS *alit artes.*

CANCRORVM genus, inquit Arist. 4. histor. animal. multiplex est, nec facile enumerandum. Conveniunt autē in hoc omnes, quod universis sit pars dura & testacea foris pro cute, mollis & carnea intus, supina corporis planiora & tabellata magis, quibus & ova deponunt, quando pariunt. De his etiam Plin. lib. 9. cap. 31. Omnia ejus generis hyeme læduntur, autumno & vere pinguescunt, ac plenilunio magis, quia nocte sidus tepido fulgore mitificat. P. Bellonius scribit, eos plena luna uberiores, silente flaccidos fieri. Quod ex Cicerone 1. de divinat. habet, qui generaliter ait, ostreis & conchyliis omnibus contingere, ut cum Luna crescant pariter pariterque decrescant. Sed & Lucilii illud apud Sell. lib. 20. c. 7. notum est: *Luna alit ostrea, & implet echinos.* Sed hoc quidem symbolum, quamvis quidam ad suos potissimum amores applicuerunt, indicantes se ad vultum fœminæ adamatæ vel crescere, vel decrescere, rectius tamen, & ἀνθρωπίνως nos ad Principum & magnatum erga suos ministros gratiam, vel contra neglectum ac contemptum referre poterimus. Quin & ad litteratos, doctos & ingeniosos viros accommodare, quorum vigor & incrementum, sicuti è contra miseriæ & squalor fere in manu sunt potentum, secundum usitatiss. vetiículum: B

*Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.*

In quam rem sane est memorabilis Plutarchi in Orat. 2. de fortuna & virtute Alexandri sententia, ita latine reddita: Ut enim frugum copiam bona temperies & tenuitas aeris gignit, ita artium & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor, & humanitas regis efficit: & contra principum invidia, sordes aut studium contendendi omnia ista extinguit & perdit. Hones equidem alit artes; C sed & unusquisque Principum minister hieroglyphicon illud sibi applicans fortasse dicere possit,

*Crescente adcresco Luna decrescominuta.*
*Aula num melius pingitur effigies?*

## HOSTIS *nullus spernendus.*

ARIES, qui adolescentem, à quo sæpe provocatus est, nonnunquam impetu facto prosternit, hieroglyphicon censetur illius viri, qui à potentiore non levi affectus injuria, fert quidem ad certum tempus patienter se contemni, interea tamen occasionem observans, ut se tandem quoque virum ostendat, & adversarium dejiciat. Nam ut ait Publius:

*Furor fit læsa sæpius patientia.*

Est autem hoc desumptum ex tragœdia Accii antiqui poetæ Bruto, cujus versus exponit Cicer. lib. 1. de Divinat. quibus introducitur Tarquinius, somnium quoddam recitans, ubi inquit, D

*Visus est in sommis pastor ad me appellare,* *Prælatioremq; alterum immolare me;*
*Duos consanguineos arietes inde eligi:* *Deinde ejus germanum cornibus connitier*
*Pecus lanigerum eximia pulchritudine,* *In me arietare, eoq; ictu me ad casum dari.*

Ubi additur, à conjectoribus somniorum hanc interpretationem esse factam de Bruto illum expulsuro Roma:

*Proin vide, ne quem tu hebetum deputes æque ac pecus,*
*Is sapientia munitum pectus egregie gerat,*
*Teque regno expellat.*

Ideo docti non adolescentem prostratum, sed sceptrum in corona ab ariete in terram dejectum pinguot, cum symbolo minaci, Nunc noscito vires, & distícho,

Hostem

A *Hostem quid spernis? quamvis abiectior ille,*
*Sæpe irritatus maxima damna dedit.*

Nota autem est historia de L. Tarquinii Superbi filio, Lucretiæ vim inferente, quomodo Brutus, at nea se stolidum esse simulans, patrem una cum filiis, ob tam nefandum facinus, regno exuerit. Livius lib. 1. Decad. 1. Nullum itaque hostem, quantumuis infirmum, imbellem, & despectum esse contemnendum admonemur, cum

*Sæpe aquilam ad pœnas vel Scarabæus agit.*

Pausanias in Arcadicis recte ait, vilioribus & abiectioribus plerumque rebus vim eam Deus indidit ea superarent, quæ maximæ essent inter homines existimationis, quo in loco plura hujus rei exempla commemorat. His nostri sæculi historiæ refertæ sunt. Ex antiquissimis, Goliathe Philistæo prætermisso, Maximus (referente Capitolino) Romanus Imp. vir omnium robustissimus, & molis giganteæ, quem immortalem se prope crederet, ob magnitudinem corporis sui virtutisque,
B mimus quidam in theatro præsente illo dicitur versus Græcos dixisse, quorum hæc erat sententia;

*Qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.*
*Elephas grandis est, & occiditur.*
*Leo fortis est, & occiditur.*
*Tigris fortis est, & occiditur.*
*Caue multos, si singulos non times.*

Tandem ille cum filio in tentorio quiescens à prælio, à militibus interfectus est medio die: filiũ item.

Caprificus teste epigrammatario poeta, lib. 10. epig. 2. marmora findit. Ficus sylvestris quædam species est, cujus fructus ad maturitatem nunquam pervenit. Theophrasto ἐρινὸς; Plinio Caprificus, fractus ὀλυνθος, & (ut Dioscorides) ἐρινοι.

*Quamuis dura tamen Caprificus marmora findit.*
*Contemnas hostem, si sapis, ipse caue.*

Videant Principes ne ex nimia ira in suos ministros & subditos aliquid præter rationem statuant,
C ac in ipsos plus æquo duriores postea omnis injuria redundet: sicuti Carolo Burgundiæ duci accidit, qui in prælii momento desertus à Campobasso comite, cui colaphum infixerat, periit. Campobassus vero alias partes sequutus in vexillo suo postea gestavit Caprificum marmoreum quoddam antiquum sua vi innata per medium findentem, sequutus Martialis dictum,

*Marmora Messalæ findit Caprificus, &c.*

## HVMILITAS.

PRIMI gratissimi flosculi vernales Violæ, hinc inde humiserpentes, & in locis humilibus ad radices montium libenter crescentes, odore suavi ac beneolenti ab omnibus expetuntur: contra, montes etiam altissimi sæpe ob asperitatem & altitudinem plane remanent steriles, parumque usum præbent hominibus. Vnde S. Petrus cap. 5. epist. 1. humilitatem animi vobis infixam habete, inquit: propterea quod Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam. Et D. Chrysostomus in
D epist. 1. ad Corinth. 1. eleganter scripsit, οὐδὲν οὕτω θαυμαστὸν ποιεῖ τὸν χριστιανὸν, ὡς ταπεινοφροσύνη: *nihil ita Christianum admirabilem efficit, ac humilitas.* Quod etiam Chilon Lacedæmonius vidit, qui interrogatus quid in cœlo Deus ageret, Alta (inquit) deprimit, & humilia extollit. Vel ut Herodotus loquitur, ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα κολάζει. Quod insuper poeta Lyricus cecinit, ex Hesiodo lib. 1. oper. & Xenoph. lib. 5. rerum Græcarum.

*------ Valet ima summis*
*Mutare, insignem attenuat Deus,*
*Obscura promens.*

Et alibi:

*Vim temperatam dij quoque provehunt*
*In majus: idem odere vires*
*Omne nefas animo moventes.*

Ut frequenter Scriptura S. frequentissime etiam rerum vicissitudines innumeræ illud veritissimum esse A probant, Superbis Deus resistit, humilibus vero dat gratiam.

*Alta cadunt vitiis, virtutibus infima surgunt:*
*Hoc te mons sterilis, vallis amœna monet.*

Et Hesiodus de Deo loquens lib. 1. Oper. præclare canit,

ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα κελεύει.
ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἄϊξει. Id est,
*Facile enim extollit, (Deus) facile vero elatum deprimit:*
*Facile insignem minuit, & obscurum auget.*

Arborem, ut sursum crescat profundas subtus radices agere oportet. Qui in humilitatis radice fixum animum non habet, in ruinam suam extollitur. *Augustinus.*

## HYPOCRITA.

CROCODILVS quadrupes ad Nilum malum, ut Plinius loquitur, tanto hiatu est, ut integram B buculam possit excipere. Non igitur mirum si homines quoque devoret. Sed hoc cum facit plorare scribitur, de quo videatur Adag. *Crocodili lachrymæ.* Verum, ut rarus ita memorabilis est de hac re locus apud Photium in Eclogis Asterii Amaseæ Episcopi: τοὺς κιβδήλους κροκοδείλους μιμεῖσθαι, οἳ φασὶ ταῖς κεφαλαῖς ἐπιθρηνεῖν, τῶν ἀνθρώπων, ὃν ἔφαγον, τῷ δακρύειν ἐπὶ τοῖς λοιπίοις τῶν φίλων: ὑπὸ μεθύσιον τὴν γαστέρα λαμβάνοντας, ἀλλὰ τὸ ἄστεγκτον τῆς (ἐμοὶ δοκεῖν) ὀδυρμίνης, ὡς εἰς βρῶσιν ἐπιτήδειον. *Nothi corum Crocodilorum imitatores estis quos fama est deflere hominum capita, postquam eos devorarunt, & illacrymari cæsorum reliquiis: non quod pœnitentia facti aliqua afficiantur: sed quod ita doleant (quantum mihi videtur) ob capitis macilentiam, quasi quod ad vescendum minime sit idoneum.* Usus autem fuit hoc hieroglyphico Sigismundus Gonzaga Cardinalis, postquam evecto sua quoque opera ad Pontificatum Leone x. ejus postea ipsum pœnituit, cum adiectione Proverb. CROCODYLI LACRYMÆ, testante Jovio. Tales fuerunt Bassiani Imp. lacrymæ, quas ficta pietate semper promere solitus est, ut Æl. Spartianus refert, quoties aut mentio incideret, aut imagines conspiceret Getæ fratris, qui tamen ejus jussu fuerat interfectus. Talem etiam describit pessimam illam novercam Demænetam C Heliodorus in Æth. ejulantem nimirum super Cnemone privigno, quem tamen ipsa suis calumniis ibat perditum. Tales sunt etiam nostro tempore hei! nimis multi, qui licet ex intimo corde lætentur miseriis nostris ficto tamen vultu & sermone, dolore se mutuo affici simulant.

*Non equidem ambigui dictis mihi fidere amici*
*Certum est, ut lacrymis nec Crocodile tuis.*

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA, D

## *LIBER QUARTUS.*

## IGNAVUS.

ASELLI piscis species est, qui Germanis Stockfisch dicitur, à trunco videlicet, cui aridus & induratus tundendus imponitur. Riget enim tanta ariditate, ut nisi præmaceratus aqua, & insigniter contusus, coqui nequeat. Alius piscis est Salpa, licet & is, sed recens, ferulæ ictibus præmolliatur, ut ex Plin. discimus. Erasmus à re ipsa sculptorium piscem hunc appellavit: sed à trunco potius eum sic nominari, notavit Georgius Fabricius. Congruit in homines stupidos, insulsos & bardos quos frustra obsequio aut rectis præceptis emendes,

A des sed plagis & verberibus adigere necesse habeas, ut faciant officium. Quo etiam adagium pertinet: *Phryx plagis emendatur.* Quod falsè Cicero adducit pro L. Flacco in testes Asiaticos: Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum, aut vestrum est hoc Proverbium: *Phrygem plagis fieri solere meliorem?* Quod & apud Suidam similiter extat:

φρὺξ ἀνὴρ πληγαῖς ἀμείνων καὶ διακονίσιμος:
*Verberatus Phryx melior & obsequens erit magis.*

Servos sane natura etiam quosdam esse, Aristoteles in Politicis disputat; & quidam ingenio adeo sunt duro, ut nisi severè coerceantur frugi esse nequeant. Sed & hic tamen modus tenendus est. Nam & M. Varro servos quoq; verbis potius, quam verberibus castigari putat oportere: Et rescripto D. Antonini nimia dominorum asperitas in servos adeo punitur, ut cogantur eos bonis conditionibus vendere. Expedit enim, ut Justinianus Imp. ait. Insti. Reip. ne sua re quis male utatur. Sed modica castigatio servorum legibus permittitur, ut & propinquorum, tit. C. de emend. serv. & propinq.

*Durus asellus amat fustes & verbera, numquid*
*Sic piger attrahitur verbere ad officium.*

B De asino quadrupede, ignavi hieroglyphico, id dici potest, quod etiam occurrit apud Salomonem, Proverb. 26. 3. flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. Item Ecclesiastici cap. 33. v. 25. Cibaria, virga, & onus asino: panis, disciplina, & opus servo.

Ignavi hieroglyphicon variis librorum Salomonicorum locis depictum extat. Eccles. cap. 4. v. 5. Stultus, inquit, complicat manus suas. Livius Decad. 1. lib. 7. Sext. Tullius C. Sulpitium Dictatorem his verbis alloquitur, de nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium ducem esse judicares. Quid enim aliud esse causæ credamus, cur veteranus dux fortissimus bello compressis, quod ajunt, manibus sedeas? Et apud Lucanum, lib. 2.

*Compressas tenuisse manus.*

Græcis ὑπὸ κάλπιν χεῖρας ἔχων. Proverb. 6. cap. 10. v. Ignave, quousque cubabis? quando surges ex somno tuo? paululum somnorum, paululum dormitationum, paululum complicationis manuum ad cubandum. Sive dormiat, sive vigilet ignavus, perinde est, nec præstantiore hieroglyphico inertiam repræsentare possis. Vide reliqua in Pigri hieroglyphico.

C

## IGNORANTIA.

DE Talpa ex Aristotele in hist. animal. lib. 1. cap. 9. & lib. 4. cap. 8. hæc Plinius ejus hac in re interpres lib. 9. cap. 37. commemorat. Quadrupedum talpis visus non est, oculorum effigies inest, si quis prætensam detrahit membranam: atque non levia etiam rudimenta pupillæ & albi circuli apparere in illis sciunt qui diligenter per anatomen inspexerunt. Et secundum eundem Plinium, quamvis semper in terra defossa vivat, liquidius audit obruta terra tam denso elemento. Oppianus lib. 3. Cynæget vocat αὐτόχθονα φῦλα, quod ex terra & pluvia gigni credantur, & proverbium ex Suida extat, ἀστραλάκου τυφλότερος, i. Talpa cæcior. ἱερογλυφικὸν est ignorantiæ, & cæcitatis, teste Horapolline, lib. 2. c. 63. & Hesychio. Ignorantia autem seu spiritualis cæcitas apprime formabilis est.

D *Heu! mortale genus, ceu talpa, lumine captum,*
*Cœlesti donec restituatur ope.*

Socrates apud Platonem conqueritur, homines pauca scire, vel potius nihil. Ac notum est Aristotelis dictum de vespertilionibus, Metaphysic. lib. 2. cap. 1. Quemadmodum oculi vespertilionum sese habent ad meridianam lucem, sic mentis nostræ acies ad ea, quæ sui natura omnium manifestissima sunt. Similes extant multæ querelæ apud Pindarum, Lucretium, Persium, & alios. Quibus tamen approbari Scepticorum & Pyrrhoniorum ἀκαταληψίαν, id est, nullius rei veram & certam apprehensionem, minime est censendum: sed potius illis incitari debemus, ut eo accuratius veritati indagandæ & rerum causarumque investigationi operam dare studeamus.

## ILLECEBRÆ *peccatis fugiendæ.*

SERPENTEM callidissimum esse omnium animalium, etiam S. pagina attestatur, vulgoq; prisci credidere, ut ex Virgilii Ecl. 8. patet, quod rumpi possent carmine magico serpentes, id circo ipsos, si præ-

si præsentirent, recantare, seu incantationem retorquere & exsolvere ut ex Plinio, secundum Adr. Turnebi lectionem, licet colligere. Et veteres Ægyptios hominem refractarium & inobedientem hoc hieroglyphico denotasse scribit Pierius. Certe Psal. 58. mentionem facit surdæ aspidis: quæ scilicet aurem utramque obturet ad vocem incantatoris: alteram nempe in terram defigendo, alteram caudæ suæ acumine occludendo, ut testes sunt ad eum locum Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, & alii. Jeremiæ etiam 8. minatur Deus populo Jsraelitico serpentes, qui incantarine queant. Tangit etiam rem eandem Clem. Alexandr. στρωμ. lib. 7. & Ephiphanius contra Ophitas. Verum ut dextre S. Scripturæ indicata similiaque loca accipi debent, ne stabiliatur de vi verborum Magicorum superstitiosa opinio, & ita confirmentur magni illius serpentis pernicosa ludibria: Sic nihil vetat, quominus adducamus quæ olim & vulgo, quamuis falso, de serpentum astutia hac in parte jactata fuere, utpote illis in rebus imitanda, quæ usui nobis esse possunt ad evitanda exitiosa & turpia. Unde & Christus nos esse jubet prudentes ut serpentes: sed adiecta salutari mentione columbinæ simplicitatis, qua vafrities serpentina refrænetur, ut B. Hieronymus in Oseam innuit. Monentur igitur adolescentes potissimum, serpentis ita depicti more obturare aures ad quævis obscœna & noxia, ita ut nec in animum, nec in sensus admittant ullas voluptatum illecebras, ne earum vi, veluti voce Thessala, misere tandem disrumpantur ac pereant. Principes etiam monet hoc hieroglyphicon, ut obturent aures assentatoribus & scurris, quorum opes illi sæpius, quam hostes everterunt, ut alibi hæc ex Q. Curtio, & simul plura in hanc rem adducta leguntur in his Collectaneis,

*Carminis insidias serpens magici exit opertis*
*Auribus: illecebras sic fuge, tutus eris.*

## ILLUSTRES *viri.*

INTER tot immensi maris admiranda, non in postremis Miluus piscis censendus est, quem Græcorum ἰέρακα, & Oppiani ἱέρακα esse contendunt Hipp. Salvianus Thi hernas, & Rondeletius. Is cum linguam, palatum, & reliquæ oris internas partes splendentes ac rubicundas habeat, tranquillis noctibus adeo relucet, ut ex ore ignem flammamque evomere, & eiaculari credi possit. Quæ etiam de caussa à Plinio Lucerna dicitur, qui tamen à quibusdam in eo erroris arguitur, quod vibratæ ex ore illius linguæ hunc splendorem tribuat, cum tamen ejus palato adeo hæc affixa sit, ut nullo pacto possit eam exerere. Sane autem nescio, an non etiam Nazianzenus ἰχθὺν πύρινον, huc piscem intellexerit, cum ait:

Ἰχθὺς σ' ἐμπυρόεις, πῦρ δ' ἀμφὶς πυρὶ δόμηται ἄπτερ
Πῦρ μανρῷ, αἰθομένῳ δὲ μένος ἀβλαπέεσσιν ἄλμης:
*Piscis vero est igneus, qui ignon ornatur ab infido igne,*
*Ignis, ardens autem per medium mare refulget.*

Verum ut inventor hujus hieroglyphici adamorum forte suorum difficultates respexit: ita nos rectius & honestius tribuere possumus viro, cujus, ut Horatii verbis utar,

*Pudor & justitiæ soror*
*Incorrupta fides, nudaq; veritas.*

Quascumque etiam iniquioris fortunæ tenebras, & adversitatum cœcos fluctus, adde etiam malignorum hominum fuscas calumnias splendore integritatis suæ adeo discutit ac dispellit,

*Stellas exortus uti æthereus Sol,*

ut Lucretius loquitur. Talis fuit in vita & morte magnus ille Socrates, lucidissimum virtutis & Constantiæ sidus, quod nec adversæ sortis tristia nubila obscurare, nec indignum tandem supplicium extinguere potuit, quin ad omnem posteritatem æternum fulgeat. Talis nempe vere, secundum Arist. ἀνυχῶν μεγαλόψυχος, ut idem Horatius, cecinit,

*Rebus angustis animosus atque*
*Fortis apparet.*

Hieroglyphicon illud proprie pertinet ad constantes & invictos Christi Martyres, quales fuere Stephanus, Laurentius, & innumeri alii.

IMITA-

A IMITATOR, LIBERTATIS *jactura.*

DE Psittaco Aristoteles lib. 8. cap. 12. de histor. Animal. hæc scribit: Omnes denique aves unceæ brevi sunt collo & lingua lata, aptaque ad imitandum. Nam & Judica avis, cui nomen Psittaco, quam loqui ajunt, talis est, & loquacior cum vinum biberit redditur. Idem Solinus, Plinius, Apulejus, Ælianus, Isidorus, & alii plures affirmant. Versibus quoque Psittacum celebrarunt Oppianus, Ovidius, Statius, & inter recentiores Vespasianus Stroza, Eroticon 6. hujus avis diversa genera, quæ nostris temporibus sunt nota, describit Scaliger in exercitationibus contra Cardanum. Quod autem tam meditando quam loquendo mira præstet, inter alias plurimas historias, Zonaras Annal. lib. 3. in vita Basilii patris Leonis Philosophi, memorabilem admodum hanc exponit. Cum filius à patre propter quorumdam calumnias, quasi ejus vitæ insidiaretur, in tetrum carcerem esset conjectus, accidit ut Imperator cum præcipuis regni Senatoribus splendidum convivium celebraret, Psittacus vero forte fortuna in eodem conclavi inclusus cavea voce flebili semper exB clamavit, ô Leo, Leo. (quam vocem ab aliis, calamitatem illius juvenis deplorantibus, audiverat) Qua occasione arrepta pro filio apud patrem intercedentes deprecati sunt, & ipsum in gratiam reduxerunt. Indicatur autem hoc hieroglyphico cura ac diligentia imitandi alios, qui sua industria alioqui parum efficere possunt. Quapropter alibi ascribitur: ALIENO LOQVITVR ORE. Vel brevius: ORE ALIENO, quod convenit cum vulgari proverbio; Loquitur ut Psittacus. Aliis magis placet, esse notam libertatis à contrario sensu, quæ secundum Jurisconsultos, res est inæstimabilis, nullo auro comparanda, & optima omnium (ut vult Diogenes apud Laertium) inter homines: secundum vero Horatium, potior metallis: unde addiderunt. *Arbitrium ditius auro.*

IMPIETAS.

COTVRNIX, quæ nunc etiam corrupte in Græcia ὄρτυκι nominatur, cum proprie sit ὄρτυξ, mare transvolando (quemadmodum Oppianus scribit) ut deprehendat superatum ne hoc illi sit necne, ternos lapillos in ore fert, eorumque unumquemque per intervalla dimittit, diligenterque observat utrumne in mare lapillus decidat, atque ideo ulterius volandum esse, an vero in terram, & jam tempus instare quiescendi. Idem Plinius quoque asserit. Quamvis vero hujus contra Lunam proterva insultatio apud Horapollinem Oryci potius, quam coturnici à doctioribus attribuatur, cum tamen facilis lapsus sit unius tantum literæ inter ὄρυγμα & ὄρτυγα. Pierius Valerianus libro XXIV. Hieroglyphicorum potius huic avi quam quarupedi convenire, plutibus ostendit, ac perhibet ideo hanc avem impuram haberi, quod luna oriente inauspicatos clangores contra eam excitare soleat, cum manifestissimæ indignationis indicio. Quod quidem proprie est πυγμαχεῖν, id est, cum umbra pugnare & inaniter laborare, quod magnopere improbatur à Platone in Apologia Socratis, & 8. de legibus, sed multo adhuc vehementius tam hic quam alii detestantur τὸ θεομαχεῖν, quod est ipsi divinæ potentiæ ac naturæ velle se opponere atque repugnare, dum quis secundum Homerum λ. β. conatur.

ἄκρητον πόλεμον πολεμίζειν θεοῖσι μάχεσθαι.

*Pugnam infrugiferam & inutile aucere bellum.*

Sic Gamaliel Actuum 5. monet reliquos collegas Synedrii, ne velint inveniri θεομάχοι. Et alii Pharisæi St. Paulo causam dicente coram Anania, Act. 23. pronunciant, μὴ θεομαχῶμεν, Ne bellum Deo
D gigantum more inferamus. Et talis ab Æschylo & Euripide describitur Capaneus Hipponi, & apud Virgilium Salmoneus Æoli filius: quorum similes utinam nostro etiam sæculo non pauci reperirentur,

*Impietas cœlum probris superosque lacessens,*
*Nulla dabit superis, maxima damna sibi.*

IMPIGER.

DIOSCORIDES Helicrysum nominat quoque Amaranthum, qui Græcis ita dicitur ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, quod umquam marcescat. Sed Plinius diversam ab eo plantam, purpureo flore præditam ita vocare videtur, quam Itali, *fior velluto*, appellant, puellis ob colorem vividum & per-



ennem

ennem ad coronas texendas gratiss. præsertim hyberno tempore quo viridum suum colorem adhuc retinet. Fasciculum ex hisce floribus spicatis colligatum quidam copiarum militarium in vexillis gestarunt, ut hoc hieroglyphico innuerent, se in omnibus rebus, quæ ad suorũ principum auctoritatem & utilitatem conservandam spectant, fortiter & constanter acturos, nullosque labores unquam superfugituros, sed sine intermissione animo præsenti, impigro, intrepido, provinciam sibi demandatam administraturos, juxta Virgilii dictum, A

*Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

Annotat quoque Pierius, de Amarantho loquens, veteres illorum capitibus, qui valetudine integerrima viribusque ad extremum senectutis vegeti vixissent, solitos fuisse Amaranthinam corollam imponere, propter allatam supra rationem. Hinc Distichon illud,

*Impavidum invictumque animum signas, Amaranthe:*
*Et vegetis senibus grata corona tua est.*

2. Alii duces belli Cytisum pro hieroglyphico in militaribus signis usi sunt, quoniam hæc planta, teste Plinio, lib. 13. cap. 24. non æstuum, non frigorum, non grandinum aut nivis injurias expavescit. Ut testarentur se pro Republica nullum laborem aut periculum detractaturos. In hunc sensum Seneca ad finem lib. 3. De ira, dum inter homines sumus, inquit, colamus humanitatem; non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, injurias, convicia, vellicationes contemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda. Dum respicimus (quod ajunt) versamusque nos, immortalitas aderit. At Livius Decad. 1. lib. 4. graviter, Labor (ait) & periculum impenditur, unde honor speratur & emolumentum. Sic Virgilius Æneid. B

*O graviora passi, dabit Deus his quoque finem.*

Et Distichon appositum,

*Non æstu Cytisus, non frigore, non nive læsus,*
*Spernere magnanimos omnia dura docet.*

IMPROBITAS *inemendabilis.*

VATES sacer increpans Judæos pervicaces, an mutabit Æthiops cutem suam? an inquit, pardus suas maculas? etiam vos benefacere poteritis, malefacere edocti. Jerem. 13. v. 22. quasi diceret, Quemadmodum naturalis nigredo in albedinem non transit, nec panthera aut pardus versicolor puncturas pilorum retinet: qui fieri potest, ut vos peccatis assueti, bonis operibus vacare velitis? Nazianzenus in eundem sensum: C

Πάρδαλις οὐκ ἀποτίθεται τὸ κατάστικτον, οὐδ' αἰθίοψ τὸ μέλαν. Id est,

*Pardalis non deponit maculas, neque Æthiops nigrorem.*

De vano circa improbitatis profligatæ correptionem labore, Latini dicunt Æthiopem lavas, id est, naturam transmutare nequicquam studes. Hanc si furca pellas, tamen usque recurret. Alii, vulpem excoria, vulpes remanebit. Sic impii, profani, vitiis & sceleribus pridem assuefacti nulla sapientia emendantur, nulla disciplina pravam mentem exuunt.

IMPROBITAS *sibi supplicium.*

BASILISCVM in rerum natura unquam fuisse fabulosum pleriq; putant. Unde Franciscum I. Reg. Gall. ejus quidem vulgo recepta effigie usum fuisse scribunt, sed cum dicto TV NOMINE TANTVM. Rem tamen non pauci affirmant, Nicander, Lucanus, Plinius, Solinus, Scaliger, & Mercurialis, qui in Imper. Maximiliani thesauris Basilisci cadaver se vidisse testatur. Basilisci etiam venenum tollunt Galenus, Aëtius, & Erasistratus, auctore Dioscoride. De generatione Basilisci vulgi opinio fabulosa proculdubio, veluti Albertus Magnus demonstrat, ut canoræ de ea sint nugæ Levini Lemnii. Afflatum ejus omni animali exitialem tradunt. Quod cur adeo mirum sit, cum Thebiorum ad Pontum gentem adeo hominibus pestilentem esse ex Philarcho Plutarchus in Symposiacis scribat, ut illorum obtutum, anhelitum, aut loquelam qui sustinuerint, tabescant paulatim ac pereant? Sed experimenti illius, ut basiliscum, si in speculo objecto seipsum intuitus fuerit, interire viderit, quis auctor est? Et hoc tamen in ore omnium. Igitur tanto magis hieroglyphicum, ut allegat D

A gat Anton. Ricciardus in Comment. Symb. tribuens hanc inventionem Joan. Bapt. Pittono. Eodem modo homines egitiosi aliis, tandem malitia sua seipsos quoq; conficiunt. Notus enim est versus:

οἷα τ' ἀνὴρ ῥέξῃ, τοῖον τίλλ@· αὐτὸν ἐκάστει:

*Qualia quisq; egit, tali quoque fine potitur.*

Gravissime Seneca: sunt Dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput invenientium regesserunt: ut justissima patiendi vice, quod quisque alieno excogitavit supplicio, sæpe excipiat suo. Ægyptios hominem à calumniatoribus objectum periculis Basiliski, etiam sine morsu extinguentis, pictura expressisse Pierius indicat.

*Improbitas solet esse sibi justissima merces.*
*Auctor es interitus sic Basiliske tui.*

## IMPROBI *vitandi.*

HIERSIUS apud Athenæum lib. 7. ait, nomen Melanuri ideam quoque ipsius nobis proponere, ut ex caudæ nigra nota statim internoscatur ab aliis piscibus. Eundem cum Plauti optal-
B mia, & Plin. oculata piscem esse, Rondelet. vult, & oculatam vertit Th. Gaza. Meminit ejus Aristot. quoque Artemidor. 2. Oniocrit. Oppian. & Ovid. in Halicut. Isidorus item & alii. Hujus autem nominatim esu & usu Pythagoram suos vehementer prohibuisse apud Suid. & Diog. Laertium repetio, his verbis: πάντὸς δὲ μᾶλλον ἀπηγόρευε, μήτε ἰχθῦν ἐσθίειν, μήτε μελάνουρον, ut erravisse videantur, qui ad sepiam referunt natum inde proverb. Μὴ γένοιτό σοι τῶν μελανούρων. Quod minus etiam recte Marsilius Ficinus, vel quisquis primus fuit, generaliter vertit, eosque secutus Erasmus retinuit: *Negustes ex jus, quibus nigra est cauda*, ac si Pythagoras non speciatim Melanurum piscem nominasset. Quamvis sciam Pythagoricos alias omnino à piscibus abstinuisse, cujus rei causam reddit Athen. lib. 7. & Plutarch. in Sympos. Idem Plutarch. in fin. lib. περὶ παιδῶν ἀγ. Hoc etiam Symbolum explicat: non esse habendum commercium cum improbis, qui nigris ac infamibus sunt moribus. Quo sensu Antiphanes quoque à Melanuro, & mugile abstinendum esse suasit. Tryphon autem Grammaticus Græcus, inter ænigmatum exempla hoc commemorans, in hunc modum interpratatur: Ne mendacem sermonem protuleris. Mendacium enim ad extremum nigrescit & obscu-
C ratur. Sed & Horat. & Catullus, aliique homines malos nigros vocant. Vitanda igitur est improborum societas, ne & alteri cuidam Proverb. quod ex Numenio & Eubulo Athenæus adfert, & tangit Suidas, locus sit: ἵπτευ πέρκη μελανούρῳ. *Comitatur perca Melanurum.* Nam & hic piscis niger est, quod nomen ejus similiter indicat.

*In vita quisquis niger est, hunc disce cavere:*
*Nausea Pythagoræ ceu Melanurus erat.*

## IMPROBUS *tandem dat pœnas.*

EST omnibus nota fabula de corvo ac serpente. Nam corvus dormientem illum rapiens, cum tandem jam experrectus esset serpens, in gyrum sese convertendo ita eum læsit, ut ex eo vul-
nere paulo post extingueretur. Alciatus Emblemate, *Justa ultio*, ex græco quodam epigrammate
D idem de corvo & scorpio habet. Ælianus lib. 7. cap. 11. De aquila & polypo tale quippiam commemorat, & addit exempla de Cambyse Cyri filio ex Herodot. lib. 3. & de Polycrate diripiendi auri causa ad Oretem profecto & turpiter decepto. Et sunt noti versus Hesiodi,

ὃς τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,
ᾧ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. id est,

*Ipse sibi nocet ille alium, qui ladere querit,*
*Consultum malum consultori pessimare est.*

Ac vulgaris est Senarius ex Varrone & Agellio notus:

*Malum consilium consultori pessimum est.*

Ac sane memorabile admodum est, quod apud Suetonium legimus de I. Cæsaris, & apud Jul. Capitolinum de Gordidani interfectoribus, qui propriis gladiis, quibus alios interemerant, vel seipsos confecerunt, vel ab aliis occisi sunt. Legitur quoq; ascriptum: RAPTORI NOXIA PRÆDA SUA. Vel, INFAUSTA LUCRA; quod explicat inter alias multas sententia Antiphanis Poëtæ veteris:

τὰ πεπρωμένα κακὰ τοῖς μὴ κτωμένοις ἄγει
μικρὰς, ἐπειτα δ' ὕστερον λύπας μακράς. Id est, A
*Lucra male quæsita voluptates quidem pariunt*
*Breves, longam vero deinde tristitiam.*

Et in tabellam Hieroglyphicam serpentis coruum hiantem pede arripientis Distichon lusit Poëta noster;

*Iustitia pereat semper sic vindice, quisquis*
*Alterius vitæ struxerit insidias.*

## IMPRUDENS.

TABELLARIVS literas in perniciem suam scriptas perferens imprudentis seu parum cauti hieroglyphica tabella dici potest. Vriæ historia huic picturæ argumentum præbuit, 2. Sam. 11.14. Et vir ille strenuus regique suo perfido fidelis literas necis prænuncias ad Joabum perferens eum exhibet qui inscius & imprudens literas contra se scriptas defert, atque male affectis conservis seu potentioribus executioribus defert. Græce, Βελλεροφόντης τὰ γράμματα, *Bellerophon literas*, B nimirum, portat. Nam Proetus Argivorum rex (ut refert Homer. Iliad. lib. 6.) etiam Bellerophonti sub commendationis specie literas ad Jobatem perferendas tradidit jubens ut tabellarium interimeret. Hinc Chrysalus in Bacchid. Plaut. act. 4. Sc. 7.

*Bellerophontem jam tum me fecit filius.*
*Egomet tabellas detuli, ut vincirer.*

Et Lucianus in Commentario adversus indoctum librorum supellectile tumentem atque in Apologia pro mercede conductis hujus historiæ memenit, suo more ludens. Plutarchus autem lib. de Curiositate, Bellerophontem, continentiæ & multæ probitatis nomine laudat, quod innocentia sua fretus, sicut reginam Prœti uxorem impudicam tangere, ita regis arcana literis sibi commissa reserare noluerit. Et quidem adulterii species quædam videtur tabellarum alienarum indagatio curiosa, sicuti qui thori alieni voluptates appetunt adulterii morbo laborant. Apud Lacedæmonios frequens fuit dictum, Λύσανδρα τὰ γράμματα, *Lysandri litera*. Is enim à Pharnabazo Satrapa coram Ephoris accusatus, de quarumdam provinciarum expilatione, ad ipsius Pharnabazi colloquium viam affectans, rogavit eum ut ad Ephoros alias scriberet literas, quibus testaretur nulla se à Lysandro injuria fuisse affectum, nec habere quod de ipso conqueri posset. Pharnabazus se id facturum pollicitus, in propatulo quidem literas conscripsit, quales Lysander flagitaverat, clam vero alias habebat exaratas, & inter obsignandum commutavit codicillos, specie nihil inter se discrepantes, atque adeo Lysandrum astute fefellit, qui Spartam reversus, & ad curiam profectus Pharnabazi literas Ephoris tradidit, nihil dubitans quin res pro animi desiderio esset composita. Spartanis enim Pharnabazus inter regios præfectos fuit charissimus. Ut vero lectas literas Ephori Lysandro legendas tradiderunt, se à Pharnabazo circumventum miser animaduertit. Ita Cretenses cum Cretensibus sæpissime cretizant: ut refert Plutarchus in Lysandro.

## IMPUDENTIA *deplorata.*

FRONS animi janua est, & sedes pudoris, quem quia meretrices omnino deponunt, Proverb. 7. vers. 13. Earum frontem Hieremias cap. 3. vers. 40. tribuit hominibus graviter impudentibus. D *Metsach* (inquit *Isscha zona* frons mulieris meretricis. Ex Homero κυνώπης dicitur impudens, id est, vultu canino præditus; quod canis animal sit omnium impudentissimum. Et Latini perfrictæ frontis ejusmodi scurras appellant.

## IMPUNITAS.

FEROCES reddit improbos impunitas. Felis muscipulæ inclusa, circa quam captam saltante undiq; mures, suoque adversarii petulanter insultant, donec tandem illa effractis repagulis libertata, meritas pœnas insolentiæ sumat, hieroglyphicon est nimiæ petulantiæ ex summa impunitate ortæ, qua homines plus quam oportet superbire, & ferociores fieri solent. Maxima enim est illecebra (Cicerone in Miloniana teste) peccandi, spes impunitatis. Hæc, inquit, Livius lib. 24. Natura

A tura multitudinis est: aut servit humiliter, aut superbe dominatur: libertatem, quæ media est, nec spernere modice, nec habere scit: & non desunt magistri, qui intemperantes animos irritent. Quapropter necesse fuit, ut respectu legum ac supplicionum homines petulantes & scelerati in officio severe continerentur, ne licentia ipsorum crescente impune in alios quidvis tentare auderent. Itaq; Horatius quoque ait, id est, Sermon. Satyr. 3.

*Iura inventa metu injusti fateare necesse est;*
*Tempora si fastosque vetus evolvere mundi.*

Et Isidorus 2. Etymol. factæ sunt leges, inquit, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia. Cum vero, ut in Paradoxis Cicero præclare docet, sapiens vir non nisi recta sequitur atque colit, quia id salutare maxime esse judicat. Itemque 2. De legibus. Constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque humanam & quietam, & beatam, inventas esse leges.

## IMPURUS.

B ROSÆ, aromata, unguenta, Suibus ingrata sunt admodum, nec bene conveniunt cum brutis cœno gaudentibus & amicis. Impurũ vero, virtutis & honestatis hostem Ægyptii designantes suem pingebant in luto se volutantem, vel rosas conculcantem. Per rosas autem veteres vitæ puritatem & sensuum sinceritatem exprimebant. Rosarum autem odor huic animali natura est contrarius. Unde elegantiss. Lucretius lib. 6.

*Denique amaracinum fugit at sus, & timet omne*
*Unguentum, &c.*

Inde etiam adagium Crateti adscriptum, ὡς ὗς ἐπὶ ῥόδοις, id est, sus per rosas. Porcus igitur per rosas festino cursu transiens declarat, neutiquam γαστριμαργίαν, id est, insanam ventris cupiditatem cum studio virtutis & sobrietatis posse convenire. Unde Rhadamanthus apud Claudianum lib. 2. in Ruff. homines luxui ac gulæ deditos in sues transformare dicitur.

C *At, qui desidia semper vinoque gravatus,*
*Indulgens Veneri, volvit torpescere luxu,*
*Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus.*

Ideo etiam Ulysses apud Homerum à Circe non potuit in suem commutari, ut quibusdam ex sociis ipsius contigerat, quia ex Mercurii, id est, rectæ rationis consilio, contra luxuriæ stimulos temperantia & frugalitate se muniisset, herba Moly instar antidoti usus. Et graviter hæc quoque protulit Cicero lib. de Senectute, ubi ait, impedit consilium voluptas, & rationi inimica est, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos, neque ullum habet cum virtute commercium.

*Quid subus atque rosis? nunquam mens ebria luxu*
*Virtutis studiis esse dicata potest.*

## INDIGNUS *repulsam patitur.*

ALEXANDER cognomine Magnus solus dignus habitus est ab equo Bucephalo, qui sessor tam præstantis equi videretur. Ita quoque generosus animus viles & indignos affectus respuit, præD ter virtutem ac honestatem: nec unquam pravorum consuetudinem admittit. Qui cum virtute præditis versatur, fit melior: pravorum & indignorum consortium virtutis est everſio. Repulsam igitur à nobis isti patiantur.

## INDUSTRIA *laboriosa & discendi cupida.*

PINGITVR accipiter per aerem volans prædæ caussa, ut Ovidius quoque libro XI. Metamorph. fecit.

---------- *Rapto qui vivit, & omnes*
*Terret aves.*

Perdicem jam captam suis unguibus tenens, qui tamen nihilominus alias hujus generis aves avolantes, comite cane, qui illas excitat, intentis oculis persequitur. Hoc hieroglyphico (quod extat apud Lucam Contilem) homo industrius, laboriosus ac cupidus discendi repræsentatur, qui non solum

singularem doctrinam sibi comparavit, sed etiam in dies uberiorem scientiam conquirere, & lu- A culentiorem cognitionem adipisci studet. Nam secundum Menandrum:

ἁλωτὰ γίνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ, — *Comprehendi possunt industria & labore,*
ἅπαντα πλὴν τὸ ζητούμενον. — *Omnia prorsus quæ inquiruntur,*

Quod Sophocles adhuc brevius voluit exprimere,

τὸ ζητούμενον ἁλωτόν, ἐκφεύγει δὲ τ' ἀμελούμενον.
*Quod quæritur, comprehendi potest; effugit autem quod negligitur.*

Asciptum quoque legitur: PROVIDE ACCELERO, quo commendatur utilis εὐλάβεια & prudens cunctatio, & ut Sophocles in Electra subiicit,

φιλεῖ γὰρ ἐκεῖν' ἀσφαλῶς ἀνὴρ σπεύσων μέγα,
*Qui factinus ingens tentat, ille lentus est.*

Est autem secundum Suidam εὐλαβὴς, ὁ οὐ προχείρως ἐπιλαμβανόμενος, id est, *qui bene & circumspecte capescit*: & Euripides in Phœnissis eam commendans plurimum, dicit esse χρησιμώτατον θεῶν, *maxime salutare numen.* Quapropter etiam apud sacros scriptores pro pietate in Deum, sive reli- B gione accipitur, quæ religio inde dicta est, auctore Lactantio, quod animos nostros ad Deum religet atque astringat.

*Multa licet fido sapiens in pectore condat,*
*Plura avido tamen usque appetit ingenio.*

## INDUSTRIA *nutrix.*

SCITE Aristoteles IX. historiæ animalium, cap. 37. Ἐγὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς θαλαττίοις ζώοις παιδευθῆναι πρὸς τὰς ἁρπαγὰς βίους, sed in marinis quoque animantibus permulta intelliguntur non sine solerti ingenio effici ratione vitæ commodioris. Subjiciique statim & primo loco Ranæ piscatricis exemplum, quam in cœno absconditam gemina ante oculos dependentia fila exerere, & creberr. commovere scribit, quæ occurentes piscetuli prehendant, at ipsa pòst subducens fila occultis quibusdam viis, in latas maxillas suas deceptos ingerat. Ex quo Aristotelis loco & Ælianus hanc historiam, & Plinius quoque ac Plutarchus transcripserunt, & meminit etiam Cicero 2. de nat. Deor. Sed Oppian. 2. ἁλιευτ. admodum poëtice hancipsius fraudulentam solertiam depingit, C eamque similitudinibus pulcherrimis suo more illustrat. Ad quartum priorem quidem de aviculis, tritico & ante & intra portam à captante dispersо illectis & captis, locus Dionis Sophistæ pertinet ἐν τῷ περὶ ἀπιστίας: ὧν νῦν πάντας ἂν ἀσφαλῶς ἡσυχάσομεν, πρὶν ἂν φάγωσι παρ' ἡμῶν, *Anates haud prius capimus, quam à nobis objecta edant.* Id quod ad falsos amicos, qui benevolentiæ simulatione homines in nassam illectos pessundant, accommodat, quod & nostrum hoc hieroglyphicon exprimit. Nam, ut præclare Livius dicit, fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut cumoperæ pretium sit, cum magna mercede fallat. Et vere Seneca initio declamationum, Magis nocent insidiæ, quæ latent. Convenit etiam ex inscriptionis indicatione in homines industrios, qui suo labore & solertia victum & res necessarias sibi acquirunt ac comparant. *Dij* enim, ut est in proverbio, *facientes adiuvant*, quia non cessantibus & ignavis, sed industriis, & pro virili sua laborantibus solent esse auxilio. Sicut autem

*Inertis est nescire quid liceat sibi,* D

Contra studiosus & industrius variis modis rebus suis prospicit

ἰδίας ἐξόδους ζητοῦσι φιλόπονοι φύσεις. Id est,
*vias peculiares scrutantur qui industrio sunt ingenio.*

Et sapienter Euripides in Hippol.

Τοῖς πονοῦσι καὶ θεὸς συλλαμβάνει. Id est,
*Laborantem Deus adiuvat.*

Epicharmus item apud Stobæum, Sermon. 29.

------πρὸς πόνους
πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθ' οἱ θεοί.
*Convenientibus laboribus vendunt nobis omnia bona Dij.*

Verisi-

A Verissimum & illud,

*Audaces fortuna juvat, timidosque repellit.*

Denique

*-------- Labor omnia vincit*
*Improbus, & duris urgens in rebus egestas.*

INGENIA *præclara sæpe latent.*

FALCO, capitis velamento (quod vulgo capellum vocant, de quo prolixe agit Fridericus 2. Imp. lib. 2. De arte venandi cum avibus) involutus, atque vinculis sive loris pedum, quos calceos Accipitrarii nominant, impeditus, quanquam libere hinc inde vagari nequeat, nihilominus tamen in altum evolat, & caltem cupiditatem suam persequendi & capiendi aves promptam & alacrem præ se ferre videtur. Eoque hieroglyphico vir doctissimus Alphonsus Massarius exprimere studuit voluntatem suam cupidissimam bene de aliis merendi, atque in hoc suo proposito constanter perseverandi, licet multa impedimenta illi obiiciantur, & sæpe ab aliis laudabile hoc suum institutum impediatur. Cum quo Alciati emblema de puero manum alatam erigente, & alteram à lapide depressam gestante convenit. B Nec ullum dubium est nostris quoque temporibus multa ingenia præclara ad quævis magna ac laudabilia apta nata, propter contemptum & neglectum torpescere, quod Plautus quoque in Captivis deploravit.

*Sæpe summa ingenia in occulto latent.*

Acnota est Juvenalis sententia:

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat*
*Res angusta domi.*

Quod si major liberalitas in ejusmodi homines ab illis, qui in vesanum luxum, & alias virtutes illaudabiles sua bona inutiliter & male insumere sæpenumero solent, impenderetur, ac benignius foverentur, proculdubio non sine ingenti utilitate Reipublicæ plures præstantes viros utiles essemus habituri. Propertius lib. 2. Elegiarum ad Musam:

*Quod si deficiant vires, audacia certe*
*Laus erit, in magnis & voluisse sat est.*

C Neoterius Poëta Disticho rem expressit:

*Sapius excelsis tenuis res officit ausis,*
*Et tamen attollit mens generosa caput.*

INGENIA *Ambitiosa, Luxuriantia, præcocia.*

IN agris lætioribus præque ubertate nimium luxuriantibus, segetes interdum tanta fertilitate crescunt & augentur, ut nisi suo tempore nonnihil demetantur, & nimia copia illis detrahatur, seipsas suffocare, ablatis vero superfluis, multo quam prius crescere uberius soleant. Non aliter quædam nimis ambitiosa ac fœlicia ingenia, plus quam oportet sibi tribuentia, ac ideo omnia audacter ac præcipitanter agentia, sæpe se ipsa evertunt ac consumunt: ac si interdum falce moderationis ac humilitatis reprimantur ac castigentur, tum demum fructus maturiores ac præstantiores producere consueverunt: contra præcocia & nimium luxuriantia ingenia sæpe in ipsa quasi herba D suffocantur.

*Luxuriem segetis castigat falce colonus.*
*Ingenium præcox reprime sic sapies.*

Nam, juxta Senecam, ad maturitatem non pertinet nimia fœcunditas. Quo pertinet D. Augustini dictum in epistol. 1. ad Maced. Quædam acutiss. & excellentiss. ingenia tanto in majori errant, quanto confidentius tanquam suis viribus concurrerint, nec suppliciter ac veraciter Deum, ut vitam sibi ostenderet, petiverint.

INGENUITAS *laudata.*

OMNIBVS est nota fabula de cornice, aliarum pennis sese exornante, quas tamen illæ rursum ipsi abstulerunt, illamque ludibrio habuerunt, quam expositi quoque Horatius lib. 1. Epistol. ad Florum.

Nisi

*Ne si forte suas repetitum venerit olim*
*Grex avium plumas, moveat cornicula risum,* A
*Furtivis nudata coloribus.*

Hieroglyphicon hoc contra nimis ambitiosos & arrogantes, aliorumque labores sibi temere ac fraudulenter attribuentes, recte usurpari potest, de quo etiam recens quidam non indoctus poëta in Nicrocosmo hoc hexasticon exposuit de corvo,

*Dic mihi cur plumis alienis corve superbus?*
*Dic adeo tumido cur aliena placent?*
*Agmine jam facto repetitum cursitat omnis*
*Grex avium, plumis undique nudus eris.*
*Nemo sibi dotes furtivas arroget unquam,*
*Nec decus alterius surripuisse velit.*

Unde B. Gregorius Nazianzenus in sermone de Epitaphio patris recte ait, μὴ τὶ πρόσκτητον ἴδῃ κόσμον. Quod Cicero explicat lib. 2. De Offic. Ficta omnia celeriter tanquam fusculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Alibi ascriptum est: PONE PERSONAM, eodem B sensu M. Aureliano Numeriano Imp. etiam ascribitur simile dictum: ESTO QVOD AVDIS. Ex Horatio lib. 1. Epistol. 16.

*Tu recte vivis, si curas esse quod audis.*

Et Martialis:

*Quod sis esse velis, placeat moneo tibi cautus,*
*Sors tua: nihil aliud si sapis esse velis.*

Item in alio loco:

*Quod sis esse velis, nihilque malis.*

## INGENUUS.

COBAROS Medus apud Q. Curtium lib. 7. cap. 4. in Oratione ad Bessum, nobilis equus, inquit, umbra quoque virgæ regitur: ignavus ne calcari quidem concitari potest. Hieroglyphicon est hominis ingenui generosaque indole præditi, qui verbis placidis ducitur, & vel ad leviss- C imam objurgationem rubore suffunditur, totisque viribus eo incumbit, ut in posterum sua sponte quod rectum est diligenter exequatur. Ingenia servilia vero vix multis verberibus in officio continentur. Multa flagella peccatoris, Psal. 32. & Proverb. 10. Virga tergo stultorum. Et cap. 17. Plus proficit correpto apud ingenuum, quam centum plagæ apud stultum.

## INGENIUM *corporeo robore præstantius.*

IANVS Dubravius, qui postea Olomucensis Episcopus in Moravia factus, Joannem se nominavit, cujusq; extat historia Bohemica, in libello suo de piscinis & piscibus lepidum mehercle duellum Lucii piscis & Ranæ palustris commemorat, cujus ipse & antecessor in Episcopatu suus Stanislaus Turzonius, spectatores fuerint. Ranam in insidiis latitantem in Lucii forte ad insidiarum locũ delati, ibiq; secure apricantis caput insiliisse, lateque divaricatis pedibus frontem piscis circumplexam oculos potissimum ejus invasisse: at illum molestum incessorem, nulla vi, nec corporis rotatione, nec ad arundines attritu excutere valuisse, sed victum tandem & viribus exhaustum succubuisse, D seq; tanamq; una in ima gurgitis demersisse. Exsiliisse paulo post ranam victricem, miris modis tripudiantem, & tanquam opimis de hoste spoliis receptis in palatia sua recepisse. Extractum vero continuo retibus & lucium devictum, utroq; lumine orbatum repertum fuisse, affirmasseq; rum piscatores rem non novam hanc, sed se certaminibus ejusmodi assuetos sæpenumero lucios à ranis excæcatos piscari, quibus ad hunc modum amissis oculis piscium captura adempta sit. Sunt autem pulchetrimæ divini Oppiani de piscium πολεμομαχίᾳ sententiæ, qua Deum illis, qui nec robore, nec armis præstant, eo majorem animi promptitudinem inseviisse canit, qua validissimos etiam hostes suos vincant ac superent. Et eleganter Plinius scripsit; Callent in hoc cuncta animalia, sciuntq; non sua modo, verum & hostium adversa: norunt sua tela, norunt occasiones partesq; dissidentium im-

belles,

A belles. Generaliter usurpari hoc hieroglyphicon poterit, cum ingenii solertiam corporis robori potiorem esse ostendere volumus.

*Lucius imbelli misere succumbere ranæ*
*Cogitur: in vires vincimus ingenio.*

## INGRATITUDO.

Hieroglyphicon ingrati animi lupus est, capram à qua olim lactatus est, devorans. Ingratus nullo flectitur obsequio: & ut

*Prada lupo fit capra, suo quem lacte cibarat,*
*Sic cedunt homini quæ bene facta malo.*

Et Græco Epigrammate lib. 1. Anthologiæ, titul. εἰς ἀγαρίστους καὶ ἀχαρίστους, Alciatus confecit emblema 64.

*Capra lupum non sponte meo nunc ubere lacto,*
B *Quod male Pastoris provida cura jubet.*
*Creverit ille simul, mea me post ubera pascet:*
*Improbitas nullo flectitur obsequio.*

Ingrati nullis officiis aut meritis à sua perversitate flecti possunt; immo loco gratitudinis, quantum possunt benefactores suos in extremam adducunt perniciem: quo pessimo τῆς ἀχαριστίας vitio nullum detestabilius reperiri potest; adeo ut Salomon in Proverbiis, à domo ejus qui reddit malum pro bono, scribat non recessurum malum. Persæ ingratos odio perpetuo prosequebantur, nec in illos Solon legem ferre voluit, existimans fieri non posse, ut in Republica bene constituta quisquam reperiretur ingratitudinis labe deformis. Et apud Xenophontem lib. 2. ἀπομν. occurrit egregia dissertatio Socratis ad filium Lamprocletem de ingratitudine.

Aquila ex sagitta de suismet pennis concinnata, periit, quæ exprimit hominem pereuntem eorum improbitate ac perfidia, quos plurimum juvare ac promovere studuit, quod etiam Ovidius in
C quodam versiculo deplorat:

*Heu patior telis vulnera facta meis.*

Quo pertinet quoq; Actæonis fabula à suis canibus perempti, quam idem Ovidius 3. Metamorph. describit, & apud Theocritum in hodæporis exclamat pastor,

----ἰοὺ ἀχάρις ἐς τί πόθεκας,
Θρῖψω καὶ λυκιδεῖς. Θρέψω κύνας ἄλλα φάγοντας. id est,
*En memor illius quo serpit gratia facti!*
*I nunc ergo canum catulos nutri atque luporum,*
*Utrum nutrieris, comedent tua viscera adulti.*

Quod ultimum quoq; in proverbium de sceleratis & ingratis hominibus abiit. Usus est autem hoc hieroglyphico quidam vir magnus qui alios plane neglectos studiose promovere & ad magnas dignitates evehere conatus est, à quibus postea ingratissimo animo non solum contemptus, sed insuper quoq; multis injuriis affectus, & tandem de suo gradu dejectus est. Sic apud Valer. Maximum
D legitur de Cn. Popilio Lenate, quem rogatu M. Cœlii cum Cicero non minore cura quam eloquentia in judicio defendisset, tamen hic flagitiose ingratus homo, nec verbo, nec re umquam à Ciceronе læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad eum proscriptum persequendum & jugulandum mitteretur, quo facinore detestando perpetrato, caput ipsius Romam tamquam optima spolia retulit, quod antea pro illius capite tam præclare peroraverat.

*Ipsa suu pennis aquila interit icta: refertur*
*Scilicet hæc hodie gratia pro meritis.*

## INIMICUS *nullus contemnendus.*

PArva sæpe nocent, &

*Parvula, quæ de asino vindictam sumit acanthis,*
*Vim magnam & parvis rebus inesse monet.*

De inimicitia inter Asinum & Acanthides aves Aristot. lib. 9. de histor. Animalium cap. 1. & Plin. libr. 10. capit. 74. eodem sensu. Asinus & Acanthides inter se sunt hostes. Victus enim acanthidibus è vepribus, quas adhuc tenellas Asinus depascit. De hoc dissidio Achilles Bochius lib. 3. Hos versus composuit: A

*Cur tantula Asinum tantum acanthis oderit,*
*Obscura non est causa spinis affricat*
*Sese ille acutis, in quibus cubilia*
*Texens avicula nidulatur, ejus &*
*Depascitur flores. Acanthis ueq; eo*
*Terretur, ut procul rudentem si audiat,*
*Dejiciat ova, decidant pulli metu*
*E nidulo, nec fert inultum hoc: nam illius*
*Qua fustibus, qua sarcinis facta ulcera*
*Parvo fodit rostro, atq; pungit narium*
*Mollissimas partes. Id omnes admonet,*
*Ne humillimis quidem inferendam injuriam:*
*In parvulis vim sæpe inesse maximam.*

INJURIA *nemini inferenda.*

ASinus & Spini (ἀκανθίδες) inter se sunt inimici, inquit Aristoteles libr. 9. De historia Animal. cap. 1. Victus enim Spinis è vepribus, quas Asinus tenellas adhuc depascit. Quod Plinius iisdem ferme verbis expressit libro 10. cap. 74. De quo Achilles Bochius lib. 3. Symbolicarum quæst. hos versus composuit: B

*Cur tantula asinum tantum acanthis oderit,*
*Obscura non est causa; spinis affricat*
*Sese illa acutis, in quibus cubilia*
*Texens avicula nidulatur, ejus &*
*Depascitur flores. Acanthis ueq; eo*
*Terretur, ut procul rudentem si audiat,*
*Dejiciat ova, decidant pulli metu*
*E nidulo; nec fert inultum hoc; nam illius*
*Qua fustibus, qua sarcinis facta ulcera*
*Parvo fodit rostro, atq; pungit narium*
*Mollissimas partes. Id omnes admonet,*
*Ne humillimis quidem inferendam injuriam:*
*In parvulis vim sæpe inesse maximam.*

Huic succinit ingeniosus poeta, Disticho eleganti,

*Parvula, quæ de asino vindictam sumit acanthis,*
*Vim magnam & parvis rebus inesse monet.* C

INSIDIÆ.

IN vita humana perpetuis insidiis undiq; circumcingimur. Hieroglyphico id demonstratur à mustelis desumpto. Quamvis multæ regiones abundent cuniculis, cum sint admodum fœcundi, maximus tamen in Hispania semper eorum fuit proventus, unde Catullus vocat, cuniculosam Celtiberiam. Quin etiam Balearici auxilium militare ab Augusto Imperatore olim contra eos petierunt, teste Plinio lib. 8. cap. 55. & Strabone lib. 3. Atq; etiam oppidum ab iis subversum esse narrat Varro, quem adducit Plinius eodem lib. cap. 29. Strabo in Turditania contra illorum copiam nimiam, plures esse modos inventos eos venandi & capiendi scribit, quorum unus fuit, quod γάλαι ἄγριαι Africæ, id est, mustelas sylvestres studiose adhibeant, ac ore obligato in foramina cuniculorum immittant, quæ unguibus eos extrahant aut expellant, ut ab insidiantibus capiantur, ut Plinius quoq; commemorat, quod venationis genus multis in provinciis adhuc est usitatum, ubi venator mustelas illas sylvestres, vel viverras funiculo tenens in cavernas immittit, quæ ubi cuniculum apprehenderint, ita mordicus tenent, ut una cum ipsis extrahantur. Monemur hoc hieroglyphico quantopere insidiæ cavendæ sint: quod quidem in primis de calumniæ pessimo & valde occulto malo est intelligendum. Inde proverbium Aristophanicum, nullum reperiri remedium contra morsum Sycophantæ. Nam in Plauto cuidam jactanti anulum se habere magicum, adversus omne malorum genus efficacem, respondet alter, ἀλλ' οὐδενὶ συκοφάντῃ δάγμασιν, scilicet φάρμακον, id est, *non illi inest remedium contra Sycophantæ morsum.* At, ut sapienter dictum est, D

*Non illa tractus aeris volubiles,*
*Nec subter undas, nec per umbrosum nemus*
*Habitat, sed aures Regum, ut aedes, possidet:*
*Et inde pressa illudit innocentia.*

IN-

A

## INSTITUTIONIS *efficacia.*

MErcurius apud Mythologos ingenii, eloquentiæ, doctrinæ vim denotat. Is fingitur irrigare laurum, arborem Apollini sacram, qua ipsa quoq; poetæ & docti viri ornabantur. Hieroglyphicon illud docet multum referre, quo magistro & duce qui illos recte instituant, adolescentes bonarum artium ac literarum studiosi, modo progressus in illis laudabiles facere velint, utantur.

## INTEGRITAS.

KY'KNOY Græcum vocabulum Latini quoq; retinuerunt, ἀπὸ τοῦ κυκᾶν πλὴν ὕλλω, id est, quod cœnum scrutari ac turbari propter cibum soleat, ut vult Varinus. Estq; fabula apud Ovidium libro secundo Metamorph. de Cygno nota, quod libenter versetur in locis paluſtribus, ut evitet fulmina, quæ plurimum metuit. Nam fingunt poetæ, regem Liguriæ filium Stheneli Phaetonti materno genere proxim. in Cygnum mutatum. Pausanias in Atticis Cygnum Ligurum regem, Musicæ laude clarum, post mortem ab Apolline in sui nominis avem transformatum scribit. Sic Laurum
B quoque, sub qua hic Cygnus securitatem quærit, immunem esse à fulmine, & hoc quasi privilegio à Jove donatam, vetustas existimavit. Intelligitur autem sub Cygni imagine integritas, modestia, candor & animi bonitas, quæ universa protectione & umbra solius virtutis tutum præstare, vitamq; ab omni labe integram conservare potest. Quemadmodum enim laurus, etiam in horridissima hyeme sua virentia folia retinet, ita quoq; virtus semper viget floretque, etiam in rebus asperis & adversis, suiq; sectatores quovis tempore egregie tuetur & conservat. Cum autem Ethnici scriptores tantopere virtutem commendent, tantique faciant, quid nobis Christianis de vera pietate, cui omnes virtutes merito famulantur, sentiendum dicendumq; erit? Quare sanctus Paulus quoque 1. ad Timoth. 4. recte nos admonet, ubi inquit: ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος, ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. Quod Plato quoq; quasi per transennam vidit in Epinomide. Nemo sane nobis umquam persuadeat, majorem esse virtutem generi humano, quam pietatem. Quibus cum utiliter conferantur versus Lucilii, quos refert Lactantius lib. 6. cap. 5.

C *Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri:*
*Fortunæ insultus despicit integritas.*

Echinus non sine vafricie quadam naturali, sentiens canes accedentes, convolvit se in pilæ formam, ut tantum in aculeos vim suam exerceant. Plutarchus lib. de animalium solertia.

πολλὰ οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἔχιν@· ἓν μέγα.
*Scit multa vulpes, magnum echinus unum habet.*

Nam accedente, ut ajunt, vulpe, echinus

*Corpus convolvens, pineæ in morem nucis,*
*Spinas riget horrens, ne vel morderi queat,*
*Vel tangier.*

Hieroglyphica nota est hominis qui fretus integritate sua nihil moratur ictus invidiæ, fraudes &
D obtrectationes malevolorum facile contemnit, & ab illis se tueri potest, undiq; tutus. Nam

*Integritas virtusq, suo munimine tuta,*
*Non patet adversæ morsibus invidiæ.*

Viro equidem vitæ integro scelerisq; puro convenit illud veteris poetæ,

*---Expers terroris Achilles*
*Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.*

## INTEGRITAS *invidiæ clamores contemnit.*

PLutarchus in libello de Oraculorum silentio perhibet inter templi cujusdam à Cypsello consecrati donaria & anathemata extitisse Palmam æneam, ad cujus radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, & natrices, quas hydros nominant. Hoc hieroglyphico indicantur (ex quorumdam sententia) sycophantæ qui invidis linguis & exitiali maledicentiæ veneno armati, probos ac in-

tegros vitæ, scelerisq; puros viros, non obliqua, sed regia via ac ratione ad honorum & dignitatum exercitia sacra tendentes, evertere, & omnibus bonis exuere, sed frustra conantur. Nam innocentia virtuteq; sua freti invidorum morsus & obtrectatorum calumnias facile spernunt ac retundunt, & tantundem curant, quantum luna luporum ululatus. Palma enim ardua primæq; nobilitatis arbor, frondibus numquam vidua, homines ad magna tendentes aptissime exprimit, ad cujus radices ranæ plurimæ, odiosa sua coaxatione omnibus molestæ, calumniatorum mores ad vivum exprimunt, & hydri nullis serpentibus veneno inferiores (si Plinio credimus) virulentos invidorum sibilos designant. Quod hieroglyphicon, eruditus Hadrianus Junius (cujus liber excusus est à Plantino) ita explicat;

*Palma caput tollit cœlo ardua, cujus ad ima*
*Rana loquax, stabulantur & hydri.*
*Oppugnant [illegible] res, quorum via consona recto est,*
*Degene[illegible]que invida lingua.*

## INVIDIA. LITES. RIXÆ.

PAusanias in Corinthiacis describit paludem leonam, & addit: Ad Amymones fontem platanus exsurgit, sub ea Hydram educatam narrant. Equidem facile adducor, belluam illam tum multo maximam cæterarum fuisse, tum vero tam insuperabili veneno, ut ejus felle spicula sagittarum Hercules infecerit. Caput vero, ut ego opinor, unicum & non plura habuit. At Pisander Camirensis, sis, quo & fera terribilior, & carmina sua plus dignitatis haberent, pro uno illi plura capita dedit. Hæc Pausanias. Sed Naucrates quidem Erythreus septem, Zenodotus Ephesius novem, Heraclides Ponticus quinquaginta capita illi tribuit: quæ quoties unum illorum cædebatur, priorum numerus duplicabatur continuo. Hoc igitur monstrum Jolai aurigæ opera Hercules, licet hydræ Cancer ingens opem tulisset, perdomuit, ipso etiam Cancro concultato fortiter. Plato sane in Euthydemo per Hydram & Cancrum callidissimos Sophistas intelligit, quo viri & docti veritatis amantes, utut illi invicti videri cupiant, instar alicujus Herculis retundere ac superare soleant. Alii, cum ex uno scelere plura serpant non secus ac ex hydræ uno capite abscisso plura renascebantur. Herculem uno tempore omnia ejus capita extinxisse putant, id est, virtute & temperantia cuncta vitia repulisse. Quo & Horatii illa 2. Epistol. 2. referri possunt ac debent, ad quæ alludit nostrum Distichon. Alii ad laboriosas & nimis intricatas lites non minus concinne transtulerunt, cum dicto: SPES ÆGRA SALUTIS. Quod & Proverbio significari posset: ὕδρας τέμνεις, *Hydram secas*. Quidam dolorem cum tempore usque veluti renascentem hoc symbolo exprimere studuerunt, cum inscriptione: NON SECUS USQUE DOLOR.

*-----malorum sensus accrescit die:*
*Leve est miserias ferre perferre grave.*

Inquit Thyestes Senecæ. Distichon supererat, quod subjicimus:

*Extemplo tibi sit duram qui contulit hydram.*
*Sternere lat. vagam qui cupis invidiam.*

## INVIDIA *fugienda.*

ABannosis & ingentibus arboribus subnascentes arbusculos umbra lædi, succum & nutrimentum eis subtrahi, sic ut incurvas enasci & succo destitutas inarescere necesse sit animadvertens, de Invidia fugienda te hieroglyphice admoneri crede, & alienam virtutem & gloriam herbescentem cum gaudio intuere, favore prosequere, congratulatione tua fove.

## INVIDIÆ *Conatus irriti.*

CAnes Lunam frustra adlatrant, & serp[illegible]e ranæ ad palmæ radicem sibilantes atq; coaxantes nihil efficiunt.

*Quantum palmæ hyc [illegible]ssunt ranæque nocere,*
*Tantumdem invi[illegible]æ virtus obisse probis*

Nam

A Nam innocentia virtuteq; sua freti Sycophantarum calumnias facile spernunt ac retundunt. Palma enim ardua primæq; nobilitatis arbor, frondibus numquam vidua, homines ad magna tendentes denotat: ranarum coaxatio calumniatorum ingenium, serpentum sibili morsus invidorum exprimunt. Hieroglyphicon illud pinxit, & tetrasticho illustravit. Adrianus Junius vir Doctissimus in emblem.

*Palma caput tollit cœlo ardua, cujus ac ima*
*Rana loquax, stabulantur & hydri.*
*Oppugnant proceres, quorum via consona recto est,*
*Degeneres, atq; invida lingua.*

## INVIDIÆ *Antidotum.*

ÆLianus lib. 1. cap. 37. auctor est, Ciconiam vespertiliones ejus ovis perniciem molientes admodum caute vindicare. Nam cum hæ solo contactu ova illius sterilia & irrita reddere so-
B leant, hoc remedio utitur, ut folia platani in nidos suos inferat, quæ vespertiliones ferre nequeunt, sed inde torpore affectæ nihil amplius nocere possunt. Non dissimilem proprietatem (ut idem auctor habet) natura hirundinibus est largita: nam cum pariter blattæ ipsorum ovis sint perniciosæ, matres apii folia ante pullos projiciunt, atq; hinc omnis accessus blattarum prohibetur, de quibus proprietatibus Diodorus Siculus lib. 2. præclaram habet sententiam, ubi ait: Proba enim natura omnibus animantibus magistra est, non solum ad sui conservationem, sed etiam ab illis procreatorum, idq; ob innatum studium & amorem vitæ, successiones in perpetuum stabilitatis perducens circulum. Recte autem usurpari poterit hoc hieroglyphicon à magnis viris, qui contra invidiæ morsus quasi efficacissimo amuleto suam virtutem ac bonitatem opponunt, & æmulorum occultas machinationes singulari constantia ac fortitudine arcere ac irritas facere norunt. Quare veterum quispiam, referente Stobæo, virtutem non immerito ita commendavit,

οὐκ ἔστιν ἀρετῆς κτῆμα τιμιώτερον,
οὐ γὰρ πέφυκε δοῦλον οὔτε χρημάτων,
C οὔτ' ἀσφαλείας, οὔτε θωπείας ὄχλου,
ἀρετὴ δ' ὅσῳ περ μᾶλλον ἂν χρῆσθαι θέλῃς,
Τόσῳ δὲ μᾶλλον αὔξεται τελειουμένη.

*Non est virtute ulla possessio preciosior,*
*Non enim submittit se neque pecuniis,*
*Neq; securitati, neq; adulationi vulgi,*
*Sed virtus quo frequentius ea uti libet,*
*Eo magis crescit, perfectiorq; fit.*

Et ut propius accedamus ad hieroglyphici sensum,

*Virtuti invidia est hostis, verum illius omnes*
*Sincera insultos despicit integritas.*

## D INVIDUS.

PIorum virorum virtute macrescit invidus, & atra bile percitus fertur in seipsum, sicut Pantheram ajunt viso homine, vel hominis simulacro in rabiem agi, & in hominem vel ipsius hominem ferri toto impetu, ut quod odit quamprimum discerpat. Panthera igitur in hominis personam vel effigiem insiliens invidi macrescentis rebus opimis proximi hieroglyphicon esto.

## IRA.

VArro libr. 3. de re rustica, cap. 9. Meleagrides vocat gallinas Africanas, quæ aliis sunt Numidicæ, quæ ad nos quoq; deferuntur. Quamquam vero Gesnerus nostras vulgo dictas Indicas gallinas ad Meleagrides recenseri posse existimet (sicuti quoq; Turnerus Anglus, & Bellonius Gallus) rectius tamen pavonem Indicum vel Gallopavum nominari, idem Gesnerus putat. Sed Gellius interpres & Commentator, Æliani lib. 16. de Animal. cap. 2. existimat Gallinaceum Indicum

debere appellari. His vero avibus quasi peculiare hoc est insitum, ut ad iram provocatis, cutis circa collum sanguineo colore splendescat, & crista ipsius varii coloris infletur, & ad nares usq; protendatur, caputq; nudum pelle purpurascente obducatur, quam antea laxam & quasi vacuam, cum irritatur, sic inflat, ut ad bracchii nonnumquam crassitudinem accedat, ac tum vox cum fragore aliquo per collum redditur. Quæ omnia in hac ave peregrina vere ἦθος & mores iracundiæ exprimit, ut vix aliquid accommodatius excogitari posset. Est autem hieroglyphicum ex Claudiano de 4. consulatu Honorii desumptum, ubi ait:

*Iram sanguinei regio sub pectore cordis*
*Protegit, imbutam flammis, aridamq; nocendi*
*Præcipitemq; sui rabie succensa tumescit.*

Cum quo convenit Persius libr. 3.

*Non face supposita, fervescit sangis, & ira*
*Scintillant oculi, dicisq; facisq; quod ipse*
*Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.*

Seneca quoq; in libr. de ira eam luculenter describit his verbis. Nam in ea facies turbatior ora pulcherrima fœdat, torvos vultus ex tranquillitate reddit, linquit decor omnis iratos. De remediis vero contra hunc tam impetuosum affectum aliorum scripta consulantur.

*Quam deforme malum ferventi accensa furore*
*Ira sit, iratis Indica monstrat avis.*

## IRA *furor brevis.*

APer iratus ac frendens, nimiaq; vindictæ cupiditate irritatus, magno impetu arborem etiam validam dejicere cupit; quo tamen conatu irrito nihil aliud consequitur quam quod dentes sibi ipsi confringit, seq; frustra conficit, atq; ita declarat quam noxia sit iracundia, omnis rationis expers. Hanc Xenophon ἀπρονόητον, improvidam vocat. Et Cicero 4. Tuscul. An quicquam est, inquit, insaniæ similius ira? Ennius insaniæ initium dicit. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum & factorum, quam partem habent sanitatis? Paulo post addit, non igitur desiderat advocatum fortitudo iracundiam; satis est instructa, parata, armata per sese.

*Concitus ira aper in truncum se reddit inermem:*
*Ira ultrix quoties in sua damna ruit?*

Extant adversus iram præclara Senecæ & Plutarchi documenta, quæ illam animi perturbationem ad vivum depingunt. Paucis omnia Horatius libr. 1. epist. 2.

*Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret*
*Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.*

Compescitur autem sapientibus verbis, teste Plutarcho,

ψυχῆς νοσούσης οἰκεῖν ἰατροὶ λόγοι, id est.
*Animæ morbidæ remedium oratio.*

Qualis autem debeat esse illa oratio docet hierosophia apud Prophetam & Apostolum, irascimini & nolite peccare. Sol non occidat super iram vestram. Psal. 4. 5. Eph. 4. 26.

## IRA *compescenda.*

INgeniose admodum, ut multa, Isidorus Pelusiotes, epistol. 43. lib. 4. nuper editi. De ira compescenda hieroglyphicon nobis proposuit corvum Prophetæ Eliæ cibum adferentem, his verbis. Deus fons bonitatis curavit Prophetam per corvum pasci, avem sobolis propriæ osorem, & quæ parit quidem atq; excludit pullos, sed eos non alit. Maximè quidem omnia nutrit ac sustentat divina providentia; eximie vero & peculiari quodam modo pullos corvorum, qui à parentibus suis negliguntur. Animalcula enim parva quæ nidos circumvolitant, pabulum ipsis præbent, quoad advolare possunt. Per corvos igitur Deus non tantum voluit suadere Eliæ, ne nimium indignationi suæ indulgeret, neve magis inhumanus esse videretur quam illud volatile animal, quod quantumvis in pullos

A los suos crudele alioqui sit, tamen jam prophetæ humanitatem illi allato pabulo exhiberet. Nam hæc quidem, inquit Deus, avis jam tum meo jussu pascit. Tu vero totus ira & indignatione occupatus, jura humanitatis habes despectui. Hæc Isidorus.

## IRREQUIETI *homines.*

CAmelus sitim quadriduanam tolerat, impleturq; cum bibendi occasio est, & in præteritum, & in futurum, obturbata prius aqua pedum proculcatione: aliter potu non gaudet. Quod Ælianus quoq; Elephanti tribuit, cui aquam limpidam exosam esse testatur. Ad hunc modum homines irrequieti, atq; ad turbas nati affectibus suis ut indulgeant omnia pervertunt, hostes publicæ tranquillitatis, qui consilia sua eo dirigunt ut alios inter se committant, atq; miris artibus excitent bella non necessaria. In aquis turbidis piscationem multam se facturos somniant, nonnunquam familiarum suarum, sæpissimè suo ipsorum maximo malo. Turbata delectatur, &

B *Turbat aquam sitiens quam vult haurire Camelus:*
*Sit pacem ex bellis qui lucra fœda sitit.*

Apud Jovium occurrit insignis historia. Virginius Ursinus, strenuus alioqui bellator, contra multorum etiam gentilium suorum sententiam, quo tempore universa fere Italia contra Gallos conspiraverat, nihilominus tamen ipse castra Gallica sequi maluit. Ideo usus est symbolo Camelino, cui adpingi curavit, *Iatrouble me plait*, id est, mihi turbida placet; sed conatu & exitu parum fœlici. Nam durante bello isto gravissimo Atelle obsessus in hostium manus incidens in carcere Neapolitano fœda morte periit.

## JUDICIUM *vulgi mire depravatum.*

IN eo fallimus turpiter quod mensuras rerum ignoramus, præsertim quum de hominum evanido splendore agitur. Quod ut corrigeret Seneca Stoicus, hieroglyphico tum ex pumilione & Colosso, tum ex vario humano habitu sumpto, multa egregia proposuit, quæ hic proponere libet, ad
C vetustissimam sapientiam pertinentia. Nemo (inquit, circa finem epist. 76.) ex istis quos purpuratos vides, felix est, non magis quam ex illis quibus scriptum & chlamydem in scena fabulæ assignant, cum præsente populo elati incesserunt, & cothurnati, simul atq; exierunt excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum quos divitiæ honoresq; in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Cum basi sua illum metiris. Parvus pumilio, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore: sic nobis imponitur: quod neminem æstimamus eo quod est, sed adjicimus illi & ea quibus adornatus est. Atqui eam voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia: corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusq; sit, alieno an suo magnus, si erectis oculis gladios micantes videt, & si scit sua nihil interesse utrum anima per os, an per jugulum exeat, beatum voca. Si cum illi denunciata sunt corporis tormenta, & quæ casu veniunt, & quæ potentioris injuria, si vincula & exilia, & vanas humanarum formidines mentium, securus audit, & dicit,

D ——*Non ulla laborum,*
*O virgo, nova mi facies inopinave surgit,*
*Omnia præcepi, atq; animo mecum ipse peregi.*

Tu hodie ista denuncias: ego semper denunciavi mihi hominem paravi ad humana prægogitati mali mollis ictus venit. At stultis & fortunæ credentibus omnis videtur nova rerum & inopinata facies. Magna autem pars est apud imperitos mali, novitas. Hoc ut scias, ea quæ putaverunt aspera, cum assuevere, patiuntur. Ideo sapiens assuescit futuris malis: & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorum dicentium, Nesciebam hoc mihi restare. Sapiens scit omnia restare sibi. Quicquid factum est, dicit, Sciebam.

JU-

## JUSTI.

A

HEbræis vox Chasidha, Ciconiam, & misericordiam significat, Justos autem, id est, Dei electos in Christo, Isaias viros *hesed*, id est, misericordes appellat cap. 57. 1. 2. Solet autem æstatis advena Ciconia ἀντιπελαργεῖν, id est, parentibus senio confectis mutuam nutricandi vicem reprendere. Ideo Plin. libr. 10. Naturalis hist. cap. 23. Genitricum, ait, senectam invicem educant. Justus erga omnes officiosus est & beneficus, maxime tamen erga de se bene meritos fidei patres & domesticos, quibus ex talionis lege pro acceptis beneficiis parem gratiam referre studet.

2. Honos iis, ait Plinius, serpentum exitio tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse, eademque legibus pœna qua in homicidam. Bellum sine induciis, & Justi in his terris militantes, cum antiquo illo & tortuoso serpente satana, gerunt: & super Leonem ac Basiliscum calcant, Psal. 91. 13. versantes in medio nationis pravæ ac perversæ, Phil. 2. 15. Sed per Christum, fide mundi hujus victrice, vincunt & pedibus calcant illum Serpentem, Rom. 16. 20.

3. Ciconiæ in cœlo noverunt tempus suum, Jerem. 8. 7. Ideo Basilius in Hexamero ait, Mores vero Ciconiarum haud longe dixeris à prudentia rationeq; distare. Ita uno tempore hæ omnes in nostras provincias veniunt, ita rursus abituræ certo congregantur in loco, indeq; universæ, ceu lege, prædicta die recedunt. Ita & justi homines tempus gratuitæ Dei benevolentiæ studiose observant, & memores sunt dicti Apostolici: Idq; perspecta opportunitate, quod videlicet tempestivum jam sit nos à somno expergisci, &c. Roman. 13. 11. Item, Redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt. Ephes. 5. 16. B

## JUSTI & injusti.

1. MYricæ (de qua Plinius, libr. 13. cap. 21.) duæ species sunt: sylvestris altera, quæ non fert fructum; Sativa altera quæ πολύκαρπος est, fructumq; copiosum fert. Sic Spiritalis Myrica, videlicet Ecclesia, siquidem externam societatem hominum spectes, complectitur duos hominum ordines: quorum alter Pseudochristianorum, alter Germanorum Christianorum est. De illis Sylvestribus myricis dicitur Jerem. 17. 5. 6. Sic dixit Jehova, Maledictus vir qui fidit homini, & ponit carnem brachium suum, & à Jehova recedit cor ejus. Erit enim tamquam Myrica in deserto, neque videbit quum venerit bonum, sed habitabit in siccitatibus in deserto. Sed de Myrica laudata, Psaltes, efficacitatem piarum precum commendans, ait, eo quod respexerit Deus ad orationem eorum qui sunt veluti Myricæ, & non spreverit preces eorum, Psalm. 102. 18. Hæ sativæ Myricæ renascuntur non ex semine mortali, sed per sermonem Dei vivi & manentis in æternum. 1. Petr. 1. 23. C

2. Nascuntur Sylvestres myricæ proximè paludes, resideque aquas ac quiescentes, teste Dioscoride, lib. 1. 95. Pseudochristiani peccatis mundoque huic nimium addicti, palustribus & uliginosis hujus terræ locis plurimum delectantur. Sativæ Myricæ lympidis & salutaribus Spiritus Sancti fluentis rigantur, eamque aquam bibunt quæ in eis sit fons aquæ salientis in vitam æternam. Johann. 4. 14.

3. Sativæ Myricæ lympidis & salutaribus Spiritus Sancti fluentis rigantur, eamq; aquam bibunt quæ in eis sit mons aquæ salientis in vitam æternam, Joh. 4. 14. D

4. Humiles sunt Myricæ. Sic & fideles homines humiles corde sunt memoresq; præcepti quod illis dedit Dominus Jesus, quum diceret, Matt. 11. 29. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quod mitis sim & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.

5. Fragiles & tenues Myricæ sunt. Fragiles & tenues sunt fideles homines, ut qui in seipsis considerati, una cum docentibus de fidei thesauro quem circumferunt in hoc mundo necesse habeant dicere, habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis dum in omnibus premimur, at non coarctamur. 2. Corinth. 4. 7. 8.

6. Myricæ autem Spirituali, idem quod Croco accidit. Gaudet calcari Crocum, premendoq; melius provenit. Sic Ecclesia militans, sic etiam cuncti fideles, crucé Christi gestantes, habent cur una cum

A cum Davide dicant, Multis angustiis affecerunt me ab adolescentia mea, &c. Psalm. 129.1.2.3. Ad Moabitas autem dicitur. Jerem. 48.6. Fugite, eripite animam vestram, & sitis veluti Myrica in deserto. Significat genti superbæ, inhospitali, & fiducia opum ac potentiæ suæ inflatæ, rerum vices imminere: ac futurum, ut qui antea in cultissimis & populosis oppidis vixissent, trepida formidine diffugere in solitudines incultas, in iisq; delitescere, necesse haberent. Hoc sane sylvestrium Myricarum fatum est.

7. Sed Sativæ & Spirituales Myricæ, non in terris, sed in cœlo radices agunt, & ubiq; locorum, perpetuo fidei, charitatis & spei honore virent. Ac de eorum antecessoribus dicitur, Oberraverunt cum ovillis & caprinis pellibus, destituti, oppressi, male habiti. Quibus indignus erat morbus, in desertis errantes, in montibus ac speluncis & cavernis terræ. Hebr. 11.37.38.

8. Theophrastus libr. 1. de Plantis, cap. 16. Myricæ, ait, inter frutices folium carnosum: nonnullis harundinaceum, ut palmæ, Coici, cæterisq; similibus, quæ foliis angularibus constant. Myricæ mysticæ cor carneum, non lapideum est, Deo ei pro infinita sua gratia benedicente, ut habetur Ezech.
B 11.19. Et dabo eis cor novum, & Spiritum novum tribuam in visceribus eorum; auferamq; cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Qui autem carnei boniq; cordis flores, quæ folia, qui fructus Spiritus sint, idem Propheta verbis sequentibus indicat, dicens: Ut in statutis meis ambulent, judicia mea custodiant, faciantq; ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.

9. Testatur Dioscorides, Myricam Sativam in Ægypto & Syria fructum ferre gallæ Similem, inæqualiter in gusto adstringentem, commodumq; pro galla in medicamenta ocularia, & quæ ad os parantur, & ad alia multa medicamenta. Myrica Spiritualis eos fructus profert: qui iis serviunt, quorum mentis oculi illuminandi sunt, ut eis illucescat Christus: quorum os aperiendum, ut sermo eorum semper cum gratia sit sale Sapientiæ conditus, juxta dictum Psalm. 37.30. Os justi loquetur Sapientiam, &c.

10. Vulgus Myricam infelicem arborem vocat. Talis est errore opinionis filiorum hujus sæculi, Ecclesia: tales sunt & fideles ærumnosi in hoc mundo. Sed bene habet, quod servator dixit, Beati
C qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis, Luc. 6.21. Beati qui lugunt, quoniam ipsi consolationem accipient, Matth. 5.4.

11. Inter Myricam & Lienis morbos ejusmodi ἀντιπάθεια est, ut spleneticis cibus potusque in vasis Myricis cum fructu exhiberi vinumque carbonibus myricis igni flagrantibus adustum propinari, perhibeatur. Myricæ Spirituales, homines nimirum modesti & fideles, ac ταπεινόφρονες, cor lienosum, turgidum, & opinione sanctimoniæ inflatum non habent. Nemo etiam eorum tam est sui immemor, ut ebrius voluptatibus alios irrideat, dicatque, sed sum petulanti splene cachinno. Neminem enim risu sardonio prosequuntur, ut qui non illud Simonideum solum didicerunt, Mementote esse hominem: sed etiam illud Beati martyris Ignatii ad Maquesianos, Decet nos non tantum dici, verum etiam Christianos esse. Non enim dici, sed esse beatum efficit.

## JUSTITIA.

D CUm Aquila regina avium dicatur, & huic alitum, secundum Plinium maximus honos & magna vis insit, constat tam ex profanis quam sacris literis semper insigne fuisse alicujus Imperii, ut apparet nominatim ex 17. cap. Ezechielis prophetæ, quo in loco Aquilæ nomine regnum Babylonicum & Ægyptium designatur. Xenophon lib. 7. de Cyri institutione præcipuum signum exercitus Persici auream Aquilam fuisse scribit. Idemque Romani longa serie ab Hetruscis acceptum observarunt, secundum Dionys. Halicarnass. libr. 3. & Dionem, libr. 40. Atque nunc etiam Imper. Rom. felicibus auspiciis eam gestant, bicipitem quidem, ut Occidentis & Orientis imperii divisionem denotent. Præterea numi aliquot antiqui extant, in quibus aquila fulmini insidens addito oleæ ramo conspicitur, pacis & belli hieroglyphicon, à Carolo V. usurpatum cum inscriptione, Suum cuique. Idem retinuit Maximilianus II. addito hoc dicto Græcè ΕΝ ΚΑΙΡΩ ΕΚΑΤΕΡΟΝ.

*Læva tenet fulmen, sed olivæ dextera ramum,*
*Ut bello & pace sis memor officii.* A

Officium illud vero poëtarum Princeps paucis expressit, Æneid. 6.

*Tu regere imperio populos, Romane, memento,*
*(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem:*
*Parcere subjectis, & debellare superbos.*

## JUSTITIA *distributiva.*

ACHilles Bocchius Bononiensis in Symbolicis suis Quæstionibus Cl. V. Bergancio inventionem hieroglyphici ascribit, quo significare voluerit, acumine, ratione, diligentia quemvis bestri posse: remque ipsam elegantissimis versibus minutatim excutit ac persequitur. Astrææ quidem seu Justitiæ imago, quæ vulgo virginis decoræ bilancem manu gestantis pictura repræsentatur, efficaciter nos exhortatur ad cognitionem veritatis rei causæq; cujusvis, tum ea cognita ad integram & circumspectam distributionem, quæ in Geometrica proportione potissimum consistit, suum cuiq; B tribuit, præmia bene meritis constituit, pœnas nocentibus pro cujusq; delicto rogat. Unde convenienter admodum quidam dixit justitiam hanc, quam distributivam vocant, cujusque propria sunt Cognitio & Electio, admittere adhibereq; in consilium Gratias & ἐπιείκειαν: & Plato tum demum beatas fore Resp. prædicat, cum ad hanc justitiæ analogiam constituuntur. Delphinus vero, cum in perpetuo constanti semper motu sit, etiam cum dormit, neque ante movendi quam vivendi finem faciat, ut Plutarch. tradit in libr. de solertia animalium, veram & genuinam Justitiæ notam adumbrat. Est enim ea constans ac perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi, ex Ulpiani J. C. definitione. Et justus vir semper juste agit, nec unquam juste agere cessat aut defatigatur, secundum descriptionem Aristotelicam. Delphinus etiam hieroglyphice matris imperium denotat, ut docet Pierius. Atque ut in bello, sic in navigationibus & maritis negotiationibus justitia vel primum sibi locum vendicat. Quo pertinet Rhodiorum navalis disciplina, quam ad suam usq; ætatem perdurasse scribit Cicero pro L. Manil. & quam Strabo ἐυνομίαν admirabilem nominat, quamque omnes populi, C etiam Romani ipsi, secuti sunt, ut annotat doctiss. Jac. Cujacius in τὸν νόμον. Dig. ad tit. de L. Rhodia, de jactu.

## JUSTUS.

1. MOntes amant Cedrus, Larix, Teda & cæteræ è quibus Resina funditur: ut ait Ruellius. Justus eum montem diligit in quo reparascitur, de quo, Ecclesiam Christianam celebrans, Isaias, cap. 2. ait, erit in novissimis diebus mons domus Jehovæ præparatus in vertice montium, & elevabit se præ collibus, confluentq; ad eum omnes Gentes.

2. Cedrus durissima, quæ medullæ proxima, velut in corpore ossa: ac (ut ait Plinius) oleo peruncta materies ejus, nec tineam, nec cariem sentit: clavum non tenet. Justus, delibutus oleo Spiritus Sancti, firmus est, & à carie tineisq; peccatorum mortalium immunis, immortalitatem meditatur & obtinet: nec clavum peccati regnantis admittit, sed eundem per gratiam Dei repellit & excludit. D

3. Folia non decidunt Cedro, sed perpetua Coma vires: quasi castretur decacuminata, confestim, ut ajunt, interit, nec postea regerminat. Justus homo sanctificationis suæ honestamentum numquam omni ex parte amittit: licet illud interdum aspergatur offensis, quibus nonnunquam & Sancti præoccupantur. Semper autem meditatur illud Apostoli, Rom. 11. 20. Tu vero per fidem stas, nec effertor animo: sed time. Ideo nexu Spiritus Sancti Christo capiti conjuncti perseverantiæ donum ab eodem petunt & impetrant.

4. Cedri medulla rubet & odorata est. Cor fidele rubet & suavissima fragrantia excellit, quia sanguine Christi respersum est, & ejus merito ab omni peccato emundatum.

5. Cedri usum damnat Plinius propter ancipitem naturam viventia corrumpendi, & defuncta conservandi: cum vitam auferat spirantibus, defunctisq; pro vita sit, ob hoc non censet interius utendum.

A dum. Hujus diversitatis rationem Galenus inivit: quia tametsi Cedrus adurat, ita ut ordine quarto calefacientium censeri meruerit, inter omnia tamen ardentia medicamenta, infirmissimum esse constet. Proinde viventibus admotum vitali calore adjuncto assumit vires, & quasi accenditur, atque ita jugulat; sed defunctis additum putrilaginem exterit, & vitiosos humores depascit, quibus detractis corpora à labe ruptionis asserit. In homine justo mortificatur caro, ut Spiritus vivificetur. Ideo non segnescit, sed etiam si ejus homo externus corrumpitur, internus tamen renovatur quotidie, 2. Corinth. 4. 16. Ac justi mortificant membra sua terrestria, neq; sistunt membra sua arma injustitiæ peccato, sed sistunt sese Deo, ut ex mortuis vivos & membra sua arma justitiæ Deo, Col. 3. 5. Rom. 6. 13.

6. Si verum est quod Plinius libr. 16. cap. 11. scripsit Cedri tanta vis est, ut in Ægypto corpora defunctorum eo perfusa serventur: At Justi etsi in seipsis ejusmodi facultatem non obtinent, tamen è plenitudine Jesu Christi aquam vitæ salientem in vitam æternam uberrimè hauriunt, & eidem immortalitatem animæ corporisq; resuscitationem acceptam ferunt.

B

## JUVENTUS *neglecta.*

HOmerus Odyss. 10. lib. Salicem arborem nominat ἀλιόκαρπον, id est, frugiperdam, idemque de ea Theophrastus quoq; Plinius q; tradunt. Nam semen celeriter amittit & quidem ante maturitatem, quamvis in Creta id producere nonnulli asserant. Quemadmodum itaq; Salici humor ille inter calamos arundinaceos collectus præbet nutrimentum commodum, facitq; ut egregiè crescat ac luxuriet, attamen inde nihil fructus ait seminis saltem percipi potest: non aliter fæpenumero etiam parentes & amici in suos liberos & alios adolescentes sibi commissos multum sumptuum faciunt, ac sæpe impensas plus quam necessarias, qui tamen hoc parum bene collocant suo officio malè fungentes, nec comoda sua tempestive perpendentes, inutiliter omnia decoquunt, de futuro minimè, ut par erat, soliciti: atq; ita una cum ætatis flore ac preciosiss. temporis jactura semina

C virtutis perdunt, ac ita postea nullius usus neq; sibi, nec aliis esse solent, immemores egregii præcepti Tibulliani;

*At, dum primi floret tibi temporis ætas,*
*Utere, non tardo labitur illa pede.*

Quod idem Propertius quoq; cecinit:

*Vidi jam juvenem, premeret cum serior ætas,*
*Mœrentem stultos præteriisse dies.*

Hoc hieroglyphicon utinam nostro sæculo nimis licentioso, vel potius planè efferato, juvenes diligentius apud se perpenderent, nec aliorum exemplo se tam facile seduci cum magno suo malo paterentur.

## LABOR *improbus omnia vincit.*

D SCiurus castaneam, quamvis aspero & spinoso cortice circumdatam, tamdiu versat & laboriose tractat, donec aperiat fructuq; illius interiore frui ad vescendum queat. Quod Hieroglyphico indicatur absq; labore & sudore ad res laudabiles nullum nobis patere aditum.

*Nucleus arridet? Spinoso putamina rupe,*
*Non vult felices absq; labore Deus.*

Estque hâc similitudine hieroglyphica Plautus usus in Curculione,

*Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem.*

Monens commoda quærentem ut laborem quoq; non subterfugiat, quod B. Hieronymus ad diligentem sacrarum litterarum lectionem accomodavit. Cicero quoq; ex Attico vetere poëta refert hos versus in Orat. pro Sectio.

*Sed te id quod multi invideant, multiq; expetant,*
*Insitia sit postulare, si tu laborem summa cum cura efferas nullum.*

Idq; de Sapientiæ adeptione peculiariter pronunciat Turpilius Comicus, referente Nonio, in verbo Spissum. A

*Ita est: verum haud facile venire est illo, ubi ipsa est sapientia.*
*Spissum est iter, adipisci haud possis nisi cum magna miseria.*

Et numerosus Pindarus Pyth. VIII. Od. ult.

Εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν, ἄνευ καμάτου οὐ φαίνεται, id est.
*Si vero aliqua est inter homines felicitas, ea non sine labore existit.*

Cui similis est Epicharmi sententia, πρεπόντων πόνων πωλοῦσιν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί, id est, *Convenientibus laboribus vendunt omnia bona Dii.* Totam vero hoc hieroglyphicon eleganter explicat Philo de vita Mosis libr. 3. De homine laborum amante usurpamus dictum à Claudiano libr. 2. de laudibus Stiliconis,

*---Durum patientia corpus*
*Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori.*

Testudinem tardigradam fingunt lento illo, sed continuo gressu ad montis fastigium ascendere, eoque tandem pervenire. Quo hieroglyphico indicatur, nonnullos, quamvis ingenii tarditas, vel alia eos non parum remorentur, assiduitate tamen & diligentia id omne compensare, ac tandem ad sapientiæ & doctrinæ veram possessionem ascendere; cum etiam Cato dicat (qua sententia B. Hieronymus quoq; usus est) sat cito, si sat bene quod breviter Aristoteles, 3. Ethic. dixit, βραδέως ἐγχωρεῖ τοῖς πραττομένοις, ὃ δ' ἂν ἕλῃ, βεβαίως διαμένει, id est, *Negotia quidem aggredienda cunctanter, sed in susceptis constanter inhærendum.* Et Periandro adscribitur illud semper meditandum, μελέτῃ τὸ πᾶν. In cura sane & diligentia omnia consistunt. Paulatim, & cum prudenti cunctatione Cochlea per acclive & salebrosum iter ad excelsum montis jugum perrepere conatur, idq; solertia & labore indefesso & continuo tandem assequitur. Quod hieroglyphicum affert Jo. Baptista Pittonnus ascripto, NON TEMERE. Solent autem eodem modo homines virtutis amantes, laboris iter, quod ad gloriam ducit, non defugere, quamvis arduum imprimis illud sit ac difficile. Nam & Quintus Smyrnæus in clypei Achillei descriptione libr. 5. Virtutem incelsissimo monte collocat, in cujus vestigium non nisi extremo cum sudore & periculo ingenti pervenire liceat. Quod Silius Italicus imitatus, & Herculis Prodici historiam ad Scipionem suum eleganter transferens, sic virtutem inter alia loquentem introducit; B C

*Casta mihi domus, & celso stant colle penates,*
*Ardua saxoso perducit semita clivo,*
*Aspera principio, (nec enim mihi fallere mos est)*
*Prosequitur labor ad nitendum intrare volenti.*

Alii nobili Catonis dicto rem explicant: SAT CITO, SI SAT BENE. Non male; nam & præclaros conatus temeritas corrumpit: & tempestivum est, quicquid Reipublicæ salutare est. Constantia modo adsit & tolerantia, & moram facile compensabit felix gloria. Nemo enim, ut verissimè dixit Sallustius, ignavia immortalis factus est. Sola virtus clara æternaq; habetur. Pulcherrimè etiam Pindarus Olymp. 6. ἀκήδευνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλῶν εἴ τι πονηθῇ: *Virtus periculorum expers, neq; apud homines, neq; mari habetur in pretio: at multi memorant, si quid honesti laboriose peractum est.* D

Cochlea igitur tardo, sed non levi ascensu montis excelsi petens verticem juvenes his verbis compellare fingatur,

*Disce puer virtutem ex me verumq; laborem,*
*Si veræ ornari laudis honore cupis.*

De pugna aquilarum cum cervis Plinius libr. 10. cap. 3. hæc habet. Multum pulverem volutata (Aquila) collectum, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes. Qua icone indicatur, multo labore animo constanti ac industria singulari opus esse ad magna facinora subeunda, & res difficiles ac arduas, tam aggrediendas quam consequendas. Quod idem Pindarus præclarè quoq; Olymp. 5. cecinit.

Ad

A Ἀεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται, πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον, id est,
*Semper autem circa virtutes labor sumptusq; pugnant, adversus opus periculo tectum.*

At Sophocles in Tragœdia Euryphile, quæ non extat, ait:

ἀνδρῶν γὰρ ἐσθλῶν στέρνον οὐ μαλάσσεται, id est.
*Pectus virorum fortium haud fiat languidum.*

Cujus rei exemplum memorabile legitur apud Pausaniam libr. 8. de Philopæmene, qui in prælio fortissime pugnans, atq; hasta trajectus circa utrumq; femur, in genua se dimisit, tantisper impediente telo progredi conatus, dum infringeretur hastile inter femora medium. Victis deinde hostibus, eo in castra reportato, ex altero femore spiculum, ex altero missilis fragmentum extractum est. Cujus viri ingentem animositatem, virtutem ac fortitudinem eximiam summopere admiratus Antigonus, omni studio in Macedoniam eum ad se allicere conatus est, ad quem tamen ille se conferre noluit. Atq; huc inter alias sententias hujus argumenti præclaras, dictum Senecæ in Epistola 22. ad Lucilium videtur non habere postremum locum. Non vir fortis est & strenuus, qui perterritus B laborem fugit, sed cui crescit animus in ipsa rerum difficultate, cum turpe sit cedere oneri luctariq; cum officio, quod semel accepisti.

*Aspicis ut torquet volucris Saturnia cervum?*
*Nempe docet vigili cuncta labore dari.*

## LABOR *moderatus.*

PLinius agens de Camelis, velocitas, inquit, inter equos, sed sua Camelis mensura, sicuti & vires. Nec ultra assuetum procedunt iter, nec plus instituto opere recipiunt. Omnes præclaræ actiones invicto sunt animo persequendæ & absolvendæ. Quæ virtus Græcis φιλοπονία, id est, industria & ardens affectus in laborib. capessendis. Et vetus proverbium ait, ἐκ τοῦ πόνου κλέος, ex labore gloria. Xenophon lib. 1. institutionis Cyri, ἐπικουφίζει ἡ τιμὴ τοὺς πόνους τῷ ἄρχοντι, id est, ipse honos leviores reddit bellico duci labores. Claudianus item in epithalamis Honorii canit suaviter:

C *Non quisquam fruitur veris odoribus,*
*Hyblæis latebris nec spoliat favos,*
*Si fronti caveat, si timeat rubos.*
*Armat spina rosas: melle tegunt apes.*

## LÆTITIA, *Ovatio, victoria.*

UNctum & coronatum; altum item & erectum, lætitiæ, ovationis fuit Hebræis hieroglyphicon. Psal. 3. 4. Exaltas caput meum. & 21. 4. posuisti in capite ejus coronam. & 23. 5. impinguasti oleo caput meum. & 27. 6. nunc exaltavit caput meum. Job contra miseriam suam sentiens dicebat, abstulit Deus coronam de capite meo. Esa. 51. 11. Lætitia æterna super caput eorum.

## LAUDABILIA *expetenda & sequenda.*

OBservatum est ab Indagatoribus & cultoribus stirpium inter alia Naturæ admiranda opera etiam hoc, quod quædam cucurbitæ genera ita humiditate aquæ delectantur, eamq; sic appetant, ut vase ea pleno, vel fructui, vel radici applicato, manifeste paulo post depræhendatur, cucurbitam non solum ad istud vas liquore impletum sese inclinare, sed etiam illum quasi pedetentim vase absorbere atq; consumere: contra vero, si oleum eodem modo cucurbitæ admoveatur, illud D quasi contrahendo se respuere, ac incurvatam tandem tabescere. Cum itaq; hæc & alia hujus generis plurima Natura, recte ideo ab Hippocrate, Epidem. sect. 5. vocata ἀπαίδευτος, id est, ab aliis non edocta vel instituta, factitate soleat, atq; insita vi sine ulla hominum sagacitate, tam in plantis quam in aliis rebus, expetat utilia ac fugiat noxia: multo profecto magis homines ratione præditi atq; προαιρέσεως agentes, omnia quæ ad vitam honeste ac laudabiliter instituendam virtutemq; sequendam, prodesse possunt, semper appetere contraria vero modis omnibus fugere debent.

*Utilis attrahitur plantis, at noxius humor*
*Spernitur; anne homines in sua damna ruent?*

## LEGUM *cura observatio, reverentia neglecta.*

ENumerat Aristoteles lib. 9. de histor. cap. 39. tria aranearum genera, ex quib. tertium dicit esse sapientiss. & de illarum venatione & artificio in tela conficienda plurima lectu digna proponit. Quem secutus Plutarchus in commentatio de solertia Animalium, non minus hoc argumentum eleganter tractat, nec non Ælianus lib. 1. cap. 21. & Plinius lib. xi. cap. 22. itemq; Cicero 2. libro de natura deorum. Anacharsis autem, ut in vita Solonis Plutarchus refert, aranearum telas leges comparabat. Nam ut in his animalcula & insecta firmiora, quales sunt muscæ, papiliones, & similia, retinentur: validiora autem, ut vespæ, & crabrones perrumpunt: ita legibus humiles, & pauperes constringuntur, divites vero & potentes illis non alligantur. Quod quidem de legum inæqualitate potius, quam recta ipsarum observatione intelligendum. Nam Trajanus justiss. Imperator (ut Dio in sua vita perhibet) præfecto prætorio tradens gladium dixisse fertur: *Hoc gladio pro me utaris, donec justa facio. Sin injuste egero, contra me.* Ac similiter Antiochus tertius civitatibus *sibi* subditis scripsit, si quid umquam per litteras mandasset, quod legibus adversaretur, ne curarent, sed haberent pro illo, quod se nesciente esset scriptum. Quo pertinet Platonis gravissi. sententia lib. 4. de legibus, ὅτι ἢ (τόλει) μὲν ἂν ἀρχόντων ἢ καὶ νόμων, φθορὰν ὁρῶ ταύτην ἐπιοῦσαν· ὅτι δ' ἂν (τοῖς μὲν) διοικῶσι τῶν ἀρχόντων, εἰ εἰς ἀρχοντας ἔλθοι τοιούτους, σωτηρίαν καὶ πάντα ἀγαθὰ, ὅσα οἱ θεοὶ τοῖσιν ἀνθρώποις γεγόνασι καθορῶ, id est, *paratum illi civitati exitium video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Salutem vero illi, ubi lex servientibus magistratibus dominatur; cuncta certe bona, qua dis civitatibus præbent, huic affore cerno.* Et Cicero quoq; alibi dicit, leges cum omnibus una & communi voce loqui.

*Innodat culicem, sed vespa pervia tela est:*
*Sic rumpit leges vis, quibus hæret inops.*

## LIBERTAS *non libera.*

CIcero in paradoxis, Quid est, inquit, libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata ac provisa est, qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit, &c. Quæ Horatius imitatus est, lib. 2. Serm. Satyra. 7.

*Quinam igitur liber? sapiens sibique imperiosus.*
*Quem neque pauperies, nec mors, nec vincula terrent;*
*Responsare cupidinibus, contemnere honores,*
*Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus.*

Sed licentia, qua omnes (secundum Comicum) deteriores reddimur, sub libertatis specie multis imponit, & cupiditatibus indulgentes ab actione virtutis avocat; de quo Lucan. lib. 8.

*Libertatis amor, miserum quid decipis orbem?*

Sic canis abruptis vinculis, quibus tamen adhuc irretitus apparet, seipsum rursus intricat & in novam servitutem trahit. Præclarè itaq; Plato, epist. 8. ad Dionis familiares; Iis, inquit, qui liberum vivendi genus persequuntur, jugum vero servile ut vere malum fugiunt, etiam atq; etiam sunt auctor, ut caveant ne insatiabili importunæ libertatis cupiditate, in eundem majorum suorum morbum incidant, quo quidem illi laboraverunt, quod immoderato libertatis amore perciti, imperiorum ordine proculcato, in vagam confusamq; perturbationem inciderint. Et tandem

*Quid juvat abruptis in libertate morari*
*Vincla, si maneant & tibi colla premant?*

Multi sane dum fumum servitutis se effugisse somniarunt, reipsa in anarchiæ flammam prolapsi sunt. Avarus servili gaudet libertate,

*——qui pauperiem veritus potiore metallis*
*Libertate caret, Dominum vehet improbus, atque*
*Serviet æternum, quia parvo nescivit uti.*

Et aulicus, cui objiciendum Publii dictum,

*Grave præjudicium est, quod judicium non habet.*

Et

A Et sequentia ex variis.

*Ea libertas est, quæ paucis parum & firmum gestitat.* Ennius.
*An unquam est alias liber, nisi ducere vitam*
*Cui licet, ut voluit?* Persius Sat. 5.
*Si pœna petitur, qua gravior potest?*
*Famulare collo nobili subeat jugum.*

Seneca in Troade. Et illud Publii,

*Beneficium accipere, est libertatem vendere.*

Tandem addamus ex Seneca Stoico, Quid eques, libertinus, aut servus nomina ex ambitione aut injuria nata, suspicere in cœlum ex angulo licet. Item: horum misera conditio est, qui nec suis quidem laborant occupationibus, ad alienum dormiunt somnum, & ad alienum ambulant gradum. Et D. Ambrosii sententia, lib. de Joseph huic annotationi seu hieroglyphico finem imponamus; Ille in quavis conditione servitii liber est, qui turpi amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, B metu crimis non obligatur; qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura.

## LIBERTATIS *amor.*

FElem dici Catum, quasi cautum vulgo, quo nomine Palladius quoq; usus est; αἴλουρον vero Græcis, & Varino quoq; γαλῆν, nemini est dubium. Varro tamen & Columella felē videtur de Marte vel Ictide intellexisse, ut Augustinus Niphus quoq; observavit. Apud Philostratum putatur esse γαλιώτης. Gaza γαλῆν non semper etiam mustelam, sed interdum felem interpretatur, cum tamen Plinius ubiq; αἴλουρον felem, & γαλῆν mustelam verterit. Huic animali innatum ac proprium est, ut sit libertatis cupidum, & propterea carceris impatientissimum. Quapropter, Methodio teste (ut refert Paradinus in symbolis heroicis) antiquis Alanis, Burgundionibus & Suevis insigne militare fuit felis libere excurrentis delineatio, quo innuebant se pro libertate tuenda animis paratis, ac totis virib. semper pugnaturos, quod propositum firmiter multis seculis continuarunt. Nam secundum Plautum in Captivis. *Omnes profecto liberi lubentius*
*Sumus quam servimus.*

C Stoicorum disciplina Sapientem in vinculis liberum pingit, sed libertatis amantem exclamat sæpius σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ τῆς ἐλευθερίας, id est, Si corpus servum sit, mens tamen est libera. Horatius libr. 2. Serm. 7. liberum hominem ita describit.

*Quisnam igitur liber? Sapiens sibiq; imperiosus,* *Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus,*
*Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent:* *Externi ne quid valeat per læve morari*
*Respuensare cupidinibus, contemnere honores* *In quem manca ruit semper fortuna.*

Ambrosius lib. de Joseph. Ille vero (inquit) in quavis conditione servitii liber est, qui cupidine non capitur, amaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non obligatur, qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura.

## LIBIDO *carnis.* TYRANNI.

HIrudines sive sanguisugæ, Græcis βδέλλαι, παρὰ τὸ βδάλλειν, ὅ ἐστι ἐκμυζᾶν τὸ αἷμα, à sugendo & emulgendo sanguinem, ut Scholiastes Theocriti habet, tam ad aquatilia quam ad reptilia referri possunt. Nam & in aquis degunt, & veluti vermes corpus agglomerando humi serpunt, unde D eas Oppianus 2. ἀλλ, κυανόχροα λίμνης ἐρπετὰ vocat, *nigra stagni reptilia.* Sanguinem calidum tam avide exsugunt, ut etiamsi illis in corporibus animalium hærentibus cauda præcidatur, atq; inde sanguis veluti per canalem effluat, sugere tamen porro non desinant, donec vel artificio certo removeantur, vel tandem languidæ dehiscant. Quod Horat. in arte Poetica expressit:

*Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.*

Quem versum egregie expressit Oppianus dicto lib. 2. ἄλλως. Verum insatiabilem hanc sanguinis cupiditatem symbolice ad varia transferre licebit. Quavis enim hirudine tenaciores & crudeliores sunt libidinosæ fœminæ, quo Plautini juvenis de sua amica querela pertinet in Curcul. *Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.* Et de amoris vi Simæthæ illa apud Theocritum,

Ai

*Αἶ αἶ, ἔρως ἀνιρὲ, τί μὲν μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα*
*Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας:* A
*Heu, crudelis amor, quid inhærens oßibus omnem*
*Sanguinis humorem bibis ut fluvialis hirudo?*

Pertinet huc etiam locus Salomonis Proverb. 30. Sanguisugæ sunt duæ filiæ dicentes, Affer, affer, & quæ ibi sequuntur exempla, maxime de inferno, & natura mulieris. Quæ recte Rodolph. Baynus, licet ad enormes effrænesque concupiscentias, quæ numquam explentur, in genere referri queant, duplici tamen metaphora de concupiscentia carnis conjunctim interpretatur. Nam, ut idem Salomon inquit Prover. 5. Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus ejus penetrant. Poterit etiam usurpari de cruentis illis tyrannis, qui quo plus sanguinis fundunt, eo plus sanguinis sitiunt.

## LIBRI *varii quomodo legendi.*

QUemadmodum Apes ad omnes quidem flores advolant, quamquam interdum amari aliquid vel acris in se contineant humoris, quales sunt ranunculi & alii plurimi similes; nihilominus B tamen succum quendam utilem inde exsugunt, ex quo, non sine admiratione postea miro artificio mel parant: sic etiam sedulo magnoq; studio ac judicio viris bonis ac doctis annitendum, ut non solum ex optimis ac selectissimis auctoribus, sed aliis etiam non adeo commendabilib. scriptis, si quid boni illis insit, omnia ad unicam utilitatem publicam colligant, & posteritati commendent, ut hac ratione prodesse plurimis, nemini autem, si fieri queat, nocere possit. Quod Poeta quidam hisce verbis eleganter expressit:

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,*
*Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,*
*Aurea perpetua semper dignißima vita.*

Huc pertinet libellus Basilii de legendis Ethnicis scriptoribus, Clemens Alexandrinus, Nazianzenus in orat. adver. Julianum, & alii inter veteres, apud quos multa leguntur, quæ ad confirmandum hac in parte judicium plurimum conducere possunt. Estq; Æschyli sententia hæc quoque observatione digna, ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐ ὁ πολλὰ εἰδὼς, σοφός, id est, *Qui utilia, non qui multa novit, is sapit.* C

## LINGUA *compescenda.*

LUcas Contilis in Italicis suis symbolis sive impresis, de gruibus Taurum montem prætervolantibus, scribit eos propter aquilarum metum, ne scilicet clangore suo illis prodantur, ora lapillis obturare, quod tamen veteres pleriq; de anseribus sylvestribus memoriæ prodiderunt. Sic enim Plutarchus in Commentario de solertia animalium. Similes sunt Cretensium apum, & anserum in Cilicia artes. Illæ enim ventosum aliquod circumvolaturæ promontorium, ne disjiciantur, seipsas exiguis lapillis in os sumptis quasi saburrant, hi quando Taurum trajiciunt, animalia alioqui vocalia & obstrepera, tum metu aquilarum in os justæ magnitudinis lapide sumpto taciturnitatem sibi imperant, ut fallere in transitu eas possint. Atq; hoc copiosius quoq; Ammianus Marcellinus lib. 18. sed de gruibus exposuit, exponens Barbationem pedestris militiæ rectorem ob linguæ petulantiam tandem esse interfectum, quem ait ignorasse notum Aristotelis sapientis dictum, qui Calisthenem sectatorem & propinquum suum ad Regem Alexandrum mittens, ei sæpe mandabat, ut quam rarissime & jucunda apud hominem loqueretur, vitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem, & addit idem auctor, Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnunquam & decentia, quorum mentes cognatas cœlestibus arbitramur: animalia carentia ratione salutem suam interdum alto tueri silentio solent, ut exemplum est hoc per quam notum, linquentes orientem grues ob calorem, plagamq; petentes occiduam, cum montem penetrare cupiunt Taurum Aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres, rostra lapillis occludunt, ne illis eliciat vel extrema necessitas clangorem, iisdemq; collibus agiliore volatu transcursis projiciunt calculos, & ita secure pergunt,

*Ne pereant clangore grues lapide ora saburrant,*
*Obstrue sic lingua, garrule, ne pereas.*

LIN-

A

## LINGUA *Hominis.*

EX Conchyliorum genere est & purpura, quam Oppianus Ostreis, & Aristoteles ὀστρεοκοδόμοις annumerant. Unde etiam pretiosissimus ejus liquor Ostrum vocatum à veteribus fuit. De quo cum alii legi possunt, tum imprimis Vitruvius lib. 7. arch. ca. 13. & Julius Pollux lib. 1. cap. 4. Purpuræ autem lingua est longitudine digitali, acie & duritie tanta, ut proditum sit, ea & conchas, & quascumq; sui generis testas illam perforare posse, unde & Proverbii, *Purpura voracior*, origo esse creditur. Ut autem ad pastum hoc ex lingua commodum habet, ita eandem ipsi affert extremam perniciem. Ita enim purpuras capi cum alii referunt, tum Plinius. Contexere piscatores exiguas nassas, quibus conchas & ostrea escæ loco injiciant aut appendant. Eas semineces, sed mari redditas avido hiatu reviviscentes purpuras appetere, exertisque, quantum possunt, infestare linguis. At conchas aculeo extimulatas claudere sese ac comprimere: itaq; pendentes aviditate sua tolli purpuras. Aristoteles & Oppianus paulo aliter purpurarum hanc capturam describunt, & τρόμβοις eas inescari tradunt. Potest autem & hujus hieroglyphici varia esse accommodatio. Nam hic quoq; captans capi-
B tur, & fraus in auctorem recidit. Sed omnium rectiss. de lingua hominis usurpari poterit. Nam & illi hæc, non minus quam purpuræ, secundum Anacharsidis Scythæ apud Diog. Laertium dictum, simul & bonum & malum est. Unde & Adag. celebratur à Suida & Zenodoto: Γλῶσσα περὶ πορείας, πόλιν ὀρθώσουσα καὶ πάλιν ἀναστρέψουσα: *Lingua quo vadis? urbem ut struam & rursus ut destruam.* Cum quo & Salomonis illud congruit cap. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Recte igitur Hesiodus:

*γλώσσης τοι θηναυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος*
*φειδαλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης;*
*Linguæ thesaurus est optimus inter homines*
*Parcæ, & plurimum gratiæ meretur, si fuerit moderata.*

Addamus & poetæ neoterici διστιχον:

*Ex lingua vitam, ex lingua haurit purpura mortem:*
*Lingua homini & vitam præbet & interitum.*

Quod divinis verbis exponit sanctus Apostolus Jacobus, Epist. Cathol. cap. 3.

## LUCIS *veræ efficacia.*

C HOratius Epod. 2. Struthiocamelum vocat Afram avem, quia in desertis Africæ plurimi reperiantur. Romani in suis numis Arabiam per eam notarunt, ut apparet ex numo Trajani æneo, cum inscriptione ARABIA ADEVISITA. De quo Dion in hujus Imperatoris vita plura. Volunt autem nonnulli, inter quos etiam est Cælius Rhodiginus lib. 20. cap. 5. locis fervidis ova in arena fovere, & radiis suis halitu que tandem vivificare. Ac in Job cap. 39. legitur, Quando dereliquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Isidorus tamen lib. 12. Originum scribit ova negligenter fovere, quæ projecta fotu pulveris animentur. Observatione quoque dignum videtur, quod Ælianus libro 9. de Animalibus cap. 58. tradit, nimirum ex tribus minimis animalia maxima generari, Crocodilum inter aquatilia, Struthiocamelum ex avibus, & Elephantum ex quadrupedibus. Est autem & hujus hieroglyphici auctor Jovius, in gratiam Petri Navarei celebris admodum CAROLI V. Polemarchi excogitati, cum ille inventor esset peculiarium quarumdam machinarum antea non cognitarum, quas singulari industria, & inaudita ingenii dexteritate ad expugnanda atque
D evertenda etiam munitissima propugnacula primus in usum protulisset. Quod pariter aliis quoq; rari alicujus & ingeniosi operis inventoribus attribui poterit. Rectius tamen & melius dici debet de hominibus piis & divinitus illuminatis, qui vitam omniaq; bona ac sibi salutaria à cœlestibus radiis, quod est ἀγαθοῖς φῶς λαμπρότατον, ut quidam veterum Theologorum dixit, unice expetunt, & studiose conquirunt. *Passer ut ova fovet statu vegetante marinus:*

*Sic animat mentes gratia dia pias.*

## LUCTUS.

MAnus super caput habens fœmina, dolentis animi perturbationem prodit, atq; hieroglyphicon est gravissimi luctus. Jerem. 2. 37. Manus tuæ erunt super caput tuum, quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.

## MAGISTRATUUM *oscitantia.* A

NOstra ætas cum Rempublicam sicut picturam accepisset, egregiam quidem, sed evanescentem vetustate, non modo non coloribus iisdem quibus fuerat ornata, renovare neglexit; sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus, & extrema tamquam lineamenta servaret. *De civit. Dei libr. 1. cap. 21. D. Augustinus.*

## MAGISTRATUUM *solicitudo.*

APes, sive apis, μέλισσα vel μέλιττα, ἀπὸ τῦ μέλιτος Græcis dicta, à melle nimirum conficiendo, ab Aristotele lib. 9. de histo. Animal. cap. 40. vocatur πάντων ζώων πολυπραγμονέστατον καὶ ἐργατικώτατον, id est, animalium omnium mundissimum & laboriosissimum. Quo in loco apum natura & proprietas, & quasi politia quædam concordis accurate describitur, unde postea alii fere omnes ut Plutarchus, Plinius, Ælianus, Virgilius, & reliqui desumpserunt, inter quos Plinius libr. 11. cap. 5. ait, labores tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, consilia privatim, & duces gregatim, & quod maxime mirum est, mores habent. Et cap. 6. Nullusque, cum per cœlum licuit, otio perit dies, & cap. 10. B Mira operis observatio. Cessantium inertiam notant, castigant mox & puniunt morte. Sic Virgilius inter alia 4. Georg. dicit:

*Omnibus una quies, operum labor omnibus unus.*

Qua imagine clarissime exprimitur tam gubernantium solicitudo ac diligentia, quam subditorum in aliqua bene ordinata Repub. studium obeundi & fideliter fungendi officio suo. Eodem sensu quidam addunt, MENS OMNIBUS UNA EST. Ruscellus ascribit hoc symbolum Antonio de Leva, præcipuo Cæsaris Caroli V. polemarcho, cum dicto, SIC VOS NON VOBIS, scilicet, mellificatis apes; cum enim hic omnino speraſſet, Ducatum Mediolanensem sibi gubernandum traditurum Imperatorem, quoniam potissimum ejus opera fuerat recuperatus, nihilominus tamen Francisco Sfortiæ, ut promiserat Cæsar, bona fide fuit ille restitutus.

*Doctus apum & studia & mores & jura revolvat,*
*Qui bene vult populis dicere jura suis.* C

## MAGNANIMITAS.

PHysiologi omnes in hoc consentiunt canibus Indicis, natura præ aliis esse inditum, ut spretis animalibus minoribus leones imprimis invadant, atq; ita obstinate retineant, ut non cedant cæsi, sed sibi crura potius, nullo clamore edito, abscindi patiantur, quam feras dimittant.

*Numquam, cæsa licet, inquit canis Inda leonem,*
*Nec, licet occisus, facta decora bonis.*

Viri fortes & virtute præstantes nihil nisi quod honestum ac laudibile est, constanter sibi imitandum & conservandum statuunt; atq; ideo pro patria pietate, & sui nominis fama pugnare constanter student, atq; pro iisdem vitam denique profundere non dubitant. Porro, cavendum est, ne nos offeramus periculis sine causa: quo nihil potest esse stultius, atq; ideo tales homines temerarii & imprudentes προβολιμαῖοι, *projecta audacia* præditi nominantur.

Romæ in domo Carafellorum, sub effigie leonis catulum tenentis distichon legitur ad iram compescendam scriptum, D

*Iratus, recole quod nobilis ira leonis*
*In sibi prostratos se negat esse feram.*

Olim dictum ab ingenioso Poeta,

*Candida pax homines, trux decet ira feras.*

Hodie contra generosi nil nisi pugnas imitantur: & nobiles humano sanguine gaudent.

## MAGNANIMUS.

SCribit Paulus Jovius in Dial. de Impresis Italico, Sirenem antiquissimæ inter Romanas familiæ Columnienſium gentilitiũ signum fuisse: sed se fortiſſ. heroi Stephano Columnæ, hoc nostrum peculiariter inventum dedicasse, quod & Capaccius attingit. Ostendere autem illo voluit, quemad-

mo-

modum Siren sævas maris tempestates, utpote cujus domicilium sit mare ipsum, contemnit: ita et-
A iam magnanimum illum & strenuum ducem omnia pericula, omnes hostium minas fortiter susti-
nere debere. Columnæ enim tantum ut familiæ istius insignia appictæ sunt. Animose igitur Joca-
sta apud Senecam in Oedipo:

*------ regium hoc ipsum reor.* *Hoc stare certo pressius fortem gradu.*
*Adversa capere: quoq; sit dubius magis* *Haud est virile terga fortunæ dare.*
*Status, & cadentis imperii moles habet.*

Et alter Seneca Consol. ad Marc. vel in naufragio laudandum censet, quem obruit mare clavum
tenentem & obnixum. Quo Proverb. pertinet ex Ennii versu:

*Dum clavum rectum teneam.*

Fortiter etiam Justinus Imp. ad Senatum, referente Corippo:

*Qui pedibus rectis graditur, mala nulla veretur,*
*Non timet offensam, nescit via recta ruinam.*

Sed omnium mehercle magnanimitatem Germanorum legati illi superarunt, qui interroganti
B Alexandro: Et quidnam in rebus humanis extimescerent, rato nominis sui magnitudinem ante
omnia ipsis formidolosam videri, responderunt, Nihil se metuere, nisi forte, ne cœlum rueret. Ut
refert auctor supplementi in Q. Curtium, hautiens ea ex Strabonis lib. 7. & Arriano de Alexandro.
Magnanimitatis proprium illud est, quod contemnit tuta procellas.

## MARTYRES.

SArdius, ut asserit D. Hieronymus, sanguinei coloris est, Christi martyres hieroglyphice signifi-
cans. Etenim martyrum

*Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,*
*Sanguine succrevit, sanguine finis erit.*

Ac pie prorsus impio præsidi Sancta virgo & martyr Agnes respondit. Sanguis Christi sponsi mei
tinxit genas meas.

Olorum, ait Plinius, morte narratur flebilis cantus, falsis (ut arbitror) aliquot experimentis.
C Quod de Cygnorum concentu in dubium vocavit Plinius, id de Christi servo ad Dominum mi-
grante vere dicitur.

*Dulcia defectu modulatur carmina lingua,*
*Cantatet Cygnus funeris ipse sui.*

Quam præclara est illa vox Cæciliæ martyris, in agone? Miseria moritur, non homo. Patheticum
est & hoc de morte distichon,

*Tempora fatalis quando sic limitis itus,*
*Tristia concentu funera solor, olor.*

Sed consolatione plena est oratio Simeonis, Nunc dimittis servum tuum Domine secundum ver-
bum tuum in pace. Et digna est relatu vox aulici exhortantis Ananiam senem ad martyrium, quem
exhorrescere & trepidare animadvertebat: Paulisper, pie senex, occlude oculos, & viriliter age:
non enim multo post lucem æternam clari conspectus Dei intuebere.

Dissident, inquit Plinius, Olores & Aquilæ. Ita raro bene convenit præconibus veritatis & qui-
D busdam petentibus in hoc mundo. Est enim, ut recte Augustinus pronunciavit, veritas dulcis &
amara. Dulcis quidem iis, de quibus dicitur, Justificata est sapientia à filiis suis: Amara autem iis,
qui formam pietatis habentes vim ejus abnegant.

Olorum, ait idem, similitudine Onocrotali habent: nec distare existimarentur omnino, nisi fau-
cibus ipsis inesset alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut sit capacitas.
Mox perfecta rapina sensim in os reddita, in veram alvum ruminantis modo refert. Tales in exter-
na Ecclesia Onocrotali sunt, non ii è vulgo solummodo, qui voluptatum potius quam Dei amantes
sunt: sed etiã speculatores illi avari, turpis lucri cupidi, indocti, ebriosi, quæ rentes quæ sua sunt, non
autem ea, quæ sunt Christi Jesu. Quum autem Anseres non pauci hoc tempore obstrepent inter

Olores,& feralia quædam carmina repetant: cum Gregorio Nazianzeno nunc huic Sophistæ, nunc A
isti dicamus, Aut desine tuis nugis obstrepere nostro silentio, aut tibi referemus ut brevissimum, ita
verissimum proverbium: Tum canent cygni quum tacebunt graculi, quod D. Gregorius Nazian-
zenus inseruit epistolæ 1. ad Celeucium.

## MATRONA *pudicissima.*

Millio quamdam peculiarem vim naturalem inesse constat, non solum longo tempore (propter
suam siccitatem potissimum) seipsum, sed alia multa, quæ in illius acervis reconduntur con-
servandi à corruptione ac putredine, qualia sunt Rhabarbarum, Camphora & similia non pauca.
Typus certe valde appositus matronæ pudicissimæ, quæ semper castitatem, honestatem, & omnem
virtutem huic sexui convenientem & necessariam præ oculis habere, & non solum sedulo curare
debet quo pacto seipsam, sed etiam omnes quæ illius fidei sunt commissæ ab omni labe & turpitu-
dine integras ac inculpatas semper conservet: in quam vere illud Senecæ in Octavia competit, *Fru-*
*galitas fidesque, conjugis mores, pudor, placeant marito.* Ac secundum Aristotelem in Oeconomicis, non B
tantum nitor vestimentorum, nec excellentia formæ, nec auri multitudo ad laudem mulieris valet,
quantum valet modestia in rebus ac studium honeste decoreq; vivendi,

*Seque aliæq; pudens matrona à crimine servat:*
*Purior em multum reu procul esse facit.* Joach. Camerarius in Symbolis, Embl. 59.

## MEDITATIONES.

Spicæ jam maturæ inter duas manus nisi continue fricentur ac valide exprimantur, grana fru-
menti in illis conclusa inde non possunt excuti vel recte colligi, quibus ita expressis conveniens-
simum alia alimentum generi humano præbeant. Ita enim quantumvis præclaræ cogitationes ac
meditationes de rebus tam sacris quam profanis, nisi ad actum (ut dici solet) traducantur, parum
utiles esse solent. Unde etiam Cicer. lib. 1. de officiis, ait virtutem omnem in actione positam esse,
quod sumpsit ex luculenta de hac re disputatione Aristotelis in 10. Ethic. ad Nicomachum. Opus
itaq; est ad res præclaras peragendas multũ laboris ac defatigationis impendere. Unde etiam poeta. C

*Quæ latet ingẽ bonis cessat non cognita rebus,*
*Apparet virtus arguiturq; malo.*

Et alius nos serio monet,

*Spica attrita manu sua grana effundit ad usus:*
*Sic ostende actu quæ meditata tenes.*

Fl. Valerio Constantio Cæsari ejusmodi hieroglyphicon attributum est, *Virtus dum patitur vincit.*
Quod inprimis de Christiana pietate ac virtute intelligendum est, quemadmodum præclare dicitur
in epist. ad Hebræos cap. 12. Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed mo-
lestiæ. At postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis qui per illam fuerint exercitati.

## MENDAX SOPHISTA.

Sepiam piscem insectantibus se ad capturam piscatoribus atramento, quod pro sanguine ipsi est,
effuso ipsum mare offuscare, atq; ita oculis illorum subtractam per incerta itinera elabi ac effu-
gere, ex Aristotele, Oppiano, Ælliano, & Plinio discimus, qui etiã ex Anaxilao tradit atramenti illius D
tantam vim esse, ut in lucerna additum, fumosis aliis luminibus, efficiat, ut cuncti astantes videantur
esse Æthiopes. Meminerunt etiam sepiæ Nicand. in Theriacis, Phile in Jamb. Plutarch. & Horapol-
lo in Hierogl. Et similia nostris sunt apud Nazianz. Orat. ad Cl. Episcopos, & Carm. 1. vers. 500. De
sepia autem omnium elegantissimi versus sunt Ovidii in fragm. hal. Ægyptii Sacerdotes, hominem
qui magna pollicetur, sed fœde spem de se conceptam fallit, hac figura demonstrarunt, ut paulo
aliter quã Horapollo annotavit Pierius. Vafri enim & tecti hominis, & simulatione artificiosa cun-
ctos fallentis signum fuisse sepiam, Sebast. Erizius in expositione antiquorũ numorum Italica affir-
mat, ubi nummisma, sub Neronis Cæsaris nomine valde, ut ait, vetus describit, in quo pisces, vulpis, se-
pia, pelagii cuncti, & fluviatilis gammarus inciſi fuerint, quæ cuncta in Neronis infamiam fuisse ita
composita existimat. Nostrum quidem hoc etiam in Sophistam torqueri possit, secundum Plino-

nium,

A nem, δυσθήρατον ζῶον, quem dum veritatis reti comprehendere niteris, ille effusa fumorum atra fuligine subito evanescit. Horat. etiam 1. Sat. 4. per nigræ loliginis (est hæc è sepiarum genere) fucum, livorem mentis intellexit, uti vetus ejus Commentator innuit. Ipsum denique Aristotelem Picus Mirandula sepiæ comparat, forte quod de animæ immortalitate animi sui sensum obscurius proposuisse illi visus fuisset. Quod nos in medio relinquimus.

*Hic niger est piscu, fallitque cruore sequentes:*
*Nempe etiam mendax fallit ubique miser.*

## MENS *Generosa.*

CUm viva animalia in publicis spectaculis & imprimis nobilium ludicris certaminibus tam pedestribus quam equestribus insignium vel symbolorum loco gesta ac usurpata plus animos afficiant; & oculos quoq; magis oblectant, quam solæ figuræ eorum aliqua pictura repræsentatæ, ideo quidam Nobiliss. vir in Italia simili tempore & loco, quib. ejusmodi ludi solent celebrati, cassidi suæ imponi curavit caveam rotundam affabre elaboratam & ita in æquilibrio suspensam, nec minus tamen in suis polis se moventem, ut avicula illic inclusa, in quamcumq; partem verteretur, semper in medio firmiter consisteret, & in axe tantum permaneret. Quod etsi ille de suo honesto amore quodam erga fœminam quandam nobilem intelligi voluit, nihilo tamen minus quoque de omnibus aliis laudabilibus & egregiis actionibus magna constantia susceptis, ac confectis, idq; auxilio veræ virtutis, cujus laus in mediocritate, teste Aristotele, sita est, accipi rectè ac usurpari merito hoc ingeniosissimum hieroglyphicon poterit. Definitur autem constantia stabilitas animi firmi & in honesto proposito perseverantis: cum ex adverso secundum Senecam in Oedipo.

*Quicquid excessit modum,*
*Pendet instabili loco.*

Ac Socratis in Stobæi sermonibus dictum admodum memorabile fertur tale: ἀνδριὰς μὲν ἐπὶ βάσεως, σπουδαῖος δὲ ἀνὴρ ἐπὶ πολλῆς ἀμεταπτώτου ἕδρας εἶναι, id est, *ut statua in sua basi, sic etiam vir bonus & virtutis studiosus in suo proposito constans & immobilis esse debet.* Poëta noster autem Disticho

C hieroglyphicum ornat his verbis,

*Hic licet usque orbis celerem volvatur in orbem,*
*In se immota tamen mens generosa manet.*

Plinius libr. 16. capit. 34. scribit hederam, potissimum candidam, arbores alias necare omnemque succum auferendo tanta crassitudine augeri, ut ipsa tandem fiat arbor. Nam pluribus locis intercisam vivere tamen ac durare, ac totidem initia radicum habere quot brachia, quibus incolumis & solida arbores strangulare possit. Unde etiam Laberii carmen Gnomicum extat:

*Ut hedera serpens arborum vires necat,*
*Ita vetustas ambitu annorum nocet.*

Hujus hieroglyphici significatio ad varios usus applicatur. In illos enim non male convenit, qui suis laboribus & vigiliis, etiam cum valetudinis jactura de plurimis bene mereri cupiunt, & ut alii floreant ac vireant, ipsi etiam quasi consumi & exarescere non dubitant.

*Mens generosa aliis se totam impendere gestit.*
*Quidni? tali ipsam morte perire juvat.*

D Alius vero sensus est, quando quispiam magnis ac principibus viris fideliter inserviens, ipsorumq; sola commoda respiciens, illis declarare cupit, se ad suorum dominorum commoda promovenda ac exequenda, nulla pericula subterfugere velle. Sed ut omnia sub cœlo vanitati subjiciuntur, nec ullus omni ex parte beatus præsertim ante obitum apparet: non raro evenit ut improbitas & vis subegerit jus & æquum, sicuti ab hederæ complexu nimis arcto arbor tandem suffocatur ac perit: ita sæpe actio nimis callida ac improba etiam justæ causæ nocere vimq; adferre solet. Addamus & illud, hedera columnam amplectens hieroglyphicè denotat fidum amicum potenti adhærentem amico, cui dicere audeat, te stante virebo; te ruente ruam.

Myrrham arborem proceram ac spinosam in Arabia felici nasci veteres perhibent, de cujus tamen integra descriptione nihil certi adhuc constare hisce temporibus, quibus omnes tamen ubiq; locorum ac gentium anguli diligentissimè inquiruntur, sane mirum est. Hanc scribunt ablaqueationibus ac incisionibus gaudere, ac præterea ventis vehementer spirantibus gummi istud tam preciosum (quod tamen raro plane legitimum & omnibus à veteribus descriptis absolutum ad nos deferri solet) effluere copiosius, quo imprimis à putredine ac corruptione corpora defunctorum integra conservari scimus. Ita animus rectus & constans in proposito laudabili semper immotus permanens, invidiæ ac obtrectationum furiis, tamquam turbulentiss. ventis minimè terretur: sed potius ad hunc modum exercitus & agitatus eo alacrius fructus virtutis profert, & magis conspicuum sese exhibet. Quod versus quoq; Horatiani docent;

*Justum & tenacem propositi virum*
*Non civium ardor prava jubentium,*
*Non vultus instantis tyranni,*
*Mente quatit solida, neq; Auster*
*Dux inquieti turbidus Adriæ,*
*Nec fulminantis magna Jovis manus.*
*Si fractus illabatur orbis,*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Itemque Claudiani egregia sententia probat.

*Explorant adversa viros, perque aspera duro*
*Nititur ad laudem virtus interrita clivo.*

MENS *pia.*

Viret, inquit Plinius, & sæpe translucet Jaspis, etiam si victus à multis, antiquitatem tamen gloriam retinens. Mens pia, rore & luce Spiritus sancti respersa & plena, semper viret & illustris est in Domino, ac primæ eoq; nomine antiquissimæ, fidei gloriam, etiam in mediis persecutionibus, constanter & sincerè retinet. Uniones, etsi nascuntur in mari, cum cœlo tamen, cujus repræsentant faciem, plus habent cognationis: Sic pias mentes, & si in his terris corporis unaquæq; sui domicilium luteum & fragile incolit, non tamen terrena, sed superna quærere decet. Generosum enim piumq; animum à cœlo, unde ortum ducit pendere, non autem terrenæ glebæ plane sordidæ affixum hærere æquum est. Gallinaceus, ales vigilantissima, secundum Lucretium,

*Auroram claram consuetus voce vocare.*

Ad Laurum libenter advolare dicitur, ibiq; consistere, quod ea arbor (ut veteres tradiderunt) à fulminis vi immunis esse existimetur, solemq; intuens libere & absq; solicitudine & insultu aliarum avium cantando sese eo in loco oblectare. Ad eumdem modum pii continenter & ubiq; divinæ protectioni se commendantes, & in unicam Dei æterni providentiam & auxilium intenti, vigilanter & alacriter munere ac officio suo fungi, nec rerum adversarum impetus quantumvis horrendos extimescere debent, secundum Psalmi sententiam,

*Qui Dominum metuunt, castris cœlestibus isti*
*Sunt tuti, & tegit hos Angelus ipse* DEI.

Ac profecto videmus, nihil magis stabilire, ac animum in religione ac pietatis observantia confirmare, quam diligentem observationem earum rerum, quæ quotidie accidunt à providentia divina, in quibus tandem boni, soli Deo æterno confisi mirabiliter proteguntur, ac improbi contra justè puniuntur. De quibus innumera exempla & historiæ plurimæ ubiq; tam in sacris, quam in moralibus libris unicuiq; se offerunt.

*Gallus amans lauri vigili solem ore salutat:*
*Sic à cœlesti mens pia pendet ope.*

Theophrastus, tum alibi, tum libr. 2. De caussis plantarum reddit rationem quare flores nonnulli ad radios solis sese aperiant, & multi ex illis cum iisdem plane convertantur. Clauduntur, inquit hi imbecilliores nocturno frigore solis vero tepore foventur ac aperiuntur, qui revocat calorem naturalem, & à centro ad ambitum effundit, simulq; humorem superfluum educit. Quod tamen in nonnullis tantum nocte sese aperientibus, interdiu vero claudentibus locum non habet. Id vero, quod priore loco diximus, in primis observatur in duobus Heliotropiis majore & minore, quæ etiam in-

de

A de denominationem acceperunt, atque ideo, minus præsertim Italicè adhuc *Girasole*, & Hispanicè *Tornesole* dicitur. Hujus autem symboli interpretationem ex Lactantio libr. 6. cap. 8. assumere recte possumus, ubi inquit: Itaq; si oculos in cœlum semper intendit, & solem, qua oritur, observas, eumque habeas vitæ quasi navigii ducem, tua sponte pedes in viam dirigentur; & illud cœleste lumen, quod sanis mentibus multo clarius sole est, hic quem carne mortali videmus, sic reget, sic gubernabit, ut ad summum sapientiæ virtutisq; portum sine ullo errore perducat.

*Christe, tuos vultus semper venerabor adorans,*
*Ut Clytie ad solem germina pulchra rotat.*

## MENS *reproba.*

PArdalis non mutat cutis maculas, neq; ex nigro fit albus Æthiops, neq; mens reproba emendatur umquam, sed in malo proposito senescit & opprimitur.

*Callida si varios sibi Pardalis exuit orbes,*
B *Exuet & mores mens sceleratа malos.*

Homines præter modum perverse mali & improbi, quorum fallaces & pessimi mores in naturam abiere, salutaribus monitis nullum locum relinquunt. Definit autem D. Ambrosius in Hexaemero malitiam, id est, μοχθηρίαν, esse mentis atq; animi depravationem, deviam à tramite veritatis. Ac Cicero III. libr. De natura Deorum, vult esse versutam ac fallacem rationem nocendi. Profecto (inquit Nazianzenus) res est rationis expers μοχθηρία: nec quicquam est, quod pravos mores meliores efficere queat. Quod de illis intelligitur, qui emendationem nullam volunt admittere, ac dati sunt, secundum S. Paulum, εἰς ἀδόκιμον νοῦν, id est, in reprobam mentem, quæ vitæ conditio est omnium miserrima: nam ejusmodi homines, teste S. Petro, ταχινὴν ἀπώλειαν, id est, velox exitium sibi accersunt.

## MENS *nulla sine Deo bona.*

C MUltas inesse peculiares vires ac occultas proprietates pluribus stirpibus & plantis, idque per singularem superiorũ ac cœlestium corporum influxum ac efficacitatem, nemini dubium esse potest: quarum causas tum alii investigare conati sunt, tum imprimis Theophrastus Peripateticus erudite & docte inquirere studuit, quemadmodum ejus accuratiss. libri de causis plantarum satis abunde testantur. Inter quas quidem Aspalathus imprimis occurrit, qui frutex ut auctor est Plinius, hbr. 25. cap. 13. quamvis ibidem aspalathum orientalem & Rhodium fortsitan sine causa frutices diversos faciat) pluribus in locis reperitur, sed non ubiq; odoratus est. Quam peculiarem vim tradit in se recipere cœlesti arcu (ut ejus verbis utar) in eum innixo. Sic etiam omnis doctrina, prudentia, ac universa virtutis laudabilia dicta & facta tum demum fiunt illustriora, præstantiora, omnibusque, ut dicitur, numeris absolutiora & gratiora, si cœlestis bonitatis ac divinæ gratiæ suavissima aura aspiret, Quod etiam Seneca, Ethnicus quidem ille scriptor, sed admodum θεοσεβὴς, tradit breviter in hunc modum scribens ad Lucillum suum, epist. 10. Nullam sine Deo mentem esse bo-
D nam. Hinc natum Distichon,

*Iridis Aspalathus vi suavior, ipsaq; virtus*
*Gratior est superùm quam pia cura fovet.*

2. Alio hieroglyphico demonstratur mentem nullam sine Deo esse bonam, & quid de cogitationibus atq; actionibus humanis sit cogitandum. Collis ex omni parte variis arborum selectissimarum generibus plenus, atq; multiplici herbarum ac florum diversitate conspicuus, in hoc amœnissimo decore & pulcherrimo statu diu consistere nequit, imo brevi omnia intereunt, nisi superne tempestiveq; solaribus foveatur, ac in suo vigore subinde reficiatur. Ad eumdem modum nulla bona mens sine Deo.

*Sanctus enim sanctos facit, & de lumine lumen*
*Exoritur, nullus sit bonus absq; bono.*

Et

Et nullæ humanæ cogitationes atque actiones, quantumvis alioquin speciosæ & laudabiles appareant, nec ulla virtus, doctrina aut scientia per se consistere, vel aliquid boni producere potest, nisi divinitus à Deo unico fonte omnis boni, gubernentur, illustrentur, ac splendore divinæ gratiæ ad optatum finem perducantur. A Deo enim, luminum patre, munus omne bonum & omne bonum perfectum desuper descendit, teste Apostolo S. Jacobo. Et Nazianzenus in Orat. de Athan. pie scripsit. Quod sol est sensibus, id intelligentibus est Deus. Mundum enim illuminat ille visibilem, hic invisibilem: & ille quidem visum corporis illustrat: hic vero naturas intellectu præditas reddit splendidas. A

*Mens omni hoc, nisi sol foveat, viduatur honore,*
*Quicquid ages, cassum disperit, absq; Deo.*

3. Arbori undiq; detruncatæ inseruntur recentiores alii surculi bonam de se spem germinum præclarorum promittentes; modo cœlitus foveantur ac conserventur: alioquin levi de caussa exarescunt & pereunt. Quare non secundum communem & depravatam hominum consuetudinem omnia ad favorem fortunæ nescio cujus (nisi hanc allegoricè voluntatem Dei dicere velimus) sed ad unius Dei benedictionem, quæ sola ditat merito debemus referre, ea tamen conditione, ut nos quoq; sedulo nostrum faciamus officium, neq; turpi otio nos tradamus. Unde Menander, Θεῷ θέλοντι καὶ ἐπὶ ξύλῳ πλέως. id est, *Deo volente etiam in vimine navigare.* At præclarius multo Nazianzenus. B

| | |
|---|---|
| Θεῷ θέλοντι κἂν ἰσχνὸν σθένος. | *Deo annuente, nil livor valet.* |
| Καὶ μὴ θέλοντι· κἂν ἰσχὺν πόνος, id est. | *Et non favente, nil labor potest.* |

Nuper Disticho pereleganti hieroglyphicon illud est illustratum:

*Si faveat cœlum, bene surculus arbore crescet.*
*Si faveat Numen, tu quoque magnus eris.*

## MENSIS.

ÆGyptii mensem notantes, inquit Horapollo, lib. 1. cap. 4. Hieroglyphicè, ramum pingunt, aut lunam deorsum conversam, Ramum (Palmæ) quod illa arbor singulis mensibus ramos procreet. Lunam vero deorsum vergentem, quod in ortu quidem, ut ajunt, quindecim partes supersunt, ut sursum erectis cornibus appareat: at in occasu triginta diebus completis, cornua deorsum inflexa gerat. C

## METUS.

SEmper in metu eum versari convenit,

*Ardua sunt cujus commissa negotia curæ.*

Huicq; merito occinitur,

*Fac animum usq; habeat sollicitudo tuum.*

Quod expressum est hieroglyphico virginis timidè cibum leoni ex patina porrigentis, addito Disticho.

*Nuda à præsidiis ego virgo ministro leoni,*
*Danda opera est magnæ: sed comitante metu.*

Viri prudentes, quibus Reipublicæ cura est commissa, in perpetua solicitudine versantur, nec liberalem metam unquam deponunt: alioquin aliquid temerè vel negligenter committent, quod potentiores offendet. Huc metum Plato, libr. 3. & 5. de legibus plurimum commendat, pudorem quæ adjungit comitem, tamquam caussam omnis honestatis. In Eutyphrone vero Socrates offendit, non rectè dici à Stasimo Cyprio, ὅπου φόβος, ἔστιν αἰδώς, *Ubi timor, ibi pudor*: sed potius, ubi pudor, ibi timor. Est enim alius quoq; metus servilis, semper cum odio conjunctus, juxta Ennium apud Ciceronem, lib. 2. de Offic. D

*Quem metuunt oderunt.* Et,
*Quem quisq; odit perisse expetit.*

Ad-

A Admonet item hieroglyphicum illud Leonis virginea manu cibum capientis, potentiorum favore & gratia caute esse utendum, cum sæpe levi de causa mutentur.

*Gratiam fortuna sequitur, veluti umbra sereno*
*Sole aliquod corpus. Sol occidit, occidit umbra.*

## MISERICORDIA *Dei.*

TErtia, teste Plinio, Smaragdis auctoritas perhibetur, pluribus de caussis. Nullius coloris conspectus jucundior est. Nam & herbas quoq; virentes frondesq; avidè spectamus, Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius, illis comparatum, viret. Præterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Quin & ab intentione alia obscurata, aspectu Smaragdi recreatur oculorum acies. Hieroglyphicon mihi est Smaragdus immensæ erga nos divinæ misericordiæ, perpetuo virescentis, animas exhilarantis, de qua Jeremias, Lament. 3. Misericordiæ Domini, quod non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Novæ sunt diluculo, multa
B est fides tua. Vir pius misericordiam adeo sublimem, profundam, latam, & terminis nullis inclusam intuere.

*Expleri mente nequit, ardescitque tuendo.*

## MODUS *optimus.*

SEneca epist. 5. ad Lucill. Magni (inquit) animi est magna contemnere & mediocria malle quam nimia. Et hæc, eo quod superfluunt, nocent; sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas.

*Rumpitur innumeris arbos ubertima pomis:*
*Et subito nimiæ præcipitantur opes.*

Idem, libr. 1. De tranquillitate vitæ; ut fertilibus agris, inquit, non est imperandum, cito enim exhaurient illos numquam intermissa fœcunditas; ita animorum impetus assiduus labor quoq; frangit, ita quoq; præclaris ingeniis, ac alioqui bene natis nihil est nocentius, neq; pernicioſius, quam
C immodica voluptatum atque commoditatum affluentia. De quo Claudianus quoque lib. 1. ad Ruffin.

*Et luxus populator opum, cui semper adhærens*
*Infelix humilis gressu comitatur egestas.*

Ac noti sunt versus Ovidiani;

*Luxuriant animi rebus plerumque secundis,*
*Nec facile est æqua commoda mente pati.*

Nihil ultra vires. Et,

*Ne nimium imprudens teneris impone lacertis:*
*Nam fortem sternunt pondera iniqua virum.*

Camelus sponte in genua procumbens, vel sessionem recipit, vel aliud onus conveniens admittit. Sentiens autem justum sarcinarum pondus sibi impositum, rursus sese erigit, & alacriter progreditur: ubi vero nimio onere se gravari persentit aut succumbit, aut abjicit imposita. Equidem aurea
D mediocritas in omnibus est observanda: nam

*Qui sua metitur pondera, ferre potest.*

Et Delphicum oracultum occinit illud toties repetitum μηδὲν ἄγαν, quod Terentius ita exposuit;

*Apprimè in vita utile est, ut nequid nimis*

Et Hippocrates, omne nimium naturæ inimicum esse sapienter asserit. Nihil sane supra vires temere tentandum est, sed Horatianum illud potius tentare nos decet:

*Metiri se quemque suo pede ac modulo rectum est.*

## MOLLITIES *vitanda.*

INter marinas testudines, de quibus cũ veteres, tum recentiores, quædam miræ sunt magnitudinis. Et Indicæ quidẽ, Taprobanicæ max. ut Plinius Ælianus & ex Plinio Solinus scribunt, tantæ, ut sin-

gularem superficies habitabiles casas integant. Rondeletius in mari Gallico captam fuisse anno M. D.XX. tam magnam refert, ut funibus tracta homines tres supra dorsum stantes veheret. Tradunt autem de marina testudine Aristoteles, Oppianus & Plinius, illam fervente sole, circa meridiem maximè liberius, sed radiis ejus in summitate maris se immergere nequeat. Hoc igitur pacto voluptate liberè spirandi deceptam frustraque se superne volventem & gurgitem desiderantem, in piscatores hoc observantes incidere, illisq; prædæ fieri. Simili modo ex Varrone Macrobius asserit, murænas solaribus radiis siccatas & torrefactas amplius se curvare non posse, nec in aquam immergere, atq; ita in summo fluitantes opportunam præbere venantibus capturam. Sic Martialis in Xeniis:

*Quæ notat in siculo grandis muræna profundo,*
*Non valet exustam mergere sole cutim.*

Contra illos locum habebit, qui cæca voluptatis libidine capti, ei adeo se exponunt, ut non animadvertant paratam sibi perniciem, donec ab ea pene consumpti fuerint, ita ut omnium direptioni, adde etiam ludibrio, pateant. Sit itaq; cunctis perpetuo in mente gravissima illa Musonii apud Gell. lib. 7. cap. 1. nota sententia: & illud etiam, quod Phornutus refert, ut vulgo jactatum:

Μὴ τὰ μαλακὰ μώνου, μὴ τὰ σκληρὰ ὄχης,
*Ne quære mollia, nec dura feras.*

Et præclarè Horatius, libr. de arte poëtica,

*Qui studet optatam cursu contingere metam,*
*Multa tulit fecitque puer: sudavit & alsit,*
*Abstinuit Venere & vino, qui Pythia cantat*
*Tibicen, dicit prius extimuitque magistrum.*

## MORBORUM *usus.*

EX nostris incommodis commoda quædam captare nos decet. Morbi corporis de animæ immortalitate præbent sapienti notam hieroglyphicam. Nam, ut qui in alieno habitant, multis anguntur incommodis, semperque de aliqua domicilii parte queruntur: sic anima nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur, significans se esse non in suo domicilio, sed unde brevi sit emigrandum. In ædibus pretio conductis igitur habitantes perpetuum mansionis æternæ hieroglyphicon intueamur.

## MORS *medela.*

UT fœcundissimum, sic notissimum animal est Scorpio: qui minimo inflexæ caudæ ictu, atq; insensibili materiæ quantitate, ut doctiss. Scaliger loquitur, mortem homini affert, gravique per triduum supplicio illum conficit, ut Plinius tradit, simulque ostendit, Scorpionis cinerem in vino epotum homini ab eo icto pro remedio esse. Certè quotidianis experimentis constat, eum in oleo demersum & suffocatum, si teratur, & vulneri ab ipso illato imponatur, medelam esse præsentissimam. Mira certe naturæ & arcana vis, cum tam pusillum animalculum & ad mortem & ad vitam destinavit homini. Sic Achillis hasta Telepho Regi Mysiæ & vulnus lethale, & præsentem simul salutem attulit. Qua de re Suidas, in Τήλεφος ἐκ πηριδίου, Eustathius παρεκβ. εἰς α. ῥαψωδ. τῆς ἰλ. & ὀδυσσ. λ. & Hyginus Fab. 101. & tangit rem Paræmiographus in Adag. *Polypi caput.* Nostrum quidem hoc haud scio an non recte doceat, hostes etiam sæpe nostros vitam quandoq; nobis & gloriam afferre. Quo Xenophontis dictum spectat, sapientis esse, etiam ex hostibus utilitatem capere. De quo integrum libellum Plutarchus commentatus est. Scite etiam ad fessos labore in gravioribus litterarum studiis similitudinem hanc vir doctus transtulit, qui ab iisdem, sed amœnioribus remedium & recreationem solent petere. Elatius vero & ferocius Ludovicus Gonzaga Marchio, qui in ingressu Caroli V. Imper. in urbem Mantuam in veste triumphali Scorpionis iconem ostentavit, cum adscriptione. QUI VIVENS LÆDIT, MORTE MEDETUR. Eo enim, ut Paulus Jovius scribit, ostendere voluit, se interfecturum, à quocumq; læderetur aut afficeretur injuria, ut ejus morte vindictæ ardorem mitigaret ac restingueret. Sic ipsi scilicet fuit,

*Vindicta bonum vita jucundius ipsa.*

MOR-

A

## MORTIFICATIO, *& vivificatio.*

ARistoteles libr. 9. cap. 5. refert, Aquilis senescentibus rostrum superius accrescere, & semper incurvari, ut tandem fame pereant. Quod Plinius quoq; libro 10. cap. 1. confirmat. Unde (ut in Horapolline libr. 2. capit. 96. habetur) veteres senem fame pereuntem exprimere volentes, pinxerunt aquilam cum adunco rostro. Sed D. Epiphanius in physiologo addit, oculis jam caligantibus & rostro nimis incurvato, aquilam in sublime sese attollentem ad altam rupem conferre, & ibidem rostrum allidere, ac deniq; frigidis aquis immergere, quo facto se postea solaribus radiis exponere & sic quasi juvenescere. Quod idem D. Augustinus quoq; exponit in explicatione dicti ad Psalmum 103. *Renovabitur ut Aquilæ juventus tua.* D. Hieronymus tamen & alii in Psalmi hujus expositione, renovationem hanc tantum de oculis & pennis ipsius intelligendum esse perhibent. Cum quo etiam dictum Isaiæ, cap. 40. convenire videtur, ubi ait, Sustinentes DAMNUM mutabunt vires & renascentur eis pennæ in modum aquilarum. Quod etiam aquilæ cum accipitre est commune. Sed

B quocumq; modo accipiatur, potissimum quædam ex Epiphanio, quæ hujus hieroglyphici piam interpretationem complectuntur, ascribenda duximus. Ait enim, si quis multitudine criminum fuerit oppressus, in altum debet ascendere, id est, in propriam conscientiam, & ad petram, id est, fidem orthodoxam, se projicere, & deflere peccatorum multitudinem, perpetuis aquis, id est, lachrymis ea abstergere, denique solis radiis incalescere, id est, in cœtu fidelium & in Spiritu sancto ad colorem pœnitentiæ properare, squamas, peccata nimirum, abjicere. Statim enim renovabitur, ut aquilæ juventus tua, & justus vocaberis apud Deum. Hæc ille

*Inveterata tuæ jam tandem crimina culpæ*
*Exue, sic rediet lata juventa tibi.*

## MORTIS *Mysterium.*

C ROmæ ad S. Salvatorem in Lauro, in urna marmorea

DIIS MANIBUS
C. CASSIO. C. F.
GAL. SATURO
LIBERTI
PATRONO BENE
MERENTI.

SUb inscriptione genii duo portam occlusam monstrant, in cujus epistyliis aviculæ duæ, una deorsum, altera seorsum aspicientes, & in angulis pinnæ. Sub geniis Sphynges duæ in columellis sedentes portam ipsam custodiunt, ut Smetius refert in inscriptionibus.

## MUNDUS.

MUndum exprimere volentes Ægyptii, serpentem pingunt, qui suam ipsius caudam rodat, variis interstinctum squamis: per squamas quidem stellas quibus cœlum mundusve distinctus

D est, obscure innuentes. Cæterum hoc animans, non secus ac terra gravissimum est, lævissimum autem ac maximè lubricum, in aquæ morem. Insuper, ut serpens quotannis pelle simulque senio exuitur: sic & annus vertens, qui mundi circumacta producitur, immutatione facta renovatur, ac velut rejuvenescit. Quod vero velut cibo, suo utatur corpore, significat id, quæcumque Dei providentia in mundo gignuntur, ea rursum in eumdem resolvi, & tamquam immunitionem sumere. Hæc nobis Horapollo, lib. 1. hieroglyphic. cap. 2.

## MUNERUM *acceptatio.*

TOrpedo piscis, Græcis Νάρκη, qua vi polleat ejus nomen exprimit. Suo enim contactu pisces, in stuporem & ἀπονάρκωσιν conjectos capit & devorat, quamvis tarda ipsa, velocissimos, ut scribit Aristoteles. Nec in suum tantum genus hæc illi potentia, sed etiam in hominem. Nam licet illa

non tangatur, stuporem tamen manibus piscatoris impingit, per lineam aut setam ascendens ac subiens. Tradunt hæc præter Aristotelem & Oppianum, Theophrastus, Galenus, Averrhoes, Alex. Aphrodisius, Plinius, & alii: & de hoc etiam pisce extat tersiss. Epigramma Claudian. Plato ejus etiam meminit in Menone: ἡ ναρκη τὸν πλησιάζοντα ναρκᾶν ποιεῖ. Diphilus autem Laodiceus in lib. de Nicandri Theriacis non totum piscem scribit torporem inducere, sed partem ejus tantum. Sed utut ista se habeant, certè ad munerum illicitam & clandestinam acceptationem, quæ non quidem corpus, sed quod pejus est, animum ipsum obstupefaciunt, recte transferri posse videntur. Illorum sane quanta vis sit, expressit Euripides, cum etiam Deos muneribus duci scribit: πείθειν δώρα ἐπὶ θνῆς. Cui & Ovidius astipulatur. Et pulchre Seneca Tyest.

*Moventes cuncta divitias*

dixit. Apulejus etiam ix. Met. ait, pecuniæ difficultates omnes esse pervias, auroq; adamantinas perfringi fores. Referenda huc est Horat. Ode. 16. lib. 3.

*Inclusam Danaën turris aenea &c.*

Philippus quidem Maced. Rex, ut Cicero meminit ad Att. omnia castella expugnari dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Non mirum: nam Pithia ei consulenti responderat:

ἀργυρίαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις,

*Ex argento hastis pugna, sic omnia vinces.*

Verum τῆς ναρκήσεως in Torpedine pisce caussam pulchrè enucleat Theophylactus Simocat. ἀπορφυσικ. δ. ex quo loco hoc hieroglyphicon quis in contagia mala & perniciosa usurpare non inepte posset. Sed audiamus ipsam veritatem judices alloquentem, Deuter. 16. 19. Non accipies personam nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum. Vide Proverb. 17. 24. & 21. 14.

*Nonne manus torpent tibi cum olim munera sumis?*
*Non sentis? certè mens animusq; stupent.*

## NATURA *Sequenda.*

ARbor Medica sive Citria tum florum suaviss. tum fructuum odoratiss. gratia celebris, quos contra venena magnam habere efficacitatem experientia testatur, non facile adolescit, nisi calore solis admodum valido foveatur ac sustentetur. Solum enim à Sole, quare in locis frigidioribus ac septentrionalibus non facilè provenit. Unde docemur unicuiq; regioni Deum Opt. Max. sua peculiaria dona concessisse, quibus, si saperet, posset forsitan esse contenta. Quare proverbii loco quoq; dicitur, si cœlum dissentiat frustra fieri fundum. Et ut canit poëta, *Non omnis fert tellus omnia.*

## NOBILITAS *vera.*

FEstus ait Aquilam ab acutè videndo dictam, vel ab acumine oculorum, ut Isidorus vult. Nam, inquit, contra radium solis fertur obtutum non flectere, unde & pullos suos ungue suspensos radiis solis objicit, & quos viderit immobilem tenere aciem, ut dignos genere conservat, si quos vero flectere obtutum, quasi degeneres abjicit. Idem commemorat Aristoteles libr. 9. capit. 34. de historia Animal. & Ælianus lib. 2. cap. 26. itemque Oppianus & Scholiastes in Homerum λ. ρ. & alii tradunt. Hinc factum existimant sacrarum litterarum interpretes, quod S. Johanni Evangelistæ Aquila fuerit attributa, quæ sicuti intendit oculos immotos in Solem, ita hunc sanctum Scriptorem divinitatis Solem contemplando, aciem mentis ad cœlestia tantum direxisse constat. Est autem hujus hieroglyphici argumentum desumptum ex Lucano lib. 9.

*Utque Jovis volucer, calido dum protulit ovo*
*Implumes natos, solis convertit ad ortus.*
*Qui potuere pati radios & lumine recto*
*Sustinere diem, cœli servantur in usus,*
*Qui Phœbo cessere jacent, &c.*

Potest autem hoc universaliter intelligi de illis, qui suam̄et virtutem & industriam conjungunt cum splendore nobilitatis ac opulentiæ, & ex illis perpetuis bonis, nō his fluxis & instabilibus, apud alios nomen præclarum & auctoritatem singularem obtinent, nam, secundum Boëtium, splendidum aliquem, si non suam habet, aliena claritudo non efficit. nec minus quoq; peculiariter de fide & constan-

A stantia amicorum in rebus maxime adversis accipi recte solet. D. Chrysostomus homil. 49. in cap. 22. Matthæi, ad filios Dei accommodat, qui pleno corde verba justitiæ suscipiunt. Alias additur, *Mei non degenerant.* Vel: SIC CREDE. Item: PROBATOS FOVET. Aut, *Degeneres lux arguit.* Vera nobilitas, inquit, Nazianzenus, Orat. 11. est divinæ imaginis conservatio, atque archetypi imitatio, quam ratio & virtus efficiunt, purumq; desiderium, eos qui supernarum rerum vere studiosi sunt quotidie magis ac magis, quantum ad Deum attinet, informans; ac deniq; cognitum habere, quinam & quam ob causam facti simus. Et Chrysostomus in Matth. Ille clarus, inquit, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur servire vitiis, & ab eis non superatur. Si de fide & constantia amicorum in rebus adversis hieroglyphicon accommodare libeat, adde sequens Distichon,

*Ut sobolem ingenuam ad solem Jovis æstimat ales,*
*Cernitur adversis rebus amica fides.*

OCIUM *fugiendum.*

B NIhil optatius accidere potest unicuique, quam suorum laborum ac operum videre & percipere tandem fructum aliquem & utilitatem convenientem, atq; contra molestissimum est (quod sæpe usu venire solet) si alii in nostram messem, ut in proverbio est, suam falcem immittere partisq; aliorum frui conantur. Sic Agricolæ quoq; per totum annum terram colunt, ac semina magna cura illi mandant, ut suo tempore messem optatam faciant, nec facile patiuntur ab aliis pigris ac inertibus proprios fructus sibi eripi. Docemur ideo ocium esse fugiendum, & semper honestis laboribus incumbendum, quod sacræ literæ quoq; ab initio & passim monent, inprimis vero crebræ sententiæ in Proverbiis Salomonis & Syracidæ hoc nobis abunde subjiciunt: quas hic exponere nimis longum esset.

*----- Nil sine magno*
*Vita labore dedit mortalibus.*

Horatio teste, qui Epicharmi verba sequutus est. πρεπόντων, inquit ille, πόνων πολοῦσι πάντα τἀγαθὰ οἱ θεοί. id est, *Convenientibus laboribus divi cuncta vendunt bona.* Igitur, ex veritatis mandato,

C *Pigra facesse manus, plenam ne collige messem:*
*Commoda frumenti qui petit, ille serat.*

OMINA *non omnia spernenda.*

QUamquam nocturnarum avium plura sint genera, noctua tamen potissimum à nocte nomen accepit, sicuti apud Græcos νυκτερὶς, id est, vespertilio, quibus noctua γλαὺξ dicitur, à glauco oculorum colore. De Nyctimene vero, propter incestum, in hanc avem conversa, extat fabula moralis apud Ovid. 2. Metamorph. Sed per noctuam mortem indicabant veteres, cum nox quoque eam designet apud poetas, sic Horatius lib. 1. od. 28.

*Sed omnes una manet nox*
*Et calcanda simul via lethi.* Item Catullus,
*Nobis cum semel occidit brevis lux,*
*Nox est perpetuo una dormienda.*

D Refert quoq; Ælianus lib. 10. De Animal. cap. 37. Hanc avem extitisse infaustum augurium mortis infelicis ac ignominiosæ in Rege fortissimo Epirotarum Pyrrho, cujus hastæ in itinere, dum Argos expugnare contendit, insedit. Nam urbem hostiliter ingressus à cujusdam aniculæ filio leviter vulneratus, dum in percussorem impetum facit, Argivi mater, quæ superne hoc spectabat, regulam magnam vi arreptam, super Regis galeam dejecit, quo ictu ille exanimatus concidit. Pierius lib. 20. Hieroglyph. dicit in tabula noctuæ iconem à lictore ad damnatum publico judicio fuisse delatum apud Æthiopas, quo viso reum sponte sibi mortem conscivisse, magno sibi ac patriæ dedecori futurum, ni obtemperasset. Hoc itaq; hieroglyphicon Duci Paliano, ex familia Caraffarum, fuit attributum, qui anno CHRISTI M.D.LIX. cum aliis fuit in carcere mori jussus sub Pio 4. cujus extat Italica epistola, ante obitum ad filium conscripta, præceptis salutaribus referta.

*Non temere, quicumq; sapit, læva omnina spernit:*
*Cum ferat & spretum sæpius exitium.* A

## OPINIONIS *vis.*

SPecie recti decipimur, & rerum veritate neglecta fallimur imagine. De Tigride S. Ambrosius Hexaemero, c. 4. & Albertus Magnus de animalibus hæc annotant. Venatores quidem in sequentibus catulorum quos rapuerunt matribus sphæras vitreas objiciunt, quas illæ intuentes imagine, quam ipsæ reddunt, ita decipiuntur: nam catulos subesse putant, quod sphæra moveatur, ceu vivum animal in se continens. Sed cum tandem sphæram illam fera confregit, ut catulo potiri queat, delusam se videns insequi pergit. Illi alias subinde sphæras objiciunt, deluduntq; tigridem, donec in tutum locum se recipiant. Inde Claudianus de tigride,

*------Vitreæ tardatur imagine formæ.*

Atque inter recentiores Petrus Angelius Bargæus lib. 3. Cynægetic.

*------Speculo persæpe illuditur, ut se* B
*Inspexit, natosque illic decepta putavit*
*Esse suis caveis & iniquo carcere clausos.* Alius item,
*Ambigua splendens nos fallit imagine forma,*
*Fallitur ut vitreo Tigris acerba globo.*

Sic nimis crebro in nostris rebus secundum Simonidem, τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται, Opinio etiam ipsi veritati vim facit. Theognis etiam

πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶ εἴδεαι.
*Et mentem species fallere sæpe solet.*

Vel ut nobilissimus Poeta nostri seculi,

*Et veri specie nos ludit opinio falsa.*

Quod præsertim in veræ pietatis negotio summopere fugiendum est, ut D. Basilius Magnus multis verbis monet Homil. ἐν λακίζοις. C

## OPPORTUNITAS *observanda.*

HAlcedo, quæ secundum Varium Cerylus & Ceyx est, Græcis dicitur, ἀλκύων παρὰ τὸ κύειν ἐν ἁλὶ, *quod in mari pariat*, non quasi ales Oceana, ut opinatur Isidorus. An vero cum aspiratione vel sine illa sit hæc vox exprimenda, disputant Grammatici, cum apud veteres utrumque fuerit in usu. Aristoteles lib. 9. de hist. Animal. c. 14. dicit non multo esse majorem passere, colore tum cæruleo, tum viridi, tum etiam leniter purpureo insignem, rostro subviridi, longo & tenui. Quem colorem Cælius Calcagninus hirundini marinæ vulgo nuncupatæ convenire scribit. Est autem adeo maris amans, ut etiam, secundum Oppianum, prope fluctus nidificet, idq; in hyeme circa brumam mari tranquillo, quos dies Alcedonia nominat Plautus. De admiranda quoq; nidi constructione Aristoteles, Plutarchus, Ælianus, Oppianus, & alii, nec non D. Basilius & S. Ambrosius in Hexaemero multa annotarunt: ac Lucianus integrum dialogum Alcyonis nomine inscripsit. Estq; typus hæc avis prudentis viri, qui in mediis Reipublicæ procellis sibi prospicere, & quietiora ac tranquilliora tempora expectare novit. Quare Jovius hoc hieroglyphicon voluit excogitare in gratiam Fliscorum nobilium Genuensium, qui contra multorum aliorum sententiam à Rege Galliæ ad Cæsaris Caroli V. partes sese contulissent, fuitq; hæc Gallica addita inscriptio, Nous SÇAVONS BIEN LE TEMPS, id est, nobis est bene notum, quando tempus vel occasionem adversus nostros adversarios aliquid agendi debeamus arripere. Alii addiderunt: SAT CITO, SI SAT TEMPESTIVE. Quod congruit cum præcepto Pittaci, unius ex septem sapientibus, γνῶθι καιρὸν, *nosce opportunitatem*, & cum Hesiodea sententia, D

------ὦ καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.
*Occasio omnium rerum optima est.*

ORA.

## ORATIO *ardentissima & efficacissima.*

A SIngularis cujusdam studii & magnæ fidei atq; efficacis intentionis ex Dei benedictione & omnipotentia argumentum est, quod Elias Propheta Spiritus S. impulsu egit, dum revocandæ in terras pluviæ causa Deum oraret, 1. Reg. 18. cap. Et habitus ille, quod ascenderit in verticem Carmeli, pronusq; in terram posuerit suam inter genua sua hieroglyphica, nota est hominis ardentissimo mentis affectu Deum orantis. Solent enim, qui plurimum confidunt in amicitia, ejusq; de re gravi aliqua compellare orareq; constituunt, laboriosum aliquem atque difficilem sibi habitum aptare; quem non alias nisi re impetrata, mutandum profiteantur. Est autem ille habitus non causa impetrationis beneficii postulati, sed indicium animi solliciti atq; ad petitionem suam compositi. Idq; Spiritus sancti in viris piis speciali quadam virtute corpora & animas suorum ad interna externaq; officia impellente. Idem igitur piis accidit apud Deum, quod honestis subditis coram clementissimo principe comparentibus. Nam princeps sibi personæ acceptæ ratione habita, quod postulatur gratis concedit; neq; enim potest grave amici propositum perrumpere, neq; afflicti animi spectaculum externum ferre diutius. Efficacissima fide igitur, & maxima spe instructus Elias, difficillimum B omnium, quos ferre humani corporis membra possunt, habitum situmq; induxit. Deus Prophetæ amans & fidem maximam probans ad concedendam subito pluviam permotus est. Porro quemadmodum fuit ille habitus & gestus vehementissimus, ac eximius testis fidei in corde latentis, verbis etiam eamdem erga Deum & populum pietatem demonstrantibus usus est Propheta, quem Divus Jacobus Apostolus, cap. 5. catholicæ Epistolæ nobis in exemplum proponens, Elias, inquit, homo erat similis nobis, passibilis, & oravit oratione, ut non pluceret super terram, & non pluit annos tres & sex menses: rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Aliud hieroglyphicum orationis efficacissimæ habemus in Moyse, qui in vertice collis habens in manu sua virgam Dei, cum levaret manus, Israel vincebat: sin autē paululum remitteret, Amalecitæ superabant. Quum vero manus ejus essent graves, posuerunt lapidem subter eum, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraq; parte. Et factum est, ut manus ejus non lassarentur usq; ad C occasum solis. Unde Amalecitarum strages & præclara Israelitarum victoria. Exod. 17. 11. 12. 13.

## ORATOR.

ORatorum actiones (inquit Fr. Pelletus, histor. fori Rom. lib. 2. cap. 13.) non temere paucioribus partibus olim quam quatuor absolvebatur, Exordio, Narratione, Confirmatione & Peroratione. Mediæ duæ ad docendum, extremæ ad ciendos affectus accommodatæ, quorum cum sit duplex genus (sunt enim mites & vehementes) illos sibi Exordium, hos Epilogus vendicat, in quem Orator omnes facundiæ suæ opes impendit. Si enim sustuleris Oratori facultatem rapiendi convertendiq; sursum deorsum animos motibus violentis, quid à rixoso, Dialectico differat non video: nisi quod unus strictius, & quasi argumentorum punctis atq; aculeis rem tangit: alter quasi cæsim pugnat, perpetuitateq; orationis hostem impetit: Rhetorica enim pugno extenso Dialectica contracto simili Zenoni videtur. In affectib. vero regnat Orator, quorum naturam cum à Philosophis, maxime Stoicis, discat, usum tractandorum à suis habet Rhetoribus, quem explicat in iis maxime confessibus, ubi ratio aliqua humanitatis & civilitatis habetur, ubi judices sese homines sentiunt, D neque à se humanos affectus alienos putant. Nam tristis & rigidus illis Athenarum Areopagus, ac plusquam Stoicus, magis fungos aut saxa suis in subselliis habere videtur, quam homines, quos vix peristasis movent, quæ in maleficiis, quo cum Areopagitæ fuerunt quæsitores, plurimum valent in utramq; partem. Noctu enim judicant, & præconem habent perpetuum qui affectibus interdicat. Ideoq; Romanorum Patronorum eloquentia, non modo necessarias ad vitam retinendam partes habet, sed & artus quosdam ad speciem tributos, quibus tamquam toris & lacertis, Oratio stantia rectiq; adversa everteret. Sed eloquentiæ laudes elegantissime prosequitur M. Aper in Dialogo de Oratoribus apud Tacit. Oratori facundo & eloquenti certe vires easdem viri eruditi tribuunt, quas olim Virgilius virgæ & caduceo facundo Atlantis nepotis Mercurii dedit, magni operis libr. 4.

*----hac animas ille evocat Orco*

*Pallen-*

*Pallentes, alius sub tristia Tartara mittit:* *Illa fretus agit ventos & turbida tranat* A
*Dat somnos adimitq; & lumina morte resignat.* *Nubila.*

Orator enim sua facundia in reatu constitutos periculo mortis liberat, alios autem de gradu dejectos ad supplicia mittit, quoties accusationum suarum fulminib. reorum fortunas & capita in mortis trahit periculum. Dat autem somnos & adimit, quum auditores vel infestos placat & mitigat, vel benevolos pungit ac exasperat, aut parum attentos, veluti dormitantes suscitat & erigit. Agitat autem ventos sua virga vel lingua, cum motus seditionesque componit auditorum, ut quondam Hercules Ogmius pingebatur catena aurea linguæ alligata circumducere populos quocumq; vellet.

## ORATIONUM *piarum necessitas & effectus.*

ADmiratione profecto non caret quod in tam diligenti alioquin investigatione omnium rerum naturalium, cum tot navigationibus ac peregrinationib. universi ferme angulí orbis terrarum excutiantur, nihil adhuc certi tamen nobis constet de Arbore Thuris, quemadmodum quoq; myrrhæ. Quod etiam Plinius affirmat lib. 12. cap. 14. Quidam literis prodiderunt in Arabia nasci, loco Saba dicta, unde Virgil. 1. Georg.

*India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.* B

Hujus vero arboris Gummi dicitur inodorum, nisi exstillans a sole vel igne incalescat, quomodo etiam adhuc in aerra sive thuribulo suffiri solet. Ad eumdem modum nisi orationibus ac precibus, & reliquis universis piis ac religiosis exercitationib. animum nostrum sine omni fuco ac simulatione (quæ imprimis Deo displicent) crebro incitemus ac inflammemus, odorem suavem & fragrantem bonorum ac laudibilium operum numquam edere possumus. Sic aromata ac potissimum thura igni imposita, hieroglyphice (ut inquit Pierius lib. 46. orationem spiritualis doctrinæ significant. Et Goropius Becanus in suo Vertumno prolixe admodum declarat, apud priscos sacrorum antistites, Thus fuisse charitatis amorisq; tesseram. Hanc similitudinem quoq; exponit D. Augustinus in libello, cujus titulus Speculum peccatorum, hisce verbis: Ut Thus non redolet nisi ponatur in igne, nec virtus sinapis sentitur, nisi conteratur in lapide; ita nulla Scripturæ sacræ sententia vim suam declarat, nisi cocta in igne.

*Thura inodora manent, nisi sole vel igne calescant,* C
*Sic bene quo fragret, cor prece adure pia.*

## ORBIS *iter.*

VEteres hieroglyphicorum auctores, cum rei alicujus tritum eventum & spem frustratam exprimere voluerunt, cancrum, sive gammarum potius nostrum fluviatilem, retrogradientem sæpius, quam recta protepentem, pingere solebant, ut apud Pierium Val. legere licet. Et notus est versus Proverbialis Aristophanis in Pace, quamvis de Cancro:

Οὔποτε πείσεις τὸν κρᾶβον ὀρθὰ βαδίζειν,
*Ambulet ut cancer recta haud efficeris umquam.*

Hujus quidem picturæ inventor fuit Rever. & Nobilis. vir ex antiquit. Franconica equestri familia, Laurentius Truchtesius, Canonicus Wirtzburgensis, bonarum literarum amantissimus. Est autem vetus hæc & communis de mundi perversitate querela, de qua insignis Horatii locus 3. Carm. 6.

*Aetas parentum pejor avis, tulit nos* *Nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.* D

Cui convenienter etiam Seneca: hoc, inquit, majores nostri questi sunt, hoc nos queritur, hoc posteri nostri querentur eversos esse mores, regnare nequitiam, in deteriora res humanas & in omne nefas labi. Similiter Euripides in Hippolyto,

Φεῦ! πῆ βροτείαι ποῖ κατῆίσθην φρενὸς
Τί πέρμα τόλμης καὶ θράσους ἥξουσιν;
Εἰ γὰρ κατ' ἄνδρὸς βίοτον ἐξογκώσεται,
Ὁ δ' ὕστερος τὸ πρόσθεν εἰς ὑπερβολὴν
Πανύσεται ἔσται, θεῖεν κατασβαλὼν χθονὸς
Ἄλλην δίαιαν γαῖαν, ἣ χωρήσεται
Τοὺς μὴ δικαίους καὶ κακοὺς πτοουμένη.

*Hei! quo progredietur humana mens?*
*Quis finis temeritatis & audaciæ erit?*
*Si enim uniuscujusq; viri vita superbe propagetur,*
*Et posterior priore longe*
*Deterior sit, Deos adjicere terræ*
*Oportebit aliam terram, quæ capiat*
*Eos qui sunt injusti & mali.*

Et

A Et ut δίστιχῳ ludamus pro more:

*Miraris Cancri dorso consurgere mundum?*
*Desine: sic hodie vertitur orbis iter.*

OS, στόμα.

OS significantes Ægyptii, serpentem pingunt, Horapolline teste, Hieroglyphicon lib. 1. cap. 45. quoniam serpens nullo alio membro valet, nisi ore.

OSTENTATORES.

DE Platano, quæ arbor à foliorum latitudine apud Græcos nomen accepisse videtur, Plin. lib. 12. cap. 1. ita scribit: sed quis non jure miretur, arborem umbræ gratia tantum, ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est per mare Jovium in Diomedis insulam, ejusdem tumuli gratia, primum invecta, &c. At sicut

B *Umbram, non fructum Platanus dat: sic quoque multis*
*Vana alios specie ludere sæpe placet.*

Virgilius Georg. 2. vocat quoque *steriles platanos:* & lib. 4. ejusd. operis, inquit,

*Jamque ministrantem platanum potantibus umbram.*

Quod in illos dici potest, qui semper magna de se pollicentes, omniaque sua ad ostentationem tantum parantes, quo opinionem singularis doctrinæ ac prudentiæ vel falso apud alios conquirant, vel etiam si quæ possideant bona ingenii neutiquam cum aliis communicent, nullum unquam specimen suæ memoriæ præclaris monumentis vel actionibus posteritati præbere consueverunt. Quorum alterum est ridiculæ vanitatis, alterum invidiæ detestandæ indicium. Deque priore vitio Menandri unicus versus multa complexus est, ubi ait:

Κενῆς δὲ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον.
*Miserabilius est gloria vana nihil.*

De altero vero nos recte monet Phocylides hoc dicto,

C Μὴ φθονέῃς ἀγαθῶν ἑτάρους, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.
*Ne invideas bona sociis, ne incurras in vituperationem.*

---

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

## *LIBER QUINTUS.*

PACIFICUS.

D BAlsamum totas ædes sua replet fragrantia: & unus vir, pacis studiosus magnum cœtum dissidentem in concordiam reducere potest.

PACIS *amor & studium.*

OLea arbor Palladi dicata, pacisque symbolum, semper viret, nec sua folia amittit, idque (ut scriptores plantarum tradunt) ob peculiarem quandam sibique innatam pinguedinem. Fructus quoque producit ad multos hominum usus admodum commodos & necessarios, quare ob utilitatem singularem neque incidi nec evelli ullo modo par est. Non aliter cavendum summopere omnibus, qui pacis concordiæ, publicæque utilitatis studiosi esse volunt, (ut universi esse debemus) ne ulla invidia aut malevolentia improborum ac maleferiatorum hominum à tam necessario ac laudabili proposito, se impediri aut avocari ulla ratione

tione patiantur. Sunt autem, secundum Petrarcham, quatuor hostes pacis, quæ in exilium pellantur, A (quod certe si cuncti facere studerent, pax & concordia esset perpetua ac sempiterna speranda) inimicum, avaritia, invidia, ira, superbia. Sed nemo ferme pacis encomium brevius ac sanctius D. Augustino nobis proposuit, ubi ait: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortiū charitatis. Hæc est quæ serenitates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat: cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit teneat, qui amisit exquirat, qui perdidit repetat. Aurea profecto sententia omnium bonorum animis infigenda, vita & moribus exprimenda.

*Dure facesse ligo, valida procul este bipennes;*
*Frondeat æternos pacis alumna dies,*

## PACIS *Divinæ nuncia.*

DE Columbis, quæ veredariorum loco habentur, & literas in remota quoque loca perferunt, plura tam apud veteres quam recentiores fide digna exponuntur, quod in primis Plinius confirmat his verbis. Quin & internunciæ in rebus magnis fuere, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra consulum Decimo Bruto mittente. Similia legimus apud Ælianum lib. 9. de animal. cap. 2. & multos alios. Sed & in Genesi cap. 7. habemus, Noha cum cessante paulatim ex divina gratia universali diluvio, columbam (avem propter simplicitatem & castitatem etiam testimonio sacrarum literarum commendatam) ex arca emisisse, & hanc quidem prima vice nondum reperisse locum, in quo consistere posset, atque ideo ad eum rediisse, sed post septimum diem (quem numerum tradunt Doctores significare iræ mitigationem & remissionem) vespere reversam attulisse in ore ramum oleæ, quod & ipsum signum pacis & divinæ reconciliationis extitit. Ad eundem modum æternus Deus per sanctum Spiritum petentibus pacem & gratiam suam affert, idque propter sacratissimum meritum CHRISTI. Contilis albam columbam in aere cum ramo oleæ pingit, adjecto dicto, INTUS ET EXTRA. Nam quemadmodum columba dicitur carere felle, & candidum colorem exteriorem præ se fert, ita quoque unusquisque vera pietate & simplicitate præditus operam dare debet, ut cunctæ ipsius actiones externæ candidis ac bonis cogitationibus respondeant, C omniaque ipsius dicta ac facta cum saluberrimis præceptis divinis semper congruant. Quicquid enim fide integra & mente sobria offertur, à Spiritu sancto perficitur, ut D. Ambrosius in 15. S. Pauli Epistola ad Romanos docet.

*Ore columba oleæ fert ramum, insignia pacis,*
*Quam seris in verbo Spiritus alme tuo.*

## PATIENTIA *invicta.*

AQuilam sæpius à cornicibus frustra irritari atque importune provocari Ælianus annotavit lib. 15. cap. 22. Unde proverbium quoque extitit, ἀετὸν κωφὼνη ἐρεθίζει, *Aquilam cornix provocat.* Atque idem de aliis quoque avibus dici potest. Quemadmodum vero generosa avis hosce insultus inanes, & vanam ac maledicam petulantiam decidet, (quod etiam de molossis importunos caniculārum latratus contemnentibus dici solet (ita quoq; animus excelsus & fortis leviusculorum & abjectorum hominum, qui neq; prodesse nec lædere quicquam possunt, conatus & insultus ne dignatus D quidem ulcisci, & minoris facit (ut alto proverbio dicitur) quam Elephas culicem. Atque huc pertinent præclari versus Poetæ veteris Philemonis:

| | |
|---|---|
| ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον | *Nihil est jucundius neque elegantius,* |
| ἐς', ἢ δύνασθ' λοιδορούμενον φέρειν. | *Quam ferre posse conviciantem,* |
| ὁ λοιδορῶν γὰρ ἐὰν ὁ λοιδορούμενος· | *Quoniam si ille cui convicium fit* |
| μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖθ' ὁ λοιδορῶν. | *Dissimulaverit, in ipsum auctorem illud redundat.* |

Id est, Nonnunquam tamen, ubi hæc malitia & insignis conviciandi libido modum excedit, & fuæ importunitatis cursum nimis effrenem prosequitur, tandem secundum Publ. Mimum,

*Furor fit læsa sæpius patientia.*

Adscribitur autem hoc symbolum Alberto Comiti Habspurgensi XVII. qui dives fuit cognomento dictus,

A dictus, cujus magnanimitatem, simul & bonitatem ac sapientiam singularem, historici magnis laudibus extollunt,

*Nunquam aquila imbelles cornices celsa fatigat:*
*Nec generosum animum lingua maligna movet.*

Huc non incommode referri posse videtur B. Augustini dictum, major animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam magis eligit ferre quam fugere; & humanum judicium, maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac puritate animi contemnere. Id Prosper Aquitanicus Regiolepidi Episcopus versibus ita expressit:

*Qui valet adversis oneratam ducere vitam,*
*Et tolerare magis vult mala, quam fugere,*
*Majoris multo est animi, quam ferre pavescens*
*Indocti injustum judicium populi.*
*Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis,*
B *Hoc plus splendescit, quo magis atteritur.*

## PARASITI. GULOSI.

ELegans profecto & argutum est Epigramma Græcum, quod ex lib. 1. Anthologiæ feliciter expressit latine Alciatus Embl. 94. quo mus ostreis hiulcis furtive ob prædam se insinuans fingitur conclusa ab illis testa multari miseris modis. Convenit hieroglyphicum illud in eos, qui ditiorum domos ventris caussa turpiter sectantes, spontaneæ se servituti mancipant, & nihil inde nisi infamiã & damnum reportant. Quod Lucianus aureolo plane tractatu περὶ τῶν μισθῶ συνόντων graphice admodum demonstrat. Convenit & in eos, qui perpetua luxuria, & gulæ impotentia, nimiaque vini ingurgitatione præproperum sibi accersiverunt exitium. Sicuti revera plures semper gula, quam gladius perdidit: & ut habent Theognidis versiculi:

Πολλῶ τοι πλέονας λιμὸς κόρος ὤλεσεν ἤδη — *Multo plures perdidit satietas, quam fames,*
Ἄνδρας, ὅσοι μοίρης πλεῖον ἐθέλουσιν ἔχειν. — *Viros, qui plus sua sorte habere volunt.*

C Exempla in omni historia occurrunt innumera. Sic Elpenor Ulyssis socius apud Circen vino largius hausto de scalis lapsu exanimatus: Antinous autem poculum adhuc manu tenens ab Ulysse interfectus est. Quinetiam Alexandrum magnum, alioquin contra omnem vim humanam invictum, gula & vinum prostravit. Gravissima igitur est optimi Poetæ Oppiani ad vitandam ingluviem exemplo interitus, quem pisci noctuæ affert voracitas, adhortatio in 2. ἁλιευτικῶν. Sed Christianis præcipue ante oculos esse debet Salvatoris nostri sanctiss. præceptum, Luc. 21. προσέχετε ἑαυτοῖς, μήποτε βαρηθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, id est, *Cavete vobis nequando graventur corda vestra crapula & ebrietate.* Et Apostoli dictum diligenter observandum est, ebriosos hereditate regni Dei excludens. 1. Cor. 6. v. 10. gravissima & plane cœlestis ejusdem exhortatio finem huic hieroglyghico imponat. Nox præcessit, dies appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, &c. Sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne habete ad explendas cupiditates. Rom. 13. v. 12. 13. 14.

## PARATUS *in utrumque*

D BOs ut ferre jugum aptus est, ita jugulum ad sacrificium & mactationem dare paratus comperitur. Hieroglyphicum illud convenit in bonos viros, qui non solum pietate, religione, nec non laudabili quaque doctrina excellere cupiunt, atq; aliis præire, sed etiam pluribus aliis laboribus, sicuti bos arans, indefesso studio proximis inservire studeant.

## PARENTUM *officium.*

Ἀετὸν, ἀπὸ τῦ ἀΐσσειν, id est, ab impetu volandi deducunt Etymologi, vel παρὰ τὸ ἀεὶ ἔτον εἶναι, id est, quod semper sit vera & genuina. Hanc nidificare in locis non planis, sed excelsis, & quidem præcipue in arduis saxis & præcipitibus, nonnunquam tamen in arboribus, Aristoteles scribit lib. 9. de hist. animal. c. 32. Dicitur autem Aquilam paulatim quoque suos pullos ad volandum assuefacere, atque etiam provocare. Cujus etiam Deuteron. cap. 32. in cantico suo Moses meminit, Dei.

bonitatem erga nos conferens cum Aquilarum φιλοστοργία erga pullos. Sicuti Aquila, inquit, excludit pullos suos, & eosdem fovet calore vitali & expandens pennas suas assumit eos, & gestat eos super alas suas: ita DOMINUS solus duxit Israelem, & non erat cum eo Deus alienus. Sed similitudo hæc recte etiam de omnibus iis, qui juventutem ad virtutem & omnia laudabilia facta assuefacere student, & illos paulatim ad vitam meliorem quasi attollere docent, accipi poterit, sicuti Horatius quoque epist. 2. lib. puerum instruit, A

——*nunc adhibe puro* *Quo semel est imbuta recens servabit odorem*
*Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer;* *Testa diu.*

Et Æneas ad Ascanium ult. Æneid.

*Disce puer virtutem ex me, utrumque laborem.*

Sic legimus apud Suidam de Apollonio, cujus rei etiam facit mentionem Philostratus in vita ipsius; quemadmodum Aquilarum pulli teneras adhuc pennas sortiti juxta parentes volitant, iisque magistris ad volatum sese exercent, cum vero sese offerre possunt parentes antevertunt, sic Apollonius Euxenum puer audiebat, eique auscultabat, sed annno decimo sexto ad vitam Pythagoricam se contulit. B

*Vos virtutis iter gnatis monstrate parentes:*
*Ipsa Aquila ut pullos fida volare docet.*

## PARSIMONIA.

ERinaceus, vel secundum Plinium Herinaceus, forsitan quia infixa spinis illius inhæreant, dicitur quoque Ericius, & apud Plautum in Menechmis Eres, Græcis ἐχῖνος; Autumni tempore (ut refert Plutarchus lib. de solertia animal.) sub vites obrepens uvarum acinos pedibus in terram decutit, eosque circumvolutans se spinis suis excipit, speciem deinde exhibens ambulantis uvæ, in cavernam suam abscedens catulis eas à se decerpendas præbet, non solum sibi, sed aliis natus, & prolis suæ memor, nec non parsimoniæ amans, cujus hieroglyphicam tabellam nobis exhibet. Appositè Menander,

Τοῦτ' ἔστι τὸ ζῆν, οὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον. C
*Hoc vivere est, haud sibi uni vivere.*

Et Cicero in Paradoxis: O dii immortales, inquit, non intelligunt mortales, quam magnum vectigal sit parsimonia! Plinius lib. 8. cap. 37. refert Erinaceos præparare sibi hyeme cibos, & suprajacentia poma volutatos, affixa spinis, unum non plura tenentes ore, portare in cavas arbores. Idem narrat Ælianus lib. περὶ Φιλοπλουτίας Plutarchus, ex parcorum hypothes: Lucrare (inquit) & reconde, atque te tanti esse crede, quantum est quod possides.

## PATIENTIA *pressa valentior.*

ACanthus ea herba esse putatur, quàm vulgo à similitudine foliorum cum pedibus ursinis Brancam Ursinam Itali vocant, & apud nos quoque hoc tempore excolitur. De qua Vitruvius lib. 4. cap 1. historiam refert ejusmodi. Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicata morbo, discessit. Post ejus sepulturam, quibus ea viva delectabatur poculis, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collocavit, atque uti ea permanerent diutius sub dio, tegula texit. Is calathus fortuito super acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere pressa radix acanthi, media folia & cauliculos circa vernum tempus profudit, cujus cauliculi secundum latera crescentes, & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi, flexiones in extremas partes volutarú facere sunt conati. Tunc Callimachus statuarius præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calthum, & circa foliorum nascentem teneritatem: delectatusque genere & formæ novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit. Hactenus Vitruvius. Ut igitur hæc herba melius crescit & elegantius, si nonnihil prematur: sic etiam animus fortis & sua virtute invictus, contra omnes fortunæ insultus, in adversis semper sese magis exerit, ac multo clarius omnibus conspiciendum præbet. D

*Fortis ab adversis animus præclarior exstat:*
*Pondere sic pressus surgit acanthus humo.*

PATRIÆ

## PATRIÆ *amor.*

A IBis à quibusdam Ciconia Ægyptiaca nominatur, propter magnam cum ipsa similitudinem, sic in veterum numis, potissimum Adriani, Ægyptum denotat, quod eæ regioni propria & inquilina sit. Aristoteles lib. 9. histor. Animal. cap. 27. (quem Plinius, Ælianus, Solinus & alii sequuntur) illas aves distinguit in candidas & nigras. Candidæ apud Pelusium (vulgo Damiata, vel secundum alios Tenessa) nullæ reperiuntur, cum in universa reliqua Ægypto habeantur. Nigræ vero contra solæ apud Pelusium sunt, alibi nusquam apparent. Ælianus lib. 9. Animal. cap. 27. ita peculiarem avem esse Ægypto tradit, ut si quis vi & impetu velit ex ea alio transportare, sibi ipsi mortem consciscat, & Plinius lib. 10. cap. 48. scribit à M. Egnatio Calvino præfecto aliquando tanquam rem inusitatam in Alpibus visam. Vocatur autem ὀφιοφάγος, ab esu serpentum, & ovorum serpentinorum, quod Cicero lib. 1. de natura deor. testatur, atque eam ob caussam ab Ægyptiis hanc avem coli refert (idque Diodorus Siculus & Ammianus Marcellinus quoq; asserunt) quod à serpentibus & aliis venenatis bestiolis regionem mundam conservet, atque ideo teste Alexandro Aphrodisiensi, lib. 12. primæ
B philosophiæ, & ante illum Herodoto lib. 2. capitale fuit ibidem interficere. Docemur autem ante omnia curam & solicitudinem maxime impendendam patriæ, quam Plato in Critone inquit esse τιμιωτέραν μητρὸς καὶ πατρὸς, id est, *in majore honore patriam habendam, quam matrem & patrem.* Eumq; imitatus Cicero in lib. de Republ. & in Epistolis ad Atticum, patriam antiquiorem parentem appellat. Et Euripides in Phænissis, ni fallor,

Εἰκὸς δὲ παντὶ καὶ λόγῳ, καὶ μηχανῇ.
Πατρίδος ἐρῶντας ἐκπονεῖν σωτηρίαν.
*Convenit omni ratione & arte,*
*Amantes patriam, salutem ejus curare.*

Huic autem hieroglyphico appingimus distichon, pro more.

*Nunquam excedit Ibis terræ Mereotidis arvis,*
*Ut moneat quantum possit amor patriæ,*

## PATRIAM *tueri, optimum Augurium.*

C INter omnia, quæ regum exactionem ex urbe Roma præcesserunt, Livius hoc etiam commemorat, anguem ex columna lignea elapsum, non fugam tantum regiam, sed Tarquinium etiam Superbum valde anxium fecisse. Quod in L. Brutum accurate convenit. Sed longe aliter simile fere prodigium accepit L. Sylla, qui consul in Sociali bello, cum in agro Nolano ante prætorium immolaret, subito ab una parte aræ prolapsum anguem conspexit: qua visa Posthumi aruspicis hortatu continuo militem eduxit, ac fortissime Samnitum castra cepit: fuitque hæc victoria fundamentum potentiæ ac felicitatis Syllanæ, ut Valerius Maximus auctor est. Sic diu ante apud Homerum ιλ. β. Græci in Aulide omen quidem futuri decennalis belli, sed certæ victoriæ ex serpente, qui ex ara prosiliens aviculam matrem cum octo pullis consumpsit, collegerunt: quem Homeri locum elegantissimis latinis versibus expressit Cicero 2. de divin. & eum imitatus Virgilius 5 Æn. per anguem septem gyris contortum, septennalem Æneæ errorem innuere voluit, quemadmodum exponit Servius. Sic alias in ostentis, angue aut summa nominis dignitas, aut regia potestas portendebatur. Nota enim
D sunt, quæ Cicero 1. de Divinat. de Roscio Com. in hanc rem affert. Et præter Herculis exemplum, Severi & Aureliani Imperatores, & alia plura: usum autem hoc hieroglyphico Scipio Ammiratus scribit Ducem Seminariæ in regno Neapolitano cum hac Inscriptione velle monstrat inter, qua demonstraverit, sibi Regi suo contra Romanum Pontificem, merenti nullo omine augurio alio opus esse: sed unicum sinceræ Fidei & Virtutis studium sufficere. Præclare igitur Q. Fabius Maximus (ut Cicero refert de Senect.) dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro salute Reipublicæ fierent, quæ contra Rempublicam ferrentur, contra auspicia ferri. Ut enim insigniter dicit Hector apud Homerum, ιλ. μ.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης:
*Una avis optima, pro patria pugnare tuenda:*

Et Poeta noster distichis seria pingens,

*Tutum monstrat iter virtus, cur anxius auceps*
*Augurium expectas, si voluisse sat est?*

## PECCATORES.

QUod de Sciæna Oppianus refert, eam cum caput & oculos saltem occultarit, totam se latere putare: idem mugili tribuitur à Plinio, forte ex Aristot. lib. 8. hist. an Pierius Cephalo hoc ascribit, quem & nos hic exhibemus depictum. Ut autem similes sunt inter se isti pisces, ita sæpe confunduntur. Similis est stultitia & avium quarumdam, de quibus alibi & hyænæ inter quadrupedes, de qua lepidam narrat historiam Busbequius Ep. 1. de legatione Turcica. Est autem hæc imago illorum hominum, qui opinionis errore flagitia sua occulta esse putant, Deique justam animadversionem se effugere posse impie arbitrantur. Frustra. Nam, ut habet Græcum Epigramma lib. 1. ἀνθολ.

Ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας. *Improba facta homines possis clam forsan habere:*
οὐ λήσεις δὲ θεοὺς οὐδὲ λογιζόμενος. *Verum animi ipsa Deo singula sensa patent.*

Quo & Propertii illud pertinet:

*Ah miser, etsi quis primo perjuria celat,*
*Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Pulcherrime igitur Isocrates dixit ad Demon: μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν· καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λήσῃς, σαυτῷ γε συνειδήσεις: *Nunquam sperare debes, si quid turpe feceris, te latitaturũ. Quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi conscius eris.* Etsi autem de Providentia imprimis divina Sacri libri pleni, & exempla, quibus Deus sæpe mirabiliter scelestos è latebris suis ad supplicium & pœnam protraxit, ignota sunt nemini, nihil tamen in hoc genere luculentius, nihil ad hoc hieroglycum illustrandum accommodatius modo mihi succurrit, quam Psalmus Davidicus 139. quo lectorem uno verbo remitto.

## PECCATUM.

PEssima radix, non evulsa de terra, perpetuo germinat: & peccatum, cui indulges, novas vires quotidie acquirit, & maximus peccatorum cumulus efficitur.

## PERDUELLES.

ANguillas vel max. turbatis & limosis aquis capi, præter Aristotelem, Athenæus quoque & Clem. Alex. tradunt, & docet experientia. Basilius homil. 9. Hexaëm. τὰς δὲ ἐγχέλεις οὐδὲ ἄλλως ὁρῶμεν, ἢ ἐκ τῆς ἰλύος συνισταμένας. Ex quo loco & Athenæus indicatione recte David Hœschelius, doctissimus vir, Etymologum corrigit, apud quem ἐγχελὺς παρὰ τὸ ἔχεσθαι ἐν τῇ ὕλῃ, legitur, pro ἐν τῇ ἰλύι. Hieroglyphicon autem hoc vel ex Æsopi apologo, vel ex Aristophanis Equitibus rem in turbulentos cives, qui ex Reip. motu ditescere, & sæpe, ut Tacitus loquitur, privata vulnera Reipubl. malis operire statuunt, detorquentis, desumpsit Alciatus, cujus elegantiss. in divites publico malo Epigramma legitur Emblem. 88. ad illos pertinet Ciceronis Orat. in Catilin. 2. dictum: honores quos quieta Republica desperant, turbata consequi se posse arbitrantur. Nam, ut apud Plutarchum Callisthenes ait:

ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔλλαχε τιμῆς,
*In seditione honore afficitur etiam pessimus.*

Cui simile est & illud, quod à Suida, Diogeniano, & Plutarcho refertur:

ἐν δὲ διχοστασίῃ κ' Ἀνδροκλείδης πολεμαρχεῖ.
*Seditione orta dux est etiam Androclides.*

Et sunt similia proverbia alia, quæ itidem huc referri possunt: Sed imprimis illud, ἐγχέλεις θηρᾶσθαι, *Anguillas captare*, Sed illam quidem διχοστασίην Philippo Maced. Regi, magnitudinis & potentiæ occasionem & caussam extitisse, ajebat Callisthenes: Qui, ut Justinus inquit, veluti è specula quadam libertati omnium *(civitatem Græciæ puta)* insidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque subire regiam servitutem coegit:

*Turbato anguillæ capiuntur flumine, sic res*
*Turbare in patria seditiosus amat,*

PER-

## PERFECTIONIS *assequendæ ratio.*

A VIrgilius 6. Æneid. eleganter describit geminas columbas Æneam ad lucum & arborem, in qua aureus ramus positus erat, deducentes, quo μυθολογικῶς videtur Poetam voluisse designare illas duas alas, quas animo humano in Phædro longa oratione attribuit Plato. Ac erudite admodum hoc symbolum explicat vir doctiss. Joannes Anton. Viperanus in oratione 4. de perfecto hominis habitu, ubi ita scribit. Ad quam perfectionem (quando scilicet ad virtutum actiones exequendas quispiam bene affectus & rerum intelligentia perpolitus est) assequendam, quia non solum naturæ & doctrinæ adjumentis, sed etiam divini numinis afflatu opus est, egregie inquit Poeta:

*——Pauci quos æquus amavit*
*Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,*
*Diis geniti potuere.*

Id quod idem Poeta suis commentis sapientissimis commendavit. Nam Æneam inter densam atque asperam sylvam ramum aureum quærentem introducit, sine quo ad patrem aditu prohibitus fuisset,
B atque ad eum duas columbas à matre Venere immitti facit, quæ inter sylvestres sepes ad Junoni sacram arborem volatu suo viam monstrent,

*Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsæ*
*Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,*
*Discolor unde auri per ramos aura refulsit.*

Aurum propter eximium splendorem, sapientiam mihi designare videtur, qua nihil optabilius, nihil præstantius est. Sed tum inter falsas hominum opiniones & errores, tum inter acres aut honorum aut divitiarum curas, tum inter turbidos animi motus delitescit: tamen fas est nobis eam cum Deo comprehendere, actione & cognitione ducibus quas geminæ columbæ significant.

## PERFECTIONIS *studium.*

COrolla ex Lauro, Quercu, & Olea contexta, aræ cuidam imposita consecrataque, hieroglyphice nos monet, ut harum arborum naturam ac proprietatem imitemur, & secundum earum
C mysticum sensum vitam nostram universam integritati ac pietati consecremus. Per laurum enim, Apollini dicatam, studium prudentiæ & rerum causas investigandi intelligimus. Unde Dionysius μαντικὸν Φυτὸν, id est, arborem vaticinatricem vocat, in quem finem Lauro propter singularem doctrinam Poetæ coronabantur: nam à fulmine, id est, temeritate & ignorantia immunis esse putabatur. Quercus vero Jovi sacra fuit, tanquam prima arborum, ac propter incorruptam ipsius materiam, & diu durabilem, fortitudinem ac constantiam animi exprimit, quibus contra sensuum aberrationes ac illecebrarum fortuitarum insidias nos munire debemus. Oleam denique Palladi attributam, pacis esse ἱερογλυφικὸν non modo Græcorum μυθολογίαι & numi antiquorum plurimi testantur, sed etiam sacræ literæ passim indicant.

*E Lauro, Quercu, atque Olea, duce digna corona,*
*Prudentem, fortem, pacificumque decet.*

## PERFIDUS, VAFER.

D SCorpio hominem vafrum, cuique nulla sit habenda fides denotat, ut apud scriptores hieroglyphicorum legimus. Non igitur nisi resecta cauda, in qua illi aculei venenum stillantes, ab ejus ictu quis tutus sit. Similiter ne hosti quidem ulli, cui arma erepta aut excussa non sint, fidendum, multo minus ad colloquia cum eo veniendum est, aut ad fœdera, etiamsi per omnia sacra jurare paratus sit. Cujus rei significatio libri depicti imagine subjicitur. Rectissime igitur Q. Cicero, legatus Cæsaris, respondit Nerviis: Non esse consuetudinem Romani populi, ullam accipere ab hoste armato conditionem. Et memorabilis est ille apud Livium lib. 33. inter Philippum Macedon. & T. Quintium congressus, ex quo patet nullam fidem esse cum hoste ad colloquium congredi. Sic sane 2. Samuelis 20, Amasa sub pacis & amicitiæ prætextu à Joabo interimitur, non attendens cinctum eum gladio. Philippus quidem Cominæus sæpius monet, quantū sit periculi in congressibus magnorum Principum, & quam dubia ac periculosa sint inter ipsos plerumq; contracta fœdera. Et affert cum alia exempla,

tum

tum imprimis lib. 3. Ludovici Regis Galliæ, Peronæ in Caroli Burgundi potestate periclitantis: & A
lib. 6. de Joanne Burgundiæ Duce à rege Carolo in mutua salutatione interempto quæ sunt illustria,
Recte igitur Demosthenes in Philippicis dicit, urbibus ad custodiam multa quidem inventa esse, val-
la, mœnia, fossas, &c. quæ tamen omnia manibus conficiantur, & sumptus postulent ingentes. Verum
unum commune munimentem â natura ineſſe animis hominum εὐφρονέστατον, idque cum ceteris
salutare esse, tum maxime plebi contra tyrannos: Ἀπιστίαν, nempe. Et sane in celebrem illum de hac
Epicharmi versiculum integrum etiam scriptum Dio Prusaensis contexuit. Cuicumque igitur hosti
perfido, verbis ludenti, fidem observandam esse neganti, juranti, periuranti, sub honesto pallio sclo-
petum gestanti, occinat libertas publica,

*Non nisi defecta credam tibi, Scorpio, cauda;*
*Armaque ni ponas, fœdera nulla dabo.*

## PERICULA *nulla contemnenda.*

QUemadmodum Urtica ob subtiles adeo acutosque foliorum aculeos, si manibus leniter con-
trectetur, magnum post se pruritum & acrimoniam satis molestam relinquit: contra vero, si B
plena manu fortiter comprimatur, parum nocere potest: Ita pericula quandoque exigua, si negli-
gantur, nec illis in tempore præsenti animo obviam eatur, non contemnendas vires sumere, & ho-
minibus tandem plurimum exhibere negotii videmus. Unde etiam veteri proverbio admonemur
parvum hostem & exiguum vulnus non temere esse contemnendum, cum utrumque principio ne-
glectum levi aliqua occasione vires sumere, & nonnunquam plurimum damni inferre consueverit.
Quare, ut Poeta monet:

*Principiis obsta: sero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*

De hoc symbolo quidam eruditum hoc carmen composuit:

*Molliter urticam si quis tractaverit, uret.*
*Et timidas lædit tacta borago manus.*
*His tamen intrepido franguntur spicula pressu,*
*Hacque omnis subito pellitur arte dolor,* C
*Res age, non magnis nec neglige viribus hostem,*
*Sed leve, quo poteris robore, tolle malum.*

Hieroglyphica porro hæc tabella districho sequenti delinentur;

*Lædítur is merito parvum qui negligit hostem,*
*Fortiter urticas qui premit, ille sapit.*

## PERICULA *undique imminentia.*

INter pisces marinos volantes etiam recensentur hirundines, qui Aristotele, Oppiano, aliisque re-
ferentibus, sublimes extra aquam evolant, cumque pinnas suas explicant, nostris hirundinibus
non sunt absimiles, uti Plinius innuit: & vivos se eos vidisse attestatur J. Cæs Scaliger. Evolant autem
more avium gregatim, ut effugiant instantes sibi in mari hostes, quemadmodum Oppianus & Ælia-
nus scribunt: & oculatus testis est Ant. Pigafetta Vincentin. in descriptione suæ navigationis circa
universum orbem, ubi narrat se sæpius hoc observasse non procul à freto Magellanico. Verum non
in aquis tantũ hæc illis parata pernicies, sed in aere etiam fugitivos excipiunt rapaces volucres, quæ D
misere captos enecant ac devorant. Et avium quidem istiusmodi marinarum, quæ è mari prædem
pro victu habent, in Brasilia maximam esse copiam Lerius observavit. Alciatus simile commentatus
est hieroglyphicon de Sardis piscículis, quos simul in mari hinc Aurata, hinc mergi fulicesque perse-
quuntur, quod Claud. Minos in litigatores, qui frustra ab uno judice ad alium usque provocant, nec
ad exitum litis pervenire unquam possunt, accommodat. Congruit autem hoc nostrum generaliter
in omnes, qui evitata, quod dicitur, Carybdi in Scillam incidunt. Quo pertinet Amos Prophetæ illud:
*Quomodo cum fugiat homo è conspectu leonis, & obviam ei fiat ursus & insiliat in domum suam, & innixa-*
*tur manu ad parietem, & mordeat eum serpens?* Referendum etiam huc est adagium: *Fumum fugiens in*
*ignem*

A *ignem incidi.* Item aliud: *De fumo ad flammam:* cum similibus. Quosdam adeo affligit fatum, ut illis non parcat quamvis mortuis. Quod eleganter expressit Augusti libertus Phædrus fabella LIX. Ejusmodi homines dicere possunt:

*In nos nempe omnis cœli pelagique rapina est:*
*Et fatale rapit, quem manet, exitium.*

PERSEVERANTIA *efficit, non deficit.*

COlumella lib. 8. rerum rusticarum de pullo anserino tractans, cavendum est, inquit, ne aut aculeis urticæ compungantur, aut esuriens mittatur in pascuum. Nam si adhuc parum firmus & indigens ciborum pervenit in pascuum, fruticibus aut solidioribus herbis obluctatur ita pertinaciter ut collum abrumpat. Paulo aliter Varro, & Plinius, è quibus posterior lib. 10. cap. 59. ita scribit: Pullis anserum urtica contacta mortifera. Nec minus aviditas, nunc sacietate nimia, nunc suamet vi, quando apprehensa radice, morsu sæpe conantes avellere, ante colla sua abrumpunt. Sic unusquisq; magna constantia in rebus laudabilibus ac honestis perseverare posthabitis omnibus difficultati-
B bus debet. Dicit autem Cicero 2. de Invent. perseverantiam esse in re bene considerata stabilem ac perpetuam permansionem, sicuti ibidem patientiam ait honestatis ac virtutis caussa esse arduarum rerum ac difficilium voluntariam ac diuturnam perpessionem, ac constituit utramque virtutem partes fortitudinis. Plutarchus in Laconicis institutis quandam Lacænam filio scutum tradentem, refert dixisse. τέκνον, ἢ τάν ἢ ἐπὶ τάς. *Fili, aut hanc aut super hac,* nimirum aspide. Unde Sybarita quidam, ut est apud Stobæum, cum peregrinatus Lacedæmonem venisset, moribus civium perspectis, & imprimis considerata patientia, ad quam statim à pueris sese assuefacere coguntur, Cicero etiam teste in Tusculanis Quæstionibus, nihil illos mirum præstare dixit, quod ita facile mortem in bello obeant, veriti scilicet ne ita duriter vivere cogantur. Sic legimus apud Xenophontem de Cyri institutione lib. 1. Non ita victum illum refugisse, ut nollet in eo ipso quo inferior fuisset, amplius occupari, sed versatum esse in experiundo idem iterum facere rectius.

*Consiliis suffulta bonis constantia, multum*
*Rebus in inceptis utilitatis habet.*

C PERSPICAX.

PLinius scribit Lynces reperiri in Æthiopia, lupos autem Cervarios in locis Septentrionalibus. Nonnullis sunt animalia congenera: ut utrique tribuunt scriptores visum acerrimum pellisque varietatem. Plutarchus lib. contra Stoicos scribit creditum fuisse de Lynceo quodam, quod saxa quoque & arbores oculorum acie penetraret, κείνου γὰρ ἐπιχθονίων πάντων γένετ' ὀξύτατον ὄμμα, ut ait Pindarus Hymn. 10. Nem. & Horatius 1. Epist. ad Mecœnatem,

*Non possis oculo quantum contendere Lynceus.*

Hæc nonnulli ad hanc feram transtulerunt, quod tamen fabulosum pluribus & nimis hyperbolicum esse videtur. Nihil ominus eleganter accommodari ad aciem mentis singularem, atque ingenii acumen & perspicacitatem poterit, quæ Græcis est ἀγχίνοια, eximia admodum & utilis, si ad res laudabiles adhibeatur: contra vero plurimum nocens ac perniciosa, si tam egregio dono homines ad futilia perperam abutuntur. Tribuit hanc laudem Cyro suo Xenophon lib. 1. quod ad aliorum quæsita, propter ingenii celeritatem & perspicaciam prompte responderit.

D *Et muros penetrant fulgentia lumina Lyncis:*
*Et secreta acies perspicit ingenii.*

PERSUASIO *stolida.*

SUnt quædam animalia, potiss. ex avibus, quæ capite tantum quocunque modo occultato, se universo etiam corpore reliquo similiter latitare opinantur, qua stulta persuasione decepti sæpe capiuntur. Quod Struthiocamelus quoque, referente Plinio lib. 9. ab initio, & perdix, secundum Olaum Magnum, atque Phasianus in nive factitare dicitur. Idem de Sciæna pisce Oppianus 4. halicut tradit. Nos hic Phasianum proponimus, qui à phasi vel phaside fluvio apud Colchos, ubi id genus avium copiose reperitur, nomen accepit, unde in alias regiones fuit exportatum, ut Martialis habet,

*Argiva primum fum transportata carina,*
*Ante mihi notum nil nisi phasis erat.* A

Proponitur hic nobis stolidæ persuasionis luculenta imago, cum videamus multos, qui vano opinionis errore seducti ac excœcati sua enormia flagitia apud DEUM & homines se posse tegere existimant, instar infantum, qui male sibi conscii apposita manu faciem velant, vel oculos claudunt, & sic se putant à nemine conspici. Hoc vitium juventibus nimis usitatum ita Menander describit,

ἐγὼ γὰρ, ὦ ἄνδρες, ἡνίκ' ὢν νεώτερος, *Ego enim, ô viri, cum junior essem,* (mihi
ἐδόκουν μὲν, ἐφρόνουν δ' οὐδέν. ἀλλὰ πάντα μοι *Opinabar quidem, sed nihil sapiebam, Verum omnia*
ἐν χερσὶν ἦν τὰ πράγματ' ἐνθυμημένῳ, *In manu erant negotia, quæ cogitabam,*
νυνὶ δ' ἄφνω μοι τὸ γῆρας ἐπέθηκε νοῦν, i.e. *Nunc demum mihi mentem senectus inserit.*

Demosthenes quoque alibi dicit, ῥᾴστον ἁπάντων εἶναι, αὐτὸν ἐξαπατᾶν, id est, omnium facillimum esse, seipsum decipere. Et vetere proverbio effertur, Sabini quod volunt, somniant.

*Ah miser, & si quis caute sua crimina celat,*
*Hæc tamen æterno sunt manifesta Deo.* B

## PETULANS *ad modestiam reductus,*

PLutarchus in Symposiacis lib. 6. cap. 10. de Tauro ad ficum mansuefacto scribit, Spiritum validum & vehementem in ficu exhalare, cum visus plane testatur, tum id quod de tauris fertur, scilicet ficui allegatum taurum etiam ferocissimum quiescere, tactumque admittere, & omnino ferociam quasi languescentem deponere. In acrimoniam tamen arboris major pars caussæ collata est. Plinius vero lib. 23. cap. 7. secuti Horapollo quoque in hieroglyphicis hoc potius Caprifico adscribit: & quidem collo eorum hanc circumdatam mirabili natura compescere tauros ait, ut immobiles præstet. Cujus proprietatis caussam Clius Calcagnimus lib. 2. investigare conatur. Sic frenum petulantiæ est sæpe adversa fortuna hominibus, rebus secundis nimis sese efferentibus, vel aliis vitiis impune indulgentibus, & idem quoque præstat doctrinæ sanioris institutio, nec non ad virtutem atque honestatem assuetactio, quibus effrenes hominum animi ad modestiam & mansuetudinem reducuntur, quod præclare Horatius expressit lib. 1. epist. 1.

*Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,* C
*Si modo culturæ patientem commodet aurem.*

Qui similiter lib. 2. serm. 4. satyra, inducit Polemonem Athenienscm, perditæ luxuriæ adolescentem, qui ebrius & coronatus, forte ingressus scholam Xenocratis, cum philosophus hic acriter de industria esset in luxuriam invectus, coegit pœnitentia ductum oratione sua Polemonem, ut depositâ priore mala vita philosophiæ serio operam daret, qui etiam eidem Xenocrati postea successor datus est, de quo idem Horatius,

*——potus ut ille*
*Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,*
*Postquam est impransi correptus voce magistri.*

## PIETATIS *amor, aliis dulcis, aliis amarus:*

STurnus, ψὰρ, sive ψάρος, catervatim, secundum Plinium, volat, & quodam pilæ ordine circumagitur, omnibus in medium agmen tendentibus, & est quoque hæc avis sermonis humani æmula. Ajunt autem cicutam illi esse alimentum conveniens, sicuti helleborus coturnici, utrumque quidem D homini venenum, ut Galenus lib. 3. de Alimentis & alibi tradit. Allii vero semen Sturnum interimere Ælianus docet lib. 6. de Animal. cap. 46. Deque hac ἰδιοσυγκρασίᾳ extant elegantes versus Lucretii lib. 4.

*Tantaq; in his rebus distantia differitasq; est,* *Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.*
*Ut quod aliis cibus est, aliis sit acre venenum,* *Præterea nobis ventrum est acre venenum,*
*Estq; utique ut serpens, hominis quæ tacta salivis* *At capreis adipes & coturnicibus auget.*

Galenus vero lib. 3. de simpl. Medicam, facultatibus, rationem hujus proprietatis in Sturno reddere conatus est his verbis. Sic hominem quidem cicuta necat, tum ob meatuum amplitudinem, calorisq; multitu-

A multitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum etiamnum ad cor pertingens. Sturnos vero ob causas contrarias non enecat, quandoquidem retineatur ac cunctetur, & sese temporis tractu concoqui præparatique à corde tanquam à foco incalescens sinat, non secus ac lignum extrinsecus. Sicuti autem quidam vir nobilis ad honestos suos amores hoc hieroglyphicon accommodavit, eo innuens, omnia alia quæ cæteris amara & contraria in amore contingant, sibi esse accepta & grata: ita multo rectius usurpari poterit ab iis, qui amore virtutis & pietatis cuncta alia quantumvis laboriosa & injucunda sibi reputent pro condimento suavissimo & admodum salutari.

*Est uni jucundus amor, nocet alteri amasse:*
*Quodq; uni prodest, alteri obesse potest.*

## PIGER.

Multis hieroglyphicis Salomon ignaviam traducit Proverbiorum & Ecclesiastis libro, quæ ex contextu descripsimus.

B 1. *Proverb.* 6. v. 9. 10. 11, Usquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum complicabis manus tuas ut dormias: & veniet tibi quasi viator egestas & pauperies quasi vir armatus. *Eccles.* 4. v. 5. Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas. Qui otio indulget plerumque manus decussatim collocat, & in gremium deponit, ut sibi ipsi somnum facilius conciliet. Apud Livium, *Decad. 1. lib. 7.* Sex. Tullius exercitus Romani nomine C. Sulpitium dictatorem his verbis alloquitur: de nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium ducem judicares esse. Quid enim aliud esse causæ credamus, cur veteranus dux fortissimus bello, compressis (quod ajunt) manibus sedeas? Et apud Lucanum lib. 2. *Compressas tenuisse manus.* Theocritus Idyll. 16. ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχειν, quod sectio sequens exponit.

2. *Proverb.*, 19. 24. Abscondit piger manum suam sub axilla, nec ad os suum applicat eam *Cap. 26. vers. 15.* idem proponit hieroglyphicon, & addit, Piger laborat, si ad os suum manus converterit. Alii legunt, Piger manum suam abditam habet in sua manica, etiam ad os non reducit eam, id est, ne tum quidem, quum maxime opus est, manum extra os manicæ suæ exerit, quam operi admoveat; sed il-
C lam adeo studiose in ea continet, ut etiam cibum in os suum inseri patienter ferat. Magni viri quidam, cognatione literarum decepti, legerunt *tsalahath* pro *tsallakath*: ideoque axillam vel sinum reddiderunt: cum dictio Hebræa proprie significet sartaginem, in qua carnes friguntur; interdum etiam, ut 2. Reg. 21. 13. scutellam sive patinam, qua cibus mensis infertur. Sed idem est sensus. Depingitur enim gestus hominis plane ignavi & somniculosi tanto stupore correpti, ut manu saltem exerta epulas appositas tangere, orique admovere nolit, sed tamdiu expectet, donec aliquis eas jam mansas ab propemodum liquefactas ipsi in os inserat, quemadmodum nutrices infantibus solent; aut ipsi etiam cibi sua sponte sese palato ingerant,

| | |
|---|---|
| Ὀπταί τε κίχλαι ἀναβρασ' ἠρτυμέναι, | *Assiq; turdi bene conditi & fervidi,* |
| Περὶ τὸ στόμα πέτοντ' ἀντιβολοῦσαι καταπιεῖν. | *In os volantes, se vorari supplicent.* |

Hæc Athenæus ex Pherecrate, lib. 6. dipnosophist. cap. 14. pingens Utepicam felicitatem, qua si quis delectatur amplius addat Comici Cratetis eodem capite citata carmina, quæ Dalecampius ex Græcis Latina fecit hoc modo:

D *Vasorum unumquodque cum vocabitis* — *Utinam calix est? teipsum diligenter lava.*
*Accedet, apponetque seipsum.* — *Ascende, maxa. Ex olla teipsam, beta, oportet exerere.*
*Heus, mensa, instrue teipsam:* — *Huc ades, piscis. ad assus nondum sum parte altera.*
*Mortariolum, mazam pinse: cyathe, vinũ affunde. Itaque te convertito, & olivo te inungito.*

Ignavorum in Moronia insula somniantium tabella.

3. Aliam ex Salomone, *Proverb.* 20. *cap.* 4. v. subjiciamus. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Rustici sive ad autumnalem, sive ad trimestrem sationem agros præparent, semper inter arandum auram gelidiorem experiuntur. Nam sub autumnum, præsertim horis matutinis, jam tenue quoddam sentitur frigus, quod paulatim fit asperius. Martio mense, cum jam dies apricos speramus, novi veris initia plerumque comitatur quædam hyemis rumina-

tio. Sic enim ejus mitescentis, quamque omnino abiisse putes, exasperationem & rigorem postlimi- A
nio reductum, Plinius lib.17. cap. 22. appellat. Quapropter ignavi hoc tempore domi ad focum desi-
dere, quam sub dio arare, & frigoris injuriam perferre malunt. Verumtamen æstate jam ingruente,
nemo est qui frugibus inde enatis non apprime gaudeat, & aliquam messis partem ad se quoque re-
dire cupiat. Eodem modo plerique sapientiam, eruditionem, opes, honores, similiaque commoda
vehementer appetimus: sed horum acquirendorum medium, videlicet labores & molestias in ju-
ventute devorandas refugimus: ut non immerito torqueri possit in nos proverbialis versus Athe-
næi lib. 3. c. 4.

Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι.
*Gaudet avis sicu, sed eam plantare recusat.*

4. Cum priori hieroglyphico convenit & illud Proverb. 10. 5. Qui congregat in messe, filius sapiens
est: qui autem stertit æstate, filius confusionis. Æstas sive messis, occasionem rerum bene gerenda-
rum significat. Collectio frugum, diligentiam debitam in vocatione: somnus ignaviam denotat, quæ
tempus frustra elabi patitur. Filius Sapiens Hebræorum idiotismo dicitur homo circumspectus & B
providus, qui sibi non tantum in præsens consulit, sed etiam de futura necessitate solicitus est. Nam
etiam, ut sapienter quidam dixit,

*Illuc est sapere, non quod ante pedes modo est*
*Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,*
*Prospicere.*

Quam ob causam formicæ prudentissimis animalibus annumerantur, Proverb. 30. 25. quod hyemis
venturæ memores, cibum æstate colligant, & in cellulas recondant: sicuti etiam c. 6. v. 6. &c. piger
ad formicam mittitur à Salomone, ut insecti tantuli vias consideret, & discat ejus sapientiam. Formi-
ca enim quamvis non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, &
congregat in messe quod comedat Confusionis filius dicitur piger, quod tandem redigatur ad ino-
piam ignaviæ filiam, quam plerunque cum laboris aversatione conjunctam cernimus. Nam qui oc-
casionem semel amissam stulte requirunt, non minus ridentur, quam si diebus hyemalibus ad fruges
demetendas expaciarentur per agros. Interdum etiam non sine confusione sarcasmos auribus exci- C
pere coguntur, quemadmodum Apologus de formicis innuit, quæ cicadis mendicantibus otium æ-
stivum exprobrarunt, salse invitantes ad saltandum, quandoquidem tota æstate cecinissent. In uno-
quoque negotio diligenter observetur temporis opportunitas, eaque sic utendum est, & inde præ-
sidium aliquod nobis comparemus, quo hyemis injurias, id est, inopiam & reliqua senectutis incom-
moda, absque alieni auxilii humani imploratione facilius propulsare possimus. In eum finem Hesio-
dus postea scribit, lib. 2.

Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.
*Æstas non semper durabit: condite nidos.*

Id omnibus, præsertim adolescentibus inculcandum est, quibus præceptores in quotidianis lectio-
nibus amplissimam studiorum segetem tam fideliter proponunt: ut occasionem illam, fronte tantum
capillatam, utraq; manu apprehendant, & florente adhuc ætate sibi eruditionem comparent. Eccles.
50. 33. Potest etiam ad pietatis negotium extendi, cum proximos adhortatos cupimus, ut in tam co-
piosa gratiæ Dei messe, Matth. 9. 39. pœnitentiam agant, seque sincero animi affectu præparent ad D
sponsum excipiendum, nisi olim in extremo die pudore suffundi, & cum fatuis virginibus ad merca-
tores remitti velint, ubi tamen nullus mercaturæ locus erit relictus. Matth. 25. 1. &c. Nam ut Dama-
scenus eleganter scribit, Serm. de defunctis, πανηγύρεως διαλυθείσης, οὐκ ἔστι πραγματείας ἐμπόρευ-
μα, id est, *Nundinis dissolutis nullum restat negotiationis commercium.*

5. Pigrum Sapiens apposite comparat homini dormienti, Proverb. 20. v. 13. Noli (inquit) diligere
somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & saturare panibus. Esto providus (inquit) evi-
gila, labora, ut pane satieris, ut vitæ necessaria tibi acquiras. Hieroglyphicon illud dormientis ad so-
mnum spiritualem ignorantiæ & peccati accommodari potest. Videndum enim ne somno simus de-
diti, socordes, & mundi veterno correpti: sed vigilemus, ne solido bono privemur.

Ut

*Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:*
*Ut teipsum serves non expergisceris? &c.*

Huc refer quæ de somno & vigilia spirituali frequenter dicta occurrunt in literis sacris:

6 Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari. Tota die concupiscit & desiderat. *Prov. 21. 25. 26.* Hoc hieroglyphico piger imprudenti viatori comparatur, qui in latronum manus & ficas incidit. Ignavum vanæ cogitationes pessundant: quales sunt, qui inter pocula, vel in lectulis stertentes sibi aureos montes pollicentur. Quotiescunq; vero leve nescio quod onus vel digito pertingunt, subinde has voces ingeminant, Utinam hoc labore jam essem defunctus ante labore sudore diffluentes hos irridet Euripidis Electra:

Οὐδεὶς γὰρ πένης, ἢν ἔχων ἀνὰ στόμα, *Nemo piger, quamvis Deos in ore habens,*
Βίον δύναται' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου Id est, *Victum potest citra laborem acquirere.*

Et Cato apud Salustium de Conjurat. Catilin. Non votis neque suppliciis mulieribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. Ubi socordiæ te atque
B ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores: irati infestiq; sunt. Hinc apud eosdem nata est fabula de Bubulco, qui plaustro in salebris hærente otiosus adstiterit, & numina cœlestia, cum primis autem Herculem Deorum fortissimum invocarit: sed ab eodem de rectiore eluctandi ratione fuerit admonitus versu proverbiali, teste Suida,

Τὴν χεῖρα προσφέροντα τοὺς θεοὺς καλεῖν.
*Deos precare, admota manu.*

Quod vulgus exprimit his verbis: Ora & labora.

7. Piger ut sibi molliores delicias faciat chimæras fingit & pericula, quæ novo hieroglyphico tabellam aptant, ex Salomone, *Prov. 22. 23*, dicit piger: Leo est foris, in medio platearum interficiar. *Et 26. 13.* Piger dicit: Leo est in via, & leæna in itineribus. Quam lepide sibi imponit impudens verbero! Leones & plurimum in montibus & sylvis degunt: ideoq; in mediis urbium plateis nunquam conspiciuntur nisi vinculis constricti, Ezech. 19. 3. aut mansuefacti, qui hinc inde circumducantur; vel singulari quadam divini numinis ira urbibus immissi, 2. Reg. 17. 25. Nihilominus ignavi Leonum
C (i. Chimerarum) metum desidiæ suæ prætexunt, ne in publicum progredi, aut nonnihil operis in Ecclesia, Republica, Oeconomia, vocatione privata peragere cogantur. Imo, quum mediis & instrumentis idoneis plerumque non careant, etiam in locis tutissimis constituti nescio quæ pericula sibi ipsis fingunt, & nunquam non aliquid impedimenti comminiscuntur, tantum ut laborem subterfugiunt. Eo pertinet Theocriti dictum,

Ἀεργοῖς αἰὲν ἐοῦσι. Id est,
*Semper sunt otia pigris.*

8. Elegans aliud hieroglyphicon nobis exhibet caput 26. *Proverbiorum*, vers. 14. his verbis Janua vertitur in gyrum super cardine suo, & ignavus super lectum suum. Salomon somniculosi hominis gestus graphice depingit. Quemadmodum enim janua impulsa seipsam quidem movet, atque huc & illuc vertitur, sed nihil promovet, neq; enim à cardinibus recedere potest: sic ignavus quamvis

*—— jam clarum mane fenestras*
*Intret, & angustas extendat limine rimas,*

D Satyrographo teste; nihilominus in lecto hinc inde volvitur, non secus, ac si funiculis vel cardinibus ei affixus esset. Quod si ipsum semel atque iterum excites, ille tamen

*—— tarda gravitate jacentes*
*Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens,*
*Summaque percutiens nutanti pectora mento.*

tamdiu moras nectit, donec ipsi somnus denuo obrepat, *Prov. 6. 10.* Si acrius instes, nunc præmaturum horæ sonitum, nunc frigoris externi injuriam, nunc indusium calefaciendum, vel alias ejusmodi nugas obtendit, ut vel tantillum temporis spacium lucretur. Denique nisi minarum & increpationum machinis admotis statione illa ignava non dejicitur.

9. In pigritiis humiliatur contignatio: & infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccles. 10. 18.*

Hieroglyphicon ignavi cunctatoris, qui malum aut damnum aliquod gliscens supina incuria negligit, utraq; manu captus, donec paulatim ex parvis initiis vires majores acquirat, & tandem reddatur immedicabile cum antea levissimo sumptu averti potuisset. Accommodatur ad luxuriosos potentes, qui indulgentes genio gubernationis publicæ habenas relinquunt, in utramvis aurem stertunt, donec tandem Reipublicæ corpus, instar ædificii vetustate exesi, funditus corruat. A

Sapientiam vero censuras in ignavos scriptis variis consignatas hic reponere non fert animus, nec institutæ hujus opellæ ratio patitur. Satis superque veternum istis excutere sumus conati. Coronidis loco Rabbi Simeonis celebre dictum addere libet. Dies brevis est, opus multum, operarii pigri sunt, merces est multa, & paterfamilias urget. Hæc si ignavia ipsa alta mente reponere velit, tandem sapiet.

Cordatis autem & studiosis adolescentibus repetimus libenter ex Vidi Fabri Phocylidæ Francogalli doctissimi tetrastichis,

*Usque ad sepulchrum quare semper discere,* *Nisi quid in illa comparaveris boni,*
*Illamque prorsus perditam ducas diem,* *Unde melior sis, doctior, prudentior.* B

PII *& Impii.*

MUltæ plantæ Physica quadam conspiratione cognatæ sunt. Sanctorum communio spirituali fœdere constat, licet alii aliis donis peculiaribus polleant. Et ut aliæ quædem plantæ nativo dissidio, propter qualitatum adversitatem disjunguntur: ita piis & impiis non potest convenire; nec jungi possunt. Quæ Physici tractant de sympathia & antipathia rerum ad illud hieroglyphicon commode referri possunt, & innumeras fere tabellas exhibent.

2. Sunt flores quidam, qui & coloris & fragrantiæ causa cemmendabiles gratique sunt, ut Rosæ, præsertim quæ carneo colore sunt, & violæ: & flores exstant non tam odore quam colore commendabiles. Ita etiam hominum alii in aliis rebus excellunt. Sunt flores qui fœtore tetroque colore improbos homines, quorum umbra bonis quoque obest, egregiè repræsentant.

3. Rosæ inter spinas efflorescunt: & florentissimi homines inter multos adversarios, Dei consilio & populo quandoque serviunt. Quæ spectatissime florent, cito marcescunt, ut rosa, lilium, violæ. Homines qui gloria & dignitate subito eminere cœperunt, plerumque brevem habent terrenæ felicitatem periodum. C

4. Gemmæ latent in terræ abditis: Uniones in mari nascuntur, attamen habent cum cœlo cognationem. Pii cum impiis ad tempus mixiti terrestria minime sapiunt, sed cœlestem habentes originem, cœlestia quærunt.

PIORUM *& Impiorum conditio.*

PAlma non facile crescit, nisi radiis solaribus foveatur, nec non humore aliquo convenienter irrigetur: ideo ad fluviorum ripas feliciter provenit. Huic ad aquas florescenti fructusque suos idoneo tempore producenti justus comparatur. Contra injustus fœno in tectis radice destituto, terra, & aqua carenti, quod paulo nimio solis ardore comburitur, ut neque hominibus quicquam prosit, nec benedictio Dei super eo expectetur, dicitur esse similis. Hieroglyphica ista Psal. 1. & 129. designantur. Jeremias Propheta c. 17. v. 68. homo, inquit, cujus cor recedit à Domino, erit instar myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate deserti, in terra salsuginis & inhabitata. Contra vir pius erit sicut arbor ad aquas plantata, radices suas ad rivum extendens, quæ venientem æstum non sentit, cujus folium viret, & in tempore siccitatis non erit solicita, nec à fructu ferendo cessabit. D

PIUS *& Impius.*

CErnis arborem loco irriguo sitam, foliis & fructibus illustrem? Hieroglyphicon esse vitæ pii hominis ne dubita: proinde ex primo Psalmo repete verba: Vir ille est tanquam arbor plantata secundum fluenta aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo: folium ejus non marcescit, & quicquid agit prosperum est.

Occurrit sterilis aut arida arbor? Cogita futurum, ut, nisi mature edas fructus resipiscentia dignos, excidaris, & in ignem æternum conjiciaris: iuxta dictum: Jam vero securis ad radicem arborum

rum posita est: Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum excinditur, & in ignem abjicitur. Matth. 3. 10.

## PIUS *vir.*

APes nullis nocent floribus, cum ad omnes advolent: & pius vir, licet incidat in multum dissimiles homines, nemini tamen nocet; hoc enim spectat semper, ut prosit (pro virili sua parte) omnibus, obsit nemini.

## PHILOSOPHIÆ *studium.*

NOta est fabula de Hesperidum hortis, quorum custos fuerit draco pervigil, aurea mala vigilantissime asservans, quem interfecerit Hercules. Unde hodieque Romæ in Capitolio Herculis pulcherrima ex ære statua, clava insignis, lævaque tria mala ostentans visitur: quam rem mythologice Pierius explicat lib. 54. Mala quidem illa Agrætas in rebus Lybicis, eumque secutus Varro, ove fuisse tradit, quæ aureæ cognominarentur, quas Hercules ex Africa in Græciam asportaverit. Quidam rerum Astronomicarum peritiam ab Hercule in Græciam relatam: nonnulli etiam venas auro copiosas ex Atlante monte fluentes, quas Hercules occupaverit, per mala illa significatas fuisse volunt. Draco sane ab antiquis etiam thesaurorum custodiis præficitur, ut ex Festo liquet, & Artemidoro, 1. Onirocr. 13. Et Prov. vice est apud Ciceronem 13. Phil. *Quasi thesaurum Draco.* Fulgentius singula mala, quorum fuere quatuor, mythologice pro studio, intellectu, memoria & facundia accipit. Natalis Comes in avaros pecuniis fere immorientes detorquet. Quo referenda est elegantissima Phædri Augusti liberti fabula de Vulpe & Dracone lib. 5. & Horatii increpatio lib. 1. Sat. 1. Nos per Draconem, perspicacissimum animal, vim animi indagatricem & θεωρητικὸν, per arborem malis aureis fulgentem philosophiam, & illum scientiarum orbem, quovis auro pulchriorem & pretiosiorem intelligimus: quem mens sapientiæ cupida, perpetua vigilantia & studio indefesso sectatur, tuetur ac custodit. Nam ut præclare Cassius Parmensis in Orpheo,

*Non lævis ascensus, si quis petit ardua, sudor*
*Plurimus hunc tollit, nocturno exsomnis olivo*
*Immoritur, jactat, quod mox laudavemt in se,*
*Qui cupit æternæ donari frondis honore.*

Accommodari ista sic quoque possunt, ut significent diligentissime custodienda esse, quæ nobis elargitus est Deus, dona, ne ob ignaviam nostram ea nobis rursum auferat.

## POETÆ *Mecœnatem desiderant.*

PHilostratus lib. 1. Iconum de Phaëtone (quod etiam Ælianus lib. 1. de Animal. notavit) de Cygnis ait, leni atque in itinere congruo ad cantum utuntur Favonio. Et D. Nazianzenus in eleganti illa Epistola ad Celeusium præsidem, improbans loquacitatem, & contra commendans taciturnitatem, hæc habet: Sed nos quorum gratia quispiam vel in solitudinem concesserit, ut musicam audiat, si quando Zephyro spiranti alas nostras permiserimus, jucundum quid & concinnum modulamur. Præfert autem eo in loco Cygnorum suavem quamvis rarum cantum hirundinū intempestivæ garrulitati, ac introducit Cygnos eo, ut diximus, modo hirundinibus respondentes. Sunt qui velint ventis istis Favoniis spirantibus Cygnos etiam facilius concipere, quod in medio relinquimus. Est autem hæc similitudo admodum conveniens viris doctis & litteratis, atque imprimis Poetis, quibus ad sua studia prosequenda & excolenda, & doctrinæ præclara monumenta elaboranda, opus est Mecœnatum favore & auxilio, quibus ad omnia reddantur alacriores, secundum versum Martialis,

*Sint Mecœnates, non deerunt, Flace, Marones.*

Ac Seneca in Hyppolito,

*Ingenia melius recta se in laudes ferunt,*
*Si nobilem animum vegeta libertas alit.*

Extat quoque hujus argumenti Petri Costalii Galli haud indoctum carmen,

*Non canit assueta Cygnus vocalis in unda,*
*Ni Zephyri spiret mollior aura sibi.*

Quare

Quare alibi additur: ZEPHYRIS ASPIRANTIBUS. Quidam à contrario ſenſu aſcribunt, A a. A
EST CUR AURA PARATIS? quibus ſcilicet ad ſtudia omnia ſubſidia ſunt denegata.

*Dulciſonum mollis Zephyrus demulcet olorem:*
*Et vatum exſtimulat pectora dulcis honos.*

## POTENTIA *victorioſa.*

COrnu ad homines figurate translatum hieroglyphica nota eſt potentiæ; exaltatum autem præſtantiam & victoriam indicat Hebræis. Inde hæc dicta, exaltatum eſt cornu meum, 1. Sam. 2. 1. ut exaltaret cornu, 1. Chron. 25. 5. exaltabuntur cornua juſti, Pſal. 75. 11. exaltabitur cornu noſtrum Pſal. 89 18. Cornu ejus exaltabitur in gloria, Pſal. 112. 9. exaltavit cornu populi ſui, Pſal. 148. 13. Exaltavit cornu hoſtium, Thren. 2 17. Chriſti autem potentia & victoria eodem hieroglyphico pingitur: Sublevabit Deus cornu Chriſti ſui, 1. Sam. 2. 10. Erexit nobis cornu Salutis in domo David. Luc. 1. 69. & David appellat Deum cornu ſalutis ſuorum, Pſal. 18. 3.

## PRÆJUDICIA *fugienda.*

ABſynthium de præjudiciis fugiendis hieroglyphice nos commonefacit, juxta Prophetæ dictum: Judicium in abſynthium convertunt. Amos 5. 7. Item, Convertiſtis fructum juſtitiæ in abſynthium, cap. 6. 12. B

## PRÆSTANTIA.

ACcipiter præſtantiæ hieroglyphicum eſt Ægyptiis, inquit Horapollo lib. 1. cap. 6. quod cæteris avibus præſtare videatur.

## PRINCEPS *Clemens.*

VUlgaris quidem notitiæ, ſed multæ utilitatis herbam Betonicam Antonius Muſa Auguſti Imperatoris Medicus celeberrimus peculiari ſcripto celebrare non dubitavit. Radix tamen terræ abſcondita, ſi copioſior ſumatur, vomitum concitat, & aliquid veneni in ſe continere exiſtimatur. Sic & Reges ac Principes clementiam ac benignitatem ſuam omnibus notam ac teſtatam reddere, ſeveritatem autem occultare debent. Quod verboſius explicat Seneca in principio lib. 1. de Clementia. Et Poeta ingenioſus ait, C

*Eſt piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,*
*Cuique dolet quoties cogitur eſſe ferox.*

Quamvis interdum etiam, teſte Cicer. epiſt. ad Brutum lib. 11. ſalutaris ſeveritas vincat inanem ſpeciem clementiæ.

## PRINCEPS *Munificus.*

DE Capreolo Moſchum proferente varie diſſerunt recentiores. Scaliger exercitatione 211. contra Cardanum ferам illam vult eſſe Gazelam Arabum, quam ἐκ τῆς διοψίας deſcribit. Circa umbilicum ſolet tempore Novilunii huic Capræ Indicæ abſceſſus quidam protuberare, qui maturus vel ſponte rumpitur, vel ob quemdam pruritum terræ aut ſaxo affricatus humorem ſanioſum emittit (hinc à nonnullis pus aromaticum vocatur) evacuataq; hac vomica rurſum ſanguinem quaſi menſtruum colligit, quem & iterum emittit ſuo tempore. Maximus vero Moſchi proventus eſt in Sinarum regno. Exiſtimant autem peritiores hunc tam pretioſum ſuccum producere, & tanquam D uberiore liberalitate compenſare, quod accepit propter odoratiſſima paſcua herbarum, quæ in ſanguine convertantur, & hunc odorem illi feræ concilient. Alii hoc potius ad quandam ἰδιοσυγκρασίαν referre malunt. Hieroglyphica nota eſt Principis, qui ſubditorum ſuorum opibus & ſumptibus ſuſtentatur, atque ideo majori illis, vice verſa, quantum fieri poteſt, reddere cupit, ut ſcilicet ejus opera contra aliorum injurias ſemper vitam tranquillam & felicem agere queant. De quibus accurate diſſerunt Plato lib. 1. de Republ. & Xenophon in Cyripedia lib. 1. & 8. ſuntque noti Claudiani verſus ad Honorium,

*Tu civem patremque geras, tu conſule cunctis,*
*Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.*

PRIN-

PRINCEPS *Illustrissimus.*

A NOn sibi vivit, sed subditis: & pie canit poeta,

*Rex bonus est pastor populi, tutorque, paterque;*
*Nec sua, sed populi commoda sola cupit.*

In Scythiæ latissimis campis animal quoddam reperitur, Suhak ab incolis dictum, sylvestri Capræ simile, quotannis ad fines usq; Podoliæ adventare solitum, miræ pernicitatis, nec minoris ferocitatis, cornibus striatis, albicantibus, pellucidis, acutis & validis præditum. Hoc animal se quasi ductorem præbet Capreolorum gregibus, ipsisq; præire solet, acerrimo visu simul & auditu præditum; quare longe lateq; circumspiciens, & omnia observans, facile hominum persequentium insidias è longinquo deprehendit, & comitibus sibilo acuto dat signum fugæ, ut in loca tutiora se recipiant. Qui typus profecto est pulcherrimus, & hieroglyphicon elegantissimum solertis ac solicitи principis, rectorisq; vigilantis, quem Homerus ideo ποιμένα λαῶν, id est, pastorem populorum vocat. Et Chrysanthas apud Xenophontem lib. 8. institutionis Cyri, nullum discrimen inter bonum principem & bo-
B num patrem constituit: ἀρχων ἀγαθὸς, inquit, οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ. Hadrianus Imperator in frequenti Senatu, teste Dione dixit, ita Imperium administrabo, ut sciam non mearum rerum, sed subditorum cura mei affici debere. Sic legum vera clausula hæc est, salus populi, suprema lex esto.

PRINCEPS *Optimus.*

GAllinarum amorem in pullos, & defensionem illarum acerrimam Plutarchus in commentario περὶ Φιλοστοργίας, describit his verbis: Gallinas autē quotidie ante oculos habemus, ac cernimꝰ, quomodo pullos suos foveant, alios sub alas recipientes, aliis tergum conscendendum & undiquaque aditum præbentes, simulq; blandam & gaudii indicem vocem edentes, eædem canes & angues fugiunt, cum sibi metuunt, cum vero pullis timent, defendunt, & ultra quam vires patiantur iis propulsandis certant. Hæc ille. Imprimis vero sese opponunt milvis & accipitribus rubetariis, qui pullis insidiantur, quod certamen pulcherrime describit Oppianus lib. 3. Cynegeticorum. Ac scimus ipsum Salvatorem nostrum charitatem & solicitudinem pro genere humano ostendentem hac simi-
C litudine usum, Matth. c. 23. & Luc. 13. Sanctus vates etiam Ps. 57. hac quoq; metaphora utitur: In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Sic recte ad alios fideles principes, & magistratus solicitos transferri potest. Quare hoc elegans symbolum ascribitur in Genealogia Austriaca Alberto Comiti Habspurgensi 18. principi optimo ac fortiss. patri Rudolphi I. Imperatoris Rom. qui contra infideles gentes egregiam navavit operam, ut testantur plures de illo historiæ. Ut autem dulce & decorum est pro patria mori, idem dicendum de principe optimo, qui pro fidis subditis quævis pericula subit, ut in pace habitent.

*Gallina ut timidos defendit provida pullos,*
*Sic populum auxilio Rex tegit ipse suo.*

PRINCEPS *placidus.*

ARistoteles lib. 9. hist. Animal. placidissimum & mitissimum omnium ferarum dicit Elephantem. Ajunt vero tantam esse illius mansuetudinem erga debiliora animalia, ut gregatim occurren-
D tia pecora proboscide paulatim removeat atque segreget, ne forsitan imprudens illa conculcet atq; proterat. Addunt præterea Physiologi illum nisi lacessitum non facile irasci vel sævire. Strabo lib. 15. de Indicis Elephantis agens, hoc illis tribuit encomium, quod sint natura mites, atque ad animal ratione præditum propius accedant. Cicero de Officiis lib. 1. Nihil laudabilius, inquit, nihil magno ac præclaro viro dignius placabilitate ac clementia. Addit tamen hoc quoque non minus prudenter; Et tamen ita est probanda mansuetudo, ut adhibeatur Reipub. causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Et Homerus eamdem virtutem commendans ait:

—— αἰσταὶ γὰρ φρένες ἐσθλῶν, *Placabiles sunt animi bonorum.*

Ac noti sunt versus Ovidiani:

*Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,*
*Et faciles motus mens generosa capit.*

Elephas igitur cum ovibus ambulans, est placidi principis hieroglyphicum, atque de eo dicamus, A

*Præterit, haud elephas animalia parvula lædit.*
*Nempe quod hic clemens Rex imitetur habet.*

Discat sapiens & clemens magistratus,

*Parcere subjectis & debellare superbos.*

Mansuetis certe grandia cedunt; & mites terram possidebunt, atque in tuto versabuntur.

## PRINCEPS *Sapiens.*

CEte quædam, & quas vulgo balænas vocant, tantæ esse magnitudinis in comperto est, ut naves etiam quamvis prægnantes, evertere ac pessundare valeant, & Oppianus in ἁλιευτ. idem affirmat. Tradunt autem quasdam ex istis, cum naves recens picatæ sunt, sentire illum odorem, eoq; attractas affricare se navibus, atq; ita, ni præcaveatur periculum, illas evertere. Nautæ igitur picata dolia illis objiciunt, cum quibus dum ludunt, illi effugiunt. Ferunt hoc symbolo usum fuisse maximum heroem, Mauricium Saxoniæ ducem, cujus excelsus animus & imprimis illustres virtutes bellicæ ad omnem posteritatem erunt celebres. Fieri autem potest, ut prudentissimus princeps innuere B voluerit, non temere occurrendum, sed obludendum esse potentioribus, si illorum vim & insultus aliter vitare & frangere nequeas. Nam profecto, secundum Pacuvii illud,

*Cum contendi nequitium est, clam tendenda est plaga.*

Neque etiam illud Spartani Regis apud Plutarchum apophthegma, de leoninæ & vulpinæ pellis usu ignotum est. Referri denique huc possunt egregia illa belli furta & stratagemata, ab omni prorsus reprehensione, secundum Val. Max. remota, per quæ, ut Thucydides loquitur, τὸν πολέμιον μάλιστ' ἂν τις ἀπατήσας, τὰς φίλας μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν; hostes max. decipiuntur, & amici plurimum juvantur. Verissimum igitur est Polybianum illud apud Suidam: μία ψυχὴ τῆς ἀπόρου πολυχειρίας ἐνίοις καιροῖς ἀνυσικωτέρα: *Unius mentis solertia aliquando efficacior, quam mille manus.* Docere etiam potest hoc hieroglyphicon, imminente gravi aliquo periculo omnem honestam esse rationem expediendæ salutis, & vitæ servandæ causa insuper habendas omnes divitias. Vere namque Alcestis apud Eurip. ait: ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἔστι τιμιώτερον; C

*Nam nihil est vita pretiosius,*

Ad posteriorem hanc significationem pertinet sequens Distichon,

*Ut teipsum, & navim serves, comitesque periclis,*
*In pontum cunctas abjice divitias.*

## PRINCEPS *vigilans.*

IMmanes illos Oceani alumnos, quales sunt cete, orcæ, physeteres, pristes & alii,) de quibus post Plinium, aliosque veteres, ampliss. ex recentioribus. Gu. Rondeletius, Gesnerus, & Olaus Magnus scripserunt) cum ob vastitatem corporum in vadis periclitantium, oculorumque caliginem, tum etiam ob bella inter ipsosmet, & fraudes insidiantium, duce uti exiguo piscículo, quem ἡγεμόνα & ἡγητῆρα vocant, ejusque ope & vigilantia securitatem illis, sed capto eo exitium adferri, Oppianus, Ælianus, & Plutarchus scribunt, & elegantiss. versibus expressit Claudianus quoque 11. in Eutr. Quidam piscem illum Aristotelis μυσικητὸν, quem Gaza, Plinium secutus, musculum vertit, cujusque D etiam Phile meminit in Jambis, faciunt. Ad rem autem hunc typum ipse Oppianus pulcherrime sententia accommodat:

Ἀλκὴ δ' ἀνεμώλιος ἄφρων.
Καί τε μέγα βεβάοντα κατέσθεσιν, ἠὲ ἕσπων
Βαιὸς ἀνὴρ ἔυμηλις.
*Robur mentis expers, rei inanis est.*
*Et vel potentissimum viribus perdat servetve*
*Parvus vir, qui valet consilio.*

Nec incongrue huc referri possit Xenophontis illud in παιδ. τὸν ἄρχοντα χρὴ δι' ὧν ἄρχειν μέλλει φρονεῖν τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ τῷ φρονίμων καὶ φιλοπονεῖν: *Principem subditis antevire debere, non luxu & otio*

A etio, sed providentia & industria. Nam, ut Plutarchus inquit in vita Lycurgi: ἡ πειθαρχία μάθημα μέν ἐστιν ἀρχοντος· ἐμποιεῖ γὰρ ὁ καλῶς ἄγων, τὸ καλῶς ἕπεσθαι: *Ut populus sit dicto audiens, hoc discit à Principe. Nam qui bonum præbet ducem, is facit, ut alii bene sequantur.* Vigilantis Principis hieroglyphicon exhibet hic pisciculos plebem stertentem & stupidam ducens, & inter periculorum undas innumeras conservans,

*Hoc Balæna suo tuta est ductore per undas,*
*Principe & est fœlix plebs vigilante suo.*

## PRINCIPIS *gloria.*

SErpens Prudentiæ, gladius severitatis & animadversionis, corona gloriæ typus est. Gladius quidem magistratui vindex in iram ei, qui male operatur, 13. ad Rom. Unde hodieque magnis principibus in solemnitatibus prægestari solitus. Sed imprimis memorabile est, quod de Trajano Imper. ex Dione Xiphilinus & Aurelius Victor referunt, cum Licinio Suræ Præfecto Prætorio de more gladium
B accingere deberet, ei porrexisse nudum cum hoc dicto: Tibi istum ad munimentum mei committo, si recte agam; sin aliter in me magis. Etsi autem salutaris severitas vincit sæpe inanem speciem clementiæ, ut Cicero ait ep. 2. ad Brutum, maxime cum flagitia & facinora sine modo sunt, ut Tacitus loquitur: certe tamen ut Princeps recte utatur gladio magna cautione opus est. Non enim diuturna est possessio, in quam gladio inducimur, ut Q. Curtius Rufus dixit lib. 8. Et severitas amittit assiduitate auctoritatem, ex Senecæ dicto, 1. de clement. qui idem ibid. pulcherrime, ut arbores, inquit, quædam recisæ pullulant: Ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Quinetiam pronunciare ibidem audet: Principi non minus turpia multa supplicia, quam Medico funera. Igitur justitiæ quidem ille minister sit, sed cum prudentia: His enim ducibus veram consequetur gloriam, ut hieroglyphicon hoc nostrum, quod serpentem ore coronam gestantem, & ense erecto convolutum exhibet, subjicit. Pulchre Cassiodorus 11. Var. Benigni Principis est, ad Clementiæ commodum transilire interdum terminos Æquitatis. Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant. Proprium igitur Principis, ex Taciti monitu in Agric. Omnia scire, non omnia
C exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentum esse. Ex quib. liquet, verissimum esse Aristotelis dictum: ἡ φρόνησις, ἀρχοντος ἰδία ἀρετὴ μόνη; *Prudentia, imperantis propria & unica virtus.*

## PRINCIPUM *Exempla.*

SCilicet in vulgus manant exempla Regentum, inquit ille. Et, Regis ad exemplum totus componitur orbis. Exyngium herbam si qua ex grege caprorum comedit, grex totus cum ea veluti solo affixus stat immobilis, donec herbam ex ore comedentis pastor abstulerit. Idem populis præstant Principes, quorum virtutibus vitiisque ad eos accedunt, ita accedunt, ita afficiuntur, ut quamprimum boni vel mali fiant.

## PROSPERITAS *malesuada.*

HIstoria Sacra refert, 2. Chron. 25. Amasiam regem Judæ, ob victoriam de Idumæis reportatam, nimis elatum bellum indixisse Ioæ regi Israelis. Duæ causæ Principem ambitiosum impulisse
D videntur. 1. cum Idumæos debellasset, sperabat hanc felicitatem fore perpetuam. Etenim est

*Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,*
*Et servare modum rebus sublata secundis.*

2. Putabat Deum non præsto esse futurum Israelitis apostatis, quum Amasias ipsemet idolis sese subjecisset, & veri Dei Prophetam subsannasset. Sed tempora discernunt actiones. Sed à proposito revocatus à rege Israelis festivo & elegantissimo hieroglyphico superbus pedem minime refert, imo poscit arma nocitura, & provocator injustaque bella movens succumbit, juxta dictum, Gentes dissipa, quæ bella volunt. Apologus hieroglyphicus hic fuit; Spina Libani misit ad Cedrum in Libano, cui jussit nunciari, Colloca filiam tuam in matrimonium filio meo. Sed bestia Libani transivit per spinam & conculcavit eam. Amasias videtur petiisse à Ioa fœdus conjugii pro liberis, & responsum tulisse quod ferocientem superbiam ingenioso sarcasmo contudit, docens Principes modestiam ut

bella non necessaria & injusta omittant, memores præclaræ sententiæ Artabani apud Herodotum, A
Nemo propriæ sapientiæ aut potentiæ fiducia res non necessarias & periculosas moveat.

## PROSPERITAS *mundana, dolosa.*

OMnibus scilicet est cognita portentosa illa Polycratis Samii tyranni fœlicitas, qui ut suam perpetuam lætitiam mœstitia aliqua temperaret, pretiosissimum sibique carissimum annulum projecit in mare. Sedenim piscis eximia magnitudine captus, fortunæ insidiantis manu reddidit. Igitur paulo post à Persarum Satrapa & ipse dolo interceptus, suspendio turpiter interemptus est. Tradunt eam historiam Herodotus, Strabo, Plinius, Val. Max. & alii. Admonet autem nos hic Polycratis piscis cum Ausoniano hemistichio, quam vanum & ridiculum sit τὸ διαπιστεύειν τῇ τύχῃ, καὶ μάλιστα κατὰ τὰς εὐπραγίας, id est, *ob res secundas & bene gestas aliquam in fortuna spem sitam habere*, ut Polybius loquitur libro 1. ubi singulari M. Attilii exemplo hoc comprobat. Et vere B. Nilus Episcopus, & Gregor. Theologus, quæ homini prospera contingunt, rotæ, fumo, ac umbræ comparant. Prudenter itaque, etsi tecte, Tiberius apud Tacit. cuncta mortalium incerta jactabat, quanto plus adeptus foret, tanto B
se magis in lubrico dictitans. Sit igitur oraculi instar Senecæ dictum Neminem eo fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere. Momento mare vertitur: eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur. Pulchre etiam Justinus de Xerxe ex Græcia fugiente disserit: Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerum humanæ sortis varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat: carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terræ graves erant. Nempe, ut argute Simonides ait in Threnis;

*ὠκεῖα γὰρ οὐδὲ τανηπτέρυγος μυίας*
*οὕτως ἁ μετάστασις.*
*Fit enim citius, quam volucris muscæ*
*Status mutatio præsentis.*

Et Ausonianum hemistichium Disticho perfectum est.

*Fortunam reverenter habe, cum summa tenebris,* C
*Subtrahe venturis tum tua colla malis.*

## PROVIDENTIA *Dei.*

QUando cœlum occupant densæ nubes, exoriturque violenta tempestas, quia & tristis caligo oculis objicitur, & tonitru aures percellit, & sensus omnes terrore obstupefiunt, videntur nobis omnia confundi & misceri; eadem interim semper manet in cœlo quies & serenitas: ita statuendum est, dum res in mundo turbulentæ judicium nobis eripiunt, Deum ex pura justitiæ & sapientiæ suæ luce hos ipsos motus optime composito ordine temperare ac dirigere in rectum finem.

## PROVIDENTIÆ *Divinæ vis.*

PLures fuere Glauci, unde etiam diversa de iis figmenta ab Athenæo, Strabone, Clearcho, aliisq; commemorantur. Nasonis autem de Glauco Anthedonio fabula vulgo etiam nota est. Eum, ut piscatorem, cum forte captos pisculos in herba quadam (Athenæus ἀείζων, Sempervivum nominat) ad littus expositos, illa tacta in mare subito resilire conspexisset, eadem degustata & ipsum in mare se D
dedisse præcipitem, & illico in Marinum Deum Oceani Thetyosq; ope transmutatum fuisse. Hæc Glauci ἀποθέωσις est, quæ etiam proverbium peperit: *Glaucus comesa herba habitat in mari.* Est & Glaucus piscis, sed à colore, non ab hoc fabuloso maris Deo nomen habens. Sane autem hoc hieroglyphico significare possumus, nullam adeo depressam & humilem hominũ conditionem esse, quam non Dei benignitas & gratia facile extollere & illustrare possit, atque idcirco ejus providentiæ obsecundandum, & quo Fata, hoc est, divina ejus voluntas, sequendum esse. Nam, ut pulchre Horatius cecinit:

*—— Valet ima summis*
*Mutare, & insignem attenuat Deus,*
*Obscura promens, &c.*

Id quod

A Id quod ab Hesiodo mutuatus videtur. Pulcherrima etiam est Xenophontis sententia: Καὶ ὁ θεὸς δή, ὡς ἔοικε, πολλαχοῦ χαίρει τὰς μὴ μικρὰς, μεγάλας ποιῶν, τάς τ' μεγάλας, μικρὰς. Igitur

*Quo fata trahunt retrahuntque sequamur:*

Ut præclare Virg. 6. Æneid. apud quem etiam Sibylla de aureo ramo Æneam sic affatura, ut fati providentiæq; divinæ vim exprimat:

*Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,*
*Si te fata vocant: aliter non viribus illis*
*Vincere, nec duro poteris convellere ferro.*

## PROVIDENTIÆ *Divinæ vis.*

NItepula sive Cicindela, quam vulgo noctilucam appellat, insectum est pennatum instar musæ, cujus quoq; meminit Aristoteles lib. 1. de part. Animal. cap. 3. vocatque, λαμπυρίδα, vel secundum alios λαμπυρίδα, quia noctu per arva luceat, instarque flammæ micet. Plinius lib. 18. c. 26.
B de his ita scribit. Est signum illius (hordei) maturitatis, & horum (milii ac panici) sationis commune, lucentes vespere per arva cicindelæ, ita appellant rustici stellantes volatus, græci vero lampyridas, incredibili benignitate naturæ. De quo plura apud eundem auctorem legi poterunt, libro jam commemorato, & libr. 11. cap. 28. Quamquam vero & hoc hieroglyphicon auctor illius ad honesti amoris significationem accommodaverit, imprimis tamen ille forsitan demonstrare voluit, conjugium optatum & fœlix à cœlo, id est, Deo Opt. Max. peculiariter hominibus procurari, nec nostro judicio aut industriæ, sed soli providentiæ divinæ esse adscribendum. Quod probat memorabilis sententia Salomonis in proverb. cap. 19. Ut autem prima lux à Deo primo die creata, atque per totam mundi molem sapientissimè sparsa, & omnibus corporibus inclusa, vivificat res creatas, & harum unamquamque exclamare cogit, ignis & vigor meus ab illa primigenia luce, mero Dei omnipotentis favore pendet; ita unumquemque vel tantilla Dei cognitione imbutum hoc Districho excitatum ad piam gratitudinem percupimus:

*Ne forte in tenebris offendas, sit tibi summi,*
C *Flamma iter ostendens provida cura Dei.*

## PRUDENS.

ARdea, Græcis ἐρῳδιὸς, quasi ardua dicitur secundum Isidorum libr. 12. propter volatum in altiora loca: formidat enim imbres, & ideo supra nubes evolat, ut eorum procellas evitet. Quo autem altius volaverit, eo majorem tempestatem indicat. Ob quam caussam Italice vulgo *Ærone* vel *Airone*, Gallis *Hairon*, vel potius *Airon*, dicitur. Atque hoc præsagium tempestatis Aristoteles quoque lib. 9. de hist. Animal. & Ælianus lib. 7. cap. 7. retulerunt. Unde Virgilius lib. 1. Georg.

*—— —— notasque paludes*
*Deserit, atq; altam supervolat ardea nubem.*

Sunt autem ardearum sive ardeolarum tria genera, ex Aristotele, loco indicata, & Plinio lib. 10. c. 60. πέλος, id est, ardea pella, Leucon sive alba vel λευκερῴδιος, & Asterias sive stellaris, quæ & ὀκνος, id est, pigra dicitur. Quadrat autem hoc hieroglyphicon in hominem prudentem & cordatum, qui
D fortunæ adversæ tempestates in tempore prævidens, sibi maturè cavere ac prospicere studet. Atq; ideo Cicero 1. de Legibus à providendo providentiam esse dictam ait, & lib. 1. de Divinat. prudentes nos posse appellare providentes scribit. Sophocles quoque hanc virtutem commendans, inquit:

πρεμήθεια γὰρ κέρδος ἀνθρώποις μέγα.
*Providentia enim hominibus lucrum est maximum.*

Ac Seneca de virtutibus præclarè scribit: Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, & quæ possunt contingere, animo tuo cuncta prospice. Nihil tibi subitũ fit, sed totum ante prospicias. Qui enim prudens est, non dicit; Non putavi hoc fieri, quia non dubitat, sed expectat, non suspicatur, sed cavet. Cujuscumq; facti caussam require, cum initium inveneris, exitum cogita. Alias additur:

*Sublimitate securior.*

Etenim vir prudens quo magis eminet, eo minus aliis imminet, minas remittit, sibi cavet cum ve- A
ra animi humilitate, cœlestia spirans, & de caducis securus.

*Prospicit atque fugit fortunæ flamina, prudens;*
*Ceu fugit imbriferos Ardea celsa notos.*

## PRUDENTES.

Echini marini tempestatem ingruentem vi naturæ præsentientes, lapillis in tergum conjectis se o-
periunt, & arena saburrant, ne fluctibus obortis ob levitatem evertantur aut allidantur ad lito-
ra, sed ut hac veluti anchora nixi inconcussi consistant. Quod quidem nautæ animadvertentes, sta-
tim pluribus anchoris naves infrenare & ipsi solent. Id cum alii (inter quos præcipui sunt Ælianus,
Oppianus, Plutarchus & Plinius) constanter affirmant: tum Basilius Magnus & Divus Ambrosius u-
terque in Hexaemero eleganter adducant, & explicant. Quæ autem possit esse accuratior prudentiæ
adumbratio? Hæc enim, Seneca paucis omnia complectente præsentia ordinat, futura provident,
præterita recordatur. Quo etiam pertinet Planætii aurea sententia, quam ex 2. ejus de Officiis A. Gel-
lius recitat. Argute Pindarus: B

Σοφοὶ ὃ μέλλοντα τρίταῖον ἄνεμον ἔμαθον: *Sapientes futurum perendie ventum noverunt.*

Nam, ut præclarè Aristoteles in Eth. disputat, *Φρονίμους οἰόμεθα εἶναι, οἳ τὰ αὑτοῖς ἀγαθὰ, καὶ τὰ τοῖς ἄλλοις δύνασθαι θεωρεῖν: Prudentes censemus, qui ea, quæ sibi, quæq; aliis conducunt, possunt dispicere.* Cui & Platonis illud plane par est: *Φρόνιμον γὲ φήσομεν ὀποχρῶντα συμβουλον καὶ αὐτῷ καὶ τῇ πόλει: Prudentem dicemus sibi & Reip. consulere potentem ac validum.* Unde Achilles apud Hom. *ιλ. α.* Agamemnonis accusans imprudentiam, cum is Briseidem abduxisset, ait:

Οὐδέ πω οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω *Nec potest prospicere simul præterita ac futura:*

Ubi omnino videndus est Eustathius Commentator. Pertinent huc Proverb. *Sapiens divinat*, & simi-
lia. Tumidis non mergitur undis vir prudens, & imprudenti occinit.

*Disce meo exemplo casus prænosse futuros:*
*Prævisa ante minus namque pericla nocent.*

## PRUDENTIA.

Mustelarum non unum genus habetur, inter quas ea quæ minima est, & Plinio vulgaris ac do- C
mestica dicitur, ubiq; est nota. De hac atq; testudine apud Aristot. l. 9. hist Animalium, c. 6. natu-
ralis tam *φρονήσεως*, quam *ἀντιπαθείας* exempla leguntur memorabilia. Testudo (inquit. Gaza in-
terprete) cum quod viperam ederit, mox edit origanum: quod cum ita sæpe factum animadvertisset
quidam herbam evulsit, quo facto testudo (quæ gustato origano viperam repetebat) interiit. Muste-
la vero quoties dimicatura cum serpente est, rutam comedit. Odor enim ejus herbæ infestus ser-
pentibus. Caute pugnandum est: amat certe victoria pugnam. Et ut fert Distichon,

*Obfirmet fortis prudentia pectus in hostem,*
*Mustelæ veluti ruta dat antidotum.*

Si quis autem ad *ἱερογλυφικὰ* animum advertat, militis Christiani in spirituali pugna adversus mun-
dum, mundi principem, & seipsum fortiter pugnantis Christum salutis herbam vivificam in corde
gestantis egregiam imaginem contemplatur.

## PRUDENTIA *ex variis peregrinationibus comparata.*

Lapidescit Coralium, ut primum contigit auras. Sapientis peregrinantis ut multorum mores ad- D
virtutis usum varium videat & diligenter observet.

*Qui sapit, ille animum peregrino obdurat in orbe,*
*Corallium extra undas sic abit in lapidem.*

Dioscorides lib. 5. c. 97. ait Coralium marinum esse fruticem, qui alto extractus duratur statim atque
emergit, tamquam effuso aëre protinus concrescat, atq; ideo Lithodendron vocatur. Unde poeta
Metamorph. lib 4, fruticem illum describens canit,

*Nunc quoque Coraliis eadem natura remansit,*
*Duritiem facto capiant ut ab aëre, quodque.*
*Vimen in æquore erat fiat, super æquora saxum.* Et lib. 15.
*Sic & Coralium, quo primũ contingit auras Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis.* Ad

A Ad eundem modum etiam illi, qui patria ac propriis laribus relictis, ubi molliter ac delicate vivere eis licuisset, sine tamen aliquo fructu ac utilitate; instar Ulyssis sibi proposuerunt explorare mores multorum & urbes, atque laboribus & peregrinationibus fructuosis prudentiam ac rerum laudabilium copiam ac experientiam sibi comparare, instar Coralii aëre indurati judicium confirmatum & stabile ad quosvis casus ac eventus ferendos tandem consequuntur, & secundum Horatium.

*——est animus tibi* *Temporibus dubinque rectus.*
*Rerumque prudens & secundis*

Huc pertinet præceptum Isocratis, *Ne gravèris longâ viam ingredi ad utilis alicujus doctrinæ professores.* Quidq; Plato & alii plurimi ultissimis suis peregrinationibus consecuti sint nemini est ignotum.

## PRUDENTIA *viribus potior.*

ÆLianus 1. Var. hist. 3. memoriæ prodidit, miram esse vafritiem ranarum Ægyptiarum, quarum si quæ forte in Hydrum, anguem Nili alumnum, incidat, subito arundinis fructum arreptum, ac ore transversum mordicus apprehendens, nequaquâ remittat. Hydrum igitur ranam cum festuca illa B simul deglutire minimè posse atq; ita illam esse extra periculum, vincereq; hanc ranæ prudentiâ Hydrorum robur. Similem Chamæleontis astum adversus serpentem idem Ælianus refert ex Alexandro Myndio 4. de an. 33. Sic videlicet ex Corœbi Virgiliani sententia: *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Quod simile est illi Pindarico: χρὴ γὰρ πᾶν ἕρδοντ' ἀμαιμακῶσαι τὸν ἐχθρὸν: *Decet omnia agere in hostis exitium.* Etsi autem de his, bene ne dicta sint, an secus, viri docti, & in his princeps ille Scaliger, de re poetica, nisi fallor, disputant: certe solertia ingenii culpari nequaquâ poterit, cum sæpe aliter qui est imbecillior contra potentiorem tueri se nequeat. Sed de omni genere dolorum in hostes, & quatenus illi liceant, copiosè tractat Alb. Gentilis de jure belli, ubi testimonia auctorum quamplurima cumulat. Hoc quidem hieroglyphicum Lucas Contilis scribit sibi elegisse Polydamum Mainum, Academicum Ticinensem, qui fuit ex familia celeberrimi Jurisconsulti Jasonis Maini, quo indicare voluerit, num quam fuisse animum offendendi alios, sed tantum necessitate urgente sese legitimis modis defendendi. Fuerat autem insidiis occultisq; machinationibus potentum quorundam continuis sæpe petitus, è quibus tamen candore morum, & laudabilium actionum exercitatione in rebus publicis C privatisq; seipsum vindicavit, ac securum præstitit. Sic videlicet secundum Pythagoræ versum;

ἰσχὺς καὶ τεῖχος, καὶ ὅπλον σοφὴ φρόνησις: *Robur, & murum, & arma sapienti prudentia præstat.*

## PRUDENTIÆ *vis.*

IRam prudentia vincit. Pastor Getulus Leonem rugientem ad se accurentem conspicatus, in harena consilium capiens in animalis faciem sagulo conjecto sibi salutem animali servitutem acquisivit. quod spectaculum postea Romæ in harenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans: videlicet omnis vis in oculis constat. Plin. l. 8. c. 16. Chrysostomus autem, homil 4. in Matth. Leonem quidem, inquit, mitigas reddisq; tractabilem, furorem vero animi tui prorsus efficis Leone sæviorem. Ponamus iram quoq; bestiam esse. Quantum igitur ab aliis erga mitigandum Leonem studium datur; tantum tu erga iracundiam impende curam, & effice hujusmodi cogitationem mitem ac mansuetam: siquidem hæc fera & unguibus sævissimis armatur ac dentibus. Nisi illam solicite mansueceris, cuncta simul disperdet ac lacerabit. Hæc ille. Nos autem irato subjicimus,

D *Si licet objecto sagulo tractare Leonem,* *Quid tandem est, iram nolle domare suam?*

## PULCHRITUDO *veri.*

Γῆρας ὄφεως. Seneca anguiũ apud Dioscoridem & alios nominantur exuviæ veteris pellis, quas inter saxa & stirpes relinquere serpentes solent. Dicuntur & σύφαι quibusdam, & Lucretio eleganter vestis, lib 3 & 4. Meminere ejus rei Epiphanius in Physiologo, & longè antea Aristoteles lib. 8. hist. animal. cap. 17. Plin. lib. 8. cap. 17. Nicander in Theriacis: Nonnus item in Dionysiacis libr. 41. Et Tibulli querela nota est. Aristoteles quidem tam vere quam autumno senectutem eos exuere scribit: Et Plinius fœniculi succo ad hoc adjuvari ait. Lanctantius Commentator ad locum Statii 4. Thebaid. (ubi & ipse de juventute serpentis hoc modo renovata) Marathron herbam nominat, quã cum comederit, senium deponat ætatis. De caussis physicis cum alii, tum ad Cardanum in Exrec Scaliger disputant. Virgilius autem in Georg. & xi. Æneid elegantem hinc similitudinem sumpsit

Varie

Varie autem hieroglyphicon hoc explicari solet. Quidam exprimere eo voluerunt, sibi priori fortuna minus lauta relicta, optatiorem jam & lætiorem affulsisse. Nonnulli priori vita minus laudabili deserta in melius se mentem efformasse innuere studuerunt. Hos in recto proposito confirmet B. Basilius, qui apposite ad hoc hieroglyphicum, Γίνεσθε γὰρ, φησὶ Φρόνιμοι, ὡς οἱ ὄφεις, ὃς ἐπειδὰν ἀποδύεσθαι δέῃ τὴν λεβηρίδα, στενῷ τόπῳ καὶ ἀκριβῶς περισφίγγοντι τὸ σῶμα ἐπιδοὺς ἑαυτὸν, φρονίμως καὶ συνετῶς ἀποδύεται τὸ γῆρας. ὅπερ οὖν καὶ ἡμᾶς βούλεται ὁ λόγος, διὰ τῆς στενῆς καὶ τεθλιμμένης ὁδοῦ πορευομένους, ἀποδύεσθαι μὲν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, ἐνδύεσθαι τὸν νέον, id est, *Estote prudentes, sicut serpentes, qui cum opus fuerit vernationem exuere, per angustam rimam corpusque strictim coercentem repentes, prudentes exuunt senectutem. Quod & idem nos imitari ipsa suadet scriptura, per angustam & arctam viam ingredientes veterem hominem exuere, induere vero novum.* Videatur Augustin. libr. xi. doctr. Christ. cap. 16.

*Ut solet exuvias veteres deponere serpens:*
*Sic scelerum sordes exue, pulcher eris.*

Tertullianus libr. de Pallio, Serpens ut senium persensit, in angusta se stipat, pariterque specum ingrediens, cutem egrediens ab ipso statim limine erasus, exuviis ibidem relictis, novum se explicat cum squamis, & anni recurrantur. Vide Isidori Pelusiotæ libr. 1. epist. 416.

## REGES. PRINCIPES. MAGISTRATUS.

1. SOlus Apum Rex, seu aculeum quo lædat non habet, seu eo non utitur: ut autem corpore grandior cæteris est, sic habet minores alas: & si vero non operatur ipse, circumvolans tamen, cæteras quodammodo exhortatur: Ita Reges, Principes, Magistratus, manus innocentes & ad beneficentiam paratas habere, forti dextera pios tueri, neminem consulto lædere, omnibus (quantum fieri potest) prodesse, suis consilio & auctoritate adesse & præesse, opus est & oportet.

2. Syracides, Parva (ait) inter volucres Apis est, & fructus ejus dulcedinis primas obtinet. Facit eadem opus admirabile, & politiam suam miro quodam modo instituit & moderatur. Sic nonnumquam miranda ingenii vis & solertia in iis est, qui pusillo sunt corpore & viribus tenuibus.

3. Ut autem ad omnia (excepta rumice & chenopode) Apes advolant, floribus autem nullis nocent: sic primores populi Dei omnium subjecturum cura duci, nemini autem nocere, nemini timori & fraudi esse debent.

4. Sicut tamen Apiculæ à marcidis floribus abstinent: (mortuis, ait Plinius, floribus quidem, non modo corporibus insidunt) ita heroïcis naturis à vitiis & à vitiosis hominibus abstinendum: Adulatores, Voluptatum administri, Qui mortuos refodiunt & conviciis proscindunt, Sycophantæ & alii Alastores, aversandi sunt.

5. Quemadmodum verò Apes, non quidvis ex omnibus colligunt: sed aliunde metyn, aliunde pissoceron, aliunde propolin, aliunde rhythacen, aliunde sobolem, aliunde mel: Sic decet Gubernatores alia officia exigere à Theologis, alia ab Jurisconsultis, alia à nobilitate, alia à civilibus, alia denique ab infimæ notæ hominibus terræq; filiis. Est autem singularis cujusdam officii animadvertere quid unumquemque ordinem deceat, quid quisque præstare possit, & ad Harmoniam quamdam omnium hominum ordines perducere.

6. Solent Apes, quoties cœli clementia & commoditas invitat, non autem statis diebus, opus suum peragere. Idem facere gubernatores oportet, de quibus dicitur, Καιρῷ δουλεύουσιν οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. Sed tamen absit Ironia & noxia hypocrisis. Non enim sine summo consilio Fridericus III. Imperator, Dux Austriæ, si quando Consiliarios Viennæ Curiam ingredi videret, optare solebat ut ad unum omnes priusquam intrarent, deponerent duas pestes rerum publicarum, Simulationem & Dissimulationem.

7. Quemadmodum autem prælia Apum, quando ea maximè fervent, jactu pulvisculi, aut fumo, dirimuntur: sic morte quorundam dynastarum, bella interdum finiuntur: ut de iis quoque dici possit, quod monent versus veteres,

*Hi motus animorum, & hæc certamina tanta,*
*Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.*

REIPU-

A

## REIPUBLICÆ *Sanatio.*

INter ἀμφίβια, quibus, ut Florus loquitur, aquam terramque incolendi gemina natura est, omnium maximum & monstrosiss. est Hippopotamus, Nili & Hydaspis fluviorum Ægyptii & Indiæ alumnus, cujus Herodotus, Horapollo, Ælianus, Strabo, Q. Curtius, Solinus, aliique mentionem faciunt. Ejus descriptio extat apud Aristot. 2. histor. an. 7. Sed imprimis graphica est Achillis Statii l. 4. Nili, inquit, equum Ægyptii appellant, reraque & ventre, & pedibus, sicuti fama fert, equus est, nisi quod scissas ungulas habet. Corporis magnitudine max. quemque bovem æquiparat. Cauda ei brevis est, & pilorum asperitate, quemadmodum corpus etiam reliquum, carens. Caput rotundum, non parvum: maxillæ ferè equinæ, nares perquam patulæ. ac ignitum fumum tamquam ignis scaturigines quædam, spirantes: mentum latum, quemadmodum etiam maxillæ: oris hiatus ad tempora usque protensus: dentes qui canini vocitantur, curvi, forma & situ equinis similes, verum triplo majores. Effigies ejus est cum in antiquo numo Adriani ad Nili imaginem addita; tum in marmori-
B. bus etiam quibusdam vetustis. Voraciss imum autem est animal, ut totas etiam segetes depascat, sicut apud Ælianum & Nonnum in Dionys. libr. 26. memoratur. Hinc sanguine se gravatum sentiens, in arundinum cæsuras & acutiss. stipites corpus imprimens, venas discindit, & sic morbum præcavet, plane ut artis in venæ sectione magister videri possit: ut Plinius innuit. Sed paulo aliter Am. Marcellin. lib. 22. ista commemorat. Constat autem in arte medica solum curationem progredi ex contrariis, ut ex innumeris Hippocr. & Galeni locis liquet, cum quidem sit medicina πρόσθεσις ἐλλειπόντων, καὶ ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων: Sed in omni etiam vita, & max. in Reb. pub. loc. hoc habere in quibus ut seditiones & morbi intestini evitentur, sæpe purgatione violenta, ac veluti sanguinis superflui quadam eductione opus est.

*Et fluvialis equus corpus cum sanguine purgat,*
*Purgatur cæsis publica resque malis.*

## RELIGIO.

C QUam multa admiratione digna, & propemodum fidem superantia de Elephante tam veteres quam recentiores auctores litteris mandarint, nimis foret longum exponere: ac legi pleraque poterunt apud Aristotelem, Plinium, Plutarchum, Ælianum, Strabonem, Solinum; recentiores Garziam Ortam, Christoforum Costam, I. Lipsium epist. 50. 1. centur. & alios. Scribit autem Solinus, & alii confirmant, Elephantes, Luna splendente gregatim amnes petere, atque mox aqua conspersos, Solis exortum certis gestibus salutare, deinde in suos saltus reverti. Merito itaque exemplo hujus animantis nos quoque assidue ad pietatem colendam atque pura mente Deum venerandum assuefacere debemus: quam quidam veterum ἀρχὴν καὶ τελευτὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν, *omnium virtutum principium atq; finem.* Huc referendum Aristotelis dictum ἀρχὴ ἁπάντων μὲν ὁ Θεὸς ἀρετῶν δ' εὐσέβεια. *Omnium rerum Principium Optimum Deus; virtutum autem pietas.* Elephas igitur esto Atheorum, Epicureorum, profanorum omnium magister & censor,

*Injiciat nobis brutorum hæc cum stuporem,*
*Qui tarda incipimus quærere mente Deum.*

D

## RELIGIO *Christiana & Catholica.*

DE Opalorum natali solo Plinius ait, India sola & horum est mater. Et paulo post: Traduntur nasci & in Ægypto, & in Arabia, & utilissimi in Ponto. Item in Galatia & Thaso & Cypro. Sed de cœlesti origine Religionis, quæ ubique gentium sibi similis & preciosissima est, præclare pronunciat Evangelista, è cœlesti sanctuario illam à Christo Jesu allatam esse, docens, Deum nemo vidit umquam, unigenitus ille filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit. Joh. 1 18.

2. Opali tantum Smaragdis cædunt, ut testatur Plinius: & Christiana & Catholica Religio non modo non cedit ulli alteri religioni: sed etiam cæteras omnes, tamquam commentitias, & impias, fugiendas esse pie monet. Eo sane nomine ab errantium multitudine, ubique illi contradicitur, Act.

28. 22. quoniam illa celebrat solum Jesum Christum crucifixum, qui positus est in casum & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicatur. Luc. 2. 34. A

3. In Opalis multarum gemmarum eximiæ dotes eminent. Est enim in iis carbunculi tenuior ignis: est Amethysti fulgens purpura: est Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. Alii summo fulgoris argumento colores pigmentorum æquavere. Alii sulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accensi. At in Catholica Religione, omnia summa & admiranda conspiciuntur. Lucet enim in ea inenarrabilis majestas & gloria bonitatis & providentiæ æterni Patris, meritorum Jesu Christi, virtutis Spiritus sancti: & tota Catholica Ecclesia fulgore majestatis & donorum Salvatoris collustratur: sic ut etiam in singulis Sanctis splendescat radius fidei, flamma charitatis, spei & Christianarum virtutum jubar. Vocavit enim Ecclesiam Dominus è tenebris in admirabilem suam lucem, 1. Petr. 2. 9. Ac etiam cæteras professiones, Jurisconsultorum dico, tamquam justitiæ & prudentiæ civilis laudatissimorum testium: & Medicorum, quibus Philosophos adjungo vel aut naturæ functionum & benedictionum Dei, quibus nobis ad vitam tuendam opus est, bonæ fidei administrorum: Religio Christiana eo nomine magnopere commendat, quod boni publici causa divinitus patefactus, illustrataque, usibus hominum servire, modisque omnibus esse necessarias perspicuè testatur. B

4. Scribit autem Plinius, Opali magnitudinem nucem avellanam æquare, ac narrat Nonium senatorem causa Opali quem Triumvir Antonius ambitiose desiderabat, proscriptum fuisse: ac fugientem, hunc è fortunis suis omnibus annulum abstulisse secum, quem certum est sestertiis viginti millibus fuisse æstimatum. Reprehendit autem & Antonii feritatem luxuriemque, & Nonii illius contumaciam proscriptionem suam amantis. Sed Religionis Catholica altitudo, profunditas, latitudo, pretium, usus, usque adeo est inæstimabilis, ut non terrenis tantum opibus, sed etiam vitæ, qua nihil charius est, totique huic mundo anteponi debeat: sicut docet Parabola de Margarita, divenditis omnibus quæ habemus, nobis emenda, Matth. 13. 46. Et præceptum Christi de promulgatione Evangelii, Matth. 10. 27.

5. Indii adulterant Opalum, indiscreta similitudine: sed ejus experimentum est in Sole, ut ait Plinius, cujus hæc verba sunt: Vitia Opali, si color in florem herbæ, quæ Heliotropium vocatur exeat, aut crystallum, aut grandinem si sal interveniat aut scabricia, aut cuncta oculis occursantia: nullosque magis Indiæ similitudine indiscreta vitro adulterat. Experimentum in Sole tantum. Falsis enim contra radios libratis digitos à pollice, unus atque idem translucet color in se consumptus. Veri fulgor subinde variat, & plus huc illucque spargit, & fulgor lucis in digitos funditur. Religionis autem Catholicæ & Orthodoxæ, & sinceritas impermixta manet: vitia nulla in seipsa habet, ac proinde nec sentit: nullæ etiam sibi misceri sustinet: vitreis hominum commentis ne fucus vere religiosis hominibus fieri possit, præstat, & ad justitiæ Solem, qui est Jesus Christus, se explorari vult: ac adulterinarum Religionum vanitatem, turpitudinemque retegit, quando eas non esse secundum Christum luce meridiana clarius ostendit. C

## RENOVATIO *prospera.*

SOlent in Italia, more sane laudabili instituta eruditorum hominum Collegia, quæ illi veterum imitatione Academias, & se Academicos nominant, in locis publicis in quibus convenire, & se in studiis rebusq; honestis ac liberalibus exercere consueverunt, affigere depicta symbola, quæ illius præsas vocant: Quæ si nomen Collegii & professionem rite exprimant, censentur esse lectissima. Exempla quamplurima cum alii recensent, tum Scipio Bargaglius Senensis de novo Romæ instituto ejusmodi Academicorum, qui se *Renovatos* nuncupabant, Collegio, hoc, quod proponimus, in quo serpentes è latebris prodeuntes ad Solem apparent, commemorat. Significare autem illo procul dubio voluerunt, non secus ac serpentes hieme sub terra in squalore & tenebris latent, vere autè novo Soli calore protrahuntur: Ita se quoque temporis iniquitate pressos delituisse, sed mox meliore aspirante fortuna, & favore Mæcenatum recreatos, ac veluti renovatos, coivisse in publicam Academiæ societatem, in qua illustres ingenii & doctrinæ suæ fructus cunctis ostensuri essent. Poterit autem in univer- D

A universum usurpari ab iis, quibus post tristiorem fortunam serena lux affulserit. Nam ut ait Pindarus in Pythiis,

*ἄλλοτ' ἀλλοῖαι πνοαὶ ὑψιπετῶν ἀνέμων*
*Alias alii (sunt) flatus sublimiter volantium ventorum.*

Quo omnino Horatii illa 10. Od. lib. 2. sunt referenda:

*Informes hyemes reducit, Jupiter idem summovet, &c,*

Et Theocriti illa Idyll. 4.

*Θαρσεῖν χρὴ, φίλε Βάττε. τάχ' ἄυριον ἔσσετ' ἄμεινον.*
*Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.*
*χὀζεὺν ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλληκα δ' ὕει:*

Quæ nos ita vertere conati sumus:

*Fidere, Batte, decet. non si nunc est malè, erit cras.*
*Spes vivis tantum, non est spes ulla sepultis.*
B *Nunc pluit: ast cœlo nunc fulget Jupiter alto*

Refer item huc trita illa: *Post nubila Phœbus.* Et,

*Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.*

Denique poëtæ nostri Distichon,

*Vere novo latebris serpens prorepit opertis:*
*Gloria sic artes ad loca summa vehit.*

## RESIPISCENTIA *frugifera.*

RAdii Pastinacæ tam exquisita virulentia est, ut etiam à corpore reliquo piscis avulsus, tamen noceat, & ejus contactu herbæ, arbores, & saxa exarescant; Hoc igitur Telegonum Ulyssis filium à Circe donatum, eoq; hastili suo præfixo, patrem, sed inscienter interfecisse canit Oppian. & meminit Parthenius ἐν ἐρωτικοῖς. Qua etiam de re B. Ambros. 5. Hexae. cap. 10. Quid, inquit, loquar, turturis (pastinacam intelligit) aculeum, & hoc mortuæ? Sicut enim viperæ os si quis calcaverit recens,
C nocere perhibetur, & immedicabile vulnus serpere: ita etiam turtur aculeo suo mortua amplius quã viva periculi afferre memoratur. Hæc quamvis ita sint, reliquum tamen pastinacæ corpus salubre nutrimentum præbere, & jucundi cibi esse constat, adeo ut etiam Galenus inter boni succi alimenta referat, cum caro ejus mollis sit, & facilis concoctionis. Convenit in illos, qui nocendi facultate & viribus instructi, iidem tamen juvare etiam & bene de Rep. mereri possunt. Quo Plauti illud referri queat in Bach. *Nemo frugi esse potest homo, nisi qui & bene & malè facere norit.* Et Adag. *Qui nocere potest, & idem prodesse.* Sed rectius convenit in illos, qui vitiorum malitiæq; aculeis resectis, & abjectis, salutare in Rep. ornamentum in posterum honestis & laudabilibus virtutis actionibus esse annituntur. Nam ut Seneca pulchrè dixit:

*Sera numquam est ad bonos mores via.*

Sic Phædo ex lupanari, Socratis, Polemon ex Bacchi Schola, Xenocratis beneficio in Academiam perducti Philosophi facti sunt. Sic Gelonem ex Plutarcho scimus & Hieronem & Pisistratum, cum malis artibus, tyrannidem occupassent, moderatos tamen postea & Reipubl. salutares fuisse principes.

D

## RESIPISCENTIA *vera.*

DOctissimus Physiologus & polyhistor, ex pluribus auctoribus, qui de Aucupio aliquid litteris mandarunt, tradit quo pacto Accipitres ad radios solares vita pennarum, veteribus abjectis, & quasi rejuvenescere solent: docetque simul quæ applicari debeant, ut hoc defluvium acceleretur, & eo celerius novæ renascantur. Quo indicatur, alicujus in flagitiis viventis propositum laudabile in mutando eo genere vitæ in meliorem statum. Idque imprimis piis Christiana μετάνοια sese ad Deum convertentibus convenit, qui nihil aliud cogitant, nec in votis magis habent, quam depositis omnis improbitatis & humanæ depravationis sordibus, in vera innocentia & pietate secundum divinam voluntatem & mandata ipsius vivere, ac secundum S. Paulum ad Corinthios veterem ho-

hominem exuere, novumq; induere, qui desideria carnis vincat, & semper τὰ ἐπουράνια sapiat Atq; ita quoq; nonnulli Doctores sacrarum litterarum dictum Jobi cap.39. interpretantur, ubi ait: Numquid per sapientiam tuam plumescet accipiter, expandens alas suas ad Austrum? quamvis in Græco textu legatur, ἐκ τῆς ἐπιστήμης τῆς σῆς ἵπτα τῆς ἱέραξ, id est, *Numquid per intelligentiam tuam volat accipiter?* Sed inter alia plura sanctorum Patrum hujus argumenti præclara dicta, placuit admodum eruditum & grave carmen B. Nazianzeni hic adscribere,

*σκεύαζε σεαυτὸν ὡς τάχος πρὸς οὐρανὸν,*
*ψυχὴν πτερώσας τῷ λόγῳ τὴν τιμίαν.*
*μηδὲν περισσὸν, ἀλλὰ πᾶν ῥίψας βάρος*
*βίου ματαίου καὶ κακῶν τῶν ἐνθάδυ.*

Quos versus ita reddidit vir doctissimus, totidem senariis,

*Sic te para, ut se mens cito ad cœlestia*
*Alata libret vi rationis optima,*
*Superfluum nihil te aggravet. Jactis procul*
*Inaniis vitæ hujus ac molestiis.*

His poëtæ nostri Distichon adjungimus.

*Exuviis vitii abjectis, decus indue recti,*
*Ad Solem ut plumas renovat accipiter.*

## RESURRECTIO *Carnis.*

FRumentorum & leguminum semina ac grana in terram projecta, illique quasi concredita certo tempore renascuntur, atque multiplices fructus producunt. Sic nostra etiam corpora, quamvis jam mortua, ac terestri sepulturæ destinata, in die tamen ultima resurgent: piorum quidem ad vitam, impiorum vero ad judicium. Qua similitudine S. *Paulus* quoq: uti voluit, 1. Corint. 15. ubi ait, seminatur corpus in corruptione, & surget in incurruptione. Quem locum D. *Ambrosius* explicans præclare hæc subjicit: Si ergo gramen seminatur, ut Dei nutu quodammodo elementorum ministerio vestitum resurgat, multa secum habens incrementa utilitatis humanæ: cur non credibile sit, Dei virtute mortuum posse resurgere, meliore tamen reddita substantia, non numero multiplicatum? Et D. *Chrysostomus* in homil. De resurrect. idem tradit. Etenim semina ait, nisi prius moriantur & putrescant ac corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut igitur qui videt ibi gramen quod corrumpitur & dissolvitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demonstrationem usurpat (nam si ita maneret, & non corrumperetur vel dissolveretur, certum quod numquam resurgeret) sic cogita & in corpore tuo; cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare. Quid quod *Salvator* ipse ad hanc considerationem nos revocat? Sic enim ait, Joann. 12. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti in terram delapsum fuerit, ipsum solum manet. Si vero mortuum fuerit, copiosum fructum fert, &c.

*Securè moritur qui scit se morte renasci:*
*Non ea mors dici, sed nova vita potest.*

## REX *bonus & potens.*

HIstrix, vulgo porcus spinosus, Suidæ ἀκανθόχοιρος, è genere Erinaceorum est, sed multo longioribus & acutioribus aculeis armatus, atq; iis quidem (ut Plinius loquitur) cum cutim intendit missilibus: unde non solum pungit illis & sauciat ora canum, sed longius quoq; in eos ejaculatur. Hieroglyphicon est potentis & boni Regis qui cominus & eminus suos tuetur, novitque

*Parcere subjectis & debellare superbos.*

Et ut sapienter notat hoc Distichon,

*Cominus ut pugnat jaculis, atq; eminus histrix,*
*Rex bonus esto armis consiliisque potens.*

Apud Claudianum extat integrum poëma de histrice, ex quo sequentes versus collecti sunt.

*Ecce brevis propriis munitur bestia telis,*
*Externam nec quærit opem, fert omnia secum,*
*Se pharetra sese jaculo, sese utitur arcu.*
*Unum animal cunctas bellorum possidet artes.*
*Quod si omnis nostræ paullatim industria vitæ*
*Fluxit ab exemplis, quicquid procul appetit hostem,*
*Hinc reor esse inventum.*

Dele-

A Delectatus est hoc hieroglyphico Ludovicus XI. rex Galliæ, qui eo aureæ monetæ impresso ostendere voluit, arma ipsi talia esse in promptu, quibus prope & procul hostes petere posset.

*Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.*

De viro sapiente, & qui bona conscientia fretus, suaq: virtute, vel potius Dei auxilio se involvens, & secum omnia sua portans, idem hieroglyphicon commode usurpatur, quemadmodum pluribus locis de sapiente Stoico loquitur Seneca, nos de Christiano homine intelligimus.

## REX *Sapiens.*

DElphinum anchoræ circumplicatum, ad demonstrandam salutarem illam in rebus maturitatem, quæ inter nimiam celeritatem & tarditatem media est, pro insigni fuisse cum Augusto, Titoque Impp. tum superiori sæculo Aldo Manutio celeberrimo Typographo, res, scilicet, omnibus est notissima: & aureum quidem plane illud, & βασιλικὸν, τὸ σπεῦδε βραδέως, *Festina lente*, luculenter & copiose enarrat Parœmiographus. Nostrum hoc ex Alciato desumptum est diverso significatu.

B Tradit enim Delphinum *mare magnum turbantibus æquora ventis*, ut Lucretius loquitur: cum à nautis anchera jacitur, eam singulari erga homines pietate complecti, & quasi humano quodam instinctu, ut eo tutius infigatur, dirigere. Nam peculiarem hanc Delphinis proprietatem inesse, ut tempestates veluti prænuncient, alibi retulimus. Anchora autem stabilimentum & securitatem: Delphinus φιλανθρωπίας, & incolumitatis simulachrum hieroglyphice exprimit, ut videre est apud Pierium. Talis profecto est Rex bonus & prudens, qui non tantum prævidet imminentem Reip. motum, sed tumultu etiam exorto ita dirigit consiliorũ suorum anchoram, ut tuto possit consistere curæ suæ & tutelæ demandatus populus. Nam ut vere Am. Marcellin. dixit: Imperium cura est salutis alienæ. Inter alia autem memorabile Cyri dictum refert Xenoph. παιδ. VIII. ὥσπερ ἀγαθοῦ ποιμένος ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ, *Boni pastoris & Regis boni opera esse consimilia*; Ubi leguntur plura in eamdem sententiam sicut apud Aristotelem quoque, Cicero in Off. & de Repub. tum variis in hieroglyphicis dictum est. Regia vox hæc est ad obedientes subditos;

*Auspiciis nostris tutos vos littore sistam,*

C *Stabit & in portu vestra carina suo.*

Quæ de Regum Rege & de Dei populo vere dici possunt.

Quatuor genera hirundinum habentur, quorum primum domesticum, passim notum, alterum rusticum sive agreste, quod ab imo ventre albicat. Tertium riparium, minimũ omnium, quæ hirundines falculæ quoque dicuntur, & ripas excavant, inque illis nidificant. Quartum est Apodum, quæ & marinæ & κυψέλαι vocantur nec utuntur pedibus, quamvis non plane illis destituantur. Commendat autem industriam hirundinis Aristoteles libro nono de histor. Anim. cap. 7. his verbis: Omnino ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ similitudinem, magisque in minore genere quam majore videris intelligentiæ rationem, quod primum in avium genere hirundo in effingendo & constituendo nido existit. Quo in loco plura de artificiosa hujus constructione commemorat, quæ postea à Plinio, Plutarcho, Æliano, & aliis quoq; sunt exposita. Ac addit ibidem Aristoteles: In nutrienda prole mira tam mas quam fœmina æquitate laborat. Impartit pullis singulis cibum observans consuetudine quadam, ne qui acceperit, bis accipiat. Plinius similiter ait (cujus & Oppianus meminit) in D fœtu summa æquitate alternare cibum, & Ælianus libro 3. cap. 26. Justitiam servare adversus suos filios refert. Quare Horapollo scribit esse apud Ægyptios symbolum parentum omnes suas facultates & opes filiis suis destinantes. Estque similiter icon boni & justi Principis, qui singulari æquitate & justitia suos subditos regit, illisque necessaria suppeditat. Quapropter Robertus Rex Neapolitanus, passim in illis conclavibus, quibus ipse utebatur, hanc picturam appingi curavit. Idque Phocylidis quoque versus monet.

μοῖραν πᾶσι νέμειν, ἰσὸν τῆς δ' ἐν πᾶσιν ἀρίστη, id est,

*Partem scilicet suam cunctis tribue: æqualitas sane in omnibus rebus optima.*

De justitia autem tam commutativa quam distributiva (ut in scholis loquuntur) extant Ethic. Nicomach. luculentæ disputationes.

*Sollicitum Prognes curam ſpectate, Regentes,*
*Atque fovete pari pignora veſtra fide.*

## RIXA, *inutilis & noxia.*

ESaias Propketis Judæis profanam mentem excutere cupiens, c. 45. 9 clamat, Væ litiganti cum factore ſuo: teſta cum teſtis terræ, ſub. litiget, aut rixetur, q. d. homini cum homine ſit jurgium, ſimilis ſimilem increpet, ſi opus eſt, reſponſet craturæ creatura: non autem creatori & Deo ſuo omnipotenti. Si quis celebris & clarus ignobili atque obſcuro dicat, Litiga cum tui ſimilibus, teſta cum teſtis terræ, aut ſi vir in civitate primarius dicat plebejo; Nulla mihi res tecum; teſta terreas teſtas aggrediatur, quantum libuerit, ſuperiorem timeat. Argumentum illud tractat ſanctus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, cap. 9. & alio ſymbolo ſacro ab arbore exciſa, deſumpto, cap. 11. Præterea Jobi cum amicis collationes & Dei omnipotentis reprehenſio paterna, qua Jobū ad ſe revocati conſolatur & erigit, in eo verſantur, ut à rixa, lite, diſputatione inutili & noxia præſertim cum Dominorum Domino, ſemper abſtineamus.

## SANCTI.

PLinius de Beryllis & Chryſoberyllis diſſerens meminit. Chryſopraſi, porri ſuccum referentis: & paulum declinantes à Topazio in aurum. Chryſopraſus, inquit D. Hieronymus, viridis coloris & aureæ mixturæ, ſive (ut alii aſſerunt) purpurei coloris, cum guttis aureis. Sancti in quibus virent ſpes, fides, charitas, ſunt homines aurei, ſi cum aliis conferantur: ac purpureus ille Chriſti ſanguis, quo abluti ſunt, efficit ut donis & operibus ſanctificationis, quaſi quibusdam auri guttis, coram Deo exornati appareant.

## SANCTORUM *virtutes.*

PRata florida varios & omnis generis flores exhibent. Divina Scriptura geſtorum virtutes nobis demonſtrat; non ut illorum florum fragrantia brevi tempore fruamur: ſed ut perpetuam inde utilitatem recipiamus, & eas in ſinu mentis reponamus, ut per omnia ſecula, ſi lubet, eorum ſuaveolentia frui poſſimus. *D. Chryſoſt. homil 43. in Geneſ.*

## SANGVIS.

ÆGyptii ſanguinem ſignificare volentes accipitrem pingunt. Horapollo lib. 1. c. quia hoc animal, inquiunt, ſanguinem non aquam bibit.

## SAPIENS.

AUreis Punctis Sapphirus collucet: cerulei ſunt & Sapphiri raroque cum purpura, inquit *Plinius*, lib. 37. cap. 9. ubi vide notas Dalechampii de Sapphiris variis, eorumdemque coloribus. Imago eſt hominis auro ſapientiæ radiantis, ſuperna curantis & quærentis, non terreſtria. Recte enim Hieronymus, Aerei coloris, ait, eſt Sapphirus. Et quia præcedentes multos, atque ad ſuperna tendentes, per cœleſtem converſationem videntur vincere, narrantur Sapphiro pulchriores extitiſſe Nazaræi, Thren. 4.

Heſperidum Alcides victor fert aurea mala, & hieroglyphicon nobis eſt viri fortis modeſti, vere potentis, id eſt, ſapientis, quem Bochius lib. 2. Symb. 55. Epigrammate nobilitavit.

*Quæ ſtatuo inſignis clava, nemeique Leonis*
*Exuviis, læva qua tria mala tenet?*
*Magnanimi Alcidæ vera & ſapientis imago eſt,*
*Aurea qui victo poma draconе tulit.*
*Nempe draco in nobis nihil eſt, niſi dira cupido.*
*Extincta hac triplex illicet extat honos.*
*Comprimitur furor iræ, & habendi ſacra libido*
*Interit, & ventris deſidioſus amor.*
*Fortem animum exuviæ ſignant, clava illa potentem,*
*Qui domitis victor ſenſibus imperitat.*

Phocylides Gallicus, Vidus faber, in ſapientibus tetraſtichis iram, gulam, luxuriam conjungit. Bochius ventris amore duas poſtremas intelligere videtur, queis avaritiam adjunxit. Sed Phocylidem noſtrum etiam audiamus numeris Latinis Gallicos exprimentibus canentem,

*Quisquis cluere ſtudet fortem virum,*
*Iram domare diſcat, & ventrem prius;*
*Et igneum illud noſtro adhærens pectori*
*Quod flabra alunt erroris atque ignavia.*

SAPI-

## SAPIENS *fert omnia secum.*

A PErvulgata est Biantis (quidam Stilponi Megarensi ascribunt) sententia cujus cum patriam Prienē cœpisset hostis, cæterique ita fugerent, ut multa de suis rebus simul asportarent, ipse admonitus à quodam ut idem faceret. Ego vero, inquit, facio: *Nam omnia mea mecum porto.* De Simonide etiam Poëta similis est apud Phædrum August. fabula 79. lib. 4. qui ex naufragio nihil assumens rationem hanc reddidit, *Mecum mea sunt cuncta*, cum quidem cæteri rerum arreptarum onere gravati vel periissent in mari, vel in prædones incidissent: ipse vero sua arte statim divitias acquisivisset. Aristippus quoque ex simili in fortunio elapsus, & ob doctrinam benigne susceptus, comites navigationis adhortandos, cives suos rogavit, tales ut sibi opes pararent, quæ enatarent simul cum naufragis. Ex his nobilis fœmina Fulvia Spanocchia hoc hieroglyphicon erudite comentata est, ut pingeret Cochleam domiportam, quæ penates suos & omnem substantiam circumfert, nec ullo alio indiget diversorio cum Biantis dicto; *Omnia mea mecum.* Alia inscriptio eodem sensu ex Claudiano assumitur, *fert omnia secum.* Pertinetque ad hieroglyphici illustrationem Plauti illud: *Virtus omnia in se habet:*
B *omnia adsunt bona, quem penes est virtus.* Cætera enim humana fortunæ sunt ludibria: Virtus & doctrina de ipsa fortuna triumphant. Hinc pulchre D. Basilius: μόνη δὲ κτημάτων ἡ ἀρετὴ ἀναφαίρετον, καὶ ζῶντι, καὶ τελευτήσαντι παραμένουσα; *Sola omniū possessionū virtus homini auferri nequit, & superstiti & extincto commorans.* Nam ut vetus dictum habet: ὁ σοφὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν. Quod Phædrus sic enunciavit: *Homo doctus in se semper divitias habet.* Cum quo Carneadis etiam simile congruit in libro Telesiaco, ut apud Fulgentium legitur:

πᾶσα τύχη αἴσθησιν φρονοῦντος κατοικεῖ.
*Omnis fortuna in sensu habitat sapientis.*

Distichon etiam poëtæ neoterici,

*O fœlix, secum sua quicumque omnia portat,*
*Fortunæ vivens liber ab arbitrio.*

Felix ille vero verusq; sapiens pingitur ab Apostolo, paucis lineis 1. ad Tim. 6. v. 6. ἐστὶ περιρισμὸς μέγα ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας. *Est quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento.* Esto igitur pia
C sufficientia sapientis viri hieroglyphicon & sacrum symbolum.

## SAPIENTIA *æterna.*

PLutarchus refert Isidem de se dixisse, sicut legebatur in templi pavimento huic Deæ ab Ægyptiis constructo; Ego sum, quicquid fuit, est, & erit: nec meum peplum retexit quisquam mortalium. Et hæc quidem libro de Iside & Osiride. Alio autem tractatu de inscriptione ΕΙ, quamvis nihil tale cogitat, detegit fraudes spiritus mendacis, qui superbe admodum superstitiosis ad Delphicum oraculum accedentibus; illudebat hac vocula, quæ duo varia significat: nempe vel adverbium dubitantis, *Si*, vel verbum *Es*, ut sibi nomen & honorem divinum usurparet: aut ambiguis oraculis deludere miseros Ethnicos. Qui verum Deum salutat & compellat, vere dicit ΕΙ, *Tu es:* quod de nulla creatura dici potest. Quum vero Isidis dictum ex templi pavimento collectum expenditur, ad Dei sapientiam æternam referri debet: & nonnulli existimant Ægyptios sacerdotes ab Hebræis multa decidisse pietatis arcanæ mysteriis, quæ suis figmentis postea fucarunt, Dei veritatem in injustitia
D detinentes. Interea non probamus conjecturas eorum, qui Isis volunt significare *Es Es*, εἷς εἷς duplicato. Quamvis enim Plutarchus, Græcus scriptor, plausibilia multa protulerit de Ægyptiorum & Græcorum commentis etiam expetimus originem. Nec diffitemur Græcorum sapientissimos multa ab Ægyptiis accepisse, sed quæ postea suo more tamquam inter suos patres nata, suæ Gentis propria, & velut in Græciæ solo nata somniarent. Ægyptii sacerdotes audierant ab Israelitis, futurum ut ex Isi seu Issa, i. muliere aut virgine filius nasceretur generis humani redemptor. Hanc virginem deinde variis superstitionum velis obtegentes mira confinxerunt, quorum nonnulla Plutarchus, ut potest, explicat. Sed Goropium Hermathenæ lib. 5. de Iside post Lilium Gyraldum apertius differentem audiamus. Isis nihil aliud est quam Verbum Dei, ea ratione consideratum, qua Deus de Deo, verum unum de vero uno, verū ens de vero ente: quod quid aliud est, quam Opificis sapientia, per quam ex

Patre

Patre omnia creantur? quæ præter cætera quam plurima nomina, propterea *Myrionyma* quoq; vocatur, hoc etiam nomen habet quo geminus εἰς continetur. Quod SUM verbum Deo conveniat, ipsemet Mosi declaravit: quod si geminetur, non aliud significatur, quam verus Deus de vero Deo: ita ut εἰς εἰς dicatur de Dei λόγῳ seu Verbo, cujus potentia sapientiaq; omne esse ex Patre accipiunt omnia creata: cujus Sapientiæ peplum nemo revelavit, quia caput ejus obscuro, caliginosoque, invio mortalib. abysso occultatur. Hujus quidem numen unicum est, & apud omnes orbis incolas in summa veneratione, sed (ut Apulejus inquit) multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo. Hanc infinitis modis sub ingenti nominum diversitate latitantem, Salomon Sapientiam vocavit: D. Paulus luce clarius sententiam dicens, Christum Dei virtutem & sapientiam pronunciavit. Audiamus igitur ipsam Sapientiam de se Salomonis ore prædicantem, Prov. 8. cap. ut tandem videamus, quæ sit Isis Ægyptiorum. Dominus possedit me, inquit, in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, &c. quæ declarant omnia à Patre per Sapientiam æternam creata & certa lege, tempore constituto, fuisse disposita. Unde colligas necessaria conclusione, hanc eamdem cum filio esse, quem patris virtutē & sapientiam vocat D. Paulus, plenum gratiæ divinæ dolium. Geminatis certe in nomine *Is is*, essentiæ actus, secundam personam sive hypostasin indicat, cui totum mundi visibilis & invisibilis opificium debetur quod Isis sibi à suo pavimento adscribit. Hæc Goropius, qui variis locis multa de Iside & Osiride, illa Ægyptiorum sapientia, in medium profert, quæ amplius excutere non libet.

## SAPIENTIA *præditus.*

Gubernator in navi, magistratus in civitate, Imperator in exercitu, anima in corpore mens in anima: & sapiens primus inter homines. *Philo Jud. lib. de Abrah.*

In horreum fruges comportantur, res honestæ in sapientis animam. *Idem lib. 2. Allegor. legis.*

Ex templi janua aperta pulcherrima simulacra perspiciuntur: ex ore sapientis anima apparent imagines. *Socrates apud Stob. serm. de virtute.*

Pumilio etiam in montis vertice pusillus, colossus in fundo putei magnus est: & sapiens in quacunque fortuna suis bonis sublimis est, stultus autem in summo rerum splendore humilis. *Plutarchus in Moral.* C

Mundus undique teres ac rotundus sibi constat: & sapiens nihil extra se quærit seipso contentus. *Plinius lib. 2. cap. 2.*

Halcyones etiam media hyeme mare tranquillum præstant, non sibi solum, sed aliis quoque: Sapiens rebus turbatissimis, non solum tuetur animi tranquillitatem, sed etiam alios concitatos componit & sedat. *Idem lib. 10. cap. 23.*

In Culice non minus admiranda naturæ vis est, quam in elephante. Sapiens in maximis pariter ac minimis negotiis magnum virum ostendit. *Lib. 11. cap. 2.*

Animantia quædam etiam corporis partes amputant, ob quæ periclitari se sciunt: & sapientis est aliquando facultatum jactura vitæ consulere. *Lib. 36. cap. 16.*

Rhododendri frondes jumentis, capris, ovibus, venenum, homini contra serpentum venena remedium: quod stultis perniciem, adfert, ut adversitas rerum copia, scientia, sapiens vertit in suum bonum. *Lib. 16. cap. 21.* D

Ingentes obelisci magno quidem negotio statuuntur & collocantur, ob immensum molis pondus, sed collocati semel infinitis durant seculis. Arduum est, virtutis aut sapientiæ parare famam: sed parata numquam intermoritur.

## SAPIENTIS *vox semper eadem.*

TUrtur secundum Isidorum & alios, à vocis sono ita vocatur. Græcis est τρυγὼν à τρύζειν, ut vult Eustathius & Varinus, cum quoque ϛένειν dicatur: quod utrumque est gemere. Unde Virgil. in Bucolicis,

*Nec gemere aerea cessabit turtur ab ulmo.*

Solent

A Solent autem eumdem sonum in cantu & gemitu usurpare, sive læti sive tristes esse videantur. Idem facitant illi, qui in fortuna tam secunda quam adversa rerum humanarum vicissitudines æquabili quasi harmonia ferunt. Cujus rarum exemplum nobis proponitur in Socrate de quo Cicero Tuscul. Quæst. lib. 3. hæc memoriæ prodidit. Hic est ille vultus semper idem, quem dicitur Xantippe prædicare solita in viro suo Socrate fuisse, eodem vultu semper se vidisse eumdem illum domo & revertentem. Idemq; 1. lib. Offic. inquit: Præclara res est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eademque frons, ut de Socrate, idemq; de Lælio accepimus. Quod Horatius quoque monet lib. 2. carm. in illa præclara ode 2. ad Q. Delium,

*Æquam momento rebus in arduis*
*Servare mentem, non secus in bonis*
*Ab insolenti temperatam*
*Lætitiam, moriture Deli.*

An vero facilius sit res secundas aut adversas eodem modo & animi æquabilitate ferre, ambigitur,
B & disputant de eo Philosophi, quemadmodum apud Aristot. in Ethicis, Senecam, & alios videre possumus: quæ omnia colligens satis verbose tractat Petrarcha, in præfatione librorum de Remediis utriusq; fortunæ, ubi tam præcepta quam exempla admodum utilia non pauca proponuntur. Extat quoque de eadem re disputatio apud Muretum variarum lectionum lib. 5. c. 15.

*Fortis in adversis, timidus sed vive secundis,*
*Neu te hæc extollant, illave dejiciant.*

## SAPIENTIS *labor.*

PLato lib. 6. de legib. ait, ὃις τὸ καλὸν ῥηθὲν οὐδὲν βλάπτει, id est, *Bis pulchrum & laudabile dicere nihil nocet.* Quare etsi hoc hieroglyphicon alibi exposuimus, hoc loco tamen diversa quidem explicatione propter illius elegantiam repetere placuit. Varro lib. 4. de Re rustica naturam api plurimum artis ac ingenii tribuisse scribit, ut quæ minime sit malefica, & quod nullius opus vellicans faciat deterius. Nam neutiquam floribus insidendo officit aut impedit quominus plenum fructum afferant.
C De quo Aristoteles lib. 11. c. 8 adhuc multo prolixius agit, nec non Plinius, ipsius hac in parte copiosus interpres. Rectissime autem ab illis usurpari poterit, quorum omnium actionum & universæ vitæ finis eo spectat, ut sine ulla injuria & damno semper quam pluribus possint inservire, ne ulli quicquam mali inferre: secundum præclaram sententiam cujusdam distichi neoterici poetæ,

*Hic scopus unus erit, cunctis prodesse, nocere*
*Nemini amare bonos, ac tolerare malos.*

Est autem innocentia, secundum Ciceronem, puritas animi, omnem injuriæ illationem abhorrens, quam in Tusculanis Quæstionibus ἀβλαβείαν, id est, affectionem animi quæ nemini noceat, nominare solitus est. Apud alios adjecta est Græca inscriptio, ΑΦ' ΕΚΑΣΤΟΥ ΤΑ ΧΡΗΣΙΜΑ, id est, AB UNOQUOQUE UTILIA. Quemadmodum enim apicula in florido prato ad quosvis flores advolat, atque ex illis solum ea, quæ sibi utilia sunt, carpit & inde aufert, sic nos quoque relictis aliis superfluis, vel etiam detrimentosis studiis, ad ea tantum animum applicare debemus, quæ aliquid utilitatis ac doctrinæ bonæ ac salutaris afferre possint. Habent igitur cordati, sapientes, eruditi viri tabellam hieroglyphicam sibi convenientem in apicula, quæ sine injuria colligit quæ hominibus gra-
D ta, utilia esse possint, & ut necessaria juvant: juxta distichon,

*Quæ multùm prosint sapiens fert, colligit, auget,*
*Ut varios flores sedula libat apis.*

Iisdem vero frequenter occurrit Lucretii dictum circa lib. 3. de natura rerum initium:

*Floriferis ut apes in vallibus omnia limant:*
*Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,*
*Aurea perpetua semper dignissima vita.*

## SAPIENTIÆ *vis.*

DE Monocerote dicturi, authorum veterum & recentium proferemus testimonia, deinde ad reliqua pergemus. Cæsar, Comment. lib. 6. animal. quoddam pingit observatu dignum, Bos (in-

quit) cervi figura, cujus à media fronte inter aures unum cornu exiſtit excelſius, magisque directum A
iis, quæ nobis nota ſunt cornibus. Ab ejus ſummo, ſicut palmæ, rami late diffunduntur. Eadem eſt fœminæ marisq; natura, eadem forma magnitudoque cornuum. Marcus de Nizza, in novæ Hiſpaniæ itinerario, ferunt, inquit, vaccæ magnitudine ibi reperiri animal, cujus corium & villi hircino perſimiles ſint, craſſitudine digitali. Eſt autem illi in fronte cornu ad pectus retrorſum, ac deinde in rectam cuſpidem ſe vertit; tantaq; vis in eo eſt, ut quæq; obvia penetret aut confringat. Plinius lib. 8. c. 21. Monocerotem fingit aſperrimam feram, reliquo corpore equo perſimilem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, media fronte, cubitorum duûm eminente: hanc feram vivam negant capi. Ælianus hiſt. animal. lib. 16. c. 20. Monoceros in Indiæ quibusdam montibus inacceſſibilibus reperitur, ad confirmatæ ætatis equum magnitudine comparatur, juba piliſq; fulvus, pedibus celer, digitis ut elephas indiviſis. Apri caudam habet, at inter ſupercilia cornu unum, idemq; nigrum, non leve, ſed verſuras quasdam naturales habens, quod deſinit in acutiſſimum mucronem; omnibus aliis animalibus ad ſe accedentibus manſuetus, ſuo genere, ſive maris, ſive fœminæ, ſemper pugnax. B

Paulus Jovius hiſt. lib. 18. de ortu Nili loquutus, paulo poſt ſic habet: Monoceros animal, unicorne à noſtris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, jubata cervice, hircini barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod levore candoreque eburneo, & pallidis diſtinctum ſpiris ad obtundenda hebetandaq; venena mirificam poteſtatem habere dicitur. Cornu enim immiſſo & per lymphas circumducto, fontes expiare perhibetur, ut ſalubriter bibat, ſi inde virulentæ beſtiæ præpotarint. Id vivo animali non detrahi, cum ullis inſidiis intercipi nequeat. Cornu tamé ſponte deciſum in deſertis reperiri, ut in cervis accidere videmus, qui & ſenectæ vitiis renovante natura, vetus cornu exuunt, venantibusq; relinquunt. Hoc cornu regiis impoſitum menſis toxica, ſi qua ſint epulis indita, emiſſo ſtatim admirabili ſudore, convivis prodere narrant. Ex his vidimus bicubitales brachiali fere craſſitudine; primum Venetiis, quod poſteà Solimano Turcarum imperatori Senatus dono miſit: alterum pari prope magnitudine, ſed præciſa cuſpide, argenteæ baſi inſertum, quod Clemens VII. Pontifex Maſſiliam profectus, pro inſigni munere ad Franciſcum regem Galliæ detulit. Cæterum de vi tantæ dotis in hoc animante nihil plus affirmaverim, quam quod evulgata fama credentibus ſuadet; cum antiquorum auctorum nemo, præter Ælianum, quidquam de hac Monocerotis admiranda poteſtate memoriæ prodiderit. Hæc P. Jovius. C

Nicolaus de Comitibus Venetus in Itinerario venenatis rebus remedio cornu Monocerotis eſſe refert in Mangi Orientalis Indiæ provincia. Marcus Polus lib. 2. c. 43. apud Tartaros in regno Mien, in ſilvis Monocerotes repertos eſſe commemorat. Idem refert de regno Guzzerat, quod confine eſt Indico regno Mabarenſium lib. 3. cap. 28. præcipue vero haberi in regno Baſma Javæ majoris tradit lib. 3. cap. 12. frequentiſſimos autem eſſe in regno Lambri ejusdem inſulæ meminit eodem lib. 3. cap. 15. Hos ita depingit. Monocerotes elephantis minores ſunt, villo à bubalorum non diſſimili, pedibus elephantinis, unico in fronte cornu armati, quo neminem umquam lædunt: eſt illis apri caput, ſemperq; in tertam pronum: in volutabro luti ſuum more delectantur. Ludovicus Barthema, qui & ipſe Orientalem Indiam omnem perluſtravit, ſimul & Perſidem, meminit Monocerotis: ſed villos ejus ſubfuſco colore eſſe tradit, cornu longitudinem tricubitalem habere affirmat: & cervinum caput illi tribuit, nec non crura cervina, quorum poſteriora admodum villoſa: pedum ungula caprina, paululum in ſumma anteriore parte diviſa: mite animal apparere, vidiſſeq; duos Monocerotes teſtatur in Arabia ex Æthiopia miſſos. Hæc ille, cap. 17. itinerarii. Julius Cæſar Scaliger, libro de ſubtilitate ad Cardanum, exercitatio. 205. Monocerotis cornu unum integrum Niceæ vidimus: alia alibi; ſubfulvum unum, unum ſubluteum, accedens maxime ad buxeum, unum ſubpuniceum: etiam habemus fruſtum candidum. Negat Vartomannus ferocem eſſe: contra quam vulgo ab aliis acceperamus. D

Veteribus Romanis Monocerotes ignoti. Quod autem cornui hujus animalis tribuitur hæc vis & proprietas, quod contra plæraq; venena ſit admodum efficax, viri docti hieroglyphicon & ſymbolum eſſe ſapientiæ laudabilisq; doctrinæ, cujus vi & beneficio poſſumus in rebus dubiis ac periculo-

ſis

A sis constituti difficultates & remotas omnes, à virtutis & honestatis via avocantes removere, malaque à bonis segregare. Præterea sapientiæ vis hæc est, ut nihil inexploratum aggrediamur: sed, juxta veritatis præceptum omnia probemus, quod vero bonum est teneamus; venenata fugiamus, & provocationis nostræ ratione ac modulo in fugam cojiciamus,

Moly herham describit Homerus Odyss. 10. (quem Plinius sequitur lib. 25. c. 4.) inventamq; tradit à Mercurio qui contra veneficia & magicas artes Ulyssi illam tradiderit, ut ea adversus fraudes & illecebras Circes, quæ ejus socios in varias belluarum species mutabat, sese muniret. Quæ omnia mythologice accipi debent. Facultates enim animi quædam conspirantes cum affectibus rationisq; obedientiam excutientes, & deinceps facile hinc inde exorbitantes, ad quævis vitia homines arripiunt, atque secundum Horatium,

*Affigunt humo divinæ particulam auræ:*

unde propria forma exuti in diversas bestiarum figuras transmutari dicunrur. At contra Ulysses vir prudens, ac multarum rerum usu præditus, veræ rationis normam ante oculos habens, ac Moly
B sapientiæ, adversus monstra pravorum affectuum unicum amuletum præ se ferens, hæc facile omnia depellit, nec à statu suæ constantiæ se dimoveri ullis patitur illecebris.

*Moly venena fugat, fraudem sapientia pellit:*
*Hanc pete, cum tot sint plurima monstra locis.*

## SATAN.

INter immanissima crudelitatis exempla, quæ literarum monumentis consignata sunt istud haud postremum locum tenet, nempe cum protrahendi cruciatus causa verus homo cadaveri jungitur. Quo etiam crudelitatis genere Mezentium testatur his verbis Virgilius,

*Mortua quinetiam jungebant corpora vivis.*

Ac proinde Clemens Alexandrinus, in adhor. ad Gent. calamitatē eam deplorans, in quam Satanas crudeli fraude Gentiles conjecerat, hoc videlicet ipsis persuadens, ut cultum atq; honorem uni Deo debitum ad res sensu carentes transferrent, his verbis utitur: Perversa bestia, inquit (de diabolo lo-
C quens) præstigiis quibusdam homines in servitutem redigit, atq; usque ad hunc diem affligit, eos, ut quidem mihi videtur barbarorū more excrucians: quorum tantam esse inhumanitatē ferunt, ut quos bello atque armis ceperint, cadaveribus jungant, quo una cum illis putrescant. Eodem enim modo perversus tyrannus ac draco, quotquot homines subigere potest, misero superstitionis vinculo constrictos, ad lapides, ligna, ac simulacra vivos adducit, unaq; cum illis inhumat, quoadusq; una cum illis intereant. Habes lector similitudinē eam, quam scriptor gravissimus affert. Quam in hoc Octasticho amplificandam duxi, eam nimirum, non modo ad Gentilium simulacra accomodans, sed etiam ad ea omnia extendens, quæ fluxa & caduca sunt: quibus cum homo voluntatis nexu adstrictus est misere perit atque corrumpitur. Quemadmodum enim fieri nequit, ut quispiam picem tangat, quin ipsius manus inficiantur: eodem modo fieri non potest, ut qui præpostero affectu rebus vanis atque interitui obnoxiis adhæret, non ipse quoq; evanescat & corrumpatur, atque, ut cum Propheta Joel loquar, in fœcibus suis computrescat. Unde etiam Paulus Rom. 1. de iis loquens, qui Dei veritatem in mendacium converterant, judicio hoc ipsis contigisse ait, ut in cogitationibus suis evanuerint. Ex
D quo perspicuum est, quod quemadmodum Chamæleo rei cui sese adjungit colorem contrahit, sic etiam homo talis efficitur qualis est res ea, cui animum addicit. Si Deo adhæret, divinus efficitur. Si mundi vanitatibus vanitate ipsa vanior redditur. Ob eamq; causam ajebat Paulus, 1. Cor. 6. Nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unus spiritus efficitur: qui autem adhæret Deo unus spiritus est?

2. Perpetuæ est hæc Satanæ consuetudo, ut primo peccata, quoad ejus fieri potest, extenuet, eoq; hominem adducat, ut ea tamquam levia, parvique momenti nihil curet: quod scilicet, ut est apud Marcum Eremitam, de lege spir. n. 96. In Com. Epist. ad Gal. hominem alioqui ad majora & graviora scelera trahi minime posse perspectum habeat. Unde etiam hanc esse causam ait, quamobrem atrocioribus peccatis aditus ad nos pateat, quod in minoribus non eam, quam par sit, correctionē adhibeamus. Qua quidem in re ad illud Scripturæ respicere videtur, Eccles. 19. Qui minima con-



temnit,

temnit, paulatim decidet. Atq; ut clarius istud ostendat, hac similitudine utitur. Quemadmodum in corporibus humanis, qui vulneribus suis medicinam adhibere negligunt, febres ac putredines atq; adeo mortem quoq; ipsam sibi accersunt: eodem modo in anima, ii qui exigua peccata parvipendunt, majora invitant. Augustinus item de decem chord. c. 11. ut indicet plurimis levibus peccatis animam opprimi posse, similitudinem à pluviis ducit quæ tametsi guttatim labantur, flumina tamen implent, ac domos subruunt. Quod idem etiam ait de arenæ granis, quæ tametsi minutissima sint, tamen si plus æquo his navis oneretur, non est dubium quin confestim pessum itura sit. Quin Gregorius quoque Nazianz. in carmine advers. Diabolum, his verbis eum alloquitur:

*Tu minimis primo vitiis in pectora nostra*
*Influis, ac ve lut exiguis illaberis undis.*
*At simulatq; tibi datus est locus, illico magnus*
*Irrumpis, rapideque fluens latissimus amnis:*
*Donec ne chaos accipiat, batatrumq; profundum.*

Quare non immerito Paulus nos admonet Ephes. 2. 4. ne locum diabolo demus & David Ps. 136. sub Babylonicorum filiorum typo, beatos eos pronunciat, qui primas Diaboli suggestiones atque consilia ad firmam petram, hoc est, Christum alliserint. Quo spectat id, quod ait Cyprianus, de jejun. & tent. Christi Diaboli nimirum primis titillationibus obviandum esse, nec colubrum foveri debere, donec in serpentem formetur. Ac post eum Hieronymus, in c. 9. Eccl. Diabolum serpentem lubricum esse ait, cujus capiti, hoc est, primæ suggestioni nisi resistatur, non esse dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur. Certissima porro ipsi resistendi ratio in hoc sita est, ut juxta Sapientis consilium Prov. 4. cor nostrum omni custodia servemus, ac vel levissima quæq; peccata horreamus, illud Hieronymi epist. ad Celant. memoria tenentes, qui nescire se ajebat, an peccatum ullum leve dici possit, cum non nisi per Dei contemptum admittatur. Quod quidem ita in animis nostris infixum esse debet, ut vel à levissimis quibusq; cogitationibus, quibus animæ nostræ quoquomodo infici queant, abhorreamus, illud nimirum pro certo habentes, quod etiam si consensum ipsis negemus, non tamen fœtoris aliquid nobis inhalare desinant, quemadmodũ his verbis eleganter ostendit Cyprianus, De jejun. & tent. Christi; Quamvis Diabolus ab ingressu mentis arceatur revitente consensu, aliquid tamen de spurcitia sua ibi evomens, abominationum horrore nauseare compellit. Sic, ut aliquid poeticum inseram, temulentus Ciclops, illiciti conjugii appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen ejus Erichthonium fundit, & incorrupta Minerva, superest tamen deforme monstrum: nec omnino affectata scelera in memoria moriuntur.

3. Augustinus Serm. 197. de temp. dicit, Ante adventum Christi, solutus erat Diabolus: Christus veniens de eo fecit quod in Evangelio dicitur, Matth. 12. Nemo potest intrare in domum fortis, & rapere vasa ejus, nisi prius alligaverit fortem. Venit ergo Christus & alligavit diabolum. Sed dicet aliquis, si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet: sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est tamquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates seculi noli conjungere: & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solicitare potest: mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Ac rursus August. tract. 52. in Joan. hæc Joannis verba exponens, Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras, ad hunc modum loquitur; Quid ergo? Jam neminem fidelium tentat? Imo vero tentare non cessat. Sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. Nam & munitissimam civitatem aliquando hostis oppugnat, nec expugnat. Ac rursum alio loco: Qualescumq; potest diabolus ad malum invitare, non potest trahere. Delectationem infert, non potestatem. Consilium ingerit, non conflictum.

4. Cur Diabolus tam infestum atque implacabile adversum nos bellum gerat, invidiam in causa esse tradit Scriptura. Invidia enim Diaboli, ut ait Sapiens, mors intravit in mundum. Nam, cum videret hominem, hoc est, naturam longe inferiorem, ad eum honorem evehi, unde ipsum superbia dejecerat, invidia confestim exarsit, ut Cyprianus de zelo, & Nazianzen. Carm. de subst. mente præsit. pulchre ostendunt. At vero præter invidiam alia quoque à nonnullis afferri causa solet: nimirum, horren-

A horrendum illud odium, quo in Deum flagrat. Hanc enim causam esse ait Basilius, homil. habita in Iacy. cur nos ille odio insectetur, quod Deum acerbissime oderit. Hinc enim fit, ut quemadmodum perfidus quidam ac rebellis subditus, cum eam vim, easque opes non habeat, ut regem adoriri atque obtruncare possit, in ipsius statuam plerumque impetum facit eamq; omni contumeliæ genere afficit: sic etiam Diabolus, cum Deo ipsi nihil detrimenti afferre queat, immane illud atque horrendum odium, quod in eum gerit, in nos, qui ad ipsius imaginem conditi sumus, effundit, & quia μισόθεος est, idcirco etiam μισάνθρωπος est.

5. Qui divites fieri volunt, inquit Apostol. 1. Tim. 6. incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, &c. Quod etiam in honorū ac voluptatum cupiditate locū habet. Est enim hic triplex tuniculus, quo diabolus stultorum animas, tam arcte constrictas tenet, ut nihil eorum quæ ad sempiternam salutem spectant exequi possint. Quanam autem ratione hujusmodi laquei vitari possint, pulchrè ostendit Psalmista, Psalm. 123. cum ait, Sicut passer erepta est anima nostra de laqueo venantium. Quibus nimirum verbis illud nobis indicatur, hanc demum rationē nobis patere, qua diabolicas insidias vite-
B mus, si à rebus omnibus terrenis animum abducamus, nosq; totos ad cœlestium rerum amorem ac studium convertamus, ut cum Apostolo Phil. 3. verè dicere possimus, Nostra conversatio in cœlis est: ac rursum 2. Cor. 10. In carne ambulantes non secundum carnem militamus. Qua de re non alienum fuerit hic afferre, quod scribit Chrysostomus, homil. 8. epist. ad Rom. Serpentis formam, inquit, gerit diabolus: deorsum trahitur, ab inferiori loco depugnat, id est, à rebus quæ infra nos sunt, à voluptate, divitiis, & secularibus rebus. Si quem viderit volatu in cœlum ferri, saltu eo usque contingere non potest. Deinde, id aggressus celeriter labetur. Neque enim pedes habet, ne formides, non alas, ne terreare. Super terram trahitur, iis quæ in terra sunt adhærere sciens. Igitur nihil tibi sit cum terra commune, ac labore nullo egebis. Neque enim eam pugnam novit, quæ adverso utrinque cornu geritur, sed veluti serpens spinis occultatur, intra divitiarum impositurā assidue latitat: qui, si spinas incideris, facile aufugiet, timidus redditus. His Chrysostomi verbis non admodum dissimilia sunt quæ priore libro ex Augustino attulimus, illud Evangelii Matth. 12. explicante, ubi fortis à fortiori, hoc est, Satanas à Christo alligatus esse dicitur, ut jam canum more neminem mordere
C possit, nisi si quis suapte sponte ad eum propius accedat. Sed & quid de ea re Hilarius dicat, in Ps. 124. non incommodum fuerit audire. Exponens enim hunc Psalmistæ versum, Sicut passer erepta est anima nostra de laqueo venantium, ad hunc modum loquitur; In cœlestem scientiam, homo, eruditus es: quid tibi cum terrenis operibus & gestis? Avis effectus es; cur non in elemento tuo moraris? Volucres enim cœli nuncupantur. Psal. 8. Non injuste ergo illis in possessione terrenæ hæreditatis insidiæ sunt. Seculo renunciasti: quid tibi cum sæculi rebus? Quid quereris captus in sæculo? Quid quereris injuriam laquei in regione non tua? Dic tu potius, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Natura avium est, ut non, nisi cum volant, requiescant. Tu autem jam factus es columba: volando requiesci, id est, in cœlestem sedem & cognitionem à laqueis terrenis volatu fidelis animæ te efferendo.

6. Chrysostomus, *Serm. 3. de Lazaro*, Canis (inquit) mensæ assistens, si viderit hominem vescentem, subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi projicientem, manet assidue, quod si semel atq; iterum
D sic adstitit, ut discesserit nihil adeptus protinus abstinet, veluti qui jam frustra & incassum adsistat: Itidem & Satan jugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani projiciamus: quo accepto rursus aggreditur. Quod si perseveraveris gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterq; abegeris, & aufugere coëgeris.

Idem, *Homil. 8. ad Rom.* Deus diabolum habitare voluit, tamquam prædonem quempiam ac tyrannum; qui nisi quem apprehenderit inermem & solitarium in speluncas suas descendentem, accedere sane non sustinet, nisi nos per desertum iter facientes viderit appropinquare non audet. Desertus autem locus diaboli nihil aliud est nisi peccatū. Opus est ergo nobis fidei scuto, salutis galea, spiritus gladio: non ut ne malum aliquod patiamur tantum, sed ut illius caput irruere volentis obtruncemus. Serpentis formam gerit, deorsum trahitur, de inferiori loco pugnat, id est, à rebus quæ infra nos sunt, à voluptate, divitiis, rebus secularibus. Si quem viderit volatu ad cœlum ferri, primo

ſaltu eo uſque pertingere haud quaquam poteſt: deinde id aggreſſus celeriter labetur, neque enim A
pedes habet, ne formides: non alas, ne terreare: ſuper terram trahitur, iis quæ infra ſunt adhæreſcens. Igitur nihil ſit tibi cum terra commune, ac labore nullo egebis: neque enim eam pugnam novit quæ adverſo utrinque cornu geritur, ſed veluti ſerpens ſpinis occultatur, intra divitiarum impoſturas aſſiduè latitans: qui, ſi ſpinas incideris facile aufugiet, timidus redditus, ſi & in illum divina carmina canere noveris, ſtatim vulnerabitur: ſunt enim nobis incantationes ſpirituales, ipſum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque ipſius Crucis potentia. Hæc ipſa incantatio non ſolum Draconem à ſpoliis abigit, atque in ignem conjicit, ſed & vulneribus quoq; ab ipſo illatis medetur.

7. Idem *Homil. 44. ad Hebr.* Hamo eſcæ præda poſita piſces decipimus, qui videntes eſcam hamum non conſiderant, & dum prædam volunt rapere hamo capiuntur: Satan dum humanum corpus tantum in filio Dei conſiderat, & Deum in corpore non agnoſcit, quaſi ad præparatam ſibi prædam, ſolita rapina feſtinatum. Sed dum vult draco avidus prædam rapere ipſe draco, ut piſcis adductus in hamo, præda Domini captus efficitur.

8. *Serm. 9. de Ozia.* Piratæ non tunc inſidiantur cum è portu vident exeuntes: nam quid prodeſſet B
invadere navem vacuam? ſed tunc omnes artes explicant, quando naves onuſtæ redeunt. Et cacodæmon, cum nos viderit multa convexiſſe, & navim noſtram gemmis pietatis onuſtam, tunc undequaq; ſeſe objicit, ut theſaurum rapiat, & in ipſo portus ingreſſu vincat & ſpoliet.

9. Idem *Lib. 2. de Orat.* Civitas muris non cincta, in poteſtatem hoſtium facilè venit, quoniam deeſt id quo fuerat hoſtium curſus arcendus. Animam precibus minimè munitam diabolus facile in ſuam ditionem redigit, & ſine negotio omni genere ſcelerum implet.

## SCRIPTURA *Sancta.*

CHryſolithos, aureo colore translucentes, non varios & turbidos, fulgoriſque nubilo interpellatos (quales ſunt Arabici) Plinius commendat. D. Hieronymus addit aureum habere fulgorem, & videri ſcintillas ardentes emittere, & nocturnos pellere timores. Venuſtiſſima imago eſt Scripturæ ſanctæ, quæ ut eſt, inſtar auri obrizi ſincera & pretioſa, ita doctrinæ ſuæ radiis illuſtrat mentes noſtras, corda exhilarat & accendit ad pios motus, quoties in ejus lectione & meditatione C
devotè verſamur.

## SECURITAS.

INter ἀμφίβια vitulus quoq; marinus eſt. Nam in mari & terra degit, adeo ut Jul. Cæſar Scaliger in Exerc. ad Cardanum teſtetur, ſe in Illyrio vitulum marinum vidiſſe vineas populantem. Somniculoſum maximè eſt animal, quod præter Plinium, aliosq; Martialis etiam attingit hoc verſu:

*Dormitis nimirum glires vitulique marini.*

Dormit autem extra aquam, ſæpe ſuper ſaxa ut Oppianus & ex Homero Ælianus aſſerunt, & quidem turbato licet mari ſecuriſſimè. Hujus enim fluctus altiſſimo ſomno oppreſſus nequaquam ſentit, fulminibus vero ſolum ex omnibus marinis non tangi Plinius & Plutarchus auctores ſunt, quod tamen vanitatis arguit Brodæus 3 Miſc. 2. Sed Pierius etiam docet in hieroglyph. Ægyptios hominem contra omnia pericula, maximè contra potentiorum vim, tuto ſe præmunientem ſignificantes, marini vituli pelle indutum pinxiſſe, quod eam fulminis ictum non admittere obſervatum, & Principum iras fulminum inſtar eſſe ex Poëtis notum ſit. Auguſtum certe illa pelle pro ἀποτροπαίῳ fulminis uſum, à Suetonio in ejus vita: & de Severo Imperatore refertur quod eadem ſuperſtitione lecticam ſuam corio illius tegi curaverit. Viri autem in utraque fortuna recti & conſtantis effigiem hoc hieroglyphicon ſubjicit. Quo pertinent Horatii illa, D

*Juſtum & tenacem propoſiti virum, &c.*

Cui plane ſimilia Chorus apud Senecam in Tyeſt. poſt act. 2. concinit. Igitur, ſecundum Boet. libr. 2. de conſ. phil.

*Quamvis tonet ruinis*
*Miſcens æquora ventus,*
*Tu conditus quieti*
*Fœlix robore valli,*
*Duces ſerenus ævum,*
*Ridens ætheris iras.*

SECU-

A SECURITAS *intrepida.*

PArturiens vulpes ita secedit, ut raro gravida capiatur, inquit Aristoteles, lib. 6. hist. animal. cap. 34. Unde versus proverbialis

Γέρων ἀλώπηξ οὐ ἁλίσκεται πάγῃ. id est:

*Vetula vulpes laqueo haud capitur.*

Non aliter homines circumspecti & prudentes maturè sibi à fraudibus & insidiis malorum prospicere & sanis consiliis sese præmunire debent. Tela prævisa minus feriunt. Et Seneca vult, ut in ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra fortunæ injurias inter beneficia firmetur. Qui enim in ipsa re trepidare noluerit, ante rem exerceat. Quam in sententiam Cicero copiosè disputat, lib. 4. Tuscul. quæst. Sapientem præcipere ac præsumere oportere omnia quæ homini acerba & gravia accidere possunt. Tali enim præmeditatione effici illa leviora & toleratu faciliora. Idque auctoritate Euripidis & Terentii comprobat. Et apud Virgilium Æneas lib. 6. Sibyllam Cumeam alloquens, ait:

B *Non ulla laborum*
*O virgo, nova mi facies, inopinave surgit.*
*Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.*

Quem locum & Seneca mirè extollit, & Petrarcha commendat in præfat. libr. 1. de remediis utriusq; fortunæ.

*Prudens insidiasque fugit, fraudesque malorum.*
*Sic vulpes, uterum dum gerit, haud capitur,*

SECURITAS *periculosa.*

P. Bellonius in observationibus suis hanc ad Euxinum, Bosphorum & Propontidem, piscandi rationem, quæ obscura nocte fieri soleat, inter alias commemorat. Binos viros cymbam occupantes unum quidem hanc impellere, alterum vero & tædam accensam & fuscinam tenentem observare dormientes pisces, datoq; rectori naviculæ signo, quo illam impellere debeat, si prædæ certus jam sit, magno impetu tridentem inquiescentis piscis dorsum vibrare, eumque captum ad se attrahere.
C Affirmat autem hunc piscandi modum ad lumen cum fuscina, cum ad polypos, loligines magnas & parvas, tum ad omnis generis pisces squamis præditos max. esse accommodatam. Dormire vero pisces non minus, quam terrestria animalia, certum esse, nec deesse, qui eos ronchos ducentes exaudiverint. Id quod & Plinius tangit lib. 10. c. ult. quamvis Oppian. 2. ἁλιεύτ. pisces, plerosq; omnes, præter scarum, somnum neget capere, quod sibi metuant à potentioribus. Profecto autem ad excitandam in hominibus vigilantiam & vitandam omnem omnino securitatem hoc hieroglyphicon conducit. Nam, ut Horatius canit;

*Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones,*
*Ut teipsum serves non expergiscaris?*

Nemo enim celerius opprimitur quam qui nihil timet. Et frequentissimum initium calamitatis, securitas, ut præclare Vell. Paterculus dixit. Pertinet autem huc præclara enarratio sententiæ Homericæ in progymna. Theonis Sophistæ:

D Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. id est:

*Dedecus est totam consultum sternere noctem:*

quam ipse Jupiter protulit. unde & Theon omnibus cæteris in Homero γνώμας eam præfert, & exemplis illustrat ac confirmat. Stertentes opprimit hostes. Vigilandum igitur, orandum & laborandum.

*Ut capiat pisces piscator nocte laborat.*
*Ut seipsum servet surgere nemo parat.*

SEDES *incerta.*

PAsser noster vulgaris quibusdam videtur à patiendo dictus, quod sæpè morbo caduco laboret, quæ etymologia satis longe petita esse videtur. Nulla vero avicula ferme invenitur, quæ certa sede ca-

de carens pervolitando sic locum mutet & incerta vagetur. Quare etiam Proverb. 26. dicitur passer A quolibet vadens. Est tamen nihilominus testimonium divinæ providentiæ ac protectionis in rebus quoq; vilibus & despectis : quod ipse Servator noster Christus nos monet, Matth. cap. 10. Nonne, inquit, duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Videtur autem hoc symbolum illis conveniens, qui in continuis peregrinationibus, sive voluntariis, sive necessariis versantur, quod studium si moderatum est, non solum gratum, sed utile quoq; esse consuevit: sed ubi modum excedit, plurimum profecto molestiæ & incommoditatis secum afferre solet, de quo Menandri sententia intelligenda,

ξενιτεία γὰρ χαλεπὴ κ᾽ πολλὰς τρόπους.
*Peregrinatio enim multis modis difficilis est.*

Quid quod peregrinatio ipsa morbus esse dicitur à Symmacho in Epistolis? At rectè etiam ad piorum hominum in hoc mundo tanquam diversorio aliquo peregrinationẽ accommodare poterimus de quo Epi. ad Hebræos, οὐκ ἔχομεν, dicit, ὧδε πόλιν μένουσαν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν, id est, *non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Deq; hujus vitæ brevi & instabili B curriculo B. Nazianzeni extant versus :

τροχὸς μὲν ἐστιν ἀστάτως πεπηγὼς — *Trochus est parum certus parumq; stabilis;*
ὁμικρῆς ῥύτου καὶ πολυτρόπου βίου. — *Fallacis hujus cursus & vitæ brevis.*

Ad hieroglyphicon autem propius alludens poeta noster, ait :

*Ut celer huc, sed mox volitat passerculus illuc,*
*Sic nusquam est, si quis vivere ubique volet.*

## SEDITIOSI.

SAlamardra aquatilis à multis cum Corylo & Scinco ferè confunditur. Lacertum (cujus speciem Theophrastus eam videtur facere) refert propemodum corporis specie, caput maculis albis refertum habet, & in dorso pinnulam rectam per totum oris rictum ranæ similem, caudam, ut in Cobitide fluviatili vel potius in anguilla cernimus, nonnihil latam. Degit in fluminibus & stagnorum ripis, & per fulgetra & tempestates caput exerit. Hinc Plinius scribit, numquam nisi magnis imbri- C bus provenire, & serenitate deficere. Eodem plane modo obscuri sæpe homines, & quibus si in pace domi vivendum esset, ne panis quidem ad victum suppeteret, per tumultus & bella emergunt, & ad maximas cùm opes, tum dignitates perveniunt. Non meminerunt illi, rem esse, ut Synesius dicit in Orat. de Regno, multo beatiorem pacem, quam bellum, quippe cum pacis causa bellici etiam apparatus fiant. Bellum igitur, ut de Hispaniæ populis Justinus inquit, quàm otium malunt. Si extraneus deest, domi hostem quærunt. Omnium autem gravis. & Nestoris illa apud Homer. *il. i.* oblique tam in Achillem, quam Agamemnonem exprobratio :

Ἀφρήτωρ, ἀθέμις ἐστὶν ἀνεστὸς ἔμμεναι οἴκου, — *Sine cognatione injustus, sine domo est ille,*
ὃς πολέμου ἔραται δημοσίου ἀκριτόφυτου. — *Qui bellum intestinum amat asperum.*

Quam laudat Aristoph. εἰρήνη Aristot. πολ. α. & expressit Cicero 13. Philip. Ad hieroglyphici vero meliorem intellectum facit etiam Adag. *In seditione vel Androclides belli ducem agit.* Quod paræmiographus in rixosos Theologos, qui tantum ἐριστικοῖς suis scriptis claresceré, & ex rebus ubique perturbatis ditescere cupiunt, rectissimè accommodat. Turbis pascuntur, Solem comitiorum & Syno- D dorum ferre nequeunt. Hujusmodi turbonibus convenit δίστιχον,

*Sunt pluviæ mihi vim, necem sed Sirius affert,*
*In pace & languent quos fera bella fovent.*

## SEDITIOSI *tollendi.*

Ere corporis humani est putridum membrum mature abscindere, ne pars sincera trahatur : & societatis humanæ (quam cupimus salvam) interest, pernicioſos cives è medio tollere, ne malum unius paulatim serpat in totum corpus societatis.

SENE-

## SENECTUS *laudata.*

A BArbo pisci, quo nullus est frequentior alius in præterfluente Nicro Germaniæ fluvio nobili, nullum Græcum nomen est. Errat enim Volaterranus, qui τρίγλην, mullum, Barbum facit, cum ille marinus, hic aquæ dulcis alumnus sit. Sed & inter Latinos veteres solus Ausonius Barbum & nominat, & immortalitati consecrat in nobili sua Mosella, iis versibus, ex quibus & hoc hieroglyphicon, & inscriptionem eius accepimus. Dicit autem ibi Ausonius, Barbum, quo grandior natu & magis longævus sit, eo meliorem esse. Quæ laus cæteris animantibus, ut etiam piscibus non æque convenit. Unde manet in hunc usq; diem celebre: *Piscis nequam est, nisi recens.* Sic profecto ætas hominũ, etiam pejor & declinans, melior est juvenilis incremento, & majori tum laude, tum honore digna Solon quidem Atheniensis, etiam lege vetuit, valde juvenem magistratum gerere, vel consulere, etiam si opt. à mente constitutus esse videretur, ut scribit Juncus lib. de Senect. apud Stobæum. Lycurgus etiam, referente Justino, max. honorem in sua Rep. senum esse voluit, quod & Cicero & Gellius laudant. Unde proverb. ἐν σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν, *In sola Sparta expedit senescere.* Nec
B cesserunt hac in parte Romani Lacedæmoniis. Gravissime enim Callistratus in l. Semper. D. de jure immu. Semper, inquit, in civitate nostra senectus venerabilis fuit. Namque majores nostri pæne eumdem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant. Et Gellii cap. 15. libr. 2. prorsus huc convenit. Et noti sunt præterea Juvenalis in hanc rem Sat. 13. & versus Ovidii, l. 5. Agamemnon quoque apud Homer. ιλ. γ. non optat Ajacis similes decem, sed Nestoris: quod & Cicero de Senect. tangit. Plato autem lib. 5. de Repub. Senem (inquit) Lex nostra præficit omnibus junioribus, eosque corrigere jubet. Barbi Ausoniani hieroglyphico ascribe distichon,

*Ausonio vetus hic laudatur piscis. An ergo*
*Perpetuam hanc laudem Cana senecta tenes?*

## SEPULTURA *probrosa.*

CIcero Philip. 1. insepultam sepulturam vocat. Ubi quis insepultus à feris & bestiis lacerandus in locis ignominiosis projicitur. Jeremias Propheta, de Jehojakimo impio rege Judæ à Babyloniis capto, interfecto & probrose projecto, loquens, capit. 22. v. 18. 19. non plangent eum, inquit, heu
C frater mi, aut heu soror: non plangent eum, heu Domine, aut heu decus ejus: sepultura asini sepelietur; tractus & projectus ultra portas Jerosolymorum, ut asinorum mortuorum vilia cadavera feris & avibus lanianda relinquuntur in sterquiliniis & campis remotis ab hominum conspectu, idem profano illi principi, accidisse minime dubitamus.

## SERVITUS *voluntaria.*

QUi velit de diversis Accipitrum generibus, exquisite omnia cognoscere, Gesnerum, & nuper Augustæ Vindelicorum librum Friderici 2. Imperatoris de Aucupio elegantibus typis excusum, consulat. Quidam nostros Sparuieros veterum Nisos esse existimant, nonnulli vero accipitrem palumbarium vocant. Qua ratione autem accipitres sint tractandi, ne temere oberrrent, aut difficulter ad dominum redeant, idem Gesnerus ex pluribus authoribus copiose tradit. Solet autem aucupi familior & obsequentior redditus Accipiter, tantum invitatione sibili ad scapum, sive, ut vulgo vocant, revocatorium sponte rursum advolare. Porro instrumentum istud alarum, cui in
D medio aliquid carnis alligatur (ut diximus) revocatorium vulgo nominant. Budeus in Philologia scapum, Galli vero rappel, & leurze dicunt, forsitan à loyer, quod præmium significat, Germani *ein Luder.* Etsi autem, secundum Plautum in Captivis,

*Omnes profecto liberi libentius sumus quam servimus:*

Ac homini ingenuo nihil sit difficilius quam imperium præsertim durius ferre, cum Homerus quoq; Odyss. 7. dimidium virtutis illi perire asserat, quem servilis necessitas captum teneat,

ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀπομύνυθ' εὐρύοπα ζεὺς
ἀνέρος εὖτ' ἂν μὶν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι. id est,
*Dimidio mentis privavit Juppiter illum*
*Servilis quemcumque virum sors cœperit umquam:*

Hoc tamen omne de nimis aspera & iniqua servitute accipiendum, cum idem Plautus in Milite dicat, A

*Facile est imperium in bonis.*

At Claudianus lib. 3. de laudibus Stiliconis :

*Fallitur, egregio quisquis sub principe credit*
*Servitium ; nunquam libertas gratior exstat.*

Alii scribunt Ultro Ad Vincula redit. Sponte quidem, non vi: unde distichon.

*Sponte mea redeo, mihi cum victoria parta est,*
*Nec vis me vocat, sed aucupis obsequium.*

## SERVUS *Dei.*

CHalcedonius Lapis colorem habet pallentis lucernæ, inquit Hieronymus. Fulget sub dio in domo obscurus omnium sculpentium argumentis resistit, radio Solis vel digitorum attritu excandens paleas ad se trahit. Eximius Christi servus aliis prælucendo servit; seipsum, si humana spectes, absumens : inter exteros plerumque magis quam inter domesticos quosdam refulget & in honore est : accensa autem in eo luce Solis justitiæ & digiti Spiritus S. efficacitate eundem confirmante, ut hostium sacrosanctæ veritatis artes aperit & refellit, sic peccatores invitat ad resipiscentiam & vitæ seriam emendationem. B

## SILENTIUM.

SOlebant veteres in annulis signatoriis pæculiaria quædam signa usurpare : quemadmodum Syllam Jugurthæ captivi traditione: Pompejum leone ensifero : Augustum primum Sphinge, postea Alexandri Magni tandem sua imagine, signasse scribunt Suetonius, Plinius, Plutarchus & plura ejus generis colligit Alexander ab Alexandro, 2. Gen. dier. 19. Mæcenatis autem Rana imprimis celebris fuit, teste Plinio. Sunt qui putent, ob silentii fidem, quæ in Mæcenate insignis fuerit, Ranam Seriphiam ipsi placuisse, quod, ut Suidas & Plinius litteris prodiderunt, in Scripho insula ranæ mutæ sint, ut Ælianus tangit, ex Persei voto. Theophrastus aquæ frigiditati causam ascribit, ut & Theophyl. Simocat. in Quæst. phys. Sane Mæcenatis sui taciturnitatem Horatius quoque commendare videtur, cum negat illum de aliis secum colloqui, *Quam quærimosa bene deponuntur in aure.* Quamquam Suetonius scribit, desideratum nonnumquam Augustum Mæcenatis fidem silentii, quod is secretum de comperta Muranæ conjuratione uxori Terentii prodidisset. Quidam, quod Augustus omne terræ marisque imperium cum Mæcenate communicasset, ut Dion auctor est, hoc signo illum fuisse usum censent : Et certè Plinius affirmat Ranam Mæcenatis propter collationes pecuniarum in magno terrore fuisse. Non igitur Seriphia illa aut muta fuit, cùm & gemitus tot gentibus expressit. Neque verò hæc conjectura prorsus inepta videtur, moto, ut Seneca ait, ex nimia felicitate Mæcenati capite, ut procul dubio animo etiam fuerit elatiori, quod in omnibus & per omnia absentis Cæsaris partibus fungeretur. Etsi autem vile admodum & contemptum animal est Rana : in hieroglyphicis tamen plurimis illius fuit usus, ut apud Pierium & Horapollinem, qui volet, reperiet. C

## SOBRIETATIS *opus.*

VPupa ἔποψ cristam gerit plicatilem, quam contrahere & explicare potest secundum capitis longitudinem. Mutat quoque pennas tempore æstatis & hyemis, secundum Aristotelem. Extat autem fabula de Thereo in hanc avem mutato apud Ovid. 6. Metamorph. Ac legitur quoque hoc hieroglyphicon apud Adrianum Junium ex hieroglyphicis Horapollinis acceptum lib. 2. cap. 93. ubi ita scribitur. Uvæ esu offensum & se curantem notantes, pingunt upupam cum herba adianti, vulgo capilli Veneris in ore tenentem. Hæc enim avis si iera comesta læsa fuerit, adiantum ori inferens, certo decurso spatio, pristinam valetudinem recipit. Ælianus lib. 1. de Animal. cap. 35. upupam contra fascinationes adiantum, quod callitrichum quoque vocant, in nidum ponere ait. Quo ostenditur ebrietatis & temulentiæ optatissimũ & efficacissimum remedium esse abstinentiam & frugalitatem, Quod simili D

A similiter ad alios vehementiores affectus & perturbationes animi transferri poterit, quibus omnibus Philosophiæ præcepta, & vita moderata ac placida optimè mederi solet, ex quo postea omnium victoriarum laudatissima nimirum seipsum vincere, existere consuevit. Sicuti testatur Plato lib. 1. de Legibus ubi ait, ὦ ξένε, τὸ οἰκᾶν, αὐτὸν, παισὶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη. τὸ δ' ἡ ἥττᾶσθ' αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον, id est, *ita habeto, hospes, maximam, optimamq; victoriam esse, seipsum vincere, at si quis à seipso superetur, omnium esse pessimum ac turpissimum.* Et distichon poëtæ nostri bene convenit,

*Quisquis difficiles præsentit pectore motus,*
*Is norit præscriptum à ratione modum.*

## SOBRIETATIS *utilitas.*

PLinius omnibus hominibus contra serpentes inesse veneum scribit: illosque saliva jejuni hominis ictos, non secus ac contactu aquæ ferventis fugere, quæ in fauces penetraverit, etiam mori illos. Tangit rem eandem Aristoteles quoque: & Lucretius lib. 4. in ejus causas physicas inquirit.

B Versus ejus sunt isti:

*Sæpe etiam serpens hominis contacta salivis*
*Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa. &c.*

Hoc sanè ut benignæ naturæ memorandum est beneficium, ita sobrietatis, temperantiæ, & castitatis luculentum est testimonium. Jejunus enim sit homo oportet, qui hac efficacia non velit distitui. Sobrietatis igitur tanta vis est, ut contra omnia luxuriæ & libidinis venena præsentissimum sit antidotum. Unde etiam Græcis tam augusto nomine σωφροσύνη, quasi σῴζουσα τὴν φρόνησιν, quod mentem illibatam conservet, dicitur. Quod & Hierax vult libr. de justitia, ubi virtutem illam, quæ ἀφροσύνην καὶ ἀκολασίαν repellit, ait sapientes vocasse σωφροσύνην, σωτηρίαν, scilicet, ἕξιν φρονήσεως, *incolumitatem prudentiæ.* Eam Plato πολ. δ. definit, quod sit κόσμος, καὶ ἡδονῶν τινῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια: *decus & certarum voluptatum & cupiditatum continentia.* Præclare igitur Xenophanes Epist. ad Lamproclem, Κακὸν οὐδὲν φύεσθ' ἐν ἀνδρὶ θεμέλια θεμένῳ σοφίας, σωφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν: *Nihil innasci malum potest in homine, qui sapientiæ fundamenta jecerit, Temperantiam & continen-*
C *tiam.* Temperantia enim, ut Seneca ait in Ep. voluptatibus imperat: alias odit, atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit. Appositè etiam ad hoc hieroglyphicum Macarius hom. 16. Igitur in omnibus, inquit, opus est sobrietate, ne bona quæ videmur habere vitantur in perniciem nostram,

*Emoritur serpens hominis contacta saliva,*
*Hei mihi quam magnum Sobrietatis opus!*

## SOCIETAS *civilis.*

ATheneus ex Chrysippi Stoici lib. περὶ καλῆς καὶ ἡδονῆς hæc refert: Pinna (inquit, interprete Dalechampio) ac pinnotheris mutuas operas præstant, nec vivere seorsum queunt. Pinna quidem ostreum est. Pinnæ vero comes & tutor, exiguus cancer. Pinna igitur discluſa testa, otiosa & quieta expectat adventantes pisciculos. Astans vero custos si quis subierit, morsu significat. Vellicata sic concha os comprimit, & eo quod intus est exceptum ac incluſum communi dape cum socio vescitur. Eadem etiam ex Chrysippo Plutarch. de solert. an. affert, ubi ait, Chrysippo plurimũ atramenti in omni-
D bus libris absumpsisse hunc pinnotherem. Eadem tradunt Aristoteles, quoq; Theophrastus, Ælianus, Oppianus, Phile in Jambis, Cicero & Plinius. Pinnæ etiam meminit Nemesius capit. 1. de Nat. hom. Et pinnotheris Scoliastes Aristophanis in vespis. Horapollo quidem, eumque secutus Pierius, scribunt, Ægyptios hominem qui à propinquis curetur, hoc hieroglyphico expressisse. Sed nos ex Ciceronis 2. de Nat. Deor. ad civilis societatis conjunctionem inter homines referimus: quam primum constituit ἡ ἐνδεια, *indigentia.* Nam, ut Artemidor. ait 3. Onirocr. 9. δεῖ γὰρ τοὺς ἀνθρώπους βοηθείας. δεῖ καὶ τῶν συλλαμβανόντων: *Auxilio homines opus habent, & adjumento aliorum.* Qua de re in Platonis & Aristotelis politicis leguntur plurima. Ad hospitalitatis etiam, cujus Jupiter ipse ξένιος & Homero & Virgil. testibus, præses sit, iconem exprimendum non inepta fortè hæc pictura fuerit. Quã siquis in parasitos quoque ἀλλοτριοφάγους, ut eos Athenæus vocat, utatur, non male fecerit. Nam & Plinius

hunc pinnotherem cancrum dapis assectatorem nuncupat, & Pierius à nonnullis piscem parasitum A eum dici scribit, quamvis si hoc parasito pinna careat, fame ipsi pereundum foret.

*Quam bene conveniunt, & in una sede morantur,*
*Quos natura, usus, junxit & unus amor.*

## SOCIUS *exosus.*

NEminem admittit dives suæ felicitatis socium, meminitque pollitici præcepti,

*Solus opima tenet bos pascua, parta tuetur,*
*Tu quoque sic dotes solus habeto tuas.*

Perhibent autem physiologi boves feroces & magis generosos in pascuis & pratis quempiam locum occupare, nec alios facile admittere. Hujusmodi boum consortis impatientium pugnam graphice descripsit Oppianus lib. 2. Cyneg. Usus est hoc hieroglyphico Poloniæ rex Stephanus Batorius, princeps admodum magnanimus & prudens, nec literatus, satis quidem apposite, cum pascuis simul & bobus ista regio abundet: non obscure innuens, se ad regni illius possessionem, B magnis laboribus acquisitam nullum facile socium admissurum esse: cum secundum Thyestem in Seneca tragico,

*Non capiat regnum duos.*

Et alibi apud eundem,

*Nec regna socium ferre, nec tæda sciant.*

Idem Lucanus affirmat lib. 1.

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas*
*Impatiens consortis erit.*

---

# HIEROGLYPHICORUM COLLECTANEA, EX VETERIBUS ET NEOTERICIS DESCRIPTA,

C

## *LIBER SEXTUS.*

## SOL.

ACcipiter præ cæteris avibus Solis simulacrum & symbolum esse videtur, utpote peculiari quadam atque arcana naturæ vi, intentissimis in ejus radios oculis prospiciens. Et Solem interdum, tamquam visus tutorem ac Dominum accipitres forma pingunt Ægyptii, teste Horapolline lib. 1. cap. 6.

## SOL *Justitiæ.*

SOlis aspectabilis collationem in hac hieroglyphica tabula cum Sole Justitiæ æternæ instituimus ex philosophia depromptam. Videat & judicet pius lector. Sol est lucidum corpus à Deo creatum. Christus Sol justitiæ, splendor est gloriæ Dei patris, & lux mundi, increata si λόγον, & creatam si humanam naturam spectes. 2. Sole illustrantur oculi corporis. Illuminat mentes Christus. 3. Suo calore sol animat & fovet res animatas. Christus vita nostra & vivificator est omnium sanctorum. 4. Oriens Sol est instar sponsi de thalamo suo prodeuntis. Christus est sponsus Ecclesiæ suæ. 5. Sol (cujus progressus inhiberi à nulla natura potest) instar est gigantis in stadio à carceribus ad metam in offenso cursu properantis. Et Christus princeps omnipotēs gloriosum gratiæ suæ cursum absolvit, ita

A ita ut à nemine præpediri possit. 6. Et si corpus Solis in cœlo suo sit, calore & splendore suo tamen pertingit usq; ad fines extremos orbis terrarum. Christus ascendit in cœlum, & nobiscum est usq; ad consummationem sæculi, quo modo id fiat docet S. Vigilius Episcopus Tridentinus in libris adversus Eutychen. 7. Lumen cæteris sideribus Sol communicat. Sol justitiæ non modo illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed etiam luce gratiæ electos suos illustrat, efficietq; ut olim in regno Patris instar Solis fulgeant. 8. Unus in cœlo Sol: unus Ecclesiæ princeps Christus.

Antithetice, Sol est lux creata. Christus ratione Deitatis est increata lux. 2. Ille oritur super bonos & malos: hic super bonos tantum. 3. Ille obscurari potest: hic nullam eclipsin, nullas caligines umquam passus est, vel patitur, aut patietur. 4. Ille homini animali servit: hic spirituali. 5. Ille huic caducæ vitæ: hic etiam æternæ. 6. Ille oritur & occidit: hic numquam verget ad occasum. 7. Ille cætera sidera obscurat: hic suos φωσῆρας illustrat.

Solis aspectabilis ortus admonet nos 1. de illuminatione mentium, quam φωτισμὸν vocat Apostolus, 2. Cor. 4. Christus enim ut Sol & phosphorus, 2. Pet. 1. exoritur in cordibus nostris. 2. De sanctiB ficatione quam Apostolus ita depingit, Rom. 13. Tempestivum jam est nos à somno expergisci. Nunc enim propius nos est salus, quam cum credidimus. Nox præcessit: dies autem appropinquat: abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conveniat. 3. De Carnis resurrectione. Mors enim prima somno, sepulcra cubili conferuntur. Isai. 26. Joan. 11. & 1. Thess. 4. Itaque qui mane expergefacti surgunt, de resurrectione sua cogitare debent. 4. De beata æternitate sanctorum, & justitiæ Sole perpetuum sine occasu duratur. Unde sequentes versus:

*Quum Sol fugatis exoriens diem*
*Reddit tenebris, quum jubar aureum*
*Diffundit, objectique montis*
*Verticibus rutilum renide:*
*Nunc finiendæ lucis amœnitas*
*Spem animentem recreat; horridas*
*Præsentis avinam tenebras*
*Perpetuum jubar insequetur.*

5. De diurnis laboribus, Psalm. 104. Sole oriente egreditur homo ad opus suum, & ad culturam suam usque ad vesperam. Hunc ordinem pervertentibus Epicureis gravissime irascitur Deus apud Esaiam, cap. 5. Sol justitiæ Sanctos illuminat, ut quæ ad vocationem suam pertinent singulos moC mentis humiliter & diligenter exequantur.

Solis meridies inter multa alia monet, 1. justam causam tandem patefieri, Psalm. 37. Educet Dominus quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem. 2. Pios à morbis & aliis incommodis præservandos. Psalm. 91. Non timebis ab incursu & Dæmonio meridiano. Psalm. 121. Per diem Sol non uret te. Solis justitiæ meridies æternus erit & vivificus: suos à morte prima & secunda liberatos glorificabit in sæcula sæculorum. Occasus Solis nos commonefacit, 1. De ἀμνησίᾳ, juxta præceptum Apostolicum, Ephes. 4. Sol ne occidat super iracundiam vestram. 2. De morte. Quam certum est Solem occidere suo tempore, tam certum est, præstituto nobis à Deo tempore moriendum esse. 3. De rerum humanarum inclinatione & vanitate, Eccles. 1. Oritur Sol & occidit. Pompejus Cinnæ dicebat, plures adorare Solem orientem quam occidentem. Verum ipse quoque expertus est rerum humanarum vanitatem, cum devictus à Julio profugisset in Ægyptum, in qua & periit. Sol æternus perpetuo viget inter Sanctos, quos illuminat, excalefacit, vegetat, fovet ac deducit per semitas justitiæ, vivificatque, ut transeant de morte ad vitam. Creati Solis eclipseis D admonent fidei lucem in sanctis nonnumquam obscurari, numquam tamen extingui. Luc. 22. Christus ad Petrum, Oravi pro te ne deficiat fides tua. Joan. 17. Idem petiit à Patre cœlesti pro omnibus Sanctis. Christo patiente & cruci affixo Solem obscuratum esse plenilunii tempore, tribus horis præter naturæ ordinem.

Cæterum, sicut Sol non expectat preces, ut exoriens lucem rebus humanis inferat, sed statim refulget, & omnibus videntibus prodest: idem Sol justitiæ præstat: prior dilexit nos: ut benefaciat suis subditis non admodum præstolatur, verum eos prævenit, statim & sponte sua maximis ditat & ornat beneficiis, Illi autem piis affectibus & perpetuis sanctisque vocibus clamant læti,

*Tu Sol, tu clypeus, tu Dominus: tuis*
*Tu das conspicua fulgere gloria:*
*Nec puro scelerum umquam*
*Claudis munificam manum.*

Alia superaddamus. Quod & in Sole est lux & calor, id in Sanctis est veritas & pax. Quid enim aliud veritatem esse dixeris quam illustrissimum Solis justitiæ radium, qui in Sanctorum corda sparsus ignorantiæ tenebras discutiat; fidei autem, quæ est veritatis agnitio, lucem infert? ideo ipse clarissima voce pronunciavit de seipso; Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Joan. 8. 12. Ut autem lux naturale solatium est, teste Curtio, nec sine causa Græci lumine oblatato dicebant Φῶς ἀγαθὸν, sic veritas spirituale est solatium. Ac ut precamur cum regio vate, Psal. 43. Domine, mitte lucem tuam & veritatem tuam, quæ me dirigant: ita quum melior spes rerum affulget, non tam Euripideum illud occinendum, εἴκει φῶς ἐμοῖς καὶ σοῖς κακοῖς, quam hoc divinum effatum repetendum, ex nonagesimo septimo 11. Lux sata est justis, & rectis corde lætitia. Item, Dominus lux mea, à quo timebo? Dominus robur vitæ meæ, à quo trepidabo? Psal. 27. 1. Divus Augustinus, lux, inquit, regina oculorum est: dies imago vitæ, nox vero mortis. Ego vero non minus recte dixero, veritatem Christianæ mentis esse reginam: ejus splendorem vitæ imaginem; privationem illius mortis vultum. Quid etiam pacem charitatemque Christi justitiæ Solis dona aliud esse dixeris quam flammam à Spiritu sancto in corde per fidem purgato accensam, qua illud ardescit pieque æstuat amore Dei? hunc sanctum & ardentem Dei amorem studio veritatis & obedientiæ fidei testemur: secundum illud Domini Christi Jesu dictum, si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus, Joann. decimo quarto. 23.

Si Solem aspicientes delectamur encomio Pliniano (Sol medius fertur inter planetas, amplissima magnitudine & potestate; nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cœlique rector. Hunc mundi totius animum, ac plenius mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertq; tenebras: hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum annumq; semper renascentem ex usu naturæ temperat: hic cœli tristitiam discutit, atq; etiam humani animi nubila serenat: hic suum lumen cæteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, &c.) Quanto magis Solem justitiæ contemplantes, qui solis & omnium creaturarum ministerio illa bona omnibus prope subministrat, lætari pius decet, quando ejus vim vivificam persentiunt. At illæ primitiæ lucis æternæ confirmant in eis spem complementi ejusdem lucis, agnoscentes & lucem cœlestem mentis esse reginam & tenebras morum magis quam oculorum extimescendas esse. Portenta mendaciorum & errorum perosi in luce Dei ambulare, in lumine ejus videre lumen & clamore fidei resipiscentis atq; per charitatem operantis Sanctos in terra militantes clamare oportet,

*Vespera jam venit; nobiscum, Christe, maneto,*
*Extingui lucem nec patiare tuam.*

Germanis *Sonn* vox est (vel *Son*) analogica ratione plura significans, inquit Io. Goropius, hieroglyph. lib. 15. Primum significat pacem facere, sive reconciliare: mox etiam osculari: deinde sanare: adhæc Solem: postremo filium. Mirum autem est hæc omnia ei primum convenire, qui sic inter filios Princeps est, ut ante mundum etiam creatum Filius fuerit. Quid dico ante mundum creatum, cum Filius sit ab æterna seculorum infinitate? Hic enim solus est & verus reconciliator. Hic princeps in osculando, dum in ipso pax & justitia sese sunt osculatæ. Hic verus sanitatis auctor, non corporum tantum, sed, quod infinito plus est, animorum. Hic est Sol, non ille quidem spectabilis, sed Sol lumine suo illustrans universa: quoniam lux est æterna Patris æterni, omnibus rebus & corporatis & non corporatis lumen affundens. Hujus aspectabilis imago Sol est cœlestis, quem propter quamdam luminis & sanationis communionem, corporatarum rerum finibus inclusam, *Son* etiam vocant Germani. Quamobrem si filii, i. e. justitiæ Solis lumen, quod est Spiritus sanctus, ad homines sanandos se diffundens depingere velis, optime Solem pinxeris; & id quidem ea ratione, ut orbe suo hominis caput complectatur, atque illud sensim sublevare videatur.

Solis motus, inexplicabilis prope est ratio, inquit Plinius lib. 18. c. 25. Quis vero Solis justitiæ vias & motus in membris suis plane mirabiles enarrabit? Exemplo sint omnes à seculo sancti homines in quorum cordibus, sensibus internis & externis admirandi effectus apparent.

Græci

A Græci & Latini sanitati Apollinem præfecerunt, inquit Goropius Becanus Hermathen. lib. 8. cur ita faciendum esset ignare, nisi quantum natura Solis aspectabilis suppeditabat rationis. Nobis de alia longe sanitate cogitatur, dum filium Dei, phœbum nostrum, vitæ & sanitatis facimus auctorem, quæ tamen Solis omnia corpora conservantis tessera recte notatur, si corporalia ad spiritualia & mentalia transferantur Stolida antiquorum insania, & inepta de divinis fabularum exordiis cogitatio, dum nihil certi de vero Apolline & Phœbo vitæ sanitatisque satore & datore inveniret, multos confinxit Apollines, non secus in hoc, atque in cæteris Diis seu idolis & figmentis suis stultissima somnia protrudens. Verus Sol nobis dicitur Dei filius, cujus corpoream imaginem Sol visibilis repræsentat. Christus itaque verus Sol justitiæ, & verus Apollo, mane diluculo transiit, ut dicit Isaias, atque idcirco ver omnium sæculorum, omnia nova luce, nova vita, nova pulchritudine exornans, nec alia de causa formosissimus & imberbis juvenis Apollo habitus, ut eo nimirum, quod Christus nobis præstitit, indicaretur. Hic cœlo dejectus est ab amore paterno & proprio, quo humanum genus dilexit: hic greges & armenta pavit Admeti, sive Alameti, nempe Adami primi hominis, qua voce
B Christus indicatur secundus Adam, verum caput generis humani, præsertim vero filiorum Dei, quorum primogenitus appellatur. Deus enim Dei Patris filius æternus de cœlo delapsus, & verus homo de Spiritu sancto conceptus, & ex beata virgine natus, greges & armenta pavit, nempe homines & Adami posteros per peccatum brutis similes effectos, & ad bestialem animorum proclivitatem redactos. Adameti autem pecus grex humanus dicitur, quia Christo vero pastori datus est, quod nomen sibi proprie tribuit. Joannis 10. & obtinet à Prophetis & Apostolis, qui eum Judæorum & Gentium pastorem, & vere ποιμένα λαῶν appellant. Vide Eccl. 12. 11. De pastore Ecclesiæ Christo. Item Ezechielis 34. 23. & 37. 24. Zachar. 13. 7. Matth. 26. 31. Joann. 10. 11. 16. Hebræ. 13. 20. 1. Petr. 2. 25.

In aspectabili Sole splendorem, celeritatem, calorem, usum eximium, motum imperceptibilem, & in Sole justitiæ, sapientiam, omnipotentiam, charitatem, sufficientiam, providentiam summam & numeris omnibus absolutam, atque adeo infinitam miramur & adoramus. Ut Sol aspectabilis nubibus obvelatur, eclipsin patitur, rutilus & ruber apparet, idem de Sole justitiæ dicamus. Filius Dei, Sol vi-
C tæ æternæ, per carnis assumptionem velatus apparuit: in cruce deliquium passus est: illuminatus per resurrectionem: ruber & formidandus judex resurgentium.

Ut in ignota regione cœloq; nubilo & caliginoso, oberranti viatori, Sol discussis nebulis qua sit iter instituendum commonstrat: sic in vitæ hujus & actionum trivio versanti, animique dubio, Christus Jesus, Deus æternus, Sapientia nostra, Justitiæ Sol.

*Quem, quia respicit omnia solus,*
*Verum possis dicere Solem.*

Ut canit Boethius, quo pergendum, quid sentiendum, dicendum, faciendum sit, iis quos illuminat, ostendit.

Sua luce cætera sydera Sol collustrat, nec illius splendori quicquam propterea decedit. Justitiæ Sol luce divina mentes fidelium illustrat, & ignorantiæ tenebras discutit. Esa. sexagesimo, v. 1. 2. Joan. 1. 12. Eph 5. 14.

D Ex tertio versiculo prioris capitis epistolæ ad Hebræos Theologi nonnulli colligunt, 1. ὁμοουσίαν Patris & Filii in divinis, cœlesti hoc hieroglyphico. Radius & Sol essentia non differunt: nec est alia Filii, alia Patris essentia. 2. Coæternum esse Filium Patri. Sol numquam fuit sine radiis: numquam Pater sine Filio. 3. Distinctas esse personas Patris & Fili. Sol & Solis radii distinguuntur: distincta est persona Patris à persona Filii: quum illa genuerit Filium, hæc genita sit à Patre. 4. Non dividi Patrem à Filio: sicut nec radii dividuntur aut separantur à Sole.

## SOLERTIA *naturalis, potentissima.*

PLutarchus de solertia animalium quæ sequuntur de corvis Africæ commemorat. Hæc omnia ejusmodi sunt (loquitur autem de mirabili araneæ textura) ut nisi quotidie conspectui nostro oferentia fidem facerent, non minus fabulæ putarentur, quam corvorum in Africa solertia, qui potu indi-

indigentes lapidibus injectis in aquam, eo usque eam impleto cavo continente ebriant, dum rostro attingere licet. Aut cum vidissem canem in navi absentibus nautis lapillos in amphoram oleo non repletam injicere, miratus sum quomodo intelligeret à gravioribus immissis leviora sursum elabi. Idem verbose Ælianus quoq; de corvis Lybicis exponit libro secundo de Animalibus, cap. 48. & dicit eos scire natura quadam recondita duo corpora unum locum eumdemq; non capere. Cui consentit Plinius libro decimo capite quadragesimo tertio. Atq; inde existimant quidam proverbium ortum, κόραξ ὑδρεύει, *corvus aquat*, quod de illis dicitur, qui rem optatam ingenio singulari consequuntur, aut nova quadam ratione obtinent quod desiderant, alii tamen ad fabulam Ovidii retulerunt, de qua in expectatione Aulica mentio facta est. Sibi vero metipsi hoc symbolum propter multa ingenii sui monumenta edita voluit adscribere Cæsar Capacius Neapolitanus, quod in illis sæpe ab aliis non tractata attigerit. Paradinus habet INGENII LARGITOR: eadem significatione. Alius, LABORE ET INDUSTRIA. Quo monemur, in omnibus rebus difficilibus & necessitati obnoxiis, singulari studio & cura opus esse, quod etiam indicat proverbialis versus apud Suidam,

*χρειὼ διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφὸν.*
*Rudes docet sapientiam necessitas.*

Et Poëta noster ingenioso Disticho,

*Mira est ingenii vis & solertia corvis:*
*Natura ut doceat, quam sit ubique potens.*

## SOLERTIÆ *vis.*

SCiurus tranat amnes exiguo ligno caudam habens pro velo expansam. Non enim natura alium ei concessit natandi modum, propter exiguum corpus & nimiam pilorum densitatem in cauda villosa, qua cito imbuta aqua mergeretur in fundum. Oppianus solertiam illam elegantibus verbis describit, Sciurum cum pavone caudam explicante conferens. Nec absimilis natatio piscis Nautili. Hujus hieroglyphici significatio est sæpe ingenio & solertia in rebus difficilibus & admodum impeditis plus obtineri quam viribus corporis. Vincit equidem solertia vires, &

*Exiguus tranat ceu flumina magna Sciurus,*
*Res gerimus magnas viribus ingenii.*

Polybius de prudentia Xantippi Spartiani scribens, qui Romanorum copias profligavit, antea insuperabiles, & Carthaginem collapsum erexit, ex Euripide dictum refert, unius rectum refert multorũ manus vincere. Et quid vires sine solertia? periculosissimum impedimentum.

## SOLITUDO *honesta.*

MAjor est post otia virtus. Ursos certo tempore latitare in suis antris ferunt, in quibus residentes priorum pedum suctu vivunt, eoque pinguescunt: adeo φωλίδαι, i.e. *in lustris degentes*, à Theocrito cognominati. Non aliter ingenia vivida, quo plus recessus & otii interdum sibi sumunt, eo postea alacrius rursum sese exerunt, omniaq; dextre peragunt, secundum illud Sophoclis,

*φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ ῥέξων μέγα,* id est,
*Solet enim remissius agere vir magnum negotium tractans.*

Quemadmodum autem vita solitaria nimis, & istud λάθε βιώσας, à Plutarcho impugnatum, intempestive & sine ratione susceptum, præsertim ab iis qui Reipublicæ & patriæ præ aliis inservire possunt ac debent, non probatur: ita profecto hominum doctorum & ad vitam philosophicam idoneorum secessus honesti minime sunt vituperandi. Quod certe in hac nostrorum temporum infelicitate & tanta animorum distractione privato nemini vitio verti poterit. Φίλον γὰρ πῶς τοῖς ἀθυμοῦσι τὸ ἄμικτον καὶ φιλέρημον, i.e. *Gratum enim est quodammodo tristitia affectis locus secretus & solitarius.* Ac præclara etiam est sententia Justini Martyris in epistola ad Zenam & Severum, συνελόντι εἰπεῖν, ὁ θέλων εὖ διάγειν, μήτε ὁράτω πολλὰ: μήτε ἀκούειν ἐπιτηδεύεται. i.e. *Ut paucis dicam, qui bene vult vitam peragere, neque videre neque audire multa studeat.*

SOLI-

A SOLITUDO *multitudine potior & tutior.*

THynni, sive Thyunni, ut Dorion & Oppianus tradunt, soli ex Oceano migrant, & per fretum Gaditanum ingrediuntur in mare mediterraneum: Vere autem subeunt in Pontum Euxinum, nec alibi quam in illo fœtificant, uti Aristot. Plinius & Solinus asserunt. Illorum maximi soli semper & separatim natant: minores vero gregatim, adeo ut horum agmen exercitui Oppianus comparet. Figuram enim Cubi efficiunt & quadratum in natando ordinem observant, ut si thunnis pex eminentes thunnos probe numeret, statim totius gregis numerum inire possit: quod facile colligat altitudinem latitudini & longitudini æquali ordine respondere, ut Plutarch. refert lib. de sol. anim. Igitur non solitariis illis, sed totis gregibus piscatores inhiant, ut quæstus sit illis uberior. Fit etiam mentio piscationis thynnariæ in l. venditor. D. Commun. præd. &c. Varius autem hujus hieroglyphici usus esse poterit. Satius enim est vel in solitudine tuto latere, quam temere perire cum stolida multitudine, Sunt & juvenum mores illo luculenter expressi, qui multo gaudent, quamvis pernicioso, consortio. Sed senes ut prudentiores, remoti à turbis & strepitu, sibi potius vivunt, & Reipub. vigilant, &
B ita cum privata, tum publica evitant pericula. Præclare Euripidea Menalippe;

| | |
|---|---|
| Τὸ γῆρας, ὦ παῖ, τῶν νεωτέρων φρενῶν | *Senectus, ô fili, juvenilibus annis* |
| σοφώτερον πέφυκε, κ' ἀσφαλέστερον, | *Sapientior est, atque tutior:* |
| ἐμπειρία τε τῆς ἀπειρίας κρατεῖ. | *Et experientia vincit imperitiam.* |

Videatur & Nestor apud Q. Smyrn. lib. 5. Paralip.

*Turmatim juvenes, ast gaudent æquore Soli*
*Majores Thunni: dic mihi utri sapiant?*

SOLITUDO *quid requirat.*

PAsser solitarius græcis στρουθὸν μονάζον, quo etiam nomine in Psalmo CII. (quamvis aliqui de eo disputent) appellatur, nunc etiã in Alpibus Tridentinis ab incolis Italice vocatur, *merulo solitario*. In Germania vero reperiri vix existimatur, estque ex Merularum genere, colore fusco, magnitudo tamen illis minor, ac solivága. Nostris etiam temporibus Mediolani & Venetiis mas cicur redditus,
C & canorus sæpe numo aureo comparatur. Cumque illi sit proprium & innatum amare solitudinem, & in illa suavius quam alibi cantare, non male repræsentat eum qui propter studia graviora aut aliarum rerum laudabilium gratia, vitam solitariam expetit: nam ex Horatio lib. 2. Epist. 2.

*Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.*

Ac Ovidius præsertim de poëtis, 1. Trist. 1. cecinit,

*Carmina secessum scribentis & otia quærunt.*

Quamvis vero Petrarcha in duobus libris de vita solitaria, magnis laudibus eam extollat, fatetur tamen solitudinis studio amicitiæ jura non esse contemnenda, & turbas non amicos fugiendos. Sed propter nimis enormia vitia profecto his nostris dissolutissimis temporibus multis civitas carcer, & solitudo paradisus merito fieri incipit. Idem Petrarcha, & ex illo Guazzius de civili conversatione, laudabilem solitudinem (non de altera vitiosa, qualis fuit Tiberii Cæsaris Capreis, ubi sævitiæ ac libidinis detestandæ officinam aperuit) distinguunt in perfectam, quæ est piorum & religiosorum
D hominum & minus perfectam, quam & ipsam trifariam partiuntur. 1. in solitudinem temporis, qualis est noctis silentium, & similia. 2. Loci, quando sibi quispiam idoneum secessum ad utiles meditationes elegit, de qua hic potiss. agitur. 3. Animi, quando corpore quidem in medio aliorum versamur, animo autem & cogitationibus toti in nobismet ipsis sumus.

*Secessus præclari aliquid meditantibus apti.*
*Namque boni in strepitu quid ceciniſſe queas?*

SOPHISTA. *Vir prudens.*

CAmmari sive Gammari nostrates caudati, quos Cardanum cum Cancris confundentem Scaliger acriter castigat, & prorsum & retrorsum promoventur. Illud, collecta leniter & sublata parum, citoq; impulsu rursum correcta cauda: hoc, contracta ea celeriter, & retrorsum collecta: Sicuti volunt, se movent; & imminenti atq; urgenti se subtrahunt incommodo. Dionysius Lebeus Batil-

lius, Regius Mediomatricum Præses, acri cum invectiva in Sophistam hæc dirigit, (quamvis non gammarum, sed cancrum ab Hercule debellatum exhibeat depictum) qui quidem adeo lubricus ac versatilis esse solet, ut cum jam te constrinxisse fugitivum putas, A

*Effugiat tamen hæc sceleratus vincula Protheus.*

Unde & Plato Sophistam describit ποικίλον εἶναι θηρίον, καὶ (τὸ λεγόμενον) οὐ τῇ ἑτέρᾳ λῃπτέον: *multiplicem esse belluam, & (ut est in proverbio) non una manu apprehendendam.* Scipio vero Bargaglius in Italicis libris de Impressis, ut vocant, nos docet, recte etiam eos uti hoc hieroglyphico, qui dum in virtutis curriculo, atque bonarum artium studiis retrogredi existimantur, tanto in illis sæpe promoventur celerius, atque ad illustrem honoris metam tandem pertingunt. Tribuitque hanc inventionem Ludovico Ludovici Bononiensi Comiti, cum dicto: *Retrocedens accedit.* Nos in adjecto Disticho magis ἠδικῶς eos, qui sibi jam ad propositū felicitatis gradum pervenisse videntur, monuimus, ut caveant, ne res ipsorum subito retro sublapsæ ferantur. Nam ut Syri sententia habet:

*Fortunam citius reperias, quam retineas.*

Igitur juxta vetus monostichon: B

ὅτ' εὐτυχεῖς μάλιστα, μὴ μέγα φρόνει:
*Minus insolesce, quo magis beatus es.*

At disticho concludamus:

*Nec tibi confidas nimium, ne cœpta ferantur*
*Mox tua, retrogradus cancer ut ire solet.*

## SOPHISTÆ.

RAna Græcis βάτραχος, quasi ὁ τῇ βοῇ τραχὺς dicitur, ut Schol. Theocriti observavit. τὸ γὰρ μέλος οὐ καλὸν ᾄδει, ut Moschus Idyllio 3. innuit. Certe Ranarum nocturnam illam & molestam coaxationem, fulgentis lampadis splendore illis repente objecto reprimi, cunctasque illico, ut pote quibus oculos inopinatus fulgor præstrinxit, conticescere, experientia ostendit. In S. quidem literis Ranæ, ut pote immunda animalia & loquacia, pseudoprophetas significant, Apoc. 16. Ægyptiis inter alia ἱερογλυφικὰ Ranæ Sophistarum nugas, & contorta aculeataque Sophismata, ut Cicero loquitur, exprimunt, sive ob vocis tantum argutiam, sive quod in cœno Ranæ voluptuosè habitent. Quod C utrumque in Sophistas congruit. Nam & his eloquentiæ multum, sapientiæ parum, secundum Salustium, & omnis ad theatricam pompam & inanem ostentationem actio ipsorum est composita, ut vivis illis coloribus describit Plato in Sophista. Ut igitur Ranæ face noctu accensa obmutescere coguntur: sic Sophistis etiam, detectis ipsorum argutiis, & resolutis fallaciarum strophis irrefragabili veritatis luce, tandem adeo os oculique confunduntur, ut omnibus sincere judicantibus sint ludibrio pariter & odio. Vetus est:

ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολλὸν χρόνον:
*Nunquam mendax diu latet.*

Quod pulchre expressit B. Chrysost. Οὐδεμίας δεῖται βοηθείας ἡ τῆς ἀληθείας ἰσχύς. ἀλλὰ κἂν μυρίους ἔχει τοὺς σβεννύντας αὐτὴν, οὐ μόνον οὐκ ἀφανίζεται, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτῶν τῶν ἐπηρεάζειν ἐπιχειρούντων, φαιδροτέρα καὶ ὑψηλοτέρα ἂν εἴη τῶν εἰκῇ κοπτόντων ἑαυτοὺς καταγελῶσα: Nullo eget auxilio veritatis vis. Quin etiamsi infiniti ipsam velint extinguere, non modo non obscuratur, verum etiam per eos ipsos, qui incommododare conantur, illustrior & excelsior redditur, illos frustra se tor- D quentes deridens.

*Lumine perculsa cessant maledicere ranæ,*
*Et victus veri luce Sophista tacet.*

## SPES *Certa.*

ANthiarum diversa genera cum veteres, tum recentiores scriptores recensent. Sed Anthias à Græcis ἱερὸς ἰχθὺς dicitur, *sacer piscis*, teste Aristotele. Quod cognomen etsi cum multis aliis commune habet, Anthiæ tamen jure quodam peculiari tributum videtur, quod quem locum in mari incolit, & belluarum expers, & urinatoribus tutus sit, quodq; ejus fiducia confirmati piscis ibidem audacter fœtificent ac pariant, tanquam obsidem securitatis nacti, ut Aristot. Ælianus, Plutarch. aliique

A alique tradidere, quibus tamen causa in obscuro est, fugiantne natantia illa monstra Anthiam, an præsentia ejus signum sit locorum belluis istis carentium, quæ agnoscat ille ac observet, ut calliditate & memoria præditus. Sed & Delphini hic tripudiantes conspiciuntur, tamquam Anthia præsente securi a marinorum Theonum, atque Cleonum immanitate. Usus autem fuit hoc symbolo Illustris quidam bellicosus vir, in regno Neapolitano Marchio, quo innuere voluit se excisis communis tranquillitatis perturbatoribus securitatem publicam peperisse patriæ suæ: nec inconcinne addidit ex Horat. 1. Carm. Od. 2. NIL. DESPERANDUM. Quod elegantius apparet, si sequentia istic verba memoria simul colligas. Et certe Principe bono, justo ac forti, amanteque pacem & quietem pub. duce & auspice, subditis nil desperandum est. Hinc illa tot Romanorum Impp. qui urbi & orbi pacem securitatemq; præstiterunt, in vetustis numis elogia: SECURITAS PERPETUA. SECURITAS AUG. SECURITAS P. R. SECUR. ORBIS. SECURITAS REIP. Quæ inter alios explicat Const. Landus, Complani Comes, in suis Numismatum miscellaneis. Et pulcre Seneca: hi, inquit, quibus ad propositum bene vivendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorem hu-

B jus boni ut parentem colant, Dicat igitur Princeps justus & fortis,

*Me duce Squamnigerum tuto genus ambulat undis,*
*Quoque loco versor bellua nulla manet.*

Sed verissime de Principum & Regum principe, ejusdemque principis populo dicamus.

SPES *Frustrata.*

SI cui palea pro tritico, & pro thesauro carbones offerantur, expectatione sua ille frustratur. Esaias cap. 5. v. 2. de Deo & Ierosolyma, quam vineæ comparat agens: expectabat, inquit, ut ederet uvas & edidit labruscas. Populus Judaicus vitiis luxuriavit labrusca vitis agrestis est, uvam proferens quæ Plinio οἰνάνθη & uva taminia dicitur. Alii vocem Hebræam Beuschim, interpretantur uvas malas & fœtidas.

SPES *in adversis,*

CIcadam quasi cito cadentem, id est, celeriter evanescentem dictam esse quidam volunt apud Græcos τέττιξ est ἀπὸ τοῦ τέτταξθαι, id est, stridere. Aristoteles lib. 5. c. 30. in minores & majores

C dividit & has argutas, illas mutas esse, maresque canere, fœminas silere ait. Quod si quis pleniorem de his cognitionem desideret, legat quæ Cælius Rhodiginus lib. 17. c. 6. prolixe disseruit. Sicuti autem cicada hieme recondita torpet, & in terra latitans frigora patienter tolerat, expectans tempus æstatis calidius, cujus tempore & simul roscido florum ac herbarum humore quasi reviviscat: ita vir prudens ferens aliquantisper patienter adversæ fortunæ insultus fortunam meliorem animo constanti & æquo in terra expectat. Quod quidem piis hominibus indubitanter divinum auxilium suo tempore sperantibus in omnibus calamitatibus assidue est meditandum. Quale evidentissimum exemplum in S. Jobo proponitur, ex cujus lib. c. 14. hoc dictum desumptum est, ubi ait: *Cunctis diebus militiæ meæ expecto, donec veniat immutatio mea.* Hadrianus Junius aliter accepit: nam cum cicada tantum rorem lambat ex floribus jam apertis, & reliquos immaturos & occlusos prætereat, donec suo tempore quoque illis frui liceat, præsentibus interea fruens, ita quoque unusquisque in sua αὐταρκείᾳ contentus vivere quamdiu necesse est, debet. Addidit autem Italicum proverbium, proverbium, DI EVESTO ME CONTENTO, ET MEGLIO SPERO, id est, Præsentibus conten-

D tus meliora spero. Quo pertinent Lucretii versus libro 4.

*Quod si quis vera vitam ratione gubernet,*
*Divitiæ grandes homini sunt vivere parce,*
*Æquo animo, neque enim est penuria parvi, &c.*

Et Poëtæ ingenioso Distichon,

*Frigora fert patiens, spe veris, parva cicada:*
*Spemit & infestis mens bona semper opem.*

SPES *Impiorum.*

DUm aliquid melioris fortunæ reliquum est impiis, Dei judicia subsannantibus, & in cordis duritie ferociter perseverantibus, confidunt se sua prudentia & virtute facile sarcire posse suas



jactu-

jacturas; & cum alios periisse vident, se tamen inviolabiles imaginantur, quando malis ipsi non op- A
primuntur penitus. Ita recurrit vetus illa vox profanorum quos Esaias cap. 9. v. 10. amarulenter vo-
ciferantes inducit, lateres ececiderunt, sed lævigato lapide ædificabimus: Sycomori succisæ sunt, sed
cedros immutabimus. Lateritii parietes diruti sunt, lapideos & quidem eleganter politos atq; con-
structos erigemus. Ædificia Sycomoris excisa, facile computruerunt & corruerunt: cedros luficie-
mus, id est, cedrinas trabes substituemus. In summa, domos æternum duraturas extruemus a funda-
mentis ad fastigia. Insaniam istam perstringit propheta, Psalm. 49. Amos item cap. 3. & 6. At impiæ
pœnas quibus à Deo ad humilitatem & pœnitentiam vocantur, in occasionem majoris petulantiæ
fastus, luxus, libidinis, sibi convertunt, fingentes se satis superque instructos & armatos esse contra
Deum ad omnes illius iras & minas propulsandas: atque ita suppliciis attriti, quasi jam defuncti
quibuscumq; periculis, securius & impudentius quam antea peccant. Hæc autem quid aliud sunt
quam aperta blasphemaque veritatis, potentiæ, providentiæ, severitatis & justitiæ Dei negotia quæ
sine atrocibus pœnis & ultimo exitio abire non possunt?

SPES *Jucunda nutrix.* B

COnstat ursos pluvio interdum tempore & imbribus cadentibus solere potissimum una collu-
dere & tripudiare; quasi præsagientes depulsis nubibus auræ serenitatem esse brevi consecutu-
ram. Sic viri fortes & constantes è longinquo sæpe in rebus adversis prosperiorem fortunam pro-
spicientes, tantum abest ut abjecto sint animo ac perturbentur, ut etiam spe certa sibi læta omnia
polliceantur, Horatianum illud crebro meditantes,

*Non si male nunc; & olim*
*Sic erit.*

Et Ovidianam similitudinem,

*Nube solet pulsa candidus ire dies.*

Atque ita fortitudinem cum prudentia conjungentes, tamquam duobus ducibus certissimis, facile
consequemur, ut neque in rebus secundis nimis nos efferamus, neq; in adversis desperemus: quod
eleganter Nazianzenus exposuit in tetrastichis.

μὴ σφόδρα χαίρειν, &c. C
*Ne fide multum, neve despera nimis.*
*Illud solutos efficit, perfundat hoc.*
*Hoc corrigens, illud tenens, reliquam sine*
*Livore rectius peragrabis viam.*

Huc pertinent egregia scripta de Tranquillitate animi, quorum tam sacri, quam seculares auctores
non pauca posteritati reliquerunt, & quæ manibus studiosorum teruntur.

SPIRITUS *Sanctus.*

NOta est venti substantia, nota origo, nota progressio aliquo modo: sed aliquo modo etiam
ignota. Nescis unde venit, &c. Joan. 3.

Scitur rationibus exhalationem esse fumosam, subtilem, ex terra progressam, sursum elevatam,
frigiditate aëris repulsam deorsum & oblique agitatam circa terram, aërem secum rapientem. Item
scitur sensu à qua plaga mundi, in quam tendat. Sed nescitur ex quo loco terræ prodeat, & quousq;
progrediatur. Scimus ex verbo Dei & patefactionibus & operibus ipsius, quod Spiritus San- D
ctus sit ὑφιστάμενον. quod sit Deus, quod essentiam à Patre & filio habens, hoc est spiritus utriusque. Item quod à Patre per Filium nobis detur, mittatur in corde nostra, & ad illum tendat, hoc est, illi conformes nos faciat. Sed nescimus modum processionis ex Patre & Filio: nescimus modum operationis in cordibus.

Ventus est status substantialis, & agitatur. Sic Spiritus sanctus est ὑφιστάμενον divinum, & spiratur à Patre & Filio, hoc est, substantiam ab illis communicatam habet, & mittitur in corda hominum, ut ea moveat, vivificet, regeneret ad vitam æternam. Ideo Christus afflans discipulos dicebat: Accipite Spiritum sanctum, &c.

Ventus spirat ubi vult, hoc est, libere vagatur, quo & qua Deus vult: ab hominibus non produci neque

A neque coëceri potest. Sic Spiritus sanctus dona sua confert quibus vult, quibus destinata sunt à Deo liberrime, sine respectu dignitatis aut facultatis nostræ: utque non allici potest Deus ut quemquam eligat, ita nec prohiberi quominus electos convertat. Distribuit unicuique prout vult, inquit Apostolus.

Ventus est validus & mirabilia efficit: arbores evellit, saxa torquet in sublime, ædificia dejicit, &c. Spiritus sanctus efficacissimus, quia divina potentia operatur: ex cordibus lapideis facit carnea, ex mortuis vivos, ut Apostolos timore confectos admiranda fortitudine & constantia roborabat, & donis miraculorum replebat. Arma nostra, inquit Paulus 2. Corinth. 10. non sunt carnalia, &c. At 1. Reg. 19. dicitur: Non in vento valido montes subvertente, & petras confringente; nec in commotione, nec in igne Dominus, sed in voce tacita & tenui. Item super Christum descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, quæ significant Spiritum Dei levissimæ auræ, & simplicitati & quieti columbina: potius similem esse quam vento valido, terræmotibus & flammis Isaias de Christo, Ecce (inquit) Servus meus non clamabit, &c. Resp. Diversa, sed non pugnantia monstrantur hæc symbola & te-

B stimonio in natura & actione Spiritus sancti, &c. Lenis autem & mansuetus est. 1. Quia Deus ad misericordiam magis quam ad iram est propensus: beneficiis per se, perditione non nisi per accidens lætatur. Ideo dicitur alienum opus facere, ut faciat propriam. Isai. 28. 21. Miseretur in mille, vindicat in quatuor generationes: non irascitur sine aliqua misericordia, in ira recordatur misericordiæ: miseretur sine ira: omnium iniquitatum peccatoris pœnitentis non recordatur. Ezech. 18. 11. Quia numquam aut in principio, nec statim, mediis utitur, violentis & terribilibus. Calamum quassatum non conterit. Stulta & infirma mundi elegit, In silentio & spe fortitudo piorum. Rogantur fideles, nomine Christi, 2. Corinth. 5. ut reconcilientur Deo. 11. Quia fecit mansuetos. Exemplum est ipse Christus, discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Beati mansueti & pacifici. Estote simplices sicut columbæ: sine fraude & cupiditate vindictæ. Est autem validus & vehemens Spiritus, quoniam efficaciter agit per instrumenta infirma. Vis ejus potenter exerit se in electis, eos convertendo: in reprobis eos convincendo, judicando, damnando, & morte æterna puniendo. Odor vitæ & mortis, &c.

C Ventus, & si validus, tamen non semper æqualiter flans: sic non semper æqualis gratia & vigor donorum Spiritus sancti in electis. Bernard. epist. 253. homo in hoc sæculo numquam manet in eodem statu: sed semper proficit aut deficit.

Ventus ducit in mari navigantes in portum. Nos navigamus in periculoso mari, in mundo. Hic flatus Spiritus sancti regit nomen, hoc est, totam Ecclesiam Christi & singula membra, & provehit in portum, hoc est, in cœlum, &c. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei, Rom. 8.

Ventus sonat, & tanto magis quanto ipse flat validius, & quanto validius ei resistitur. Spiritus sanctus excitat confessionem & tanto magis, quanto ipse agit efficacius in cordibus, & quanto acrius resistit mundus prædicationi Evangelii. Exemplum sunt Apostoli in Pentecoste, edentes confessionem sonoram, &c. Item Act. 4. Non possumus nos quæ vidimus & audivimus non loqui. Accendit enim animas zelo gloriæ Dei. Act. 17. Irritabatur Spiritus Pauli in ipso cum videret civitatem idolis deditam. Rom. 10. Corde creditur ad justitiam: corde fit confessio ad salutem. Exemplum habemus nostrorum temporum: quo magis adversarii conantur reprimere Evangelium, eo magis propagatur.

D Ventus tempestates ciet in mari. Spiritus sanctus per professionem Evangelii excitat motus in mundo dissensiones, pugnas, bella, cædes, &c. Occup. Atqui Spiritus sanctus pacificus est mansuetus. Resp. Pacem & mansuetudinem efficit in iis quibus donatur: sed bellum & persecutio sequitur confessionem veritatis propter malitiam hostium Evangelii. Ideo Christus ignem veni mittere, &c. Non pacem, sed gladium. Nostro tempore, quantæ tempestates motæ; quantum sanguinis fusum? procellæ, & fluctus decumani nos petunt: Deum oremus ne nos opprimant.

Ventus terra nascentia fovet & vegetat, quia aërem, terram, & res ipsas perspirat, humorem & siccitatem in illis temperans. Sic spiritus sanctus & Creator fuit cum Patre & Filio, & adhuc fovet ac conservat res creatas. Genes. 1. 2. Est etiam regenerator hominum ex cælesti semine verbi Dei, quod non fert fructum nisi ab ipso excitatum: neque fructus manet nisi ipso afflante & fovente corda. 1.

Corinth.3.Ego plantavi, Apollo rigavit. Deus dedit incrementum. Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non ingredietur regnum cœlorum. Idem significatum est vento suscitante ossa, Ezech.37. quia Spiritus vivificat etiam corpora. Job.3.34. Spirirus Dei fecit me, &c. Et animas Ideo Spiritus vitæ dicitur. Rom.8.2. & Spiritus vivificans, 2. Cor. 3. 6. Et resuscitabit ad vitam æternam consummabitque beneficium inchoatum. Rom.8.11. A

Ventus aërem purgat. Spiritus sanctus in nobis dispellit nebulas ignorantiæ Dei, errorum, cupiditatum malarum, &c. Illuminat mentes agnitione Dei, Est Spiritus veritatis docens Apostolos & pios omnes omnia.

Ventus, siccum aërem humectat: humidum siccat & serenat: æstum refrigerat. Spiritus sanctus conscientias sensu iræ Dei arescentes, contabescentes, & tristitia obnubilatas, consolatione & sensu gratiæ divinæ rigat, serenat, reficit.

Ventus non solum refrigerat in æstu, sed ignem etiam excitat flando. Sic Spiritus sanctus incendia & ardorem malorum affectuum, cupiditatum, & desperationis ignem infernalem extinguit: accendit autem in cordibus ignem cœlestem, id est, amorem Dei & proximi. B

Frigidi sumus natura: sed per Spiritum sactum dilectio Dei in cordibus nostris effunditur & sensu illius exitatur dilectio nostra erga Deum & per hanc dilectio proximi. Rom.8. Misit in corda nostra Spiritum filii sui clamantem, Abba Pater.

## SPIRITUS *Sancti lux vivifica.*

PUlcherrimus flos, & si quis alius inter omnes insigni varietate colorum admirandus, quem à forma Turcici pilei Tulipam nominant, quæ fuerit planta apud veteres nondum plane constat; quamvis pertinere ad Narcissos nonnulli rei herbariæ peritiores conjiciant, nunc passim in hortis cultus celeriter ad radios solares sese pandit, illis vero occultatis, aut pluvia tempestate superveniente statim rursum clauditur ac languescit. Illuminationis cælestis hieroglyphicum, ad quam mens conversa clamat,

*O Lux beatissima,*
*Reple cordis intima*
*Tuorum fidelium.*

*Sine tuo Numine,*
*Nihil est in homine,*
*Nihil est innoxium* &c. C

Addamus & illud,

*Marcidus ut flos hic languescit sole latente;*
*Cælesti sapimus sic sine luce nihil.*

## STUDIORUM *Modus & ratio.*

SUnt nonnullæ plantæ, quarum flores nocte tantum, ut Hesperidis, aliæ ad auroram, ut Genistæ Hispanicæ vel Italicæ dictæ, arborescentis, gratum odorem spirant; quarum flos deinceps Sole superveniente, potissimum fervidiore, plane redditur inodorus. Cujus rei causam Theophrastus & alii referunt in humidi ac sicci tenuitatem ac paucitatem, quæ ambo acre diurno calidiore superveniente facile dissipentur. Admonemur hoc symbolo, labore ac industria in laudabilibus rebus universis, vel addiscendis vel gerendis opus esse, non desidia ac procrastinatione. Inprimis vero indicatur, horas matutinas (cum diluculum etiam in sacris literis accuratum studium & rem mature procuratam significet) & tempestivas, ad studia liberalia ac musas excolendas esse conventissimas. D
De quo hæc hendecassyllaba doctiss. Jo. Sambuci plura erudite admodum subjiciunt.

*Quod tempus studiis severiores*
*Certatim tribuunt feruntq́; amicum*
*Est aurora parans viam diei,*
*Nondum cum radiis sequens coruscus*
*Sol, pastos revehit suos jugales.*

*Tum nulli impediunt graves calores,*
*Vexant frigora nec molestiora.*
*Ergo qui sitiunt sacros liquores,*
*Auroram studiis colant amicam.*

Notus est omnibus Hesiodi versus:

Ἠὼς γὰρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρετ' αἶσαν.

Huc pertinet quod noctem Græci εὐφρόνην appellarunt, teste Plutarcho περὶ πολυπραγμοσύνης & Clemente Alexandrino in Protreptico.

STUL-

A

## STULTI.

CAmelopardalis Græce ac Latine dicta, Æthiopib. Nabis, Arabibus vero ac Turcis Zurnapa unde vulgare Ciraphæ nomen, apud Pausaniam libr. 9. Camelus Indiæ putatur. Plinius Julium Cæsarem primum Romæ in amphitheatro ludis Circensibus spectandum hoc animal dedisse scribit, quod Dion libr. 43. confirmat, atque ibidem Camelopardalin accurate describit, quemadmodum & Oppianus III. Cyneget. Heliodorus, Strabo, Petrus Bellonius inter recentiores, Observat. l. 2. Strabo libr. 16. propter asymmetriam & partium inconcinnitatem Camelopardali nihil tribuit celeritatis, ac βόσημα potius esse dicit. Unde Horatii dictum libr. 2. epist. 1.

*Diversum confusa genus Panthera Camelo.*

Recte autem hac similitudine illi notantur, qui omnia dicunt vel faciunt stulte & confuse, nec ullibi sibi constant. At contra in omnibus rebus verus ordo commendatur & Harmonia mutua, quam Plutarchus divinam, pulchram, admirandam, ut antea Plato & Aristoteles, cognominat.

Stultorum numerus innumerus. Verum ad quasdam classes eosdem revocare fert animus. Prov.
B cap. 26. v. 11. Sicut canis, inquit Salomon, ad vomitum suum revertitur, sic stultus iterat stultitiam suam. Et S. Apostolus Petrus, 2. ep. c. 2. v. 22. Sus lota reversa est ad volutabrum cœni. Nomine stultitiæ, primum errores salutis nostræ fundamenta concutientes intelliguntur: deinde mundi inquinamenta, quorum meminit Apostolus. Hieroglyphicas notas igitur habemus in cane ad vomitū suum revertente, & sue lota in cœno iterum provoluta. 1. Perfidorum & transfugarum qui agnitam Christi veritatem deserunt. 2. Hypocritarum, & improborum, de quibus Chrysost. Homil. 5. in 1. ad Timoth. cap. 2. scribit, Homo, qui aversus fuerit à peccato suo, & rursus pergens, eadem fecerit, est instar canis ad vomitum suum reversi. 3. Scurrarum, qui nihil nisi inania verba dicteria obscœna, sycophantias & sarcasmos evomunt, hauriunt & perpetuo meditantur. 4. Voluptuosorum & Epicureorum, qui turpissimis sceleribus, sannis & profana mente Dei longanimitate tota vita abutuntur, subinde crimina criminibus cumulantes. At Servator noster. Matth. 7. 6. Nolite, inquit, dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Nazianzenus, postquam Julianum variis modis exagitavit, tandem subjungit S. Petri dictum. Et Clemens Alexandrinus in Protreptico 2. ad Græcos, suillos ho-
C mines prolixe depingit, ad eos gnomen Democriti accommodans, sues magis delectantur luto quam aqua, & in quisquiliis voluptuose insaniunt. Potest etiam Hieroglyphicon istud repræsentare Sophistas qui altercationibus gaudent, veritatem mendaciis, quantum in se est, conspurcantes: de quibus lepide quidam dixit,

*Hoc scio pro certo, quod si cum stercore certo,*
*Vinco, seu vincor, semper ego maculor.*

Et alius de unoquoque istorum, Hic homo, ne incipiens quidem peccare, minimis rebus posuit fundamentum; sed ita ingressus est, ut neque ab alio vinci possit neque ipse omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud studet, nisi ut lutulentus sus, cum quovis volutari.

## STULTUS.

Muscæ in unguentum fragrantissimum collapsæ, si illic moriantur, odorem corrumpunt & bul-
lis veluti scabie obducunt; sic lævis quædam culpa (quam Hebræi stultitiam, ut & graviora
D delicta nominant) homini ob sapientiæ famam & reliquas naturæ dotes claro, multum existimationis adimit hominum sapientissimo teste, Ecclesiast 10.

## SUBLIMITAS.

PIngunt accipitrem Ægyptii cum sublimitatem significare volunt, inquit Horapollo, lib. 1. cap. 6. quoniam cum cætera quidem animantia, quoties in sublime tolli volunt, oblique ferantur, recta sursum evehi possunt; solus accipiter recta in altum.

## SUPERNA *meditanda.*

HIeroglyphicon fuit Joannis Baptistæ Rasarii viri doctissimi & nostro seculo celeberrimi sicuti ipsius scripta abunde testantur, Aquila nigra supra nubes volare contendens, quod Lu-

cas

cas Contilis scriptor Italicus explicat, cujus verba in hunc modum covertere in linguam Latinam volui. Est opinio Græorum quorumdam autorum, quod species quædam Aquilæ nigræ sit, quæ quando timet ne quid damni illi inferatur, neve per insidias capiatur, ad nubes usq; & ulterius evitandi periculi causa suo volatu ascendere conatur, neq; cessat donec se in tuto fore existimet. Verisimilius tamen est, Aquilam tamquam reginam avium ista proprietate admiratione digna esse præditam, quod ad Solem fixis oculis propter visus acumen, & absolutam hujus sensus perfectionem sese convertens, facile illum eximium splendorem ferre queat. Alii existimant, Aquilam beneficio illius luminis incomparabilis non solum vitæ longitudinem sibi conquirere, sed simul etiam pennas & vires renovare ac instaurare: quare ajunt, tempore potissimũ autumnali, quando per plures dies cœlum nubilum & obscurum nobis solis conspectum adimit; aquilam ad superiora loca se conferre intentisque oculis solares radios intueri, ac illis foveri ac sustentari. Hinc clarissimus iste vir ostendere voluit, se animo constanti & obfirmato, unicum hoc semper desiderasse ac expetiisse, atque omnes eo suas cogitationes direxisse, ut nimirum superatis omnibus rebus adversis, & quocumq; discrimine contempto, tandem ad certum portum & asylum, ac veluti ad verum lumen & splendorem perpetuum; bonarum scilicet artium ac laudabilium scientiarum cognitionem ac possessionem, pervenire, quarũ ope & auxilio tuto & sine impedimento acquiesceret, ac sese quasi sua virtute involveret.

*Nubibus, ecce, Jovis volat altior omnibus ales.*
*Tu quoque ad alta animum, si sapis, alta vola.*

## SYCOPHANTÆ.

ARaneæ etiam optimorum & frangrantissimorum florum succum vertunt in venenum: Sycophantæ etiam pie tum dicta, tum facta siniſtre interpretantur & depravant.

## TACITURNITAS.

TUrdus, κίχλη Græcis, ab Isidoro putatur à tarditate ita dictus, quamquã alii potius per ὀνοματοποιίαν sic nominari existiment. Aristoteles de histor. Animal. tria genera recenset ex primo genere est ἰξοφάγον, viscivorus, 2. τρίχας pilaris, & 3. ἰλιὰς iliacus. Alii plura addunt, de quibus nimis longum esset hoc loco differere. Habuit autem hoc Hieroglyphicon in crebro usu prudentiss. simul ac doctissimus vir Albertus Lollius, qui in Academia Brixiensi se arcanum nuncupari voluit, propter singulare studium secretiorum consiliorum quibus delectabatur. Turdo autem non ideo taciturnitas attribitur, quod semper taceat, vel plane expers sit vocis, sed quia ab omni garrulitate abstineat, idque potissimum faciat, quando solus in prato viridi vel simili aliquo plano ac patente loco versetur. Hincque factum quod antiquitas Harpocrati silentii deo turdum sacrificarit. Quamquam vero Erasmus & Pierius ex Xenodoto proverbiũ κωφότερος κίχλης, surdior turdo interpretentur, apud Suidam tamen & Varinũ ex Eubuli Dionysio, videtur potius de taciturnitate esse intelligendum. Sunt autem innumeræ sententiæ apud autores, quibus silentium & taciturnitas commendatur, & nos superius quoque de eo aliquid attigimus, idq; paucis verbis Menander studuit exprimere, ubi inquit,

ὡς οὐδὲν σιωπῆς δεῖ χρησιμώτερον,
id est,
*Nihil silentio est utilius,*

Plura de hoc qui velit cognoscere, legat Isocratem ad Dæmonicum, Plutarchum in comment. περὶ ἀδολεσχίας, & in libello de Iside & Osiride, Agellium, lib. 11. cap. 10. Plinium lib. 3. cap. 5 & lib. 28. cap. 6. & præterea Paræmiographum in proverbio, Tutum silentii præmium.

*O decus eximium mentis sapientis, & apto*
*Tempore nosse suo & tempore nosse loqui.*

## TALIONIS *pœna.*

SIlurum veterum male à Th. Gaza apud Aristotelem Glanim esse versum, & imprudenter à Jovio aliisque cum Sturione confundi, recte notavit Rondeletius, Sed Ausonii Silurum in ejus Mosella non esse Silurum veterum & Plinii; verum ipsum Sturionem, erudite evincit Jos. Scaliger in Aus. Lect. Certe veterum Silurum in rerum natura non esse desiisse, sed hodieq; cum in mari, tum in Danubio,

A Danubio, aliisque majoribus fluminibus reperiri, certum est, & historiæ piscium scriptores late de re tota disserunt: ejusq; veram effigiem exhibet, ad quam nostra quoque conformata est. Grassator est Silurus & voracissimus, piscibus aliis sine discrimine se explens, & omne animal appetens: ut ex Plinio constanter fere omnes tradunt. Unde & à Germanis ad Danubium *Schaid* dicitur, à damno, quod voracitate sua dare solet. Silurus igitur ut omne animal appetit, sic ipse ab hominibus contra ad delicias epularum studiosissime appetitur. Variæ igitur à piscatoribus struuntur ipsi insidiæ, & aliquot illum capiendi modos recensent auctores. Sic videlicet ex Rhadamanti lege, & ex talionis pœna, quæ & decemviris & Mosi visa est æquissima, merito quisque patitur, quod fecit aliis. Nec refert, etiamsi non statim, sed lento gradu vindicta veniat. Nam ut pulcher. Heliod. ait in Æthiopicis lib. 1. ὃ παντάπασιν ἐκλέλοιπεν ἡμᾶς, ἡ δίκη, καθ' ἡσίοδον, ἀλλὰ μικρὸν μὲν ἄντι καὶ παρίδοι ποτὲ, τῷ χρόνῳ τὴν ἄμυναν παρέλκουσα, τοῖς δὲ ὅπως ἀθέσμοις ὀξὺν ἐπιβάλλει τὸν ὀφθαλμὸν: *Non omnino deseruit nos justitia secundum Hesiodum: sed quamvis interdum aliquantisper connixerit in sceleribus hominum, in longum tempus ultionem protrahens, tamen in ejusmodi nefarios acrem, injicit oculum.* Lege Plut. περὶ τοῦ θείου,
B βραδέως τιμωρουμένου.

Ubi de viperæ coitu Plinius disserit, Tertia die intra uterum catulos excludit, deinde singulos diebus singulis parit, viginti fere numero. Itaque cæteræ tarditatis impatientes perrumpunt latera occisa parente. Paulo aliter Aristoteles & Theophrastus hæc exponunt. Herodotus quidem hanc mari prius interempto pœnam luere fæminam affirmat, cui adstipulantur Horapollo, Nicander, Ælianus, Plutarchus, Basilius magnus & Hieronymus. Sed Apollonius apud Philostratū, & Maximus Tyrius superesse partui suo viperam tradunt. Quod similiter confirmant Jo Brodæus in Misc. & Jul. Cæs. Scaliger in Exerc. Quicquid sit, typus profecto hic talionis pœnæ est insignis, ut merito ab eo potius, quam ab Oreste aut Alcmæone ex Tragœdiis exempla ultæ paternæ necis petenda esse Ælianus censeat. Potest etiam accommodari in malorum parentum nefariam sobolem. Nam, ut Nicephorus Gregoras argute ait, τῶν πονηρῶν σπερμάτων ἄξια τὰ γεώργια. *Malorum seminum mali fructus.* Certè Proclus Archimedi in hanc rationem scribit apud Theophylactum Simocatam: καὶ παῖδας ἕξεις πατρικῆς κακίας εἰκόνας ἀληθεῖς καὶ ἰνδάλματα οὕτω γὰρ καὶ τὰ τῆς ἐχίδνης κυήματα μητρικὴν ἀνοσιότητα
C διαδέχεσθαι, τὴν κυοφόρον καὶ τιθηνὴν γαστέρα διαῤῥηγνύοντα: *Liberos habebis vitiorum paternorum veram & expressam imaginem. Sic enim & viperæ partus, maternam impietatem æmulantur, dum ventrem, qui eos tulit & nutrivit, lacerant.* Angelus Politianus alio sensu hoc Hieroglyphicon de Marsilio Ficino, paucis annis innumeros ingenii fœtus producente usurpavit, hac addita ἐπιγραφῇ: ANTE PARIS QUAM CONCIPIS. Alius quidam vir magnus idem torquet in hostes Ecclesiæ, qui illam quidem non secus, ac viperea soboles matrem rodant ac lacerent, sed illa tamen incolumi & salva, ipsi misere pereant. Ad prius Hieroglyphicon accommodantur sequentes vers.

*Ecce ut rupta alvo protrudat vipera gnatos.*
*Sustulit illa matrem, sustulit hanc soboles.*

Ad postremum autem referimus Hexastichon:

*Viperei exedunt ceu matris viscera fœtus:*
*Sic, quos ipsa suo fovit alumna sinu.*
*Roditur, heu, nimium sanctorum Ecclesia multis!*
D *At non eventu, nec ratione pari.*
*Vipera nam salva infelix prole interit, illis*
*Hæc contra extinctis non peritura manet.*

## TEMERITAS.

DEfinitur Temeritas, ut sit defectus consilii, & præcipitatio quædam, imprudentiæ cognata, per quam ea fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel passionis, vel ex contemptu. Ideo temeritas continetur sub præcipitatione, quæ utrumque respicit, sed magis primum. Recte itaque Horatius lib. 3. Od. 4.

*Vis consilii expers mole ruit sua:*
*Vim temperatam dii quoque provehunt*
*In majus: iidem odêre vires*
*Omne nefas animo moventes.*

Ob hanc causam D. Ambrosius, quum olim apud Thessalonicam seditio esset exorta, & Theodosius Imperator ira incensus, ex improviso plebem ad ludos congregatam, à militibus obtruncari iussisset, persuasit imperatori, ut in omni pœna capitali sumenda, spatium triginta dierum interponeretur, à lata sententia ab Imperatore, ne is impetu & furore illa faceret, quorum etsi eum postea pœniteret, illa tamen non possent amplius emendari, & hac ratione locus misericordiæ vel pœnitentiæ non periret, sicut legimus in Sozomeni hist. Eccl. lib. 7. cap. 24. & in August. lib. 5. de Civit. Dei, cap. 26. & l. Si vindicari, C. de pœnis. item Carm. cum apud Thessalonicam, in q. decreti. Temerariorum hieroglyphica tabella est is, qui equum conscenderat furentem. Raptans enim illum ferebat equus: at hic non magis descendere equo currente potuit. Hic quidam obvius, Quo abis? inquit. Ille vero, demonstrans equũ digito, verbis in auras evanescentibus clamavit: Quod isti placet. Eos etiam si quis interroget, Quo ferimini? vera volentes dicere, respondebunt simpliciter quidem, Quo cupiditatibus nostris placet? partim vero quo quidem voluptati, aliquando autem quo gloriæ vanæ, nonnunquam turpis lucri studio. Sæpius ira, metus, desperatio, vel aliud quid ejusmodi temerarios transversos rapit, & in ruinam suam evehere videtur.

*Non te quæsiveris extra*, inquit Persius, Satyra prima. Hieroglyphicon à Cochlea testæ suæ inclusa petitur, & principibus atq; Rebuspublicis (aliorum principum potentissimorum respectu non multum valentibus, quibusq; quies tuta est, apprime conveniens. Monet eos autẽ Persius ne immature prodeant cum certo vitæ suæ periculo. Sibi optime consulit quicumq; cum eodem Persio Sat. 7. gloriari potest:

*Hic ego securus vulgi, & quid præparet Auster*
*Infœlix pecori, securus & angulus ille*
*Vicini nostro quia pinguior: &c.*

Cochleæ telo confixæ hieroglyphico usum ferunt Ferdinandum Calabriæ ducem, postquam à Rege Hispaniæ in bello Navarrensi, quod in Gallorum castra transire parasset in Sciativæ arcem, qua Aragonii Reges ad Illustrium virorum carcerem utebantur, conjectus fuit, sicut eam historiam Fr. Guicciardinus recenset lib. 11. Ostendere nimirum misserrimus Princeps eo voluit, quod Achæis T. Quinctius apud Livium lib. 36. similitudine pene eadem ob oculos posuit: Testudinem ubi collecta in suum tegimen est, tutam ad omnes ictus esse, ubi exerit partes aliquas, quodcumque nudavit obnoxium atque infirmum habere. Meminit & Plutarchus in vita T. Flaminii. Hinc recte Plautus: *Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.* Quo pertinet pulcherrima Polybii ὑποθήκη lib. 1. quam ita Latine interpres reddidit: Cum duo hominibus modi propositi sint, quibus facile mutare in melius queant; unus ob suam cujusq; calamitatẽ, alter ob alienæ exemplum; proculdubio primus efficax quidem est, sed non sine detrimento ejus cui accidit. Secundus vero, etsi non habet in se tantum virium, ideo tamen præstat, quod omnis damni prorsus est expers. Quo fit ut priorum quidem nemo sit, qui sponte eligat, cum absque dolore & periculo accidere id nequeat. Hunc vero semper amplecti convenit, quod per eum sine detrimento cernere licet quod est melius. Idcirco recte consideranti, optima ad veram vitam institutio videtur esse experientia, quæ sit ex commemoratione rerum ab aliis gestarum. Polybius προγυμνασίαν ἰσοφίας nominat. Hæc enim duntaxat absque omni damno optimos veri judices perficit.

*Non tibi tela nocent latitanti erumpere at ausum*
*Configunt: temere qui ruit, ille sapit.*

## TEMPORIS *prænotio.*

CRocodilus Ægyptii & Indiæ inquilinum animal est, de quo Plutarchus, divinationi (inquit) non rationi imputetur hujus animalis prænotio. Nam neque infra nec ultra illud spacium, ad quod Nilus sua anima eluvie perventurus est, progressus ova ponit, ut quicumque agricola in ea incidat, cum ipse intelligere, tum aliis præ narrare queat, quousque sit effluxurus amnis, adeo scite dimensus est, ne humidus ipse humido incubat. In libro de Iside & Osiride plura de Crocodili prænotione idem auctor. Plinius lib. 8 cap. 25. parit ova, quanta unseres, eaque extra eum locum semper incubat præ divinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno egressurus est Nilus. Huc pertinet Pittaci dictum, γνῶθι καιρόν, id est, tempus nosce. Et Hesiodus monet,

μήτε

A μετρὰ φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. id est,
*Observato modum: nam rebus in omnibus illud,*
*Optimum erit, si quis tempus spectaverit aptum.*

Et Pindarus Olymp. 13. ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ μέτρον, νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος, id est, *Consentaneus autem unaquaque in re est modus, quem intelligere opportunitas est optima.* Quæ providentia quam sit utilis, Sophocles in Electra demonstrat his verbis:

προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ — *Providentia nullum hominibus aptum natum est*
κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ. id est. *Lucrum capere melius, neque mente sapiente.*

Et in hieroglyphicon illud ingeniosum extat Distichon,

*Nosse modum tempusque doces, Crocodile magister,*
*Et ventura diu tempora prospicere.*

## TEMPORI *serviendum.*

B AQuila serpentem in ore tenens, ac in alto monte ex omni parte conspicuo sedens, ex quo imbres & tempestates horribiles imminentes undique respicit, pro symbolo fuit usurpata ab excellentissimo viro Andrea Canutio Medico Aulico sacratissimi Imperatoris Maximiliani 2. laudatissimæ memoriæ, quo innuere, dubio procul, voluit, se instar Aquilæ reginæ avium suis oculis perspicacibus, in omnes partes hujus mundi, unde aliquid adversi vel incommodi oriri posset, intentum, constituisse omnino vera ratione ac solerti prudentia omnia mala diligenter observare, & quasi à longinquo præcavere & vitare, à quibus lædi forsitan posset, in primis vero à se in tempore amovere omnes machinationes invidiæ plenas, & obtrectationes maledicorum hominum, sibique de loco tutiore tempestive prospicere. Serpentem autem Aquila in ore detinet, non ad devorandum (quod alioquin fieri scribitur) sed ut admoneat, caute & circumspecte esse agendum, cum sciamus tam in sacris, quam profanis literis prudentiæ iconem esse serpentem. Sperat autem ipse quoque author hujus hieroglyphici, se in aliquo loco securo, & à vulgi turba remoto, placide meliora tempora esse expectaturum, & interea otio honesto & literato operam daturum. Hinc Cicero quoque in epistola
C quadam ad Brutum graviter paucis verbis monuit, tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis fuisse habitum, quam sententiam Phocylides uno versu nobis proposuit,

καιρῷ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.
*Temporibus servire, nec Ventis velle reflare.*

Ad sacri silentii cultum hoc Distichon accommodatur,

*Nubila si fuerint, sapienter comprime linguam;*
*Tunc loquere, illuxit si qua serena dies.*
κρεῖττον γὰρ σιωπᾶν ἐστιν, ἢ λαλεῖν μάτην.

*Satius enim est tacere, quam temere loqui,* inquit Philonides apud Stobæum, Serm. 33. Est & fideli tuta silentio merces, Horatio teste, Carm. lib. 3 Od. 2. Et Menander in monostichis, ait,

οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον,
*Utilior haud est ulla res silentio.*

Nullus repertus est Epaminondæ Thebani seculo, qui plura quam vir ille sciret, & pauciora loque-
D retur. In ejusdem vita apud Æmylium Probum dictum egregium extat. Commissa celare interdum non minus prodest, quam diserte dicere.

## TENEBRIONES. *Nebulones.*

LAmpyridem noctu, aut caliginosis tantum in locis splendescere constat. Quidam Strabi non nisi inter cœcos regnant: veritatis lucem & splendorem ferre nequeunt. Illustrium & magnorum virorum conspectum, ut noctuæ meridianam Solis lucem fugiunt, ac rerum umbris & imaginibus, exemplo eorum, quos in specu vinctos sedere, umbrasque mirari. Plato monet, sese oblectant. Virtutis autem splendor tantus est, ut nunquam non conspicuos reddat gubernatores heroicos, de quorum dotibus recte Cicero pronunciavit. Tempestate sæva virtus quieta est, & licet in tenebris: pulsa loco manet tamen, splendetque per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit.

## TERRA.

A

MAcrobius tradit Ægyptios per tauri figuram significare terram: propterea quod animal hoc ad rem rusticam imprimis aptum, atque etiam necessarium esse compertum sit. Idque etiam sacræ literæ testantur: nam boves pingues per somnium Josepho oblati terræ fertilitatem, macilenti vero sterilitatem portendebant. Præterea ex Romanorum numis antiquis idem quoque colligitur, in quibus nihil illis usitatius, si vel terræ fœcunditatem & ubertatem, vel rei frumentariæ copiam, aut coloniarum ac municipiorum deductiones, aut agrorum designationes & divisiones indicare voluerunt. Ælianus quoque lib. 11. variæ hist. cap. 53. hoc animal *πάνχρηστον καὶ ἀνθρώποις λυπλέστατον εἰς γεωργίας κοινωνίαν*, id est, *maximi usus & hominibus utilissimum esse ad agriculturæ exercitationem, dicit.* Bos igitur vel taurus, quem Varro lib. 2. cap. 5. socium hominum in opere rustico & Cereris ministrum appellat, merito terræ ipsius nota hieroglyphica dicatur. Et antiquos à bove aratore Cererisq; servo abstineri voluisse ita severe vero asserit, ut capite sanxerint, si quis talem occidisset.

## TERROR *ex errore.*

B

MEmorabile stratagema narrat Livius lib. 22. de Hannibale in Casilinianis angustiis incluso Fabii Maximi Cunctatoris prudentia. Commentus est enim Pœnus ille ludibrium oculorum specie terribile ad frustrandum hostem. Quale autem fuerit stratagema, prolixe descriptum non est quod lectori studioso describamus, quum sit ipsis pueris notissimum. Sed hieroglyphicum istud boum, numero magno, ignem in cornibus accensum gestantium, errore & terrore captos Romanos in fugam conjicientium ostendit inter præcipuas ducis bellici virtutes hanc non esse postremam, ut si quando se tempore locoque ac aliis in rebus hosti suo inferiorem videat, neutiquam tamen plane desperet, sed in omnem occasionem intentus, non minus arte & ingenio quam aperto Marte adversario suo terrorem simul & errorem incutiat, atque hoc pacto se suosque conservet incolumes, & ab omni periculo tutos præstet. In qua tamen parte nimis callida, multo minus perfida consilia locum habere non debent. Denique

*Fraudem fraude, astum non fallere dedecet astu.*
*Sæpe timore timor truditur, arte dolus.*

C

## TRIBULATIO *utilis.*

REferti sunt tam sacrorum quam ethnicorum libri non solum dictis pluribus egregiis, sed etiam nonnulli integros libros conscripserunt, quibus docemur, magnam sæpe nos utilitatem capere ex rebus adversis, quas ipse Deus ad nostri emendationem immittit. Sunt enim bonis & piis universa instar flagelli, quo frugum fasciculos excutimus, frumentumque ipsum à paleis inanibus secernimus. Significat autem in sacris literis tritura laborum & calamitatum exercitationem, jubemurque esse similes frumento, quod per trituram ac ventilationem fit mundius. Unde D. Chrysostomus homil. in 3. caput Matth. *Sicuti granum*, inquit, *incluſum in palea foras non egreditur, nisi fuerit tritum tum: sic & homo de impedimentis mundanis & rebus carnalibus, quasi in palea involutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus.* Idem D. Cyprianus Serm. 4. de mortalitate tradit. *Quando area fruges terit ventos grana valida ac robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur: Sic S. Paulus post naufragia, flagella, post carnis & corporis gravia tormenta non vexari, sed emendari se* D *dicit in adversis.* Huc pertinet usitatum proverbium, *παθήματα, μαθήματα*, id est, *quæ nocent, docent*, Et distichon:

*Si tritura absit, paleis sunt abdita grana:*
*Nos crux mundanis separat à paleis.*

Tetrasticum item:

*Quod duro lima est ferro messique flagellum,*
*Auro quod ignis est rudi,*
*Hoc tibi, si sapias, crux est, licet aspera: quùquis*
*Cœlum Deo petis duce.*

TYRAN-

## TYRANNI.

A Est quoddam luporum genus, Oppiano teste, quod Syrium orientem maxime metuit, & eo exorto in aliquod antrum aut terræ hiatum se abscondit, dierum Canicularium finem, & Syrii sideris occasum expectans. Hoc hieroglyphico magnus quidam princeps usus est, cum ad ejus adventum nonnulli Reguli minus juste erga subditos sese gerentes, atq; illius metuentes vehementiam & auctoritatem, se in alias regiones subduxissent. Testantur autem historiæ injusta imperia non esse diuturna. Unde Seneca in Medea,

*Iniqua nunquam regna perpetuo manent.*

Quem locum egregie explicat Demosthenes Olynth. 2. Et Herodotus breviter hoc libro tertio confirmat tyrannidem cognominans fallacem. Sic Romanus sapiens libro primo de Clementia, Reges, inquit, consenescunt, ac regna tradunt nepotibus. Tyrannorum brevis & execrabilis potestas est.

## TYRANNIS.

B Lutram, quam Græci ἐνυδρίν, vel ἐνυδρὸν, Ælianus caniculam fluviatilem norunt illi, qui piscinas habent uberiores, in quibus interdum magnas strages edit. In piscibus & quidem melioribus capiendis mira illi agilitas & tanta sagacitas, ut dicatur ex aqua per rivulum effluente, longe admodum piscium odorem ex vivariis percipere, quæ ubi invaserit, in omnes sævit, quamvis non universos possit devorando absumere. Tabella hic occurrit hieroglyphica admodum evidens tyrannicæ crudelitatis, quæ nil nisi cruentum & nefarium spirans omnibus est infesta; imprimis vero bonos & virtute præstantes viros è medio tollit. Nam secundum Claudianum de IV. consulatu Honorii;

*——Sors ista tyrannis*
*Convenit, invideant claris fortesque trucident.*
*Munitique gladiis vivant, septique venenis*
*Ancipites habeant artes, trepidique minentur.*

Et Cicero libello de amicitia ait: Hæc est tyrannorum vita, nimirum in qua nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia, omnia semper suspecta atque solicita sunt, nullus C locus est amicitiæ. Nam secundum Sophoclem in Oedipo ὕβρις φυτεύει τύραννον, id est, *Injuria creat tyrannum.* Quare Antisthenes philosophus, ut est in Stobæo, carnifices tyrannis in pietate præferebat: quoniam à carnifice quidem homines injusti interimuntur, à tyranno autem etiam innocentes.

*Plures lutra necat pisces, quam condat in alvum:*
*Sic rabie tumidus sæva tyrannus agit.*

## TYRANNIS *sævissima.*

Aristoteles 8. historiæ anim. 29. cap. observavit, quod vipera Scorpium devoret: ideoque venenum alere tanto deterius, adeoque morsum ejus esse lætiferum, quod venenatis pasci soleat. Idem sæpe in Italia à viperarum captatoribus observatum: quanquam capsulis inclusæ, scorpionibus objectis, raro id faciant. Galenus de Theriac. lib. 13. auctor est, viperam alia etiam venenata animalcula consumere, puta buprestes, cantharidas & istiusmodi, ipsi proculdubio non ingrata cibaria. Eodem scilicet modo homines crudules, & natura facti ad tyrannidem, sæviores tamen longe evadunt, cum ad inclinationē illam innatam accedit perversa & flagitiosa educatio, & consuetudo ex D pessimis moribus inquinatissima. Verissime enim Plato dixit 6. de Leg. Ἄνθρωπος δὲ, ὡς φαμὲν, ἥμερον, ὅμως μὲν παιδείας τῆς ὀρθῆς τυχὼν καὶ φύσεως, εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι φιλεῖ, μὴ ἱκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφὲν, ἀγριώτατον, ὁπόσα φύει γῆ: *Hominem autem mansuetum animal esse dicimus. Porro, si cum natura felici rectam quoque disciplinam fuerit assecutus, in divinissimum mansuetissimumq; animal solet evadere. Sin vero non satis, aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal redditur.* Quod si ad malam naturam & consuetudinem vitiosam accedat etiam potentia, & regnandi fastigium, tum certe nihil medium est, inter præcipitia & summa, ut Tacitus loquitur. Recte enim Plutarchus, ἡ δὲ ἐξουσία παραλαβοῦσα τὴν κακίαν, νεῦρα τοῖς πάθεσι προστίθησι: *Potestas malitiæ conjuncta, nervos ac robur affectibus addit.*

Et ut Seneca in Hipp. dixit:

*-----durus & veri insolens*
*Ad recta flecti regius non vult tumor.*

Equidem dira diris pascuntur; &

*Tetra quod extinguit, non mirum, viperæ morsu:*
*Ecce etenim quali gaudeat illa cibo.*

## TYRANNUS.

DE Ichneumone, quem murem Pharaonis appellant, hæc Plutarchus: Ab induto thoracem ad prælium milite parum differt; tantum sibi circumdat cœni, tamque densam sibi circumlinit tunicam, aggressurus crocodilum. Plinius addit saturum Crocodilum in littore se supinum abjicere, ibi tum trochilum aviculam ejus os purgare, in qua voluptate somno pressum ab Ichneumone conspicatum, per ejus fauces ut telum aliquod immissum erodere alvum, & sic bestiam illam conficere. Idem ferme scribunt Strabo, Diodorus, Siculus & Oppianus, atque hic quidem 3. Cynegetic. eleganter admodum & copiose. Aristoteles & alii Ichneumonis ita armati, etiamcum serpentibus pugnantis mentionem faciunt. Est autem hieroglyphicon tyranni, qui ut Crocodilus in Nilo, injustum imperium exercens, hominibus & animantibus non parcit, attamen à parvo & contemptibili Ichneumone interficitur: ita quoque non raro à vilissimo homine tyrannus è medio tollitur. Unde Juvenalis Satyra 10.

*Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci*
*Descendunt reges & sicca morte tyranni.*

Et ex sapientiæ arcanis manavit dictum illud,

οὐδεὶς τύραννος μακρόγηρως ὢν θάνε. Id est:

*Nunquam tyrannus obiit ante exita.*

Extat Xenophontis Hieron, in quo tyrannos plane praphice depinxit. Græcum Proverbium est, ὄφις εἰμὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται: *Serpens ni edat serpentem, draco non fiet.* Et hoc quidé Hieroglyphico ab Ægyptiis Regem, qui multos alios debellasset & consumsisset, significatum fuisse scribit Pierius, nec minus recte nos de tyrannis usurpare possumus qui aliorum exitio accrescere student. Pertinet huc insignis apud Polybium lib. 15. locus ille: τὸν λεπτὸν μέρον τῶν ἰχθύων βιοῦσθαι οἷς φασὶν ὁμοφύλοις ὄσι τὸ μεῖον καὶ ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι καὶ βίον: *Piscium vita, proverbio notum, inter quos tametsi congeneres minoris exitium à validiore in escam, qua vitam trahat, convertitur.* Quo & Varronis illud in Margopoli, referente Nonio, facit,

*Qui pote plus urget; pisces ut sæpe minutos*
*Magnus comest, aut aves enecat accipiter.*

Pulchre itaque Irenæus lib. 5. adversus hæreses Valentini; ad utilitatem, inquit, gentilium terrenum regnum positum est à Deo, ut timentes regnum humanum non se alterutrum homines vice piscium consumant: sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam. Quo etiam referenda sunt quæ copiose in eandem fere sententiam disserunt Basilius Magnus hom. 7. in Hexaem. & B. Ambrosius lib. 5. Hexaem. cap. 5. Paradinus addit: UNIUS COMPENDIUM, ALTERIUS DISPENDIUM. Nam injusti & iniqui homines cum pauperum ruina ditescunt, & illorum veluti esca se saginant. Seneca in Hyppolito,

*Factus præda majori minor: pro jure vires sunt.*

Et recentior Poëta:

*Majoris minor esca feræ, velut esca Draconis*
*Serpens, ergo potens opprimit innocuos.*

## TYRANNUS *potentissimus.*

HUjus Hieroglyphicon malleus est à manu è nube ostensus hominum frequenti cœtui. Jeremias Propheta cap. 50. v. 22. Monarcham Chaldæorum universæ terræ malleum appellat hujusque Hieroglyphici toto capiti explicationem subjicit. Tum temporis enim, armis hujus monarchiæ,

A chiæ, quasi malleo quodam ad conterenda cætera totius Orientis regna utebatur: itidem ut hodie, tyranno Turcico,& superioribus seculis Attila vel Tamerlane: quorum hic,mundi terror; uterque flagellum Dei cognominati sunt.

Sed aliis Hieroglyphicis,ex Esaiæ Prophetæ cap.10. repetitis quædam alicujus momenti proferamus.Versiculo 5. Assyrios virgæ & baculo comparat, clamans: Væ Assur, virga furoris mei,& baculus ipse est,in manu ejus indignatio mea.Quidam exponentes,ô Assur. accipiunt particulam *Hoi* pro hortatione Assyriorum ad invadendum Israelem. Alii exponunt, Væ Assyrio virgæ iræ meæ; ut sit initium comminationis contra tyrannos istos, & sequentia legunt adversative, quamvis sit in manu eorum baculus indignationis meæ, & ingentem fallacem, hypocritam, impiam (nempe Israelitas) mittam eos, cum mandatis, ut prædentur,&c. q.d. Et si utar Assyrii opera in puniendo Israele,tamen ipsum quoque propter sua peccata ulsciscar. Ali,Væ,vel, Heu Assur, virga furoris mei: ut sit exclamatio propter sævitiam Assyriorum adversus Israelitas,q.d.Heu, quanta clade afficient, quanta crudelitate excipient Assyrii miseros Judæos: Nonnulli legunt in vocativo, sicut Jerem. 47. cap. Eheu, B gladie Domini, usquequo non es requieturus? Vel in nominativo, Heu Assyrius,eodem sensu, ut sit quasi deploratio & abominatio calamitatis inferendæ Judæis per Assyrios, quæ Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, ad notandam pœnæ atrocitatem. Virga furoris mei. Ita quidam legunt, nempe per appositionem,vel subaudito verbo substantivo,eodem sensu, Væ vobis ab Assyriis, qui sunt virga furoris mei, vel, Heu, quas stragas dabit Assyrius virga furoris mei,*i.* quo tanquam virga usurus sum ad exequutionem justæ meæ indignationis in gentem impiam. Et baculus ipse est, in manu ejus indignatio mea. Docti interpretes exponunt, Baculus indignationis meæ est in manu ejus. Alii in manu Assur est baculus nempe indignatio mea.

Ostendit autem Deus, vocans Assyrios & ipsorum arma virgam & baculum suum, illos tantum fore exequutores suppliciorum populi, quæ ne se movere quidem,nedum possint lædere Judæos sine Dei voluntate & nutu.Si quis objiciat,sunt virga & baculus; ergo non agebant libera sua voluntate: ipsa metaphora suppeditat responsum. Nam non necesse est in similibus omnia congruere,sed ea duntaxat quorum gratia adhibentur. Si sequeretur,Assyrius est baculus: ergo non libere invadit Judæos; eadem ratione sequeretur,est baculus, ergo nec vivens nec intelligens agit. Similitudo e- C nim in eo duntaxat est,quod Assyrius regitur Dei nutu, neque minus, neque plus facere potest adversus Judæos quam mundi judex justus decrevit: sicut baculus regitur manu & voluntate cædentis eo,neque incipit,neque desinit ferire citius,neque levius, neque durius ferit,quam is vult, qui ipsum agitat & moderatur.In modo autem hujus motionis & gubernationis est maximum discrimen: neque ad hunc declarandum pertinent similitudines virgæ, baculi, securis, serræ quas paulo post adjungit.In baculo enim nihil est,quod externi objecti intuitu ad percutiendum excitetur & allicia- tur,& motus baculi sit causa effectrix:sed tantum impellitur vi agentis externi,utentis eo ad percutiendum.In Assyriis autem fuit mens intuens prædam oblatam & speratam: voluntas item hoc intuitu allecta ad prædam & aliarum cupiditatum expletionem appetendam & persequendam, ac proinde imperans menti & loco motivæ facultati.

Sunt igitur Assyrii instrumentum Dei tale quod movetur ab alio, sed simul movet etiam seipsum, & est ex interno principio suæ actionis causa efficiens,una cum illo principio externo,à quo foris cie- D tur & regitur. Atque hoc ipsum est,quod dicitur,hominem,libero arbitrio,seu voluntate,seu motu voluntatis agere,nimirum intellectu monstrante,& voluntate eligente aut repudiante aliquod objectum.Cum hac autem libertate voluntatis nequaquam pugnat decretum divinum,& efficax voluntatis inclinatio ad objecta. Quin potius,quanto efficacius objecta voluntatem afficiunt;stimulant & alliciunt,tanto ipsa liberius agit,cum tanto magis ultronea,spontanea & alacris in objectum feratur. Est igitur cavendum hoc extremum, videlicet ne hostes, qui nos affligunt, ut de Turcis & ejusmodi carnificibus illud dici potest,putemus à Deo instar truncorum aut lapidum impelli;quod & vox divina,experientia,sensus humanus & absurditas refellit,quæ inde sequeretur multiplex; videlicet frustra fuscipi omnes dehortationes hominum ab impietate & flagitiis, & vel Deum esse peccati ipsorum causam, vel nullam in ipsis rationem hærere peccati & culpæ,ac proinde ipsos non juste puniri

propter

propter maleficia. Sed alterum quoque extremum seu præcipitium, æque cavendum est, ne videlicet A
sic in potestate & arbitrio carnificum istorum esse putemus, Christianos affligere vel non affligere, ut
pro suo affectu & animi impetu quidvis agant, Deo sciente quidem & spectante quid acturi sint & a-
gant; sed nihil decernente ut faciant, nihilque (tanquam summus, justus, formidabilis judex, sapi-
ensque rerum omnium arbiter) agente vel efficiente eorum, quæ per ipsos fiunt, ut suos probet, hy-
pocritas detegat, & satanæ organa brachio potente tandem coerceat.

Aliud Hieroglyphicon tyranni potentissimi, vers. 15. ejusdem 10. capitis Prophetæ proponitur,
quum quærit, An gloriabitur securis contra secantem ea? Num extollet se serra contra agitantem
eam? Falsæ gloriationis Assyriacæ sophismata non attingimus. Illud tantum ex Theologis repetimus,
non sequi homines sine libera voluntate & sine culpa sua peccare, quia securibus & serris conferan-
tur. Non enim similia secundum omnes partes congruere necesse est; sed secundum illas tantum, ad
quas declarandas adhibentur. Homo intelligit, & vult, & efficit ipse opus suum, & expetit in eo fi-
nem, quem spectat, & ad quem fertur suo proprio & spontaneo motu, quorum nihil est in securi, ser-
ra, baculo, aliisve ejusmodi instrumentis inanimatis, quæ tantum ab externo principio moventur, B
non autem seipsa movent.

Neque ad modum agendi, qui est in hominibus adhibetur illorum instrumentorum mentio & si-
militudo: sed dumtaxat ad necessitatem actionis, moderationis & promotionis divinæ, ad perficien-
dum sive Dei, sive hominum consilia, & successus optatos consequendum. Nec enim haberet ullum
robur Assyrius, Turca, Tartarus, nec ille posset uti, vel quidquam efficere, nisi Deus ad sui operis ex-
sequutionem ipsius uteretur opera, & conatibus successum daret. Interea voluntatis & actionum
suarum pravitas spontanea satis cuivis tyranno satis justa est damnationis causa.

Declarat hoc instrumenti & instrumento utentis collatio. Si peritus opifex securi vel serva bona &
commoda utatur, bene & commode secabit per eam. Sin autem vitiosa & hebeti, bene quidem per se
& recte per eam secabit opifex; sed per accidens, instrumenti vitio secabit male & incommode. Hujus
autem vitii in sectione causa per se erit pravitas instrumenti, quod si bonum fuisset, bene secuisset
ductum manu artificis eo perite utentis. In hunc modum Deus Optimus & sapientissimus Artifex be-
ne utitur instrumentis tam pravis quam bonis ad bonum opus suum perficiendum, his tamen cum C
ipso bene, artificis misericordia, illis vero male operantibus suo vitio. Sic eadem vastatio gentium
erat Dei & Assyriorum actio, quæ velut unum subjectum diversissimas & oppositas rationes sustine-
bat. Justa pœna fuit Dei respectu: latrocinium vero respectu Assyriorum, Deo ita permittente, id est,
non corrigente ipsorum cœcitatem & malitiam, justo judicio frenum cupiditatibus laxante, media
& successus suppeditante, & ipsorum prava consilia, quo voluit, dirigente. Nullum est igitur conse-
quens istud, securis non potest secare, nisi aliquo tollente & feriente: sic Assyrius non lædit Judæos,
nisi Deo sic volente: eodem modo igitur agit securis & Assyrius. Hic enim objectis allicitur, & vo-
lens agit, vel bene secundum, vel male contra Dei voluntatem conscientiæ suæ inscriptam.

Cur ergo non modum agendi Assyriorum, sed providentiam divinam designet Esaias, scopus
concionis spectandus est, Judæorum consolationem respiciens. Ad hanc autem nihil dici potest effi-
cacius, quam si cogitent pii, videntes, audientes & sentientes hostium insolentiam & immanitatem,
ne digitum quidem illos movere posse, sine certo, accurato, & ipsis salutari consilio patris sui cœle-
stis, in cujus manu sint hostes quantumvis efferi, tanquam baculus, qui post filios Dei castigatos in D
ignem sit abjiciendus. Simul autem piorum cœtus, exemplis peccatorum & tragicis spectaculis pœ-
narum in suis adversariis, ad modestiam & Dei timorem instituitur, ne donis, vel successibus suis
quisquam efferatur, vel securus & confidens fiat; sed quicquid habet, consequitur, aut efficit boni,
nihil ejus sibi arroget, neque de eo glorietur, quasi non acceperit: contra bonorum omnium omnem
gloriam in solidum soli Deo transcribat.

Idem Propheta cap. 7. v. 4. alio hieroglyphico pereleganti tumultuantes Tyrannos graphice de-
pingit. Quemadmodum enim extremitas titionis fumigantis oculos quidem aliquantisper tumo in-
festat, sed neminem adurere potest, quod ignis jamdudu deflagraverit, vel aquis aspersus refederit:
ita Tyranni suis clamoribus & terriculamentis misero populo admodum molesti sunt, & innocenti-

A bus hominibus, viduis, orphanis, peregrinis, civibus lachrymas excutiunt, tamen pios & innocentes nequeunt opprimere. Tandem enim illorum minæ, vociferationes, terrores, ut fumus, evanescunt in auras, teste S. Scriptura, Psal. 68. 1. 2. 3. Proverb. 10, 25. Act. 12. 24. Huic oppositum videtur Athanasii de Juliano dictum, Orat. 1. citante Damasc. orat. 3. de Imag. Quid novus, inquit, hic Nebucadnezar? Nihil enim humanius iste in nos, quam vetus ille præ se tulit; cujus flammas licet effugerimus, carbones tamen nos adhuc affligunt. Hoc est, Quamvis ipse jamdudum sit extinctus, tamen miserandæ illius cladis, quam Ecclesiæ superioribus annis intulit, sine lachrymis recordari non possumus.

Proverb. 10. c. 12. v. Salomon hieroglyphico nobili conatus & exitum tyrrannorum describit. Nam turbo vel tempestas subito erumpit, obvia quæq; radicitus evellens & prosternens: sed celerrime transit & evanescit. Eodem modo Impii, Tyranni, Violenti & profani homines, ad tempus quidem tumultuantur, non aliter quam si ima summ. essent permisturi: verum opinione citius ad pœnas abripiuntur, & funditus exstirpantur, ut nequidem ullum sui nominis relinquant vestigium. Ps. 37. v. 36.

B Quod quædam mentio in historiis occurrat, maledicta superest & omnibus exosa istorum memoria. Cum Julianus Apostata Christianis internecionem post bellum Persicum indiceret, Athanasius tyranni interitum prædixisse fertur his verbis, quæ Socrat. lib. 2. hist. Eccl. cap. 12. retulit, ὑποσταλῶμεν μικρὸν, ὦ φίλοι. νεφύδριον γάρ ἐστι, καὶ παρέρχεται, id est, Secedamus paulum ô amici. Est enim nubes aquosa, quæ cito præterit. Hujus præsagii veritatem eventus comprobavit. Nam paulo post in prælio contra Persas Julianus improviso telo vulneratus occubuit, & Christi victoriam fateri coactus est.

Jeremias c. 15. v. 12. tyrannos comparat ferro, Ecclesiam chalybi & Dei nomine quærit an ferrum (commune) fracturum esset ferrum Aquilonis & chalybem? q. d. Tui hostes equidem sunt ferrei, sed ego qui intervenio pro te, sum tibi murus calybæus: non est (inquit Deus) quod metuas ab hominibus istis. Alii existimant vaticinium esse exilii Chaldæorum, quorum monarchiam Persæ eversuri erant. Ferrum conteret ferrum, vel malo afficiet. Hebr. Jaroha Barzel Barzel. Commode pingetur, si admonere volumus neminem ita fortem aut malum esse, quin tandem aliquando incidere possit in fortiorem vel pejorem, à quo superetur, ut Bajazeti à Tamerlane superato accidit quod ex-

C pressum est monosticho græco.

φαῦλος ἐὼν ἄλλου χείρονος ἀντέτυχεν.

## VENERIS *Immodicæ incommoda.*

Viperæ, mas & fœmina, coëunt, ut Plinius tradit, tam arcto complexu, tam sibi ipsæ circumvolutæ, ut una existimari biceps possit. Viperæ fœminæ mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Quod longe ante Horapollo scripsit, Ægyptios dicens hac figura mulierem, quæ odio prosequens maritum ejus vitæ insidiaretur, blanda tamen in coitu esset, depinxisse. Rem autem ipsam ex veteribus affirmant Herodotus in Thalia, Nicander, Galenus, Ælianus, Basilius Magnus Homil. contra fœner. & de Invid. & 9. hex. Hieronymus ad Præsidium, Prudentius in Hamartigenia, & alii: ut miretur Pierius Albertum Magnum unum contradixisse. Sed verane sint hæc, Baldus Angelus in libro de Viperæ natura & facultatibus enucleat. Symbolica certe esse manifestum est: quæ morbos & cætera ex nimia & immodica Venere incommoda, & quod per illam naturali calore tandem entincto cita mors veniat, accurate oculis subjiciant. Eryximachus quidem apud Stobæum,

D bræviter τὴν συνουσίαν μικρὰν ἐπιληψίαν ἔλεγεν, καὶ χρόνῳ μόνῳ διαλλάττεις. *Coitum brebem morbum comitialem esse dixit, ac tempore tantum differre.* Et similiter apud eundem Democritus: Συνουσία ἀποπληξίη σμικρὴ; ἐξέσσυται γὰρ ἄνθρωπος: *Coitus est brevis apoplexia. Prorumpit enim homo ex homine.* Sed quid aliud sunt amatoribus suis libidinosæ fœminæ, quam viperæ? Illis enim omnem succum & sanguinem, facultates, & ipsam denique vitam abrodunt, & adimunt. Notus enim est veteris cujusdam Poetæ Senarius: ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης: *Par est leænæ & feminæ crudelitas.* Omnium autem pulcherrima est Phædri fabula lib. 2. de anu & puella diligentibus juvenem, cui hos præmittit versus: *A feminis utcunque spoliari viros, Ament, amentur, nempe exemplis discimus.* At nos ex disticho Poetæ nostri,

*Sic pereat quisquis meretrici turpiter hæret,* *Per Venerem ut nimiam vipera mensa perit.*

## VERBUM *Dei.*

A

1. IGnis, quia calefacit, utilissimus est: Verbum Dei, quod Spiritus S. dicit in corde, maximo usui est, & facit ut illud audientes dicant: Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & dum adaperiret nobis scripturas? Luc. 24.32.

2. Ignis, quoniam lucem subministrat, nocturno tempore tenebrarum remedium est: sic firmissimus Sermo Propheticus velut lucerna est splendens in loco obscuro, usque dum dies illucescat, &c. 1.Petr.1.19. Lucerna pedibus nostris verbum Dei. Psal.119.

3. Ignis, aurum, argentum, & alia liquefacit, & purgat à scoriis & sordibus: ita verbum Dei emollit corda, & emundat ea inquinamentis cordis & spiritus.

Rhododendron sive Rhododaphne, quod Nerion quoque vocatur, planta elegantiss. & per totam æstatem amœnissimos flores proferens, teste Dioscoride lib.4. cap.72. mulis, canibus, asinis, & aliis bestiis, quoad flores ac folia, venenum est: at ab hominibus adv. serpentum morsus utiliter è vino bibitur, præsertim ruta addita. Ad eundem modum Divina eloquia salubria sunt bene intelligentibus, periculosa vero his, qui ea volunt ad sui cordis perversitatem torquere potius, quam cor ipsum ad eorum rectitudinem corrigere. S.Paulus 1. Cor.1. Sermo crucis, inquit, iis, qui pereunt, stultitia est: at nobis qui salutem consequimur, potentia Dei est. De hoc eleganter in suo pegmate Petrus Costalius ita scripsit: B

*Nobilis aspectu folioq; virens Rhododaphne,*
*Dicitur ægrotis esse medela viris:*
*Tollit & humano conceptum in pectore virus,*
*Et læsis affert artibus antidotum.*
*Bruta tamen foliis animata extinguit eisdem,*
*Hæc sunt Sripturæ non aliena sacræ,*
*Illa pios recta cœli deducit in axem:*
*Sed nigrum reprobis addere Theta solet.*

## VERITAS.

C

FAcibus nocturno tempore accensis & pisces elici, & imprimis paguros, astacos & cancros, ex penitiss. etiam cavernis extrahi, capique, cum Oppianus, tum Olaus magnus inter recentiores, scribunt: nec fallit experientia. Plato quidem in Sophista hoc τὴν θηρευτικῆς τέχνης μυστήριον vocat θήραν πυρευτικήν: Quam prolixe admodum describit Q.Smyrn.lib.7. Neoptolemum in Trojanos pugnantem cum piscatoribus, noctu ad hunc modum piscantibus comparat. Docemur hoc hieroglyphico, nihil tam esse abditum, quod non veritatis lux in conspectum proferat: *quæ*, ut Seneca ait in Troad. *nunquam latet*. Nam, ut Pindarus inquit 10. Olymp. ὅτ' ἐξελέγχων μόνος ἀλήθειαν ἐτήτυμον χρόνος, τὸ δὲ σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν: *Et solum tempus, quod veritatem certam prodit, quodq; latebat in obscuro, progrediens enarravit.* Cui congruit Matth.10. illud, οὐδὲν ἐστὶ κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, καὶ οὐγνωσθήσεται: *Nihil opertum, quod non revelabitur, nihil occultum, quod non scietur.* Potest etiam hujus hieroglyphici usus esse, ut quemadmodum luminis fulgore deteguntur in tenebris pisces & paguri: ita quoque veritatis splendore detegi & dispelli omnia fusca mendacia. Utrumque certe præclara Polybii γνώμη complectitur, quæ legitur in ejus lib.13. Epitome his verbis: D Mihi videtur Natura. Dearum maxima ostendere mortalibus veritatem, illique maximas addere vires: quod cum ab omnibus impugnetur, nonnunquam & omnis generis suadelæ una cum mendacio adversus eam armentur, nescio quo modo per seipsa animis mortalium illabatur, & nonnunquam confestim vires suas exerat: aliquando vero, ubi multum temporis in obscuro delituit, tandem per seipsam emergat, & mendacium manifestet. Hæc Polybius. Pulchre Menander:

Ἔρχεται τ' ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτ' οὐ ζητούμενον:
*Venit veritas in lucem, interdum non quæsita.*

Et idem Menander:

Ἀλήθεια θεῶν ὁμόπολις, μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη.

*Veritas*

A *Veritas cœli civis est, & sola fruitur convictu deorum.*

Huc pertinet etiam distichon appositum,

*Elicit obscuris cancros lux clara cavernis:*
*Falsa etiam vero sic veniente vides.*

## VERITAS *aliis salus; aliis pernicies.*

ESt & hoc hieroglyphicon alibi aliqua ex parte expositum, cujus tamen hic tractationem pleniorem repetere voluimus. Quod vero Apes floribus odoratis, & imprimis rosis, apprime delectentur, & inde suaviss. alimentum sibi comparent, alibi dictum est, & libet insuper afferre in medium B. Basilii egregiam similitudinem, quam ponit in commentario de legendis libris Ethnicorum: ὡς γὰρ τῶν ἄνθεων τοῖς μὲν ἀνθρώποις ἄχρι τῆς εὐωδίας ἢ τῆς χρόας ἐστὶν ἡ ἀπόλαυσις, ταῖς μελίτταις δ' ἄρα καὶ μέλι λαμβάνειν ἀπ' αὐτῶν ὑπάρχει: οὕτω δὴ κἂν ταῦτα τοῖς μὲν τὸ ἡδὺ καὶ ἐπίχαρι μόνον τῶν τοιούτων διώκουσιν, ἐστὶ δὲ καὶ ὠφέλειαν ἀπ' αὐτῶν εἰς τὴν ψυχὴν ἀποθέσθαι, id est, *velut enim florũ hominibus quidẽ*
B *usq; ad odorem & colorem est usus, apes autem mel ex ipsis excipere noverunt: Sic etiam hi, qui diligentes in legendo existunt, non solum quod dulce jucundumq; fuerit in eorum libris persequuntur, sed quandam ex illis utilitatem in animum reponere student.* E contrario autem Scarabæus, ut Ælianus refert lib. 4. cap. 18. ab odoratis læditur, ac fœtidis oblectatur, imprimis vero rosæ adeo illi sunt contrariæ, ut illis involutus quoq; intereat. Quod proprie etiam convenit ingenio agresti, ac ab omni liberali institutione ac doctrina laudabili plane abhorrenti, cum alii bene edocti & instituti tantopere his sese oblectent ac sustentent. Quo pertinet proverbium tritum, *Scarabæo unguentum*, quod Plutarchus 7. Symposiac. quæst. 7. in philosophum austeriorem quendam, qui psaltriam in convivio nolebat ferre, convenire ait,

*Ut rosæ mors, scarabæe, tibi est, apis, una voluptas;*
*Virtus, grata bonis, est inimica malis.*

Veritati vero tribuimus hujus hieroglyphici inscriptionem, ex S. Apostoli dicto, 2. ad Corinth. 2. v. 15. & 16. Nec enim vera virtus extra salutis æternæ veritatem nobis quærenda est.

C

## VERITATIS *Oratio.*

FRuctus arboris Perseæ formam cordis repræsentare, folium autem similitudinem cum lingua habere, Plutarchus quoque in libello de Iside & Osiride notavit, cum in Ægypto hæc arbor fuerit dicata Harpocrati, cujus veteres mentionem fecerint: & inter recentiores Carolus Clusius in suis observationibus Hispanicis diligenter descripsit ac delineavit. Plinius tamen cum Persico arbore (cujus forsitan nonnihil congener est, specie autem differt) videtur quodammodo confundere. Docemur hoc hieroglyphico, veritatis orationem debere esse simplicissimam, ac undique sibi constare: unde Germanis proverbium quoque adhuc frequens est, volentibus cor & linguam oportere unum idemque esse. Quod utinam hoc nostro seculo, in quo

*Candor inter homines res intermortua pene est,*

plures diligentius observarent: cum profecto, secundum B. Nazianzeni dictum graviss. πᾶν ὃ πρὸς ποιητὴν οὐδὲ μονιμόν ἐστι, id est, *nihil simulatum potest esse diuturnum.* Videmus autem & quotidie experimur, potius jam nimis vere inter multos convenire istud Ciceronis in quadam epistola ad Quin-
D tum fratrem, dictum, ubi ait: Multis simulationum involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur, lingua autem sæpissime. Definit vero idem Cicero veritatem libro secundo de invent. per quam immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Ad veritatem autem amplectendam Sophoclis est egregia cohortatio:

Θάρσει, λέγων τ' ἀληθὲς οὐ σφάλλῃ ποτέ.
*Bono sis animo, vera dicendo nunquam erraveris.*

Hieroglyphico autem distichon addamus:

*Persea fert cordis fructus, folia æmula linguæ.*
*O utinam in cunctis hæc benejuncta forent!*

## VIA *vitæ.*

LActantius lib. 6. Instit. Divin. cap. 8. Eadem, inquit, ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter navibus quæritur. Quisquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cœlum: & (ut apertius loquar) non hominem sequi debet, sed Deum; non his terrestribus simulachris, sed Deo servire cœlesti; non ad corpus, sed ad mentem omnia referre: non huic vitæ dare operam, sed æternæ. Itaque si oculos semper in cœlum intendas, & Solem qua oritur observes, eumque habeas vitæ, quasi navigii ducem, sua sponte pedes tui in viam dirigentur: & illud cœleste lumen, quod sanis mentibus multo clarius Sole est, quem hic carne mortali videmus, sic reget, sic gubernabit, ut ad sapientiæ virtutisque portum sine ullo errore perducat. Hinc Billii octostichon:

*Æquora qui fragili sulcat male fida carina,*
*Quid, cursum ut teneat, nocte silente facit?*
*Pervigil ad cœlum tendit sua lumina, sidus*
*Spectat & in Boreo juge quod axe micat.*
*Quisquis iter vitæ sequeris, vitæq; perennis,*
*Ne tua sint terræ lumina fixa cave.*
*Semper at æthereas sublimi vertice sedes*
*Conspice: sic tutum lætus habebis iter.*

## VICISSITUDINES *perpetuæ.*

NAzianzenus orat. de pauperum amore scribit Deum voluisse res humanas in summa varietate atque inconstantia versari, earum instabilitate perspecta, nostrum amorem ad ea conferamus, quæ omnis mutationis & inconstantiæ sunt expertia.

*Stultus ut est, levibus ventis qui fidit, & umbræ,*
*Et noctis placidæ somnia certa putat,*
*Scribere quiq; in aquis molitur: sic quoque figit*
*Qui spes in mundi prosperitate suas.*
*Atque ideo in terris firmi nil prorsus ut esset,*
*Constituit supera qui manet arce pater.*
*Scilicet ut firmi nihil hic stabilisq; videntes,*
*Tendamus celeri semper ad astra pede.*

## VICISSITUDINES *rerum humarum.*

SErpentis pictura caudam ori inserentis, ut circulum efficiat, veteres Ægyptios annum & tempus repræsentasse Horapollo testis est, meminitque Servius in 5. Æn. Claudianus autem eandem rem valde poetice describit 2. lib. de laudibus Stiliconis. Quæ certe naturæ rationi convenit, illique circulorum circuitioni, ex qua dierum noctiumque varietas, & mensis annique mensuræ procedit, de qua post Platonem Cicero. Grammatici annum, quasi annulum dictum putant: qui ab Homero περιπλόμενος ἐνιαυτὸς appelletur, quasi ἰὼν εἰς ἑαυτὸν. Latinis annus vertens est; Hieroglyphici autem usus varius esse potest. Nam, ut Virgilius imitatione Lucretii 3. Georg. canit,

*In se sua per vestigia volvitur annus.*

Et de Tempore pulchre Seneca Troad.

*Tempus nos avidum devorat, & chaos.*

Omnium etiam rerum in hoc mundo perpetua est ἀνακύκλωσις, ut Polybii verbo utamur: Unde ipsius mundi imago hoc hieroglyphico exprimitur, ut apud eundem Horapollinem & Pierium videre est. Quo Taciti aurea illa sententia pertinet Annal. 4. qua affirmat, Rebus cunctis inesse quendam velut orbem, ut quemadmodum temporum vices, ita & morũ vertantur. Et illa Crœsi apud Herod. κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων δὴ πραγμάτων, περιφερόμενος ἢ, οὐκ ἐᾷ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν: *humanarum rerum circulus est, qui rotatus semper, eosdẽ fortunatos esse non sinit.* Sane quæ de Rerump. periodis Plato & Aristoteles disserunt, ex scriptis ipsorum petenda sunt. Nec enim hic inseri instituti nostri ratio patitur. Quin & Regum, & ipsum denique imperium hac figura intellexisse Ægyptios, scriptores

A ptores hieroglyphici indicant. Itaque vetustum Adriani Imp. honori sacratum numum Seb. Erizzus declarat. Nam & serpens regni icon est, unde caput serpentis, divûm regina Juno dextra tenet: Et circuli figura omnium habetur perfectissima. Petrus Costalius in Pegmate suo litium æternitatem hoc symbolo subjicit.

*Rebus in humanis adeo in se cuncta recurrunt,*
*Finis ut unius sit caput alterius.*

## VICTORIA.

ACcipitrem pingunt Ægyptii, quoties victoriam significant. Horapollo lib. 1. cap. 6. quod accipiter cætera volatilia vincere videatur. Cum etiam robustioris animantis potentia premitur, tum sese in aera resupinans, ut ungues quidem sursum, pennas vero posterioresque partes deorsum versas habeat, cum idem avis, quæ cum eo congreditur, efficere non possit, ita facile eam fugat, ac sibi parat victoriam.

## VIGILANTIA.

B LEpores inter dormiendum apertos oculos tenere tanquam vigilantes, vel statim evigilaturi constat, unde in proverbium abiit, leporinus somnus, cujus usus etiam est creber in variis linguis. Hinc, secundum nonnullos, λαγὼς Græce dicitur, ἀπὸ τοῦ λάειν, quod est videre, quia oculos non claudit in somno, quod Plinius & Suidas quoque annotarunt. Ideo Ægyptii ut vigilantem hominem ostenderent leporem pinxerunt, quemadmodum ex Horapollinis lib. 1. c. 26. colligitur, & Pierius in lepore annotavit. Id autem ad mentis vigilantiam & attentionem transferre recte possumus. Cicero, pro Plancio: Vigilandum est, inquit semper: multæ insidiæ fiunt bonis. Demosthenes antelucanus opificum operas prævenire solitus est, quam vigilantiam eruditi multi cum magna laude imitati sunt. Est & elegans Platonis sententia lib. 3. de Legib. Somnus multus, inquit, neque corporibus, nec animis, nec rebus gerendis natura aptus est. Nemo enim dum dormit, ullius est pretii, nihilo magis quam qui non vivit. Qui igitur vitæ & sapientiæ curam gerit, plurimo tempore vigilat, id solum providens atque observans, ut somni tantum capiat, quantum ad sanitatem potest pertinere. Ad cujus quidem conservationem non multo somno opus est, dummodo recte sit constitutus

C somni capiendi modus:

*Luminibus dormit patulis lepus. At vigilandum est:*
*Insidiis quoniam cingimur innumeris.*

Plautus in Rudente, inquit,

*—— Vigilare decet hominem,*
*Qui vult sua tempori conficere officia,*
*Nam qui dormiunt libenter sine lucro & cum malo quiescunt,*

Et Silius lib. 3.

*Turpe duci tantam somno consumere noctem,*
*O rector Lybiæ vigili stant bella magistro.*

Si ad vera hieroglyphica oculos convertamus, Salomon in Proverbiis ignaviam acriter flagellat, plurimis locis, vigilantiam ex oppositio sedulitatemque diligenter inculcans.

Grus à sono dicta putatur, Græcis γέρανος, quod generis epicœni est, sicuti & Latina vox: videtur

D autem germanica appellatio à græca derivari. De gruum vero excubiis & vigilantia Aristoteles lib. 9. de hist. Animal. c. 10. Plinius lib. 10. c. 23. Ælianus lib. 3. c. 13. Plutarchus de solertia animalium, Horapollo lib. 2. c. 94. & plures alii eadem prorsus tradunt, quæ omnia Isidorus lib. 12. orig. quasi in epitomen contrahens ita expressit: Nocte autem excubias dividunt, & ordinem vigiliarum per vices faciunt, tenentes lapillos suspensis digitis, quibus somnos arceant, hoc quod cavendum erat, clamor indicat. Quæ vera est imago hominis industrii & diligenter ab hostium insidiis sibi caventis, secundum Horapollinem. Hinc Alexander Magnus, (ut refert Ammianus Marcellinus lib. 16.) vigilandi exemplum sumpsisse videtur, cum fortunam tam suam, quam suorum non temere aliis in exercitu crederet. Dicitur enim ænea concha pelvi suppositia, brachio extra cubile protento, pilam argenteam in manu tenuisse, ut cum nervorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinni-

cus abrumperet somnũ. Quod alii Aristoteli attribuunt. At contra Thrasybulus Athenas à jugo tri- A
ginta tyrannorum liberans, noctu suis omnibus nimis secure stertentibus, irruptione hostili in do-
mum facta fuit oppressus. Quare Plato 5. legum præclare hoc etiam subjicit: Universi homines cu-
juscumque actionis participes, quandoquidem sibiipsis & actionibus animum advertant, omnia
pulchre & bene conficiunt, non autem attendentibus aut vecordibus contraria eveniunt. Cum quo
Plautina sententia in Rudente convenit,

*——Vigilare decet hominem,*
*Qui vult sua tempori conficere officia,*
*Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cum malo quiescunt.*

Ad veram cordis vigilantiam, de qua Servator noster ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentatio-
nem, hieroglyphicon illud à quibusdam refertur. Nihil profecto in sacris literis frequentius occur-
rit, quam Spiritualis vigilantiæ commendatio. Utut sit,

*Excubias vigilanter agas, tibi ne irruat hostis,*
*Ceu vigil exemplo te monet ordo gruum.* B

In bello, ne turpe illud tibi excidat, vigilas: & quando de excubiis adversus satanam & alios salutis
hostes agitur, stertis, Christiane.

*Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones,*
*Ut teipsum serves non expergisceris? &c.*

inquit Horatius, epistolarum lib. 1. epist. 2. ad Lollium.

## VIGILANTIA *domestica.*

VUlpes absente Taxo foveam illius occupat, suisque excrementis ita inquinat, ut Taxus rever-
sus cogatur illam insolenti hospiti inhabitandam relinquere. Quo hieroglyphico monemur vi-
gilantia & diligentia opus esse, ut res nostras conservemus, & ab aliorum fraudibus tueamur, se-
cundum tritum illud Ovidii,

*Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.*

Idem nobis subjicit Apologus Æsopicus de serpente, qui in cavernæ suæ contubernium admiserat
erinaceum, à quo importuno hospite paulo post fuit vi expulsus. Igitur, C

*Quæ tua sunt serva, ne fors hæc occupet alter:*
*Nec temere excipias quemlibet hospitio.*

Nec propterea damnatur studium hospitalitatis imo stabilitur, quum vigilantia simplex & prudens
in virtutum choro sedem suam obtineat.

## VINDICTÆ *Cupiditas.*

TIgridem apud Hircanos & Indos ferunt animal esse miræ velocitatis, ac maculosum, teste Pli-
nio. Authores rerum Indicarum, Oviedus & Petrus Martyr Mediolanensis, hanc feram descri-
bunt & faciunt Leoni parem vel majorem. Pausanias lib. 9. Mantichoram Indorum esse putat. In Eu-
ropæis regionibus num visa sit, dubitatur. Ælianus cum Plinio scribit Φιλότεκνον, *sobolis amantem*
esse in hoc genere fœminam, usq; adeo ut ad naves usque venatores acriter persequatur, eosque co-
gat catulos interceptos rursus unum post alterum abjicere. Pierius in Tigridis hieroglyphicis anno-
tat venatorem conscensa navi vix duobus vel uno tantum catulo ablato aufugere, in continenti
post se equo relicto, in quem tigris omnem ultionis sævitiam convertens eum totum discerpat. D
Hieroglyphicum illud docet vindictæ cupiditatem minuere tum in feris, tum in hominibus quoque
dolorem solere, præsertim in iracundis & vera nudatis pietate, quæ nos ad clementiam hortatur, ac
Deo vindictam relinquendam esse monet. Quod sensit Juvenalis, qui sibi objiciens vindictæ cu-
pidorum dictum,

*At vindicta bonum vitæ jucundius ipsa est:*

statim responsum subjicit,

*Nempe hæc in docti, quorum præcordia nullis*
*Interdum aut levibus videas flagrantia caussis,*
*Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.*

Tandem

A Tandem egregie concludit;

*Semper & infirmi est animi exiguique voluptas*
*Ultio, continuo sic collige, quod vindicta*
*Nemo magis gaudet quam fœmina.*

Sed juxta Poetæ neoterici dictum,

*Persequitur sobolis raptorem concita tigris:*
*Et sæpe est magnis ultio grata viris*

## VIOLENTA *nocent.*

URsorum oculi crebro erubescunt, qua maxime de causa favos expetere videntur, ut convulneratum ab apibus os levet sanguine gravedinem illam. Et Solinus: Nihil avidius (inquit) quam mel captant, atque ideo alvearibus ubique insidiantur. In varia vero pericula incidunt vel ob apibus impetiti, vel ex arborum fastigiis, & ramis pondere fractis in terram cadentes. Quod hie-
B roglyphicum sibi probus ac innocens quispiam sibi recte accommodat, qui contra aliorum violentiam & injustitiam præter opinionem omnium conservatur, quod Lucretius olim expressit, his verbis:

*Circumretit enim vis atque injuria quemque,*
*Atque unde exorta est, ad eum plerumque revertit.*

Et Horatius lib. 3. Carm. Od. 4.

*Vis ingenii expers mole ruit sua:*
*Vim temperatam dii quoque provehunt*
*In majus: iidem odere vires*
*Omne nefas animo moventes.*

Antea vero Menelaus apud Euripidem:

*Si vela tendas nimium, navis mergitur:*
*Sed si relaxes rursus vehitur tutius.*
*Odit Deus nimis vehementes impetus:*
C *Odere cives, gratior est modernatio.*

Nullum violentum perpetuum; &

*Ut favus exitior est urso, sic sæpe malorum*
*Authorem illaqueant visque doluque suum.*

## VIR *bonus.*

VIri boni hieroglyphicon Ovis est, Græcis πρόβατον, quasi πρόβασις, secundum Hesychium, quod proventum eorum, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur, significet: animal simplex, innocens, & generi humano utilis (unde in sacris literis præclaræ similitudines sumuntur,) nam propter lanam, lac, carnes, atq; ipsam fœturam plurimum commodare potest. Quare ex hoc pecore, temporibus omnibus & locis apud plurimas gentes divitiarum non exigua pars conquisita, atque ideo vita pastoralis olim in magno pretio fuit habita. In lege quoq; Mosis inter innocentes & mun-
D das pecudes primum locum obtinet. Hieroglyphicon illud igitur optime quadrat in virum bonum, pium, innocentem, qui quamvis sit destitutus aliorum auxilio atque subsidio, nihilominus omnibus inservire & gratum facere studeat, quemq; innocentia sæpe inter medios hostes tutum & incolumen servet. Unde Nazianzenus præclaro hoc quoque scripsit, ἀφύλακτον ἡ ἁπλότης, καὶ ἄνκυρα κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον, id est, *Expers custodiæ est simplicitas, & minime mali quicquam suspicatur is, qui a malo est immunis.* Huic hieroglyphico aptatum est sequens distichon:

*Commoda plurima ovis præbet, nocumentaque nulla:*
*Sic benefac cunctis, nemini obesse velis.*

Et homini in sua simplicitate & innocentia acquiescenti semper propositam cupimus horum versuum sententiam, nempe,

*Hic scopus unus erit, cunctis prodesse, nocere*
*Nulli, & amare bonos, ac tolerare malos.* A

Et istorum,

*Juvare cunctos, at nocere nemini*
*Est summa Christianæ vitæ regula.*

Quemadmodum & Cicero lib. 1. de Offic. Virum bonum esse dicit eum, qui prosit omnibus, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Sed Christiani virum bonum eum esse asserunt, qui & lacessitus injuriis bonum pro malo reddit, Christi sui regis exemplo.

Plutarchus lib. 2. Sympos. q. 9. petit cur ovis à lupo demersæ caro fiat suavior? respondet esse lupi spiritum adeo fervidum & quasi ignitum, ut ossa etiam durissima in ventre emolliat atque colliquet: ideo à lupis morsa celerius quam alia liquescere. Et olim propterea gulæ dediti expetebant hœdum lupi faucibus ereptum, quod Horatius obiter attingit in Epodis,

*Vel agna festis cæsa terminalibus,*
*Vel hœdus ereptus lupo.* B

Martialis versus idem declarant:

*Parvus onyx una ponetur cœnula mensa,*
*Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.*

Convenit hieroglyphicon hominibus piis & probis in hoc mundo propter innocentiam vitæ ac veritatis studium, variis periculis & tormentis sunt subjecti, ac sæpe ideo ab impiis extrema omnia patiuntur, tandemque Deo acceptam hostiam sese offerunt: quo in numero omnes sancti Martyres sunt collocandi. De quorum unoquoque & hieroglyphico ovis à lupo adversæ dictum est,

*Dum premitur justus sit gratior hostia Olympo:*
*Sic quoque fit morsu suavior agna lupi.*

Apophthegmata sacra S. Ignatii & B. Polycarpi pro Christo morientium, prout in Eusebii hist. lib. 3. cap. 36. & lib. 4. c. 15. ad hujus hieroglyphici illustrationem pertinent.

## VIRTUS. C

*Virtus ipsa suis firmissima nititur armis;*
*Sævam hyemem sortis spernere docta malæ.*

INdicarum rerum Scriptores depingunt & describunt animal quoddam veteribus forsitan incognitum, quod Hispani nominant *Armadillo*, id est, armatum sive cataphractum, quod quasi panoplia, vel armatura quadam loricata à capite usque ad pedes sit contectum. Subterraneum animal esse dicitur, erinacei magnitudine, sed longius, *Tatou* Mexicanicis & Guinensibus dictum. Rarum hoc animal naturalibus armis munitum, quibus sese defendit, nec externis indiget subsidiis, est virtutis hieroglyphicon, quæ instar loricæ in se munita, tuta consistit, & insultus adversæ fortunæ facile superat ac contemnit. Quæ Claudianus in Panegyri de Mallii Theodori consulatu versibus elegantissimis exposuit,

*Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque lata* D
*Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis*
*Erigitur, plausuque petit claréscere vulgi:*
*Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,*
*Divitiis animosa suis, immotaque cunctis*
*Casibus, ex alas mortalia despicit arce.*

Nec minus eleganter Horatius lib. 3. Od. 2.

*Virtus repulsæ nescia sordidæ,*
*Intaminatis fulget honoribus:*
*Nec sumit aut ponit secures*
*Arbitrio popularis auræ.*

## VIRTUS *ardua captat.*

QUemadmodum in via virtuti nulla est via: ita

*Rupis inaccessæ virtus habet ardua culmen,*
*Huc tendis? Sudor multus ad alta levat.*

Insuetum per iter eundem est. Ibex, cujus Plinius & alii meminerunt, in Alpium præruptis & altis rupibus, præsertim in Helvetia & montibus vicinis frequens reperitur, in quibus raro vel nunquam nives liquescunt. Nam calidissimum est animal pernicitatis mirandæ, cornibus sese fulciens, quod adminiculo ex altis montibus desilit, & hac ratione cavet ne saxis allidatur. Vivit autem continuo in locis asperis & inaccessis, nec facile venit in conspectum hominum. Inde apud Jobum c. 39. Numquid nosti partus ibicum in petris? Hieroglyphica figura est hominis à vulgi consuetudine & consortio remoti, nihil aliud quam virtutem ipsam, quamvis arduam, quærentis ac desiderantis, quem nullæ voluptatum illecebræ à proposito studio stadioque avertunt. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 4. hujus argumenti laudat Simonidis versum,

B *Τὴν ἀρετὴν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις.* id est,
*Virtutem habitare in rupibus accessu difficilibus.*

Quem imitatus est Silius Italicus, lib. 15.

*Ardua saxoso perducit semita clivo,*
*Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)*
*Prosequitur labor ad nitendum intrare volenti.*

Hujus generis etiam sunt versus Hesiodi, a Cicerone merito commendati,

*Virtutem posuere dii sudore parandam*, &c.

Musæ etiam dicuntur in monte Parnasso versari, propter secessum & tranquillitatem, qua studia gaudent plurimumque adjuvantur, & antiquitas Palladem μουνίαν, quasi solitariam, eamdem ob causam nominavit.

## VIRTUS *ardua petit.*

C OMnibus constat Montes passim apud sacros & seculares scriptores sumi pro loco stabili, munito, tuto, in quo quis ab hostium incursionibus se tueri possit. Super montem excelsum, ad quem nisi per difficilimam semitam non pateat accessus, laurum simul & palmam statue, hoc hieroglyphico significans ad veram doctrinam, solidamq; prudentiam, & quæ ad hæc sequitur, perennem ac stabilem gloriam neminem pervenire posse, nisi per multos labores ac sudores. Inde distichon,

*Qui laurum & palmam victricem carpere gaudes,*
*Montis, si nescis, ardua scande prius.*

Et longe antea Silius Italicus,

*Ardua virtutem profert via scandite primi.*

Cum quo Ovidiani versiculi belle conveniunt;

*Ardua per præceps gloria vadit iter.* Itemque.
*Difficile est, fateor, sed tendit ad ardua virtus.*

Et Cassius Parmensis in Orpheo,

*Non levis ascensus si quis petit ardua: sudor*
D *Plurimus hunc tollit.*

## VIRTUS *difficilis, sed fructuosa.*

NUx Pinea, Colliculis quibusdam inæqualis & aspera, miræque duritiæ est, quæ vix ignis vi potest reserari: intus vero nuclei dulces latitant, non parum ad alimentum ac diversos hominum morbos utiles. Sic ad virtutem & honestatem ac laudabiles actiones non nisi per labores ac varias difficultates perveniri potest: at postea sequuntur suaviss. fructus. Quæ omnia Hesiodus paucis versibus ita eleganter complexus est, ut & Socrates eos commendet apud Xenophontem, lib. 2. commentariorum, & Ciceroni quoque vehementer placuerint: ideoque libr. 6. epist. familiar. ad Leptam, monuerit amicum suum; ut filium ipsius jubeat Hesiodea ista ediscere, semperque habere in ore:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τραχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκῃ,
Ῥαϊδίη δήπειτα πέλει, χαλεπὴ περ ἐοῦσα. id est,

*—— Virtutem sudoribus undique divi*
*Præsepsere, & longus ad hanc perq; ardua calli;*
*Asper & est primum: sed ubi alta cacumina victor*
*Contigeris, jam fit facilis, licet ardua dudum.*

Simonides etiam apud Clementem Alexandrinum lib. Stromatum, habitare virtutem dixit ὀυταμβάτοις ἐπὶ πέτροις, id est, *in rupibus difficillimis.* Ovidii etiam est præclarus versus,

*Gloria difficili parta labore venit.*

Nuci illi adscribamus etiam Distichon,

*Ardua vallatur duris Sapientia scrupis;*
*Dulcibus est eadem fructibus illa scatet.*

## VIRTUS *expedita semper.*

STruthiocameli, vel secundum Græcam derivationem, & quorumdam eruditorum sententiam, thruthiocameli appellatio apud veteres Latinos non fuit usitata; legitur tamen apud Plinium. Festus autem, Ausonius & alii passerem marinum nominant, Aristoteles στρουθὸν λιβυκὸν καὶ μέγαν. Herodotus lib.4. κατάγειον στρουθὸν vocat, non quod subterraneus sit, sed quia à terra non attollitur in aerem, unde Luciano quoq; καμαιπετὴς dicitur. Aristoteles lib.4. de part. Animal. c. ultimo, Struthio, inquit, etiam Africus eodem modo partim avem, partim quadrupedem refert, quippe qui ut non quadrupedes pennas habet, ut non avis sublimis non volat. Sed Plinius lib.10. addit. pennas ei ad hoc datas ut currentem adjuvent. Idem Ælianus (quemadmodum etiam Diodorus Siculus lib.3.) scribit lib.2.c.27. his verbis: At celerrime duabus alis explicatis graditur, quas ventus quasi vela implens propellit. Jovius hoc symbolum pro magno illo bellico Duce Marchione Vastio, se excogitasse perhibet, cum illi indignabundo à Pontifice Clemente 7. Antonius de Leva in quibusdam dignitatibus militaribus præferretur. Innuebat autem per id, se nihilo tamen minus in suo munere, quamvis non adeo sublimi, ita progressurum, ut merito alios antecelluisse videretur: quod profecto illum plenissime præstitisse plures historiæ abunde testantur. Paradinus addit, NIL PENNA, SED USUS: Atq; explicationem aliam affert ex Gregorio Magno, qui ait, Sicuti hæc avis plumarum ostentatione volatum præclarum videtur conari expedire, nec tamen umquam è solo levatur, sic hypocritis est proprium, ostendere quidem splendidam foris sanctimoniam, præter simulationem, tamen si diligenter observentur, nihil solidi, sed ficta & humi nitentia omnia apparent. Ad priorem sensum refertur Distichon sequens;

*Quantumvis humilis, cursu tamen anteit omnes*
*Struthio: sic virtus quolibet alta loco est.*

## VIRTUS *Neglecta, Dei beneficio virescit.*

ROsæ frutex hyberno tempore, quasi aridus spinisq; solummodo horridus, carens foliis ac floribus, negligitur prorsus, vel etiam pedibus conculcatur. Primo tamen veris tempore, vix depulso frigore hyberno, beneficio mitioris ac temperatioris aeris rursum reviviscere, & rosas protrudere, antea ab omnibus neglectus, incipit. Non aliter sæpe virtuti primum sese exerenti ac primum emergenti, quæ quidem crebrius quam matura ac omnibus numeris absoluta invidiæ stimulis est exposita insidias struere, ac quasi in herba adhuc versantem suffocare homines mali ac invidi conantur. Unde sæpenumero quidam in primis suæ ætatis annis vigorem ingenii & laudabilem industriam ad omnia honesta præ se ferentes, invidia ac malevolentia aliorum quasi frigore hyberno non parum retardantur ac impediantnr, ne scilicet plenam de se spem conceptam tempestive adimplere possint. Non raro tamen rursum divino imprimis adjuti auxilio, tamquam aura clementiore conservati ac excitati rursum repullulant, & ad frugem optatam tandem perveniunt.

*Emergens virtus nova spernitur, ut rosa bruma*
*Expecta flores fota calore feret.*

VIR-

## VIRTUS. PUDICITIA.

A Lilii flos candidissimus ac odoratissimus, quamvis undiq; sit horridis spinis circumseptus & molestatus, nihilominus tamen eminet, & odorem ac candorem retinet, omnibusq; communicat. Sic etiam virtus inclyta, quæ secundum Aristotelem 2. Ethic. semper versatur circa difficilia, tandem emergit ac conspicuam sese universis exhibet, quamvis improborum stimulis ac invidiæ morsibus sæpe petatur ac exerceatur.

*Quamlibet è mediis consurgunt lilia spinis:*
*Sic virtus ipsis crescit ovatque malis.*

Quod & D. Chrysostomus graviter explicat: οὐκ ἔστι, inquiens, τὸν τῆς ἀρετῆς ἐπιμελούμενον μὴ πολλοὺς ἔχειν ἐχθρούς, ἀλλ' οὐδὲν τοῦτο πρὸς τὸν ἐπίδοσιν. Διὰ γὰρ τῶν τοιούτων λαμπρότερος ἐξαιμειζόνως. id est, *Non aliter fieri potest, quin virtutis sectator quam plurimos hostes habeat. Sed nihil hoc virtuti deditum movet: nam propterea longe illustrior evadet.* Quod Horatius paucis quoque expressit:

*Virtus, repulsæ nescia sordidæ,*
B *Intaminatis fulget honoribus.*

Alii addunt, *Casta placent superis.* Nam pudicitiæ ac virginitatis florem esse lilium D. Hieronymus quoque in exploratione Cantici Canticorum tradit. Hoc dictum Tibullus plene expressit his versibus, *Casta placent superis: pura cum veste venite,*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

## VIRTUS *sibi pulcherrima merces.*

PAvo, vel secundum Gellium Pavus, à sono vocis, ut opinatur Isidorus, sic dictus, Græcis est ταὼς vel ταὸς, ἀπὸ τῆς τάσεως τῶν πτερῶν (quemadmodum placet Athenæo) ab extensione pennarum. Quas instar gemmarum vel oculorum (unde Argum, qui secundum Plautum totus oculeus fuit, in hanc avem transmutatum fingunt poetæ, ut apparet ex Ovid. Metamorph. 1.) variis coloribus adversus solem expandit, idque potissimum quando laudatur, quare Aristoteles vocat φιλόκαλον, id est, ornatus & elegantiæ studiosum. Ælianus lib. 5. Animal. cap. 2. elegantem ejus formam accurate describit, dicitq; hanc avem à barbaris ad Græcos fuisse importatam, initio tam raram, ut Athenis sit pretio spectata, & ex illo spectaculo quæstus factus. Atque Alexandrum Magnum ejusmodi aves apud Indos conspicientem, earum admiratione affectum, in omnes qui illos occiderent, gravem pœnam instituisse. Unde Martialis,

C *Mirari quoties geminatas explicat alas,*
*Et potes hunc sævo tradere, dure, coco?*

Notandum quoq; ejus carnem, quod D. Augustinus quoq; lib. 21. de civitate Dei, c. 3. & Isidorus lib. 12. affirmant, non putrescere. Quemadmodum itaq; pavo gaudet sua pulchritudine, & imprimis adversus Solem de hoc innato ornatu expansis alis gloriatur, ita quoq; virtus ipsa propria laude digna, & per se pulcherrima æstimari debet. Nam secundum Ovidium lib. 2. de Ponto, Eleg. 3.

*——per seque vitanda est*
*Externa virtus incomitata bonis.*

Habetur autem integer hujus hieroglyphici versus apud Silium, lib. 13.

D *Ipsa quidem virtus sibi pulcherrima merces.*

Hieronymus Ruscellus aliud dictum Gallicum usurpatum fuisse ad hanc picturam ab Arone Cibo Gennensi perhibet, nimirum, FEAUTE' PASSE TOUT. *Fidelitas omnibus antecellit.* Nam ut pavo cunctam suam pulchritudinem in seipso ostendit sine omni fuco, & ascititio ornatu, ita animus generosus & fidelis universum studium, in suo proprio candore & probitate collocat.

*Pulchra suis veluti est volucris Junonia pennis:*
*Sic virtus proprio lumine clara nitet.*

## VIRTUS *utilis ad omnia.*

I Aurum custodiæ ac incolumitatis esse symbolum ex Proclo tradit Pierius: unde apud veteres, [illegible] causa prope ædes sata, vel illis adfixa fuit: quod etiam testatur Ovidius, dicens:



*Postibus*

*Postibus Augustis eadem fidissima custos.*

A

Eamque insuper non lædi à fulmine, Plinio etiam astipulante, vetustas credidit. Unde Tiberius Imperator Romanus, tempestates & corruscationes nimium expavescens, cœlo turbido lauream sibi solitus est imponere, non aliter ac Augustus ante ipsum nescio qua superstitione, ex vituli marini pelle in eumdem finem cingulum gestare consuevit. Herodianus quoque scribit lib. 1. in maxima peste, consulentibus Medicis, Commodum Imperatorem ob copiam arborum istarum in locum, cui nomen Lauretum, secessisse, quod beneficio harum arborum se à contagio immunem fore speraret. Ad eumdem modum virtus, cujus omnis laus, secundum Ciceronem, in actione posita est, per se munita ab omnibus non solum vitiis, sed aliis rebus adversis, semper illæsa ac integra durare solet, aliisque universis commoditatibus est præferenda. Unde Horat. Carm. lib 3. Ode 1.

*Virtus repulsæ nescia sordidæ* *Nec sumit, aut ponit secures,*
*Intaminatis fulget honoribus,* *Arbitrio popularis auræ,* &c.

Et neotericus poeta, Districho ingenioso cecinit,

*Sic illæsa malis constat pulcherrima virtus;*
*Laurus ut est dirus integra fulminibus.*

B

## VITUTIS *alumnus.*

Hujus hieroglyphicum est venator fixo pede cum venabulo aprum vel leonem expectans, dum socii turpi fuga sibi cosulunt. Senecam Philosophum epist. 64. audiamus: De Sextii præstantissimi viri scriptis agens. Quorumdam Philosophorum, inquit, scripta clarum tantum nomen habent. Cum legeris Sextium, dices, vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacumque positione mentis sum, cum lego hunc (fatebor tibi) libet omnes casus provocare, libet exclamare, Quid cessas fortuna? congredere, paratum vides. Illius animum in duo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat:

*Spumantemque dari pecora inter inertia votis*
*Optat aprum, aut fulvum descendere monte Leonem.*

Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientia exercear. Hactenus Seneca. Quæ autem de Sextio vir profanus, nos ad quemvis Sanctum Prophetam, Evangelistam, Apostolum merito referre licet. C

## VIRTUTIS *Amor.*

Mythologi scribunt Monocerotem odore & amore castæ virginis captum, omni ferocitate deposita, ad eam accedere, caputq; in ejus sinum recondere, atque tamdem somno obrutum capi. Quam allegoriam docti putant inde natam, quod rerum naturalium auctores scribant, Monocerote sui generis feras hostiliter persequi, nec aliter cum fœmina assuescere, nisi libidine stimulatam. Typus est castæ & puræ vitæ, qualis imprimis virginibus convenit, quæ non solum hominibus moderatis summopere probatur, sed etiam à ferocioribus magni fieri, & ad se amandum allicere solet. Sic apud Senecam in Hercule furente Lycus quærit à Megara, an

*Objici feris monstris virtutem putet?*

Illa autem respondet,

D

*Virtutis est domare quæ cuncta pavent*

His & Distichon subjiciamus,

*Quem non vincat amor castæ virtutis & ardor?*
*Virtus tanta potest, vincat ut illa feram.*

## VIRTUTI *via nulla invia.*

In antiquis numismatibus equus ad currendum se incitans, summam rei celeritatem & alacritatem denotat. Montis vero ascensus acclivior & asperior, virtutis iter, difficile quidem, quo tamen ad veram gloriam tandem perveniatur, hieroglyphice pingit. Venti autem procellosi, equi cursum remorantes, omnis generis adversitates, & impedimenta plurima, quæ viros probos & virtutis amantes à præcla-

A præclaro suo proposito avertere, vel saltem aliquantisper detinere solent, non malè exprimunt. De quo Euripides quoq; in Supplicibus conqueritur;

πολλοὶ καλῶς γεγῶτες ἀνδρες οὐκ ἔχυσ' ὅπως
δείξωσιν αὐτὸς τῶν κακῶν ἐξουσία, id est:
*Multi viri nati loco honesto non possunt*
*Seipsos palam ostendere propter malorum potestatem.*

Menander idem deplorat, clamans,

———ὡς ἄδικον, ὅταν ἡ μὲν Φύσις
Ἀποδῷ τι σεμνὸν, τοῦτο δ' ἡ τύχη κακοῖ, id est:
*Quam injusta res, cum natura quidem*
*Egregium aliquid contulerit, fortuna autem hoc depravat.*

Nihilominus contra omnes insultus & procellas graviores, à via virtutis numquam abscedendum, sed fortiter resistendum, donec superatis omnibus malis optatum finem consequamur.

B *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito*, inquit ille apud poëtam. Quod Cicero quoque monet, libr. 3 quæst. Tusculanarum. Nulla, inquit, diuturna potest esse gloria, quam labor strenuus ac indefessus primum non antecesserit. Quo pertinent Propertii lib. 4. Eleg. versus elegantes,

*Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.*
*Non juvat ex facili lecta corona jugo.*

In omnium ore sunt τὰ παύδημα ἐκεῖνα Ἡσιόδου περὶ τῆς ἀρετῆς ἔπη, ut Lucianus ait in Necyomant. quæ & alibi adducuntur, nempe, *Difficilia quæ pulchra*. Laudant Cicero, Xenophon, & ante oculos habuit Ammianus Marcellinus libr. 14 & alii. Certe cum Obeliscus, excelsus admodum acclivis, & serpens natura imprimis glaber ac lævis sit, fieri vix potest, ut in summam ejus cacumen perrepere possit. Qui igitur virtutis difficile & periculosum iter exprimere velit, fortassis haud absurdè hoc hieroglyphico uti poterit: Simulque innuere, non facile pervenire ad honoris & gloriæ fastigium, qui nimis timidè omnia explorat, & trepide resilit. Nam, ut pulchrè Theoctistus ait: φεύγειν δεῖ πάντα τρόπον τὰς σκολιὰς καὶ πρανεῖς, τὰς δ' ὑπτίους καὶ ὀρθίας τρίβους ἀποδέχεσθαι: Obliquæ & declives viæ
C modis omnibus fugiendæ sunt: abruptæ autem & recta sursum ferentes complectendæ. Et ut Symachus dixit libr. 9. Ep. 84. Virtus durioribus negotiis nitescit, & aspernatur declivem facilitatem, maximoque sudore arduum laudis annititur. Eleganter etiam Seneca in Epist. ad Lucilium: Ad honesta nitentes, quando magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor & clamabo, Tanto melior surge & respira: & clivum istum uno si potes Spiritu exupera. Generosos animos labor nutrit. Et paulo post: Animi est ipsa tolerantia, quæ se ad dura & aspera hortatur, & dicit: Quid cessas? non est viri timere sudorem. Xenophon quidem 2. Ἀπομν. ubi Hesiodea illa adducit, hanc pulcherrimam γνώμην præmittit: Μὰ καρτερίας ὀπιμέλειαν τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἔργων ἐξευρεῖν ἄνευ πόνων, ὡς φάσιν οἱ ἀγαθοὶ ἀνδρες. *Curæ quidem laboriosæ efficiunt, ut ad pulchra & honesta facinora perveniatur, sicuti virorum optimorum habet adagium.*

*Sudore hæc magno conscendit culmina serpens.*
*Nempe est virtutis semita difficilis.*

## VIS *Consilii expers.*

D URus ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, à montanis locis in quibus degit, secundum Isidorum, dictus est. Hunc in Hercynia silva Cæsar libr. 6. De bello Gallico reperiri ait. Plinius lib. 8. cap. 15. Uros vi excellenti velocitateque scribit esse præditos. Iis imperitum vulgus Bubalorum nomen imposuit. Adeo feroces Uros physiologi depingunt, ut si à venatoribus, post arbores latitantibus, telis vulnerentur, in tantam iram exardescant, ut crebriore in arbores impetu facto, tandem seipsos quoque conficiant. Sic furores & impetus validos potentiorum, sana consilia respuentium, prudentia declinat & frangit, cedens illis tempestive, & in tutum locum sese recipiens, tantisper dum feroces isti viribus suis evertuntur atque ruunt mole sua. Etenim,

*Quis furor est cæco temere se offerre furori?*
*Cede, parum exspecta, nec mora, victor eris.*

Et pridem Ovidius utiliter vim vi nimium præcipitanter repellentium inconsultam mentem monuit A his dictis,

*Dum furor in cursu est, currenti cede furori,*
*Difficiles aditus impetus omnis habet.*

Et Horatius, libr. 4. Carm. Ode 4.

*Vis consilii expers mole ruit sua.*

Oppianus item libr. 5. Halieutic.

ὡς οὔτ' ἠνορέης οὔτ' εἴδεος ἔπλετ' ὄνειαρ
Τόσσον, ὅσον πραπίδων. ἀλκὴ δ' ἀνεμώλιος ἄφρων. id est:
*Nec robur tantum quantum prudentia præstat.*
*Nec species: stolidæ vires sine morte fatiscunt.*

Raro autem hæc duo conjunguntur. Nam, ut recte ait Valerius Max. lib. 9. c. 12. nimio robore membrorum vigor mentis hebescit quasi abnuente natura utriusque boni largitionem, ne supra mortalem fœlicitatem sit, eundem & sapientissimum & validissimum esse. B

Solere sæpenumero Balænas, vel procellarum vi in littora ejici, vel etiam dum ipsæ apricandi studio terræ nimium propinquant, ut fidunt, ob refluxum maris aqua destitui, atque ita in sicco relinqui, ut mole illa sua corruant, experientia testis est, suntque ad Oceanum crebra ejus rei spectacula: & in Batavis insigne anno M. D. LXXXIIX. contigisse meminimus. Balænam sane nonnunquam è mari prodire, & ad solem apricari, ipse Oppianus scribit. Unde & Grammatici quidam volunt dictam παρὰ τὸ πρὸς φῶς ἄλλεσθαι: eoque hodie nomine cunctas fere majores pelagi belluas vulgo intelligunt, cum veterum quidem balæna ex Rondeletio & aliis satis nota sit. Hieroglyphicon autem hoc seipsum ex inscriptione Horatiana fere explicat: cum qua Isocrates consentiens, Robur prudentiæ conjunctum profuisse quidem, verum ea destitutum, magis fuisse habentibus detrimento, dixit. Et Nestor apud Homerum idem pene pronunciat. Exemplo sunt Milo Crotoniates, & Polydamas athleta: quorum ille dum quercum manibus insertis divellere, hic speluncam ruentem solus humeris sustentare conatur, misere uterque periit, sicuti apud Valer. Max. legimus. Possit hoc etiam accommodari fortassis ingenti alicui imperio, quod ipsa magnitudine sua laborat, minaturque ruinam. Illud enim, dum cuncta immensæ duntaxat potentiæ suæ & tribuit & ascribit, Dei omnipotentis manu & protectione merito tandem destituitur, quod si fit, magno cum fragore subito corruit. Ut enim Apollodorus Comicus ait: C

ὄγκου μεγάλου πτῶμα γίνεται μέγα.
*Ingentis molis ingens ruina erit.*

Sapienter itaque Gr. Nazianzenus monuit:

Μὴ ἐπαρθῇς μέγα, ἵνα μὴ μεῖζον κατενεχθῇς,
*Ne efferaris alte, ne deferaris altius.*

Siquidem, ut pulcerrimus habet Claudiani versiculus:

*Magna cadunt subito, summa repente ruunt.*

Et quid Babylon, atque Roma, ruens aliud occinit? quam

*Sic pereat quisquis robore fidit atrox.* D

## VIS PROLIFICA.

Referunt Physiologi multa de Scorpii prolifica vi & generatione, tamquam naturæ quopiam miraculo. Ex terra enim & calore solis Scorpios oriri experientia confirmatum est. Ideo Scorpius generationis symbolum merito dicitur. Aliud quidpiam admiratione dignum ex Ovid. lib. 15. Metamorph. desumptum est: ubi ex cancro demptis brachiis terraque obruto Scorpium enasci scribit his versibus;

*Concava littoreo si demas brachia cancro,*
*Cætera supponas terræ, de parte sepulta*
*Scorpius exibit, caudaque minabitur unca.*

A

## VITA *beata in terris.*

CIrva matutino tempore, Sole jam exoriente æstivis mensibus, tam propter sui corporis caliditatem, quam cœli æstum, purissimum rorem hianti ore jucundè excipere atque eo sese reficere solet. Designat autem factum illud piorum in terris versantium vitam & conditionem beatam. Cerva autem hieroglyphica nota hic est hominis pietatem colentis, & Dei promissa suavissima jucundè meditantis, quibus tanquam saluberrimo pabulo & desideratissimo rore cælitus nutritur & recreatur. Nihil, me Christe, amabilius

*Ore capit patulo rorem vaga cerva cadentem;*
*Rore riges nobis torrida corda* DEUS.

## VITA *in amore.*

B DE animalculis tam in nive quam igne viventibus locus habetur apud Aristotelem lib. 5. cap. 19. de histor. Animal. satis memorabilis, quem integrum ascribere placuit. Quin etiam in iis quæ putredinem nullam posse recipere existimantur, nasci animalia novimus, ut vermes in nive vetustiore, qui hirti sunt pilis & rubidi, quoniam & ipsa nix vetustate rubescit, sed in nive mediæ terræ candidi & grandiores inveniuntur. Torpent omnes ac difficulter moventur. In Cypro insula ærariis fornacibus, ubi chalcitis lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulo muscis grandibus majores, quæ per ignem saliunt atque ambulant. Emoritur pennatæ, paulo muscis grandibus majores, quæ per ignem saliunt atque ambulant. Emoritur & hoc genus & illud nivis alumnum, cum alterum ab igne, alterum à nive dimotum est. Hæc ille. Plinius lib. 11. c. 36. Eadem repetens vocat pyralim sive pyraustam, de quo in symbolo proximo plura. Seneca quoque libr. 5. c. 6. cum admiratione potius quam caussæ explicatione idem affirmat, itemq; Ælianus lib. 2. c. 2. à quo πυρίγονοι, id est, in igne nati vocantur. Hoc tamen nescio qua ratione inductus Ovid. 6. Fastor. negare videtur.

*Nec tu aliud Vestam, quam puram intellige flammam;*
C *Nataque de flammis corpora nulla vides.*

Erasmus in Adagiis proverbio, πυραύστου μόρος, *pyraustæ interitus*, hoc hieroglyphico interpretatur vel de ὠκυμοροῖς, id est, qui celeriter intereunt, vel etiam de illis qui nullibi alibi vivere possunt, quam in propriis ac consuetis laribus & domiciliis: à quibus si paulo longius abesse cogantur, sibi moriendum existiment. Alii ex Plinio ascripserunt, MORIAR SI EVASERO, quod non absimile est illi, ἀπωλόμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα, id est, perimus, si non perimus, à contrario sensu. Et Themistocles exul, in maximum honorum fastigium à rege Persarum evectus, suis dicebat, referente Plutarcho, O filii, perieramus, nisi periissemus.

## VITA *perennis.*

PHœnix avis est vitæ perennis hieroglyphica pictura. De eo autem paulo verbosius hic disserere fert animus. Idque tum propter auctorum plurimorum de eo varias ac interdum discrepantes opiniones, tum ob varia hieroglyphica & symbola, ex hac ave ingeniosa nonnulla & præclara desumpta. Ac quantum ad primum attinet, si omnium illorum, qui de illo aliquid literis mandarunt,
D sententias in medium proferre vellem, non aliquot paucæ pagellæ, sed vix liber quispiam grandior sufficeret, quare satis esse putavi saltem loca præcipuorum scriptorum hoc in loco notare. Inter quos vetustissimus mihi occurrit Herodotus lib. 11. sive Euterpe, quamvis dubitanter de eo loquatur. Philostratus quoque in vita Appollonii addit istud, ὡς φασὶ, id est, ut ajunt. Scripserunt de eo etiam Horapollo libr. 1. 34. & 35. Plinius libr. 10. cap. 2. qui & ipse veretur ne quid fabulosi subsit. Solinus cap. 36. Seneca passim. Cornelius Tacitus libr. 5. Annal. Ælianus lib. 5. cap. 58. Lucianus. Sextus Aurelius Victor. Suidas. Xiphilinus in vita Tiberii, qui ait in Ægypto visum, ac Tiberio mortem denunciasse. Glycas Annal. part. 1. Artemidorus libr. de insomniis, c. 49. Æneas Platonicus. Aristides in oratione de Smyrna beneficio M. Aurelii Imper. reædificata: atque inter poëtas Oppianus. Ovidius 15. Metamorph. Claudianus. Poëma Lactantio falso ascriptum. Tzezes. Statius libr. 3. inter Ecclesiasti-

cleſiaſticos vero ſcriptores Gregorius Nazianzenus in præceptis ad virginem,& oratione ultima de Spiritu ſancto. Baſilius. Tertullianus in libro de reſurrectione carnis. Cyrillus, Cyprianus, Epiphanius, Euſebius Pamphilus, in vita Conſtantini Imperat. Rufinus. Ambroſius de fide reſurrect. & 5. Hexam. Iſidorus libr. 12. Inter recentiores ſunt, Albertus Magnus, Volaterranus lib. 15. Scaliger contra Cardanum Exercit. 233. vocatque Semendam, ex ſcriptoribus recentioribus rerum Indicarum: Pierius Valerian. in Hieroglyphicis. Eraſmus in Adagiis Chil. 2. Centur. 1. Prov. 21. & 57. Adrianus Junius Prov. 93. Centur. 5. Geſnerus de Avibus, & plures alii, quorum nomina jam non ſuccurrunt. Sed meo quidem judicio, inter omnes quos jam enumeravimus, nullus videtur exquiſitius ac certius de Phœnice ſcripſiſſe, quam Corn. Tacitus lib. 5. Annal. Cujus ideo verba integra hic apponenda eſſe cenſuimus. Paulo Fabio & Lucio Vitellio Conſul. poſt longum ſæculorum ambitum Phœnix in Ægyptũ venit, præbuitq; materiam doctiſſimis indigenarũ & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, ſed cognitu non abſurda promere libet. Sacrũ ſoli id animal, & ore ac diſtinctu pinnarum à cæteris avibus diſtinctũ, conſentiunt qui formã ejus definiere. De numero annorum varia traduntur, maximè vulgatum, quingentorum ſpatium, ſunt qui adſeverent mille quingentos ſexaginta unum interjici, prioreſq; aliter Seſoſtride primum, poſt Anaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen advolaviſſe, multo cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. Sed antiquitatis quidem obſcura. Inter Ptolemæum ac Tyberium minus quinquaginta anni fuerunt, unde nonnulli falſum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque uſurpaviſſe ex his, quæ vetus memoria firmavit. Conſecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eiq; vim genitalem affundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam ſepeliendi patris: neque id temere, ſed ſublato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, ubi par oneri, par meatui ſit, ſubire patrium corpus, igne ſolis aram perferre atque adolere. Hæc incerta & fabuloſa aucta. Cæterum aſpici interdum eam volucrem in Ægypto non ambigitur. Hæc ille. Sed notandum, præter Claudianum & Poëma Lactantio perperam attributum, nec Plinium, neque Tacitum, vel alium ex veteribus tradidiſſe Phœnicem ſeipſum comburere, quod tamen poſtea recentiores univerſi ſecuti ſunt. Sed veniamus jam ad Symbola, quorum primum erit *Ut vivat* à Ruſcello aſcriptum Madrucio Cardinali, quod alii plenius afferunt, *Sed necat ut vivat:* cujus interpretatio multiplex eſſe poteſt. Nam primùm, generalius ſignificat hominem, qui omnes ſuas cogitationes & actiones eo dirigere conatur, ut ſuæ vitæ brevitatem egregia fama compenſet, & inde ſeſe quaſi immortalem reddere queat. Alii potiùs veram pietatem exercendam referunt, intelligendo per ſolem, ad quem Phœnix aſpirat, & cujus beneficio regeneratur, *Chriſtum*, noſtrum Redemptorem, unicum juſtitiæ ſolem, cui omnia noſtra meritò debemus referre accepta, & cujus cauſſa quævis libenter in hoc mundo perferre, quo tandem per ipſum vitam beatam & æternam vivere queamus, certo nobis perſuadentes hanc mortem noſtram eſſe initium vitæ melioris, de quo præclarum diſtichum & à multis commendatum legitur Ravennæ ad picturam Phœnicis:

*Securus moritur qui ſcit ſe morte renaſci,*
*Mors ea non dici, ſed nova vita poteſt.*

Sic B. Tertullianus in libro de reſurrectione carnis inquit, pleniſſimum ac firmiſſimum ſpecimen eſſe hujus ſpei (reſurrectionis) ex hoc alite ſumendum, quod B. Ambroſius quoq; & Epiphanius in Phyſiologo aſſerunt. Quare, quidam græcum dictum ſcripſit ΘΝΗΣΚΩΝ ΟΥΤΚ ΑΠΟΘΝΗΣΚΩΝ id eſt, moriens non moriens. Cujus argumenti plurimæ extant ſententiæ apud ſacrarum literarum interpretes præclaræ. Quidnam Bartholomæus Taëgius, qui de Symbolis ſive impreſis Italice breviter & accuratè ſcripſit addidit, *Ne pereat*: quo ait exprimi hominis pii ac religioſi propoſitum & ſtudium laudabile, in fugiendis & compeſcendis voluptatibus ac illecebris hujus mundi, & affectibus & cupiditatibus ſuis nimiis moderandis ac vincendis, denique in caſtigando proprio corpore, ne vitiis cum jactura animæ obſequatur. Quod B. Nazianzenus libr. 1. Sententiarum ſpiritualium his jambicis verſibus breviter de quibuſdam vitiis expoſuit.

Ἰχθύς

A ἔρως. μέθη, ζῆλος τε καὶ δαίμων ἴσος — *Vinum, libido, livor, & dæmon, idem:*
οἷς ἂν προσέλθῃ, τὸ φρενῶν ἐπέκλυσε. — *Quorum occuparint, opprimunt hæc pectora,*
πῆξις, προσευχή, δάκρυον, τὰ φάρμακα, — *Medentur hisce, lachrymæ, fames, preces,*
ἦδ' ἰατρεία τῶν ἐμῶν νοσημάτων, id est: — *Sic est meæ cunctio ægritudinis.*

Aliud præterea symbolum phœnix suppeditat, nimirum, *Nutrix ipsa sui*, ex poëmate Lactantio ascripto,

*Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres.*
*Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.*

Quod illis rectè tribuitur, qui suamet industria & virtute ad res magnas sine aliorum adminiculo pervenerunt. Serenissi. quoque Helionora Austriaca, *Caroli 5.* soror ex hoc alite desumere voluit symbolum, cum inscriptione: *Unica semper avis*, secundum Ovid. 2. Amor.

*Et vivax Phœnix, unica semper avis.*

Quo demonstrare studuit (ut Paradinus refert) sicuti optima & pretiosissima quæque rara sint, & in-
B ventu difficilia, ita quoq; sibi esse persuasum, se nunquam talem alterum maritum, qualis fuerit *Francisci* 1. Rex Galliæ, in posterum esse reperturum. Est autem notum, quod proverbii loco vocemus aliquem propter raras ingenii dotes unicum Phœnicem, quia alios omnes ita excellat ut neminem parem habere videatur. Illustrissima quoque Princeps Bona Sabaudiensis, Joannis Geleatii Mediolanensium Ducis mater, orbata marito, curavit in numismate cudi Phœnicem, additis his verbis; *Sola facta solum Deum sequor.* Quo indicaret, quemadmodum hæc avis sola & unica in orbe inveniatur, sic etiam se propter solitudinem ob mariti obitum, eo redactam esse, ut in posterum reliquis omnibus spretis, & posthabitis omnino apud animum suum constituerit, soli Deo æterno inservire, ac omnia sa illi addicere.

## VITÆ *humanæ brevitas, fragilitas, vanitas.*

PLutarchus in Romulo scribit eum primum populum Romanum in centurias distribuisse, quarum unamquamque vir unus ducebat qui manipulum fœni ac herbarum in conto affixum gestabat, unde militibus manipulariis nomen est inditum. Idque Ovidius quoque libr. 1. Fastorum notat,
C dicens,

*Pertica suspensos portabat longa maniplos:*
*Unde manipularis nomina miles habet.*

Hoc postea imitati Christiani (sensu longè quidem meliore) vitæ humanæ brevitatem ac fugacitatem ita voluerunt exprimere, juxta Prophetæ dictum, Omnis caro fœnum, & gloria ejus sicut flos agri. Esai. 40. quod etiam ante expressum est, Psal. 103. Igitur

*Quisquis es, hunc fœni qui spectas forte maniplum,*
*Respice te. Fœnum es, pone supercilium.*

2. Præclaro alio hieroglyphico David Psal. 39. pingit vitæ nostræ transeuntis fugacitatem. Ecce inquit, palmares dispositi dies meos, id est, non longiores quam sit hominis palmus. Si quis igitur manus humanæ quatuor digitos adhærentes & extensos sculpit, habet vitæ terrenæ imaginem. Ideo Psaltes addit, tempus meum ut nihil est coram te: profecto omnimoda est vanitas omnis homo, quantumvis constitutus maximè, id est, firmus & fixus in hac vita. Subjicit, Quin in imagine vadit
D homo, &c. Est umbra, umbræ somnium, vanitas, fumi vapor, brevitas ævi terreni.

*Vitæ ecce quidquid currimus, tamquam vola* — *Ut qui per umbras, heu, vagentur devii,*
*Spatio pusillo clauditur,* — *Ipsique carnifices sibi,*
*Mortalium ut sit quamlibet florentium* — *Se mutuo trudant, opes incognitis*
*Nil vanitate vanius:* — *Ut congemmi hæredibus.*

Alcæus in carmine lyrico apud Athen. libr. 2. c. 51. δάκτυλος, ἀμέρα. id est, digitus, dies. Et Mimnermus, Sermon. 98. in Stobæo.

——Πήχυον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης πεπόμθα. id est:
*Flore juventutis cubitali tempore tantum*
*Perfruimur.*

Sed ut ad Psalmistæ locum revertamur, *Jamim*, inquit *Teppakoth*, id est, dies palmi, vel palmorum, aut in adjectivo palmares. Palmus duplex est. Major, Gr. σπιθαμὴ, Latinè dodrans, qui complectitur digitos 12. vel tantum spatii, quantum inter summum pollicem, & extremum minimum digitum expansos, deprehenditur. Minor, quem Vitruvius lib. 3. cap. 1. quatuor digitos habere affirmat. Græc. παλαιστὴ, δοχμὴ, δακτυλοδόχμη, ἢ τὸ τετραδάκτυλον τῆς χειρὸς, ut Eustathius Iliad. μ. definit. Sed hæ Palmi majoris & minoris appellationes sæpe confunduntur, & utrumque figura proverbiali & ἱερογλυφικῶς ad brevissimum illud vitæ nostræ in terris spacium refertur. Unde σπιθαμὴ τοῦ βίου, apud Paræmiographos. Hebræa vox, pluralis, in forma fœm. in singulari *Tepak*, ut plurimum significat mensuram quatuor digitorum transversorum, præsertim, quum in singulari scribitur. *Topak*, ut Exod. 25. v. 24. & 37. 12. Ezech. 40. 5. & 43. 13. Quando ædificiis tribuitur, denotat subgrandia, partem tecti prominentis, qua stillicidia à parietibus arcentur: quoniam apud Hebræos illa tecti pars prominebat ad palmi longitudinem. Vide 1. Reg. 7. 9. 26. & 2. Chron. 4. 5. Derivatur autem hæc vocula à verbo *Tippak*, Palma expandit & distendit aliquid, quemadmodum matres solent palma explanare infantes recens natos, ut ipsorum membra in planum & longum distendantur & crescant. Hinc per metathesin literarum πετάω, & latinis interposita n. pando. Cognationem habet cum *Pattak*, aperuit. Sed hæc prolixiora fortasse vitæ brevitatem meditantibus.

Inter reliquos flores Rosa grata atque odorata, brevi quidem admodum tempore durat, sed rursum languescens atque exarescens perit. Similis planè est ratio hujus vitæ nostræ caducæ, fluxæ ac incertæ. Unde ex recentioribus quidam rectè cecinit.

*Ut rosa mane viget, tamen & mox vespere languet:*
*Sic modo qui fuimus cras levis umbra sumus.*

Quæ quidem ad cœlestem illam pulchritudinem nunquam pereuntem mentes nostras merito debent excitare, nec non ad perpetuam illius considerationem nos assuefacere: cum ibidem S. Apostolo teste, 1. Cor. 2. ea præparaverit Deus diligentibus se, quæ oculus non vidit, nec auris adivit, & in cor hominis non ascenderunt. Atque hæc cupidissimè expetenda: cæteris vero, si ita acciderit, moderate carendum esse indicant D. Gr. Nazianzeni suavissimi versus.

| | |
|---|---|
| Θεοῦ μόνου, θείων τε ἀπλήστως ἔχειν, | *Solum Deum & divina concupiscito,* |
| Ὃς τοῖς λαβοῦσι καὶ πλέον χαρίζεται, | *Sumentibus qui & plura largiri solet;* |
| Διψῶν τὸ δίψασθαι, ἀφθόνως ἀεὶ ῥέων. | *Sitiens sitiri, semper affluens bonis,* |
| Ἐν τοῖς δὲ λοιποῖς καὶ φέρειν ἠσσώμενος. | *In cæteris, voto excidens, modum obtine.* |

Hoc de omnibus floribus eleganter exposuit D. Chrysostomus homilia 43. in Genesin his verbis. Sicuti floridum quoddam pratum varios & omnis generis flores exhibet; ita divina Scriptura justorum virtutes nobis demonstrat, non ut illorum florum fragrantia brevi tempore fruamur, sed ut perpetuam inde utilitatem recipiamus, & eas in sinu mentis reponamus; ut per omne tempus, si lubet, eorum suaveolentia frui possimus. Rosarum hieroglyphico distichon appingimus,

*Ah, quam forma rosas cito deficit inclyta pulchras!*
*Non ita cœlestis quas Paradisus habet.*

Plato in epistolis, τὸ ἀνθρώπινον, inquit, οὐ παντάπασι βέβαιον, id est, *humana non sunt omnino firma.* Et Juvenalis,

*—festinat enim decurrere velox*
*Flosculus angustæ miseræq; brevissima vitæ*
*Portio, dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas*
*Poscimus, obrepit mea intellecta senectus.*

Idem etiam Ovidius monet, dum ait,

*Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos*
*Fit minor, ac spatio carpitur ipsa suo.*

Et inter neotericos doctus poëta novo disticho,

*Hæc rosa centuplici ceu flore decora, caduca est:*
*Sic formæ & vitæ mox perit omne decus.*

Theo-

A Theophrastus scribit esse genus quoddam rosarum circa Philippos in Græcia, centum folia continens, cujusmodi Plinius ex Pangæo in Campaniam transplantatas perhibet, quales nunc rosæ apud nos quoque, quamvis rarius inveniuntur. Sed nullum, meo judicio, florem pleniorem, elegantiorem, & pluribus foliis refertum vidit hæc nostra ætas (harum rerum ad curiositatem usque studiosa (quã Pæoniæ ex Hispania, ut ajunt, primum allatæ, & jam ubique in hortis instructionibus frequentatæ, cujus in unico flore ultra quingenta folia me aliquando numerare memini. At superveniente pluvia, vel nimio sole ardente, subito folia decidunt, & decor omnis abit. Quod in tota vita nostra caduca, fluxa ac incerta unusquisque observare, atque ideo fallacibus voluptatibus, quas brevissimas interdum longissima comitantur incommoda, minimè indulgere debet.

## VITÆ *humanæ cursus.*

PRænavigamus vitam, inquit Stoicorum princeps, epistol. 70. & quemadmodum in mari,

*——Terræq; urbesq; recedunt:*

B sic in hoc cursu rapidissimi temporis primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quicquid est illud inter juvenem & senem medium, in utriusque confinio positum: deinde ipsius senectutis optimos annos. Novissimè incipit ostendi publicus finis generis humani. Scopulum esse illum putamus, dementissimi. Portus est, aliquando petendus, numquam recusandus: in quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quam qui cito navigavit. Alium enim venti segnes ludunt & detinent, ac tranquillitatis lentissimo tædio lassant: alium pertinax flatus celerrimè perfert. Idem evenire nobis puta. Alios vita velocissimè adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus: alios maturavit & coxit: quæ non semper retinenda est. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. Hæc ille. Navis igitur in mari ventis variis pulsa humanæ vitæ seu navigationis symbolum esto.

## VITÆ *ortus seu propagatio.*

C CAncer ortum sive humanæ vitæ propagationem Platonicis denotat. De quo Macrobius ita in Commentar. ad Ciceronis somnium, cap. 12. Tropica signa, Capricornum & Cancrum, Solis portas physici vocarunt: quia in utraque obviante solstitio, interius inhibetur Solis accessio, & fit ei regressus ad Zonæ viam, cujus terminos nunquam relinquit. Per has portas animæ de cœlo in terras meare, & de terris in cœlum remeare creduntur. Ideo hominum una, altera Deorum vocatur: hominum Cancer, quia per hunc in inferiora descensus est: Capricornus Deorum, quia per illum animæ in propriæ immortalitatis sedem & in Deorum numerum revertuntur. Hæc ille.

## VITIA *extirpanda.* FACULTATUM *jactura.*

THeophrastus, lib. 3. cap. 11. De causis Plantarum & alibi etiam literis prodidit, Oleam ramis vetustioribus ac inutilioribus amputatis, propter ipsius innatam pinguedinem & succum uberiorem lætius novos surculos protrudere, ac hoc pacto arborem multo fœcundiorem & pulchriorem effici.

D *Tu quoque sic reseces vitiis arentia multis.*
*Virtutum ut soboles pullulet uberior.*

Nobis itaque etiam annitendum est, ut inutilia ac minimè fructuosa, id est, vitia universa ex animis nostris studiosè aboleamus atque extirpemus, ut illis ablatis virtutis fructus multo præstantiores ac pleniores provenire queant. Quod etiam subjicit D. Chrysostomi homilia 6. præclarum dictum (quamvis eo in loco potius de vite loquatur) ubi ait: Annon vides quod agricola vitem putet, ne vim omnem in pampinis & palmitibus proferat? Idem & tu facito, amputa folia, omneque studium huc intende, ut quamplurimum fructus feras. Potest quoque hoc accommodari ad jacturam fortunarum, quæ multis etiam non solum non damnosa, sed insuper lucrosa sæpenumero fuit, secundum versus D. Nazianzeni:

Καὶ ζημίᾳ τι, τοῦτο κέρδος πολλάκις
Ὥσπερ καθαίρειν φυτὸν εἰς εὐκαρπίαν.
Εἰ δ' ὑ καλῶς τι προσθεὶς οἷς νῦν ἔχεις,
Τῇ φέρεις πῦρ, ἢ νόσον τῷ σώματι.

*Perferre damni quippiam, lucrum puta,*
*Ut fructuosum si repurges arborem.*
*At si quis addat amplius partis malè,*
*Sylvæ addat ignem, corpori morbum adferat.*

## VIVIFICATIO *nostra.*

PUlcerrime Plinius conchas margaritiferas describens ait, eas anni genitalis impetu stimulatas naturali quadam oscitatione pandere se, atque ita impleri roscido conceptu, gravidas postea eniti, & si sereno cœlo purum nitidumque rorem imbiberint, lucidissimas purissimasque margaritas progignere. Sed hoc ut fabulosum Hieronymus Cardanus deridet. Nos, utut ea sint, rectè tamen & piè, opinor, ad hoc accommodabimus, ut quemadmodum margaritæ exiles & nullius adhuc decoris Solis & roris beneficio, crescunt, augentur, illustrantur: Ita nostrarum virium debilitatem & intellectum in rebus divinis obscurum adhuc & hebetem, veluti serenari ac perfici ab æterno Sole, Domino Salvatore nostro Jesu Christo, S. Spiritus ejus divino rore, cujus infusa dona sunt pietas, fides, religio, lucidissimæ margaritæ, quarum efficacia mentis tenebræ & errores universi discutiuntur, sic ut omnia nostra, divina illustrante gratia puriora, & clariora fiant. In S. enim literis Sol Justitiæ Christus est: & cœli sereni icon Deum nobis propitium faventemque significat. Rore vero, virtus & fœcunditas exprimitur. Unde Isaac filio suo Jacobo benedicens precabatur, ut Deus illi daret de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini, Gen. 27.

## ULTIO.

IN eundem sensum vir fortis ad pugnam accedens exclamat, non revertar inultus. Et,

*Vincere, vel pulchræ laus est occumbere morti;*
*Sed tremulo à pugna turpe redire gradu.*

Rhinoceros à cornu quod in naso unicum habet, quasi naricornis dici potest. Martialis,

*Rhinoceros numquam victus ab hoste redit.*

Huic tribuit geminum cornu, licentia poëtica, cum alterum in dorso potius tuberosum quippiam, non propriè cornu sit. Taurum Æthiopicum Pausanias libr. 5. & 9. vocat: hujusque animalis an Aristoteles meminerit, docti dubitant. Elephantis & Rhinocerotis pugnam describit Oppianus libr. 11. De Venatione, atque nostrum seculum pluribus exemplis confirmatur, quorum mentio apud Damianum à Goes extat in encomio Hispaniæ: Certamini (inquit) unius Elephantis cum Rhinocerote interfui: spectaculum admiratione dignum, in quo Elephas succubuit. Jovius autem in elogio Tristani Acunii ferunt, ait, Rhinocerotem, quum ab Oceano Ulisiponensi in portu exponeretur aspectu atque odore suo elephantum, qui tum erat in regia usque adeo truculenter terruisse, ut elephas, ipso naturæ miraculo præcipuus hostis, concepto incredibili pavore, septum caveæ, ferreis ingentibus clathris permunitum, humerorum & capitis præcipiti impulsu, perruperit & in longam se proripiens fugam, terribilique barritu edito, stridens, & furens, cuncta obvia prostraverit.

Strabo refert libr. 17. circa Meroën reperiri Dracones quibus cum Elephantis pugna esse solet. Plinius lib. 8. cap. 11. Elephantes maximos, inquit, fert India, bellantesque cum iis perpetua discordia Dracones, tantæ magnitudinis, ut & ipsos circumplexu fasciatim ambiant, nexuque nodi præstringant. Commoritur ea dimicatio, ut victusque corruens complexum elidit pondere. In bellis civilibus Hieroglyphicum illud apparet, in quibus,

*Contemnit mortem, qui non moriturus inultus,*
*Una etiam est hostis certa ruina sui.*

## VACATIONIS *ratio habenda.*

QUo ingentius fuerit saxum cadens ab alta rupe, eo plura fragmenta facit. Quo dignior fuerit persona, & in sublimiore dignitatis culmine constituta, eo plures in lapsum secum trahit, cum cadit.

VOLU-

VOLUPTAS. *brevis & damnosa.*

A DE Pyrausta proprie sic dicta Aristotelis & aliorum sententiam paulo ante exposuimus; nunc de altera ejus significatione aliquid adjungemus, de qua in primis Ælianus lib. 12. cap. 8. hæc habet. Ex ignis fulgore pyrausta, quod vehementi afficiatur voluptate, idcirco cum flamma vel maxime viget, ad lacernas advolat, atque nonnihil captare videtur. Cujus meminit quoque Æschylus Tragœdiarum scriptor hoc senario,

δέδοικα μωρὸν κάτα πυρόυστ μόρον. id est,

*Magnopere stultum metuo pyraustæ exitum.*

Aristoteles lib. 8. de histor Animal. cap. 27. ἡπίολον vocat quoddam genus minus papilionum, quod lucernarum luminibus advolat, idque Itali vocant farfallam. Idem tamen & culices & muscas factitare scimus. Hinc proverbium, χαρὰν πυρόυστ χαίρες, *Gaudium pyraustæ gaudes*, de momentanea voluptate. Quamvis vero hoc hieroglyphicum, finem brevissimum ac pessimum omnium pravarum voluptatum abunde exprimat, atque ideo Horatius lib. 1. epistola 12. moneat.

B *Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.*

Et Silius Italicus recte affirmet,

*Quippe nec ira Deûm, tantum nec tela, nec hostes,*
*Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.*

tamen in primis ad perditos & immoderatos amore referri solet, quibus capti non aliter ac vehementi igne consumi soleant. Quare Itali appositè huic hieroglyphico ascripserunt: PIACER CONDUCE A MORTE, id est, *Voluptas ad mortem perducit.* Quidam addunt, FUGIENDA PETO: quod non solum cum prioribus convenit, sed etiam adhuc magis generalius de omnibus periculosis consiliis & actionibus intelligi poterit.

*Qui circumvolitat deceptus amoris ad ignes,*
*Numquid naturam papilionis habet!*

VOLUPTAS *esca malorum.*

C ALlicit voluptas carnis, ut perimat. Idcirco sapiens poëta hieroglyphicon tantæ pestis sub imagine Pardi caput occultantis occinit,

*Luxuriem, juvenes, maleficos spernite amores:*
*Nam necat illectas Pardus odore feras.*

Panthera Græcis, referente Varrone, propter omnifariam feritatem nomen accepit; cujus sexum quidam distinguunt, ut marem Pardum, fœminam Pardalim vocent. Latinis Varia cognominatur, à pellis varietate: Africana quoque, cum in hac mundi parte, numquam in Europa reperiatur, Plutarchus lib. de animalium solertia scribit, ad Pantheram, pleraq; accedere animalia, suavitate odoris illecta, maxime Simias. Plinius, ferunt, inquit, earum odore mire solicitari quadrupedes cunctas, sed capitis torvitate terreri: quamobrem eo occultato reliqua dulcedine ejus corripiunt. Ideo Ægyptii sapientes hominem sceleratum & malitiosum designant, qui animum suum subdole occultet, Pantheram alia animalia persequentem pingebant. De quo vitio parens eloquentiæ Act. 3. in Verrem, nullæ sunt, inquit, occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in simulatione officii, ac lib. 1. De offic. recte ait,

D nulla est totius injustitiæ capitalior quam eorum, qui cum maxime fallunt, hoc tamen agunt, ut boni viri esse videantur. Alii generalius ad omnia genera voluptatis pravæ referunt: de quibus Silius Italicus,

——*nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hostes,*
*Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.*

Jucundiorem hamo piscandi rationem, quam quæ linea vulgo fit. Bellonius in Observat. suis hodœporicis, sane expeditam & uberem edisserit, qua uti solent ad Orientem Bosphori & Propontidis accolæ. Verba ejus sunt: Ducentos aut trecentos hamos longa quadam serie & fune, quem cucurbitæ sustinent, pendentes disponunt, quibus escam è carnibus aut piscibus constantem affigunt: eum deinde funem noctu ad integrum vel dimidium milliare in mare deferunt, isticq; tota nocte relinquunt, ut pisces, qui cibum quærunt, quales sunt murænæ, squatinæ, caniculæ, rajæ, atque alii similes, hamis

capti hæreant. Postridie mane, nisi tempestas impediat, hamos, quos è longinquo propter annexas ingentes cucurbitas statim agnoscunt, repetitum eunt, & prædam domum referunt. Compendiosam mehercle absq; sumptu magno & labore constantem piscationem, cujus periculum facere non fuerit difficile. Cum autem illi pisces spe prædæ ex cucurbitis in tectas illas hamorum insidias incurrant, ac misere pereant, hujus hieroglyphici sensus est, voluptuosos à voluptate, quam capere se posse putant, misere capi & decipi. Cucurbitæ illæ in speciem magni quid polliceri videntur, sed intus vacuæ sunt & in aquis noxia illa tela abscundunt. Igitur, ut P. Syri sententia habet: *Grave est malum omne, quod sub aspectu latet.* Sic argute nescio quis apud auctorem Etymologici: ὡς οὐκ οἶδ' εἴτις ἰχθὺς ὑπὸ τοῦ δελέατος τῆς ἡδονῆς ἀσπαλιεύθην, *Attractus fui à voluptatis esca, ita ut nesciam, an ullus piscis potuerit magis.* Et paucis omnia Horatius,

*Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.*

Id antea Menander,

ἡδονὴν φεῦγε, ἥτις ὕστερον λύπην τίκτει. id est,
*Voluptatem fuge, quæ in posterum dolorem parit.*

## VOLUPTATES.

DE Sirenum origine, numero, figura, cantu & interitu, alii aliter: & frustra in poëticis fabulis quæritur consensio. Videri autem de his possunt Homer. ὀδυσσ. μ. cujus versus interpretatur Cicero 5. de Finib. Apollonius in Argon. Plato in Phœdro, Virgilius, Ovidius 5 Metamor. Lycophron in Cassandra, Jo. Tzetzes in 1. Var. 14. & 16. 75. & alii. Sirenes autem nihil hæ fuerunt aliud, quam formosæ meretriculæ habitantes in littoribus, quæ quia transeuntes redegerunt ad inopiam, his dictæ sunt inferre naufragia. Nam hoc expresse tradit Dorion in lib. de Piscibus, & probant Plutarchus junior, Servius & Palæphatus. Isacius autem Tzetzes, ἀλληγορικώτερον, inquit, διὲ σειρῆνες εἰσὶν αἱ ἡδοναί. Prudenter igitur Socrates: τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν, τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα. *Voluptates opus est præterire, veluti Sirenes, eum qui ad virtutem tamquam patriam festinat.* Heliodorus etiam eleganter narrationem mellifluam & illecebrosam dixit σειρήνιον. Ulysses itaque hic imitandus, qui Sirenes præternavigaturus, *Illevit cera sociorum callidus aures.* Quo pertinet pulcherrima Senecæ adhortatio ep. 31. ad Lucil. Ad summam, sapiens eris, si clauseris aures quibus ceram parum est obdere. Firmiori spissamento opus est, quam usum in sociis Ulyssem ferunt, &c. Sic ὀθεῖος παιδαγωγὸς apud Clement. 2. pæd. 6. πρὸς τὴν ἀκοὴν τῶν αἰσχρῶν, puerorum auribus circumponit σώφρονας λόγους, καθάπερ ἀντωτίδας, quasi aurium quædam munimenta, quæ athletis circumligabantur. Et idem Clemens ait: ἀφεκτέον τῶν αἰσχρῶν ἀκουσμάτων, καὶ ῥημάτων καὶ θεαμάτων. *Abstinendum à turpibus acroamatis, verbis & spectaculis.* Mortem enim adfert ista voluptas.

*Vitanda est improba Siren desidia,* inquit Horatius, Serm. lib. 2. Sat. 3. & epist. lib. 1. Sat. 2.
*Sirenum voces, & Circes pocula nosti,* &c.

## VOLUPTATUM *vincula abrumpenda.*

ADmirandam prorsus Bombycum generationem, & variam mutationem legere possumus apud Aristotelem lib. 5. de histor. Animal. c. 19. & Plinium lib. 11. c. 22. & 23. Quæ omnia Hieronymus Vida Cremonensis eleganti poemate elaboravit. Fit autem primum ex ovo vermis, ex verme eruca, deinde bombylius, ex hoc Necydalus, & tandem spacio sex mensium Bombyx. Post quadragesimam vero diem, quo eruca se abdidit & in bombylium est mutata, subnascens papilio (quem Aristoteles videtur νεκύδαλον vocasse) exeso folliculo, ut exitum quærat, filum proscindit, ut sit quatuor alis pennatus. Vida ita versibus expressit lib. 2.

*Nonne vides, carceribus exire reclusis*
*Instant ardentes, quanta nituntur opum vi?*
*Clausa obstat domus, & fili densissimus odo,*
*Nec mora nec requies, vestigant omnia circum,*
*Explorantque aditus omnes, si qua potis extra*
*Rumpere, & optatæ rursum se reddere luci,*

Hinc

A Hinc quidam nobilis juvenis mature ex carcere amoris ac Veneris laqueis & illecebris, quasi ex dura servitute sese liberans, & ad bonam frugem rediens, totus se studiis gravioribus & cognitioni rerum laudabilium addicere, & tamquam alas, quibus ex sordibus prioribus evolet, comparare studuit. Alius Græcum hemistichium ex epigrammatum lib. 2. addidit: ΑΠΤΕΡΟΣ ΟΤ ΔΥΝΑΤΑΙ, id est, *sine pennis non potest*, scilicet avolare. Alius ascripsit, ET FECI ET FREGI, ingeniose innuens, quod sicuti incautius in juventute voluptatibus & amoribus tuisset irretitus, atque sponte sua illis serviisset, sic paulo post maturiore judicio & vera ratione superveniente illa omnia reliquisse, ac tamquam fracto ergastulo ad meliores partes evolasse.

*Cæca voluptatum, ô juvenes, abrumpite vincla:*
*Libera erunt vestra hîc pectora vindiciis.*

## VOLUPTUOSI.

SUnt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. Cato ait, nec Orientem umquam solem viderunt, nec Occidendem. Hos tu existimas scire, quemadmodum videndum sit, qui nesciunt quando? & hi mortem timent, in quam se vivi condiderunt, tam infausti nominis quam nocturnæ aves sunt. Licet in vino unguentoq; tenebras suas exigant, licet epulis, & in mula quidem fercula distinctis, totum perversæ vigiliæ tempus diducant, non convivantur, sed justa sibi faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. At mehercule nullus agenti dies longus est. Extendamus vitam. Hujus & officium & argumentum actus est. Circumscribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. Aves quæ conviviis comparantur, ut immotæ facile pinguescant, in obscuro continentur: ita sine ulla exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit. & super membra iners sagina succrescit. Ita istorum corpora qui se tenebris dicaverunt, fœda visuntur. Quippe non speciosior illis, quam morbo pallentibus color est: languidi & evanidi albent, & in vivis caro morticina est. Hoc tamen in illis minimum malorum dixerim: tanto plus tenebrarum in animo est. Ille in se stupet, ille calligat, in videt cæcis. Quis umquam oculos tenebrarum causa habuit? *Seneca epist. 122.*

## UTILIA *pretiosa.*

C SIcuti Monocerotis cornu non per se in tanto pretio habetur, sed propter ipsius contra venena efficacitatem & utilitatem desideratur; ita monemur in universa vita non opinione nudæ æstimationis solummodo, sed experientia & usu cuncta esse perpendenda, cum nihil sit in pretio habendum, quod non etiam sit vere utile & fructuosum. Quo præcepto admoniti, merito etiam diligenter sumptus temperari ac metiri debemus. Quam enim multis (ut ait Socrates apud Platonem) inutilibus & superfluis quoq; carere possumus? præsertim hoc nostro superbo atq; sumptuoso seculo, ubi copia rerum non adeo necessariarũ, & effusissimi luxus prodigalitate passim omnia, qua publice, qua privatim, in pejus ruunt, paulo post casus præcipites allatura. Nam aurea ista frugalitas, quam Sophocles appellat σοφῶν ϗ ἀρίστων βουλευμάτων διδάσκαλον, id est, sapientum optimorumq; consiliorum matrem, passim spernitur, atque de medio tollitur: contra crescit profusio continentiæ mater, cujus soboles petulantia, quæ malorum Ilias d. in impiorum capita tandem accrescit.

*Commoda quæ est usu, non fama, res pretiosa est.*
*Displicet hæc paucis, at placet illa magis.*

## UTILITAS *ex inimicis.*

D PEriti agricolæ (inquit Plutarchus libro de capienda ex inimicis utilitate) rosas ac violas existimans se odoratiores ac meliores reddere si allia ac cepas juxta eas plantent, quod in ea excernatur, quicquid alioqui alimenti acerbi & fœtidi illis in est: inimicus quoque excipiens invidiæ & malignitatis alterius ictus, benevolentiorem aliquem amicis, secunda utentibus fortuna reddet atque commodiorem.

*Livor iners stimulos generosis mentibus addit?*
*Si per fœda rosis allia crescit odor.*

## UXOR.

HIrundo veris nuncia putatur ab hærendo ita dicta, quod ædium trabibus adhæreat, χελιδὼς vero Græcis ἀπὸ τοῦ τοῖς χείλεσιν ᾄδειν, *quod labiis cantet.* Plutarchus scribit quantũ ipsis opus est, domos

domos hominum ſubire, umbram ſecuritatemque quærentes, ipſum autem hominem fugere tamquam feram. Ac Plinius vult hirundines è volucribus eſſe indociles, ſicut è terreſtribus mures, cum elephanti juſſa faciant, leones jugum ſubeant, in mari vituli totque piſcium genera miteſcant. Quod etiam aſſerit Plutarchus 8. Sympoſ. Albertus tamen perhibet, ſe vidiſſe manſuefactas hirundines, quæ ad manum quoque volarent, quod quidem rariſſime accidit, cum experientia conſtet, hirundinem cavea incluſam mori potius, quam quod ſervitutem iſtam ferre queat, quod Ælianus lib. 16. Animal. cap. 3. de Cercione ſive motacilla Indica quoque ſcriptum reliquit. Sic honeſta & pudica matrona ita ſeſe gerere cupit erga maritum, ut habeatur tamen pro amica non ſerva, fugiens nimis illiberalem ſubmiſſionem, aut durum præter modum imperium, quo nihil excogitari poteſt gravius, præſertim erga hunc ſexum imbecilliorem, cum ſecundum Juvenalem, Satyra 6. A

*—— faciant graviora coactæ*
*Imperio ſæpius.*

At contra ut Ovidius cecinit,

*Penelope manſit, quamvis cuſtode careret,* B
*Inter tam multos intemerata procos.*

Et veterum quiſpiam recte ſtatuit,

Ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα συμπειθὴς γυνή.
*Optima viri poſſeſſio, uxor mutuo conſenſu illi amica.*

De quo præclaræ ſententiæ apud alios auctores, tum paſſim in Proverbiis Salomonis, & apud Syracidem, cap. potiſſimum 26. leguntur.

*Tecta hominum ſubit, ipſum hominem fugit anxia Progne.*
*Gratum eſt hoſpitium, ſed grave ſervitium.*

# FINIS.

INDEX

# INDEX PRIMUS,
## IN LIBR. VI. HIEROGLYPHICORUM
### QUÆ NUPER COLLECTA ET PIERIANIS ADDITA SUNT.

*NUMERUS PAGINAM DEMONSTRAT.*


LIBER I.

Abjecta profunt. pag. 9
Absurda.
Abundantia. 10
Abusus rerum. 11
Actiones præclaræ.
Admonitiones.
Adoptionis gratia. 12
Adversus constantiã desiderant fortium pabulum.
Adulatio. 13
Adulator.
Adulatores pernicios issimi 14
arcendi ab aulis Principum. 15
Adulterium. 16.17
Æquanimitas 18
Ætas hominis.
Ævum.
Affectus cœcus. 20
Affectus compescendi, frænandi, moderandi.
Affectus & ratio. 21
Affectuum tormenta.
Affixi rebus caducis. 22
Afflictiones.
Agricola. 23.24
Alastores. 25
Ambitio. 26
Ambitiosus.
Amici. 27
Amicitia sincera 28
Mutua.
Amicus. 29
certus.
inimicus.
Amor causa omnium. 30
Amor cœcus sobolis. 31
immensus sobolis & subditorum. 32
meretricius.
Amor prolis. 33
parentum erga liberos sui.
Amoris ignes. 34
Amoris illiciti lethalis exitus.
nimii levamen. 35
Anima
humana,
sancta.
Animæ domicilium. 36
Animæ inconstantia misera.
Animosi viri.
Animus æger.
Animi affectus, motus, perturbationes. 37
Animi tranquillitas.
Animus bene institutus excelsus 38
Animus generosus. 39
magnus & sacer.
sua sorte contentus.
Annus. 40
Annus instans.
Antipathia hominum.
Antistes improbus. 41
Ardeliones.
Ardua sectanda. 42
Arma sine consilio infirma & noxia.
Artifex suis artibus, & machinis eversus. 43
Astutia fallax.
Avaritia.
Avarus. 27.44
Audacia male suada & infelix. 45
Aulicorum conditio. 46.47
Aulæ principum. 48
Auditus.
Auxilium Dei.

LIBER II.

Bella civilia. 49
Bellator strenuus.
Bellicosus. 50
Belli ala dubia.
Bellum civile. 51
Beneficentia. 52
Benefici.
Bonis mala cedunt in bonum.
Cœlestia spectanda. 53
Cœlestia quærens terrena non curat.
Calumniator. 54
Candor.
Capientes capti. 55
Captatores.
Castitas conjugalis. 56
Causæ rerum latentes.
Charitas in proximum. 57
CHRISTUS, Christi domestici,
Christi vox. 58
Christus redemptor, & vivificator. 59
Christus intuendus. 60
Christiani.
Civis optimus.
Clementia.

Cogitationes variæ. 61
Colonus. 23
Commoratio noſtra. 61
Communionis humanæ neceſſitas. 62
Communio Sanctorum.
Concordia conjugalis.
Invicta. 63
Condemnatio.
Conditio humilis, luctuoſa, miſerrima. 64
Conjugum vinculum.
Conjugium diſpar. 65
Conjunctio fida.
Conſcientiæ morſus.
Conſcientia pia & recta. 66
Conſilia moderata.
Conſtantia. 64
in adverſis. 67
invicta.
Conſuetudo. 68
altera natura.
Contentiones fugiendæ.
Convicia contempta.
Copia rerum. 10
Cunctatio prudens. 69
Cunctatio prompta. 70
Salutaris.
Cura vigil.
Curioſi. 71
Curioſitas maledica.
Curioſitas nimia vitanda.
Cuſtodia tuta.
Decor. 72
juvenum & ſenum.
Dejectio.
Delatores.
Deliciæ. 73
Deus. 73.74.
Diabolus. 75
Dignitatum gradus.
Diffidentia. 76
Dilectio ſincera prox.
Diligentia in ſtudiis. 77
Diſciplina domeſtica.
Diſputantes. 78
Diſſenſiones potentum.
Divitiæ veræ.
Doctrina ſolida.
Doloſi homines. 79
Docti aliis minus doctis prosunt. 80
Doctor populorum. 81
Docti.
Dolor.
creſcens. 82
Domus amica.
Dona Dei. 83
aliis communicanda.
Ductor populorum. 80
Dux viæ & vitæ. 83

## Liber III.

Ebrietas. 84
Eccleſia Dei. 84.85.86.87.88.89.
Eccleſia Chriſti Catholica. 89
Eccleſiæ Dei cives, 90
Dotes. 91
gloria.
Eccleſia militans. 91.94.95
Eloquentia. 96
Epicurei. 97
Eruditorum candor. 98
Eruditus multos erudiens.
Exercitationis vis max. 199
Exercitus numeroſus.
Expectatio aulica. 71
Facultatum jactura. 243
Familiaritas adverſantium vitanda. 100
Fatum. 72
Felicitas.
fluxa. 101
infidia.
Femina pudica & fœcunda. 73 102
Feſtinatio.
Fideles. 75 103
Fidelitas benevola.
Fides conjugalis. 76
Fides data ſervanda. 104
Fides vigilans. 77
Fiducia humana exeutienda. 105
Filiorum erga parentes gratitudo. 78
Formido vana. 106
Fortes.
Fortis. 107
Fortis mergitur non fubmergitur.
Fortitudo. 108
Fortitudo invicta pii animi. 109
Fraudes perniciofæ
Fraudulenti homines
Fraus oppreſſa. 110
Frugalitas.
Garrulitas coercenda. 111
Generoſus.
Generoſi. 112
Gloria.
humana. 113
mundana.
Gratitudo. 114
Guloſus. 27.114.163
Hæredipetæ homines 55
Homines infirmi. 114
Hominis ſtatus abſolutiſſ. 115
Homo homini lupus.
Homo regenitus.
Honos alit artes. 116
Hoſtis nullus ſpernendus.
Humilitas. 117
Hypocrita. 118

## Liber IV.

Ignavus. 118
Ignorantia. 119
Illecebræ peccati fugiendæ.
Illuſtres viri. 120 121
Imitator.
Impietas.
Impiger.
Improbitas inemendabilis. 122
Iprobitas ſibi ſupplicium.
Improbi vitandi. 123
Improbus tandem dat pœnas. 124
Imprudens.
Impudentia deplorata.
Impunitas. 125
Impurus.
Indignus repulſam patitur.
Induſtria, laborioſa, & diſcendi cupida. 126
Induſtria nutrix. 127
Ingenia præclara ſæpe latent.
Ingenia

Ingenia ambitiosa, luxuriantia, præcocia. 127
Ingenuitas laudata.
Ingenuus. 128
Ingenium corporeo robore præstantius.
Ingratitudo. 129
Inimicus nullus contemnendus.
Injuria nemini inferenda. 130
Insidiæ.
Institutio domestica.
Institutionis efficacia. 131
Integritas. 54. 131
invidiæ clamores contemnit 132.
Invidia.
fugienda.
imbellis.
sanata.
Invidus. 113
Ira.
furor brevis. 134
compescenda.
Irrequieti homines. 135
Judicium vulgi mire depravatū.
Justi. 136
Justi & injusti.
Justitia. 137
distribuitur. 138
Justus.
Juventus neglecta. 139
Labor improbus omnia vincit.
Labor moderatus. 141
Lætitia.
Laudabilia expetenda & sequenda.
Legum cura, observatio, revetia, neglecta. 142
Liberales. 52
Libertas non libera. 142
Libertatis amor. 143
jactura. 121
Libido carnis. 143
Libri varii quomodo legendi. 144.
Lingua compescenda.
Lingua hominis. 145
Lites. 132
Lucis veræ efficacia. 145
Luctus.
Magistratus. 184
Magistratuum oscitantia. 146
Sollicitudo.
Magnanimitas.
Magnanimus.
Martyres. 147
Matrona pudicissima. 148
Medicus.
Meditationes. 148
Membra veræ Ecclesiæ. 89
Mendax. 148
Mens generosa. 149
pia. 150
reproba. 151
nulla sine Deo bona.
Mensis.
Metus. 152
Migratio nostra.
Misericordia Dei. 153
Modus optimus.
Mœstitia. 153
Mollities vitanda.
Morborum usus. 154
Mors medela.
Mortificatio. 155
Mortis mysterium.
Mundus.
Munerum acceptatio.
Natura sequenda. 156
Nobilitas vera.
Ocium fugiendum. 157
Omnia non omnia spernenda.
Opinionis vis. 158
Opportunitas observanda.
Oratio ardentissima & efficacissima. 159
Orationum piarum necessitas & effectus. 160
Orator. 159
Orbis iter. 160
Os, στόμα. 161
Ostentatores.
Ovatio. 141

## Liber V.

Pacificus.
Pacis divinæ nuncia. 162
Parasiti. 163
Paratus in utrumque.
Parentum officium.
Parsimonia. 164
Pastor populorum. 80
Patientia pressa, valentior. 162
Patriæ amor. 165
Patriam tueri optimum augurium. 166
Peccatores.
Peccatum.
Perduelles.
Perfectionis assequendæ ratio 167.
Perfectionis studium.
Perfidus.
Pericula nulla contemnenda. 168
Pericula undique imminentia.
Perseverantia. 169
Persuasio stolida.
Petulans ad modestiam reductus. 170
Pietatis amor, aliis dulcis, aliis amarus.
Piger. 171. 172. 173.
Pii & impii. 174
Piorum & impiorum conditio.
Pius & impius.
Pius vir. 175
Philosophiæ studium
Poetæ Mecœnatem desiderant.
Potentia victoriosa. 176
Præjudicia fugienda.
Præstantia.
Princeps clemens.
Munificus.
Illustrissimus. 177
Optimus.
Princeps placidus.
Sapiens, 178
Vigilans.
Principes. 184.
Principis gloria. 179
Principum exempla.
Profani. 97
Prosperitas malesuada. 179
Prosperitas mundana dolosa. 180
Providentiæ Divinæ vis.

Prudens. 181
Prudentes. 182
Prudentia.
Prudentia ex variis peregrinationibus comparata.
Prudentia viribus potior. 183
Prudentiæ vis.
Pulchritudo vera.
Pudor. 63
Princeps.
Ratio. 21
Reipublicæ sanatio. 185
Reges. 184
Religio. 185
Religio Christiana & Catholica.
Renovatio prospera. 186
Rerum vices. 50
Fesipiscētia frugifera & vera. 187
Resurrectio carnis. 188
Rex bonus.
Potens.
Sapiens. 189
Rixa inutilis & noxia. 190
Rixæ. 132
Sancti. 190
Sanctorum virtutes.
Sanguis.
Sapiens.
Sapiens fert omnia secum. 191
Sapientes. 81
Sapientia æterna. 191
Sapientia præditus. 192
Sapientis vox semper eadem.
Sapientis labor. 193
Sapientiæ vis. 193.194
Satan. 195.196.197
Scriptura Sancta. 198
Securitas.
Securitas intrepida. 199
Securitas periculosa.
Sedes incertæ.
Seditiosi.
tollendi. 200
Senectus laudata. 201
Sepultura probrosa.
Servitus voluntaria.
Servus Dei. 202
Silentium.
Sobrietatis opus.
utilitas. 203
Societas civilis.
Socius exosus. 204

LIBER VI.

SOl. 204
Sol justitiæ. 205.206.207
Solertia naturalis potentissima. 207.
Solertiæ vis. 208
Solitudo honesta.
Solitudo multitudine potior, & tutior. 209
Solitudo quid requirat.
Sophista. 148.209
Sophistæ. 210
Spes certa.
frustrata. 211
in adversis.
Spes impiorum.
Spes jucunda nutrix. 212
Spiritus sanctus. 213
Spiritus sancti lux vivifica. 214
Studiorum modus & ratio.
Stulti. 215
Stultus,
Sublimitas. 81
Sufficientia. 75
Superna meditanda. 215
Sycophantæ. 216
Taciturnitas.
Talionis pœna.
Temeritas. 217
Temporis prænotio. 218
Tempori serviendum. 219
Tenebriones.
Terra. 220
Terror ex errore.
Tribulatio utilis.
Tyranni. 143.221.
Tyrannis. 221
Tyrannus. 44.222
Tyrannus potentiss. 222.223.224
Vafer, 167
Veneris immodicæ incommoda. 225
Verbum Dei. 226
Veritas.
aliis salus aliis pernicies. 128
Veritatis oratio.
Via vitæ. 228
Vicissitudines perpetuæ.
rerum humanarum.
Victoria. 141.229
Vigilantia.
Vigilantia domestica. 230
Vilia prosunt. 9
Vindictæ cupiditas.
Violenta nocent. 131
Vir bonus & prudens. 209.231
Virtus. 232
ardua casta. 233
Difficilis, sed fructuosa.
expedita semper. 234
neglecta virescit.
Pudica. 235
Sibi pulcherr. merces.
utilis ad omnia.
Virtutis alumnus. 236
Amor.
Virtuti invia nulla via.
Vis consilii expers. 237
Vis prolifica. 238
Vita beata in terris. 239
Vita in morte.
Vita perennis. 239.240.241
Vitæ hum. fragilitas. 241.242
Cursus. 243
Ortus seu propagatio.
Vitia exstirpanda. 244
Vivificatio. 244
Ultio.
Vocatio.
Voluptas. 246
Voluptates. 247
Voluptuosi.
Utilia.
Utilitas ex inimicis.
Uxor.

# INDEX ALTER,

## SEU

## NOMENCLATOR ANIMALIUM, ET RERUM VARIARUM, EX QUIBUS HIEROGLYPHICA COLLECTA ET CONTEXTA SUNT.


A.

ABIES. 27.b
Absynthium. 176.b
Acanthis. 130.a
Acanthus. 164.c
Acarnanis. 34.a
Accipiter. 35.c. 73.d. 75.c. 112.c.d. 125.d. 176.c. 190.c. 215.d. 229.a
Accipitres. 188.d. 201.b
Achates. 91.a
Adamas. 27.b. 91.a
Alce. 9.a
Acedo. 158.c
Aloe. 11.c. 81.c
Amaranthus. 121.d
Amethystus. 91.a
Amphisbæna. 64.a 68.b.c
Anagyris. 113.a
Anemone. 166.c.
Anguillæ.
Anguis. Vide Serpens.
Anser. 199.a
Anseres. 104.c.d
Anthiæ. 210.d
Apes. 144.a.146.a.175.a.184.b.c.d. 193.b.227.a.b.
Aphyæ. 63.b.c
Apis. 28.a
Aper. 49.d.134.b
Aquæ. 13.b
Aquæ. 10.c. alienæ. 16.c. furtivæ. 17.d
Aquila 38.a.49.b.129.b.137.c.d. 140.d.159.c.162.c.164.a.115.d. 239.a.b.
Aquilæ. 155.a
Aranea. 142.a
Arbor. 22.b.24.c.153.b.174.c.d
Arbores. 23.a.118.a.179.b
Arbusculi 132.c
Ardea. 50.c.181.b.c
Aries. 116.c
Armatum animal. 232.c
Armelinus. 66.c
Aromata. 125.a
Arundo. 100.b.
Asellus piscis. 118.a
Asinus. 33.d.64.c.201.b.119.a.130.a
Asphalathus. 151.b.c
Aspis. 101.a
Aves cohortales. 77.a. 99.a. Diomedeæ. 104.a Memnoniæ. 104.a. nocturnæ. 245. a. Palamedis. 111.a
Avis Asiæ. 145.c
Aurum. 27.b

B.

BAlænæ. 14.b
Balenæ. 178.a.238.a
Balsamum. 91.b.92.a.162.c.d
Barbus piscis. 201.a
Basiliscus. 122.c
Bernardus heremita. 61.d.
Beryllus. 60.a
Berylli. 190.b
Betonica. 176.b
Bombyces. 246.c.d
Bos. 23.c.64.c.163.c.
Boves. 204.a.220.b
Bucephalus. 114.a.125.c
Bufones. 20.a

C.

CÆcias ventus. 26.c
Camelopardalis. 215.a
Camelus. 135.a.141.b
Cammari, pisces. 209.d
Cancellus. 61.d
Cancer. 25.a.79.a.132.b.243.b. fluviatilis. 160.b.c
Cancri. 36.b.58.a
Canes. 37.d.71.a.104.c.d. Indici. 146.b.c
Canis. 24.d. 79.b.103.b.112.c.142.c. 197.c.125.a.b marinus. 72.a
Cantheri. 73.b
Cantharides. ibid.
Cantharus. 56.a
Canum catuli. 129.c
Capra. 42.b. sylvestris. 177.a Caprea Indica. 176.c Caprificus. 170.b
Carduelis. 12.c.d
Carpio. 78.c
Cassia. 105.a
Catuli. 68.a.b
Cedrus. 138.b.c
Cerva. 36.d.239.a Cervicapra. 52.d
Cervus. 110.a
Cete maris. 178.a
Chalcedonius lapis. 202.a
Chamæleon. 13.c.26.b.c
Chamæmelis. 39.a
Chrysanthemus Peruvianus. 60.a

*Chrysolythi.* 198. b
*Chrysoprasi.* 190. b
*Chrysoprasus.* 91. a
*Crystallus.* 27. b
*Cicada.* 211. b
*Cicadæ.* 172. c
*Cicindela.* 181. a
*Ciconia.* 27. b. 133. a. 136. a
*Ægyptiaca.* 165. a
*Ciconiæ.* 105. c
*Citria arbor,* 39. c
*Clytie.* 151 a
*Coccyx.* 69. c
*Cochlea.* 94. c. 140. b. 191. a. 218. a. b
*Collis fœcundus.* 151. d
*Colossus.* 135. b. c
*Columba.* 35. d. 103. c
*Columbæ.* 162. a
*Columbus.* 26. b.
*Copthæ.* 244. c
*Coralium.* 182. d. 183. a
*Cornices.* 62. d. 162. c
*Cornix.* 51. c. 127. d
*Cornu.* 176. a
*Corvi.* 13. b. 207. d
*Corvus.* 24. d. 99. d. 124. a. 134. d
*Coturnix.* 121. b
*Crassula.* 81. b. c
*Crocodilus.* 14 b. 82. a. 114. a. b. 118. a. 218. d. 222. a
*Crocus.* 109. a
*Cucurbita.* 41. d. 141. c
*Culex.* 192. c
*Cupressus.* 13. c. 15. a. 107. c
*Cyanus.* 91. a. b
*Cygni.* 66. a. 175. b. c. d
*Cygnus,* 131. a
*Cytisus.* 122. b. c

D.

*Delphin.* 60. b. c
*Delphines.* 33. a. 101. c
*Delphinus.* 138. b. 189. a
*Dipsas.* 34. b. c
*Draco.* 49. a. 50. a. 175. b
*Dracones.* 244. c. d

E.

*Echinus.* 131. c. 222. a
*Echini marini.* 182. a
*Elephas.* 51. a. 177. c
*Elephantes.* 185. b. 244. c. d
*Equæ.* 33. d
*Equi.* 11. d. 21. a
*Equus.* 20. d. 21. a. 27. a. 50. b. 111. d 128. c. 218. 236. d
*Exyngium.* 179. c

F.

*Falco.* 50. c. 127. a
*Falcones alibi.* 112. c
*Felis.* 124. d. 143. b
*Feræ.* 13. b. c. 20. c. b
*Ferrum.* 225. b
*Ficus* 104. b
*Filix.* 100. c
*Flores.* 174. b. 242. b. c
*Fluctus.* 20. d
*Fœnum.* 101. b. 174. c. 241. b. c
*Formica.* 33. d. 172. b
*Frons.* 124. c
*Frumentum.* 28. a

G.

*Gallina.* 77. b
*Gallinæ.* 177. b.
*Africanæ* 133. d
*Gallopavus.* ibid.
*Gallus gallinaceus.* 26. b. c. 70. c 150. b. c
*Gemmæ.* 174. c
*Genistæ.* 214. c
*Gramen.* 101. b
*Grana frumenti.* 220. b. c.
*Grues.* 111. b. c. 144. c. 229. c. d

H.

*Hedera.* 48. b
*Halcedo.* 159. c
*Halcyon.* 94. a. b
*Halcyones.* 192. c
*Hedera.* 28. d. 78. b. 149. c
*Heliotropii flores* 150. d
*Heliotropium.* 13. d
*Helleborum.* 11. d
*Hemerocallis.* 72. d
*Herba.* 19. c. *solstitialis.* 101. b
*Herbæ.* 37. c
*Herinaceus.* 164. b
*Hesperis.* 214. c
*Hiacynthus.* 90. a
*Hippopotamus.* 185. a
*Hirundines.* 30. b. 35. a. 144. c. 189. b. c. *pisces.* 168. c
*Hirundo.* 17. d. 247. d
*Histrix.* 188. c. d
*Hyæna.* 13. c
*Hydra.* 131. b. c
*Hyoscyamus.* 43. d

I.

*Iaspis.* 91. a. b. 150. b
*Ibex.* 233. a
*Ibis.* 165. a
*Ichneumon.* 222. a
*Ignis.* 11. b. 21. b. 22. a. 35. c. 83. b. c. 226. a. *in sinu,* 17. a
*Ilex.* 67. c

L.

*Lacerta viridis.* 39. a. b
*Lampyrides.* 181. a. b
*Lampyris.* 219. d
*Lapidum acervus.* 10. a
*Laurus.* 52. a. 78. b. 131. a. 167. b. c. 235. d
*Leo.* 25. a. 61. a. 72. b. 106. b. 153. a. 173. b. 183. c. *febricitans.* 14. d
*Leopardus.* 102. d. 103. a
*Lepores.* 229. a
*Ligna.* 13. a. b.
*Lilia.* 11. a
*Lilium.* 235. a
*Locustæ.* 99. c. 114. d
*Lucerna piscis.* 120. b
*Lucius.* 115. b. 128. c.
*Luna.* 19. d. 25. c. 27. c. 68. d. 85. a. b 86. a. b. 113. b. c. 152. c
*Lunæ deliquium.* 21. d
*Lupi.* 221. d
*Lupus.* 13. a. 126. d. *cervarius.* 44. b
*Luscinia.* 77. b. c
*Lutra.* 221. a. b
*Lux.* 74. c. d
*Lynces.* 169. b. c.

M.

*Manucodiata* 55. d
*Manus.* 62. d. 145. d
*Mare.* 22. b. 38. d
*Margaritæ* 58. a. b. c. 59. a
*Maris recessus.* 21. d
*Maxima, planta.* 60. a
*Mel.* 11. a. 13. b. 18. a
*Melanurus.* 123. a


Meleagri.

*Meleagrides.* 133.d
*Mente capti.* 22.a
*Mergus.* 107.d
*Messis.* 157.b
*Milium.* 148.a
*Milvus piscis.* 120.b
*Monoceros.* 108.b.193.d.194.a.b.c 236.c.247.b.c
*Montes.* 117.c.233.b
*Morus.* 69.c.d.78.a.b
*Mundus.* 155.c
*Mugil.* 166.a
*Mus.* 163.a.albus.66.c
*Murana.* 40.d 45.d.153.d
*Musca.* 12.a.28.a.215.c
*Mustela.* 182.c
*Mustelæ.* 29.a.143.b
*Myrica.* 174.c
*Myricæ.* 136.b.c.d.137.a.b
*Myrrha.* 23.b.150.a
*Myrtus.* 73.a.b.c

N.

*Narcissi flores.* 214.b
*Natura.* 25.b
*Navis.* 20.d.22.b.115.a.b.243.a.b
*Nautilus.* 16.c.d
*Noctiluca.* 181.a
*Nix.* 9.d
*Noctua.* 51.c.157.c
*Nubecula.* 225.a
*Nubeculæ.* 83.a
*Nux pinea.* 233.d

O.

*Oculorum acies.* 20.c
*Oculus.* 19.c.21.b
*lippiens.* 11.c
*Ocymum.* 61.a
*Olea.* 161.c.d.167.b.c.240.a
*Oleaster.* 12.a
*Oleum.* 13.c
*Olor.* 93.a
*Olores.* 147.c.d
*Onocretalus.* 26.d
*Opalus.* 185.c.d.186.a
*Orobancha.* 26.a
*Ostrea.* 58.b.163.b
*Ova.* 26.c
*Ovis.* 231.c

P.

*Palma.* 40.a.89.c.d.90.a.d. 107.b.131.d.133.a.152.c. 174.c
*Palumbi.* 33.b
*Panis absconditus.* 15.c.16.d
*Panthera.* 133.d.245.c
*Pardalis.* 103.a.151.a
*Pardus.* 48.a.102.d.122.b.245.c
*Passer.* 199.d
*Passer solitarius.* 109.b
*Passerculus.* 37.c
*Pastinaca.* 54.a.187.b
*Pavo.* 26.b.102.a.235.a.b
*Pecoræ pontica.* 68.a
*Pelecanus.* 32.a.71.c
*Perdix.* 45.b.169.d.
*Perdicis pulli.* 102.b.c
*Perseæ arbor.* 227.b
*Phasianus.* 169.d
*Philomela.* 77.c
*Phœnix.* 239.c.d.240.a
*Pholius.* 110.d
*Pica.* 36.c
*Picturæ.* 29.c
*Picus Martius.* 98.c
*Pinna.* 43.a.203.a
*Pinnotera.* 26.c
*Pisces.* 115.b.198.a.199.b.c.226.b.c.
*Platanus.* 161.a
*Pluviæ.* 9.d
*Polypus.* 211.a
*Poma.* 28.a.b
*Pompilus.* 83.c
*Porcus saginatus.* 44.a
*Prata florida.* 190.b
*Psittacus.* 69.b.c.121.a
*Purpura.* 145.a
*Pyrausta.* 239.b.245.a
*Pyrites.* 27.c
*Pyropus.* 91.a

Q.

*Quercus.* 59.c.66.a.167.b

R.

*Radix.* 166.b
*Rana.* 57.a
*Ramus.* 19.b
*Rana palustris.* 128.c
*piscatrix.* 126.b.c
*Ranæ.* 210.b.c.*Ægyptiæ.* 183.a
*Regulus.* 79.c
*Remora* 56.c.233.c
*Rhamnus.* 71.a.b
*Rhinoceros.* 107.b.244.b
*Rhododendrum.* 192.c
*Ronaria.* 22.c
*Rosa.* 234.c
*Rosæ.* 11.a.125.a.b.227.a.b.174.b. 242.a.c.243.a.247.d.
*Rosomaca.* 114.c
*Rupicapra.* 44.c

S.

*Salamandra.* 25.d.55.c.200.b
*Salix.* 104.b.139.b
*Salmo.* 29.d.65.c
*Salpa.* 118.d
*Sapphirus.* 91.a.b.190.c
*Sardius.* 91.a.b. *lapis.* 147.b
*Sargi.* 32.b.c
*Saxum.* 244.d
*Scarabei.* 73.b
*Scarabeus.* 117.a.227.a
*Scari.* 29.b
*Sciæna.* 166.a.169.d
*Sciurus.* 139.c.208.b.c
*Scombri.* 61.b
*Scorpio.* 167.c.d
*Scorpiones.* 154.c
*Scorpius.* 25.a.238.d
*Segetes.* 127.c
*Sileucidæ aves.* 52.b
*Seleucides aves.* 28.b
*Semina frumentorum & leguminum* 188.b.
*Sempervivum.* 12.c.81.b
*Sepia.* 148.c.d
*Serpens.* 20.c.25.a.109.b.c.123.c. 161.a.165.a.179.a.228.b
*Serpentes.* 71.a.75.b.119.d.183.d. 186.d.203.a
*Silex.* 78.a
*Silurus.* 218.d
*Simia.* 13.b.14.d.33.d
*Simiæ.* 31.c.71.a
*Siren.* 146.d
*Sirenes.* 246.b
*Smaragdus.* 91.a.153.a
*Sol.* 19.d.22.b.73.d.74.a.152.a. 204.d.

204.d.205.a.b. Orient.
Solis radii.
Speculum.
Sphinx.
Spicæ. 75.d. maturæ.
Spina.
Stella.
Stellæ.
Struthiocamelus. 67.b.145.c 234.a.b.
Sturnus.
Sus.
Sues.
Surculus.

T.

TAlpa.
Taurus.
avis.
Tauri auricula.
Taxus.
Tempestas.
Terra.
Testa.
Testudo. 70.a.b.82.c.140.a
Testudines marinæ.
25.a Thalassius.
39.c Thus.
13.b.c Thynni.
18.b.c.19.a Tigris.
148.b fera.
71.b. 179.d Topazius.
100.d Torpedo.
74.a Trifolium,
169.d Trochilus.
Tulipam.
170.c.d Turdus.
215.b Turtur.
97.b.c.125.b Turtures.
152.a

V.

VAlles.
Ventus.
asper.
Venti.
Vepres.
Ver.
Vespæ
Vespertilio.
Vespertiliones.
Vineæ.
Vinum.
91.b Violæ.
160.c.d Vipera.
209.a Viperæ.
230.c. Viscus.
158.a Vitis.
78.b.c.91.a 89.a
155.d recta.
97.c Vitrum.
114.a Vitulus marinus.
214.b. Ulmus.
216.b Umbra.
65.a.192.d Unguentum,
95.a.b.c.96.a Unguenta.
Uniones.
118.a 150.b.174.c.
212.d.213.ab.214.a Upupæ.
21.c.d Uranoscopus.
21.c.d.37.c.d Ursi,
73.b 230.a
22.b Urtica.
72.d Urus.
109.c Vulpes.
119.c.d Vultures.
88.b.c.89.a.211.b
10.d.84.b Xiphias.

X.

11.a.117.c.247.d.
17.c.217.a.221.c.
225.c.d
59.c
26.c.52.a.62.b.81.b.c.d.
394
13.d.14.a
392.c
28.b.62.b
13.b.c
29.a
125.b
35.c.d.57.c.58.b.c.
202.d.244.b
53.a.b
208.c.212.b
168.a.b
237.c.d
76.a.199.a.230.b
55.c
42.c

FINIS.

# HIEROGLYPHICA HORAPOLLINIS,

à

# DAVIDE HOESCHELIO

*Fide Codicis Augustani ms. correcta, suppleta, & in lucem edita.*

EX SUIDA.

HORAPOLLO, ex Phœnebythide pago Panopolitanæ præfecturæ, grammaticus, Alexandriæ docuit, & in Ægypto, tandem constantinopoli sub Theodosio. Scripsit πμεμικά, id est, de lucis & templis; & commentarios in Sophoclem, Alcæum, Homerum: homo ob artem celebris, gloria nulli veterum doctissimorum Grammaticorum secundus.

# HORAPOLLINIS NILIACI SACRÆ SCULPTURÆ, QUAS IPSE QUIDEM ÆGYPTIO SERMONE PRODIDIT, PHILIPPUS VERO LINGUA GRÆCA DONAVIT.

1. *Quo pactum ævum significant?*

AEvum innuentes, Solem ac Lunam pingunt, quod hæc æterna sint, ævique fluxum producentia elementa. Quin & aliter ævum pictura exprimere volentes, serpentem pingunt, cujus cauda reliquo involvatur ac tegatur corpore. Hunc Ægyptii quidem lingua sua Uræum, Græci verò Basiliscum appellant. Eundem ex auro conflatum diis circumponunt. Cæterùm hoc animali ævum significari propterea Ægyptii dicunt, quòd cùm tria sint serpentium genera, solum hoc ex omnibus immortale est, cætera mortalia: utpote cùm quodvis aliud animal solo afflatu absque ullo morsu serpens hic interimat. Unde & quoniam vitæ necisque potestatem habere videtur, meritò sanè deorum capitibus inseritur.

2. *Quo pacto mundum?*

MUndum exprimere volentes, serpentem pingunt, qui suam ipsius caudam rodat, variis interstinctum squamis: per squamas quidem stellas, quibus cœlum mundusve dinstinctus est, obscurè innuentes. Cæterùm hoc animans non secus ac terra gravissimum est, lævissimum autem ac maximè lubricum, in aquæ morem. Insuper ut serpens quotannis pelle simulque senio exuitur: sic & annus vertens qui mundi circumactu producitur, immutatione facta renovatur, ac velut rejuvenescit. Quòd verò velut cibo, suo utatur corpore, significat id, quæcumque Dei providentia in mundo gignuntur, ea rursum in eundem resolvi, & tanquam imminutionem sumere.

3. *Quo modo annum?*

POrro annum demonstrare volentes, Isin, hoc est mulierem pingunt: quo etiam signo deam significant. Est autem apud eos Isis sidus, quod Ægyptio quidem nomine Sothis, Græco vero Astrocyon dicitur, qui & inter reliqua sidera principatum obtinere videtur: ut qui dum oritur, nunc major sit, nunc minor, interim splendidior, interim verò secus. Insuper & quoniam in hujusce sideris exortu, ea signis quibusdam observamus, quæ toto anno peragenda sunt: propterea non abs re annum Isin appellant. Aliter quoque annum indicantes, palmam pingunt, quod arbor hæc sola ex omnibus ad singulos Lunæ ortus singulos etiam ramos procreet, ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur.

4. *Quo modo mensem?*

MEnsem autem notantes, ramum pingunt, aut Lunam deorsum conversam. Ramum quidem, ob causam jam in palma dictam. Lunam verò deorsum vergentem, quòd in ortu quidem, ut inquiunt, quindecim ei partes supersint, ut rursum erectis cornibus appareat: At in occasu, triginta diebus completis, cornua deorsum inflexa gerat.

5. *Quomodo instantem annum?*

INstantem annum significantes, quartam arvi partem pingunt. Est autem ἄρουρα, unde Latinis arvum dicitur, terræ mensura centum complectens cubitos. Itaque annum volentes dicere, quartum dicunt, propterea quod ab uno, ut tradunt, sideris cui Sothis nomen fecimus, ortu, ad alterum quarta sit interjecta diei pars. Enimvero diei Solis inquam annus trecentis sexaginta quinque diebus absolvitur: unde & quarto quoque anno supervacuum diem computant atque intercalant Ægyptii. Quatuor siquidem diei quadrantes diem perficiunt.

6. *Quid*

### 6. *Quid accipitrem pingentes, innuunt?*

DEum cum volunt significare, aut sublimitatem, aut humilitatem, aut præstantiam, aut sanguinem, aut victoriam: accipitrem pingunt. Deum quidem, tum quod fœcundum sit ac diuturnæ vitæ hoc animal, tum etiam quòd Solis præter cæteras volucres simulachrum esse videatur, utpote peculiari quadam atque occulta naturæ vi, intentissimis in ejus radios oculis prospiciens. Atque hinc est, quod medici ad sananda oculorum vitia, hieraceo herba utuntur. Inde etiam fit, ut Solem interdum tanquam visus tutorem ac dominum, accipitris forma pingant. Sublimitatem verò, quoniam cum cætera quidem animantia, quoties in sublime tolli volunt, obliquè ferantur, nec recta sursum evehi possint; solus accipiter rectà in altum volat. Humilitatem porrò seu dejectionem, quod eadem ratione cæteræ animantes non perpendiculi modo, sed velut extransverso & flexosè deorsum ferantur, solus accipiter directo ad inferiora viam carpat. Præstantiam, quòd cæteris præstare videatur avibus. Sanguinem, quia animal hoc inquiunt, non aquam sed sanguinem bibere. Victoriam demum, quod cætera volatilia vincere videatur. Cum enim robustioris animantis potentia se videt opprimi, tum sese in aëre ita resupinans, ut ungues quidem sursum, pennas verò ac posteriores partes deorsum versas habeat, cum idem avis quæ cum eo congreditur efficere nequeat, ita facilè eam in fugam vertit, ac sibi victoriam parat.

### 7. *Quomodo animam indicant?*

QUin & pro anima ponitur accipiter, juxta nominis interpretationem. Siquidem Ægyptiis accipiter baieth dicitur, quod nomen si diviseris, animam & cor sanat: BAI enim anima, est, & ETH cor. Cor autem ex Ægyptiorum sententia, animæ ambitus est. Itaque * ex consueta significatione nomen hoc, animam cordatam notat. Unde & accipiter ob eum quem cum anima habet naturæ consensum, aquam omnino non bibit, sed sanguinem, quo & ipsa nutritur anima.

**compositum nomē hoc.*

### 8. *Quomodo Martem ac Venerem?*

MArtem vero & Venerem notantes, duos pingunt accipitres, eorum marem Marti, fœminam Veneri comparantes: idque propterea, quod ex cæteris animantibus fœmina mari non ad omnem congressum obtemperat, ut in accipitrum genere, in quo etsi tricies in die fœmina à mare comprimatur, ab eo digressa si inclamata fuerit, paret iterum. Ideoque & fœminam omnem, quæ viro morem gerit, Ægyptii Venerem vocant: Quæ vero non est dicto audiens, non ita appellant. Atque hæc sanè causa fuit, cur Soli accipitrem consecrarint: non secus enim ac Sol, ter denarium explet numerum in congressu fœminæ.

Aliter quoque Martem & Venerem scribentes, duas pingunt Cornices, ut marem ac fœminam: quoniam animal hoc gemina solet ova parere, ex quibus mas & fœmina gignantur. Ubi verò, quod rarò tamen accidit, vel duo mascula, vel duo fœminea ova peperit, mares fœminis connubio juncti nunquam ad alteram divertunt cornicem, ac ne ipsa quidem fœmina, quoad vivit, ad alterum marem: sed disjuncti, soli deinceps semper degunt. Unde & cùm uni cornici occurrerint homines, augurantur præsagium sibi hoc esse viduæ vitæ, quòd scilicet animali viduam agenti vitam obvii facti fuerint. Proinde in hunc usque diem, Græci ob tantam harum avium concordiam, in nuptiis ignorantes verbum illud usurpare solent κάκκοβε nimirum κοβὲ cornicem appellantes.

### 9. *Quomodo nuptias?*

ATQUE eandem ob causam nuptias innuentes, duas rursum appingunt Cornices.

### 10. *Quomodo unigenitum?*

UNIGENITUM autem significantes, aut ortum, aut patrem, aut mundum, aut virum:

Scarabæum pingunt. Ac unigenitum quidem, quod per se gignatur hoc animal, utpote in utero fœminæ non prius efformatum ac gestatum: ejus enim solius hujuscemodi ortus est. Cùm mas sobolem procreare vult, bovis fimum nactus, globulum ex eo ejusdem cum mundo figuræ fingit: quem ubi ab ortu in occasum aversis pedibus volutarit, ipse rursum, ut orbi persimilem figuram edat atque exprimat, in ortum convertitur. Ipse siquidem orbis à Subsolano circumagitur in Africum: At siderum contrarius est cursus, ab Africo ad Subsolanum. Hanc itaque pilam in terra defossam reponit in dies octo & viginti: nam & totidem diebus Luna duodecim Zodiaci signa perlustrat, sub qua toto illo tempore permanens animatur ac semen vitale suscipit scarabæorum genus. Nono autem & vicesimo die apertam pilam, in aquam conjicit (eum enim diem esse putat quo & Luna cum Sole congrediatur, & mundi insuper fiat generatio) quæ dum in aqua aperitur, prodeunt animalia, hoc est scarabæi. Ortum autem, propter jam dictam causam. Patrem, quod ex solo patre ortum habeat scarabæus. Mundum, quod ad mundi figuram ejus generatio ac fœtus accedat. Virum denique, quòd non sit in eorum genere fœmina. Sunt porrò Scarabæorum formæ tres: Prima felium specie, ac velut radiis insignita, quam & Soli ob significationem quandam dicarunt. Ajunt enim felem marem juxta varium Solis habitum & cursum pupillas commutare, ad ortum quidem Solis manè nonnihil extendi, sub meridiem velut rotundas fieri; Sole ad occasum urgente, obtusiores obscurioresque apparere. Unde & quæ apud Heliopolim est DEI Solis inquam statua, felis speciem præ se fert. Habet autem Scarabæus omnis digitos triginta, idque in indicium 30. mensis dierum, quibus Sol oriens suum per singula Zodiaci signa cursum peragit. Alterum Scarabæorum genus bicorne est, & taurina specie: quod cùm & Lunæ consecratum sit, inde etiam eum qui inter sidera relatus est taurum, hujusce deæ elevationem esse perhibent Ægyptiorum filii. Tertium unicorne est, & suæ peculiaris formæ, quod & Mercurio sacrum esse, ut etiam est Ibis avis, existimarunt.

## II. *Quid, Vulturem delineantes indicant?*

CÆterum matrem significantes, aut aspectum, aut limitem, aut futurorum cognitionem, aut annum, aut cœlum, aut misericordem, aut Minervam, aut Junonem, aut drachmas duas: vulturem pingunt. Matrem quidem, quod in hoc animantium genere mas non sit. Gignuntur autem hunc in modum: Cùm * amore concipiendi vultur exarserit, vulvam illæsam ad Boream aperiens, ab eo velut comprimitur per dies quinque, quibus nec cibum, nec potum omninò capit, fœtus procreationi intentus. Sunt porrò & alia * vulturum genera, quæ ex vento concipiunt quidem, sed quoniam ova ad esum duntaxat (ipsorum) non item ad fœtum suscipiendum ac formandum sunt accommodata. At eorum vulturum, quorum non est subventaneus duntaxat & inefficax coitus, ova ad gignendum, tollendamque sobolem sunt inprimis idonea. Aspectum autem, quòd ex omnibus animantibus perspicacissimi visus sit vultur, ut qui oriente quidem Sole in occasum, occidente verò in ortum prospicat, atque è satis longo intervallo quæ sibi usui sint, comparet edulia. Limitem, quòd cùm belli conficiendi tempus instat, locum ubi pugna committenda sit, septem antè diebus ad eum accedens præfiniat & circumscribat. Præsagium vero, tum ob jam dictam causam, tum etiam quòd ad eam exercitus partem sese convertere soleat, ubi major sit futura clades, sibi ex cadaveribus alimentum seponens, ac in futurum providè reservans. Unde & prisci reges, exploratores mittebant per quos in utram aciei partem respexissent vultures, cognoscerent, indeque vincendos ac internecina strage delendos colligerent. Annum porrò, quoniam animal hoc trecentos illos ac sexaginta quinque dies quibus completur annus, ita distribuit, ut centum quidem ac viginti diebus prægnans maneat, totidem pullos enutriat; reliquis verò centum ac quinquaginta sui curam gerat. neque uterum ferens, neque alendis addicta liberis, sed seipsam duntaxat ad aliam parans conceptionem. Quinque autem illos qui supersunt anni dies inventi, ut jam dictum

* ὀργύσῃ *Ald. mendosè.*

* *volucrium.*

dictum est, compressionem & coitum insumit. Misericordem autem, quod quibusdam alienissimum forsan videbitur, præsertim quum hoc animal infestissimo animo cætera persequatur, atque interimat. Sed ut hoc pictura vulturis innuerent, eo impulsi sunt ; quod centum illis diebus, quibus suos educat, penè nunquam evolet, sed omnem curam ac sollicitudinem illis alendis adhibeat. Quod si eo tempore cibus non suppetat, quo eos sustentet, proprio execto femore sugendum eis exhibet & impertitur sanguinem, ut ne cibi penuria atque inedia conficiantur. Minervam ac Junonem, quoniam videtur apud Ægyptios Minerva quidem superius cœli hemisphærium occupasse, Juno verò inferius. Quæ & causa est, ut absurdum censeant cœlum masculino genere efferre : quippe cum & Solis & Lunæ cæterorumque siderum genitura in eo perfecta sit, qui nimirum fœminæ actus est. Quin & vulturum genus, ut jam expositi, fœminas tantum complectitur. Quam ob causam & cuivis fœminei sexus animanti Ægyptii vulturem, ut in eo sexu principem ac primarium apponunt : ex quo & deam omnem, ne sigillatim unamquamque percurrens, prolixior sim, significant Ægyptii. Insuper & matrem innuere volentes, vulturem pingunt : est enim mater fœminæ naturæ. οὐρανὸς autem hoc est cœlum (neque enim placet ipsis, ut dixi masculino genere οὐρανὸν [sed fœminino] dicere) quoniam horum omnium generatio inde est. Duas denique drachmas, quod apud Ægyptios duæ lineæ unitas est. Unitas verò cujuslibet numeri ortus est ac principium. Optima itaque ratione duas drachmas indicare volentes, vulturem pingunt, quod generationis ipse sibi autor materq; ac principium, quemadmodum & unitas, esse videatur.

12. *Quomodo Vulcanum notant ?*

AT Vulcanum indicantes, scarabæum & vulturem pingunt. Minervam verò, vulturem & scarabæum : * solis enim his, non etiam masculis, mundus videtur consistere. Vulturem autem Minervæ appingunt, quòd hi soli ex diis apud ipsos mares sint simul ac fœminæ.

* *Ex masculo enim & fœmineo ipsis mundus.*

13. *Quid sidus pingentes, innuunt ?*

DEum pulchrè ornatum significantes, aut fatum, aut quinarium numerum : sidus pingunt. Deum quidem : quod Dei providentia victoriam decernit atque imperat, qua & siderum orbisque universi motus peragitur. Existimant enim sine Deo nihil prorsus consistere. Fatum autem : quod ex siderum cursu ac dispensatione constituatur. Quinarium verò numerum : quoniam cum quam plurima atque adeo innumera sint in cœlo sidera, sola ex his quinque, motu suo orbis pulcherrimam efficiunt distributionem ac moderamen.

14. *Quid Cynocephalum pingentes demonstrant ?*

LUnam demonstrantes, aut terrarum orbem, aut literas, aut sacrificum, aut iram, aut natationem : Cynocephalum pingunt. Lunam quidem : propterea quod animal hoc consensum quemdam cum Deæ congressu, ex quo & affici soleat, habet. Ubi enim aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens, expers luminis opacaq; permanet, tum mas quidem cynocephalus, nec quoquam intuetur, nec vescitur : sed demisso in terram vultu indignabundus, velut Lunæ raptum deplorans, tristatur. Fœmina verò, præterquam quod nusquam oculus contorquet, eademque cum mare patitur, insuper & è genitali vase sanguinem mittit. Ideoque ad hæc usque tempora in sacris Cynocephali nutriuntur, ut ex ipsis, conjunctionis Solis & Lunæ tempus cognosci possit. Terrarum autem orbem : quoniam septuaginta duas inquiunt jam olim orbis habitati regiones fuisse. hos porrò, si diligenter in sacris nutriantur & curentur, non sicut cætera animalia uno die emoriuntur, sic & ipsos emori : sed ipsorum partem quandam singulis diebus emorientem ac tabescentem à sacerdotibus humari, reliquo interim corpore in sua natura persistente, idque per septuaginta duos dies ; quibus expletis, tunc prorsus interit. Literas, quia est (apud Ægyptios) cognatio quædam & genus cynocephalorum, qui * literas norunt. Quapropter ubi primum in sacram ædem ductus fuerit cynocephalus, tabellam ei sacerdos apponit, una cum scirpeo stilo ac atramento : nimirum ut periculum faciat, sit ne ex eo cynocephalorum genere, qui literarum gnari sunt : * pingit itaque in ea tabella literas. Præterea hoc animal Mercurio dicatum est, qui literarum omnium particeps

* *Ægyptiæ literæ.*

* *& num literas pingat.*

particeps est. Sacrificum verò: quòd natura cynocephalus ab esu piscis abhorret, quem tametsi piscibus interim vesci contingat, segne tamen & torpori deditum animal non est, sicut & externi sacerdotes. Adde quòd circumcisus gignitur, quam quidem circumcisionem summo curant ac peragunt studio sacerdotes. Iram: quia hoc præter cætera animantia maximè iracundum est, & ad indignationem proclive. Natationem porro, quoniam cætera quidem animantia frequenti natatione sordes ac squalorem contrahunt: solum hoc ad eum quem instituit locum nando pervenit, nec tamen ullis à nativo colore transfertur aut inquinatur sordibus.

15. *Quomodo Lunæ exortum indicant?*

LUnam autem orientem indicare volentes, rursum Cynocephalum hoc habitu pingunt; stantem, manusque in cœlum tollentem, ac regium insigne capite gestantem. Hac autem figura, ad Lunæ ortum demonstrandum, depingunt cynocephalum, quòd hoc habitu videatur cynocephalus deæ congratulari; quod ambo, Sol inquam ac Luna, luminis participes sint.

16. *Quomodo æquinoctia duo?*

RUrsum æquinoctia significantes, idem animal, Cynocephalum sedentem pingunt. Duobus enim anni æquinoctiis, duodecies in die per singulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit. Unde non immerito suis hydrologiis Ægyptii cynocephalum sedentem insculpunt, è cujus membro aqua defluat: idque propterea, quod duodecim ut jam dixi, in quas æquinoctii tempore dies ac noctes ex æquo dividuntur, horas significat. Cæterum ne foramen illud acutè artificioseq; constructum, per quod in horologium aqua profluit & excernitur, aut latius sit, aut rursum arctius (utriusque enim magni refert. siquidem latius, quum magna celeritate aquam profundat, non rectè horæ modum ac dimensionem perficit: angustius autem paulatim ac lentius quam par sit, aquæ ductum laxat) remedium hoc excogitarunt, ut quicquid pilorum est, ad caudam usque abradentes, pro hujus crassitudine ferream quandam fistulam in usum jam dictum fabricentur. Hoc autem ipsis visum est non absque ratione quadam, sicut nec in cæteris, facere, & quod etiam solus ex omnibus animantibus, æquinoctio duodecies in die per singulas horas adlatrat.

17. *Quomodo animum animive præstantiam innuunt?*

ANimum autem volentes signare, Leonem pingunt. Caput enim magnum habet hoc animal, & pupillas quidem ignitas, faciem vero rotundam, & circumquaque radiorum more sparsos pilos ad Solis similitudinem. unde & sub solio hori, hoc est Solis, Leones supponunt, hujus animalis cum Deo utpote Sole similitudinem maximam monstrantes. Dicitur autem apud eos Sol Horus, ex eo quod horis præsit,

18. *Quomodo robur notant?*

RObur notantes, Leonis anteriora membra pingunt, quod hæc ei ex toto corpore robustissima sint.

19. *Quomodo vigilantem commonstrant?*

VIgilantem autem sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, Leonis caput pingunt: quoniam Leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit apertos habet, quod quidem custodiæ atque excubiarum signum est. Unde &, non absque significatione, sacrorum claustris, leones qui custodum loco sint, appinxerunt.

20. *Quomodo terribilem & formidandum?*

EOdem quoque, ut formidabilem notent, signo utuntur: quia quum viribus maximè polleat animal hoc, omnibus qui eum inspexerint metum injicit.

21. *Quomodo Nili ascensum & exundationem?*

NIli insuper inundationem significantes, quem Ægyptio nomine Nun quod si interpreteris, novum sonat, appellant, interim Leonem pingunt, interim tres magnas hydrias, interim verò cœlum ac terram aquæ copiam scaturientem. Leonem quidem: quod cum Sol Leonem subit,

subit, ampliorem Nili facit inundationem. Quamdiu enim Sol in hoc signo persistit, sepenumero in duplum ipsius Nili aqua excrescit. Unde & tubos canalesque sacrorum fontium * solent ii qui sacris præsunt operibus, Leonis figura fabricari. Quapropter in hodiernum usque diem, dum pro immodica inundatione preces effundunt, Leonis signo uti solent. Tres autem hydrias, aut cœlum & terram, quæ aquæ copiam scaturiat*, Nilum per similem facientes cordi linguâ prædito: Cordi quidem, quoniam princeps hæc & potissima apud ipsos habetur totius corporis pars, sicut & Nilus totius Ægypti dux est ac princeps. Linguæ autem, quod cùm hæc perpetuo in humido esse gaudeat, insuper & ipsam genitricem causamque rerum status appellant. Tres porrò hydrias, & nec plures nec pauciores pingunt: quod triplex juxta eorum sententiam sit inundationis causa effectrix. Unam quidem Ægytiæ terræ adscribunt, quæ ex sese aquam producit: Alteram Oceano, ex quo inundationis tempore aqua in Ægyptum exæstuat: Tertiam imbribus, qui per id tempus quo intumescit Nilus, ad australes Æthiopiæ partes contingunt. Quòd autem Ægyptus ex sese aquam gignat: inde facile est deprehendere, quod cum in cæteris orbis tractibus hieme soleant exundare flumina, idque propter imbres copiosos & assiduos; sola Ægyptiorum regio, quoniam totius orbis velut umbilicus est ac media, non secus ac in oculo pupilla, æstate sibi inundationes Nili procreat.

* *solitî sunt ii qui ol ms sacris pr e- rant.*
* *pingunt hydriam similem facientes.*

22. *Quomodo Ægyptum designant?*

ÆGyptum autem designantes, conflagrantem accerram pingunt, & supernè Cor: illud innuentes, quod quemadmodum Zelotypi cor in perpetuo æstu ac flamma est; sic Ægyptus, quia immodicè calet, continenter quæ in se sunt animat ac procreat.

23. *Quomodo hominem, qui è patria peregrè nunquam profectus sit.*

HOminem qui nunquam solo natali relicto peregrinatus fuerit, significantes, Onocephalum pingunt: quia nec ullam audit historiam, nec quæ apud exteras gentes fiunt, cognoscit.

24. *Quomodo tututelam ac præsidium?*

PRæsidium autem ac remedium innuere volentes, duo pingunt hominum capita, unum maris intro aspiciens, alterum fœminæ foras. Ita enim nullum dæmonem invadere posse asserunt. Sic enim & sine literis, duobus inquam capitibus sese ab omni discrimine & insidiis tuentur.

25. *Quomodo imperfectum adhuc hominem, rudemque ac informem fœtum demonstrant?*

HOminem necdum omnibus in utero membris efformatum notantes, ranam pingunt: quod hæc cùm ex limo fluminis procretur, interdum altera quidem sui patre rana, altera terrestre quippiam videatur: adeò ut deficiente flumine, ipsa quoque deficiat.

26. *Quomodo apertum ac patens quippiam?*

PAtulum autem quippiam significare volentes, leporem pingunt; quòd semper apertos habeat oculos hoc animalis genus.

27. *Quomodo sermònem?*

SErmonem porrò designantes, linguam pingunt, subtusque cruentum oculum: primas quidem sermonis partes linguæ, secundas verò oculis tribuentes. Sic etenim perfectè consistunt ipsius animi sermones, cum ad ejus motus sensaque accommodantur ac variantur: præsertim quum apud Ægyptios animus, alter sermo nominetur. Quin & aliter sermonem innuentes, linguam subtusque manum pingunt: linguæ quidem, primas in loquendo adscribentes, manui verò, ut quæ linguæ placita exequatur, secundas partes.

28. Quo

28. *Quomodo silentium?*

AT silentium significantes. numerum 1095. pingunt, qui triennii numerus est, si ex trecentis sexaginta quinque diebus annus constituatur: intra quod tempus cùm non loquatur pusillus, indicatur eum eum *, etsi perpetuo linguam habuerit, vocem tamen ac loquelam defecisse.

* linguæ impeditæ esse.

29. *Quomodo vocem remotam?*

VOcem remotam volentes significare, quod Ægyptiis væe dicitur; sonitum pingunt aëris, hoc est tonitru, quo nihil quicquam majus aut vehementius resonat.

30. *Quomodo antiquam originem?*

ANtiquam originem notantes, papyri fasciculum pingunt, hoc primam indicantes educationem, cujus, sicut & genituræ, non facile quis initium invenerit.

31. *Quomodo gustum.*

GUstm innuentes, oris initium pingunt. Omnis enim gustus eo usque retinetur. Gustum autem perfectum intelligo. Nam adinnuendum gustum imperfectum, linguam admotam dentibus pingunt: his enim omnis absolvitur gustus.

32. *Quomodo voluptatem?*

VOluptatem demonstrare volentes, sedecim numerum pingunt: ab eo siquidem annorum numero incipiunt viri consuetudine capi mulierum, ac procreandæ sobolis desiderio.

33. *Quomodo concubitum?*

EUndem numerum 16. geminum pingunt, ubi viri fœminæq; congressum significare volunt. Cum enim liberi, ut diximus, voluptate procreentur; congressus autem duplici constet, maris inquam ac fœminæ, voluptate: propterea non immerito alia sedecim adscribunt.

34. *Quomodo animam longo hic tempore agentem?*

ANimam quæ diutissimè in hac vita moram traxerit, aut etiam inundationem, commonstrare volentes, Phœnicem avem pingunt. Animam quidem, quod omnium quæ toto orbe sunt animantium, hoc maximè diuturnæ vitæ est. Inundationem verò, quod velut signum Solis sit Phœnix, quo nihil in orbe majus, cum omnia subeat, omnes scrutetur & disquirat. Atque adeo πολύς, hoc est, multus vocitari solet.

35. *Quomodo eum qui serò tandem è regione peregrina ad suos redeat?*

QUin & eum innuentes, qui longo tempore perregrinatus tandem in solum natale remeet, rursum Phœnicem avem pigunt, Hæc enim in Ægyptum, cum tempus mortis instat, quingentesimo demum anno regreditur: ubi si naturæ debitum persolverit, magna solennitate ac ritu funeratur. Quæcunque enim in cæteris sacris animantibus religiosè observant Ægyptii, ea & Phœnici tribui debent. fertur siquidem Sole magis apud Ægytios gaudere, quam apud cæteras gentes: ideoque Nilum ipsis ex hujus Dei calore inundare, cujus rei paulò antè à nobis ratio reddita est.

36. *Quomodo Cor pingunt?*

COr volentes indicare, Ibin pingunt, quod quidem animal Mercurio attributum ac dicatum est, cordis omnisq; rationis præsidi & moderatori. Nam & Ibis per se ipsa magna ex parte cordi adsimilis est, de qua re plurimi apud Ægyptios agitantur sermones,

37. *Quomodo eruditionem ac doctrinam?*

DOctrinam autem indicantes, cœlum pingunt rorem fundens, innuentes: quod quemadmodum ros decidens, in omnes quidem plantas diffunditur, at eas duntaxat mollit, quæ ejus naturæ sunt ut molliri possint, cæteras verò quæ suaptè natura duræ sunt, non item: sic & doctrina communiter

niter ad omnes pertingit homines, quam quisquis felici natus est ingenio, ut rorem arripit ; qui vero ingenii facultate destituitur, idem efficere non valet.

38. *Quomodo Ægyptias literas?*

CÆterum Ægyptias literas, aut sacrum scribam, aut finem innuentes ; atramentum, cribrum & juncum pingunt. Ægyptias quidem literas, quod his omnis apud eos scriptura compleatur: junco enim, & non alio quopiam scribunt. Cribrum vero appingunt, quoniam hoc cùm primum sit panis conficiendi instrumentum, ex junco fit. Innuunt itaque, cuicunque victus suppetit, eum literarum studiis animum adjuncturum, cui verò non suppetit, aliis vacaturum artibus. Unde & apud eos eruditio Sbo vocatur, quod nomen si interpreteris, plenum alimentum sonat. Sacrum autem scribam, quoniam hic vitam mortemque dignoscit. Nam est apud sacros scribas liber, sacram ambrem appellant, cujus ope judicium de ægroto decumbente ferunt, sit vitalis, nec ne, id ex ægri decubitu signis quibusdam perspicientes. Finem denique, quoniam qui literas didicit, ad tranquillum vitæ portum pervenit, non jam vitæ incommodis oberrans, aut fluctuans.

39. *Quomodo sacrum scribam?*

RUrsum sacrum scribam, aut vatem, aut vespillonem, aut splenem, aut odoratum, aut risum, aut sternutationem, aut magistratum, aut judicem volentes signare ; canem pingunt. Sacrum quidem scribam ; quoniam quicunque voluerit, ut par est, & absolutissimè hoc fungi munere, eum oportet multa meditari, assidueque omnibus canum more allatrare, & ferum esse, nullique gratificari. Vatem autem, quod canis præter cætera animantia fixis in deorum simulacra, non secus ac vates consuevere intentisque prospiciat oculis. Sacrorum verò pollinctorem, quod & hic nuda & resecta, quibus justa facit, simulacra contempletur. Splenum, quoniam hunc inter cætera animalia canis leviſſimum habet: & sive ei mors sive rabies acciderit, ex splene id contingit. Enimvero & qui ejus funus procurant, ubi morituri sunt, magna ex parte splenetici fiunt. Siquidem gravi illo halitu & vapore qui ex inciso dissectoque cane provenit, inficiuntur. Odoratum porrò, risum ac sternutamentum: quoniam qui absolutè splenetici sunt, nec odorari possunt, nec ridere, neque etiam sternutare.

40. *Quonam modo magistratum innuunt aut judicem?*

MAgistratum vero aut judicem cum designant: appingunt cani & regiam vestem, nudæ figuræ appositam; propterea quòd ut canis, quemadmodum supra dixi, in deorum simulacra acutissimis intuetur oculis: sic & magistratus, qui & judex erat, vetustioribus temporibus, nudum regem spectabat. Ac propterea regiam cani prætextam adjiciunt.

41. *Quomodo significant eum qui sacrum pallium gestat?*

SIgnificantes eum qui sacrum gestat pallium: domus custodem pingunt, quod ab eo sacrum custodiatur.

42. *Quomodo eum qui horarum rationem observat, exprimunt?*

HOrarum inspectorem demonstrantes, hominem pingunt horis vescentem, non quod horas homo comedat (id enim haudquaquam fieri potest) sed quod hominibus cibi statis horis parentur & apponantur.

43. *Quomodo puritatem innuunt?*

PUritatem notantes, ignem & aquam pingunt, quod his elementis omnis lustratio fiat, atque expiatio.

44. *Quemadmodum latenter rem nefandam atque abominandam indicant?*

NEfariam autem innuentes, aut etiam abominationem: piscem pingunt, quod horum esum, qui in sacris versantur, abhorreant atque execrentur. Est enim ejus naturæ piscis omnis, ut quæ offenderit exhauriat, inque suum ipse genus sæviat.

45. *Quomodo os pingunt?*

OS significantes, serpentem pingunt, quoniam serpens in nullo alio membro valet, nisi ore.

46. *Quomodo fortem simul & temperantem?*

FOrtitudinem cum temperantiâ conjunctam innuentes, taurum integra corporis constitutione præditum pingunt. Calidissimum enim est huic animali membrum, ita ut semel eo in fœminæ vulvuam immisso, vel absque ullo motu semen effutiat. Quod si quando à vulva vaccæ aberrans, in aliam corporis partem membrum intenderit, tum ejus immodica intentione vaccam vulnerat. Quin & temperans est: quippe cum nunquam post conceptum, vaccam ineat.

47. *Quomodo auditum?*

AUditum autem demonstrantes, tauri auriculam pingunt. Ubi enim concipiendi desiderio exardet ac stimulatur vacca (exardet autem non amplius quam per tres horas) tunc vehementer mugit: quo tempore nisi taurus accesserit, ad alium usque congressum vas genitale claudit: quod sanè rarò accidit. Audit enim protinus vel ex longissimo intervallo taurus, cumque eam intelligat venere excitari, mox accurrit: id quod soli huic ex omnibus animantibus, *in congressu* peculiare est.

48. *Quomodo penem fœcundi & semine abundantis hominis?*

AT vero penem fœcundi hominis monstrantes; non jam taurum, sed hircum pingunt. Ille enim antequam annum attigerit, coire non solet: hic septem statim post ortum diebus congreditur, infœcundum quidem & genituræ minimè accommodum semen excernens. Prius tamen ac celerius cæteris animantibus coit.

49. *Quomodo innuunt immunditiam?*

POrro impurum scelestumque notantes animum, Orygem pingunt, quoniam ad ortum accedente Luna, intentis in deam oculis prospiciens, vociferatur: non ei benè dicens, nec fausta acclamatione gratulationeve prosequens. Cujus rei argumentum est apertissimum, quod anterioribus cruribus terram effodiens, suas ipsius pupilles humi velut pingens defigit, quasi indignabunda, invitaque deæ ortum aspiciens. Idem quoque in exortu * dei Solis inquam efficit. Quapropter antiqui reges, cum sibi ortum nunciaret horarum observator, huic insidentes animali, per medium ipsum velut Gnomones quosdam, ortus rationem ac tempus accuratè certoque cognoscebant: unde & sacerdotes solam hanc inter volucres non signatam comedunt, quod simultatem quandam cum deâ exercere videatur. Etenim quemcunque in deserto locum aquis scatentem nactus fuerit, posteaquam biberit, labris turbat, lutumque aquæ commiscet, ac pedibus in eam pulverem conjicit: idque, ut nulli alii animanti aqua sit ad potum idonea. Adeò prava ac infesta putatur Orygis natura. Nam ne hoc quidem officium deæ præstat, quum ipsa omnia, quæ toto orbe sunt utilia, gignat, augeat, ac vegetet.

**Solis divini sydera.*

50. *Quomodo subversionem ac interitum?*

INteritum significantes, murem pingunt. Hic enim omnia corrodens inquinat, & inutilia facit. Eodem verò & signo utuntur, ut judicium designent. Multis siquidem variisque appositis panibus, mus purissimum atque optimum delectu habito rodit. Propterea & pistorum judicium ex muribus sumitur.

51. *Quomodo impudentiam?*

IMpudentiam notantes, muscam pinguet: quod hæc etsi crebrius abacta, nihilominus accedat.

52. *Quomodo cognitionem pingunt.*

COgnitionem pingentes, formicam pingunt. Si quid enim homo tuto occultarit, hæc cognoscit. Nec hoc solum nomine, sed & quod præter cætera animantia sibi in hyemen cibos congerens, non aberat à loco ubi condidit, sed absque ullo errore ad ipsum pervenit.

53. *Quo-*

53. *Quomodo filium pingunt.*

FIlium volentes significare, vulpanserem pingunt. Hoc enim animal maxime amans est liberorum. Si quando enim ipsum venator simul cum parvulis persequatur, eo usque ut capiatur, & pater & mater ultro se venatoribus dedunt, ut serventur parvuli. Quam ob causam Ægyptiis placuit * in hujus rei significationem hoc assumere animal.

*hoc animal colore]

54. *Quomodo amentem?*

PElicanum autem pingentes, amentem simul ac imprudentem significant. Cùm enim cæterarum volucrum more possit in locis editioribus ova reponere, id non facit: quin potius defossa terra, illic pullos collocat. Quod ubi deprehenderint homines, locum illum arido bovis stercore circumlinunt, cui & ignem subjiciunt. Pelicanus autem conspecto fumo, dum pennis suis ignem vult extinguere, è contrario earum agitatione accendit. Quo cum conflagrent ejus alæ, facilè ab aucupibus capitur. Quam ob causam non consentaneum existimarunt eo vesci sacerdotes, cum omninò pro liberis in discrimen se conjiciat. * Multi tamen ex Ægyptiis, eo vescuntur, ut qui eum dicant non judicio & prudentia quadam, ut vulpanseres, sed benevolentia duntaxat & mira in sobolem pietate certamen hoc suscipere.

*Reliqui.'

55. *Quomodo gratum indicant animum?*

GRatum indicantes animum, Cucupham pingunt, propterea quod solum hoc ex mutis animantibus, posteaquam ab ipsis educatum fuerit, iisdem senio confectis parem refert gratiam. Quo enim loco ab ipsis enutrita est, eodem nidum ipsis extruit, pennis eorum evulsis, cibumq; submini-strat, donec renatis plumis parentes sibi ipsi opem ferre queant. Unde & divinorum sceptrorum ucupha insigne atque ornamentum apud eos esse solet.

56. *Quomodo injustum & ingratum?*

INjustum vero atque ingratum, geminos equi fluviatilis ungues deorsum vergentes pingunt. Hic enim cum ad ætatis florem pervenerit, cum patre pugnans periculum facit, an præpolleat. Et si quidem pater cesserit, locum ei assignans, ipse cum sua ipsius matre connubium contrahit, & eum sinit vivere. Quod si non permittat pater eum matri jungi, ipsum, cum fortior sit ac robustior, interimit. Cæterum ideo geminos ejus ungues deorsum maximè inflexos pingunt, ut qui hoc vident homines, hujusq; causam intelligunt, ad beneficentiam procliviores sint.

57. *Quomodo ingratum in bene de se meritos?*

INgratum ac infestum iis à quibus beneficio affectus est significantes, columbam pingunt. Mas enim ubi robustior evaserit, ex consortio matris patrem expellit, itaque ei connubio jungitur. Purum autem hoc animal esse videtur. Siquidem aëris constitutio pestilens est, omniaque tam animata, quam inanimata, ea afficiuntur, quotquot hoc vescuntur animali, soli ab hac lue immunes servantur. Ideoque eo tempore regi in cibo sumendo nihil aliud præter columbas apponitur, idemque iis, qui quod Diis ministrent puri castique permanent. Traditur & hoc animal felle carere.

58. *Quomodo id quod fieri non potest?*

QUod fieri nequeat, pedes hominis in aqua obambulantes pingunt. Atque aliter idem significare volentes, hominem absque capite gradientem pingunt: quorum utrumque cum ex eorum numero sit, quæ fieri non possint, merito ad hoc innuendum sumta sunt.

59. *Quomodo regem pessimum?*

REgem autem pessimum significantes, anguem pingunt in orbis figuram, cujus caudam ori admovent, nomen vero regis in media revolutione scribunt, obscurè innuentes se regem pingere orbi imperitantem. Porrò angui apud Ægyptios nomen est Meisi.

60. *Quomodo regem custodem?*

ALiter quoque regem custodem significantes, anguem quidem vigilantem pingunt, sed pro regis nomine custodem adnectunt. Hic enim totius orbis custos est. Itaque regem assiduè vigilantem esse oportere.

61. *Quomodo mundi notant dominum?*

RUrsus regem orbis moderatorem existimantes, & indicantes, ipsum quidem anguem pingunt, sed in ejus medio magnam domum effingunt ac repræsentant: nec sanè absque ratione. Regia enim domus quæ ab eo regitur in mundo est.

62. *Quomodo populum regi morigerum?*

POpulum principalibus jussis obsequentem innuentes, apem pingunt. Solæ enim hæ ex omni animantium genere regem habent, quem reliqua apum multitudo sequatur, cuicp, non secus ac vulgus regi, obtemperet. Innuunt autem obscurè, tum ex mellis insigni utilitate, tum ex vi quam in aculeo habet hoc animal, utilem simul ac potentem esse ad res gerendas regem.

63. *Quomodo regem parti orbis imperantem?*

REgem autem non toti orbi, sed parti duntaxat imperantem volentes significare, anguem dimidiatum pingunt, regem quidem per ipsum animal; non toti verò orbi imperantem, ex eo quod dimidiatus sit, designantes.

64. *Quomodo latè rerum potientem?*

OMnium autem moderatorem ex ejusdem animalis perfectione significant, rursum integrum pingentes anguem. Sic & apud eos spiritus est, qui per universum orbem permeat.

65. *Quomodo fullonem.*

FUllonem indicantes, geminos hominis pedes in aqua pingunt: id quod ex Mercurii similitudine indicant.

66. *Quomodo mensem?*

MEnsem autem exprimentes, Lunæ figuram eodem, qui supra expositus est habitu, pingunt: complectentem octo & viginti dies æquinoctiales duntaxat, die ex viginti quatuor horis constituto, quibus & exoritur in nostro apparens hemisphærio: reliquis verò duobus in occasu est.

68. *Quomodo rapacem, fœcundum, aut furentem?*

CÆterum rapacem, fœcundum, aut insanum volentes innuere; Crocodilum pingunt: quod fœcundum maximè sit hoc animal, multosque liberos procreet, insuper & crebrò in furorem agatur. Ubi enim ab expedita præda exciderit, indignabundus in se ipse furit.

68. *Quomodo ortum?*

ORtum ostendentes, geminos Crocodili oculos pingunt: quoniam oculi huic animali veluti ex imo corpore emergunt.

69. *Quomodo occasum?*

AT occasum signantes, Crocodilum inflexum ac cernuum pingunt. Ad partum enim facile, & ad Venerem maximè proclive est hoc animal.

70. *Quomodo tenebras adumbrant?*

PORro tenebras significantes, Crocodili caudam pingunt. Neque enim aliter ad exitium & internecionem perducit Crocodilus quodcunque apprehenderit animal, nisi cauda prius cæsum, invalidum reddiderit. Namque in hac corporis parte præcipua est Crocodili vis acrobur. Cæterum cùm quamplurima alia in Crocodilorum natura signa comperiantur, hæc quæ in primum libr um conferre visum est, nunc satis erunt.

*Finis prioris Libri.*

HORA-

# HORAPOLLINIS NILIACI, DE SACRARUM APUD ÆGYPTIOS INSCULPTARUM LITERARUM INTERPRETATIONE,

## LIBER SECUNDUS.

SEcundo autem volumine reliquorum tibi veram idoneamque in medium afferam rationem: quæ & cum ab aliis autoribus nequaquam sint expositæ, necessariò subjungenda censui.

1. *Quid stellam pingentes, innuunt?*

DEpicta Ægyptiis stella nunc deum significat, nunc crepusculum, nunc noctem, nunc verò tempus, interdum etiam hominis masculi animam.

2. *Quid aquilæ pullum?*

ET aquilæ pullus masculum, & orbiculatum quippiam vel semen hominis connotat.

3. *Quid geminos pedes junctos ac stantes.*

GEmini pedes simul compacti ac firmati, Solis cursum cum in solstitio est hyberno, significant.

4. *Quid hominis cor faucibus appensum.*

HOMINIS cor faucibus appensum, boni viri os designat.

5. *Quomodo belli aciem, ac frontem exercitus ad prælium instructi.*

BELLI aciem indicant, hominis depictæ manus, hæc quidem scutum, illa verò arcum tenens.

6. *Quid digitum.*

HOMINIS stomachum demonstrat digitus.

7. *Quid pudendum manu compressum.*

PENIS manu cohibitus ac tectus, continentiam hominis innuit.

8. *Quomodo morbum significant.*

FLORES autem Anemones, morbum hominis significant.

9. *Quomodo lumbum hominis.*

LUmbum, aut statum constitutionemque hominis volentes notare: os spinæ dorsi pingimus. Sunt enim qui dicant, hinc semen defluere.

10. *Quomodo permanens aliquid & tutum significant?*

COturnicis os pictum, stabile ac tutum quippiam indicat, quòd difficile hujus animalis: os afficiatur ac patiatur quicquam.

11. *Quomodo concordiam?*

Duo homines, magistratus ornati insignibus, concordiam innuunt.

12. *Quomodo turbam ac tumultum.*

ARMATUS homo sagittasque jaculans, tumultum significat.

13. *Quomodo dimensionem.*

HOMINIS digitus dimensionem notat.

14. *Quomodo * desponsatam mulierem.* *pragnantem m. s.

*DEsponsatam mulierem volentes ostendere, solis circulum, simul cum stella & ipso disco solis bipartito pingunt.

15. *Quomodo ventum.*

ACcipiter ortum versus in sublime tendens, ventos ostendit. Ittem & aliter: Accipiter expansas in aëre alas quasdam habere videtur, significat.

16. *Quomodo ignem.*

FUMUS in cœlum ascendens, ignem indicat.

17. *Quomodo opus.*

Masculi (bovis) animantis cornu pictum, opus notat.

18. *Quomodo pœnam.*

*vellaborem.* AT fœminæ cornu depictum, * ultionem ostendit.

19. *Quomodo impietatem.*

Imago umbilico tenus cum gladio depicta, impietatem innuit.

20. *Quomodo horam.*

HIPPOPOTAMUS depictus horam significat.

21. *Quomodo longævum ac diuturnum.*

CERVIS quotannis cornua renascuntur. Hic depictus longissimam vitam significat.

22. *Quomodo aversionem.*

LUPUS aut canis aversus, aversionem monstrat.

23. *Quomodo futurum opus.*

AURIS picta, futurum opus significat.

24. *Quomodo percussorem aut sanguinem Crocodili?*

VESPA per aërem volans, aut Crocodili noxium sanguinem, aut cædem designat.

25. *Quomodo mortem.*

NYCTICORAX mortem significat: quemadmodum enim hic derepente pullos (cornicum) noctu, sic & mors homines nec opinato invadit atque opprimit.

26. *Quomodo amorem.*

**indaginem lothi.* LAQUEUS amorem, ut * feram quandam (ala, aërem) significat.

27. *Quomodo vetustissimum.*

*feram.* SERMONES & folia, aut signatus liber, vetustissimum indicant.

28. *Quomodo obsidionem.*

SCALA obsidionem, quòd inæqualis sit atque acclivis.

29. *Quomodo inexpertum, musam, aut fatum.*

LITERÆ septem, duobus inclusæ digitis, musam, inexpertem aut fatum significant.

30. *Quid linea significat super alteram inflexa?*

RECTA linea simul cum altera supernè inflexa, decem planas lineas indicat.

31. *Quid innuunt, hirundinem pingentes.*

OMnes parentum opes filiis relictas volentes innuere, hirundinem pingunt. Illa enim jam moriti proxima, luto seipsam volutat, & pullis latebras comparat.

32. *Quid nigram columbam.*

MUlierem viduam, quæ ad mortem usque in eo permanserit vitæ statu, volentes significare, nigram pingunt columbam. Hæc enim quamdiu vidua est, alteri viro non miscetur.

33. *Quid Ichneumonem.*

HOminem invalidum, & qui sibi per se ipse opem ferre nequeat, sed aliorum se tueatur auxilio, volentes monstrare, ichneumonem pingunt. Hic enim conspecto serpente non protinùs in eum irruit, sed vocatis priùs clamore aliis, tum demum ei resistit.

34. *Quid notant, origanum in sacris insculpentes?*

FOrmicarum absentiam ac discessum volentes significare, origanum inter sacras sculpturas pingunt. Hæc siquidem eo in loco condita, unde formicæ prodeunt, eas fugat.

35. *Quid Scorpium & Crocodilum.*

INimicum cum pari congredientem inimico, indicare volentes, scorpium & crocodilum pingunt: uterque enim alteri mutuum affert exitium. Sin verò victorem alterum, quique inimicum sustu-

lerit

lerit innuant, aut Crocodilum pingunt, aut Scorpium: si celeriter quidem sustulerit, Crocodilum: si lentè, Scorpium, ob ejus difficilem tardumque motum.

36. *Quid mustelam.*

UBi mulierem quæ viri præstat opera, volunt exprimere, mustelam pingunt: quòd hæc maris pudendum habeat velut osticulum.

37. *Quid porcum.*

VOlentes pernitiosum & pestiferum hominem monstrare, porcum pingunt: quod ejusmodi sit porci natura.

38. *Quomodo immodicam iram.*

QUod si immoderatam iracundiam, ex qua qui ea est commotus, febrim contraxerit: Leonem pingunt proprios catulos cauda flagellantem. Leonem quidem, ob iracundiam; catulos verò cauda cæsos, quod catulorum ossa, si inter se collidantur, ignem emittunt.

39. *Quomodo senem Musicum.*

SEnem musicum volentes commonstrare, Cygnum pingunt: quod hic senescens svavissimum edat concentum.

40. *Quomodo virum innuunt cum sua ipsius uxore congredientem.*

VIrum qui cum uxore sua consvetudinem veneream habeat, innuere si velint: geminas cornices pingunt: quòd hæ eodem secum invicem modo naturaliter coëant, quo homines.

41. *Quid significant cæcum scarabæum pingentes.*

HOminem qui ex solaribus radiis contracta febri perierit, notantes; cæcum pingunt Scarabæum, ut qui splendore Solis excœcatus intereat.

42. *Quid mulam.*

STerilem volentes indicare mulierem, mulam pingunt. Hæc namque eò sterilis est, quòd matricem rectam non habet.

42. *Quomodo mulierem quæ puellos fœmineos pepererit.*

MUlierem fœminas primùm infantes enixam significantes, taurum sinistrosum spectantem pingunt. Mares verò, rursus taurum dextrorsum. Is enim ex congressu discedens, si ad lævam conversus fuerit, genitam esse fœminam indicat, si ad dexteram, marem.

44. *Quomodo vespas.*

VESPAS designantes, cadaver equi pingunt. Ex eo enim multæ procreantur vespæ.

45. *Quomodo mulierem abortientem.*

ABortientem mulierem significantes, equam quæ lupum conculcet, pingunt. Non solum enim si lupum calcarit, abortum facit equa: sed & si lupi calcarit vestigium, abortit protinus.

46. *Quomodo hominem, qui sese responso ab oraculo accepto sanarit.*

HOminem, qui se ipse ex oraculo, pristinæ sanitati restituerit, volentes innuere: palumbum pingunt lauri folium tenentem. Hic enim ubi morbo laborat, lauri folium in nidum suum inferens, convalescit.

47. *Quomodo culicum copiam.*

EXcrescentem & adventantem culicum copiam exprimere cupientes, vermes pingunt. Siquidem ex his gignuntur culices.

48. *Quomodo hominem, qui cum ex se biliosus non sit, ab altero tamen bile commoveatur.*

HOminem qui suapte natura bile careat, sed eam ab altero suscipiat, notantes; columbam pingunt dorso erecto: illic enim bilem habet.

49. *Quo-*

49. *Quomodo hominem qui tuto urbem incolat.*

UT hominem significent, qui tuto urbem habitat; aquilam pingunt, quæ lapidem gestet. Hæc enim è mari vel terra sublatum lapidem in suum infert nidum, quo tutior sit ac firmior.

50. *Quomodo inferiorem debilioremque hominem, quem alius persequatur.*

DEbiliorem hominem, quem validior ac potentior infectetur, volentes designare, otidem & equum pingunt. Hæc enim equo conspecto protinus avolat.

51. *Quomodo cum qui ad proprium patronum confugiens, nullum tamen ab eo sentit.*

HOminem qui ad proprium patronum confugiat, nec ejus sublevetur auxilio, monstrare cupientes, passerem & noctuam pingunt. Hic enim dum aucupum venatione petitur, ad noctuam accurrit, à qua mox opprimitur.

52. *Quomodo hominem, qui cum viribus non valeat, temerè tamen aliquid suscipit, ac audacius gerit.*

IMbecillum hominem, lascivientem tamen, & audacius aliquid molientem, cum monstrare voluerint, vespertilionem pingunt. Hæc enim etsi * alas non habeat, volare tamen conatur.

* *pennas.*

53. *Quomodo lactantem mulierem, optimeque nutrientem.*

MUllierem lactantem ac benè nutrientem ubi pictura exprimere volebant, vespertilionem rursus pingebant. Sola enim inter omnes volucres, hæc dentes ac mammas habet.

54. *Quomodo hominem qui tripudio capiatur ac demulceatur.*

HOminem saltatione tibiarumque cantu gaudentem notantes, turturem pingunt. Hæc siquidem tibia ac saltatione capitur.

55. *Quomodo sacris initiatum hominem.*

REbus sacris cæremoniisque addictum significantes, cicadam pingunt. Hæc enim non ore, sed dorso resonans, pulcherrimum edit dulcissimumque concentum.

56. *Quomodo seorsum agentem regem, nec subditorum lapsibus veniam dantem.*

REgem qui solitudine gaudeat, quique errata non condonet, si velint significare: aquilam pingunt. Hæc enim desertis in locis nidum sibi construit, sublimiusque cæteris volatilibus volat.

57. *Quomodo diuturnam instaurationem.*

INstaurationem autem diuturnam, & quæ post multa fiat secula, volentes indicare, phœnicem avem pingunt. Hic enim dum nascitur, rerum vicissitudo fit & innovatio. Gignitur autem hunc in modum: jamjam moriturus Phœnix in terram sese summo impetu projicit, unde & vulnus accipit. Ex sangvine verò (vulneris) defluente, alius gignitur, qui simul ac pennæ ei natæ sunt, cum patre Heliopolim, quæ in Ægypto est, proficiscitur: quo cum pervenerit, pater illic, simul ac Sol ortus est, moritur: post cujus mortem pullus in propriam redit patriam. At Phœnicem hunc defunctum Ægyptii sacerdotes sepulturæ mandant.

58. *Quomodo patris amantem.*

PAtris studiosum hominem innuentes, ciconiam pingunt. Hæc enim à parentibus enutrita, nunquam ab ipsis se jungitur, sed ad extremum usque senium una permanet, pietatem ipsis observantiamque rependens.

59. *Quomodo uxorem quæ virum suum odio habeat.*

MUllierem quæ virum odio prosequens, ejus vitæ insidietur, solumque ei in coitu blandiatur, designare volentes: viperam pingunt. Hæc enim cum mare congrediens, os ori inserit, dum coitu discedens, marem morso capite interimit.

60. Qua-

60. *Quomodo liberos matribus insidiantes.*

LIberos matri insidiãtes ut demonstrent, viperam pingunt. Nam hæc non juxta cæterorum animantium naturam in lucem editur, sed exeso diruptoque matris prodit utero.

61. *Quomodo hominem, qui ab accusatore convitiis affectus, morbum inde contraxerit.*

HOminem, qui ex accusatione convitiis affectus, in ægritudinem inciderit, significare cupientes, basiliscum pingunt. Hic enim propius accedentes afflatu suo perimit.

60. *Quomodo hominem qui igne uratur.*

HOminem qui igne comburatur dum significant, Salamandram pingunt. Hæc enim utroque capite interimit.

63. *Quomodo cæcum hominem.*

COecum significantes, talpam pingunt: qui neque oculos habet, neque omnino videt.

64. *Quomodo hominem qui domi sese continet.*

HOminem qui domo non exeat significantes, formicam simulque pennas vespertilionis pingunt. Hujus enim pennis ad formicarum nidos admotis, nulla ex ipsis egreditur.

65. *Quomodo hominem qui sibi ipsi damni ac perniciei autor sit.*

EUm qui proprio & à se illato damno lædatur, volentes signare, castorem pingunt. Hic enim cum se venatione pereri videt, proprios testes evulsos in prædam objicit.

66. *Quomodo hominem, qui sibi invisо filio hæreditatem reliquerit.*

HOminem, cujus bonis invisus filius successerit, innuentes, simium pingunt, retroque parvum alterum. Is enim cum geminos pariat, ex his alterum supra modum diligit, alterum odit. Quem autem diligit, ante se assiduè gestans, suffocat. At quem odit, retro habet, ac deinceps educat.

67. *Quomodo hominem lapsus suos tegentem.*

QUum notare eum volunt, qui delicta aut errata sua occultet, simium mejentem pingunt. Hic enim mejens urinam occulit.

68. *Quomodo eum qui auditu magis valeat.*

EUm qui acutiùs audiat volentes innuere, capram pingunt, quæ & naribus, & auribus respirat atque audit.

69. *Quomodo instabilem.*

INstabilem quempiam, neque in eodem persistentem statu, sed interim robustum & audacem, interim verò imbecillum ac timidum volentes designare, hyænam pingunt. Hæc enim nonnunquam mas est, nonnunquam fœmina.

70. *Quomodo eum qui ab inferioribus victus sit.*

EUm qui inferiori & invalidiori cesserit, cùm innuere volunt, geminas pelles pingunt, hyænæ unam, alteram pardi. Hæ enim si simul jungantur, pardi quidem pellis pilos objicit, altera non item.

71. *Quomodo hominem inimico superiorem.*

EUm qui inimico superior evaserit, monstrantes hyænam ad dextram versam pingunt: rursus eandem sinistrosum, victum docentes. Hæc enim cum ab adversario invaditur, si ad dextram deflexerit, persequentem interimit: si ad sinistram, ab eodem perimitur.

72. *Quomodo eum qui intrepidè oblatas sibi pertulerit calamitates*

EUm qui ad extremum usque vitæ spiritum omnes in quas incidit calamitates æquo & constanti superarit ac passus sit animo, si velint monstrare, pellem pingunt hyænæ. Hæc enim succinctus quis, etsi per medios hostes feratur, intrepidus indemnisq; præteribit.

### 73. *Quomodo hominem ab hostibus oppressum.*

CIrcumventum oppressumque ab hostibus, & qui minimo sese à discrimine & damno exemerit, indicare volentes, lupum pingunt amissa extrema cauda. Hic enim à venatoribus indagandus, pilos extremamque caudam resecat.

### 74 *Quomodo hominem, ea timentem quæ sibi ex improviso, occultoque quadam ratione contingunt.*

EUm qui discrimina timeat sibi ex insperato occultoque objecta, dum monstrare voluerint, lupum ac lapidem pingunt. Hic enim neque sibi à ferro neque à virga, sed à lapide duntaxat timet. Nimirum si quis in eum lapidem conjecerit, derepente consternatum deprehendet: & ubicunque lapis ei vulnus inflixerit, ibi succrescere solent pullulareque vermes.

### 75. *Quomodo hominem ob iracundiam igne castigatum.*

HOminem igne castigatum, idque ob furorem, volentes monstrare, Leones & faces pingunt. Nihil enim æquè timet Leo, atque accensas faces, nullaque magis re domatur, quàm his.

### 76. *Quomodo febricitantem hominem, qui sibi ipse medeatur.*

EUm qui febri laborans se ipse curet, monstrantes, Leonem pingunt, qui simiam voret. Hic enim febre correptus, si simiam vorarit, protinus convalescit.

### 77. *Quomodo hominem prioribus damnis & calamitatibus admonitum ac emendatum.*

EUm qui ex iis in quas paulo antè inciderit calamitatibus postea modestior evaserit, si innuere velint, taurum pingunt caprifico revinctum. Hic enim si ferociat, caprifico ligatus mansuescit.

### 78. *Quomodo hominem nec dum certa stabilique temperantia præditum.*

DUbia parumque stabilis temperantiæ hominem volentes ostendere, taurum pingunt, dextro genu alligatum. Hunc enim si dextro genu vinxeris, junctarum pedis consequi deprehendes. Porrò taurus semper intemperantiæ exemplum & indicium assumitur, propterea quòd nunquam post conceptum fœminam init.

### 79. *Quomodo domesticum ovium & caprarum mactatorem.*

EUm qui mactandis ovibus & capris domum exhaurit & perdit, volentes significare, ipsi pingunt animantia conyza vescentia. Hanc enim herbam ubi pasta fuerint, siti detenta pereunt.

### 80. *Quomodo hominem edentem innuunt.*

Vescentem hominem significantes, pingunt Crocodilum ore aperto. Hic enim ——.

### 81. *Quomodo rapacem & inertem.*

RApacem simul & pigrum inertemque hominem significant, Crocodilum pingentes, qui * Ibis pennam in capite habeat. Hunc enim si Ibis penna tangas, immotum deprehendes.

* *Ibis aliam.*

### 82. *Quomodo mulierem semel enixam.*

Semel enixam mulierem significant, leænam pingentes. Hæc enim bis uterum non fert.

### 83. *Quomodo hominem primùm rudem, informemque editum.*

HOminem, qui initio quidem informis natus sit, sed postea formam acceperit innuunt depicta ursa prægnante. Hæc namque sanguinem primùm condensatum & concretum parit, hunc postea propriis fovens fœmoribus, efformat, linguaque lambens perficit.

84. *Quo-*

84. *Quomodo robustum hominem, quæque è re sua sint subolfacientem.*

EUm qui simul & viribus & ingenio valeat, ad ea dignoscenda quæ utilia sint, volentes significare, Elephantum pingunt cum sua proboscide. Hac enim odoratur, & incidentia consequitur.

85. *Quomodo regem à stultitia impudentiaq; abhorrentem.*

REgem qui omni studio stultitiam fugiat ac imprudentiam significant, Elephantum & arietem simul pingentes. Ille enim visu ariete fugit.

86. *Quomodo regem qui nugatorem aversetur.*

REgem qui nugacem vitet hominem, elephantum cum porco pingentes. Is enim voce porci audita, aufugit.

87. *Quomodo hominem qui celeriter quidem, sed inconsulto inconsiderateque moveatur.*

EUm significantes qui agilis sit & velox, sed qui tamen absque judicio ac ratione feratur, cervum depingunt. & viperam. Hac siquidem conspecta, temerè in fugam vertitur cervus.

88. *Quomodo hominem qui suæ prospiciat sepulturæ.*

UT denotent eum qui de sua solicitus est sepultura, elephantem pingunt, proprios dentes defodientem. Hos enim ubi exciderint acceptos, in terram condit.

89. *Quomodo hominem qui plenam justamque ætatem vixerit.*

EUm qui justam hominis ac legitimam vixerit ætatem, volentes monstrare, cornicem mortuam pingunt Hæc enim centum juxta Ægyptiorum morem computatis annis vivit. Constat autem Ægyptiacus annus quatuor usitatis & communibus annis.

90. *Quomodo hominem qui suum ipsius scelus ac maleficium tegat.*

DEsignantes hominem, qui scelestum suum ac malignum occultet animum, ne à suis noscatur, pardum pingunt. Hic siquidem clanculum alia persequitur animantia, nec sinit impetum ac pernicitatem innotescere, qua in illis persequendis utitur.

91. *Quomodo hominem adulatione deceptum.*

EUm qui assentatione captetur, innuentes, cervum cum tibicine pingunt. Hic enim dum svavissimum audiens canentium modulatum. ingenti velut demulcetur voluptate, sic facilè in venatorum manus incidit.

92. *Quomodo præsagium copiosæ vindemiæ.*

PRæsagium copiæ vini significantes, upupam pingunt. Quæ si ante vitium tempus cecinerit, insignem vini bonitatem simul ac copiam prænunciat.

93. *Quomodo hominem, cui uvæ usu nocuerit.*

UVæ esu offensum & sese curantem notantes, upupam pingunt. & Adiantum herbam. Hæc enim si uva comesta læsa fuerit, Adiantum ori inserens, certo decurso spacio pristinam recipit valetudinem.

94. *Quomodo hominem sibi ab hostium inimicorumve insidiis cavent em.*

SIbi ab adversariorum insidiis cavent em eum volunt significare, gruem vigilantem pingunt. Hæ enim hoc se ipsas præsidio custodiunt, tota nocte per vices excubias agentes.

95. *Quomodo obscænum puerorum amorem.*

PRædicationem designantes, geminas perdices pingunt. Quæ cum viduæ sunt, se invicem abutuntur.

96. *Quomodo senem fame enectum.*

SEnem qui fame perierit, volentes monstrare, aquilam pingunt adunco rostro. Huic enim senescenti aduncum fit rostrum, itaque inedia perit.

97. *Quomodo hominem in perpetuo motu atque animi agitatione degentem.*

EUm qui in continuo motu & animi intentione usque adeo versetur, ut ne vescens quidem quiescat, significantes, cornicis pullos pingunt. Hæc enim etiam volans pullos pascit.

98. *Quomodo hominem sublimium rerum peritum.*

SIderalis scientiæ gnarum cum significant, gruem volantem pingunt. Illa enim altè admodum volat, ut nubes è proximo conspiciat, neque tempestate agitetur, atq; ita altam agat quietem.

99. *Quomodo hominem proprios à se dimittentem liberos ob paupertatem.*

HOminem qui inopia pressus, liberos valere jusserit, notantes, accipitrem prægnantem pingunt. Is enim cum tria ova pariat unicum quod nutriat seligit, reliquis duobus fractis. Hoc autem facit, quod per id tempus ungues amittat, ideoque tres pullos simul educare non possit.

100. *Quomodo hominem movendis pedibus cunctabundum ac lentum.*

HOminem pedum motu tardum & segnem volentes monstrare, camelum pingunt. Hic enim solus ex omnibus animantibus crus inter eundem inflectit, unde & appellationem nactus est: cum Græcè κάμηλος quasi κάμης ὦν à crurum inflexione dictus videatur.

101. *Quomodo hominem, acutique ac celeris visus.*

HOminem inverecundum & visu celerem designantes, ranam pingunt. Hæc enim non alibi sanguinem habet quàm in oculis. Porrò, qui illos sanguine respersos habent, impudentes dicunt. *Iliad. d.* Unde & poëta: Ebrie, luminibus canis, effrons, pectore cervi.

102. *Quomodo hominem qui sese movere nequeat.*

HOminem qui cum diu sese movere non potuerit, postea tandem pedibus moveatur, demonstrantes, ranam pingunt, posteriores pedes habentem. Hæc enim primum sine pedibus nasci- * *prius.* tur, sed postea dum augetur, pedes * assumit posteriores.

103. *Quomodo omnibus inimicum atque invisum hominem.*

OMnibus infestum, & qui cæterorum consortium fugiat, ostendere volentes, anguillam pingunt. Hæc enim cum nullo alio pisce commercium habere deprehenditur.

104. *Quomodo hominem multos in mari servantem.*

HOminem multos in mari servantem, signare volentes, torpedinem piscem pingunt. Hæc enim ubi pisces multos viderit, qui natare non possunt, ad se trahit, ac eos servat.

105. *Quomodo hominem qui utilia simul & inutilia malè consumserit.*

HOminem qui utilia simul & inutilia malè consumserit, indicantes, polypum pingunt. Ille enim cum multa eaque intemperanter voret, cibum in cavernas reponens congerit, & cùm utilia consumserit, tum & quæ sunt inutilia abjicit.

106. *Quomodo eum qui suæ gentis hominibus imperitat.*

SUæ nationis & generis hominibus imperantem cum denotare volunt, carabum & polypum pingunt. Ille enim polypis imperat, interque eos primas tenet.

107. *Quomodo hominem junctum mulieri.*

HOminem mulieri ab ineunte ætate, adeoque primis ungviculis junctum innuentes, ostrea prægnantia pingunt. Hæc enim cùm in concha gignantur, paulò post intra eandem conchan sibi invicem junguntur.

108. *Quomodo hominem qui sui curam rationemq; non habeat.*

PAtrem aut hominem qui se ipse non curet, sed à domesticis & propinquis curetur, volentes significare, ostreum & cancrum pingunt. Hic enim carni ostrei velut agglutinatus manet: Unde & ex

& ex consecutione nominis, πτυοφύλαξ, quasi ostrei custos vocatur. Ostreum igitur planè hiat in concha esuriens. Si itaque dum hiat, piscículus aliquis irrepserit, mordet cancer ungula ostreum: quod sentiens, concham claudit, atque ita piscículum venatur.

109. *Quomodo hominem ingluvie laborantem.*

HOminem gulæ deditum designare volentes, scarum pingunt. Hic enim solus ex piscibus ruminat, & omnes occursantes pisciculos devorat.

110. *Quomodo hominem cibos vomentem.*

EUm qui ubi sumtos cibos evomuerit, avide rursum vorat, & ita ut satiari non possit, significantes, felem aquaticum pingunt. Hæc enim ore parit, & natans fœtum absorbet.

111. *Quomodo hominem qui cum alienigenis commercium habeat.*

HOminem alienigenarum commercio gaudentem innuentes, murænam piscem pingunt. Hæc enim è mari flumina ascendens, viperis miscetur, ac protinus in mare recurrit.

112. *Quomodo hominem ob cædem factam supplicio affectum.*

HOminem qui cædis admissæ pœnas dederit, quemq; pœnituerit, designare volentes, turturem laqueo implicitam pingunt. Hæc enim capta, spinam quam in cauda habet abjicit.

113. *Quomodo eum qui profusiis alienis vescatur.*

EUm qui & aliena intemperanter decoquat, & demum sua consumserit, designantes: polypum pingunt. Is enim si victu aliunde quæsito indiguerit, propia edit flagella.

114. *Quomodo eum qui rerum honestarum amore flagret.*

EUm qui toto pectore in res pulcherrimas incumbit, ac ideò sese periculis objicit, volentes innuere, sepiam pingunt. Hæc enim si viderit à quopiam sibi insidias strui, in aquam ex alvo nigerrimum effundit sanguinem: ex quo fit, ut jam conspicua non sit, atque ita evadat.

115. *Quomodo fœcundum & veneri addictum hominem.*

SEmine abundantem hominem volentes designare, passerculum pyrgiten pingunt. Hic enim & immodica ira & copia seminis ductus, septies in hora fœminam init, copiosum confertimque semen effutiens.

116. *Quomodo hominem, qui vim quandam habeat sibi alios conciliandi ac devinciendi.*

CUm hominem significant, qui alios sibi continenter devinciat & demereatur, lyram pingunt. Hæc enim continenter suum retinet concentum.

117. *Quomodo eum, qui antea mente alienatus fuerit, sed postea respuerit.*

EUm volentes ostendere, qui cum quondam mente alienatus esset, ad se demum redierit, certumque vitæ suæ ordinem ac rationem instituerit: fistulam pingunt. Hæc siquidem animum demulcet, & ea in memoriam reducit, quæ ex animi sententia & cum voluptate quis gesserit. Insuper & maximè compositum edit sonum.

118. *Quomodo eum qui jus ex æquo omnibus tribuat.*

EUm qui jus æqualiter omnibus impertiatur significare volentes, struthiocameli pennam pingunt. Hoc enim animal præter cætera pennas alarum undequaque æquales habet.

119. *Quomodo hominem ædificandi studiosum.*

ÆDificandi cupidum hominem volentes innuere, hominis manum pingunt. Hæc enim omnia absolvit opera.

*Horapollinis Niliaci sacrarum sculpturarum finis.*

# RERUM ET VERBORUM INDEX.


A.

Acipiter,
Aculeus, juſtitiæ ſymb.
Ædificandis cupidus,
Ægyptus.
Ægyptii Solis amantes,
Æquinoctia duo,
Ævum,
Ambres, liber Ægyptiorum.
Anemone,
Anguilla,
Auguis, vide ſerpens.
Anguis, dimidiatus, 12. integer,
Annus, 2. 4. Ægyptiacus,
Solis,
Anni inſtantis ſymb.
Animæ ſymb.
Animæ maſc. ſymb.
Diis hic commorantis ſymb.
Animus,
Antiquitatis ſymb.
Aqua,
Aquila fame perit.
Aquilæ pullus,
Auditus ſymb. 10. Celeritas,
Averſionis ſymb.

B.

Bai. Bajeth.
Baſiliſcus.
Belli acies,

C.

Cœlum, 5. reos fundens
Calamitates intrepidè ferens,
Camelus,
Cancer cum oſtreo,
Canis,
Capita duo,
Capra,
Carabus,
Caſtor,
Cicada,
Ciconia,
Cæcus,
Cognitionis ſymb.
Columba, 11. bilem habere negatur,
affirmatur,
Columba nigra,
3.13 Commercio alienigenarum gaudentis ſymb.
12 Conciliandi ſibi alios vi præditus,
21 Concordia, 3.13. Concubitus,
7 Confugiens ad patronum proprium, neque adjutus,
6 Conyza,
2 Continentia,
9 Cor, 3.7.8. hominis faucibus appenſum,
13 zelotypi.
20 Cornix, 3.15. vivax,
Crepuſculi ſymb.
ibid. Cribrum,
19 Crocodilus, 12. 14. 15. ejus cum trochilo ave ſocietas, 18. animal exitioſum,
2 Culicum generatio,
13 Cygnus
13 Cynocephalus,

D.

8 Debilis homo, laſciviens tamen.
7 Deus, 3. mundanus,
14 Dextrarum junctio,
9 Digitus,
20 Dimenſionis ſymb.
13 Doctrina,
7 Dorſi ſpina,
14 Drachmarum duarum ſymb.

E.

3 Elephas, arietem & porcum metuit, 19. proboſcite odoratur, ibid. dentes deciduos defodit.
2.17 Emendatio vitæ,
13 Equa, unde abortiat,
8 Equus fluviatilis,

F.

20 Faces accenſas metuit Leo,
21 Fatum,
9 Febricitans,
7 Felis aquaticus,
17 Fiber,
20 Filii ſymbolum,
17 Fiſtula,
16 Fœcundus,
16 Fœtus imperfecti ſymb.
17 Formica,
10 Formidabilis ſymb.
ibid. Fullo. 12. Fumus.
15 Furen-


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Furentis symb. 12
Futurorum cognitionis symb. 4. 14

G.

Gratus animus, 11
Gravidæ mulieris symb. 13
Grues, 19. Gustatus symb. 8

H.

Hieracia, 3
Hippopotamus, 14
Hircus, 10. Hirundo, 14
Hominis invalidi, atque opis aliorum indigi symb. 14. lapsus suos tegentis, 17. scelus occultantis symbol. 19
Homo, junctus mulieri, 21. multos in mari servans, 20
Homo bile carens, sed ab alio commotus, 15
Horæ. 14
Humilitatis symb. 3
Hyæna. 17

I.

Ibis, 4. 8. Ejus pennæ Crocodilo terrori, 18
Ichneumon. 14
Ignis, ibid.
Impietatis symb. ibid.
Impossibile, 11
Impuri symb. 10
Impudentia, 10
Infirmus, 14
Inexperti symb. ibid.
Ingrastus, injustus, 11
Insani symb. 12
Insidias cavens, 19. Instabilis. 17
Interitus symb. 10
Inundationis symb. 8
Iræ symb. 6
Iracundia immoderata, 7
Isis, 2
Judex, 49
Junco scripserunt Ægyptii, 9
Junonis symb. 4

K.

κακόφα, 10

L.

Labor, 11
Lamia, 7
Laqueus, 14
Leænæ partus, 21
Leo, 6. 5. πιθηκοφάγος, 14
Lepus, 7 πυγοφόρος (æditumus q. ædium intumus) 9
Liber signatus, 14
Liberi insidiantes matri, 17
Literarum symb. 5
Literæ Ægyptiæ 9. septem. 14
Limes, 4
Lingua, 7
Longævitatis symb. 14
Lumbi, 13
Luna corniculata, 2, 5
Lunæ orientis symb. 6
Lupus metuit lapides, 8
Lyra, 21

M.

Magistratus, 9
Manus, 7. 21. Mars, 3. Mater, 4
Mensis, 2. 12
Mercurius, 5, Minerva, 4. 5
Misericors, 4. 5
Morbi symb. 13
Mula, 15. Mundi symb. 2. 3. 4
Muræna cum serpente coit, 21
Mus, 10. Musca, 10
Musicus senex. 15
Mustela, 15

N.

Nefarium, 9
Nilus, 6. 7. 8.
Noctua, 16
Nox, 13
Nuptiarum symb. 3
Nycticorax, 14

O.

Obsidionis symb. 14
Occasus, 4. 12. Odoratus, 9
Onocephalus, 7
Operis symb. 14
Orbis terrarum 5. ejus umbilicus, 7
Origanum, 14
Originis antiquæ symb. 8
Oris symb. 10
Ortus symb 3. 4. 12. Orix, 10
Os boni viri, 13
Os spinæ dorsi, ibid.

P.

Palma arbor, 2
Palumbus, 15
Panthera, 19
Passer, 16. pyrgites, 21
Pater,

Pater,
Patris amans,
Patrimonium,
Pedes gemini conjuncti,
Pelicanus,
Perdix,
Peregrinatus nunquam,
Phœnix,
Pinna, 21. Pinnophylax,
Piscis,
Pollinctor sacrorum,
Polypus, 20. Pœnæ symb.
Populi morigeri symb.
Porcus,
Prægnatis symb. 13. Præstantia,

Q.

Quarta arvi pars,
Quinarius,

R.

Rana,
Rapax,
Rex pessimus, 11. custos,
Risus,
Ros è cœlo,

S.

Sacer scriba,
Sacris initiatus,
Salamandra,
Sanguinis symb.
Scala,
Scarabæus,
Scarus,
Scorpius,
Sermo,
Serpens,
Sidus,
Silentii symb.
Simius,
Sol,
3. 4 Sothis,
16 Stella,
14 Sternutamenti symb.
13 Struthiocamelus,
11

T.

19 Talpa.
7 Taurus, 10. 18. 17. inter sidera,
8.16 Tauri cornu,
21 Tempus,
6.9 Tenebræ,
9 Terribilis,
14 Tonitru,
12 Torpedo piscis,
15 Tumultus,
3 Turtur,

V.

2 Vaccæ cornu,
5 Vates,
Venus,
7.20 Ventus,
12 Vespæ,
12 Vespertilio,
9 Victoriæ symb.
8 Viduitatis perpetuæ symb.
Vespillo,
9 Vigilans,
16 Vipera,
17 Viri & Unigeniti symb.
3 Unitas,
14 Voluptatis symb.
3.4 Vox remota,
21 Upupa,
14.15 Ursæ partus,
7 Vulcanus,
2.10.11.12 Vulpanser,
5 Vultur.
8

Z.

17 Zelotypus,
2

FINIS.

*PRO*

# SACERDOTUM BARBIS,

*AD*

## CLARISS. CARDINALEM HIPPOLYTUM MEDICEM,

*DECLAMATIO.*

AUTORE JOANNE PIERIO VALERIANO BELLUNENSI,

prius Romæ cum Clementis VII. Pontif. Max. Privilegio emissa,

# F. MINITIUS CALVUS ANDREÆ ALCIATO JURECONSULTO SALUTEM.

*Scripsisti nuper ad me, vir Clariss. ut te de Italorum omnium studiis & lucubrationibus, quot & quantacumque essent, certiorem redderem, de divinis humanisque rebus, quæ gererentur, de publicis privatisque negotiis, etiam quæ nihil ad te attinerent, quam diligentissime perscriberem. Faciam id, quod jubes, quia nihil æque charum est mihi, quam Alciato viro undecumque doctiss. gratificari. Habebis igitur quotidie à me literas, quæ te de omnibus, quæ scire cupis, admoneant. Quod vero pertinet ad studiosorum lucubrationes, mitto nunc ad te Pierii Valeriani amici nostri pro Sacerdotum Barbis defensionem, quam spero & ingenio & erditione tua non indignam. Utinam vere & quæ in* PANDECTARUM CASTIGATIONES *ex antiquis codicibus elucubravit, de sacris quoque Ægyptiorum literis commentaria, Elegias amatorias, Hymnos aliquot, & pleraque alia mittere potuissem, ut quantum is pro studiosorum utilitate laboraverit, inspiceres, hominemque magis ac magis tibi suscipieres diligendum. Hujus vero editionis ego auctor fui, qui sciebam adhinc biennium priorem in hanc materiam ejus apparatum quemdam in manus hominum (auctore inscio) prodiisse, & in exemplaria multa jam descriptum, ubi multa essent, quæ Pierius mox supplevisset, immutasset, & castigatiora reddidisset. Quæsi quis imprimenda curarit, non parvam offensionem auctori fecerit. Ut quæ nec Clementi VII Pontifici ingrata non fuere. Tu vero leges defensionem hanc, & intra pauciss imos dies, ab eodem longe uberiora alia, quæ citò publicabuntur, expectabis. Vale.*

JOAN.

# JOAN. PIERII VALERIANI PELLUNENSIS PRO SACERDOTUM BARBIS.

*Ad Clarissimum Cardinalem Hippolytum Medicem.*

ADmonuisti nos, Antistes amplissime, ut quoniam nonnulli haud postremæ auctoritatis viri, concilii cujusdam legem, Alexandri III. ut ipsi ajunt, rescripto corroboratam, anteacta ætate per annos aliquot observatam, nostro autem tempore non temere destitutam, iterum tentant apud summum Pontificem, nulla ejus qua nunc gravissime vexatur, vexatur, valetudinis ratione habita suscitare priusquam edictum proferatur, Barbam deponere omnes, qui auspiciis tuis vivimus, incipiamus, atque ita exemplo reliquis futuri, sponte faciamus, quod omnino lege lata facere compellemur. Id quod etiam si nullæ cogant leges, tuo unius judicio & auctoritate moti, libentissime facturi sumus. Sed enim cum plerique ingenio & doctrina, addam etiam probitate, & sapientia præstantes viri, inceptum hoc haud ita probent, violariq; hinc sacerdotii gravitatem arbitrentur, quæ de Barba ipsa plurimum sibi vendicat dignitatis. Cumque alii legem illam non eo modo, quo in vulgatis exemplaribus habetur latam asseverent; Alii quamvis lata olim fuisset, longo tamen usu, tacitoque consensu clarorum hominum antiquatam prædicent; Alii si non lata modo, verū etiam si aliquandiu observata, etiamsi repetitis insuper decretis, vires ac quisivisset, quia tamen minus honesta sit, abrogandā censeant, multaque quotidie in hanc sententiam disputentur: Tuque ob excellentis ingenii tui acumen, studiumque ea omnia cognoscendi, quæ te digna sunt, hujusmodi disceptationibus plurimum delecteris; non abs re me facturum arbitratus sum, si Barbarum defensionem, pro collegii Sacerdotalis tuenda dignitate suscepissem. Ita enim tibi rem gratam me facturum intelligebam, atque ego intermissum per tot annos hoc dicendi studium eram non sine jucunditate mea repetiturus. Spero autem futurum, ut cum ea quæ dicturi sumus, percepta fuerint, eorum deprehendatur error, qui Sacerdotem nihil minus decere, quam Barbatum esse, persuasum habent. Siquidem ex hujusmodi levitatis usu, multa contra Sacerdotii decorū fieri videmus. Evanescere quippe gravitatem, virilitatem despici, severitatē illudi, & venerabilis in homine conspectus dignitatē elevari. Nam quin Barba virum & probum & honestum, imprimisque gravem atque severum deceat, qui negare velit, inveniri neminem arbitramur. De iis loquor, qui rationibus potius acquiescunt, quam opinionibus suis adhærescant. Quod si probum & honestum virum Barba decet, Sacerdotem quoque, cui totius probitatis & honestæ vitæ exemplar esse debet, ante alios addecere non temere forsan opinabimur. Nulli enim dubium est, severiorem hominis habitum, eo molli & effœminato laudabiliorem esse, in viro præsertim sacris initiato, quippe alios instituturus sit, atque etiam castigaturus, futurusque, ut Ægyptii volunt, tanquam canis latrans in hominum vitiis incessendis, quia qui muti sunt, ab Hieremia reprehenduntur. Quinetiam eadem de causa Barbatos magistros majores nostri cū primis approbavere. Neque est, ut isti dicant, se Barbam ponere humilitatis causa, ut cultum aspernentur, sintq; ultro hominibus opprobrio atque contemptui, quod in capillo tondendo forsan admittemus, sed in oris mollicie curāda nemo unus, qui bene sentiat,

*Meminit hujus scripti Pierius Hieroglyphic. l. 32. in verbo Barba.*

tiat, humilitatem interpretabitur. Mentem siquidem & faciem omnem rasitare, nimirum nequitiæ delitiarumque causa cœptum. Quique id frequentius egere, inter effœminatos dubio procul habiti, etiam si multis & magnis virtutibus aliis, domi forisque clari extiterunt. Possem ad hoc innumerabilia totiis antiquitatis exempla, tam Hebræorum, quam Græcorum recitare : Sed quoniam Romani sumus, & Romana est ecclesia, qua de nunc agitur, priusquam ad nostra hæc tempora deveniamus, non ab re fuerit antiquorum etiam mores perscrutari. Quare quid de Barba Romani olim senserint videamus. His enim utpote virilibus, tardior in tonsoribus consensus fuit, eaque de causa majores eorum à scriptoribus intonsi plurimum appellantur. Post Romam enim conditam non ante annum quadringentesimũ quinquagesimum quartum eorum usus reperitur. Adduxit hos ex Sicilia P. Ticinius Mena, si Varroni credimus : nam intonsos antea vixisse Plinius etiam attestatur, primumque omnium radi quotidie Aphricanum instituisse, quem studiose admodum Augustus Octavianus imitatus est. Sed enim Scipio nota ea, quod mollis esset, nunquam caruit, deque cultu ejus non modo Romano, sed ne militari quidem, deque hominis desidia, multa ultro citroque jactata sunt. Quinetiam in ea expeditione, qua nulla unquam Romano populo majoris momenti credita, ea ipsa inquam, ubi Carthaginis excidium pro libertate Italiæ, pro Romanorum omnium vita & nomine parabatur de soluta sub eo duce militiæ disciplina Romam usque non privatis tantum, verum etiam publicis Civitatum expostulationibus exauditæ sunt in senatu querimoniæ. Agite igitur vos quoque Siculorum instituta sequimini, Syracusanos etiam apparatus luxumque frequentissimis Antiquorum adagiis damnatum imitamini, ut non modo si ignavi eritis, verum etiam si strenui, si clari, si triumphales, vestram hinc omnem gloriam obscuretis. Sed quid super Augusto dicam? Nunquam ille profecto tam magnam effœminati animi suspicionem concitavit ex carminibus impudicissimis, à se in balneis editis, quam ex frequenti novacularum usu. Et ne multa in re tam manifesta exempla congeram, omnis denique pilorum depositio, muliebre nescio quid, omnium fere gentium & temporum consensu sapere visa est. Hinc fuere nationes aliquot, quæ Barbam in luctu ponerent mœstitiæ signum, propterea quod fœmineum esset frangi calamitatibus, neque lugere virili habitu congruum judicarent. Sane Romani Barbæ cultum tanto sunt honore prosequuti, ut Jovem ipsum nusquam nisi Barbatum figurarint. Ipsis vero Quiritibus quantum gravitatis & auctoritatis Barbæ attulerint, inde manifestum, quod cum capta à Senonibus Roma hostes ingressi essent patres pro foribus suarum quisque ædium in sella sedentes, Barba illa dignitate tantum hostibus, & quidem feris, admirationem incussere ut illi totidem se numina conspicere, quot cives Romani erant, arbitrarentur, donec unus aliquanto ferocior Senatoris unius Barbam manu demulcere aggressus, ab eo virga percussus, prohibitusque fuit : quo facto indignati Barbati, Romanos illos omnes, & ætate & habitu venerabiles ad unum trucidarunt.

Ita illi, quos Romanorum gladiorum vis non edomuerat, Barbarum jam erant reverentia mitigati. Hi vero, ne oris sui majestas læderetur, vitam Barbis pacisci maluerunt. Non negarim autem quorundam populorum, neque ignobilium quidem, institutum fuisse, ut Barbam raderent capillum à tergo tantum luxuriare permitterent, quod Lacedæmonii facitasse perhibentur, & Abantas id primos omnium excogitasse Homerus tradit, & ea de causa Pollux Euboicos opisthocomas vocatos ait, & Hectorem Timæus ea per terga ipsa coma insignem describit. Sed ea ratio Lacedæmonios ab aliorum institutis alienos fecit, quæ multa etiam alia à reliquo humano genere aliena eisdem persuasit : Cur vero Barbam abradi, capillum à tergo nutriri jusserint ? ideo factum, ut longe tutiores in bello essent, adimereturque hosti facultas in pugna mentum apprehendendi : si vero fugam meditarentur, vinculum atq; ansam quo capi possent, instare sibi à tergo reminiscerentur, atque ita præ capturæ metu, destinatione animo consisterent, adversique dimicarent. Verum institutio hæc una cum eorum imperio antiquata abolitaque, imitatores nunquam ulterius habuit. Sed ut quæ ad rem nostram pertinent prosequamur, delicatulos istos accusatores nostros, qui nos maledictis figunt, mihi dari velim, ut quoniã turpe adeo putant Sacerdotem cum Barba conspici, quid in se turpitudinis habeat Barba, mihi declarent, siquidem ego nihil in ea turpe, nihil non honestum invenio. Cæterum, ut hoc

mani-

manifestius appareat, quid Barba sit, primum videamus, atque ita forte quid in ea delitescat mali, deprehendere poterimus. Multa enim, quæ primo latent, per finitionem mox apertius innotescunt. Est autem Barba, virilium maxillarum vestimentum à natura, ornamenti & bonæ valetudinis causa, productum, inde Latini vestem eam appellavere, & impubes plerique dixerunt investes, genasq; lanugine vestire, passim apud auctores invenias. Quod autem virilis naturæ Barba indiciũ sit, magis apertũ est, quam ut ulla debeat approbatione demonstrari: meritoq; Diogenes, qui abrasos omnes insectabatur, Barbato nescio cui respondit, Barbam se ideo gestare, ut se virum esse subinde recordaretur. Et ad nostram usq; ætatem universæ totius orientis nationes abrasos viros cum inspexerint, fœminas eos in ludibrium vocant. & Alexandrum Macedonem tanti nominis Principem à militibus suis, à populis & nationibus omnibus irrisum, quod rasitaret, & fœminâ præ se ferre vellet, memoriæ proditum. Nam eum rasuræ auctorem fuisse Athenæus ex Chrysippo memorat. Manifestum enim est, in hominum genere pueros tantum, & fœminas, eunuchos, & qui mollius degunt viros sine Barba conspici: atq; ita facile potest intelligi, quibus ii, qui rasitant, assimilari possunt. Sed ne diutius in re tam perspicua moremur ad alia, quæ dicere proposuimꝰ aggrediamur. Quod ornamenti causa sit à natura producta, re ipsa constat. Nam veluti arbores natura frondibus, ita viros ad eorum dignitatẽ uberius augendam Barba ornatos voluit. Eandem autem in abrasa hominis facie deformitatem Poëtæ ponunt quæ sylvarum est cum folia deciderunt. Merito itaque Haliabas & pleriq; Philosophi admodum clari, Barbam scripsere viris à natura ornamenti dignitatisque causa contributam. Hinc videas unumquemque eorum, qui vel supremo labro tantum vel extremo mento Barbatuli sunt, quotiescunq; in speculum inspexerint, vel ad os manus admorint, & succensere naturæ, & se ita factos ingemiscere. Ut enim in unionibus, quo grãdiores sunt, eo pretiosiores æstimantur: ita Barbis ex magnitudine ipsa auctoritas comparatur.

Artemidorus ait filios tantum ornamenti patribus afferre, quantum ori Barba decoris addit: ideoque super filiis decerni à conjectoribus, quæ de Barba per quietem quis imaginatus fuerit. Operæ pretium vero est Luciani Cynicum audire, qui tam deforme esse putat, ornatum Barbæ viris auferre, quam si leoni jubas attondere quispiam aggrediatur. Sane Theseus Herculis discipulus, quo non alter ea tempestate fortior, Barbam nunquam tondere voluit, ut virtutem ipse suam ornatu eo profiteretur. Eaque de causa Exephæborum ille tonsuram, utpote gratissimum Diis donum, quod nihil ea ætas pretiosius offerre posset, fertur instituisse: Idque primitiarum fluminibus, tum Apollini dedicabatur ex temporum eorum superstitione. Sed hoc nihil ad negotiũ nostrum. Plinius Junior Euphratem Philosophum ætate ea præstantem celebrat, cui & ingens & cana Barba multum afferebat ornamenti. Tantum vero à veteribus Barbæ attributum est, ut Philsophus, qui Barbatus non esset, vix Philosophus putaretur: qui vero Barbatus esset, nisi reliquam morũ gravitate vitã comprobaret, male id audiebat, quod Barba & palliũ in conspicuo essent, Philosophus autem nusquam appareret. Ita veteres illi, gravissimi quidem viri, cum Barba & sapientiam & bonos mores esse conjunctos arbitrabantur. Quod vero conferat ad valetudinem ex eo patet, quod dum ad sui nutricationem supervacaneum humorem exugit, dentes diutius à putredine conservat, & ut firmiores gingivis insideant, efficit, quod non æque accidit iis, qui frequenter abraduntur. Nam ii vel ante tempus plerumque fiunt edentuli, vel de dolore dentium plurium laborant. Præterea æstate, ne facies Solis radiis uratur exedaturq; prohibet: hyems noxias & stricliores ventorum flatus infringit: ab Angina, ab Uva, & aliis plerisq; incommodis tutum hominem reddit. Ut hinc denique credamus à Mythologis illis Philosophis confictũ, ut sit intonsa semper Æsculapio Barba, cum Apollo ejus pater ubique pingatur impubis. Qui enim salutis auctor perhibetur, merito iis, quæ ad salutem faciunt, ornamentis insigniri debet. Hujusmodi igitur dotes cum in Barba sint, quid in ea turpitudinis, quid vitii, quid quod abhorreamus nequaquẽ video. Quod si ea quæ utilia, quę salutaria, quæ honorata, quæ alicujus æstimationis sunt, indigna sacerdote viro judicabuntur, qui illud sit, quod sacerdotalem habitum addeceat, difficulter (ut arbitror) inveniemꝰ. Sed iniquos ne vocẽ, an invidos hos Barbarũ vituperatores, qui nos inimice adeo insectantur: quibus quos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibemus, quæque pure & caste facimus,

una de Barba omnia fordescere videntur? Qui deniq; sacerdotes illos tantú approbant, qui contra gravissimorum hominum sententias venerabile virilitatis signum exuerint? Quod si qui dignitatem suam tueri velint, à sacris summovent, ac uti diris imprecationib9 devotos abominantur. Ubi enim Barba sit, nullam isti pietatem, sanctitatem nullam, nullam esse posse religionem putant.

In primis autem nos legum auxiliis oppugnant, causaque tunc omni decidisse clamitant, simul ac non obsequendum legibus dixerimus. Nimirum quanti nos leges facimus, norunt: eoq; audaciores facti sunt, quod hujusmodi armis sponte cedere consueverim9. Sed enim dicant prius, utrum naturę leges citaturi sint, an scriptas, an de sanctissimorum hominum exemplis sumptas, an divini Spiritus admonitu constitutas? quatuor enim has invenio fuisse laudabilis vitæ, suo quamque tempore, rationes, quibus hominis ævum, quantum ad divina pertinet, ab orbe condito, ad nostrum usq; tempus exigere sua cum laude & animarum salute potuerunt. Si naturæ Legem hanc esse dixerint, reclamabit res ipsa dicentcp viri prudentes atque sapientes omnes, immo & stulti & insipientes, quotquot nunc sunt, quotque ab hominum memoria fuerunt, Naturam glabellas fœminas, hirsutos mares effecisse, portentosumcp esse, si qua barbatula mulier sit, uti de Antistite, quæ Minervæ sacris præfecta erat apud Pedasenses Græcorum monumenta tradidere. Qui volet igitur Marem arte opereve aliquo imberbem reddere, is contra Naturæ leges dubio procul fecisse redarguetur. At multa sunt, inquient, quæ Natura temere fecisse videatur, quæ humana postmodú diligentia, consensusque hominum civiliter degentium emendavit. Fruges tantum ad cibum, & aquam ad potum Natura produxerat, humana mox diligentia panem, & condimenta alia, vinumque facere adinvenit. Sylvarum horrore nemorumque asperitate loca omnia Natura conseverat: sed arvorum viridariorumque amœnitates, humana postmodum ars excogitavit. Ita pleraq; alia ex hominum sapientium ingenio, arte, persuasione, experientia, in melius ordinata, ita Barbas radere institutum, ut incommodum id amoveatur. Sybaritas puto fuisse hos legumlatores, qui etiam gallos gallinaceos urbe sua exterminarunt, ne somni svavitatem importuno cantu antelucanis horis interturbarent.

Sed enim bene habet, cum jam Naturæ Lex à nobis stat, quam ita esse non inficiantur: sed ea, qua præditi sunt ingenii perversitate, contra eam nugas hujusmodi moliuntur. Hanc itaque valere sinunt, & ad legem confugiunt ex aliqua nonnullorum hominum commoditate conscriptam, in cujus tamen præsidio omnem victoriæ spem collocaverunt. Sed enim est Lex scripta triplex. Una quæ à Moyse ad assertoris usque nostri tempora producta est. Altera, quæ vel de ipsius magistri nostri exemplo desumpta est ad imitationem, vel Divorum nostrorum auctoritate constituta. Tertia Pontificum, conciliorumque sanctione decreta. Sed quoniam scriptæ Legis appellatione Mosaicam præcipue capimus, imprimis operæ pretium est videre, an in ea rasitandú esse præcipiatur. Sane si ad Hebræorum mores respexerimus, in Regum historia legas, Nuncios à Davide ad Hannonem regem missos, qui eum de patris obitu consolarentur. quos cum suspectos Rex Barbarus habuisset, altera cujusque maxilla abrosos in Principis sui ludibrium & injuriam remisit. Quare David jussit eos in Jericho tamdiu commorari, donec Barbæ crescerent, ne fœdum hoc spectaculum populo exhiberetur: quod si rasitandi mos fuisset, factum hoc non oportuit, quia statim reliquum abradere potuissent. Si vero leges eorum inspiciamus, compluribus locis, neque quis abraderetur, apud eos vetitum. Barbam enim rasitandam non esse, Levitici libri populo præcipitur universo: Sacerdotibus autè sine exceptione mandatum præcipue, ne Barbam radant. Quinetiam inter alias calamitates, quas Deus Moabitico populo Isaiæ verbis interminatur, in cunctis ejus capitibus Barba, inquit, abradetur. Usque adeo hæc effœminati menti luculentia apud ipsos summæ dabatur vituperationi. Merito itaque Barbæ Aaronis summi Pontificis mentio quædam honorifica nostris in templis ante summi Dei Divorumque immortalium aras quotidie decantatur: quin etiam de unguento, quo ejus Pontificis Barba delibuta fuerit, memoriæ proditum. Apud hos denique viri illi sanctissimi, qui Deo præcipue dedicati erant, Nazareni nuncupati, capillum & Barbam promittere, sanctimoniæ signum habuere: eoque instituto in Joannis Baptistæ præcursoris caput & faciem novaculam nunquam ascendisse legimus. Sed quoniam manifestiori argumento Barbas Deo placere comprobare possumus, quam

eo

eo ipso, quod in votis de suscipienda prole damnati Barbæ nutricationem obligabant, quam si Deo ingratam sapientissimi illi patres intellexissent, nunquam profecto oblatione hujusmodi gratiam ab eo speraſſent se consecuturos: delicti vero quod forte aliqui delicatiores abradendo admiserant comonefacti, eo voto errorem emendare, & propitium sibi Deum reddere procurabant. Passim vero apud Hebræos abradi Barbam invenias, ubi vel dolor intolerabilis, vel insignis aliqua calamitas ingruisset, quo se ornamentis omnibus expoliatos ostentarent. Dies, immo annus me integer deficeret, si tam multos hujusmodi locos & exempla toto eo tempore, scriptis cōmendata commemorare perrexero, quæ cum manifesta sint omnibus, non est, ut in re notissima, tempus diutius conteramus. Constat enim in veteri lege Barbam non modo non prohibitam, sed etiam decreto habendam imperiisque Dei ipsius nequaquam amovendam. Age igitur jam ad alteram deveniamus, quam per unde trigesimum supra mille & quingentos annos secuta est Christiana pietas, eam Gratiæ Legem Theologi nostri vocant, quam nos in Legem Exempli, & in Legem Sancti Spiritus afflatu conscriptam dividimus. Exempli autem Lex tantæ est auctoritatis, ut pro legibus omnibus sufficere debere Christus admonuerit, cum exemplum se nobis dedisse professus est. Itaque illud potentissimum observare consuevimus, ut Christum ipsum nobis ad imitandum proponamus. Eo enim argumento excandescit Ignatius divi Joannis Evangelistæ discipulus, in quorundam superstitionem, qui se ideo sanctiores fore arbitrabantur, quia carnibus abstinere perpetuo instituerant. Christus inquit ille comedit carnes, Petrus comedit carnes, & quæ sequuntur. Cur nos igitur earum esum sanctitatis ergo sustollamus? Exempla enim ille dedit nobis, ut quemadmodum quid ipse fecerit, ita & nos faceremus. Atque ita sine ulla prorsus controversia dicimus, unamquamque ipsius assertoris nostri actionem, vitæ nostræ legem & rationem esse. Quo constituto, accusatores nostros interrogarim, nunquid ullum Christi ipsius præceptum, dictumve aut exemplum habeant, quo Barbam ille viros abradere jusserit, vel judicarit, vel saltem innuerit. Nullum dubio procul hujusmodi reperitur: contra vero & Christi ipsius exemplum, qui Barbam assidue gestasse fertur, & Petri, & Pauli, & Apostolorum omnium mores, Barbarum defensionem constituere videntur. Sunt enim qui Christi faciem à majoribus acceptam ita describant, ut Barbā eum promissa flavaque fuisse asseverent, neque aliter unquam à Græcis, à Latinis, aliisq; nationibus pingi sculpique manifestum est. Petrum, cui summa uni in Christianum omne nomen auctoritas ab ipso Deo attributa est, Barbatum ab antiquis accepimus, & ita in templis delubrisque omnibus Barbatum ære, marmore, coloribusque figuramus. Paulo, qui nostræ dubio procul vitæ magister fuit, cujusq; sapientissimis institutis libenter omnes adquiescimus, pingi nihil Barbatius inspicimus. Jam & Andreas & Thomas, & Collegæ eorum omnes ingentibus Barbis insignes ostenduntur. At leve dicent argumentum est, Christi & ejus comitum facies, quales fuerint, ex picturis ariolari, cum pictoribus atque poetis quidlibet ex libidine sua confingere, semper concessum fuerit. Faciamus hoc non liquere, non negabitis tamen communem hunc mortalium omnium consensum esse, ut & Christum ipsum, & ejus comites Sacerdotii nostri Principes, non aliter quam Barbatos pingere, sculpereque instituerint: quæ omnium sententia facile ostendit Barbam aliquid habere, quod sanctitati decenter accomodetur: sentireq; idem omnes, Barbam integerrimo cuiq; viro ornamentum afferre. Ita Gentiles, Deos quisque suos eo habitu insignes ostentabant, qui mores eos, quos ipsi præcipuos judicabant, indicaret. Hinc Lacedæmonii non Martem tantum, sed & alios Deos, Deasque plerasque omnes armatos figurabant, quod nihil armis præstantius existimarent, ac perinde Deos armis decoratos esse debere opinabantur. Phœnices Mercaturæ tantum dediti, Deos omnes cum loculis nummorum plenis effingebant, quod beatissimum illum arbitrarentur, qui pecuniosior haberetur. Nos cum nihil Barba venerabilius intelligamus, ipsum Dominum Deumque nostrum, & reliquum divorum cœtum cum Barba pingere pientissimum arbitramur. Sed enim minime inficiari potuerunt, quin præcursor ille Sanctiss. tonsorem non admiserit, quin idem fecerit D. Jacobus, cui inter reliquas bene instituti animi dotes, id summa omniū consensione attribuitur laudi, quod nullo unquā vitæ tempore tonsorem admiserit. Nos infelices, id vel vitio cuipiam dabimus, vel sub execratio-

nis

nis crimine fieri prohibebimus, quod Sanctissimis viris ab ipso Dei filio, assertore nostro eruditis, omnium approbatione conceditur, atque uti exemplum continentissimæ vitæ inter virtutis opera recensetur? Jam pridem omnino vera non modo vocabula, verum etiam morum bonorum semitam amisimus. Jacobo cui perpetua quædam justitiæ observantia cognomentum dedit, laudi datur, quod nunquam attonsus, nec unctus unguento, nec usus balneo sit: Nos eos ut infames calumniabimur, qui & tonsores, & delitias alias hujusmodi abominantur? Quod si Dominus, Deusque noster Barbam, virilitatis indicium gestavit, si Petrus, si Paulus, si Apostoli reliqui Barbati esse voluerunt, contra Barbas nihil à fidei nostræ proceribus dictum monitumve reperitur, quid est, quod in lege ulla Barbarum damnationem expectemus, aut ullorum extimescamus minas, si nobiscum Deus sentit, cujus in hoc habitu filium præceptorem nostrum imitamur?

Quartum erat, ut videremus an hæc Barbarum ablegatio, tertio legum scriptarum genere Divini Quippe Spiritus Admonitu præcepta esset. Siquidem & alia sunt, quæ pietatis nostræ duces, nulla prius à Christo, discipulisve ejus, mentione facta, nullove exemplo præstito, divino tamen eo affiatu conciti constituere, quæ mihi non sunt ad commemorandum necessaria. Hoc in genere sunt conciliorum decreta, institutaque, utpote qui credere tenemur: atque ita credimus in iis, quæ pertinent ad fidem, concilia rite congregata nihil quicquam absq; aspirantis Dei veri numine constituisse, eaque & firma, & rata, & immutabilia ubique & semper esse debere: Morum vero atque rituum ratio, pro locorum, temporum, & personarum conditione plerumque variata, humanam potius naturam sapit quam divinam. His tamen armis nostri accusatores instructi, desumptum ex vulgatis quibusdam codicibus Carthaginense illud concilium nostris copiis opponunt, cujus præsidio muniti, in Barbas impetum faciunt, exultantesque stragem & extremum earum exitium minitantur. Quasi divino interveniente spiritu factum sit, ut pulcherrimum hoc naturæ opus aboleretur, quiq; olim votis de non amovenda mutilandave Barba nuncupatis, non temere sese propriû mortalibus exhibebat, Carthaginensi concilio sibimet contrarius, Barbas demum cœperit fastidire: quæ quidem quam indigna sint, quæ Deo attribuantur, vel infantissimus quisque poterit judicare. Neque tamen isti verecundantur tam abjectis & sordidis curis Deû admiscere. Sed detur in hac venia eorum imbecillitati, quod ingenium ad altiora tollere nequeant, ne tamen cæteri sub boni specie decipiantur, accurate cavendum. Idcirco, quam isti legem recitant, audiendum. Ea est hujusmodi: *Clerici neq; comam nutriant, neque Barbam.*

Ajunt enim isti constitutionem hanc à Concilio profectam Carthaginensi, ab Alexandro III. repetitam, confirmatam à plerisque aliis junioribus, à nostris minime repudiandam esse. Quasi vero nos ii simus, qui contra leges quidpiam moliamur, aut minus intelligamus, si leges dispici contemnive cœperint, brevi rerum humanarum omnium rationes evertendas, sacra prophanis miscenda, nihil sancte, nihil honeste, nihil laudabiliter factum expectari debere. Solutis legibus, solventur civitatum comercia, violabuntur gentium fœdera, nullus ordo consistet, nulla ratio, nulla justitia, nulla æquitas permanebit. Licebit unicuique ex libidine sua vitam instituere, secedere iterum in sylvas, & antra, & in viscera terræ delitescere cogemur humanum genus universum, ut à robustiorum insidiis tuti vivere valeamus. Quare nihil ego magis omnibus observandum duxerim, quid quod lege sancitû, receptum à majoribus, usu insuper accedente, firmitatem sit aliquam assecutum. Quid hic igitur faciemus? contra omnes rationes nostras Lex opposita est. Actum utique de re nostra, victi, fusi, profligatique sumus, delicatorum factiones imperant, & Siculorum nos moribus addixerunt. Romana jam veritas faceslat lasciviendum est ex nova lege, abradendum expilandumque, &, ut uno omnia verbo eoque novo dicam, effœminascendum. Hoc, hoc illud est, quod accusatores nostri unicum molliciei suæ præsidiû delegerunt. Hinc nos oppugnant, hinc nos ad unum cædunt, hinc nos una internecione meditantur abolere. Quod nisi Clerici, glabelli, luculentique fuerit, ab aris omnibus summovebuntur, ejicientur è templis, neque ullus illis inter humana commercia locus relinquetur: sed nimium cessamus. Age, age, nos nostras contra copias inducamus, tormentumq; illud principium belli torqueamus, quo præsidium eorum omne funditus evertamus. Non ita, non. Non ita, inquit, in Carthaginensi concilio decre-

decretum. Liquido enim hoc negare possumus, præterea quod aliquot ab hinc annis, castigati codicis defectu, lectio illa corrupta circumfertur, una quippe abrasa locutione, verbo scilicet, RADANT. Nam gravissimi atq; integerrimi; emunctissimæq; naris viri apud Gratianum ita legendum censent: *Clerici neque comam nutriant, neq; Barbam radant.* Nemo siquidem inficiatar verba hæc de Carthaginensi Concilio descripta. Bene autem est, quod ipsa Conciliorum monumenta nuper in lucem prodiere, in quibus Carthaginense ita dubio procul habet, prout è Bibliotheca Palatina manu scripti codices quique antiquissimi habent. Ita enim ibi notatum inspeximus: *Clericus nec comam nutriat, nec Barbam radat.*

Expalluere hostes notabiliter, acrius igitur urgeamus, cedent vestigio, ubi cornu alterum incitâro. Alexandri III. rescriptum citant ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Clerici qui comam & Barbam nutriunt, etiam inviti à suis Archidiaconis tondeantur.* Sed enim in superiore Decreto, ut unam impurissimus nescio quis tonsor dictionem abrasit, verisimile est, in hoc Alexandri rescripto, temerarium quempiam unam intrusisse. Nam iidem & docti & approbati viri legendum autumant: *Clerici, qui comam nutriunt, etiam inviti à suis Archidiaconis tondeantur.* Quam quidem castam esse lectionem inde manifestũ est, quod Interpretes partem hanc esse ajunt de Concilii Agathensis sanctionibus desumptam. In illis autem nimirum ita scriptum est: *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiaconis, etiam si noluerint tondeantur.* Nulla de Barba facta mentione, & in quarto concilio Toletano præcipitur, ut Lectores, Levitæ, & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant. De Barba autem neque per somnium quidem. Atque hæc eadem de coma tantum in Decretis Antiquorum Pontificum plerisque locis reperiuntur, una cum aliis, quæ Sacerdotum vitam circumscribunt: denique Anicetus ex Apostolorum præceptis, comam sanxit clero nutriendam non esse de Barba profecto minime taciturus, si eam quoq; inhonestam existimasset: Nimirum enim comam nutrire fœminarum est, aut marium molliter degentium & impudice: Comatosq; in nequitiæ, turpitudinisque notam, tam Græci, quam Latini semper acceperunt, ut non immerito legas virum sacris initiatũ non modo vitiis, verum etiam vitiorum suspicione carere volentes comas eos nutrire prohibeant. Contra autem, Barba viros promissa decet, eoq; præcipue signo, uti sæpius dictum, virtus mascula à fœminarum mollicie distinguitur, quod illæ comam, viri Barbam nutrire debent: Solemniq́ue ideo Concilii Carthaginensis edicto Sacerdotibus præcipitur, ne Barbam radant, ut viri sint, ut videantur, & quandam præ se ferant sui, ut ita dicam, generis majestatem. Vos tamen Rhodios imitamini, apud quos de non abradendo Lex habebatur, cum tamen vulgo omnes rasitarent, præcipue vero Byzantios Crysippus indignissime fert, non modo leges, sed pœnas etiam Barbas abradentibus inflixisse illos tamen plerosq; omnes rasitationem, quod & vos facitis adamasse. Ita apud omnes gentes boni plerumque mores perditorum hominũ importunitate contaminantur. Ne vero mirum cuipiam videatur ita vitiatos codices per tot annos in damno fuisse, ut ab eo erroris initio multa insuper decreta, constitutionesque, & incontumaces animadversiones severissimæque castigationes accesserint. Bone Deus, quam multa ea sunt, quæ omnibus in antiquorum codicibus passim mendosissime leguntur? quot immutata? quot adempta? quot inculcata? Atque utinam multa quorundam iniquitate quotidie non perverterentur.

At videte, obsecro, quæ damna plerumque depravati codices afferant. Nostris in sacris Legibus Distinctione XV. Gelasii Papæ sententia est, Venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod Heroicis descripsit versibus insigni laude proferendum. Vulgata tamen hactenus exemplaria pro HEROICIS versibus HÆRETICIS versibus habuere. Quod bonis quibusdam Legum professoribus suspicionem oggessit, Poëmata omnia esse hæretica, Poëtasque inter pios, etiamsi sacra tractent, nequaquam adnumerari: id quod Hadriano VI. Pont. Max. usq; adeo persuasum vidimus, ut hac de causa nullum hominum genus majori prosequeretur odio, quam Poëtas: id nominis nihil aliud præ se ferre arbitratus, quam impietatem. Et adhuc aliqui, non mali quidem Præsules, depravatæ illi9 lectionis hallucinatione, & alterius hujus de rasitanda Barba errore ducti, neminem sacerdotio dignum putant, qui vel Barbam nutriat, vel versus faciat, tanti est pravam semel opinionem imbibisse. Sed ut alios Auctores prætereamus, quam inclementer à posteris accepti vete-

res illi Jurisconsulti? qui posteaquam membratim à Triboniano,& carnificibus aliis dissecti sunt,neque ipsa quidem membra conservare potuerunt, quin passim contaminata in imperitorum manib9 computrescerent,vitia tamen illa pro legibus accepta, suos singula defensores habent. Volo cujusmodi sint,ex leviſſimis quibusdam breviter agnoscatis. Ulpianus de usufructu Legato,*Proinde etsi Scenicæ vestis usufr.legitur,vel annuli aurei,vel alterius apparatus,alibi quàm in scena non utetur.*

Lectionem quæ est ANNULI AUREI, Veteres noviq; interpretes plerique agnoscunt,in antiquiſſimo tamen Pisano Codice legas, *Proinde si Scenicæ vestis usufr. legitur,vel* AULEI,*vel alterius apparatus,alibi quàm in scena non utetur.* Quam castiſſimam esse lectionem nemo non fateatur. Rideant sanè nostri temporis Jurisconsulti, qui nihil hoc ad lucrum & formulas suas pertinere clamitant. Sed quid illud, quod non observare, majoris impudentiæ fuit? *Aliqui tradidère non leves Auctores, Quinquies Quaternos.*ENIXAM PENELOPEN, cum ejusdem Codicis lectio, Enixam PENELOPONESI habeat, tamen non juris tantùm prudentes, verùm & nonnulli politiorum literarum professores hinc decepti,multa in Penelopes impudicitiam scripsitarunt.Idem Ulpianus de Institutoria,*Si Libitinarius,quem Græcè vocant servum pollicitorem,habuerit.* Vetustum tamen exemplar illud, quod habetur Florentiæ,ita legendum indicat, *Si Libitinarius, quos Græcè Necrotaphon vocant,Servum pollinctorem , habuerit.*

Quid verò sibi vult illud H. pro Socio? aut agrum POLLICITATORI damus. Cum dubio procul POLITORI legendum sit? Atque ita demùm multa quotidie prodeunt in lucem, quæ nos errorũ admoneant, in quibus Majores nostri aliquandiu sunt hallucinati, vel Codicum depravatione decepti. Quare minimè mirum est,si Carthaginensis Concilii Decretum aliter nunc reperiatur,qui aliquot adhuc annis creditum. Benè habet,fundamentum habemus defensionis naturæ præclarè jactum.RecitataLex est,quam legem non esse,manifestiſſimè redarguimus. Exempli lege non summoveriBarbas indicatum.Quod probum& honestum virum Barba deceat,approbatum. Unam tamen adhuc rationem afferunt, ut qui modò tam studiosè Siculi esse contendebant, Romani nunc demũ esse videantur.Suspicantur enim horũ plerique,Barbas ideò à Romanis Pontificib9 improbatas,quod Græci Barbis plurimùm utantur.Non decet autem (inquiunt) Romanũ Sacerdotem eorum habitum aut mores imitari,qui à Romana ecclesia descivére. Itaq; Barbæ rejiciuntur,ne hæretici rebellesve simus. Ad quæ quid aliud respondebo, nisi accusatores nostros, bonos fortè viros non enim jam ampliùs invidos, non amplius rusticos, non amplios imperitos dicã, sed fortè plus quàm probos necesse sit, simpliciores esse, qui putent Barbas,qui Romanis Concilliis addicere noluerunt,à Latinis explosas ,& anathematis fulmine tactas , ubi essent , locum prophanum ac triste bidental effecisse. Miror undead illas venerint opiniones , in quibus non dicam eos desipere , aut delirare, neq; dementes esse,sed hæc quam inania sint,ex eo manifestum esse,quòd cum pleræq; aliæ accusatorum nostrorũ rationes risu exceptæ sint, nullâ majori irrisione audita,quàm hæc à Græcitè differentia. Quod si ita, ut asserunt,Græcorum hoc causa factum est, dicant obsecro, cuinam Italorum hoc bono cesserit:quid emolumenti Romanis Pontificibus obvenerit? cùm perniciosa illa discordia, tantorum fuerit malorum causa: quæ nemo queat sine horrore maximo reminisci. Verum, utinam,utinam nostri illi majores non ita rigidi contentiosique fuissent: alii in quibusdam parvi admodum momenti Ritibus æquò forsan pertinaciùs retinedis (de Ritibus inquam:) Quia quæ fidei sunt, alterius sunt indaginis) alii sanciendis novis, alii inveteratis diuque observatis moribus modò abolendis, modò immutandis. Non enim tanta Gentium & Regnorum jactura facta esset. Staret Græcia, starent Ægæi insulæ tot claræ,staret Thracia, staret Byzantii regnum, staret Asia universa, neque tanto cum nostri nominis dedecore occupata essent Hierosolyma: &, ut recentiora vulnera refricemus, non Bohemia, non Germania, Christi Vicarium, atque adeo Deum ipsum aspernarentur. Quædam enim in administratione rerum sæpius occurrunt, quæ cùm parvi momenti sint, facilè vel concedi, vel tolerari possunt: Quæ si pertinaciùs abneges, indignationem apud imperitam plebeculam afferunt. Indignatio mox excandescentiam, excandescentia diuturniorem iram. Ira truces inimicitias & funebre bellum. Hoc igitur affecuti sunt Majores nostri, cum jusserunt Latinos Sacer-

dotes

dotes Barbam in Græcorum invidiam rasitare, quo symbolo Romani à Græcis distiguerentur, ut tantum illi ac tela odium in nos, ea exulcerati dissensione, conceperint, quantum eo tempore ostenderunt, cum, mala omnino inducti mente, inter se dimicantes, Turcarum potius societates, fœdera appetierunt, quam auxiliũ à nobis poscere, aut ultro summissum admittere dignarentur. Atque ita communium hostium perfidia decepti proditiq; funditus periere: amisso regno, amissa patria, agris, templis, arisque omnibus desolatis, profanatis, eversis: nosque casu suo statim in discrimen idem attraxere. Quibus, si quod nullius erat momenti, indultum esset, adhuc longe lateque vigeret Christianum nomen, neque tunica illa Domini inconsutilis in frusta tot, uti videmus hodie, dilaceraretur. Sed quid aliarum gentium damna, culpasve commemoremus? cum domi opprobrio conspiciantur, quæ de Barbarum odio perpetuam supremo Sacerdotum ordini ignominiam peperere. Eo enim aliquando nostrorum delitiæ processerunt, ut hujus rasitationis ergo, confusa quodammodo specie difficulter vir à fœmina internosceretur. Hinc accidit, ut mulier, si vera est, quæ per omnium ora fabula circumfertur, in sempiterna sacrosancti ordinis opprobriũ ad solii Pontificii majestatẽ eveheretur, in cujus facti memoriam, Romani locum adhuc intento digito indicant, ubi summa illa Sacerdos Pontificalem inducta trabeam, enixa peperit: Quod ne rursum accidere possit, inde institutum plerique omnes credunt, in novi Pontificis ingressu eam Majorum nostrorum imprudentiam publicare. In totius enim populi conspectu, pro divi Joannis suggestu, qui latissimam & eo solemni sacro omnium nationum gentibus confertissimam aream despectat, cogitur novus Pontifex virilitatem locupletissimis testibus approbare: resq; ipsa sacri præconis voce palam promulgata in acta mox refertur, legitimumq; tunc demum Pontificem habere nos arbitramur, cum habere illum, quod habere decet, oculata fide fuerit attestatum. Ita, inquam, sunt, quæ de mollicie & effœminatis moribus eveniunt, cum nullum contra opprobrium, nullum unquã dedecus ex Barba processisse deprehendatur. Quod si Sacerdotum mores corrigendi sunt, aut modo aliquo cohibẽdi rectum est cavere, ne qui tanta sunt dignitate honestati, ut Deo vero summoq; ministri assistant, vilibus dedecorentur, aut artibus, aut officiis. Cauponariã non exerceant, nauticam non attingant, cum sica aut armis aliis non prodeant, virgatis non utantur sagulis, aut veste quapiam variegata, vel nimium brevi omnia illa deniq; summoveant, quæ vel levitatem, vel ineptias, vel impuritatem arguunt. Quarum quidem rerum curam si accusatores nostri susc epissent, næ illi ab omnibus summopere cõmendarentur. Sed dum Barbam præcipue student amovere, quæ plurimum dignitatis affert, non modo laudem non promeruerunt, verum etiam ignominiæ, morositatis, superstitionisque notam in se contraxere. Quod quidem à me non odio ullo dicitur, sed quia moleste fero ingenia, quædam, alioqui magna & elegantia, doctrina etiam & vitæ probitate (ne sua quemquam laude fraudem) excellentia ab insipientibus nescio quibus sub quadam bonitatis specie decepta, tanta contentione, pertinaciaque in tam leves, ne dicam ineptas, tamq; importunas nugas incidere: cumq; multa longe majoris momenti procuranda sint, studium, lucubrationesque suas omnes in sectandis Barbis exercere, qui nulli hominum neque Deorum injuriam faciunt. Neque enim est, ut novis quorundam Præsulum provincialium legibus sese tueri aggrediantur. Quæ si quavis etiam Mortaliũ firmitate corroboratæ essent, etiam si summi alicujus Pontificis consensus accessisset, veriore tamẽ adinventa ratione quotidie possunt abrogari, corrigi, commutari. Leges enim Decretaque & institutiones, pro re nata, quotidie summus Pontifex, & prout rerum usus expetit, suadetve temporum varietas de fratrum consilio, vel de plenitudine potestatis corrigit, tollit, condit, sancit, & quæ illis, vel uni ipsi principi placuere, ea pro lege habentur. Summi vero Legumlatoris præcepto sanctissime cautum est. UT LEX QUÆQUE NOVISSIMA PRIOREM ABOLEAT. Sed quam de gestanda Barba manifestiorem, sanctioremve legem quæritemus, quam eam ipsam, quam nobis exemplo suo hoc eodem tempore Julius Secundus, & Clemens Septimus Maximi Pontifices exhibuere? placuit enim Julio aliquandiu gestare Barbam, placet etiamnum Clementi, placet Cardinalium collegio sacrosancto, placet præsulibus aliis, placet majoribus atq; minoribus Sacerdotibus. Et nos alia concilia, quæ tamen nulla sunt, morabimur? aut leges infirmas, vel jam antiquatas renovare meditabimur? Cum

næc viva lex hodie passim vigeat,& passim obser-
vetur, & pro lata comprobataque locorum ubi-
que jam in usum deducta sit, & plausibiliter ada-
mata. Apud Venetos, apud Picentos, Brutios, Ca-
labros, Siculos: apud Campanos, Romanos, E-
truscosque,& alios plerosque Italiæ populos, ut
quæque avitas sanctioribus honestioribusq; le-
gibus & moribus instituta est, uxorem alienam fi-
liasve exosculari flagitiosissimum habetur. In pri-
ma tamen ejusdem Italiæ regione, inter Padi fon-
tem & Dorias, per omnes inde Allobrogum al-
pes & quaqua populosissimæ Gallorum urbes, &
oppida, vicique inter Pyrenem & Rhenum, ad
occidentalem usque oceanum dilatantur, usque
adeo hæc exosculandi permissa licentia, ut cum
hospitis vel amici cujuspiam domum intraveris
nisi quamprimum uxorem ejus, filias nuptas, vir-
gines q; singulas in complexum receptas exoscu-
latus fueris, aut rusticus, aut superbus, aut etiam
hostis, judicio eorum, tacitaque cogitationis sen-
tentia existimeris. Quodque demum apud nos
summo datur dedecori, apud illos humanissimis
adscribitur hospitalitatis officiis. Tanti est con-
suetudo, & longa annorum serie recepti mores:
ita plerisq; in civitatibus & regionibus quædam
non ita honesta, ex usu tamen consuetudineq; &
diuturna, firmaque populi consensione in legem
abeunt. Vos honestissimum gravitatis & severi-
tatis venerabilis morem, Pontif. summorũ exem-
plis Senatus atq; populi totius imitationn susce-
ptum tollere cogitabitis? neq; sapientissimi dictũ
in memoriam reducetis, quod nulla non die præ
manibus habetis? *Eos, qui aliter vivere volunt,*
*quam se habeant mores eorum, inter quos vivunt,*
*suspicioso aut intemperantes haberi.*

Quod si Legi uni, qualisqualis ea sit, corrupta,
quippe infirmæ atque vacillanti insistendum cu-
raveritis nonne videtis gravissimas eorũ contra
vos stare sententias, quibus Legum interpretan-
darum, condendarumq; summa auctoritas? Nam
qui sententiis suis universo terrarum orbi jura di-
cunt, quam de Sacerdotum Barbis pertulerint le-
gem, conspectu ipso longe manifestius indicant,
quam si tabulas ex ære præfixissent. Sed facite cri-
men hoc esse, facite, tametsi non liquet, Alexan-
dri III. eam fuisse mentem, quam impressi Codi-
ces invulgarunt. Facite detestabile scelus existi-
mari. Interesse sacris non liceat Barbato Sacerdo-
ti, non tueri lucem, non in hominum cœtu con-
spici, atque etiam, uti censetis, deportandus sit,
aut in perpetuis carcerum tenebris detinendus.
Age, age, incipiant oratores vestri reos agere, de
summa rei tandem experiri ad judicium tribuna-
lia nos omnes accusare, bona nostra proscriptio-
nibus destinare, & quæcumque in rebelles, & pe-
duelliones fieri solent, omnia meditentur. Verum
ubi? ubi judices erunt, apud quos causam agant?
qui crimen agnoscant? qui nos condemnent? Vo-
lo gravissimos, volo sanctissimos adeant, atq; eos
quidem, quorum sententiis atque arbitriis non
plebs tantum universa, populusq; omnis verum
& Senatus, potentissimi quique Principes stare
compelluntur. Est hoc Duodecimvirale judicium
sub Rotæ nomine in Pontificio Palatio judican-
dis litibus constitutum, cujusmodi olim, floren-
tibus Græciæ rebus, Amphictyones erant, qui de
jure universis gentibus respondebant. Ita & no-
stri omnibus totius terrarum orbis nationibus ad
eos confluentibus jura dicunt, neq; cuiquam am-
plius licet ab eorum sententiis provocare. Tanta
autem iis auctoritas Pontificum, Regumque om-
nium consensione attributa, ut etiam si leges con-
tra manifeste reluctentur, horum tamen stetur
interpretationi. Hos, inquam, Judices adire ne-
cesse est, ut de summa rei peragatur. Ecce igitur
nos minime contumaces, minime, vel fugitivos,
vel emansores, sponte adsistimus judicio. Nihil
opus est, ut sitis de vinculis injiciendis soliciti. In-
cipite jam Judices appellare. Ecce vobis univer-
sum collegium, in quod nemo unus cooptatur,
qui non & probatissimæ vitæ sit, & juris consul-
tissimus. Quid moramini? Quid alter alterum in-
spicitis? Quid hæsitatis? Quid etiam rubore con-
fundimini? An quid demum dicere debeatis am-
bigitis? Ubi nunc vestræ accusationis initium il-
lud. Novum crimen, & ante hæc secula inaudi-
tum. Nimirum vestram demum imprudentiam,
& quæ in dumeta correpseritis, jamdudum agno-
scitis, qui ne Judices quidem inventuri estis, qui
non ante contra vos sententiam ferant, quam ef-
fari incipiatis, nisi velitis iidem esse & accusatores
& Judices. Videtis enim, si contra Barbas apud
Barbatissimos vobis agendum sit, vestrum stupo-
rem ludibrio derisuique omnibus futurum. Neq;
est, ut bene sentire vos solos, tres numero aut qua-
tuor ad summum opinemini. Voluntas hæc ve-
stra est, non judicium: putantq; omnes qui prius
error in vobis fuit, nunc inspecta veritate, desti-
nati

nati animi ſuperbiam eſſe, ne ſcilicet male aliquando ſenſiſſe videamini.

Sed enim deſiſtite jam nimium ſatagere, & quæ moribus hominum convenire conſpicitis, vos etiam approbate. Aut ſi adeo molles eſtis, ut virum præſtare nequeatis, æquo ſaltem animo tolerate, inveniri aliquos, qui quod deceat, etiam præſtent. Intelligitis jam ſi lege agere volueritis, quorſum res ſit evaſura. Si de honeſto, nullam in virilis oris levitate honeſtatem eſſe. Si de moribus apud ſummos quoſque viros conſuetudinem hanc ita receptam, ut jam in legem abiiſſe videatur.

Spectate, obſecro, ampliſſimos noſtri Senatus proceres, quorum conſilio, prudentia, ſanctiſſimiſque inſtitutis, humanæ divinæque res omnes, terrarum ubique, quaqua viget Chriſtiana pietas, adminiſtrantur, qui ſacra, ceremonis, religionemque omnem ſanctiſſime tuentur, veramque Dei cultum, per manus à majoribus traditum, qua ratione rite debeat obſervari, docent. Inter quos alios videas (nota manifeſtaque omnibus commemorabo) quorum eloquentia nihil caſtigatius, quorum ſententiis nihil ſapientius, quorum mente nihil gravius & moderatius, alios legum, conſuetudinum, & rerum honeſtarum, juſtarumq; omnium cognitione inſignes, alios Philoſophicis, alios Theologicis diſciplinis conſummatiſſimos viros, inquam, cum graviſſimos, tum integerrimos, atque hos quidem Hebraicis, Græcis, Latiniſque literis eruditiſſimos, quique nihil extra numerum facere conſuerunt, in quibus agnoſcas earum rerum omnium, quæ ad Dei Opt. Max. cultum & reverentiam ſpectant, rariſſimam ſane pietatem, & incomparabilem obſervantiam. Et tamen hi Barbam geſtant, id pro exiſtimatione ſua haudquaquam admiſſuri, niſi eam & Sacerdoti congruere, & honeſto proboque viro dignitatis afferre plurimum intelligerent. Denique inter hos tantæ celebritatis viros, vix duos, aut tres invenias, qui Barbæ non ſint majeſtate (ut dignũ re vocabulum enunciem) decorari. Atque hos ſi perconteris, cur non & ipſi Barbam retineant, omnia alia cauſabuntur potius, quam dicere audeant, eam viro ſacris initiato, vel indecoram eſſe, vel ignominioſam; veritatem enim ſuiſmet præferre moribus minime dubitabunt. Quid vero clariſſimos alios viros, Archiepiſcopos, Epiſcopoſque, literatura, uſu rerum, religioneque inſignes in exemplum adducam? quos imperitos dicere temerarium eſt, improbos ſuſpicari impium, contumaces accuſare ruſticum, qui tamen omnes Barbati ſunt, neq; ſe contra leges, aut bonos mores quicquã hac de cauſa facere ſuſpicantur. Sunt & alii graviſſimi ſapientiſſimique viri, qui, divinæ adſcripti militiæ, Sacerdotium profitentur, quorum optimus quiſq; Barbatus identidem reperitur. In omnibus demum Theologorum ſcholis concionatores intuemur, qui pietatis noſtræ jura adverſus impios defendunt, qui bonos mores docent, qui à vitiis mortale genus abſterrent, qui quæ fugienda quæq; ſequenda ſunt, omnia commonſtrant, quorum quidem ingentes venerabilesque Barbas cum aſpicimus, totidem ſanctorum hominum facies videmur admirari. Et audebit quiſpiam leges potius alias, quam horum omnium exempla pro legibus citare? Cumque manifeſtum ſit hos nihil quicquam tale facturos, niſi hoc piæ religionis ſimulachrum exiſtimarent, aut viri honeſti mores imitari ſe arbitrarentur.

Faceſſant igitur accuſatores noſtri, faceſſant, idque demum crimen ſuſpicari deſinant, quod proborum, ut palam eſt, omnium ſententia, intra laudatorum morum terminos continetur. Quiq; legem nuper contra Barbas latam aſſeverabant, Legem eam primo non eſſe: inde ſi foret, Julii, Clementiſque ſummorum Pontificum exemplis, illi ſatis ſuperque abrogatam intelligant. Quod ſi quis fieri potuiſſe pertinacius abneget, omnes condendarum legum rationes identidem abnegabit: Nullam populo ſciendi copiam relictam, nullam Magiſtratibus edicendi, Senatui nullam conſulendi, nullam ipſis rerum Dominis, Pontificibus ſummis, imperandi, decernendi, ſanciendive ſupereſſe facultatem. Siquidem poſſe ſummum Pontificem negant, univerſi Senatus exempla contemnunt, Conciliorum inſtitutiones decretaque rejiciunt. His denique calumniatoribus noſtris intra oleam nihil, extra nucem duri nihil invenitur.

Quod ſi qua Principibus, ſi qua Senatui, ſi qua Conciliis auctoritas permiſſa, integra, inviolabiliſque manet, latis olim obſervatis diu, hodie vero maxime renovatis eorum legibus, Barba Sacerdotibus debetur: Quæ niſi plurimum faceret ad religionem, ad mores bonos, ad gravitatem, ad ſeveritatem, nunquam eam non abradendam eſſe Concilia decreviſſent, nunquam Sacerdotii Principes paſſi eſſent, facies ſuas ita Barbatas, tabulis,

auro, argento conspici. Barbata Julii tabula in aede populari dicata est. Barbata Clementis facies aureis argenteisque nummis quotidie cuditur. Hi vero qui nos tam male accipiunt, vexantque contumeliosissime, non intelligunt, dum Barbas damnant, Pontifici summo, universo Senatui, Præsulibus, & gravissimis quibusque viris se convitia facere antiquorum moribus, & sanctissimorum hominum institutis illudere, damnare Petrum, damnare Paulum, & collegas eorum, ab ipso assertore nostro comites electos improbare, Christo ipsi denique immodestiam objicere. Nimirum, Homine eo nihil quicquam injustius, qui nihil nisi quod facit ipse, rectum putat. Sed quorsum hic omnis accusatorum nostrorum conatus? Quorsum Barbatos à sacris, à templis, ab hominum consortio summovent, exterminantque? Quorsum tam multa turbant? nisi ut è cœlo Johannem præcursorem, è divorum numero Jacobum Apostolum, cognomento Justum, è beatorum sedibus Hieronymum ejiciant? Tot vero alios, quos vita pie, casteque & integre peracta cœlo intulit, una cum his, dicta eis postliminio die, reos agant? Siquidem hos, ut contumaces, ut rebelles, ut bonorum omnium morum corruptores, criminantur. Quid enim aliud est ex horum interpretatione Barbatum esse, nisi contumacem & impium esse? Contumax enim est, qui non vivit ex lege: impius, qui repellitur à sacris. O miserum igitur & infelicem Joannem, qui frustra Prophetarum vaticinationibus præmonstratus, omnium maximus futurus erat, qui frustra genium fraudavit, vitamque sibi delegit duram & laboriosam, si nunc tantæ sanctimoniæ vir, imprecationibus impetitus, perduellio decernitur, qui reliquorum molliciei atque improbitati sese dedere recusarit. O male feriatum Jacobum, qui vitam semper egit integram, puram, incontaminatam, continentia moderationeque summa commendabilem, si nunc ea de causa reus efficitur, quia tonsores, & balnea, & unguenta, deliciasque id genus omnes, cane pejus & angue declinarit. O calamitosum Hieronymum, cui nunc ob Barbati cognomentum, dies dicitur. Quid illi profuit Romanas omnes delicias, ut integerrimam vitam ageret, evitasse, corpus in Ægypti solitudinibus macerasse, jejuniis, vigiliis, lucubrationibus continuis, voluptatum omnium illecebras edomuisse, mortale genus ot i scriptorum genere insti-

tuisse, si nunc non aliam ob culpam, nisi quia virum exhibere voluerit, causam è vinculis dicere compelletur? Quis enim dubitet, si qui nunc Barbam nutriunt, damnati fuerint, hos quoque & alios hujus habitus auctores eadē de causa ab accusatoribus nostris in discrimen idem evocari? Hos autem, si perconteris, quamnam affectæ hujus mundiciæ causam afferant? dubio procul respondebunt, ne sacrosancto Christi sanguine intingantur pili: Clamare enim non desinunt, Sacro huic reverentiam undecumque præstandam. Sed quid obstat, obsecro, quo minus tanto illi mysterico reverentia præstetur, si homo Sacrificulus, mas potius, quam fœmina, ut Alexis dicet, videatur? Ille enim nullum inesse pilis crimen, quod Deos offendat, ait:, quorum quidem officium est, ut per eos unusquisq; nostrum se virum ostentet esse. An vero pili tam profani, tam sordidi, tam detestabiles sunt, ut sacrum id attingere non mereantur? Cæterum ungues, digiti, etiam interdum scabie putridi, vola, frons, cilia, cutis totius corporis reliqua, sacrum non inhoneste tangere potuerunt: sola Barba Deo, ut isti putant, invisa, ab hujusmodi procul sacro summovenda? Atqui non hoc iidem ipsi faciunt, qui talia tam sancte præcipiunt facienda. Quem enim horum invenias tanta sanctimonia, ne dicam simulatione, præditum, ut Sacerdotum Ægyptiorum in morem, quotidie rasitet? At nisi Barbam vel quotidie raserit, vel à cute radicitus semel extraxerit, actum est. Altero mox die sacrificaturus, pilis sacrum contaminabit, atque in eodem erit crimine cujus Barbatos insimulabant. Non ea (inquient) immundicies est diurni, vel hebdomadarii pili, quæ menstrui, quæ annui, quæ sæculi alicujus. Ac si dicerent: Nihil quicquam peccat is, qui hebdomadarium, menstruumve vitulum jejunii tempore mensis apponit, sed qui grandiorem bovem epulatur. Ita prudentissimi accusatores nostri dicunt: Qui diurno vel hebdomadario pilo Sacrum contigerit, nequaquam peccat, sed qui menstruo vel annuo profanus est. Quæ quidem sententia & futilis est, & commentitia, neque satis digna utin ea confutanda, vel minimum immoremur. Sed enim maxime vereor, ne sacrum hoc isti aliter quam accipiendum est, accipiant: utpote qui putant id posse ex accidentium contactu contaminari, polluive, aut profanari, Divina illa res est, ab omni humani corporis injuria, tuta, ac longe la-

teque

teque remota: cujus arcanum mente cogitatione-
que percipitur, non sensu tangitur, & attrectatur:
Neque illi quicquam aliud offensionem afferre
potest, quam impurus animus, qui scelere non e-
futo, assumere illud audeat: Reliquis, utpote pili,
ulcerosum, tabidumve os, etiamsi animam vene-
noso pestilentiq; halitu fœtidam exhalet, ad Deũ
nihil. Sed jam pueriles horum fabulas, vixq; ani-
cularum commentatione dignas, omittamus, &
quod grave, quod optimum præstantissimumq;
institutum est, Barbas, qui viri sumus, diligentis-
sime custodiamus, cum nihil omnino sit, quod
Barbam faciat abominabilem. Contra vero lucu-
lentia, rasilitasve (ut ita dicam) sive arte, sive na-
tura cuiquam contigerit, aut vitium aut improbi-
tatem, aut aliquid, quod non ita laudes, omnino
præ se ferat: At non decet (inquiunt) ut demum
aliquid dicant, Sacerdotem animi tristitiam, mœ-
rorem, aut luctũ habitu profiteri. En acres Chri-
stianæ pietatis vindices. En hominum, qui se alio-
rum censores exhibent, gravitatem atque severi-
tatem. Non decet (inquiunt) sacerdotem, virum
quicquam præ se ferre, quod non hilare sit, & ri-
dibundum, quod non festivum & scenicum, ne
obscœnum dicam. Sed faciamus hoc persuasum.
Fuerit Barba tristitiæ luctusque, & afflicti animi
signum: Mœrendum Sacerdotibus non esse, ne-
que ullam cordis exulcerationem Epicureorum
in morem admittendam dicitis? Osaxeum pectus!
O stuporem incomparabilem! O inauditam ani-
morum diritatem! Non est mœrendum, hoc præ-
sertim tempore Sacerdotibus, cum nemo unus
hodie sit, qui ridere possit? In omni re chara, ubi
prædita fuerit, dolere natura cogimur: neque ma-
trem quispiam, nisi mentis inops in funere nati
flere vetat. Et Aulæ Romæ Critici delicatuli, in
nostrisnet funeribus, in Italiæ totius eversione, in
Romanæ urbis excidio, fœdaque direptione, in
totius Christiani nominis multiplici vexatione,
in maximo undique imminentium periculorum
metu, in universi demum orbis confusione, nos
mœrere prohibeat? Jacet quantacumque est Ita-
lia in exstionis suæ cineribus, neq; pars ulla ma-
gis his absumpta flammis, quam omnes sacerdo-
tii ordines. Sub cineribus autem prunæ vigent ar-
dentissimæ, quæ paulo post videntur incendia
longe majora præteritis suscitaturæ: Neque for-
midinem hanc licebit, si non tanta quanta par es-
set, voce possumus, habitu saltem attestari, ut tan-
quam deposito squallore hoc & miserabili fortu-
næ nostræ facie opem ab omnibus imploremus?
At spectate, obsecro, hominum importunitatem.
Nos à tot Christiani nominis Principibus deserti,
habitique indignissime sumus, quorum consilio,
permissuq; in tam calamitosam objecti prædam,
capti ad unum, omnes, quotquot * Romæ fue-
runt, fortunis & bonis omnibus expoliati, into-
lerabilibus tributis exhausti, per summam acer-
bitatem & injuriam, miserrima quæque perpessi,
nullum adhuc tantis calamitatibus finem intue-
mur, tam amicis, quam inimicis in Sacerdotum
bona, & ædium sacrarum direptiones quotidie
magis irruentibus. Et ii nos perditissimo hoc, mi-
serrimoque tempore, in tantis Reipublicæ tene-
bris, tantaque rerum omnium perturbatione, in-
dignissimam ærumnosissimæ sortis infelicitatem
ne quo modo lamentemur, sub dirarum impre-
cationum metu vetare moliantur? Inhiat univer-
sus terrarũ orbis apertis faucibus in Italiæ visce-
ra, cujus cum jam sanguinem omnem exuerint,
quantulumcumque reliquiarum est, totum id de-
mũ absumere meditantur. Septentrionales enim
gentes pene ab Romanæ pietatis institutis, San-
ctissimisque patrum nostrorum præceptis alienæ
factæ, Sacerdotes ejecerunt, templa delubraque
omnia profanarunt, suumq; omnem violentum
furorem in unos Ecclesiæ Romanæ amicos effu-
derunt. Quaqua demum latis Germania campis
exporrigitur, vix unum aut alterum populum in-
venias, qui non sit pietatis violatæ tabe contami-
natus. Occidentales * vero inter se tam diu, tamq;
acriter discordes, immensos Christiano sanguine
lacus expleverunt, & quasi crudele nihil tot atro-
cissimis prœliis actum sit, tantum nunc peditum,
tantum equorum, tantum navium armant, ut nisi
nos respiciat Deus, tamque inveteratas indigna-
tiones emolliat, maximorumque Principum dis-
cordias componat, aut Clementem summum
Pontificem, in quo omnis hujus concordiæ spes,
tam gravi, tam diuturna, tam indigna valetudine
laborantem, pristinæ restituat incolumitati, in
tam magno calamitatum corcursu nihil unquam
miserabilius antea passa sit universa Italia. Hinc
autem Meridionales Mauri, Numidæ Barcei, pi-
raticam exercentes, oram omnem Italiæ mariti-
mam quotidianis incursionibus deprædantur, o-
mnisque ea pars, quæ Tyrrheno alluitur, latroci-
nantium classibus infestatur, diripitur, desolatur.

Orien-

* *Alludit ad Urbis Romæ cladem anno 1527.*

* *Innuit bella inter Gallos & Austriacos.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orientales* demum exercitibus tot in Europam nostra magna cum clade, immissis, Pannoniam omnem cædibus, rapinis, & incendiis vastavere: totque castellis, tot oppidis, tot populosissimis, munitissimisq; urbibus occupatis, brevi irrupturos se in Italiam minitantur, ut quam nosmetipsi viam ullis aperuimus ingressi, Christianorum militum exemplo divina humanaq; omnia uno eodemque exitio vexent, violent, perturbent, evertantque. Et censores isti ociosissimi, rerum omnium securi, quia suæ tantum desidiæ consulunt, quasi magnum collabentibus Christianæ Reipublicæ rebus auxilium allaturi, de deliciis, de luxu, & ignavia, de cute curanda depilandaque cogitabunt? Satisque nobis consultum existimabunt, si qua parte virum ostendimus, nosmet effœminaverimus? Hos ego nimirum valere jusserim, & ab honestorum consortio summotos, ablegandos aliquo, ubi posthac ignoti delitescant, & sua, quam tanti faciunt, ignavia perfruantur. Nihil nos in eos gravius decernamus, neque enim illis quietē suam invidemus, neque illos odimos, quod sibi adeo delicati sint, dummodo bene graviterq; instituti mortaliū mores labefactare non audeant neque possint. Sed quod ego plura contra rasitationis molliciem vobis disseram, si ex antiquorum institutis, sanctissimisq; præceptis ratio vobis allata est, cur Barbam omnino permittere debeamus, ut Christi scilicet & ejus discipulorum, totq; aliorum integerrimæ vitæ patrum exempla, nobis sequenda proponamus, opprobria & ignominiosos eventus, molliciei suspicionem & calumnias evitemus: Viri denique potius quam fœminæ videamur. Nam quid Barbæ demum nos pudeat, si quid Barba sit, & ut gravem honestumque virum deceat, ostensum? Si quantum ad Sacerdotis dignitatem existimationemque faciat, exploratum? Si lege naturæ necessariam, lege scripta Deo gratam, Lege gratiæ nusquam improbatam reperimus? Si redargutus est aliter sentientium error? si de polluendo Sacro ambiguitas sublata, nec eam quicquam officere arcani mysterii nostri reverētiæ comprobatum? Si summi nostræ pietatis Principes legem hanc de non abradendo aliquandiu destitutam, nobis exemplo suo sequendam proposuere? Si subsecutus est non tacitus, non obscurus, sed vulgatissimus apertissimusque totius Senatus, populorum, nationumque pene omnium consensus, qui passim in eadem perstare sententia conspiciuntur? Cur, obsecro, non rationi potius, quam abusui, non exemplis laudatorum & illustrium hominum potius, quam superstitiosorum quorundam opinionibus adhæreamus? Quod si mihi dicundæ sententiæ concedatur locus, censuerim ego Votum perpetuum nuncupandum, ne quispiam in posterum Sacris initiatus, Barbam tollat, Sanctissimorum Patrum more, qui gratissimum hoc Deo donum intelligentes, ita vovebant, cum se illi maxime conciliare procurabant. Quippe ne Deum rursus adversus nos cōcitemus, quem ob hujusmodi delitias, & quæ hinc resultant, effœminationes, ob luxum hoc genus, & molliciem, ob hujusmodi cutis curationes, ustulationes, abrasus, volsionesque indignatum, atrocissimas eas in Urbem Romam, quas adhuc perpetimur, calamitates immisisse facile credendum. Ideo jussisse bona diripi, sumptuosiores ædes vel everti vel incendi: multaque nimis lascivientium animorum oblectamenta summoveri. Verum ubi nos ad meliorem mentem rediisse conspexit, & unumquemque nostrum & virum se esse, & sacris initiatum meminisse, castigatoque luxu, deliciis contemptis, mollitie procul ablegata, Barbademum, quam passim omnes promittere cœpimus, virilis & constantis animi propositum testatos, mitigatum, dura illa & acerba incommoda in mitia atque mollia vertere cœpisse, & tandem aliquam diuturnis cladibus finem polliceri. Quod si priora illa repetere cogitaverimus, maxime vereor, ne atrocius & implacabilius ille mox indignatus, nobis ita succenseat, ut nullus amplius futurus inde sit precibus locus, adversisque à nobis luminibus, sit omnes calamitatum habenas remissurus, atque ita, quod ipse idem avertat, universus hic concitati ad crudelitatem orbis totius furor in extremum ordinis nostri exitium convertatur, ac demum funditus, tam nostrorum impietate, quam alienigenarum immanitate, truculentiaque deleamur.

*Subindicat Ænobarbi pyramidem.

JOAN.

# JOANNIS PIERII VALERIANI BELLUNENSIS *De* LITERATORUM INFELICITATE. LIBRI DUO.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# JOAN. PIERII VALERIANI

## DE

## LITERATORUM INFELICITATE,

### Liber Primus.

CUm proximis diebus famâ, de Clementis Septimi, Pontificis Maximi, obitu vanis rumoribus evagatâ, Hippolytus, & Alexander, nepotes ejus, Romam expeditissimis itineribus profecti essent ; lentiùs ego cum comitatu domestico subsecutus, postero quàm in urbem ingressus sum die, nihil antiquius duxi, quàm Gasparem Contarenum, Oratorem Venetum, invisere ; quem virum ingenio, doctrinâ clarissimum à primis adolescentiæ annis assiduè culueram. Verùm accidit, ut eo ipso die, quo domum ejus accesseram, ipse piæ rei caussa septem sacrosanctas Divûm pulvinaria supplicaturus inviserit, erant enim lustrici dies, quos unoquoque anno quadragenos purificationi consecravit nostra pietas. Vixque pulsatis foribus herum domi non esse, & eò profectum responsum acceperam, iterque simul ad Petrum Melinum, illisce ædibus haud procul habitantem, verteram, cùm amici jucundissimi Laurentius Grana Siginorum Antistes, & Angelus Colotius incomparabili probitate vir, Græcè, & Latinè doctissimus, mihi obviam facti sunt, quos cùm salutassem, &, quò tenderent, interrogassem, ad rarissimum hunc, ædes indicantes, virum vultu admodum hilari responderunt. Quibus ego, frustra inquam, hodie huc accessistis : nam ego quoque eum salutaturus huc adveneram ; verùm eum domestici pulvinaria septem invisisse ajunt ; quare nulla reliqua sit spes, ut hominis conspectu hodie fruamur. Sed quid obsecro negotii vobis apud illum est ? quamquam insulsè me hoc interrogare sentio, qui probatissimos, literatissimosque viros perconter, quid illis negotii sit apud omnifariæ Principem eruditionis. Certè, suscepit Grana, poteras ex te conjicere, quid acturi veneramus ; quippe nulla alia de caussa, nisi ut ab ejus congressu beatiores quodammodo discederemus ; quod & semper contigit, & heri, & nudius tertius maximè beari visi sumus, cùm magno nos errore liberavit, qui literatos omnes ad ærumnas, & infelicitates nasci, hoc præsertim tempore, suspicari cœperamus : eam ille opinionem sapientissimâ disputatione sustulit, &, ne nos horum studiorum usque adeò pœniteret, effecit. Hic ego, Granam nunquam neque temerè, neque fictè loqui solitum, longâ doctus consuetudine augurari cœpi, sermonem eum ex eo genere fuisse, quod Patavii trigesimo abhinc anno in Contarenorum ædibus, nunc apud ipsum Gasparem, nunc apud ejus patruelem Marcum Antonium Flavum, interdum etiam apud Andream Navagerium, sæpè solitum conseri memineram ; cujus recordatione incensus, obsecro inquam, mi Grana Pontifex, & tu Coloti, nequaquam mihi sermonis istius, quo vos à Contareno beari asseritis, explicationem invideatis, ut hinc mœrorem leniam, quem ex non invento Gaspare concepi. Hic Colotius.

Jamdudum enim, ex vultu animadvertebam, erumpere gestiebat, sed Pontificis, qui loqui cœperat, reverentiâ subticebat. Quem, inquit, sermonem quæris Pieri, nisi quantum ad nos pertinet, calamitosum, miserum, & infelicem ; quantum verò ad Contareni sapientiam spectat miseriarum omnium medelam, & allevationem. At cujusmodi tandem fuit, inquam ; quam

quam diu me ejus desiderio torquebitis? Dicemus, inquit Colotius, ut etiam pro Pontifice Grana loquar, & totius rei seriem, unde orta est, & quo pacto processit, memoriter explicabimus: cupimus enim tuum hoc explere desiderium. Sed enim, quia platea hæc Agonalis tam longæ repetitioni incommoda est, positas è regione Melinas ingrediamur ædes; atque ibi sedentes in Petri nostri cryptoporticu, rem ipsam ab ovo tibi recitabimus. Optimè, inquit Grana; quò enim libentiùs Contareni excluſi colloquio divertamus? Opportunissimè, inquam ego: nam quia Contarenum domi non offenderam, ad Melinum rectâ redibam. Hic Colotius sublatâ cum ore manu, ò Geniorum inquit, vim, atque concordiam! ò semper unanimes, quos idem afficit studium! nam rebus etiam agendis spectrum idem eodem invitat tempore, & quod antiquissimus ait Poëta: ἄγχι θεὸς τὸν ὅμοιον φέρει ἠὺν ὅμοιον. Sed ecce vobis Melinum à limine nos invitantem; in tempore omnia. Cùm igitur ingressi essemus, & Melinus scamna afferri jussisset, nosque adsedissemus;

Quorsum, inquit Melinus, vobis iter erat, aut qui vos mihi jucundissimas animas casusve, consiliúmve, in unum coëgit? ad te inquit Grana, divertimus, posteaquam Contarenum, ad quem sermonem hesternum continuaturi accesseramus, domi non inveneramus. Rectè suscepit Melinus, sermonis hesterni mentionem Pontifex fecisti. Nam hodie vestrùm aliquem ardentissimè cupiebam, quem percontarer, quique rem omnem mihi pernarraret; siquidem in hoc ipso limine consistenti mihi heri admodum vesperi Joannes Antonius Pollio ex æquo summam complexus erat, sed quia festinandum illi erat ad Pontificem Maximum, ut cænanti adsisteret, diutiùs mecum morari non potuit, mihique meo unius commodo illi esse incommodum religio fuit. Ajebat autem se interfuisse sermoni vestro, & ita me unâ tantum scintillâ incenderat, ut noctem hanc præ desiderio inquietiorem habuerim, eramque nunc puerum ad aliquem vestrum missurus, quando ipse ad vos accedere non poteram: nostis enim qua me de causa contineam domi, quique hostes clam capiti immineant meo; sed agite jam, quicquid illud fuerit, explicate. Dicam, excepit GRANA, & primus dicam, quia me nuper, ut ad te irem, per chirographum invitaras, & Colotius ex itinere festus est, ab hortis enim suis, ex pedibus etiam laborans, huc venit. Accesseramus heri ad Contarenum Colotius, & Joannes Antonius Pollio mecum; quòd quidem per hos dies, quibus Princeps gravi adeò valetudine decubuit, otiosiorem hunc nacti, frequentiùs feceramus; multaque inter alia de literis, & literatis per unamquamque ætatem percurreramus. Ad hæc quæsitum à declinatione Imperii Romani, quænam ætas literis magis florere visa fuerit: neque ulla comperta est, quæ tempori nunc elabenti anteferenda videretur. Tam clari octuagesimo abhinc anno viri extitere, qui certare cum antiquitate, alii eruditione, alii ingenio, alii eloquentiâ, comperiuntur. Cumque deventum esset ad eorum nomenclaturam, urbes aliæ vix unum, aut duos, aut tres ad summum habuisse deprendebantur, quos in hoc album referre congruum videretur; urbem autem Romam, utpote communem orbis totius patriam, ita literatorum copiâ fertilem, & abundantem intuebamur, sive ipsa suos ostentaret, sive peregrinos gremio susceptos aluisse, & inter suos fovisse gloriaretur; ut in ea ipsa demum per annos aliquot major literatorum proventus fuerit, quàm in reliqua universa Italia. Quo constituto, interrogavit POLLIO Contarenum, an eo ipso judicio esset, & qui multorum mores hominum cognovisset, urbesque, & nationes varias perlustrasset ita, necne esse comperisset. Quo ita quidem esse affirmante, quæsivit insuper ex eo, quantum Romanis delectaretur ingeniis, quem usum, aut fructum ex eorum consuetudine perciperet. Hic CONTARENUS profundissimo suspirio ducto, nullum mehercle, inquit, tempus fuit, ex quo literarum studiis delectari cæpi, ut non hoc unum maximè concupierim, occasionem aliquando mihi dari Romam invisendi, ut quæ hic florere ingenia omnium prædicatione acceperam, præsens inspicerem; & optatissimâ eorum fruerer consuetudine. Accidit autem superiore anno, ut vix ad Senatum meum retulerim de iis, quæ in Hispana legatione apud Carolum Cæsarem gesseram, cùm me partes, civesque mei, Legatum ad Pontificem summum destinarunt:

narunt: quod quidem munus, & si alieniſſimo tempore mihi demandatum intelligebam, turbantibus non totius modò Italiæ, ſed orbis univerſi rebus, & Pontifice ipſo, qui ex arce Ælia profugerat, propemodum extorre: in eam tamen erectus ſpem, ut vel ſuâ ipſe providentiâ motus, vel meo, & aliorum conſilio perſuaſus, ad ſedem ſuam, ſedatis aliquando Romæ rebus, reverteretur, atque ita Romam videndi cauſſa, & opportunitas mihi concederetur; aliquanto hilarius provinciam ſuſcepi. Pontificem itaque, cùm Romam reviſere conſtituiſſet, ſubſecuti ſumus. Sed is ſtatim graviſſimo, quo affectus eſt morbo, magnâ nos identidem ſollicitudine afſecit; quam ut quoquomodo lenire conaremur; quoniam Principe tam malè affecto nullus erat negotiis neque publicis, neque privatis locus; eò me converteram, ut veſtrorum ingeniorum cognitione, conſuetudineque me oblectarem. Sed bone Deus, cum primum cœpi Philoſophos, Oratores, Poëtas, Græcarum, Latinarumque literarum profeſſores, quos in Commentario conſcriptos habebam, perquirere, quanta, quamque crudelis tragœdia mihi oblata eſt, qui literatos viros, quos me viſurum ſperabam, tanto numero comperiebam miſerabiliter occubuiſſe, atrociſſimaque fati acerbitate ſublatos, indigniſſimiſque affectos infortuniis, alios peſte interceptos, alios in exilio, & inopia oppreſſos, hos ferro trucidatos, illos diuturnis cruciatibus abſumptos, alios, quod ærumnarum omnium atrociſſimum arbitror, ultro ſibi mortem conſciviſſe. Quæ quidem tot excellentium hominum calamitates, primo eo impetu, quanto me dolore afſecerint, vix unquam fando explicare poſſem. Quòd niſi vos ſaltem, & pauciſſimos alios comperiſſem, meæ me iſtuc profectionis, meique hujus inviſendi Romam ſtudii pœnitere jam occœperat. Hic POLLIO Contareni ſecutus argumentum; Miſerum inquit, & lamentatione dignum eſt, non inficior, tot claros literaturâ viros Romæ jam brevi temporis curriculo, &, quod infelicius eſt, miſerabili ferè omnes mortis genere defeciſſe. Sed hujuſmodi clades, quo majori numero editæ ſunt, eò ſunt deteſtabiliores. Longè igitur miſeriùs, atque flebiliùs eſt, per univerſam etiam Europam ætate noſtra bonas literas ita fatorum inclementiâ vexatas, ut nulla jam provincia ſit, civitas nulla, nullum oppidum, in quo quadrageſimo abhinc anno non aliqua inſignis calamitas in hoc hominum genus incubuerit. Ita noſtro ſæculo tempeſtas hæc in optimos quoſque effuſa eſt, atque adeò non noſtras tantùm regiones, ſed & univerſum terrarum orbem, omnifariæ doctrinæ luminibus orbavit. Videtis enim, auditiſque paſſim bonos omnes indigniſſimis ærumnarum omnium caſibus afflictos, pauciſſimoſque admodum enumerare poſſumus, qui felici uſi vel vitâ, vel ſenio, leniori mortis genere occubuerint; &, ut vera vobis fatear, quoniam hæc iniquioris fortunæ tela literatos præcipuè conficere videntur, quamvis ego horum hominum induſtriam, & virtutes unicè amem, obſervemque, eorum tamen offenſus damnis, ærumnoſiſſimum rerum omnium arbitror ſcire literas.

Ætate autem noſtrâ boni omnes perpetuâ quadam calamitate exagitati, aut vitam, aut mortem ſortiti ſunt infeliciſſimam. Nam eos tantùm ante oculos mihi propono, quorum, dum viverent, virtus nobis in conſpectu clara, celebriſque fuit; quorum ſi vitam, aut exitum memoriâ repetamus, omnes ferè vel inſuaviter vixiſſe, aut vitâ miſerabiliter deceſſiſſe comperiemus.

Et ut ab optimis incipiam, Hermolaus Barbarus Orator, Senatorque veſter optimus, Con-
*Hermolaus Barbarus.* tarene, vir, quod omnes fatentur, ætate ſuâ literatiſſimus, eo ipſo tempore, quo aliquam ſtudiis ſuis quietem ſe adſecutum arbitrabatur, dum Romæ apud Alexandrum Sextum, Pontificem Maximum, Venetæ nobilitatis nomine Oratorem agit, ſummiſque vigiliis intermortuam bonarum literarum, neque non & diſciplinarum gloriam ſuſcitat, ob ſuſceptum inconſulto Senatu ſuo Aquilegienſe ſacerdotium, exſul factus, & de poſſeſſione ejectus, vitam inopem aliquandiu traxit, Alexandri Pontificis ſummi ſportulâ quodammodo ſuſtentatus, paucis verò poſt menſibus peſtilentiâ contactus, deſertus ab omnibus, infeliciſſimo mortis genere oppreſſus eſt: quique laudatione, & eloquentiâ ſuâ innumeros ætatis ſuæ homines illuſtraverat, & ſu-

& funere, & honore sepulchri ita defraudatus est, ut ubi sepultus, quove hominis cadaver conjectum fuerit, ignoretur.

Proximis autem diebus Christophorus Marcellus, ut nostri ordinis homines percurram, singulare vestri patriciatûs ornamentũ, quo ingenio, qua doctrina, qua eloquentia, qua insuper morum integritate vir, ipse quoq; longè aliâ fortunatâ, atq; ejus pietas, & dignitas postulabat, indignissimoq; tali probitate, & eruditione exitu surreptus est nobis. Primarius enim Corcyrensium Flamen Clementi nostro, Pontifici Maximo, ob egregias has animi dotes acceptissimus, dum in dies longè amplioribus ab eo honoribus honestandus est, in proximam incidit Romanarum rerum calamitatem, ex qua ab Hispanis, qui nuper urbem Romam clam aggressi captam diripuere, in captivitatem ipse abactus, bonis & suis, & suorum omnium expoliatus, quæ immanissimorum hominum, Italici nominis odio, crudelitas fuit, multis affectus tormentis, cùm intolerabilia, quæ illi flagitabant, tributa solvendo non esset, perditisq; rebus omnibus, qua se spe, vel cujus auxilio, & ope sustentare posset, non haberet, Cajetæ animam miserabiliter exhalavit. Ajunt enim Hispanos, posteaquam se auri, quod poposcerant, spe dejectos intellexerunt, clarissimum hunc virum catenâ religatum, nudum sub Dio ad arboris cujusdam truncum exposuisse, singulisq; diebus digitos ejus singulos exungulasse, eumque ita demum inter atrocissimos eos cruciatus, fame insuper, & vigilia, & diurni nocturnique aëris inclementiâ necatum. *Christophorus Marcellus.*

Camillus Portius, ut meos quoque cives, in scenam hanc ducam, quantæ fuerit celebritatis, ignorat nemo, sive ille Romanam Cathedram magno omnium stupore, & admiratione decoraret, sive pro rostris declamaret, ut nihil ejus dictione suavius, nihil jucundius, nihil expolitius haberetur. Is tamen simulac ab Leone Decimo Pontifice Maximo Aprutinæ est Ecclesiæ præfectus, acerbissimâ diuturni cujusdam morbi, nulli medicorum cogniti, correptus inclementiâ, postquam miserabili cruciatu menses plurimos decubuit afflictatus, morbi demum ejus truculentiâ, & totius corporis doloribus oppressus, virente adhuc ætate animam egit, incredibili apud omnes sui relicto desiderio. *Camillus Portius.*

Neque Marci Musuri sortem quisquam lætam dixerit; qui licet & Patavii, & Venetiis apud nobilitatem vestram summâ omnium commendatione, & gratia complures annos Græcas literas docuisset, & doctrinæ nomine ab Leone Decimo, Pontifice Maximo, duplici flaminis honore decoratus, à Julio, ejus fontificis fratre, tunc Cardinali sacerdote, qui nunc est summus Pontifex, in amicitiam susceptus, magnâ omnium dilectione coleretur, nescio qua tamen animi mœstitia, clam exulceratus, ut qui non modò non dignitatem ullam, aut beneficii commodum in eo vitæ colore duceret, qui hominum opinione judicatur amplissimus, sed sibi summâ in libertate versari solito, summam etiam deformitatem, & miseriam arbitraretur, in occultum ex ea cura incidit morbum; cujus nulli Medicorum caussâ cognitâ, interque tacitas anxietates, miserrimasque fortunæ suæ deplorationes diutissimè vexatus, expiravit. Hæc cùm verbosiùs fortè, quàm tanti viri reverentia postulabat, ore excidissent, utque importunitati meæ veniam daret, postulassem: Immò perge, ait Contarenus, &, si qua hujusmodi exempla habes, quæ infelicia putes, omnia profer in medium. Hic ego audentior factus, Quid inquam, unquam lætabile habuit Hadrianus Cardinalis Cornetanus, emunctissimæ latinitatis auctor, beneficio Alexandri Sexti Pont. Max., cui fuerat à secretis, ad id honoris evectus, sub Julio Secundo Pont. Max. mox exul factus, & acerbissimis percussus edictis, annos aliquot in Germanicis Rhetorum alpibus obscurâ, & sordida peregrinatione delituit. Defuncto mox Julio, eique Leone suffecto, profanissimæ in talem Principem conjurationis conscius fuit, qua patefacta, veniâque ab humanissimo Pontifice impetratâ, diplomateque absolutionis accepto, suæ stimulo conscientiæ exulceratus, noctu clam fugam arripuit, neque quò abierit, neque ubi sit, quatuordecim jam annorum spatio quisquam potuit explorare. Constans tamen opinio est, eum insuto in interiorem toracem auro oneratum, comitis famuli perfidiâ oppressum, auroque surrepto cadaver in solitarium aliquem locum abjectum occultari. Huic exemplo non absimili adjiciendus est Alphonsus Petru- *Marcus Musurus.* *Hadrianus Cardinalis.*

cius, Pandulphi, qui Senas quam diu vixit, quietâ semper dominatione rexerat, filius, Græcis, Latinisque literis à Severo Monacho non leviter eruditus, à patreq; ob ingenium ad disciplinas aptum sacerdotio destinatus, ab Julio II. Senatoriâ purpurâ, Cardinaliq; pileo decoratus. Is puer admodum à Borgesio germano fratre, jam tum puero, & paternæ administrationi aspirante cultro impetitus parum abfuit, quin ad vitæ perniciem jugularetur. Nam fædam in gutture cicatricem dissimulare nunquam potuit. Ubi adolevit, & in sacro Senatu Romæ Rempublicam administrare cœpit, Leonis Decimi tempore rerum Senensium suspicione alienatus à Principe, fœdissimæ illi conjurationi, quæ in Leonis vitam facta est non solùm interfuisse, verum etiam præfuisse delatus est. Quâ detectâ cùm ipse captus, & incarcerem conjectus, convictusq; sceleris esset, in Hadrini mole, nondum octavum, & vigesimum ætatis annum excedens, fracto gutture fublatus est. Sed enim, ut in hoc fortunæ ludibrio nihil ulterius quæramus, Leo X. Pont. Max. nullo non doctrinæ genere institutus, Græcis, Latinisque literis optimè eruditus, acerrimiq; judicii vir, & seu solutam orationem scriberet, seu carmen pangeret, laudem in utroq; meritus intelicitatis insidias evasisse fortè videatur, qui vixdum ex juventa egressus ad Pontificatum summo gradu, auctoritate, & opibus florentem, evectus sit. Sed si quis etiam præteritis iis, quæ anteactâ ætate pertulerat, exilio, egestate, peregrinatione, captivitate, & innumerabilibus aliis ærumnis, ea tantum inspexerit, quæ Pontifex assiduè perpessus est, maximè vereor, ne hunc inter literatorum infeliciſſimos statuat, qui vitam omnibus fortunæ telis oppositam habuisse videatur. Is enim, ut à domesticis, & in proprio corpore sævientibus incommodis ordiamur, suppurationis quodam in sede morbo, quo ferè semper laboraverat, nullam unquam horam neque diurnam, neq; nocturnam quietem habuit, dilectiſſimarum mox sororum morte exulceratus, immaturo Juliani fratris, quem tanquam oculos suos amabat, obitu, mox & unici nepotis, Petri fratris germani filii, jam tum Umbriæ Ducis, jam Francorum Regis affinitate dignitati vulnere lethali sub obsidione cujusdam castri accepto, ad vitæ usq; desperationem adducti, paucisq; post mensibus ex diuturnâ, qua computruerat elephantia sic florida ætate absumpti, funere graviter contristatus, conjurationibus demum multorum, atque etiam intimorum, in vitæ discrimina non semel adductus. In gravissimum inde bellum adversus Gallorum Regem attractus, non solùm ærarium exhausit, verùm & patrimonium oppignoravit, suisque jam deficientibus, & ferè totas amicorum opes absumpsit: tum immaturâ præventus morte, cùm bellum jam Julii Cardinalis fratris virtute confici posse sperare cæperat, subitaneo, brevique morbo exceptus, interturbata, subversaque omnia dereliquit. Quodque longè infelicius bono Principi fuit, ab obitu cùm maledicentiſſimis omnium libellis infamatus esset, in Senatu toties de nomine, deq; actis ejus abolendis per adversæ factionis hostes actitatum. Quod nulli antea Pontifici post obitum accidisse neque legimus, neque meminimus. Adde omnium ferè literatorum amicorum querelas, qui tranquillitatem sub literato Principe sibi quisque suam proposuerat, cùm ea decepti spe, vix duobus, aut etiam altero ad summam exceptis, in miseria, calamitate omnes destituti jacuerint. Hic tacuerat Grana, quasi aliorum, siqui memoriæ succurrerent, casus meditaretur: tacebant & alii omnes, dum unusquisque magnum fortunæ ludibrium in Leone secum taciti meditabantur; tantum, talemq; Pontificem ad benè de universo humano genere promerendum, genitum, eo ipso tempore interceptum, suspirantes, quo, si paululum supervixisset, facilè omnium desideria fuerat expleturus, cùm POLLIO nactus ex omnium silentio occasionem, ita subjecit. Poterat quidem, GRANA, fors Leonis Decimi, si quis æquè rem perpendat, locupletiſſimum humanæ infelicitatis exemplum esse, sed tua hæc Pontificum tot tam summorum, quàm inferiorum, commemoratio admonuit me Jani Quinqueeccleſiensis Antistitis, quem quia vobis ignotum arbitror, qui res Pannonicas haud ita fortè curaveritis, quia tamen is vir admodum probus fuit, & literatum principatum in ea Provincia tenuit, quod mihi superiore legatione meâ, à Leone Decimo demandata, satis exploratum est, insignem quandam hominis calamitatem recitare à sermonis, quem jam inchoavimus, serie alienum non erit. Nihil enim ejus morte miserabilius, nihil ejus fortuna fuit unquam infelicius. Quippe is latinas literas acquisiturus, ab extremis usque Pannoniis in Italiam transmigravit; Guarinum Veronensem non incelebrem eo tempore

*Janus Pannonius.*

pore Grammaticum nactus, sub eo ita profecit, ut elegiarum scriptor non inlegans haberetur in patriam demum ad Matthiam Pannoniæ Regem se contulit, paucisque post diebus beneficentissimi in literatos omnes Regis voto Quinqueecclesiensi est eccclesiæ præfectus. Sed diebus multò post paucioribus vehementer quosdam expertus est invidere dignitati suæ, à quibus cùm fædè calumniatus esset, Regi, viro alioqui optimo, sed nimirum credulo, suspectus adeò esse cœpit, ut pro delato nuper honore vita hominis deposceretur. Quod periculum Janus cùm impendere sibi perspexisset, fortunamque non solum adversam, sed funditus eversam intelligeret declinaturus Regis ferociam, speransque diem veritatis parentem meliora paraturam, apud amicum collegiatæ cujusdam ecclesiæ præpositum, instituit delitescere, ibique omnibus ornamentis, atque præsidiis privatus, iisque amissis, quæ erat maximis & laboribus, & vigiliis adeptus, miserabili solitudine ita contabuit, & plenus timoribus, & miseriis, nulli deinceps neque cognitus, neque visus, gravi, diuturnâque dysenteriâ vexatus, occubuerit. Clanculumque ab hospite in arcam pice oblitam inclusus, per duos fermè annos insepultus adservatus est. Neque perpetua tamen fuit Matthiæ Regis indignatio, qui aliquo post tempore, cum furor iste deferbuisset, de Jano demum cogitare cæpit; mirificum enim huic succerat Jani desiderium, diuque de homine perconctatus, cùm inveniri nusquam reperisset, præmium etiam indici proposuit; forteque accidit, ut Rex ergo rei sacræ templum id inviseret, cui Jani hospes præfectus erat: qui ad Regis pedes accedens veniam prius deprecatus est, quòd tanti Regis exulem apud se recepisset: quâ impetratâ, si vis inquit, ô Rex, Janum tuum invenire, diætas nostras invisere ne graveris, ibi enim Janum apud me latitantem deprehendes. Nihil conctatus Rex contiguas templo hospitis hujus ædes ingreditur, qui ostenso illi ligneo conditorio pice perlito, & in arce familiaris speciem fabrefacto: —— Illic, inquit, Janus tuus jam biennium delitescit, & tui, & Regum omnium securus. Quare te obsecro, ut promissi præmii loco patiare tantum cadaver ejus, ut Præsulem decet, honorificè sepeliri. Conversum est Regis gaudium in apertissimam mœstitiam, atque misericordiam, & Ædituo non tantùm indulsit, ut Janum sepeliret, verum pro officio, & pietate, quam erga Janum exhibuerat, eum in ejusdem ecclesiæ, cui Janus præfectus fuerat, Episcopum surrogari procuravit. Eoque tunc demum tempore Janus Regis sui judicio honestatus est, quo nullo honorum sensu affici poterat, nulla rerum humanarum voluptate deliniri. Finierat Pollio, omnesque indignam infelicis Antistitis sortem miserari videbantur; erantque è nostris, qui cùm lucubrationes hujus inspexissent, & industriam, & ingenium hominis haud improbarent. Tum ergo sermonem meum continuaturus. An non, inquam, inter calamitosæ sortis homines adnumerandus etiam est Franciscus Acolthis, Petri Cardinalis patrui beneficio Anconitanus Præsul. Namque is egregiæ indolis, & elegantis literaturæ juvenis, fatorum primùm acerbitatem tunc expertus est, cùm repentino de cœlo tactus fulmine vestimentis ob os incensis, ita territus est, ut parum abfuerit, quin extingueretur; paulò post pestilentiâ illâ correptus, quæ cum Adriano Sexto advecta Romam invasit, uti ejusmodi in contagione fieri solet, à clientibus omnibus derelictus, unius Benedicti fratris germani, qui nunc sacerdos Cardinalis est, ope, & officio sustentatus, qui pietatem erga fratrem, multis abhinc sæculis rarissimam professus, dum ejus morbum suis ipsemet manibus curat, cibum ministrat, ulceribus medetur, eâdem ipse quoque mox peste contactus, nunquam absterreri potuit, quin operam illi assiduam navaret: Francisco precibus identidem deposcente, ut absisteret, vitæque ille suæ parceret, quando ipse omnem salutis spem abjecisset; sæviente autem morbo paucorum dierum intervallo peremptus, magnam, quæ de profectu ejus excitata erat, spem cum omnium mœrore fefellit. Et ut à nostro demum ordine recedamus, nunquam Antonii Marostici sine dolore meminerimus, quem vestra, Contarene, regio ad nos miserat, quem Colotius, quem docti omnes Romæ & amabant, & venerabantur: is dum apud Cardinalem Pisanum in honore habetur, & diu expectatam studiis suis quietem jamjam se somniat assecutũ, repentinâ epidemiæ contagione correptus, vix triduum tanto suffecit cruciatui. Mortuus igitur eo modo, eò afflictiore quàm cæteri conditione fuit, quòd pleraq; ejus scripta, quæ vitam illi dubiosprocul reparatura erant, unà cum reliquo instrumento

*Franciscus Acolthis.*

*Antonius Marostici.*

*Rodericus Lusitanus.*

to concremata sunt,ut moris est, ad expurgandam morbi ejus contagiem. Rodericus verò Lusitanus summæ juvenis eruditionis, Mathematicarum scientissimus, quas non ut multi barbarè, sed vel Græcè vel Latinè,idque castigatissimè profitebatur,miræ prorsus in docendo dexteritatis & diligentiæ,Ægydium Cardinalem in Hispaniis nactus, qui magnis de rebus ad Carolum Imperatorem pro Christiana pietate missus fuerat rarissimam hominis eruditionem, & sapientiam admiratus, eum in Italiam secutus, cùm Romæ doctrinam suam propalasset, eruditorum omnium concursu frequentari cœpit, mox rebus tunc florentibus Romanâ cathedrâ honestatus in ea incidit tempora, quæ omnium calamitosissima semper appellabuntur, à latronibus enim Romæ vastatoribus malè habitus in ipso juventutis flore pestilentia, quæ statim in cladem illam incubuit, fertur absumptus. Ingemuit Colotius ad amici tam docti recordationem, & Pollio suspirio visus est eum desiderare, addiditque Contarenus se, & apud Venetos suos, & in Hispaniis celeberrimum hujus juvenis nomen audivisse.

*Hieronymus Carbo.*

Mox ego. Hieronymi autem Carbonis viri ex nobilitate Neapolitana summi gloria longè clarior est, quàm nostro possit crescere testimonio. Hic inter eruditissimos à Pontano celebratus, ab Actio summè commendatus,doctissimis ingenii sui monumentis eruditorum de se omnium expectationem exæquarat. Neq; tamen is, qui totum vitæ tempus bonis artibus impenderat,eamdem hanc inclementiam fati potuit evitare. Siquidem gravissimo eo, & pestilentissimo anno, quo Roma toties direptionibus objectata est, in Neapolitano ille otio quietus, pestilentia oppressus infeliciter occubuit.

Hunc sequutus idem Petri Gravinæ exitus,cujus tam morum, quàm scriptorum elegantia nimirum exigere videbatur, ut qui per innocentiam, & laudabilem studiorum industriam vitam omnem exegerat, æquiore frueretur fato. Hic tamen ea correptus pestilentia, quam Hispani Romæ prædatores Neapolim intulere à carissimo quoque destitutus in eâ miseriâ defecit. Addam his Josiphonta Samuelis,quo Julius Secundus Pont.Max. assiduè usus est Medico,filium,qui Philosophiæ, & Mathematicis impensissimam operam navaverat, literis Hebraicis sub ipso patre mirificè profecerat, neq; patriâ eâ contentus eruditione,Græcas etiam affectaverat,Latinas autem ita didicerat, ut & vorsæ, & prorsæ orationis candore, & elegantiâ, æquales omnes Romæ provocaret,æquumq; cum universa juventute pedem ferret.Moribus ad hæc integerrimis præditus erat,ut nihil in juvene præter Christianæ pietatis cognitionem desiderares. Is autem iniquissimis, atque acerbissimis incommodis,multisque jacturis,& bonorum suorum direptionibus,afflictus. Nam statim post patris obitum fortunas suas eò dissipari sensit, quo paternus servus arcâ ejus nummariâ perfractâ multis nummorum aureorum millibus surreptis, Byzantium usque profugit. Eum subsecutus Josiphon non modo exclusus est à portu, profugioq; omni, sed etiam injuriæ vulnere confossus, quòd à mendacissimo eodem furari servo pro Pontificis Romani exploratore delatus, ægrè vitam à Turcarum crudelitate defendit. Re demum infectâ, fortunâque modis omnibus eâ peregrinatione miserabiliter afflictâ, Romam se receperat, cùm ecce haud multos post annos calamitosissima Romæ tempora accidere. Ita ille sceleratissimo latrocinio expoliatus,captus,excruciatus,quæ temporis illius fuere miserrima quæque perpessus est, cumque à latronibus quatuor die noctuq; custodiretur,qui magnam ab eo pecuniarum vim efflagitabant, intempestâ nocte custodiis somno vinoq; sepultis, unam interiorem lini indutus tunicam, nudis pedibus incedens fefellerat, & Tybur versus arrepto itinere in Varronis vicum aufugerat. Ibi sæviente pestilentiâ cùm statim contactus esset, oppido ejicitur, & in agrum relegatus, ubi tuguriolo augustissimo contectus, cùm neminem haberet, qui vel aquæ haustum subministraret, miserrima fame, sitique potiùs, quàm morbi truculentiâ superatus interiit. Commemorare autem vobis plerosque alios possem,qui adeò hac tetra labe contabuerunt,sed mihi succurrunt alii vel ferro, vel violentiori aliquo mortis genere exanimari, quorum sortem nemo non miserabilem arbitretur.

*Josiphon Samuelis.*

*Hercules Stroza.*

Hercules enim Stroza tam generis,quàm ingenii nobilitate clarus, Pœta nostro tempore non incelebris, quàm luctuoso nobis ereptus funere? dum enim ab amici cœna noctu se domum recipiebat

piebat, Ferrariæ, urbe patria, in latronum incidit globum, contra quorum impetum crudelissimum salutem suam defendere non potuit, statimque multis acceptis vulneribus, virenti adhuc ætate vitam indignantem multo cum sanguine fudit. Neque unquam, qui vim attulisset, inventus est, nisi quòd potentiorum inimicitias susceptisse ferebatur. At Joannes Regius Venetus sub *Joannes Regius.* Alexandro Sexto Palatinus Bibliothecarius, vir dubio procul & Græcè, & Latinè doctissimus, dum studiis bonarum artium operam navat indesinentem, suasque res tantum agit, iniquissimo Alexandri Sexti tempore in arcano proscriptorum albo positus, dum bona ejus appetuntur Viterbii, quò se valetudinis causa receperat, veneno sublatus est. Scripta ejus in Plutarchum plurima ab iis, qui alienæ invidebant gloriæ, suppressa partim evanuere, partim furibus peperere. Codrus autem *Codrus Urceus.* Urceus Ravenas, multæ variæque doctrinæ vir, eruditissimis plerisque scriptis, quæ nunc edita sunt, omnibus innotuit. Is quoque sanguinaria peremptus est morte, ab adversæ factionis latronibus fædissimè trucidatus.

Noster autem Mutius Aurelius Mantuanus, magno, & eleganti juvenis ingenio, linguâ prius *Mutius Aurelius.* nostri temporis Italicâ scribendo exercuit, mox Latinam affectans jam adultus, brevi admodum temporis curriculo magnum Poëtam professus est; quam juvenis promptitudinem admiratus Leo Decimus Pont. Max., ne tali deesset ingenio, arci eum Mondulphiæ præfecit, quem locum Aurelius studiis suis necessaria ubertim suppeditarum arbitrabatur. Prioribus itaque dimissis jocis, lusibusque, quibus in adolescentia sese oblectaverat, majus jam conceperat argumentum, & Porsenam Heroico celebrare occœperat. Vix pauculos nescio quot menses in eo vixerat otio, cùm per multos dies à domesticis desideratus, in puteo demum quodam aquæ profundissimæ & ipse, & ejus mula reperti sunt exanimati. Eandem fatorum inclementiam expertus & Paulus Bombasius Bononiensis, qui Latinas, Græcasque literas Neapoli summa cum laude publicè professus, à magnæ celebritatis Cardinali Pucio Romam accersitus, ab eoque in honore habitus à secretis fuit, liberaliterque tractatus jam locuples effectus erat, cùm ecce repentina illa prædonum procella urbem Romam invasit, quâ captâ, cùm is Mæcenatem suum in arcem Æliam confugientem subsequeretur, superveniente sicariorum globo oppressus, immanem cædem evitare non potuit. *Paulus Bombasius.* At quanto miserabilius periit Donatus Polius vir Florentinus, Romanæ cathedræ professor, Leonisque Decimi familiaritate non ignobilis, in quo multæ erant & reconditæ literæ, eloquendi vis non erat. Is enim à quodam puero, qui homini serviebat, spe prædæ, noctu, adacto in frontem malleo, trucidatus est, cùm alioqui pauperrimus vitam semper egisset duram, & insigni mendicitate miserabilem. *Donatus Polius.* Et quoniam in Romani gymnasii professores obiter incidimus, plerosque alios enumerabo, quibus fortuna se novercam exhibuit. Antonius enim Flamminius natione Siculus, cujus prælectionibus Roma longâ annorum serie nihil habuit eruditius, vitam in primis eo infelicitatis genere produxit, quòd nullius unquam neque docti, neque indocti hominis familiaritate, commerciove delectatus est, non famulum, non servum habuit, neminem unquam cænam adhibuit, neque aliorum ipse mensas affectavit, quod faustum aliquis dicat, nisi solitudine ipsâ, & molestum, & periculosum esset. Is autem inopinatâ præventus morte à caupone viciniæ, qui quotidiana edulia homini venditabat, contationem admirante, quòd jam triduum non apparuisset, & per hortuli fenestellam quandam ingresso inter libros, quos humi stratos, stratus & ipse lectitare consuerat, sempiterno oppressus somno repertus est. *Antonius Flamminius.* Simile mortis genus sortitus est Antonius Amiterninus cathedrâ Romanâ celebris, Julii Medici Cardinalis, qui nunc summus Pontifex est, in Grammaticis, & Oratoriâ præceptor, anno antea quàm is ad Pontificatum ascenderet, peste Hadrianeâ Romæ sæviente profugeret. *Antonius Amiterninus.* Inde librorum scriptorumque suorum desiderio incensus, ut hujusmodi supellectilem, vel ut nonnulli volunt, recoditam pecuniam auferret, reversus Romam, & domum suam ingressus, ubi familiares sui eo morbo contaminati interierant, ipse quoque contactus è vestigio, dum abitionem parat, Aquilam profecturus senex, æger, & corpore, & animo confectus, quadragesimo ab urbe lapide, intra hospitium, vel à nemine in diversorium receptus, vel ipse, nulli satis fidens, ut procellosam tamen cæli tempestatem, quæ largè cadente pluviâ oborta erat,

per noctem evitaret, in proximi templi cujusdam vetustate prærupti pronum se conjecerat, noctem ibi pro foribus quieturus, mane autem à viatoribus ibidem repertus est exanimatus. At non minus crudeliter occubuit Augustus Valdus, Patavinus civis, qui Romæ per tot annos bonas literas tantis ab eo vigiliis, sudoribus, & peregrinationibus acquisitas, professus erat, qui non solùm voce, verùm etiam scriptis, eruditionem omnifariam ab interitu vindicabat; quàm autem miserabili mortis genere vitam finiit! Incidit enim in Romanam cladem, Hispanorum illam, & Germanorum prædonum sævitiam acerbissimam, cujus ante oculos direptâ domo, ipse in vinculis habitus, precioſissimam librorum supellectilem, laboresque illos suos, quos præsertim in Plinium elucubrabat, coram dilacerari, & in usum culinæ incendi conspexit, & in eo mœrore omnibus aliis incommodis conflictatus, propter arrogantem eorum crudelitatem, quibus nihil unquam fuit improbius, dum modicæ fortunæ vir insatiabilem barbarorum sitim tributis explere nequit, quiomne senectutis suæ viaticum jam excusserant è loculis, post cruciatus varios, fame demum consumptus perhibetur.

*Augustus Valdus.*

Professus etiam apud nos Janus Parrhasius, ad cujus jucundam vocem undique concurrebatur. Verùm is, dum assiduis vigiliis, & longæ lectionis laboribus maceratur, in eam incidit articularis morbi truculentiam, ut per annos aliquot nil præter linguam in universo corpore haberet incolumem, siderato propemodum utroque crure, ut nullis pedum officiis uti posset, lacertisque præ dolore, & contractione, redditis inutilibus, magnâ insuper inopiâ, & egestate oppressus, rerum demum omnium desperatione ductus, relictâ Româ in Calabriam cùm secessisset, in febrim subito incidit, qua diu vexatus, miserabileque eo cruciatu superatus, expiravit. Neque diu felix fuit Thomas Phædrus, affluentissimum eloquentiæ flumen, quo non alius eo tempore orando clarior, neque vehementior fuit, Romanæ ipse quoque cathedræ decus, & ornamentum. Quàm verò miserabiliter, quamque in opinato mortis genere surreptus interiit, dum scilicet mula media urbe vehitur junctis factus obviam bubalis, qui visendæ magnitudinis carrucam trahebant: —— Consternatâ siquidem mulâ bubalisque identidem perterrefactis, simul ab ea calcitrosa excussus est tam magnæ corporaturæ vir, quantum hominem nostis, simul à plaustro superatus, quamvis in rotarum medium intervallum incidens elisionē evitarit corrupto tamen præ timore, & gravi casu intra viscera sanguine, multa inde longæ, & occultæ valetudinis incommoda perpessus, in ejusmodi ærumna vitâ functus est. Quid verò Camillus Paleottus tam elegantis litteraturæ juvenis, non ne etiam ille, cùm ex Bononiensi cathedra Romam ad fratris germani causam, qui à Julio Secundo publico de negotio in vinculis habebatur, procurandam profectus esset, interveniente mox Julii ipsius morte, suffectoque illi Leone Decimo, cùm à Cardinali Divitio, virtutis, & ingenii ergò loco germani fratris amaretur, in eam incidit valetudinem, qua per multos menses miserabiliter cruciatus totis membris non sine lethali dolore sideratis in ipso ætatis flore quintum & vigesimum natus annum, magnæ omni expectationi præreptus est? Hujus autem affinis Philippus Beroaldus junior insigni & ipse literaturâ præditus, Bononiensem cathedram aliquandiu rexerat, Romæ inde publico conductus salario professus est. Mox à Joanne Medico Cardinali jam tum Æmiliæ, & copiarum Pontificiarum Legato, admissus in amicitiam, illi à secretis fuit. Posteà verò quàm is ad Pontificatum ascendit, Phædro mox vita functo, in Bibliothecæ Palatinæ præfecturâ illi suffectus est. In reliquis ornamentis, & commodis repulsam passus, despectuique propemodum habitus, vix victui necessaria pro antiquæ familiaritatis dignitate obsequebatur, quo ex mœrore cùm desertum se, atque abjectum existimaret, in rapidissimam febrem illapsus ad amicorum liberalitatem confugere coactus, brevi eo morbo, curisque confectus interiit. Hic ego cùm aliquantulum tacuissem, præceptoris, quem unicè dilexeram, obſervaveramque, desiderio exacerbatus, putavit Contarenus absolvisse me dictionem meam, atque ita excepit. Multa quidem, Grana Pontifex, miseriarum, quæ doctis viris acciderunt, apud vos exempla, quæ vos infelicia judicatis, complexus es, sed quid inquies, si apud nos quoque parem his vestris calamitatem (utar enim locutione vestrâ, quamvis longè alia mihi sit sententia,) literatos afflixisse dixero, & ut à professoribus, in quibus tu finem fecisti, incipiam, cùm ado-

*Janus Parrhasius.*

*Thomas Phædrus.*

*Camillus Paleottus.*

*Philippus Beroaldo junior.*

adoleſcentes eſſemus, tres habuimus inſignes literaturâ viros, quos in hujusmodi ſtudiis ſectabamur. Duos Venetiis, Marcum Antonium Sabellicum, & Georgium Vallam, Patavii autem Joannem Calyphurnium. Qui quidem vel in graviſſimis miſeriis, vel iniquiſſima vitæ conditione finem ſortiti ſunt, ut more veſtro dicam calamitoſum. Georgius enim Valla Placentinus, multi ſtudii, multæ doctrinæ vir, multarum idem lucubrationum auctor, dum Venetiis, profitetur, Tri- *Georgius Valla.*
ultiæ factionis ſectator acerrimus, ita ut, quin publicè etiam adverſarios maledictis proſcinderet, minimè ſibi temperare poſſet, hinc Ludovici Mediolanenſis ducis inimicitiis vexatus, in ipsâ, quam inſtituebat, civitate conjectus in carcerem ſitu eo aliquandiu contabuit; cognitâ mox causâ, & abſolutus, & cathedræ ſuæ redditus, haud ita multo poſt cùm mane ſummo paratus eſſet conferre ſe ad auditorium, ubi tunc Tuſculanas Ciceronis quæſtiones prælegebat, deque animæ immortalitate vehementiſſimè, doctiſſimeque quotidie diſſerebat, dum interim corpori vacaturus excrementa cibi dejecit, animam etiam morte ſubitaria exhalavit. Nos qui quotidie ad admirandam hominis doctrinam ſub matutinum crepuſculum conveniebamus, non prius tali nos doctore defraudatos intelleximus, quàm hora profitendi fruſtrà elapsâ, certos, qui moræ cauſam ſciſcitarentur, domum ejus delegavimus, qui redeuntes gymnaſium noſtrum præter omnium ſpem, quia nullum male valetudinis incommodum præceſſerat, voce illa erudita ſpoliatum, atque orbatum renunciaverunt. Erunt qui genus hoc mortis inter mortalium felicitates enumerabunt, quippe nullo dolore prævio, nulloque mortis metu ſtatim exanimari. Nos tamen ex Chriſtianæ pietatis inſtitutis miſerrimum hoc exiſtimamus, ex Philoſophiæ verò præceptis, neque quidem calamitates alias, quæ alterius, non noſtri juris ſunt, mala exiſtimo; ſed erit ſuper hoc alias diſſerendi locus.

At fuerit felix Valla, quia cruciatu nullo, nulliusque rei anxius è vita migravit, nobis certè ejus diſcipulis calamitoſa fuit hominis mors, quibus eruditionis ſuæ tam triſte deſiderium reliquit. Sed enim quò minus incommoditatis Valla perpeſſus eſt, eò plus infortunii, & ærumnarum pertulit Sa- *M. Antonius Sabellicus.*
bellicus, vir ille ſcriptorum copiâ, & elegantiâ multò clarior, quàm mea ulla poſſit commendatione creſcere, miſerabilem vitæ finem eum ſortitus eſt, quod putridâ, perniciosâque correptus elephantiaſi per annos aliquot miſerabiliter cruciatus, interclusâ vocis viâ, cæterisque tam ſpiritus, quàm cibi meatibus computreſcentibus, gutturisque corruptis organis, venisq; corroſis, non ſine cruciabili tormento annos aliquot peregit, eaque tabe demum confectus interiit. Joannis autem Calphurnius rariſſimæ vir eruditionis, qui Patavii, me puero, bonas literas perquamdiu docuerat, nullo unquam tempore non expoſitus invidorum obtrectationibus, & injuriis, dum omnia fortiter ferens adverſa, uni ſtudet immortalitati, repentina paralyſi percuſſus, amiſſo primùm vocis beneficio, quæ lucubraverat opuſcula pleraque indicare non potuit, eoque incommodo abſumptos ignaviſſimos fucos elaboratis à ſe operibus nobilitavit. Addam huic virum benè literatum Joſippum Fauſtinum Vicentinum civem, Brixiâ tamen oriundum Tincâ non incelebri familiâ, cujus ærumnoſum exitum, ab Egnatio noſtro me audiſſe memini. Noverat is hominem in civitate Bellunenſi, per annos ſupra quatuor & triginta profeſſum, eruditione dubio procul ſummâ & tam prælegendo, quàm orando admirabilem, cujus integerrimam continentiam, & probitatem tota ea civitas cœlo effert, & admiratur. Is autem poſt navatam juventuti Bellunenſi per tot annos operam, & multa ad poſteritatis etiam inſtitutionem elucubrata, eò incidit calamitatis, ut Belluno à Germanis obſeſſa, totius ferè orbis in Venetos bello exardeſcente, miſſus is pro pacis quibuscumque conditionibus, ne urbs direptioni deſtinaretur, Orator unà cum civibus aliquot ex omni nobilitate lectis, pacem quidem impetravit, obſidionisque ſummovendæ auctor fuit, ſed ab hoſtibus, tributorum aviditſſimis, ad Pontem Æni, quem Iſprucum hodie vulgo dicunt, in captivitatem abductus, jure gentium à barbaris violato, dum redemptionis pretium, quod illi flagitabant, omnem excedit modum, neque ſolvendo quisquam eſt è ſuis: Ipſe in literarum otio ad eam usque diem nutritus, jam & mœrore, & ætati ingraveſcentis incommodo, malæque aſtionem afferret in tantis malis, neque quisquam inveniebatur, qui miſeriis perditum levaret, qui magno ſemper in honore apud Bellunenſes fortunatè, beateq; vixererat, tanquam numen aliquod cultus, *Joannes Calphurnius.* *Joſippus Fauſtinus.*

*Galleottus Narniensis.*

cultus, & obſervatus, in eo carcere, vitâ tam indignè, tamque infeliciter exceſſit. Solebat & Galeotti Narnienſis, qui apud nos diu verſatus erat, miſereſcere Egnatius idem. Is quidem ſuis clarior lucubrationibus, & magnorum Principum familiaritate magis celebris, quàm noſtro poſſit clareſcere teſtimonio, cùm à Francorum Rege Ludovico ejus nominis undecimo, accerſitus ex Pannoniis, ubi Matthiæ Regis liberalitate deliciabatur, Lugdunum ad ſalutandum Gallum Regem ſe conferret, forte illi factus ex itinere ante urbis portas obviam, dum magna vir corporis habitudine, pinguedineque, & obeſi ventris mole gravis ab equo ſe demittere ad terram vellet, id ſcilicet honoris Principi habiturus, ſuo ipſius tractus pondere ita corruit, ut adliſo terræ capite, fractoque gutture ſtatim expirarit. Hic Pollio. Quid obſecro probatiſſime vir indignos alienigenarum caſus ita meminiſti, ut tuorum obliviſcaris? Audivi ego Venetiis, dum Orator Pontificius in Pannoniam iterum miſſus, menſes aliquot illic ſubſiſtere coactus ſum, excidii Romani certior factus, dumque veſtrorum hominum literas perſcrutor, Paulum quendam Decanalem indigniſſimum vitæ exitum ſortitum, cujus cùm te perbellè conſcium putem, quisnam hic fuerit obſecro nobis indices, nam & Granam, & Colotium video, ut alterum alterius auribus inſuſuraſſe animadverti, magnam utrumque literatorum carnificinam paraviſſe. Sed enim priusquam Decanalis elabatur, detur nobis ab noſtris venia, ut quid ſuper eo dicturus es, audiamus. Sanè quidem cùm de literatis ſermo eſt, nullius ego libentius meminerim quàm Pauli Decanalis, qui quantæ fuerit eruditionis, nulli non innotuit. Is enim vix quintum, & vigeſimum ætatis annum attigerat, & præter abſolutiſſimam Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum literarum cognitionem, diſciplinas etiam illas illuſtriores, Philoſophiam, Aſtrologiam, & Mathematicas reliquas artes, non primis, ut multi, labris deguſtaverat, ſed pleno fonte exhauſerat. Qui quidem, dum præſtanti labore Ptolomæi Geographiam non tam temporum, quàm imperitorum hominum injuria paſſim depravatam incolumitati priſtinæ reddere contendit, neque ſibi die, neque noctu parcit, tam utilem, & jucundam humanis ingeniis cognitionem brevi exhibiturus, ex nimia ſcribendi aſſiduitate, nixu, & perſeverantiâ, rupta intra pectus vena ita ſanguinem cæpit evomere, ut nulla Medicorum arte ſiſti poſſet. Tum ille fatalem inſtare diem inſpiciens, id unum habuit præmaturæ mortis, & interceptæ in ſtudiis gloriæ ſolatium, quod rerum aliarum omnium contemptâ curâ, ſacris initiatus, & in Auguſtinianorum Heremitarum clauſtra incluſus intra pauciſſimos dies, intaminatæ juvenis vitæ, integerrimum, pudiciſſimumque animum cœlo reddidit. Ex iis autem, quos Patavii ſtudiorum meorum comites habui, tres mihi præcipuè & ingenio, & probitate excellere viſi ſunt, quorum qui fuerit exitus, audieris. Nicolaus Angelicus Venetus, diligentiſſimam bonarum artium ſtudiis operam navaverat. Nam & Philoſophiam Patavii abſolutiſſimè didicerat, neque ea contentus juris etiam peritiam acquiſiverat, in eaque diſciplina Romæ approbatus, laureâque ibi honeſtatus, in patriam ad fori negotia ſe contulerat. Sub primum appulſum patre vitâ functo, familiaribus, atque iis quidem moleſtiſſimis eſt litibus infeſtatus, quibus dum variè diſtrahitur, accidit, ut ſub primum noctis crepuſculum tumultu ante ædium ſuarum fores excitato à percuſſoribus, quos adverſarii ſummiſerant, dum ædes ipſe ſuas defenſurus, in quas illi contendebant irrumpere animoſus juvenis ſtricto enſe in viam usque mediam procedit, longè majori ex inſidiis ingruente turba, cùm unus in tot ſufficere non poſſet, multis hinc inde vulneribus laceratus, refecto demum transverſo ictu ſæmore miſerabiliter occumberet. Ut verò, quæ recentiſſima ſunt, commemorem, hujus & ſocius, & contubernalis Mattheus Albinus, & ipſe Venetus, in arte medica peritiſſimus, ex qua locupletiſſimas divitias comparaverat, magnam adeptus auctoritatẽ tam ex ipſius artis ſcientia, quàm ex incomparabili, qua erat egregiè præditus integritate, ex uxore pudiciſſima admirandæ indolis filium ſuſceperat, de quo cùm ſpem optimam concepiſſet, & ad bonas artes idoneũ comperiſſet, isq; ultrà quàm puerilitatis anni ferre viderentur, profeciſſet, ſubitariâ in eum graſſante febri, acerbiſſimo elatus funere patrem in eam conjecit doloris vim, ut ex concepta inde mœſtitia paucis poſt diebus, cùm dolori reſiſtere non poſſet, aſſidueque ejus funeris cogitationi inhæreſceret, neq; levari ægritudine pateretur, eâ demum oppreſſus, ipſe quoq; perierit; nosque & amico optimo, & ingenioſo opere, de ratione ſuper ægrotantibus

*Paulus Decanalis.*

*Nicolaus Angelicus*

*Mattheus Albinus.*

differen-

differendi, quod inchoaverat, privati, perpetuo affligemur. At, ne ab hoc discedam contubernio. Hieronymus Angeli Pisaurien sis magnâ apud nos celebritate Medici filius, & ipse Medicus juvenili quamvis ætate peritissimus, qui cum Albino & alitus, & educatus, sororem illi in matrimonium collocaverat, conspectâ & ipse cum summo animi mœrore immaturâ nepotis morte, subsecutoq; recenti dilectissimi sororii funere, vulnere hinc refricari, ac recrudescere viso, usque adeo cruciatus animi & afflictus est, ut ex luctu, & mœrore contabescens, brevi ipse quoq; conjunctissimum sororiũ subsecutus fuerit. Horum socius, & contubernalis Joannes Campanius Chaneensis, familiaris meus, acutissimi juvenis ingenii, Venetiis, & Patavii bonis literis, & disciplinis operæ multum insumperat, eratque & in Philosophicis, & in Medicinæ studiis optimè eruditus, sed juventutem omnem per omnes inopiæ difficultates traxerat, amicorum tantum liberalitate sustentatus, qui natum ad frugem optimam adolescentem fovere perseverabant. Is posteaquam Medicum profiteri cœpit, mirum est, quàm brevi ad magnas opes pervenerit. Triennio enim, quò apud Bituriges ab Italis mercatoribus conductus, eam artem exercuit, largissimè locupletatus erat, quod in Medico juvene rarissimè contingit. Atque ita re bene gestâ, dum Romam transmigrare parat, ut in hac luce hominum viveret, quasque sub incude habebat, rerum naturalium quæstiones expoliret, secundum, & trigesimum natus annum atrocissimâ oppressus febri tam procul Italia, ut & ipse desideratus est, ita doctissima etiam ejus scripta interiere. Horum autem præceptor, & meus in primis Philosophiæ tyrociniis Bernardinus Camusius Albinganno patriâ, qui Philosophiam Venetiis, mox Patavii nobis adolescentibus docuit, & suâ, & discipulorum celebritate clarus, quo profitente, quæstiones eas asperiores Latinis verbis tractari posse experimento discebamus, cùm maturè nimis receptui cecinisset, medicinæque se penitus addidisset, & nomen, & fortunas amplas in patrio acquisierat solo. Adhæc uxore supra quam Philosopho conveniebat formosa, & dote magna auctus, dum post tot exantlatos labores sperat otio aliquo per quietem frui, & aliqua ingenii, & eruditionis suæ monumenta posteris relinquere, rebellis conjugis operâ, ut fama est, à percussoribus quatuor multis & lethalibus vulneribus consossus est. Cumque diligenti curatione adhibita mortis jam periculum evasisse videretur, ab ea ipsa uxore veneno demum fertur extinctus. Et quoniam ad Medicos sermonis me series traxit, Andreas Mongajus Bellunensis repentino sublatus obitu studiosis potius omnibus, quàm sibi fuit incommodus. Ille enim, cùm diligentem Medicinæ operam dedisset, depravatis ubique Avicennæ codicibus offensus, Damascum usque profecturus ad antiquos ejus auctoris libros perquirendos pelagi tantum enavigavit, terrarum tantum peragravit. Ubi ea in urbe consedit, Arabica per summam industriam, & vigilantiâ lingua optimè percepta tam utilis auctoris scripta omnia correxerat, multaque ad hanc ætatem incognita declararat, cùm à Senatu Veneto conductus Patavinæ est cathedræ præfectus, ut quam optimè callebat, artem edoceret. Paucis verò post mensibus à cœna, nulla male cujuspiam valetudinis molestia prætentatus subitario eventu in lectu inclinatus expiravit.

*Joannes Campanius.*

*Bernardinus Camusius.*

*Andreæ Mongajus.*

Sed enim quanto tolerabilior est Mongaji mors, quòd senex, quòd honoratus, quòd dives, quòd sine morbi alicujus molestia, qui operibus quæ parturierat absolutis, vitâ cesserit; eò gravior est Julii Dojoni, item Bellunensis casus, qui juvenis, qui pestilentissimo morbi genere per aliquot dies vexatus, qui lucubrationibus in medicina pluribus quidem inchoatis, nullis autem absolutis, tunc nobis ereptus sit, cùm maximè patriæ ornamanto, familiæq; suæ usui futurus erat. Is enim primo in Patavino gymnasio medicinam publicè professus, Venetorum deinde consulem honestissima conditione Aleppum usque secutus fuit; qua in urbe Turcici Imperii post Byzantium primario emporio per biennium commoratus, Tripolim ab altero Venetorum consule peste laborante accersitur; dum igitur eò cum duobus viæ sociis nocte propter æstivos calores magnis itineribus contendit, decimo ab urbe lapide hunc latrones ex occultis locis repentino impetu adoriuntur, alteroque comite ab iis interfecto, altero autem gravibus vulneribus confosso, ipse clavâ in capite, & humeris sæpius percussus, exanimis jacuit. Latrones verò tantis ictibus interemptum existimantes, illo omnibus vestibus, & quamplurimis aureis Venetis exspoliato, interiori tantùm tunicâ eidem relictâ, abierunt: ita verò crudeliter tractatus, vixque humi surgens post aliquod temporis spatium, multâ nocte in

*Julius Dojonius.*

civitatem, unde discesserat, regressus est, ubi tandem brevi aëris benignitate convaluit. Nondum tamen triennio transacto satis locuples factus, iisque bonis contentus, quibus parentes suos, & numerosam familiam, decenter aleret, cùm Bellunum natale solum remeare meditaretur, subitâ pestis vi in illâ civitate sæviente, & quam multis sanaverat, eandem ipse quoque contactus, paucos post dies, tam immaturâ ætate, ab omnibus destitutus, miserabiliter animam efflavit, patriamque, & parentes sui expectatione defraudavit. Infelix etiam est Marci Antonii Turranii interitus. Fuit is Hieronymi Veronensis viri clarissimi, qui Patavii per multos annos Medicinam magno omnium profectu docuerat, filius. Juvenis dubio procul in omni disciplinarum genere longè ultra quam ætas ferret, eruditissimus, à primis adolescentiæ annis Patavii & ipse publicè professus, Dialecticam, Philosophiam, & Medicinam docuit. Turbulentissimis demum temporibus atrocissimi illius in Venetos belli, quod in eos Christianorum omnium Regum conjuratione gestum est, ut incommoda illa evitaret, & non apta jam studiis loca declinaret, Papiam accersitus maxima cum omnium admiratione, qui juvenis doctrinam, & eloquentiam commendabant, profitebatur. Cùm ecce iniquissima correptus febre circiter trigesimo vitæ anno primarius penè ætate sua Philosophus in humanis esse desiit.

*M. Antonij Turranius.*

*Joannes Cotta.*

Neque verò minorem in Joanne Cotta Veronense jacturam fecerunt bonæ literæ. Juvenis is multa rerum omnium cognitione egregius, disciplinarum nostrarum non ignarus, Mathematicarum optimè peritus. In condendo verò Poëmate elegantiæ, & venustatis incomparabilis, quique antiquum illum leporem ætate nostra revocare cæperat. Is inquam, dum Viterbii apud Julium Secundum magnis de rebus Orator agit, pestilenti oppressus febri in ipso ætatis flore dececit, scriptis ejus & hic, & illic magna ex parte dissipatis, ut neque posteritati, neque nomini suo prospicere potuerit. Vivet tamen, & doctissimorum omnium testimonio celebratus iniquæ fortunæ invidiam superabit.

*Dantes Tertius Aliger.*

Et Dantes Tertius Aliger Veronensis vir dubioprocul optimè litteratus, & in Latino condendo carmine benè elegans, & eruditus fortunam ipse quoque novercam expertus est. Quo enim tempore scripta sua cœperat in classes instruere, & immortalitati suæ viaticum comparare, in belli tempora incidit, quod universi orbis viribus contra Venetos Julius Secundus Pont. Max. concitârat. Quo factum est, ut Veronâ à Barbaris captâ, ipse ne immani eorum feritati parere cogeretur, Mantuam voluntario exilio profugerit. Ibique rerum omnium angustiis oppressus, uxore & liberis ex opulentâ satis conditione in arctissimam egestatem, & miseriam conjectis, tum ætate jam gravis, & ad incommoda hujusmodi ferenda minùs adsuetus, gravi admodum valetudine diu excruciatus in eo exilio, perturbato, subversoque rerum omnium suarum ordine, calamitoso mortis genere vitam finit.

*Hieronymi Bonini.*

Tali mœrore contabuit & Hieronymus Bononius Tarvisinus, vir nisi fata eum tot calamitatibus afflixissent, ad magnam & ingenii, & eruditionis laudem natus, sive rerum antiquarum, quibus valde oblectabatur, cognitione præstaret, sive non inelegans carmen cuderet, sive aliorum ingenia benignissimus excitaret. Is tamen per viginti & amplius annos tabe totius corporis computrescens, filiorum aliquot inprimis furditatem, mox & desipientiam expertus, superveniente bellorum tempestate, vitam extra patriam in magna rerum omnium perturbatione dereliquit. Ita & Jacobus Paganus Bellunensis, & generis nobilitate insignis, & literatura non incelebris, multis apud magistratus Venetos honoribus perfunctus, quo tempore numerosæ prolis rectè, & ingenuè institutæ, educatæ, & eruditæ solatio frui debebat, in turbulentissima Germanici contra Venetos belli tempora incidit, quorum violentiâ patriâ extorris factus, dum barbarorum sævitiam quanto potest studio declinat, voluntarius exul Venetiis omnium rerum incommodis afflictus periit. Fuit & Hieronymus Donatus Patricius noster nullius ignarus doctrinæ, Poëta, Orator, Philosophus, Theologus, Mathematicusque peregregius, tantâ semper rei familiaris molestiâ, & domesticorum ad jussa rebellium curâ, sollicitudineque inquietatus est, ut nisi curas litterarum solatio levasset, nemo unquam eo miserior futurus fuerit. Is posteaquam diuturno labore ferocissimum Julii Secundi animum in Venetos exulceratum per intolerabilem patientiam hic Orator pervicerat, prostratæque jam patriæ fidium, & respirationem comparaverat, eo ipso die, quo fœdus cum Julio sanxerat in rapidissimum

*Jacobus Paganus.*

*Hieronymi Donatus.*

lapsus

lapsus febrim, brevique inde extinctus, subsecutam patriæ suæ, quam de pertinacissimæ fortunæ manibus extorserat, felicitatem videre non potuit. Scripta ejus innumera ad immortalitatem elucubrata, quod eruditis indignissimum est ærumnarum genus, pauciſſimis admodum exceptis, quæ vivens ediderat, adhuc in tenebris jacent occultata. Sed hi forsan communia cum multis passi videantur, neque fortè ærumnosis adnumerandi fuerint, veluti calamitosissima Gabrielis ZerbiVeronensis Medici mors, quæ nulla multis ab hinc annis neque immanior, neque crudelior accidit. *Gabriel Zerbus.* Fuit is in Patavino Gymnasio professor valde celebris, cujus promptissimum ingenium, & intrepida ob doctrinam confidentia Romanis etiam vestris tunc innotuit, cùm in frequentissimo Philosophorum, Theologorumque conventu, ubi de re valde seria agebatur, ausus est Sixto PontificiMax. disputanti imperitiam objectare, quâ ille offensus intemperantiâ, quòd majestatem suam ita contemptui habuisset, erat in hominem graviter animadversurus. Sed enim Pontificis cognito consilio clam statim urbe aufugit, Pataviique mox per annos multos professus est. Accidit autem, ut Scander Turcarum Regis Primipilaris vir gravissima dysenteria laboraret, quæsieritque percognitissimum sibi hominem Andream Gritteum, qui nunc Princeps noster est, ut Medicus ex Italia ad se quam primùm mitteretur, ingentia itineris, laborum, & curæ præmia reportaturus. Suscepit provinciam Zerbus, & immensum auri pondus spe vorans, ad Scanderem proficiscitur, secumque filiolum adhuc impubem adducit. Curat Principem hunc Zerbus diligenter, & pristinæ reddit incolumitati, donatur mox auro multo, vestibus, & gemmis, & argenteis pateris, & carohæsiis, aliâque supellectili locupletatur, ut si domum ea omnia asportare licuisset, unumquemque Europæ Regem instrumento fuerit provocaturus. Benè autem res acta erat, fatebaturque Princeps & vitam, & salutem sibi hominis hujus curatione partam, acceptisque ab eo de reliquæ vitæ ratione præceptis, commeatum dederat. Ille jumentis oneratis ad finitimum quoddam Turcarum castellum, unde in Dalmatiam diverteret, se recipit, pauculosque ibi dies moratur, dum præsidium itineris ex Christiani nominis hominibus accersitur, quæ omnia pacatissimè, & fide utrinque datâ acceptâ transigebantur. Accidit autem, ut Scander præceptorum immemor, & naturâ ipsâ minimè continens, dum libidinem suam explere pergit, in graviorem recideret ægrotationem, qua brevissimo temporis spaciolo consumptus interiit. Filii, ut in preciosa illa munera, quæ pater Zerbo dederat, invaderent, temporarium venenum è Medico patri datum calumniantes, percussores expeditissimos immiserunt, qui fugientem, ut ajebant, è fuga retraherent. Illi captum Zerbum, & unâ filium adolescentem indicta causa eo supplicii genere affecerunt, ut primum immeritissimum filium ante patris oculos inter duas ex ligno tabulas inclusum, serrâ medium dissecarent, mox ipsum quoque tormento eodem atrocissimo trucidarent. Exhorruerunt ad hanc barbarorum immanitatem omnium animi, cunctique veluti stupore quodam attoniti conticuerant, cùm demum Colotius ita silentium rupit. Gravissimum est, non in- *Colotius.* ficior, in exilio, & egestate laborantem morbo etiam absumi. Miserrimum longæ alicujus valetudinis incommodo cruciari; Infelicissimum trucidari; sed eorum ego sortem omnium teterrimam, & ærumnosissimam existimo, qui se tam miseros judicarunt, ut sponte sibimet manus injicerent. In reliquis enim ærumnis, quamdiu sperare licet, spes adfulget aliqua, quæ quidem ægritudinem, aut fortunæ sævitiam leniat, in animo verò sponte mori destinato nulla neque spes, neque alterius consolationis ratio locum habet. Atque ne ullum calamitatis genus à literatis absit, hoc, ut est omnium atrocissimum, ita frequentius in hujusmodi genus hominum debacchatur. Sic Demosthenes, sic Cato, sic apud veteres clari plerique viri vitam finiere, quod illis tamen vel laudi, vel saluti attributum est, & fortiter perriisse dicti: nobis, qui sanctiùs instituti sumus, nihil æquè pernitiosum existimatur. Quòd si rerum summa in hominum opinione consistit, illi nimirum omnium ærumnosissimi, qui suas sibimet invisas animas projecere. Verùm audite obsecro, an ulli nostro tempore fuerint, qui tantum calamitatis animo conciperent, ut non aliâ ratione illi obviam iri posse putarent, nisi manus sibi violentissimas inferrent. M. Caballinus Anconita- *M. Caballinus Anconitanus.* nus, summâ doctrinâ, summoque judicio vir, ita temperatis, moderatisque moribus semper fuerat, ut nihil eo probius, neque sincerius haberetur. Integerrimæ ad hæc bonitatis, & erga eruditos omnes amorabundus, magnam & humanitatis, & festivitatis laudem reportaverat. Is

tamen

tamen, dum apud Cardinalem M. Cornelium à secretis vitam agit honoratissimam, in maniam ne-
scio quam, quòd causâ quadam deciderat, in qua secunda omnia sibi proposuerat; illapsus, sub id-
que tempus grandi pecuniæ depositò à magni nominis amico per inficiationem indignissimè defrau-
datus, in conclave suum sponte inclusus, iniquissimas sibi manus intulit. Foribus enim posti aliquod
temporis intervallum, quo non prodibat ad officia, perfractis, repertus est à necessariis humi jacens,
prælongo gladio per medium pectus adacto, dum hesterno sanguine totum cubiculi pavimentum
nataret. Visa tamen hæc lues Florentiæ magis, quàm alibi vigere. Tres siquidem memorantur il-
*Laurentius Laurentianus.* lerati viri, ejus urbis cives, qui talis perpulsi insania semetipsos suffocarint. Ex quibus Laurentius
Laurentianus magnæ celebritatis est, quo non elegantior quisquam Philosophiæ studia à Ciceroniа-
nis temporibus ad hæc usque sæcula interpretari aggressus est, Græcè, Latineque nimirum eruditis-
simus. Dum autem is Commentarius in Aristotelem Latino idiomate omni summotâ barbarie in-
cumbit elubrandis, parsque eorum jam edita, pars edenda procuditur, repentino nescio quo furore
raptus, in profundum aquæ puteum semet ipse præcipitem dedit, seque vitâ, & studiosos omnes ex-
pectatione, quamque de homine spem conceperant, frustratus est. Petrus autem Leon & ipse Flo-
*Petrus Leon.* rentinus artis medicæ peritissimus, & in literis politioribus non mediocriter excultus, variarumque
rerum cognitione nobilis in tanta disciplinarum peritia, adversæ sortis inclementiam evitare non
potuit: furore enim quodam correptus, sponte in altissimæ aquæ puteum desiliit, atque ita genere
mortis miserrimo, & viro, præsertim Philosopho, indignissimo periit. Ita & Joannes Baptista Albi-
nus Bernadi Florentini viri filius legum peritia, & aliarum disciplinarum studiis nobilitatus, ob ea-
que Apostolicæ Cancellariæ Rector adhibitus ætate adhuc florente, ut qui vix quintum & trigesi-
*Joan. Baptista Albinus.* mum annum expleset, summâ modestiâ, atque etiam non vulgari prudentiâ habitus, erga omnes
verò inprimis officiosissimus, eò is adactus est, casu nescio quo, ut quodam die planè mane se in al-
tam putei domestici voraginem immiserit, cùmque funi, scitulæque mox adhæsisset, quasi facti pœ-
nitens, supervenientibus fratribus, qui à servis excitati fuerant, opemque afferre conantibus, ipse
fune derelicto sponte se in altissimam aquam suffocavit.

De fenestris aut se projecere Franciscus Fortunius, Julianus Camers, & Johannes Valdesius, hic
amoris vi superatus, ille prædonum, qui Romam diripiebant, timore impulsus, alius qua de cau-
sa mente captus ignoratur. Nam cùm Franciscus Fortunius Anconitanæ civitatis Prætor esset,
quod munus honestissimè, sapientissimeque, ut Anconitani testantur, exequebatur repente reper-
*Franciscus Fortunius.* tus est in Prætoria platea de palatii fenestris lapsus, ignorato auctore, cùm tamen Anconitani
prædicent eum furore quodam concitum sponte sese dedisse præcipitem. Fuit is jurisconsultus
optimè eruditus, Latinis literis admodum expolitus, ut scilicet M. Antonii Sabellici discipulum a-
*Julianus Camers.* gnosceres. Julianus autem Camers Grammaticus, qui Romæ annos multos publicè profes-
fuerat, ab Leone Decimo instituendo Innocentio Cardinali Cibæo adhibitus. Id primum, dum
viveret, infelicissimum duxit, quod in honoribus, quos mirificè affectabat, nulla unquam ejus
habita ratio. Demum oppressâ ab Hispanis, Germanisque Roma, dum palatium diripitur, ubi
is habitabat, aliquos ex familia per testes arripi, & ea parte adalligatos sublimes in supplicium,
*Joannes Valdesius.* & absconditi auri quæstionem, vexari cùm conspexisset, ipse veritus ne talia pateretur, cui eo-
iam graviora, nisi aurum promeret, minitabantur, cùm nullum aliud in rebus tam subitis, tam-
que angustis consilium appareret, de altissima fenestra in silicatam aream saltu se præcipitem de-
dit, corporeque universo silicibus miserabiliter adliso, tam duro exitio servituti, & cruciatibus
illis mortem antepositi. Neque minus miserabili de causa semetipsum interfecit Joannes Val-
desius natione Hispanus, qui Romæ per literas, & industriam, & magnorum Principum gratiam
ad magnas divitias evectus, multis apud nos officiis, id certi census nomen Romæ in honore
habetur, clarus habebatur, Juvenis quidem elegans & formosissimi corporis proceritate in-
signis. Is, uti gens ea valde mulierosa est, puellæ cujusdam, & formâ quidem, & pudicitiâ no-
bilis, sed M. Antonii Alterii, viri Senatorii, patris ejus celebritate longè insignioris, amore ac-
reptus est, cumque indies virtus ejus fœminæ clarior eluceseret; ille morem amori suo gestu-
dat fidem uxorem sibi fore hanc: eique solemni desponsione puella dedicatur. Paulò post de-
fecit

fecit pater sponsum sacris olim initiatum, neque ullum esse posse nuptiis locum, in summam adductus sollicitudinem, cùm & sibi, & filiæ illusum per summam ignominiam videret, multis, & magnis, ut par erat, molestiis afflictus, rem defert ad Leonardum Cardinalem Roboreum, qui tunc absente Julio Romæ Legatus erat, magis ut ab eo consilium caperet, quàm ut injuriam ulciscì meditaretur. Comprenditur Leonardi jussu Valdesius, & in Hadriani molem capitis reus includitur Ille tam amore perditus, quàm vitæ periculo perterrefactus abdicaturum se sacerdotio, si per summum Pontificem liceat, & puellam vel indotatam ducturum pollicetur. Atque ita sponsoribus, vadibusq; datis ea conditione dimittitur. Interim dum ejus veniæ diploma à Julio Pontificè, qui tunc Ravennæ consederat, exspectatur, Valdesius neque libenter sacerdotiis, quæ opulenta erant, abdicare cogitat, neque perferre se amorem, etiam si impunè liceat, ulterius sperat. Igitur cùm id consilii se cepisse videret, quod non facilè poterat explicare, graviore ob id dolore affectus, quòd pudicissimæ fœminæ famam, & fortunam omnem everterat, si repudii nuntium remisisset, magnis excruciatus sollicitudinibus, misericordiaque & pudore confectus, ut erat æstivus dies, turriculam quandam ad prospectum super ædium culmen excitatam distinctus adhuc ascendit, quasi matutinalem auram strictiorem animi gratiâ captaturus, servuloque mox negotii certi nomine ablegato, nullam aliam ratione nactus, qua se turbulentissimis miseriis explicaret, & dulcissimæ sponsæ famæ, nominique prospiceret, ex editissimo eo loco in viam mediam sese præcipitem dedit, quo ita totis ossibus collisso, & statim exanimato, Alterii filia re perceptâ, ipsa quoque sponsi desiderio sibimet manum inferre tentavit; sed diligenti familiarium observatione prohibita, custoditaque, posteaquam tempore dolor aliquantulum mitigatus est, maritalem perosa vitam, perpetuo victura cælibatu vestalem induit; Valdesius totius Romæ luctu deploratus est.

Verùm omnes mortis, & fati acerbitates excessisse, & quicquid unquam truculentiæ fuit, exuperasse mihi videtur Francisci Priuli exitus infelicissimus. Juvenis is ex patriciatu vestro, Contarene, tuusque forsan condiscipulus, Romæ etiam non ignobilis, qui bonarum disciplinarum studiis eruditus, Astrologiam inprimis adamaverat, multaque ejus scientiæ arcana in mortalium usum revelaverat, Augustino Gysio, Senensi viro, divitiarum opulentia claro, summo opere tam ob nobilitatem generis, quàm ob doctrinam, & elegantissimos mores carus. Ante omnia verò Leoni Decimo Pont. Max. acceptissimus, qui quidem Princeps & doctrina, & judicio summus dicere solitus erat, Astrologiam olim extinctam in uno demum Priulo revixisse. Ita in eo, quem de ejus genesi conscripserat, libro abditissima quæque anteactæ ætatis, & uni ipsi cognita Principi explicuerat; quæque incumberent, quæque futura essent, ad unguem, ut eventus postmodum comprobavit, in singulos ferè dies prædixerat. Quare Pontifex jam de erigendo eo meditabatur. Accidit verò, ut ab Gysio ad Aluminis fodinas visendas adduceretur juvenis infelicissimus, ubi statuerat sese aliquantulum exhilarare. Itaque dum venationes, dum aucupatus, dum retia, canesque procurantur, diesque totâ domo geniales instituuntur, nescio quis furor Priulum occupavit, ut de conscisenda sibi voluntariâ morte consilium caperet, atque haud ita multò post occasione oblata è gestatione quadam declinata turba in nemus se proximum abdidit, nullosque ibi nactus arbitros in aggeris prælti lacunam sese præcipitèm dedit. Fefellit juvenem altitudo aquæ, quæ vix semipedem adsurgebat, cumque non idonea ad suffocandum esset, à superveniente famulo, qui statim subsecutus fuerat, ex ea volutatione exemptus est. Revertuntur vespertino domum, magnoque interim accenso igne, dum servus huc illuc dimittitur, fatagitque, Priulus tempore, quo servum non adesse putabat, observato, in ignem se superinjecit, ad strepitum recurrit servus, sollicitoque studio dominum fustollit. Causatur illi nervorum infirmitas, & quidam quasi stupor, quem ex lapsu in aquam contraxit. Servus nihil cunctandum ratus omnia hæc Gysio renunciat. Custodiendum diligenter Gysius imperat, leniter tamen habendum, ne furor exasperetur. Adsunt igitur custodes sub colludendi, confabulandique specie, summoventurque illa omnia, quæ læviendi occasionem præbere poterant; ille tamen expectato tempore, quo furoris sui suspicionem cessare animadverterat, seque jam negligentiùs custodiri, stabulum ingressus quasi mulam visurus suam, ibique nullo custodum invento, conjectis in parietem oculis acutissimi mucronis stylum conspicit, eoque statim arrepto aciem

*Franciscus Priulus.*

in guttur ipse suum dirigit, seque quanto potest conatu ejugulare contendit. Diligentissimus ejus famulus, qui negotiali causa ablegatus fuerat, ubi ad stabulum descendisse dominum accepit, eo præcepti cursu provolans, videt hunc crudelissimo eo conatu sibi manus injeciśe, insilit statim in ejus brachium, dereptoque stylo, eoque procul abjecto, ut valentibus erat viribus, medium complectitur, contentumque foras trahit, & in conclave perducit. Collocatur hic in lecto Priulus, arcessuntur Medici, curatur diligenter. Nunquam inde abscedit Gysius, quin aliquem è primoribus amicis observatorem relinquat, ne quid is ulterius ineptiarum faceret. Simulaverat iterum Priulus resipiscentiam, & alioqui mori destinatus, hilari omnes compellabat fronte, dictorum, actorumque memor, nulli de insania sua suspicionem vel minimam relinquebat. Jam vulnus coiverat, jam surgebat è lecto liber, jam ludebat, jam cum omnibus festivissimè jocabatur. Jam sodalibus, jam deambulationibus delectari videbatur. Quodam igiur die, qui festus erat, Gysius mane ad lectum adest, Priulum ut habeat, percontatur. Ex voto ille respondit. Interrogat Gysius, an velit secum ad proximam ædiculam, ejus diei festi causa, rei sacræ interfuturus accedere; quo non contanter promittente, hortatur Gysius, lectulo surgat, seque adornet. Bene est, inquit Priulus, jamjam instructus adero; & tunc famulo innuit, ut lineam tunicam interiorem concalefactam afferat. Abit Gysius his inspectis, ut qui nihil ulterius mali suspicaretur. Dum verò famulus indusium alio cubiculo calefaciendum curat, Priulus tempus id nactus, quo cubiculo omnes excesserant, pernici saltu in fenestram sese proripuit, deque ea, quæ loco satis edito erat, se præcipitem misit; confractaque tota dorsi spina, semianimus jacuit cum mœrore, & lamentatione omnium, qui priorem modestiam, & ætatem juvenis miserabantur; nondum enim octavum, & vigesimum annum excesserat. Sublatus inde, & in lecticam impositus, adhibitis custodiis Romam à Gysio statim asportari jubetur: nullum curandi officium intermittitur, cùm tamen vel ita confractus curationi pertinacissimè reluctaretur, ut qui mori omnino destinaverat. Subid tempus conjunctissimus illi condiscipulus Pierius Valerianus noster, qui rei fidem faciet, peregrè advenerat, amicumque statim salutandi causa inviserat, comperit inter medicorum manus destinatissime, quod poterat, omnibus adversantem, nullumq; remedii genus admittentem. Pierius quid actum esset, edoctus, blandis eum verbis alloquitur, indignissimum casum longè aliter ac erat, ut suspicionem elevaret, audisse se, statimque accurrisse, velle se in officio esse, neque amicum talem derelinquere ullo modo posse. Bono animo esse jubet, multaque de Pontificis erga eum benevolentiâ, quæ nuper audisset, pollicetur, quæque ad hoc apta videbantur, omnia commiscitur. Movetur Priulus amici, à quo se unice coli noverat, præsentiâ, & obligari fracta ossa, nervos distrahi, torqueri, componi, & acerbissimi doloris contrectationes constanter; & sine ullo prorsus clamore tolerat, perpetiturque. Nunquam tamen neque Pierius, neque Ferdinandus Siculus Leonis Decimi Medicus, neque necessariorum quispiam pervincere potuerunt etiam adactis intra dentium claustra scalpris, ut Priulus cibum capere, aut vi immissum continere vellet. Atque ita cùm nihil illi quicquam morte deliberatius esset, qui neque aquis neque igne, neque ferro, neque altissimâ præcipitatione extingui potuerat, pertinacissimâ quinque dierum inediâ consumptus inter unius Pierii lacrymantis ulnas expiravit. Obrigueverant ad Colotii dictionem, factique hujus atrocitatem omnium animi, conversique ad Pierium, & Melinus, & plerique alii, qui casu convenerant, an ita res gesta esset, sciscitabantur. Ea vera nimium fuisse Pierio cum lachrymis affirmante venit ab Augustino Cardinale Triultio puer, qui Granam magni negotii causa accerseret. Tabellarium enim ex Galliis expeditissimis itineribus advenisse. Quo accepto surrexit Grana, & cum Melinus, fraudatum se diceret expectatione, quod polliciti erant pleraque à Contareno sapienter super his disputata recitare. Erit inquit Grana cras, aut perendie conveniendi locus, neque enim tam procul habitamus, ut non unaquaque hora simul esse possimus. Quin potiùs inquam ego, mi Grana, tuque mi Coloti diem statuimus, quo iterum conveniamus. Nam ego quoque mirifice cupio, quæ fuerit sermonum hujusmodi catastrophe, percipere, & si vestro cum commodo fieri potest, hic potiùs apud Melinum congressus fiat; apud quem continuum ego biduum sum commoraturus, dum mihi cubicu-

cubiculum apud Principem adornatur, & ut instrumentum meum, & bibliothecam, quam hic reliqueram, recensere possim. Placuit & Granæ, & Colotio, apud Melinum conveniri, dictaque dies, rempusque pomeridianis horis in crastinum.

*Primi Libri Finis.*

# JOAN. PIERII VALERIANI
## DE
## LITERATORUM INFELICITATE.

### Liber Secundus.

POstero igitur die cùm horâ constitutâ omnes convenissemus : nam Colotius apud Granam pranderat, ego apud Melinum remanseram ; intervenerunt etiam viri duo, nimirum lepidissimi, Thomas Petrosantius, & Joan. Mar. Cathaneus, qui nos eo die plurimum quæsierant, & apud Melinum esse, tandem olfactu velutì quodam investigaverant. Et quoniam ambulasse ex frequentiore anhelitu videbantur, salute data atque accepta, quamprimùm sedere jussi sunt. Melinus, qui sollicitos eos animadvertebat, & quasi novi aliquid dicturos augurabatur, nihil contatus, quid vos inquit amici optimi tam anxii, retentique videmini, num quidnam affertis novi ? Utinam inquit Petrosantius nihil hodiè afferrem novi, aut quod nuper ex Galliis allatum est, vanum mendaxque nuntium deprehenderetur. Admirati omnes, quonam evasura esset ejus oratio, in eum inspicientes sermonis incepti finem expectabamus, ille tamen ne verbum quidem ulterius addebat ; instamus omnes, & quidquid tandem haberet, ne nos diutius celaret, flagitamus. Tristissimum, inquit ille, nuntium vobis affero summum ætate nostrâ ingenio, optimâque doctrinâ, & incomparabili eloquentiâ virum, Andream Navagerium in Galliâ defunctum. Ad hæc Grana. Ecqua tibi nuntii hujus fides ? Nam & nos de gravissimâ hominis valetudine, deque abjectâ salutis spe heri literas acceperamus, eâque de causa à Mæcenate meo Priultio vespere accersitus, ut conventum nostrum subitò dissolveremus, in causâ fui. Verum illæ ad nos literæ, depositum quidem Navagerium, nondum tamen extinctum admonebant ; datæ autem erant literæ à fundulo 3. Nonas Majas. Quare, nisi quid certiùs afferatur, non est ut in animum despondeamus, quamdiu enim spiritus inest corpori, sperare de salute licet. Verùm quas tu vidisti literas, quo die datæ sunt ? PETROSAN. Extinctus verè nimirum est Navagerius noster, atq; etiam elatus, ut nunc nuper tabellarius Regius, cui antiqua est cum domesticis meis consuetudo, mihi narravit, & efferri hominem suis ipsemet oculis vespertinis horis.... Maii.... Galliæ oppido, ubi tunc Rex morabatur, inspexisse asseverat, Tum Colotius alto cum gemitu, Hoc unum nostræ inquit, aberat calamitati, hoc reliquum erat bonis literis infortunium, ut postquam Hispania nobis Castilionem ademerat, Gallia insuper Navagerium invideret, siccine demum fata perseveranti odio literas insequuntur, & veluti reliquum Italiæ desolarunt, has etiam penitus extinguere constituerunt ? Traxerat quidem omnes animos in mœstitiam Navagerii desiderium. Verùm ubi Colotius Castilionem superaddidit, ita omnes ingemiscere, affligique cœpimus, ac si totidem fratres, aut parentes coràm extinctos intueremur. At quoniam, inquit Colotius, nihil jam suave de literatis expectamus, posteaquam hoc veluti auctarium additum est, rectè sermonem, quem heri occœperamus vel hoc uno de nuntio continuandum censeo. Quem obsecro sermonem inquit Cathaneus ? COLOTIUS. Literatorum calamitates, indignosque exitus, & miserabilem penè omnium vicem dolueramus, quasique deflemus Gymnasiorum, atque Parnassi vastitatem.. CATH. Tristissimum quidem

argumentum. Sed quo nullum uberiùs, neque copiosiùs multis abhinc annis extitit. Sed quorum hominum obsecro memineratis ? COLOTIUS. Longum esset eos nunc repetendo recensere, sed audies tamen ubi voles ex quovis nostrûm. Nunc quia institutum heri fuit, ut in hanc arenam plerosque alios exhiberemus, tu si potes, quietus, & sedens ausculta, nos sermonem nostrum continuabimus. CATH. Ego verò maximè possum quiescere, neque quicquam mihi gratiùs accidere potest, quam tales viros, qui loquantur auscultare; omnes enim vos ob virtutem, & literas inprimis veneror, & observo. COLOTIUS. Literatissimus scilicet omnes, qui studiis iisdem delectantur, non ut plerique obliquâ invidiâ persequeris, sed tota animi sinceritate diligis; conversusque ad Granam, & Melinum, multa inquit heri de literatorum infelicitate exempla recitata sunt, quæ tu Grana, quæ Contarenus, quæ Pollio noster, memoriter enavarraverunt; sed eorum me omnium maximè funera commoverunt, qui, ante diem desiderati, spem, quam de illis optimam conceperamus, explere fatorum invidiâ nequiverunt. Non solùm enim in his voluptas ea nobis intercepta videtur, quam ex eorum ingenio, & literis aucupabamur; Sed eorum etiam causâ dolendum est, quòd in eos fortunam maximè sæviisse judicamus, quia vix in lucem prodire eos incipientes oppresserit è vestigio. Nam qui ætate jam provectâ extincti sunt, vel aliqua suorum studiorum monumenta reliquerunt, vel sibi & musis tantum vixerunt. Quorum autem extant scripta, ii nequaquam esse desierunt, perque hominum ora volitantes vivunt, victurique sunt, dum erunt disciplinæ, dum Capitolii immobile saxum stabit. In illis verò, qui nihil scripsere, neque scripturi fuerant, qui, uti facetè, qui mos est hominis, Jovius noster dicere solebat, semina intra renes præmortua secum extulerunt, parum jacturæ fecimus, quamvis jucunda alioquin eorum consuetudine privati doleamus. Cæterum quos ad lætissimam frugem perventuros persuasum habebamus, quorumque facunditatem ab ineunte ætate largissimam intuebamur, eos meritò miseramur. Quare quòd ita Decanalis obitum immaturum Contarenus ingemuerit, & aliorum juvenum vicem deplorarit, non indignum humanitate suâ fecit. At cur nos Romanos nostros ex hoc albo summoveamus, cùm miserrima tot exempla atq; ea quidem recentia ante oculos obversentur? Eos autem nullâ invidiâ Romanos appello, qui & Romæ nati sunt, & qui aliunde huc profecti apud nos, musasq; nostras versati communem hanc sibi patriam delegerunt. Igitur si Paulus Decanalis tantæ omnium expectationi præreptus, summum sui reliquit desiderium, meo quidem judicio Bandinus Prolemenus Senensis non minori literatos omnes dolore affecit, qui juvenis admodum Græcis, Latinis, & Hebraicis etiam literis eruditissimus, Mathematicarum cognitione nobilis, stylo ad omnes animi cogitationes explicandas valdè elegans, per studiorum hujusmodi assiduitatem, laboresque, & vigilias in eam incidit valetudinem, quo ex intermissis exercitationibus acciderat ; quâ cùm gravissimè complusculos dies ægrotasset, ante trigesimum ætatis annum ademptus & Lactantium germanum fratrem, ipsum quoque eruditissimum, acerbissima in solitudine, & tam Senensem, quàm Romanam Academiam, magno in sui desiderio, perpetuoque mœrore dereliquit. Inter Romanos autem paucis antè annis non ignobilis fuit Nicolaus Valla, summæ juvenis eruditionis, Græcis, Latinisque literis apprimè doctus ; qui quidem adolescens admodum ad Homeri sublimitatem, eleganti Latini carminis facilitate cœperat aspirare. Is tamen nondum alterum à vigesimo egressus annum, fati quadam inclementia, eruditorum omnium spei surreptus est. Proximis autem annis Bartolomeus Tardolus, Lucæ Medici Camertis filius, eò processerat eruditionis, ut inter Academiæ Romanæ adolescentes, sive prosam scriberet, sive carmen fingeret, sive inter Philosophos subtiliter disputaret, admirationi omnibus esset, nihilque de eo non summum, si fata eum uiterius esse permisissent, unusquisque sibi polliceretur. Hic tamen tam probus, tam studiosus, tam acutus juvenis, altero à vigesimo anno iniquissima febri correptus, æternum sui reliquit desiderium. At Laomedon hujus germanus frater, longè minor natu, per fratris studia successerat, ingenio, & eruditione summus ipse quoque brevi futurus, nisi dum bonarum artium studiis operam dabat, pestilentiâ, quæ Romæ desolationem subsecuta est, interceptus esset; non tam ille quidem Poëtis, quàm etiam Jurisconsultis, in quorum castra commigraverat, assiduè desiderandus. Horum autem pater Lucas Tardolus, honesta conditione vir, in arte Medica celebris,

*Bandinus Prolemenj.*

*Nicolaus Valla.*

*Bartolomeus Tardolj.*

*Laomedon Tardolus.*

bris, & ob integritatem, & suavissimos mores non vulgarem apud omnes gratiam adeptus, quot, & quantis miseriarum casibus, quot iniquæ fortunæ telis impetitus, quàm misero demum mortis genere sublatus? Nam ut acerbissimum Bartolomæi filii funus, & incommoda alia, ærumnasque toto vitæ cursu exantlatas dissimulem. Quid illa tam atrox calamitas, quæ repentè Romam oppressit, quæ unà cum plerisque aliis hunc quoque cum universâ familiâ delevit? Invadentes enim in ejus domum Hispani, cùm fortunas omnes diripuissent, mox ad familiarium omnium corpora torquenda conversi sunt, ut, si qua occultata essent proferrentur, nulloque in domo & parcâ, & minimè locuplete, auro, argentove reperto, ad senem excruciandum aggressi sunt, eumque ad putei trocleam, funemanibus post terga revinctis adalligatum, cùm sursum, deorsumque jactatum inclementissimè torquerent, accidit, ut vel troclea, vel funis abrumperetur, atque ita senex infelicissimus in puteum corruens ea est aqua suffocatus, uxor & filii tenerioris ætatis summâ in mendicitate derelicti, quamquam Hispani, ut invidiam declinent, Lucam ajunt variis tormentorum generibus excruciatum, cùm eis tolerandis impar esset, sponte se in puteum immisisse, atque ita morte voluntaria se ab Hispanorum crudelitate vindicasse. Suâ quoque infelicitate oppressus est Franciscus Palmerius Rom. civis, vir optimè literatus, & Philosophiæ studiis clarus, utpotè qui *Franciscus Palmerius* & Pisis, & Romæ, ea publicè professus erat, ambiguumque faciebat, utrum magis eruditione, an eloquentiâ præstaret. Is, cùm apud clarissimum Cardinalem Nicolaum Rodulphum in honore haberetur, triduo antequam Hispani, Germanique Romam insidiis occupassent, urbe excesserat, ærumnosissimamque illam calamitatem casu evitaverat, beneque secum actum arbitrabatur, quòd licet fortunas suas omnes dissipatas intelligeret, illarum tamen miseriarum spectator non affuisset, & in atrocissima captivitatis incommoda non incidisset. Vix tamen anno elapso, cùm ad urbem veterem Pontifice Maximo jam ex Hispanorum captivitate elapso ad officia rediisset, missus ab eo ad Joannem Baptistam Sabellum, ut discordias inter eum & Cæsarinos Romæ proceres olim obortas componeret, re confecta, commeatumque ab eo accepto Principe medio in itinere *Joannes Francisci Furnius.* ita evanuit, ut neque ejus, neque comitum fama, nuntiusve ullus unquam amplius apparuerit. Immatura verò Joannis Francisci Furnii, viri Mutinensis, sodalis nostri jucundissimi, mors quantæ literatis omnibus acerbitati fuit? Erat is juvenis Philosophiæ scientissimus, mox & Græcas, & Latinas politiores literas severioribus illis studiis adjunxerat, ad hæc gerendis rebus non ineptus, clarissimi Principis Herculis Gonsagæ, Cardinalis Mantuani, domum universam integerrimè regebat, tantoque illi splendori erat, ut, cùm multa essent, quæ Herculem summo opere commendarent, ex nulla tamen re propemodum majorem consequeretur adoream, quàm quòd Furnium seligere noviset, qui & adolescentiam, & res suas omnes tam sanctè, tamque sapienter moderaretur. Is autem Cardinalem suum secutus, qui se ad Pontificem ex hostium manibus elapsum officii causa contulerat, urbe veteri in gravissimam incidit valetudinem; quà brevi consumptus, urbem eam tam excellentis juvenis morte infamem fecit. Quòd verò paulò ante dicebamus universam Tardolorum familiam eversam, quòd pater unà cum filiis literarum studiis oblectati essent, meminisse alterius fecit, quæ non minori clade afflicta est. Demetrius enim Chalcondiles, cui Græcæ literæ ætate nostra ab interitu quodammodo vindicatæ, quòd nunc vigeant, debere fateantur, quot ærumnarum eventis oppressus, miserabilem semper vitam egit? utque exilium, & patriam cum universo Græciæ Regno eversam, & errores, antequam, ubi consistere posset, inveniret, innumerabiles omittam; quàm miserum illud fuit, quòd susceptæ prolis tam numerosæ nullum unquam solatium percipere potuit. Filiâ enim incomparabilis honestatis Jano Parrhasio in matrimonium collocatâ, eam apud se tam diu alere coactus est, donec post aliquam annorum seriem, eo jam mortuo, Leo Pont. Maximus, conducto Jano, ut Romæ profiteretur, uxorem etiam ipsemet auctoritate sua traduci jusserit. Ex maribus autem Theophilum ingenio & eruditione præstantem habuit, qui quò spei majoris esse cæperat, eò acerbiorem patris luctum fecit. Sub doctissimo enim patre, mox & sub Joanne Lascare, cujus contubernio, & clientelâ perquamdiu usus fuerat, multum profecerat; Græcisque, & Latinis literis apprimè eruditus erat. Profectus hinc Papiam ad altiores disciplinas magnam de se concitaret expectationem,

*Demetrius Chalcon.*

*Theophilus.*

cùm nocte quâdam dum apud amicos cænatus domum se recipit, ab iis, qui alienæ virtuti invi-
*Basilius.* debant, interfectus est. Hujus verò germanus frater Basilius Chalcondiles summâ & ipse Græ-
carum, Latinarumque literarum eruditione, sed longè majoris spei juvenis vix quartum & vi-
gesimum ætatis annum agens, cùm summâ omnium admiratione Græcas literas in Romano Gy-
mnasio profiteretur, rapidissima correptus febri, florentissima in ætate defunctus est. Magnus
ille nimirum futurus, nisi fata tantillum id felicitatis eversæ jam tum Græciæ sine Regnis, sine Re-
publica ulla, sine viris, propemodum invidissent. Hoc enim erepto, & Musuro sublato, vix unus
*Joannes Lascaris.* tantùm Joannes Lascaris est superstes, qui literati nomen inter Græcos obtineat. Neque qui-
dem ille ulla unquam vitæ suæ tempestate felix, nisi quantum virtute & sapientia sua omnes, &
fortunæ sævientis impetus, & valetudinis etiam, qua de artubus omnibus laborat, atrocitatem
exuperat. Sed enim cur aliorum ego desolatus domos percurram, cùm una maximè omnium,
hæc ipsa inquam, ubi nunc sumus, duorum ante diem ereptorum adolescentium funere deso-
latissima videatur? scio me ad horum memoriam vobis omnibus, & ipsi cum primis Petro Melino
fratri refricationem vulnerum afferre; sed quoniam eâ de causa hic hodie sumus, ut maximè do-
leamus, & ademptus nobis tam excellentium hominum consuetudines deploremus, cujus, ob-
secro, funere magis exacerbari, quemve magis deflere possumus, quàm immaturum duorum,
*Hieronymus Melinus, Celsus Melinus.* Melinorum obitum? Ecquando enim Hieronymi dememinisse poterimus, quem ad maximam
ingenii, & literarum laudem genitum, fata nobis quarto & vigesimo ætatis anno tam longâ, tam-
que cruciabili valetudine vexatum invidere? Sed quid mœstius, flebiliusque multis abhinc an-
nis accidit Romanis viris, quàm Celsi hujus germani fratris interitus, qui tam magni nominis ado-
lescens, quamvis in ea erat ætate, quæ magna polliceri potiùs, quàm præstare solet, undevigesi-
mo tamen ætatis anno ea de se præbuerat exempla, ut non immeritò benè literatos inter recen-
seri posset. Nam, quod omnes nostis, & Philosophicis disputationibus publicè laudem sæpiùs adse-
cutus, & in agenda contra Longolium causa, quòd eum civitate Romana donari vetabat, qui Ro-
manum nomen, atque adeò totius Italiæ decus mordacissimis orationibus possidebat, & obscura-
re conatus erat vehementis, & ingenioſi Oratoris commendationem adeptus est, Leonis Decimi
Pont. Max. & totius Senatus approbatione. Paucis tamen post diebus, dum Pontifice, qui tum
extra urbem aberat, subscriptis largissimæ donationis libellis, expeditissimis itineribus domum
inscenso equo convectitio redit, magnum hoc parentibus gaudium allaturus, tertio ab urbe la-
pide, noctis hora circiter quarta, cælo pluvio, aere tanta caligine obfuscato, ut neque ipse comi-
tes juxta currentes cerneret, neque ab eorum ullo cerneretur, in torrentem repentinis, iisque
effusissimis, auctum imbribus unà cum equo, quo ferebatur, præcipitatus, è vestigio suffocatus
*Longolius.* est. Ipse verò Longolius patria, ut ipse de se confitetur, Germanogallus, Italicarum tamen,
Græcarumque literarum, & artium studiis expolitus, & oratoria jam facultate clarus, dum Pa-
tavii maximam de se expectationem concitarat, immaturo præreptus funere quæ multa, & ele-
gantia parturiebat opera, intermittere coactus, nullo magis indoluit incommodo, quàm eo au-
ferri tempore, quo iter sibi ad immortalem gloriam patefeciſe, non temerè persuasum habe-
bat, & tunc indignè concideret, cùm speratæ Palmæ cursum, plerisque longo post se intervallo
relictis, jam jam se absoluturum arbitrabatur. Afflixerat omnium animos Celsi recordatio, eo-
que magis quod Petrus frater notabiliter expalluisse visus, ita vulnus, quod jam circiter septena-
um occaluerat, recrudescere visum, & quadam veluti suppuratione exacerbari. Quòd cum Ca-
thanius animadvertisset, ut amicorum animos alio diverteret: At sunt, inquit, in hoc genere mei
quoque luctus, quoniam de iis est sermo, qui juvenes desiderati sunt; quid enim ego dicam de
*Joannes Bonfacio* alumno meo dulcissimo Joanne Bonifacio Victori, cujus ingenium, & in historia sitibunda gra-
vitas, & elegantia vobis omnibus innotuit. Infelicissimus juvenis vix quartum & vigesimum na-
tus annum, dum inchoatam Gottifredi historiam perficere contendit, Romanæ calamitatis
pars magna fuit, captus ab Hispanis, spoliatus, malè tractatus, inedia, & cruciatibus omni-
bus affectus, cùm teterrima illa pestis, quæ statim depopulationem illam subsecuta est, urbem
invasisset, fugâ is per occasionem arreptâ, cymbam quandam ingressus est, ut in Lucanium

abna-

abnavigaret, accidit autem, ut bona vectorum pars pestilentiâ eâ contacta, eodem navigio constiparetur, atque ita ei contagioni impar, delicatiore juvenis corpore, tabe eâ correptus est. Dum verò totam Italiæ oram auxilium implorantes, perlustrarent, à portibus & stationibus omnibus excluſi, neque quidem panis, neque aquæ factâ copiâ, ſecundum littora Lucaniæ oberrantes, & ipſe, & plerique alii morbone, an fame teterrima, contabeſcentes incertum: in eadem tamen omnes navi defecere. Neque unquam potui cadaver ejus diligentiſſimè perquiſitum invenire, ut pro incomparabili ejus erga me pietate paria perſolverem, tumulum illi tamen in littore inanem conſtitui, & magna manes ter voce vocavi. Deflevi etiam lugubri carmine tam probi vicem adoleſcentis, qui ſi fata impia rumpere potuiſſet, vix alium ætas noſtra fuerat habitura, quem illi ſtyli gravitate, judicioque, elegantia compararet. Ad hæc Petroſatius ſive joco, ut aſſolet, ſive rei veritatem inquiſiturus: Ecquid, ait, Alcyonii ſtylum forſan parvi pendere videris Cathanæe, cui tam multi primates viri primatum offerebant. Non diſplicuiſſet mihi Alcyonius, excepit Cathanæus, ſi quantum ſtylo profecerat, amicorum conſilium de rebus adhibere voluiſſet, qui niſi ipſimet ſibi tantum arrogaſſet, futurus omnino fuerat è primoribus; multam enim Græcis, Latinisque literis operam impenderat, & diſciplinis variis oblectatus erat. Verùm is eo primum infelicitatis incommodo flagellatus eſt, quòd dum de literatis omnibus male ſentit, dicaciſſimâ omnes obtrectatione lacerabat, unde omnium tam doctorum, quàm imperitorum in ſe odium concitarat. Fortunarum mox direptionem Columnenſi ſacrilegio paſſus, mox Hiſpanorum, Germanorumque incurſionibus occupata Roma, dum vitæ conſulturus ſuæ Pontificem Clementem in Arcem Æliam confugientem ſubſequeretur, inſtantibus à tergo graſſatoribus, ſulfurea glande Brachium trajectus eſt. Ubi primùm obſidio ſoluta eſt, rebelli in Principem animo, qui hominem fovendum ſuſceperat, ad Pont. Calumnam Cardinalem transfugit, apud quem pauculos commoratus menſes vitam morbo finivit; atque utinam de pietate noſtra melius ſenſiſſet, ne vitæ finem, quod indigniſſimum eſt homine literato, infidelitatis labe contaminaſſet. Et quoniam in hujusmodi dictionem incidi, liberaque, ut video, unicuique facultas datur, quem cuique in mentem venit, venit, deplorare, neque tragœdia hæc per partes diſpenſetur, ſed hydræ more uno vel alio abſciſſo capite, alia atque alia ſuboriuntur, enarrabo vobis conjunctiſſimi familiaris mei Chriſtophori Batti exitum indigniſſimum. *Chriſtophorus Battus.* Noſtis autem omnes Parmenſem hominem, multæ lectionis virum, Græcis, Latinisque literis optimè eruditum, copioſæ in verſu faciendo facundiæ, proſa non ineliganti, Philoſophiæ non ignarum, multis tota vita calamitatibus labefactatum, paupertate, naufragio, peregrinatione per avia montium, ut inſtantes piratas Mauros evitaret, bonorum jactura, & incommodis plerisque aliis afflictum. Romæ is Præſulibus aliquot operam & à ſecretis; & à literis navavit, quorum demum moribus offenſus, ſuo decreverat jure vivere, ſed Arretinæ mox præfectus Cathedræ, paucis inde menſibus, dum impar eorum factioni eſt, qui ſautoribus ſuis adverſabantur, fœdisque calumniis hominem inceſſebant, abjurare profeſſionem coactus magno cùm diſpendio Bononiam in contubernium meum ſe receperat. Inde à Parmenſibus civibus accerſitus, in eâ urbe patriâ honeſtiſſima eſt cathedra decoratus. Hic ille reliquum vitæ tempus, ac ſi demum in optatiſſimum portum confugiſſet, cum Muſis per ſummum otium acturum ſe conceperat. Verùm ecce Galli paulò poſt Duce Lutrechio, ſub ſpeciem ferendi auxilium Clementi in Hadriani mole ab Hiſpanis obſeſſo, Parmam ingrediuntur, deque eâ opprimenda dum cogitant, dum cauſas quæritantes & hunc, & illum, atque univerſam denique civitatem omni calumniarum genere perſequuntur, eo conſilio, ut excitato per cives tumultu, ſiquis impatientior fuiſſet, quàm indigna illa ferre poſſet, aliqua per urbem ſæviendi daretur occaſio. Igitur qui apud Chriſtophorum hoſpitio ſuſceptus erat, liberaliterque tractatus, impuriſſimus vir beneficium hoſpitem furti ſibi facti inſimulavit, adeoque pertinaciter, nullis indiciis reum egit, ut eum torqueri etiam paſſus ſit, civibus omnibus, qui probitatem hominis noverant, eam injuriam deplorantibus. Æſtate mox ſequenti epidemiâ in Parmenſes debacchante, contagione eâ ſublatus eſt, quodque omnium infeliciſſimum fuit, ſcripta ejus, quorum bona pars victura erat, una cum reliquo inſtrumento, ut peſtilitatis tempore fieri ſolitum, concre-

concremata sunt. Et ut reliquos hujusmodi studiorum professores, quos noverim cis, aut ultra Padum, in memoriam adducam. Video enim literatos eos esse vobis, qui literas vel voce, vel scriptis illustrare conati sunt. Tres igitur ex hujusmodi classe vobis memorabo. Ex quibus Daniel Gajetanus Cremonensis, magni nominis Grammaticus, annos multos summâ cum laude docuerat, &, quod rarissimis accidit, in patriâ urbe honestissimâ conditione profitebatur. Ejus famâ impulsus Franciscus Marius Sphorcius, Insubrum Dux, Mediolanensi eum cathedræ præcerat. Cùm ecce Mediolanum ab Hispanis, ejusdem Ducis sociis occupatur, exactoque Principe Daniel quoque in procellosâ eâ turbâ, & confusione rerum omnium, cùm nullus bonis artibus locus esset, miserrima quæque præferre cogitur. Insubriâ demum universa bello exâdescente reversus Cremonam & curis, & egestate confectus, in maximarum quasi concursum ærumnarum venerat, quibus undique afflictus, & jam omni spe salutis orbatus, mendicabundo similis in eâ ægritudine consumptus est. Alter fuit Tadius Ugoletus, patriâ Parmensis, vir maximè omnium unus, cui fortuna sit arridere visa, dum juventutem apud potentissimos Reges magno in honore peragit, eorum favoremque in se propensissimum sentit. Is tamen Matthia Pannoniæ Rege defuncto, multisque totâ Italiâ Principibus defectis, in patriam, re admodum tenui, reversus ad didascalicas nugas se conferre coactus est; quo ex labore vix tantulum adsequebatur, quod ad necessaria vitæ sustentanda sufficeret, in eâ demum inopia defecit; neque quicquam ex magnis, & multis operibus, quæ cùm labore, & diligentiâ lecta inchoaverat, spatiis exclusus iniquis, relinquere potuit absolutum. His tertium addemus Stephanum Nigrum Cremonensem, Græcarum literarum studio nobilem, quas Mediolani per annos multos docuerat. Incidit is in eam temporum calamitatẽ, qua nulla multis ab hinc annis illi urbi ærumnosior accidit. Eâ enim ab Hispanis oppressa, bono cuiq; viro illic esse miserrimum fuit. Nam in summa cladiorũ impunitate omnia sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relicta erant direptionibus, & incendiis. Tam misero igitur tempore, & salariis, & alia omni Minervali mercede defraudatus, ad extremam redactus paupertatem eâ temporum perturbatione, dum turbulentis tot, tantisque rebus urgeretur, neque ulla ex parte allevationem ullam speraret, in lacrymis, & sordibus infelicissimè defecit. Sed nolim, dum Transpadanos recenseo, Andreæ Maronis obliviscì, cujus felicissimam pangendis carminibus extemporalitatem nemo unus ætate nostra non admiratus est, solitus ille quidem, ut super eo Pierius noster cecinit,

*Daniel Gajetanus*

*Tadius Ugoletus.*

*Stephanq Niger.*

*Andreas Maro.*

*Mille ex tempore carmina erudita,*
*Quis nil sit lutulentum, inexpolitum,*

Nil absurdum, & inane, nil hiulcum, emodulari quotiescunq; amicorum rogatu invitaretur. Id quod tribus præcipuè versuum generibus indifferenter factitare consverat, sive Elegiaum, sive Phalæcii, seu Sapphicum Hendecassyllabum deposceres, nihil contatus, quod proposuisses argumentum, horum quovis carminis numero continebat. Hujus tamen vitæ exitum infelicissimum taliq; indigniorum ingenio, nemo non misereatur, quanquam & reliquâ vitâ infelix potiùs, quàm beatus haberi potuerit. Qui licet usque adeò eruditorum omnium commendatione, & Principum, quos colebat, judicio probaretur, à nemine tamen tantum consequi potuit, ut non alienæ quadræ victum, per officia, quæ faciebat, emendicare cogeretur. Is denique in acerbissimas illas Romæ incidit calamitates, quibus oppressus captivus actus, fortunis omnibus, quantulæcunque essent, expoliatus. & indignissimis modis malè habitus, ærumnosissimam inde vitam per menses aliquot traxit, vivus tamen è latronum manibus elapsus capite ære gravi redempto, Capuam, ubi tenui admodum sacerdotio potiebatur, migrare sæpiùs cogitaverat. Verùm librorum, atque adeò poematum suorum desiderio detentus, eorum recipiendorum spe urbe excedere non poterat, atque insuper ob ægritudinem, & incommoda, quæ diu perpessus fuerat, toto erat corpore debilitatus, seleque per universam cutem suffuso, inaurata palladior statua videbatur. Igitur is dum menses aliquot scriptis suis investigandis frustrà consumit, in magnâ rerum necessariarum inopiâ, & illorum inveniendorum desperatione, tantis malis fractus, cùm se oleum, & operam perdidisse conspiceret, de mœrore & ægritudine in febrem illapsus, paucissimorum horarum spatio, loco ignobili, & solita-

solitario, diobolari in tabernulâ, re nulli amicorum cognitâ, qui nulli hominum, dum vivebat, ignorabatur, demum moriens omnium oculos fefellit, Atque ita nunc & Maronem ipsum, & lepidissima ejus scripta, eruditissimus quisque desiderat. Fuit nimirum is Portunensis patriâ Forojulii oppido, quod nonnulli Portum Naonis vocitant, cujus tamen pater Brixiâ ferebatur oriundus. Inde Petrosantius: Quid, inquit, & Romam ipsam, & Italiæ regiones ferè omnes perlustratis, & unam tantum Etruriam declinastis, cùm clarissima illic literarum lumina fuisse, neque minori calamitate extincta, quàm bona eorum pars, quos memorastis, multi meminerint. Tum Melinus: Eram ego, inquit, eos recensurus; sed posteaquam te hic adesse vidi, tuas esse partes Etruscos proferre judicavi, eâque de causâ me continueram. Quòd si paratus es dicere, te libentissimè, ut pro his omnibus loquar; auscultabimus. Excepit Petrosantius; Vellem quidem lætius mihi dicendi argumentum dari, ne vulnera sermonis istius asperitate refricaremus. Sed quoniam, è re nata colloquii istiusmodi genus incidit, eâ præcipuè de causa species hæc non parum oblectare videtur, quod veram omnium ingenuitatem indicat, qui, dum tot probos homines per querimonias, & deplorationes desideratis, summum animorum vestrorum candorem indicatis; & illi reviviscere quodammodo videntur, quoniam in bonorum memoria versantur, quorum pars bona nisi vestræ dictionis testimonio cognita esset, eos vetustas, ut alios nimirum multos, oblivione obruisset. Sed quoniam Etruscos à me recenseri cupitis, unde potiùs incipiam quàm ab eo, qui totius Etruriæ lumen esse cæperat? Fuit autem is Petrus Medices Laurentii filius, vir & Græcis, & Latinis literis, optimè, quod omnes fateamini, peritus. Nam hoc & scripta ejus indicant, & quædam ex Plutarcho, de Amore Conjugali, quæ vidimus, traducto ab eo, locupletissimè testantur. Sed vices hic quoque suas expertus, post Laurentii patris obitum dejectus de Florentini dominii administratione per factiosos, qui vitæ etiam ejus insidiabantur, cùm variis per terrarum orbem peregrinationibus agitatus esset, auxilium atque opem undecunque imploraturus, Gallicæ demum adhæserat factioni: sed victo, fugatoque ab Hispanis juxta Lyrim eorum exercitu, Cajeta ipse, ubi cum uxore confederat, ausugere parabat; dumque navem inscendit, mari procellis commoto, fatiscente statim navi, sive potiùs multitudine insilientium oppressâ, cum eâ ante conspectum Alphonsinæ uxoris, in ipso portu urbis à vorticibus devoratus est. Simili mortis genere sublatus est Marullus Tarchoniota; qui quantæ fuerit eruditionis, hymni & epigrammata ejus, quæ magna cùm laude omnium in manibus versantur, facilè indicant, tum inchoatus liber de Principe eorum omnium judicio, qui opus inspexere, antiquitatem in certamen provocare judicatur. Hic tamen tam sublimi ingenio, tantaque doctrinâ vir, quamdiu vixit, militari stipendio sese alere coactus, in assiduo semper labore vitam traxit infelicissimam, nullius unquam Principis liberalitate ita adjutus, ut in literarum otium se conferre posset. Demum dum Siclam, qui olim Cecina dicebatur, fluvium vel exiguæ tunc aquæ fluentem ingressus, sive equum potaturus, sive aliâ de causâ tantillum immoratus, sensit equum anterioribus pedibus ita in arenas alvei semper infidi voraginosas absorberi, ut emergere indignatus eum calcaribus adurget unà cùm eo in cœnum provolutus est, impactoque cruore sub canterii ventrem, cùm neque surgere, neque se inde exsolvere posset, modica admodum ejus profluentis aqua suffocatus interiit. MELINUS. Verum igitur fuit, quod meus Pierius jam tum puer de Marullo cecinit. CATHAN. Quidnam? illud musici recita obsecro, quoniam libenter ejus cantelas auscultabo. MELINUS.

*Petrus Medices.*

*Cur ideò fluctus contra conaris? in undis*
*Opperiisse horres cur Helicone satus?*
*Igneus ut gelido vigor extinguatur in amne*
*Forte times? at qui, sæpè fit ignis, aqua.*
*Non hoc, inquis, habet malè me; quod miles, & acer*
*Sim, doleo: sub aquis militem obire pudet.*
*Ah ne indigneris, miles licet impiger astra*
*Hac pervulgatâ fortibus ire viâ.*

*Hac pius Æneas, & bello magnus, & armis,*
*Hac Romæ fertur Romulus esse pater.*
*Debentur cœlo fortes: cœlo ignis, & aer,*
*Undaque suppositа est: infima terra tenet.*
*Scandenti à terra ad cœlum stat limes in undis*
*Primus: age hac cœlum scande Marulle viâ.*

CATHAN. Meritò quidem consolatione indigebat. Nam ferunt illum primo statim casu vehementer excanduisse, utque erat iræ impatiens convitia, & maledicta in superos detorsisse. Paucis autem ante annis Angelus Politianus, nullius ignarus eruditionis, & disciplinæ, cùm in adversa Medicorum procerum tempora incidisset, inclinantibus jam Petri, quem ipse literis instituerat, rebus, in eam incidit ægritudinem, ut in multis, & variis molestiis, cogitationibusque consolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore, mœstitiaque confectus, expirarit. Quodque illi longè fuit infeliciùs, confictâ in eum turpitudinis fabulâ maledicentissimis obtrectationibus prosciſſus, calumniatusq; est, utque eâ gens promptissima est ad insimulandum, in invidiam Petri ipsius ignominiosam, aliam mortis voluntariæ causam universo terrarum orbi magna cùm ejus infamia proparunt. Ærumnosus etiam fuit Marcelli Virgilii viri Florentini exitus, cujus beatissimam in profitendo copiam, & facilitatem omnes admirabantur, quique aliquot variæ eruditionis voluminibus benè literati hominis nomen adsecutus est. Is autem cùm rusticationem pararet, equum inscensurus, ab eo ferociente excussus, mentum ad parietis angulum adfixit, elisaque lingua, expedito nunquam inde sermone effari valuit. Sed balbutienti similis, eo nunquam incommodo destitit afflictari, qui videret arma eâ sibi mutilata, quorum usu magnam apud mortales gloriam acquisieat; ut reliqua missa faciam, quæ publicè hominem angebant, quòd multa contra voluntatē suam, & præter opinionem accidisse videbat, ut qui quorundam hominū potentiam patientius ferre non poterat, minusq; ullam ab hujuscemodi molestiis aberrationem invenire finivit. Fuit & Hieronymus Massainus Etruscus genere, qui multæ lectionis, emunctissimique judicii vir, Romæ aliquot Principum a secretis fidelē, & diligentem operam navavit. Verùm cùm ingratos potentiorum aliquot animos expertus perquamdiu fuisset, sibi demum vivere decreverat, suaq; demū curans, sperabat vitæ reliquum in otio transigere, cùm ecce sicariorum tempora Hispanis, Germanisque, ad Romæ direptionem, irruentibus, incubuere. Hic ille amissis bonis omnibus, captus, venditus, redemptus, moxque alii, atque alii in captivitatem traditus, cùm astu Româ demum effugisset, & sexcenta in itinere vitæ pericula adiisset, à rusticis latronibus, tunc vias omnes obsidentibus, malè sæpiùs acceptus, Venetias tandem applicuerat, ibi in aliquam se latebram abditurus, ubi, quod dictitabat identidem, nec Pelopidarum nomen, nec facta audiret. In posterum vi tempestatum, & concursu calamitatum labefactatus, atque convulsus, tametsi horum malorum initia multò ante viderat, & ventura prædixerat; in tantâ tamen rerum omnium amissione, &, quod gravius angebat, recuperandi, aut parandi unquam desperatione, dolori impar effectus, apud Thomam Campegium, Feltrensem Præsulem, vix viginti dierum spatio in humanis fuit. At Scipio Carteromachus Pistoriensis, quâ literatura fuerit, sive carmen Græcè, sive Latinè pangeret, sive orationem elucubraret, ex mustis ejus scriptis unicuique erudito viro licet inspicere. Plurimùm verò proderat ingeniis, abditissimos quosque locos disciplinis in omnibus interpretando, ut facilè diceres, nihil ad hanc diem scriptum, quod ille non legisset; nihil ab eo lectum, quod non in aliorum frugem benignissimè communicaret. Is Venetiis magno semper in honore habitus, cùm duris bellorum temporibus tantum instare malorum Venetis inspexisset, neque in eâ rerum perturbatione literarum studiis, & otio, quod tanto affectabat opere, locus esset, abire & ipse coactus Romam se contulit, ubi à Francisco Alidoxio, magno tunc nominis Cardinale, in amicitiam adscitus est. Eo mox intra Ravennæ mœnia occidione sublato, non sine suorum studiorum jacturâ Romam reversus, apud hunc Colotium nostrum, cujus in litteratos omnes liberalitatē nemo nostrum non expertus est, quàm conjunctissimè convixit. Mox Leone ad Pontificatum adsumpto, cùm prima illi Principi insedisset cura, ut Julium patruelem fratrem in summi ordinis collegium cooptaret, & jam hominem sacris Florentino-

*Angelus Politianus.*

*Marcellus Virgilius.*

*Hieronymus Massainus.*

*Scipio Carteromachus*

rinorum præfeciſſet, Scipio illi ſtudiorum ſocius datus, cui quidem, ut & probatiſſimi mores, & literæ ejus optimè exigebant, cariſſimus eſſe cœperat, neque dubium, quin & ipſe de ornando ſtudiorum ſocio cogitaret. Accidit verò, ut pauciſſimos poſt menſes, ex quò à tanto Principe in amicitiam acceptus fuerat, repentinâ correptus febri, Piſtorii priùs moreretur, quàm ullam favorabilem ſibi auram adſpirare ſenſiſſet. Eodem in albo reponendus Joannes Oricellarius ſummæ vir integritatis, quique literarum ſtudia vel à teneris unguiculis ſectari cœperat, & apud Bernardum patrem eruditiſſimum virum, & apud Mediceos, hujusmodi ſtudiis in eâ domo florentibus, educatus fuerat. Erat is Leoni Decimo Pont. Max. amitinus frater, neque ullus erat, qui tum morum, tum literaturæ, nobilitatis, & conſanguinitatis gratia, non eum ſperaret ad Cardinalatus apicem in horas evehendum. Sed fortuna illi quosdam oppoſuerat, ad eadem aſpirantes, & parem cum eo gratiæ gradum affectantes, quibus Leo quamvis adblandiretur, homines tamen non usquequaque probabat, quòd patrem, ſeque, & familiam ſuam omnem eorum inſidiis impetitam, & magnis calamitatibus affectam recordabatur. Verebatur igitur hos ſacris patribus admiſcere, & eorum vires, quos hoſtes perpeſſus fuerat, augere. Neque tamen illi ferè integrum erat Joannem in Cardinalem cooptare, quin & eos affinitatis vinculo ſibi junctos adſciſceret. Interim dum animi pendet Pontifex, repentino intercipitur morbo Oricellarius, quod ejus auxit calamitatem, eodem ipſo tempore Pontificius Orator apud Franciſcum Galliarum Regem infeliciter agebat. Nam Leo Regem armis laceſſiverat, & Regno Italiæ dejecerat. Ad ridere mox Joanni viſa ſors melior, quòd haud ita multis poſt menſibus Julius Medices Cardinalis Leonis frater patruelis Pontificatum adeptus eſt, Qui Joannem ſtatim moli Hadrianeæ præfecit. Ita enim ſoliti Pontifices animum erga eum, quem plurimi facerent, indicare; nam quos eâ præfecturâ honeſtarint, nullâ mox patrum controverſiâ in Cardinalem, ubi adlibuit, adſciſcunt. Quod vix unquam, niſi Pontificis interveniente obitu, fallere viſum eſt. Hic igitur Oricellarius, dum ſe totum literarum ſtudiis reſtituit, & fortunæ demum fallacias declinaſſe haud temerè ſibi perſuadet; dumque Clemens de more quodam ſuo contator ornandi hominis diem de die ducit; ille in rapidiſſimam illapſus febrem, magnæ doctorum hominum ſpei præreptus eſt. Neque indignus eſt Jo. Franciſcus Roboreus, qui hos inter locum obtineat ſuum; & quamvis Etruſcos tantum enumeraturum me initio propoſuerim, eventi tamen ſimilitudo facit, & amicitia, quæ mihi cum eo Præſule conjunctiſſima fuit, ut ejus debeam meminiſſe. Juvenis is & literatura, & moribus, & nobilitate generis inſignis, Bononiæ primùm, mox Peruſiæ literis, & diſciplinis optimis fuerat inſtitutus, qua fama impulſus Julius Secundus Pont. Max. conjunctum ſibi majorum conſanguinitate juvenem vix alterum à vigeſimo annum agentem arceſſiverat, eaque ætatula Arci Æliæ præfecerat. Dumque ibi vitam is & honeſtam, & literariam agit, ſæpius à Julio admonitus adeſſe tempus, quo eum in Cardinalium Senatum adopturus erat, & jam nomen præſcripſerat, quo eum inſcribi placebat, edixeratque ingenii minimè varii Princeps, ut ejus nominis ergo Presbyterum profiteretur, profeſſus erat, ſtolas pararat, ſcyrmata, ſcetrum argenteum, faſces, manticam, & quæ ad ejusmodi dignitatis ornatum neceſſaria videbantur, quin & dies, quâ hæc tranſigenda fuerant, dicta. Cùm ſtatim Pontificiæ copiæ apud Ravennam à Gallis fuſæ, fugatæque Julium ab aliarum rerum cogitationibus avocarunt; dumque modò ſaluti ipſe proſpicit ſuæ, modò Gallum ulciſci parat, modò eum Italia ejicit, in morbum incidit, quo intra pauciſſimos dies adſumptus clariſſimi juvenis ſpes, cogitatusque omnes evertit. Idem tamen à Leone Decimo, qui Julio ſucceſſit, ob navatam fortiter, & ſapientiſſimè operam in arce cuſtodienda, Pontificiisque theſauris ingentibus à direptione ſervandis contra multorum inſidias, qui eis inhiabant, in ſpem iterum erectus, & Pontificiis pollicitationibus, & Franciſci Galliarum Regis favore fretus, qui cum ad finitatem contraxerat, nepte ejus Monæci Domina Hieronymo fratri germano ſuo nuptui collocata, dum Regem in Æmiliam ad Pontificis auctoritatem ſe conferentem comitatur, ex itinere in morbum incidit, quo pauculos admodum dies Bononiæ conflictatus, dum & Rex, & Pontifex de eo ornando agitant, ipſe ſextum & vigeſimum nondum ingreſſus annum & honoribus, & humanis omnibus ceſſit. Sed jam revertor ad meos

*Joannes Oricellarius.*

*Jo. Franciſcus Roboreus.*

*Petrus Marcellus.* Petrus Marcellus Florentinus inter ætatis suæ literatos non ultimum obtinuit locum, sive tu Græca, sive Latina, sive etiam Hebraica posceres: multæ etiam lectionis in omnibus disciplinis fuit epistolam eleganter, epigrammata acutè & eruditè conscripsit. Indignissima tamen totius ferè corporis valetudine excruciatus, articulis miserabiliter affectis, paralysi, & stomachi cruditate, & sexcentis aliis incommodis afflictatus diutissimè decubuit. Qua morbi & magni, & diuturni atrocitate factum est, ut doctissima, quæ parturiebat opera, parere non potuerit. Sed ea tamquam abortiva, & imperfecta reliquerit, magna quidem nominis sui, sed longè majori studiosorum omnium jactura. Quatuor tamen libros exactissimæ interpretationes in Mathematicas disciplinas Braccius ejus filius ab interitu vendicarat, vel ipsius auctoris de se testimonio absolutos, atque ii Barbarorum manus effugerant, Braccii ipsius diligentiâ in Arcem Æliam asportati. Sed enim in Petri Alcyonii manus cùm incidissent, ita suppressi sunt, ut nusquam amplius apparuerint. Etruscus fuit

*Gerius Valdambrinus.* & Gerius Valdambrinus, Aretinus domo, vir in literarum studiis toto vitæ tempore versatus multorum Cardinalium à secretis, à Julio Cardinali Mediceo, qui nunc summus Pontifex est, virtutis ergò amicitiam adscitus, & in honore habitus, vix altero ejusdem Pontificatus anno frui potuit; repentinâ enim morte unius vix horæ momento sublatus, honorum, qui homini destinati erant, immunis fuit.

*Vitellius Typhernas.* Vitellius autem Typhernatum longè Princeps, eo mihi admirabilior videtur, quo etiam rarior in mirabilibus, Principibusque viris, literarum delectatio. Is & Latinè, & Græcè peritus morali etiam Philosophiæ, præter summum Historiæ, & Cosmographiæ studium, operam dederat non indiligentem, ut non immeritò inter literatos locum mereatur. Sed ut ad genus mortis infelicis, quæ de agitur, veniamus; Columnensi bello, quod à Clemente gestum est, in sacrilegii Romani castigationem omnia prudentia sua rexit, futuraque erat auctoritas Pontificia eo duce tutissima. Sed paucis ante diebus, quàm latronum exercitus Romam opprimeret, Vitellius subitariâ morte præreptus expiraverat. Sed & duorum juvenum crudelis exitus mihi venit in memoriam, quorum

*Jacobus Jacettus* uterque majestatis læsæ reus miserabiliter occubuit. Jacobus enim Jacettus, juvenis & Græcè, & Latinè egregiè peritus, pangendi carminis auctor non illepidus, Florentinam cathedram obtinebat; sed infelici suo fidere conjurationis in Julii Cardinalis Medices cædem certo die patrandam conscius fuit; qua patefactâ, captus ipse, & tam nefandi sceleris convictus, Senatus Florentini judicio

*Almericus Miniates.* secuti percussus est. Almericus Miniates promptissimæ, & elegantis extemporalitatis in versu faciendo, quod potentiores quosdam maledicos prosciderat carmine, ab Horatio Balione laqueo strangulatus est. Et quoniam Colotius Romanos eos appellavit, qui Romam sibi contubernium delegerunt, eâdem ergo ratione inter Etruscos eos ponam, qui Florentiæ vel profecerunt in literis, vel

*Picus Mirandulanus.* alios instituerunt, quorum duo præcipui. Mirandulanus Picus, & Hieronymus Savonarola. Picus enim literaturâ supra humanas vires anteactâ ætate nullâ controvetsiâ summus, multa totâ juventute incommoda perpessus, causam apud Alexandrum Sextum dicere coactus, quasi de Christianâ pietate malè sentiret, accusatus. Absolutus demum, Florentiamque reversus, ubi studiorum suorum Musæum instituerat, anteaquam virilitatis annos ingrederetur, mæstitiâ quâdam non levi de causâ affectus tantam concepit ægritudinem, ut quodammodo vitam aspernari videretur, atque ita inter suspiria, & occultas lamentationes, ægritudine sua nulli amicorum communicatâ virente eâ ætate, desideratus est. Savonarola autem Divi Dominici sacris initiatus non modò literatus, sed magnæ apud literatos omnes auctoritatis, Christianæ disciplinæ Concionator egregius,

*Hieronymus Savonarola.* admirabili omninò doctrina, nisi pravo eam ingenio contaminasset, postquam facundia fretus sua Florentinum populum eò compulerat, ut ab Alexandro Pontifice Maximo, atq; adeò ab Ecclesiæ Romanæ institutis dissentiret, majoremque sibi adrogaret auctoritatem, quàm ab ipso rerum opifice per manus traditam adsecutus esset Petri successor Rom. Pontifex; de doctrina sua, deque Dei familiaritate, qua se ad colloquium usq; dignatum palàm profitebatur, fidem æquo pertinacius tueri perseverat, mendacitatis, & impuræ demùm convictus, impietatisque damnatus, in urbis, quam deceperat, medio cùm asseclis aliquot concrematus est. Hic Melinus. Cursum nunc audire velim

velim, qui se quoque magnam literatorum carnificinam inspexisse dicit: huic igitur dicendi partes demandemus, & cum nemo eo libentiùs loquatur, præstet ipse linguam, nos aures adcommodabimus. COLOT. Rectè admones Petrosancti, nam & ipse mirabar, cur tamdiu tacere posset, & quantum in me erat, libentissimè loquendi copiam illi facere cogitabam. CURSIUS. Ego verò vobis loquentibus sermonem abrumpere aggressus essem? non sum tam impudens, neque tam imprudens. Sed quoniam me dicere imperatis, eorum sequar argumentum, quod jam in promptu est, de his, qui violento mortis genere sublati sunt, quorum duo mihi præcipuè indigna passi videntur, Pandulphus Pisaurensis, & Cynthius Anconitanus; Pandulphus enim non jurisconsultus tantùm scientissimus, verùm & in politioribus literis, & disciplinis versatus, aliqua ingenii, & eruditionis suæ monumenta posteritati legenda reliquerat. Sed incidit is in res novas, & rerum, quæ sub Valentino Cæsare evenerunt, vicissitudines, suspectusque Principi, quòd adversæ factionis esset, laqueo vitam finire jussus. Anconitanus verò Cynthius poëticis studiis valde celebris, acrique & eleganti ingenio præditus, Matthiæ Pannonii Regis amicitiam promeruerat, à quo magnis honestatus honoribus, & donis, præclaram agebat vitam; eoque Principe jam defuncto, complures annos vixerat honestissimè. Domesticis demum insidiis, & fratris germani scelere asperè, & acerbè accusatus apud Julium Secundum Pont. Max. quòd contra sacerdotum imperium sentiret; vir alioqui simplicitatis integerrimæ, summâ cum diligentiâ captus, & in Phanensi arce perpetuo carcere condemnatus, vitam miserabiliter finiit; quanquam non defuerunt & aliæ calamitates, quæ sub Alexandri Sexti dominatione hominem extorrem fecerunt, & miserabili exilio per annos aliquot vitæ subsidia ex amicorum liberalitate emendicare coëgerunt. Quòd verò Cynthius Phani desideratus est, Octavii Cleophili Phanensis viri reminisci facit, qui & ipse fortunam expertus est iniquissimam. Post multos enim in liberalibus artibus labores exhaustos, dum sibi quærit requiem, uxorem Centumcellis acceperat, quam dum in patriam traducere cogitat, à socero, quod eum dote fraudaret, veneno sublatus est. Quid verò vobis Dicam de Sigismundo Xantho Carpensi, amico meo suavissimo, quem literarum studiis clarum, præsertimque Philosophiæ professorem disertissimum Gymnasia sunt admirata. Verùm ubi Alberto Pio Carporum Principi adhæsit, Regum negotiis procurandis adhibitus, dum expeditissimis itineribus Legatus ad magnos Principes dimissus iter Verona arripit, ante lucanis horis antequam Tridentum appropinquaret, ab hospitis famulo, qui nocturni itineris dux adscitus erat, spe prædæ peremptus est, numeroso filiorum grege in egestate relicto. Cæsaris autem Sacci repentina mors uni illi forsan commoda, nobis verò, qui jucundissimâ ejus lepiditate fraudati sumus, visa est acerbissima. Laudensis is fuit, Jacobi Triultii familiaritate clarus, ejusque factionis adsectator acerrimus, vir alioqui Græcè, Latineque doctissimus, versu, prosaque oratione non inelegans, Mathematicarum optimè sciens. Dum autem apud Scaramuzam Cardinalem Triultium à cœnâ fabulatur, subitariâ paralysi suffocatus interiit è vestigio. Longè autem diverso mortis genere sublatus Fabius Calvus Ravennas, summæ senex integritatis, qui non dies tantum extremos, sed universum vitæ cursum per ærumnas & incommoda transegit. Latinis iste, Græcisque literis eruditus egregiè, nunquam tamen neque sanctissimis moribus, & continentiâ summâ, neque multarum vigiliarum lucubrationibus, laboribusque tot, quos in sexaginta Hippocritis libris traducendis, edendisque exhausit, tantillum consequi potuit, quod frugalissimæ alioqui vitæ necessaria sufficeret, in egestosa semper inopiâ à Principibus habitus, rejectus, atque contemptus. Ad hæc in difficillima Romæ tempora, captivitatem scilicet, & deprædationem incidit, & quæ reliqui omnes Romæ tunc miserrima perpessi sunt, ipse quoque à fædissimis latronibus ærumnosissimo rerum omnium suarum exitio pertulit. Nam cùm intolerabilia, quæ flagitabantur tributa, vir Codro, & Iro pauperior, solvendo non esset, neque tamen captivitate solveretur, rus Syllanum ab hostibus tractus, fame demum victus, vitam in xenodochio quodam cum morte miserrimâ commutavit. Sed bene illâ de parte evenit Fabio, quòd labores ejus Minitii Calvi curâ, diligentiâque editi paucis ante diebus, quàm clades illa in urbem Romam debaccharetur, immortalem homini gloriam attulere: quod in Theodoro Gaza longè diversum fuit, qui saturninâ quædm

*Pandulphus.*

*Cynthius Anconitanus.*

*Octavius Cleophilus.*

*Sigismundus Xanthus.*

*Cæsar Saccus.*

*Fabius Calvus.*

*Theodorus Gaza.*

quadam iniquitate bonam suorum fætuum partem absumpsit. Tantæ enim ille eruditionis vir, quantæ multis abhinc annis nemo Græcorum, dicere ausim, etiam & Latinorum fuit, cùm divinas propemodum elucubrationes in Aristotelis animalia, quam historiam Latinè legendam, repræsentarat, Xisto Quarto Pont. Max. nuncupasset, sperans scilicet Principis ejus beneficentiâ quæsitum per tot labores vitæ subsidium non deparcum se consecuturum: neque tamen plures quàm aureos quinquaginta, quasi magnum ab eo, à quo se totum inauratum iri speraverat, retulisset; studiis indignatus suis, quòd tam parca sibi laborum & vigiliarum suarum merces tributa esset, nummos eos primùm in Tyberim abjecit, mox ipse hujus indignitate rei exulceratus, insolabili contabuit ægritudine. De dolore periit & Jacobus Constantius Phanensis, vir & literaturâ, & integerrimâ probitate insignis, qui bonas literas diutissimè docuerat; cumque Pisauri honestissimâ conditione profiteretur, in Mediceum incidit bellum, veritusque Laurentii Ducis potentiam, quem rerum potiturum multò ante providerat, rebus suis familiaribus caverat, ut à militum eas licentiâ vendicaret. Namque in arcem Mondulphorum munitissimam argentum, aurum, vestem, libros, & scripta sua omnia asservanda transmiserat. Accidit autem, ut id præcipuè oppidum Laurentii Medicei Ducis virtute caperetur, vique ingresso milite nullo discrimine diriperetur. Quo ille accepto nuntio, cùm de scriptis tantùm suis sollicitus esset, neque ulla eorum recuperandorum spes adfulgeret, gravem adeò molestiam ex eâ jactura contraxit, ut indè valetudine, & mœrore insolabiliter offensus gravissimè ægrotare cœperit, & mox, cum nullo modo dolorem exhauriri pateretur, jacturam laborum suorum immoderatius ferens, morbo, & curâ eâ conflictatus occubuit. Periit & jactura rerum offensus Trypho Dalmata, vir cui nostra ætas rarissimos habuit, quos Latinarum, Græcarumque literarum cognitione conferre posset. Erat insuper Philosophiæ studiis deditissimus, in versu faciendo elegans, acutus, ingeniosus, & tersus, educatus Venetiis apud clarissimum literatura virum Hieronymum Donatum, inox Albertum Pium Carporum Principem secutus, reliquum vitæ tempus auspiciis ejus transegit. Accidit verò homini aliquot ab hinc annis maniæ species quædam Timonica, ut humanum omne genus evitaret, nulliusque contubernium ultra biduum, aut triduum ferre posset, quin etiam & colloquia ipsa studiosissimè declinabat. Cujus rei causam nonnulli arbitrantur, quod aureos nummos circiter quingentos insuerat toraci, metuque perculsus, ne deriperetur, ultrò omnes fugitabat. Vulgata autem res erat, & ubi primùm de torace suo mentionem fieri animadvertebat, arrepto statim itinere in alias, atque alias urbes commigrabat. Accidit verò, ut aurum id surriperetur, quo ille casu consternatus, efferatusque propemodum, à seque penitus alienatus, cùm avertere à nummis cogitationem minimè posset, dolore, & ægritudine oppressus, miserabiliter defecit. Et quoniam oratio me ad Venetos transtulit, horum aliquot in hac urbe vobis omnibus ob ingenium, & doctrinam cognitissimos memorabo. Dominicus Sarratonius Venetus, non contemnendæ in disciplinis omnibus eruditionis politiorum literarum facultatem sub M. Antonio Sabellico studiosissimè fuerat assecutus, Philosophiæ operam dederat non indiligentem; Mathematicas autem omni conatu sibi vendicaverat. Erat insuper in homine mira morum suavitas, & jucundissimus rerum, & sermonum lepos. Hic tamen cùm apud gentis Cornelia nobilitatem & otio, & sacerdotiis honestatus esset, cœpisseque ad locupletissimæ doctrinæ suæ fructus maturandos animum applicare, incumbente in universam Italiam contagione eâ, quæ superiori æstate, mortales longè plures abstulit, quàm continentia per tot annos bella fustulerint, eo ita correptus est morbo, ut animi statim abalienaretur, deque nummis, quos in manticam conjectos lacerto suspenderat, loculo in interiorem tunicam immisso, delirio nescio quæ fabularetur, nullisque medicorum opibus adjuvari potuisset, Venetiis, non sine eruditorum omnium mœrore, desideratus est. Multis verò ante annis Bartolomeum Leonicum, cognomento Fuscum, agnovistis, cujus ingenium, & absolutissimam eruditionem omnes admirabamur. Is cum Patavinum bellum, & totius regionis desolationem, incendiaque devitasset, Romæ aliquandiu fuit; sed, cùm neque hic otium, quod sibi proposuerat, reperisset, in Cassinatem recessit solitudinem, factâ illi à loci illius monachis quiescendi copiâ: sed, dum hic sperat scripta sua luculentissima

*Jacobus Constantius.*

*Trypho Dalmata.*

*Dominicus Sarratonius.*

*Bartolomeus Leonicus.*

tissima maturare, & immortalem sibi gloriam comparare, paucis postquam illuc secesserat diebus, rapidissimâ correptus febri, cùm ægrotasset gravissimè, valetudinis ejus violentiâ sublatus est, futurus dubio procul Leonico Thomeo, germano fratri non inferior, si fata eum diutiùs in vitâ esse voluissent. Patavinus etiam fuit Galeatius Facinus literis Græcis & Latinis optimè eruditus. *Galeatius Facinus.* Novistis enim hominem Romæ Hermolai Barbari contubernio nobilem, ejusque in re literariâ laborum socium. Is posteaquam Hermolai clade, mox obitu miserabili tanto est præsidio destitutus, Bernardo Rubrio Bellunensi tunc, mox Tarvisino Præsuli adhæsit, vitæ apud eum Principem subsidia nactus, & liberaliter tractatus. Sed enim vix in Tarvisinum otium se contulerat, cùm molestissima cœpit hydropesi laborare, quo morbo menses aliquot conflictatus nullo jam otii sui oblectamento percepto, magnam per ægritudinem vitam finivit.

Nicolaum autem Judecum domo Venetum nostras delicias Roma per tot annos coluit potiùs, quàm amavit. Meministis enim quanta in homine festivitas, quanta humanitas, quanta eruditio, quod rerum omnium judicium appareret, qui cum Medicus esset eruditissimus, prudentissimusque, disciplinarum tamen aliarum notitiam absolutissimam præ se ferebat. Hic post partum per tot labores peculium, militibus impiis fortunas omnes suas se comparasse conspexit. In Romanam enim incidit cladem, & post amissa bona, etiam tributis exhaustus est, quibus cùm re familiari dissipata non sufficeret, ære alieno obæratus per menses aliquot vita per summam inopiam tracta, miserabiliter occubuit. *Nicolaus Judeus.* *Pomponius Lætus.* Sed redeò jam ad nostros. Pomponium Lætum ajunt, illum inquam tanti nominis professorem, & emunctæ vindicem Latinitatis post navatam per tot annos Romanæ Cathedræ operam, totque per universum terrarum orbem discipulos ad Eloquentiæ Romanæ puritatem propagandam dimissos, inopem ad extremum vitam traduxisse, oppressumque morbo, unde se aleret, & curaret, non habuisse, & in xenodochio susceptum extrema in egestate laborantem vita excessisse, periculumque adiisse, ut insepultus jaceret, nisi amicorum impensis elatus esset. Quid autem vobis miserabilem Marci Antonii Casanovæ finem memorem? *M. Antonius Casanova.* cujus in Epigrammatis leporem, argutiasque, & elegantiam ætas nostra supra reliquos eo genere admirata est. Quamdiu autem Roma floruit, ipse quoque rerum penè omnium fælicitate affluere visus est. Post Romæ occasum, fædissimamque direptionem ipse quamvis acerrimus Columnensis factionis sectator esset, pro qua potentissimorum Principum inimicitias in se contraxerat, calamitoso tamen eo tempore, quo ea factio, Hispanis, Germanisque adscitis, in omnia Romanorum bona acerbissimam dominationem exercuit, nihil quicquam tale consequi potuit, ut à prædâ, & captivitate incolumis evaderet. Quin etiam in eam lapsus est egestatem, ut frustrà panem etiam emendicarit; quo non invento, fame, tabeque, & omnium rerum incommodis afflictus, expiravit. *Georgius Sauromanus.* Miserabilis & Georgii Sauromani exitus, qui vir natione Germanus ita literarum latinarum nitore ingenium expoliverat, ut in Academiâ nostrâ viri benè elegantis nomen assecutus fuerit; cujus rei scripta ejus non pauca, quæ in hominum manibus habentur, testimonium exhibent. Is quoque in Germanos suos Romæ prædatores illapsus, atrociter exceptus, expoliatusque bonis omnibus, cùm nullum haberet, qui ejus inopiæ subveniret, contactus insuper pestilentiâ est; ut eo impeditus incommodo non potuerit sese ex eo incendio aliò profugiens liberare. Mendicabundus itaque, & morbo confectus, uno tectus lineo, eoque lacero indumento, dum panem ostiatim frustrà flagitat, in viâ mediâ vi pestis, & famis impotentia exanimatus concidisse repertus est.

Joannes verò Coricius cur non inter literatos reponatur, qui literatorum omnium tam studiosus fuit, ut in Romanâ aulâ ab Julio ad Clementem usque nemo unus eo lepidius, sinceriùs, & amicabiliùs sit amplexatus, & ut quæ privatim commoda quotidie in unumquenque conferebat, prætereamus, universæ etiam academiæ, & omnibus, qui literarum nomine censerentur, genialeis hortos suos ad Trajanum consecraverat, conventumque insuper, & quodam rei literariæ certamen quotannis Divæ Annæ festo instituerat, longâque annorum serie celebrarat, quod tantùm illi gratiæ conciliavit, ut nemo unquam Principum ætate nostrâ magis fuerit, quàm unus Coricius literatorum omnium carminibus celebratus, veraque leporum *Joannes Coricius.*

omnium

omnium pater appellatus. Sed quò tandem evasit tanta in bonos omnes liberalitas? atque illa Coricii pietas, Poëtarum tot testimonio comprobata, totque eruditorum paginis decantata? Captâ à barbaris urbe, ipse quoque à Germanis suis captivus factus, fortunæ bonis spoliatus, gravique ære capite redempto, aureorum tamen vim quandam sub inferioris aulæ limine defoderat, fabro uno tantum conscio, qui cæmento locum obturaverat. Accidit autem, ut idem faber captivus factus pro se redimendo xxv. aureos à Coricio peteret mutuos, ille ne secretum proderet, quippe qui aliunde non habebat, unde eos expromeret, nisi ex defosso, perbellè negavit. Indignatus faber rem Hispano ductori, à quo in vinculis habebatur, prodit; ille in ædes Coricii transmigrat, dumque hominem comparandis necessariis ablegat, aurum ipse domi de latebra eruit, qua re patefactâ, cum rei indignitatem Coricius apud exercitus Principes expostularetur, ab omnibus contemptus, elususque est. Hinc ad miserabilem redactus inopiam ægrè Roma aufugit, & Veronam appulsus, ut inde rectâ in Patriam commigraret, æris alieni gratiâ persolvendi, dum Calysti Amadei ejus urbis Prætoris liberalitate sustinetur, ibi in gravissimam incidit ægritudinem, qua confectus, & Romæ, & perditarum rerum desiderio exulceratus occubuit.

*Angelus Cæsius.* Disertissimus autem omnium patronus Angelus Cæsius, quo non ardentiorem in agendis causis alium nostra vidit ætas, felicissimus & ipse haberi potuisset, tam ob divitias immensas, de patrociniis acquisitas, quàm ob numerosam prolem benè, honestè, sapienterque institutam. Paullo filio natu majore Senatoriâ purpurâ, pileoque dignato, reliquisque, prout uniuscujusque ætas, vel ingenium deposcebat, honoribus, & administrationibus honestatis, ut uno omnium ore gallinæ filius Albæ, Junoniusque pullus appellaretur. Hic autem tantâ felicitate vir, quàm horribiliter vitâ fuisse cedere! qui post direptam Romam, & fortunas suas accisas, cùm opem fide, & sponsione suâ multis civibus attulisset, omnibus jam opibus exhaustus, gravissimis laboribus & incommodis defatigatus in atrocem incidit febrem; qua vexatus, dum in lectulo jaceret, ecce adsunt Hispani latrones, qui, moræ impatientes, promissum pro aliis auri pondus efflagitarent, strictisque mucronibus ad ita laborantem irrumpentes, interminati cædem, nisi pecunias auctutum depromeret, ità hominem perterrefecerunt, ut non multi animi vir, linguâ potiùs, quàm manu promptus, eo terrore perculsus, inter eorum minas horribili præ metu exanimatus, expirarit. Ajunt hominem, cùm in acerbissimâ eâ rerum omnium calamitate, & inopiâ vitam suam deploraret, affirmasse Mathematicum quendam olim manum ejus, & genesim conspexisse, dixisseque eum in magna & egestate, & rerum omnium desperatione periturum. Se autem ad id usque tempus arbitratum, fieri quidem posse, ut aliquo rerum eventu omnia desperaret; quòd verò in inopiam eam, quam tunc extremam patiebatur, incursurus unquam esset, ut crederet, adduci nunquam potuisse. Neque singuli tantum suos quisque manes passi, sed universa interdum Academia Romana in miserrimas incidit calamitates. Nam cùm eorum plerique, Principum abjectis curis assiduè dicerent. Habeant sibi sua Regna Reges, sodalitiumque Romæ ex benè literatis hominibus instituissent, statisq; diebus ad eruditissimas cænas convenirent. Ecce nescio qua de caussâ delati unà omnes Pomponius, Calimachus, Pogius, Platina, & plerique alii conjecti in carcerem, quæstione de omnibus per cruciatus habita, pars diuturno carcere damnata, pars in exilium acta, pars ære gravi redempta, literatorum cladibus insignem eum annum effecit. Fuit & sub Hadriano VI. par bonarum omnium literarum infortunium. Nam cùm is Leoni Decimo suffectus esset, ad quem utpote literatum Principem magnus literatorum numerus confluxerat, dum non minora de Hadriano sibi quisque polliceretur, ecce adest musarum, & eloquentiæ, totiusque nitoris hostis acerrimus, qui literatis omnibus, inimicitias minitaretur, quoniam ut ipse dictitabat, Terentiani essent, quos cùm odisse, atque etiam persequi cæpisset, voluntarium alii exilium, alias atque alias alii latebras quærentes, tamdiu latuere, quo ad Dei beneficio altero Imperii anno decessit, qui si aliquanto diutius vixisset, Gothica illa tempora adversus bonas literas videbatur susciturus. Finem Petrosanctius fecisse videbatur, quia is expurgata, absterſaque nasi pituitâ sermonem ulterius non proferebat, cùm ecce excepit Cursius. Cur obsecro viri optimè literati Bernardini Capellæ obliti estis. An non is inter Academiæ Romanæ literatissimos, facundissimosque Oratores reponendus, quem orantem toties stupuere

*Academia Romana.*

*Barnardinus Capella.*

ſtupuere roſtra? An fortè is unus vobis felix videtur, quia in Romanam non incidit calamitatem, aliquot ante menſibus morte præventus, paſſus tamen ſuos ille quoque manes, ut Petroſanctii dictum uſurpem, qui juventutem omnem per maximam inopiam traduxit; grandiori demum ætate Divi Petri canonicus Sacerdos factus, cruciabili mox podagra cœpit laborare, ut neque inde ſibi, neque amicis uſui eſſe poſſet, eoque malè habitus incommodo perplures annos, ab ejuſmodi demum doloribus interemptus eſt. Optimè literatus fuit etiam Cornelius Benignus Viterbienſis, neque ipſe proſperâ ſatis fortunâ uſus: poſtea enim quàm Auguſtinum Gyſium Senenſem, Mæcenatem ſuum, apud quem in honore fuerat, amiſit, vitam inde nullo ſolatio egit. Cui hoc in grandiori ætate accidit infortunium, ut clariſſimæ fœminæ amore corriperetur; qua vexatus cura, in eam incidit ægritudinem, ut nihil aliud, quàm mulierem eam meditaretur; atque ita demum confectus ardentiſſima in febri, ſuper ea ſemper & loquendo, & rogitando, deceſſit. Sed nolo ego multos commemorare, qui videam pauciſſimos omnino eſſe, quorum non memineritis; indigniſſimam tantùm unius adoleſcentis mortem, cujus animo meo dolor altiùs inſedit, veſtris his literatorum calamitatibus adnumerabo. Noſtis enim omnes Joannem Baptiſtam Roboreum, Bartolomei Groſſi Saonenſis viri filium, dignum quidem, patriis qui lætior eſſet imperiis, & cui pater haud Mezentius eſſet. Is quidem incomparabilis ingeni, & probitatis adoleſcens, meus primùm diſcipulus, mox & Pierii Valeriani noſtri auditor, tantum profecerat, ut & eleganter, & acriter declamaret, & verſus non illepidos faceret. Ad Philoſophiam mox, & Mathematicas, ſtudium omne ſuum contulerat, cùm pater inexplebilis avaritiæ gurges, diſciplinas has aſpernatus, & ut inutiles deteſtatus, cùm pleroſque alios haberet filios, uſum hunc tantæ in literarum ſtudiis ſpei ad mercaturam retrahere conatus, invitum ad ephemeridas impulerat; cùm tamen ille clam & bonarum artium ſtudiis incumberet, & invito patre proficeret. Accidit ut Leonardus ſacerdos Cardinalis Agenenſis, Bartolomei ipſius germanus frater, non ignarus ingenii, quo præditus erat adoleſcens, ſubvenire illi, & neceſſaria ſubminiſtrare deſtinarit, mercatuſque munus Pontificias literas ſcribundi, id in eum collaturus erat. Simul id olfecit pater, fratrem aggreditur, quò eat perditum adoleſcentem increpat, qui tali auctus peculio, ſit omnia in ſophiſtas erogaturus; pervicitque, ut Leonardus, qui præter aliquam legum memoriam parum ulterius ſapiebat, avariſſimo fratri fidem adhibens, in eum munus id diverterit, Qua ſpe dejectus infeliciſſimus adoleſceus tanta patris duritiâ offenſus, abjecta omni proficiendi ſpe, uxore nobiliſſima, egregiæ formæ, ætatis floridæ, incorruptiſſimæ pudicitiæ, & amoris in maritum incomparabilis, cum filiola, quam nuper ex eâ ſuſceperat, derelictis, in militiam ad Venetos proficiſcitur. Et haud ita multò poſt ex otioſa vita in laborioſiſſimam repentinâ mutatione tranſgreſſus, tam ob inſolitas exercitationes, quas non ignaviter obibat, quàm ob edaciſſimas curas, & ægritudinem ex rerum neceſſariarum egeſtate in lethalem incidit morbum. Neque ſic motus pater, ut in extrema inopiâ probatiſſimo filio ſubveniret, ſupplicantibus amicis, & conſanguineis omnibus, ne tantæ probitatis filium perire ſineret. Joan. Baptiſta demum vix tertium & vigeſimum egreſſus annum, Aſulæ vitam finiit infeliciſſimam, non aliam ob cauſſam ab immaniſſimo patre deſtitutus, abjectus, & propemodum exhæredatus, niſi quia literarum ſtudiis, & in omni virtutum genere eruditi concupierat. Erat verò Bartolomeus is poſtremæ adeò tenacitatis, ut miſerrima omnes domi fame maceraret, quo incommodo vexati etiam filii reliqui tam pueri, quàm adoleſcentes, coacti vocationes in triviis quæritare, & à clientibus cibum emendicare, eò omnes prolapſi, ut ex inediâ domi, & voracitate foris, duorum vix annorum ſpatio quinque numero, ad optimam omnes frugem, niſi pater obſtitiſſet, perventuri immatura morte præventi domum reliquerint ſolitariam. Quin proximis hiſce diebus unus tantum illi reliquus erat filius, quem nobiliſſimæ fœminæ matrimonio copularat, neque tamen tam locuples, tamque nummatus pater, tantillum de patrimonio conjugibus, in quibus omnis poſteritatis ſuæ ſpes incumbebat, utendum permittebat, quantum ad victum, & veſtitum, neque tamen nimium, ſufficeret; ita hic quoque, cùm extremam patris duritiam ferre non poſſet, Saonâ digreſſus, ubi cum patre habitabat, Romam abiit, neceſſaria ſibi per aliquam induſtriam comparaturus: vixque vigeſimo poſtquam huc appulerat die, Roma à barbaris capta, direpta, incenſaque fuit, ipſeque in eâ depopulatione

*Cornelius Benignus.*

*Jo. Baptiſta Roboreus.*

pulatione desideratus, ingentes illas divitias patri custodiendas dereliquit. Non reticebo incomparabile feritatis exemplum, cum post quinque ferè continuata filiorum funera Bartolomeus Camillam egregiæ bonitatis uxorem, scires fœminam ex Carretâ familiâ natam, de filiorum orbitate insolabiliter sese deplorantem consolari vellet, dixisse eum: Quin tu potiùs Diis gratias agis, qui divitias opulentissimas, quas filii tot luxuriosè abligurituri fuerant, solis nobis reliquerint perfruendas. Neque illud de homine prætereundum. Cùm Hieronymus Donatus, quo tempore hic Venetæ Reip. Legatus erat, instaret perquàm diligenti commendatione, ut eâ, qua apud Julium Pontificem egregiè valebat gratiâ, Bartolomeus inopiæ Pierii, præceptoris liberorum ejus grandiorum subveniret; respondisse eum, desiderare se hominis eruditissimi prudentiam, qui de se talia conquireret, neque videret Deum injustum fore, si uni omnia conferret, rem scilicet, & virtutem. Eâ enim locutione ille literas intelligebat. Pierius inquit, vester disciplinas appetiit, eas consecutus est, improbus esset, si rem etiam affectaret. Quando divitias his tantum tribuere debet Deus, qui nullo virtutis adminiculo suffulti, nisi rerum ope sustentarentur, facilè corruerent. Eo tamen absente, cùm filii sacerdotium in Divi Petri Basilicâ præceptori procurassent, quàm primùm pater è peregrinatione, qua Julium Bononiam, Ravennamque secutus fuerat, rediit, gnatos numquam malè habere destitit, exilium iis, exhæredationem, & extremam patris detestationem interminatus, donec, quod in actis Romani fori constat, sacerdotio illi Pierius abjurare cogeretur. Causam verò eam filios instituendo subjiciebat summæ rusticitatis homo, Clientes si quos frugi habeas, in spe, & egestate continendos, ne, cùm fuerint per liberalitatem tuam egere vetit, eorum mox officia desideres. Finem hic fecerat Cursius, interquiescebatque omnium sermo, dum alii juvenis infelicissimi casum indignissimum miserantur, alii patris immanitatem taciris conviciis lacerant. Cùm Melinus ad Granam, & Colotium conversus ait. Multa quidem exempla literatorum infelicia recitastis, sed obsecro cur eos tantum calamitosa existimatis, quia vita cesserint sine haud satis auspicato, cùm longè miseriores plærique sint, propterea quod vivunt, quique fatum illud qualecunque mortuis invident, eorumque potiorem sortem æstimant, quòd cruciari jam desierunt, cùm literatorum conditio omnis, quoquo te verteris, eò redacta sit, ut nihil tam lætabile usquam supersit, ita universus terrarum orbis ad arma, ad rapinas, ad incendia concitatus est, ut locus jam non nisi perfidis, & latronibus superesse videatur COLOT. Mecum sentis Meline, qui dictitare non desino nihil homine literato, qui nunc vivat, infeliciùs. Nam extinctos hos, quos infelices appellitavimus, non modò non infelices, sed etiam beatissimos heri Contarenus esse comprobavit; sed quin ego, quin Lælius, quin noster Pimpinellus, quin Cursius miseri esse persuasum habeamus, & revera simus, non Contarenus, non Plato, non Socrates, non Epictetus ipse nobis unquam persuadere poterit. MELIN. Video quàm vastum pelagus ingressuri sumus, si vivos recensere aggrediamur, quod quidem nequaquam sine magnorum hominum invidiâ fieri potest: quare navigium potiùs inhibeamus, & ad sermonem nostrum revertamur, idque primum omnium nunc à te peto mi Coloti, ut qua ratione Contarenus tam ærumnosos viros felices esse dixerit, exponas; quod si mihi quoque persuaseris, vide quantum profecturus sim, qui dulcissimorum duorum fratrum Hieronymi, & Celsi, obitum immaturum lamentari tandem desinam. Scis enim, quanto indies magis eorum afficiar desiderio, neque tam longo temporis interuallo jacturæ hujus memoria deleri potest. COLOT. Dicam, mi Petre. Meminisli quæ Pollio dixerat, nihil se putare infeliciùs, quàm scire literas. Eandem ille sententiam sæpè repetiverat, ut jam non joco hæc dictitare, sed ita prorsus sentire videretur. Non passus Contarenus tantâ probitate virum, tamque amicum in errore versari. Non rectè, inquit, ut mihi videtur, hæc interpretaris Pollio, qui revera putes literatos hommes eâ de caussâ calamitosos esse, quòd, uti hodie patuit, tam multi in ærumnis, & incommodis vitam egerint insuavem. Ad hæc subjecit POLLIO. Quanam igitur de caussâ ærumnosum quempiam existimabimus, si calamitates hominem non infortunant? CONT. Atqui asseverare ausim, neque calamitates quidem ipsas jus ullum in literatos sibi vendicare. POLL. Literati tamen, maximè omnium uti passim videmus queruli, vi-

ces

ces ferè omnes deplorant suas, non hoc utique facturi, si nulla possint injuriâ labefactari, aut, quod maximè indignum est dictu, literatos ut injustos, cogemur accusare. CONT. Neque quidem velim hanc iis notam inuras. Injustitia enim imperitorum propria est. POLLIO. Quid? omnes igitur decipiunt, qui, quod opinamur esse malum, libentissimè declinamus: quod bonum, & commodum, studiosiùs appetimus? CONT. De bonis, & malis alia est consideratio. Sed utrum, quæ consensu omnium mala dicuntur, tanti esse possint, ut literatum quempiam ita evertant, non ulla eum inde res ad æquitatem animi possit extollere, & in magna quantumlibet mœstitiâ, & rerum omnium desperatione nullus sit levationi locus, id hodie quæritamus. POLLIO. Si quis hoc ex me quærat, responsum ego faciam cum Terentio: Facilè quidem nos cùm valemus, recta consilia ægrotis damus. CONTAR. At si ratio ea sit, quam negare nemo possit, nonne literatum potiùs rationi pariturum, quàm impurum aliquem, & imperitum opinaberis? POLLIO. Sanè quidem, CONTAR. At obsecro videamus, ne Platonis nostri præcepta transgrediamur, priusquam de re dicere incipiamus, quibus terminis infelicitatem ipsam circumscribas. An id ex doctorum, atque adeo sapientium sententiâ, an ex vulgi opinione, an potiùs ex eorum judicio, qui se ita affectos deplorent. Multa siquidem eruditis viris infelicia existimantur, quæ imperiti omni anteponunt beatitudini, multa damnant, & ludibrio habent imperiti, quæ sapientes vel non mala existimant, vel etiam ad tranquillitatem animi facere prædicant. Ipsimet demum nostro, de nobis, deque rerum nostrarum judicio fallimur, neque veram plerumque rationem internoscimus, per quam ad infelicitatis declinanda incommoda iter aggrediamur. Ita sumus omnes, quid petamus nescii, ut assertoris nostri dictum interim usurpemus. An non dicere solent magnæ sapientiæ viri, cùm nos armant fortitudine: Quæcumque vel sunt, vel accidere possunt, vel tua sunt, vel alieni juris? Tua est voluntas sola, reliqua omnia aliena, honores quippe, divitiæ, valetudo, fama, lucrum, & alia quæ mortalium mentes assiduè sollicitas habent. Quæ igitur aliena sunt, nihil ad te, non enim in potestate tuâ sunt, sed vel apud Deum, vel apud homines habentur, qui si quid eorum, quæ concupieris, invideant tibi, vel quæ possidere arbitrabaris, adimant, tuum est sive velis dolere, sive nolis. Atqui dolere velle de iis quæ in aliena sunt potestate, sibimet inferre est injuriam; non igitur infelix, nisi qui se infelicem esse vult, & quæ plurima in hanc sententiam disputat Epictetus. COLOT. Argutè quidem, ut soles, rem ad Peripateticos traduxisti, qui velis de locutione simplici, & in omnium ore uno acceptâ significato, plures perquirere significantias. Sed me fortè non capis, Contarene, qui putes me hodie sermonem hunc auspicari voluisse, ut utrum literati, quos memoravi, verè, nec ne habendi sint infelices, disputarem. Quare quoniam quæstione propositâ, quasi ad utrumque, vel in utrumque, paratus es dicere, novi enim ingenii tui acumen, & promptitudinem, quæris quo ego termino infelicitatem includam; non dubitabo, rem à multis in diversum distractam, uno nodo colligare, idque infelicitatis nomine circumscribere. quod cuiq; aut præter spem, aut præter votum, aut præter dignitatem acciderit. Neq; velim eò me compellas, ut si quid horum cuiquam acciderit, eâ de causâ Cajo non ad infelicitatem adscribi debere quia Sempronio id benè cesserit, aut is tale quid susque deque fecerit. Esto igitur, qua de agitur, infelicitas vitæ, ut uno omnia verbo colligam, Miseria. Eâ enim locutione eorum omnium vitam complecti videmur, qui vel suo, vel aliorum judicio, eam sortem sortiti sunt, quam miserari debeamus, sive nos iis meliora cupierimus, sive sorte illi suâ minùs contenti, vel æqui fuerint. Sed, ut omnem scrupulum eximam, dispescitur hæc causa certis capitibus, quorum illa præcipua, dum loqueremur, fuisse mihi visa sunt. Infelices enim dicebamus, aut si vocabulum alterum magis placet, miseros eos accipiebamus, & intelligebamus, qui meritis honoribus, defraudati essent, qui gravibus, aut longis morbis afflictati, qui bonis spoliati suis, qui captivi perierunt, qui egestate oppressi inopem traduxere vitam, qui de spe deciderunt, qui sibi mortem conscivere, qui ab aliis trucidati fuerint, quorum fama notâ aliquâ insigniori contaminata est. Hæc sive contemnant, sive patienter ferant viri, utcunque ingruerint, felicitatis cursum interturbare existimantur, & quàm studiosi omnes affectant, tranquillam illam otii quietem contaminare. Neminem enim ego tanta præditum prudentiâ, tantave corroboratum sapientiâ perspexi, ut humanæ

manæ vitæ incommodis, quotiescunque ingruissent, non affligeretur, contrà secundis non exultaret. Marcus Tullius multa quidem præclarè, & egregiè de patientiâ, de contemptu adversæ fortunæ disputare noverat. Exilium tamen illud suum ubique diutissiè deplorat, & sui temporis calamitate lamentanda mollis, & propemodum effæminatus apparet. Ulysses, quâ ab Homero pro exemplari virtutis, & sapientiæ proponitur, toties itineris sui difficultates, omnasque varias acerbissima querimoniâ deflet. Æneas quo non fortior, neque constantior alter à Marone describitur, sæpè tamen altum corde dolorem premit, sæpè idem irarum fluctuat æstu, & humanæ conditionis incommoda humano more conspicitur ingemiscere. Quare non humanis moveri casibus, ferini ego ingenii, imò saxei, & omni sensu carentis esse judicarim, Hæc cùm dixissem, & ridibundo fateor vultu omnes in faciem intuerer, utrum quæ dixeram, approbarentur, necne scilicet expectans, factus enim eram hac dictione glorioſior, Contarenus sic excepit. Atqui mi Coloti, neque ego. neque eorum quisquam qui περὶ τ ἀναγκαίων dilleruerunt, calamitates eo ponunt gradu, ut sint ab hominibus appetendæ, eas tamen, cùm ingruerint, aliis exitiosas, aliis non admodum graves esse dicimus, etiamsi pari linea exæquentur. Sed unum vobis afferam exemplum vitæ in omni, diuturnoque labore tranquillissimæ Urbanum Valerianum Bellunensem, Minoritanum sacerdotem, quem nos ferè omnes, quotqot Venetiis profecimus, non tam literarum Græcarum præceptorem habuimus, sed & tranquillæ hujus vitæ rarissimum exemplum, quo admoneamur in manu nostrâ positum, utrum laboribus, & aliis incommodis mœrere, an delectari velimus. Si quis enim perigrinationem omnem & miseram, & ignobilem esse dixerit, quàm miser hic toto vitæ cursu fuisset, qui, ut literas eas, quas postmodum ad extremam usque diem docuit, per universum ferè terrarum orbem quæsitas. longis, & laboriosis ad nos peregrinationibus reportavit. Non ille Ægyptum, non Palæstinam, non Arabiam, & Synam, quas non vel pedes inviseret, dereliquit: totam peragravit terram Græciam, Siciliam perlustravit, Æthnam ita difficilem, periculosumque montem, incendii caussas exploraturus, bis inscendit, deque supremo crateris labro totum cavernæ cavum inspectavit. Constantinopolim, & universam Thraciam invisit, Mæcenatem suum Andream Gritæum, pro pace Oratorem à Senatu Veneto, missum, secutus. Tantum verò abfuit, ut ille calamitosas peregrinationes existimaret, ut senio jam gravis voluntariâ singulis annis exercitatione Provinciam modò hanc, modò illam inviseret, constitutum habuerit: neque unquam invectus equo, nisi per aliquot passuum millia, eo anno, quo ad osculandos discipuli olim sui Leonis Decimi, novi Pontificis, pedes, huc advenit, quo quidem in itinere nullum se passum incommodum dictitabat, nisi quòd equo invectus est per saxosam Æssisii viam. Quos igitur alius quispiam itinerum labores in calamitatum genere collocaret, hic inter oblectamentorum suorum species enumerabat. Paupertatem cui non invisa, cui non damnata servitus? Quis verò Urbano pauperior unquam fuit; qui nullum unquam trientem in usum proprium reposuerit, qui ne de laboribus quidem, quos docendo subibat, minervale unquam ullum à discipulis popoſcerit, oblatum verò accipere recusarit, nisi magnâ de caussa cogeretur, quod & rarò & perparcè faciebat. De servitute verò quid dicam, cùm à puero sacris illis initiatus, neque somnum, neque cibum arbitrio unquam suo cepcerit, neque tamen vel tantillum ullo unquam tempore id ægre ferre visus fuerit, vita eâ contentus, quam semel elegisset. Quis verò tam fortis animi est, ut honores aspernetur, qui non imperare potiùs aliis, quàm obtemperare concupiscat? At Urbanus summa semper humilitate delectatus, licet Alexandri Pontif. Max. tempore Sansonis antistitis sui impulsu ad honores invitaretur, & à Leone Decimo nihil non impetrare potuisset, maximi beneficii loco à Principibus poscere solitus est, ut se in sui ordinis paupertate esse sinerent. Neque unquam adduci potuit, nisi per assiduas expostulationes, quas Petrus Lucignanensis ejus Cænobii Præfectus, in quo supra quadraginta annos victitaverat, quotidie obsecrando ingerebat, ut ejus loci curam susciperet dignaretur, venerabilis tandem senis precibus expugnatus, qui dignitate sponte desedebat ob ætatem jam decrepitam, & ad hujusmodi curam minùs idoneam, non quasi imperium is acciperet, sed quasi jugum subiret, Antistes loco factus est. Verùm ubi Petrus humanis cessit, nihil contatus

*Urbanus Bolzanius Bellunensis.*

Urbanus

Urbanus alterum sibi suffecit, seque in ordinem redegit. Horatianum illud identidem repetens.

*Qui simul aspexit, quantum dimissa petitis*
*Præstent, maturè redeat, repetatque relicta.*

Hunc quispiam igitur aut miserum, aut infelicem appellet, quia laboriosam semper vitam egerit, quia pauper, quia inhonoratus vixerit, cùm omnem ille felicitatis suæ summam in assiduis laboribus, in paupertate, in privatæ vitæ humilitate collocarit. Senectutis autem incommoda, quam non modo patienter, sed etiam hilariter tulit, seu necessaria subministrarentur, seu deessent multa, quod plerumque accidebat, æquè contentus ad incommoda omnia adridebat. Quin & moriens vultu ridibundo, verbisque jucundis, quasi placidissimo somno se dederet, occubuit, quartum circiter & octogesimum natus annum, Pontificatus Clementis Septimi anno primo, inoffensâ per tot labores valetudine semper usus; nisi quòd superioribus annis, dum hortuli sui arbores ipsemet reconcinnabat, fallente scalarum lubricitate corruerat, & crure aliquantulum læso, ad longinquas illas peregrinationes non ampliùs idoneus fuit. Is igitur felix in tenui re, in laboribus, in longa senectute, quam plerique morbi vocabulo nuncuparunt, felix inquam fuit, quia felix esse voluit, qui non morosus, non difficilis, non multivolus fuit, & paucis, minimisque rebus contentus, eorum irridebat cupiditatem, qui vitam miseram ideò agunt, quia miseri esse volunt; quòd si eos fortunæ rivus inauraret, aliquid adhuc, quòd assiduè quererentur, excogitarent. Atque hæc de voluntate nostra dicta sufficiant. Quòd verò in aliena potestate situm est, cui natura ipsa subjacere cogitur, neque non incommodum negare non potest: occidi quippe, vulnerari, infamem traduci, excruciari morbis, spe falli, suo frauda ri præmio, tam sunt unicuique homini propria, ut ad hujusmodi clades, & ignominias natum humanum genus omne videatur. Communis hæc calamitas, neque literatis tantùm, sed & imperitis, & obscuris, & nobilibus æquè distributa. Sic Reges, sic Sellularii, sua quisque forte aliquo affliguntur tempore. Quod si quis literatos immunes ab iis cladibus esse cupiat, aut indignum clamet, eos talia pati indignum etiam dicat eos humanos fuisse, si humanæ eos subjacere conditioni nolit. Quare bone vir Coloti, cùm de literatorum infelicitate dictionem proposuisti, eo mihi errare visus es, quòd non potiùs de humani generis calamitatibus dicturum te nos admonueris. Tam enim fieri posse puto, ut quisquam, dum vivit, aliquo non angatur incommodo, quam si quis operam det, ne flumina deorsum fluant, aut sursum ignis feratur. Quare desiste jam infelicem literatorum sortem lamentari, & iis potiùs gratulare, qui non ut reliqui sunt fortunæ penitus emancipati, multaque habeant sua, quæ nullâ possint illius injuriâ proruere. De iis enim loquor, qui viam sibi ad immortalitatem per ingenuos labores suos aperuerunt; qui vitam non modò iis, quos coluerint, & celebres esse voluerint, comparare potuere sempiternam, sed imprimis duraturum sibi monumentum immortalitatis excitare. Quodque Deus ipse, Deus inquam solus præstare fertur, ipsi ingenio suo freti, Dei tamen afflatu adjuti, valeant omnem invidi temporis edacitatem superare. Hinc meritò exultat Flaccus noster, cùm suæ sibi conscius virtutis, ita emodulatur:

*Exegi monumentum ære perennius,*
*Regalique situ Pyramidum altius:*
*Quod non imber edax, non Aquilo impotens*
*Possit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum series, & fuga temporum.*
*Non omnis moriar, multaque pars mei*
*Vitabit Libitinam. Usque ego posteræ*
*Crescam laude recens;*

& quæ sequuntur. Gloriosè quidem, sed quæsitâ ex meritis superbiâ. Ita & Naso in Octaviani Cæsaris invidiam exilium consolatur suum; Pierio cùm concitus æstro clamat:

*Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*

*Cùm volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus*
*Jus habet incerti spatium mihi finiat ævi.*
*Parte tamen meliore mei super alta perennis*
*Astra ferar, nomenq; erit indelebile nostrum:*
*Quaque patet domitis Romana potentia terris,*
*Ore legar populi, perque omnia sæcula famâ,*
*Si quid habent veri vatum præsagia, vivam.*

Ita Propertius se antiquis inserit scriptoribus, cùm post eorum nomenclaturam ait:

*Cynthia quin etiam versu memorata Properti,*
*Hos inter si me ponere fama volet.*

Ita reliqui omnes tantam de futura hujusmodi immortalitate dulcedinem concepere, ut neque labores, neque damna, non incendia, non graves ruinas pili facere visi sint. Hinc est, quod dum majoris cujusdam emolumenti rationem habent, humana hæc quodammodo despexerint; aliique ideo minùs cauti ad evitanda fortunæ tela, quia fortunam nihili penderint, cui, uti facitare solitus Diogenes ipse, minaci mandarint laqueum, mediumque unguem ostenderint. Alii minùs ad rem faciendam vel idonei, vel diligentes, quia virtutes auro magis æstimarint, eruditione, & sapientiâ cuncta esse minora putaverint. In ignobilitate alii jacuerint, quia vel conditionem Regum suâ duxerint inferiorem. Quo enim quisquam velit, qui sana mente sit, noctes atque dies niti perstante labore ad summas emergere opes, rerumque potiri? si quàm brevis ævi sit, meminerit. Nam qui hæc mirantur, inviti etiam ponunt, & eò svaviùs unusquisque vita decedit, quo magis humana hæc imbecillia cognorit. Quare nunquam ego Hermolaum infelicem dixero, quòd pestilentiâ sublatus sit, quòd exul, egensque aliquandiu vixerit, quòd ubi cadaver ejus delitescat, ignoretur. Si doctissima ejus hominis scripsa studiosorum omnium manibus versantur: vivit potiùs Hermolaus, vivetque felicissimus cùm æterna Plinii, Themistii, & Dioscoridis fama, quòd maxima ejus pars, ut nuper Horatius exultabat, Libitinam evitarit. Vivet Marosticus noster nulla mortalitatis peste labefactatus, dum bonarum literarum studium aliquod permanebit; non enim ulla unquam tabe corrumpetûr illa Veneti nominis ingeniosa defensio, quam adversus Marium Volateranum, ejus Reip. vituperatorem, tanta dicendi felicitate conscripsit. Vivet ejus encomium ad Leonem Decimum, in quo non eloquentiam tantùm, & artem, verùm & summam prudentiam, atque animi sui bonitatem ostentavit. Felix Carbo, felix Gravina, qui tantâ ingenii ubertate scriptis suis immortalem gloriam sibi compararunt. Neque virum doctrinâ summum Christophorum Marcellum quisquam ærumnosum dicat, dum vitâ ejus, per summam innocentiam peracta, in omnium memoriâ erit; dum homo sciendi cupidus sese intus, & extra voluerit explorare; dum erit inter homines pietas, & rerum omnium arcanarum doctrina conquiretur. Augusti Valdi scripta fortè perierunt, sed ejus memoria doctissimorum, & eloquentium hominum testimonio celebrata, eum nequaquam ignobilem, aut calamitosum patietur. Neque obscurus erit Fabius Ravenas, dum bonæ valetudinis inter mortales cura, studiumque, Hypocratesque ipse permanebit; non M. Antonius Sabellicus, non Camillus Portius, non Janus Parrhasius, non Paleotus, non Carteromachus, & plerique alii, quos diuturnâ valetudine afflictatos commemoratum est, ærumnosi nunquam mihi futuri sunt, dum eorum historiæ, eorum carmina, commentaria, orationesque tanto omnium studio, & admiratione lectitantur. Perierit incognitâ morte Flaminius, erepti inopino casu sint Georgius Valla, Andreas Mongajus, & plerique alii, scripta eorum tamen vivent, & in omnium doctorum animis perennabunt. Abstulerit ægritudo Musurum Beroaldum, Maronem, Gazam, Oricellarium, & quos nominatis viros magno numero liberatos, superabit tamen eorum nomen, & cùm sua virtute clari, tum eruditissimorum tot discipulorum pietate nunquam intermorientur. Desideratus ante diem fit Picus Mirandulanus, Paulus Decanalis, M. Antonius Turranius, Fuscus Cotta, Furnius Celsus, atque Longolius, iidem ante diem beatissimam sibi immortalitatis gloriam peperere. At

At sibimet consciverе manus M. Caballus, Laurentianus Fortunius, Priulus, & plerique alii; aliqua igitur urgentissima sese molestiâ liberarunt, Caballum tamen ingenium argutissimum, Laurentianum eruditio luculenta, Fortunium dicendi lepos, abditorum cognitio Priulum æternitati commendabunt. Extant ejus juvenis tabulæ ad cæli Veneti normam castigatissimè directæ; extant argutissimæ quæstiones de orbium cœlestium numero, de planetarum situ, de epicyclis, quid illud tandem sit, quod ad hanc usque diem doctorum omnium ingenia fatigavit. At trucidati sunt Hercules Stroza, Paulus Bombasius, Mutius Arelius, totque alii clari literatura viri, trucidati Reges tot, Imperatores tot, totaque Divorum nostrorum curia hujusmodi est eventibus repleta; neque tamen eorum quemquam infelicem arbitramur, cùm ipsemet felicitatem suo quisque, longè tamen alio, quàm vulgi sit opinio, termino descripserint. Hos ergo inquam nunquam miseros, aut calamitosos dixero, qui felitate ingenii, honestisque laboribus, & assiduis vigiliis id consecuti sint, id vitæ suæ præsidium comparârint, quod neque fortunæ temeritas, neque ulla inimicorum injura labefactaret. Salvere igitur Phœbi sacerdotes, Musarum alumni, qui divinum ingenium potiùs, quàm mortale corpus colere studuistis; vestris nos manibus, dum in humanis erimus, semper bene precabimur, & industriam vestram, quod facere poterimus, interire nunquam permittemus. Hæc sunt mi Petre, quæ Contrarenus suo illo erga literatos & ingenio præstantes viros, ardore concitus, nobis nudius-tertius disseruerat; ad quæ Grana quædam hodie repetiturus erat, non ut illam Contareni sententiam sapientissimè latam infirmare sibi propósuerit, sed ut affluentiori hominis facundiâ, prudentiaque perfrueremur. MELINUS. Sapienter quidem omnia Conterenus, neque ego spe fallebar, qui tanto studio audire hæc expetebam; quare vobis immortales habeo gratias, qui me tanti colloquii participem fecisti. Scio enim quantum hæc me delectarit oratio, & præter voluptatem, quæ quidem summa omnino fuit, quem usum etiam inde sim percepturus. Sed unum, etiam si rectè memini, addebat mihi vesperi Pollio, accepisse se à Contareno, de accersendo in Italiam Cæsare consilium à Pontifice initum fuisse, id quorsum tendat, multa me faciunt ambigere. COLOTIUS. Hoc mihi mente exciderat, quia nihil ad rem, qua de loquebamur, faciebat. Sed si eum etiam sermonem audire vis, libens referam; ad me enim totus convertebatur, qui non aliâ de causâ desperatissima quæque de literis mihi proposueram, nisi quia metuerem miserrimi hujus temporis statum propagari, Romanamque rem debilitatem jam propè, & extinctam existimabam: quem ne inconsolatum relinqueret Contarenus, verba mea excipiens, & temporis hujus ratione habitâ, quo ita perturbabamur, quod proximis hisce diebus tum maximè timuimus omnes, cùm falsus ille rumor de summi Pontificis obitu divulgatus est, & tumultuosiora quædam passim divulgata. Quid enim non undecunque miserrimum expectandum erat, ajebat Contarenus, Republicâ in his perturbationibus jacente, in magna gladiorum licentia, atque impunitate? Quod si probatissimi Pontificis mors accidisset, nimirum de totius Italiæ statu actum erat, multaque intolerabilia locis omnibus accidissent. Sed te jam hoc metu libero Coloti. Heri enim Pontificem hisce oculis vidi, in quo omnia bonæ valetudinis adventantis signa perspexi, & quod indubitatam mihi salutis spem polliceri videtur, ipsemet suo de se testimonio bene sperare incipit, quod minime diebus superioribus faciebat. Quo quidem servato, non est, ut mali quicquam amplius vereamur. Quòd verò bellum ceterrimum, periculosissimumque formidas, necesse est Clementis consilia tibi patefaciam; qui Cæsarem in Italiam accersere decrevit, ut coràm quanti sit Christianæ Reip. concordia disputet, & quid ad summam ejus Principis gloriam faciat, ostendat. Atque ego quidem, qui superioribus annis apud ipsum Cæsarem Reipublicæ nostræ nomine Legatus fui, facilè perspexi in ipso Carolo summam, & egregiam quandam bonitatem, mentemque in eo alienissimam ab iis rebus, quas legiones ejus ausu licentioso in Italiâ perpetrarunt. Velim itaque Coloti de quiete Italiæ, atque adeò de bonorum omnium tranquillitate benè sperare incipias, & ubi intellexeris Cæsarem in Italiam iter parasse, ad quem invitandum Pontifex unum ex intimis

suis

suis jam mittere destinavit, compositas res nostras tibi proponas. Eò enim omne Pontificis stu dium, cura, meditatioque contendit, ut finis tandem aliquis nostris calamitatibus imponatur, & militum hæc ferocia, quæ hactenus tam in socios, quàm in hostes grassata est, in nostræ pietatis hostes convertatur. Habes itaque Meline de Cæsare quid Contarenus sit pollicitus, & quoniam hora jam inclinat, satisque tibi factum à nobis est, potes sine ullâ invidâ nos dimittere. MELINUS. Mihi quidem maximè factum satis, quo nomine vobis debeo plurimum. Sed si apud me insuper cænaveritis, magno hoc addam superpondio. GRANA. Non sumus hac vespera tecum neque ego, neque Colotius, cænaturi; paratum enim nobis est in Palatinis hortis apud Pollionem, ut inde ad Pontificem nostrâ de re locuturi ascendamus, ea enim est hora nobis dicta. MELLINUS. Didici ego ex Pierio usitatissimum ejus dictum; Cave ne vel prodesse cupiens importunus amico sis. Quare ibitis, quando vestra ita res postulat, Pierius hospes meus est, neque inviti remanebunt Petrosanctius, Cursius, & Cathaneus, qui mecum amicum Romano cœlo redonatum gravisuri sunt. Ita discessum à duobus, nos quatuor apud Melinum mansimus.

FINIS.

# JOANNIS PIERII VALERIANI BELLUNENSIS ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM SERMONES QUATUOR.

*Quorum ultimus*

## FLAVIORUM NOBILITATEM

ex antiquis in agro Bellunensium memoriis exponit.

# ALOYSIUS LOLLINUS
## BELLUNI EPISCOPUS.

### *Bellunensibus suis P.S.*

*PIERII VALERIANI Bellunensia in hanc usque diem apud me in scriniis Musarum asservata, publici facere juris decrevi, eâ potissimum causâ permotus, ne vos, quos ego & meâ sponte, & ex suscepto multò magis munere omni, non tàm virtutum Christianarum, quàm honestorum studiorum genere florentes cupio, antiquitatum urbis vestræ atque originis ignari in patria peregrinari videremini, simul labor iste tam præclarus viri eloquentia, & eruditione excultissimi, cujus equidem memoriæ, laudique vehementer faveo, extaret inter cetera illius monumenta testis, pietatis suæ in vos omnes. Quod & Patriæ vestræ, quæ tali alumno merito se jactat, perhonorificum; & vobis, qui tanto cive gloriamini non indecorum censeo futurum. Bellunensibus conjungi ejusdem auctoris dialogum curavi de calamitatibus literatorum ob casuum varietatem, & interlocutorum amplitudinem lectu, nisi fallor, haud injucundum. Romæ enim habitus narratur apud Gasparem Contarenum Virorum sui sæculi, vel potius heroum optimum, doctissimum; qui non multo post tempore S. R. E. Cardinalis primum, deinde Episcopus Belluni declaratus, civitatem vestram tanti splendore nominis illustrat. Valete meâ curâ, & flagrantissimum meum in vos studium uberioris spe profectus alite. Belluni in stativis Idibus Junii. M. DC. XX.*

JOAN.

# JOAN. PIERII VALERIANI BELLUNENSIS

## ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM

## *SERMONES QUATUOR.*

Nunc primum è Bibliotheca Lolliana in Lucem edita

### *SERMO PRIMUS.*

QUando ita vobis videtur, viri Bellunenſes, ut de Patriæ noſtræ antiquitate diſſeram deque ejus conditore,& nominis cauſa, quæ apud veteres tradita repererim,hiſtoriam longa annorum ſerie intermortuam ſuſcitem,minimè gravabor ea omnia memoria complecti, quæ hinc inde conquiſita ad rem ipſam facere videbuntur. Quamquam id me non parum angit de origine urbis, ſcriptorum dubio procul omnium teſtimonio antiquiſſimæ, & à Romanis, ut palàm vobis faciam in primis ornatæ, quam ſcilicet eo ipſo tempore, quo illi maximè rerum geſtarum gloria florebant, vel ampliarint,vel Coloniam deduxerint, vix unum apud Latinos autores extare verbum,coactosque eſſe nos rerum noſtrarum peritiam, atque cognitionem à Græcis mutuari. Usque adeò à circiter ducenteſimo poſt Octavianum Auguſtum anno exaruiſſe videtur ſcribendi vigor, immo quoddam quaſi tædium literarum, aut contemptio per tot ætates Italorum mentes detinuiſſe. Ac ne de patria noſtra ſolùm queri videar,quot nunc in universâ Italiâ urbes ſummâ celebritate cenſentur,quarum origo penitus ignoratur? Commemorarem aliquot in noſtra Venetia, multas in Inſubris atque Liguria,plures in Etruria & Latio, innumeras in Campania,in Apulia, in Brutiis & univerſa Calabria, niſi vererer eos offendere,qui fabulis quoquo modo confictis,aliqua ſibi ſpecioſiori origine applaudendum inſtituêre. Id enim ferè omnibus accidiſſe video, quod in Athenienſibus Pauſanias notat Ἀθηναῖοι περὶ τῆς ἀτικῆς ἐσεμνολόγησαν. Athenienſes quippe in Atticâ laudandâ magnifice luxurioſeque laſciviſſe. Quocirca nobis eo magis lætandum, quod quæ de noſtræ urbis,ſi non primâ origine,certè quodammodo renaſcentis celebritate dicturi ſumus, non ſcriptorum tantùm teſtimonio comprobantur, verum etiam antiquorum monumentorum inſcriptionibus, atq; operibus teſtatiſſima relinquuntur. Ut nulla mihi reliqua fiat dubitatio,quin hæc fidem faciant,quæ ſcriptores Græci litterarum monumentis tradidere, Romani cives in marmore conſcripſere, majores veſtri ſculptis hiſtoriis, quæ ſuperatâ vetuſtatis injuriâ veſtris omnium oculis obverſantur, agnoſcenda curavere quæ qualia & cujusmodi ſint,quodque ſibi velint jam cognoſcite.

Illud primum omnium conſtare vobis crediderim,quod veterum aliquot ſcriptorum conſenſu traditum,receptiſſimæ fidei fundamentum jecit. Herculum Argivum illum,ut noſtri prædicant,multarum Coloniarum autorem, re bene in Hiſpaniis geſta per feraciſſimam hanc Italiæ partem Civium ſuorum copias traduxiſſe; qui cum ad Mincii vada perveniſſent,regione eâ omni,quæ intra Mincium & Arſiam,& maris Adriatici littus, & Alpes Rheticas, Noricasque media eſt perluſtratâ, fluminibus tot,quæ ad magna & frequentia per oram omnem dilabuntur,inſpectis: neque agri tantum fertilitate, verum etiam & tumulorum atq; convallium amœnitate, ſitu, opportunitateq; compro-



bata

batâ planitie,quæ inter montes,& mare late porrecta interjacet décurſa,dixiſſe eos.Naturam locum alicubi quempiam uni oppido commodum exhibuiſſe, nusquam regionem unam multis, & magnis urbibus ædificandis ita idoneam,uti, quam tunc admirabantur, comparaſſe.Orare itaq; omnes ducem ſuum; ut, quoniam ſatis jam terrarum peragraſſent, longisq; & laborioſis itineribus defatigati, miſerrima quæq; pertuliſſent,rebus tot glorioſiſſime geſtis,daretur tandē aliqua feſſis quies,liceretq; illis in tanta locorum opportunitate conſidere,condere oppida,metiri agros, & novum hoc regnum magnis Græcorum adoreis applicare. Nulla jam ſupereſſe pericula, quæ ſe Herculi rectâ in patriam conferre volenti objicerent,pacatam eſſe Liburniam,Illyricum & Epirum omnem ad Jonium ad Ægeum, & Pontum eorum eſſe Colonias, aut parere Græcis: confectum denique eſſe quicquid armis effici poſſet, reliquum unum eſſe, ut hoc laborum ſuorum & fidei præmium aſſequerentur. Ad hæc Hercules,qui videret nobilitatem ſuorum omnem id precibus depoſcere, nihil gravatus, in arbitrio omnium eſſe reſpondit, mallent ne ibi conſidere, an ſecum in patriam triumphum agere, utrum præoptarent, gratum ſibi æquè futurum. Conſidere igitur quotquot in exercitu nobilitate præſtabant,& quoniam Græcis generoſitas natalium,εὐγένεια dicitur quo nobilitati honos haberetur,regionem Euganeam appellari placuit. Partiti mox inter ſe loca, montes,flumina, Mantuam alii in ſtagnis Mincii,ubi ſpacioſi lacus inſtar dilatatur, alii Veronam inter Atheſin & collem proximum. Alii Vicentiam ad Erethenum, Baſſanum ad Medoacum alii condidere. Nonnulli Tauriſium, Feltriam alii, alii Bellunenſem agrum multis oppidis munivêre. Quamquam hæc non tunc nomina erant,neque ea oppidorum facies,quæ nunc conſpicitur,verum ab aliis atq; aliis ampliata deinceps cum formâ nomina etiam commutarunt,aucta à Mantho Etruſca vate Mantua nomen ab ea mutuata ſempiternum, Producta trans Atheſin à Breno Gallorum rege Verona, Brenona tunc, ut nonnulli produnt nomine,mox Verona dicta,quam alii Catone de originibus citato,Veronam à Vera familia Tuſcorum nuncupatam volunt: ſic aliæ quoq; pro temporum viciſſitudine ſtatum & ipſæ ſuum expertæSed enim quæ aliarum urbium origo incrementum aut viciſſitudo fuerit,iis ego quærendi negotium relinquam,quorum magis intereſt; noſtræ Civitatis quod quærimur nomen unde venerit, mihi cura fuerit inveſtigare, curq; Anaxus fluvius ea de cauſa ita olim appellatus, quod retrò navigari non pateretur (id enim ſignificatū Græco ineſt vocabulo) in aliud nomen tranſierit,aperire.Ita fiet, ut quæ inter eruditos controverſiæ temporibus his obortæ ſunt, rei veritate cognitâ,ſopiantur, & conditoris noſtri ſive reſtitutoris potius nomen ad hæc usq; tempora diu ſepultum non ſine veſtrâ omnium commendatione,ſi meritos illi honores decreveritis,ætate veſtra revivilcere videatur. Sed antequam ad Romana tempora deveniam, quæ fuerit potius Euganeorum conditio breviter repetendum.Nam illi cum otioſè ſatis res ſuas compoſuiſſe arbitrarentur,perq; ſummam tranquillitatem vitam agerent,ſorte accidit ut Antenor Trojâ captâ extorris factus cum magno Paphlagonum Venetorum exercitu,qui amiſſo Pilæmene Duce huic adhæſerant, magna etiam Trojanorum vi auctus claſſem ad oram hanc appulerit,egreſſusq; cum armis,Græcos hic habitare præmonitus omnes incurſu ſubito ex oppidis quæ per univerſam planiciem ab Adriatici ora ad Padi usque fontem Veſuliq; juga,& alpes cæteras conſtructa erant imparatos, & ſecurâ nimium pace demollitos ejecerit, ſibiq; regnum id aſſeruerit,& regioni omni Venetiæ nomen dederit.Profugi Euganei,nam hos nunc tantùm attingemus,in montes proximos confugére, & eorum multi valles, quæ ſupra Vicentiam amœniſſimæ ſunt,occuparunt. Alii per Medoaci ripas evadentes Baſſani receſſus elegère. Bona pars Anaxis faucibus ſuperatis, in amœniſſimâ valle, ubi nunc Feltria, Bellunumq; urbes habentur, deſlituere,neque his contenti locis,interiora etiam alpium penetravêre, ſecutiq; Anaxi ripas, per juga Norica, & Carnica tumulos plerosq; caſtellis communivére.Inter quæ id præcipuum fuiſſe olim dicitur,quod ad Anaxi principia licet deletum, Euganeæ tamen nomen adhuc retinet,niſi vocabulum barbara incolarum vitiet enunciatio,dum Agoniam vocat. Frequentia hæc loca incolis & vallibus montibusq; quoquo verſum admodum populoſis. Eorum autem qui propinquiores ſunt nobis originem eſſe Græcā, etiamſi non faceret hiſtoria fidem ſermo indigena comprobaret.Eſt enim is bonā ſua parte Græcus,magisq; in fœminis quam in viris deprehenditur.Viri ſiquidem finitimorum commerciis partim à Teutonicis, partim à noſtris aliena vocabula mutuantur, fœminæ, utpote quæ vel

rarò vel nunquam peregrinantur, linguæ patriæ incolumitatem diutius ſervavére. Commemorabat mihi Urbanus patruus civis veſter, qui Alpes has omnes animi gratia perluſtraſſet, Homerica ſe vocabula in montanæ hujus regionis aniculis frequentiſſima reperiſſe, quæ nobis interim dum ejus linguæ Poëtas interpretaretur, non ſine conſervatæ apud nos vetuſtatis admiratione deſignabat. Nam πάσσαλος pro extante clavo in parietem, columnave, cui veſtis vel quid aliud appenditur, ἔνα pro viribus, Homerica locutio. μάχομαι pro percutio: γραῦς pro Avia, & alia plurima, tum herbarum nomina Græcis plurimum nominibus hic vulgo fœmellis agnita, & hujuſmodi pleraq; eodem apud eos ſignificatu, iiſdem vocibus, quibus apud Græcos uſi ſunt, enunciantur, quæ vobis à me ideo memorantur, ut Euganeos apud nos præcipuè conſediſſe, non levi comprobem argumento. Quo vero pacto Euganei Trajanos, qui ſe jam Venetos appellaverant; ſæpius inveſtarint, quotiens factâ è vallibus eruptione oram omnem devaſtarint, prædabundique in tuta ſe receperint, puta ſæpius recitari vobis ex antiquis hiſtoriis audiviſtis: Antenoremq; annis jam gravem, ne ſuorum tranquillitas totiens interturbaretur, coactum eos in ſocietatem partemq; regni adſciſcere, atq; ita populus unus, una eademq; regio ex Euganeis, Trojanis, & Venetis, qui Paphlagones erant, auſpicatiſſimo nomine Venetia nuncupata, nos omnes Veneti. Ante Herculem vero Phætonem huc Colonias deduxiſſe, tam Poëtarum figmentis aliquot, quam Hiſtoricorum veterum teſtimoniis apparet; nam & ſaxa id indicant, quæ Taurinenſi regione juxta Padi ripas Phaëtontis aureæ ſigno ſculpta magno numero reperiuntur. Quod vero omnis ea planicies, quæ inter Appeninum Liguſticum & Albas Grajas, Penina jugâ, & Vindelicos, Rhœticos, Noricosq; montes multis fluminibus alluitur & à Pado diſſecatur, Venetia fuerit manifeſtum eſt, quod Eridanum Poëtæ Venetum vocant. Meminiſtis Propertianum illud.

*Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano.*

Quod verò ad negotium hoc pertinet, Venetos illos antiquiores per noſtræ hujus regionis tractus habitaſſe & ſuperatis Alpium verticibus, in Pannoniæ uſq; fines proceſſiſſe, ſi quis antiquæ nolit hiſtoriæ fidem adhibere; teſtimonio eſt antiquiſſimus terminus litteris Græcis inciſus, qui ſe noſtro itinere, ubi Juliam Albam verſus, Alpes traſcenderis, oſtentat. Quatuor is eſt lateribns inſignis, quorum in primo, litteræ hujusmodi leguntur.




Quod ſi vobis latinis verbis inſcriptionẽ explicari quæritis ea eſt homini. Troja capta terminus Veneti progreſſi. Eſt verò ϛαινέτω per dipthongũ primâ ſyllabâ notatum, aut ejus temporis uſu, aut imperiti caſtrenſis ſcriptoris indiligentia, cujusmodi pleraq; paſſim in urbe & Româ conſpiciuntur. Vel ϛαινέτω factũ à Scythicâ forſan, atq; adeò Ponticâ & barbarâ pronunciatione: ut medio inter Auguſtũ & nos tempore ſcriptũ ϛάλης ϛαλέν πνιαϛὸς, ϛαλέρως & ſimilia plerisq; publicis in monumentis aſpicimus. Illa politiores mox ad eruditũ temporis uſum reducentes correxére, & quidad noſtrum hoc nomen pertinet, ϛ diphth. υ. digammon eſſe voluére altera dyphthongo. ωι ſcilicet exploſa ejusq; loco. ε. ſubſtituto, Venetus, quid in uſu permanet fecerunt. Quam latè igitur exſpatiatum ſit Venetũ nomen, quosq; ſibi fines aſſeruerit ex paucis iis, quæ retulimus ſatis manifeſtũ eſſe arbitror. Succeſſere inde Romana tempora, quæ per mille fermè annos omnem rerũ in Italia geſtarũ celebritatẽ ad ſe contraxére, ſive illi ſociis & fœdere conjunctis auxilio eſſent, ſeu bella ipſi moverent, & fines ſuos aſſiduè proferrent, totiusq; Italiæ jus ſibi deniq; vendicarent, cujus demũ univerſæ imperio potiti, nihil impendi magis curaverunt, quàm Barbarorum eruptiones, poſitis ad fauces omnes cuſtodiis prohibere. Eò legiones ſuas delegabant, provinciamq; iis, quibus maximè fiderent comendare ſoliti erant, legebantur verò potiſſimũ ex Romano populo legiones, neq; non univerſa

Italia, præcipuè autem ex oppidis sociorum, qui pari cum Romanis jure Latii donati essent.

Ita quæ ad Tridendinas, Feltrianas, & Bellunenses fauces observandas legiones adpositæ sunt partim Romæ ipsus indigenæ Cives, partim Volsorum manus fuere, ex proximis quippe Romæ locis Priverno antiqua, Seria, Prineste, Tybere, & oppidis Latini nominis plerisque aliis; cujus rei testem Catonem appellat Plinius. Antea verò quam fauces hujusmodi Romanorum præsidiis occultarentur exposita erat omnis Italia libidine Barbarorum, licebat illis quocunque tempore in agrum nostrum incursiones bona deprædari, tecta quæcunque essent incendere, pecora, instrumentum hominesque captivos agere, ac omni feritatis genere in Italos desevire. Tutatus est Julius Cæsar partem eam per Carnos, quæ ab Liquentiæ hostio ad Timavum usque porrigitur, quæque in Carnos & in Noricos primis montium jugis sese incipit attollere, & ab eo Julii foro nomen nullâ jam posteritate abolendum indidêre. Celebratur adhuc in Carnîs via in saxei montis latus incisa, uti latinis literis inscriptum C. JULIUS CÆSAR VIAM INVIAM SOLEOT. S. ET IMPENDIO ROTAB. REDD. Vicentinos Saltus Cassii, Proculi, Barbii, Veturii, Artii, Fannii, Aurelii, Marcellini, & alii ex totius Italiæ nobilitate defendebant, quorum adhuc monumenta pleraque toto agro superant. Veronenses valles Macri, Valerii, Secundi, Horrali, familiæque aliæ suâ claritate celebres insedere, nostras fauces inter Julium Carnicum, Balsarinensemque agrum positas Sertoriani milites defendendas eodem pene tempore susceperunt. Hinc Sertorii, Flavii, Hostilii, Sertoriani, Turranii, Upsidii, Anisii, Proculi, Poetici, Durenii, Cussonii, Secundimi, Præcellii, & ut meos quoque attingam Valeriani, quos nunc vos Bolzanios ab agri cognomine, qui sub Medontis, Castelli olim nostri ditione ad lapidem hinc tertium fuit, appellatis. Atque ita plæræque aliæ Romanorum familiæ speciosa tot, quorum vestigia passim in agro vestra cernitis monumenta reliquere. Romani itaque fuerunt, qui urbem hanc vestram ex oppidulo, quod prius in Arcti fluminis Clivo Euganeo olim, ut omnino confitendum est, muniverant, in eam quam conspicitis speciem, anxerunt. Romani Anaxi fluvii nomen qui nunc Plavis dicitur in Plavium, de quo suo loco dicetur, commutarunt. Romani Civiles leges municipio vestro proprias, consularesque titulos Quiritium more sanxerunt. Romani libertatem tam longâ annorum serie tanto studio custoditam vobis reparatæ vestræ urbis initio commendarunt. Ab his aut urbi nomen, quo pacto inditum sit, potius est ut dicere jam incipiamus. Apud auctores Græcos, quorum præcipuus unus, qui rei, quam dicturi sumus historiam perstrinxit, Svidas in omnium horum manibus, legere est Romanos milites, qui per vallem hanc omnem castellis communitis habitabant, constituisse unum ex oppidulis homini in ampliora spatia dilatare. Cumque situm alii alium, atque alium proposuissent, placuisse demum locum hunc, ubi nunc urbs posita est, quod ab occasu superioris Tropici ad Septentriones exporrecta staret planities, & si non ad usque adeo ampla, quod in humo pingui, mollique ulgine prædita erat, segetibus oppido apta videtur.

A Septentrione Arctus re, & nomine fluvius profundâ admodum valle altissimoque clivo mœnia per supremum ejus marginem ducta naturæ beneficio communiret. Ad brumalemortum frons urbis angustior fieret, uti Aectus Anaxo longè maximo fluvio commiscetur, & eodem Clivo ad altissimi rapiditissimique amnis ejus ripam descenderetur. Ad meridiem denique Clivus idem circumductus sinuosi fluminis ambitu defenderetur, satisque esse unâ à campo fossa muroque ducto partem eam urbis diligentius præmunire, reliquas facies, utpote, quas situs ipse tutaretur, haud ita multo opere indigere. Accedebat huc fontanæ undæ commoditas afflaentissima, quæ circiter quarto ab urbe studio, magno adeo fonte pollulabat, ut in urbem ducta, non modo locis publicis, plateisque omnibus usui futura esset; verum etiam privatis ædibus abunde sufficeret. Fonti ipsi Euganei, ut verisimile est, Græco vocabulo rem significante, Physteris, quia πασαφύειν pullulare est, nomen quod adhuc permanet, indiderant. Ad hæc videbant Anaxum ipsum etsi rapidissimum esset, multâque abundaret aquâ, altissimoque alveo glaream infidam secum assiduè traheret; ponte tamen, si non lapideo, saltem sublicio, ante ipsius urbis amnensis faciem jungi posse; Neque eos fallebant commoditates, quæ inde futuræ essent in commeatibus, ab utraque fluminis parte comportandis, ipsum denique fluvium à Noricis, Carnicisque Alpibus sed ut uno verbo dicam, à Tauriseis, multis hinc inde collectis per singulas valles amnib. satis auctam materiam ligni facti atque infecti plurimam, plumbi, stanni, æris, ferri, calybis, auri etiamnum atque argenti, præsertim vivi copiam ex frequentibus toto eo Alpium tractu metallo fodinis magno

numero

numero provehendam ſuſcepere, quæ omnia ratibus commodiſſime convectarentur, quæque aſportanda eſſent eodem invecta fluvio in Tauriſanum, Forojulienſemque agrum ſex plurimum horarum ſpatio (ea eſt impetuoſi fluminis velocitas) exponi poſſe, pedeſtrè verò iter facientes primis caſtris in forum Julii procedere, primis in Tauriſanum agrum ingredi, ſecundis in Germaniam inferri, ſecundis adeſſe Vicetniæ, Patavioque ita ſive ſuis opem allaturi eſſent, ſive incurſanti hoſti obviam ituri, locum ad hæc omnia commodiſſimum intuebantur. Quibus omnibus perſuaſi ex ritualibus Etruſcorum libris, JOVI OPTIMO MAXIMO ſacra primùm faciunt, Martis, Vulcanique & Veſte more ſuo numinibus invocatis aream complanant, mox tauro & vacca junctis aratrum circumducunt, & urtis auſpicatæ faciem ſulco primigenio deſignant, loco ducendis aquis, tam publiciis quam privatis fontibus, non ignaviter excavato. Jamque templa, fora, Prætorium, publica, privataque ædificia deſcribuntur, omniaque opera utilia, & commoda incolis futura locantur ædificanda. Senatulus mox ex antiquioribus & approbatis viris cooptatur. Quadrumviralis dignitas ſub conſulari nomine inſtituitur. Ædiles creantur, Tribuni fiunt, Prætores, judicesque adleguntur. Neque ſacerdotum Poparumque & Saliorum ordines poſthabentur. Non fabrorum, non Centonariorum, neque Dendrophororum, non armorum, & aliarum denique artium collegia negliguntur. Orta interim eſt de nomine controverſia quod id honoris clari admodum plerique viri ſibi adſciſcere conabantur. Sed ne ſeditio hinc oboriretur ad auſpicia, uti gentis ejus mos erat, concurſum eſt. Reſponſum ab aruſpicib. CASUM URBI NOMEN DATURUM. Pax itaque rebus eſſet, continuareturque amœniſſimæ habitationis ædificatio. Cum ecce tibi monſtroſæ magnitudinis aper ex vici Fortunii faucibus in Poliam Poetici primùm, id enim antiquum adhuc loco nomen, mox in Sergianum campum, & Montis ſervæ radices eruperat, Scalano, Saphortiano, Cuſigio, Cavartiano, Nogarenſique agris prædisque devaſtatis, Arctianam inde vallículam transgreſſus flaviorum planitiem, quæ parti, quæ tergo urbis eſt, adjacet, furibundus invehitur, quaqua rueret clamorem excitari. Accurrere hinc inde Romanos milites, non Tribunos, non Præfectos, non Imperatorem ipſum Sertorium otioſos eſſe circumvenire aprum, undique hunc è corona modo hac, modo illac, fulminis inſtar elabi, vulnerare multos, plures ambagibus fallere, impetuoſo curſu omnes denique delaſſare. Præerat arci, cui urbs amplianda adjungebatur C. Flavius Hoſtilius ſertorianus, excitatus & ipſe Calidonia hac venatione, ita eam Suidas vocat, forti arrepto veru caſtello egreditur, atque aper, qui urbis novæ foſſas atque vallum ingreſſus erat illico fit obviam, hunc itaque convicio ſtatim appellat, & Romano more ad congreſſum invitat. Dirigit in eum dentes aper, ille imperterritus hoſtem aggreditur, fixoque intra collum atque armos venabulo immaniſſimam feram primo ictu exceptam humi proſternit, trajectaque in ima viſcera teli cuſpide tam diu terræ affixum continet, donec poſt horribiles fremitus ac iteratas vaſti corporis volutationes expiraret, quem mox in humeros ſublatum ipſe ſolus aliquando per caſtra geſtavit. Concurrere omnes admirabundi fortiſſimi juvenis virtutem in cœlum efferentes. Suſtulluntque mox ipſi aprum & in rete conjectum transmiſſis hinc inde contis commilitonum cervicibus impoſitum in triumphi ſpecie quoquo verſum, per urbis deſignata mœnia circumferunt, quo figeret omnibus conſpicuus. Hoſtilius interim equo eo ipſo quo publico merebat invectus & ipſe ſubſequitur.

Excitantur hinc inde plauſus, acclamationesque inter quas una omnium iterata ſæpius exaudiebatur, vir unus, vir unus, vir unus, quod id incredibile admirationi eſſet, tam immanem belluam unius tantùm hominis virtute concediſſe. Excepta ea vox in cauſa fuit, ut quoniam ab aruſpice reſponſum acceperant Caſum urbi nomen daturum, urbs ipſa Virunum apellaretur. Scribunt enim Græci dum nominis hujus cauſam perſcrutantur, vocem hujusmodi apud Romanos id eſſe, qui apud eos εἰς ἀνὴρ, atque aprum hunc in modum urbi noſtræ nomen & auſpicia dediſſe. Quod ſi quæ apud Sudam ſcribuntur vobis recitari cupitis, ita illic habẽt. Βηρδήνιον ὄνομα πόλεως ναρεικαὶ τὸ ἔθνος, ὅν θαλὸς χρῆμα θεὸ πεμπτον τὴν χώραν ἐλυμαίνετο ἣ αὐτῶ πάντες ὑπερρᾴδιον ἦν ἰδεῖν μέγεθος ἀνὴρ τὸν σὺν περιπτύξας ὅσον ἐς ὤμους ἀνέθετο διόπερ καὶ ἐπὶ καλιδόνος μυθένε) ὀνέναρεικοὶ ἐπεδόησαν ἂς ἀνὴρ τῇ δίᾳ φωνῇ τύποις βηρδήνις ὄθεν ἡ πολις βηρδήνις ἐκλήθη. Aſt hæc video, Latina depoſcitis geram vobis morem. Berunium urbis nomen, Norica vero gen, ubi ſuis portentum à Deo miſſum regionem omnem devaſtabat, contra quem cũ

omnes

omnes progressi essent, nihil, quiquam profecére, donec vir quidam Apro factus obvium, eum & confecit & in humeros sustulit, cujusmodi illud est, quod sue super calydonia fabulantur ; Norici verò admirati juvenis robur acclamaverunt voce patria vir unus, vir : unus, quod Græcè sonat εἷς ἀνὴρ unde urbs Virunum appellata est. Sed ne forte quis me fabulari fabulas arbitraretur, mihique eò succensèat, quo inutio aliorum fabulas & commentitias historias carpere visus fuerim, non dissimilia tamen ego pro veris venditare aggrediar, hæc urbe de nostrâ dici ab antiquis monumentum indicat, paucis admodum ab hinc annis, dum Stephania Basilia reficeretur, terra erutum, in quo scilicet historia hæc de Apro ab uno tantum viro confecto, deque eo in triumphi speciem circumvecto pulcherrimo opere circumsculpta est. Et quoniam hac de sermones facientes peropportunè juxta fontem Stephanium consedimus. Aspicite obsecro monumentum ipsum è proximo, atque hinc Flavium Hostilium Sertorianum, Romanum equitem, multis & magnis honoribus insignitum, cujus gloria vetustatis edacitatem in hæc usque tempora superavit, agnoscite. Animadvertite quid ab hoc primùm latere sit insculptum, Nonne præstantis formæ juvenis, qui solus aprum immanem venabulo trajicit. Hæc vero altera facies quam describit Historiam ? Aspicite primum omnium vastum id corpus apri conjectum in rete, considerate, quem præ se ferunt laborem viri valentes illi, qui plagarum contis in collum conjectis obvolutum aprum sustulére. Videte Hostilium eundem in equo insidentem, ut læto atque hilari fronte subsequitur. Observate turbæ concursum, manusque ipsas ad cœlum surrectas, nonne inde insignis illius victoriæ admirationem, plausum, & acclamationem, & vocem etiam eandem ipsam, quæ apud Sudam, Virunus, sonare, referrique subintelligitis ? Nimirum historia hæc eadem est, quam ab auctoribus Græcis traditam dicebamus. Quod quis venationem in medio positam esse dixerit, unumquemque studium ejus profiteri potuisse, non negabunt tamen, quicunque rem ita sculptam inspexerint, eam ad historiæ Græciæ argumentum plurimum convenire, neque absonum dixerit quispiam aprum in causa fuisse ut urbi nomen imponeretur. Cum aper Ephesiorum urbi condendæ locum ostenderit, sus Æneæ, Cadmo vitula, Ilo bos, & passim apud auctores his similia, & nostris longè etiam leviora conscripta sint. Sed age nihil contemur etiam quoque conditorii faciem contemplari Est hic, ut videtis, juvenis ejusdem effigies quæ cervum comprehenderit, gestus verò hominis ejusmodi est, ut cornu alterum, quippe levum, decutere connitatur, puto ut aliorsum id avertat, alterum in suâ statione contineat. Hæc est, Viri Bellunenses, vestræ urbis facies, quam ut facilè conjectari possumus Hostilius ipse describserit. Nam facta est hæc urbs ad Cervini capitis similitudinem, qua & Brundisium, unde illi nomen, quod ut Seleucus secundo linguarum ait Κεράντιον Messapiorum lingua, significat. Cervinum caput. Et si parva componere cum magnis, habet & quandam magni Byzantii formam. Illa enim in procurrenti promontorio posita pro fronte quæ orientem solem atque meridiem spectat, alluitur propontide, à Septentrione angusto mari à continente dispescitur, ab occasu muro per planiciem ducto clauditur, Vestra verò urbs in promontorii similitudinem ab occasu æstivo Capricorni ortum versus exporrigitur, & à lato Cervini capitis instar in Augustum procurrit. Ab orta hyemali neque non meridie altissimo clivo, quem Anaxus ambitu flexuoso lambit, cingitur, à Septentrione Arcto angustiori fluento ad imum clivum qui ejusdem est altitudinis, alluitur ; donec ipsius urbis conspectu in Anaxum ipsum influat, ab occasu tropici superioris fossa lata, muroque præalto munitur, pro urbis latere hoc area est, quæ ante portam primariam instar Theatri circumducitur ædificiis, atque hæc ipsius Cervi frons videtur, aures ut in Cervo amplæ, ita ab area duæ longè patentiores plateæ porriguntur, publicis ambæ fontibus & privatis ædibus instructæ, quarum unam occidentem versus, inter urbis fossas, & longum admodum suburbium dicta Hippodromi usum præbuit. Altera in Aquilonem versa thermis vel Basilicæ, vel utrique rei commoda olim fuit. Nam puer cum essem, & Stephaniæ Basilicæ fundamenta ultima jacerentur, multa memini me magnorum ædificiorum vestigia videre. Quotidiè verò ex antiquis operibus lapidei alvei inde passim eruebantur qui mox in cives distributi privatis fontibus laeuum usum exhibuerunt, ex eorumque numero esse celeberrimum hoc Flavii conditorium modo dicebamus. Sed ut his omissis ad rem nostram redeamus, Cornua, quæ insculpto Cervo cernuntur suburbanas hinc inde vias damorum frequentia constipatas, & in plures Angiportuum ramos deflexas indicant, quarum qui Occidentem versus tendit

Tendit in plano est, quæ ad septentrionem declivis & ad fluvium Arctum dejecta, idque fortasse sibi vult cornu illud, quod levâ manu deprimitur. Pro cervi verò oculis binæ in urbe vestra arces fuere, in duobus quippe murorum angulis, in his autem custodias esse mos est, & oculus custodiæ signum quamvis quæ olim à levo cornu erat, diruta nunc sit, & sola ostentet fundamenta, quorū etiam bona pars foroniorum civium vestrorum aditus occupatur. Optat cervus aquarum fluenta, optare videtur urbs vestra, ut exporrecto ad Anaxum rictu se inde proluat, ideoq; linguam extra dentium claustra exierit. Hoc dubio procul est suburbanum illud tot ædibus frequens à porta Ruderum toto clivo posito ad marginem usque fluvii, quod in ulteriorem ripam usque protenditur. Sed hæc fortè nimis poëtica videantur; quare ea potius consectemur, quæ ad Flavii nostri celebritatem pertinent, quique is fuerit ex ipsa Conditorii memoria perspiciamus; quæ quidem ut videtis, ita habet.

C. FL. HOSTILIUS
PAP. SERTORIANUS
LAUR. LAV. P. E. Q. R. M.
SIBI ET DOMITIÆ
T. FILIÆ SEVERÆ
CONJUGI INCOMPABILI
V. F.
ΓΡΙΓΟΡΙ ΧΑΙΡΕ
ΟΡΕLΙ ΑΕΙ
ΜΝΗΜΩΝ

STILIUS PAP. SERTORIANUS. Quod puto vos non ignorare verbis his explicandū esse. Cajus Flavius Hostilius Papinius Sertorianus. Subsequuntur inde monosyllaba duo iisdē penè repetita literis LAUR. LAV. Quod fortium militum & eorum maxime, quorum opera, & labore victoria triumphalis comparata esset præmium erat. Sacris enim laurentalibus quæ prius in Aciæ Laurentiæ, quæ Romulum & Remum educaverat, honorem instituta milites ii, quorum virtus in bello maximè enituisset, nominatim celebrabantur, accedabatq; virorum fortium titulis sempiternis, ut Laurentalibus laudati dicerentur. Istius modi inscriptionis forma aliquot litteris locupletior habetur eo monumento, quod Feltriæ victura vetustatis memoria conspicitur in hunc modum.

C. FIRMIOC. F.

MEMEN. RUFIN. EQ. PUB.
LAUREN. LAV. DEC. FLAMIN.
PATRONO COLLEGIORUM
FAB. CENT.
DENDR. FELTRIÆ
ITEMQUE BERUENS.
COLLEG. FABR. ALTI.
NATIUM PATRONO.

Hic est igitur vester Flavius Hostilius Romanus Eques multis & magnis honoribur insignitus. quem urbis nostræ conditorem arbitramus, in cujus gratiam Anaxum amnem Flavium appellatum, mox corrupta voce in Plavium abiisse maximè verisimile conjectura dicebamus, quam & Flaviola planicies, quæ urbi contigua est, videtur ab eo nomen accepisse, cùm hoc præsertim in eâ, uti vidimus, conditorium repertum sit, quo super ambigere posse neminem existimamus; nobis igitur maximè lætandum, quod Flavii nostri memoria vetustatis edacitatem in hæc usq; tempora superavit. Sed age, quoniam ita vos cupere animadverto, inscriptionem ipsam, quibusdam literarum notis, quæ punctis singulæ distinguuntur, obscuram luci dare, & quicquid in ea est ambiguitatis explicare aggrediamur, mox utrum Bellunum & Virunum idem esse possint, & quomodo nominis mutatio facta fuerit, si per otium licebit, examinabimus. Inscriptio est C. FL. HO- In inscriptione hac pro LAURENTALIBUS LAUREN. una plus syllaba quam in nostra sit notatu videtis. Sed enim singulæ illæ litteræ P. E. Q. R. M. magnam omnibus faciunt ambiguita-

tem. Quod ita consentientibus hujusmodi antiquitatum peritis interpretamur. Publico equo Romano meritus, frequentissimum id in titulis E. Q. PUB. hoc est equo publico absq; alia verbi merentis, aut militantis adjectione, quod nonnulli equiti publico ineptè legunt. Nam equo publico nulla dempta littera habetur in pleriq; veterum epigrammatibus, ut in quodam Forojulienſi, quon heri Ambroſius Regienſis juventutis veſtræ moderator optimus à ſe deſcriptum offendebat. Ejus copiam mihi fieri juſſi, quæ quidem iis literis inſcripta eſt.

T. VETIDIVS
T.F.SCAPT.
VALENS
IIII. VIR. JVR. DIC.
QVINQ. PONTI
SIBI ET
T. VETIDIO
POTENTI FIL.
EQVO PVBLICO
ANNOR. XX. M. IIII. D. V.
T. F. I.

Eſt & alia Neapoli ſic inſcripta.

M. VECTIO
M.F.PAPIO
EQVO PVBLICO
PRÆFECTO COH.
VI. THRACUM.

Sunt etiam Brixiæ inſtriptiones duæ in quibus EQUO PUBLICO integrè notatum eſt, eas age jam accipite, ut locuples teſtimonium eorum quæ ſupra diximus.

SERVILIO POLIAM
EQUO PUBLICO
DECURIONI
SERVILIUS VERUS
PATER
UT FIERET PETIIT
L.D.D.D.

C. PRÆSIO
P.F.FAB.
ÆMILIANO
SENIORI
EQVO PUBLICO
OMNIBVS
HONORIBUS
MUNICIPALIBVS
PERFVNCTO.

Ita declaratum eſt Ciceronianum illud in Antonium, ibi altera ſtatua equo publico. Sed antea quàm ex equo hoc deſcendamus, non dubitabo vobis dicere, in aliquot monumentis dici ſolitum, Exornatus equo publico, ut Beneventi antiqua admodum inſcriptione legitur. Q. PLOTIUS. Q. F. QUIR. ROMANUS EXORNATUS EQUO PUB. & quæ ſequuntur Alibi legas habenti Equum publicum, ut Romæ ad portam Appiam in jugo C. CORNELIO PRICI. F. HABENTI EQUUM PUBLICUM. alibi equo publico donato ut apud Cordubam in Hiſpaniâ SENECÆ TARQ. ÆD. Q. II. VIR. EQUO PUBLICO DONATO. Sciendum verò Equites apud Romanos ut Cicero ad Atticum indicat ordini Senatorio ſuiſſe dignitate proximos.

Sed

Sed ut nihil relinquamus intactum, in inſcriptione Vettidiorum, tria illa elementa ſubſcripta. T. F. I. nil aliud ſibi volunt quam *teſtamento fieri juſſit*. In Hoſtiliano locutiones quinque Græcis ſcriptæ litteris ΓΡΙΓΟΡΙ ΧΑΙΡΕ ΟΡΕΣΙ ΑΕΙΜΝΗΜΩΝ. Salutationis is modus eſt à rebus quarum ſtudio ſalutatus afficitur. Vigila, delectare montibus ſemper memor. Sed enim ipſa naturæ ratio non ſatis litterata eſt cum in locutione χαίροις litera ea deſideratur, quæ EI diphthongum facit; Sed minimè mirum hoc, quia milites arma magis quam litteras norunt. Et una quaq; ætate paſſim multa ita deluxata, curta, inverſaq; obſerves, quod plerumq; vocis, quæ in uſu eſſet, ſonum potius, quam ſcribendi rationem ſequerentur. Sed quoniam Epigramma illud, quod allatum Feltria vobis legendum tradidi multas ut video inter vos ambiguitates excitavit; operæ pretium fuerit eas explicare: vicinitas n. id juris habet, ut quæ honeſtè poſcat, meritò debeat impetrare, quibus quidem declaratis adapertior nobis fiet via ad ea probanda, quæ de Belluni nomine vobis indicanda ſuſcepi. Sed illud ne in tam aperta re multum immoremur, manifeſtum, quod C. FIRMIO C. F. MENEN. RUFIN. tantumdem eſt ac ſi ſcriptum eſſet; CAJO FIRMIO CAI FILIO MENENIO RUFINO, idque potius quod ſubſequitur interpretabimur. E. Q. PUB. LAUREN. LAU. DEC. FLAMIN. PATRONO, idem eſſe ac ſi ſcriptum eſſet, EQUO PUBLICO LAURENTALIB. LAUDATO DECURIÆ FLAMINUM, vel FLAMINIÆ PATRONO. Sequuntur inde verba pleraq; detruncata COLLEGIORUM FABR. CENT. DENDR. FELTRIÆ ITEMQ. BERUENS. id eſt: COLLEGIORUM FABRORUM, CENTONARIORUM DENDROPHORUM FELTRIÆ ITEMQ. BERUENISIUM. Additum mox COLLEGII. FABR. ALTINATIUM PATRONO, quippe COLLEGII FABRORUM ALTINATIUM PATRONO, ita ut Collegia fabrorum, Centonariorum, & Dendrophororum pariter & Feltriæ & Beruæ fuiſſe, Altini fabrum tantùm intelligatis, quorum firmius is patronus eſſet. Beruam autem ætatis noſtræ peritiores Polzanium eſſe volunt, Plinianum ſecuti ordinem Feltrini, Tridentini, Beruenſes. Quod verò FABR. & FABR. pro FABRUM poſſeſſivo caſu numero multitudinis poſitum ſit, nemini dubium eſſe crediderim, quoniam id inſcriptionis paſſim habetur. Unde verò CENT. pro CENTONARIORIORUM & DENDR. pro DENDROPHORORUM commentari didicerim aperiendum. Multæ ſunt veterum inſcriptiones, quæ hujuſmodi locutiones litteris omnibus explicant, ſed ut interim Romanos, quæ plurimæ ſunt, præteream, quam Brixiæ antiquo monumento à ſe olim lectam, & cum fide deſcriptam ad nos attulit Jurisconſult. civisque veſter Theodorus Paganus, afferam. Ita enim eſt.

COLL. FABR. ET CENT.
SEX. SEXTIO ONESIGENI
ORNAMENTIS
DECURIONALIBUS
BRIXIÆ. VI. VIR. AUGUSTAL.
PATRONO COLLEGIORUM
FABR. ET CENTONARIOR.
ET DENDROPHORORUM.

Et quod Parmæ inciſum marmor oſtendit mihi vir doctiſſimus Georgius Anſelmus.

PRÆT. LEG. XX. VALEN.
VICTR. PRIMOP. LEG.
X. GEM. PIÆ. FIDEL.
CENT. LEGION. III.
SCYTHICÆ. XI. CLAUD. XIII. GEM.
VII. GEM.
PATR. COL. JUL. AUG. PARM.
PATR. MUNICIPIORUM FORODRUENT. ET FORO
CENT. ET
NOVANTR. PATR. COLLEGIOR. FABR. ET
DENDROPHOR. PARMENS. COL. CENT.
MERENTI.

Satis igitur vobis, liquet Centonariorum & Dendrophororum apud majores noſtros collegia fuiſſe, eſſeq; nunc præcipuè. Erant verò Centonarii, qui centonibus veſtibus militaribus contexendis operam dabant. Nam hujusmodi veſtes vectigalis nomine publicè militibus impendebantur, & in hanc uſque diem Feltrini hujuſmodi craſſioribus pannis contexendis plurimam impendunt operam. Dendrophoci verò, ut Græcî planè vocabuli ſignificatum oſtendit, ii ſunt, qui ligni materiam, quæ per noſtra pluriùm flumina in Adriaticum Venetias aſſiduè convectatur, traducendum redimunt, quos à ratibus eâ materiâ contextis, ratiarios vocitabis, exercitatores ratium Ulpianus. Quantum igitur ad Hoſtiliani Epigrammatis intellectum pertinet, fatis hactenus explicuimus quidque Græci de urbis veſtræ nomine tradiderint, intellexiſtis, quibusq; conjecturis adducar in eam ſententiam, ut ſi quis Romanorum urbè veſtræ nomen dederit, eum fuiſſe putem, cujus nomen & hiſtoria eadem ipſa, quam ſuper apro ab uno viro confecto, Sudas memorat, antiquiſſimo ſculpta monumento conſpicitur. Reliquum vero eſſet, ut unum vobis ſcrupulum eximerem, qui vos addubitare facit, utrum Bellunum & Virunum eadem eſſe urbs credi poſſit, quod tamen ut vobis teſtatiſſimum relinquam, longe mihi faciliùs erit, quàm hiſtoriam ex Græco fonte hauſtam de veſtræ urbis origine nuper explicuiſſe. Sed quoniam ſatis hodie locuti ſumus, & ſol jam inclinatus occaſui proximus eſt, privataq; plerisq; veſtrum negotia incumbunt, de chorographia, ſituque Belluni, quæque fuiſſe videatur in nomine demutationis cauſa, & aliis quibusdam ad urbis antiquitatem & gloriam pertinentibus in craſtinum dicere differemus. Sapientiſſimi enim viri dictum memini, ſummo opere cavendum, ne vel juvandi ſtudio ſimus apud quempiam Importuni. Vos interim valebitis.

JOAN.

# JOANNIS PIERII VALERIANI.

# ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM.

## *SERMO SECUNDUS.*

NImirum video, viri Bellunenses, non ingratam vobis fuisse hesternam dictionem meam, quæ C. Flavium Hostilium Sertorianum verisimilibus quidem argumentis urbis ipsius vestræ si non conditorem, certè vel ampliatorem, vel Coloniæ deductorem indicabat. Pro indicio autem rei vobis placide accipio, quod adeo frequentes hodie ad audiendum convenistis, qui heri uno prope minùs viginti casu ad fontem Stephanum, & ipsius Hostilii conditorium aderatis. Hodie. Hodie verò chryptoporticum hanc omnem magno adeo numero compleviſtis. Dabo igitur pro viribus operam, ne vos accessisse huc pœniteat, si ulla patriæ vestræ non inani quidem gloria, si antiquarum rerum cognitione, si veritatis studio ducamini.

Illa verò primùm omnium difficultas expedienda est, quæ diu doctorum quorundam animos sollicitos habuit, & in hanc usque diem aqua hærere coëgit, cum apud Plinium & Ptolomæum Græcosq; nonnullos, qui vel de situ orbis, vel de urbibus aliqua conscripsere, Bellunū inter Venetas urbes adnumerare deprehenderes. Virunum tamen, quam eandem esse asserimus, apud eundem Plinium videatur in ea esse oppidorū nomenclatura, quæ nonnulli ad Ripenses Noricos pertinere falsò existimant. Quæ quidem loca recitata, examinataq; explicatiorem opinionis nostræ intellectum efficient. Qui sit igitur Plinianus in his locis describendis ordo, videamus. Unde vigesimo libri tertii capite percurrit, Primò Plinius oram Venetiæ maritimam, enumerat inde flumina ad oricum usque, non ea per ostiorum, quibus influunt in mare ordinem, sed à fontibus quædam, atque hoc illud est, quod majori, minoriq; Tiliavento decursis Anaxum mox ponit, quo Varanus defluit. Hinc oppida littori viciniora, Altinoque per Istriam, Liburniamque usque procedit. Mox ad Mediterranea regionis ejusdem revertitur, à Cremona ambitum omnem amplectitur Acedum usque Bellunumque provectus. Hinc Vicentiam retrovertitur, inde Mantuam. Sed agite nunc. Qua regionis decimæ parte, locoque sita sit Bellunum inspiciamus. Ita fiet, ut quæ spissa adeò videntur defecata dicendo clarius eliceſcant. Sane verba Plinii sunt. In Mediterraneo regionis decimæ Idonia Cremona, Brixia Cenomanorum agro; Venetorum autem Adria, Ateste, & oppida Acedum, Patavium, Opitorgium, Bellunum, Vicentia, Mantua, Tuscorum trans Padum sola reliqua. Videtis hinc urbium ordinem, non tamen de situ sumtum, neque per Alphabeti seriem, cujusmodi fuere Octaviani Augusti Commentaria disposítum. Nam ab Acedo, quæ nimirum in Pontificum Romanorum actis Ceneta nunc est, urbs olim & magna & opulenta, quamvis nunc magni sui parte vici speciem exhibeat, arce ipsa sola adhuc muro cincta. Ab hac inquam inter Bellunum & Opitergium media, Tarvisio præterito, quod nondum forsan urbs illa condita erat, Patavium provolat, inde veluti quodam aurigandi studio, repetito in contrarium itinere Opitergium revertitur inde Bellunum, Acedo media. Inde Vicentiam usque transcurrit immemor Feltriæ, quæ nunc in has media, sed ipsa quoque ut nonnulli putant nondum extabat, quod absurdum dictu, cum statim Feltrinos & Tridentinos inter Rhœtos enumeret. Ita apud Ptolomæum ordine magis torvoso. Venetæ Civitates Mediterraneæ sunt. Tridentum, Bellunum, Vicentia, Opitergium, Acedum, Ateste, Patavium, Altinum. Neque hic ulla est Tarvisiæ memoria, perinde ac neque Feltriæ. Sed utrumque posita sint hæc

à Cosmographis, agnoscunt jam illi Bellunenses Venetos, quos Græci dubio procul Virunetos modo Virunios vocant, Juncturus inde Plinius Venetis & Rhœtis provincias subsequentes capite vigesimo incolas ponit Alpium, juncta Carnos inquit, quondam Tauriſci appellati nunc Norici paulo post de Noricis ait: his contermini Rhœti. Inde nobis hinc ita relictas per Lepontios transcurrit maritimam & ejus insulas descendit: ac per Liburnos ad Titum usque fluvium provehitur. Mox XXII. & XXIII. cap. à Liburnia Dalmatiam perquirit, productoque itinere ad oram usq; Macedoniæ qua parte Adriaticum attingit, ubi oppidum Oricum à Colchis conditum memorat, unde mox initium Epyni, inde ad Carnos & Japidas retroversus, montana quæ ad septentrionem reliquerat descripturus, principium capit à Carnorum Japidumq; finibus atque Rhœtis, inter quos nos medii fumus. Ait enim: Rhœtis junguntur Norici, quod quidem principium esse deberet vicesimi quarti capitis, si libri continui sunt in capita dividendi, in hunc modum. A tergo Carnorum & Japidum, qua se offert magnus Ister, Rhœtis junguntur Norici, ubi animadvertendum est, quod in Venetiis & Rhœtis describendis, ab meridionali parte Bellunum usq; pervenerat, Noricos mox percursurus qui à tergo Carnorum & Japidum incipiunt & ad Septentrionem inde porriguntur, ab eadem in finibus urbe posita exorditur. Inde ad magnum Istrum profecturus, unde mox iter dirigat in Pannoniam. Oppida vero Noricorum enumerat Virunum imprimis, mox Celeiam, Teurniam, Aguntum, Æmonoiam, Claudiam, & alia, quæ hic non habeo necesse commemorare, præcipuè cùm mihi fides facienda sit Belluni nomen ex Viruno demutatum. Sed ut hæc planius intelligantur, non abs re fuerit ut semel Noricorum fines investigemus. Capite XXV. Pannoniæ fines positurus Plinius à fronte ait Scordiscos esse, à Tergo Tauriscos; eosdem autem superius Noricos appellarat. Et Strabo Noricorum aliquos vocari Carnos, Tauriscos alios scribit. Quod summonet apud Plinium, ubi Anaxin oriri ait in montibus Tarvisinis, Tauriscis forte legendum esset, nam apud hos omnino nascitur: Quanquam quod ad Tauriscos attinet, sunt literatura nobiles admodum viri; qui hodiernum vulgi sermonem secuti, nostros hos finitimos populos Taurisios potius, quam Tauriscos vocatos ab auctoribus suspicentur, quod Taux vulgo, qui Latinè Teutor dicitur, & toto hoc Alpium nostrarum tractu Tauri nunc appellantur, Tauriſci tamen passim Plinio sunt & Straboni. Quamvis Eratostenes Teriscos scribat, & Taurinos tertio Polybius. Apud Stephanum Simpliciter Ταυρίσκοι, ἔθνος περὶ τὰ ἄγκεια. Sed quod eos Eratostenes per e prima syllaba scribi admonet, eosdem & Troos vocari dicit, quod quidē consensum habet cū iis, qui Antenoreos quoq; hoc diffusos tradunt, & in Ripenses usq; Noricos penetrasse, de quibus monumentum antiquum in termini formam primo sermone nostro vobis indicavimus, quo minus ridiculum videatur præclaros esse Teutonicis nominis Heroas, qui se originem ab Hectore, & fratribus ejus duxisse profiteantur. Igitur ad nostra redeamus. Palam est Noricis finitimum esse Julium Carnicum, si Plinio, si Ptolomæo, si nostrismet oculis credimus. Nam id vicinorum nostrorum nomen adhuc perdurat in colume. Japidia nimirum ea est; cujus bona pars nunc Fori Julii patria nuncupatur, de qua ad Maronem. *Et Japidis arva Timavi.* Pars etiam ad Istriam pertinet. Sed ea demum urbem nostram, ut video errabundam, palantemque perquiramus. Foro Julienses, à meridio dubio procul nobis sunt contermini, ab Oriente Carni, à Septentrione Noricis inferimur, iiq; Tauriſci jam sunt, ab occasu Rhœtos ad septimum lapidem habemus. Extat Antonini Augusti itinerarium, si modo illud Antoni est; utcumque tamen receptæ fidei commentarium habetur. Ibi digressis ab Aquileia, Viruno, Montana statim offeruntur quorum primi se nobis exhibent Cathorini. Nam eam Norici partem, quæ supra etiam Anaxi fontem, & rivos in eum amnē confluentes, per arctissimas profundissimasq; valles hinc & inde præcipitatos pertinet, in Bellunensem usque agrum, Græco vocabulo vulgus Kathore vocat, qua locutione populi montium accolæ significantur. Tantundem enim est καθ' ὄρη, quod per montes, ut ex hoc quoq; nomine verè; puriter Græco, Græcorum gentes hic olim habitasse cognoscamus, ne fabulosum quis putet, quod heri Euganeos in hos montes se recepisse dicebamus. Hi verò à meridie Carnos finitimos habent, & aliquot eorum vicis imperant, gens civilibus admodum ornata moribus, ingenio, facundia & rei cujuslibet, industria celebris, ante omnia autem fide in Venetum nomen incomparabili, & obli-

legib.

legib. suis vivere permissa, illustrissimi Senatus Veneti liberalitate, tributorum, operumque omnium immunitate donata. Aa occasu Rhœti nimirum sunt, in quibus primum Feltria recensetur à Plinio, urbs ea ad occidentem solem, Belluno digressis Rhœticarum prima brevi admodum se nobis offert itinere, & nisi oculis nostris interposito colla summoveretur, jam nunc in conspectu ex hoc loco esset.

Quinque igitur Gentium medii commoditates nostras Rhœtis, Noricis & Carnis alpinis Gentibus, Campestribus Foro Juliensibus, & Venetis communicamus, ita vicinitas in causa fuerit, cur modo huic, modo illi regioni adscripti fuerimus, quibus tamen brevi spatio contermini fumus. A Rhœtis enim septem non amplius passuum millibus distamus. Noricum à nobis principium ut dictum est, sumit; Carni proximi finitimi & ipsi sunt, Forojulienses contigui; Taurisani ipsi quoq; non procul quamquam in Rhœtos vicis aliquot ingredimur. Mediterraneorum Noricorum montana ad Septentrionem latè obtinemus, quorum aliquot Castella in tumilis ditioni nostræ subjecta sunt. Forojulienses versus, quorum aliquando limes Plavius urbis nostræ conspectum fuit & in eorum nos aliquando planitiam provecti, non pauca ejus regionis oppida tenuimus, in aliquot tamen passuum millia porrigimur.

Quod verò Plinus Noricos ait produci usq; ad magnum Istrum, ut hæc rectius percipi possint, sciendum est Noricorum populos alios Ripenses, alios Mediterraneos appellari, ut in Theodosii, Honorii & Constantini Imperatorum commentariis aliquot observavimus. Ripenses illi nimirum sunt, qui per Istri ripam, & eam agri partem extenduntur. Mediterranei, qui per alpes in nostram usque regionem porriguntur sub auspicatissimo Austriæ nomine maxima sui parte comprehensi. Quod verò in hoc tractu, locoque, ubi nostra urbs, Viruni sunt apud apud auctores mentio primum Sudas rerum, locutionumque antiquarum collector apud Græcos diligentissimus testis est, qui Βήρωνα Italicam urbem agnoscit. & nomen illi è Romana voce, quod heri dicebamus, inditum ostendit. Neque magni faciam, si quis Apri historiam, quæ opere prorsus antiquissimo apud nos in marmore sculpta est, eam esse quam enarrat Sudas contentiosius abnegarit; cum Stephanus in eo compendio, quod ex Hermolai Geographia contraxit, Virunum in Noricorum mediterraneis statuat, & Italicam urbem dicat, cujus hæc sunt verba, Βέρων ὡς Λουγδῶν ἰταλικὴ πόλις μεταξὺ τῶν Νορικῶν (ita enim in castigatis codicibus non ὠρικῶν, ut in impressis hactenus habetur exemplaribus. (Τὸ ἐθνικὸν Βηρουνήσιος, ὡς Λουγδουνήσιος, quod ita latinè reddi potest. Viruhum & Lugdunum Italia urbs in Mediterraneis Noricorum gentile nomen Verunesius, ut & Lugdunesius. Porrò nusquam loci urbs est ulla, quæ simul & ad Noricos, & ad Italiam pertinere possit, nisi una Bellunum nostra. Neque tamen credideritis, quæ modo Βέρουν-, modo Βίρουν- Græcis est, quod alicubi perperam Βήρουν- per η, scriptum est, eam esse posse Veronā, quamvis nonnulli capti sunt nominis vicinitate. In Rhœtis nimirum illa veterum quorundam auctorum consensu originem à Thuscis ducit, sive ut nonnullorum est sententia, de qua sermone superiore, à familia quæ vera vocabatur; sive debita aliquando à Breno inde Gallorum Rege instaurata. At Virunum, uti ostensum ab Euganeis coli cœpta, à Romanis aucta, nomenq; inde hoc adepta pertinet ad Noricos. Illa in prima planicie agri Veneti Rhœticorum montium radicibus adhæresci. Hæc in valles has citra saltus Aredi, & Marini Vallis jugum, reducta aliquantulum ab ejusdem agri planicie recessit.

Illa ad Amœnum Athesin Venetiæ primæ, hæc ad Plavium, sive Flavium jam dicere malueritis Venetarum quæ ad Septentrionis vergunt, urbium ultima. Quo loco illud animadvertendum est, nominis hujus æquivocatione factum, ut qui Æneæ Pii rerum Germanicarum, Boemicarumque volumina recentius descripsere Veronenses, pro Virunenses qui nos sumus eo loco posuerint, ubi de accessione ad Othocari Boemorum regis imperium facta; scribit Pius eum Austria potitum in Adriaticum littus fines porrexisse. Ad cujus auctoritatem Virunenses (ita enim legendum est, non Veronenses, Feltrini, Taurisani, & Forojulienses plerique alii sese contulere. Ita Verona non sua, sed librariorum aut scriptorum culpa, qui regionum situs non ita exploratos habebant, Barbarie illius temporis omnia promiscente, multarum rerum memoriam, quas ne videar importunus prudens

præte-

præteribo, per æquivocationem bis ad emit, quam facilè recuperare possimus, si ubi de civitatibus aut oppidis inter Austriam, & Forum Julii Taurisium, Feltrumque agitur, quotiescunque Veronenses occurrerint, eruditus lector Bellunenses, sive ut peritiores utique scriptitarunt, Virunnenses vel Virunesios reposuerit, quod si parum Græcorum fiditis auctoritatibus, recitavi vobis ex itinerario Antonini credito Viruni nomen, idque Bellunum esse probavimus. Quod si quis Virunum in Ripensibus esse contenderit, eamque esse, ut putare nonnullos video, quæ nunc Neistat voce Teutonum appellatur, videretur Antonius, aut quisquis ille fuit vir dubio procul accuratissimus itineris ordinem confudisse, cui, si hoc his demus dicendum fuerat. Ab Aquilea, Montanis, Virunum, non autem ut dicit ab Aquileia, mox Viruno montana adiri. Unde manifestum est Virunum ad eam pertinere partem, quæ citra Alpes est. Habemus & aliud testimonium, atque id re ipsa locupletissimum, quales quantumque sit in urbe nostra collegium eorum qui & enses & arma reliqua fabricent, summa omnium commendatione celebrata nemo vestrum, nemo externorum, nemo veterum ignoravit, quam gloriam Jacobus Bellunensis nostri sanguinis vir Seravallem quoque ubi uxorem duxerat eoque transmigraverat, paucis ante annis transtulit, & usque adeo auxit alumnorumque educatione propagavit, ut nunc tota penè Italia enses hujusmodi revera Norici, hoc est Verunenses, Seravallici ob emporiorum vicinitates nuncupentur. Cùm tamen Seravallensium officinæ maximè contemnendæ cultellariæ potius sint quam spathariæ, ut Græcum vocaculum toga induam, in vulgus olim ja receptum, cum præsertim Vegetius id agnoscat, & eò gladios in majores significari tradat: Hi verò Belluni tanto numero cuduntur, ut quamvis multæ sint eorum officinæ, nemo tamen manceps hujusmodi operum, quem mercatores poscunt numerum explere possint, sed pretio in futuri anni opera prænumerato omnes abeunt, quasi futuri anni frugem promercati. Audit igitur ex Constantinianis commentariis, qualia nam essent tributa, quæ illius temporis Imperatoribus solvebantur, antiquissimo hujus œconomicæ libro, quem Romæ apud Maffeos lege ita notatum inveni, schola Concordiensis, Sagittarii Berunensis Scutarii & armorum, & quæ sequuntur Videtis apud hunc Berunum apud Antonium Virunum de urbe eadem dictum. Neque suspicor quenquam ex peritis dubitare jam, quin illi unum eundemque locum intellexerunt. Ita autem Bellunensis schola armorum erat ut Mantuana, quod iisdem commentariis sequitur Loricaria, Cremonensis scutaria, Ticinensis acuaria, Lucensis itidem spartharia, quanquam nihil me offenderit (quando nonnulli hodiè importunè admodum. Noricos ab hoc tractu summovent, neque cum fluviis in Italiam cadentibus commune quicquam habere contendunt, quorum ego descriptiones aliorum judicio reliquerim) aliam esse urbem juxta Danubium, quæ ut isti commentantur hodie, ut supra meminimus Neistat barbaro vocabulo nuncupatur, olim Virunum appellatam. Nam ne Gorographos minus inspexisse videamur, in Germaniæ climate Virunum à Ptolomæo recensetur, quod oppidum esse nonnulli alii volunt, quod vulgò nunc Indenburk appellatur. Quid vero mirum si Ptolomæus, qui Tridentem in Venetia ponat. Virunum in primi Norici montis costa positam ad Germaniam pertinere crediderit: Præterea longa aliud ad Parallelorum normam urbes supputare, aliud provinciatim, ut ita dicam, per regiones singulas oppida denumerare. Adhæc nonnunquam eorum qui rerum potiuntur, Imperium ampliatique reductivè fines: nonnunquam incolarum migratio, nonnunquam Coloniarum adventus, ipsa nonnunquam, ut hic accidisse potest homonymia, nomina locorum & gentium pleraque nunc repetierunt, nunc similia, nunc immutata protulerunt. Nam & Bononia in togata Gallia una, & in Pannonia altera Ptolomæo memoratur, est & Bononiæ ducatus in avernis Bolonia vulgo dictitatus. Mediolanum celeberrima in Insubria, in Aquitania Μεδιόλανον Stephano cujus civis Mediolanius. Una erat Carthago in Lybia, in Hispania altera. Non in nostra tantum regione Veneti sed & in extrema Galliarum ora ad Oceanum Occidentalem Julii Cæsaris præcipuè bello celebres. Feltrum ut nunc cognominatur proxima nobis civitas, alterum eodem nomine in umbris oppidum, Principibus Urbini familiæ cognomentum dedit, ut fuimus nos erimusque semper æquivocationibus obnoxii, sive Græcè, sive Latinè sive familiari nostri temporis vocabulo, urbis nostræ nomen enuntietur. Civitatis vulgo nunc urbi Bellunum est, Civitatis itidem alterum, atque id ad modum nobile Forojulii oppidum. In Appulia quoque atque etiam alibi oppida quædam sunt Civitates dicta, si ad La-

Latinum confugiamus nomen, veſtra urbs dubio procul hodie Bellunũ eſt, at & Belon Ptolomeo. Et Stephano urbs in Hiſpaniæ Boeticæ ſitu memoratur Turdulorum patria, & eodem loco Belonis fluvii hoſtia deſctibuntur accolæ Belonii. Ubi Querquanas fauces, Leonicumq; ſecundo Plavii flumine egreſſi ſumus, in Tauriſanum mox campum ingreſſi, montem Bellunum, olim oppidum nunc vicum frequentiſſimo emporio nobilem invenimus, quem locum, ut facilis conjectura Majores noſtri vel ædificaverint, vel Coloniam deduxerint, aut ita omnino excoluerint, ut à ſe merito loco nomen indiderint. An ſcilicet putatis ditionis veſtræ fines his olim anguſtiis, quibus nunc circumſcripti ſumus, coarctatos? ut ſcilicet ad Meridianum & Occidentem ſolem vix in octavum, aut decimum lapidem porrigerentur? Longè mihi credite, longè latius extendebantur, perq; Caſamattiam, Vadum Altum, Seravalisq; fauces, in Forojulii campos progreſſi multa obtinebatis, per alteras mox fauces Ubaldinas, quippe & vallem Marinam, fulloniasq; & collis alti juga transgreſſi Opitergium usq; ferebamini, Occaſum verò verſus in Tauriſanum agrum dilatabamini. Ita montem Bellunum fortè condideratis ita Muſculentum tunc oppidum, nunc vicum, qui adhuc veſtro paret Epiſcopo obtinebatis, ita antiquiſſima Opitergio jura dicebatis. Caſtro Solici, Fileto, Franconi, Cendoni, Caſtro, Caronis, & Fregonæ, & plerisque aliis locis, quæ nunc neceſſe non habeo commemorare leges imponebatis. Hinc illa olim fuit Bellunenſium vis, & in re bellica claritas, ut Forojulienſibus Tauriſanis, antiquiſſimis Venetis, Rhœtis, Noricisq; finitimis terrori eſſent. Vos Antenorem Trajanosq; ejus comites, reliquis in ſocietatem Euganeis advocatis totiens bello laceſſitis, pugnaciſſimasq; gentes, quæ ſub tàm inſigni duce militabant, ita demum attriviſtis, ut pacem à vobis petere cogerentur, ut in regno participatum ſolo ipſi contenti nomine cooptarent. Neque tamen antiquum hoc eſt veſtrum Eugoneæ nomen ullo unquam tempore potuit aboleri. Vos præclara virtutis veſtræ monumenta. Flaviorum civium veſtrorum auſpiciis in media Verona poſuiſtis, ut pars ea arcus antiquiſſimi, via ad Leones indicat, inſcriptione teſte, quæ temporis injuriam evicit; cujus pars hæc ſuperat. TI. FLAVIUS. P.F. NORICUS IIII. VIR. I. D. reliqua dejecta ſunt. Vos Tauriſanos Regulos, vos Utinenſes, Aquilegienſesque Præfectos non ſemel armis in ſententiam veſtram attraxiſtis, non ſemel beneficiis ita eſtis proſequuti, ut vel privatus civis veſter, Spiritellus gente, quæ potens admodum in hac urbe olim fuit, inventus ſit, qui privato ſumptu exercitium bene magnum compararet, & eventu proſpero. Virtutisque ope optatam ſociis Forojulienſibus victoriam afferret. Vos Pemonem civem veſtrum Forojulienſibus ſummæ integritatis, ſummæ continentiæ principem dediſtis, cujus laudatiſſimos mores, & dignam rege vitam ipſi ultro prædicare non deſinunt, publicatisque per hiſtoriam rebus ab eo geſtis, memoriam hominis nulla unquam poſteritate defuturam æternitati conſecrandam curavere. Vos deniq; Venetos nunc rerum Dominos, quod ipſi, quique res eorum geſtas ſcribunt, neque inficiantur neq; diſſimulant, auſi eſtis non ſemel bello provocare, fines eorum incurſionibus devaſtare, ſigna veſtra pro maris littore ante urbis aquoſæ conſpectum figere, & Sabinorum Cinninenſiumque inſtar, ut illi Romæ in collibus inſtar, ita vos naſcentis in aqua urbis potentiſſimæ olim futuræ incunabula ſollicitare. Ignari ſc. inde mox vobis otium comparandum, unde tunc contentiones, & moleſtias aucupabamini. Fuit enim vobis Joannes Epiſcopus, penes quem erat totius rei Bellunenſis ſumma, cujus auſpiciis de Plavii hoſtio cum Venetis gravi admodum decertatum. Ita vos rates ſecuti veſtras, veſtroque invecti flumine, ditionem à Noricis Rhœtisq; alpibus, ad ipſum usque mare Adriaticum proferebatis. Quæ quidem omnia libentiſſimè vobis per hiſtoriæ ſeriem commemorarem, fidemq; iis quæ nunc obiter attigi facerem, deque Reipubl. veſtræ regimine, quique temporum ſtatus, quæ conditio, quæ multis abhinc annis rerum viciſſitudines fuerint, quo denique fato in hanc inciderimus rerum tenuitatem enarrem, niſi inſtaret illud quod tantùm vobis negotium faceſſere videtur, ob eam, qua ſollicitamini ambiguitatem, quod Bellunum longè aliter ſonat, quam Virunum, quaſi Judenburk aut Neiſtat ad vocem ea propinquiora ſint, quæ nihil commune habent cum Viruni vocabulo, cum Locutio Bellunum cum Virunis cauſas vobis hodie declarare. Primum autem omnium nemini dubium eſſe crediderim, quod ad primam nominis hujus litteram attinet, eandem eſſe notam apud nos, quæ apud Græcos ſecun-

dum in literarum ordine locum tenet, alio tamen sono à Græcis, alio à nostris hodie pronunciari. Siquidem Græci consonantium primam eam enunciant, nos V. consonantem scribere solemus, qui vero apud nos est BE syllabæ sonus apud eos per VE exauditur. Hinc apud nos Belus & Belides, quod illi Velus, & Velides videntur enunciare. Hinc superva pati fastidia in antiquissimis aliquot codicibus apud Virgilium, & hujusmodi pleraque. Sciendum enim non Græcorum tantum, sed universæ penè Italiæ morem aliquando fuisse, ut nostrum illud digammon à Martyrio Adamantio nuncupatum B. littera notaretur. Utrum verò veteres, eo, quo nos pronunciamus sono eam enunciaverint, an una eademque fuerit, ejus tàm apud Græcos, quàm apud Latinos vox, incompertum est mihi, qui videam non in elegantis eloquentiæ nationes in Italia plurimas V. digammon, per B. Græcaniorem litteram & scribere, & enunciare. Contrà verò legerim apud etymologiarum auctores, Græcos Beta litteram ab ovium balatu originē soni desumpsisse, oves verò non Ve sed Be sonare unicuique est exploratissimum. Quod utcumque sit accipiendum satis constat ante actæ ætatis inscriptiones conspici tota Italia plurimas in quibus B. littera, consonantiū prima, digammi, sive, ut juniores dicere maluerunt V. consonantis loco posita legatur; neque vos pigeat horum aliquot exempla, quæ nos excerpsimus ex vetustis memoriis auscultare. Illudque primum omnium in mentem venit quod pro VIXIT, BIXIT Romæ plerisque locis notatum observavi, neque adeò multa vobis recensebo, quæ quidem innumera sunt, pauciissimis contentus testimoniis, quorum unum in æde D. Sabinæ ita habet. JUSTA QUÆ BIXIT ANNOS. L. MENSES V. DIES XX. ubi etiam annus non annos Græco declinatu positum, quod quidem Græcanicum scribendi loquendique usum ætate ea in Italiam irrepsisse nulli dubium esse crediderim. Cum post exactos Gotthos Itali qui in Græciam transmigrarant postliminio demum rediere. Nam cùm per tot annos tota Italia profugi Constantinopoli & in universia Græcia commorati, assidua Græci sermonis consuetudine contaminari Græcam in plerisque locutionibus pronunciationem imbiberunt. Tametsi aliquot etiam ætatibus ante Gotthorum adventum casus nostros Græca declinatione positos: & V. consonantem in B transiisse comperio. Inscriptioni autem, quam supra posuimus alteræ similis in æde D. Ceciliæ trans Tyberim: FILIÆ DULCISSIMÆ MELANTIO QUÆ BIXIT ANNOS. III. M. VII. DIES. IIII. IN PACE. Verecundus nomen ita omnes scribunt, ut diversa sit à B. litteræ primæ in eo nomine notæ forma. Romæ tamen legi antiquo in marmore notatum. D. M. CLODIUS BERECUNDUS. Quid illud quod BALERIA pro Valeria scriptum antiquo monumento apud Andream Carisium Romæ vidi. D. M. CASSIO BASSO BALERIA VERA POSUIT. Eodem modo ex longo tempore JUBENTUTIS pro Juventutis apud Albertinos Romæ legas, & OBEDIANUS pro Ovidianus habetur Ameriæ in hunc modum

D. M.
CASSIÆ MON-
TANILÆ SO-
RORI L. CAS-
SIVS OBIDIANUS FRAT.

Unum

Unum illud propter argutum sententiæ leporem præterire non possum quod Auxure in agro habetur.

CÆLIUS ASPRENAS COMMODI
CÆS. NEGOT.
QUO NEMO MORTEM ALACRIUS
ADMISIT QUOD A SERVORUM
SUORUM SERVITUTE TANDEM
LIBER EVADERET.
HOC AUTEM TESTAM. CAVIT
POSTERIS INSRCIBI
BIX. ANN. LVII. M. IX. D. XI.

Non referam quod FLABIUS in exquilino legitur in pariete cujusdam Vineæ & eodem modo plurima. Urbemque hodie nobilissimam Italiæ videmus Neapolim, quæ familiari sermone plerisque locutionibus B. ponit loco V. digammi ut serbare pro servare, & similia, quod in quibusdam Actu sinceri viri clariss. datis ad me litteris testari possum. Sed ut recentiora in Latinis, tangam, in nomenclatura Præsulum, qui Synodo quam Otho Imperator Christianus Romæ celebravit affuerunt, Joannis Berulensis nominatur quia Verulis nunc Verulanus, atque etiam vice versa V. pro B. scriptum, ut in Aventino Ro. Æde D. Mariæ, Vonitatis pro Bonitatis in Exquilino rursus Æde D. Martini Incomparabili & ad D. Stephani in monte Celjo Venerem ibi, utrobique V. pro B. sed accipite obsecro nobilem inscriptionem, exceleberr. Urbe Italiæ, Urbino quippe.

C. VESBIO STEL.
VINDICI POPULI
VRVINI.

Sexcenta hujusmodi ubique lecta recensere possem, sed ut ad priora illa redeam VIRBIUS Hippolyti in vitam rursus restitit nomen, BIRBIUS olim scribebatur per B locutionis initio eamque scriptionis rationem Martyrius Adamantius reprobare contendit eo opere, cui de B digammo titulū fecit, quippe quod nomen inde sit deductum, quod Vir Bis fuerit, & quæ plurima ponit exempla. Mitto quod Fabius & Balbus adhuc in usu per B permanent, quæ tamen omnia idem Adamantius per V Favio & Balvus veteres scriptitasse non inficiatur. Quin & favor ut favere per V scribimus & enunciamus, ita ille Favium scribendum præcipit, jam & Fava non Faba dicendū ex analogia vel si Faba per B recipiatur, qui inde deducuntur Fabor Faboris, & Fabeo Fabes per B scribendum esset: quamquam non sum nescius, quantum ad Fabii nomen pertinet Foveos olim appellatos, quod Principes ejus gentis ostendisse dicitur quemadmodū ursi, & lupi foveis caperentur, ut auctor est Sen. Pomp. Festus. At enim cur Grammaticos, cur externa monumenta tot & inscriptiones morosius conquiramur, si domi exempla suppetunt manifesta? Feltrum propinquissimam nobis urbem per F consonantium quin tam omnes hodie pronunciant, & veteres ita scripsisse, compertissimum. In historiis tamen, quæ ducentesimo abhinc anno contigerunt, Scalano præsertim bello Veltrum scribitur, quod Sabellicus diligenter observavit in historiæ ejus explicatione. Sed enim hæc à me non ideò dicuntur, ut res novas in re litteraria moliri velim; sed ut ex his tandem minime vobis mirum fiat, quæ prima fuit V. patriæ vestræ littera in B. tot ætatum mutationibus abierit. Nam de E, quæ successerit in locum I. multas vobis inscriptiones afferre possem in quibus cedunt sibi vicissim hujusmodi literæ; sed illa nimium vetusta missa faciam, quod pro Liber, Diana, Magister, scriptitatum sit olim Leber, Deana, Magester per E. at negligentia per E. quod in monumentis habetur? Mauritania per E. passim in Hadrianis nummis. Pertæsum à tædet tunc omnes dicimus, quod antiquiores usque ad Scipionis Africani tempora Pertisum per I media syllaba enūciarūt; quâ pronunciationē ipse cum abeū-

tem retineret Scipio à Lucillio in scena mordaciter impetitus sit, quasi id, ut facetior, & sciri plus quam reliqui videretur faceret. Contra QUASE per E. T. Livii manu scriptum Quintilianus asseverat JOVE DIE VICTRE, pro JOVI DIEI VICTORI antiqua esse idem auctos affirmat. Varro quæ nomina sunt hodie Mercurius, & commericum apud veteres Mircirius & commirium fuisse tradit, quod nunc omnes eleganter per E. scribunt elegenter peri, quod ab eligo esse opinatus sit scribendum clamat. At intelligo per E. antiqua ferè apet omnes codices habent. Quorsum autem hæc tam multa, tam ut ipsemet agnosco frivola? Eo nempe ne quod Vir. in Ber. abierit ulla jam subrepat admiratio. Nam eodem modo ex Virginia Verginia factum & venerandum illud ex auspicio satæ virgæ, ut Servius tradit, Virgilii nomen, sive à Virginali ut nonnulli asserunt facilè nuncupatum, alicubi non inficior, per E prima syllaba de vulgi sermone scriptum reperiri, quemadmodum etiam Virga vulgo nunc Verga, & pro Virgine, Vergine dictitatur quæ quidem scribendi ratio in Virgilii nomine bis aut ter in imperitioris seculi marmoribus animadversa nonnullus optimè quidem litteratos, sed rerum novandarum forte nimium cupidos ita in sententiam traxit, ut non aliter quam per E. nomen enunciandum, scribendumque longa oratione disputarint. Miror, cum horum studia perpendo, cur non etiam L. litera gemminata BERGILLIUS ut ibidem habetur, scribi debere monuerint; eo enim modo identidem in eodem ipso marmore, quod Sutrii esse ipsi citant, ut ipsemet oculis meis inspexi, scriptum cernere potuerunt. Sed ut recte Flaccus, decipit exemplar vitiis imitabile, verum super hoc satis in castigationibus nostris jam vulgatis dictum. Quod nunc instat, quantum pertinet ad primam Belluni syllabam abunde jam vobis factum arbitror. Nunc verò super R. littera vestra omuis reliqua difficultas, sed nunquid apud Ovidium legistis lenitudinis gratia R. in L. aliquot in nominibus mutari solitam? unde cùm is rationem afferre vellet, cur Lemures dicerentur, qui Remures prius à Remi nomine dicti fuerant, manus quippe ejus, qui post patricidium illud perpetratum Romulum infestabant. Aspera inquit, mutata est in lenem litera, ita quod nomen prius Virunum mox Græcorum more Berunum, uti tot superius exempla recensuimus, enunciari coeptum, postmodum autem leniori enunciatione Bellunum dictum atque ita nunc Romæ in actis apud Pontifices scribitur, & ubique receptum habetur. Contra id, non tamen πάρεργον, addam quod asperiore sono Bizantini auram pro aula dicere solebant ϱ litera loco λ enunciata. Hinc Constantini Porphyrogeniti tempore magna & ampla Domus quædam, quæ scilicet Constantinopoli tunc Legatorum recipiendorum hospitio patuit. MEGAURA, id est: ΜΕΓΑΛΗ ΑΥΛΗ, quasi magna aula dicebatur. Sed nos ad nostra. Obtinuit ad hæc usus, duplici ut L.L. Belluni nomen notaretur veluti TERRA. R. geminato, quod nomen ut à tero procedit, vel quod ἔρα Græcè dicitur, ita unico R. in antiquissimis veterum Pontificum libris, ut Victorinus orthographia meminit habebatur ejusmodique scriptionis rationem analogiæ respondere ait Varrro, quamvis usus obtinuerit, ut nunc passim terro R. gemino scribatur, à quo quidem nomine R. in LL. geminum mutata Tellus, eodem modo factum, quo Bellunum è Beruno.

Sed quod ad geminem LL. in Belluno pertinet nos quoque antehac, quod sequeremur incerti, tam clara nondum cognita veritate ejus vocabuli scripturam ad eruditorum, quos tunc observabamus, opinionem variavimus. Sed enim utque scribi placuerit, in medio posuerim, quod varia omnino semper fuit hæc scribendi ratio. Siquidem consonantium geminatio penitus est ab antiquis repudiata, ut Victorinus, & plerique alii veteres tradidere. Nam ANUS pro XII. mensium tempore, & LUCULLUS proprium nomen, atque etiam MEMIUS unum contenti sicilicum supernotasse nulla consonantium geminatione scriptitarunt. Contra verò, ut idem Victorinus ait, voces quæ nunc pressiore sono fugus literæ S. dicuntur ut: AUSUS, CAUSA FUSUS ODIOSUS & alia per duo SS. scribebant AUSSUS, CAUSSA, FUSSUS, ODIOSSUS, quod & veterum plerique tituli passim ostendunt; quare nullam mihi faciunt ambiguitatem consonantes in hoc nomine, sive geminentur, sive simplicius notentur. Reliquarum autem literarum usitatissimas mutationes ita vobis ostensas existimo, ut neminem jam putem ambigere inter Virunum, Berunum, & Bellunum ullum esse discrimen. Cum igitur, quantum ad urbis hujus originem pertinet consona auctorum dicta recitaverimus, Conditorem Flaviorum Historiam explicuerimus, palamque fecerimus, quod à Græcis est literarum memoria proditum

marmore

marmore in hoc noſtro inciſum eſſe; neminem tam deſtinato eſſe ingenio crediderim, qui non ultro fateatur, omni rejecta controverſia, noſtræ nos urbis ſi non Conditorem cùm longè longè inquam antiquior ſit Belluni poſiti memoria, alio fortè nomine tunc nuncupari, certè ampliatorem ad inveniſſe, C. FLVIUM inquam Romanum equitem, Flavium triumphalem, Flavium harum faucium cuſtodiæ præfectum, qui non campo tantum, qui pro mœnibus eſt, Flaviolo, cognomentum dederit; Verum etiam Anaxi fluvii noſtri nomen in Flavium commutaverit, quamvis prima ejus nominis littera, ut aliquando veterum mos fuit, denſitudinis ſonum amiſerit, & leniori littera mox Plavius dici cœptus, voce reliqua in diem uſque noſtram fere integra permanente. Nam Plavim ſcribimus in actis publicis, & vulgo Piave. L. conſonante liquida in I. languidum verſa, ut ex adverbio latino plus, più; ex plano piano; ex placere piacere, & aliis ſimiliter ejuſcemodi elymologiæ modis, ne ridiculus videatur in multis vulgo locutionibus tutandis uſus eſt Magnus etiam Pontanus. Sed quoniam etiam in Plavium incidimus neceſſarium eſt ſuper eo, quædam diligentiùs examinare cùm adeò multi ſint, qui non urbem ſolùm noſtram antiquo nomine detraudare contendunt; ſed tantum etiam amnem, tam exuberantem aquarum vim evolventem, per altiſſimos alpium apices avertere, vel in anguſtiſſimum aliquod vas, ne uſquam inveniri poſſet abdere connituntur, quaſi magna Venetiarum planicies ignoret, an uſque fluvii hujus magnitudo tam facilè condi poſſit. Anaxum enim alii pro uno ex Tiliaventis Plinianæ nomen laturæ ordinem ſecuti, accipiunt: cum tamen Plinius neque in recenſendis urbibus neque in fluminibus ſtatuendis ordinem obſervarit. Sunt qui Plavium Silim eſſe velint; quaſi Silis ſuo & alveo, & fonte conſpicuus nulli ſit. De quo tamen, quædam hodie libentiſſimè relaturus. Sed, quoniam dicendarum rerum copia ſermonem longius traxit, atque opinatus fueram, hodiernæ dictioni finem faciemus. Cras hoc eodem loco, ſi convenire nobis adhibuerit, de Planco alium habituri ſumus, nunc valebitis.

# JOANNIS PIERII VALERIANI.

# ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM.

## SERMO TERTIUS.

HOdie viri Bellunenses de Flavio vestro flumine dicturi sumus, quem hodie nonnulli Plabeam, plures Plavim dicunt. Cosmographi veteres, Historicique Anaxum Appellavere. De quo tam ingenti, & in tam nobili Italiæ regione medio quippe Venetiarum decurrente fluvio, nullam apud veteres liquidam extare mentionem eruditi omnes ætate nostra plurimùm admirantur. Neque enim si profundissimum ejus alveum toto Bellunensi, Feltrinoque territorio, ripas quæ altissimas alias super alias exsurgentes, nunc à dextera, nunc à leva contemplemur, potest quispiam amnem esse novũ opinari, prout plerisq; locis aliquando, nunc terræ motu, nunc interclusi inter terræ viscera spiritus eruptione, nunc alio casu aliquo accidisse memoriæ proditum. Verum enim verò ut in superioribus sermonibus disseruimus, manifestissimum est aliquot annorum millibus eundẽ hunc amnẽ, eodem, quo nunc labitur alveo cursum continuasse. Quare mihi videtur operæ pretium, quod tandẽ hoc Flavii sit, ubi ociatur, qua transeat, quibus ambagibus & huc & illuc evolvatur, quæ quanquam ingentia sint ex eo emolumenta neque non commoda, ubi denuum commisceatur mari, non incuriosè perquirere. Sic enim fiet, ut quæ hactenus super eo perplexa fuerunt, nitida fiant ambiguitate quæ omni summota, ipsa tandem veritas illucescat. Nascitur dubio procul Anaxius, utor enim vero vetustoque ejus nomine in Alpibus Vauriscis supra montana, quæ vulgo locutione Græca adhuc incolumi, uti superiori sermone dictum καθόρη nuncupabantur amnis quidem, ut verisimile est, ab Euganeis, Græca gente, ab Hercule in hac ut sæpe dictum est, Italiæ regione rude donata, eo nomine ideo dictus; quod ob præcipitis cursus vehementiam nullum navigii genus retro in eo agi possit. Id enim significatum Græco inest vocabulo. Mons autem de cujus radicibus erumpit, Siese nomen habet, quod Latinè præcipitia dicere possumus. Imminet autẽ fonti crepido surrecta ad instar ardui cujusdam promontorii, defluitque primum in vallem admodum arctam, quæ pinis, abietibus, ulnis & hujusmodi materia, admirandæ magnitudinis proceritatisque densissima per statua quatuor & viginti producitur, donec in locum deveniat, cui Sappada nomen est, extra Cathorinorum ditionem. Mox inde per loca aspera & inaccessa inter montium angusta provolutus in fluvium sibi parẽ incidit, cui Cordibalo nomen, alius hic à nostro, qui Bellunensem agrum à Feltriano dividit. Huic inquam ad minus versus Cathorinorum fines progressus XL. stadiis procul à Sappada ubi Duganem amnem in comitatum accipit, Comelegumque ingressus Cathorinus fit, infra Comelegum stadiis quatuor & viginti ad vicum Campolongum fertur, ubi amnis alius Phrison nomine influit in Anaxum infra hunc ad stadia XVI. aqua Padula est, quæ in conspectu ædis Stephaniæ Anaxo commiscetur. Nomen illi à vico Pado, juxta quem labitur profecta à monte Crucio, Germaniæ proximo. Est hic ad Meridiem mons longissimus nomine Mauria à tergo cujus inter meridiem & occasum Anaxus iter vertit suum, cùm ex altero ipsius Mauriæ latere ortum versus utrumq; Tiliaventum, majus & minus emittatur, qui ubi & ipsi abrupta Alpium evaserunt in plana mox Japidiæ effunduntur. Sed hæc narranda dimittamus iis, qui Forojulii res sibi scribendas suscepere. Hinc ad stadia fermè LXXX. Euganea est, ubi amnis Ansetius Anaxo paulo minor admiscetur, & prius quam Euganeam antiquissimum inter illas alpes locum attingat plenior jam fluit. Euganea autem suum adhuc nomen ferè integrum

tegrum ſervat; quo ſcilicet Euganei ab Antenore ſolum vertere coacti magno numero ſe recipiſſe creditum. Hic autem portis, quas vocant, objectis, altaq; munitione ab utroque fluminis latere, tam natura quam arte excitata mirabiliter intumeſcit, quippe temporariam ligneæ materiæ emiſſionem, quæ ſucciſa eò ſurrectis hinc inde montibus, per altiſſima præcipitia in ejus alveum quotidiè dejicitur; ſtudiis mox circiter quadraginta totus, trabibus truncis, tignisq; cujuſque generis & quantitatis conſtratus, oppletusq; ad Stephaniam ædem tendit, unde digreſſus quatuor circiter & quadraginta Stadiorum ſpatio Boite amne augetur; qui ovus ex Meſorina monte, qui ut Græcũ indicat nomen, Noricarum alpium ferè medium tenet, ac per radices Aruntii plumbi fodinis admodum celebrati emiſſus, ad Plavium nititur pervenire. Locus ubi ambo junguntur amnes Triportium appellatur, quod trium pontiũ capita ab una tantum ripa contigua ad alias in diverſum divaricata porriguntur, itineribus uno in Carnos, altero in Tauriſios ſuperiores, tertio in Noricos Mediterraneos directis. Amne eo Anaxus itineris ſui comite accepto infra ſecundum ſapidem Lozium vicum inviſit, & quarto mox Cidolum pontem, via Norica. Carnica verò Laurentiacum, quia iter eſt ad Mauriam. A Cidulo mox pagus duomilium, & inde ad tertium lapidem caſtellum in alta rupe locus omnium eo tractu celeberrimus, ubi Præſidentium conventus, civilis cum primus vicus, & popularis totius ejus gentis adminiſtratio plebiſq; nuncupatur, quorum hominum ingenium, atque ſolertiam loco ſuo ſermone ſuperiori celebravimus. Infra vicum hunc ad xv. circiter ſtadia Pinatotanus pagus admodum frequens offertur.

Hic amnis alter, Boites ipſe etiam appellatus, qui ex Ampitiis emiſſus, caſtellumq; quod ab eo amne Boeteſtanum vocant, præterfluens, ubi per ardua montium eorum loca Pinarolo jam proximus acceſſit. ab alta effuſus crepidone, parvo ab Anxo intervallo præcipitatur in planum. Collectus verò Boites inſtructi canalis alveum bene magnum, aqua firmiſſimo, continuoque aggere, ſuſpenſa in proximum deducitur Anaxum. Ab uno hujus aggeris latere habitationes ſunt locum incolentium & hoſpitum diverſoria. Ab altero continua excitata ſunt ædificia ferris frequentibus inſtructa tighis ligneis incredibili numero diſſecandis. Taleas has in univerſum vulgus non ineptè vocat, cum etiam plantarum fruſta ad propaginem, etiam per ſingulas gemmas inciſa agricultoribus antiquis Taleæ paſſim appellantur. Fabrum verò Collegia Taleas nominarunt fruſta ex procerrimis arboribus piceis, abiegnis, lariginis, quervis & ſimilibus in truncos ſeptenũ, octonumq; plurimum denum pedum longitudinem conciſa, & tabularum aſſerumq; uſibus deſtinata. Nam & Cato-ni taliari lignum ſcindi eſt, & præcidendo in effigiem, & præcidendo in effigiem aliam informari, intaliari dicitur.

Hic verò incipit Anaxus eſſe ratium patiens, hic primum Dendrophori, quos nos exercitores ratium ut ſermone primo ex Ulpiano docuimus, hic ipiunt rates in certum ordinem colligare, viminibus enim obtortis, ad inſtar reſtium lignorum capita ſingula perforata, ita conjungunt invicem, ut nulla firmior ſit ligatura, quippe quæ in vado non marceſcat, ut reſtis, neque adverſo impulſu frangatur, ut ferrea interdum catena. Mos autem plurimum ſervatur, ut una quoq; ratis taliaria quinis ordinibus, qui octanas ſinguli taleas accipiunt, porrigatur. Quorum primus & ultimus remis ſuſtinendis, excercitoribusq; liberi concedantur, medius vectoribus inſerviat, ſive ſub dio, ſive ſub temporaria pergula vehi voluerint, ſecundus & quartus jumentis & ſarcinis accomodatur. Non enim homines tantum ſed & equi, & cujusq; generis mercimoniæ, commodiſſimè, velociſſimeque convectandæ ſuſcipiuntur. A Pinarollo ſtadio mox altero circiter & trigeſimo amnes etiamnum duo è contrario venientes apparent, oſtiis eorum modico ſpetio diſtantibus; quorum qui prior Anaxum influit, à Carnorum latere eſt, & Valmontina nuncupatur, quia verò via Norica ſuccedit Malgo nomen habet. Poſt acceptũ iſtiusmodi fluentum, ubi duo plurimum ſtadia diſcenſum eſt, vicus eſt Hoſpitalis nomine, cum rivo modicæ aquæ, ſed molendino aptæ, infra, quem ad octo circiter ſtadia amnis Tovellano miſcetur Anaxo. Hæc à Noricis, à Carnis verò ad ſtadia XVI. Trigon amnis adeſt. Hinc terminus vicus via Norica, ſupra quem ad quatuor circiter ſtadia munitio Scardona viam occupat. Ad unum inde miliarium poſt infra terminum, Lapicidinæ incipiunt, quæ Longanarum usq; porriguntur hic actæ, altiſſimæ qve fauces caſtalli ſunt jam diruti, olim minutiſſimi, unum ſc. ex his, qvæ Maro celebrat

brat in summis Noricorum tumulis. Atque hic incipiunt Lebactes pagani, qui nomen adhuc usque diem servavere marmoribus antiquorum incisum, Lavaccii verò vulgò appellantur. Inter hos octo circiter stadiorum itinere Longarensis vicus memoriis Romanorum celebris, quæ superant loco suo reposuimus. E regione hujus Vajantes amnis est è Cymolisia emissus valle, Carnorum; qui Longareni ædificia, in Anaxi ripa excitata serras quippe molendinaq; repentino pernicioso; auctu Anaxum supergrediens sæpe lancinat, & clades singulis ferè annis iterat investissimas, quarto inde stadio Mæsius fluvius in altissima valle subsidens ponte superatur, qui via Norica progredientes à læva ad Anaxum mittit & Bellunum, à dextra in Claudias terro fodinas unde mox iter est Prusimonem versus. Mæsio relicto paulò post Desedranùs, aqua quidem modica sed infida, molestissimaque glarea transitus, ex hujus regione Gallina amnis labitur à Carnis, & paulo infra via Norica vicus Fortunius in colle supra nostri fluvii ripam assurgens, postquam stadio circiter decimo quinto torrens fontanus ab Aquilinari. Servæ montis parte, profundam admodum glaream latè devolvit in Anaxum, bona vero pars aquæ per canalem ad publicæ libræ pontem, vicum celebrem, ita nuncupatum ducitur, universo loci illius populo usui futura superne ultra pontem fossa illa est, per quam lacus Casamartii, sive Varrami, sive Risini dicere maluerimus, unde piscosissima, præsertimque optimarum anguillarum captura nobilis, in Anaxum defluit. Pons de quo modo, sublicius altis hinc inde ripis inixus, qui transmittit in vlam Juliam, quæ Seravallum ducit. Anaxus hic inter utriusque ripæ saxeæ angustias coarcatus neque plus quam passus xv. occupare in latitudinem potest, si vero cavet ne inguletur altissima in saxum solidum excavata profunditate. Ponte hoc transvehuntur in Germanias illæ mercium moles, quæ Venetiis in nobile Germanorum emporio quotidie constipantur, hæque farcinæ tam ingentes in huius pontis vico libra vectigali publica expenduntur. In campo bene spatioso juxta pontem hunc vicus alter est Pollia Pœtici nomine, per quem Bellunum iter. De Pœticis Longareni antiquissima legitur inscriptio super horologio Lebactibus Paganis dato, in honorẽ Claudii Neronis, de quo inter monumenta reliqua diffusius. Infra Pontem Anaxus amplo nimirum alveo, eodemque glareosissimo dilatatur, multisque hic & illic divortiis evagatur, & regressibus conciliatur stadiis circiter xx. hac & illac provolutus sub ipsam urbem nostram promontorio ad instar peninsulæ oppositio, quem Antam Græca voce appellant, in angustum cogatur, velocissimo illo impetu aliquantulũ sedato: non enim plus quàm passus circiter xxx. maximo in diluvio occupare potest, ab Antæ promontorii vel peninsulæ potiùs tergo arctus fluvius, qui de proximi Servæ montis faucibus emissus, per vallem, quæ fluvio nomen dedit, arctissimam eluctatus Belluno urbi succedit, ac postquam bonam sui partem spathariis officinis, fulloniis, molendinis, tinctoriis alveis, serrisque materiariis oppido condonavit, altera per spatiosam glaream diffusus in ipsius urbis conspectu Anaxo commiscetur. Pars autem aquarum altera, quam operis quas enumeravimus concessit per imum urbis clivum, firmissimo canali ducta ædificiis illis altero sub alterum continuantibus, à septentrione ab ortu, & à meridie occasum versus circumvecta urbem ipsam reddit quasi peninsulam, hortis vineisque circumcirca passim à mœnibus per altum admodùm clivum ad ipsum usque canalem facillime confitis. Ne verò aliter urbis situm, quem pro re satis primo sermone descripsimus, importunè repetamus; à meridionali urbis porta continuus statim vicus gradatim descendit, & ad flumnis ripã latè porrigitur, tot ædibus frequens, ut oppido satis magno sit dare nomen idoneus sublicio ponte longissimo passuum quippe quinque supra quinquaginta in alteram transmittit ripam, quæ & ipsa vico est altero constipata. Partem hanc & hinc & inde incolunt ratium exercitores, atque hic unicus est portus toto flumine, statioq; tanta tignorum & materiæ frequentia quotidie occupata, ut longissimus ripæ totius tractus assiduè contiguis ferè ratibus prætexatur, aliis abeuntibus, & aliis è vestigio succedentibus; Vectigal autem amnis hujus & piscatus jurisdictio majori ex parte Bellunensi est addicta Præsuli. Hic Anaxus, ut elegantia sentiunt ingenia, & superiùs indicavimus tempore Sertorii, qui provinciam ad arcendas Barbarorum incursiones à Viruno Veronam usque fortitus erat, Græcum amisit nomen, ab Euganeis, ut palàm est, inditum, & in sempiternam, ut superiùs dictum Flavii Hostilii Sertoriani memoriam Flavius appellari cœpit, qui postmodum asperioris litteræ sono in leniorem mutato Plavius, mox barbara enunciatione Plavis dicta. Id nominis ad fon-

tem

tem uſque ſuum porrexit. Ab hoc autem ſuburbano ponte ripa ulteriori, leni ambitu ducta ad ſtudia tria decurrit, cujus margo ſummus, uti ceſpes minimus, pedibus circiter quindecim ab aqua, quæ nullo diluvio tumefacta ſit, aſſurgit. Urbica verò ripa huic oppoſita longè altior. Clivus ipſe ſubmœnianus eſt, qui ad octo fere ſtadiorum circuitum Theatri inſtar nonnihil ultra ſemicirculum incurvatur, fluminisque decurſum; qui & ipſo lato deflexo ad imum Clivi marginem plurimum contorquetur, excipit; ut ab occaſu in proſpectu, ante ipſa mœnia delabatur, quibus plurima incumbant ædificia; pars ultima ulteriori ripæ campus eſt Numidarius. Hinc autem ultra urbis, & ſuburbii clivum, ſubſidet ad altitudinem Numidarii, campus alter qui Lambiolus nuncupatur. Intervallum inter hujuſmodi campos pro Theatri ipſius arena, glarea eſt trium & amplius ſtadiorum quoquo verſum, in qua ludi hujusmodi ſæpe fiunt, quod primarius fluvii alveus ad omnem imbriũ effuſionem ſedem mutat, aſſiduisq; ambagibus, ut quadrigæ circum metas, modo huc, modo illuc transfertur, plurimisque divortiis, modo hic, modo illic, ad alveum redeuntibus divaricatur. Rariſſimum autem eſt loco hoc totum amnem in unum colligi, quod ego, cujus ædes omnium maximè Theatro huic imminent, nunquam adhuc multorum annorum curriculo factum animadverti. Cauſa verò hujusmodi diſceſſionis glarea ipſa eſt tum plurima, tum infida, paſſim verò ſubſidet aqua ad incredibilem altitudinem; ſic minimo quoque impulſo, quæ ſupernè eſt, cedit, atque ita quotidie ad impetuoſi fluminis momentum quodlibet volutatur. Perdurat autem hæc ambiguitas alvei ad XIIII circiter miliaria, quibus vallis noſtra latiùs panditur, donec projectura Victoriani montis veluti promontorium quoddam exporrecta in ripam Gardani montis, qui ad ripam alteram ſub Ceſiana conſurgit in curſare propemodum meditetur. In hoc XIIII. miliariorum tractu ab Aquilonari ripa amnes, rivique perennis aquæ in Anaxum influunt. à primo lapide Orivaſianus, inde Mechelinus & paulò poſt Chryſalis, ac demum Corduvius octavo ab urbe lapide. Corduvius inquam, quem recentiores Cordibulum appellarunt Anaxo ſimilis, magno tamen intervallo ſimilis. Nam quamvis & ipſe ſit ratium patiens, & grandiores etiam taleas præcipuéque Larignas ſuggerat, numero tamen longè inferior cedere cogitur. Hujus quoque fluminis vectigal à Bellunenſe antiſtite recipitur, hoc autem patitur incommodum, quod propter ſaxorum moles, quibus paſſim fluvius oppletus eſt, & ſub aquaneas cautes crepidines q; tota ripa continuas, exſpectandus ſit auctus pluviarum beneficio, ſi materia commodi ſit deducenda, quamvis duorum vix ab Anaxo miliarium, ubi pagus nobilis Agoctes nomine, quem nonnulli antiquum Agentum putant æris, ferri, calybis, auri etiamnum atque argenti metalli fodinas opulentas admodum ſubminiſtrat. Majores noſtri nomen illi à Cordua inditum prædicabant. Vicus is olim fuit prope Vedanam Carthuſianorum celeberrimum Heremitorium, quem vicum incumbens Corduvii alveo mons ſolo ſubter excavate, ſubita ruina diſciſſus corruens oppreſſerit, oppletoque ulteriore alveo, qui Corduvium ſub Divi Petri Suſpiriani ſpecula in Myſium deducebat, lacu illo relicto, cujus piſcatu aluntur proximi Heremitæ, coactus poſtea ſit ſubſciſſi montis radice iter aliorſum vertere, & anguſtis volubilibusque anfractibus, vix ad Bribanum pagum, Myſium operarum ſocium aſſecutus, quo in comitatum accepto, unanimes ad Anaxi auctoritatem ſe conferant. Mons antem ille diffractus Martinianus nomine celſiſſima, & formidabili crepidine ſurrectus omnibus ad huc terrori eſt, tum ingentes ſaxorum disjectorum moles quæ ultra ſtadia quindecim quoquoverſum diſſiliere, & totos circum agros oppreſſere, inutileſque & vepribus vix idoneos reddidere, fragoris illius manifeſtiſſima ſunt indicia.

Prudens præteribo quorundam commenta, qui fluvium hunc Cordubium appellare volunt, propterea, quod ob rapidiſſimũ, & immanes undarum, in aſperrimas cautes, incurſantium ſtrepitus dubium tranſeundi tot hominum reddere videantur. Et ne ullæ unquam ætate nugæ deſint Caprilem alii Satyrum comminiſcuntur, à quo nomen loco in Alpibus celebri ſupra vicum Agortem eum ſcilicet Plabeæ Anaxi filiæ amore captum, cum Nympham obſequio nullo ſibi conciliare potuiſſet ad vim converſum curſu eam inſectatum, quæ cum pudicitiam ſuam conſervatura in Cuniacam ſpeculam in ipſum fluvium aſſurgentem profugiſſet, importuniſſimo Satyri urgente curſu, ne in manus

ejus incideret, celsissima de scopuli illius crepidine præcipitem se dedisse, caputq; prius quam subjectas patris aquas attigeret, cautibus allisisse, extinctamq; extemplo in porrectas Patris manus decidisse Jovem amarissima Patris querimonia lacrymisq; commotum, ut qualecunq; patrem consolatione deliniret, Anaxi nomen in Plabeam commutasse, honorisque hujusmodi decretum in æterna fata retulisse. Caprilem verò addunt tanti sceleris sibi conscium, cùm vitam odio habere cepisset, pectus sibi dissecuisse, corque manibus suis avulsum, in Plabeam immersisse, neque ita tamen emori potuisse, qui semideus esset. In montium igitur suorum asperitatem regressum, mœrore & lachrymis confectum intabuisse, tamen ea patte, quæ mortalitati erat obnoxia, adeò ut in fluvium dilicuerit, Deos misericordia motos nomen fluvio Cardibalum ὅτι τὴν καρδίαν ἀπέβαλλε à pœna, quam de se sumserat imposuisse, & ut amatæ tandem Plabeæ admisceretur, indulsisse. Non sum verò nescius, fabulas in rem seriam inductas apud severiores homines esse reprehensioni obnoxias, sed hæc nisi tractentur, & pro fabulis suo pretio venditentur, imbecilliora interdum ingenia in errorem solent adducere. Ut verò nostrum iter Feltriam versus ire pergamus, duodecimo circiter stadio à Corduvii trajectu Pissalcella rivus est, fluvii non indignus nomine, inde ad vigesimum stadium Cauranus amnis sublicio ponte superatur. Aqua hæc altissima angustaque latens Valleculla subterfluit, locisq; plerisque cataractis occluditur, donec intumescat multæ ligneæ materiæ deducendæ utilis, ab hoc ponte à dextra iter est Feltriam, à leva Victorianus mons, sibi totus insurgit qui amne ab ortu Cauriano, modicoque campo, ab occasu Sona, qui Feltrianam suburbium lambit, à meridie Anaxo, qui costas montis extremas assiduo lancinat incursu, à septentrione via cingitur militari. Hæc usq; Feltria via Norica, trans amnem vero nostrum, ubi Belluno digressi pontem, in imo suburbio transierimus ad decimum progressi stadium via ripensi Tauricum amnem invenimus, qui quidem perpetui amnis nomen nunquam amitteret, nisi per aliquot stadia Canicularibus diebus, infra Calliopem vicũ & Castalionem secessum meum, dum studet æstus intolerabilis cavere vim sub altiori glarea plerisq; locis absconderetur. Oritur is in ima valle ultra D. Mammantis ædem in Calliopægo jugo sitam, aqua multa inter inaccessas crepidines prosiliente. Inde Mammeo accepto fonte quadraginta plurimum stadiorum itinere confecto, eis vicum Visiomas defluit in Anaxum duodecimo circiter è Ponte Bellunensi stadio. Ultra Visiomas Ciconia statim est multa vastationis, amnis qui de proximis emissus vallibus, quæ ad ædis Castalioniæ curam pertinent magna ubiq; riparum ruina diluviorum tempore agros imminuit, qui demum accepto in gremium Contissa rivo pene magno infra Visomias ipsas Turicæ conjunctas Anaxo commiscetur. A Visomis eodem ripensu tracta ad xv. circiter stadia, Cæsia est ipso ripæ margine, inde ad quartum Limana amnis. Neq; negatũ Limanam pagum dictum quod Limanæ adhæreat, qui de agro meo & cohærentium ad unamquamq; pluviam partẽ aliquam delimat. Ultra Limanam eadem amnensi via stadiis vix tribus Divi Felicis ædes est, ubi navibus fluvialibus trajectus, quæ toto flumine contis non remis à puppe tantũ suppelluntur, commodus præcipuè Agorstinis descendentibus in Taurisanum agrum per Ulbaldinas fauces, inde ad octavum stadium Lartes. Fluvius ipse quoq; marginibus iniquus, & agris maximè contumeliosus. Huic imminet farra alia in clivo præalto supra Lartemedito. Inde Melum in surrecto colle positum, inde lintiaci uterque vicus amne suo præditus, qui proximum in Anaxum influunt. Infra quidem Melum Terche, infra lintiacos Rhemuntia. Melum ipsum in collo suo supra ripam Anaxi conspicuum populo admodum civili sub auspiciis nobilitatis Georgiæ in Rep. Veneta clarissimæ degunt, cujus familiæ Castellum Zumellæ nuncupatum ad stadia quatuor est manifestum jurisdictionis insigne. E regione Meliostium est Corduvii in Anaxum defluentis, & hic trajectus Anaxo similis priori, sed non usque adeo frequentatus. Hinc ad stadia circiter xxv. Cæsiana est. Cesiana autem suos agnoscit Dominos indigenas & antiquos. Frequentissimus hic trajectus, & ratium & mercium omnium, quæ Anaxo vectantur. Vectigal exigitur à Feltrensibus modo, olim ducentesimo anno à Cesianis Dominis. Sub Colliculo, vel clivo potius cui Cesiana incumbit crepido quadam asperrimis saxi ad ripam excavata supra fluviũ exporrigitur, sub qua gurges profundissimus, fereq; accidit toto anni tempore, ut unda per infirmã glaream late expatiata alveo quamtumvis distante, distante, ubi ventũ est è regione crepidinis

pidinis totius aquæ vis in eam rapiatur, & in ſaxa ipſa incurſare contendat profunditate, verticeq; gurgitis omnia devorantibus, ubi opus & labor exercitoribus ad dexteram ripam quanto fieri conatu poteſt rates impellere, marginemque objectæ glareæ corradere, quod nunquam tanto ſtudio nixuque fit, ut alterum à leva ratis latus non deſideat, & vectores alluvione, quæ ſupra ratem inſilit, vel ad genua usque perfundat. Evitata autem crepidine tam periculoſa, XV. Stadiorum ſpatio ad Victorianum promontorium pervenitur. Ubi aliquantulum patefacta jam valle D. Victoris ædes & cænobium venerabili in ſummi clivi vertice conſpicuum ſalutatur, & Sona Feltrianus amnis in comitatum accipitur, ab hoc oſtio reducta eſt, in vallem Feltria per ſtadia circiter XXV. mox per montium anfractus alternante valle per quadraginta ſtadia volutatione anguinea, curſu tamen ſedatiore fluvius ad Querquanum ſcopulum appelletur. Hæc navigatio ſatis lepida cum nullius hic cautis ſeſe objiciat incurſatio. Medio hoc itinere Caſtellum novum, ita enim appellatur, viam intra ſe amittit, è cujus regione ab altera fluminis ripa Turris inter aquæ marginem & ſurrecta ſaxa conſurgit, alveo tam anguſto, ut à muro Caſtelli ad turrim oppoſitam catena ferrea belli tempori transmitti poſſit, quæ ratium tranſitum prohibeat. Hic verò locus tanti momenti eſt, ut ei à Domino Veneto præfectus ex nobilitate ſelectus tertio quoque anno deſtinetur. A Cæſiana uti dictum, per totam hanc vallem nulla ſollicitudine, metuve navigaretur niſi ad ſtad. circiter XII. infra Caſtellum novum, Querquanum promontorium de quo ſupra ſcopulum porrigeret, ita obliquatum in latum ſinum, ut toto fluvio in ambitum propemodum Theatralem recepto, aquam retrorſum ablegare cogatur, ad ambitus, ambagisque iſtiusmodi exitium conſurgunt hinc exporrectæ cautes, inde ſcopuli, qui anguſtiſſima intercapedine totam fluminis impetum recipiunt; Exercitores locum hunc Portas nominant. Sed cautes, quæ à dextra ſunt, declivioré ſitu molliorique ſaxi continui levigatione conſtant. Qui verò ſcopulus à leva eſt ſurrectiore crepidine, cutibusque aſperioribus, vel ipſo viſu horribilis. Huc cùm appulerunt rates, raro ita plenus eſt fluvius, ut à dextera non urgeant ad ripam, & eam cum ingenti glareæ motæ & ſaxorum attritorum ſtrepitu in ſicco perſtringant. Hinc interim aliquo ſpatio rates per ſubaquaneas cautes reptantes vi fluminis impelluntur magna vectorum trepidatione, dum pars ima modo raditur, modo fluctuatione ſucceſſuque quodam agitatur, à leva verò periculum eſt, ut in extantes projecturas impingantur; quare priora ſive caput ratis avertendum eſt, permittendumque ut capite elabente reliquum corpus, nullo niſi alluvionis periculo cautibus allidatur. Hæc veluti Scylla eſt, in qua prætereunda cavendum eſt, ne ratis impacta diſſiliat vinculis abruptis. Sed ubi in latiorem alveum deventum eſt, ſtatim occurrit Lacunaris Gurges altera ſcilicet Charybdis, non quam Scyllæ momento aliquo evitare poſſis, ſed in quam ſimul ac portas evaſeris, incidere neceſſe eſt, ita totius fluminis vis recto curſu rapta in alti, ſurrectique montis crepidinem impingit, à cujus aſperitate repulſa in vertices & ingentes, & in numeros ſeſe retorquere, & veluti ſaxo ictus anguis mille voluminibus ſpiras complicare cogitur, atque hinc accidit, ut recto impedito curſu, tota aquæ vis in ſemet ipſam converſa montis oppoſiti radices olim abroſerit altiſſimoque nunc, gurgite deſederit, & turbinatim inſtar torri fluminis in imum uſque ſeſe circumagat donec ſoli tacta duritie reſilire, & ſupervenienti cedere cogatur, & curſum ita ſuum per ambages continuas evincere connitatur. Huc ubi perventum eſt, aqua ita infida & variæ rates quantacunque ſint levitate habiles bona ſui parte ſub aquas inclinantur, quia tamen plana ratium latitudo violentia reſiſtit non ultra pedem, aut ubi plurimum ſexquipedem merguntur, idque modo hic, modo illic ſuccuſſatione veluti quadam ingluviem eam exſuperantes. Ex his elapſi verticibus per ſtadia circiter ſena Querquana Promontorio à dextera vaſe celebri, vico à leva præterito, ubi in alta ſemita aqua fontana tantæ copiæ una eructatione proſilit, ut pene magni fluminis inſtar multis inſerviat operibus, fulloniis & chartaceis, inter has altiſſimas montium cautes, aqua tamen leni Siguſinum pagum liberiori demum cœli conſpectu montes jam cultiores, fertiliora juga, agros patientiores offerentem vident, circumvectique à dextera totum Querquanum Promontorium ſub Fenarium vicum amnem excipiunt. Poſt humeros autem promontorii Querquani vicus ipſe eſt. Nam à Caſtello antequam ad ſcopulum de quo diximus perventum ſit, via divertit à fluvio, & poſt collis ejus tergum per vicum tranſit, in vallem quanda unde totum ambitur Promontorium. Vicus verò ad Septentrionem deflexus inſtar oppidi eſt, inſulis toto jugo, & compitis frequens, & aliquot etiam antiquorum memoriis ornatus, ad imum vallis

duo amnes in unum coeunt, qui apud Fenarium conjuncti statim in Anaxum defluunt. Hinc ad ripam siccam stadia conficiuntur circiter quatuor & sexaginta. Medio hoc itinere supra viam alti admodum clivi insidet Pederubia pagus, inde Leonicum versus vallecula occurrit cum amne Colonia qui non decidit in Anaxi alveum, sed in dirivium, quod per Cataractam sub Pederubia de ipsius Anaxi fluctibus excipitur, aggereque firmissimo deductus per Taurisanum agrum pluribus aquarum divortiis in latissimam planiciem ad multarum possessionem utilitates effunditur, inde Rovigius pagus, & ab altera fluminis ripa abbatia Vidoria. Hinc ripa sicca demum in plano sita à quo vico per campum iter est Taurisium, centum circiter & duodecim stadiorum spatio.

Anaxus verò iter suum longo ambitu flexuosum ad ortum brumalem vertit, planicieque infra Montellum occupato ædicula sanctæ Mammæ præterita, amne rabioso recepto Falectum versus fluit, qui pagus cum amnensi trajectu collis alti Dominis paret, ubi verò Soligum amnem de Falloniæ fonte amplo emissum suscepit quietiore mox cursu sed ambagibus valde tortuosis in collis alti conspectu ludit, hac illac quasi choream ducat, eoque vagandi veluti studio fertur ad Nervanos. Hinc quoque canalis alius ex Anaxo excipit aquam, quam per campum alveo excavato Taurisium deducat. A Narvanis, paucis sub pago stadiis trajectus est Scarancina nomine via quæ ducit in Cogienses, inde alter ultra Lovadinam, mox Macerata, & D. Pauli Locus, à quo stadia circiter nonaginta trajectus & portus ille celebris, qui pons Plavius appellatur, ubi aqua jam lenior lintrium & aliarum Navigium onerariarum patiens ultro citroque se navigabilem præbet, atque stadia mox 7. Salgareda inde Noventa. Nox Fossalta, mox Donatianum, mox turris caliginosa, & partus denique Jesulanus. Loca omnia suis instructa trajectibus, atque in hac denique littoris parte Anaxus post emensa miliaria centum circiter & triginta, à fonte ad ostium amnibus ultra tres & triginta in comitatum acceptis, cautibus tot, scopulis, crepidinibusque superatis in Hadriaticum triumphabundus, & oppulentus ingreditur. Hic verò dubitassem narrare vobis quasi fidem facturus fabulas, quas de cursu Plabeæ, ut nunc vulgi locutionem usurpemus, quem fuisse quondam per Seravallis Fauces loci ejus aniculæ prædicant; nisi scirem esse homines quosdam ita opinosos, qui rem oraculi instar enarrent, olim scilicet eam per nuncupatos ad pagum saltus, Casamatriæque & sanctæ Crucis ripam, vadique alti tractus elabi solitam, donec hinc & inde colluctabunda inter arctissimas montium angustias ad Servallem emissa aperto demum Forojulienssium campum potiretur. Medio mox eo itinere factum, ut magnis surrectarum crepidinum desilientium ruinis intercluſa retrocesserit, & in Belunenſem agrum, unde diverterat relapsa novum, Areto sibi adjuncto, alveum excavarit. In recessu ab antiquiore illo decursu Lacus illos relictos, qui ad Casamattiam & aliquot ad pagum vicos, & viam inter convalles reliquas stagnant, ipsumque tunc vadum altum nullo neque ingressu, neque egressu inter se contractum in eam qua conspicuus est profunditatem subsedisse, offentantur in hujusce rei testimonium veteres aliquot Servallensium tabulæ, quæ quorundam agrorum limites ad veteris Plabeæ usque ripam citant, modicæque altitudinis valleculam longo tractu continuant ostentant, sive potius latiorem quandam, longeque productam fossam, magnis olim imbrium diluviis delimatam, quam antiquum nostri fluminis alveum fuisse contendunt, & confidentius asseverant. Id ego vel negare vel affirmare nullius momenti esse contenderim. Sed fluminis nostri alveum, initio diximus aliquot millium annorum esse, & ab ipso dicere ausim, urbe condito ad hanc usque diem eodem, quo labitur alveo perfluxisse confidentissimè contenderim. Id quod ipsa riparum indicat altitudo, ipsi antiquarium, diuturnarumque alluvionem relicti margines, longo modo hac, modo illa parte ductu, clivis bene magis planas camporum spatia ministrantibus; per gradus quodam latissimè constratos, & ad culta commodissimos, quo diluviorum auctus nunquam sint amplius ascensuri. Sed utcunque Seravallenses de fluvio nostro fabulentur, id asserere possumus totam illam planitiem, quæ nunc inter Anaxum, & Taurisanam urbem latè jacet longa nostri fluvii alluvione paulatim oblimatam esse, & adhuc diluviis perfundi pergeret, nisi densis, ac magnis saxorum molibus aggere juxta Narvisiam, utar nunc vulgi vocabulo, producto Cibi enim erumpit in plana) aliorsum fluctum impetuosum flectere cogeretur. Neque tamen obsistitur, quia exundante per tempestates Anaxo Butinica, unus è Taurisanis amnibus, qui per urbem diffunduntur identidem intumescit, & lapideum in urbe media pontem ad

Bethe-

Bethlemicam anno Sal. M. C. XII. demolitus eſt, influxerat enim in eam Plavius, quod cives ipſi ponte mox refecto, marmoreo ſuperaddito titulo poſteritati tradere curaverunt. Ita enim inſcriptum eſt.

PLABES FLUVIUS CUM INSETO ET QUODAMMODO PRODIGIOSO INUNDARET INCREMENTO BUTINICAM AMNEM INFLUXIT, URBEM INVASIT, PONTEM SUBVERTIT HIERONYMUS PISAURUS PRÆTOR NE MAXIMIS INTENTUS HÆC ETIAM MINORA NEGLIGERE VIDERETUR RESTITUENDUM CURAVIT M. D. XII.

Quin etiam toto illo agro, qui à Narvanis Tarviſium usque & à Ripaſicca Caſtrofrancum verſus hinc & inde latè patet, terra paſſim unius, aut duorum ad ſummum pedum altitudinem defoſſa nitidam, & omni luto purgatam glaream, oſtentat, argumento ſatis manifeſto, decedente in dies fluvio ſuperinductum mox ceſpitem, & diuturnitate temporis agrum factum. Cumq; uti dicebamus glarea illa tam purgata continuet, quid mirum ſi nobilia quædam ingenia Silim eundem, atque Plavium eſſe arbitrati ſunt? Nam ſubterraneus ille deflexus commodam habet viam, ut facile poſſit infra Caſtrofrancum paludem illam influere, quæ Silis mater eſt, & emiſſarium, quod non de Sili tantum auſim affirmare, ſed & de Butinica, & aliis amnibus, & rivis omnibus, qui Turiſium ingrediuntur. Veriſimile quoque eſt noſtrum hunc eundem amnem in campos effuſum ab Orientali etiam latere aliquando planiciem, cui adhuc eſt infeſtiſſimus, latius occupaſſe, à Narvanis Opitergium verſus iter detorſiſſe, ut olim Vacejolam usque diffuſus eſt, & Plavioli vici foſſam uſitationis ſuæ teſtimonium reliquit. quæ loca non admodum diſtant à Seravallenſium finibus, eaq; parte crediderim poſuiſſe fines aliquos ad veteres Plavii ripas è Seravallenſibus agnitos. Non ita tamen ut fateamur tantam aquarum vim, quantam ſecum trahit Plavius per Caſamattiæ valles, vadiq; alti anguſtias tam contractas, perque medias Seravallis fauces effluxiſſe. Sed ut ad aggerationem noſtram redeamus, non Taurisanus tantum campus, ſed univerſa Renetia Inſubriaq; & Taurivenſis in Cisalpinis Liguribus ager aliquot annorum millibus, per tot, tantorum amnium, quibus inundantur alluviones concrevere, mari ad hæc quotidie recedente, invectumque à fluminibus Limum in littus aggerente, continentique ita in horos ſingulas ſuos proferente fines. Quod ne cuique mirum videatur, ut Egyptum, rem quippe uno auctorum omnium teſtimonio notiſſimam prætermittam, terram, eo modo coagmentatã, ſpatioſiſſimos Indiæ campos illos Indi flumini alluviones eſſe pro compertiſſimo tradit Arrianus, ita Cayſtrum, Lydum Caicum, Menandrum & Hermam, & plerosque alios fluvios inſignes, campos è ſe nominatos habere, quos illi è ſuperioribus locis limum trahentes, terra congeſta in ſolum mox obdurent. Sanè cum Philoſophiæ dárem operam ſcaturigines affluentiſſimè pullularunt. De hujusmodi verò aggerandi ratione Polybius late hiſtoriarum IIII. diſputat, ubi futurum dicit, ut Mœotis palus, quæ tum latiſſima erat, ſæculorum haud quaquam multorum ſpatio, tota ferè decidentium in eam amnium alluvionibus compleatur, ac mox etiam pontus Euxinus eadem ratione magna ſui parte vadoſus fiat. Magna enim eſt longè ætatis auctoritas in rerum mutatione, & ut Horatius:

*Debemur morti nos, noſtraq; ſive receptus*
*Terra Neptunus Claſſes Aquilonibus arces*
*Regia opus ſterilisq; Divalis aptaq; remis*
*Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum,*
*Seu curſu mutavit iniquos frugibus amnis*
*Doctus iter melius.*

Quid vero vos ad vocabulorum mutationes horrescere quodammodo videbamini, qui res ipsas mutari quotidiè conspiciatis. Miror autem unde nonnulli unum è Tiliaventis Anaxum esse commenti sint; quod Varramum, quem Plinius in Anaxum defluere tradit rivum eum crediderint, qui ad Concordianas paludes Belgradum, Varmum & Madrisium lambit, aqua admodum modica & ignobili pauloq; supra Atisanam in Tiliaventum cadit. Sed enim cum eruditi omnes tam Historici, quam Chorographi recentiores, qui linguæ latinæ reparatione claruerunt Plavium esse Plinianum Anaxum scriptis prodiderint. Difficileque admodum sit situm fluviorum cum nominibus ætate nostra, immutatis conferre, vel pro certo quidpiam profiteri, confusaq; præcipue sint hæc apud ipsum Plinium, qui flumina modo à fontibus, modò ab ingressu in maria, modò à viis militaribus enumerat, perinde ac etiam in oppidis recensendis apertissima est in ipsis territorii sui urbibus perplexitas, quam ego desultationem appellare soleo. De Varramo tantum quærendum est nobis, cùm locus notatione dignus sit apud Plinium. *Anaxus quo Varramus defluit*, facilis verò conjectura est non alium esse posse quam lacum nostrum Casamattiam, qui Carnis finitimus Septentrione, Occasuq; solus è lacubus in Anaxum Plavium quippe nostrum defluit, quare supernarrare mihi solitus erat Nardinus Celinensis, vir Græcè Latineq; apprimè litteratus, & abditarum rerum cognitione insignis, Celinenses aniculas suas quaqua Maniacum, & loca Meridiana trans lacus nostri saltus incolunt, cum inbibacem quempiam acerbus invehi vellent imprecari solitas, ut is Varramum totum eportaret. Illius enim loci accolæ & Celinam, & tres illos liquentiæ fontes, qui flumen id efficiunt de Casamattio nostro emanare prædicant, aperta sibi per subterraneos meatus via. Sane provinciale hoc dicterium ponderis aliquid habere potest ad vicinitatem ipsam indicandam, Cum Belgradus Varmus & Madrisium longo admodum itinere distat, à Maniaco & à Carnis ipsis, in quorum regione Anaxus oritur, neque oppida illa cum Cælinensibus commune quicquã habeant, sed potiùs maritima sint juxta Concordiæ paludes, & Tiliaventi hostio vicina. Sed nominis originationem puto fidei plus habituram. Nam lacus istius angulo, qui ad Septentrionem spectat, à tergo Carnorum, ut Plinianis insistam verbis, agro Bellunensi juxta lacum vicus admodum nobilis est Farra nomine. Hinc suspicio quædam minimè contemnenda suboritur, primam nominis hujus litteram aliquando Claudiani digammi nota scribi solitam, quippe BARRA. Imperator enim Claudius, ut sæpe dictum, usq; adeo digamo illo suo delectatus est, ut cùm Romæ pomerium latè porrigeret ad D. Luciæ nunc Fanum ubi cloaca pluvialibus aquis colligendis, & in Tiberim emittendis, inscriptionem rei è se gestæ AMPLIABIT TERMINABITQUE digammo notari mandarit. Id tamen ad hunc usq; diem bona pars hominum F. scriptum arbitrata Teutonica pronunciatione, qui finum, pro vinum dicunt, & alia hujusmodi legere solent ampliafit, terminafitq; Ignari F. digammum V, consonantis sono pronunciandum ampliavit terminavitque, de quibus supra satis meminimus, quibus addo liberius veteres fecisse eadem in locutione altera in alterius vicem posita. Quippe fortunã quam nunc dicimus illi originationem columi Vortunam appellaverunt, quod Vortuna à verbo deduceretur, eaq; de causa nunc pilam, nunc rotulam, quibus insisteret ejus Hieroglyphicum statuere. Sed ne tam longè exempla repetamus à nostratibus argumentum potius captemus; quum apud nos domi multa hujusmodi nascantur. Ab altero istius lacus latere, qua Seravallem tenditur, Stagnum distat decem circiter stadiorum intervallo Fadum altum vocant omnes tã accolæ, quàm peregrini, quod à profundissima quaq; conspicuum est altitudine habere nomen dubio procul affirmant omnes, ideoque Vadum altum nimirum olim dictum, ita facilè credendam virum hodie Farram aliquando Varram appellatum, lacui dedisse nomen. Sed quid obsecro, dicturi estis, si addidero ex eodem auctore Plinio, hunc eumdem locum Pisonem etiam seu Pisinum dictum?

Meministis puto illum superius à Taurisсorum, & Liburniæ totius Chorographiæ retrogressum ad alios Norici fines indicandos, qui scilicet ad magnum Istrum tenderent, quos principium sumere ait à tergo Carnorum & Japidum, inter hos, & Bellunensem agrum Casamattius noster lacus circumcluditur. Ibi Rhætis jungi Noricos tradit Plinius. ibi Viruni nomen manifestè ponitur. Ibidem Flavii mentio, ibidem Lacus Piso, quamvis plerique codices per ei diphthongum faciunt Peiso. Sed

in hac re nihil jam ad me Plinius. Ite ad monumenta Reipublicæ noſtræ, legite ſanctiones, decretaq; veſtra manicipilia Rubrica de piſcatoribus primo libri tertii capite, lacus hic, qui à tergo Carnorum & Japidum, inque jugorum, Bellunenſium gremio jacet, qui defluit, in Plavium Piſinus nuncupatur, quamvis in recens impreſſis codicibus una plus ſyllaba, lacus Lapiſmus habeatur, quod apud Plinium lacus Peiſo vel Piſinus ſcribitur. Adhæc, ſi de nomine quis moroſius quærat in proxima ejus lacus ripa ad montes qui Carniam attingunt Vicus eſt, qui Piſonis fuiſſe videtur, una detrita littera, & altera barbara enunciatione vitiata. vulgo enim Puſois nomen habet. Satis autem eſt in re tam implicata, tam recondita, indicium habere aliquod, ſi non apertæ veritatis, alicujus ſaltem ſed congruæ ſimilitudinis. Neq; quidem de nominum, ut ita dicam, deſultatione vobis mirum adeò videri debet, qui videatis hodie quoq; vulgo lacum hunc non uno nomine nuncupari, cũ alii eum, lacum ad Pagum, ſeu quod malunt quidam ad Altum pagum; alii Caſamattium, alii Sanctæ Crucis vocent, & proximus quisq; locus ei à ſe nomen imponat, imò rarus admodum toto terrarũ orbe fluvius, lacusq; reperitur, qui non aliquando nomen variarit. Comemorem ne vobis Nilum in Ægypto modo Aquilani, modo, Oceanũ, modo Tritona, modo Sirin, modo aliis atq; aliis nominibus appellatum? an Tybrim Thuſcum, olim Tyrbrim Syracuſanorũ advenarum œnotriorum lingva, mox Tyberniũ? olim Albulã nuncupatum, Danubium Iſthrum, Padum Eridanum? Lyrin in Campania nunc Gargilianum, recenti Gallorum ſtrage nobilitatum, Medoacum in Venetia, nunc Brentam? an tot tantosque in Tranſpadana regione lacus Benacum, Verbanum, Sebinum, Latium, & plerosque alios, quos hodie longè diverſa ab antiquis nuncupatione deſignamus? Quid urbes nonne ipſæ etiam, nomen modo hoc, modo illud adoptare conſueverunt? Quæ olim Saturnia, mox Valentia, nunc Roma eſt, & capta milleſimo ab hinc anno ab Odoacre Nerulorum Rege periculum adiit ne Odoacria tunc appellaretur. Servata tamen amicis Regi perſuadentibus longè glorioſius & illuſtrius fore apud mortales Romam captam, quam Odoacriam inſtauratam. Quæ olim Bizantium, mox Romanea, nunc Conſtantinopolis. Quæ Ticinum jam Papiam. Quæ Parthenope jam Neapolis. Sic pleræque aliæ, quas commemorare ſuperfluum eſt. Sic regiones denique provinciæque celeberrimæ Aſia, Venetia olim usque ad Padi fontem, Africa, Mauritania cum cœteris cognamenta mutaverant, & ut ego de locis dicam, quæ de vocum formis Horatius.

*Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadentque,* Quæ nunc ſunt in honore vocabula.

Verum hic ſcire velim, an parum vobis veriſimile videatur eum, qui campo orbi ſubjecto Flaviolæ nomen dedit à ſe deſumtum, qui nuncupandæ urbis viri unius nomine auctor fuerit; qui tot de celebritate ſua monumenta toto hujus regionis agro reliquerit, potuiſſe etiam Flavio amni, cui latè dominaretur nomen immutare. Atqui Crathis in Calabria Turinorum fluvius ab immerſo in eum impuriſſimo Paſtore quodam cognomentum accepit, quod factum eſt impulſu Arietis, qui amatam à ſe Capam ab eo amplexari ferre non potuerit, & leviori de cauſa in plerisq; aliis demutata nomina reperimus. Eruditi quidem omnes, cùm veterum hiſtorias percurrunt, ſatis habent minimam quamque occaſionem deprehendiſſe, ut fidem adhibeant iis, quæ veriſimilitudini aliqua hujusmodi nominum mutationes, impoſitionesve tradant. Vos rem tam manifeſtam, qui olim Flavius apud Romanos, apud Euganeos vetuſtiores, propterea quod ob rapidiſſimum curſum retro navigari nequeat, Anaxus fuit, Plavium nunc eſſe, & à C. Flavio Hoſtilio clariſſimo urbis veſtræ lumine Flavii nomen accpiſſe credere contabimini? quod quidem, qui perſuaſum habuerit, rem haut quaquã abſurdam credidiſſe nullo rubore profiteri poterit. Quoniam verò diei acta eſt pars maxima, vosque forſitan non minus audiendo, quàm ego declarando delaſſati ſumus. Tempus eſt ut huic parti finem imponam, rediturus ad vos die craſtina ſolita hora & loco, ut vos argumento ſuperioribus his longè delectabiliore reficiam. Veniant igitur ii, qui rerum vetuſtate afficiuntur, ego non tantùm Saxorum inſcriptorum moles, ſed eorum etiam uſum, fortè non contemnendum ſum vobis donaturus.

EJUS-

# EJUSDEM PIERII DE FLAVIORUM NOBILITATE.

## ET ANTIQUIS IN AGRO BELLUNENSIUM MEMORIIS.

### *SERMO QUARTUS.*

QUæ ſuper Vituni patriæ noſtræ hiſtoria, antiquitate, nominis cauſa, quæque ſuper Anaxo flumine noſtro peculiari, quoquo modo in Flavium, & mox in Plavium nomen ejus abierit, ubi is oriatur, quo ambitu devolvatur, quæ hinc inde fluenta in comitatum admittat quot & quantæ ex eo utilitates percipiantur, & ubi denique Hadriatio immixtus eſſe deſinat per triduum hoc diſſeruimus honoratiſſimi Cives, neque ignari ſumus, in hac tam abditarum rerum inquiſitione, multa eſſe potuiſſe, quæ propter tot rerum ambiguitates, & opinionum variarum aggerationem nonnullis tædii aliquid potius attulerint, quam delectationem; ſed nihil me retuliſſe opinor quod ad earum quas tractandas ſuſceperamus aut fidem facere, aut veri ſimilitudinem exponere manifeſtam, minimeque confictam, mihi non videatur. Sed enim ſi quam ex ſuperioribus ſermonibus moleſtiam concepiſtis, eam hodie per jucunditatem rerum quas allaturus ſum recipio me deleturum. Inſtitutum enim meum eſt, de Flaviorum ſplendore & gloria, uti de patronis noſtris, qui erga nos adeò benefici fuerunt aliqua delibare, deque multis in agro Bellunenſi meritis antiquorum, & aliquot aliis foris & jam non importunè adſcitis, plurima quæ cognitu digna ſunt vobis indicare, quæ omnia puto non ſine delectatione, voluptateque veſtra ſuſcipientur. Mox ad celebritatis veſtræ ſacram quaſi anchoram, quippe ad Lucii Tertii Pontificis. Max. diplomate deveniemus, quamque lata fuerat Bellunenſis nominis jurisdictio, atque meridiana luce clarius oſtendemus. Ut verò Flavii noſtri, atque adeò reliquorum Hoſtiliorum memorias, quæ temporis injuriam ſuperarunt vobis jam inciam recenſere, ne Veſpaſianorum Impp. domum Flaviorum cognomento inclitam gloriosè nimis videar oſtentare, neve ſexcentos alios ornatiſſimos viros, qui nomen hoc olim illuſtrarunt, quaſi Chryppi Medeam huc accerſam, recitabo vobis inter ea, quæ præ manibus ſunt inſcriptionem illam; quæ non procul hinc ad Maniacum in Celinæ fluminis ripa conſpicitur: accipite eam obſecro & mox, an vos Hoſtiliorum pudeat videtote.

C. HOSTILIUS ET P. EGNATIUS VIETOR
QUINTÆ DECIMÆ LEGIONIS TRIBUNI
P. S. P. Q. R. DIMICANTES PARITER
OCCISI HEIC PARITER JACENT
SINGULARE POSTERIS EXEMPLUM
ET CHARITATIS ET FORTITUDINIS
CILINENSES XXL. DIES ATRÆDI
LUCSERUNT.

In

In quo quidem titulo, quod Veitor pro Victor notatum sit, ne adeò miremini in numo etiam argenteo. DIVUS AUGUSTUS VEITORIANUS habetur. Domitiam Severum C. Hostilii conjugem legitis in Epigrammate Bellunensi, accipite nunc Hostitiam Severam L. Hostilii filiam in Romano monumento apud Trajani columnam in alveo sacri lavacri D. Nicolai æde.

D. M. S.
L. HOSTILIO ONESIMO
HOSTILIA SEVERA
PARTI PIISSIMO ET
HOSTILIUS PARTHENIO
PATRONO.

Sed enim ea magis arbitror placitura, quæ nostrum per agrum quotidiè reperiuntur. Nunquid obsecro non vidistis, quinto ab hinc lapide, loco qui Bolagus dicitur, Mausolei quandam veluti umbram? extant enim adhuc magni operis vestigia, tumulusque rotunda forma ruderibus obrutus, toto prorsus ædificio verso, sive is fuerit felix Episcopus, is enim juxta proximam ædiculam humi conditus, ut titulus ejus ostendit, sive barbarorum alius, qui nostræ urbis conditori tantam invideriit celebritatem. Argumentum autem excitari olim eo loco operis inveni ego inscriptionem pulchram & elegantem, quam situ, calceque ottectam, labore mox meo derasam conspicuum in locum transferendum curavi. Ejus hoc est exemplum.

JOVI O. M.
HOSTILIUS
SERTORIANUS
V. S. L. M.

Placet vobis, ut video, concisa & elegans dedicationis figura, quid si literas videritis illas pulchre admodum elaboratas, & vere Romanas? quantum vestræ huic regioni gtatulabimini, quæ præstantes adeò viros, si non oppidorum conditores, quod pravo quis præditus ingenio fortè conetur inficiari, certè incolas & cives habere meruerit. Hoc enim nulla cujusquam nobis invidia demserit, neque inimicorum labefactabit injuria. Sed enim quid notæ literarum quatuor punctis dissitæ sibi velint quæsierit aliquis. Nam superiores illas in apice tituli positas, JOVI OPTIMO MAXIMO significare ambigit nemo, inferiores hæ tantum. V. S. L. M. facescere vobis negotium videntur, cum præsertim plerique vestrum sint antiquitatum hujusmodi perquam studiosi, qui notarum earundem inscriptionem alibi etiam observarint, ut Abbæ Juliæ Pannoniæ oppido, quod ad Noricos pertinet legerunt.

FORTUNÆ
PUBLICÆ
VITALIS
V. L. S. M.

Et ibidemloci, quod apposuisse non pigeat.

ÆSCULAPIO
ETHYGIÆ CE-
TERISQ. HUJUSQ.
LOCI SALUTARIB.
C. JUL. FRONTO-
NIANUS VET. EX
B. F. COS. LEG. V. M. P.
REDDITIS SIBI LUMI-
NIBUS GRAT. AGE EX
VISO PRO SE ET CARTEIA
MAXIMA CONJUG. ET JUL.
FRONTINA FILIA
V. S. L. M.

Et in oppido, cui nunc vulgo nomen Vynex apud Cœnobitas ejus loci vetus monumentum literis insignitum.

INVICTO
MITHRÆ
L. OCTAVIUS
GRATUS
V. L. S. M.

Quarum quidem litterarum multæ nimirum sunt interpretationes. Exponunt enim alii VOTO SOLUTO LIBERO MUNERE. Alii VOTUM SOLVIT LIBERO MUNERE. Alii VOTO SOLENNI LIBERO MUNERE. Alii. VIVENS VEL VIVUS SIBI LOCUM MONUMENTI vel MONUMENTO; quæ quidem omnia unà cum quibusdam aliis Romanorum notis, quæ sub Valerii Probi titulo prodierunt, quamquam in eo libello multa mihi subditicia videntur, nullam tamen earum interpretationem improbarim, cùm à veteribus traditæ circumferantur, sed neque illam dissimulabo, quæ in idem sumta plerisque eruditorum magis adridet Ea. S. VIVENS SIBI LEGAVIT MONUMENTUM quod ideò nonnulli probant, quod quinque alibi notas V. S. LL. M. VIVENS SIBI LOCUM LEGAVIT MONUMENTO exponi viderunt. Sed illam ego potius admiserim quæ est VOTUM SOLVIT LIBENS MERITO quæ quidem ex aliis antiquorum inscriptionibus desumta est. Integris enim Locutionibus Romæ legi in MontePincio, sic nunc vulgò nuncupato.

VOTUM SILVANO
SOLVIT LIBENS
MERITO T. F.
DIADUMENUS
LURNESIANUS
PRÆGUSTATOR
AUGUSTI.

item alteram Romæ trans Tyberim apud Matthæos.

SOLI SANCTISSIMO
SACRUM
TI. CLAUDIUS FELIX
ET CLAUDIA HELPIS
ET TI. CLAUDIUS
ALYPUS FIL.
EORUM VOTUM
SOLVERUNT
LIBENS MERITO
CALIBENSES DE
COH. III.

Ex his igitur patet singulares illas notas in Hostilii titulo dubio procul significare VOTUM SOVIT LIBENS MERITO. Quod si alia quoque vultis recitari vobis monumenta, quæ virorum illustrium memoriam in nostram usq; diem a temporum injuria vindicarunt, passimq; per Bellunensem agrum conspicimur, ab eo incipiam, quod paucis ante annis Orcesiis vico, tertio ab hinc lapide repertum est, pulcherrimis quidem litterarum characteribus elegans, sed ornamentis operis Corinthiaci artificiosè admodum elaboratis longè formosius. Est vero inscriptio in hunc modum.

T. SERTORIO
PROCULO
II. VIR. D. PRÆ-
FECTO. III. Q.
FLAMINI VIX.
ANN. XXX. MENS. VI.
OPTIMO FILIO
PARENTES FECE-
RUNT H. M.

Serto

Sertorianos superius habuistis, nunc Sertorios regionem vestram illustrasse conspicitis. Quam speciosa sunt hæc Romani civis cognomenta, quam præ se fert generis antiquitatē. Cui T. Sertorio Proculo nomen fuerit, qui decē vir, qui juridicundo Præfectus, qui Tertium Quæstor, qui flaminis honore insignis habitus sit quanto verò mœrore legentum pectora labefactat, cum monumentum id à parentibus factum inspicimus optimo filio, qui triginta tantùm annos, menses sex vixerit. Verùm is nequaquam deplorandus, qui tam insigni familia nobilis, tantæ celebritatis honoribus decoratus vitæ brevitatem memoriæ suæ diuturnitate superavit.

Sed cur Poeticos dissimulemus qui Neronis Claudii Imperatoris temporibus claruere, fauces eas sortiti, quæ Plavisi exarctissimis, confragosisque Cathorinorū vallibus erumpentem, per oppositas passim Saxorum moles eousq; præcipitatum emittunt? Dominabantur hi Læbactibus, nostræ ditionis populis, qui nomen in hanc usq; diem servavere. Obtinuerunt loco eodem Longarem Octaviani Augusti familiaritate clari, à quibus vico nomen in hunc diem permansit incolume. Poetici vero ab Imperatore Nerone Claudio faucium harum tutelæ præfecti horologium paganis Læbactibus magnis Saxorum molibus construxerant, castellum in edito clivo muniverant angustiasq; ipsas munitissimo loco custodiebant. Horologiū unnc dirutū, disjectumq; est, quotidieq; tam vastæ saxorum moles huc illuc asportantur. Et nisi sacello D. Helenæ inscriptus horologii titulus altari dicatus esset, illum ipsum quoque desideraremus. Sed age prælegamus, quæ temporum injuriæ subductæ sunt litteræ.

IN HONOREM
CLAUDI
CÆSARIS AUGUS
GERMANICI
SEX. PÆTICUS Q. F.
TERTIUS ET
C. PÆTICUS SEX
FIRMUS
HORILOGIUM CUM SEDIBUS
PAGANIS LÆBACTIBUS
DEDERUNT.

de inscriptione hac prænomen Imperatoris scalpro sublatum est, ut utrum Neronis, an Tiberii, an Domitiani prius scriptum fuerit ariolari cogamur. Simus autem quorundam Imperatorū nomina, ob invisam publicè eorum memoriam de monumentis deleri solita, senatusque Consulto Domitiani titulos ubiq; eradendos decretum, omnemq; ejus memoriam abolendam Tranquillus refert, & Romæ plerisque locis erasa hujusmodi nomina conspexi. Quis tamen hic noster fuerit, in cujus honorem Poetici Horologium Læbactibus dederunt ex nummis quærendum fuerit. Opportunè autem aliquot mecum Roma nunc attuli. Quare videamus an ex his integrum tituli rationem inveniamus. Hic verò primus notatum habet TIT. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP. PP. ita hic alter, item unus, & identidem alius. In his quidem Claudi nomen habetur, sed Germanici nusquam; inspiciamus igitur ex altero loculo nummus, in quibus Germanici nomen est. at hi omnes Domitiani faciem habent, & inscriptio profitetur IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. II. Eadem in hoc altero, & in illo & aliis, sed Claudii cognomentum hic nusquam. Non igitur Domitiani nomen in inscriptione nostra fuit. Sed hos alios è loculis excutiamus. Agnoscitis jam Neronianos ex facie, at quid scriptum sit prælegamus IMP. NERO CLAUD. CÆS. AUG. GER P. M. TR. P Bene habet, habemus hic Germanicum, habemus Neronem, habemus Claudium, at inspiciamus & hos; Neronis ejusdem litteræ sunt NERO CLAUDIUS GÆSAR AUR. GER. P. M. TR. P. IMP. PP. ita hic alius inscriptum habet, ita reliqui ex hoc loculo.

Præterea meministis apud rerum scriptores legere Neronem à Senatu hostem judicatum, Neronisq; nomen profanum fuisse passim. Unde etiam è nummis nomen id sublatum contusumque non semel aspexi. Quare nulla mihi reliqua sit dubitatio quin hic NERONIS CLAUDI. scriptum fuerit, cùm præsertim locus hic excisus totidem sit litterarum capax, ut circino dimetitus sum. Sed antequam inscriptionem hanc de manibus amittamus animadvertite dictionem HORILOGIUM secunda syllaba à principio per I. non per o, ut vulgo scribitur notatum. Nimirum ea illis placita est compositio, ut o. in i. commutarent. Non procul verò ab ædicula in qua hæc habetur

Inscriptio, altera quoque in privatarum ædium pariete quodam juxta viam in hæc verba.

ASCLEP.
JO. P. XE-
LIUS PO-
LIO MO-
NITUS
POSUIT

Facile autem crediderim Poeticos illos, dequibus paulo ante loquebamur, agrum eum omnem obtinuisse, qui ampla satis planicie, à fortunæ vico, qui quinto abhinc lapide est, Monteq; Serva digressus in Peninsulam excurrit, Plavio ripas undecimque tribus à lateribus Lancinante. Nam vico Polia Poetici nomen est, quamvis singulis tantum syllabis utrumque nomen in unum enuncietur quippe POLPÆT. quod ea equorum pascua fuisse significat, quæ Poetius haberet in altero hujus agri vico, via Juliæ quæ per pontem tribus ab urbe millibus passuum meritorii plerisque diversoriis frequens est in hospitio quodam ad Libram Publici vectigalis venerabilis antiquitatis monumentum inspexi, cujus inscriptionem hanc vobis afferro.

FILI POSUERUNT MEMO-
RIAM PATPI SVOS SΛTVR
NIΛNO POTIO OBI-
TO CVM COMPARE SVΛ
VΛLENTIΛNΛ VOLVSIA.

Latinus hîc omnino titulus, sed Græcis aliquot litteris sparsim interpositis, quibusdam vix dum exasceatis. Videtis vero placuisse illis A. vocalem ad Λ Græcè consonantis effigiem figurare & ΔATPI litteris pene Græcis scribere illud etiam inventu rarum prorsa oratione. OBITO qua forma Poetæ libentius usi, ut apud Maronem. Morte obita. Sed quoniam video vos tam sitibundos ad hæc inhiare, ostendam & alia hujus generis, quæ toto agro vestro neglecta jacent. Et illud monumentum cumprimis commemorabo, quod Chori II. ab urbe lapide tot lanceis impetitum, diffractumq; cernitur; fuit in eo vetustissima quædam inscriptio, qua magna vetustatis injuria sublata altera hæc super inducta est.

T. TURRANIUS SEVERINUS
CONJUGI SUÆ CARISS.
BLICIÆ COSTANTINÆ VIVUS F.

In quo quidem titulo COSTANTINÆ absque N. in prima syllaba scriptum est ubi COCERT. pro concertatio in Neronis nummo quem paulò ante attrectabamus, & COS. pro consul, passim in Romanorum monumentis. Neque legisse pigeat, quod Caneti Alemanæ meæ vico in Ædicula D. Blasii habetur antiquo lapide.

M. JUNI. PAP. MAXIMI
LIVI. D. PRÆCELLIA MAXI-
MINA CONJUGI
CARISSIMO. V.F.

Ultra progressus in vico Tecliano Ædicula D. Teclæ offert se alterum, speciosо nomine, Præcelliæ monumentum insigne, id ita inscribitur.

C. DURENIO SECUN-
DO DORIFERO
OMNIBUS HONORI-
BUS. M. F.
PRÆCELLIA PROCULA
MARITO OPTIMO.

Erant

Erant verò Doripheri, ſi quis hoc curet, Prætoriani milites. Non procul hinc in viro Zumelis, Zamelum nunc vulgo dicitur, Præcelliæ hujus conſanguinei iisdem nominibus Durenii, ſecundi atque Bræcelliæ conditorium habuere, cujus inſcriptio hæc adhuc in platea foroque ipſo ſpectatur.

M. PRÆCELLIVS
Q. F.
PAP. VITVLVS
SIBI ET
DVRENIÆ L. F.
SECVNDÆ
VXORI ET SVIS
V. F.

Hos verò Præcellios Romanos cives, atque eos quidem non ignobiles fuiſſe volo vobis ex M. Tull. Ciceronis epiſtola comprobare. Is enim familiaritatis ſuæ libro XIII. cum ad Cæſarem jam rerum potitum ſcriberet, Præcellium quendam unicè commendavit, Præcellium Cæſaris neceſſarium ſuum, ſuum verò familiariſſimum, viriſque optimi filium, quem adhuc adoleſcentem propter ejus modeſtiam, humanitatem, animum, & amorem erga ſe ſingularem mirificè diligebat. Addit ad hæc Præcellium adoleſcentis hujus patrem reipſa doctum ſe intellexiſſe, didiciſſeque ſibi fuiſſe ſemper amiciſſimum, eumq; de illis eſſe, qui irridere & objurgare ſolitus eſſet, quod honorificentiſſimè invitatus à Cæſare, non ei ſe conjungeret verſumque illum Euripidis Ciceroni identidem objectaret, μισῶ σοφιςὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός, Odi ſapientem qui ſibi nil ſapit, quæ dicta volui ut cognoſcatur Præcelliorum, qui ad vos transmigrarunt, prudentiam, multis jam ab hinc annis ſcriptorum memoria commendatam. A Melo mox Plavia ad dexteram tranſito in colle D. Martino ſacro, qua fluvius Corduvius proximè labitur quinis ab urbe paſſuum millibus Turrania ferè omnis familia uno comprehenſa conditorio, hujusmodi inſcriptionem habet.

P. TURRANIO
P. ANISIO IIII
VIR. TURIÆ ARINIÆ,
P. TURRANIÆ
P. ARINI ⅂B OPTI-
ANISI. TVRRANI-
VS SECONDVS.
V. F.

Quæ ita explicare poteſt; Publico Turranio Publico Aniſio quartum viro Turiæ Ariniæ Publiæ Turaniæ, Publii Arinii, Libertæ optimæ Aniſius Turranius Secundus vivens fecit.

Jacet hic lapis ante altare, & aſſiduè pedibus ſacra facientium atteritur, ut multa jam in eo nomina exeſis mediis dictionum partibus aboleri incipiant. Altare autem ſuſtinet columnæ Cippus, in quo ita ſcriptum.




Quæ quidem magni alicujus operis indicia unde magnas Turraniorum opes in hoc agro poſſimus exiſtimare, qui quidem non apud nos tantùm, ſed & in reliqua Venetiæ celebres fuerint, Nam & Vincentiæ, ut reliqua miſſa faciam ad D. Felicis ita legas.

V. F.
L. TVRRANIVS L. F.
VALENS
SIBI ET
TERENTIÆ Q. F.
PRISCÆ VXORI
H. M. ET. L. S. H. N. S.

Puto vero vos notas has literarum singulis singulas punctis dissitas plerisque locis observasse, idque sibi velle, perinde ac si scriptum esset. HOC MONVMENTVM ET LOCVM SEPVLTURÆ, ve sepulchri HÆREDES NON SEQVENTVR. Cujus rei Horatium Flaccum interpretem habemus qui libro I. Sermonum primo S. VIII. scripserit.

*Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum*
*Pantalabo scurræ, Nomentanoq; nepoti.*
*Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum*
*Hic dabat Hæredes monumentumne sequerentur.*

In eadem urbe Vicentina alter ejusdem Turrani familia titulus his litteris notatus est.

V. F.
C. TVTVRANIVS
SECVNDI LIB.
EVANTHVS
CONCORD.
C. TVRRANIO.
PANTAGATHO ET
C. TVRRANIO
EVTHICO
LIB. OPT.

Est & apud M. Tullium, epistolis ad Atticum hujus familiæ celebritas eo loco quartæ epistolæ Q. Frater, ut mihi videtur quo volumus animo est in Pomponiam, & cum ea nunc in Arpinati prædio erat, & secum habebat hominem χρησιωμαῆ D.urrianum. Quod verò ad familiæ hujus antiquitatem pertinet reliquiæ monumenti Romæ sunt in vico nunc Regula nuncupato, in quo nomen latura eorum est, qui Sergii Galbæ Imp. Aug. Curatores anni secundi, imaginum domus Aug. cultorib. signum libertatis restitutæ dedicarunt, inter quos annotati sunt C. Turranius Polybius & C. Turranius Florus, & Turranium Tragicum Poëtam Naso celebrat de Ponto Eleg. ultima.

*Mesaq; Turrani tragicis immixa cothurnis.*

Et quod ad Turraniam spectat & Aniciorum nomen, de quibus mentio superius habita Romæ etiam in æde D. Mariæ ad Busta Gallica scriptū legi.

TVRRANIÆ ANICIÆ
JVLIANÆ C. F. COJVGI.

Quorsum verò dicet aliquis, tàm multa de Turraniis? aut ubi de nostris agitur quid eos Roma oportuit accersitos? Dolor huc me adegit in consolabilis ob luctuosam amici mei Antonii Turranii memoriam tametsi decimum jam annum eum desideramus, qui Græcis, Latinisq; literis eruditissimus, philosophicis, & eloquentiæ studiis admirabilis, humanitate præcipua, probitate incomparabili omnium Veterum Turaniorum splendorem & gloriam ad se unus attraxerat, quæ Fata impia, ne diutanta seculi felicitate frueremur juvenem admodum magna omnium admiratione Philosophiam, veram illam inquam, & elegantem Papiæ profitentem iniquissimè nobis invidere.

Sed nostra jam prosequamur. Ad primum hinc lapidem in suburbano Musæo juxta portam ædiculæ D. Jacobo sacræ fragmentum antiqui monumenti est, gentilium id meorum titulo dicatum in quo cùm plurima desiderentur, litteræ tantum hæ ad huc incolumes vetustatis injuriam evasere.

D. M.
CAPERTI
ÆVALENT-
INÆ C. M.
VALERIAN
COIIVGI

Intra ædem verò multa sunt exquadrato quodam cippo unaquaque ex parte dejecta scalpro, ut ne syllabæ quidem unius vestigium sit relictum, quod integrè legi possit. Sed si mei me cognominis similitudine delectari patiamini, apponam ex Alba Julia, quæ in Ripensibus Noricis est memoriam allatam in hunc modum.

JO.

J. O. M. STATUAM.
C. VALERIUS.
VALERIANUS
EX VISU P.

Non ignoratis autem, ut puto ex hiſtoriis Valerianum Imp. an. Sal. noſtræ 256. Decio ſucceſſiſſe, qui dum in Rhetia, & Norico ageret, ab exercitu Imperator creatus, & mox Aug. factus, unde tot apud noſtros Veleriani nominis monumenta.

Sed nimium contamur Urbana recenſere. Nam in D. Petri libitinaria porticu Conditorium habemus Cuſonii memoria celebre, quod indicio nobis eſt clariſſimas familias hinc migraſſe Venetias, inſcriptio ita habet.

D. M.
QVINCTIAM
XIMA SIBI ET
CONJUGIVO
CVSONIO SEVE
RINO. V. F.

Ne verò vos hæſitare quod QVINCTIA per C. T. ſcriptum eſt, noritis & QVNICTVM, & QVINCTIVM eodem modo plerisque locis vocatum eſſe, & antiqui id fuiſſe moris oſtendit nomenclatura quædam Romæ apud Julium Porcium, in qua fit mentio Auguſti Ti. Cæſaris Germanici, cui honorando adfuerint DOMITIVS AHENOBARBVS. Fuit is Neronis pater & cognomentum id calumnioſum duxiſſe Neronem apud Hiſtoricos legiſtis, poſt quem aſcripti ſunt F. QVINTIVS CRISPINVS & J. QVINCTIVS. Sed jam nos ad ſe vocat præclarus ejus monumenti titulus, quem ad ædis primariæ parietem, qui aream prætoriam ſpectat appoſuimus. ſuperioribus annis de vetuſtis Baſilicæ noſtræ fundamentis erutum in eo nunquid ita ſcriptum inveniſtis.

IMP. CÆSARI
M. AVRELIO AN-
TONINO AUG.
ARMENIACO
MEDICO PARTHI
COM NTIE
MAX. OT. XX.
IMP. III. P. P.
DIVIA NINIFII.
DIVI HAD AIANI NE-
POTI DIVI TRAJANI
PARTHICI PRONE-
POTI DIVI NERVÆ
ABNEPOTI
D. D.

Placet vobis nimirum M. Aurelii Antonini principis optimi conſervata memoria; ſed quod ſexto, ſeptimo, octavo, nono & decimo verſibus quinq; vel ſex literæ mediæ deſiderantur, ſollicitari videmini, ſi quid igitur noſtra conſequi poterimus, ea vos cura liberabimini. Sexto verſu poſt abſolutam locutionem PARTHICO. M. inciſum eſt, puto ſic, non tota videtur, ut commodum ex Auſonio Gallo vobiscum jocer.

Ita deſoſſus in quadram lapis quatuor circiter ex hoc verſu notas amiſit. Hic igitur ego primum MAX. repoſuerim & quod ſequitur ita ſubſtituendum exiſtimarim, ut legamus PARTHICO MAX. eſt enim uſurpata nuncupatio Maximi ubi Parthicum ponitur, ut in nummo SEPART MAX. & ſuper eodem Antonino Capuæ ad pontem IM. CÆS. AVG. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG. PARTHICVS MAX. & reliqua mox ſubſequatur PONTIFICI MAXIMO. Sed tribus tantùm litteris. MAX. uti ſcriptum, quia ſubjungendum eſt. TRIB. POT. XX. hoc eſt Tribunitiæ poteſtates vigeſies. Ita enim & nummerum & aliarum inſcriptionum ſeries depoſcit, & litterarum, quæ deſiderantur numerus ad amuſſim quadrat. Perdifficile verò eſt Quid inter litteras IMP. & numetum III. ſupplendum ſit invenire, ſed niſi me aliquot hujusmodi inſcriptiones fallunt, & ſi alti menſuræ credimus legendum eſt IMP. II. COS. III. non enim plurium notarum capax locus eſt.

dixerit

dixerit quispiam divinare est, aut ex commodo suo commentari, neque adeò exsolvere, quod recepi me nolle fabulas fabulari. testibus igitur opus est, ut quod conjectura primum sum assecutus, re ipsa verum esse comprobatur. Opportunè verò mihi præ manibus est Urbani Valeriani Patrui mei Itinerarium, qui quocunque se contulerit, totius antiquitatis vir studiosissimus, nihil usquam, quod ad rerum memoriam faceret, quin excerperet, describeretque prætermisit. Interea igitur, quæ Mediolani facere ad antiquitatis cognitionem observavit, ex antiquo lapide titulum ejusdem M. Aurelii descripsit, ejusdem Antonini, ejusdem Augustini, ejusdem Pontificis Maximi, ejusdem Tribus potestatis, per quod vices id honoris gesserit, expresserit, expresso numero. Ibi jam eundem ter consulem videbitis, eundem Divi Antonini filium, Divi Hadriani nepotem, Divi Trajani Parthici pronepotem. Divi Nervæ abnepotem, ut in nostro habetur. Sed inscriptionem proferamus.

IMP. CÆSARI
M. AVRELIO ANTONIN.
AVGVST. PONTIFICI MAX.
TRIB. POT. XVII. COS. III.
DIVI ANTONINI PII FIL.
DIVI HADRIANI NEPOT.
DIVI TRAJANI PARTHICI
PRON. DIVI NERVÆ. ABN
AVXVMATES PVBLICE.

Hic tamen quia scriptum non est quotiens Imperator fuerit, fortasse quis numerum ejusmodi ei titulo additum non esse ex more crediderit. Age igitur & hoc ostendamus apud veteres inveniri. Romæ quidem in Capitolio ab leva Romanæ Curiæ sub exteriore porticu, ubi nunc caput aheneum collossæum ex Commodi statua præcisum & ruinarum invidiæ præceptum, juxta monumentum est hoc titulo notatum.

IMPERATORI CÆSARI DIVI TRAJANI
PARTHICI FIL. DIVI NERVÆ NEPOTI
TRAJANO HADRIANO AVG. POTIF.
MAX. TRIBUNI C. POTESTAT. XX.
M. P. II. COS. III. PP. MAGISTRI
VICTORUM VRBIS REGIONUM XIIII.

Hujus

Hujus generis, & illud eſt, quod in Tuſculano Riperiæ agro Veronenſi haberetur.

IMP. CÆS. AUG. ANTONINI
PIL. FIL. DIVI HADRIANI NEP.
DIVI TRAJANI PARTHICI
PRONEP. DIVI NERVÆ AB-
NEP. M. AVRELIO ANTONICO
AVGVSTO ARMENINO
PONT. MAX. TRIB. POTEST
XVIIII. IMP. II. COSS. III.
BENACENSES.

Quod ſi plura hujus generis vultis, in arcu fori Boarii legere eſt inter L. Septimii titulos. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. & in ejusdem honore in Triumphalaciru TRIB. VNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. Nullam igitur hæſitationem eſſe reliquam puto, quin reſtituendum in noſtro ſit IMP. II. COS. III. quod anguſta loci brevitas plurium notarum ductus non admittit: quæ verò ſubſequuntur etſi ipſa etiam interſecta, nullam tamen aggerunt ambiguitatem, verſu igitur nono ANTONI nomen. Et decimo HADRIANI nullius controverſia reddendum, quod tam ex Imperatoriæ adoptionis ordine quam ex Mediolanenſi Epigrammate manifeſtum. Sed quoniam quæ ad pulcherrimæ hujus inſcriptionis declarationem facere videbantur, ſatis videmur explicaſſe, ne minima quæq; colligendo dictioni meæ importunè quadam ſedulitate vel faſtidium, vel odium, importem præteritis aliquot ſermoni finem imponemus. Cùm igitur viri Bellunenſes habeatis, quod me vobis receperam exhibiturum, de Belluni nomine demutationis rationem, ad hæc multa antiquitatis veſtræ Teſtimonia urbis originem & Conditorem. Auſimq; dicere me operæ pretium meruiſſe, quod omni ut puto rejecta controverſia vobis eum adinvenerim, & Flaviũ amnẽ tot annos è memoria mortalium elapſum reſtituerim. Supereſt ut quando flumen veſtrum reperiſtis, & ipſum urbis ſi non conditorem dubio procul ampliatorem agnoviſtis, grato eum animo ſuſcipiatis marmoreum illud conditoriũ C. FLAVII HOSTILII in quo veſtræ urbis hiſtoria tam elegan-ter deſcripta eſt, in urbem inferri procuretis, & inſigniori aliquo loco ſupra columnas IIII. ſuſtolli decernatis, eosque honores monumento huic habeatis, quos ipſi Flavio, ſi apud vos verſatus eſſet, deferre minimè negaretis. Quale enim & quantum ad virtutem incitamentum poſteris veſtris relicturi eſtis, cùm per vos didicerint, ſe non ex Alpinis cautibus, non ex roboribus iis, quæ frequẽtia adeo paſſim apud nos pullulant, ſed ex Romano ſanguine progenitos, ſed Herculis nobilitatem univerſam generi ſuo primordia dediſſe. Unde enim malit quiſpiam humano præditus ingenio oriundum ſe gloriari, quàm ab his gentibus, quæ omni virtutum genere, præclaraq́ue rerum egregiè geſtarum celebritate populos nationesq́ue omnes, ut palam eſt anteceſſere. Sed lætiſſimum illum & univerſæ civitati veſtræ jucundiſſimum diem videor, cùm indicta ſolenni pompa conditorium illud transferetis, egoque comes aditus ne ſine cantu & laudatione Hoſtilio parentetis; honores, quos ut Heroi decernere conſtitueritis, Carmine hoc qualicunque celebraturus adveniam

# EJUSDEM PIERII VALERIANI, Urbis Patriæ Genethliacon.

NOn quia ad ingratas cantarim sæpius aures
Meque diu verum domini sub acerba retentum
Servitia in longos nulla mercede labores
Impulerint nostro prætium è sudore ferentes,
Non quia sors gravior manent, & si quid iniqua
Sorti aberat vatum, Musarum & Apollinis hostis
AMorinis usque extremis ad sceptra vocetur
Romula, ne qua bonis superet spes artibus olim;
Idcirco hostili factum memorabile Flavi
Dissimulem, cœcove premi sub carcere in umbris
Perpetiar juvenem egregium, præstantibus ausis
Insignem, patriæ primus qui mœnia nostræ
Signavit, nomenque dedit, quod nulla abolebit
Posteritas si ritè manent sua munera fortes.
Unde autem primùm ingrediar quid inde secundum
Expediam? quis erit postremi carminis ordo?
An memorem quotiens Carnorum è vallibus imis
Noricisve jugis, Rhetorum aut montibus imbres
Bellorum ingruerint, tempestasve atra; Catesis
Teutonicis, tonitruque armata: & sulphure campis
Perniciem minitata, novam qua verteret urbem,
Cum strage irruerit, muroque invecta recenti
Diluvio fossas, & nondum jacta replerit
Fundamenta lue fœda, illuvieque nefanda
Tantum odii poterat virtus aliena parare!
Ut tu impendentis cernens discrimina damni
Nil contatus adhæc juvenum fortissimè contra
Teque tuos omnes pro libertate tuorum
Pro patria, natis, uxoribus, igne penatum
Duxeris haud dubiam in mortem, molesque ruentis
Firmaris pilo longis hastilibus undas
Alpinas junctò legionum umbone sub ipsis
Reppuleris fontes, vallem tutatus amœnam
Quantus eras meminisse juvas cum bella cieres,
Oppositis ad difficilis certamina Martis
Corporibus, caderentque hostes, caderentq; tuorum
Agmina: tu vallo nunquam, aut statione repulsus
Obstares implens hostili sanguine fossas
Et quotiens motus alicujus præscius Aspes
Prærepto ante loco tacitus superaris & hostes
Incautos ipsis in castris tuta tenentes
Perque rives & aquas, & inaccessu convalles
Aggressus stragem horribilem sub nocte silenti
Ediderís modo luce palam dejeceris arces,
Arces in tumulis altas, cœlig; propinquas
Præruptis vastis saxorum mollibus imo
Æquatis, prædamq; omnem, & captiva Teriscum
Corpora militibus sociis donaris habenda.
Sic vestem & gemmas, tuaq; agmina prodigus auro
Barbarico ditaris erunt, hæc nota per ævum,
Haud ulli reticenda, & ut hostibus inde tremendus
Cæsariem vallis circumsurgentibus auctam
Concuteris, tremerentq; tuis de laudibus omnes.
Quid quod eques totiens audaci corde periclum
A patria castrisq; procul, cum cæde repulsum
Sustuleris, pacemq; tuis, atq; otia terris
Incolumem dederis. Tu bello fortis & acri
Præsentiq; animo, casuq; paratus in omnes
Italiæ fines tutaris & oppida condis
Tu campis, titulos, fluvio tu nomina nostro
Imponas monstra domas, tu Notrica mactas
Prodigia immanem funestis dentibus aprum
Qui lætos vastabat agros, qui corpora letho
Mille virum dederat, nostris qui vallibus unus
Horror erat, quos non manifesta in morte vinaces
Teutonici, Carniq; feri, invictiq; Liburni
Terrebant, captave semel statione movebant
Hos fera fulmineis turbabat viribus arma
Se super injiciens, ferro inpenetrabile tergus
Opponens densas cuneo, servare phalanges
Pervadebat, & uni omnis Locus usque patebat:
Omnis ager, nemus omne, juga omnia, robus in armis
Tale & tanta feris inerat violentia sannis.
Hic tamen unius lethali concidit ictu.
Hostili & vires majoris fulminis olim
Expertus non ore tonat, non dente corusat
Non flatu inflammat segetes, non dura valentum
Membra, canumq;, virūq;, & equorū vulnere adacto
Discerpit, spargitq; ferox, sed vasta rubenti,
Terga volutat humi pilo confossus amaro
Exanimusq; jacet uno penetrabilis ictu
Te Flavi comites læto clamore salutant
In cœlumq; ferunt, laudesq; & carmina dicunt
Hostilique secant truncis & marmore nomen
Quos autem tibi dat titulos Sertorius, armis
Inclytus insignis pietate, bonæ unus amator
Indolis ille tuis pretium virtutibus addens
Te clypeis ornant, & hasta, & torquibus aureis,
Mox alio dux magnanimus te munere dignum
Jam genti,, laribusque suis adscripserat, idem
Te donarat equo, te laurentalibus aris
Laudant, validisque viris æquant honore
Et nunc Flaviolum de te cognomine campum
Dit, dicatque tuo nomen de nomine ænaxo.

At

At legio Volscorum omnis, læta omnis, ut unum
Luctificæ ultorem cladis, conspexerat, unum
Esse virum voluit, qui de virtute recentem
Urbem appellaret sic vir, si unus in omen
Cessit & unanimi dixerunt voce Virunum
Posteritas quam mox Bellunum dixit amœnam
Nos tamen ingrati cives tua frusta sub alta
Condita humo latitare diu, nos cæca sinamus
Nocte premi sine laude rogi, side honore sepulchri
Teque parentem urbis, te nostri sanguinis altum
Auctorem tantis bene gestis rebus abire
Indecorem patiamur, & haud dubitanda professi
Demum illaudatum, ignotumq; jacere feramus?
Non ita sed quoniam tua tandem cognita virtus
Tempore post longo potuit superare protervam
Fortuna invidiam, esque tuæ jam redditus urbi
Non eris in cæcis latebris, humilive recessu
Verum humeris procerũ mediam tolleris in urbem
Conspicuoq; loco celsus statuêre, columnis
Quattuor erectus structo de marmore cippo
Feliciq; urbem solvêre in sæcula dices
Omnes eumq; tua Bellunum laude vigebis.
Non humeris sive hanc veneri cognomine gentes
Sive novo appellare volent, tibi semper honores
Læta cohors juvenum, & florens ætate puella
Instituent circa tumulum tibi munera ponent
Nam tibi sævitiam scelerati frigeris acrem
Februus incipiet flatu emollire favoni
Orgyaq; latiq; chori pro numine Bacchi
Antiquo de more aderunt, neque Tibia cantum
Festa suum invideat, neq; vir, neq; fœmina vultum
Ulla suum ostentet sed velent ora cavatis
Corticibus, sumatq; virilem fœmina vestem
Et vir fœmineam incedat per compita palla
Plebsq; omnis saliant unctos insana per vires
Hi lætos ducent choreas, neque classica & arma
Cessabunt, hastæq; novo conamine in ædes
Adlisæ admisso de quadrupedante vetusto
Rita ubi nulla joco sessoris ephippia, nullum
Sustentet plantas vinclum sed sola sub armos
Genua juvent (mos iste tuus) tibi lecta juventus
Insidens in equis solvet sic justa quotannis
Ad tumulum & monumenta tuo de nomine facta
Hoc autem insigni laxabant pectora ludo
Præstantes virtute viri, namq; ordine ducto
Augustæ quacumq; domus sese angulus amplæ
Obtulerit plateæ, pilasve objecerit, illi
Hastam insertabunt, & equo rapiente ferentur
In murum, piceasq; trabes in frusta fragoso
Cum sonitu imminuêt. Favor hinc plausuq; Theatri
Non aberit, pannis albis, quem victor adoptet
Ast alii excussi dorso, nixuq; repulsi
Inq; simum immundum revoluti cuncta sedentum
Pectora concutiant risu, & clamoribus altis
Tota theatra sonent, donec fortissimus unus
Pluribus effractis valido certamine conis
Insignem moveat palmam, & tua pœgmata circum
Quæ surgent lauris ornata virentibus, atque
Effuso large vinoq; & lacte natabunt
Lætus equos agitet, tibi figat præmia latus,

FINIS.

HIEROGLYPHI
VALERIANI

Th
1426a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN